GERARDI JOAN. VOSSII

OPERUM

TOMUS SEXTUS

THEOLOGICUS.

GERARDI JOANNIS VOSSII

TRACTATUS THEOLOGICI

Quorum ſeriem pagina poſt

PRÆFATIONEM EXHIBET.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, & GOETHALS.

M DCC I.

Benevole Lector,

DE Tractatibus his Theologicis, quos hoc volumine comprehendimus, utpote antehac editis, multa præfari neceſſe non eſt. Solummodò rationem reddemus ordinis, in quem eos digeſſimus, quem non adeo facile reperire fuit inter tractatus propter argumenti diverſitatem vix inter ſe cohærentes. Commodiſſima methodus viſa fuit, à ſerie Hiſtoriæ Sacræ & Eccleſiaſticæ deſumta; ut, cum vix ulla ſit materiæ connexio, ſaltem ordo temporis obſervari poſſit. Quare primo loco collocavimus *Chronologiæ Sacræ Iſagogen*, quæ hiſtoriarum Veteris Teſtamenti ſeriem docet. Inde progredimur ad Hiſtoriam *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ipſiuſque *Genealogiam*, *Nativitatem*, & *Paſſionem*. Eam excipiunt *Theſes Theologicæ*, *de Baptiſmo*, & *de variis doctrinæ Chriſtianæ capitibus*, quibus doctrina Jeſu Chriſti explicatur. Tum tranſitione factâ pergimus ad res Eccleſiæ. Hìc primò ſeſe offert *Diſſertatio de tribus Symbolis*, *Apoſtolico*, *Conſtantinopolitano*, *& Athanaſiano*: Mox ſequitur *Hiſtoria Pelagiana*: cui ſubjunximus Fragmentum *de Manichæis*, hactenus ineditum. Tandem totum hoc opus claudimus duobus circa proximè elapſi ſæculi initium editis tractatibus, qui controverſias eo tempore agitatas expendunt: *Epiſtolicâ* nempe *Diſſertatione de autoritate Magiſtratus circa ſacra*: & *Reſponſione ad Judicium Hermanni Ravenſpergeri de libro Hugonis Grotii contra Socinum de Satisfactione*. Habes rationem methodi, quam tibi probatum iri confidimus. Vale, & laboribus noſtris fave.

SERIES TRACTATUUM

Hoc volumine Contentorum.

GERARDI JOANNIS VOSSII

CHRONOLOGIÆ SACRÆ ISAGOGE

SIVE DE


Ultimis Mundi

ANTIQUITATIBUS,

Ac imprimis de Temporibus

RERUM HEBRÆARUM

DISSERTATIONES VIII.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, & GOETHALS.

M DCC I.

CHRONOLOGICARUM
DISSERTATIONUM PRIMA,

Quæ est

De Distributione omnis Ævi.

DISSERTATIONUM CHRONOLOGICARUM SECUNDA,

. Quæ est

De Mundi Natali.

DISSERTATIONUM CHRONOLOGICARUM TERTIA,

Quæ est

De annis eorum qui ante Diluvium vixerunt.

DISSERTATIONUM CHRONOLOGICARUM QUARTA,

Quæ est

De Tempore Diluvii.

DISSERTATIONUM CHRONOLOGICARUM QUINCTA,

Quæ est

De Temporibus à Diluvio exacto usque ad vocationem Abrahæ, sive migratione ejus ex Haran.

DISSER-

DISSERTATIONUM CHRONOLOGICARUM SEXTA,

Quæ est

De Tempore à migratione Abrahæ, ex Haran Mesopotamiæ, usque ad ingressum Israëlitarum in Ægyptum.

DISSERTATIONUM CHRONOLOGICARUM SEPTIMA,

Quæ est

De Tempore habitationis in Ægypto.

DISSERTATIONUM CHRONOLOGICARUM OCTAVA,

Quæ est

De Tempore ab exitu ex Ægypto usque ad regnum Davidis.

CHRO-

CHRONOLOGICARUM DISSERTATIONUM PRIMA,

Quæ est

DE DISTRIBUTIONE OMNIS ÆVI.

Caput I.

De divisione omnis ævi secundum Poëtas: quæ dividitur in quatuor ætates totidem metallorum nominibus distinctas.

PRinsquam in mare historiarum, vela dem mea: eos imitabor, qui descripturi terrarum globum, ante omnia eum dispescunt, in partes maximas; uti veteres plerique in Asiam, & Europam, sub qua Africam comprehendunt: nostri iis addunt Americam, sive Indiam Occidentalem: nonnulli etiam Magellanicam, sive terram Australem. Quod hi faciunt in terris, id non minori ego jure præstabo in temporibus. Sunt enim geographia, & chronographia, germanæ sorores: imò quasi ocelli duo Historiæ; quorum altero si orbetur, lusca fiat; utroque exstincto, cæca sit prorsus. Nec tamen altè adeo tempora mundi ordiar, quàm Ægyptii juberent: quorum Manethos Sebennyta, flamen Heliopolitanus, tribus voluminibus complexus fuit spatium annorum quinquies millium trecentorum, & quinquaginta quinque. Atque hasce Ægypti dynastias fuisse scripsit ante victum ab Alexandro Magno Darium Codomannum. Ejus operis epitomen concinnavit Julius Africanus, atque inde Chronologico suo operi inseruit Eusebius. Vixit autem Manethos ille sub Ptolemæo Philadelpho, ut Beroso jam sene claruisse videatur. Ac Ægyptii quidem tantam jactâsse antiquitatem suæ historiæ videntur, ut soli sapere, cæteri pueris similes, & tanquam umbræ circumvolitare viderentur. Sed enim, ut verum dicerent, quantillum egerint, si tantillo ostendant mundum esse antiquiorem, quàm gentes aliæ putarint? Quid hoc ad perennitatem, quàm Aristotelis sectatores statuerunt? Nunc verò extra controversiam poni debet, Manetho primo & altero tomo prorsus tempora confudisse, dum non satis attendit dynastias, quas recenset, non singulas singulis successisse: sed plures simul imperâsse. Cui, quia alias id luculentè ostensum nobis, pluribus hoc tempore non insistam.

De antiquissimis igitur mundi temporibus certiorem Manethone ducem sequar Mosem, in omni Ægyptiorum sapientia, cura filiæ Pharaonis, institutum, & Manethone annis amplius mille ac ducentis vetustiorem. In cæteris etiam vestigia premam eorum, quorum fluxa non sit fides. Sed sic quoque ea temporum distributio difficultate non caret, propter variantes veterum ac juniorum sententias. Eas omnes commemorare si velim incertiores multi reddantur, quàm fuerant prius. Faciam igitur, quod & me dignius, & aliis utilius erit. Exponam sententias nobiliores: quales quatuor imprimis, una veterum poëtarum, altera Terentii Varronis, tertia dicitur domûs Eliæ, postrema est B. Augustini. Etiam adjungam, quid mihi de singulis harum videatur. Denique ex sententia nostra omne ævum dividam, & principum partium partes faciliori simul, ac certiori, quàm fieri ab aliis video, explicabo.

Ordiar à poëtis, penes quos, antiquissimis temporibus, & historia & philosophia, & omnis doctrina liberalis, consistebat. Hi fere quatuor statuunt ætates, auream, argenteam, æneam, & ferream. Auream durâsse ajunt, donec regno suo expelleretur Saturnus. Omnia verò ea, quæ Maro, Ovidius, poëtarum alii, aureæ tribuunt ætati, hæc conveniunt tempori illi, quæ Adamus ante peccatum in paradiso vixit. Ut dubitandum non sit, quin Adamus sit gentilium Saturnus. Quod pluribus probaremus, nisi id factum à nobis foret libro de Origine Idololatriæ. Ex quibus luculentè parebit, per auream ætatem, quæ Saturno regnante fuit, non aliud intelligi, quàm felicem primorum parentum vitam in paradiso.

Secuta inde, ut Poeta a ait, a Ovid. 1. Met.

——— argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.

Sane fuit Adamus sanctior posteris. Etiam eadem ætate erant Abel, Seth, Enoch, atque alii, qui filii Dei in Scripturis vocantur. Idem de hac ætate subjungit:

Semina tum primum longis Cerealia sulcis.
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.

Quod optimè convenit Adamo, & Caino agricolis. Nec tamen sola tum agricultura locum habuit: sed aliæ etiam artes repertæ sunt ut Maro multis refert. Nec caussam dissimulat. Nam necessitatem coegisse ait,

Ut varias usus meditando extunderet artes.

Atque eodem illa pertinent,

Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Ac ista etiam probè consentiunt Scripturis. Adamus enim, ut Cainum agriculturam, ita pastoralem vitam edocuit Abelem. Nisi hanc ab Abele ipso inventam malimus. Jam tum etiam oppida condi cœpere: quod primus fecit Cainus. Jabal autem, qui è posteris Caini erat, primus in agris ac nemoribus exstruxit tentoria, ut pecus minori pascerent molestiâ. Ejus frater Jubal primus reperit Musicam organicam. Frater utriusque consanguineus Tubulcain invenit opificium ærarium & ferrarium. Quæ omnia apertè à Mose traduntur. Et vox ipsa *Tubulcainus* fidem fecerit, non aliunde esse *Vulcanus*: qui primus invenisse dicitur ignis usum in metallis. Unde & igni præsidere dictus, & divino cultus honore; præcipue à fabris ærariis & ferrariis.

Tertia b *post illam successit ahenea proles,* b Ovid. Met. 1.
Sævior ingeniis & ad horrida promptior arma.

Nempe postquam Nimrod, nepos Chami, cœpit esse

potens in terra ; ac Babylona condendo fundamenta jecit imperii Chaldaici: Assur autem Semi filius, Niniven exstruendo, initia posuit imperii Assyriorum. Quorum Nimrodus à gentibus dictus est Belus : Assur autem videtur, qui ab iisdem Ninus vocatur. Sed quia Babylonium, & Assyrium imperia, postea in unum coaluere, hinc factum, ut utrque imperâsse Assyriis, imò & Persis, crederetur : quemadmodum ex Alexandrino Chronico cognoscimus. Ab imperio autem horum cœpisse bella, ac proinde æream ætatem, facile mihi largientur Grammaticorum illi, qui *bellum* à Belo deduxere : quia cum antea fustibus pugnaretur, ille gladiorum primus usum induxerit; uti non apud Cassiodorum modo, *a* sed Hygenum *b* etiam legere est. De etymo non contendero, cum ex duello *bellum* esse factum constet. Interim hæc quæ veterum de belli origine sententia fuerit, satis ostendunt. Est igitur, seculum tertium, quo cum Jove Mars imperavit. Id autem, originem cepit à Belo & Nino, Chaldaici & Assyrii regni conditoribus: qui gladiorum usum invenisse, primique finitimis bellum intulisse dicuntur: qui etiam, (vel alterutet saltem) Jovis Enyalii ac Martis nomine vocabantur.

a Lib. 1. epist. 30.
b De Fab. cap. 272.

Ænea hæc ætas durasse à Poëtis dicitur, quamdiu heroes fuere, qui *Semidei* dicuntur : ut Hesiodus indicat, quando ad eam refert:

> Ἀνδρῶν ϛ ἡρώων θεῖον γένος, οἱ καλέονται
> Ἡμίθεοι. ——

c Divinum genus heroum, quos nominant dicunt Semideos.

Atque idem mox subjicit, tales esse, qui ad Thebas Bœotias pugnavere propter oves *d* Oedipi: vel ob Helenam bellum gessere ad Trojam. Unde liquet, idem sensisse de Argonautis, qui illis sunt antiquiores. Nam Argonautica expeditio in Colchidem suscepta est, quo tempore Israëlis judex erat Gideon, dux clade Madianitarum inclytus. Bellum autem Thebanum inter Oedipi liberos fuit tempore Thola judicis, qui successerat Abimelecho; parricidiis adeo infami. Bellum verò Trojanum cœpit sub Jephte: sed capta est Troja sub successore ejus Abessam, quinquaginta annis post bellum Thebanum, nonaginta post expeditionem Argonauticam.

d Id est opes Nam olim omnes divitiæ in pecudibus & armentis.

Superest ætas ferrea: cujus initium duco à temporibus Orestis, vel generatione proxima : nempe in liberis aut nepotibus eorum, qui temporibus fuerant belli Trojani. Hic enim sistere eos video qui heroum gesta carminibus suis celebrarunt : qualis Homerus: item Æschylus, Sophocles, Euripides. Quare non sequor summum virum, qui heroicum tempus extendit usque ad Olympiadem primam. Neque enim, puto, cum Hesiodus conqueritur de ferreo quo viveret, seculo, hoc voluit, suis illud temporibus, aut paullo antè cœpisse. Atqui Hesiodum circa Olympiadem primam floruisse, satis ex Vellejo, Solino & aliis, cognoscimus. Sed de initio ferreæ ætatis non similiter statuere licet in populo Israëlitico. Nam ut sanè heroica tempora extendamus usque ad Heraclidarum reditum in Peloponnesum, quod annis fuit LXXX. post excidium Trojæ: non tamen hæc tempora in Israële ferrea dici poterunt, quia reditus ille Heraclidarum circa ea tempora fuit, quibus in Heli locum Samuel successit. At florentia illa Samuelis, Davidis, Salomonis tempora ferrea vocare, id mihi ferro prope durius videtur. Sed si decem quidem tribus spectemus ferreæ ætatis nomen convenit tum iis, cum Olympiade primâ tributariæ factæ sunt Phul Assyriorum regi: ac imprimis Olympiadi XIV. quando captivæ à Salmanassare abductæ sunt in Assyriam. Judæ autem competet ea appellatio, cum Sedekias, ultimus ejus Rex, deportatus est Babylona: quod Olympiade contingit XLIV. ac potissimùm cum excisis Hierosolymis Judæi fuere dispersi per orbem terrarum, quod anno evenit LXX à nato Christo.

Atque ex his liquet, quomodo ætates quatuor, quibus à quatuor metallis nomen impositum est, tum in gentilium, tum in Israëlitarum temporibus distinguantur.

Cæterum quæstio hic consurgit, an non eadem divisio aptari debeat totius mundi imperiis. Multorum ea opinio est, eorum etiam, qui sapiant supra vulgus. Prora iis, & puppis est locus Prophetæ Danielis cap. II, ubi Nabuchodonosoro in somnio offertur viri imago τετραμέταλλος, cujus caput aureum foret, pectus argenteum, venter æneus, crura ferrea. Quibus intelligi volunt quatuor summa imperia; Assyrium, cujus initium à Nino; Persicum quod à Cyro cœpit; Græcum, cujus primordia ab Alexandro; & Romanum, quod ordiuntur à Julio Cæsare, vel Augusto, & duraturum ajunt ad finem mundi. Neque dubitant, quin illa de quatuor ætatibus ex vaticinio Danielis hauserint poetæ. Sed de isto eos temporum ratio satis refellit. Nam claruit Daniel post Olympiadem L. annis amplius ducentis post Hesiodum, qui tanto ante hanc ætatum pro quatuor metallis divisionem attulit, idque non in Θεογονίᾳ, quæ utrum genuina esset, jam olim aliqui dubitarunt; ut ex Pausania constat: sed in ἔργοις καὶ ἡμέραις : quem germanum esse Hesiodi fœtum satis convenit. Præterea imago illa Nabuchodonosoro oblata non fuit typus omnium temporum: sed eorum tantummodo, quæ à captivitate Babylonica defluxere usque ad adventum Messiæ. Nam caput aureum notat imperium Babylonicum sub quatuor regibus Nabuchodonosoro, Evilmerodacho, Balsasare, & Nabonido, seu Dario Medo. Pectus argenteum signat imperium Medorum, & Persarum, quod à Cyro cœpit, ac desiit in Dario Codomanno, quem devicit Alexander M. Venter æneus indicat regnum Alexandri M. Cruribus ferreis designantur imperia Seleucidarum in Syria, & Lagidarum in Ægypto. Quare in vaticinio hoc enarrando multa peccant. Primùm, quod pro Chaldæo Nabuchodonosori, & trium proximorum regum imperio substituant imperium Assyriorum quod à Nino ceperat, & desierat in Sardanapalo: quasi historicum ibi Daniel agat, non vatem. Præterea errant, quòd per crura ferrea intelligant Cæsares Romanos, cùm ex cap. XI satis liqueat, Seleucidarum & Ptolemæorum imperium intelligi oportere. Nempe propositum Deo fuit, indicare, non regnorum constitutionem usque ad finem mundi : sed successionem imperiorum, quæ vexatura essent populum Judaicum, usque ad adventum Christi in carnem. Illorum verò sententia, qui Romanam intelligunt μοναρχίαν, præterquam quod verbis Prophetæ repugnat, etiam Judæis præbuit ansam pertinaciæ, quasi necdum advenerit Messias. Nam dicitur cum finem sortietur quartum imperium, successivum regnum Messiæ perpetuum : quod non convenit imperio Romano. Interim vix dici potest, quam multi huic errori implicentur, quos inter etiam est Sleidanus in libellis de quatuor imperiis. Nam initio libri primi clarè imaginem illam è quadruplici metallo *temporum omnium historiam ad finem usque mundi paucis complecti.* Sed ut junioribus facilius ignoscatur, facit quod veterum multi in eadem sententia fuerint, ut ex Theodoreto & aliis, cognoscimus.

Cap. II.

De distributione omnis ævi Varroniana in incertum, fabulosum, & historicum.

HActenus vidimus de divisione omnis ævi in quatuor ætates, quæ metallorum nominibus distinguuntur. Accedo nunc ad sententiam Terentii Varronis : quam Censorinus nobis exposuit in aureolo libello de die Natali. *Varro*, inquit, *tria discrimina temporum esse tradit: primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem: quod propter ignorantiam vocatur* ἄδηλον. *Secundum à cataclysmo priore ad Olympiadem primam: quod quia in eo multa fabulosa referuntur,* μυθικὸν *nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos: quod dicitur* ἱστορικὸν, *quia res in eo gesta veris historiis continentur. Primum tempus, sive habuit initium, sive semper fuit, certe quot annorum sit, non potest comprehendi. Secundum non planè quidem scitur; sed tamen ad mille circiter & Iↄ annos esse creditur. A priore scilicet cataclysmo, quem Ogygium dicunt,*

dicunt, ad Inachi regnum anni circiter CCCC. *Hinc ad Olympiadem primam paullo plus* CCCC. Mox addit: *De tertio autem tempore fuit quidem aliqua inter auctores dissensio in sex septemve tantummodo annis versata: sed hoc quodcumque caliginis Varro discussit.* De tempore μυθικῷ vel longè a Varrone abiit Africanus; vel locus est corruptus, præsertim quod ad numeros. Res tota sic habet. Ponit Varro triplex tempus. Primum dicitur ἄδηλος, quia, quid eo gestum sit, à gentibus ignoretur. Extenditur usque ad diluvium Ogygium: quod contigit temporibus Jacobi Patriarchæ, juxta Eusebium. Estque hoc diluvium intermedium inter universale temporibus Noachi, & Deucalioneum extremis temporibus Mosis. Ab diluvio Ogygio incipit tempus μυθικὸν, quomodo vocatur, non quia, quæ de eo tradantur, sint meræ fabulæ: sed quia ejus temporis historia multis sit fabulis involuta: sic tamen, ut non usque adeo difficile sit ex iis historiam elicere. Ut si ex Apollodori bibliotheca separes vera à falsis. Nam homines fuisse certum est, utcumque multa iis falsa tribuantur. Extenditur hoc tempus usque ad Olympiadem primam judicio Varronis. Nam Diodorus Siculus lib. 1. bibliothecæ solùm extendit usque ad bellum Trojanum. Atque addit, ante ea tempora nihil certi haberi, propterea quòd nullum sit παράπηγμα περὶ τούτων πεπιστευμένον. Nempe Astrologi quidem habent tabulas suas, quæ παραπήγματα vocantur, ubi siderum ortus, & occasus, atque tempestates ordine annotatur: cujusmodi tabulas sequi tuto licet: at non historici similiter ante Trojana tempora, ut hic Diodorus ait, habent sua quoque παραπήγματα πεπιστευμένα, ubi series temporum annotetur. Exstabant quidem Arctinus, Eumelus, Lesches, alii Poëtæ Cyclici: sed negat hos παράπηγμα esse, cui fidem habere semper possis, propter tot fabulas. Varro, ut dixi, extendit μυθικὸν tempus ulteriùs. Nimirum usque ad primam Olympiadem.

Intra hoc tempus: Reges antiqui Sicyoniorum, Argivorum, Thessalorum, Lydorum, & aliorum. Horum tempora non tam per annos expansos, quàm per generationes cognoscere licet. Quo pacto etsi exactè tempus nesciatur, non multum tamen aberratur. Estque γενεὰ annorum XXXV: vel biennio penè minus, juxta Herodotum, qui tres generationes annis tribuit centenis. Nonnulli quatuor generationes seculo assignant. Itaque generationes numerando non quidem annum certum cognoscimus; attamen invenimus, quo tractu temporis aliquid evenerit.

a Exactè loquendo C.V.

b Exactè tantum CLXXXV. Nam à divisione regni usque ad eversum templum sive deportationem Zedechiæ anni sunt CCCXC.

Historicum tempus incipit ab Olympiade prima, quæ incidit in tempora Azariæ, sive Usiæ, Regis Judæ: ducentis *a* annis post obitum Salomonis, ac divisionem regni Israëlitici: ducentis prope *b* ante excidium templi Hierosolymitani: annis XXIV ante conditam Romam. Atque hæc dicta sunt de sententia Varonis.

Cap. III.

De divisione omnes ævi secundum domum Eliæ.

a Fol. 9. cap. 1.

VEnio nunc ad sententiam domus Eliæ, quæ legitur in Thalmud *a*. Verba Latinè sic sonant; *Qui ex familia Eliæ tradiderunt mundum duraturum annos sex mille: videlicet.* DUO MILLIA INANE, DUO MILLIA LEX, DUO MILLIA MESSIAS. Ubi duos primos millenarios vocat INANE, quia ante conditam Babylona maxima longè mundi pars erat inanis, propterea quòd nondum dispersæ erant gentes in terras varias longéque dissitas. Quamquam alii aliter interpretentur. Proximis bis mille annis Lex: ubi si per legem intelligatur lex Mosaica, falsum erit de bis mille annis: quia ad legem latam ab orbe condito anni sunt pene bis mille quingenti: inde ad Christum natum nondum mille quingenti. Sed per legem intelligi debet lex circumcisionis Abrahæ lata. Quare, ut omnia sint clariora, malim eandem sententiam sic efferre, bis mille annos esse ante promissionem Abrahæ factam; bis mille sub promissione; bis mille post completam promissionem. Quamquam illud de bis mille annis post promissionem, audaciùs dictum videtur, cum nemo sciat judicii diem. Unde liquet, Eliam, cui illud dictum tribuitur, non esse Eliam Thisbitem, sed alium, qui vixerit tempore templi secundi. Sed hac de re videat, qui volet dissertationem nostram de Fine mundi, quæ jam ante annos penè XXX lucem vidit. Interim ex dicto isto refelli possunt, qui Messiam adhuc exspectant. Quippe anni jam mille sunt & sexenti, quod quartus expiravit millenarius.

Cap. IV.

De divisione omnium temporum secundum B. Augustinum, alia item Gregorii M. atque alia Damasceni.

SUperest sententia B. Augustini: qui, ut sex diebus creavit Dominus mundum, septimo autem quievit, unde is *sabbathi* nomen accepit; ita ævum omne dividit in sex ætates; post quas fore dicit æternum illud sabbathum in cœlis, quod diei septimo respondet. Verba Augustini sunt ista lib. XII. contra Faustum Manichæum cap. VIII. *Sex diebus in Genesi consummavit Deus omnia opera sua, & septimo requievit. Sex ætatibus humanum genus hoc seculo per successiones temporum Dei opera insigniunt: quarum prima est ab Adam usque ad Noe. Secunda à Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta à David usque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta inde usque ad humilem adventum Domini nostri Iesu Christi. Sexta, quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad Iudicium. Septima verò intelligitur in requie Sanctorum, non in hac vita, sed in alia.* Sequitur autem Augustinus Græcos, qui juxta τοὺς ἑβδομήκοντα mille amplius annos numerant ante Abrahamum: quomodo Christus demum natus erit post annum quinquies millesimum. Unde est quod August. quinque diebus creationis respondere ait quinque millenarios ante Christum: nempe quia in Scripturis est, unus dies apud Deum est sicut mille anni. Eandem divisionem adducit idem in libris de civitate Dei libri ult. cap. postremo: item lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. XXII. Etiam secuti illam Isidorus lib. V. Originum cap. XXXVIII, & Beda lib. de ratione Temporum cap. LXIV, & initio libri de sex ætatibus mundi. Imò ante Augustinum eandem amplexus Chrysostomus Homilia de Jephthe *a*. Distributio hæc eo differt à superiori, quod partem primam dispescit in duas, secundum in tres, ut quæ illic erat tertia, hic fiat sexta. Nempe hunc in modum. a Tom. 1.

Omne ævum dividitur

Juxta domum Eliæ in tres partes: Quarum	Juxta B. Augustinum in sex partes: Quarum
I. Ab orbe condito usque ad promissionem Abrahæ factam.	I. Ab Adamo usque ad Noe.
	II. A Noe usque ad Abrahamum.
II. A facta promissione usque ad impletam.	III. Ab Abrahamo usque ad Davidem.
	IV. A Davide usque ad captivitatem Babylonicam.
	V. A captivitate usque ad Christi adventum priorem.
III. Post promissionem impletam.	VI. A priori Christi adventu usque ad adventum posteriorem.

Nec multum ab hac divisione abit Gregorius Magnus Homil. XIX in Euangelia, & è Græcis Nicetas in Nazianzeni orat. XLII *b*. Solùm in eo est discrimen, quòd hi ab Abrahamo numerent ad Moysen, & inde ad captivitatem: non, ut Augustinus, ab Abrahamo ad Davidem, & inde ad captivitatem.

b Num. 27.

Paullo magis recessit Joannes Damascenus lib. II. Orthodoxæ Fidei cap. I. Quem non modò secutus Jodocus Clichthoveus in comment. ad Damascen. sed etiam Joannes Lucidus lib. de Emendatione Temporum. Hi omne ævum dispescunt in partes septem. Prima se extendit usque ad diluvium. Altera usque ad Abrahamum, sive Circumcisionis Legem. Tertia usque ad Mosem, sive Legem latam in monte Sinæ. Quarta usque ad Davidem, primum Regum, è quo Christus descenderit secundum carnem. Quinta à Davide usque ad transmigrationem Babylonicam. Sexta ab hac transmigratione usque ad adventum Christi in carnem. Septima usque ad finem seculi, sive ad secundum Christi adventum.

Nunc conferamus distributionem Augustini, & Damasceni. Abiit Damascenus primùm in eo, quod prima pars extenditur Augustino usque ad Noë: Damasceno usque ad diluvium. Convenit tamen eo, quòd secunda utrique extenditur ad Abrahamum. Itaque utraque cum illa Eliæ facilè conciliatur. Majus discrimen in temporibus post Abrahamum: ubi Augustinus habet tres partes ab Abraham, usque ad David, à David usque ad captivitatem Babylonicam, & inde usque ad Christi adventum in carnem: Damascenus vero habet quatuor partes quia partem Augustini ab Abraham usque ad David dividit in duas, Mose inserto. Nam duæ ei partes ab Abrahamo usque ad Mosem, à Mose usque ad David.

Hæc Damasceni divisio impensiùs placet superioribus. Primùm enim commodè dispescit omnia tempora in mundum veterem, qui diluvio interiit, & mundum hunc nostrum. Deinde in mundo nostro rectè discernit inter tempora ea, quibus nulla erat discretio gentium, & illa qua Deus Hebræos sibi in gentem propriam ex orbe universo elegit: ut hinc rerum Hebræarum sit initium. In Hebræorum temporibus rectè ab Abrahamo, cui data lex Circumcisionis, itur ad Mosen, per quem lex lata in monte Sinai. Ut mittam, quod ante Mosen partim in Cananæa, partim in Ægypto, habuere quidem Patriarchas, sed non ex gente Hebræa principem: qualis primus Moses, populi ejus legislator. Exinde optimè itum ad Davidem: ante quem, si Saulem exceperis, non habuere Regem, sed partim paruere Mosi, partim Josuæ, partim Senioribus, partim Judicibus. A Saule verò, etsi is primus Rex initium fieri non debuit, partim quia maxima regni sua parte imperium non solus habuit, sed cum Samuele: partim quia quando cœperit imperare, vel quamdiu rexerit, è Scripturis non liquet; ut ab ejus regno nova à Chronologis epocha statui non possit: partim quia rejectus est à Deo ob inobedientiam: ac contrà David prælatus, ex quo & Messias nasci voluit secundùm carnem. Primus etiam regum promissionem habuit nasciturì ex se Servatoris. Inde jam ubi melius novum initium sumatur, quàm ubi reges Judaici desierunt, ac serviri cœptum regibus externis. Quod factum, ubi cœpit captivitas Babylonica. A quo tempore periodus se extendit usque ad Christum. Sed hanc ob tam diversos Reip. Hebrææ dominos, meliùs fuerat in tria dividi membra: ut postea liquebit.

CAP. V.

DIVISIO ALIA OMNIS ÆVI IN PARTES DENAS.

VIdimus, ut divisiones allatæ à Christianis non diffideant, sed in summa conveniant. Existimo tamen liquidiora ac clariora fore omnia, si eadem hunc in modum proponantur. Tria cum Elia tempora attendimus. Primum se extendit usque ad initium rerum Hebræarum, quæ incipiunt à vocatione Abrahæ. Alterum complectitur tempora Hebræorum, sive usque ad natum Christum, sive prædicationem ejus, vel etiam mortem, sive ad eversum templum secundum, & dispersionem gentis Judaicæ per orbem universum. Tertium tempus est rerum Christianarum: sive à nato Christo visum ordiri, sive tempore eo, quo Apostoli jussi sunt prædicare Euangelium omni creaturæ.

Primum intervallum est bipartitum. Pars una est ab orbe condito usque ad diluvium exactum. Altera à diluvio exacto usque ad Abrahæ vocationem ex Ur Chaldæorum.

Alterum intervallum, quod rerum est Hebræarum pro vario principatu ac imperio, statuo esse quinquepartitum.

Prima pars transacta sub patriarchis, & regibus Ægyptiis.

Altera sub gentis suæ principibus, Mose, Josua, judicibus, & regibus.

Tertia sub regibus exteris, Babyloniis, Persicis, Græcis, & Syris.

Quarta sub Ducibus, & Regibus, Asmonæis.

Quinta sub Romanis.

Tertium intervallum, quod rerum est Christianarum, est tripartitum.

Prima pars sub Cæsaribus Romanis, usque ad desitum Occidentis imperium in Momyllo Augustulo.

Altera extenditur usque ad instauratum Occidentis imperium à Carolo Magno.

Tertia est quæ sub variis Imperatoribus ac Regibus inde fluxit usque ad hæc tempora.

Ita videmus, si pro tribus partibus majoribus numeremus partium earum partes, quas diximus: omne ævum in partes decem dispesci. Quarum ordo distinctus plurimum memoriam, rerumque intelligentiam juvat. Has ipsas vero in minores alias deinceps partiemur. Nec tamen in minutias concidemus, sicut Molossi bovem solent: sed illustriores epochas observabimus. Alioqui enim partitio non lucem adferat, sed obscuritatem: præsertim iis, quibus obtigerit vel ingenium minùs subtile, vel memoria parum felix. Nobis verò iis etiam consulere animus est, quibus hæc mediocria obtigere.

CHRO-

CHRONOLOGICARUM DISSERTATIONUM SECUNDA,

Quæ est

DE MUNDI NATALI.

CAPUT I.

De mundi natali primò dicitur, in quo omnes conveniant: nempe non esse conditum hieme, eò quòd omnia, simul ac natus, germinarint, ac fructus protulerint. Deinde exponitur, quid in controversia sit: videlicet, utrùm natus vere, æstate, an auctumno. Ac notitiam rei ejus peti, partim ex historia creationis, diluvii, partim ex iis, quæ de initio anni habemus, tum in Scripturis, tum etiam scriptoribus externis. Scopus & propositum totius dissertationis.

EXposui, quo pacto omne ævum diviserint gentiles, Judæi, Christiani: ac postremò adjeci, maximè mihi partitionem eam probari, qua temporum seriem, decem quasi curriculis distinguimus. Primum curriculum esse dicebamus veteris mundi, sive ab orbe condito usque ad diluvium exactum. Ubi tria in considerationem veniunt: quando mundus sit conditus: quod intervallum usque ad diluvium cœptum; & quamdiu duràrit diluvium. Primùm igitur, si fieri id possit, constituendus nobis mundi natalis in certa anni parte: super quo valde olim variarunt sententiæ; nec minor hodie dissensus videtur. Nec tamen, qui mundum hyeme conditum diceret, hactenus repertus est quisquam, utcunque annus Romanus, quo vulgò utimur, octo à brumâ diebus inciperet. Nempe facilè omnes viderunt, consistere hanc opinionem non posse, cum eo, quod Moses refert de germinatione terræ, & maturatione fructuum: quæ alii verno, æstivo alii, alii denique autumnali tempori adaptàre maluerunt. Neque ex creationis solùm historia sententiæ suæ subsidium petierunt; sed etiam diluvii, ubi mentio fit mensis primi, secundi, septimi, undecimi. Sic enim collegerunt, in diluvii historia, cum Mosi annum primum dici, qui ita appellatus esset diluvii tempore: Noachum autem vocasse primum, quem sic Adamo fuisse nominatum, à majoribus accepisset. Verùm nec inter eos, qui hæc pro confessis habuerunt conveniri potuit, quis primus, quis undecimus mensis diceretur; deque toto hoc naturalibus argumentis disputatum fuit. Tertium etiam argumenti genus accessit, partim ex Scripturæ locis commemorantibus initium anni, ante exitum ex Ægypto: partim ex iis, quæ gentium scriptores, atque alii de anni initio apud Ægyptios veteres, & populos Orientales, prodiderunt. Nam consensum istum de principio anni judicàrunt non leve esse indicium vetustissimi consensus de mundi natali.

Has tam diversas opiniones expendere animus est, non tam profectò, ut aliquid omnino certi statuam, quàm ut ostendam, nondum satis liquere, eo quòd omnes argumentis pugnent minimè absurdis; nec istiusmodi tamen, ut controversiam terminent ac decidant: qualia ab Aristotele πεπαίνεια appellantur. Scio, imperitis imperitiam videri, non determinare omnia: sed non sumus ex omnisciolis istis, quales in iis etiam, quæ fidei non sunt, ac sæpe multâ caligne sunt immersa, prorsus Lyncei præ aliis videri volunt. Et tamen, ut probis magis operam probem nostram, ubi aliorum sententias excussero, non refugiam referre, quid in re incerta magis mihi verisimile videatur.

CAP. II.

Cœptum ab iis, quibus placet, mundum esse conditum initio auctumni. Quorum ea fuerit opinio. Primum pro ea argumentum, quod petitur à fructibus creationis initio maturis, adfertur, & expenditur.

INitium ab iis sumam, qui auctumno mundum creatum tradiderunt, ac quia quarto demum die Sol conditus, eum tum non præcisè quidem initio Libræ, ubi æquinoctium fit auctumnale; sed triduo post, quartâ Libræ parte, fuisse à Deo constitutum. Hanc sententiam tuetur Adrianus Junius Animadversorum lib. III. cap. VIII. Ubi & placuisse narrat Isaaco Argyro, erudito monacho Græco. Inque eam tandem pedibus quoque ivit summus Vir, Josephus Scaliger; cùm, in prima editione operis sui de Emendatione Temporum, mundum ab æquinoctio verno, sive primum solis ortum à quarta Arietis parte inchoâsset. Atque, ut alios nostri sæculi præteream, eodem inclinabat miraculum sui temporis Jo. Picus Mirandulanus. Imò, ut altius paullo adscendam, ante jam duo seculo ita statuit Alphonsus Tostatus, doctissimus Abulensium episcopus; de quo vulgare illud:

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Vide eum in Genes. I. quæst. XXI, & parte priori Defensorii trium conclusionum cap. XIV. Totóque ante eum seculo idem sensit Nicolaus de Lyra, ex Judæo Christianus, in Genes. cap. VII. Ubi & Rabbi Eliezerem laudat auctorem, cui præisse Talmud videtur. Nam in Gemara Aboda zara cap. I legas, Adamum, & Evam, mox ubi orti essent; vidisse dies decrescentes. Quod non verno, sed auctumnali convenit tempestati. Cabalistarum quoque eadem opinio: qui mensem תשרי Tisri à Chaldæis κατ' μετάθεσιν sic vocari censent à ראשית, *resit*, id est *principium*. Quemadmodum & iidem hoc mysticè contineri volunt in voce prima Mosaica בראשית, *beresit*, id est, *in principio*. Nam, trajectis literis, inde resultare תשרי 'בא, hoc est, *in I Tisri*.

Sed hujusmodi missis, quæ non invenustè inventa, sed nihil solidi crepant, videamus, quibus cordatiores, se defendant.

Primùm hi eò se tuentur, quia arbores, simul ac creatæ, habuerint fructus maturos, ac ad vescendum idoneos non mutis solùm animantibus, sed hominibus ipsis. Audiamus Lyranum, etsi βαρβαρίζοντα: *R. Eliezer,*

& sui sequaces dicunt, quod iste mensis (secundus) *est mensis Octobris: qui Hebraice nominatur MARE SEBAN. Dicunt enim, quòd primus mensis anni est September: in quo arbores sunt perfectæ in suis fructibus; quæ sic productæ sunt à principio; ut patuit superius cap. 1. Et ideo dicunt, eum esse primum simpliciter in anno, quod in eo à principio inceperunt anni, & menses.* Fusiùs hæc, elegantiusque diduxit Arias Montanus initio libelli, qui Daniel, sive de seculis inscribitur. *Mundi*, inquit, *conditi initium autumni tempore fuisse, ex observata sacrorum librorum sententia accepimus, quod Deus animantium omnium generibus mox exituris, atque etiam homini fingendo omnium fructuum ad usum & vitam opportunorum copiam prospexerit, quàm in calidioribus regionibus herbæ tunc recentes, & fructus arborum maturi, atque adeo ad hyemem proximam, ulteriusque, durabiles suppeditare possent. Veris enim fructus fugaces sunt, nec satis ad alendum commodi; fructus æstivi, & commodiores, & diuturniores sunt. Atque ita scriptum est* a; *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum; cujus semen in semetipso sit super terram; & factum est ita: & protulit terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam.* Hactenus Montanus.

a Genes. 1. 11.

Ad infringendam ejus argumenti vim, ab aliquibus dicitur, non auctumno solum, sed vere etiam, in paradiso fructus fuisse maturos: ut de India Plinius, de Taprobana prodidit Solinus. Sed non satis attendunt loca ista, quæ bis quotannis fruges, ac fructus ferunt, circulo subjici Æquinoctiali: paradisum vero situm fuisse cis Tropicum Cancri: puta ubi Tigris, & Euphratis fit divortium, ut ex Mosaica ejus descriptione constat.

Verisimilius igitur sic occurras; nihil esse necesse, ut dicamus, cùm Adamus conderetur, maturos fuisse omnes fructus auctumnales. Si enim æstate mundus conditus sit; sufficere, ut æstivi tum fructus fuerint; si vere, satis esse, ut maturuerint fructus verni. Qui faciliùs proveniunt locis calidis & humidis; uti est Mesopotamia, in qua paradisus fuit. Multo minùs requiri, ut omnis generis arbores tum fuerint fructibus onustæ: ut cerasus, malus, vitis. Imò hoc absurdum fore, nisi temere ad novum miraculum recurratur: quia sic verni, & æstivi fructus, facti essent auctumnales. Non alias igitur arbores tum fructus habuisse, quàm isti anni parti convenientes: cæteras suo tempore postmodo & in paradiso, & extra eum, fructus produxisse.

Sunt qui singula ista agnoscant: nec aliud velint, quàm mundum esse conditum in statu perfectissimo: perfectissimum autem esse, cum plures, & nobiliores àrbores, edunt fructus suos: hoc autem fieri in auctumno: eóque tum mundum esse conditum, in perfectione non absoluta, sive secundum omnes species: sed comparata, sive secundum species plures, & meliores. Sed mihi sic videntur novum potiùs texere argumentum, quàm veteri insistere: quod hujusmodi erat, mundum conditum esse, cùm maturuerant arborum fructus: id autem auctumno convenire. Ostendimus enim, id non esse proprium auctumni: quod sufficit, ad probandum, non evinci eo argumento, mundum creatum esse in auctumno. Ei vero, quod de comparata perfectione dicunt in sententia tertia occurretur.

Cap. III.

Adsertur, & excutitur alterum pro eadem opinione argumentum, ab eo petitum, quòd Israelitis, ante exitum ex Ægypto, annus inciperet à mense Tisri, qui Septembri, & Octobri, respondebat: non à Nisi, qui respondebat Martio, & Aprili. Initium à Tisri obtinuisse in contractibus agrariis, eóque observatum in annis Sabbaticis, ac Jubilæis. Unde Ægyptiis annus cœperit.

ALiter etiam idem comprobant è Scripturis. Nam inquiunt Israelitas primò annum inchoasse ab initio auctumni. Nam Exod. XXIII. 16. jubentur Judæi *σκηνοπηγίας*, sive Tabernaculorum festum celebrare *in exitu anni, quando congregaverint omnes fruges suas de agro.* Et XXXIV. 22. idem Collectionis festum indicitur, *quando, redeunte anni tempore, cuncta conduntur*: hoc est, anno vertente, sive in revolutione anni. Quid apertiùs, quàm hic anni exitum, & reditum, statui in auctumno? At Moses hunc morem antiquavit. Constituit enim, ut mensis *Abib*, sive, ut postea dictus, Nisan, primus esset, non septimus, idque in memoriam, quòd eo mense Israëlitas Deus eduxisset ex Ægypto. Hinc Exodi XII. 2. *Mensis iste, vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Ac cap. XIII. 4. mensis ille vocatur אביב, *abib*, h. e. calami cum spica, quia nempe in Ægypto, ac Palæstina, spicæ tum è calami hordeis exeunt. Idem Exod. XXXIV. 18. *Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi in tempore mensis novorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto.* Ubi pro *mense novorum*, & *verni temporis*, itidem in Hebræo est *Abib*. Vide & Deuter. XVI. 1. Atque ex iis lucem capit hoc Chaldæi Paraphrastæ 1 Reg. cap. VIII. 2. verba ista, *mense Ezan*, sic [illegible], *in mense, quem antiqui vocabant primum, nunc autem vocatur septimus.* Quasi dicat, mense Septembri, qui primus anni habitus, priusquam Moses statuisset, ut is annum inciperet, qui antè erat septimus, ac septimus foret, qui antea fuit primus. Nec tamen Moses plane antiquavit veterum morem: sed tantum constituit, ut in rebus sacris Nisan annum duceret: in agricultura verò, & rebus civilibus, deinceps quoque Tisri ab Israëlitis princeps habitus est: si Flavio Josepho credimus lib. 1. Antiquitatum cap. IV: ubi sic scribit: Μωυσῆς δὲ τὸν Νισὰν, ὅς ἐστι Ξανθικὸς, μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν, κατὰ τοῦτον ἐξ Αἰγύπτου τοὺς Ἑβραίους προαγαγών· οὗτος δ᾽ αὐτῷ, καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς εἰς τὸ θεῖον τιμὰς ἦρχεν. ἐπὶ μέντοιγε ὠνὰς καὶ πράσεις καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν, τὸν πρῶτον κόσμον a διεφύλαξε. Vertit Rufinus: *Moses* a Al. νόμον. Vide *autem Nisan mensem, qui est Xanthicus, primum in festivitatibus definivit, in quo ex Ægypto Hebræos eduxit. Hic autem apud eum etiam in cunctis muneribus divinis valde pollebat*: hoc est, initium statuebat, sive honorem hunc habuit, ut annum inciperet) *in venditionibus autem & emtionibus, & alia gubernatione, prioris seculi decreta servavit.*

a Al. νόμον. Vide Franciscum Junium Novat. in Exodi cap. 12. vers. 2.

Quod verò hic Josephus universè dicit, Mosen servâsse vetus anni initium in contractibus, id manifestum est de contractibus agrariis, tum propter annos Sabbaticos, quos *Semitas* dicunt; tum etiam Jubilæos. Nam prohibet Deus in Deuteronomio, septimo anno serere, & ut quis sevisset, prohibetur metere. Serebatur initio anni septimi, mense Tisri. Messis incidebat in ejusdem anni finem, mense Hillul. At si Semita, sive annus Sabbaticus ordiretur à Nisan, interdictum spectaret tam octavum, quàm septimum annum. Nam sententia foret, nec in Tisri anni septimi serere licet: nec metere in Hillul anni octavi. Atqui & de satione, & de messe unius & ejusdem, puta septimi anni, loquitur Moses. Quare annus Sabbaticus non à Nisan, sed à Tisri, initium sumebat, & in Hillul desinebat, non in Adar.

Nec quia duplex anni initium agnoscimus, propterea assentiendum hominibus eruditissimis, qui tradiderunt, Hebræos etiam post exitum ex Ægypto, bifariam menses numerasse; ac tertium septimum, nonum, nunc intellexisse à Martio, sive Nisan, nunc ab Septembri sive Tisri: ac in sacris quidem rebus priori, in cæteris altero modo rationes suas iniisse. Nam longè plurima suppetunt Scripturæ loca, ubi in civilibus quoque menses à Nisan numerentur, non à Tisri. Imò semper sic in iis numerantur, quod Cornelius à Lapide fatetur in Exod. XII. 2. Sed de hoc pluribus postea agetur.

At

At dicent, utcunque ista sint, saltem quod ante Mosem Israëlitæ annum orsi sint a Tisri, in eo videri secutos Jacobum Patriarcham; ad hunc autem eum numerandi morem pervenisse, ab Noacho, Semo, Abrahamo, Isaaco. Noachum verò itidem à majoribus accepisse; hos ab Adamo, & Setho, quos à mundi natali annum auspicatos, dubium non sit. Verùm conjecturæ huic obstat Flavii Josephi auctoritas. Nam ante verba ea, quæ superiùs adscripsimus, sic loquitur: Συνέβη δὲ τοῦτο τὸ πάθος κατὰ τὸ ἑξακοσιοστὸν ἔτος ἤδη Νώχου, τῆς ἀρχῆς ἐν μηνὶ δευτέρῳ, Δίῳ δὲ ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, Μαρσουάνῃ δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Ruffinus vertit: *Contigit autem hac passio, sexcentesimo anno nativitatis Noe, mense secundo, qui à Macedonibus Dio nominatur, ab Hebræis autem Marachal seu Anmarsuane. Sic enim in Ægypto constituerunt.* Videmus, ut dicat Josephus, Israëlitis mensem Marsuanem, sive potius Marchasevam eum esse, qui Macedonibus Dius: esséque eum mensem secundum; *sic enim Ægyptios ordinâsse annum.* Quomodo clariùs transtulisset Rufinus.

In dubio igitur relinquitur, utrùm Israëlitæ consuetudinem illam inchoandi anni ab æquinoctio auctumnali à majoribus, an ab Ægyptiis acceperint. Sanè notissimum est, Abraham, & ejusdem posteros partim inter Cananæos vixisse, partim Ægyptios: interea temporis, eos potissimùm in anni ratione secutos esse, minimè abhorret à vero.

Imò, inquient, etiam ante adventum Abrahami in Cananæam hæc numerandi ratio obtinuit. Quod evincere conentur ex diluvii historia. Dicitur enim diluvium cœpisse mense secundo die septimo decimo: desiisse anno sequenti mense secundo die vigesimo septimo. Quam, ajunt, naturæ illud consentaneum, ut medio auctumno cœperit diluvium, hyeme excreverit, æstate autem decreverit; ita ut autumno sequenti terræ fuerint exsiccatæ? Sin secundus mensis fuerit Aprilis, non October, sequi illud, centum, & quinquaginta dies, quot fuere antequam aquæ decrescerent, hybernos fuisse, non æstivos. Nec ignorant, Deum agere multa sine caussis secundis: sed ajunt, nihil esse, cur negemus, primam caussam usum esse caussis secundis. Solere eum illas adhibere in iis, quod possunt: ac supplere miraculosè, quod non possunt. Sed enim falluntur, cùm censent, non posse rationem adferri, cur Deus nollet uti caussis naturalibus. Nam si hyeme cœpisset, potuisset diluvium tribui naturæ: non æquè, si cœperit vere. Præterea quanto convenientius, si homines puniret Deus, cum lascivire imprimis solerent: quod verno fit tempore. Et si verno tempore mundus est conditus, ut plurimi veterum voluere, nonne admodum conveniens fuit, ut Deus, quasi pœnitentiâ ductus, delere mundum inciperet ea quasi anni tempestate, qua fecisset? uti illum anno post reficere voluit quasi eo ipso tempore, quo delevisset? Alia etiam pro hac sententia inferiùs adducam.

Adhæc argumentum petunt à tot gentibus in Oriente, qui annum à verno æquinoctio ordiebantur. Audiamus B. Hieronymum in Ezechielis cap. 1. *Apud Orientales populos, post collectionem frugum, & formularia, quando decima deferebantur in templum, October erat primus mensis, & Ianuarius quartus.* Ubi Octobrem potiùs, quam Septembrem nominat, quia mensis Tisri, maxima ex parte Octobri respondet. Hunc morem etiam Ægyptii habuerunt: ut ex Josepho ante vidimus lib. 1 Antiq. cap. IV. Atque idem scripserat Tullius in II de Natura Deorum: *Nunc*, inquit, *Ægyptii Thoth appellant: eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* Lactantius lib. 1. cap. VI: *Hunc Ægyptii Thoth appellant, a quo apud eos primus anni sui mensis*; id est, *September, nomen accepit.* At unde, inquiunt, illa populorum conspiratio, nisi inde, quod à majoribus sic accepissent, qui mundum tum conditum persuasum haberent?

Sed enim ne hoc quidem argumentum firmum videtur. Citò enim Noachidæ veri Dei cultum deseruerunt: ut non multùm laborarint de mundi natali, quem fortasse ne cognitum quidem habuere, sed omnia potiùs suis metirentur commodis. Nulla vero erat anni tempestas, quæ magis æquinoctio auctumnali idonea esset anno inchoando, propter agriculturam, & contractus in agris locandis: quorum commoditas exegerit, ut annum ordirentur à tempore sationis, ac definirent in tempore messis, quando meliùs facultas est pretii persolvendi.

Cap. IV.

Alteram sententiam fuisse Ægyptiorum, qui mundum ajebant natum æstate: sive tum Sol fuerit positus in Cancro, sive in Leone: posseque eas opiniones conciliari, quia Ægyptii putarint mundum non uno tempore esse conditum totum, sed partes alias post alias. Hanc de mundo æstate conditio opinionem placuisse etiam Gerardo Mercatori: sed parum firma videri, qua pro ea adferebat.

De prima sententia satis. Venio ad alteram eorum, qui mundum ab æstivo tempore cœpisse arbitrantur. Fuere in hac opinione Ægyptii: quod satis ostendit locus ille Porphyrii de Nympharum antro: Αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ ἔτους οὐχ Ὑδροχόος, ὡς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ Καρκίνος. Πρὸς γὰρ τῷ καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν κυνὸς ἀστέρα οἱ Ἕλληνές φασι. Νουμηνία δὲ αὐτοῖς ἡ Σώθεως ἀνατολή, γενέσεως κατάρχουσα τῆς εἰς τὸν κόσμον. *Ægyptiis initium anni non Aquarius est, ut Romanis: sed Cancer. Nam in Cancro Sothis, quam Canis sidus vocant Græci. Novilunium verò iis ortus Sothios: unde natalis mundi initium sumit.* Ubi non satis videntur convenire, quod nunc mundum auspicatur ab Sole ingresso Cancrum, nunc idem cœpisse ait oriente Sothi sive Canicula: quæ oritur Sole constituto in Leone. Nisi placet, quæ sententia fuit Scaligeri, Ægyptiis Sole in Cancrum ingresso oriri cœpisse Caniculam. De Leone tamen id quoque scribit vetus Arati Scholiastes, his verbis: Ὅλον δὲ τὸ ἄστρον ἀφιερώκασι τῷ Ἡλίῳ. τότε γὰρ ἐμβαίνει ὁ Νεῖλος, καὶ ἡ κυνὸς ἐπιτολὴ κατὰ ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται, καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τίθενται. *Totum hoc sidus sacrarunt Soli. Tum enim augeri incipit Nilus, & ortus Caniculæ apparet die undecima. Et hoc constituunt initium mundi.* Etiam Pauli Alexandrini sententia est Solem initio mundi positum fuisse in decima-quinta Leonis parte. Latinos etiam audiamus. Julius Solinus in Polyhistore capite XXXII: *Postmodum triginta* (Cancri) *partibus evolutis, ubi ingressus* (Sol) *Leonem ortus Sirios excitavit, propulso omni fluore tantam vim amnis erumpere. Quod tempus Sacerdotes natalem mundi judicarunt*, id est, *inter tertiumdecimum Calendas Augustas, & undecimum.* Similiter Firmicus Maternus, qui præfatione quidem libri tertii ait: *Quare illi divini viri, atque omni admiratione digni, Petosiris, Necepsoque, quorum prudentia, ad ipsa secreta divinitatis accessit etiam mundi genituram, divino nobis scientiæ magisterio tradiderunt.* Mox autem caput primum sic orditur: *Mundi enim genituram hanc esse voluerunt, secuti Æsculapium, & Anubim, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiæ secreta commisit. Constituerunt enim Solem in Leonis parte decima-quinta.* Ex iis verò, quæ paulo pòst subdit, liquet Petosirim, & Necepson hausisse ista *ex illo libro Æsculapii, qui μυριογένεσις appellatur.* Ex iis, quæ diximus, liquet, communiorem fuisse sententiam, ex Ægyptiorum opinione mundi initio Solem in Leone, fuisse constitutum, fuisseque id tempus, quo Canicula exoritur. Atque hinc tantus Caniculæ honos. Nam Nili ortum Leoni ac Caniculæ tribuerunt. Vide, quæ de hoc diximus lib. II. de Phisiologiæ Christianæ cap. LXXIV. Nec nihil tamen pro eo adferre est, quod Porphyrius initio mundi putat Solem

lem fuisse in Cancro. Audiamus Macrobium lib. 1. in Somnium Scipionis cap. xxi. *Ajunt, in hac ipsa genitura mundi, Ariete, ut diximus, mediumcælum tenente, horam fuisse mundi nascentis, Cancro gestante tunc Lunam: post hunc Sol cum Leone oriebatur.* Atque hujus sententiæ Macrobium laudat auctorem, septingentis eo annis junior, Gulielmus Hirsangiensis abbas lib. 1. Astronomicarum Instit. *a*. Etiam conciliari posse videntur duæ illæ opiniones, quarum una mundo nascente, Solem fuisse ait in Cancro constitutum, altera in Leone. Nam Ægyptii plures statuebant mundi natales: ut ex Theophrastro clarè scribit Ptolemæi interpres. Nec sanè solùm in Cancro, ac Leone natum dicunt mundum; sed etiam in Libra. Prima mundi initia fuerint in Cancro. At in Leone, cùm crearentur astra. In Libra autem terra condita. Unde de ea sic Firmicus: *Cætera enim ad* xxx *numeros collocantur. In istis enim posterioribus partibus terra dicitur esse composita; ut Barbarica ratio confirmat.* Nempe mundi natales Ægyptiis fuere μερικαί, sive partiales. Scitè hac de re etiam maximus Salmasius Exercitationibus Plinianis in Solinum *b*. Ubi ad partiales hosce natales refert, quod ex Æsopo Aristophanes refert galeritam sive cassitam avem fuisse ante terram. Videntur autem hi diversi natales mundi reliquiæ quædam esse traditionis veteris, qua, ut Moses docet, Deus non cuncta uno die creavit, sed sex dierum spatio mundi opificium absolvit. Unde & ἑξαήμερον *c* appellatur. Porro quod dixere de terra condita Sole in Libra constituta, id jam pertineat ad auctumnum. Sed ad æstivum tempus mundi natalis referendus, si Sol in Cancro, vel Leone primùm fuerit. Hanc opinionem parentum ævo, amplexus fuit Gerardus Mercator in Methodo Demonstrationis temporum cap. 1: ubi arbitratur Ægyptios, *ita à Mose, interpretibus aliquot Hebræis, edoctos fuisse; nam & Mosi scripta habuerunt, & frequens ipsis cum Hebrais conversatio fuit, aut sane (ut sunt antiquissimi) à Noe, ac filiis ejus, ita domesticâ traditione per manus accepisse.* Idem quoque hanc sententiam è Scripturis propugnat. Nam sine dubio, inquit, is mundi est natalis, unde annum auspicatur Moses jam in antiquissimis illis diluvii temporibus. At Mosi in diluvii descriptione primus mensis est, quo Sol perambulat Leonem, secundus, quo in Virgine est; atque ita deinceps. Hoc eo ostendit, quod, cùm Noë vigesimoquinto die mensis secundi columbam emisisset, illa attulerit folium virentis jam, sive frondescentis olivæ. Atqui, inquit Plinius libro xvi cap. xxv, Vites, & Oleam, eodem tempore germinare: concipere autem Virgiliarum exortu: hoc est sex diebus ante Majas Idus. Ista autem de olea scripserit Plinius ratione sui climatis; Romani nempe, in quo & Gordiæus Armeniæ mons, super quo arca Noë recedentibus aquis, dicitur consedisse. Unde cognoscere est, quando ordinariè eo in climate oliva germinet. Sed non dubium, quin paullò tardiùs tum id factum sit, ob frigus terræ ex tam longa aquarum incubatione, ita ut plusculum spacii fuerit requisitum, quo terræ humor excoqueretur, ut radices fluidum quid solùm, sed succulentum & pingue attraherent alimentum. Quare quo tempore columba novellum olivæ folium ac germen attulerit, Sol jam non tam in Tauro, in quo Virgiliæ, quàm in Geminis fuerit, ut is undecimus Mosi mensis dicatur; uti postremus, quando in Cancro. Patriarchis igitur Diluvii tempore annus cœperit ab ingressu Solis in Leonem: nec dubitandum, quin annum ordinentur à mundi natali, Adamum secuti, & majorum deinceps alios. Hæc sententia novitate suâ suspectior est. Nec enim veterum vel Judæorum, vel Christianorum quisquam, Mundum in æstate conditum putavit. Verùm, ut Plinius ait lib. vi, epist. xxi ad Canin. *Sum ex iis, qui miror antiquos: non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia dispicio.* Quare operæ me facturum puto, si non minùs sententiam hanc novellam expendero, quàm illas veterum. Præcipuum robur ejus opinionis erat in eo, quòd de tempore germinantis oleæ produnt antiqui. Sed enim non video; quid nos cogat, Mosem sic intelligere, quasi dicat, novellum ramum, sive recens germen ab columba discerptum. Scio B. Hieronymum vertisse, *ramum olivæ virentibus foliis.* Etiam apud B. Augustinum lib. 1. Locutionum locum integrum sic redditum invenio; *Habebat oliva folia, surculum in ore suo.* Ubi per *surculum*, quem columba ore portare posset, sine dubio intellexerit, quod Græcè dicunt θαλλὸς, hoc est germen, sive primum arboris germinatum. Sed enim Hebraicè simpliciter est עלה זית טרף, quæ ad verbum significant *folium oliva raptum* sive *decerptum*: ut nihil hinc colligere possis de prima germinatione: præsertim cum oleæ folia non decidant; teste Plinio lib. xvi cap. xx.

a Cap. quo tempore anni mundus creatus sit, sive pag. 27. edit. Basil. an. 1537.

b Pag. 435.

c Sex dierum opificium.

Cap. V.

Tertiam sententiam esse eorum, qui existimant mundum esse conditum, vere inchoante, eamque opinionem firmari historia tum creationis, tum diluvii.

VEnio ad tertiam sententiam, eorum, qui censent Mundum cœpisse ab æquinoctio verno, non quasi Sol primo die, quo nondum erat, positus sit in æquinoctii puncto; sed quia quarto die mundi, quo productus, constitutus sit in quartâ partis Arietis quæ dies fuerit vigesima prima Martii stylu Gregoriano.

Sententia ista prima probatur ex eo, quod Deus Genes. 1. 11. jubeat, & plantas omnes germinare, & lignum sive arbores quasque proferre fructum secundùm genus suum. Sanè si auctumno mundus est creatus, multæ arbores, ob hyemem instantem, eo anno non produxerint fructum: quod adversari videtur mandato Dei. Et non parùm puto, pulcherrimum paradisi & vicinorum locorum spectaculum depretiasset, si frugiferæ omnes se quasi infertiles obtulissent. Sin verno conditus sit tempore, nulla frugiferarum arborum fuerit, cujus non fructum ante hyemem primi conspexerint parentes. Vere viderunt vernos, æstate æstivos, auctumno itidem illi tempori convenientes. Omnes enim fructum suum habuere; aliæ actu, partim maturum, partim immaturum; aliæ virtute, quæ suo se tempore esset exertura. Nec mirum videri debet, aliquos fructus veris initio maturos esse; quando in Palæstina festo Paschatis, sive primo æquinoctii plenilunio manipulus frugis hordeaceæ Deo offerebatur; uti festo Pentecostes duo panes tritici. Nec opus fuit, ut in vere omnes essent fructus maturi. Cui bono? cùm duo solùm essent homines. Imò repugnâsset hoc naturæ, quia sic ex vernis fructibus fierent æstivi, vel auctumnales. Atqui non dubium, quin Deus talem tum naturam ostenderit, qualem deinceps voluit comparere. Præterea quanto convenientius, si mundus fieret, cùm dies augentur, quam cum minuuntur; cum plantæ incipiunt florere, frondescere, fructus ferre, quàm cùm marcescunt, arbores frondes & fructus amittunt, ac, verbo ut dicam, nitor omnis deperit.

Alterum petimus argumentum ex historia diluvii, quod mense secundo cœpisse, ac sequente ejusdem anni mense desiisse, Moses testatur. Ubi in eo, cum primæ secundæque sententiæ auctoribus convenimus, numerari menses à mundi natali. Sed eo distamus, quòd numerari eos arbitramur ab Solis in Arietem ingressu. Nempe hæc opinio est nostra; quemadmodum iris ante diluvium fuit, sed post diluvium cœpit esse signum gratiæ divinæ: ita longè ante tempora Mosaica annum cœpisse ab æquinoctio verno, sed cùm Israelitæ in Ægypto aliunde inchoassent, veterem numerandi rationem restitutam esse à Mose, idque in ejus memoriam, quòd prima anni mense educti essent ex Ægypto. Hæc igitur ratio fuerit, cur per totam Scripturam eodem modo menses numerentur: nempe quia ut primo primi mensis die mundus conditus est: sic decimo-quinto Israelitæ educti sint ex Ægypto.

Præterea vere diluvium cœpisse, gemina ratione colligo.

Pri-

Primum, quia, orbe per diluvium exhausto, credibilius est, animantia, ad eum generando instaurandum, emissa esse illo tempore, quod generationi naturâ maximè idoneum est. At tale potius vernum est, quod æstas excipit, quam extremus auctumnus, cum hyeme insequente. Notum est illud in Pervigilio Veneris:

Vere concordant amores, vere nubunt alites.

Alterum est, quia, si auctumno præcipiti animantia exiissent ex arca, totâ hyeme eos alimonia defecisset. At verno tempore, dum prope bimestri post aquarum recessum in arca Noe moratur, ferre tantum terra cœperat, quantum egredientibus satis esset, ac mox uberiùs omnia suppeditavit mense proximo: æstate autem tantum enatum, ut auctumno etiam abundè hominum & animantium usui in hyemem reconderent.

Etsi verò hæ rationes duæ non ejusmodi sint, ut nihil obducere possint sagaciores: magis tamen verisimiles sunt, quam quæ in contrarium adferuntur.

Cap. VI.

Licet aliud fuerit civilis anni initium quam sacri; in mensibus tamen non variasse anni rationem. Eoque in diluvii descriptione menses à verno æquinoctio esse numerandos. Ex eo autem colligi posse, ante diluvium menses esse numeratos ab æquinoctio verno.

QUod verò semel, iterumque, antea diximus, mensem secundum, quo diluvium cœpit, vernum esse, non auctumnalem; id equidem pene, extra controversiam pono. Cur enim hic aliter numeremus menses, quàm aliis in locis universa facit Scriptura? Sed enim in nullo est, ubi æque huic sententiæ adversentur. Quare, ut antea me facturum recepi, deinceps ostendam, semper in Scripturis mensium numerum peti ab Solis in Arietem ingressu. Scio, quid dicant, in sacris id locum habere, non item civilibus. Verùm contra putamus, id verum esse, & in sacris, & in civilibus. Sanè in libris Scripturæ, quos Hebraicè habemus, in civilibus primi mensis decies quater mentio fit; secundi, octies: tertii quinquies; quarti bis; quinti septies; sexti bis; septimi quinquies; octavi ter; noni septies; decimi octies; undecimi ter; duodecimi decies. Neque ullo ex locis istis (parque ratio librorum, qui solùm Græcè exstant) aliter numerus initur, quàm ab æquinoctio verno. Imò ne paraphrastes quidem Chaldæus mensem Etan, sive Tisri, primum vocat; sed septimum; tantum addit, solere primum vocari, putà ante tempora Mosaica: ut superiùs ostendimus, non deinceps: aut saltem non ante reditum è Babylonia. Nam ut Israelitæ inter Ægyptios cum iis annum à Tisri inchoarunt: ita & in Babylonia, & inde reduces in contractibus potuere ab eo annum incipere. Ac fortassis inde est, quod Josephus consuetudinem sui temporis putârit esse ex veteri instituto, quod ante exitum obtineret. Nec tamen inficias iero, etiam ante captivitatem sub Judicibus, ac Regibus suis retinuisse eam consuetudinem in annis sabbaticis, maximeque jubilæis: quia inter messem, & sementem, veteribus dominis in possessionem redeundum erat. Sed nullum tamen numerandi inde annos vestigium, aut vola, iis etiam temporibus apud sacros exstat scriptores. Satisfacere hæc sola poterant. Sed altè admodum contraria sententia animis insedit. Quare contra quam alioquin animus foret, ex strue ingenti, aliqua Scripturæ loca apponam, ubi in civilibus menses numerentur a verno tempore. Hujusmodi est illud Num. lib. 1. 2. 3. *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, in tabernaculo fœderis, primo die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens: Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum, quicquid sexus est masculini, A vicesimo anno & supra omnium virorum fortium ex Israel: & numerabitis eos per turmas suas, tu & Aaron.* Jubet numerari omnes Israelitas ad militiam idoneos. Quis hoc ad festa potiùs, & solemnitates, quàm rem civilem, sive militarem, dixerit pertinere? Et tamen per mensem secundum constat non Hesvan, sed Jiar intelligi, qui proximus à Nisan. Sic Num. XXXIII. 38. refertur Aaronem in montem Hor ascendisse; ibique mortuum esse, anno egressionis ex Ægypto quadragesimo, mense quinto. Nec id solùm fit, cùm anni ab exitu ex Ægypto numerantur; sed etiam cùm aliunde initium sumitur. ut II sive IV Reg. cap. XXV. versu I: ubi Nabuchodonosor dicitur ad Jerusalem obsidendam venisse anno nono regni Sedechiæ, die decima decimi mensis. Ac vers. 3. legas, sequentis anni nona die mensis famem invaluisse, urbemque captam. Ubi librarii culpâ numerus mensis videtur excidisse. Fuit autem Tamur, sive mensis quartus: ut constat ex Jerem. XXXIX. 3. Quinti autem mensis die septimâ Nabuzardan templum incendit: ut est vers. 8. At vers. 25. Ismael dicitur Godoliam interemisse, & Judæos ac Chaldæos, qui cum eo erant in Maspha. Denique vers. 27. scribitur trigesimo septimo transmigrationis Joachimi, Regis Iuda vigesimo-septimo die mensis duodecimo. Emilmerodachus Rex Babel Ioachimum è carcere eductum supra cæteros Reges honore extulisse. Non dubium, quin his in locis menses ab æquinoctio numerentur: ut vel arguit, quòd templum dicitur incensum quinti mensis die septimâ. At quintus ab æquinoctio auctumnali mensis foret Sebat, quo nemo veterum tradidit id contigisse: sed consentiunt id factum mense Ab, qui quintus est ab æquinoctio verno. Nempe, die septimo mensis Ab, Nabuzaradan ingressus est Hierosolyma,. ac mox nobilia quæque loca urbis cœpit accendere. Secundo ab ingressu die, hoc est, nono die mensis Ab templum conflagravit. Quod in Thalmud legas בתענית cap. IV. item in Seder Olam, sive Chronologia Hebræorum, ubi dicitur in ephemeria Ioaribi, nono die mensis Ab. Quod etiam Scaligero, notis in fragmenta, quæ operi de Emendatione Temporum adtexuit, probatum ivit ex rhythmis, à presbyterio cani solitis in nona mensis Ab. Sunt verò istiusmodi.

בתשעה לחדש בעת הערב
אני על משמרתי במשמרת יהויריב
ונכנס ראויב ואת זבחיו הקריב
ובא אל בקדש ולא צוה יהוה

Tentabam levi operâ trochaicis reddere, sic tamen, ut versus versui responderet:

Nona mensis lux oborta est, vespera tempus fuit.
In vigilia cum forem mea, in vigilia Joarib.
Introivit hostis, atque sacra confecit sua.
Et Dei injussu subivit sanctuarium meum.

Ad verbum si malis, sic sonant:

Die nonâ mensis, hora vespertini temporis,
Cum essem in vigilia mea, vigilia Jojarib,
Introivit hostis, & sacrificia sua obtulit.
Ingressus est in sanctuarium meum injussu Domini.

Quare quod Scriptura ait, Nabuzaradan septimò die mensis quinti Hierosolymam ingressum, ut eam accenderet: quodque traditio Hebræa habeat, biduo pòst nonâ die mensis Ab, templum esse accensum, satis arguit Hebræos eo tempore quoque numerum mensium iniisse non ab auctumnali, sed à verno æquinoctio. Verni enim menses Nisan, Jar, Sivan: Æstivi, Tamut, Ab, Hillul. Uti auctumnales Tisri, Hesvar, Kisleu: Hyberni, Tebet, Sebat, Adar.

Sic igitur concludimus, geminum quidem in Scripturis anni initium attendi: sed mensium simplex; non quasi non pro anni principio duplici potuerint Hebræi bifariam vocare mensem primum, secundum, tertium; sed quia scriptores sacri nusquam sic loquantur: nec vulgo sub Mose Iosue, Iudicibus, vel Regibus, etiam ad

captivitatem usque Babylonicam, sic locutus esse, verisimili argumento adstrui posse.

Cap. VII.

Ex tribus sententiis minus placere mediam, magis primam, maximè tertiam: partim quia rationibus melioribus submixa; partim quia eam veterum etiam Sanctorum Patrum imprimis comprobavit auctoritas.

QUamquam verò non dubium mihi, quin, ubi mensibus numerat Scriptura, initium à verno ducatur æquinoctio, fateor tamen non prorsus esse necessarium, quod inde colligebamus, mundum vere conditum esse. Dicere enim liceat, Mosem quo meliùs intelligeretur, sic numerâsse menses Diluvii tempore, accommodando se formæ sermonis, quæ postquam ex Ægypto Hebræi exierant, in populo hoc obtinuit. Verùm enimvero, quanto, meo quidem judicio, verisimilius est, eò solum respexisse, sed mundi etiam originem. Nempe, ut credamus, primitus Patriarchas à verno tempore, quia in ejus initium mundi incideret natalis annum auspicatos, eumque hoc veterum institutum etiam in populo Dei tempore servitutis abolitum esset, Mosem illud restituisse in memoriam beneficii, quod eo tempore educti essent ex Ægypto. Objectant, quod Moses, cur primus mensis vernus princeps in anno deinceps futurus sit, causam præter beneficium recens non aliam adferat; deque mundo eo tempore condito, prorsus taceat. Fateor equidem: nam si Moses hoc addidisset, jam controversia omnis esset decisa. Nunc ipsi non certo satis de hoc constare agnoscimus. Tantum hoc itaque volumus, in re dubia magis nos inclinate in eorum sententiam, quibus placet, primævum fuisse institutum, ut annum duceret primus mensis vernus: atque hoc institutum vetus in usum fuisse revocatum à Mose propter beneficium novum. Et sanè si auctoritate pugnandum est, quanto plures opinionem eam fuere secuti ex antiquis. Mitto Poetas, in his Maronem, qui apertè in hac sententia est Georgicωn secundo. Mitto Astrologos, qui constanter signa Zodiaci ab Ariete ordiuntur. Mitto Historicos, uti quæ Diodorus Siculus hac de re scribit libro 11. Mitto Judæos, ex quibus R. Josua idem statuit, ac sectatores habuit multos. De sanctis solum Patribus dicam: quorum antiquiores quinque, idque pluribus seculis, ita tradiderunt. Cyrillus Catechef. XIV. Ξανθικοῦ τοίνυν τοῦ μηνὸς ἐνεστῶτος, ἔαρ ἐστι λοιπόν. ὁ δὲ καιρὸς ἐστιν οὗτος ὁ μὲν ὁ παρ' Ἑβραίοις πρῶτος, ἐν ᾧ ἡ ἑορτὴ τοῦ πάσχα τοῦ προτέρου τυπικοῦ, νῦν δὲ ἀληθινοῦ· οὗτος ὁ καιρὸς τῆς τοῦ κόσμου δημιουργίας. Τότε γὰρ εἶπεν ὁ Θεός· ἐξαγαγέτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα. *Aprili enim mense instante, jam ver est reliquum. Quod tempus est hic mensis apud Hebræos primus, in quo festum Pascha prioris erat typica, nunc vero est vera, hoc tempus est creationis mundi. Tunc enim dixit Deus: Producat terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus.* Ne Nazianzenus quidem determinare quicquam voluit. Ita enim ille Orat. XLII. quæ in Pascha. Μὴν μὲν εἰσάγεται πρῶτος, μᾶλλον δὲ ἀρχὴ μηνῶν. εἴτε τις τοῦτο παρ' Ἑβραίοις ὢν ἀπ' ἀρχῆς, εἴτε ὕστερον ἐκ τούτου γενόμενος, καὶ ἀπὸ τοῦ μυστηρίου τὸ εἶναι πρῶτος λαβών. *Mensis quidem primus, vel potius mensium principium inducitur: sive quispiam ab initio apud Hebræos id fuerit: sive postea hinc factus sit, ac à mysterio id acceperit, ut primus foret.* Videmus, ut in medio relinquat, utrùm mensis, quo Paschalis agnus cædebatur, jam ante Abrahæ tempora fuerit primus: an verò Moses primus statuerit, ut is primus censeretur. Nec decidere auder interpres ejus Nicetas: eo tamen inclinat, ob Hebræorum auctoritatem. Nam sic scribit: *Mensis Paschatis, qui apud Ægyptios Pharmuti, apud Hebræos Nisan, apud Macedones Xantichus vocantur. Hic primus in mensibus introducitur, atque decernitur, ac principium mensium anni, FORTASSE, quia jam inde à principio primus ordine erat. Arcanus enim hic apud Hebræos sermo est, hoc tempus esse, quo Deus universam rerum molem condidit.* Ambrosius Hexaemeron lib. I. c. IV. *a. Mensis hic initium mensium erit vobis.* a Exod. 12. *Quamvis & de tempore istud accipiatur, quia de Pascha Domini loquebatur, quod veris initio celebratur. In hoc ergo principio mensium cœlum, & terram, fecit; quod inde Mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Unde & annus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hibernas glacies, atque hyemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat.* Theodoretus in Exodum quæst. LXXII: Ἐπειδὴ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν τὴν κτίσιν ἐδημιούργησε. καὶ μαρτυρεῖ τῷδε τῷ λόγῳ τῶν δένδρων ἡ βλάστησις. ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος, καὶ οἱ λειμῶνες ἀνθοῦσι καὶ κυμαίνει τὰ λήια, καὶ τὰ δένδρα φύει καρπόν. Διά τοι τοῦτο καὶ τὸν Ἰσραὴλ κατὰ τουτονὶ τὸν καιρὸν ἠλευθέρωσε τῆς Αἰγυπτίων δουλείας. Καὶ τῇ ἁγίᾳ παρθένῳ Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος ἐκόμισε τῶν παραδόξων ὠδίνων τὰ εὐαγγέλια κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν, καὶ ὁ δεσπότης Χριστὸς τὸ σωτήριον ὑπέμεινε πάθος. *Propterea quod eodem fere tempore Deus creaturas condidit: cui rei fidem facit arborum germinatio. Incipiente enim vere prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de causa Deus etiam sub idem tempus, liberavit populum Israel à servitute Ægyptiorum. Et Gabriel archangelus sanctæ virgini Mariæ latum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Christus Dominus salutarem pertulit passionem.* Damascenus Orthod. Fid. lib. II. cap. VII: Διὰ μὲν γὰρ τοῦ ἡλίου, αἱ τέσσαρες τροπαὶ συνίστανται. Καὶ πρώτη μὲν ἡ ἐαρινή. Ἐν αὐτῇ γὰρ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὰ σύμπαντα. *Nam per solem quatuor temporum versiones, immutationesque, constituuntur: Et prima quidem verna est: in ipsa enim Deus fecit universa.* Veterum istis unum è junioribus subdam, sed antiquis parem. Is est Cæsar Scaliger Exercitatione CCLVII adversus Cardanum *b*: *Mundum vero ortum primo, & autumant sapientes, & credere par est.* b Pag. 793.

Concludam tandem verbis Joannis in summa Anglicana, idque exemplo Lucidi Samothei lib. I de emendat. temp. cap. II: *Hanc quæstionem, an mundus fuerit creatus in æquinoctio vernali, vel autumnali, determinare non audeo: sed si auderem, non sufficerem. Rationes autem, ut mihi videtur, plures & fortiores sunt pro illa parte, scilicet, quod mundus sit creatus in æquinoctio vernali.*

CHRO-

CHRONOLOGICARUM
DISSERTATIONUM
TERTIA,

Quæ eſt

DE ANNIS EORUM, QUI ANTE DILUVIUM VIXERUNT.

Caput I.

DE ANNIS PATRUM AB ADAMO USQUE AD NOE.

Vidimus, quo anni tempore conditus ſit mundus. Nunc ad homines illuſtres venio, qui ab eo tempore uſque ad diluvium vel verè vixerunt; ut Patriarchæ memorati à Moſe: vel vixiſſe dicuntur à gentium ſcriptoribus; ut Reges aliqui Chaldæorum, & Ægyptiorum. In Patriarchis priùs exponam diſcrimen inter codices Hebræos, & Græcos. Deinde inter Hebræos & Samaritanos.

In annis Patrum ante diluvium partim conſentiunt LXX cum Hebræis codd. partim ab iis diſſentiunt. Conſentiunt, ſi attendas annos vitæ. Diſſentiunt in eo, quòd aliter eos dividant. Atque hoc diſcrimen maximè elucet in quinque primis Patribus, & ſeptimo. Nam Hebræi tribuunt Adamo ante Sethum genitum annos cxxx: poſt genitum Iↄccc. Græci ante Sethum ccxxx: poſtea tantùm Iↄcc. Reſultant anni vitæ æquales: nempe Iↄcccxxx. Itidem Hebræi aſſignant Setho ante genitum Enoſch annos cv, Græci ccv: Hebræi Enoſcho ante Cainam xc, Græci cxc: Hebræi Cainano ante genitum Malaleel, LXX, Græci CLXX. Hebræi Malalecli ante genitum Jared annos LXV, Græci CLXV. Hebræi Jaredo ante quam gigneret Enoch, CLXII, Græci CCLXII. Hebræi Jaredi filio Enoch, ante natum Mathuſalem annos LXV, Græci CLXV. Sed quos Græci annos addunt ante prolem natam, eos demunt poſt natam. Nam cum Hebræi Setho poſt editam ſobolem Scripturis memoratam dent annos Iↄccc: Græci tantum Iↄcc. Similiter Hebræi Enoſcho ante id tempus Iↄcccxv: Græci Iↄccxv. Hebræi Cainano Iↄcccxl, Græci ſolùm Iↄccxl. Malaleeli Hebræi quidem Iↄcccxxx, Græci ſolùm Iↄccxxx. Denique Henocho Hebræi ccc: Græci duntaxat ducentos. Ita fit ut de ſumma vitæ in ſex iſtis juxta utroſque codices ſit conſenſus: ſed totis ſexcentis annis exſuperent Græci, ſi tantum generationis annos numeremus. Superſunt è X Patriarchis, (tot enim ante diluvium generationes numerantur) tres illi, octavus Mathuſalem, nonus Lamech, & decimus Noë. De duobus nihil eſt diſcriminis. Quippe & Hebræi, & Græci codices tribuunt Mathuſalemo ante natum ei Lamechum annos CLXXXVII, poſtea IↄCCLXXXII. Itemque Noacho, antequam ſobole in Scripturis nominatâ augeretur, annos Iↄc. De ſolo Lamecho non convenit: cui Hebræi, ante genitum Noë, adſignant annos CLXXXII, Græci ſexennio ampliùs: puta annos CLXXXVIII: Hebræi poſt natum Noë annos Iↄxcv: Græci viginti annis minus, nempe IↄLXV. Quod abſurdum eſt. Nam inde ſequeretur Mathuſalem annis XIV vixiſſe poſt diluvium. Multi tamen veterum ſic jam olim legêre in tralatione τῶν ἑβδομήκοντα: unde & quæſtionem, quam dixi, movent, nec extricare ſe poſſunt, niſi ad Hebræos codices recurrant. Vide Hieronymum in Quæſtionibus Hebraicis, & Auguſtinum lib. xv de Civitate Dei cap. XI, & XIII.

Contulimus hactenus cum Hebræis codicibus tranſlationem τῶν ἑβδομήκοντα. Nunc videamus, in quo conveniant ac differant Samaritæ ratione utriuſque ſui codices, & ejus in quo Hebræa Samaritanis ſcribuntur literis, & alterius, quæ verſionem, ſive paraphraſin Samaritanam, continet. Et quidem in quinque primis, Adamo, Setho, Enoſcho, Cainano, & Malaleele, nullum eſt diſcrimen. Sed cùm Hebræi dicant Jared, cùm Enochum gigneret, fuiſſe annorum CLXII, Samaritani codices, centum demtis, ſolùm habent LXII. Et cùm Hebræi dicant, vixiſſe poſtea annis Iↄccc, Samaritæ quindecim minus habent, puta annos IↄCCLXXXV. De Enocho prorſus conveniunt. Nam falſus Georgius Syncellus, cum putat quinquennium eos minus dicere Hebræis. Nempe annos ſolum LX, non LXV, ut Hebræi. Iterum diſſentiunt de Mathuſalem, cui ante ſatum Lamech Hebræi attribuunt annos CLXXXVII. Samaritani cxx minus, hoc eſt, annos LXVII: ac poſt ſatum Lamech, Hebræi IↄCCLXXXII, Samaritæ cxxix minus, videlicet IↄCLIII. Nec in Lamecho conſentiunt. Cui antequam Noë naſceretur, Hebræi annos dant CLXXXII, Samaritanæ, demtis cxxix, ſolum LIII. At poſt Noe editum Hebræi tribuunt Iↄxc: Samaritæ, quinque additis, dant ſexcentos. De Noë conveniunt. Utrique enim ante filios genitos tribuunt annos quingentos. Atque hæc lucis aliquid accipient ex laterculo, quem ponam, cum diluvii annum inveſtigabimus. Porrò ex iis, qui Noacho priores fuere, viderunt eos omnes unde deſcenderant. Noachus verò, qui decimus ab Adamo fuit, tres iſtos videre non potuit, Adamum, Sethum, Enochum. Natus enim Noe expleto anno mundi cIↄLVI. At Adam, ut dictum, mortuus eſt anno mundi, ſuæque ætatis Iↄcccxxx. Henoch vivus à Deo ablatus, anno ætatis CCCLXV, mundi IↄCCCLXXXVII. Seth mortuus anno ætatis Iↄcccxii, mundi autem cIↄXLII, octennio ante Noachi natalem. Omnium verò diutiſſimè vixit Mathuſalem, Lamechi parens, Noachi parens: ut qui demum obierit anno ætatis IↄCCCLXIX: nempe initio ejus anni quo diluvium fuit, vel fine præcedentis.

Cap. II.

De regibus Chaldæis, & Ægyptiis, qui ante Diluvium vixisse perhibentur.

HÆc de genealogia Patriarcharum. Nunc expendam illa de incunabulis regni Chaldaici, & Ægyptii ante diluvium. Nam ex veteribus Chaldæorum monumentis prodidit Julius Africanus, ante Belum, ac Ninum duas in Babylonia dynastias fuisse: priorem VII Chaldæorum; alteram VI Arabum. Chaldæorum hi anni.

Euechoos regnavit annis	6.
Chomusbolos	7.
Poros	35.
Nechubes	43.
Abios	48.
Oniballos	40.
Zinziros	45.
	224.

Zinziros iste imperio spoliatus ab Arabibus: quorum VI in Babylonia rexerunt.

Mardocentes annis	45.
Sisimardacos	28.
Abias	37.
Parannos	40.
Nabonnabos	25.
....	41.
Summa	216.

Ultimum Regem Belus vigesimo-septimo suo regni Assyrii anno devicisse dicitur: atque exinde regnum Assyriorum conjunxisse cum Babylonio. Utramque si dynastiam conjungas, anni consiunt CCCCXL. Id spatium omnino ultra diluvium excurrit. Nam, ut postea comprobabitur imperii Babylonii primordia si non inciderint in Pelegi natalem, aut mediam ætatem, saltem differri nequeunt ultra ejus mortem: quæ incidit in annum à diluvio CCCXXXVIII. Et sane quis in tantæ antiquitatis prædicatione fidem habeat Chaldæis: quorum tam ridicula fuit ostentatio, ut se quadringenta septuaginta millia annorum monumentis comprehensa habere delirarint: quemadmodum Cicero tradidit primo de Divinatione, & ex eo Lactantius lib. VII. cap. XIV. sive, σαρους ρΚ. hoc est, CCCCXXXII millia: ut ex Abydeno refert Eusebius, initio ἱςορίας παντοδαπῆς. Quamquam minimè absurda opinio erit, si hos Chaldæorum annos intelligamus Lunares fuisse: quales anni novies mille præcisè faciunt annos Arabicos DCCL; ut colligit Scaliger. Nempe ut simili hic argumento Chaldæos eludamus, ac Varro Ægyptios, cùm ait apud eos menses pro annis haberi: atque unde ortam fabulam, quod putarentur antiqui mille annos victitasse. In quo perspicuè falsus est: ut etiam observat Lactantius. Puto interim rectiùs occurri Chaldæis, si dicamus, non dispiciendum esse, quid vulgo dici soleat; sed quid sapientiores crediderint. Horum autem judicium optime cognosci ex iis, quæ Callisthenes, ut ex Simplicio constat, Aristoteli scripsit. Hoc istiusmodi erat, quo tempore Aristoteles Babylona occupavit, numerasse eos annos CIƆIƆCCCCXCIII. Quod tempus neutiquam extra diluvium excurrit, sed LX annis à diluvio incipit, ut multi numerant: nostro verò judicio minimùm duobus seculis à diluvio cœpit; qua de re postea dicemus.

Quod verò ad Ægyptios attinet, potissimum inde eorum error provênit, quòd annos regum implicitos, confunderent cum annis explicitis ac chronologicis. Nam cùm variæ essent eodem tempore dynastiæ in Ægypto, annos eorum, qui simul imperarunt, sic numerarunt, quasi omnes in eadem dynastia alii aliis successissent. Quo pacto tanto major evadit numerus annorum, quanto plures fuerunt dynastiæ. Hanc rem, ut puto, non solidè minùs, quàm fusè, comprobavi lib. I. de Idololatria gentili cap. XXVIII. Ea hoc loco repetere nihil attinet.

CHRONOLOGICARUM DISSERTATIONUM QUARTA,

Quæ est

DE TEMPORE DILUVII.

Caput I.

Quando cœperit diluvium.

HÆc dicta sunt de generatione Patrum ante diluvium, usque ad Noë. Exspectet nunc aliquis, ut proximam etiam generationem subjungam, quia & Noë centum ante diluvium annis liberos cœpit gignere: ut est Genes. V. 32. Sed enim quicquid de hoc controversiæ est; non aliunde nascitur, quam quòd Semus à Mose dicatur filium genuisse secundo à diluvio anno, quando ipse erat annorum C, vel CII. Quare de eo potius post tempora diluvii loquar: proximè verò agam de tempore diluvii: ubi duo attendemus, quando cœptum, & quamdiu durârit. In initio consideramus annum, mensem, diem.

De anno aliter statuendum secundum codices Hebræos, aliter secundùm Samaritanos, aliter secundum Græcos. Nam, ut ex iis liquet, quæ superiùs diximus, Græci plures παιδοποιΐας annos ponunt, quàm Hebræi, He-

Hebræi quàm Samaritæ. Hoc liquet ex subjecta tabula secundùm codices:

	Hebræos	Samaritanos	Græcos
Adam genuit Seth anno ætatis	130.	130.	230.
Seth Enosch	105.	105.	205.
Enosch Cainan	90.	90.	190.
Cainan Malaleel	70.	70.	170.
Malaleel Jared	65.	65.	165.
Jared Enoch	162.	62.	162.
Enoch Mathusalem	65.	65.	165.
Mathusalem Lamech	187.	67.	167.
Lamech Noë	182.	53.	188.
Diluvium cœpit Noë annos nato	600.	600.	600.
Summa	1656.	1307.	2242.

Satis hinc liquet convenienter Hebræis codicibus legi in Judaico Hillelis computu.

מאדם עד המבול אלף
ושש מאות וחמשים וששנים

Ab Adamo, ad Diluvium usque, anni mille quinquaginta sex.

Etiam ex laterculo adlato videre est, falli Georgium Syncellum, cùm ait Samaritas usque ad diluvium colligere annos CCCXLIX ampliùs, quàm Hebræos; & LXX supra Samaritas statuere annos IↃCCCCXXX. Sed neque cum his satis convenit, quod Eusebio traditum Samaritas usque ad diluvium numerare annos CIↃIↃCCCCXLVII: annis CCCXV minus, quàm LXX: ac anni CCLXXI, plus quàm Hebræi. Ita Josephus Scaliger Notis in Græca παντοδαπῆς ἱστορίας Eusebianæ a. Porro in hoc dissensu, neque sequimur Samaritas, neque ἑρμηνείας τῶν ἑβδομήκοντα, sed codices Hebræos: quibusdam etiam consentit paraphrastes Chaldæus. Scio, multos olim protulisse LXX; in his etiam Augustinum: qui nequidem dubitavit Hieronymum reprehendere, propterea quod Hebræi sermonis rationem magis haberet. Sed meritò postea magnus ille Hipponensium antistes sententiam mutavit.

a Pag. 242.

Hactenus dictum, quo anno mundi diluvium cœperit. Nunc videamus, quo mense, & die id fuerit. De quo ibidem dissentiunt codices Scripturæ Hebræi, ac LXX interpretes. Hi pluere cœpisse dicunt die XXVII mensis secundi. At Hebræi habent decimam-septimam: ut decem diebus citius cœperit juxta Hebræos, quam LXX. Eo autem lubentius hac parte Hebræos potiùs sequimur, quia cum iis consentit Chaldæus paraphrastes, Samaritanum codex, & translatio Hieronymiana. Nec fortasse aliter LXX: sed à Græcis librariis fuerit is error.

Utcumque verò aliquis sit dissensus de die, omnes tamen codices ac translationes conveniunt de mense secundo: qui Jiar dictus postea. Nam superius ostendimus, Mosem, atque Prophetas omnes, numerare ubique menses ab æquinoctio verno, non auctumnali: ut fallantur, qui eum mensem Hesvan putant.

CAP. II.

QUANDO DESIERIT DILUVIUM.

EXposui, quando cœperit pluvia. Duravit autem diebus XL: qui desinunt XXVIII die tertii mensis Sivan. Hinc, ut addit Moses, aquæ crevere diebus CL: quibus additis ac XL dies memoratos, finis fuerit mensis octavi, nempe Hesvan. Sed XL illos dies sub CL comprehendit Moses. Alioqui pugnent hæc duo inter se, quod prius dicitur Genes. VII. 11, decimo-septimo die mensis secundi apertos esse omnes fontes: & quod postea Genes. VIII. 4, legimus, requievisse arcam decimo septimo die mensis septimi. Si enim seorsim numeres non septimi, sed octavi mensis dici oportuisset. Sin comprehendas, spatium respondet. Nam à septimo decimo secundi mensis, usque ad septimum-decimum septimi mensis quinque sunt solidi menses. Et spatium CL dierum conficit totidem menses solidos. Nec exinde altius se aquæ extulerunt, quæ jam quindecim cubitis supra altissimos montes excreverant.

Septem-decimo autem die mensis septimi, qui est mensis Tisri, aquæ jam multùm erant imminutæ, ita ut arca non fluitaret amplius, sed in altissimo resideret Armeniæ monte, dicto Ararat. Baris vocatus Nicolao Damasceno lib. XCVI: ubi diluvii historiam enarrabat. Unde Flav. Josephum lib. I. Ἀρχαιολογίας cap. IV. Petrus Trecensis, cognomento Comestor, pro Nicolao Damasceno vocat Manassem Damascenum. Ubi *Manassis* vox irrepsit ex *Mnaseas*: qui scriptor diversus, sed Josepho ibidem memoratus. A Chaldæo Paraphraste mons vocatur. Et valde cum hoc convenit (eodem Josepho teste) Berosus de diluvio agens; λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας. Χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς. *Dicitur autem & navis ejus quæ in Armeniam venit circa montem Cordyæum adhuc aliqua pars esse, & quosdam bitumen exinde tollere, quo maximè homines ad expiationes utuntur.* Strabo & Ptolemæus, itidem Γορδυαίους vocant: ac similiter Curtius in IV *Gordiæos*, ut in editione sua Hadr. Junius expressit: pro quo perperam in Modiana *Cordæos* legas.

Post decimum-septimum mensis Tisri, usque ad Kalendas mensis Tebet, qui ordine decimus est, aquæ magis magisque decreverant, ita ut tum conspicere esset montium juga. Exinde C diebus Noach in arca remansit. Ac XL quidem eorum exactis aperuisse dicitur fenestellam, corvumque emisisse: uti post septem dies columbam: post alios septem, denuo columbam, quæ ramum attulit virentis olivæ: ac post totidem dies, rursum columbam, quæ non reversa. Consiunt hinc solidi dies LX, sive menses integri duo, Sebat & Adar. Itaque primo die primi mensis, hoc est Nisàn, Noë aperto arcæ tecto vidit aquas planè à terris recessisse. Necdum tamen terra prorsus erat exsiccata: quod factum demum mensis secundi die XXVII. Præterquam verò, quod ad usque id tempus mandatum egrediundi à Deo respectavit; duæ etiam aliæ fuerunt caussæ, cur hactenus in aqua remanserit, etsi aquæ recessissent: una quidem illa, quod terra usque adeò foret limosa, ut non ferret gressum: altera autem, ut tellus priùs herbas produceret, quæ egredienti Noë familiæ, & mutis animantibus essent alimento usque dum reliquus mensis vernus, & subsequens æstas ubertim omnia produxissent, sic ut auctumno etiam in hyemem reponi alimentum posset. Atque hinc superius etiam comprobavimus, non instante hyeme, sed æstate imminente, Noë ex arca egressum videri.

Annum igitur & dies septendecim Noë in arca fuit. Septem enim diebus arcam cum familia & animantibus ingressus est, antequam diluvium inciperet. A diluvio ipso si numeres, septem tantummodo dies ab hac summa recidi opus sit. Sin solum consideres tempus à diluvii initio usque ad id tempus quo nullis terra aquis amplius tegebatur, solùm fuerit mensium undecim, & dierum tredecim. Reliquo enim tempore in arca est moratus, donec ut diximus terra non solùm exaruisset, sed etiam herbas, fortasse aliquæ etiam arbores fructus suos produxissent, aut prope ad maturitatem perduxissent.

Cap. III.

An diluvium, quod Ogygium, & Deucalioneum vocatur, tempore ac re differat, ab eo, quod traditur à Mose.

PRæterea in quæstione est, an diluvium, quod gentiles vocant Ogygium; quod item Deucalioneum nuncupant: idem sit illi, quod Noachi tempore fuit. Communis sententia est, illud quidem Noë fuisse καθολικὸν a; Ogygium, & Deucalioneum, fuisse μερικοὶ b: ac Ogygium quidem incidere in tempora Isaaci Patriarchæ: dici autem Ogygium ab Ogyge, Inûs patre, Bœotiæ Rege, qui Thebas in ea condidit; unde hæ Ogygiæ appellantur. Deucalioneum verò sic vocari à Deucalione Promethei filio, secundo Atheniensium Rege, Cecropis, primi Regis, (qui Διφυὴς sive biformis dicebatur, quia Ægyptiacè & Græcè sciret) successore, Mosis, ut ajunt, æquali. Ogygium universali isto, quingentis annis fuerit recentius, secundùm Julium Africanum: Deucalianeo autem fuerit antiquius annis ducentis & sexaginta tribus. Vidimus, quæ communior sit sententia. Mihi magis verisimile fit nec Isaaci, nec Mosis tempore, illum in Bœotia, vel Attica, diluvium fuisse: sed planè esse Græcorum commenta: qui cùm quasi de manu in manum aliquid de universali diluvio accepissent: illud accidisse finxerunt sub Regibus suis antiquissimis, Ogyge, Rege Atticæ, & Deucalione, Rege locorum circa Parnassum. Sanè Deucaleoneum Ovidio quoque non particulare, est, sed universale. Memorabilis etiam est locus ille Luciani lib. de dea Syria: ubi cum locutus esset de templo Hieropolitano, ut vetustate inclyto, ita per Orientem in gentibus præcipuo, ista subjungit: Οἱ μὲν ὦν πολλοὶ, Δευκαλίωνα τὸν Σκύθεα τὸ ἱρὸν εἵσασθαι λέγουσι. τοῦτον Δευκαλίωνα, ἐπὶ τοῦ, τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο. Δευκαλίωνος δὲ πέρι, λόγον ἐν Ἕλλησι ἤκουσα, τὸν, Ἕλληνες ἐπ᾽ αὐτῷ λέγουσι. ὁ δὲ μῦθος, ὧδε ἔχει. ἥδε ἡ γενεὴ, οἱ νῦν ἄνθρωποι, οὐ πρῶτοι ἐγένοντο. ἀλλ᾽ ἐκείνη μὲν ἡ γενεὴ, πάντες ὤλοντο. οὗτοι δὲ, γένεος τοῦ δευτέρου εἰσί. τὸ, αὖτις ἐκ Δευκαλίωνος ἐς πλῆθος ἀπίκετο. ἐκείνων δὲ πέρι τῶν ἀνθρώπων, τάδε μυθέονται. ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες, ἀθέμιστα ἔργα ἔπρησσον, οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέκοντο, οὔτε ἱκετέων ἠνείχοντο, ἀντ᾽ ὧν σφίσι ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀπίκετο. αὐτίκα ἡ Γῆ πολλὸν ὕδωρ ἐκδιδοῖ, καὶ ὄμβροι μεγάλοι ἐγένοντο, καὶ οἱ ποταμοὶ κατέβησαν μέζονες, καὶ ἡ θάλασσα ἐπὶ πολλὸν ἀνέβη, ἐς ὃ πάντα ὕδωρ ἐγένοντο, καὶ πάντες ὤλοντο. Δευκαλίων δὲ, μοῦνος ἀνθρώπων, ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέρην, εὐβουλίης τε, καὶ τοῦ εὐσεβέος εἵνεκα. ἡ δέ οἱ σωτηρίη, ἥδε ἐγένετο. λάρνακα μεγάλην, τὴν αὐτὸς εἶχε ἐς ταύτην ἐσβιβάσας παῖδάς τε, καὶ γυναῖκας ἑωυτοῦ, ἐσέβη. ἐσβαίνοντι δέ οἱ ἀπίκοντο σύες, καὶ ἵπποι, καὶ λεόντων γένεα, καὶ ὄφιες, καὶ ἄλλα, ὅσα ἐν γῇ νέμονται πάντα ἐς ζεύγεα. ὁ δὲ πάντα ἐδέκετο. καί μιν οὐκ ἐσίνοντο, ἀλλά σφισι μεγάλη διόθεν φιλίη ἐγένετο. καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσαν, ἔστε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. τὰ μὲν Δευκαλίωνος πέρι, Ἕλληνες ἱστορέουσι. *Complures igitur Scytham illum Deucalionem, eum puta Deucalionem, cujus temporibus aquarum diluvium fuit, templum hoc consecrasse tradunt. Apud Græcos autem, quod illi de Deucalione dicunt, audivi: sicque se habet fabula. Hanc hominum generationem, quæ nunc est, ab initio nequaquam fuisse, sed eam, quæ tunc fuit, totam interiisse. Hos autem homines, qui nunc sunt, secundi generis esse, quod rursus à Deucalione, in multitudinem excrevit. De illis autem hominibus hæc tradunt: eos, cum essent admodum contumeliosi, nefaria perpetrasse, juramentum non observando, hospites non recipiendo, supplices non ferendo. Quam ob causam in magnam calamitatem incidisse: quum terra protinus aquam multam effudit, imbres magni ingruerunt, flumina majores decurrerunt, atque in tantum intumuit mare, ut omnia essent aqua, & omnes perierint. Deucalion autem solus hominum relictus est in secundam generationem, prudentiæ, & pietatis gratia. Servatus autem fuit hoc pacto. Magnam quandam arcam, quam ipse habebat, liberis, & uxore in eam impositis, conscendit. Ingredientem secuti sunt apri, equi, leones, serpentes, & alia, quæcumque in terra pascuntur, bina cuncta. Quæ omnia excepit: nec ipsum lædebant: sed magna inter eos divinitus erat concordia: unáque in arca omnes navigârunt, quamdiu aqua superavit. Atque hæc quidem de Deucalione Græci tradunt.* Ex hosce diluvio Deucalioneo, quod planè idem ac Noachicum, profluxit & fabula de Jano bicipiti: qui ἰσογενὴς non alius est, quam Noemus. Hic eò biceps effingebatur, quia & veterem vidit mundum, sive homines eos, qui ante diluvium vixerunt; & mundum nostrum, sive eos, qui à diluvio demum nati fuere. Ac similiter ex Noëmo vineam plantantem fabula de Baccho vitis inventore. Neque absurda est Justi Lipsii a conjectura, ab arca sive nave Noemi omnis generis animantia continente, ac terris reddente, exemplum cœpisse veteres, cùm in Amphitheatro è nave solubili ac luxata subito emitterent omne genus ferarum. Qua de re Dio in Nerone, & Severo.

a Universale.
b Particularia.

a Lib. de Amphitheatro cap. 10.

CHRO-

CHRONOLOGICARUM DISSERTATIONUM QUINTA,

Quæ est

DE TEMPORIBUS A DILUVIO EXACTO, USQUE AD VOCATIONEM ABRAHÆ, SIVE MIGRATIONEM EJUS EX HARAN.

CAPUT. I.

DE ÆTATE SEM QUANDO GENUIT ARPHAXAD.

PErsolvimus promissi denarii Chronologici assem unum: qui fuit de historia mundi veteris, sive de temporibus à mundi natali, usque ad diluvium exactum. Nunc paro me ad exsolvendum assem alterum; qui continebit tempora à diluvio exacto usque ad vocationem Abrahæ, sive ex Ur Chaldæorum, unde initium sumunt res Hebræorum, sive potiùs ad profectionem ex Haran, quod tempus quinquennio posterius fuisse existimatur. Omne autem hoc intervallum quinque quæstionibus explicabitur. Primum, quando Semus genuerit Arphaxadum. Deinde an Arphaxadus genuerit Cainam, ille Salam. Hinc quando genuerint Selah, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, Tharah. Exinde quoto anno Therachi natus sit Abraham. Ac postremo quoto ætatis anno Abraham ex Haran profectus sit in Cananæam.

Ordiar à Schemo, & Arphachsado: de quibus sic Gen. xi. 10. *Sem natus erat centum annos, cum genuit Arphaxat, biennio post diluvium.* Videri tamen possit fuisse annorum c11. Siquidem Genes. v. 32. legas: *Et fuit Noe quingentorum annorum, & genuit Sem, Cham, & Japhet.* Ubi sine dubio, non hoc voluit Moses, tres illos uno partu editos fuisse: quod censuit R. Eliezer Germanus; sed potius anno memorato Noachum cœpisse generare. At diluvium, cœpit anno Noë sexcentesimo: ut est Genes. vii. 11. eoque Sem jam tum centum annorum fuerit, non demum biennio pòst. Crassiùs sic fortasse obviam ire liceat, non negari à Mose, Semum, cum Arphaxat gigneret, annorum fuisse c11: sed centum duntaxat dixisse, quia rotundum amaret numerum, qui aliunde posset suppleri. Sed acutè magis huic difficultati occurrebant Isaac Abravanel, & R. David Kimchi. Volebant enim, Semum natum esse exeunte quingentesimo Noachi anno: diluvium autem cœpisse sexcentesimo Noachi inchoante: atque ita Semum, cum diluvium cœpit, annorum tantum fuisse xcix: quodque de biennio dicitur à diluvio, id intelligendum esse de initio secundi anni à diluvii principio: quà ratione Sem centesimum expleverit, non item primum supra centesimum, nedum secundum. Alii aliter, nec ingeniose minùs, ista conciliant: in his R. Salomon in Gemara Aboda Zata cap. 1, item Aben-Ezra, & R. Levi Ben Gerson. Eorum opinio est Semum natum esse Noacho annum agente sexcentesimum secundum: ac anno ante eum, Cham: biennio prius Japhetum, ut is natu fuerit maximus: ac propterea Genes. x. 21. Semum vocari fratrem Japheti magni, hoc est natu maximi. Nonnulli idem probatum eunt isto, quod Cham filius minor, hoc est minimus dicatur Genes. ix. 24. Sed Aben-Ezra & R. Levi ben-Gerson de isto non assentiunt. Malunt per *filium minorem* intelligere nepotem Canaan, Chami filium; ut cui Noach maledixerit; fortasse, quia primus nuditatem patris vidisset; cumque per ætatem plus sapere potuisset, & debuisset, nihilominus cum scelerato risu parenti suo Chamo ejus indicium fecisset. Sanè de Canaan etiam cœpere Abravanel, ac David Kimchi. Quibus nec prior locus de Semo fratre Japheti solidus videtur. Nam *magni* appellationem ad Semum referunt: eoque sic interpretantur, Semum fratrem Japheti magnum, sive natu maximum. Nec negare possumus, vocem גדול *gadol* utroque posse referri in Hebræo contextu. Quare neutros ausim damnare, nec eos qui censent, uti Sem primo loco nominatur, ita primo etiam genitum fuisse: quod placuit Isaaco Abravanel, & R. David Kimchi: nec qui arbitrantur, quia secundo post diluvium anno centum, non e11 fuisse annorum dicitur, & cum primo loco memoratur non ætatis haberi rationem, sed dignitatis: quod judicium fuit R. Salomonis, in Gemara Aboda Zara cap. 1. Item Aben Ezræ, & R. Levi ben-Gerson. Adhæc R. Mosis Gerundensis. Est in quibus dissentiant, cum alii Cham, alii Sem, natu minimum arbitrentur. De Japheti tamen primo genitura conveniunt: sed non Isaac Abravanel, ut dixi: qui Sem putat natu maximum. Ut nec R. David Kimchi. Sed hic Japhetum virtutum ergo magnum dici existimabat.

Si placet Semum, quia primo refertur, eò primò quoque natum fuisse: dicendum, alterutro loco rotundum numerum poni pro justo: hoc est vel Noachum cum cœpit gignere, fuisse annorum Iↄ11, quomodo sequitur Semum secundo post diluvium anno fuisse annorum c11, vel Semum cum genuit Arphaxat, fuisse annorum c11. Nec sanè caussa erat, cum doctus vir, D. Paræus, commentario in Genesin diceret, hæc esse *aperta tormenta Scripturæ.* Nam quis ignorat, frequenter Scripturam rotundo uti numero pro justo? Dicere etiam liceat, in generationis annis sæpius à Scriptura præteriri menses. Atque eos hìc biennium facere. Ac quibus ea placet sententia, hunc similemve in modum digeri posse annos istos arbitrantur.

Enoch

Enoch Mathusalem	genuit annos natus	65.	ut nativitas ea incidat in annum mundi	687.
Mathusalem Lamech		187, & aliquot menses		875.
Lamech Noach		182.		1057.
Noach Sem		500, & aliquot menses		1558.
Sem Arphaxat		100.		1658.

Nec tamen, altera sententia, minus est verisimilis: nempe ut Semus ante Japhetum referatur, servato ordine non naturali, sed personali, partim videlicet, quòd pietate & sanctimoniâ vinceret fratres; partim, quia, ut dicitur Genes. x. 21. *pater* esset *omnium filiorum Heber*: adde, pater omnium Abrahamidarum, & Israëlitarum; pater ejus familiæ, unde nasciturus esset Messias. Atque hoc pacto Japhetus fuerit genitus anno Noë quingentesimo: at biennio post natus sit Semus, ut biennio post diluvium duntaxat annorum, fuerit centum, non centum & duorum.

Video vehementibus nimis animis certari, utra sententia potior sit. Quod in re usque adeo ambiguâ fieri nolim. Sed de eo postea etiam dicetur. Hoc loco suffecerit, ubi aliquid nunc rotundo numero nunc aliter dicitur, non ex rotundo numero, sed altero, ἀκριβέστερον peti oportere. Præterea, sive prior, sive altera magis conciliandi ratio placeat, satis elucere, non pugnare hæc tria inter se; quòd Moses primo ait, Noë anno quingentesimo genuisse Sem, Cham, Japhet: ac deinde addat, centum post annis diluvium fuisse: ac denique tradat, biennio post à Semu centenario genitum esse Arphaxat.

Cap. II.

AN ARPHAXAT GENUERIT CAINAN.

VEnio nunc ad Patrum alios. Arphaxat, secundum codices Græcos, genuit Cainan, annos natus CXXXV: posteaque superfuit annis CCCCXXX. Hebræi verò & Chaldæus paraphrastes, & utraque editio Samaritana ab Arphaxado ἀμέσως genitum dicunt Sale. Solum de annis dissentiunt inter se Hebræi & Samaritæ: illi genitum dicunt anno XXXV: hi annos dicunt centum, ut fiant CXXXV. Verùm iidem e illos demunt annis quos vixit postea. Nam tribuunt Hebræi annos CCCCIII: Samaritæ solum CCCIII. De dissensu illo à Samaritis aliàs dicemus. Nunc videbimus solum de dissensu illo Hebræorum, & Græcorum codicum. Hebræi sic habent Genes. x. 22. *Filii Sem, Ælam, & Assur, & Arphaxat, & Lud, & Aram.* Et vers. 24. *At verò Arphaxat genuit Sale, de quo ortus est Heber.* Item cap. XI. 12. 13: *Porrò Arphaxat vixit triginta annis, & genuit Sale. Vixitque Arphaxat, postquam genuit Sale* CCCIII *annis.* Ac similiter 1. Paralipomenon cap. 1: 17. *Filii Sem, Ælam, & Assur, & Arphaxat, & Lud, & Aram.* Et 18: *Arphaxat autem genuit Sale, qui & ipse genuit Heber.* Atque hæc pro se adferunt è Scripturis, qui nesciunt Cainan.

Pro altera verò sententia sunt LXX interpretes. Nam in Regiis codd. ac Romana etiam anni CIƆIƆLXXXVIII, Genes. x. 24. legas: *Et Arphaxat genuit Cainan: Cainan autem genuit Sale: Sale autem genuit Heber.* Item cap. XI. 11. *Et vixit Arphaxad annos* CXXX, *& genuit Cainan.* Et vers. 25: *Et vixit Arphaxad, postquam genuit Cainan, annos* CCCXXX. Et 1 Paralip. 1. 17: *Et Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sala, & Sala genuit Heber.*

Præterea legitur apud B. Lucam III. 35. 36. *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.*

Qui Hebræorum sententiam sequuntur, contendunt ex Mose judicium fieri debere. Nam, inquiunt, si Cainan fuisset, non Moses ignorâsset: sin scivit, cur eum omisit? Et si à Mose præteritus fuisset, ubi is potius memorari debuit, quàm in Παραλειπομένων libris. At id non factum.

Quibus verò Græcorum placet opinio, non diffitentur, omitti in Hebræo, & Chaldæo contextu: sed ajunt, parum efficacia esse argumenta negantia. Nec enim si quis non dicat, eò verum non est. Plus valere affirmantia. At legi in LXX interpretibus: legi item in B. Luca: cujus nobis sacrosancta esse debeat auctoritas.

Quod verò ajunt, Mosen, si fuisset Cainan non fuisse omissurum, respondent, etiam Matthæum in Christi genealogia scisse multas generationes, quas tamen omiserit, quia vellet numerare per tesseras decadas. Similiter Mosen non ignorâsse Cainan: sed præteriisse eum, quia vellet numerare per decadas; ut sic velut ab Adamo est denarius usque ad Noë; sic denarius foret à Noë usque ad Abrahamum.

Quærunt porrò, si eum præterierit Moses, unde cognorint LXX, unde item Lucas. De hoc alii respondent, LXX non tam fuisse interpretes, quàm paraphrastas, qui, ut lucem afferant majorem, subinde aliquid aliunde addunt. Eos autem hausisse illud ex genealogiarum libris, qui fuere inter Judæos. Lucam verò didicisse ex LXX: & ut illi quoque præteriissent, potuisse & illum scire ex genealogiis, quæ exstarent. Quomodo in Christi genealogia necesse habuit ex iisdem supplere, quæ consecuta sunt tempora illa, ubi desinunt libri Veteris Instrumenti.

Alii aliter occurrunt. Ajunt sive LXX fuerint Cainan commenti, sive aliunde didicerint, B. Lucam, quia eorum codices per orbem totum sparsi forent, ne dissensu suo, turbaret Ecclesiam nascentem, noluisse ab eorum tralatione abire: eo minus, quia sive aliquis Cainan ex Arphaxado esset natus, sive non, nihil illud ad fidem pertineret. Ita Eugubinus, Sixtus Senensis, Cajetanus, Genebrardus, Jansenius, ut cæteros præteream; in his socerum Junium in parallelis.

Sunt etiam qui sentiant Mosi memoratum: sed librariorum culpâ excidisse: ex LXX autem suppleri oportere. Quomodo totus versus, librarii vitio, omissus est in Hebræis Ps. CXLV a. Est enim Psalmus sic scriptus, ut cujusque initium fiat à litera alphabeti Hebraici: solum post versum XIII, desideratur is cui initium fuit ab נ. In Græcis est, Πιστὸς κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Ut Molleri etiam judicio in Hebræo fuisse videatur.

a al. 144. etiam in Arab. tralat.

נאמן יהוה בכל דבריו וחסיד בכל מעשיו:

Confirmat hanc sententiam etiam Arabica tralatio in qua is versus comparet Latinéque itidem sonat: *Deus verax est in sermone suo, justus in omnibus operibus suis.*

Vidimus quæ pro quaque sententia putem posse adferri. Nunc exponam, quæ opinio sit nostra. Censeo Cainam nec esse agnitum Mosi, nec LXX interpretibus, nec B. Lucæ; sed per errorem librarii in LXX, & Lucam, irrepsisse. Faciam verò ἐξ ὑπάρχης πρῶτον Ὁμηρικῶς, primoque ostendam, non fuisse cognitum B. Lucæ. Id inde colligo, quod neque in omnibus, qui supersunt codd. habeatur. In antiquissimo quidem non reperit Theod. Beza. Sed majus est, quod primitivæ Ecclesiæ temporibus in Luca non legebatur: ut liquet ex Irenæi lib. III cap. XXXIII, ubi non LXX generationes numerat ab Adamo ad Christum, sed LXXII, omissis nempe tribus illis Matthat, Levi, & Cainan. Qua de re plura diximus in Dissertatione de Genere Jesu Christi ad Aphorismum quintum. Sed neque in LXX primitus fuisse his argumentis evincitur.

Flavius Josephus, etsi Græcè scripserit, ac LXX sequi soleat, eum tamen præterit lib. 1. Antiq. Judaic. cap. VI.

Nec meminit Epiphanius hæres. LV. contra Melchisedecianos disserens.

Neque Hieronymus nominat in Traditionibus Hebraicis:

cis: quamquam istic disserat de dissensu codicum Hebræorum, & Græcor.

Imò neque nunc in omnibus codd. Græcis legitur 1 Paral. cap. 1. Abest sanè in optima editione Romana Caraffæ. Etiam desiderari in emendationibus Græcis indicat Masiæus lib. II *a*, & Pererius lib. X in Genes. Disp. XI *b*.

a Pag 18. b *Sive num.* 177. *pag.* 461. *col.* 1.

In Mose denique nusquam legitur, neque in codd. Hebræis, nec Chaldæis, nec Samaritanis; manifesto argumento nunquam in iis fuisse; præsertim cùm nemo veterum significet, fuisse in nonnullis Hebræorum libris.

CAP. III.

DE TEMPORIBUS SALA, EBER, ET PHALEC: *atque eo jam adulto contigisse structuram turris Babylonicæ, confusionem linguarum, & dispersionem hominum varias in terras.*

SAtis ostendimus Sala Arphaxadi fuisse filium, non nepotem. Nunc ejus, & filii Eber, & nepotis Phalec, tempora adsignabo.

Sala cum Ebero auctus, secundum Ebræos annorum XXX: Samaritis & Græcis, CXXX. Hebræis supervixit CCCCIII: Græcis CCCXXX: Samaritis CCCIII: ut cum Hebræis in minore quidem numero conveniant, sed in majore cum Græcis.

Eber, nascente Phaleco, Hebræis fuit annorum XXXIV: juxta Samaritas & Græcos centum additis, CXXXIV. Posteaque juxta Ebræos CCCCXXXIV: juxta Græcos CCCLXX: Samaritæ in minore numero ab utrisque recedunt: sed in minore conveniunt cum Græcis. Ponunt enim annos CCLXX.

Phalec nato Ragau, Hebræis fuit annorum XXX: sed centenos addunt Samaritæ, ut sint CXXX: quibus Græci adjiciunt IV, ut fiant CXXXIV. Postea supervixit annis CCIX: in quo numero conveniunt Hebræi, & Græci, ut mirum sit variare Samaritas, qui, centum ablatis, dicunt CIX.

Tempore hujus Peleg exstructa est turris in terra Sennaar, quæ terra ab urbe Babel postea est dicta Babylonia. Meminit ejus turris etiam Hestiæus sive Histiæus Milesius: è cujus de rebus Phœnicum opere hæc verba adducit Flavius Josephus lib. 1. Antiq. Judaic. cap. VI: Τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱερώματα λαβόντας, εἰς Σενναὰρ τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν. Quæ sic reddidit Rufinus cap. IX: *Qui verò de sacerdotibus sunt erepti, Jovis sacra sumentes, in Senaar Babylonis venerunt.* Ac videntur hujus historiæ esse reliquiæ, quæ Poetæ fabulantur de montibus, quos montibus imposuerint gigantes: secundum illud primo Georg.

Ter sunt conati imponere Pelion Ossæ,
Scilicet atque Ossæ, frondosum imponere Olympum.
Ter pater exstructos disjecit fulmine montes.

Nempe finxere montes montibus impositos, quia majori turri imponerent minorem, huic item minorem aliam. Verè autem illa Gigantomachia erat Theomachia. Deus enim descendit, & eorum consilia dissipavit: ut narrat Moses. Pœna autem tantæ vanitatis fuit confusio linguarum. Quamquam propriè non tam linguarum dicenda sit confusio, quàm hominum, qui se mutuo intelligere ulteriùs nequibant. Nempe uni hæc, alii lingua alia fuit indita. Ac ex parte simile est, quòd Apostoli Pentecostes festo variis cœperint linguis loqui. Sed hi repleti fuere Spiritu S. Idem interea miraculum fuit. Ajunt antiqui, pro LXXII familiarum capitibus, quæ referuntur Genes. cap. X, totidem linguas originem habuisse. Quæ sententia placuit Irenæo lib. III cap. XXXIII. Ut & Origeni, Arnobio, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, Prospero sive Hilario Arelatensi libro de vocat. gentium: ut mittam Bedam, Marianum Scotum,. & juniorum alios.

Tam receptam opinionem nolim impugnare: quamquam non satis videam, quid solidi tinniat. Hodie in nostro hemisphærio sex sunt linguæ magis universales: Hebræa, Græca, Latina, Germanica, Sclavonica, Tartarica. Hebrææ adfines Chaldaica, Syriaca, Arabica, & quædam aliæ. Græcæ dialecti Ionica & Æolica: illius propago Attica: Æolicæ vicina Dorica. Ex Latina magnam partem sunt Hispanica, Gallica, Italica, Walachica. Ex Germanica sunt Danica, Anglica, Belgica. Ex Slavonica, Polonica, Bohemica, Moscovitica. Ex Tartarica, Turcica, Abyssina, Æthiopica, atque aliæ. Adversus ea, quæ de Hebræa diximus, passim disserit Goropius Becanus. Sed non sinit institutum, ut nunc omnibus ejus argumentis occurramus.

Nec structuram turris Babel solùm secuta est linguarum confusio, sed etiam dispersio hominum varias in terras, prout quemque sors, & Deus duxissent. Semi posteri habuere Asiam Orientalem & partem Australis. Chami posteris obvenit pars Asiæ Australis, & Africa: Japhet obtinuit Asiam Septentrionalem & Europam.

Sed quæritur, utrum hæc tria contigerint, nascente Peleg, vel paullo antè: an adulto, an morti propinquo. Primum censet Josephus lib. 1 Antiquitatum cap. VII, & Augustinus de Civitate Dei lib. XVI cap. XI. Nimirum ut ex memorabili hac re pater ei nomen dederit Phalegi. Solent enim antiqui nomina indere ex temporis [illegible]. Sic Heli nurus dedit filio nomen Jechavod, quia, captâ Dei arcâ, aliò quoque translata esset Dei gloria: ut legere est 1 Samuelis IV. 21. Natus autem Phaleg centesimo anno à diluvio expleto.

Sed alii censent adulto id nomen datum à patre, qui spiritu Prophetico prævideri, ejus tempore futuram terræ divisionem. Ita Hieronymus traditionibus Hebraicis in Genesin, & Chrysostomus homil. XXX in Genes. item Abulensis, ac Lyranus. Cùm autem, quod de adulto dicitur Pelego, valde sit ambiguum, sumamus mediam vitæ partem: quæ incidit in annum ætatis CXIX, vel sequentem sive annum à diluvio CCXVIII aut seq.

Tertia est opinio, factam esse, eam terram distributionem extremis Pelegi temporibus. Idque propterea, quia vix ante tanta esse potuerit hominum copia, ut de terrarum divisione magnopere esset cogitandum. Hanc sententiam sequitur liber inscriptus *Seder Olam*, sive Ordo seculi. Mortuus verò Pelegus anno ætatis suæ CCXXXIX: annis ab expleto diluvio CCCXXXVIII, biennio ante mortem Nachoris, qui avus erat Abrahæ, imò Abrahamo annos jam nato XLVII: si eos sequimur, quibus Thare eum dicitur procreasse anno septuagesimo. In diversis adeo sententiis minimè omnium probamus primam: Nec enim centesimo anno ab expleto diluvio tanta esse potuit hominum diluvio, ut eos opus esset per mundum dispergi. Nec tamen differri eam migrationem opus in tempus illud, quod mortem ejus proximè antecessit. Media igitur sententia imprimis placet. Vel si paullò ultra procedere quis malit, saltem suffecerit media ætas Pelegi: quando annorum erat CXVIII, & aliquot mensium. Nam vixit annos CCXXXIX. Id fuerit annis à diluvio expleto CCXVIII, triennio ante natum Thare, Abrahæ parentem.

CAP. IV.

AD PELEGI ETIAM TEMPORA REFERRI DEBERE INITIUM REGNI BABYLONICI.

EX iis, quæ hactenus diximus, præsertim de structura turris in terra Sennaar, cognoscere etiam est ad quæ tempora convenientissimè referamus initium imperii Babylonici. Etsi verò non dicat Scriptura, quo auctore condi turris ea cœperit: verisimile tamen est, eum fuisse

Nimrodum, validum, & imperandi cupidum. Nam, ut legimus Genes. x. 8. is cœpit esse potens in terra, & regni ejus principium in terra Sennaar, sive Babylonia. Is igitur conditor est imperii Babylonici. Fuit autem Nemrod filius Chus, nepos Canaan, pronepos Chami; quod ex eodem Mose discimus Genes. x. 10. Antiquius igitur hoc imperio Assyrium fuit, quod ita dictum ab Assure, Semi filio, qui Niniven, urbem gentis Assyriæ principem condidit: ut Moses ibidem testatur. Sed non diu Assyriorum imperium, ac Babylonium, distincta permansere. Primus creditur Belus utrumque obtinuisse, ac post eum Ninus, à quo Babyloniam, Assyriamque monarchiam multi auspicantur. Belum autem regnum Assyrium cum Babylonio junxisse, tradidit Julius Africanus. Ait idem, regnâre cœpisse anno post diluvium CXCIV, regnâsse autem annis LV, pro quo alibi legas LXV: ut quoque est apud B. Augustinum. Annus ille CXCIV à diluvio fit Pelegi annus XCIV. Post quod tempus vixit annis CXLIII. Pelegi autem annus XCIV incidit in secundum tertiumve Nachoris, qui avus Abrahami erat. Nec multum ab his abit Clemens Alexandrinus, sive sub ejus nomine alius quarto Recognitionum libro a: Ninum eundem, ac Nemrodum, esse arbitratur.

a Fol. 57. b. edit. Parisin. Somm.

Antiquitatem regni Babylonici etiam ex Simplicio scimus, qui commentario in Aristotelis libb. de Cœlo refert, quomodo, cum Alexander M. Babylono cœpisset, Aristoteles ex consobrino & discipulo suo Callisthene, qui Alexandrum comitabatur, quæsierit per literas quamdiu durâsset imperium Babylonium: illum autem Aristoteli rescripsisse, ex sententia sapientum Chaldæorum, urbem eam occupatam esse anno æræ Chaldaicæ cIↃIↃcccccxciii. Ab hoc numero non multum abeunt, quæ de regno Assyrio Medico, Persico, tradiderunt alii.

Ut quod Belo, qui Ninum antecessit, tribuunt annos	65.
Ab initio Nini usque ad exitum Sardanapali Diodorus Siculus annos statuit	1360.
Inde idem ab Sardanapalo devicto usque ad Astyagem à Cyro subactum annos numerat	322.
Persicum vero imperium duravit annis	231.
Summa	1978.

Id solùm quindecim annis minus est quàm à Babyloniorum archivis retulit Callisthenes.

Atque hæc satis mihi aperta videntur. In quo verò anno mundi caput æræ Chaldaicæ constituendum sit, non æquè dilucet. Doctissimus vir Ubbo Emmius in Chronologia sua statuit illud in anno sexagesimo à diluvio. Atqui demum post quadraginta annos Peleg fuit natus: quo non nascente, sed adulto, ac fortassis jam sene & turris Babel exstructa, & linguarum orta confusio, & terrarum in varia imperia facta est distributio: ut ex iis cognoscere fuit, quæ antea dicebamus. Nec sanè sexaginta à diluvio annis ea potuit esse hominum multitudo, ut tum de terrarum distributione, ac magnificis imperiis, esset laborandum. Error ex eo provenit non Emmio modò, sed aliis etiam non paucis, quod pauciores multo annos mundi numerant, quàm oportebat. Hioc enim factum ut illi anni cIↃIↃcccccxciii, qui ante Babylona captam effluxerant, propius à diluvio abesse putarentur, quam ratio permittit. Inque hoc sæpius peccari, suis locis demonstrabitur.

Sed nec in eo hominibus doctissimis adsensere, quòd quia Assur in scripturis dicatur Niniven condidisse, & à Græcis eam Ninus struxisse dicatur: conjectant eundem esse Assurem, ac Ninum. Nobis longè verisimilius videtur, dici à Nino esse Niniven conditam non quia ante eum urbs illa necdum fuerit: sed quia cum Assuris primi conditoris temporibus exigua fuerit propter hominum, qui illis temporibus viverent paucitatem: Ninus aucto hominum numero illam mirificè ampliârit, ut digna esset, in qua Reges Assyrii sedem suam collocarent. Ac credo etiam Nini demum temporibus Ninives nomen accepisse: antea dici potuit *urbs Assuris*, vel etiam *Assyria*: quandoquidem constat plurimas regiones à primaria civitate nomen accepisse. Præterea quomodo Ninus sit Assur, cum Moses dicat Assur fuisse filium Semi, nepotem Noë: at Ninus fuerit filius Beli; ut proditum Cephalioni Gargettio: item Julio Africano, & Eusebio in Chronicis, ac B. Hieronymo in Ezechiel. cap. XXIII, & Oseæ cap. II. Belus verò idem ac Nimrodus, qui non proprio nomine, sed ab imperio vocatus est Belus, hoc est, dominus. Uti filius ejus vocatus Ninus, quasi dicas filium Beli, sive filium Dominicum. Nam Hebræis N I N filius, uti Ægyptiis Non. A Belo autem conditam Babylona, scriptum à vetusto Poëta Dorotheo Sidonio. Id cum non obscurè Nimrodo tribuat Scriptura, cur eundem esse Nimrodum, & Belum, dubitemus? At Nimrod non est Assur Semi filius; sed filius Chus, nepos Chami. Vide quæ de Belo, & Nino, dixi lib. I de Idololatria gentili cap. XVI, & XXIV.

Cap. V.

DE TEMPORE QUO GENITI SUNT RAGAU, SERUG, NACHOR, ET THARE. *Cumque super tribus antememoratis, & quatuor istis valde dissentiant codices, quos imprimis sequi velimus.*

Vidimus de dissensu codicum in tempore, quo nati tres illi; Sala, Heber, Phaleg. Nec minor est in quatuor illis, Ragau, Serug, Nachor, & Thare. Nam secundùm Hebræos Reu, sive Ragau, ante editum Seruch, fuit annorum XXXII. Sed conspirant iterum Græci ac Samaritani, centum adjectis ut fiant CXXXII. At de tempore post hunc natum conveniunt Hebræi & Græci, qui annos numerant CCVII: ubi, demtis centum, Samaritani dicunt CVII.

Serug, cum ei nasceretur Nachor, fuit secundum Hebræos annorum XXX: sed secundum Samaritanos & Græcos CXXX. Hinc Hebræi vitam tribuunt annis CC: ac similiter Græci: sed Samaritæ solum C.

Nachor in Hebræis codd. nascente Thare fuisse dicitur annorum XXIX: sed Samaritæ quinquaginta additis, ajunt LXXIX: Græci, centum præterea appositis, CLXXIX. Postea Hebræi ajunt vixisse annis CXIX: Græci, adjectis sex, scribunt CXXV: ac Samaritæ, longè infra amborum numerum, solum LXIX.

Hinc controversia exsurgit, cùm adeo discrepent codices, quos potissimùm sequi conveniat: Multis quæstione ea nihil levius videtur. Nam quis sapiens, ajunt, rivos potiùs consectetur, quàm fontem? Bellè profectò, si Mosis αὐτόγραφον exstaret. Cujus rivi sunt codd. Hebræi, quotquot supersint, quippe omnes tandem ex eo fonte derivati. Quis autem persuaserit sibi, librarios non potuisse labi in exscribendis Hebræis? Præsertim cum videamus tot in locis tantoperè variare lectionem non in punctis modò, Massoretharum invento, sed literis, syllabis, vocibus ipsis. Non religiosi mihi, sed superstitiosi videtur, velle illam ἀναμαρτησίαν tribuere ex scriptoribus Judæis: quam Novi Fœderis ex scriptoribus Græcis, vel Latinis assignare non audent. Quare mihi quidem sufficit, quòd, non dico, in minutis, neque ad fundamentum fidei nihil pertinentibus, sed in capitibus religionis, sive illis, quorum ignorantiâ salus periclitatetur, non siverit divina providentia, ut ullus librariorum error constanter omnes, vel multos etiam codices obsideret. Et tamen, tum hìc, tum in cæteris, hoc honoris apud me futurum Hebræis, ut eos sequar potissimum, nisi fortè, quæ pugnare inter se videntur, conciliari non possint ex codicibus Hebræis; ex aliis verò possint.

Cap.

Cap. VI.

DE ANNIS THARACHI, *quibus genuit Haran, & Abrahamum.*

HActenus egimus de dissensu codicum in tempore, quo geniti sunt septem illi Patriarchæ inter Arphaxad, & Thare intercepti. Nunc de Thare ipso videndum.

Thare, cum genuit primogenitum, annorum erat LXX, postea que vixit annis CXXXV. In quo solo post Semum convenerunt codd. Hebræi, Græci, & Samaritani. Sed quæstio est, quis ille primogenitus fuerit, utrum Abrahamus, an Haran. A veteribus pene omnium consensu traditum est Abraham fuisse natu maximum trium filiorum Tharachi: idque propter verba illa Mosis Genes. XI. 26. *Vixit Tharach septuaginta annos, & genuit Abram, Nahor, & Haran.* Sic enim colligunt, non quidem hoc velle Mosen, tres illos esse genitos à Taracho, septuagenario; sed illud solum, post septuaginta annos cœpisse gignere: cùm autem primo loco ponatur Abraham, ab eo esse factum gignendi initium, ac proinde genitum esse, cum Tharach explevisset annum septuagesimum.

Sed huic sententiæ adversatur, quod eodem cap. sequitur vers. 32. *Fuerunt autem dies Tarachi quinque & ducenti anni; mortuusque est Tharan in Haran.* Atqui cap. seq. vers. 4, legas, *Abram natus erat* LXXV *annos quando egressus est de Haran.* Hos LXXV annos aufer de annis Tharachi CCV, residui sunt CXXX. Tot igitur annorum erat Tharach, cum Abram ei nasceretur. Et firmat quoque B. Lucas Act. VII. 4. ubi disertim ait, exisse demum, postquam pater mortuus esset.

At valde infirmum est argumentum, quando ex eo, quod Moses ait, Tharach fuisse annorum LXX. cum cœpit liberos gignere, colligunt Abrahamum, qui primò è tribus loco memoratur primo etiam loco, ac proinde anno patris septuagesimo, natum fuisse. Nec enim est Scripturæ insolens, ut in liberis referendis dignitatis potiùs, quàm naturæ sive temporis ordinem observet. Quod in Noachi etiam liberis factum videri, superiùs diximus. Ac in Thare liberis actum esse, Cajetani, & aliorum fuit opinio. Imò ex antiquioribus hæc sententia Procopii fuit, qui disertim dicit Abraham natum esse anno Tharæ non LXX, sed CXXX; Ac Mosen ejus primo loco meminisse, tanquam filiorum præcipui, & communis omnium Israëlitarum parentis.

Quod si Abraham non anno patris LXX, sed CXXX natus fuit, liquet sexaginta annis in æra mundi ab iis aberrari, qui septuagesimo Tharachi anno natum arbitrantur.

Cap. VII.

De intervallo à nato Abrahamo, usque ad iter ejus ex Haran Mesopotamia. Hanc migrationem ex Haran in Palæstinam verum esse initium æræ Judaicæ: non vocationem ex Ur Chaldæorum, & promissiones primitus istic Abrahamo factas. Nec enim ejus rei tempus constare è Scripturis: sed constare de tempore migrationis ex Haran, à qua migratione, & Euphratis trajectum, Hebræi ipsum etiam nomen acceperint.

POrrò tam ii, qui Abrahamum anno patris LXX, quam qui CLXXX, natum arbitrantur, ab ejus ortu novum incipiunt intervallum: quod alii extendunt usque ad vocationem Abrahæ ex Ur Chaldæorum: alii usque ad migrationem ejus ex Haran. Mesopotamiæ in terram Palæstinam. Qui prius malunt, eo id faciunt, quia in Ur ei primo facta est promissio, quæ sæpius postea est repetita. Una promissionum fuit de donatione terræ Cananeæ. Genes. XII. 1. *Abi ad terram, quam ostendam tibi.* Altera erat de magna posteritate. Ut Genes. XII. 2: *Faciam te gentem magnam*: Et XIII. 16. *Ponam semen tuum sicut pulverem terræ.* Ac similiter XV. 5: ubi semen stellis comparatur. Hæc pollicitatio eò major, quia uxor esset sterilis.

Tertia est de benedictione multiplici, ac præcipuè nascituri ex eo Messiæ. Ubi primum considerandum universè de benedictione multiplici: deinde particulatim de illa in Christo. Benedictio universè est tum animi, tum corporis, tum rerum externarum. Huc pertinet magnitudo nominis. Unde vers. 2, *Magnificabo nomen tuum.* De isto & cæteris magnitudinem benedictionis significat, quod non simpliciter dicit, *eris benedictus*: sed, *eris benedictio*: quod plus est, simileque ac si dicas, non modo humanus est, sed ipsa humanitas. Ut sententia sit, fore exemplum benedictionis: hoc est, ita Deum illi benedicturum, sive benefacturum, ut qui felicitatem summam precari alicui volet, is optare ei debeat felicitatem Abrahæ. Addit Deus non se modo ipsum Abraham velle beneficiis cumulare: sed etiam eos, qui Abrahamo amici fuerint: & contra malè ei facturum, qui nocuerint Abrahamo. Hæc universè de multiplici benedictione. Singularis verò illa benedictio in Christo: quod Abraham sit electus pater fidelium: qui beati sint futuri per ejus semen Jesum Christum. Atque huc pertinent verba illa vers. 3. *In te benedicentur omnes cognationes terræ.* Ubi *in te* valet *in semine tuo*: secundùm illud Genes. XXII. 18: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quid verò valeat *in semine tuo*, declarat hoc Apostoli ad Gal. III. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.*

Atque hujusmodi quidem fuerunt promissiones, quæ primo factæ sunt Abrahæ in Ur Chaldæorum. Sed eos probare non possum, qui propterea inde novum ordiuntur intervallum. Nec enim id tempus è Scripturis colligi possit, quandoquidem nusquam in iis legas, quoto illud Abrahami anno contigerit. Sed legitur, quando ex Haran Mesopotamiæ discesserit in Palæstinam: nam disertim ait Moses Abrahamum tum fuisse annorum LXXV.

Interim argumentum moræ diuturnioris in Haran præbent illa Stephani Act. VII. v. 2. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia priusquam moraretur in Haran, & dixit ad illum, Exi,* &c. *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.* Videmus, ut tempus in Haran, & morationem, & habitationem dicat. Et præit Moses Genes. XI. 31: *Tulit itaque Thare filium suum, & Loth — & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, veneruntque usque Haran, & habitarunt ibi.* Videmus hic etiam habitationem vocari. Similiter Genes. XII. 5: *Tulitque Sarai uxorem suam, & Loth filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, & animas, quas fecerant in Haran.* Pro eo, quod dicit *quam possederant*, Hebraice est רכשו אשר, à radice רכש, quæ significat, *acquirere*, vel *congerere* opes. Ut sententia sit, *opes*, *quas* sibi pepererant in Haran. At in illis acquirendis, morâ non dierum vel hebdomadum, imò nec anni unius sed complurium, opus fuit. Præsertim cùm etiam de aucta familia Lothi vel aliorum, qui comitarentur Abraham, ibidem addatur; *Et animas, quas fecerant in Haran.* Quibus tum pecudis incrementum signatur, tum vernarum; quales CCCXVIII illi, quos pugnaturus ad Lothum recipiendum armârat. Non quasi omnes, & mancipia ei illic nata; sed partim nata, partim emta. Duriùs verò Chaldæus paraphrastes, & Hebræi aliqui, exponunt de Hominibus ad Dei cultum perductis: etsi dubium non sit, quin in hoc quoque Abraham strenuè adlaborârit. Sic igitur colligo, Abraham pluseulum, habitasse in Haran: cum tempus aliquot annorum requiratur ad hæc, ut illic dicatur moratus & habitasse, & opes auxisse, vernis

etiam auctum, patrem quoque amisisse, ac demum post ejus exsequias in Canaan profectus. Objicitur tum promptam fuisse Abrahami obedientiam, ut post mandatum Dei, factamque promissionem, non tam diu fuerit in Haran commoraturus. Sed id planè nihil est: quia mandatum quidem habuit, ut exiret ex Chaldæa: sed non ut quamprimum in Chanaan contenderet: quæcumque in via caussa obstaret sontica, qualis erat patris adversa valetudo: quæ & eum abstulit. Pietatis enim fuit non deserere patrem ætate confectâ, ac moribundum.

Prope omnium verò ea est sententia, spatium hoc fuisse annorum quinque: eoque fuisse Abrahamum LXX annorum, cum ex Ur Chaldæorum abiret. Sed non alio ea sententia nititur, quàm quod à promissione divinitus facta Abrahæ, usque ad legem latam, annos CCCCXXX numeret Apostolus ad Galatas cap. III. At, inquiunt ab egressu è Charan usque ad natum Isaac sunt anni —— 25.
Inde ad natum Jacob anni —— —— —— 60.
Hinc ad ingressum Jacobi in Ægyptum —— 130.
Exinde ad egressum Israëlitarum ex Ægypto anni sunt —— —— —— —— —— 210.

Quomodo conflant anni solum — 425.

Ut igitur fiant CCCCXXX, desunt V: qui propterea adscribendi sunt commorationi in Haran. Sed, qui sic argumentantur, pro certo habent Israëlitas in Ægypto habitasse annis CCX: prout est in Seder Olam. At alii tribuunt huic habitationi annos CCCC, vel CCCCXXX. Et qui putant annorum fuisse non multo plurium, quàm CC; non tamen in eo consentiunt, fuisse id tempus annorum CCX: sed alii quinque annos, alii denos, superaddunt: quam rem expendemus cùm ad annos habitationis in Ægypto perventum erit. In hoc rei incerto putavi intervallum primum à nato Abrahamo non tam ad vocationem in Ur: quam excessum ex Haran, extendi oportere.

Colligam nunc omne id tempus, ex quo Therach pater fieri cœpit, usque dum Abraham ex Haran profectus fuit.

A tempore, quo Therach cœpit gignere, usque ad Abraham natum, ostendimus esse annos —— —— 60.
Inde autem ab exitu Abrahæ ex Haran in Cananæam, ut clarè ait Moses anni sunt —— —— 75.

Ut hinc conflant anni — 135.

Sed anni erunt CXXX, si velis desinere in promissione facta Abrahæ in Ur, & iis subscribere, qui inter promissionem in Ur, & iter ex Haran, quinquennii statuunt intervallum. Nobis ut dixi placet magis novam æram ordiri à migratione ex Haran. Cujus caussam afferebamus eam, quod Scriptura non dicat, quamdiu Abraham habitârit in Haran: sed dicat quando discesserit ex Haran. Hoc sanè satis caussæ est, cur inde ordiamur æram Judaicam, tanquam vero initio rerum Hebræarum: quod & nomen Hebræorum ab ea migratione datum non leviter fulcit. Nec enim Hebræi dicti quasi Heberi filii, licet ea veterum quondam opinio fuit: sed ex eo quod Abram cognomen habuerit עברי ut videre est Genes. XIV. 13. ubi ut Salomon Jarki annotavit Abraham עברי dictus שבא מעבר הנהר *quia venerat è regione trans fluvium.* Nempe עברי notat *περάτην*, ut LXX vertunt: hoc est transitorem, vel, ut Italica vetus translatio habuit, transfluvialem, hoc est, transeuphratensem. Ita Origenes: *Περάτης ἑρμηνεύεται Ἀβραὰμ ἐπειδὴ ἀπὸ τῆς Χαλδαίων χώρας εἰς τὴν Παλαιστίνην ἦλθεν, τὸν Εὐφράτην ποταμὸν διαβάς. Transitor vocatur Abram, quia è Chaldæorum regione in Palæstinam venit, cum transiisset fluvium Euphratem.* Eusebius sive Syncellus ex Eusebio: Ἔνθεν ἄρχεται τῆς Ἑβραίων ἡ προσωνυμία. *Ἑβραῖοι γὰρ οἱ περάται ἑρμηνεύονται διαπεράσαντος Εὐφράτην Ἀβραάμ, καὶ οὐχ, ὡς οἴονταί τινες ἀπὸ Ἕβερ τοῦ προειρημένου. Inde cœpit Hebræorum appellatio. Hebræi enim dicti sunt transitores, ex quo Abram transiit Euphraten, non verò, ut aliqui putant, ab Hebero prædicto.* Similiter Theodoretus in Genes. quæst. LX. Diodorus in eo solùm recessit, quod scripserit sic dictum, quia transierit Jordanem. Sed potior aliorum auctoritas. Quam & B. Augustinus firmat in Genes. quæst. XXIX: *Transfluvialem*, inquit, *Abraham appellatum etiam Græca exemplaria satis indicant: sed cur ita appellatus sit, hæc videtur caussa, quod ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate, sedes constituit in terra Chanaan, & transfluvialis appellatus est ex ea regione unde venerat. Unde Jesus Nave dixit ad Israelitas: Quid vultis servire diis Patrum vestrorum, qui sicut transflumen?*

CAP. VIII

De summa annorum ab initio diluvii usque ad migrationem Abrahami ex Haran.

TAndem etiam summam adferemus annorum omnium, quos particularim memoravimus à diluvio inchoato usque ad migrationem Abrahæ ex Haran: idque secundum codices Hebræos, Samaritanos, & Græcos.

Ab initio diluvii usque ad natum Arphaxat anni sunt	HEBRÆIS.	SAMARIT.	GRÆCIS.
	2.	2.	2.
* Inde usque ad natum Salam	35.	135.	265.
Hinc usque ad Heber	30.	130.	130.
Ad Phaleg	34.	134.	134.
Ad Reu	30.	130.	134.
Ad Sagut	32.	132.	132.
Ad Nachor	30.	130.	130.
Ad Thare	29.	79.	179.
Ad Abraham ex hypothesi eorum qui Abrahamum Tharachi filium fuisse natum maximum arbitrantur	70.	70.	70.
Inde usque ad migrationem ex Haran	75.	75.	75.
Summa	367.	1017.	1251.

* Nempe ob insertum Cainan: qui natus dicitur anno Arphacsadi 130: ac Salam genuisse anno suo 135. Qui junctim efficiunt annos 265.

Atque hæc, ut dixi, secundùm eos, qui putant Abrahamum filium fuisse Tarachi natu maximum. Sin natus fuerit anno patris non LXX, sed CXXX, quam veriorem sententiam putamus: sexaginta annos addi singulis numeris oportebit. Ita intervallum à diluvii initio usque ad migrationem Abrahæ ex Haran annorum fuerit Hebræis — 427. — Samatitis 1077. Gtæc. 1311. Utcunque numeres, Samaritani codices Hebræos exsuperant annis 650: Græci Samaritanos annis 234: Hebræos verò annis 884.

CHRO-

CHRONOLOGICARUM DISSERTATIONUM SEXTA,

Quæ est

DE TEMPORE A MIGRATIONE ABRAHÆ EX HARAN MESOPOTAMIÆ, USQUE AD INGRESSUM ISRAELITARUM IN ÆGYPTUM.

Caput I.

DE TEMPORE A MIGRATIONE ABRAHÆ EX MESOPOTAMIA USQUE AD NATUM ISAACUM, ET INDE USQUE AD NATUM JACOB.

NOva nunc sequitur periodus; cujus initium est ab eo tempore, quo Abraham, trajecto Euphrate, profectus est in Cananæam: unde incipiunt res Hebrææ, sicut diximus. Hoc tempus, pro vario regimine, in partes quinque superius *a* dividebamus. Primam partem extendamus usque ad gubernationem Mosis. Id tempus distribuitur in illud, quo habitavere in Cananæa, & alterum, quo commorati in Ægypto. Priori gubernatio penes Patriarchas fuit. Posteriori summa potestas, fuit Reges Ægyptios: qua diu leniter usi, tandem vero in tyrannidem vertit. Prius igitur agendum de intervallo ab egressu Abrahæ ex Haran ad ingressum Jacobi in Ægyptum. Quod tempus est tripartitum. Primum est ab egressu ex Haran usque ad natum Isaacum. Inde ab nato Isaaco, usque ad natum Jacobum. Hinc à nato Jacob usque ingressum ejus in Ægyptum.

a Dissertationis primæ cap. postremo.

Quod ad primum intervallum, id hoc pacto cognoscimus. Cùm Abraham, ut vidimus, fuerit LXXV annorum, cùm exiret ex Haran: & ut est Genes. XXI. 5. centenarius genuerit Isaacum, omnino ab egressu ex Haran usque ad natum Isaac anni sunt XXV. Solùm in controversia est, utrum Abrahamus filio suo auctus sit anno ætatis suæ centesimo inchoato, an exacto. Pro priori sententia est, hoc Genes. XVII. 1: *Postquam vero* XCIX *annorum esse cœperat* (Abraham) *apparuit ei Dominus* &c. Ac vers. 21. *Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.* Ex his consequi videtur, Abrahamo promissum fuisse filium cœpto anno XCIX: cœpto autem C fuisse editum in lucem. Ac eadem firmari videntur cap. seq. vers. 10. 14. & cap. XXI. 2.

Sed exacto centesimo natum esse, videtur colligi ex his verbis cap. XVII. 17. *Putasne centenario nascetur filius?* Et XXI. 5: *Abraham autem erat centum annorum, quando natus fuit ei Isaac filius.* Itaque & completos annos C intelligit Eusebius in Chronicis. Eumque sequuntur Isidorus in Chronol. item Beda lib. de VI. ætat. mundi, Nicephorus in Chronolog. ut Marianum Scotum, & alios initam. Verisimilius tamen est Isaacum Abrahamo natum, cum annum ageret centesimum. Sæpe enim numerus rotundus ponitur pro non rotundo: at non contrà. Nec tamen de eo controversari animus: quia existimo, quod uno loco effertur numero rotundo, licet pusillum desit, alibi compensari alio numero rotundo, ubi aliquid supersit.

Porrò intervallum ab Isaaco nato usque ad natum Jacobum, cognoscimus ex Genes. XXV. 26. ubi natus dicitur, cum parens annorum foret LX. A profectione igitur Abrahæ ex Haran ad natum Jacobum anni sunt LXXXV: ab nato Abrahamo CLXXXV.

Cap. II.

DE TEMPORE QUO JACOB VIXIT IN CANANÆA.

HÆc dicta sunto de intervallo à profectione Abrahami in Cananæam usque ad natum Jacobum. Nunc particulatim loquar de temporibus Iacobi, antequam iret in Ægyptum. Id tempus in partes tres partimur. Primum est quo cum parentibus vixit. Alterum, quo Labani servivit. Tertium quo è Mesopotamia reversus in Cananæa egit, donec iret in Ægyptum. Quod ad primum attinet, apud parentes annos explevit LXXVII. Quod sic adstruitur. Cùm se Pharaoni sisteret annorum erat CXXX. Hinc auferamus annos LIII, qui sunt interjecti inter illud in Mesopotamiam iter, & illud in Ægyptum; residui sunt LXXVII. Tot igitur annorum erat, priusquam ad Labanum proficisceretur. Porro quod dixi de annis LIII, sic comprobatur.

Labano servivit pro duabus filiabus annis ——	14.
Eorum extremo, vel ineunte sequenti, natus est Iosephus.	
Venditus est autem, cum annos esset natus ——	17.
At principatum Ægypti consecutus, post annos —	13.
Quippe tum XXX annorum erat.	
Hinc ad Iacobi adventum sunt anni —— ——	9.
Summa est annorum —	53.

Atqui tum Iacob erat annorum CXXX. Unde ablatis annis hisce LIII, consequitur priusquam in Mesopotamiam abiret, fuisse annorum LXXVII. Atque hæc de primo tempore.

Nunc videamus de secundo, quo apud Labanem servivit. Omne id tempus annorum fuit, xx: ut est Genes. xxxi. 38. Horum vii servivit pro Lia, totidem pro Rachel, vi pro pecudibus. Primo igitur septennio sine uxore fuit. Hoc spatio expleto, data ei Lia, & mox Rachel, annum agenti lxxxv.

De liberis altero hoc servitutis septennio natis agit Moses Genes. xxx: item Eusebius lib. ix Præparationis Euangelicæ cap. xxi. Temporaque magis definit, quàm fecerat Moses; idque secutus Alexandrum Polyhistorem, uti ille Demetrium. Sed quibusdam locis hi ex Mose sunt castigandi; ut mox patebit.

Jacobo annos nato lxxxv, servitutis anno viii, mense decimo nascitur Ruben.

Anno ætatis lxxxvi, servitutis ix, mense octavo nascitur Simeo.

Anno Æt. lxxxvii, servitutis x, mense vi, nascitur Levi.

An. Æt. lxxxviii, servitutis xi, mense iv nascitur Juda. Atque hi quatuor nati fuere è Lia, priusquam aliunde Jacobo proles foret.

Ejusdem verò anni mense v ex Bala, Rachelis ancilla, nascitur Dan: pro quo male dicit Demetrius tum conceptum Naphthalim è Zilpa: de Dan verò omittit.

Anno Æt. lxxxix, servitutis xii, mense ii, ex eadem Bala sive Billa nascitur Naphthali. Malè & hic Demetrius ait è Zilpa natum Gath.

Ejusdem anni xii mense xii è Balla Aser natus dicitur à Demetrio. Sed natus è Zilpa, eoque nativitas ejus rectius refertur ad annum recentem.

Anno Ær. xc, servitutis xiii, è Zilpa natus est Aser. Eodemque anno Lia duos peperit filios: ineunte anno Issachar: exeunte Zabulon. Demetrius tamen anni xiii mense x natum ait Issachar: sed Zabulon anni seq. mense viii.

Anno Æt. xci, servitutis xiv, Lia parit filiam Dinam. Ac eodem fere tempore Josephus nascitur è Rachele: nempe xiv anni mense viii, secundùm Demetrium. Sed initio is anni sequentis potiùs videtur natus: ut mox planius fiet.

Anno ætatis xcii, altero servitutis septennio explero Jacobus videtur auctus esse Josepho. Hoc ex eo colligo, quod cùm pater esset annorum cxxx, ille erat annorum xxxix: ut ex Mose inferiùs diducam. At ab annis cxxx abstrahe xxxix, remanent xci; sive ad annos xci adde xxxix conficiunt cxxx.

Eodem anno xcii Jacob cum Labane novum init pactum de pecudibus: ut est Genes. xxx. 29. & seqq. Id sexennium duravit. Atque ita consiunt xx anni servitutis.

Sequitur tertia pars ætatis Jacobi, quam egressus è Mesopotamia in Cananæa transegit.

Anno ætatis xcviii, ignaro avunculo, eodemque socero, Labane, postquam cum eo vixisset annis xx, ut diximus è Genes. xxxi. 38. fugit è Mesopotamia una cum duabus uxoribus, ac denis liberis, quorum minimus Josephus jam sexennis erat. Primò autem venit in Sucoth: ubi & domum, sibi, & pecudibus caulas sive septa exstruxit: ut est Gen. xxxiii. 17. Deinde profectus in Sichem, ubi ab Hamor, patre Sichem, agrum sibi emit centum agnis: ut est ibidem vers. 18. 19.

Quamquam autem constet è Scripturis prius habitasse in Sucoth: postea autem, transito Jordanem, sedem fixisse in Salem Sichimorum: utro tamen loco diutius habitârit, ex Scripturis statui nequit. Ut neque ex Demetrio, & Alexandro Polyhistore: qui, Eusebio a teste, ajunt, decennio habitasse in Sochot: de Sichem tacent, credo quia non diu habitaverit in Sichem. Et hæc quoque Abulensis suspicio fuit, quia Dina non multo postquam in Sichem ventum, videtur rapta esse. Quod colligere licet ex sermone, quem Emor Sichimorum princeps habuit ad populum: ubi sic de iis loquitur, tanquam qui nuper advenissent. Et probabile est eo Dinam egressam ad conspiciendas ejus terræ mulieres, quia omnia ei illis in locis nova forent. Quare non, ut aliqui, (in his Petavius) biennio in Sucoth; octennio in Sichem; sed potius octennio in Sucoth, biennio in Sichem, habitâsse existimem. Sed nolim de eo contendere, quia seu hoc, seu illud dicas, cum Demetrio, & Alexandro decennii fuerit intervallum.

a Lib. 9. Præparat. Euangel.

In hujus decennii fine rapta est Dina, Jacobi filia. Quo tempore annum agebat xvi. Nam pauxillo nata erat ante Josephum, & fortasse eodem anno: ut cognoscere est ex Genes. xxx. 21. 22. 23. 24. Mox à raptu Dinæ fratres ejus sese ulti sunt de Sichemitis. Quæ vindicta valde sollicitum habuit Jacobum: donec à Deo jussus est in Bethel abire: ubi ab omni familia exegit falsorum Deorum simulachra, eaque sub terebintho, sive quercu ad Sichem defodit: altare etiam Deo ibidem constituit. Mortuaque tum Debora, nutrix Rebeccæ, ac ibidem sepulta. Hinc è Bethel profectus in Ephrath: unde non totis aberat mille passibus, cùm, Jacobo jam annum agente cvii, nascitur ex Rachele Benjamin; paullo verò post partum mater est exstincta.

Atque hæc optimè conveniunt cum iis, quæ ex Demetrio, & Alexandro Polyhistore tradit Eusebius lib. ix cap. xxi; ubi dicitur, Rachel cum marito nupta fuisse annis xxiii. Nempe à connubio, quod initum postquam Jacob septennis serviisset egit in Mesopotamia apud parentem Labanem annis xiii: ac decennio deinde in Sucoth, & Sichem. Cumque paullo ante obierit Dina, liquet eam, ut dicebamus, annum egisse xv, aut xvi: ut jam matura viro fuerit. Josephus quoque, moriente Rachel, annum agebat xv, vel xvi. Eoque annis totidem exsuperabat fratrem Benjaminum; Unde lucis aliquid accedit iis quæ deinceps dicentur de annis, habitationis Israëliticæ in Ægypto. Nec enim levis est, quæstio, quomodo Benjamin, in Ægyptum proficiscens decem liberorum pater fuisse dicatur Genes. xlvi. 21. Nam si vera sunt, quæ de annis Rachaelis retulimus; solùm tum annum egerit xxiv. At notum, quam tarde iis temporibus uxores ducere soleant. De hoc igitur suo loco dicemus.

Anno Jacobi cix, ex quo è Mesopotamia jam annis erat egressus xi, venditur à fratribus Josephus annos natus xvii, hoc est, fluente anno ejus xviii: ut cognoscimus ex Genes. xxxvii. 2. Ubi tamen in vulgato interprete Latino Josephus dicitur natus fuisse annos xvi. Sed xvii est in Hebræo, Græco, Chaldæo, etiam Flavio Josepho. Credo Latinus codice usus fuit Hebræo, ubi in numero erat peccatum: vel aberravit manus librarii. Nam cur in interpretem ipsum culpam conferamus? Nihil erat caussæ cur exprimere nollet numerum, quem reperisset. Ovidii illud notum:

—— Nec erat cur fallere vellent.

Josepho annos xvii nato, Benjamin agebat secundum.

Anno Iacobi cxxii, sive exacto Iosephi xxx, Ioseph à Pharaone evehitur ad principatum: ut constat ex Genes. xlv. 6.

Anno Iacobi cxxx exacto, Iosepho autem annum agente xl, venit Iacobus in Ægyptum. Nam ipse se Regi Pharaoni ait esse annos natum cxxx: ut est Genes. xlvii. 9. At Iosephus, cum ad principatum est evectus, erat annos natus xxx: ut est Gen. xli. 46. Inter utrumque tempus intercessere anni ix, septennium fertilitatis, & biennium sterilitatis: ut liquet ex sermone Iosephi ad fratres Genes. xlv. 6.

Ab egressu igitur Abrahami ex Haran, usque ad Iacobi descensum in Ægyptum, sunt anni ccxv. Quod sic comprobatur.

Ab egressu ex Haran, usque dum Isaacus est natus, sunt anni —— —— ——	25.
Inde ad natum Iacobum —— —— ——	60.
Usque ad profectionem in Ægyptum ——	130.
	215.

CHRO-

CHRONOLOGICARUM DISSERTATIONUM SEPTIMA,

Quæ est

DE TEMPORE HABITATIONIS ISRAELITICÆ IN ÆGYPTO.

Caput I.

Acceditur ad tempus Israëliticæ habitationis in Ægypto. Ac, post expositum hanc quæstionem tractandi modum, expenduntur ea Scripturæ testimonia, quibus se tuentur, qui in ea tradunt annis esse habitatum cccc, *vel* cccc xxx.

HAbemus de annis ab Abrahæ ex Haran egressu in terram Canaan, usque ad Jacobi ex Canaan descensu in Ægyptum. Nunc aggredior dicere de habitatione Israëlitarum in Ægypto, quæstione perardua, & in qua, jam ab antiquis temporibus, variè se torserunt doctissimorum hominum ingenia, ac nostro adhuc seculo in varias scindantur opiniones. Eò justior nobis venia erit, si non examussim iis satisfaciamus, quibus aliud, quàm nobis videtur. Præsertim cùm non sit controversia de re fidei, sed quæ solùm pertineat ad temporum doctrinam : nec agatur de veritate Scripturæ ; sed quâ ratione, quæ in iis pugnare inter se videntur, faciliùs possint conciliari. Id verò perspicere, quam sit difficile, B. Hieronymus non ignoravit : ut qui de eo sic scribat in cap. III. ad Galat : *Videndum, utrùm verè* (anni)
a Cap. 15. ccccxxx *sint, & quomodo Deus in libro Genesis* a, *polliceatur Abrahæ, quòd post* cccc *annos de terra servitutis filii ejus exituri sint. Non enim parva res est, & a multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inventa.* Terrere suo se pede metientem ab hac disquisitione poterat, quòd tam eruditus, ac lectionis prope infinitæ Theologus vetus, omnino ambigat, an quisquam ad id usque temporis, videlicet totis tribus ab Apostolorum ætate seculis, Gordium illum nodum solvisset. Sed enim mihi in mentem veniebat, tot jam seculis, ac imprimis proximo, à variis adeò, ingenio ac doctrinâ pollentibus viris etiam esse quæstionem tractatam, ut dubitari non possit, quin eorum complures, si non id, quod res est, viderint, saltem interea aliquid, imò multum potiùs contulerint ad facilius deinceps cognoscendam ejus rei veritatem. Quamobrem, eorum, ut confido, laboribus adjutus, non defugiam exigui ingenii nostri cymbam huic mari committere, spe aliquid expiscandi, quod magis animum expleat amantibus veri.

Ac primùm quidem illud convenit, duas esse principes opiniones. Quarum prior est, intervallum annorum ab ingressu Israëlitarum in Ægyptum, usque ad exitum, esse annorum quadringentorum, vel amplius. Altera autem est, intervallum id annorum esse paullo plus, quàm ducentorum, summum quidem esse ccxx. Quæ sententia sit nostra, non continuo exponam ; sed producam in aciem potissima utriusque partis argumenta : & faciam id aliter, quam fieri solet à multis, qui sic referunt argumenta aliena, non ut memorat pars adversa, sed ut referri ipsis expeditet ad faciliorem victoriam. Qui mos imprimis obtinet apud Oratores. Mihi animus est nihil partium studiis dare : sed litare utrobique candori. Itaque pro parte utraque adducam non modò quæ dicuntur ab aliis, sed etiam, quæ dici posse arbitrabor. Non semper igitur pugnabo, ut pugnavere, sed ut fortius pugnari posse existimo. Quomodo futurum censeo, ut, me etiam non ferente judicium, ex hujusmodi conflictu, homini ingenioso ac cordato faciliùs eluceat veritas.

In utraque verò sententia tria hæc exsequar. Primùm eam, de qua agam, adstruam sententiam ; videlicet prius priorem, posterius posteriorem. Hoc Græci *κατασκευὴν*, Latini *confirmationem* vocant. Deinde adversantem sententiam destruam : quod Græcis est *ἀνασκευὴ*, item *ἔλεγχος*, & *ἀντισυλλογισμός*, Latinis *destructio*. Postremo adversæ sententiæ argumenta occurram, ac rationem ostendam, qua nodus exsolvi vel soleat, vel debeat. Græci *ἔνστασιν*, ac *λύσιν* appellant.

Ac *κατασκευὴν* prioris sententiæ pertinent loca omnia, quibus dicitur Israëlitas in Ægypto fuisse annis cccc, vel ccccxxx. Ut Genes. cap. xv. 13. 14. 15. 16. *Dictumque est ad eum* (Abraham) *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent*, cccc *annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt ego judicabo : & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quartâ revertentur huc. Necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum, usque ad præsens tempus.* Sic non loca modo, sed etiam annorum numerum expresserunt omnes Hebræi codices, item Onkelos, & LXX, ut de errore librarii suspicio, nequeat oboriri. Quare solum hoc curandum, ne vel loca, vel tempora, quæ Moses distinxit, confundamus. Clarè enim videmus, meminisse duplicis terræ : unius in qua viveret Abraham, quæ erat Cananæa : alterius peregrinæ, quæ erat Ægyptus. Utraque conjungitur, cum ait, *Huc revertentur.* Hoc est, ex peregrina, in non peregrinam : ex Ægypto in eam, ubi sedem ac domicilium habes. Apertè etiam tria tempora distinguit: illud quo viveret in terra peregrina, ubi etiam futurum ait ut serviant, & affligantur : atque hoc tempus fore ait annorum cccc. Alterum, quo redibunt feliciter in terram patriam. Nempe postquam quadringentis illic annis habitarint. Tertium

tium tempus est, quod præcedet peregrinationem ac servitutem: quando dicit, non visurum hæc Abrahamum, sed tranquillè suum obiturum diem. Ut duplex solatium afferatur Mosi: unum quod in diebus ejus nihil triste ejusmodi continget ei, vel semini ejus. Alterum, quod Deus, qui prædicit hæc mala ejus semini, etiam liberationem ab iis, ac reductionem in terram Cananæam, polliceatur ei ac semini illius. Exponit etiam Deus caussam, cur tam longo tempore passurus sit, ut Amorrhæi, & alii inhabitent terram Canaan semini ejus promissam. Ait in caussa esse, quòd tanta sit sua lenitas, ut necdum velit visitare peccata Amorrhæorum; ac tum demum id agere cogitet, ubi illi impleverint peccatorum mensuram. Fortasse etiam hunc numerum significat, quando addit, redituros in Cananæam sibi promissam, generatione quartâ, videlicet exactâ: ut sæpe in numero annorum loquitur Scriptura. Sic generationes IV notent totidem secula: quomodo γενεᾶς voce etiam utuntur Græci: ut quando Nestor tertiam dictus vivere γενεάν, ubi secundum historiam quidem, γενεὰ solum xxx, vel xxxIII notabat annos: verum Poetis, ob vocis ambiguitatem, occasio præbita est, fingendi eum tertio demum seculo decessisse: unde *trisecli senex* dictus, & ipse apud Ovidium ait:

Vixi bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Sed de istiusmodi usu ejus vocabuli non multum contendero, quia & aliter ille locus Mosis accipi potest: ut postea ostendam videlicet in eo nunc solum vis argumenti collocatur, quod semen Abrahæ post mortem ejus (imo & Isaaci, addo & exactam prope omnem Jacobi ætatem, quod reticere tum Deus voluit) in Ægypto sit peregrinaturum annis cccc. Paullùm figamus animum in verba Dei. Dicit *Peregrinum erit* SEMEN TUUM. At aliud Abraham ipse, aliud semen Abrahæ: ut verba illa, ex vi propria potiùs excludant quàm includant Abrahamum. Et quomodo referantur ad Isaacum, cùm ille nunquam excesserit Cananæa? Sequitur, IN TERRA NON SUA. Ubi tacitè opponi videntur terra Cananæa, & Ægyptiaca: nempe ut Cananæa intelligatur SUA; Ægyptus, non sua. Et quàm durè Abraham, Isaac, Jacob tanto spatio serviisse in Canaan dicantur, qui fuerint principes terræ, cumque principum aliis fœdera contraxerint? Denique non dicitur Ægyptiaca peregrinatio, ac servitus, futura annorum ccx, vel ccxv, vel ccxx; sed cccc: puta ad servitutis annos additis annis reliquæ peregrinationis in Ægypto. Nec enim omni eo tempore servierunt: sed bene habiti sunt octoginta illis annis, quibus in Ægypto potestas penes Josephum fuit.

Nec aliter hunc locum cœpit historia Judithæ cap. v. *Cùm operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illicque per* cccc *annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus.* Clarè ait, per annos cccc semen multiplicatum in Ægypto, quod temere dicatur, nisi tot annis fuerint, in Ægypto.

Quid quòd & Stephanus eundem statuat numerum? Nam Act. VII. 6. 7. ait: *Locutus est autem ei* (Abrahamo) *Deus quia erit semen ejus accola in terra aliena & servituti eos subjicient, & malè tractabunt eos annis* cccc: *& gentem cui servierunt, judicabo ego, dixit Dominus, & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.* Satis liquet, hæc verba esse expressa ex Genes. xv. Ubi itidem attendere oportet locum, unde exituri, & illum, quo ituri. Ille *aliena terra* vocatur; alter dicitur locus, in quo tum viveret Abraham. Priorem dicuntur incolituri esse annis cccc. Ut non videatur intelligi posse Cananæa, in qua tum Abrahamus vivebat, & quò Israëlitæ reversuri dicuntur. Porro hic quoque videmus, non dici servituros annis cccc: sed incolas terræ alienæ fore annis cccc: & intra hoc tempus, nempe parte quadam ejus temporis, durissimam servituros servitutem.

Etiam hic numerus apertissimè colligitur ex Act. cap. XIII. 16. 17. 18. 19. 20: *Surgens autem Paulus, manu silentio indicto*, ait: *Viri Israëlitæ, & qui timetis Deum, audite. Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltavit, cùm essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit ex ea: & per* XL *annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens* VII *gentes in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post* CCCCL *annos: & post hæc dedit judices usque ad Samuelem Prophetam.* Ubi quatuor Israëlitarum tempora memorantur; unum in Ægypto, alterum in deserto, tertium usque ad divisionem terræ Cananææ, quartum postea consecutum usque ad Samuelem. Postremum non est hujus loci: quia solùm dicitur trium priorum intervallum esse annorum, quasi CCCCL. Unde sic colligitur: cum annis XL Israëlitæ fuerint in deserto, & ab ingressu in terram Canaan sexto demum anno terræ fuerit divisio, ac γεωργία: ut resultent anni quasi CCCCL, annos requiri circiter cccc, quibus Israelitæ fuerint in Ægypto. Justo numero sint anni CCCCXLVI. Sed rotundo optimè quasi CCCCL dicuntur. Imò justus quoque numerus sit, si aliquot annis diutiùs fuerint in Ægypto: de quo postea dicemus.

Hactenus expendimus ea Scripturæ loca, quibus Scriptura dicit, annis quadringentis fuisse Israelitas in Ægypto. Quæ valde videntur adversari omnibus iis, qui, ut secunda fert opinio, summùm, ccxv, vel ccxx annis in Ægypto versatos putant. At magis etiam repugnare videntur loca illa, quibus dicuntur in ea fuisse annis ccccxxx. Exodi cap. XII. 40. 41. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit* CCCCXXX; *quibus expletis, eodem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* Quæ verba eo magis in considerationem veniunt, quia, si uspiam exprimi clarè conveniebat, quot annis Israëlitæ in Ægypto fuissent, sane id hic, ut proprio loco, fieri debuit. Fusè enim eo libro describitur eductio Israëlitarum ex Ægypto: imò apud Græcos, & Latinos, libro inde *Exodi* nomen datum fuit. Ut omnino satius videatur, quæ alibi obiter vel brevius dicuntur, ex hoc loco declarare, quàm velle interpretari hic dicta ex iis, quæ alibi verbo solum attinguntur.

Nec quia Scriptura hoc loco numerat annos ccccxxx, quæ alibi, ut vidimus, solùm ponit cccc, eo pugnare eam secum putandum. Nam ex hypothesi ea, quod minimum cccc annis habitatum sit in Ægypto, facile sit cum eo conciliare illud de annis ccccxxx. Ut si dicamus, majori hoc numero signari numerum integrum; minori rotundum, quo κατὰ συνεκδοχὴν sæpe gaudet Scriptura. Est interim & alias conciliandus modus, & judicio meo, convenientior. Sed eum exponam demum, ubi universa proposuero, quæ pro prima, secundaque opinione soleant adferri.

Cap. II.

Quibus Scripturæ verbis ab iis, qui secundam opinionem tuentur, probari soleat, non ultra CCXX *annos, imo paucioribus potius annis, esse ab Israelitis habitatum in Ægypto.*

Vidimus quibus Scripturæ testimoniis nitantur, qui censent ab Israelitis in Ægypto habitatum esse annis cccc, vel amplius. Nunc venio ad eorum opinionem, qui annis solùm ccxx, vel etiam paucioribus, incoluisse Ægyptum putant. Pro fundamento omnibus iis sunt verba Apostoli ad Galat. cap. III. vers. 16. 17. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit; Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post* ccccxxx *annos facta, est lex, non irritum facit, ad evacuandam promissionem.* Hic jubent considerare, tum initium, tum finem intervalli ejus, quod dicitur fuisse annorum ccccxxx. Initium ajunt duci à promissione Abrahæ facta; finem statui in lege lata. Lex verò promulgata est in monte Sinai, tertio mense, ex quo exierunt ex Ægypto. At, inquiunt, à promissione facta ad ingressum in Ægyptum, sunt anni cc,

ac

ac præterea (nec enim de eo inter se conveniunt) vel xx, vel xv, vel x. Ac quibus isthoc de xx annis placet, ii hunc in modum opinionem eam tuentur.

Abraham promissionem accepit in Ur Chaldæorum annos natus LXX: ut quidem Hebræi ajunt; nempe quinquennio priusquam decederet ex Haran; quo tempore annorum erat LXXV, ut est Genes. XII, 4.

At Isaaco auctus est post annos — — 30.
Nam centenarium fuisse legimus Gen. XVII. 17. & XXI. 5.
Isaac, cum Jacobum gigneret annos erat natus — 60.
ut est Genes. XXV. 26.
Jacob cum in Ægyptum descenderet, fuit annorum — — — 130.
sicut ipse Pharaoni ait Genes. XLVII. 9.

Summa est — 220.

Ablatis his annis à CCCCXXX, supersunt anni — 210.

Hinc consequi volunt tot annis fuisse Israëlitas in Ægypto. Utrumque autem tempus ab Apostolo comprehendi.

Alii, quia Scriptura non dicit, quanto antè Abraham promissionem acceperit, quàm ex Haran abiret, eò malunt ordiri ab anno ætatis LXXV. Quomodo ab itinere Abrahæ ex Haran in Cananæam, usque ad iter Jacobi in Ægyptum, anni erunt CCXV. Unde colligunt, totidem esse annos innumerandos usque ad exitum ex Ægypto: ut sic resultent anni CCCCXXX.

Denique nonnulli jubent considerare, quòd initium sumatur non tam à facta primitus promissione, quam à Διαθήκης προκεκυρωμένης, sive fœdere antea sancito: prius autem tempus negant sciri: posterius ex Genes. XV constare: inde enim colligi, contigisse id fœdus anno decimo, ex quo fuisset in Cananæa: ac proinde id factum esse anno ætatis Abrahæ LXXXV, annis quindecim ante natum Isaac: quomodo ad ingressum Israëlitarum in Ægyptum anni solum sint CCX: Israëlitæ autem in Ægypto annis fuerint CCXX.

CAP. III.

Ut è stupenda multiplicatione Israëlitarum in Ægypto argumentum peti soleat adversus eos, qui summum CCXX *annis in ea ab Israëlitis esse habitatum censuerunt.*

HActenus κατασκευαστικῶς vidimus, quo pacto Scripturæ verbis caussam suam adstruant, tum qui in Ægypto habitatum ab Israëlitis putant annis minimùm quadringentis; tum qui in ea fuisse arbitrantur annis summum ducentis, & viginti. Nunc ἀνασκευαστικῶς idem argumentum tractabo. Ac priùs referam, quo argumento prioris sententiæ defensores destruere conentur posteriorem opinionem. Deinde quomodo patroni posterioris opinionis priorem destruere sententiam adlaborent. Prioris opinionis auctores argumentum petunt à multiplicatione stirpis Israëliticæ in Ægypto. Nam cum Israëlitæ ex Ægypto exierunt, fuere sexcenta armatorum millia. Nec in numerum eum venere pueri, aut mulieres, fortasse nec calones, vel lixæ, sed solùm illi, qui propriè militum loco poterant censeri. Atqui in Ægyptum, quæ ingrederentur solùm LXX animæ fuerunt; & subsistere in ea, tantummodo ad quartam generationem. Sic Levi ingressus, qui Cahad genuit, ut ille Amram, hic Mosen, qui & egressus. Negant igitur sine miraculo ex tam paucis, tam exiguo tempore, tantum gigni numerum potuisse.

CAP. IV.

Ut secunda sententiæ patroni argumento eo, quod Israëlitæ quatuor solum generationis fuerint in Ægypto refellere soleant illos, qui quadringentis, vel pluribus annis ab iis in hac esse habitatum existimant.

SEquitur, ut commemorem argumentum, quo, qui annis solùm CCXV, vel circiter, in Ægypto habitatum putant, confutari eorum opinionem arbitrantur, qui in ea habitatum dicunt annis CCCC, vel etiam ultra. Horum argumentum petitur à paucitate generationum in Ægypto, quæ tanto annorum numero repugnat. Nam, inquiunt, omne id ævum, quo fuere in Ægypto, transactum est sub hisce quatuor; Levi; ejus filio, Cahad; nepote Amram; & nepote Aaron.

Atqui Levi vixit solum annos — — — 137.
ut est Exodi VI. 16.
Filius ejus Cahad — — — — 133.
ut est ibidem vers. 18.
Cahadi autem filius Amram — — — 137.
ut legas vers. 20.
Amrami verò filius Aaron, cum triennio natus sit ante Mosem ac ante eum uno anno obierit, Moses autem decesserit annos natus CXX, moriens annorum solum fuit — — — — 122.
quod colligere est partim ex Exod. VII. 7. partim ex Num. XXXIII. 38.

Summa est annorum — 529.

Primum hinc jubent auferre XXXIX annos, quibus Aaron in deserto fuit; tum XLVII, quos Levi habuit, priusquam ingrederetur Ægyptum. His ablatis ajunt solùm annos superfore CCCCXLIII. Et hactenus rectè sine dubio calculos subducunt. Addunt porrò, (quod postea expendam) demi præterea oportere annos quibus Levi cum Cahad, Cahad cum Amram, Amram cum Aaron vixit. Alioqui enim eosdem annos bis in rationem venturos. Etsi verò alii aliis citiùs tardiusque operam dare liberis soleant, non tamen iniquum se poscere putant, si statuant, singulos cum patre annos vixisse XXX, antequam & ipsi patres fierent. Itaque XC præterea annos esse auferendos: quos si reseces ab illis CCCCXLIII, solum superfore CCCL. Negant igitur cum eo, quod de annis quatuor generationum diximus, consistere posse, cum eo, quod Israëlitæ in Ægypto peregrinati dicuntur annis CCCC; nedum in ea annis fuerint CCCCXXX.

Idem sic aliter commostrant. Caath cum patre Levi, & avo Jacobo, descendit in Ægyptum: ut est Gen. XLVI. 8. 11.

Fuerit eopse anno natus. At vixit, ut ostensum, annos — — — — — 133.
Amram filius — — — — 137.
Moses Amrami filius, cum educeret Israëlitas ex Ægypto, erat annorum — — — 80.

Summa an. — 350.

At demendi sunt anni, quibus Moses cum Amram, Amram cum Cahad vixit. Præterea, nec ipso anno exitus ex Ægypto natus fuit Cahad, quia frater junior Merari & ipse in Cananæa natus fuit: ut liquet ex Genes. XLVI. 11.

CAP. V.

Quid prioris sententiæ patroni respondeant ad locum Apostoli ad Gal. III. unde alii colligunt, habitatum esse in Ægypto annis non multo pluribus, quam ducentis.

VIdimus partis utriusque argumenta tum κατασκευαστικὰ, tum ἀνασκευαστικά. Nunc considerabimus

ἐπίλυσις sive λύσις. Acprimùm exponam, quo pacto prioris sententiæ defensores solvere conentur argumenta, quibus, qui posteriorem tuentur, tum suam opinionem adstruunt, tum destruunt alienam. Diximus antea, eo illos adstruere opinionem suam de habitationis annis aliquanto pluribus, quam ducentis, quòd Apostolus ad Galat. III. annos CCCCXXX numeret à promissione facta Abrahæ ad legem latam: sint verò à promissione usque ad ingressum in Ægyptum anni CCXV: ut, quibus in Ægypto fuerint, supersint totidem anni. Vel si prius tempus cum aliquibus statuamus annorum tantum CCX, habitationem solum fore annorum CCXX. Vel si prius sit annorum CCXX, posterius fore CCX; quæ tum Hebræorum in Seder Olam sententia est: tum Lyrani, Cajetani, & Ariæ Montani libro de Seculis.

Hisce universis prioris sententiæ patroni hunc in modum occurrunt. Negant verba Pauli ad Gal. III loqui de omni illo intervallo à promissione primitus Abraham in Ur Chaldæorum facta usque ad legem latam: sed capi ea oportere de tempore, qua postremò facta est Jacobo, priusquam ex Canaan exiret. Qua de re quid sentiendum sit, in ἐπικρίσει nostra inferius pluribus exponam.

Cap. VI.

Quomodo, posteriorem qui sententiam sequuntur, occurrant verbis Genes. XV, & Exodi XII: ubi Israelitæ quadringentis, & præterea triginta annis, fuisse in Ægypto dicuntur.

Exposui, quo pacto, qui ex loco Pauli ad Gal. cap. III. colligunt, annis non multò pluribus, quàm ducentis esse habitatum in Ægypto, refelli soleant ab iis, qui quadringentis, vel ultra annis in ea commoratos esse Ægyptios existimant. Nunc ex adverso referam quomodo, qui ducentis, & aliquanto pluribus annis, habitasse in ea putant, diluant eorum argumenta, qui quadringentorum, vel ultra, annorum habitationem eam fuisse arbitrantur. Hi contendunt, verba Exodi XII. 40. 41. ubi dicitur, habitationem Israëliticam in Ægypto fuisse annorum CCCCXXX, non de sola habitatione Israëlitarum in Ægypto capi debere; sed simul comprehendi habitationem Abrahami, Isaaci, Jacobi, in terra Canaan: ac proinde ea verba capi oportere, (ut loquuntur) formaliter de Ægypto, dispositivè de Canaan: sive inchoativè Canaan, completivè de Ægypto. Hoc primùm consequi ajunt ex loco Pauli ad Galat. cap. III. qui annos CCCCXXX orditur à promissione facta Abrahæ. Præterea se defendunt paraphrasi LXX interpretum, qui ubi in Hebræo contextum de solis est Israëlitis, addidere de patribus eorum: atque ubi Hebræa solum habent de Ægypto adjunxere de Canaan. Sic enim Græca sonant a. Ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, ἣν κατῴκησαν αὐτοί, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἐν γῇ Αἰγύπτου, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν αὐτοί, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν τετρακόσια τριάκοντα ἔτη. Nec tamen ea, quæ adluere de suo LXX interpretes, paris esse auctoritatis putant, ac illa, quæ Hebræi habent codices: sed existimant, ubi de mente verborum Hebræorum est sermo, gravis esse auctoritatis debere, quæ illi ad majorem, claritatem paraphrastarum more, adjecerunt. Præsertim cum paraphrasis illa planè consentanea sit verbis Pauli annos illos CCCCXXX, ut dixi, non ab ingressu Jacobi in Ægyptum, sed à promissione Abrahamo facta. Nec leve huic sententiæ pondus addere, quod ea videatur receptissima fuisse opinio apud Hebræos veteres. Similiter enim sensit Flavius Josephus lib. II Antiquitatum Judaicarum cap. V. b. ubi sic scribit: Κατέλιπον δὲ τὴν Αἴγυπτον, μηνὶ Ξανθικῷ, πεμπτῇ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην, μετὰ ἔτη τριάκοντα καὶ τετρακόσια ἢ τὸν πρόγονον ἡμῶν Ἄβραμον εἰς τὴν Χαναναίαν ἐλθεῖν. τῆς δὲ Ἰακώβου μεταναστάσεως εἰς τὴν Αἴγυπτον γενομένης, διακοσίοις πρὸς τοῖς πεντεκαίδεκα ἐνιαυτοῖς ὕστερον. Μωυσῇ δὲ γεγονὼς μὲν ἔτος ὀγδοηκοστὸν ἤδη, ὁ δὲ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἀαρὼν τρισὶ πλεῖον. *Reliquerunt autem Ægyptum mense Xanthico, luna quartadecimâ, anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham pater noster in Chananaam venit: & post Iacobi migrationem in Ægyptum, anno ducentesimo quintodecimo* a. *Moses vero annum tunc agebat octogesimum, & frater ejus Aaron triennio erat major.*

a Initio cap. 5. in Græc.: at in Latina tralatione Rufini, fine cap. 13.

b Græci contextus cap. 5. Rufini vers. cap. 13. in fine.

a Apud Rufinum pro quintodecimo est ἁπλῶς quarto.

Nec solus è Judæis sic sensit Iosephus: sed etiam R. Levi Ben-Gerson, & R. Salomon, agnoscente etiam id Genebrardo: item Rabbini in Seder Olam. Ac similiter legas in Iudaico Hillelis Computo: quippe ubi legas:

יצאו ממצרים בניסן בשנת אלפים ארבע מאות וארבעים ושמנה לבריאת עולם.

Egressi sunt ex Ægypto mense Nisan, anno ab orbe condito, bis millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo. Petitus Eccl p. 90:

Atque hæc dicta sunt de Iudæis. Præterea memorant Christianos, qui eandem sequuntur sententiam. Veteres solum ponam: quales sunt Eusebius in Chronicis, Epiphanius in Ancyrato, Chrysostomus homil. XXXVII. in Genes. ut de Cedreno, Zonara, & Iuniorum aliis taceam. E Latinis verò Hieronymus in Galat. III. Augustinus lib. XVI de Civ. Dei cap. XVI, & idem, sive alius Quæst. XLVII in Exod. Severus Sulpitius lib. I Sacræ Historiæ, Beda lib. de VI ætat. Strabus Fuldensis in Glossa ordinaria ad Gal. III. Rupertus Tuitiensis lib. II Comment. in Exod. cap. XX. Nicolaus Lyranus in Exod cap. XII. Alphonsus Tostatus ibidem quæst. LIV. ut nihil dicam de numerosa eorum copia, qui superiori seculo vixerunt. Horum omnium verba adscribere longum foret. Contentus ero tribus illis, B. Hieronymo, S. Augustino, & tertio incerto. Primi verba sunt in epistol. ad Gal. cap. III. *Computandi isti anni* CCCCXXX *ab eo tempore, quo Deus ad Abraham locutus est dicens. In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sanè si inde initium sumendum, ab annis CCCCXXX demi oportet annos XXV, ante natum Isaac, Isaaci LX antequam nascerentur Iacob, Iacobi CXXX, priusquam iret in Ægyptum: Ut non possint plures esse anni habitationis, quam CCXV: quia ex hoc numero duplicato fiunt anni CCCCXXX. At verba B. Augustini sunt lib. XVI. de Civ. Dei cap. XXIV: *Non quod in servitute adfligentibus* CCCC *annos populus ille esset peracturus: sed quod in illis* CCCC *annis futura esset illa servitus.* Præterea sic sub Augustini nomine Incertus Auctor Quæstionum in Genesin qu. XLVII: *Non itaque quod dicitur de servitute, & afflictione, ad* CCCC *annos referendum est: sed referri debet ad peregrinationem in terra non sua,* id est, *sive in terra Chanaan, sive in Ægypto. Est itaque hyperbaton in his terris, & sic ordinata est ratio: Scito quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua* CCCC *annis, & subjicient eos servituti, & adfligent eos: ut hoc, quod interpositum fuerat de servitute, & adflictione, non pertineat ad illos* CCCC *annos, nisi quatenus id contingit in extrema parte illius temporis.* Sententia igitur est, cum dicitur PER *quadringentos annos* in Scripturis debere exponi, INTRA *quadringentos annos.* De cujusmodi variaprǣpositionum usu agit Driedo lib. III de Dogmat. Ecclesiæ tract. II. cap. I.

Cap. VII.

Ἐπίκρισις prima de gemina sententia tum Mosis in Genesi, & Exod: tum Stephani, & Pauli apud Lucam in Actis: qui annos CCCC, *vel* XXX *amplius, tribuunt habitationi Israelitarum in Ægypto. Item de verbis Achioris in Iudithæ historia, ubi idem numerus adfertur. Et an idem adstrui possit ex Flavio Iosepho, quod putabat Genebrardus.*

Hactenus de utraque parte vidimus tum quibus argumentis opinionem suam adstruat, atque alienam destruat:

struat: tum quo pacto solvi putet argumenta, quæ ab adversa parte adferuntur. Quamquam verò sic existimem, ex iis, quæ de hac eorum pugna retulimus, acutiores potuisse perspicere, ab utra parte fortiùs sit pugnatum: censeo tamen id longè manifestius fore, si de argumentis singulis, vel potissimis saltem, exposuerim judicium nostrum, ejusque judicii caussas.

Ac primùm quidem dicam, quid statuam de argumentis eorum, è quibus prioris opinionis patroni colligunt Israëlitas in Ægypto habitâsse annis cccc, vel ccccxxx. Ea attuli cap. I. Atque omnino ita censeo, testimonia illa apertè adeò loqui de sola habitatione in Ægypto, non item illâ in Cananæa, ut ab aliquo eludi fortasse, at non elidi possint. Ac imprimis hoc dictum velim de verbis Mosis Genes. xv. & Exodi xii, item Lucæ in Actis cap. vii, & xiii. Quorum mentem ita clarè excussi cap. primo, ut non putem ultra aliquid requiri. At non multum adeo præsidii reperio in verbis Achioris, quæ habemus in Historia Judithæ cap. quinto. Variè enim responderi potest. Suffecerint nunc duo ista, verba illa, PER cccc ANNOS, etsi habeantur in editione vulgata, abesse tamen à LXX: nec necesse esse, ut auctor libri ista dixerit ex sententia sua, cùm loquentem inducat Achior alienigenam, qui non satis exactè callebat res & tempora Hebræorum. Errare igitur ille potuerit: quo errante nihilominus debuerit scriptor bonâ fide exprimere Achoris verba, nec meliorem ei adfingere sermonem quam habuisset: aliter agendo non esset functus officio fidelis historici. Interea neque hic deest, quod pro priori opinione dicatur. Nam si Achor erravit, ad fidem historiæ intererat, vel præteriri illa verba, uti revera in LXX omittuntur: vel verbum addi, quo ostenderet scriptor non approbari à se Achoris errorem.

Sunt qui *a* pro annis habitationis quadringentis præsidium etiam petant ab his verbis Flavii Josephi lib. II. Antiquit. Judaic. cap. IX *b*: Ὧν τ' ἦσαν δὲ ἀπὸ Ἰωσήπου ἐπιτετυχηκότες, διὰ χρόνου μῆκος λήθην λαβόντες, καὶ τῆς βασιλείας εἰς ἄλλον οἶκον μετεληλυθυίας, δεινῶς ἐνύβριζον τοὺς Ἰσραηλίτας, καὶ ταλαιπωρίας αὐτοῖς ποικίλας ἐπενόουν. τόν τε γὰρ ποταμὸν εἰς διώρυχας πολλὰς αὐτοῖς προσέταξαν διατεμεῖν, τείχη τε οἰκοδομῆσαι ταῖς πόλεσι, καὶ χώματα, ὅπως ἂν εἴργοι τὸν ποταμὸν μὴ λιμνάζειν ὅτε ἐκεῖσε ἐπεκβαίνοντα· πυραμίδας τε ἀνοικοδομοῦντες ἐξέτρυχον ἡμῶν τὸ γένος, ὡς τέχνας τε παντοίας ἀναδιδάσκεσθαι, καὶ τοῖς πόνοις γενέσθαι συνήθεις. καὶ τετρακοσίων μὲν ἐτῶν χρόνον ἐπ' αὐτοῖς διήνυσαν ταῖς ταλαιπωρίαις. ἀντεφιλονείκουν γὰρ, οἱ μὲν Αἰγύπτιοι τοῖς πόνοις ἐξαπολέσαι τοὺς Ἰσραηλίτας ἐθέλοντες, οἱ δὲ ἀεὶ κρείττους φαίνεσθαι τῶν ἐπιταγμάτων. *Cùm enim Josephi memoriam tempus obliterâsset, regnumque Ægypti in aliam demigrâsset familiam, inhumane tractabant Israelitas, & variis laboribus atterebant. Nam & flumen in multas fossas diducere sunt jussi, & mœnia exædificare, & aggeres exstruere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram, cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis adsuescere. Atque hunc in modum per* cccc *annos fuit laboratum, Ægyptiis id agentibus, ut Israelitas nimio labore perderent, nostris contra omnes difficultates eluctari conantibus.* Sed parùm est verisimile, summum virum, Flavium Josephum, tam madidâ fuisse memoriâ, ut libri II cap. IX scriberet, Israëlitas in Ægypto fuisse vexatos annis cccc: atque idem ejusdem libri cap. XIII. traderet, ab excessu Abrahami ex Haran usque ad excessum Israëlitarum ex Ægypto esse annos ccccxxx. quorum dimidia parte fuerint in Cananæa, reliqua in Ægypto. Nam quo pacto cccc annis vexati sint in Ægypto, qui nonnisi ccxv fuerint in Ægypto? Quamobrem ita censeo numeros in Josepho esse corruptos *a*: ac σ′ pro υ′ (quæ figuræ satis vicinæ) sive διακοσίων, pro τετρακοσίων *b*, legi oportere.

a Genebrardus in Chronolog. an. 2239.

b Græci contextus κεφάλ. ε. At in translat. Rufini cap. 9.

a Ducenti.

b Quadringenti.

Hæc satis ostendunt, eos qui quadringentos vel plures annos tribuunt habitationi Ægyptiacæ, nihil præsidii habere in Josephi ἀπλογίᾳ, quæ est nulla: sed omne, præcipuum saltem sententiæ suæ robur iis collocandum esse in gemino loco Mosis, gemino item B. Lucæ: qui de solis Israëlitis, sive Jacobitis, deque solæ loquuntur habitatione in Ægypto: ut cap. I. vidimus.

Cap. VIII.

Ἐπιμερισμὸς prima pars altera, qua conciliantur verba Scripturæ, quibus habitationem eam quadringentorum, ac quibus quadringentorum, ac præterea XXX *fuisse annorum proditum fuit. Item refelluntur, qui volunt habitasse in Ægypto annis* ID.

Multa hactenus diximus pro ea sententia, qua statuuntur Israëlitæ in Ægypto habitâsse annis vel cccc, vel ccccxxx: quorum utrumque legimus in Scripturis: Quo pacto autem hæc duo conveniant, nondum diximus. Ac facillima quidem conciliandi ratio videtur, si dicamus, illis cccc, quasi pinguiori, ajunt, Minervâ solum exprimi numerum rotundum: sed in majori, hoc est, ccccxxx, præcisè aliquid dici numero justo, & rei numeratæ prorsus, vel prope æquali. Neque hanc sententiam damno.

Sed puto tamen me reperisse, quo pacto facilius ea reconcilientur. Videlicet si statuamus, cum Moses tradit, spatium id annorum esse cccc incipere ab ingressu Jacobi in Ægyptum: cùm autem ait esse annos ccccxxx, ordiri, ab ingressu Josephi in Ægyptum; qui & ipse fuit ex semine Abrahæ, ac propter Israëlitarum alios in Ægyptum præmissus fuit: cujus etiam servitus servitutis Israëliticæ in Ægypto consecutæ; cujus quoque gloria, ac principatus, Israëlitici principatus, ac regni, quod post servitutem obtigit, simulacrum, ac quasi præludium fuit. Hoc verò annorum est ante Jacobi descensum minimùm XXII. Quod ita comprobatur. Josephus cùm divenderetur, annorum erat XVII. ut Genes. XXXVII. est apud interpretem Lat. sive potiùs XVII, ut est in cod. Hebr. & LXX. At XIII annis post somnium Pharaonis enarravit, ac principatum Ægypti est adeptus. Nam XXX annorum tum fuisse dicitur Genes. XLI, & XLVI. Adde nunc septennium fertilitatis, & biennium sterilitatis. Nam dixit Joseph fratribus etiamnum superesse annos famis V: ut non venerit Jacob cum x liberis in Ægyptum, nisi anno famis tertio. Hoc novennio addito ad XIII priores, consiunt anni XXII. Quos si annis quadringentis addamus, resultant anni CCCCXXII.

Dixeris, non sic confieri annos XXX: sed solùm XXII, & aliquot menses; quia anno XXIII, ex quo Joseph in Ægyptum venerat, eodem profectus fuit Jacob cum reliquis liberis. Non diffiteor. Sed facile hi anni septem, & menses cæteri, supplentur, si dicamus, non præcise ab Jacobi adventu usque ad exitum Israëlitarum ex Ægypto annos esse cccc, sed aliquanto amplius: de exacto numero postea loquar: nunc suffecerit dicere, minimùm id intervallum fuisse septennii, & aliquot mensium: ut, spatio utroque juncto, anni sint ccccxxx. Nec sanè dicit hoc Moses, à Josephi ingressu ad Jacobi adventum esse annos XXX: sed dicit, habitationem Israëlitarum in Ægypto esse annorum ccccxxx: nempe ab ingressu Josephi usque ad accessum Jacobi, annos XXII, & paullo ampliùs: exinde autem, paucos si menses adimas, minimùm annos ccccVIII. Facillima hæc mihi videtur conciliandi ratio. Cui quodammodo similis fuerit, siquis rotundi numeri amore diceret, Romulum regnâsse annis XL, ac totidem Numam Pompilium: licet Romulus solum imperarit annis XXXVII. Numa autem sexennio amplius: puta annis XLIII. De summa sanè annorum sic quoque conveniat: quia seu

rotundus placet numerus, sive justus, atque integer, non plures resultant anni quàm LXXX, sive annumerato interregno, quod inter eos annum duravit, anni LXXXI. Nec Scripturam abhorrere ab istiusmodi ratione numerandi, planius fiet, siquis de Judicum annis cogitet: quorum primus Othoniel dicitur rexisse annis XL, successor ejus Ehud bis XL, proxime Debora, & Barac XL, quique successit Gedeon itidem XL. Item intervenientibus quibusdam, Jephthe XL, ac post aliquos Samson XL, & proximè ab eo Eli XL. Imò & in regibus David regnasse annis XL, item filius Salomon XL. In cujusmodi nihil puto derogari Scripturæ veritati, si dicamus, Prophetas rotundo usos numero, & siquid illi desiat, vel supersit, abunde tamen cautum esse, ut in summa sit consensus. Quomodo & rotundo numero imbecillitati memoriæ humanæ fuerit consultum, & quia justus alibi numerus indicatur, sua constiterit Chronologiæ ratio.

Exposui, quæ mihi optima conciliandi ratio visa sit. Apponam tamen, quantillum à nobis abeat doctissimus Italus, & sedulus temporum in Mosaicis libris scrutator Thaddæus Dunus. Is putabat, annos illos quadringentos non deficere ab justo numero: sed reapse nec plures, nec pauciores ab ingressu Jacobi in Ægyptum, usque ad liberationem Israëlitarum à servitute Ægyptiaca statui opus esse: nempe quia censeat revera inter egressum Josephi, & illum Iacobi XXX esse annorum intervallum. Non autem solùm annis XXII, & aliquot mensibus. Ut reliquum septennium cum aliquot mensibus expiscaretur, quo ita XXX anni exsurgant. Ac primùm, inquiebat, quid si Deus per Iosephum anno uno altero ante fertilitatem edocuerit Pharaonem de secuturis fertilitatis & sterilitatis annis? Ut medio tempore uxorem duxerit, Ægyptum lustrârit, illi ab horreis prospexerit, & alia id genus procurârit. Fatendum tamen id spatium non posse protrahi in annos multos, cum Genes. XLI. 32. dicatur, Deum festinare ad implendum hæc, citóque ea fore, quæ prædixerat: ut omnino si non continuo, saltem non ulterius quam anno uno post hæc evenerint. Addebat igitur, videri aliquid spatii intercessisse inter septem fertilitatis, ac totidem Ægypriacæ famis annos. Hæc eo probabiliora esse, quia non tam citò fames in Ægypto, quam aliis in terris, cœperit. Nam apertè dicere, Mosen Genes. XLI. 54, 55. in Ægypto panem fuisse, cum terris aliis foret fames: tandem verò etiam esuriisse Ægyptum. Tum demum igitur Iosephum vendidisse Ægyptiis frumentum: eóque cognito, Iacob misisse filios in Ægyptum ad emendum; ut est Genes. XLII. 2. Verùm non video, quomodo sic quoque septennium expleatur. Quare si hæc opinio arrideat, dicere conveniat, sic quoque non dico totum septennium, sed pauxillos tamen annos deesse; ac rotundo numero usum Mosen cùm annos dicit CCCCXXX, quia plus minus quadriennio desiat: nisi ab ingressu Iacobi usque ad exitum Israëlitarum ad annos illos CCCC præterea quatuor circiter superaddas. Quare istis ambagibus nihil opus, cùm tam leve discrimen sit inter annos CCCCIV, & CCCCVII cum paucis mensibus, ut cui probabile videatur pro annis CCCCIV poni rotundo numero CCCC: negare non possit, pro CCCCVII eumpse numerum poni potuisse. Addit & alia Dunus de annis Benjaminis. Sed ea postea meliùs excutiam. Nec interea multum adverset Duno: quia leve omnino est discrimen, utrum septennium addas annis XXII: an addas quadringentis. Utroque enim modo resultant anni CCCCXXX.

At audiendi non sunt, qui dicunt, habitationem Israëlitarum in Ægypto fuisse annorum IↃ, sive IↃI. Hoc sic colligunt. Servitus atque afflictio Ægyptiaca duravit annis CCCCXXX. At afflictio ea non fuit, nisi à morte Iosephi, qui post ingressum Iacobi, & fratrum suorum, annis vixit LXX, vel LXXI. Annis his junctis, resultant anni IↃ, sive IↃI. Qui sic ratiocinantur, non satis attendunt, Mosen solùm dicere omnem habitationem fuisse annorum CCCCXXX. Obtendunt locum Act. VII. 6. ubi legi ajunt: *Locutus est autem ei Deus, quia erit semen ejus accola in terra aliena, & servituti eos subjicient, & male tractabunt eos* CCCCXXX *annis*. Et quidem hoc pacto fuit in aliquot codd. editionis vulgatæ: cùm eam lectionem sequantur Rabanus, & Thomas Aquinas; uti hos ipsos Cajetanus. Sed aliter alii codices Latini, qui tantum habent annos CCCC: & ita legerunt Beda, Lyranus, alii. Et quod majus, omnes Græci codices in eo Actorum loco conspirant. Denique apud Mosen anni illi XXX absunt à codicibus Hebræis, Chaldæis, Græcis & Latinis. Ac magis etiam in eo fallunt, & falluntur, quòd putant, mox ab excessu Josephi cœpisse afflictionem Ægyptiacam. Nam Moses Exodi I. 6. ait, demum cœpisse cum & fratres ejus obiissent. At Levi post Josephum vixit annis XXII. Ut qui anno ætatis XLIV venerit in Ægyptum; ut Hebræi tradunt in Chronologia: & satis convenit cum Genes. XXX. At idem vixit annis CXXXVII, ut legitur Exodi VI. 16. Ut in Ægypto fuerit annis XCIII. Eoque, si habitationi Ægyptiacæ tribuamus annos CCCC, non possit ea durasse multum ultra annos CCC. Quare si ad annos CCCCXXX omne illud tempus addendum putatunt, quo necdum affligebantur, non solum LXX, sed minimùm XCIII annos adjungere oportuerat. Plures etiam fuerint anni, siquis fratrum post eum supervixerit: de quo, quia tacet Scriptura, & nos illud in medio relinquimus.

Cap. IX.

Ἐπικρίσεως prima pars tertia; qua expenduntur argumenta primæ sententiæ ἀνασκευαστικά; uti illud, an intra annos CCXX *populus Israeliticus excrescere potuerit usque ad sexcenta armatorum millia.*

Exposui, quid mihi videatur, de argumentis κατασκευαστικοῖς prioris sententiæ. Nunc ejusdem argumenta expendam ἀνασκευαστικά. Ubi illud parùm mihi firmum videtur, quod destruere laborant posteriorem opinionem ex multiplicatione Israelitarum intra annos CCXX. Nec enim negare possunt, dicere Scripturam, post excessum Josephi & eorum, qui non multò minoris ætatis cum eo vixissent, Israëlitas propterea fuisse exosos, quòd ii tantopere essent adaucti, ut Rex Ægyptius ab iis formidaret genti suæ, quià jam tum fortiores viderentur. Hac de re sic scribit Moses Exodi cap. I. 6. 7. 8, 9. 10: *Quo* (Josepho) *mortuo, & universis fratribus ejus, omnique cognatione suâ*: (sive potiùs, *atque universâ generatione illâ*) *Filii Israël creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram. Surrexit interim Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Et ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israël multus & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum; ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, egrediatur de terra.* Postea vers. 16. additur, quomodo ob hunc metum Rex obstetricibus mandârit, ut quoties masculi nascerentur, eos interficerent. Omnino igitur jam tum stupenda fuerit Israëlitarum multitudo, quæ prævaleret Ægyptiis, ac tantum conciret metum in rege Ægyptio. Nec video aliud, quod opponi possit, quàm (quod mihi in mentem venit, aliis fortasse in hoc negotio indictum) non fuisse eum totius Ægypti Regem, sed unum è regibus vel regulis; qui tum complures erant: ut me planum satis fecisse puto lib. I. de Theologia Gentili, & Physiologia Christiana cap. XXVIII. Sed, ut postea, demum varia Ægypti regna in unum coaluerint; tamen sic quoque plane stupenda fuerit propagatio, quâ ab animis quasi LXX tantopere excrevissent Israëlitæ, ut hi jam formidini Regi Ægyptio forent; ut quos regno suo potentiores censeret. At si tantopere erant multiplicati non adeò multum post mortem Josephi, & Levi: quid mirum, si

infi-

infinitis prope partibus major fuerit numerus, ac penè incredibilis, cum excederent ex Ægypto? Nam ex ducentis & viginti annis paullo minùs est spatium ab ingressu Jacobi in Ægyptum usque ad mortem Levi; majus illud ab ejus morte usque ad egressum ex Ægypto. Ab adventu enim Jacobi, & x filiorum, in Ægyptum, usque ad mortem Jacobi, solùm sunt anni — — — 17

ut liquet ex Genes. XLVII. 27: ubi mortuus dicitur anno ætatis CXLVII. At in Ægyptum venerat annos natus CXXX; ut antea vidimus ex Genes. XLVII. 9. Quo tempore Josephus annum agebat XL, ut moriente patre annum egerit LVII. A morte autem Iacobi usque ad mortem Iosephi sunt anni — — — 54

Nam Iosephus annos natus erat CX, cum obiret; ut est Genes. L. 22. & 25. A morte verò Iosephi, usque ad mortem Levi, sunt anni — — 23

Mortuus enim est anno ætatis CXXXVII; ut est Exodi VI. 16. Natus verò erat ante Iosephum quadriennio: ut colligere est ex Genes. XXIX. 34. & cap. seq. vers. 24. Consiunt igitur hinc anni — — — — — — 94

Hosce annos XCIV si auferamus ab CCXX supersunt anni CXXVI.

Quod si tantopere à paucis in spatio minori fuere adaucti Israëlitæ; quid non de multis putandum in spatio majori? Quare non malè Augustino attributus liber Quæstionum in Genesin, Quæst. XLVII: *His* (CCXV annis) *quantum multiplicari potuerint Hebræi, si fœcunditas hominis consideretur, adjuvante illo, qui eos voluit valde multiplicari, reperietur, non esse mirum, quod in sexcentis millibus peditum egressus est populus.* Clarissimè verò Temporario, & Calvisio, demonstratum, nihil absurdi habere, si intra annos solùm CCXX, vel paullo pauciores, excreverint Israelitæ usque ad sexcenta millia. Nec tamen, cum agnoscimus, parum validum esse hoc argumentum, quo prioris sententiæ defensores uti solent, eo prævaricamur, quia & ipsi priorem in sententiam magis inclinamus. Nec enim si quædam fateamur parum valida afferri, eo in re ipsa refragamur. Satis est, quod alia quædam ab iis valida, utcumque in aliis locum habeat illud pervulgatum, bene quidem dicunt, sed male probant.

Cap. X.

Ἐπικρίσεως secunda pars prior, quæ est de verbis Pauli in epist. ad Galatas quadringentos & triginta annos numerantis à promissione facta Abrahæ, usque ad legem a Mose latam.

HActenus fuit ἐπίκρισις prima; qua expendimus argumenta prioris sententiæ, tribuentis habitationi Ægyptiacæ nunc annos quadringentos, nunc CCCCXXX: quas opiniones inter se conciliavimus. Nec solùm egimus de argumentis, quibus hæc opinio adstruitur, sed etiam quis destruitur altera; ac præterea expendimus, quæ ad hujus sententiæ argumenta dissolvenda adferuntur. Nunc venio ad ἐπίκρισιν secundam; quæ de posteriori erit sententia assignante habitationi Ægyptiacæ annos CCXV, vel plus minus. Ubi similiter dicam, quid nobis videatur partim de argumentis, quæ adferuntur ad eam tum adstruendam, tum ad eam destruendam, partim quibus ea solvere alii adlaborant. In his primo judicium promam de loco Stephani in Actis, quo præcipuum ponitur caussæ firmamentum. Deinde de LXX interpretibus, qui hanc ad sententiam præiverunt. Exinde de Flavio Josepho, qui eandem secutus. Denique de Sanctis Patribus, qui & ipsi eam amplexi fuere.

Quod ad Stephani verba attinet, ut gerit illi unum hunc Apostoli locum, adversus tot alios utriusque fœderis: etiam ejusdem Apostoli. Sed cur non potiùs unum locum obscuriorem exponamus ex multis apertis, quàm tot apertis vim faciamus propter unum difficiliorem? Scio, ubi de negotio fidei agitur potiùs vetus instrumentum ex Novo explicare oportere: quia hoc se habet instar Solis; illud, sicut Lunam, quæ lumen accipit à Sole. Verum hìc non est controversia de Fide, sed re historica antiquiorum temporum: quorum notitia à veteris instrumenti libris petenda: præsertim iis ex locis, ubi non obiter historia, attingitur, sed ex professo, ac fusè tractatur: unde etiam, quæ referunt, hausere sacri Novi fœderis scriptores. Adde quòd non solùm ex Veteris instrumenti libris, habemus illud de Ægyptiacæ habitationis annis CCCC, vel CCCCXXX: sed Novi etiam fœderis; ut antea vidimus. Denique multis est partibus facilius conciliare illa Apostoli verba ad Galatas de annis CCCCXXX promissionis, ac fœderis, usque ad legem latam, cum Mose, & aliis, qui totidem annos ponunt habitationis in Ægypto; quàm conciliaveris illa de totidem annis à fœdere cum Abraha sancito, usque ad exitum ex Ægypto. Hæc igitur sententia est nostra, Apostolum ad Galatas, non restringere promissionem ad diem unum, sed longum tempus signare. Promisit Deus Abrahamo in Ur Chaldæorum, amplam posteritatem, opum affluentiam, illustre nomen, amorem eorum, qui illum amarent, odium, qui odissent, &, quod caput est, omnium gentium benedictionem in semine ex eo nascituro. Nec Deus semel contentus fuit hæc dixisse. In Cananæa enim postea quater eidem inculcavit. Repetita quoque est promissio Isaaco. Ac denique etiam Jacobo. Quæ omnia clarè nobis in Genesi memorantur. Ut nihil caussæ urgeat, cur cùm Paulus dicit, promissionem Abrahæ factam, & semini ejus: atque addit, ex quo Deus promisit ista Patriarchis, usque ad legem latam, esse annos CCCCXXX; initium ejus intervalli ducamus ab eo tempore, quo Abraham decessit ex Ur Chaldæorum, vel quo Haran Mesopotamiæ reliquit, vel quo decennium in Cananæa fœdus à Deo cum Abraha sancitum fuit: sed contrà tot aperta Scripturæ loca compellunt, ut spatium illud incipiamus ab eo tempore, quo Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, postremo iis promisit. Sunt autem promissiones postremæ quodammodo duæ: una in Bethel, quæ ἁπλῶς ultima dici nequit: attamen postrema potest vocari ex iis, quæ Iacobo in Cananæa habitanti factæ sunt. De hac legere est Genes. XXXV. 11. 12. Altera vero est ἁπλῶς postrema, quæ facta illi est in Beerseba, cum animo jam deseruisset Cananæam, atque iter faceret in Ægyptum, nihil aliud æquè sperans, & spirans, quam, ut ante obitum suum conspicere liceret dilectum caput, filium Iosephum, non superstitem modò, sed etiam principem Ægypti. De hac promissione legas Genes. XLVI. 3. 4. Promissio illa, de qua priùs dictum, facta est non multo ante venditionem Iosephi: imò fortasse & eopse anno, quo venditio, contigit. Quod si est, ut à venditione, sic ab illa apparitione Dei, usque ad Iacobi profectionem in Ægyptum, anni fuerint XXII, cum aliquot mensibus. Id spatium si addamus ad annos CCCCVII cum mensibus paucis, quibus post Iacobi adventum Israëlitæ fuerunt in Ægypto, habemus illos CCCCXXX annos, quos Apostolus statuit inter promissionem, & Legem. Nam exitum ex Ægypto, & latæ legis tempus, in eundem incidere annum, satis apertè Moses tradit: ut qui legem dicat in monte Sinai esse promulgatam tertio mense, ex quo Israëlitæ exierant ex Ægypto. Quod verò ad alteram promissionem, quam ἁπλῶς ultimam vocabamus cum ea facta sit, Iacobo jam iter in Ægyptum ingresso, necesse est eodem ut anno contigerit, quo Iacob in Ægyptum venit: ut sive dicas, à promissione usque ad legem latam, sive ab adventu Iacobi in Ægyptum, usque ad exitum Israëlitarum, idem annorum spatium designetur.

Cap.

Cap. XI.

Ἐπιχείρημα secunda pars posterior, qua occurritur tum LXX *interpretibus, tum Flavio Josepho, ac Rabbinis, tum veteris Ecclesiæ Doctoribus, qui omnes conspiraſſe videntur in* CCX, *vel* CCXV *annis Iſraelitica habitationis in Ægypto.*

ABunde mihi videor comprobâſſe, verba illa Stephani in Actis, quibus CCCCXXX annos oumerat à promiſſione facta Abrahæ ad legem latam, ſic exponi poſſe, imò debere, ut non pugnet, cum variis apertiſque Moſis, cæteræque Scripturæ teſtimoniis; quibus videmus habitationi Iſraeliticæ in Ægypto tribui annos CCCCXXX. Deinceps oſtendam, nec interpretum LXX auctoritatem, nec Flavii Joſephi, & Rabbinorum judicium nec plurimorum veterum vel etiam recentium Eccleſiæ Doctorum conſenſu, præjudicate eorum opinioni, qui negant à claris verbis Moſaicis debere recedi, ac Stephano potios è Moſe, quam Moſi è Stephano lucem jubent fœnerare.

In hanc me ſententiam compellit, quod Moſis verba de annis illis ſint planiſſima; contra paraphraſis LXX interpretum manifeſtè vim faciat verbis Moſaicis. Nam quid liquidius hiſce verbis Moſis Exodi XII. 40. *Habitatio filiorum Iſrael.* Non igitur illic ſermo eſt de Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo: utcumque hic in Ægypto etiam fuerit. At LXX, ut vidimus liberaliter ſatis de parentibus etiam Iſraelitarum addiderunt. Solùm quoque hìc dicitur de tempore, quo Iſraelitæ *manſerunt in Ægypto.* Ut clarè excludatur tempus, quo habitarunt in Cananæa. At hoc quoque adjecerunt LXX. Niſi fortaſſe non tam eorum hæc culpa eſt, quàm aliorum, qui ſic interpolarint. Sed ſive ſic LXX. ſive poſtea alii, ſic voluerunt eum locum παραφράζειν, nihil æquè eos commoviſſe videtur, quam quod duæ ſolùm generationes memorentur inter Levi & Moſen: qui numerus exiguus non videtur poſſe explere ſpatium annorum quadringentorum & triginta. Hanc quidem rationem adfert R. Salomon Iarchi in Exodi VI. Sed quo pacto huic argumento occurri poſſit, ſuperiùs vidimus. Quare cum Iudæi infirmo admodum argumento moti ſint ad ita ſentiendum: nihil eſt, quod Ioſephi, vel Rabbinorum nos moveat autoritas ad abeundum à verbis Moſis clariſſimis. Vulgarem autem LXX codicum auctoritatem ingenti agmine ſecuti ſunt Græci Latinique Patres. Sed enim hoc non præjudicat Hebræis codd. vel temporibus noſtris. Sanè vetus Eccleſia ſecundom LXX annos mundi, etiam in Conciliis Oecumenicis, computabat. Qua de re aliquid etiam diximus in Diſſertatione de natali anno Chriſti theſi XLV, & XLVI. Nunc tamen tum Theologi, tum Chronologi, Hebræos potiùs codd. ſequuntur: ac Chriſtum, non poſt annum mundi quinquies milleſimum & centeſimum, ſed aliquanto ante quater milleſimum, eſſe natum arbitrantur. Quod ſi in diſcrimine annorum ↄIↄCC diſcedere licuit à LXX interpretibus, quos Græci Latinique Patres, atque adeo Generalia Concilia, ſequi ſolereot: cur non idem liceat in diſcrimine, quod tantummodo ſit annorum circiter ducentorum? Sanè gravis apud me ſemper erit auctoritas LXX interpretum; ſed tanquam interpretum: non autem quaſi præferri mereantur conſenſui codicum Hebræorum, qui ſcripti ſunt ab hominibus extra dubium θεοπνεύστοις.

Cap. XII.

Ἐπιχείρημα tertia, qua, ad defenſionem prioris ſententiæ, occurritur ſecundæ opinionis patronis, quando ex eo, quod ſolùm duæ generationes ſint intermediæ inter Levi, qui in Ægyptum deſcendit, & Moſen, qui ex eo exſcendit, colligunt habitationem Iſraelitarum in Ægypto non fuiſſe annorum CCCC. *Oſtenſum labaſcere hoc argumentum, ſi ſtatuamus Caath natum eſſe in Ægypto e Levi jam grandævo admodum: ac ſimiliter Caath cum Amram, & Amram cum Aaronem gigneret: admodum ſenes fuiſſe.*

EXcuſſimus, quæ pro ſententia priori adferri ſolent, tum κατασκευαστικῶς, quod Confirmationem vocant; tum ἀνασκευαστικῶς, quod eſt Confutationis: non ſic tamen, ut ſola ἀνασκευὴ Confutationem conſtituat: præterea enim ad eam pertinet ἔνστασις ſive λύσις, qua adverſæ ſententiæ argumentis occurritur, eaque ſolvuntur. Sequitur igitur, ut oſtendam, invalida eſſe, quæ contra eam ſententiam adduci ſolent.

Primò hæc objectant quòd quatuor illi Levi, Cahad, Amram, & Moſes, omnium annis in unum collectis, non diutius vixerint quam annis ↃXXIX: ab his verò demi oporteat tum annos XLVII, quot habuit Levi, priuſquam in Ægyptum abiret; tum XXXIX, quibus Aaron fuit in deſerto: quomodo reſidui ſolum anni erunt CCCCXLII. Hoc totum lubentes recipimus. Progrediuntur deinde hunc in modum. Ne iidem anni bis numerentur; præterea neceſſe eſt, ut eos annos adimamus, quibus & Levi in Ægypto cum Cahad, & Cahad cum Amram, Amram cum Moſe vixit. Et hic æquum mihi poſcere videntur. Denique petunt illud ſibi dari, parentes iſtos Levi, Cahad, Amram, ſaltem annos XXX cum liberis vixiſſe: ac proinde XC præterea de illis CCCCXLII annis auferri oportere: quomodo ſolùm ſuperſint CCCL. Unde colligunt, fieri non poſſe, ut annis in Ægypto vixerint CCCC, nedum pluribus. Sed nimium poſtulant, cum illud dari ſibi volunt, ſingulos trium illorum cum libeos ſuis annis vixiſſe XXX. Non quaſi per ſe abſurdum ſit poſtulatum; ſed quia nihil ſit opus hoc largiri, quod è Scripturis evincere non poſſunt, præſertim cum adverſetur ei, quod de habitatione Iſraëlitica CCCC annorum in Ægypto clarè ait Scriptura. Nam abſque eo eſſet, nollem de iſto ſerram cum iis reciprocare. Nunc cur tam ſiniſtra ſit noſtra liberalitas? Nec enim perpetuum eſſe deceat, proavus, avus, pater, XXX annis vivant, cum ex ſe natis. Siquidem poſtumi, qui ne unum quidem annum, vel etiam diem, vixiſſe cum patre poſſunt, æquè ac alii, ubi ætas maturuit, uxores ducunt, ac prolem procreant. Sed nullus ex tribus illis, Cahad, dico, Amram, & Moſe, poſtumus fuerit. Nonne multi naſcuntur haut multò ante patris exceſſum, alius anno patris ultimo, alii ante mortem ejus anno quinto vel decimo, alius vigeſimo, vel præterpropter? Nec diffitebor, debere etiam in conſiderationem venire, quòd Levi poſt Cahad genuerit Merari: Cahad poſt Amram procreârit Iſaar, Hebron, & Oziel: Amram quadriennio poſt Aaron generârit Moſem. Sed omnes hæ generationes non ſibi neceſſario majus ſpatium requirunt, quàm octennium. Quibus detractis de annis XLIII (tot enim ſupra CCCC reſidui erant) relinquuntur anni XXXV. Hoc ſpatium ſic dividamus, ſi lubet, ut poſt generationem ultimam ſingulis demus annos undecim menſes octonos, quibus cum liberis vixerint. Sive ſic malis, uni demus ternos annos, alteri denos, tertio vicenos. Imò ſi tertio ſolùm dentur anni ante mortem XII, ſic quoque ſuus calculus conſtabit ſententiæ, qua dicebamus, Iſraëlitas in Ægypto fuiſſe annis CCCCVIII: atque hos annos junctis illis XXII, quibus Joſephus ante fratres in Ægypto habitavit, conficere annos CCCCXXX: quot annis Iſraëlitæ habitâſſe dicuntur in Ægypto.

Verùm inquient nos ſimiles eſſe oratorum quorundam, quibus luxuriat oratio in diluendis levioribus adverſarii argumentis: cùm graviora ſæpius prætercam. Nam eos, qui hanc ſententiam oppugnant, non tantum in iis, quæ retuli, fiduciæ ponere, quam duobus aliis, quæ hactenus præterii. Eorum prius eſt, quod conſtituimus Cahad eſſe genitum in Ægypto. Alterum quod genitum putamus extremâ ſenectute: nec eum modo, ſed & Amram,

&

& Aaronem cum Mose. At prius horum manifestè refelli à Mose Genes. XLVI. 8: *Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum.* Ac vers. 11: *Porro filii Levi, Gerson, Cahad, & Merari.* Propterea ajunt, si nos putemus ab iis clara Scripturæ verba perverti, quibus agitur de CCCC, vel CCCCXXX annis habitationis in Ægypto; se vicissim putare, à nobis perverti clara Mosis verba de Caatho in Ægyptum descendente cum avo Jacobo. Nam apertè ait, Cahad esse genitum in Cananæa, inque Ægyptum esse profectum cum parte suo Levi: qui in eam venit annos natus XLIII; inque ea habitavit annis XCIV: in universum autem vixit annos CXXXVII: ut est Exodi VI. 16.

Magni ponderis hoc argumentum foret, nisi manifeste liqueret, non id studio fuisse Mosi, ut solos memoraret, qui nati fuissent in Cananæa, eumque parente vel avo profecti essent in Ægyptum: sed admiscuisse etiam etiam, qui vel ante obiissent, quàm in Ægyptum iretur, vel postea essent nati, quàm eò esset itum. Ac de priori manifestè colligitur ex his verbis vers. 12: *Filii autem Juda, Er, & Onan, & Selah, & Peres, & Serah. Sed mortuus erat Er, & Onan in terra Canaan.* De altero liquet ex vers. XX; ubi addit, Josepho in Misraim natos, Manasse, & Ephraim. Sed enim, inquiunt, de his ipsa indicat Scriptura: ad de Cahad, & Merari, id non dicit: eoque neque id nobis statuendum. Sanè non dicendum, nisi ex aliis Scripturæ locis id consequatur. At hic suadent eam sententiam, quæ de CCCC habitationis annis prodit Scriptura. Ac ne in aliis quidem Jacobi nepotibus id perpetuum puto, quod procerissimo adsumunt. Prorsus enim censeo, secus esse in liberis Phares, Hesron, & Hamul: qui itidem Genes. XLVI. 12. referuntur, cum tamen geniti sint, multo post descensum in Ægyptum. Ac de Hesron, idem quoque agnoscit Pererius ad Genes. c. XLVI. licet non multo ultra ducentos annos, fuisse Israëlitas in Ægypto arbitretur. Atque idem, etsi aliter aliis videatur, statuere non dubito de liberis Benjamini. Nam similiter

a Vers. 8. Genes. XLVI, postquam *a* promissus esset catalogus eorum qui cum Jacob ingressi Ægyptum essent, ut in his re-

b Vers. 11. ponuntur *b* tres filii Levi: ita in iis postea memorantur filii decem Benjamini. At filiorum alii, qui omnes majores natu Benjamino, summum referuntur liberi quini, aut seni; ut quod de denis Benjamini liberis dicitur, capiendum videatur non de iis solum, quos in Cananæa genuit; sed etiam illis, quos genuit in Ægypto. Hoc magis liquebit, si ætatem cogitemus Benjamini in Ægyptum proficiscentis, & tempus quo illis seculis solent matrimonio jungi. Uxorem quando duxerit Scriptura non dicit: sed si majorum institerit vestigiis, vix id factum sit ante annum ætatis XL: quo cum Rebecca nuptias facit avus Isaac: ut est Genes. XXV: atque item patruus Esavus uxorem domum duxit: de quo est Genes. XXVI. Ac Jacobus jam septuagenarius erat, cùm nuptum illi datæ Lia, & Rachel. Josephus tamen XXX solum annorum fuit, si simulatque principatum apisceretur, domum duxerit Potipharis filiam, principis in On. Verùm hic non tam sponte uxorem adscivit, quàm Pharaonis arbitrio accepit. Interim est, ut & Benjamin tam cito matrimonium inierit. At idem in Ægyptum venit cum X liberis: quorum nomina habemus Genes. XLVI. Præter tot filios etiam filias habuisse verisimile est: utcumque sequioris sexus raro soleat meminisse Scriptura. Gemellos in liberis illis fuisse, nusquam dicit Scriptura. Atque ut fuissent deni sic quoque, nisi semper gemelli fuerint, nullæque filiæ, decennium requirant, ut lactationi etiam tempus detur. Hæcne, iis temporibus convenerint annos solùm habenti XXX. At quanto id absurdius fuerit, si mater Benjamini Rachel, cùm Jacobo solum annis vixerit XXIII; quod à Demetrio proditum, & ex eo ab Alexandro Polyhistore, & ex illis ab Eusebio relatum. Sic enim nec ipse, cùm in Ægyptum proficisceretur, plurium fuerit annorum, quàm viginti trium. Nam Iacob uxores suas duxit anno ætatis LXXXV, sive incunte servitutis apud Labanum octavo. At anno ætatis CXXXI in Ægyptum venit. Discrimen est annorum XLV: quorum XXIII cum Rachel vixit; ut à morte Rachelis non plures supersint quàm XXII, & aliquot fortassè menses. At cui verisimile sit, Benjaminum ut vel daremus eum quotannis genuisse prolem, eamque vitalem semper, & nullas in ea filias fuisse, nihilominus habuisse filios decem ante annum ætatis quartum & vigesimum. Nec enim arbitror quemquam stultè adeò sapere, ut mihi objiciat, quod legere est tractatu סנהדרין *a*, homines quosdam anno ætatis octavo genuisse li- a In Synedrio cap. 8.
beros: Illud paullo minus ridiculum, à prima pubertate cœpisse gignere liberos: quomodo decennium exegerit, priusquam exiret in Ægyptum. Addunt non esse mirandum si decennio denos genuerit, cum Jacobum constet intra septennium procreare novenos: nempe Ruben, & Dinam, atque interjectos: imò denos, si Josephum quoque in secundi septennii sive potius natum malimus, quàm initio anni sequentis. Sed enim quàm malè convenit temporum illorum moribus, ut initio pubertatis matrimonium ineant? Quodque ad Jacobum, genuit ille septennio novenos, aut denos liberos; sed è duabus uxoribus, ac totidem ancillis. At nunc sermo nobis de liberis ex una uxore, & quam gemmos aliquando edidisse nuspiam dicat Scriptura.

Alterum, quod intorquent, argumentum, hujusmodi erat, nuspiam id dicere Scripturam, & Levi, & Cahad, & Amram, genuisse liberos in summa senectute: eoque, quæ de hoc protulimus, habenda esse pro inanibus conjecturis, ac temere confictis. Iis qui sic ratiocinantur, illud responsum velim, non esse pro mens divinationibus, ac variis habenda commentis, quæ in apertis Scripturæ verbis suum habent fundamentum. At quoties & quam clarè Scriptura dicit, Israelitas in Ægypto habitasse annis CCCC, vel etiam pluribus? Atqui eadem Scriptura inter Levi, & Mosen non ponit plures generationes, quàm Cahadi, & Amrami. Unde ex ea hypothesi, quod ut ipsi concedunt, nullæ generationes à Mose sint præteritæ, clarè consequitur, Levi, Cahad, Amram, genuisse filios, suos jam centenarios, & quod excurrebat. Qui hoc non possunt in animum inducere, ecquid pro se adferre possunt, nisi negando illud de annis CCCC, quod subnixum est verbis Scripturæ clarissimis? quæ, ut susceptam hypothesin tueantur, meo quidem judicio, mirè & miserè torquere, ac pervertere coguntur. Quod factum nolim.

Sed enim dixeris, non tam illud esse mirandum, quod in senectute genuerint liberos, quàm quod antea nullos. Nec credibile esse, eos in ætate vegeta viduas semper noctes jacuisse: inque admodum provecta demùm operam dare cœpisse liberis gignundis. At hoc neque nos dicimus. Nec enim si in senectute demum liberos genuerint: eo antea non curarint τῆς παιδοποιΐας. Contrarium ex Abrahamo liquet. Quam enim prolem habuit, priusquam centenarius foret. At postea, quam multorum est factus parens? Præterea non si Scriptura paucos solum liberos memoret, eo non plures fuisse existimandum. Nam & Moses sæpe de compluribus liberis silet: sive quia non forent capita familiarum: sive quia non videretur operæ in tam nobili historia obscuriorum meminisse; præsertim cùm ex privatorum genealogiis peti possent. Exemplo fuerit, quod Genes. X. legimus, *Filii Sem, Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.* At 1 Paralipom. I, quatuor additis habemus, *Filii Sem, Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & & Hus, & Hul, & Gether, & Mosach.* Videmus, ut quatuor illos, qui hic postremo memorantur loco, præterierit Moses. Nec caussam, quare id factum sit, scire possumus. Ac possim plura id genus referre. Cur verò Moses non præterierit similiter Cahad, vel Amram, manifesta est ratio. Nam Amram parens, Cahad avus erat Aarunis, & Mosis: de quibus, primum si librum exceperis, tota agit Pentateuchus: quippe præcipuis Dei instrumentis in educendo populum ex Ægypto, ei legibus ferun-

ferendis, & XL annis populum gubernando. Quid simile in aliis multis? quorum plurimos fortasse liceret vocare *proletarios*, quia sola prole sufficiendu invaderent Remp. Israeliticam.

Illud verò vix refelli meretur, quòd negant, credibile esse, hos, post annum centesimum, genuisse liberos, quia jam Abraham ætate admirationi erat, si gigneret centenarius. Nam quisquis paullo penitiùs verba Scripturæ attenderit, facile videbit, non mirandum esse visum ratione Abrahami, sed ratione uxoris; non quòd ipse centenarius generaret, sed quòd ex uxore gigneret nonagenaria. Nec enim ignotum, vel Abrahamo, vel Saræ erat, Therachum, cùm Abrahamus ei nasceretur, fuisse, non dico septuagenarium, ut multi tempora computant; sed CXXX annorum; quemadmodum ex Mose ipso antea ostendimus. Et si effætum seputâsset, non post annos XXXVII, uxorem Ceturam duxisset. A qua ducta, saltem à Saræ obitu, annos vixit XXXVIII. Obiit enim annos natus CLXXV. Sex interim filios genuit: ut est Gen. XXV. 1. 2. Quæ sententiam nostram de Levi, Cahad, & Amram non parum firmat.

Levi autem in serâ ætate idoneum fuisse procreandæ soboli, inde etiam verisimile fit, quòd licet quadriennio esset natus ante Josephum; annis tamen XXVII vixerit post Josephum. Josephus enim (fortasse vita aulica aliquantum fregerit ejus vires) solum annos vixit CX; Levi autem CXXXVII. Post quam ætatem, ut vidimus, avus ejus Abraham novis nuptiis senos genuit filios. Cur igitur de Cahad & Amram, quæ minora sunt aspernamur. Hoc ipsum vegeti fuisse corporis putandum, quòd Cahad XXIII, Amram XXVII ulteriùs vitam produxerit, quàm Josephus. Non differeor, vires serâ ætate fuisse multùm imminutas. Sed non hoc in quæstione est, verùm an generando sufficerent: non dico ex conjuge prima: sed adolescentulâ, quam postea, seu conjuge viva quidem, sed jamdiu effæta, superduxerint: seu vitæ sociam elegerint, priore jam mortuâ; quemadmodum, ut dicebamus Abraham, Sarâ mortuâ, jam annos natus CXXXVII, Ceturam duxit uxorem, & inde genuit Zaran, Jechan, Madan, Madiam, Mesboc, & Sue: ut est Genes. XXV. 1. 2. Nempe sic fieri solet, ut quod in sene virtuti deest seminis virilis, id in feminis commixtione vigore adolescentulæ compensetur. Quæ res tam est nota, ut, quia vera esset, etiam in proverbium apud Belgas & alios abierit.

Cap. XIII.

Ulterius ostensum, quod de habitationis Ægyptiaca brevitate colligunt ex eo, quod inter Levi, & Mosem, duæ solum generationes sint interjecta, facilè convelli, si statuamus generationes quasdam esse prætermissas: atque id Scripturis non esse insolens.

Atque hac quidem ratione non operosè iis occurri putamus, qui arbitrantur, ex ætate Levi, Caathi, Amrami & liberorum ejus Aaronis ac Mosis, abunde refelli, quotquot Israelitas putant in Ægypto annis habitasse quadringentis. Præterea verò aliter quoque, acies, ac vis argumenti ejus, quo pugnant, retunditur. Esto enim ut Cahad sit genitus in Cananæa, juvenis item genuerit Amramum, & ille Aaronem ac Mosen juvenili similiter ætate procreatit. Non hisce omnibus convellitur sententia de annis habitationis quadringentis: nisi ex hypothesi ista, memorari à Mose generationes universas, quæ fuere inter Levi, & Aaronem. At cum sic argumentantur in re admodum incerta fiduciam ponunt. Nam omissos, imò & nepotes: cumque Caath Amram genuisse dicitur, id ita capi oportere, quod genuerit non ἀμέσως, sed ἐμμέσως: ut qui dicitur genitus ab aliquo, is non filius intelligatur, sed nepos: quomodo Rebecca vocatur filia Nachor, quia erat filia Bathuelis, filii Nachor. Et Genes. XLVI, Gera & Ared, dicuntur filii Benjamin, cum ille juxta LXX, fuerit nepos, hic pronepos.

Et quid manifestius, quàm Matthæum in genealogia Christi, multos præterire. Ut cum ab eo dicitur Joram genuisse Oziam, cum ex Regum, & Paralipomenon libris constet, intermedios fuisse Ochosiam, Joas, & Amasiam. Item Iosias dicitur genuisse Iechoniam; qui Iosiæ erat nepos, & Zacharias vocatur filius Iddo, qui itidem nepos fuit. Nempe ut alibi aliis de caussis, ita hic quidam omittuntur, quia vellet Euangelista numerare Christi genus per tessaras decadas.

Illustre etiam exemplum habemus in Calebo. At 1 Paralipomenon II. 9. & 10. vocatur filius Esron, qui erat filius Pharez, nepos Iuda. Esron Genes. XLVI. 12. refertur inter eos qui cum Iacob in Ægyptum descendit. Ætatem Calebi cum Hebrone à Iosua donaretur indicant hæc verba ejus in Iosuæ historia XIV. 10: *Jam quadraginta quinque anni sunt ex eo tempore, quo locutus est Deus hanc rem ad Mosem, ex quo ambulavit Israel per desertum: & nunc quidem hodie sum quinque & octoginta annorum.* Quid manifestius inde, quàm Calebum cum Ægypto exiret, fuisse annorum XL. Ergo si in Ægypto habitatum annis CCXV, vel CCXX, & nulla sit generatio intermedia inter Esron, & Calebum, cujus verba proximè audivimus, sequitur, ut Esron cum eum gigneret fuerit annorum CLXXX: At istiusmodi generationis post diluvium in Scripturis exemplum habemus nullum. Quare necesse est, ut cùm Caleb dicitur in Paralipomenis filius Esron, per filium intelligatur nepos. Si quærat aliquis, quod igitur fuerit nomen patri, dicam id me cognovisse ex Iosuæ cap. XIV. 6. ubi Caleb dicitur filius fuisse Iephonni Cennezæi. Scio doctorem Hebræum a, quo loco agit de non permutandis hostiis in sacrificiis, tradere Iephonni non esse nomen viri proprium, sed commune solum, sive, ut vocant, appellativum: ac significare circumspectum à verbo פָּנָה: dicique Calebum Iephonnæ sive circumspecti filium, quia valde fuerit circumspectus, quia missus esset à Mose ad speculandam terram Canaan non conspirârit cum iis, qui populum terrificis nunciis turbarunt. Sed hæc tam insulsa sunt, ut nulli possint placere. Quare sic statuimus, Calebum dici filium, quia ex Esrone descenderit, etsi non ἀμέσως, cùm intermedius sit Iephonnas. Ac sic quomodocumque occurrere superiori difficultati possint, qui solum annis CCXX, vel paucioribus ajunt esse habitatum in Ægypto. Nam dicent Calebum genitum esse ab Iephonna nonagenario: Iephonnam item à nonagenario Esrone. Sed qui statuunt habitationem, esse annorum CCCC: hi dicent non unum duntaxat præteriri, sed complures. Sanè si doctissimus Andr. Masius existimabat, qui habitationem non multum extendebat ultra annos CC, quanto justius id colligunt, quibus persuasum est mansisse Israëlitas in Ægypto annis CCCC. Omnino autem operæ putavi adscribere hoc loco ipsa Masii verba ad Iosuæ cap. XIV. vers. 6. *Illud videamus, qui possit Calebus Jephonæ filius dici: cum in Paralipomenis Hesrone natus memoretur. Certum est, Hesronem inter eos fuisse qui cum Jacobo in Ægyptum descenderant, annis circiter ducentis & sedecim ante, quàm Caleb quadragenarius mitteretur à Mose speculatum, Chananaam. Estque etiam illud testatum sacris literis* b, *Calebum inter eos Hesronis filios recenseri debere, quos ille ex priore conjuge procreavit non autem ex Machiris filia, quam demum sexagenarius duxit uxorem. Planè ergo ex his confectum est, Calebum Hesronis quidem filium dici; at certe nepotem ex priore uxore esse. Alioqui enim plus quàm ter quadraginta annorum fuisset, cùm è Cades-barnea mitteretur speculator.*
„ *Neque verò insolens est, ut nepotes inter filios adnumerentur; præsertim si sunt rerum gestarum gloria clari.*
„ *Rectè igitur filius Iephone dicitur, cum Hesronem, non*
„ *patrem, sed avum, aut fortasse proavum, vel abavum*
„ *habuerit.*

Hoc doctissimi Masii responsum ad aliis etiam argumentis

a *Tract.* תמורה פ׳ ג׳

b 1 *Paralip. c.* 2. *vers.* 18. *&* 21.

mentis occurrendum usum suum habet. Ut quando objectant verba Mosis Numer. XXVI. 8: *Filius Phallu, Eliab. Hujus filii Namuel & Dathan, & Abiron. Isti sunt Dathan, & Abiron, principes populi, qui surrexerunt contra Mosen, & Aaron, in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt.* Videmus, ut Ruben dicatur genuisse Phallu, Phallu Eliab, Eliab Dathan & Abiron. At Phallu fuit Rubenis filius secundo genitus, ac Gen. XLVI. 9. refertur: inter eos, qui cum Jacobo in Ægyptum descenderint. Nec quo minus id propriè sumamus, obduci ex temporum ratione, quicquam potest: cum Ruben quidem fuerit primogenitus Jacobi, Phallu verò inter quatuor Rubenis filios proximum à primo obtineat locum: ut ibidem videre est. Quare non dubium, quin natus fuerit in Cananæa. At ab eo genitus dicitur Eliabus, pater Dathanis & Abironis: quos in seditione Core vivos terra absorpsit. Negant hæc posse consistere cum habitatione quadringentorum annorum: at posse si fuerit ea annorum CCXV, vel circiter. Nam, inquiunt, Phallum natus fuerit ultimo anno habitationis in Cananæa, septuaginta annorum fuerit, cum genuit Eliabum: Eliabus item circiter septuaginta cum gigneret Dathan & Abiron: hi pœnas dederint anno ætatis octogesimo. Consiunt anni CCXX: & si addere lubet biennium, quia perierunt altero anno ab egressu ex Ægypto fuerint anni CCXXII. Quare bene convenit is numerus annis CCX, CCXV, vel CCXX: quibus in Ægypto habitâsse dicuntur à multis: non autem si habitarint in ea annis CCCC.

Hæc quæ fusè adeò deducunt, concidunt prorsus, si generationes quædam à Mose præteritæ sint.

Aliud simile apponam. Phares, filius Juda ex Thamar, genuit Hesron, ut est Genes. XLVI. 12. Ubi reponitur in iis, qui una cum Jacobo ingressi in Ægyptum dicuntur. At Hesron genuit Ram, Ram Aminadab, Aminadab Nahasson principem filiorum Juda, Nahasson autem Salma: ut est I Paralipom. cap. II vers. 9. 10. 11. Salma autem sive Salmon terram Canaan est ingressus, uxorémque duxit Rachab. Hic quoque, ut constet sibi sententia de annis habitationis quadringentis, non verear dicere, omissam esse unam alteram generationem.

Aliud etiam adferam exemplum. Non videntur sine miraculo Salmon, Booz, Obed, & Jesse, explere potuisse spatium annorum CCCLXV, singuli enim prope centenarii genuissent, eoque aliquos esse intermissos credidit Lyranus; eumque secutus est Catharinus libro contra Cajetanum.

Videmus hinc, non esse insolens Scripturæ, ut in γενεαλογίᾳ aliquas prætereat generationes: hoc enim ex aliquot locis esse prorsus manifestum: & ejus rei notitiâ loca obscura sæpius illustrari. Cur verò alias referat Scriptura, alias reticeat, non semper liquet. Interim quod reticeat, ex eo esse solet, vel quod decretum sit certò eas numero constringere: ut à Matthæo factum diximus; qui per generationes quaternas super denas numerare voluit; vel quòd attenderetur nominis claritas: sive id esset à præclaris gestis, sive quòd aliquis foret princeps familiæ. Huc enim sæpius spectare Mosem, non uno Scripturæ loco comprobatur. Ut illo Exodi VI. 14. *Isti sunt principes domorum per familias suas.* Et vers. 16: *Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes filiorum Levi per cognationes suas.* Et vers. 25: *Hi sunt principes familiarum Leviticarum, per cognationes suas.* Hac de caussa & Henochi meminit Num. XXVI. 5: *Hujus filius Henoch, à quo familia Henochitarum.*

Colligam nunc paucis summam eorum quæ diximus. Contendunt, quia inter Caath, qui ingressus Ægyptum, & Mosen, qui egressus Ægyptum, solum interjectus est Amram; qui nec ingressus, nec egressus: consequi, habitationem Israëlitarum in Ægypto non CCCCXXX, vel etiam CCCC esse annorum: sed summùm CCXV, vel CCXX. His bifariam occurri diximus. Primùm si statuatur Caath natus in Ægypto, & senex admodum genuisse Amramum, Amramus admodum senex Mosem. Deinde si sequamur eos, qui censent, generationes quasdam omitti à Mose: quæ si appositæ fuissent, longe amplior annorum numerus resultaret.

Quæcunque verò hactenus disputavimus de annis Ægyptiacæ habitationis in Ægypto, ea non sic accipi velim, quasi præfractè sententiam damnem adversam. Quippe argumentis non indignis consideratione defendi eam agnosco. Sed sic ut majoris esse ponderis arbitrer, quæ pro annis adferuntur quadringentis. Interea per me non stabit, quo minùs Chronologi intervallum illud solùm CCXV, vel circiter, annorum statuant. Esto erronea sit. At erronea quoque est computandi ratio in annis, quos à nato Christo numeramus vulgo. Minimùm enim biennio aberratur: ut ostendi in Dissertatione de annis Christi nati, baptizati, mortui. Nemo tamen temporum intelligens nescit quid dicere velimus, quando loquimur cum vulgo, sapientes interea cum paucis. Sapiens enim supplet animo illud tempus, quod reticetur, quia scit aliquid dici solùm ex communi sententia. Similiter hic quoque aliquis animo supplebit grande illud annorum discrimen, quo Chronologia nostra excedit vulgarem.

CHRONOLOGICARUM
DISSERTATIONUM
OCTAVA,
Quæ est
DE TEMPORE AB EXITU EX ÆGYPTO
USQUE AD REGNUM DAVIDIS.

CAPUT. I.

De annis XL, quibus principatus penes Mosem fuit.

DEventum ad denarii nostri quartum, ut sic dixero, assem: hoc est, tempus illud, quo Hebræi suis principibus paruerunt. Ac primum Mosi in deserto per annos XL: ut clarè dicitur Exodi cap. XVI. 35. Deuteronom. II. 7. & VIII. 2. 4. Jos. V. 6. Psal. XCIV. 10. Amos V. 25. Esdr. IX. 21. Judith V. 15. Act. VII. 36. & 40. XIII. 18. Hebr. III. 9. 17. Sed huic sententiæ obstare ajunt, quod XL anni statuantur ex quo jam annum, & quinis, vel circiter, mensibus, ex Ægypto fuerant profecti. Hoc probant, ex tempore pœnæ Israëlitis irrogatæ ob murmurationem in Cadesbarne post reditum eorum, qui exploratum fuerant missi in terram Canaan. Ea exploratio durârat dies XL. Ante id tempus sæpius murmurârant Israelitæ, ac puniti etiam fuere: ut ob carnes, murmuratum à populo, ob uxorem Mosis, à Maria ejus sorore, ob principatum ac sacerdo-

cerdotium, à Core, Dathan, & Abiron. Hæc non videtur minus temporis expoſcere, quam menſes quinos. Ac contigere univerſa anno jam integro exacto ab egreſſu ex Ægypto. Ut liquet ex Numer. I. 1. & IX. 1. quibus locis memoratur jam annum integrum eſſe exactum ab exitu ex Ægypto. Pœna igitur non irrogata, niſi poſtquam jam quaſi ſeſquiannus foret, ex quo exiiſſent ex Ægypto. Atqui pœna hujuſmodi erat, ut quemadmodum XL dies exploraſſent Canaan: ita intra XL annos eam ingredi non poſſent: ut liquet ex Num. XIV. 33. & deinceps: item XXXII. 13. Quare ſi ante pœnam irrogatam, quæ erat, ut intra XL annos non poſſent ingredi in Ægyptum, jam ſeſquianno fuerint in Ægypto, conſequi videtur, nonniſi quadrageſimo ſecundo anno egreſſos eſſe ex deſerto; eumque XL annis dicuntur morati in Ægypto, rotundum poni numerum pro juſto, qui erat quadrageſimus ſecundus, ſi non expletus, ſaltem cœptus. Et ſanè Joſ. V. 5. 6. ubi Hebræi, & Chaldæi codices dicunt populum in deſerto fuiſſe annis XL, quidam codices Græci habent XLII. Atque ita locum illum adducit Auguſtinus, ſive alius Quæſt. VI in Joſuam.

Sed hæc ſententia refellitur intervallo, quod ſtatuit Scriptura inter annos, quos habebant Moſes & Aaron, cùm loquerentur ad Pharaonem, & populum ex Ægypto educerent, & annos eorundem cum morerentur. Priores utriuſque annos habemus Exod. VII. 7. *Erat autem Moſes* LXXX *annorum, & Aaron* LXXXIII, *quando locuti ſunt ad Pharaonem.* Poſteriores Aaronis exponuntur Num. XXXIII. 38. 39: *Aſcenditque Aaron ſacerdos in montem Hor, jubente Domino: & ibi mortuus eſt anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael, menſe quinto prima die menſis, cum eſſet annorum* CXXIII. Poſteriores Moſis memorantur Deuter. I. 3: *Quadrageſimo anno undecimo menſe, primâ die menſis locutus eſt Moſes* &c. Et cap. XXXI. 2; *Et dixit ad eos,* CXX *annorum ſum hodie: non poſſum ultra egredi, & ingredi, præſertim cum & Dominus dixerit mihi: Non tranſibis Jordanem iſtum.* Et cap. XXXIV. 1: *Adſcendit ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo.* Et verſ. 5: *Mortuuſq; eſt ibi Moyſes ſervus Domini, in terra Moab, jubente Domino.* Verſ. 7: *Moſes* C, *&* XX *annorum erat, quando mortuus eſt.* Satis liquet inter Aaronis egredientis ex Ægypto LXXXIII, & morientis in Hor; item LXXX Moſis exeuntis ex Ægypto, & morientis in Nebo, intervallum eſſe annorum XL: non XLII. Imò tantum abeſt, ut pluſquam XL anni fuerint, ut potius quinque dies deſiant. Nam exierunt Iſraelitæ ex Ægypto decima quinta primi menſis; ut eſt Exod. cap. XII: egreſſi autem e deſerto decima die menſis primi: ſicut eſt Joſ. cap. IV.

Cap. II.

De temporibus ab obitu Moſis uſque ad initium Othonielis: videriquе id ſpatium annorum XXXIV.

NUnc ſeries temporum requirit, ut videamus de intervallo inter exceſſum Moſis, & initium Othonielis Judicis. Eſt hoc ſpatium quaſi tripartitum. Primum eſt tempus quo penes Joſuam principatus fuit. Alterum, quo à morte ejus rexerunt vel ſaltem vixerunt Seniores, & populum, ſeu autoritate, ſeu exemplo continuerunt in officio. Tertium, quo, à morte Seniorum, populus ſe polluit falſorum numinum cultu. Quartum quo divino judicio propterea ſervire coactus eſt Cuſani, Regi Meſopotamiæ. De primo & ſecundo tempore ſunt iſta Judicum II. 7: *Servieruntque Domino cunctis diebus ejus* (Joſuæ) *& Seniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſrael.* De tertio & quarto tempore ſunt hæc Jud. III. 7. 8. 9. *Feceruntque malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui, ſervientes Baalim, & Aſtaroth. Iratuſque contra Iſraël Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ, ſervieruntque ei* VIII *annis. Et clamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis Salvatorem, & liberavit eos, Othoniel.* Tacet Scriptura, quàm diuturnum fuerit tempus, quo principatus fuit penes Joſuam. Non minùs tamen eſſe potuit quam ſeptennii circiter. Nam ex Joſuæ libro conſtat, eum jam ſenem, anno ab ingreſſu in terram Canaan ſeptimo, diviſiſſe terram. Et ſolum ſeptennium imperio ejus tribuit Maſſæus lib. V *a*, & in Kalendario quadruplici ſub ætate tertiâ. Similiter Gerardus Mercator, atque Adrichomius.

a Pag. 37.

Verùm ultra hoc ſeptennium plerique tribuunt Joſuæ tres annos: ut principatùs anni fuerint decem. Qua in opinione fuerunt Cajetanus in Act. cap. XIII, Temporarius lib. I *b*, & Tomiellus ad an. CCCLXI, num. XIV, & an. CIƆCIƆLXXIII. Multò ulteriùs ſupervixiſſe, non fit iis veriſimile, eo quòd Joſ. XIII. 1. dicat Deus, quia jam ſenuiſſet, terram ut divideret: quaſi diceret, diu differre ſi volet, ad tanti momenti negotium non ſuperfore ei vires, vel fortaſſe etiam vitam.

b Pag. 54. col. 2.

Nonnulli tamen poſt hoc etiam tempus quadriennium prorogant. In iis eſt Moſes Ben-Maimon: qui poſt Moſem vixiſſe putat annos XIV. Ac ſequitur hanc ſententiam quoque Dionyſius Petavius.

Imò aliqui XVII annis putant præfuiſſe Iſraëli: ut Joa. Lucidus lib. II de Emendat. Temp. cap. VIII, Joannes Benedictus in III Reg. cap. VI, Dan. Brougtonus in Concentu ſuo, Salianus an. CIƆCIƆLC, num. 2. 4. & 5. Imò Genebrardus duodeviginti annos tribuit, ſive annos CIƆCIƆCCXXVII *c*. Etiam ſoceri mei, Franc. Junii *d* ſententia eſt XVII, ac ferme octodecim annis rexiſſe.

c Pag. 81.
d In argumento libri Joſuæ.

Nec auſim hanc ſententiam rejicere eo quod longa adeò ætas ei tribuatur Joſuæ cap. ult. verſ. 29: ubi legas: *Et poſt hæc mortuus eſt Joſue, filius Nun, ſervus Domini,* C *&* X *annorum.* Sanè ſi non diutius vixerit à morte Moſis, quàm plus minus ſeptennio: conſequitur eum à Moſe ad tam grave munus fuiſſe electum, pluſquam centenarium. At quàm malè illud convenit, cum eo, quod ſe Moſes Num. XI. 1. 14. 15. 16. conqueritur ſe imparem tanto ponderi, quo tempore ſolùm agebat annum LXXXI, vel LXXXII. Etiam bella ab Joſua fortiter adeò geſta requirere videntur ætatem juniorem.

Nec ſane deſunt, qui ultra XVII, vel etiam XVIII annos putent populo præfuiſſe. Nam Flavius Joſephus lib. V. Antiq. cap. I. tribuit ei annos XXV: in quo eum, more ſuo, ſequitur Zonaras.

Ac XXVI annos adſignat Beda lib. de VI Ætat. Mundi. Item Freculphus Lexovienſis, Petrus Comeſtor, atque alii.

Clemens Alexandrinus lib. I Στρωματ. Julius Africanus, eumque ſecutus Euſebius, Auguſtinus lib. XVIII de Civ. Dei cap. XI, Iſidorus lib. de vita & morte Sanctorum & in Chronologia, item Nicephorus Conſtant. in Chronolog. & Chronicon Alexandrinum; è junioribus etiam Gagnejus, & Bibliander, annos tribuunt XXVII.

At XXVIII annis rexiſſe cenſent auctor libri Seder Olam, & R. Kimchi *e*. Quos è junioribus ſequitur Andr. Maſius in Joſ. cap. ult. Similiterque Phrygio Conſtantinus.

e Teſte Maſio in Joſ. cap. ult.

Annos XXXI adſignat Julius Hilarion. Nec occurrit qui ultra adſurgat, præter unum, qui ſub Philonis nomine Antiquitates biblicas conſarcinavit: ſcriptorem parvæ rei, ac fidei. Ita nugis totus ſcatet.

Illos interim, qui non plus dixere annis XXVI, excuſare eo poſſumus, quod nomine Joſuæ etiam Seniorum alios ſunt complexi. Nam nec refert Scriptura, quamdiu à morte Joſuæ vixerint Seniores. Solùm dicitur, eos longo tempore ſuperfuiſſe poſt Joſuam. Nec obſcurè cognoſcimus Seniorum illorum tempore bellatum eſſe adverſus Cananæos. Huc enim pertinent illa Jud. I. 1. 2. 3. 4: *Poſt mortem Joſuæ conſuluerunt filii Iſrael Dominum, dicentes: Quis adſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitque Dominus, Judas adſcendet:*

det: ecce tradidi Terram in manus ejus. Et ait Judas Simeoni fratri suo: Adscende mecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon: adscenditque Judas, & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum, & percusserunt in Bezec in manus eorum: & percusserunt in Bezec decem millia virorum. Et vers. 10: *Pergensque Judas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron.* Longum fuisse id tempus, quo Seniores post Josuam vixere, clarè, ut vidimus, refert Scriptura. Atque id ipsum colligere inde est quòd Seniores isti, qui dicuntur vidisse mira Domini opera ex egressu ex Ægypto, Calebo, & Josue erant juniores, annis minimùm XX: eóque credibile fit, quia Hebræi prope omnes longævi iis forent temporibus, uti & diu postea, etiam XX amplius annis post Josuam aliquos vixisse. At in divisione terræ Caleb erat LXXXV annorum: ut est Jos. XIV. 10. Seniores igitur illi tum annorum fuerint LXV. ut si ad Josuæ ætatem pertigerint ab ea divisione anuis vixerint XLV. Sed neque id mihi verisimile fit. Potius censeo Josuæ, & Senioribus non plures esse annos tribuendos, quam XXVI. A quo non multum abiit Petavius, qui XXIV sufficere arbitratur: XIV Iosuæ, X senioribus.

Porrò hoc tempus, quo Seniores à morte Iosuæ fuerunt. Prima fuit ἀναρχία Israelitica: quæ duravit usque ad tempus id, quo servire cœperunt Israëlitæ Chusani, Mesopotamiæ Regi: de quo mox loquar. Postea & aliæ fuerunt ἀναρχίαι, mortuo quopiam judice, nec alio suffecto; ut suis locis dicetur. De hujusmodi temporibus intelligere oportet, in libro Iud. XVII. 6. *In diebus illis non erat Rex in Israel: quisque quod rectum erat in oculis suis faciebat.* Ac similiter XVIII. 1. & XIX. 1. & XXI. 25. Dixerit aliquis, de ἀναρχίᾳ illa saltem non habere locum in tempore eo, quo à morte Iosuæ penes Seniores erat imperium. Sed enim Scriptura non dicit eos gubernâsse, sed diu vixisse ab excessu Iosuæ: ut videre est Iud. II. 7. Ut verba ea sic capere liceat, quasi venerabili senectute & sanctissimo vitæ exemplo, dum vixere, continuerint populum in officio, ne deficeret à vero Dei cultu; uti mox contigit ab eorum excessu.

De hac defectione post Seniorum obitum, Scripturæ verba adduximus antea. Et hoc tempus tertiam statuebamus partem ejus intervalli, quod est inter Mosis mortem, & initium Othonielis. Credibile autem est plusculum durâsse, quia Deus tardè solet accedere ad vindictam: quod ne gentiles quidem nescivere: unde vetus illud Deos habere pedes laneos: sed addebant, tarditatem eam postea supplicii gravitate compensari.

Quarta pars est de pœna, quâ Deus defectionem eam punivit. Tradidit enim eos in manus Chusanis, Regis Mesopotamiæ. Cui servierunt annis octo. Atque hoc solum tempus exprimit Scriptura: de tribus prioribus partibus reticet. Unde tantus est dissensus in annis Iosuæ, & Seniorum. Nec mirandum, si nihilominus chronologi certum iis annorum spatium tribuerint: sed fic, ut à se invicem plurimùm abirent. Hoc inde fuit, quòd Scriptura lib. 1, sive III Reg. cap. VI. 1. dicat, ab exitu ex Ægypto, usque ad tempus, quo Salomo templum cœpit condere, esse annos CCCCLXXX. Unde sic colligebant, si Iudicum tempora perspecta forent, facilè posse cognosci de intervallo inter mortem Mosis, & Othonielem. Siquidem ei tribui oportere id annorum, quod deesset Iudicum, & Davidis temporibus, addito Salomonis triennio ad supplendum annos illos CCCCLXXX. Speciosior fuisset oratio, si de annis Iudicum convenire potuissent. Verùm in eo ipso dissensus erat: próque discrimine ejus plores pauciorésve annos tribuerunt Iosuæ, & Seniorum tempori. Exempli gratiâ, codex LXX interpretum, quo usque est Eusebius, præteribat Ahialon. Qui igitur septennium alioqui tribuisset Iosuæ, decennium totum addidit, quia præterito Ahialon, tot anni desiderarentur.

Quod siquis quærat, quot circiter annorum sit intervallum à morte Mosis usque ad initium Othonielis, dixere illud non posse ex iis, quæ diximus, certò præfiniri: sed non multum aberraturum, qui esse XXXIV annorum statuat. Nempe in XXVI tribuantur Josuæ, & Senioribus accensito eo spatio quo Israelitæ peccando irritarunt Deum. His adde annos VIII, quibus Chusani servierunt consiunt XXXIV.

Non desunt, qui omne spatium à morte Mosis, usque ad initium Othonielis, reducant ad annos Othonielis, ac sub XL illis annis ei tributis comprehendi putent: quod si est, dicere oporteat, à morte Mosis ad mortem Othonielis solum XL esse annos. Est hæc sententia Tostati in Jud. cap. III. quæst. XII & in Ruth cap. I. quæst. III. Ac similiter Nicolaus Lyranus, & aliquot juniores, in his Ribera. Sic Othoniel solùm annis imperârit VI. Ut qui demum imperare cœperit, postquam Israëlitæ jam aliquamdiu Chusano servìissent. Tam brevem autem principatum nullum veterum tribuit Othonieli: nec, ut sic sentiamus, verba Scripturæ sinunt. Atque hæc planiora etiam fient ex iis, quæ inferius disseremus adversus eos, qui putarunt servitutis cujusque annos sub annis Judicum contineri.

De annis triplicis historiæ in fine libri Judicum: Unius de Micha; alterius de tribu Dan quærente possessionem: tertiæ de deleta fere tribu Benjamin ob uxorem Levitæ. In harum singulis dicitur. *In diebus illis non erat Rex in Israel.*

Resp. eas historias non pertinere ad tempus, quo judex aliquis imperavit, sed quo foret ἀναρχία. Quod clarè indicant illa verba; *In diebus illis non erat Rex in Israel.*

CAP. III.

De annis, ab initio principatus Othonielis, usque ad initium Iephthe; ac videri id spatium esse annorum, CCCXI.

HInc jam oratio proficiscatur ab initio excussi Mesopotamici jugi ab Othoniele, usque ad initium Jephthe. Horum tempora sic numerat Scriptura.

Judex Israëlis Othoniel fuit annis — — ut est Jud. III. 11.	40.
Secuta est servitus Moabitica per annos — de quo Jud. III. 14	18.
Hinc Aod rexit Israëlitas annis — — ut est Jud. III. 30.	80.
Exinde Israelitæ servierunt Cananæis per annos — de quo Jud. IV. 3.	20.
Post illa rexere Israëlem Debora, & Barac, annis — ut refertur Jud. V. 32.	40.
Tum excepit servitus Madianitica annis — ut dicitur Jud. VI. 1.	7.
Hinc Israëlem judicavit Gedeon annis — ut est Iud. VIII. 28.	40.
Tum Abimelech annis — — — de quo Iud. IX. 22.	3.
Inde Thola an. — — — ut legere est Iud. X. 2.	23.
Postea Jair ann. — — — ut est Iud. X. 3.	22.
Inde fuit servitus Ammonitica per annos — de quo Iud. X. 8.	18.
In universum colliguntur anni —	311.

Adversus hunc numerum adferuntur verba Jephthe Jud. XI. 26. ubi trecentos ait esse annos, quòd terras eas possedissent, quas Ammonitarum Rex reposcebat. Nempe à penultimo anno Mosis: ut cognoscere est è Num. XXI, & XXII. At à morte Mosis usque ad initium Othonielis statuebamus superius annos XL: qui partim competunt Iosuæ, partim Senioribus, partim defectioni populi, ac secutæ servituti Mesopotamicæ. Hos annos XL si una cum uno anno Mosis addamus illis CCCXXXI,

conſiunt anni CCCLXXII. At, inquiunt, hoc ſi foret, Jephthe non dixiſſet terras, de quibus ſi controverſia ſibi moveretur, poſſeſſas ſibi ab annis CCC, ſed CCCC: cùm ubi rotundo numero uti volumus, eum potiùs eligere ſoleamus, qui maximè prodeſt cauſſæ noſtræ. Contendunt igitur in temporibus Judicum colligendis omitti debere annos ſervitutis: quia illi in annis Judicum includantur. Quomodo ab initio Othonielis ſolùm anni erunt CCXLVIII. Nempe Othonielis XL; Aod LXXX; Deboræ & Barac XL, Gedeonis XL, Abimelechi, & Tholæ XLVIII. His addere jubent annum ultimum Moſis, annos imperii Joſuæ, & quibus Seniores poſt Joſuam vixerunt. Quantum hi anni ſpatium conficiant, certant incerti. Plerique his junctis tribuunt annos XXIV. Quomodo in univerſum exſurgunt anni CCLXXII. Neque negant, ſic minùs fore, quam dixerat Jephthe. Sed ajunt, ſolemne illud eſſe oratoribus, ut prout conducibilius eſt cauſſæ, rem augeant, aut minuant: ac propterea etiam Jephthe voluiſſe, ut legati ſive oratores ſui trecentos eſſe annos dicerent: licet deficerent anni multi. Nollem de eo ducere contentionis funem, ſi Scriptura ſineret, ut omittamus annos ſervitutis, eoſque ſub annis Judicum complectamur. Quod ne faceret, ſatis ſibi cavit B. Auguſtinus lib. XVII de Civitate Dei cap. XIII: ubi inter alia refert, ut legantur, *Iſraelitæ paces alternâſſe cum bellis & inveniantur pacis tempora prolixiora quam Salomon habuit, qui XL regnavit annos. Nam ſub eo judice, qui appellatus eſt Aod, octoginta anni pacis fuerunt.* Quare operæ fuerit tempora ea accurate diſtinguere: ut facit Scriptura, ſive univerſè iis ſermo ſit, ſive particulatim.

Atque univerſè quidem dicitur Jud. cap. II. 18. *Cumque Dominus Judices ſuſcitaret, in Diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium. Poſtquam autem mortuus eſſet Judex, revertebantur & multo faciebant pejora, quam fecerant patres eorum.* Hic quoque conſpicimus memorati cædem veſtantium, gemitum afflictorum, miſericordiam Dei ſuſcitantis judicem ad liberandum, ac poſt mortem judicis, populi peccata, novam iis pœnam promerentis. Quis non videt, aliud hic tempus ſtatui pœnæ & adflictionis Iſraeliticæ, propter peccata: aliud autem miſericordiæ divinæ gemitus populi exaudientis, & ſuſcitantis Iudicem, qui liberet, & in officio contineat, donec à morte ejus iterum ſit ἀναρχία, & inde nova defectio à Deo quæ nova arceſſat pœnam.

Sed manifeſtiora hæc fient ex iis, quæ particulatim dicuntur de annis captivitatis, & annis quietis. Attendamus primo annos ſervitutis Meſopotamicæ, & quietis præſtitæ per Othonielem. De iis ſic Iud. III. 8. 9. 10. 11. ubi, cùm prius narratum eſt de populi defectione poſt Seniorum exceſſum, hæc ſubjunguntur: *Iratuſque contra Iſraël, tradidit eos in manus Chuſan-raſathaim Regis Meſopotamiæ, ſervieruntque ei octo annis. Et clamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis ſalvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem. Fuitque in eo Spiritus Domini, & judicavit Iſrael, egreſſuſque eſt ad pugnam, & tradidit Dominus in manus ejus Chuſan-raſathaim Regem Syriæ, & oppreſſit eum. Quievitque terra quadraginta annis, & mortuus eſt Othoniel, filius Cenez.* Ubi videmus, clarè opponi, hinc captivitatem ſive ſervitutem, inde autem quietem, ſive libertatem: ac ſervitutis quidem ſtatui annos VIII; quietis autem ſive ſecuritatis ac pacis, annos XL. Ut velle VIII annos ſervitutis includere in XL annis quietis, omnino ſit vim facere Scripturis.

Videamus nunc de altera tum ſervitute, tum quiete. Legimus Iud. III. 12, & deinceps: *Rurſum autem* (puta, uti mortuus eſt Othoniel, ut continuò antecelleras) *fecerunt filii Iſrael malum in conſpectu Domini: qui roboravit adverſum eos Eglon Regem Moab: quia fecerant malum in conſpectu ejus. Qui congregavit ad ſe filios Ammon, & Amelec: abiitque, & percuſſit Iſrael, atque poſſedit Urbem palmarum. Servieruntque filii Iſrael Eglon, Regi Moab, decem & octo annis. Et poſtea clamaverunt ad Dominum: qui ſuſcitavit eis ſervatorem Aod.* Narratur deinde, quomodo Aod, ſive Ehud, occideret Regem Moabiticum: eoque necato eduxerit copias Iſraelitarum adverſus Moabitas. Sequitur deinde verſ. 22: *Percuſſeruntque Moab tempore illo circiter decem millia virorum.* Ac verſ. 30: *Humiliatuſque eſt Moab in die illo ſub manu Iſrael: & quievit terra octoginta annis.* Quàm apertè etiam tempora quietis à ſervitute ſeparantur?

Sequitur ſervitus Cananæa, quæ numero tertia eſt, de qua Iud. cap. IV. Ac primo refertur, quomodo Iſraelitæ ad idola converſi traditi ſint in manus Iabin Regis Canaan: qui eos XX annis oppreſſit. Debora autem Prophetis Baruc incenderit ad bellum inferendum: ac Iahel Siſaram exercitus ducem ex acie fugientem in tabernaculum vocârit, impactoque per tempora clavo eum trucidarit. Concluditur autem id caput his verbis: *Quievit autem terra quadraginta annis.*

Quarta ſervitus eſt Madianitica, & liberatio per Gedeonem: ubi longè res clariùs dilucet. Refertur ea hiſtoria Iud. cap. VI. Ac verſ. 1 eſt: *Fecerunt autem filii Iſrael malum in conſpectu Domini: qui tradidit illos in manu Madiam ſeptem annis.* Verſ. 7: *Et clamavit* (Iſrael) *ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas.* Poſtea narratur, ut angelus Domini acceſſerit Gedeonem purgantem frumenta: ac promiſerit per eum liberatum iri Iſraelem: ille hæſerit eo, quod, non alter debilior atque infirmior in familia paterna foret. Sed angelus, qui יהוה iſtic dicitur, quia miſſus mittentis nomine loqueretur, reſponderit ei: *Ero tecum, percutieſque Madian, tanquam virum unum.* Signum tum Gedeon petiit ab Angelo ſive Domino; quo ab eo firmatus, (ne ſingulis inſiſtam) juſſu Dei viros armavit trecentos, ac Madianitas in ſuam redegit poteſtatem. Poſt quæ (ut eſt Iud. VIII. 22.) *Dixerunt omnes viri Iſrael ad Gedeon, Dominare nobis, etiam filius filii tui: quia ſalvaſti nos de manu Madian.* Ac verſ. 28: *Humiliatus eſt itaque Madian coram filiis Iſrael: nec potuerunt ultra cervices elevare: ſed quievit terra per quadraginta annos quibus Gedeon præfuit.* Vidimus extremis verbis dici XL annos quietis eſſe eoſdem, quibus præfuit. At non præfuit, niſi poſtquam annis VII ſerviiſſent. Non igitur ſeptennium ſervitutis comprehenditur XL annis quietis.

Quinta ſervitus fuit ſub Ammonitis, de qua eſt Iud. X. Ac verſu quidem 6 exponitur cauſſa: videlicet quòd deo deſerto colerent, Baalim, Aſtaroth, & id genus numina. Propterea enim dediti ſunt hoſtibus Palæſtinis & Ammonitis: ut eſt verſ. 7. Gravitas ſervitutis indicatur verſ. 8. & 9. ubi dicuntur omnes, trans Iordanem habitantes, per annos XVIII ſic fuiſſe afflicti verſ. 8, & 9: ubi Ammonitæ dicuntur annis XVIII adflixiſſe omnes Iſraelitas trans Iordanem habitantes: imò & Iordane tranſito, graſſatos longe latéque per Iuda, Benjamin & Bethlehem. Ex his malis pœnitentia eſt orta Iſraelitarum: qui & peccatum confeſſi, & pœnam deprecati, & renunciantes idololatriæ vitam emendarunt: ut eſt verſ. 11. 12. 13. 14. 15. Pœnitentiam conſecuta eſt gratia Dei miſerantis ſui populi: ut eſt verſ. 17. Galaaditæ autem, quos imprimis bellum Ammoniticum gravabat, ducem elegere Iephthe. Qui primo quidem principatum recuſavit: at nunciis culpam priorem deprecantibus, honorem eum recepit ut eſt Iud. XI. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Ac primò quidem verbis cum Ammonitarum Rege egit: quibus iis noluit acquieſcere: ut eſt verſ. 12 & ſeqq. 16. Iephthe igitur, ſpiritu Dei accenſus, Ammonitas invaſit, & vicit: ut eſt verſ 15. 32. 33. Poſtea de voto Iephthæ agitur. At cap. XII refertur, ut, Ephraimitas vicerit: quorum periere XLII millia. Hinc ſequitur, *Judicavit autem Jephthe Galaadites Iſrael ſex annis: & mortuus eſt, ac ſepultus, in civitate ſuâ Galaad.* Ex his liquet, fuiſſe ſervitutis annos XVIII, quietis ſive libertatis ſolùm VI: ſub quibus comprehendi nequit prior numerus, cùm is ter contineat poſteriorem. Dicent fortaſſe

tasse servitutem eam non fuisse totius Israelis; sed partis trans Jordanem; nec contigisse Jair mortuo, sed cœpisse cum imperâsset annis IV, post quos, per annos XVIII, imperium prorogavit. Sed obstare videtur, quod simulac relatum de morte Jair: continuò subjiciatur, ad verbum; *Et addiderunt filii Israel ad faciendum malum in oculis Domini.* Quasi dicat, Tunc, hoc est, ubi excusserit Iair. Hæc enim est vis particulæ ו.

Nec tamen morosè huic interpretationi adverser: quando non adeò manifestè verba Scripturæ torquentur de hac quinta servitute, quàm in quatuor fui prioribus. Imò si de verbis III Reg. VI. I, omnis, eo concesso tollatur difficultas, facilè subscripsero. Sed sic quoque alia obstare, inferiùs ostendam. Quare statuere malo patem esse hic rationem ac in persecutionibus prioribus: eoque ab Iair mortuo usque ad Iephthe mortuum octodecim servitutis, & sex libertatis annos distingui debere, ut ex illis colligantur anni XXIV. Nunc summam colligamus annorum ab initio Othonielis usque ad initium Iephthæ.

Othoniel rexit annis — — —	40.
Consecuta servitus Moabitica annis —	18.
Aod sive Ehud judicavit Israelem annis —	80.
Subsecuta servitus Cananæa annorum. —	20.
Debora judicavit an. — — —	40
Servitus Madianitica duravit an. — —	7.
Gedeon rexit an. — — — —	40.
Abimelech an. — — — —	3.
Thola — — — — —	23.
Jair — — — — — —	22.
Servitus Madianitica duravit an. — —	18.
Coosiunt anni —	311.

Quibus si addamus annum ultimum Mosis, & quadraginta Iosuæ, Seniorum, & servitutis Mesopotamicæ, consequitur, ex eo tempore, quo terras illas possederant Iudæi, annos fuisse 352. Vel si Iosuæ solum XIV, Senioribus X, servituti primæ, VIII tribuantur: ut inde fiant anni XXXII: in universum sunt anni CCCXLIV. Quod si XVIII anni servitutis Madianiticæ incidant in posteriores XVIII annos Iairi, solum sunt anni CCCXXVI. Sic quoque plures fuerint trecentis: quot annis Iephthe ait ab Israelitis agros esse possessos, quos, tanquam sibi ereptos nunc reposceret Rex Ammonitarum. Poterat Iephthe dicere *supra annos trecentos*, vel *trecentos & quod excurrit.* Sed sufficere visum si diceret, quod minus poterat in dubium vocari ab adversariis antiquorum temporum fortasse minùs gnaris.

Cap. IV.

De annis à Jephthe initio usque ad initium Samuelis, quos centum, & undecim numeramus.

Hinc jam videamus annos Judicum ab initio Iephthe usque ad excessum Heli, sive initium Samuelis.

Iephthe ut est Iudicum XII. 7. Iudex fuit annis —	6.
Abesan, ut est Iud. XII. 9. — — —	7.
Achialon, ut est Iud. XII. II. — — —	10.
Abdon, ut est Iud. XII. 14. — — —	8.
Secuta servitus sub Philistæis, quæ ut est Iud. XIII. 12. annis duravit — — — —	40.
Samsonis XX annos cur prætercam, mox dicam.	
Heli, ut est I Reg. IV. 18. judicavit Israelem annis —	40.
Consiunt hinc anni —	111.

Miretur aliquis è judicibus omissum nobis Samsonem: qui Iudicum cap. XVI. 31, XX annis judicâsse dicitur Israëlem. Sed non hoc temere à nobis factum: verùm quia annos ejus bis numerari non oportet. At hoc fiat, si post XL annos servitutis Palæstinæ numeremus annos Samsonis XX. Quod eo fieri non debuit, quia Samson variis quidem cladibus affecit Palæstinos: non tamen prorsus sustulit servitutem: quod ex omni Samsonis historia satis liquet. Imò etiam cum captus mortuusque, dominati sunt Palæstini Israelitis. Quare prorsus censeo, viginti annos Samsonis includi in XL annis Palæstinæ servitutis. Eoque si in annis expansis numerare seorsum voles XX annos Samsonis, solum XX erunt tribuendi Palæstinæ servituti. Vel hæc ineunda est ratio; vel si XL illos annos concurrere nolis cum XX annis Samsonis, dicendum erit ex XL annis servitutis XX concurrere cum temporibus Heli. Sanè ex historia Iudicum satis est apertum, quantopere Palæstini ejus temporibus afflixerunt Israëlem. Et pro hac sententia adferre possis, quod LXX Interpretes non XL annos tribuant Heli, ut codices Hebræi: sed solùm XX: nempe quia XX alteris Israëlitæ servierint Palæstinis.

Cap. V.

De spatio, quo penes Samuelem, & Saulem, principatus fuit Israëliticus. Atque intervallum hoc videri annorum XL.

IN intervallo, quod est à morte Mosis, usque ad regnum Davidis, solùm supersunt anni, quibus summa potestas Israëlitica fuit penes Judicem Samuelem, & Regem Saul. Quamdiu Samuel judicârit Israelem, nusquam dicitur in Scripturis. Sed de Saule duobus locis legimus. Prior est, ubi duobus dicitur annis imperasse: alter, ubi quadraginta. Sed duos, vel neminem ut dici solet, reperias, quia, cùm Saul dicitur biennio imperium tenuisse, id capiant de annis quibus, defuncto jam Samuele, vel saltem non immiscente se ultra Saulis negotiis, obtinuit principatum: cumque dicitur imperasse annis XL. id junctim intelligant de annis, partim iis, quibus vel solus, vel cum filiis, Samuel in Israele judex fuit; partim quibus sic Israëlis Rex erat Saul, ut sua, inferior licet, & dignitas, & potestas maneret Samueli; partim quibus Saul præfuit solus. Operæ igitur erit videre, quæ genuina utriusque sit loci sententia.

Prior sic habet I Reg. sive Samuelis XIII. I. *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israel.* Ubi duo in considerationem veniunt, quando cœperit regnare, & quamdiu regnârit. De priori dici videtur fuisse anniculum. Sed id perabsurdum. Nam quomodo anniculus fuerit, qui cum Rex eligeretur, humero tenus super omnem populum emineret? Itaque nonnulli, ut est apud Dionysium Carthusianum Ruræmundensem, quidam putarunt κατ' ἔλλειψιν desiderari XX, ut sententia sit, unius anni erat supra vigesimum: quo censebantur bello idonei. Et quod ad numeros convenit Melchior Canus lib. II Loc. Theolog. cap. V. ad argum. XII: ubi indicat locum esse corruptum; ac pro *unius anni*, legi debere *viginti & unius anni.* Etiam Josephus Scaliger, adversus Paræum, censet, excidisse כ, hoc est XX, vel ל, hoc est, XXX. Sed hæc sententia consistere nequit, si ut opinio fert receptior, solùm annis rexit XX, vel XXI, aut XXII. Nam moriens filium reliquit Iboseth annorum XL: ut est II Regum sive Samuelis cap. II. 10. Alii igitur existimant sic verti debere, *Filius unius anni erat Sauls cum regnare cœpit.* Ac Isbosethum filium signari arbitrantur. Legas hoc apud Hieronymum in Traditionibus Hebraicis. Nec displicuit ea opinio Angelonio, vel Rabano: atque, è junioribus, Serario. Sed sic in Hebræo desideretur ל, quo dandi casus indicetur. At R. Kimchi, & R. Ben-Gerson, item Vatablus, Genebrardus, Pineda, Petrus Martyr Vermilius, Serario non improbante, annum unum fuisse ajunt ab electione: post quem cœperit regnare. Etiam Franciscus Junius vertit: *Agens primum annum Schaul in regno suo.* Chaldæus verò Paraphrastes ne quidem putat hic agi de annis: sed exponit de innocentia. Ita enim [illegible]: *Sicut filius anni, in quo non fuit culpa, Saul* (erat) *quando regnavit.*

Ac Symmachus similiter apud Theodoretum quæst. xxviii. ipseque Theodoretus, qui addit: *Hoc dicit, quam simplex esset ejus animus, quando fuit Rex electus.* Etiam apud B. Hieronymum est in Traditionibus Hebraicis: *Sic erat innocens, quando regnare cœpit sicut filius est unius anni.* Aben-Ezra etiam, & Hebræorum alii, similitudinis particulam omissam arbitrantur. Sed & de innocentia morum accepere Gregorius M. in 1. Reg. lib. v. cap. iii, & Rupertus lib. ii in Exod. & 1 Reg. cap. xxix, & lib. ii in Apocalypsin. Adhæc ita Procopius, Angelomus, Lyranus, alii.

Hanc qui interpretationem probant, sequentia etiam verba, quibus duobus regnâsse annis dicitur, restringunt ad id tempus, quo in simili morum vitæque probitate se gessit. Quare fatentur quidem multo diutiùs imperasse: sed arbitrantur à Propheta indicari, exacto biennio non fuisse amplius, sicut anniculum puerum, sed tumidum, minusque mandati divini observantem. Ut qui, contra Dei mandatum, Agago, Regi Amalecitarum, pepercerit. Etiam tyrannidis consecutæ argumentum habemus in longâ persecutione Davidis; quem tandem eò adegit, ut fugeret ad hostes. Præter eos, quos diximus, hanc etiam sententiam sequitur Seder Olam 1 part. cap. xiii. Sed quibus hæc displicet sententia, & ipsi inter se variant. Sunt qui ea interpretantur de Isbosetho filio. Atqui importunum erat hic inserere de annis Isbosethi. Neque is biennio solum rexit, sed annis vii, ac dimidio.

Alii igitur sententiam esse volunt, duos imperasse annos, cùm tria millia eligeret ex Israele: ut mox subjungitur. Sic Tostatus, Vatablus, Genebrardus, & Pineda.

Alia ajunt annos indicari, quibus solus imperavit Saul. Nam primùm solus rexit Samuel, deinde cum filiis duobus, hinc cum Saule Rege, ac denique Saul rexit solus; videlicet ex quo mortuus esset Samuel, imò jam ante, ex quo, iratus Saulo, abiisset, nec vellet se amplius immiscere negotiis Regis à Deo jam rejecti. Ante id tempus non solus regnabat Saul, sed una cum Samuele, qui etsi regem creasset ob senilem suam impotentiam, non tamen se omni exuit dignitate. Itaque & Saulem publicè increpuit, cùm non exspectasset Samuelem in Galgalis: ut est 1 Reg. cap. xii. 11, ac deinceps. Idem coram Saule Agagum jussit occidi: ut est 1 Sam. xv. 31. 32. Sed & eo vivente, Davidem inunxit. Etiam 1 Reg. sive Sam. vii. 16. legas, *Judicat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ.* Ut habent codd. Hebræi, Chaldæi, & Græci. Sententia est, ex quo Samuel factus judex, non penitus deposuit principatum, etsi judicis officium minus exercuerit ob senectutem, cujus causâ & Regem creârat. Scio plerosque putare, quæcumque postea egit, egisse ut Prophetam. Sed nihil impedit, quo minus idem & propheres foret, & judex. Et quæ memoravimus judicis magis functiones sunt, quam prophetæ. Atque ex his liquet, cur cum biennium dicitur imperasse, id solum intelligant de ultimo vitæ biennio, non de xviii præcedentibus, quibus eum cum Samuele imperâsse etiam Flavius Josephus dicit lib. vi. Antiquitatum cap. xiv. De biennio, quo regnâsse dicitur, hæc suffecerint.

Venio nunc alterum ad locum de tempore, quo, Saul imperavit. Est is Act. xiii. 20. 21. *Et post hæc dedit judices usque ad Samuelem prophetam. Et exinde postulaverunt Regem, & dedit Deus Saul, filium Cis, de tribu Benjamin, annis* xl. Hos xl annos de solo Saulo, excluso Samuele, interpretantur Hieronymus in Tradit. Hebr. Augustinus lib. xvii de Civ. Dei, cap. vii, & lib. xviii cap. xx. Sulpitius Severus lib. 1 Histor. Sac. Beda præfat. ii. lib. expositionis allegoricæ in Samuelem. Item e junioribus Melchior Canus lib. xi de locis cap. v, & Serarius[a] in 1 Reg. cap. vii propos. 114, ubi ait, Samuelis annos fuisse ante Regis postulationem, post eam secutos xl annos quibus rexit Saul: negat hæc verba ullo glossemate debere incrustari: omnino enim verba Pauli sive Lucæ tam esse clara aptaque ut iis simpliciter sit adhærendum. Et sanè illud *EXINDE* non videtur sinere, ut annos illos xl. etiam de Samuelis annis intelligamus. At, inquiunt, hanc interpretationem non sinunt verba 1 Regum, sive Samuelis cap. vi. 1: ubi ab exitu ex Ægypto usque ad jacta à Salomone templi fundamenta, anni esse dicuntur cccclxxx. Tot verò anni consiunt, si Samuelis & Saulis anni junctim efficiant annos xl: sin Samueli annos tribuamus xx, ac Sauli xl, superfore annos xx: eoque exigi, ut dicamus Apostolum, cum xl annos tribuit Sauli, συνεκδοχικῶς loqui, comprehensis annis non modo quibus cum eo rexit, sed etiam, quibus Samuel vel solus, vel cum filiis obtinuit principatum, populo necdum Regem poscente. Hæc sententia nititur ea ἀποθέσει, locum, quem objectant, nec intelligi posse de solis annis, quibus Israëlitæ suis paruerunt, exclusis annis servitutis: nec vitiatum esse à librariis. Mihi verò contrà videtur verba illa, quæ dixi, non de universis annis, sed solùm τῆς ἀρχῆς intelligi: vel si alia mens prophetæ fuit, à librariis esse vitiata. Dixeris, nec illam Apostoli interpretationem huic posse sententiæ aptari: quia antea cùm ab exitu ex Ægypto usque ad quartum Salomonis annos numeraremus Iↄlxxx. Samueli, & Sauli annos junctis tribuebamus solum xl, non, xx Samuelis appositis, lx. Non diffiteor. Sed si persuadere possim Saulum solum rexisse annis xl, demam, quos ponebamus servitutis Palæstinæ annos xx. Nempe quia, ex annis xl ejusce servitutis, xx cum Samsone concurrant, ut dictum: at xx cum Heli. Vel quia Palæstina servitus durâsse dicitur annis xl, dicam eam incepisse propriè capto Saulo: antea non ita pressos Israëlitas, ut servitus dici mereatur. At cœpisse eo capto, mortuoque: durasséque xl illis annis quibus Heli Israëlem judicavit. Sanè non Heli servitute ea liberavit, quo vivo & arca Domini capta, sed fecit id Samuel: ut est 1 Reg. cap. vii. Sed si hæc probentur minus: esto sanè, ut Apostolus comprehenderit annos Samuelis: quam sententiam superiùs secuti sumus. Dixero tum non id per συνεκδοχὴν factum, ut dici solet: sed Apostolum tempus ab initio judicum usque ad Davidem in duo tempora partiri: illud quod Samuelem antecessit, & quod initium ejus principatus consequitur. Prius dicitur fuisse annorum quasi ccccl. Alterum à Paulo dividitur in spatium, quo Samuel judicavit, usque dum Israëlitæ Regem poscerent, & illud, quo Regem habuere Saul, filium Cis. Omne hoc spatium, à spatio ante memorato, dicitur fuisse annorum xl: nempe tempus quo Samuel propheres rexit usque ad postulatum Regem, & exinde ad tempus, quo, illo amoto, sive mortuo, Rex factus David. Apostolum, sive Lucam, audiamus. *Post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit judices usque ad Samuel Prophetam. Et exinde postulaverunt Regem: & dedit illis Saul, filium Cis, virum de tribu Benjamin: annis quadraginta.* Scio molliùs fluere sermonem, si de Saule solo capiamus, qui proximè antecessit. Attamen durius est, statuere mirificam adeo συνεκδοχὴν, quàm dicere, quadraginta illos annos numerari ab quadringentis quinquaginta annis, qui præcesserant. Quomodo verborum illorum, ἔτη τεσσαράκοντα *annis*, vel potiùs, *anni quadraginta*, sententia fuerit. *Hæc contigere annis* xl. Sive, *hi anni sunt* xl. Eoque rectius ante ἔτη ponas στιγμὴν, quàm ὑποστιγμὴν, quò intelligatur verbum, ut vocant, substantivum, εἰσί, *sunt.*

Sive autem tribuamus uni Sauli annos xl, sive junctim Samueli, & Sauli: corruit sententia Hebræorum in Seder Olam 1 Tractat. cap. xiii, ubi his juncti tribuuntur anni xiii: nempe Samueli xi, Sauli ii; ut censet Constantinus Phrygio. Probat autem sententiam suam, quòd Arca in Cariathatim annis xx, saltem inceptis, non mansisse dicatur 1 Reg. sive Sam. vii. 2. At Davidis anno octavo ablata è Cariathatim. Et Saul annos duos rexit. Ut supersint anni xi; qui propterea dandi Samueli. Sed, qui sic sentiunt, falsò putant xx illos annos finiri in Davidis anno octavo, cum finiantur in initio Samuelis: quod obscurum non est attentius verba ea legenti.

[a] *Pag. 215 & deinceps.*

Eupo-

Eupolemus apud Eusebium Samueli, & Sauli, annos tribuit XXI.

Beda, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, è junioribus etiam Driedo, tribuunt Samueli, & Sauli, junctim annos XXXII. Atque hoc præeunte Josepho Antiquitatum Jud. lib. VI, cap. XIV, & lib. X cap. AI: ubi soli Samueli annos tribuit XII: simul gubernantibus Samueli, & Sauli, annos XVIII Sauli soli II. Unde consiunt anni, quos diximus.

Sed nihil horum admiserim, quando Apostolus Paulus XL. annos attribuit, sive uni Saulo, sive potius Samueli, & Saulo: ut recepta opinio est pene omnium: quorum alii utrique seorsum annos tribuunt XX; alii uni XXI, alteri XIX; alii uni XXII, alteri XVIII; imò & aliqui Samueli XXXVIII, Sauli solum II: nempe propter verba hæc antea etiam allata è I Sam. sive Regum XIII. I. *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israel.* Ob quæ nec plures ei annos tribui debere, sententia est Masłæi lib. V a. Censet verò Saulum
a Pag. 45. nec octiduo in rectitudine perstitisse: anno regni priori percussisse Amalecitas: secundo defunctum Samuelem, ac David apud Regem Geth permansisse quatuor mensibus: horum quarto occisum esse Saulum. Nec plures agnoscunt Adrichomius, Vignerius, Mercator, Verronius.

Cap. VI.

De intervallo ab exitu ex Ægypto usque ad mortem Heli: atque illustratus locus Act. XIII. 20.

EX iis, quæ hactenus disseruimus, facile est dispicere, quantum sit intervallum ab egressu ex Ægypto usque ad initium Samuelis.

Nam Israëlitæ fuere in deserto annis ——	40.
Hinc ad Othonielem numeravimus annos ——	34.
Inde ad Jephthe —— —— ——	311.
Hinc ad initium Samuelis —— ——	111.
Summa ——	496.

Unde nec operosum sit statuere de annis ab divisione terræ Canaan, usque ad idem initium Samuelis. Nam à superiori numero solum auferri opus XL Mosis annos, & sexennium Josuæ, quod divisionem antecessit. His ablatis anni supersunt —— —— —— 450.

Quam bene hoc convenit cum eo quod B. Paulus apud Lucam Act. XIII. 20. intervallum hoc dicit esse annorum quasi CCCCL. Verba sunt in vulgata: *Et destruens gentes* VII *in terra Chanaan sorte distribuit eis terram eorum, quasi post* CCCC, *&* L *annos: & post hac dedit judices, usque ad Samuel prophetam.* Græce est, Καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χαναὰν κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου. Convenit quoque editio Syriaca. Atque hæc Apostoli verba mirificè confirmant, quæcumque hactenus de temporibus istis diximus: planè verò evertunt aliorum opiniones, qui centum annis minus putant. Ad illos enim CCCCL. annos, quos dicit Apostolus, addamus annos, tum qui antecedunt, tum qui sequuntur. Antecedunt XL anni in deserto: & VI ante distributionem terræ Canaan. Sunt hi XLVI. Sequuntur anni Samuelis & Saulis XL: Davidis item XL: & tres Salomonis. Unde consiunt anni LXXXIII. Jungamus ternos hosce numeros, fuerint anni IↃLXXIX: sive annumerato quarto Salomonis anno, quo templum condi cœpit, IↃLXXX. Quid his apertius?

Itaque, qui hac parte dissentiunt, locum illum Apostoli à librariis corruptum ajunt, proque τετρακοσίοις *quadringentis*, rescribere jubent τριακοσίοις, *trecentis*. Quæ sententia placuit Cajetano, Luthero, Bezæ, Funceio, Temporario, Calvisio. Alii locum quidem corruptum putant: sed (quæ Casparis Sanctii sententia est) in eo peccasse librarium, quod verba trajecerit. Vulgo quidem, ubi de distributione Canaan dictum fuit, sic Græci habent codices. Subjicitur, καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου. *Et post hac annis quadringentis quinquaginta dedit judices usque ad Samuelem prophetam.* Sed aliter legit vulgatus interpres, qui sic transtulit: *Sorte distribuit eis terram eorum quasi post quadringentos & quinquaginta annos. Et post hac dedit judices usque ad Samuel prophetam.* Ut alios secutus codices videatur, ubi scriptum foret: κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, ὡς μετὰ τετρακόσια πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου. Quomodo & in Parisiensi quadam editione editum. Ita annos CCCCL numerare conveniant à nato Isaaco, cui promissa fuit terra Canaan. Inde ad exitum ex Ægypto sunt anni CCCC: ut est Gen. XV. 13. Adde nunc XL annos, quibus in deserto fuerunt, & sexennium, quo in terra Canaan degebant ante sortitionem terræ. Sunt anni CCCCXLVI. Hæc bene quidem conveniant cum eo, quod ait Lucas sive Paulus, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα· *annis circiter quadringentis, & quinquaginta.* Sed necesse habeamus fateri corruptos esse Græcos omnes codices MSS; idque jam ab antiquis seculis, cùm nec aliter legerint Sancti Patres. Præterea non solum Apostoli verbis nitimur; sed etiam apertissimis Scripturæ verbis in libro Judicum, & primo Regum: unde clarissimè evicimus Chronologos prope omnes in temporibus ab exitu ex Ægypto, ad tempora Samuelis centum annis aberrare.

Cap. VII.

Num ab exitu ex Ægypto usque ad quartum Salomonis annum, quo templum condi cœpit, sint anni solum CCCCLXXX: *an vero locus* III *Reg.* VI. I. *quo id legere est, sit corruptus.*

QUibus aliud videtur, assiduò nobis, tanquam Gorgonius caput, obtendunt verba, hæc primi sive tertii Regum libri cap. VI. I: *Factum est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus regni Salomonis super Israel) ædificare cœpit domum Domino.* Ita codices Hebræi. Etiam Salmanticensis Judæus, qui scripsit Seder Olam: *Anno quarto regni sui cœpit Salomo exstruere templum anno Mundi* 3928: *quo tempore finiunt anni* 480 *egressionis in Ægypto. Nam anno* 448 *egressi sunt.* Imo & hoc pacto habet tralatio Græca in editione Complutensi. Clare enim exaratum ὀγδοηκοστῷ: non, ut in aliis, τετρακοσιοστῷ.

Mihi sic videtur, verba Hebræi codicis non debere intelligi ἁπλῶς, sed restringenda esse ad solùm tempus, τῆς ἀρχῆς, non etiam ἀναρχίας, ac servitutum.

Nempe ut duntaxat numerentur anni Mosis --	40.
Josuæ, & Seniorum —— —— ——	17.
Judicum, de quibus in Judicum libro ——	299.
Heli —— —— —— ——	40.
Samuelis & Saulis —— —— ——	40.
Davidis —— —— —— ——	40.
Salomonis —— —— —— ——	3.
	479.

Negamus igitur, id propositum fuisse divino scriptori, ut annos omnes referret; sed contentum fuisse, commemorare id spatium, quo Mosi, Josuæ, & Senioribus, item Judicibus ac Regibus, paruerunt, neglectis annis cæteris, quibus ab aliis servitute fuissent pressi. Quorum memoria erat tristis, & à quovis poterat colligi, & superiori numero superaddi. Hæc interpretatio, ut duriuscula videatur, mollior tamen est, quàm quibus detorquent apertissima tot Scripturæ loca, ne servitutum anni veniant in censum.

Sin

Sin interpretatio ea admitti non posse, videatur; puto, potiusquam sic Scripturæ tot loca manifeste adeò eludamus, satius esse ingenuè agnoscere eum Scripturæ locum esse vitiatum. Quod circa annum Christi quadringentesimum dicere veritus non est eleganter eruditus Theologus, ac in temporibus subactus, Severus Sulpitius, lib. I Historiæ Sacræ: ubi sic scribit: *Quarto fere imperii anno primum fundamentum jecit: a profectione Hebræorum ex Ægypto anno fere octavo, & octogesimo, & quingentesimo. Licet libro Regnorum tertio* CCCCXL, *fuisse referantur: quod nequaquam convenit. Siquidem per seriem superius comprehensam facilius fuerit, ut minus fortassis annorum, quam amplius annotárim. Sed non dubito, librariorum potiùs negligentiâ; præsertim tot jam seculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quam ut Propheta erraverit. Sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut, describentium incuriâ, quæ non incuriosè à nobis sunt digesta, vitientur.* Ad quæ Sulpicii verba hæc in Commentario suo Carolus Sigonius annotavit: *Cap.* VI. libro III. *Regum in Codice Hebræo numerantur anni* CCCCLXXX, *in Græco* CCCCXL. *Quæ res torquet multos, qui cælum terræ miscere malunt, quàm, ut aliquid vitii, vel humanâ contractum incuriâ, in sacris libris asserant. Sulpitius autem, natus ante annos mille ducentos, librariorum negligentiâ mendosa multa in sacris libris facta esse, præsertim in numeris censet; idque ne in suis aliquando eveniat, timet, aut potiùs prævidet. Neque enim quicquam apud eum numeris est vitiosius. Nonnulli vero post tot annorum spatia, multaque literarum detrimenta, omnia bene habere defendunt, ac sophisticis rationibus sinceritatem historicæ veritatis corrumpunt. In numeris autem annorum, Regum, & Israel, tanta diversitas, atque aliquando absurditas est, ut tutius esse videatur, confiteri eos librariorum culpâ aliquando vitiosos esse, quam ad ineptas interpretationes, & solutiones, confugere. Diversitas autem appàret, non solùm si ipsi numeri librorum Regum per se spectentur, sed etiam multò magis, si eum numeris librorum Paralipomenon conferantur, quâ de re alibi differemus, & viam ad errores tollendos, aperiemus.*

Sive autem locus ille Hebræorum codicum sit vitiatus, sive integer sit, sed eo, quo diximus, modo, vel non valde absimili, restringendus: omnino eò inclinat animus ab excessu ex Ægypto usque ad tempus, quo Salomonis templum condi cœpit, annos esse non solùm CCCCLXXX; sed centenos huic addi numero oportere. Quomodo ut sentiam, tribus potissimùm adducor argumentis.

Primùm petitur ab auctoritate librorum veteris instrumenti: quorum annis collectis hujusmodi numerus exsurgit. Nec movere debet, quod alii sic annos numerant, ut centenis annis minus resultet. Nam hi (ut de Seniorum annis taceam) etiam omne illud tempus prætereunt quo alienigenis servitum ab Israëlitis fuit. At nunc non loquimur de annis solùm τῆς ἀρχῆς, ut fortasse intelligendus est prophetes lib. I sive III Reg. cap. VII sed etiam τῆς ἀναρχίας: sive non solum de annis quietis, & libertatis; sed belli etiam, ac servitutis.

Alterum, quo nitimur, est auctoritas Apostoli Pauli Actorum XIII. 20. ubi ait, à distributione terræ Canaan, usque ad initium principatus Samuelis esse annos quasi CCCCL. Nam apponamus initio annos XL quibus fuere in deserto, & sexennium, quo in Canaan pugnatum ante distributionem ejus. Post Heli vero addamus annos XL quibus rexere Samuel & Saul, XL item quibus David rexit, & ternos Salomon, antequam inciperet templum condere: resultant anni integri IↃLXXIX. Proinde aut centum annis justum numerum auxit Lucas, sive Paulus: vel Regum lib. I. sive tertio centum anni desunt. Utrùm ergo dicemus centenarium in Regum libris incuriâ librariorum omissum: an eum in Luca, eorum vitio, malè appositum. Equidem non video, cur non æquè peccari potuerit à librariis Judæis, quàm à Christianis. Præterea ut à Judæis potius peccatum credamus, facit annorum numerus, qui particulatim in Hebræorum codd. legitur: sicut antea ostensum.

Tertium argumentum petimus ab eo, quod tam multi veterum ab eo numero, qui III, sive I Regum legitur cap. VI, sibi discedendum putarint; neutiquam, ut censeo, id facturi, si ex uno illo loco omnem posse decidi controversiam putassent. Sanè Glycas quidem part. II intervallum ab exitu ex Ægypto usque ad templum conditum annorum esse statuit CCCXXX; nisi corruptus, ut metuo, numerus, sit. Sed multis partibus plures id intervallum, quod diximus, majus esse, quàm in libris Regum legitur, judicarunt.

Novenos enim addit Aimoinus lib. IV de gestis Francorum cap. LIV. Quippe tribuit an. CCCCLXXXIX.

At CCCCXC adsignat Beda, Retractat. in Act. Apost. cap. XIII.

IↃII annorum id spatium censet Flavius Josephus lib. VIII Antiquit. cap. V, secundum codices ex tralatione Rufini. Quos sequuntur Dionysius Carthusianus, & Hugo Cardinalis in III Reg. cap. VI. item Sabellicus Enneadis I. lib. IX.

IↃX numerat Sulpitius Severus, si placet emendatio Caroli Sigonii.

IↃXL statuerunt LXX interpretes: ut videre est editione Germanica, atque ea, quæ emendatiùs prodiit Romæ est CCCCXL. Ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ ἔτει τῆς ἐξόδου υἱῶν Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου. Imò sic quoque legit in ea Sulpitius Severus. Sed meritò hanc sententiam rejicit. Sequitur tamen Oecumenius in Actor. cap. VII. Quod non satis attendit interpres ejus Joannes Hentenius. Nam ad oram annotavit, apud Oecumenium quidem legi τεσσαρακοστῷ: sed mendosè, esseque inde, quia *ex labili memoria hæc verba citavit.* Quod non scripsisset, si scisset similiter legi apud LXX.

IↃLX statuunt Tyrii teste Theophilo Antiocheno lib. III.

IↃLXVII annos posuit Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. cap. XI.

IↃLXXIV censet Melchior Canus lib. XI Loc. cap. V ad argum. XII.

IↃLXXXVIII, secundum vulgatos codices Sulpitii Severi.

IↃXCII Juxta Josephi codices Græcos *a*, ubi est πεντακοσίοις, καὶ ἐνενήκοντα καὶ δύο *b*. Quem numerum iccirco etiam in tralatione sua Sigismundus Gelenius expressit. Numerumque eum non esse vitiatum colligere est ex lib. X. Antiq. cap. XI, ubi ait templum fuisse crematum annis CCCCLX ex quo condi cœpisset, ab egressu verò populi ex Ægypto annis CIↃLXII. Nam si ab annis hisce detrahas CCCCLX, residui sunt IↃXCII.

a Lib. 8. Antiq. cap. 2. | *b Quingentesimo nonagesimo secundo.*

IↃCII, secundum Theophilum Antiochenum lib. III.

IↃCXII, secundum quosdam Josephi codices Latinos: ut videre est ex Tostato III Reg. VI. quæst. IV. & Pinedam lib. V cap. V. num. 101, & 612.

IↃCXXXIV, judicio Nicephori, Constantinopolitani Episcopi, Chronologiæ cap. IV.

IↃCLXXII, anni sunt, ex sententia Cedreni.

IↃCCXIII, secundum Philastrium Brixiensem III part. hæres. LXIII.

IↃCCLVII, aliqui statuunt, apud Nicephorum.

In tanto dissensu nulla, ut dixi, mihi æquè placet sententia, quàm Sulpitii Severi; nisi quòd unum censeam, vel alterum etiam annum, addi oportere. Nempe ut templum anno non CCCCLXXX; sed IↃLXXX, condi cœperit.

F I N I S.

Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimis Dominis,

AMSTELODAMENSIS REIP. CONSULIBUS,

ALBERTO CONRADO BURGIO, Curatori Societatis Indiæ Occidentalis, Illustrissimorum Fœderatæ Belgicæ Ordinum ad Potentissimum Russiæ Imperatorem, item ad Serenissimum Daniæ Regem, Exlegato, in Collegio etiam Illustrium Hollandiæ, & West-Frisiæ Ordinum antehac Delegato, Illustris Amstelodamensium Gymnasii Curatori;

CORNELIO GRAEF, Domino in Polsbroek, Societatis Indiæ Orientalis Curatori;

JOANNI CORNELIO GEELVINK, antehac in Collegio, tum Illustrium Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum, tum præfectorum rei maritimæ, Delegato;

GERBRANDO PANCRATIO, Curatori Societatis Indiæ Orientalis;

GERARDUS IOANNES VOSSIUS
S. P. D.

Nobilissimi, Amplissimi, Spectatissimi Viri,

INter tot bona, quæ doctrinæ temporum debemus, facilè principem meretur locum, quòd absque hac cœca sit rerum veterum memoria: non quasi non & alterum ejus lumen sit; (quem sibi honorem terrarum, locorumque peritia deposcit:) sed quia, citra commemorationem temporum, præcipua rerum gestarum monumenta, quasi tristibus tenebris, spissâque jaceant caligine sepulta. Utcunque enim ex memorabilibus, atque exemplis, de amplo veterum penu depromtis, non levem, tam pietatis, quàm prudentiæ, fructum capere sit, etiam ejus, quando quidque contigerit, ignaris: in totius tamen orbis historia, vel magni, ac diuturni imperii, totiusve Ecclesiæ rebus, si ordo gestorum fœdè conturbetur, ne illa quidem, quæ videre nobis videmur, magis cernimus, quàm eximiam, & ab omni arte laudatam corporis humani

F fabri-

fabricam conſpiceremus, ſolùm oculorum aciem defigentes in monſtroſam hominis picturam; ubi pectus, capitis; venter, pectoris; brachia, pedum occuparent locum. E contrario autem, ubi ſeſe extulerit aureum temporum jubar: pulſis tenebris, plusquam Cimmeriis, clarâ omnia luce veſtiuntur; inque formoſo corpore omne membrorum decus appâret. Atque hoc eſt ſerenum, ac ſplendidum illud lumen, quod in Hiſtoria exigimus; non modò, quò prudentiam magis habeamus ducem, tum in vita privata, tum gerenda Republica; ſed etiam ad duo alia longè omnium maxima, quæ Chriſtianam religionem propiùs tangunt: nimirum ad certiùs cognoſcendam Scripturæ veritatem; & ad mentem ejus meliùs perſpiciendam; præcipuè in rebus hoc ſeculo controverſis. Quorum utrumque, ubi otium fuerit magis otioſum, fuſiùs diducam: ſuffecerit nunc rerum carpere faſtigia; ne exiſtimer, novum magis ordiri laborem, quàm epiſtolâ ſimplici, quæ liber fieri non debet, pauca præfari, tum de minutis duobus opuſculis, quæ nunc publici juris facimus; tum præcipuè de noſtro, & antehac, & in poſterum, inſtituto: cujus Vobis potiſſimùm, Nobiles, & Spectatiſſimi Viri, rationem me reddere æquum exiſtimavi; quandò me hanc ipſam Temporum ſcientiam in Illuſtri Urbis veſtræ Gymnaſio docere voluiſtis; proque veſtro erga literas amore, atque erga literatos munificentiâ, bellè adeò, comiterque, jam annum habetis duodecimum; nec de me præclarè mereri deſinitis. Ut igitur à priori fructu, quem doctrinæ Temporum tribuebam, initium faciam; pace illud omnium, qui tempora non attendunt, vel morantur, exquirere paucis lubet; unde potiùs codices eos, qui canonem Scripturæ conſtituunt, à Prophetis eſſe, & Apoſtolis profectos, colligatur, quàm quòd, ſicuti apud nationes lampada alii aliis dabant, decurrentes in Vulcanalibus, Prometheis, Panathenæis: ita, longéque certiùs, Eccleſia, fidelis Scripturarum cuſtos, has ipſas, quaſi de manu in manus, tradiderit nobis? Nec eo offendi aliquis debet, quòd de Scripturis, ut traditionibus, loquar: cum hæ in iis, quæ Apoſtoli tradidere, familiam ducant. Illud potiùs dolendum, quòd homines profani, etiam, quæ ſcripto tradita ſunt, in dubium vocent: nempe quia, ut ajunt, quæ libris iis traduntur, res ſint longè à temporibus noſtris remotæ: cujuſmodi traditionibus non minùs ſæpe falli homines ſoleant, quàm numis adulterinis. Sed qui hunc in modum ratiocinantur, ignorare mihi videntur; veluti argentariis eſt lapis Lydius, quo metalla explorent: ita cunctis temporum intelligentibus eſſe, quo internoſcant traditiones veras à falſis, ſive ſcriptis, ſive non ſcriptis. In quorum utriſque ita comparatum eſt, ſicuti in catena videmus. Minuti enim artificii eſt, ſic annulorum alios aliis ſubdere, ut juncturâ referant catenam, licet eorum nexus ſit nullus. Hic ſi luſcitioſi ſimus, vel contenti è longinquo intueri; facilè quis oculos fruſtrabitur noſtros. Sin etiam annulos tangere grave non ducamus; mox fraudem loquentur manus. Simile quid in traditionibus uſu venit. Siquis enim in temporum ſcientiâ nihil, vel parum videat; facilè perſuaſeris, ea, quæ, ut Græci loquuntur, heri, & nudiuſtertius, tradi cœperunt, eſſe genuina antiquitatis monumenta; nihilque, niſi veritati conſentaneum, complecti. Sed in temporum ratione, & eorum ſcriptoribus ſubactus, priuſquam de rebus, vel auctoribus earum, ſtatuat aliquid, omnem Eccleſiæ ætatem tacitus animo pervolvet; donec vel concatenatio temporum traditionem comprobet veram, vel quiſpiam in ea defectus arguat falſam. Video quidem, non cujuſvis eſſe hanc viam inſiſtere. Sed hoc loco non tam de quovis è populo loquimur; quàm illis alicujus in ſtudiis nominis, aut progreſſus; quorum ſiqui ab hac ſcientia fuerint imparati, ſibi vitio vertant; vel quando ſe quilibet geſtit abſolvere; per me licet, ut culpam omnem transſcribant magiſtrorum inſcitiæ, vel inertiæ. Interea illis, quibus volupe fuit, ut ſanè debet,

ſecu-

feculis fingulis confiderare providentiam Dei in Ecclefia tuendâ, fervandâque; plana omnis hîc futura eft via; modò paullum in eam cogitationem, quam diximus, animum intendant. Equidem non diffitebor, quamquam id fine mœrore facere non poffum, incidiffe me in nonnullos, quibus de veritate Scripturarum non liqueret. Sed fuere illi partim indocti penitus; partim aliorum potiùs ftudiorum gnari, quàm vetuftatis. Vel fiquis non penitus hofpes in iis, quæ ad feriem temporum pertinerent, nihilominus in tam fancto negotio vix aliud, quàm ollas, & cucurbitas lippiret; ad manum erat facile remedium, quo faniorem ad mentem reduceretur. Quantilli enim hoc operis eft apud temporum gnaros, per priora ire fecula, donec perveniatur ad Chrifti vaticinia, præcipuéque miracula! Quorum fi magnitudinem confideremus, omnem exfuperant vim naturæ. Imperium enim exercuit Chriftus in aquas, ventos, arbores, pifces, morbos, mortem ipfam; ut qui mortuos fufcitârit. Nimirum tota illi ferviit rerum natura; eumque Deum, & Dominum fuum, agnovit. Jam quàm miracula illa multa! quàm varia! nimirum non hic, illic, patrata; non fubinde; fed ferie continuâ, præfertim in omnis generis morbis, vel tactu, vel folo etiam verbo, fanandis. Quid præterea iis certius? ut oftendit, quòd non in angulis contigêre; fed tam multa, tam populofa adiit loca, & undique magno ad eum ftudio accurreretur. Luftrata ei omnis Judæa, Samaria, Galilæa utraque, & terra cis Jordanem. Vel Hierofolymorum magnitudinem cogitemus, & iftic agentium multitudinem; præfertim Pafchali fefto: quo, ut ex Flavio Jofepho fcimus, non minùs iftic erat, quàm vicies fexies centena virorum millia. De miraculis verò, quæ habemus (infinitis autem partibus plura fuere, quàm fcimus) tunc temporis illa prodiderunt Euangeliftæ, cùm adhuc fupereffent multa adeò millia, apud quos miracula patrâffet. Ut quæ feciffet, præcedente, comitante, fequente plurimorum millium turbâ: quæ & ftupore illorum Regem eum voluit creare. Quare neque veritatem miraculorum in dubium vocare aufi fuere hoftes Chrifti. Quid aliud enim dixere Judæi, quàm Jefum ea facere ope fpiritus impuri? Quafi non eò tenderent illa, ut deftrueretur diaboli regnum. Neque gentiles aliud ei objectare, quàm magicas artes, quas in Ægypto didiciffet. Quafi non inde admodum infans cum parentibus fit reverfus. Ut mittam, quod magus nullus poffit adferri, qui vel millefima ex parte, ea fecerit, quæ Chriftus, fine carminum vi, fine herbarum fuccis, fine ulla obfervatione facrorum, libaminum, temporum: ut Celfo Epicureo ab Origene olim refponfum fuit. Sed de ifto, ut miracula Chrifti & magnitudine fuerint ftupenda, planéque naturæ vim excedentia; ut eadem effent numero innumera; ut fide etiam longè certiffima; figillatim alibi, & accuratè agemus. Atque idem de Apoftolorum etiam miraculis, imò & illis, quæ proximis contigere temporibus, dictum velim. Nunc inftitutum profequamur. A primis hifce Chriftianorum temporibus per antiquiora fecula ad orbis adfcendere primordia, longè fuerit pulcherrimum. Sed enim plerique omnes laboris fumus fugientes. Ut fic quoque non leve quiddam me confecuturum arbitrer, fi faltim unum hoc impetrâro, ut ne illi, quibufcum nunc mihi apud Vos, magni ac fanctiffimi Proceres, negotium eft, ante inire temporum rationes definant, quàm illas de Chrifti miraculis fubduxerint probè. Ubi enim ex hifce clarè iis eluxerit divina Servatoris virtus: eâdem hinc conftabit, non folùm de veritate inftrumenti Novi, fed etiam Veteris: quandoquidem, uti Mofes, & Prophetæ, teftantur de Chrifto: fic etiam Chriftus ad eos nos remittit, velut teftes omni exceptione majores. Utinam verò, ficuti nos ex inftrumento Novo de Veteri fumus certi: fic Judæi ex Veteri perfpicerent veritatem Novi. Mutuò enim allucent facem: atque ita

allucent, ut Novum Soli, Vetus Lunæ, quæ à Sole lumen accipit, conferri mereatur. Sed enim Judæis quoque horribilis ea mentis cæcitas, justo Dei judicio, obvenit ex temporum ignorantia. Nam cùm hi parum admodum videant in gestis excidium prioris templi consecutis; sine quibus LXX Danielis hebdomades, aliaque tam præclara de Christo vaticinia, intelligi minimè possunt: tum verò longè minùs conspiciunt in temporibus Christi, & Apostolorum, quæque excidium templi secundi exceperunt. Ubi non aliud elogium promerentur, quàm istoc, quo, (ut apud Platonem est) Græcos dignabatur Ægyptius sacerdos, semper eos esse pueros. Atque hæc quoties cogito, non possum non ambabus, quod dicitur, ulnis amplexari grande illud beneficium Dei, in populo suo conservantis historiam temporum, non illorum modò, quæ Christum antecedunt: sed Christi ipsius nascentis; in terris commorantis; adeò digna Deo præcipientis de numine purâ mente colendo, nec in honore, vel opibus, sed Deo, & promissis divinis, fiduciam reponendo; coram tot testium oculatorum millibus, tot, tantaque miracula patrantis; tam dura atque aspera, mortem ipsam cum infamia, sponte etiam subeuntis; tertio die, uti pollicitus erat, resurgentis; inde quadragesimo post die in conspectu Apostolorum, quingentorum etiam fratrum, adscendentis in cœlos; exinde Spiritum S. Hierosolymis mittentis Apostolis; qui, homines licet simplices, nullâque honorum vel commodorum spe, potiùs cum magna dirorum suppliciorum, à quibus natura usque adeò abhorret, exspectatione, religionem Christianam, longè adeò latéque, per totum terrarum orbem, breviculo temporis spatio, non sine singulari Dei providentiâ, & ingentibus miraculis, propagarunt. Quid si jam ulteriùs persequi velim consecuta quindecim secula; quibus Dominus noster, postquam cælos repetiit, ad dextram Patris considens, Verbo ac Spiritu Ecclesiam suam adversus omne hostium genus defendit, ac conservat? Sed enim suffecerit ista carptim ac vellicatim attigisse: quando ea meditanti obscurum esse nequeat, temporum notitiâ nos de Scripturæ veritate fieri peritiores. Proximum igitur est, ut in alterum (de quo præterea me dicturum receperam) considerationem paucis intendam: quomodo nimirum hæc ipsa temporum doctrina præstet, ut Scripturarum mentem faciliùs, certiusque, litigioso hoc seculo, capiamus. Omnes profectò experientiâ sumus edocti, non contumeliosè, sed verissimè dici, ipsas auro magis aureas Scripturas, quæ omnia ad credendum, sperandum, faciendum, necessaria, perspicuè satis continent, malè nihilominus posse intelligi. Et quis diffiteatur, non id modò habere in aliis locum; sed in sese etiam, ac unoquoque nostri; quando omnes sumus homines, ac errori iccirco obnoxii? In hac verò imbecillitate humanâ, non temere illud à Tertulliano, Latinorum Ecclesiæ scriptorum, quos habemus, vetustissimo, dictum fuit, antiquissimum quodque verissimum esse. Ecquid igitur ingeniis modestis (nam illa omnisciolorum pro desperatis habemus) ad veram Scripturæ intelligentiam, atque adeò etiam ad Ecclesiarum pacem, fructuosius esse possit, quàm si ante omnia quidem, animo veritatis percupido, Deum in Scripturis loquentem audiamus, præsertim eâ linguâ, quâ divinitus sunt exaratæ: mox verò, quia nullus sibi uni, vel paucis secum, Spiritum Dei ad Scripturas capiendas vindicare debet, audiat quoque Spiritum in Ecclesiâ loquentem: eoque homines consulat pios juxta ac eruditos; ac novellis doctoribus superaddat antiquos; ut hoc pacto cognoscat, quid in Scripturarum interpretatione constanter amplexa sit Ecclesia vetus; quando, & ubi, fuerit recessum à judicio vetustatis; quid primò, quid deinde, quid postremò placuerit; atque ubi primis, ubi mediis, ubi ultimis temporibus, vel alii alios tulerint, vel anathema dixerint dissentientibus? Si aliter nos componamus, quomodo non in hac mentium caligine, cæcóque amore sui, crebrò, quod dicitur, à janua aberremus, dum

dum suo quisque, vel etiam æqualium aliquot judicio, Ecclesiæ doctrinam, ac gubernationem, metitur: prisca verò, & meliora illa tempora, eò despicit, quia ignorat? Quamobrem nihil æquè miserum statuo, quàm quòd iste antiquitatis contemtus, sive segnitie juventutis, sive aliâ de caussâ, quam dicere nihil attinet, tanta quotidie capiat incrementa. Et tamen ea est temporum malignitas, ut vix liceat ulcus hoc Chironium tangere. Et si liceat, brevitas instituti nostri nunc non sinat. Dolor interea expressit, ut, quæ dixi, illustri comprobarem exemplo; idque eorum potissimùm, apud quos vitium hoc præcipuè dominatur. Quales censeo, qui Samosateni, vel Photini dogma orbi recoquunt Christiano. Nam si cuncta Christiani nominis tempora tacitè animo percurramus; nullam comperiemus Ecclesiam, ab Apostolis, vel iis, quos hi miserant, constitutam, quæ aliquem ejus sententiæ agnoverit doctorem. Equidem non diffiteor, quod obtendunt, extremis Apostolorum temporibus fuisse Ebionitas. Sed ullamne ex iis, quas dixi, Ecclesiis dare poterunt, quæ vel decimo successionis gradu, multóque etiam postea, in defuncti episcopi, presbyteri, diaconi, imò vel hypodiaconi, lectoris, cantoris, vel exorcistæ locum, prudens sciens Ebionitam advocârit? Foris hi cœtus suos inibant; extra Ecclesiam erant, quam oppugnabant. Ex hoc genere est censendus Theodotus Byzantius, coriarius ille; qui postquam nihil pensi habuit novum dogma inducere de Christo mero homine, ob defectionem hanc, à Victore, urbis Romanæ episcopo, qui anno ducentesimo, & antea, claruit, Christianâ meruit communione privari. Ejusdem farinæ erant duo ejus discipuli, Asclepiodotus, & Theodotus trapezita: à quibus Natolius, auro corruptus, cùm antea Confessorum choro accenseretur, Ecclesiâ relictâ, factus est Theodotianorum episcopus. Hic, postquam divinitus graves in somnis pœnas dedisset, vix tandem à Zephyrino, qui Victori successerat, in Ecclesiam est receptus. Quid nunc de Artemone dicam, atque omnibus ab eo profectis? Quid item de Samosatensi Paullo, Antiochenæ Ecclesiæ præsule? qui nisi ab omnibus audiisset Catholicus, nunquam per varios honoris gradus adscendisset, donec eâ in Ecclesiâ teneret primas, ubi primò auditum fuisset Christianorum nomen; quæ etiam Ecclesiarum Orientis prima censeretur. Eo in honore ordine illum præcesserant, Euodius, Ignatius, Hero, Cornelius, Hero alter, Theophilus, Maximinus, Serapio, Asclepiades, Philetus, Zebennus, Babylas, Fabius, Demetrianus: ut Paullus iste fuerit præsulum Antiochenorum quinctusdecimus. Sed operæ est cognoscere, quid virum tantum impulerit, ut desereret fidei normam, quam observassent tot sui decessores, viri sanctissimi, plerique etiam scriptis, & martyrio inclyti. Vivebat iis temporibus Zenobia, Odenati vidua, Palmyrenorum regina: quæ in Oriente longè, latéque, rerum potiebatur; multúmque metuebatur à Persis, Arabibus, Saracenis, Armeniis, Ægyptiis; diu etiam à Romanis. Cumque doctissima foret ipsa, doctos etiam magno in pretio habebat; ante omnes Longinum, eâ eruditione virum, ut viva bibliotheca, & obambulans Museum, diceretur. Atque ille quidem religione erat gentilis; ipsa autem Judæa; unde & doctissimos secum Judæos habebat. Horum commercio tantum profecit Longinus, ut præclaro admodum elogio Mosem ornaret, aureolo, qui hodiéque superest, libello de sublimi dictione. Sed ut ea cum Judæis familiaritas Longino profuit non mediocriter: ita è contrario perdidit Samosatenum. Nam cùm eâ tempestate Antiochia, Syriaque universa, in Zenobiæ forent potestate: sæpius confligandum erat Paullo cum Judæorum doctissimis, & disertissimis. Ac magnopere quidem adlaborabat ille, ut & hi, & regina ante omnes, (quæ eum magni faciebat, & à qua ipse majoris fieri cuperet) deinceps agnoscerent, Jesum esse promissum illum Messiam. Sed offendebantur illi doctrinâ Ecclesiæ, de uno Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Quò etiam pertinebat

receptissima gratias agendi forma: *Deo Patri*, *&* *Filio*, *Domino nostro Jesu Christo*, *cum Sancto Spiritu gloria*, *&* *imperium*, *in secula seculorum. Amen.* Siquidem Samosateni temporibus utebantur hac normâ, eâque à majoribus acceptâ: ut testis est locuples eorum temporum scriptor Dionysius Alexandrinus: cujus de eo verba legere est apud B. Basilium in præclaro de Spiritu Sancto opere ad Amphilochium, Iconiensem episcopum. Paullus ergo faciliorem hoc pacto sibi victoriam ratus, neglectâ priorum doctrinâ, in Artemonis castra concessit; Judæisque illud largitus fuit, unam esse ὑπόςασιν divinæ naturæ; nec Jesum priùs fuisse, quàm de Spiritu S. è Virgine Mariâ nasceretur. Non tulit tam fœdam συγκατάβασιν Synodus Antiochena: quæ propterea Paullo Domnum suffecit; approbante hoc ipsum episcopo Alexandrino. Nempe nihil tale hactenus, vel Antiocheni audierant, jam inde ab Euodii temporibus; vel Alexandrini, ex quo iis præfuisset Marcus Euangelista: quorum uterque Ecclesiis illis, præcipuis totius Orientis, primus ab Apostolis episcopus datus erat. Patriarchæ Constantinopolitani sententiam nemo hîc à me requirat; quando necdum nova erat Roma. At veteris Romæ, & cum eo totius Occidentis, idem fuisse judicium de Paullo, partim eò scimus, quia scriptores antiqui, ac fide digni, ita de hoc prodiderunt; partim quia etiam, dum gentiles forent imperatores, nec universalia haberi Concilia possent; ne non Apostolica de duabus in Christo naturis per omnes Orbis Ecclesias decurreret, cùm aliter cavebatur, tum præcipuè commercio literarum, quas dixere pacificas, canonicas, ecclesiasticas, communicatorias, vel etiam formatas. His enim vel maximè, quod multi non satis attendunt, continebatur illa in Christiana fide contesseratio hospitalitatis; ut eam vocat Tertullianus. Nulla quippe Ecclesiarum ab Apostolis edocta, primumve ab iis nacta doctorem, ignara erat doctrinæ, quæ ab Apostolicis in ea sonuisset temporibus: ubi quicquid memoriæ hominum, etiam longævorum, deesset, Ecclesiasticis supplebatur archivis. Quocirca nec Samosateno, vel ejus asseclis, nec omnino cuipiam, qui ab Catholica se Ecclesia separâsset, epistolas dedisset canonicas. Cujus rei complures laudare testes possum. Sed fuerint omnium instar Optatus Milevitanus, & Hipponensis Augustinus: quorum ille, cùm lib. II urbis episcopos memorâsset ad Siricium usque, sui temporis episcopum Romanum; subjungit deinde: *Cum quo nobis* TOTIUS ORBIS *commercio Formatarum in una communionis societate concordat.* Alterius est epist. CLXIII, ad Eleusium, & alios: *Hic primò asserere conatus est, ubique terrarum esse communionem suam. Quærebam, utrùm epistolas, quas formatas dicimus, possent, quò vellent, dare; & affirmabam, quòd manifestum erat omnibus, hoc modo facillime illam terminari posse quæstionem.* Ac præcedenti etiam epistolâ idem dixerat: *Unde factum est, ut etiam ad nonnullos Donatistarum primarios scriberemus, non communicatorias literas, quas jam olim, propter suam perversitatem, ab unitate catholica, quæ toto orbe diffusa est, non accipiunt; sed privatas tantùm.* Nec horum demum temporibus ea formatarum cœpit consuetudo. Nam, ut de Laodiceno Concilio taceam, deque ipso Niceno (quorum illud literarii talis commercii meminit canone CXLV, hoc XVIII) etiam Eusebius Pamphili in septimo Historiæ conservavit nobis hujus generis epistolam; & quidem à Synodo Antiochenâ ad Dionysium Romanum, & Maximum Alexandrinum, in ipsius Samosateni caussa exaratam. Quin, ab excessu Apostoli Joannis annis quadraginta, vel etiam minùs, obtinuisse eas in Ecclesia, vel ex vita Xysti apud Anastasium conspicimus. Vereor, ne promissam brevitatem, modumque epistolæ, excedere videar, si ulteriùs sermonem producam de duobus illis ingentibus bonis, quæ è temporum doctrina promanare dicebam. Ea parùm ipse attendebam, cùm animum ad hoc studium appellerem in prima penè adolescentia. Quid mirum? quando non tam judicio

ad illud deferrer, quàm occasione bibliothecæ, bellè adeò instructæ, etiam ab antiquis Ecclesiæ scriptoribus, quam reliquerat mihi doctissimus, idemque vetustatis amantissimus parens meus. Sed quanto cum ætate altiùs me postea in hoc studium penetravi: tanto magis ejus necessitatem perspexi. Præcipuè verò ex laboribus istis vidi fructum me percepisse maximum, postquam Theologico illustrium Hollandiæ, & Westfrisiæ Ordinum Collegio præfectus, cum Scripturis cuncta Ecclesiæ tempora jungerem; atque ita, nullâ spe, nisi cælesti, laborem mihi ipse duplicarem. Idem amor, ac studium mansit, cùm deinde in Leidensi Academia, præter literas Græcas, omnem omnium temporum historiam, sacram, Ecclesiasticam, civilem, enarrarem. Ac quamvis, ut alia omnia, ita animum quoque auferre ætas soleat: necdum tamen mihi, in illustri Gymnasio vestro idem studium profitenti, ardorem istum ætas exstinguit frigidior: quin potiùs gliscit. Nempe majoris mihi semper fuit conscientia, quàm res fluxæ: eoque penè hoc uno melior cuncta, ut in Die illâ, quæ animo semper obversatur, otii pariter, ac negotii mei, faciliùs Deo rationem reddam. Quomodo animatus, quicquid mihi temporis à publico munere, auctoritate vestrâ imposito, restat, id omne, quatenus per indigenarum, ac præcipuè exterorum interpellationes licet, in eo insumo, ut literarum etiam monumentis non malè promerear de studiis, præcipuè juventutis. Quocirca ut in aliis à me artibus, ac scientiis, factum: ita, in doctrina quoque temporum, multa jam literis mandavi. Sed hactenus penè omnia in bibliothecæ forulis delitescunt. Interim tempora labuntur, atque ætas affecta aurem vellit, ac cogitare jubet de sarcinulis colligendis. Eo igitur animo sum, ut illis dem lucis usuram, in quibus perficiundis, vel emendandis, minus operæ desideratur. Solùm dubitavi, utrùm satius foret, initium ducere ab orbis, an Christi incunabulis. Verùm enimvero licet temporum doctrina, præstantium virorum industriâ, nunquam majora ceperit incrementa, quàm seculo proximo: multùm tamen vereor, ne non unius ætatis negotium sit, priusquam hæc scientia ad id fastigii adsurgat, ad quod aliæ quædam jamdiu pertigerunt. Nec propterea tam animo, quàm otio, mihi opus sit in exsarciandis nostris. Utcunque enim viribus diffidam meis: bona tamen spes est, in hoc etiam studio, ubi toties noctem omnes offendimus, quò plures plura dicent, & conferent, eò citiùs posse tenebras discuti. Quocirca ab illis Veteris Instrumenti paullisper recedam cum animo revertendi. Nunc verò exorsus à Novo, diatribam geminam; unam de Sospitatoris nostri genere; alteram de annis ejus nati, baptizati, mortui; publici juris facio. Utramque, magni magnæ Urbis ANTISTITES, columina patriæ omni laude majora, amplissimo nomini vestro, L. M. Q. offero, dicoque. Nec ignoro, quanto majora meritis debeantur vestris. Sed cùm non possem hoc tempore, quali vellem; volui, quali poteram testimonio, cultum atque officium nostrum testari. Et fidentiorem me faciebat, notissima omnibus æquitas judicii vestri: ut iniqui ipse judicii reus fuerim peragendus, si metuissem, ne libellis nostris plus demeret favoris, quòd exigui forent; quàm adderet argumenti non præstantia modò, sed etiam difficultas. Et stultè adeò si sapuissem, sapientiâ tuâ errori nostro, vel in proximo de libellis nostris sermone, longè humanitatis & affectus plenissimo, mederi potuisses, magnifice, atque amplissime Consul, ALBERTE CONRADE BURGI, tot jam honoribus perfuncte, non in Urbe modò patriâ, cum quavis Orbis certante; sed in totius etiam Hollandiæ, ac West-Frisiæ Senatu; legationibus quoque ad Russiæ Imperatorem, & serenissimum Daniæ Regem, magnâ prudentiæ laude feliciter obitis, longè, latéque, celebratissime: tum autem, (quod, multis partibus minus sit licet, me tamen, & literarum studia, propiùs spectat) Athenæi nostri jam ab eo tempore Curator, quo sic Deo, & prudentissimæ

mæ Urbis hujus Proceribus, placuit, ut ego, & ab omni laude cumulatissimus collega meus, Casparus Barlæus, prima illius fundamenta jaceremus. Ut verò porrò etiam structura ejus pulchrior, pulchriorque exsurgat; & voce, & calamo, pariter adnitimur. Ac si vita suppetat, uberiores deinceps animi hujusce testes dabo, non modò publici boni amore, sed etiam vestri: quibus si placebunt nostra, magis placitura sunt aliis, & auctori; quantóque Vobis per hæc carior reddar, tantò ipsi etiam mihi carior fiam. Deus Opt. Max. porrò quà terrâ, quà mari, Urbem hanc secundet; jam nunc licet felicitate, & rerum copiâ, nulli secundam. Atque idem familias vestras cunctis animi, ac fortunæ bonis locupletet. Vos ipsos, ex bonorum civium, tot etiam eruditorum votis, Urbi, Ecclesiæ, Gymnasio nostro, imò potiùs vestro, sospites ac propitios diutissimè conservet.

Amstelodami. CIↃ IↃCXLIII. V Kal. Novemb.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
GENERE JESU CHRISTI
DISSERTATIO.

VTilis, imò necessaria est consideratio de genere Jesu, ut constet, eum esse promissum Messiam. Nam in paradiso quidem non aliud prædictum erat, quàm semen mulieris contriturum caput serpentis *a*: posteaque id restrictum fuit ad semen Abrahæ *b*, Isaaci *c*, & Jacobi *d*: tandem autem limitatum est in Davide, filio Jesse *e*. Quare, nisi Christus sit natus ex Abrahamo, ac Davide, non fuerit promissus Messias. Hinc est, quod tanto studio doctrinam eam semper impugnarint veritatis Euangelicæ hostes: ac contrà pro ea, tanquam pro aris, & focis, semper decèrtarint amici cælestis veritatis. Interea negare non possumus, hos ipsos, etsi in summa rei convenirent, in nonnullis tamen diversa sensisse. Quid mirum? quando vix alia est controversia, quæ majoribus implicetur difficultatibus. Propterea operæ me facturum putavi, si ordine hæc duo exponerem: priùs, quid Matthæo Euangelistæ; deinde, quid B. Lucæ in genealogia sua fuerit propositum. His duobus duo alia, mantissæ sive corollarii loco, subjungam: unum est, an repugnet Scripturis, quòd Jesus à gentilibus, ac Judæis, Pantheræ filius dictus sit. Alterum verò, quos Scriptura appellet fratres Christi. Aliqua etiam alia quatuor istis inspergam. Quippe occasione genealogiæ Jesu secundùm Matthæum, etiam aperiam, quid sentiendum sit de Euangelio Hebraicè exarato, quod Matthæi habitum fuit. Nunc promissa exsolvere aggrediar.

a *Gen.* 3. 15.
b *Gen.* 12. 3.
c *Gen.* 26. 4.
d *Gen.* 28. 14
e *Psal* 88 *sive* 89. 4. 5. & *Psal.* 131. *sive* 132. 11. *item* 2 *Par.* 17. 11. & *seqq.*

CAPUT I.
DE
GENEALOGIA JESU CHRISTI
SECUNDUM MATTHÆUM.

I.

B. Matthæo propositum fuit demonstrare Jesum esse filium Abrahæ, ac Davidis: ut liquet ex primis Euangelii verbis: Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

UBi *liber* sumitur more Hebræorum; qui, (ut videre est Genes. v, 1.) similiter dicunt ספר תולדות *sepher tholedoth*: quod signat, *librum generationis*: hoc est, catalogum, sive recensionem. Sed Moses dicit, *librum generationis Adam*; Matthæus, *librum generationis Jesu*: ut illic *generatio* sumatur activè, de iis, quos Adam genuit; hoc est, de posteris: hìc de illis, à quibus genitus est Christus; hoc est, de majoribus Christi. Verba igitur adlata non ad universum pertinent Euangelium; sed tantummodo ad sequentes proximè ternas *γενεὰς δεκατέσσαρας* *a*.

a *Generationes quatuordecim.*

II.

Esse verò Christum ex genere Abrahæ, ac Davidis, eo comprobat Matthæus, quòd Josephus ab iis fuerit propagatus.

NOn ulteriùs, quàm ad Abraham, ascendit; quia, ut superius dixi, post Adamum primus Abraham fuit, cui promissio fieret. Huic Davidem addi opus erat; quia ultimus est eorum, ad quos in Verbo Dei promissio restringatur. Neque cùm David in Scripturis *vir Dei* *a* nuncupatur, id solùm propter actiones ejus dictum puto, quarum aliquas admodum fuisse improbas negare non possumus: sed etiam, imò potissimùm, quia David placuit Deo in Christo, ex semine ejus nascituro. Itaque & cùm Ezechiæ ait, se liberaturum eum propter David *b*; præcipuè attendi arbitror hanc de Christo promissionem.

a 2 *Paral.* 8, 14. & *Nehem.* 12, 24.
b 2 *sive* 4 *Reg.* 20. 6.

III.

In hac verò genealogia referri, qui naturâ, seu ἐμμέσως c, *seu ἀμέσως* d, *filii fuerint, ex eo colligi videtur, quòd Matthæus utatur voce γεννᾷν* e. *Quo significat, Josephum fuisse naturâ filium Jacobi: ac similiter de omnibus sentiendum, qui præcessere.*

c *Intervenru'alicujus.*
d *Proximè.*
e *Generare.*

PLus enim est, genitum esse ab aliquo, quàm ejus filium dici. Sanè Angeli, & Adamus, vocantur filii Dei; qui tamen ab eo non geniti, sed creati fuere: nec filii adoptivi sunt geniti ab adoptante; ut satis liqueat, ab aliquo esse genitum non tam late patere; quàm alicujus filium vocari.

IV.

Sed gravis hic quæstio exsurgit, an solidè sic adstruatur Jesum esse è stirpe David. Sanè Judæi, ac Gentiles, duo objectare Christianis solent. Unum est, si Christus sit Virginis filius; genus Josephi nihil ad

genus Christi pertinere. Alterum est, si Christus è matre censeatur; è Levitica tribu fore; non è Juda, unde David descendit.

EX gentilibus, qui, hac parte Judæos secuti, Christianis isthæc objectarint, primus fuit Celsus ille, contra quem Origenes scripsit. Is Jesum fuisse Pantheræ filium ajebat; ut postea ostendam. Hunc secutus fuit Porphyrius; ut ex Hieronymo scimus. At Porphyrium Julianus Apostata de quo testes nobis B. Hieronymus comm. in cap. 1 Matth. & Cyrillus Alex. lib. 1 contra Julianum. Imò & ab hæreticis nonnullis idem factum: ut Fausto Manichæo; de quo cognoscere est ex illis, quæ adversus eum scripsit Augustinus lib. XXIII, cap. IX. Atque hi sunt, qui se tuentur utroque eorum, quæ dicebamus.

V.

Posteriori priùs occurram. Non si Elizabetha erat filia Aaron, eò etiam Maria fuerit Aaronis filia. Nam Mariam quidem statuimus ex utroque parente descendere è tribu Juda: Elisabethæ autem matrem, vel aviam, nupsisse viro è tribu Levi; ut ea hac ratione filia Aaron dicatur.

NEc tamen defuere ex veteribus, qui paullò aliter responderent. Ajunt illi, Mariam ratione paterni generis fuisse ex Juda; ratione materni, ex Levi. Elisabetham autem ejus cognatam fuisse materna stirpe. Sanè sic quoque Christus sit ex stirpe Juda; sed simul etiam ex stirpe Levi. Verùm obstare videtur, quòd ad Hebr. cap. VII, dicitur, non fuisse Jesum ex tribu Levi, sed Juda. Quare verisimilius censeo, Mariam ratione utriusque parentis fuisse ex stirpe Juda: Elisabetham verò duntaxat ratione matris, vel aviæ. Id enim satis est, ut cognata dicatur. Eoque nec audio fabulatores istos, qui persuadere nobis student Annam, matrem Mariæ, fuisse filiam sacerdotis Matthan, sororesque habuisse Mariam, & Sobam: quæ apud Nicephorum, plurimarum fabularum consarcinatorem, legere est.

VI.

Vidimus, quàm infirmo nitantur tibicine, qui ex eo, quòd Elisabetha, Mariæ cognata, fuerit filia Aaron, collegerunt, etiam Mariam fuisse filiam Aaron. Nunc diluendum, quod objectant, ex genealogia Matthæi (addunt & Lucæ, de quo postea videbimus) tantum sequi, Iosephum fuisse ex familia David; non item Christum: ut qui non Iosephi, sed solius Mariæ filius dicatur. Huic argumento aliqui eo putant satisfieri, quòd multis modis aliquis filius *dicatur: interque eos modos sit connubii unus. Filium igitur Davidis esse, quia connubiali lege filius esset Iosephi; quem genus suum à Davide duxisse, satis convenit.*

HOc pleniùs intelligetur, si explicemus, quàm variè accipi soleat *filii* vocabulum. Sic verò vocatur aliquis vel Naturâ, vel Lege. Naturâ quis ejus est filius, è cujus semine est genitus. Lege autem alicui id nomen bifariam tribuitur: nempe vel communi gentium lege, vel propriâ Israëlitarum. Posterioris erat generis illa, qua viduam defuncti sine prole proximus sanguine ducere jubebatur, non tam sibi, quàm defuncto, prolem inde suscitaturus. Communis verò Lex vel adoptionis est, vel connubii. Adoptionis erat, qua extraneus, sive is filiusfamilias sit, sive sui juris, in liberorum assumitur locum. Connubii est ea, qua gener soceri, privignus vitrici filius habetur. Sufficere igitur putant, quòd Josephus, Mariam ducendo uxorem, parens Christi fieret: inque eo, qui patrem in terris naturalem non haberet, patris naturalis loco foret: unde & ipsa Maria, filium alloquens, eum patrem illius vocat. *Ecce*, inquit, *pater tuus, & ego, cruciati quærebamus te.* Luc. II, 48.

VII.

Sed multum metuo, ne obstet illud, quod sic non probetur esse è tribu Juda; ac multò minùs è semine Davidis. Atqui cùm promissum est Davidi, ex semine ejus nasciturum Messiam, seminis voce, non qui connubio materno fieret filius; sed qui naturâ foret filius, intelligi videtur.

SIc sanè semper Synagoga, semper etiam Ecclesia, promissionem eam intellexit. Semper etiam Sancti Patres statuerunt, Jesum non solà connubii lege; sed etiam materno, avitoque sanguine, à Davide genus ducere.

VIII.

Dispiciendum igitur, an non solidiùs occurrant, qui ex Numer. XXXVI, 6. colligunt, non licuisse virginibus nubere extra tribum suam: eoque, si ostensum sit, Iosephum esse ex tribu Juda, pariter liquere, Mariam eâ ex tribu fuisse: præsertim cùm Iosephus fuerit vir justus, ut tradit Scriptura a; *ac propterea* a Matth.
nihil adversus Legem fuerit acturus. 1, 19.

SIc veterum multi argumentantur: in his Ambrosius in cap. III Lucæ, & B. Hieronymus in cap. 1 Matthæi. Imò in hoc responso etiam Annalium Ecclesiasticorum
conditor acquiescendum sibi putavit in Apparatu suo *b*. b Num.
31.

IX.

Verùm non, si Maria debuerit nubere tribuli, eò consequitur, nupsisse alicui è stirpe David. Quippe Juda reliquit Phares, & Zara; Phares Hesron, & Hamul. At David non fuit è familia Zerachi, nec Hamul; sed è familia Phares. Imò ex Hesronis familia erant Jerameel, Ram, Chalabai. Non David fuit ex Jerameel, vel Chalabai, sed Ram; à quo septimus est David. Vide 1 Paral. c. II, vers. 4, 5, 9. & seqq.

CUm igitur Davidis tempore multa millia fuerint in tribu Juda præter Davidem; & illi non minùs posteros reliquerint, quàm David: nihil apertius est, quàm ex eo, quòd nuberet tribuli, minimè consequi, nupsisse alicui è stemmate David.

X.

Præterea oggeritur à Judæis, Mosen Num. XXXVI, non loqui de virginibus quibusvis; sed tantummodo ἐπικλήρους, *sive hæredibus: quibus solis non licuerit nubere extra tribum suam: at licuisse id cæteris, hoc est, iis, quæ fratrem aliquem, vel plures haberent. Et sanè, quod hi dicunt, id cuivis Mosen inspicienti apertissimum est. Etiam Deuter. XXI, 11. permittitur ducere alienigenas, præter Cananæas bello captas. Varia item suppetunt exempla eorum, qui uxorem duxerint extra tribus suas.*

SIc Naasson, tribus Iudæ princeps, Elisabetham, priorem Aaronis filiam, duxit uxorem. Iudicum ultimo jurant tribus aliæ, non daturas se filias suas Benjamitis, propter scelus ab iis patratum. Ergo antea id solent facere. Salmon duxit Rachab Cananæam. Filius ejus Booz Ruth Moabitidem. David Michlol Benjaminicam; quippe Saulis Benjamitæ filiam. Atque (ut taceam de Salomone, ducente filiam Pharaonis:) Joada sacerdos adsumsit uxorem Iosaben è tribu Levi, amitam regis Ioas. Quanquam postremum hoc exemplum non multum adversatur Epiphanio adversus Antidicomaritas: ubi statuit, duas tribus Iudæ, & Levi, matrimonia inter se junxisse. Rectè hoc: at non item, quòd isthoc putat ab hisce solis factum. Nam contrarium prioribus evicimus exemplis.

Ac video, plura etiam pro hac sententia adferri à Bonaventura Cornelio Bertramo in Lucubrationibus Frankentalensibus cap. VI a, Nempe omnis illorum, qui dissentiunt, error ex eo profluxit, quòd locum Numerorum perperam intellexerint: nec distinxerint inter virgines ἀπροίκους, quæ dote erant contentæ, & ἐπικλήρους, quales unigenitæ, vel si sororem haberent, saltem carerent fratre; eoque patrimonii essent hæredes. Sanè hoc virginum discrimen etiam apud Cyprios, & Athenienses obtinuit: de quo mox pluribus dicam.

a Pag. 79. & 80.

XI.

Etsi verò Num. XXXVI solùm præcipiatur, ut filia hæres suo nubat tribuli: caussa tamen, quæ ibi in filiabus Zelophahadi adfertur, monere visa est, ut ἐπίκληροι potius nuberent sanguine proximo, quàm longiùs remoto. Quippe caussa apud Mosen adfertur ea, ne possessiones de tribu transeant in tribum. Consultissimum igitur credebatur, ut non in eâdem solùm tribu; sed etiam familiâ eâdem, possessiones manerent.

ET profectò quis dubitet, quin ἐπίκληροι suos quàm facillimè invenirent amatores, & quicunque ejusdem forent familiæ, illud insonuerint virginis auribus, ne, alios præferendo, dedecoratum se suamque familiam iret, ac possessiones à suis transferret ad alienos? Interea quoque suam rem agebant boni illi agnati, quòd mortibus aliquorum sine liberis decedentium sperarent ad se, vel liberos, aut nepotes, bona isthæc posse devolvi. Ut dubitandum non fuerit, quin ἐπίκληροι b, partim ne probro familiam afficerent, partim ne offenderent consanguineos, partim etiam quòd tutores proximi aliter non sinerent, suæ etiam familiæ alicui nubere soleant. Sanè in postremo illo Numerorum capite videmus, ut, quamquam tantùm præceptum esset, ut filiæ hæredes nuberent tribulibus suis; quinque tamen filiæ Salphaad, sive Zelophahadi, ex quibus quæstio illa orta erat, nupserint totidem filiis patrui sui. Primum itaque hoc exemplum abiit in consuetudinem, quæ pro lege fuit.

b Hæredes.

XII.

Ut igitur ex stemmate Iosephi etiam de stemmate Mariæ colligi possit: necesse est dicamus, eam non habuisse fratrem: eoque ex lege debuisse nubere tribuli suo, atque adeò, ex consuetudine, nupsisse agnato: ut si Iosephus fuerit è tribu Iuda, ac stirpe David; dubitandum non sit, quin ex eadem stirpe etiam fuerit B. Virgo.

QUare in eo quidem convenimus cum antiquis, quòd, demonstrato genere Josephi, etiam ostensum sit genus Mariæ, propterea quia fuerint agnati: sed negamus agnationem ex ea hypothesi evinci, quòd Josephus fuerit vir justus; eoque nunquam fuerit virginem ducturus, nisi ex tribu ac agnatione sua. Id verò ut solidè colligi possit, addi oportuit, Mariam fuisse ἐπίκληρον, hoc est, unigenam, vel saltem fratres non habuisse: quales solæ ex Lege, & consuetudine, tenebantur nubere agnato suo.

XIII.

Fuisse autem Mariam non ἀπροικον, qualis ultra dotem nihil ex patrimonio perciperet; sed ἐπίκληρον, sive hæredem; jam olim ab Eusebio Emisseno (ut vocant, qui potius est Eucherius Lugdunensis) homiliâ de Nativitate Christi proditum fuit. Ac eo id verisimilius est, quia neque in Scripturis, nec alibi usquam, mentio fiat fratris Mariæ; sed solùm sororis.

QUæ Maria Cleophæ dicta, ac mater erat Jacobi minoris, & Jose; seu ea verè, ac propriè, soror, vel cognata saltem; sive affinitate soror, vereque Josephi soror fuerit. Utrum sit verisimilius, cap. VI. decidemus.

XIV.

At dixeris, ut lex illa de virginibus ἐπικλήροις, & consuetudo nubendi agnato, in illis habuerint locum, ubi periculum erat, ne possessiones in tribu, vel aliam saltim familiam, abirent: quid istoc, quæso, ad pauperculas? qualis mater Domini: uti argumento est, quod in stabulo sit enixa, ac filium reposuerit in præsepi. Honesta oratio, si ex Scripturis colligi possit, tam pauperem fuisse Mariam, ut nec agellum haberet. Atqui non istoc ab Evangelistis dicitur, Iosepho, ac Mariæ defuisse pecuniam, quò commodiorem sibi locum conducerent in diversorio: sed solùm aiunt, loca omnia ab iis, qui prævertissent, fuisse occupata.

REperio apud nonnullos, Mariam habuisse domum in Nazareth. Nolim de istoc certi aliquid spondere: interea non video, quomodo possit refelli.

XV.

Atque ut parentes Mariæ, nihil filiæ suæ reliquissent, quod neutiquam sit verisimile: eone illis à Lege, & consuetudine, recedere licuisset?

QUanta profectò paupertas, vel egestas potiùs, erat Ruth Moabitidis? Illa tamen, nuptiarum spe, contulit se ad Booz, propinquum suum: atque hic, ubi, qui genere erat propior, id recusavit, uxorem eam duxit.

XVI.

Interea hoc pacto non clarè exprimitur Mariæ genus; sed obscuriùs solùm innuitur. Quæritur igitur, an non aliunde possit suppleri, quod Matthæo desiat. Id bifariam contingat; è Scripturis, vel traditione. Ac è Scripturis quidem, si B. Lucas descripserit genus Mariæ. De istoc postea dispiciam. Nunc quia veterum illa erat opinio, ab utroque Evangelista tantummodo adferri genus Iosephi: in uno hoc immorabor, utrùm ex ἀγράφοις istac, quòd, quæ prætererat B. Matthæus, non supplêrit postea Spiritus S. per B. Lucam; nihilominus ex traditione possit evinci, B. Virginem fuisse Iosephi agnatam; ac proinde ex eo, quòd Iosephus fuerit è stemmate Davidis, etiam consequatur, B. Virginem ex eodem fuisse stemmate.

DE quo certiora poteramus afferre, nisi genealogiarum Judaicarum libri jam à plurimis seculis, ut ipsi fatentur Judæi, periissent: imò jam Christi temporibus multæ cœpissent familiæ hac parte deficere, postquam Herodes libros ejusmodi jusserat comburi: ut apud Josephum est lib. I Historiæ Judaicæ cap. VII. Nunc, ut olim Augustus a, dixero, Contenti simus hoc Catone. Hoc est, ea suffecerit pro hac sententia depromere, quæ sola nobis temporum injuria non invidit.

a Sueton. in Aug. cap. 87.

XVII.

Et sanè id traditione possit comprobari, si stare liceat Ioanne Damasceno; qui sic recenset genus B. Virginis, ac Iosephi, ut clarè inde reluceat, à Iosepho uxorem esse ductam agnatam suam.

PRimùm narrat nobis parentes B. Mariæ: quos fuisse ait Joakim, & Annam: quàm sententiam cùm multò ante secutus etiam sit B. Epiphanius: facilè adducor,

ut credam, nihil hac parte finxisse Gnosticos, vel Manichæos: quos ante Epiphanium idem agnovisse, planum inferiùs faciam, ubi de Heli loquar, tanquam avo Jesu, & socero Josephi. Hoc pacto idem fuerit Eli, Eliakim, & Joakim: quod tum, *σὺν Θεῷ*, docebo, non dico non esse absurdum, sed satis esse verisimile.

Anna autem è qua tribu fuerit, nihil magnopere facit ad præsens institutum. Fuerit è tribu Juda, secundùm rescriptum Papæ Sixti V, à Barradio memoratum his verbis: *Ego sequar id, quod ex præscripto Sixti quinti Pontificis Maximi, Ecclesia recitat in Festo D. Annæ:* ANNA, *Dei genetricis Virginis Mater, Gaziri filia, ex tribu Juda in Bethlehem, oppido Judaeæ nata, Joacimi fuit uxor; qui & ipse ex eadem tribu fuit, Galilæus ex Nazareth.* Aliter tamen Nicephorus Callistus lib. II, cap. III. Is ait, B. Annam filiam fuisse Matthan, sive Matthat sacerdotis. Et auctorem laudat Hippolytum Portuensem; qui æqualis fuit Julii Africani, & Origenis. Sed si quid tale scripsisset Hippolytus, alius ante Nicephorum prodidisset: præsertim Eusebius, & Epiphanius. Quare non tam Hippolyti hæc fide referimus, quàm Nicephori. Narrat ille, Mathan tres habuisse filias, quarum tertia Anna nupserit Joachimo: idque sub Cleopatræ, ac Casoparis Persæ imperio contigisse. Sed qui iis temporibus in Persia regnarunt, non habuere ea nomina; quod satis ex iis constat, qui Persarum res describunt. Aliqui Casoparem ajunt esse, qui historicis Pacorus. Sed hoc quoque abunde refellit Salianus. Imò ut Anna foret è tribu Levi, satis esset, quòd Joachim fuerit è tribu Juda. Nec enim, ut Maria dici possit filia David, attendi debet genus maternum, sed paternum: quia prius illud apud Judæos nullo loco censebatur, eò quòd nupta continuò transferatur in familiam mariti, qui mulieris est caput. Sufficit igitur, ut duo hæc exponam: prius, quo genere natus fuerit Joakim, B. Virginis parens: deinde quomodo Josephus, ac Joakim, & proinde etiam B. Virgo, fuerint agnati. De utroque horum adducam Joannis Damasceni verba è lib. IV Orthod. Fidei cap. XV: Ἐκ τῆς σειρᾶς τοῦ Νάθαν, τοῦ υἱοῦ Δαβίδ, Λευὶ ἐγέννησε τὸν Μελχὶ, καὶ τὸν Πάνθηρα. ὁ Πάνθηρ ἐγέννησε τὸν Βαρπάνθηρα, οὕτως ἐπικληθέντα. Οὗτος ὁ Βαρπάνθηρ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ. Ὁ Ἰωακεὶμ ἐγέννησε τὴν ἁγίαν Θεοτόκον. Ἐκ δὲ τῆς σειρᾶς Σολομῶντος τοῦ υἱοῦ Δαβίδ, Ματθὰν ἔσχε γυναῖκα, ἐξ ἧς ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ Ματθὰν, Μελχὶ ἐκ τῆς φυλῆς τοῦ Νάθαν, ὁ υἱὸς μὲν Λευὶ, ἀδελφὸς δὲ τοῦ Πάνθηρος, ἔγημε τὴν γυναῖκα τοῦ Ματθὰν, μητέρα δὲ τοῦ Ἰακώβ, καὶ ἐξ αὐτῆς ἐγέννησε τὸν Ἠλεί. Ἐγένοντο οὖν ἀδελφοὶ ὁμομήτριοι, Ἰακώβ, καὶ Ἠλεί· ὁ μὲν Ἰακώβ, ἐκ τῆς φυλῆς Σολομῶντος· ὁ δὲ Ἠλεὶ ἐκ φυλῆς Νάθαν. Ἐτελεύτησε δὲ ὁ Ἠλεί, ὁ ἐκ τῆς τοῦ Νάθαν φυλῆς, ἄπαις. καὶ ἔλαβεν Ἰακώβ, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ὁ ἐκ τῆς φυλῆς Σολομῶντος, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἀνέστησε σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, καὶ ἐγέννησε τὸν Ἰωσήφ. Ὁ οὖν Ἰωσὴφ φύσει μέν ἐστιν υἱὸς Ἰακὼβ ἐκ τῆς καταγωγῆς τοῦ Σολομῶντος. κατὰ δὲ νόμον, Ἠλεὶ τοῦ ἐκ Νάθαν. *Ex serie igitur Nathan, filii David, Levi genuit Melchi, & Panthera. Panther genuit Barpanthera, sic ab eodem denominatum. Hic Barpanther genuit Joacim. Joacim verò genuit sanctam Deiparam. Ex serie Salomonis, filii David, Matthan duxit uxorem; ex qua genuit Jacob. Mortuo autem Matthan, Melchi (qui erat ex tribu Nathan, filius Levi, frater vero Pantheris) duxit uxorem Matthanis, matrem puta Jacob; & genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres uterini, Jacob, & Heli: Iacob quidem ex tribu Salomonis; Heli vero ex tribu Nathan. Defuncto autem Heli, ex tribu Nathan, sine liberis, accepit Iacob, frater ejus, ex tribu Salomonis, uxorem ejus; & suscitavit semen fratri suo, & genuit Ioseph. Ioseph igitur naturâ quidem est filius Iacob, ex descensu à Salomone; secundum verò legem, filius Heli ex Nathan.* Quibus in verbis quatuor attendimus:

I. Quod ex Davide per Nathanem descendit Levi, pater Pantheris, & Melchi, ex quo Heli: per Salomonem verò descendit Matthan, pater Jacob.

II. Quòd Jacob, & Heli, fratres fuere uterini: Jacob quidem filius Matthan, qui ex Salomone genus ducit: Heli verò filius Melchi, cui genus ex Nathane.

III. Quòd Josephus amborum fuit filius; Jacobi quidem naturâ, Heli verò lege. Nam Heli *ἄπαις a* statuitur: sed ei Jacob, uterinus frater, suscitavit progeniem, hunc Josephum. Eoque & naturali, & legali stemmate ex David descendit. *a Liberorum expers.*

IV. Quod Josephus, & Ioakim, Deiparæ parens, conveniunt in proavo Levi. Nam filii hujus Levi fuere Melchi, & Panther: quorum prior parens Heli, avus Josephi: alter autem parens Pantheris, avus Joakim. Ut Christus etiam ratione stemmatis materni fuerit ex stirpe David.

XVIII.

Sed quod de uterinis fratribus, Heli, & Jacob, dicitur à Damasceno, hoc licet quinque propemodum seculis antè ab Julio etiam Africano adsertum fuit; &, penè seculo post Africanum, ab Eusebio quoque fuerit comprobatum: non tamen hujusmodi est, ut controversia careat. Imò nihil à veritate magis fuerit alienum, si vera est doctissimorum quorundam hominum sententia; Matthæum quidem Iosephi, Lucam verò B. Virginis genus recensere: quam minimè ficulnis inniti argumentis, inferius ostendam. Nunc, ejus opinionis examine in alium locum rejecto, attendamus, quid saltem statui conveniat, ex ἱστορίᾳ ista, qua, ut Damascenus tradit, Levi genuit Melchi, & Pantherem; ex Melchi autem est Heli, ex Heli Joseph; ex Panthere verò Barpanther, ex Barpanthere Joakim, inde B. Virgo. Sane hæc si recipimus, liquidò illud consequitur, à Josepho ductam esse agnatam suam; eoque ex Josephi genere rectè etiam statui de genere Mariæ.

TAntummodo igitur dispiciendum, an ista genealogia satis sit consentanea Sacris literis. Quam quæstionem expendam, ubi seorsim agam de genealogia secundùm Lucam.

XIX.

Non deerunt, qui, ut opinio Damasceni nihil contineat Scripturis adversum; non eò tamen hoc inde colligi posse judicabunt; quia valde omnium vacillet auctoritas, de quibus silentium est in Sacris literis. Non est hujus loci discutere, quatenus standum sit iis, quæ de Christo, & Apostolis, veteres non contra, sed extra Scripturas tamen, prodiderunt. Illud tantummodo dicam, ex ipso etiam Matthæo posse comprobari; utcunque Evangelista is non referat apertè, Josephum connubio sibi junxisse agnatam suam; in ea tamen sententia fuisse, quam dicebamus. Hoc sic adstruimus. B. Matthæus ait initio Evangelii sui, recensiturum se genus Jesu Christi; velleque ostendere, eum esse filium Abrahami, ac Davidis. Deinde subjungit, quomodo ex Abrahamo, ac Davide, genus duxerit Josephus. De Jesu autem dicit, eum non è Iosepho, vel viro ullo; sed è Spiritu S. fuisse conceptum. Sanè claudicat hoc argumentum, nec præstiterit Matthæus, quod initio promiserat; nisi idem fuerit genus & B. Virginis, & Matthæi.

CUr verò, cùm genus esset commune amborum, Evangelista potiùs ad Josephum illud, quàm Mariam, deduxerit, graves mihi caussæ fuisse videntur. Nec enim honore suo frustrandus fuit maritus. Nec moris erat memorare mulierum genealogias. Vulgo etiam ita persuasum fuit, Jesum esse filium Josephi; qui error non subito, sed paullatim, ex animis poterat evelli.

CAPUT II.

DE EVANGELIO MATTHÆI HEBRAICO.

I.

Quæri non injuriâ possit, cur Matthæus, si nollet maternum Iesu genus adferre, saltem, ut omnem animi scrupulum evelleret, non verbo adjecerit, fuisse Mariam Iosephi agnatam: quo uno satis paruisset, solidè ab eo evinci, non Iosephum modò, sed etiam Iesum, esse filium David, filium Abraham. In caussam ejusce rei sedulò inquirenti, nihil æque occurrit, in quo animus acquiesceret, quàm singularis temporum illorum ratio: quæ elucebit cogitanti, tum locum, tum tempus, tum finem, quo Matthæus scripsit Euangelium suum. Quippe prædicavit in Palæstina, proximo ab Domini Ascensione octennio: abiturus inde alias in terras, voluit consignare, quæ de Christo docuisset; ut, qui non amplius audituri essent præsentem, legerent scripta, quæ sola absentes faciunt præsentes. Quia verò iis voluit inservire, quos hactenus docuisset, eò, quâ linguâ docuerat, Hebrææ nempe, eâdem conscripsit. Ex quibus de occasione, & fine scriptionis, satis liquet. Iam si gentem cogitemus; ubi magis cognitum fuit de connubio, & agnatione Iosephi, ac Mariæ, quàm in Palæstina? ubi uterque vixisset, imò Maria adhuc degeret; ubi etiam à non credentibus in Christum, vel solâ adductis curiositate, ob tot Christi miracula, in omnia hujusmodi non exiguo studio inquisitum fuit. Quod si tempus præterea consideremus, primus Euangelium scripsit Matthæus; idque, ut dixi, intra primum ab Dominica assumtione octennium; quadraginta quasi annis, ex quo nupsisse Maria traditur; quando in recenti adhuc memoria forent omnia, ac innumeri superessent, qui consuli possent ab ignaris; quando item genealogiæ, quarum Iudæi usque adeo erant curiosi, multorum adhuc manibus tererentur.

Dixerit aliquis, multa hic congeri, de quibus parùm liqueat: ut an Matthæus octennio primo ab Ascensione manserit in Palæstina, atque ibi Judæis solis prædicârit: an idem occasione eâ, quam dicebam, Euangelium scripserit Judæis, idque Hebræâ linguâ; quia præcipuè Judæorum, quos vivâ voce hactenus docuisset, haberet rationem. Quare non abs re facturum me putavi, si singula horum fusiùs deduxero, eaque comprobaro ex antiquis; quando in illis, quæ historicâ fide nituntur, meliores dare testes non possumus, quàm vetustissimum quemque.

Matthæum Hebraicè scripsisse, convenit inter antiquos. Sic enim Papias apud Eusebium lib. III Hist. Eccl. cap. ult. Irenæus lib. III, cap. I. Origenes in Euangel. Matth. teste Euseb. hist. Eccles. lib. III, cap. XXI. Athanasius in Synopsi Sacræ Scripturæ, Epiphanius hæresi IX, sive aliis XXIX, contra Nazoræos (Ναζωραίους) item X, sive aliis XXX, quæ Ebionæorum; adhæc XXXI, sive aliis LI, quæ contra Ἀλόγους. Chrysostomus homil. I. in Matthæum, Hieronymus præf. in Matthæum; nec non in Esaiæ cap. VI, XI, XL, & LXV, item in Ezech. cap. XVI, clarissimeque in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Atque hoc Euangelium linguâ Hebræâ ab Apostolo Bartholomæo fuisse ad Indos delatum, locuples testis fuerit Pantænus; ut de hoc Clementis Alexandrini præceptore proditum Eusebio lib. V Hist. Eccl. cap. X. Non quinctodecimo post Christi adscensionem anno, quod putabat Nicephorus lib. II, cap. XLV; sed octennio ab Ascensione, Euangelium edidisse, apud Baronium legas ad an. Chr. XLI: & pro se adfert Eusebium in Chronicis: quippe qui edidisse tradat tertio Caligulæ anno. Ac sic habet senioris H. Stephani editio, & aliæ: verùm in codice nostro Stephanico, qui collatus fuit cum MSis Puteani, Cujacii, Loiseli, & Danielis, ea verba sunt inducta. Arnoldus etiam Pontacus [a] ait, abesse à VII Vaticanis, aliisque à se consultis. Ut hinc satis appareat, cur ea in Eusebiana editione suâ Scaliger resecuerit. Interim de tempore etiam adsentit Theophylactus: cujus mox verba adducam. Ac in plerisque etiam MSSis Euangeliorum codd. id ad calcem Matthæi adscriptum reperias. Porrò edidisse, cùm adhuc inter Hebræos ageret, legas apud Irenæum lib. III, cap. I. Hierosolymis id opus juris publici fecisse, est apud Athanasium in Synopsi. Atque id egisse, cùm jam de abitu cogitaret, ut nempe Hebræi hinc peterent, quæ coram audissent, Eusebius nos docet lib. III. Hist. Eccl. cap. XVIII. Verba merentur apponi: Ματθαῖος πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ' ἑτέρους ἰέναι, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, τούτοις ἀφ' ὧν ἐστέλλετο διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλήρου. *Matthæus cùm jam antea Hebræis verbum Dei prædicasset, simulac in animo habuit ad alias gentes proficisci, Euangelium suum patrio sermone conscripsit; & quod illis, à quibus decessit, deesse, dum præsens apud eos erat, videbatur, illud sedulitate, & labore scribendi, omnibus quasi numeris explevit.* Eandem Hebraicè scribendi caussam adfert Theophylactus in Matthæum: Ὁ Ματθαῖος πρῶτος πάντων ἔγραψε τὸ εὐαγγέλιον Ἑβραΐδι φωνῇ πρὸς τοὺς ἐξ Ἑβραίων πιστεύσαντας, μετὰ ὀκτὼ ἔτη τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως· μετήνεγκε δὲ τοῦτο Ἰωάννης ἀπὸ τῆς Ἑβραΐδος γλώττης, εἰς τὴν Ἑλλάδα, ὡς λέγεται. *Matthæus omnium primus conscripsit Euangelium linguâ Hebraicâ ad eos, qui ex Hebræis crediderant, annis octo post Christi Assumtionem. Ioannes autem ex Hebræa lingua vertit in Græcam; uti dicitur.* Cautè addit, *uti dicitur*: quia aliis transtulisse traditur Jacobus, frater Domini: ut est apud Athanasium in Synopsi. Hieronymus autem, in Scriptoribus Ecclesiasticis, constanter negat, quis Græcè reddiderit. Verum nihil refert, utrùm Apostolorum aliquis verterit; an ex discipulis quisquam, dum translationem Apostoli comprobarint: quod de Euangelio hoc certissimum est, cùm Græcus contextus semper ab Ecclesia Dei habitus sit pro authentico.

[a] In Eusebii Chronicon.

Quæri video, an non istoc Hebræum Matthæi Euangelium sit idem, ac illud, quod hodie habemus. Non videtur id Maldonato in Matth. XII, 20; ubi eo sibi suspectum ait, quia, præter Euangelistæ morem, affectatâ fide non sententiam Prophetæ appendat; sed verba annumeret. Cui hac parte subscribo. Sed alia etiam sunt, quæ me moveant: idque tum de eâ editione, quam debemus Sebastiano Munstero; tum de altera Joannis Tilii. Illam Munsteri esse genuinam, putavit etiam Joannes Quinquarborens; qui Parisiis anno CIↃIↃLI recudi curavit; in præfatione verò sic scribit: *Quin hoc ipsum sit Euangelium, quod D. Matthæus Hebraicè scripsit, ambigere quis possit?* Solùm optat, ut Munsterus, qui mutilum, ac lacerum, se Judæis ait extorsisse, ea quæ resti-

tuit, vel addidit de suo, asterisco, vel alio notâsset signo, quò certiùs de phrasi posset judicari. Sed profectò non sapit dictionem ac genium ejus ævi, quo vivebat B. Euangelista: ut quod sæpe adeò negligat puritatem Hebræi, ac Syriaci sermonis: quod etiam judicium est doctissimi Joannis Merceri in Thesauro Linguæ Hebrææ, radice Ain. Atque, idem, hoc qui non videat, parùm promovisse censet in literis Hebraicis. Sanè etiam Joannes Tilius ait, plerumque esse barbarum, & ineptum. Quod verò ad alterum, longè à priori diversum, & à Tilio ex Italia in Gallias delatum, ac Parisiis cum Latina tralatione Joannis Merceri editum: id quidem, ut Tilii verba è præfatione ejus retineam, *à Rabbinica dictione plurimum abest; eáque scriptum puritate, quam nulla post desolatam* (Judæorum) *gentem redoleant*: interim, ut Mercerus præfatione tralationi suæ præmissa agnoscit, *nonnihil Rabbinistici interdum adjunctum comperias.* Ac ibidem inquit, *Si Hebraicum exemplar, ne non Matthæi authenticum esse tibi persuadeas, te quippiam movet: scito, ne Nazaræorum quidem, quo usus Hieronymus, & quod plerique Syriacum fuisse credunt, αὐτόγραφον* [a], *meo judicio, fuisse.* Ubi videmus, non tantùm editionem suam pro penitus authentica habere: sed ne quidem pro tali censere exemplar, quo usus olim est B. Hieronymus. De quo & ipso propterea agam aliquanto accuratiùs. Neque hæc quæstio fuerit aliena ab instituto nostro, quo de Genealogia Christi agere proposuimus. Siquidem iis, quæ hactenus diximus, obtendunt viri quidam doctissimi; quod Euangelium illud Hebræorum continuerit multa, quæ in sermone Græco desiderentur; quædam etiam Euangelistâ prorsus indigna: unde confici putant, Matthæum nunquam Hebraicè scripsisse: Patribus, qui aliter censuere, à Papia fuisse impositum: sanè illud, quod Hebræorum Euangelium diceretur, hæreticos habuisse fautores; fortasse & autores; puta Nazaræos, atque Ebionitas. Hæc tam gravis accusatio non sivit, ut tam commodâ occasione non eâdem agerem de Euangelio illo, quod Chaldaico Syroque sermone, sed literis Hebraicis, fuisse exaratum, à B. Hieronymo proditum est lib. III. contra Pelagianos: præsertim quando idem pretium operæ duxit, illud & Latinè reddere, ac Græcè: ut mox planum faciam. Habet verò hic locum illud Aristotelis *b* effatum, Ἀγροικεῖν οὐκ ἀνθρώπινον *c*.

a *Propriâ scriptum manu* Euangelistæ.

b *Lib. 1. Sophist. Elench. cap 2.*

c *In disputando haud tardi ac negligentes esse debemus.*

Distinguendum enim inter hoc Euangelium, quale initio fuit; & illud, quale paullatim fiebat, Nazaræis varia addentibus; ac denique quale tandem evasit, Ebionitis illud etiam mutilantibus. Primitus nihil habuit, nisi quod in Græco nunc legimus. Ac tale sine dubio erat, quod S. Bartholomæus ad Indos attulit, atque ibi vidit Pantænus: ut pluribus legere est apud Eusebium lib. V. Hist. Eccles. cap. X. Pantænus verò is, quem testem laudat, fuit Alexandrinæ scholæ præfectus, Clementis Alexandrini præceptor; ut ex eodem Eusebio discimus. Dicebatur hoc *Euangelium secundum Hebræos*, quia Hebraicè esset scriptum; vel etiam *Euangelium Nazaræorum*, quia, qui doctrinam Jesu amplecterentur, hi in Palæstina vocarentur *Nazaræi*: nempe à Jesu, qui *Nazaræus* nuncupatus *d*: uti Antiochiæ postea, (ubi elegantiores, & bona pars vulgi, Græcè loquebantur) à Christo *Christiani* sunt nominati *e*. Porrò Nazaræi pluscula suis locis interseruerunt, quæ ab Apostolis, vel Apostolicis viris, fando accepissent. Ac hujusmodi, ob auctoritatem eorum, unde audierant, etiam ab iis recipiebantur, qui planè essent Ecclesiæ filii. Nempe sciebant, multa dixisse, & fecisse Christum, quæ non scripsissent Euangelistæ *f*. Unde est, quod Act. XX. 35. illud Christi dictum citatur, quod alibi non legas: *Beatius est dare, quàm accipere.* Ut nihil mirandum sit, si antiquissimi scriptorum Ecclesiasticorum quædam ex hoc Euangelio adducant: in his Ignatius, Justinus, Clemens: de quibus inferiùs id ostendam. Sed paullatim factum, ut etiam nonnulla judicio non bono assuerentur. Et bonorum, & eorum, quæ satius fuerat præterire, mi-

d *Matth. 2, 23 & 26, 71. Act. 2, 22, & alibi sæpe*

e *Act. 11, 26.*

f *Joan. 21, 25.*

scellam apponam ex antiquis: præcipuè ex B. Hieronymo: qui in vita Matthæi meminit exemplaris gemini: unius, quod Cæsareæ adservaretur in bibliotheca studiosè adeò à Pamphilo martyre collecta: alterius in Berrhœa, urbe Syriæ: cujus describendi potestatem sibi factam ait à Nazarenis. Nec descripsit modò, sed etiam vertit; quemadmodum apud eum est in scriptoribus Ecclesiasticis, ubi vitam Ignatii exponit; item ad Micham cap. VII: idque in sermonem tum Græcum, tum Romanum; ut ipse testatur in vita Jacobi, & ad Matth. XII. 13. In iis, quæ Nazaræi addiderant, illud fuit: *Modo tulit me mater mea, Spiritus S. in uno capillorum meorum.* Quod affertur ab Hieronymo in Micham cap. VII, atque etiam, quâ mente sit dictum, addit. Nempe quia *Sermo Dei ortus sit de spiritu; & anima, quæ sponsa Sermonis est, habeat socrum Sanctum Spiritum; qui apud Hebræos genere dicitur feminino* רוח *ruah.* Ex eodem sunt Euangelio: *Factum autem est, cum Dominus adscendisset de aqua, descendit fons omnis Spiritus Sancti, & requievit super eum, & dixit ei: Fili mi, in omnibus Prophetis exspectabam te, ut venires, & requiescerem in te. Tu enim es mea requies, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in æternum.* Quæ adfert in Iesa. cap. XI. Ad hæc ista: *Ecce Domini mater, & fratres, dicebant ei: Ecce Ioannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum: eamus, baptizemur ab eo. Dixit autem iis, Quid peccavi, ut vadam, & baptizer ab eo? nisi forte hoc ipsum, quod dixi, ignorantia est.* Quæ citat lib. III adversus Pelagianos. Ubi & ista reperies: *Si peccaverit frater in verbo, & satis tibi fecerit septies in die, suscipe eum. Dixit illi Simon discipulus ejus, Septies in die? Respondit Dominus, & dixit ei: Etiam ego dico tibi, usque ad septuagies septies. Etenim in Prophetis quoque, postquam uncti sunt Spiritu Sancto, inventus est sermo peccati.* In eodem Euangelio (ut ait Hieronymus in XII caput Matthæi) *homo iste, qui aridam habet manum, cæmentarius, scribitur istiusmodi vocibus auxilium precans:* CÆMENTARIUS *eram, manibus victum quæritans: precor te Iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* Idem catalogo Ecclesiasticorum scriptorum, in vita Jacobi, inter ea, quæ post resurrectionem contigerunt, ibidem lectum ait: *Dominus autem, cum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum, & apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis.* . Item addit, paullò post sequi: *Afferte, ait Dominus, mensam, & panem. Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Etiam historia de adolescente divite, quæ legitur Matth. XIX, vers. 16, usque ad 25, sic eodem in Euangelio referebatur: *Dixit ad eum alter divitum: Magister, quid bonum faciens vivam? Dixit ei: Homo, Legem, & Prophetas, fac. Respondit ad eum, Feci. Dixit ei; Vade, vende omnia, quæ possides, & divide pauperibus, & veni, sequere me. Cœpit autem dives scalpere caput suum, & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis, legem feci, & prophetas; cum scriptum sit in lege; Diliges proximum tuum, sicut te ipsum? & ecce multi fratres tui, filii Abrahæ, amicti sunt stercore, morientes præ fame; & domus tua plena est bonis multis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Et conversus dixit Simoni discipulo suo, sedenti apud se; Simon, fili Ioannæ, facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem in regnum cælorum.* Est & apud Hieronymum ad Matth. cap. XVII: *In Euangelio, cujus sæpe mentionem fecimus, superliminare templi, infinitæ magnitudinis, fractum esse, atque convulsum, legimus.* Præterea commentario in epist. ad Ephes. cap. V, inde hæc Domini ad discipulos verba citat: *Et nunquam læti sitis, nisi cum fratrem videritis in charitate.*

Idem

Idem Hieronymus in scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Ignatii vita sermo, ait, sub persona Christi in hoc Euangelio adduci: *Ecce palpate me, & videte, quia non sum dæmonium corporale.* Unde ea verba sumta sint ab Ignatio, scire se negat Eusebius lib. III Hist. Eccles. Κεφαλ. ΛΣ. Sed ex isto, quod dixi ..mus, Euangelio esse desumta, credere Hieronymo de ..mus; qui id descripsit, & geminâ linguâ vertit. Quin etiam Clemens Alexandrinus in secundo Stromatum *a* hoc ex Euangelio secundùm Hebræos adducere se ait: Ὁ θαυμάσας βασιλεύσει, καὶ ὁ βασιλεύσας ἀναπαύσεται. *Qui admiratus fuerit, regnabit; & qui regnaverit, requiescet.* Etiam historia de adultera, quæ exstat Joannis cap. VIII, in hoc Euangelio legebatur: ut ait Eusebius extremis verbis lib. III. Hist. Ecclesiasticæ. Utinam verò Tatiani Harmonia Euangelica exstaret, quæ vulgò Διὰ τεσσάρων *b* vocabatur, quia ex quatuor foret Euangelistis conflata: ab aliis autem, Epiphanio teste, dicebatur, καθ' Ἑβραίους *c*: nempe eò, quia complectebatur etiam, quæ forent in Euangelio Matthæi secundùm Hebræos: quod quia multa contineret, quæ in Græco non exstarent, eoque diversum jure haberetur; à Victore Capuano *d* non Διὰ τεσσάρων *e*, sed Διὰ πέντε *f*, dictum esse, per est verisimile: sicuti observatum Illustri Hug. Grotio, initio præclari Annotationum operis in IV Euangelistas. Ubi & doctè distinguit Nazaræos, ac Ebionitas, qui perperam confundi solent: quippe Nazaræi, propriè ita dicti, agnoscebant, Jesum è Spiritu S. conceptum: eumque Dei esse filium fatebantur; ut Augustinus *g* de iis scribit: sed unà cum Christi præceptis Legis ceremonias observabant: quam consuetudinem obtinuisse in Palæstina, inter Christianos penè omnes, ad usque tempora Hadriani Imperatoris, Severus Sulpitius auctor est nobis. Ebionæi verò non agnoscebant ejusmodi conceptionem: sed credebant, Jesum, aliorum instar hominum, è Josepho conceptum; ut Eusebius ait lib. III Histor. Eccles. cap. XXI: ac propterea mutilabant Euangelium Matthæi. Nam præcidebant γενεαλογίαν, & quæcunque sequuntur, usque ad Christum à Joanne baptizatum: quemadmodum est apud Epiphanium hæresi XXX. Interdum tamen Ebionitarum appellatio sumitur laxiùs: ut apud Origenem contra Celsum lib. V *h*: ubi duo facit Ebionæorum genera; unum quod cum Ecclesia fateatur, Christum esse natum è virgine; alterum, quod communi hominum more conceptum arbitretur. Ubi Nazaræos etiam Ebionæorum nomine complecti, satis est apertum. Quando igitur B. Hieronymus hoc Euangelium vocat Nazaræorum, & Ebionæorum, id cum incomparabili Grotio *i* sic intelligimus, quomodo Marcioni cum Catholicis commune fuit Euangelium Lucæ; nempe illis exceptis, quæ Marcion immutâsset, quia videret sectæ suæ adversari: ut clarè dicit Irenæus lib. I, cap. XXIX; nec obscurè innuit Tertullianus lib. de Carne. Omnino igitur distinguendum inter mutilatum ab Ebionitis codicem, & integrum illum Nazaræorum: in integris item distinguendum inter codices eos, quibus ab Ebionitis, vel aliis, malâ mente quædam erant adsuta; & alios, ubi solùm addebantur, quæ Nazaræi à fide dignis acceperant. Quales codices, licet, quatenus aliqua habuere genuino Matthæi Euangelio addita, non potuere pro canonicis haberi; non propterea tamen debuere haberi pro apocryphis: sed medii generis fuere, quales libri *Ecclesiastici* dicuntur. Alioqui eorum testimonio non toties usi fuissent Ecclesiastici scriptores; sed potiùs, ut hæreticorum commenta, tradoxissent. Atque hoc etiam judicium fuit Bedæ, sic scribentis in Lucam: *Inter quæ notandum, quod dicitur Euangelium juxta Hebræos (quo scilicet utuntur Nazaræi) non inter apocryphas; sed Ecclesiasticas numerandum historias.*

a P. 378. edit. Batavæ.
b Ex quatuor Euangelistarum libris.
c Secundum Hebræos.
d Præfatione in Harmoniam Tatiani Alexandrini: ut quidem inscribitur Tom 7. Bibliothecæ sanctorum Patrum Atqui, si Tatiani sit, ut fuerit Syri: sin Alexandrini, auctor sit Ammonius.
e E quatuor Euangeliis.
f E quinque Euangeliis.
g Lib. de Hæres. cap. 9.
h P. 279. edit. Augustanæ Græcæ: sive Lat. 275.
i Annotation. in Euangelium Matth.

II.

Sic igitur colligimus, si consideremus, quo loco, tempore, scopo, Euangelium suum scripserit Matthæus; non obscurum fore, cur haud necesse putârit, hypothesin superiorem apponere; licet eâ ignotâ, non evincat, quod initio Euangelii studuit comprobare: nempe Iesum Christum esse filium Abrahæ, filium David. Nam nisi Maria Iosepho, ut sanguine proximo, ex lege, & consuetudine, nupserit; apud Ebionæos quidem, qui Iesum à Iosepho genitum putabant, evicerit, Christum ab Abrahamo, per Davidem derivari; sed non solidè satis hoc præstiterit apud eos, qui è Spiritu S. conceptum agnoscant. Sed, uti ex iis, quæ adduximus, consequitur; hypothesis illa erat satis nota: ut in Euangelista, quòd eam præterierit, culpa sit nulla. Imò sic potiùs censeo, Matthæum, cùm ex hypothesi tali argumentatur, tacitè innuere, ac dicere, quod præterit.

NEc enim pium est putare, voluisse Matthæum probare, quòd non posset; aut non potuisse, quod vellet; idque commisisse in ipso operis vestibulo; ubi error omnis magis est conspicuus, & verè fiat, quod in veteri est verbo, Caotherius in porta.

III.

Sunt & nonnulli, qui, ut vulgo de agnatione Iosephi, ac Mariæ, notissimum fuisse comprobent, eo pugnent argumento, quòd alioqui Pharisæi, ac Scribæ, de genere litem movissent Christo; quasi non esset filius Davidis, utcunque Ioseph filius Davidis foret: nunc eos solùm de patria, falsò tamen, objectare illud, quòd foret Galilæus. Sanè hæc si solida forent, caussam nostram multùm juvarent. Verùm qui sic ratiocinantur, parùm illud cogitant, eos pro certo habuisse, Iesum esse Iosephi filium; de conceptione ex Spiritu S. planè nescivisse. Quomodo igitur scrupulum hunc injicere animis potuissent, utcunque Iosephus esset filius David; nihil tamen ad Iesum illud pertinere?

IMò tantum abesse censeo, ut inimici, atque adversarii Christi, illud de conceptione B. Virginis nossent; ut nec existimem, quotquot, honoris ergo, eum filium Davidis appellarent, scivisse, è Virgine natum fuisse: sed spectâsse eò, quòd Josephus, cujus filius habebatur, foret è stirpe David. Atque hoc eò adjecimus, ut videant omnes, non quibusvis armis esse pro veritate pugnandum; sed si res patiatur, firmis; si non sinat, saltem probabilibus.

CAPUT

CAPUT III.

DE

CHRISTI GENEALOGIA

SECUNDUM LUCAM,

ex eorum mente, qui putant, ab eo Josephi genus referri.

I.

A Matthæo nunc transeo ad Lucam. Ubi primùm quæritur, utrùm enarret genus Iosephi, an Iesu. Prius dicam de eorum opinione, qui tradi arbitrantur Iosephi genus. Deinde exponam, quæ alteram sententiam magis verisimilem reddant. Iosephi seu naturale, seu legale genus ab Adamo, Abrahamo, Davide, per Nathanem deduci, recepta apud veteres sententia est.

SIc Africanus, Eusebius, Ambrosius, Hieronimus, & tot alii.

II.

Sed iis, qui hanc sententiam sequuntur, obstare illud videtur, quòd ita Iosephus habuerit duos patres; nempe Iacob apud Matthæum, Heli apud Lucam.

HOc objectabat Porphyrius; teste B. Hieronymo.

III.

Hunc nodum ut solverent nonnulli, dixere, Iacobum, & Heli, eundem esse; quomodo & alios binomines, imò & quosdam trinomines, in Scripturis legere est.

SIc enim in Apostolis idem Simon, ac Petrus; Lebbæus, aliter Thaddæus, Matthæo teste: & sunt alia id genus complura: de quo alibi loquemur.

IV.

Sed parùm verisimilis hæc est sententia; quia alii Iacobi à Matthæo, alii Heli à Luca, parentes dicuntur: nec parentes modò, sed etiam avi, proavi, abavi, atavi, tritavi. Quid enim absurdius, quàm omnes istos fuisse binomines; ac placitum fuisse Lucæ, semper eos isto vocare nomine, quo videret abstinuisse Matthæum?

QUid profectò esset ludere in sacris, si hoc non est? aut quomodo quis sciens prudens majores posset tenebras affundere genealogiæ, quæ eo fine erat adducenda, ut inde constaret, Jesum esse è stemmate Davidis?

V.

Veteres igitur sic potiùs se expediebant. Dicebant, Heli, & Iacob, fratres fuisse uterinos: quorum priore sine fratribus mortuo, Iacob, fratris defuncti uxore ductâ, semen ei suscitâsse: quippe genuisse Iosephum; qui propterea naturà filius fuerit Iacobi, sed lege Heli. Matthæum igitur attendere τὸ φυσικὸν a: sed Lucam, τὸ νομικὸν b. Atque hæc fuit sententia Iulii Africani: qui eam se accepisse ajebat ab illis, qui ex cognatione forent Christi.

a Naturale.
b Legale.

NEc Africani auctoritas exigui est ducenda, si cogitemus antiquitatem viri; ut qui ducentesimo, ac vigesimo post Christum anno, Macrini puta, & Heliogabali Cæsarum temporibus, vixerit. Et quàm doctrina viri excellens! quàm studium indefessum bene de Ecclesiis merendi! Sanè immensum ei debet Eusebius, qui Africani librum de temporibus, sed quibusdam mutatis (utrùm in meliùs, nunc non disputo) in Chronologiam suam transscripsit. Hodie verò nihil Africani, extra Eusebii Chronicon, habemus, præter epistolam de Historia Susannæ; cui Origenes, ejusdem temporis scriptor, paullo tamen ætate junior, respondit. Porrò quo tempore ea scribebat Africanus, supererant etiamnum, qui ex Domini Jesu tribu, ac cognatione, se esse dicerent; eoque δεσπόσυνοι, quasi *Dominicos* dixeris, vocarentur. Ac cum his sibi sermonem fuisse, scripsit Africanus. Quod si non hoc jactarint in sui generis honorem, nulli magis auditi mereantur in hoc negotio. Utcunque est, non censet Africanus, ad conciliandos Euangelistas, κρεῖττον, ἢ ἀληθέστερον a, posse adferri. Quod si planiùs hanc Africani sententiam, ac verba etiam, aves cognoscere; adi Eusebium lib. I Histor. Eccles. cap. VII b, & Nicephorum lib. I, cap. XI. Summa verò huc redit: ex Davide quidem per Salomonem, post longam seriem, natum MATTHAN; per Nathanem verò, post multos itidem majores, genitum esse MELCHI. Porrò Matthan, ut ait, uxorem duxit Estham; indeque genuit JACOB. Defuncto Matthan, Melchi ejus viduam, Estham, duxit; indeque genuit HELI: ut Jacob, & Heli, fratres fuerint uterini, ex eadem Estha; non autem germani, quia illius pater fuit Matthan, hujus Melchi. Horum fratrum Heli quidem uxorem duxit; sed sine prole decessit: tum uxorem ejus, ut fratri semen suscitaret, duxit Jacob; ac Josephum genuit: qui naturâ quidem erat filius Jacobi; sed lege erat filius Heli.

a Melius, veriusque.
b Al. 9.

Fusè hæc Africanus epistolâ ad Aristidem: ex cujus extremo hæc adferre contentus ero c. Ματθὰν, ὁ ἀπὸ Σαλομῶνος, ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ. Ματθὰν ἀποθανόντος, Μελχὶ ὁ ἀπὸ Νάθαν ἐκ τῆς αὐτῆς γυναικὸς ἐγέννησε τὸν Ἡλί. Ὁμομήτριοι ἄρα ἀδελφοὶ Ἡλὶ καὶ Ἰακώβ. Ἡλὶ ἀτέκνου ἀποθανόντος, ὁ Ἰακὼβ ἀνέστησεν αὐτῷ σπέρμα, γεννήσας τὸν Ἰωσὴφ, κατὰ φύσιν μὲν ἑαυτῷ, κατὰ νόμον δὲ τῷ Ἡλί. Οὕτως ἀμφοτέρων υἱὸς ἦν ὁ Ἰωσήφ. *Matthan à Salomone prognatus genuit Jacob. Quo mortuo, Melchi à stirpe Nathan profectus, ab ea, quæ uxor erat Mathan d procreavit Heli. Uterini ergo fratres erant Heli, & Jacob. Heli absque prole moriente, Jacob illi semen suscitavit, & genuit Joseph; naturâ sibi ipsi, lege vero Eli.* Quid hinc manifestius, quàm quòd ex Africani sententia,

fratres uterini erant

JACOB,	HELI,
filius Matthan,	filius Melchi,
ex posteris Salomonis,	ex posteris Nathan:

utriusque filius

JOSEPHUS;

Jacobi naturâ, —— lege Heli.

c Apud Euseb. Hist. Eccles. fol. 7. edit. Rob. Steph. a. 1544.

d Editio, quæ prodiit Coloniæ Allobrogum, in stirpe Nathan habet, pro Mathan: uti recte est in illa, quam Bremanus Coloniæ Agrippinæ dedit.

Sed hic sese nodus is offert, quòd Josephus filius Heli,

is filius Melchi, statuatur: quòd videtur adversari Euangelistæ Lucæ: ut qui cap. III, vers. 14. inter Heli, & Melchi, duos interserat, Matthat, & Levi; ut eum patrem facere videatur, qui proavus fuit. Qua de re sic Bertramus Lucu-
a Pag. 85. brationum Frankentalensium cap. VI a: *In illa Africani sententia illud imprimis mihi paullo durius videtur, quod Africanus Melchim tertium à Josepho constituat in ea genealogia, quam Lucas describit; cùm in nostris exemplaribus duo intermedii sint inter Melchim, & Helim; Matthatus videlicet, & Levis; adeò ut hoc casu Melchis quintus sit potius, quam tertius.* Multò autem ante Bertramum idem animadversum fuit Bedæ: qui sic scribit commentario in Lucæ cap. III: *Hæc Africanus, his ipsis syllabis, profert; excepto, quòd pro Matthat posuit Melchi: quia fortassis, vel codex vetus sic habuit; vel in historia, in qua hæc didicerat, eundem Matthat invenit esse dionymum.* Vir longè doctissimus, mihique, dum viveret, conjunctissimus, hac ipsa de re sic scribit opusculo, de Genealogia Christi: *Mirandum sanè est, insignem eum in Africani historia errorem, à vetustioribus Patribus non animadversum.* Ubi vetustiores Patres vocat, qui ante Bedam vixere. Sed sanè oculatiores fuerunt, quàm ut non viderent, Africano Melchi esse Heli patrem; Lucæ, secundùm vulgatos codices, esse proavum: verùm erroris propterea non damnavere Africanum; quia scirent, sic in nonnullis Lucæ codicibus legi. Hoc suspicatus jam olim Beda; sicut verba, ex eo antè nobis adlata, ostendunt. Sed quod ille suspicatus tantummodo, id nos pro certissimo habemus. Neque hìc tantùm duo, quos dixi, in veteribus codd. desiderabantur: sed similiter neque vers. 37, inter Salam, & Arphaxadum, Cainan legebatur. Itaque B. Irenæus lib. III, cap. XXXIII, non hoc dicit, ab Adamo, usque ad Jesum, esse generationes LXXV, quot in vulgatis codicibus numerantur, sed LXXII; ac, nequis corruptos hìc esse Irenæi codices existimet, addit illud, quia Christus venerit ad salvandum omne humanum genus, & hoc constet LXXII nationibus ac linguis, eò apud Euangelistam quoque totidem generationes recenseri. Sanè ex una lingua, quæ ante Babyloniam turrim fuit, factas LXXII,
b Pag. 6. edit. Paris. an. 1622. ait quoque Epiphanius penè initio lib. I contra hæreses b: nempe pro numero hominum, qui stirpium fuerint auctores: ex Chami progenie XXXII; è Sem, XV; ex Japheth, XXV; ut quidem non Latina Petavii; sed Græca habet
c Pag. 288. Epiphanii editio c. Addit deinde, ἐκ τούτων διεσπάρησαν ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν φυλαί τε καὶ γλῶσσαι· *Ab his in universum orbem nationes omnes, ac linguæ, dissipatæ sunt.* Etiam B. Augustinus similiter lib. XVI. de Civit. Dei cap. III: ubi post longiusculam dissertationem sic concludit: *Unde colligitur, septuaginta tres, vel potius, quod postea demonstrabitur, septuaginta duas gentes tunc fuisse; non homines.* Vide etiam, si voles, Petrum Bongum, Canonicum Bergomatem, libro de mystica numerorum significatione d. Satis igitur liquet, nihil esse mu-
d Bergomensis editionis, pag. 118, & seqq. tandum apud Irenæum. Ac proinde nec culpandum Africanum, aut, qui eum sequitur, Eusebium, quando uterque Cainan omittit. Sui enim temporis codices sunt secuti. Quid quòd etsi postea multo prævaluerit numerus librorum, qui Cainan insererent: tamen nec codices defuerint, ubi omitteretur? quod de vetustissimo suo codice refert Clariss. Theod. Beza. Imò addit, se propterea expunxisse. Quod puto in re controversâ non debuisse fieri, nisi communibus suffragiis. Quamquam non ignorem, alios etiam non paucos credere, irrepsisse id nomen librariorum culpâ. Tale enim judicium fuit Flaccii Illyrici in Glossa, Kemnitii cap. III Harmoniæ Euangelicæ, Ægidii Hunnii Prælect. in Gen. X, Parei ad eundem locum, Piscatoris in Luc. cap. III. Hæc pluribus sum prosecutus, ut liqueret omnibus, in genealogia Christi apud Lucam antiquissimos codices præteriisse tres istos; Matthat, Levi, & Cainan: ac propterea nec Irenæum esse erroris culpandum, quòd in genealogia ista solùm LXXII generationes agnoscat; nec reprehendendum Africanum, & Eusebium, quod dicant, Melchi fuisse patrem Heli: nec oscitantiæ fuisse in Patribus consecutis, quòd Africanum propterea nemo arguerit erroris ante Bedam; si modò is erroris arguere est dicendus, qui eum suspicatur, sic in suis codicibus reperisse: quod verissimum est.

VI.

Aliqui in eo quidem conveniunt cum Africano, quòd Heli, & Jacob, fuerint fratres uterini; & alter alteri semen suscitârit: sed cùm, ex Africani sententia, Heli priùs fuerit mortuus; & Jacobus postea, ex vidua ejus, genuerit Josephum: hi contrà existimant, Christi δεσποσύνους, de quibus loquitur Julius Africanus, potius dixisse, ab Heli ductam esse uxorem viduam Iacobi; eoque Iosephum fuisse lege filium Iacobi, naturâ verò filium Heli. Quomodo memoria fugerit Africanum.

Nisi malis, in ipsis δεσποσύνοις fuisse memoriæ culpam. Quid mirum? cùm illi, quibuscum se locutum narrat Africanus, ducentis ampliùs annis vixerint à nato Christo. Tam longo enim temporis intervallo facilè in nominum permutatione error potuit irrepere. Utcunque est, deseruit hac parte, seu Africanum, seu illos δεσποσύνους, B. Ambrosius in cap. III Lucæ; ubi sic scribit: *Juxta præscriptum legis veteris, duo fratres diversos filios uterinos ex una uxore generaverunt. Traditur enim, Mathan, qui à Salomone genus duxit, Jacob generâsse filium, & uxore superstite decessisse: quam postea Melchi accepit uxorem, ex qua generatus est Heli. Rursus, Heli fratre sine liberis decedente, Iacob copulatus est fratris uxori, & generavit filium Ioseph; qui, juxta legem, Iacob filius dicitur: quoniam semen fratris defuncti frater, juxta legis veteris seriem, suscitabat.*

VII.

Verùm, sive Heli naturalis, sive legalis fuerit Iosephi parens; non sic omnis tolli videtur difficultas. Nec enim ad illud, ut frater fratri mortuo suscitaret semen, sufficiebat fratres esse uterinos: (quales Iacob, & Heli erant; & quidem diversissimis orti familiis; quando Iacob è Salomone, Heli è Nathane genus ducebat:) sed necesse erat, ut eodem forent patre prognati.

Qui Græcis ὁμοπάτριοι, Latinis *germani*, hoc est, de eodem germine prognati; quomodo germanam sororem Elpinicen à Cimone ductam, refert Cornelius Nepos a. Ubi *germanam* valet ὁμοπατρίαν, quam Jurisconsulti vocant *consanguineam*. Similiter Archeptolis, filius Themistoclis, Mnesiptolemam, sororem ὁμοπατρίαν, duxit; ut testis est Plutarchus in Themistocle. Nempe, ex Solonis legibus, licebat Athenis ducere ὁμοπατρίαν, sive germanam: ex legibus Lycurgi, poterant Lacedæmone ducere ὁμογάστριαν, sive ὁμομητρίαν, hoc est, uterinam. Autores Theon in Nebulas Aristophanis, & Philo Alexandrinus περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων. At loquitur Africanus non de ὁμοπατρίοις, verùm ὁμογαστρίοις: qualis si semen fratri defuncto suscitâsset, non suæ, sed alienæ suscitâsset familiæ: videlicet, qui è familia foret Nathanis, prolem procreâsset familiæ Salomonis: & qui à Salomone genus duceret, auxisset familiam Nathanis. Imò si uterinorum fratrum unus foret è tribu, Juda, aut Levi, alter è Benjamin, non jam familiæ modò diversæ, sed totâ tribu distante, excitâsset progeniem.

a In præfatione, & in vita Cimonis.

VIII.

Quamobrem alii arbitrantur, Iacob quidem, & Heli, fuisse fratres uterinos: sed Iosephum à Luca dici filium Heli, quia ejus esset filius naturâ; à Matthæo autem vocari filium Iacobi, quia bonorum fuerit hæres. Quippe & hos, qui in bonis, filiorum instar, succedunt, ob quandam successionis similitudinem, filios nuncupari.

cupare. Sic enim I *Chron* III, 16. *Sedechiam, qui patruus erat Iechoniæ, filium ejus nominari, quia regni fuerit hæres.*

PAtruum esse, clarè dicitur II sive IV Reg. XXIV, 19.
a Filium. Nec ignoro, quosdam codices Græcos habere υἱὸν a. Sed hoc ab nonnullis repositum, ut locus iste illi in Chronicis consentiret. Hebræa verò vox omnino *patruum* sonat: & in Græcis aliis est πατραδελφοι: quomodo & appellat Flavius Josephus.

IX.

Huic opinioni, dummodo placeat à Luca etiam Iosephi genus describi, non melius posse occurri putamus; quàm quòd dispar longe ratio sit Iacobi, quàm Iechoniæ; Iosephi item, quàm Sedechiæ. Siquidem Matthæus de
b Genuit. *Iechonia usurpat vocem* ἐγέννησε b: *ut modum, quo fuerit pater, determinet; quasi diceret, Salathiel filium fuisse naturalem. At in Chronicis non dicitur Iechonias Sedechiam genuisse: sed tantùm Sedechias vocatur filius Iechoniæ; nec modus, quo filius foret, exprimitur: ut alius etiam à naturali possit intelligi.*

DIxeris, non aliud esse τεκνοποιεῖσθαι, quàm *gignere*: Xenophonti autem in Rep. Laconica dici sterilem aliquem τεκνοποιεῖσθαι, si admittat quemquam ad uxorem, ut hoc pacto pater fiat ex conjuge. Etiam Julium Cæs. ab Ovidio in Metamorphosi *genitorem* dici Augusti; Augustum item Germanici *genitorem* vocari in Arateis ipsius Germanici: si modò, is Germanicus, quem Tiberius Augusti jussu adoptavit, & non Domitianus; de quo alibi nobis dictum e Fabii x, cap. I. Denique & Hebræos sic loqui: ut qui mortuo etiam dicant semen suscitari: quod quid aliud, quàm alteri gigni? Sanè *germen*, quod idem ac *semen*, ex *genimen* factum, ut ex *canimen*, *carmen*. Quare nihil obstare, quo minùs simili juris fictione aliquis dicatur eum gignere, quem *filium* possis dicere. Nolim super eo cum summis viris ducere contentionis funem. Solùm caussam non video gravem satis, cur à propria significatione recedam, & durâ adeò, ac Scripturis,
c Generavit. ut puto, insolenti significatione vocem ἐγέννησε c accipiam apud Matthæum.

X.

Præter illud de Sedechia, etiam alterum de Jechonia telum intorquent. Quippe, inquiunt, quod Matthæus dicit; Jechonias genuit Salathielem: *id accipere non aliter possumus, quàm de successione regni: cùm Jechonias nullos habuerit liberos; ut liquet comminatione divinâ, quæ est Jerem.* XXII, 30. *Præterea Salathiel à Luca dicitur filius Neri; ut non possit esse filius Jechoniæ. Unde colligi videtur, etiam gignere aliquem dici, qui nanciscitur successorem. Sed neutrum argumentum satis validum censeo. Non prius, quia quædam comminationes divinæ intelligi debent cum conditione istac, nisi quis resipiscat: ut clarum est ex Ninivitarum exemplo. At resipuisse Iechoniam, sententia est R. David Kimchi, & aliorum ex Hebræis; qui & propterea carcere liberatum, solio honoratum, liberisque auctum, tradiderunt. Præterea nec controversiâ caret, quod ajunt, Deum Iechoniæ sterilitatem comminatum. Nam vox Hebræa designat quoque* miserum.

VOx ea, quâ utitur Propheta, est עֲרִירִי gnhariri, à verbo ערר gnhara; à qua ipsa Psal. CXXXVII, 7, est עָרוּ gnharu: quod propriè significat *destruite*; ut monet R. Salomo ad Genes. XV, 2. Translata verò significatio ad planè infelices: & particulatim ad eos, qui vel liberis carent, vel patriâ sunt extorres. Alii igitur locum prophetæ intelligunt de priori genere miseriæ, quo quis ἄπαις, sive *improlis*: alii verò de altero genere, quo quis *exul*, sive *extorris*: alii verò in generali significatione consistunt, quâ quis dicitur *miser*, & *abjectus*. Non convenisse Græcos interpretes, quomodo hîc vox Hebræa sumeretur; cognoscimus ex illis B. Hieronymi verbis a: *Pro sterili in Hebræo* a Ad
scriptum est, Hhariri; quod Aquila prima editio sterilem; secunda ἀναύξητον, *id est, non crescentem; Symma-* Jerem. 22, 31.
chus, vacuum; LXX, *& Theodotio, abominabilem & abdicatum, interpretati sunt.* Ubi videmus, Aquilam ipsum, cùm priùs ἄπαιδα, ac *sterilem*, exposuisset: postea mutâsse sententiam, & interpretatum, *non crescentem*; quod ut de prole, ita & de dignitate, possumus capere: uti etiam vox *vacui* latiùs patet, quàm *sterilis*. Quomodo *domum*, vel *aulam vacuam*, aut *locum ab exercitu*, vel *defensoribus vacuum*, dicimus. Pro dignitate exuto, eoque abjecto, & vili, clarè acceperunt LXX, cùm reddunt ἐκκήρυκτον: quasi dicas, præconis voce ejectum, hoc est, exulem, sive extorrem, ac propterea despectum. Nec dubito, quin eo respexerit doctissimus Hesychius, cùm scribit: Ἐκκήρυκτον, ἀποβλητον: *abjectum*.

XI.

Ac valde hæc interpretatio congruit illis, quæ apud prophetam antecedunt vers. 28, 29, *&* 30: An simulachrum contemtum, quod dispergitur, esset vir iste Conja? An instrumentum, in quo nulla delectatio? Cur EIECTI essent ipse, & semen ejus, & PROIECTI in terram, quam non norunt? O terra, terra, terra, audite verbum Domini. Sic ait Dominus: Scribite virum istum Gnhariri, (qui) non prosperabitur in diebus suis: nam non prosperabitur de semine ejus quisquam sedens in solio Davidis, & dominans amplius in Judam. *Imò nec vocem* Gnharuri *aliter interpretari licet, quàm pro* extorri, miseroque: *quia alteri significationi, quâ* improlem *intelligunt, valde adversatur, quòd Iechoniam habuisse liberos cognoscimus ex istis* I *Paralipom* III, 17: Filii verò Jechoniæ; Assir, Salathiel filius ejus.

UBi, sive *Assir* commune est, ac *vinctum* signet; sive, ut puto, proprium, (quæ & R. Kimchi *b*, veterum- b Comment. ad
que Hebræorum, opinio erat:) saltem Salathiel genitus sit 1 Chron.
à Jechonia. Quod & sensit B. Hieronymus ad Jerem. XXII: 3, 17.
Natus est de Joakim, Jechonias; de Jechonia, Salathiel; de Salathiel, Zorobabel; & per ordinem venitur ad Christum. Imò contrà, inquiunt, Chronicorum auctor hic intelligit filium legalem; qualis Salathiel, quia, ut sanguine proximus, in regno successit. Verùm hoc in quæsito est. Nos cum B. Hieronymo, & Hebræis magistris, naturalem filium intelligimus; quia, cur à propria verbi significatione recedatur, nihil cogit; ut diximus.

XII.

At obstare ajunt, quòd Lucas Salathielem vocet filium Neri: ubi binominem dicere non possumus; cùm alii Iechoniæ parentes, & majores, recenseantur à Matthæo; alii Neri à Luca. Fatemur, binominem non fuisse; sed contendimus, alium esse Salathielem, de quo Matthæus; alium, de quo Lucas.

COnveniunt quidem in eo, quòd uterque filio suo dederit nomen *Salathielis*: sed in eo plurimùm distant, quòd ille Matthæi Salathiel fuerit è stirpe Salomonis; ille Lucæ, è genere Nathanis: quod clarè ex Euangelistis elucet.

XIII.

Esto autem, ut gnaruri *apud Jeremiam notaret* sterilem, *sive* orbum liberis; *nec sic tamen consequatur, nullos habuisse liberos: quia propheta mens esse possit, non habuisse liberos, qui reges essent Iudææ.*

Sanè

SAnè posteri quidem Jechoniæ principes, ac duces fuere extra Judæam; sed non sedêre in regali throno Davidis. Itaque & Christophorus à Castro b Prophetæ verba ita παραφράζει : *Numera virum istum Jechoniam inter viros liberis orbos, cui, dum vixerit, nihil prosperè cedet: qui licet sit filios habiturus, nullus tamen eorum sedebit in solio Davidis, nec potestatem habebit ultra in Iuda.*

CAPUT IV.

DE

CHRISTI GENEALOGIA SECUNDUM LUCAM,

ex mente eorum, qui putant, ab eo Mariæ genus adferri.

I.

Abunde de ea opinione diximus, qua B. Lucas putatur enarrare genus Josephi. Ad alteram nunc venio, quâ statuitur, eum referre genus Mariæ. Quæ sententia magis est probabilis. Nam Josephi genere, quod à Salomone duceret, enarrato; nihil, ut arbitror, attinebat, alterà Luca Josephi genus exponi; legale nimirum, quod à Davide traheret per Nathanem. Quorundam tamen ex antiquis opinio est, gravem fuisse caussam, cur gemina Josephi genealogia afferretur: nempe ut, quia Christus & rex, & sacerdos noster sit, liqueret, eum à Davide, & regali, & sacerdotali genere descendere: quorum prius exponat Matthæus, posterius Lucas.

AMbrosius in cap. III Lucæ: *Quod verò per Salomonem Matthæus generationem derivandam putavit; Lucas verò per Nathan: alteram regalem, alteram sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere. Quod non ita accipere debemus, quod alterum altero verius; sed alter alteri pari fide, & veritate, concordet. Fuit enim verè, &, secundum carnem, regalis, & sacerdotalis familiæ: Rex ex regibus, sacerdos ex sacerdotibus: licet oraculum non de carnalibus, sed de cælestibus, exprimatur: quoniam & rex in Dei virtute lætatur, cui judicium a patre rege defertur; & sacerdos est in æternum, secundùm quod scriptum est a: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Bene igitur uterque tenuit fidem, ut Matthæus per Reges ductam originem comprobaret; & Lucas, per sacerdotes à Deo transmissam in Christum seriem generis deducendo, sanctiorem ipsam originem declararet. Simul in hoc quoque vituli figura signatur, quòd ubique sacerdotale mysterium putat esse servandum.* Ubi quod de vitulo dicit, eò pertinet, quòd Lucas, quia a sacerdotio Zachariæ orditur, vitulo solet repræsentari. Nec pauci Ambrosium in eo, quod de regio, & sacerdotali genere dicit, sequuntur. In quibus & Petrus Blesensis esse videtur. Sic enim scribit Epist. III: *Dei filius in beata Virgine, licet ipsa de Sacerdotali, & Regali schemate, duxisset originem, non nobilitatem, sed humilitatem elegit.*

b Comment. ad 1 Chron. 3, 17.

a Psal. 109. 4.

II.

Sed obstat huic sententiæ, quòd, qui ex Davide descenderent, non potuerint fieri sacerdotes secundum Legem; quia is honos proprius erat stirpis Aaronicæ, quæ fuit ex tribu Levi. Quare si uterque Evangelista Josephi genus recenset, potius eò id fecisse existimandum, ut perfectius constaret de Josephi genere, tum φυσικῷ b, tum νομικῷ c. Interea sic nihilominus B. Virginis, & Jesu genus, haut aliter sciretur, quàm ex hypothesi ista, quod B. Virgo fuerit agnata Josephi. At gravis est caussa, cur existimem, Matthæum quidem ex ea hypothesi scribere potuisse; non item B. Lucam. Siquidem Matthæus in Palæstina scribebat; idque intra proximum à passione Christi octennium: Palæstinis etiam scribebat; ut argumento est, quòd, sicut vidimus, scripserit Hebraicè. At in Palæstina, eo imprimis tempore, quòd Maria esset Iosephi agnata, res erat vel cognita vulgo, vel quæ nullo negotio posset à quolibet cognosci.

b Naturali.

c Legali.

PLurimæ enim exstabant genealogiæ, quia is mos Judæis, accuratè sui generis seriem perscribere: imprimis verò hæc cura iis, qui ex Davide genus ducerent. Nec enim leve aliquis ducebat, à tanto Rege genus ducere; præsertim quando conveniret, ex hac familia esse oriturum Messiam.

III.

At non itidem præteriri poterat à Luca, Græcè scribente Romanis, ac Græcis, seu Romæ apud Paulum; seu post discessum ab eo, in Achaja; seu postmodo in patria Antiochenorum urbe. Nec enim, qui sedes haberent extra Palæstinam, ubi omne id ignotum esset de genere Mariæ, ac Iesu, quod ab Evangelistis reticeretur, contenti esse eo poterant, quòd scirent, Iosephum descendere à Davide; cùm oportuerit, Messiam esse è semine Davidis: nec inde, quòd maritus esset è progenie David, etiam de uxore idem consequatur, nisi ex hypothesi extra Palæstinam ignotâ: quam propterea ab eo, qui Græcè orbi scriberet Romano, imò universo, exprimi convenisset. Sic igitur statuimus, à Luca referri genus Mariæ: ac Heli, quem memorat, fuisse patrem Mariæ, avum Iesu, socerum Iosephi. Solùm est dubium, utrum illud τοῦ Ἡλὶ regatur ab υἱὸς, an υἱοῦ. Si prius placet, υἱὸς conveniet cum Ἰησοῦς: sin posterius, υἱοῦ conveniet cum τοῦ Ἰωσήφ. Ex priori opinione sic integrè erit: Ὁ Ἰησοῦς ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, (υἱὸς) τοῦ Ἡλί: Jesus, ut putabatur, erat quidem filius Josephi: revera autem filius Heli. *Posterius si malis, sic construxeris, Ὁ Ἰησοῦς, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ, υἱοῦ τοῦ Ἡλί.* Jesus, ut putabatur, filius Joseph, filii, (*hoc est generi*) Heli. *Filius vero pro genero sumetur, ut in historia Ruth cap. 1, Naomi filias sæpius vocat, quæ nurus forent.*

PRiorem sententiam ex erudito se viro accepisse, refert doctissimus Lucas Brugensis a: ac placuit ea clarissimo Theologo, præceptori ac propinquo meo, Francisco Gomaro. Sed seu hæc, seu altera interpretatio magis arridet; res eodem redit, quia maternum Jesu genus recenseatur. Interim prior magis placet: nam ex more Scripturæ illud magis est, ut naturâ quis avi, quàm τῷ ἐπιγαμβρεύοντος lege, soceri sui filius dicatur. Multa adeò, apertissimaque, in Genealogia apud Matthæum

a In Luc. cap. 3.

thæum

thæum exempla se offerunt; ubi quis genuisse eum dicatur, qui nepos, vel etiam pronepos, aut abnepos foret: ut cùm Joram dicitur genuisse Osiam; sive Azariam; inter quos medii fuere, Achazia, Joas, & Amazia. Quòd si uspiam id locum habet; ubi potiùs, quàm in Christo? qui cum ratione ortus in terris patrem non habuerit; quomodo non in avo materno sisti oportebat? Sententia igitur Evangelistæ est. Jesum fuisse filium Heli; idque matre media; quæ præteritur, quia in genealogia non soleat fieri mentio feminarum.

IV.

Sed de isto quisque sentiat, ut volet; dum Eli, avum Jesu, socerum Josephi, fateatur. Quam opinionem etiam juvat, quòd idem ab antiquis dicatur Joakim: *ac* Joakim *non alius sit ac* Eliakim : Eli *verò ex* Eliakim *per præcisionem, in nominibus propriis haud insolentem, factum videatur.*

ELi esse ex *Eliacim*, verisimile facit, quòd in cunctis penè gentibus, & olim, & hodie, studere soleant propriorum nominum brevitati; nisi personæ admodum forent illustres. Sic Herodes rex, qui dictus Ἀντίπατρος, is, dum privatus foret, Ἀντίπας vocabatur. Etiam ex Κλεόφιλος, fecere Κλεοφᾶς; ex Ἐπαφρόδιτος, Ἐπαφρᾶς; pluraque id genus adduximus jam olim Oratoriarum Institutionum lib. IV, cap. I, sect. V. Idem verò esse nomen *Eliakim*, ac *Joakim*, ostendit antepenultimus rex Judæ, quem *Eliakim* constat vocatum: at *Joakim* dicitur II, sive IV Regum XXIII, 34, & II Paralipom. XXXVI, 4. Etiam Pontifex Max. qui Judith IV, 5, & II, *Eliakim* nominatur; eodem lib. XV, 9. appellatur *Joakim*. Avum verò Jesu dictum esse *Joakim*, clarè ait Joannes Damascenus lib. IV. Orthodoxæ Fidei cap. XV: Ἰωακεὶμ τοίνυν τὴν σεμνὴν καὶ ἀξιέπαινον Ἄνναν πρὸς γάμον ἠγάγετο· *Joakim ergo venerandam, & dignam laude Annam, in matrimonium duxit.* Similiter posteriores magno numero. Sed malo antiquioribus insistere. Qualis Epiphanius non uno loco. Non tamen advocabo encomium Deiparæ. Quod cùm longè aliter de cultu B. Virginis loquatur, quàm in præclaris adversus hæreses commentationibus factum; vel Epiphanii non erit, vel saltem, non magni illius Epiphanii, Constantiæ sive Salaminis in Cypro Episcopi. Solùm igitur insistam operi isti, quod genuinum esse inter omnes convenit. Adversus Antidicomarianitas, quæ hæresis est LXXVIII. sic scribit de Deipara a: Ἐκ μητρὸς Ἄννης, καὶ ἐκ πατρὸς Ἰωακείμ, συγγενίδος δὲ τῆς Ἐλισάβετ, ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς τοῦ Δαβίδ. *ab Anna matre, & Ioacimo patre, genitam, Elizabetha cognatam, è domo & patria David.* Item hæresi LXXIX, quæ est adversus Collyridianos, B. Virginem adorantes: Εἰ γὰρ ἀγγέλους προσκυνεῖσθαι οὐ θέλει, πόσῳ μᾶλλον τὴν ἀπὸ Ἄννης γεγεννημένην, τὴν ἐκ τοῦ Ἰωακεὶμ τῇ Ἄννῃ δεδωρημένην. *Si nec Angelos vult adorari, quanto magis non ex Anna genitam, illam Anna ex Ioacimo donatam!* Mox etiam narrat, Joacimo in deserto nunciatum ab angelo, uxorem ejus concepturam: præterea addit, sic παραδόσεις ἔχειν, *Traditiones habere.* Atque hæc etiam tam Orientalium, quàm Occidentalium Ecclesiarum consensu firmantur. Nam ea, quam dixi, Annæ ex Joachimo conceptio celebratur in Romana Ecclesia VI Idus Decembris: exstatque de istoc festo Decretalis Sixti IV: qui anno CIƆ CCCC LXXI, ac proximo novennio, sedit. Sed jam B. Bernardi temporibus, circa an. CIƆ C XLV, eo nomine festus ac solennis dies esse cœperat in Ecclesia Lugdunensi; ut videre est ex epist. ejus CLXXIV; ubi Canonicos Lugdunenses reprehendit, quod revelationis cujusdam obtentu id festum inducerent, non consultâ priùs sede Romanâ. Uti verò Conceptionis festum Romanæ Ecclesiæ incidit in VI Id. Dec. ita Nativitatem B. Virginis celebrat VI Id. Sept. Sed ea consuetudo in Gallicis Ecclesiis necdum obtinuit Karoli M. & Ludovici Pii temporibus: imò B. Augustini ætate, ob duorum tantum, Christi, & Joannis Baptistæ, ortum, Ecclesia festum agere diem solet: ut clarè cognoscere est ex ejus Serm. XXI, & XXII de Sanctis. Neque hæc Baronius in Martyrologio Romano dissitetur. In eodem verò Martyrologio, *Dormitio sanctæ Annæ, matris genitricis Dei Mariæ*, refertur ad VII Kal. Aug. Pridie autem Græcis propterea festum diem anniversarium fuisse, ex Menologio videmus. Itidem in Martyrologio Rom. XIII. Kal. April. celebratur *In Judæa S. Joachim, pater beatissimæ Virginis, genitricis Dei Mariæ.* Græci verò de eo agunt in Menologio V. Id. Sept. Nec est, quòd dicat aliquis, hanc de B. Mariæ parentibus opinionem fuisse haustam ex impuris Gnosticorum fontibus: ut qui librum habuerint, qui Γέννα Μαρίας, *stirps Mariæ*, inscriberetur. Nam eum librum ipse Epiphanius damnat, interque πεπλασμένα γράμματα, *commentitia scripta*, reponit hæresi XXVI. quæ est Gnosticorum a. Ubi inter alia inde commemorat, de homine asini formâ Zachariæ apparente, dum thus adoleret in templo. Quare potiùs hauserit ex scriptis eorum, qui nulla essent hæresi infames. Dixeris, aliter sensisse B. Augustinum: ut qui contra Faustum lib. XXIII, cap. IX, sic scribat: *Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi sacerdotem quendam nomine Joachim: quia canonicum non est, non me constringit.* Ac similiter semel, iterumque pòst, eopse capite nuncupat: sed, ut ait, juxta scripturam apocrypham à Fausto memoratam. Verùm non tam hoc in dubium vocat, utrùm parens sit dictus *Joachim*: quàm quod is dicitur fuisse è tribu Levi. Siquidem post verba allata continuò subjungit: *Sed etiam, si hoc crederem, ipsum potiùs Joachim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, & aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum, vel ejus aliquem progeneratorem: vel certè in tribu Levi ita natum, ut de stirpe David consanguinitatem aliquam duceret: sicut fieri potuisse, idem Faustus fatetur, ut Maria de tribu Levi esset; quam tamen constat traditam viro, qui fuerit de stirpe David, id est, de tribu Juda: & ita dicit potuisse accipi, Christum filium David fuisse.* Porrò apocrypha Scriptura, ex qua Augustinus ait Faustum Manichæum hausisse illud de Joachimo ex tribu Levi, sine dubio fuit Seleuci Manichæi liber. Unde &, multis præteritis, exceptum arbitror libellum de Nativitate Mariæ, qui B. Hieronymo attribuitur. Saltem planè est supposititius: quod Erasmus in Scholiis ad eum scriptorem annotavit. Ac Melchior Canus lib. XI Locorum Communium cap. VI, in isto, se Erasmum sequi, profitetur. Simile etiam judicium est Sixti Senensis lib. II bibliothecæ Sanctæ in Matthæum: ubi addit, epistolas ab homine inepto ei scripto, sub nomine Chromatii, & Heliodori episcoporum ad Hieronymum, & Hieronymi ad hos, esse assutas; ac olim eo fine confictas, ut faciliùs persuaderetur, opus esse genuinum. Nec aliter Baronius in Apparatu Num. XLIV; qui auctorem adeò ostendit imperitum, ut nec aperta evitare sciret mendacia. Nec pro germano habet Christophorus à Castro in historia Deiparæ, in Catalogo Auctorum: sed ille, ut Hieronymi non putet; vetusti tamen, ac pii etiam scriptoris, arbitratur. In quo abit ab eo Casaubonus in Exercitat. Baron. ubi arbitratur, esse ipsius Seleuci, hominis hæretici; Manichæorum quippe Apostoli. Sed Chromatius, & Heliodorus, hunc auctorem apertè rejiciunt, quando sic scribunt b: *Ortum Mariæ Reginæ Virginis, simul & nativitatem, atque infantiam Domini nostri, in Apocryphis invenimus libris: in quibus multa contraria nostræ fidei considerantes scripta, recusanda credimus universa, ne per occasionem Christi, lætitiam Antichristo traderemus.* Porrò Pseudohieronymus his respondens, qualis is scriptor fuerit, docet hoc pacto: *Petitis à me, ut vobis rescribam, quid mihi de quodam libello videatur, qui de nativitate S. Mariæ à nonnullis habetur. Et ideo scire c volo, multa in eo falsa inveniri. Quædam namque Seleu-*

cius,

a Pag. 1049. edit. Paris. Sam.

a Pag. 94. edit Parisina Semi.

b Apud B. Hieron. Tom. 4.

c Malim sciri, vel. scire vos volo.

cius, qui passioni Apostolorum conscripsit, hunc libellum composuit. Sed sicut de virtutibus eorum, & miraculis per eos factis, vera dixit; de doctrina verò eorum plurima mentitus est: ita & hic multa non vera de corde suo confinxit. Proinde, ut in Hebræo habetur, verbum ex verbo transferre curabo. Siquidem sanctum Euangelistam Matthæum eundem libellum liquet composuisse, & in capite Euangelii sui Hebraicis literis obsignatum opposuisse: quod an verum sit, autori præfationis, & fidei scriptoris, committo. Ipse enim ut hæc dubia esse pronuncio, ita liquido falsa non affirmo. Illud autem libere dico, (quod fidelium neminem negaturum puto) sive hæc vera sint, sive ab aliquo confictà, sacrosanctæ sanctæ Mariæ miracula præcessisse; maxima consecuta fuisse; & idcirco salvâ fide ab his, qui Deum ista facere posse credunt, sine periculo animæ suæ credi, & legi posse. Quem locum eò plenius adscripsi, quia non satis ejus mentem assecutus est summus vir Exercitatione primâ ad Apparatum Annalium Baron. Num. XXXIX. Sententia enim veteris illius scriptoris est, sicut Seleucus in libris de Actibus Apostolicis multa est mentitus: ita & eundem libello de Nativitate Mariæ non pauca confinxisse: ac propterea se voluisse hoc de argumento transferre librum Hebræum seu verè, seu falsò, inscriptum Matthæo: ubi nihil contineretur, quod non possit piè legi. Clarè igitur rejicit libellum Seleuci de nativitate Mariæ: atque ab eo diversum facit, quem convertit ex Hebræo. Quare nec censeo solidè adstrui posse, Christophorum à Castro in opere suo de Deipara secutum esse librum hæretici Seleuci: etsi fateatur se sequi hoc opusculum Hieronymo tributum, quod licet Hieronymi non sit, sit tamen veteris, ac pii scriptoris. Et tamen non videtur mihi pius is scriptor, qui sic voluit sub Heliodori, ac Chromatii episcoporum, ac præcipuè B. Hieronymi larvâ, orbi imponere Christiano. Præterea rudem fuisse & indoctum, non sola arguit dictio; sed etiam, quòd Pontificem facit Isascharem: qualis tum esse non potuit; ut ex serie eorum liquet apud Josephum Antiquit. lib. XV, XVI, XVII: & lib. I de bello Judaico, ac cæteris. Ut alia prætercam, quæ doctissimus Casaubonus annotavit: quorum etiam aliqua jam antè observârat Baronius. Amplius dicam, utcunque impostor ille videri velit sua ex Hebræis vertisse; metuere me, ne fortasse nescierit Hebraicè, suaque exscripserit, sive ex Gnosticorum libro de stirpe Mariæ, sive ex Seleuci libello de Mariæ nativitate; ac solùm prætereierit, quæ Manichaico dogmati patrocinarentur. Quippe de Seleuco sic scribit: *De virtutibus* (Apostolorum,) *& miraculis per eos factis, vera dixit: de doctrinâ verò eorum plura mentitus est.* Ac libello ipso de Nativitate ait: *Sacrosancta sancta Maria magna miracula præcessisse.* Unde sic penitus suspicor, ex alterutro opere memorato, relictis illis Gnosticorum, vel Manichæorum dogmatis, exscripsisse miracula; ac voluisse aliis persuadere, se ea vertisse ex Hebræo. Cæterùm Seleucus iste, de quo locuti antea sumus, etiam memoratur Melito, Laodicensi episcopo, præfat. in vitam S. Joannis Euangelistæ; quæ necdum edita, sed in Vaticanâ, atque aliis, exstat bibliothecis: sive Melitoni, Episcopo Sardensi (nec enim alius is existimandus) lib. de transitu B. Virginis, Tom. VII Bibliothecæ SS. Patrum. Sed utrobique, qui aliis *Seleucus*, istic *Leucius* vocatur: uti *Leuticius* nominatur Gelasio Papæ Dist. XV, cap. III; vel *Leutitius*, aut *Leutius*, ut adnotatur in decreti editione Romanâ. Sed *Leucius* quoque est in Conciliorum Tomis. Verba Gelasii sunt: *Libri omnes, quos fecit Leucius, discipulus diaboli, apocryphi.* Fortasse *Leucius* κατ' ἀφαίρεσιν ex *Seleucus* corruptum: quando apud Philastrium etiam Seleuciani hæretici à Seleuco nuncupantur. Nisi putes esse ex *Leontius*: quia B. Augustini libro de fide contra Manichæos, *Leucius* quidem dicitur cap. XXXVIII: sed eodem etiam opere cap. IV legas: *In Actibus conscriptis à Leontio, quos ipsi accipiunt.* At *Leucius* quoque vocatur Innocentio Epist. III. ad Exuperium: *Cætera, quæ sub nomine Matthæi, sive Iacobi minoris; vel sub nomine Petri, & Ioannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt; vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide, & Leonide, philosophis; & sub nomine Thomæ, & siqua sunt alia; non solum repudianda, verùm etiam noveris esse damnanda.* Ubi per ea, quæ Matthæi nomine scripta fuere, fortasse intelligi debent, quæ Pseudohieronymus iste ad pseudonymos Heliodorum, ac Chromatium, ex Matthæo se dicit transtulisse: per illa verò, nomine Jacobi minoris edita, signatur Proteuangelium Jacobi à Postello divulgatum: in quo ipso etiam Joakim, & Anna, B. Virginis parentes dicuntur: sed alia iis attexuntur multa, tam propudiosa, ut non injuriâ metuam, ne hausta sint ex Gnosticorum, vel Manichæorum lacunis; de quibus diximus.

V.

Hactenus excussimus, utra melior sit ratio conciliandi Euangelistas; eane, quâ alter naturale Josephi genus, alter legale expresserit: an illa potius, quâ Matthæus naturale Josephi, Lucas naturale Mariæ genus exponat. Atque ostendimus, Matthæo sufficisse genus Josephi, quia Hebraicè scriberet Hebræis; quibus constaret de agnatione Josephi, & Mariæ; ut satis foret, si ab Abrahamo, per Davidem, genealogia ad Iosephum decurreret. Lucæ verò non id satis fuisse, quia cunctis scriberet; idque linguâ cognitâ penè orbi integro; Græcorum puta, quibus de agnatione istâ non liqueret. Atque ab ea propositi diversitate etiam esse arbitror, quòd dissimiliter ordiantur genus. Nempe uti Lucas, qui Græcè scriberet Orbi universo, à Matthæo, Iudæis sive Palæstinis scribente Hebraicè, abiit in eo, quòd ipsius Mariæ, & Iesu, genus enarraret: ita & idem Lucas in eo à Matthæo recessit, quòd hoc sistente in Abraham, parente Iudæorum sive Israëlitarum; ille, qui non Palæstinis Hebraicè, sed universis scriberet Græcè, propterea ad commune cunctorum mortalium principium, Adamum nempe, cui & prima omnium facta promissio, genealogiam suam perduxerit.

RAtionem hanc, cur diversè adeò genus ordirentur, jam olim vidit, ac consignavit Joannes Antiochenus, cognomento Chrysostomus, perspicax sanè Scripturarum interpres, laudisque longè ampliùs eâ parte promeritus, quàm multis nostro seculo videatur. Nec mover, quòd putant, aliquando πελαγιανίζειν. Nam hic ille est, qui primus, vel inter primos, Pelagium detexit. Et Patres ante exortum Pelagium, cum optimè sentirent, minùs tamen cautè interdum loquebantur. Quod & ipsi contigit B. Augustino. Uti igitur, in hoc Hipponensi antistite duriùs dicta, aliis ex ejusce scriptoris locis debent emolliri: ita & in B. Chrysostomo facere oportet; ut quando propugnat arbitrii libertatem, cum iis conciliemus, ubi gratiæ prædicat necessitatem. Sed de istoc satis, ut arbitror, in Pelagiana Historia diximus.

VI.

Quòd verò Lucas non initio operis, ut à Matthæo factum; sed demum post baptismum, genus enarravit Christi; id aliqui veterum eò factum putarunt, ut ostenderetur, non solùm filium dici, quatenus esset λόγος, vel quatenus natus foret è Maria; sed etiam quatenus esset baptizatus: unde & tum audire meruerit vocem; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

AMbrosius in cap. III Lucæ: *Qui fidei auctor est, ipsum adserere Scriptura quoque debuit divinæ generationis auctorem. Unde & Lucas ad Deum putavit origi-*

nem ejus esse referendam; quòd verus Christi generator Deus sit, vel secundùm veram generationem pater, vel secundùm lavacri generationem, mystici auctor muneris. Et ideo non à primo generationem ejus cœpit describere: sed posteaquam baptismum ejus explicuit; autorem omnium Deum per baptismum cupiens demonstrare.

VII.

Sed non, uti nos, ita Christus in baptismo est regneratus; quia is peccatum non habuit. Solùm, dum baptizaretur in Jordane, descendit in eum Spiritus S. σωματικῷ εἴδει a; ut Lucas ait cap. III. Ac sequenti capite subjungit: Jesus autem plenus Spiritu S. regressus est ab Jordane.

a Figurâ corporali.

NEmpe à puero quidem habuit Spiritum Sanctum: sed uberiùs tum adeptus, ad obeundum munus Messiæ.

VIII.

Valde autem eos ratio fugit, qui censent, B. Lucam eâ in parte genealogiæ, quâ ab Abrahamo adscendit ad Adamum, non bene convenire cum Mose; quia inter Henos, & Mahaleel, medium interserat Cainan; cujus nulla apud Mosen mentio fit. Nam non videtur insertus à Luca; sed à librariis.

b Cap. 3, 35, 36.

SCio, viros quosdam eruditos, cùm apud Lucam b legitur, τοῦ Σαλὰ, τοῦ Καϊνὰν, delere intermedium comma, ut idem intelligatur Sala, ac Cainan; sententiaque sit, ab Arphaxado, Semi filio, Noë nepote, genitum esse Salam; qui aliter Cainan diceretur: quomodo & alios binomines in Scripturis legere est. Scio quoque, alios putare, Cainan hunc, etsi Mosi ignotum, ex traditione LXX, quos Lucas sequatur, insertum: quomodo I Chron. VII, 21, refertur cædes filiorum Ephraimi; de qua apud Mosem silentium est: quomodo item II Timoth. III, 8, Jannes, & Jambres, vocati dicuntur magi illi, qui Mosi in Ægypto restiterunt; quod non alibi legas, quàm apud Jonathanem, Paraphrastem Chaldæum, Exodi VII; ex traditione sine dubio: quomodo denique quædam citatur à Juda Apostolo Enochi prophetia, prioribus, quod constet, ignota. Sed hæc aliquam vim haberent, nisi vox ea absuisset à codicibus antiquis: ut satis ex iis arbitror liquere, quæ ad Capitis tertii Thesin quintam dicebamus. Nunc, salvo aliorum judicio, existimo, nihil opus esse ad hujusmodi confugere. Sed nec leviter huic sententiæ obstat, quòd, (ut est apud Mosen) Arphaxadus Salachum genuerit annos natus XXXV: ac, si inter Arphaxadum, & Salachum, intermedius statuatur Cainan, consequatur, unum duodevigesimo, alterum septimodecimo ætatis anno genuisse; quod parum est verisimile de antiquis illis seculis. Quippe tum multò seriùs liberis gignundis opera dari solet; ut tot docent Scripturæ exempla; neque de iis modò, qui proximis à diluvio temporibus vixere; quòd nunc sufficeret instituto nostro: sed compluribus etiam seculis pòst. Sanè, si annos computemus, cognoscemus, Booz, Obed, Isai, cùm gignerent, jam centenarios fuisse.

CAPUT V.

QUID

JUDÆI, PHILOSOPHI GENTILES,

ac Muhammedani, tradant de genere Jesu; ac quatenus ea conciliari possint cum Scripturis.

I.

Proximum est, ut ostendamus, quâ ratione cum ejusmodi conciliatione Matthæi, ac Lucæ, etiam convenire possit, quod gentiles, ac Judæi, dixerint, Jesum esse Pantheræ filium. Nulla sanè hic pugna, dummodo hoc ita intelligamus, quo pacto in Scripturis idem dicitur filius Josephi, qui filius erat Jacobi, cognomento Pantheris; unde & Josepho videtur adhæsisse Pantheris *cognomen.*

a Sect. 7. sive pag. 1039. edit. Paris. Sennii.

DE Jacobo verba hæc sunt Epiphanii hæresi LXXVIII; quæ est adversus Antidicomaritas a: Οὗτος μὲν γὰρ ὁ Ἰωσὴφ ἀδελφὸς γίνεται τοῦ Κλωπᾶ· ἦν δὲ υἱὸς τοῦ Ἰακὼβ, ἐπίκλην δὲ Πάνθηρ καλουμένου. ἀμφότεροι οὗτοι ἀπὸ τοῦ Πάνθηρος ἐπίκλην γεννῶνται. *Siquidem hic ipse Josephus Cleophæ frater; sed Jacobi filius, cognomento Pantheris fuit: ambo autem illi Panthere patre nati sunt.* Ac valde est credibile, ex eo, quòd Jacobus, pater Josephi, Pantheris haberet cognomentum, idem in Josephum fuisse derivatum: atque hanc esse caussam, cur Jesus Pantheris sit dictus filius à gentilibus, & Judæis. E gentilibus illis Celsus Epicureus, Luciani Samosatensis amicus, fuit. Verba de eo Origenis sunt ista è primo contra Celsum b: Ἀλλὰ γὰρ ἀπιστεῖ τοῖς ἀναγεγραμμένοις περὶ τῆς ἐξ ἁγίου πνεύματος συλλήψεως αὐτοῦ. καὶ προσθεὶς αὐτῷ, ὑπό τινος Πανθήρος φθαρεῖσαν τὴν παρθένον ἐκτιθέσθαι. *Sed non credit Scripturis de conceptione ejus è Spiritu Sancto, ac mavult credere, Virginem fuisse violatam à quodam, cui Pantheras nomen foret.* Ubi τοῦ Πανθήρος nomen, quod aliis τοῦ Πανθήρος. A Judæis verò hanc opinionem hausisse, credibilius fit è Thalmude. Nam cap. XII Sabat, filius Mariæ vocatur בן פנדירא, ben Pandera: & ratio adfertur, quia Pandera cum Mirjam concubuisset. Ubi non dubium, quin Pandera sit Josephus, cognomento Panther, sive Pantheras; quòd à parente Jacobo acceperat. Quid enim mirum, si Jesum Panderæ, seu Pantheræ, hoc est, Josephi dixerint filium; quando idem Jesus in Euangelio ipso filius dicatur Josephi; ut antea vidimus?

b Pag. edit. Augustanæ.

II.

Imò neque repugnat genealogia Euangelica, quod Damascenus ait, patrem quidem B. Virginis Ioakim fuisse; avum autem Bar-pantherem, proavum Pantherem. Nam si Panther non fuit nomen, sed cognomen solùm; uti ex eo liquet, quòd patri Josephi nomen erat Jacobo; quemadmodum diximus: sanè potuit & ipsum Eli, sive Eliakimi, sive Ioakimi, parens, qui secundùm vulgatos Lucæ codices, Matthat dictus fuit, Barpantheris habuisse cognomen: avum autem ejusdem Eli, qui in vulgaribus Lucæ codicibus est Levi, itidem potuit Pantheris cognomento fuisse nuncupatus. Atque hoc eam juvat opinionem, quâ statuitur, Josephum, & Mariam, fuisse agnatos.

NAm si pater Josephi, nomine Jacobus, habuit Pantheris cognomen; ut ait Epiphanius; & proavus Mariæ, dictus Panther, hujus filius Barpanther, ut est apud Damascenum: unde hoc potiùs esse credamus, quam quia

ex

ex eadem forent familia Panthetina? ondecunque tandem illud Paotheræ, vel Pantheris cognomen adhæserit familiæ.

Dixeris fortasse, & Epiphanium, & Damascenum, istoc depromsisse ex Gnosticorum, vel aliorum, non multò meliorum, nugis, ac deliriis. Sed enim isti jam antea *a* occurrimus. Et hujusmodi suspicionem non parùm infringit, quòd, vix quadraginta annis post Euangelistæ Joannis excessum, Jesus Pantheris filius vocaretur: ut Celsus indicat, qui Hadriani, & Antoninorum temporibus claruit. Hic verò, ut puto, non id hauserat ex scriptis apocryphis; sed potiùs acceperat à Judæis; quorum operâ usus videtur in oppugnandâ religione Christianâ. Nec caussam video, cur nobis persuadeamus, doctissimum Epiphanium, qui tantum operæ impenderat, in hæreticorum libris acquirendis, legendis, expendendis, impugnandis, nescisse distinguere inter hæreticorum, & Catholicorum libros, ac doctrinas. Esto interea, ut & Epiphanius, & Damascenus, istoc quoque legerint in Gnosticis, aliisve libris: non inde consequitur, pro falso habendum. Nec enim, quicquid Gnostici chartis illinerent, tale erat: sed vera etiam falsis immiscuere, quò falsis meliùs conciliarent fidem. Ut hic etiam locum habeat illud poetæ Sulmonensis:

a Cap. 4, ad sectio 4. sive pag. 34.

—— nec fingunt omnia Cretes.

Et cogitandum, quanto faciliùs ætate Epiphanii potuerint Catholici æra lupinis distinguere: quia tum innumera supererant antiquitatis monumenta; quæ postea seu temporum infelicitate, seu hominum socordiâ, perierunt.

Credo, & aliquis exquirat, utrùm cum iis, quæ in Scriptis de genealogia Christi legimus, conciliari etiam possint, quæ de ea Muhamed, vel ejus interpretes, tradiderunt. De hoc judicium ferri nequit, nisi priùs constiterit de eorum sententia: quæ istiusmodi est.

Fatentur de paterno Jesu genere frustra quæri, quia natus sit ex Maria Virgine; unde & à matre *Mariæ filius* dicatur: ac jure comparetur cum Adamo; qui & ipse procreatus sit citra conjunctionem maris, & feminæ. Mariam verò ajunt esse filiam Amram, Amram filium Matan, Matan filium Suliman, Suliman filium David, David filium Ischi. Ita Pater Mariæ, & parens Mosis, atque Aaronis, fuerint cognomines. Inter verò duos hosce Amramos statuunt spatium annorum mille, & octingentorum. Quod ad hoc intervallum, trecentis circiter annis minùs dicere debuissent. Sed neque Mariæ parens Amram dictus; verùm Heli, aut Eliakim; sicut vidimus. Quod autem duas solùm generationes, Matanis nempe, & Sulimanni, inter patrem Mariæ, & regem David, constituunt, id planè insulsum est: cùm inter eos sit intercapedo annorum quasi mille. Nec potuit inter Mariæ majores fuisse ullus *Solimannus*; quod nomen est non Hebræum, sed Turcicum. Verùm quid ab iis vel mediocre exspectemus, qui Messiæ nomen non *unctum*, sed *benedictum*, interpretentur: *Jesum* verò dicant esse vocabulum barbarum, &, quid significet, nesciri? Mittamus igitur ista, quæ, ut cum poeta Hispano *a* dicam,

Tricæ sunt, apinaque, aut siquid vilius istis.

a Martial. lib. 14. epig. 1.

Ac gradum potiùs capessamus ad alia; quæ illustrandis faciunt Scripturis. Cujusmodi est controversia de fratribus Christi. Nam & ea valde est agitata, ut inter veteres, sic etiam juniores.

CAPUT VI.

QUI FRATRES CHRISTI VOCENTUR.

Quos Scriptura vocat fratres Christi, hi non fuere Iosephi, & Mariæ liberi, ut Helvidius putabat: sed verisimilius creduntur consobrini Iesu Christi: verùm præ isto etiam multò magis consentaneum est, fuisse Iosephi liberos ex priori uxore.

CUm iis, quæ de stirpe Jesu diximus, conjuncta est de fratribus ejus quæstio. De his disputant, quâ ratione *fratres* dicantur. Fuere, qui existimarent, fuisse B. Mariæ τῆς Θεοτόκου *a* filios ex marito suo Josepho. Quæ sententia δυσσεβὴς, καὶ ἄθεος μάλιστα, *irreligiosa, atque impia admodum, Photio dicitur. Eunomii autem, ea fuit; qui contendebat, Mariam post Salvatoris partum agnitam ab Josepho: ut cognoscimus ex Ecclesiastica Philostorgii historia à Photio in compendium redacta, ac proximè juris publici facta à clarissimo, atque eximio, Jacobo Gothofredo, viro & hoc nomine, & aliis multis, præclare merito de Rep. literaria. Præterea opinionem hanc Antidicomarianitis, & quibusdam Dimæritis, tribuit Epiphanius hæresi* LXXVII, & LXXVIII; *dubius interim, utrum eam hauserint ab Apollinari Laodiceno, an discipulis ejus. Denique, ut Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, testantur.* Sententia hæc fuit Helvidii; urgentis hæc duo, tum quòd Josephus dicatur non agnovisse conjugem, donec peperisset primogenitum; unde colligebat, postea agnovisse: tum quòd sæpius in Scripturis mentio fiat fratrum Jesu.

a Deipara.

De priori jam olim responsum fuit, *donec*, & *usque*, non semper affirmare aliquid fuisse, aut fore, post tempus expressum. Ut II Reg. XXVI, 26: *Michol filia Saul non est natus filius, usque in diem mortis suæ.* Ex quo minimè sequitur, post mortem peperisse. Sic Matth. XXVIII, 20. legimus: *Ecce ego vobiscum sum ad consummationem seculi.* Unde perperam colligatur, postea nobiscum non fore. Similiter Psal. CIX: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ad scabellum pedum tuorum.* Matth. V, 19. *Donec transeat cælum, & terra; iota unum, aut unus apex, non præteribit à lege.* Vide Hieronymum contra Helvidium, & Chrysostomum in Matth. cap. I, 25.

Quod ad alterum (id de fratribus erat) attinet, à plerisque etiam Helvidio est responsum, *fratres* hic, more Hebræo, vocari, qui essent cognati; hoc est, fratres patrueles, amitini, vel consobrini. Audiamus B. Hieronymum in Matth. cap. XII: *Nos fratres Domini consobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini; quæ esse dicitur mater Jacobi minoris, & Joseph, & Judæ: quos in alio loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat.* Ac pluribus de eo in opere adversus Helvidium: ad quod ibidem remittit. Similiter Theodoretus in epist. ad Gal. cap. I in fine.

Sed, sive Scripturam attendamus, sive alios Sanctorum Patrum; potior eorum sententia videtur, qui hic *fratres* non in cognatione remotiores, sed propiores intelligi, arbitrantur. Siquidem accurata describitur cognatio Christi Matth. XIII, 53, 54: *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus, Iacobus, & Ioses; & Simon, & Iudas? Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? unde ergo huic omnia ista?* Et Marci VI, 3: *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iose, & Iudæ, & Simonis: & sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.* At quando parentes probè novi-

novimus, quos ex eorundem familia meliùs nôsse solemus, quàm liberos jam grandis ætatis? qui soli icciteo nominantur Joan. vi, 43. Sententia igitur est: Nonne eodem hic patre est prognatus, quo Jacobus, Jose, & duo fratres eorum?

Præterea fratres illi nominantur, qui matri adesse soleant. Unde Math. xii, 46: *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres, stabant foris, quærentes loqui ei.* Ac similiter Marci iii, 31, & Luc. viii, 19. Unà etiam iter suscipiebant. Ut Joan. ii, 12: *Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus.* Hi quoque in Judæam invitant Joan. vii, 3: *Dixerunt igitur ad eum fratres ejus, Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palam esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres ejus credebam in eum.* Ubi non possunt intelligi cognati ejus, filii Zebedæi, Jacobus major, & Joannes; qui jam antè discipuli fuere; ut ex Matthæo, & Marco, constat. Quos igitur alios capiamus fratres, quàm proximos? qui tum quidem nondum credebant, nec ex duodecim fuere; postea tamen fidem sunt amplexi. Proximis sanè meliùs convenit, quòd matrem Jesu, ut domestici, comitarentur; eoque asseclæ essent Christi. Videlicet, Josepho defuncto, cura omnis rei familiaris penes Mariam erat: ut fratres Jesu necesse habuerint eum sequi, etsi necdum in eum crederent; imò quandoque etiam pro furioso haberent.

Nec leve pro hac sententia argumentum præbet historia de passione Jesu Christi. Tres enim Euangelistæ in eo conveniunt, tres feminas spectâsse Christum crucifixum. Matthæus xxvii, 56, eas nominat, Mariam Magdalenen; & Mariam, Jacobi ac Jose matrem; & matrem filiorum Zebedæi. Marcus xv, 40, appellat Mariam Magdalenen; & Mariam Jacobi parvi, ac Jose matrem; & Salomen. Joannes autem xix, 25, Mariam, matrem Jesu; & sororem matris ejus, Mariam Cleopæ; & Mariam Magdalenen. De Maria Magdalene conveniunt inter se.

Altera est Maria cognomento Salome, filia Cleopæ, uxor Zebedæi, mater duorum Apostolorum, Jacobi majoris, & Joannis Euangelistæ. Matrem quidem filiorum Zebedæi, dictam Salomen, communis veterum sententia est: atque ita quoque Baronius Tom. i, in Appar. num. lxv, Jansenius cap. civ Concordiæ Euangel. Maldonatus Matt. xxvii, 56, atque alii. Sed quæstio est, sitne eadem, ac Maria Cleopæ. Nempe ut Maria habuerit cognomen Solomes: sicut alteri Mariæ cognomen fuit Magdalenæ. Atque ut Cleopæ dicatur à parente, quia filia Cleopæ: quæ tum Maria Zebedæi potuit vocari à marito; tum Maria Jacobi magni, & Joannis, à liberis.

Item quæritur, quæ sit tertia, Maria Jacobi dicta. Non dubitamus, quin eadem sit, quæ dicta mater Jacobi, Josetis, Simonis, & Judæ. Atqui hi proximi sunt fratres Domini, ut ostensum. Nempe fratres Christi credebantur, quia filii erant Iosephi ex priori uxore: cui nomen fuisse *Esscha*, tradiderunt: ut est apud Hieronymum in cap. xii. Matthæi: sed ex Apocryphis id haustum ait. Verum de nomine non contendimus; sed re: in qua inviti avellamur ab antiquis, ubi de historia agitur. Quomodo igitur Iosephus creditus pater Iesu; ita hi etiam habiti sunt fratres Iesu. Unde consequitur, Mariam Iacobi eandem esse ac matrem Domini.

Atque hoc eo quoque evincitur: quòd, cùm tres mulieres ab tribus nominentur Euangelistis; nisi Matthæo, & Marco, Maria Jacobi, sit ea, quæ Joanni est mater Jesu; sequatur, duos priores Euangelistas, cùm enumerare vellent præcipuas illarum, quæ cruci adstitissent, omisisse Deiparam: quam minime omnium oportuit præteriri, cùm omnium fuerit maxima, & Christus de cruce pendens ad eam, & Joannem, sermonem illum habuerit, quem Euangelista Joannes narrat.

Dixeris, parum esse verisimile, eam, quæ verè mater esset Jesu, Iacobi non verè, sed summùm noverca; à Matthæo, & Marco, potiùs dictum iri Mariam Iacobi, quàm matrem Iesu. Aliquid eò effeceris, nisi Matthæus, & Marcus, primò scripsissent Euangelium; eoque sic vocassent, ut, Iosepho marito defuncto, vocari soleret: idque quia in familia ejus Iacobus esset natu maximus, atque etiam, donec Iesus se miraculis patefecisset mundo, omnium notissimus.

Longè tamen aliter B. Hieronymus lib. adversus Helvidium: *Tu dicis, Mariam Virginem non permansisse. Ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali connubio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit; & aliam eum uxorem habuisse non scribitur; Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quàm maritus: relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.* Itaque & idem eopse libro Mariam, matrem Iacobi, appellat Domini materteram. Quod & facit in cap. xii Matthæi. Similiter Theodoretus ad Galatas cap. i: *Vocatur quidem frater Domini; at non erat naturâ. Sed nec erat Josephi filius, ut quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus: verùm erat quidem Cleopæ filius, Domini autem consobrinus. Habuit enim matrem, matris Domini sororem.*

Sed his obducimus tot alios. Ex Latinis Ambrosium, sive Hilarium, diaconum Romanum, ad Gal. cap. i, & Hilarium Pictaviensem in Math. can. i. Quorum uterque apertè prodit, Iacobum hunc fratrem Domini, natum fuisse ex Iosepho, & priori ejus uxore. Ex Græcis similiter Euseb. lib. i Hist. Eccl. cap. i; Gregorius Nyssenus orat. ii de resurrect. Christi; Epiphanius, cum alibi *a*, tum fusè imprimis, hæresi xxix, quæ est Nazaræorum, & lxxviii, quæ est Antidicomarianitarum; Chrysostomus homil. de Annunc. Virginis; Theophylactus in Matth. xxvii *b*, & ad Gal. cap. i; ac Euthymius in Matth. cap. ii. Imò & ante hos omnes Origenes in Matth. cap. iii scribit, nonnullos ita sensisse: ac Hippolyto Portuensi eandem sententiam tribuit Nicephorus lib. ii Hist. cap. iii. Et sanè, qui Iosephum putaret non habuisse uxorem, antequam B. Mariam duceret, ante B. Hieronymum arbitror fuisse neminem: utcunque posterioribus temporibus, in virginitate extollenda immodicis, avidè multi eam fuerint sententiam amplexi. De genere Christi hactenus.

a *Hæres.* 51, *& in Ancorato.*

b *Al.* vii.

F I N I S.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ANNIS JESU CHRISTI
DISSERTATIO PRIMA;
QUÆ EST
DE CHRISTI ANNO NATALI.

I.

Magna, ac vetus est disceptatio, quoto Augusti anno natus sit Jesus Christus. Sed Augusti anni ambigue dicuntur; quia, ut postea explicabitur: alii ejus annos inchoant à nece Cæsaris, alii à triumviratu ipsius, alii à victoria Actiaca, alii à nece Cleopatræ. Quare, ut res sit liquidior, potius annis numerabimus Julianis; qui incipiunt anno necem Julii Cæsaris proximè præcedenti; quando Julius, bello Civili confecto, Consul in decennium, ac Dictator perpetuus, creatus est.

NEMPE anni Juliani, quibus initium à correctione Fastorum, unico anno prævertunt annos Augusti; si hos numeres à nece Julii Cæsaris. Sed biennio, si eosdem ordiaris à consulatu Hirtii, & Pansæ. De quo, ut dixi, pluribus postea agetur. Nunc varias de natali Christi adferam opiniones; quas inferiùs expendam. Initium sumam à receptissima.

II.

Vulgaris est opinio, natum fuisse Christum VIII *Kal. Januarias anni Juliani* XLV: *ad quam sententiam orbi praivit Dionysius cognomento Exiguus.*

NAtione is Scytha fuit: sed monachus, seu abbas Romanus. Qui primus ab eo tempore, quo Verbum caro factum est, numerare docuit anno Christi IↃXXVIII.

III.

Proximè ad Dionysium accessit Beda. Sed sic ut non prorsus convenerit: cum non ab eodem initio annos Christi ordiatur. Quippe Dionysio primus Christi est annus Julianus XLV; *quia in eum incidit tum Christi* ἐνανθρώπησις *sive incarnatio, tum etiam nativitas; illa quidem* XXV *Martii, hæc* XXV *Decembris. At Beda, (quem Marianus Scotus, Sigebertus, aliique Chronologi, ac Computista, sequuntur) auspicantur æram Christianam octiduo post natalem Christi; puta à Kalendis Januariis anni sequentis.*

EPocha igitur Dionysiana uno anno anticipat illam Bedæ, & Computistarum, ad nostra usque tempora propagatam. Ac videntur originem cepisse ex eo, quòd Dionysium malè intellexerit Beda. Nam, (ut Petavio pluribus ostensum a) Dionysio semper primus est is annus Christi, quo incarnatus: ac vererum etiam alii multi propterea inde annum inchoarunt; nempe ab æquinoctio verno, vel ab XXV Martii, aut à Paschate: quod videre est ex Francorum annalibus; ubi annus à Paschate incipit: imò in Francis ea obtinuit numerandi consuetudo, donec edicto statuit Karolus IX, ut omnes annum ordirentur à Kalend. Januariis. Variis etiam hodieque locis à Paschate initium ducunt: de quo alibi fusiùs loquemur.

a Lib. 12. de Doct. Temp.

IV.

Æra Christi vulgaris, quam à Kalendis Januariis anni Juliani XLVI *incipere dicebamus, est periodi Julianæ annus quater millesimus septingentesimus decimusquartus.*

MAlo periodi Julianæ annis numerare, quàm orbis conditi: propterea quòd, si rationem ineam à natali orbis; tam incertum relinquam lectorem, quàm fuerat dudum: idque partim ob annorum dissensum in Bibliorum codd. Hebræis, ac Græcis; partim etiam, quia & illi, qui Hebræos codices sequuntur, tantopere disconveniant; sic ut assignato orbis anno adhuc sis incertus, nisi quæsieris priùs, quot annos alter numeret ab orbe condito usque ad Christum. Adde quòd, pro variis gentibus, varient annorum initia; his à verno, vel auctumnali æquinoctio; aliis à solstitio, vel brumâ, inchoantibus. At plana sunt omnia, si numeremus annis Julianis; idque secundùm periodum inde *Julianam* vocatam ab inventore ejus Josepho Scaligero; plurimùm laudis promerito ob tam nobile repertum, verè temporum ὄχημα a: cujus ignorantiâ multa à multis ariolis videas referri non ἐναντιοφανῆ b dico, sed verè ἐναντία c. Consit verò hæc periodus è tribus cyclis; Solis, Lunæ, & Indictionis: de quibus iccirco paucula præmittam. Solaris circulus est annorum XXVIII: quorum singulis variant literæ Dominicales A, B, C, D, E, F, G. Sanè si annus tantum haberet dies 364, litera Dominicalis se quotannis similiter haberet; quia numerus allatus, per septem divisus, nihil relinquit. Nunc habet annus dies 365: eoque ob diem unum residuum, in eàdem literâ annus & incipit, & terminatur. Ac si nunc sit Dominicalis G, proximo anno fit F, hinc E, & ita porrò, juxta initiales versiculi vulgati literas:

a Vehiculum.
b Quæ pugnare videantur.
c Contraria.

Gaudet Francus Equo, Dacus Cane, Barbarus Arcu.

Quare septennio quolibet exacto, Dominicalium literarum eadem rediret facies, nisi quarto quoque anno foret bissextilis; sic dictus, quia eodem die repetito bis sexto Kalendas numeremus. Is annus non in eandem desinit Dominicalem, unde cœpit; sed sequentem. Ac quia quarto quoque intercalatio diei fit, ideo & quater septenos annos effluere est necesse, antequam idem

redeat Dominicalium literarum ordo. Et talis est cyclus Solis, sive literarum Dominicalium.

Cyclus verò Lunaris est annorum xix: unde & *ἐννεακαιδεκαετηρίδα* vocant; uti & annum Metonicum, ab inventore Metone, Socratis æquali, & amico. Etiam *aureus numerus* dicitur, quia aureis literis in Fastis notaretur. Hoc cyclo exacto, ferè eadem redit noviluniorum ratio, ac reliquorum adspectuum Lunæ ad Solem. Ferè, inquam, non exactè; quia Luna unâ horâ, & duabus quinctis, sive vigintiquatuor minutis, ante exactam *ἐννεακαιδεκαετηρίδα* eosdem ad Solem respectus iisdem in Zodiaci locis nanciscitur.

Cyclus Indictionis est systema trium lustrorum quinquennalium, sive annorum quindecim; unde & *πεντεκαιδεκαετηρὶς* nuncupatur; nomenque à tributis & pensionibus, quas Cæsar Constantinus, ejusque successores, indicerent. Nam ridiculum est, quod apud Constantinum Porphyrogennetam in secundo de Thematibus, & alios, legas, Ἴνδικτον quasi Ἴνακτιον ab Actiaca dici victoria; quasi non Indictiones multò sint Augusti temporibus recentiores. Hæc de tribus cyclis.

Cæterum si cyclum Solarem, quem duodetriginta annorum dicebamus, in Lunarem illum annorum xix duxeris, conficiet periodus Victoriana sive Dionysiana, annorum 532. Et si Dionysianam periodum multiplices per cyclum Indictionum, exurgent anni 7980. Unusquisque verò annus suas ex his tribus cyclis habet notas ac characteres. E. G. annus hic 1642 habet cyclum Solis 27; literam Dominicalem E; Cyclum Lunæ, sive aureum numerum 9; Indictionem Romanam 10. Nec unquam idem trium cyclorum numerus redit nisi exactâ periodo Julianâ. Incipit autem periodus hæc à cyclo solari 1, Lunari 1, Indictione 1. Qui periodi annus excedit mundi natalem, juxta Ubbonem Emmium, annis 763; ut juxta Petavium annis 729. Quippe ex Ubbonis sententia conditus est mundus anno hujus periodi 764. At Petavius annis triginta quatuor citiùs conditum esse mundum arbitratur: nempe anno Periodi Julianæ 730. Atque ex his satis elucet, quid Periodi Julianæ nomine intelligatur. Nunc redeo ad æram vulgarem.

V.

Eadem Christi æra concurrit cum Olympiadis centesima anno primo; anno Urbis, septingentesimo quinquagesimo quarto.

DE utroque hoc Emmius, & Petavius, consentiunt. Quid mirum? quando de annis Urbis uterque sequitur Varronem: qui eam conditam putavit Olympiadis sextæ anno tertio: non Olympiadis septimæ anno primo; ut volunt Fasti Siculi, sive Chronicon Alexandrinum. Pighius in Annalibus Romanis de annis Urbis mediam insistit viam.

VI.

Concurrit item hæc æra Christi cum Ægyptiaco anno trigesimo.

QUi anni numerantur non à victoria Actiaca; sed à capta Alexandria, morteque Antonii, & Cleopatræ.

VII.

Vulgarem hanc æram Dionysianam, sive potiùs æram Dionysii à Beda interpolatam, & exinde ad nostra usque tempora perductam, alii quidem anticipant, alii verò prorogant. Posterius faciunt Græci posteriores: ut Theophanes, Georgius Monachus, Cedrenus, atque alii: qui Christum putant septennio, vel octennio tardiùs natum, quàm æra fert vulgaris. Atque ad hanc æram adaptant characteres incarnationis, & natalis Jesu Christi.

E. G. Maximus Monachus, Tarasii Patriarchæ Syncellus, annum Heraclii xxxi ab incarnatione Christi ait esse annum Iↄcxxxiii. At secundùm æram vulgarem is fuerit annus Christi Iↄcxl. Septennio igitur minùs dicit ærâ vulgari. Item annus, quo Heraclius in Africa salutatus est Imperator, Georgio Theophani, Georgi Syncelli familiari, quem & continuavit, est annus Christi Iↄcii. At secundùm æram vulgarem est annus Iↄcx. Octennio igitur seriùs natum statuit, quàm æra vulgaris, sive illam Dionysii, sive Bedæ, placet dicere. Nempe qui natalem Christi referunt ad annum mundi 5000, septennio abeunt; octennio, qui ad annum 5001.

Circumspectione verò aliquâ opus est, in lectione Historiæ Miscellæ. Quis enim non existimet, quoties consarcinator ejus loquitur de annis Christi, intelligi debere de annis æræ vulgaris? Sed multò aliter est. Nam postremis libris viii eodem modo numerat, ac Theophanes. Cujus rei caussa est, quòd, sicut primis xi libris Eutropium, & v sequentibus Paullum Diaconum exscripsit: ita viii postremis describit Theophanem; sic ut non tam diversus scriptor sit, quàm interpres. Qua de re etiam diximus in opere de Historicis Græcis, ac Latinis.

VIII.

Qui verò ante æram, seu Dionysii, seu Bedæ, natum fuisse Christum arbitrantur, alii longiùs anticipant, alii propiùs accedunt. Longissimè recedunt, qui vulgarem Christi natalem annis prævertunt viginti duobus.

UT Marianus Scotus ad annum Iↄxxxii; item Sigebertus ad eumpse ann. & cIↄlxxvi; ac Matthæus Parisiensis ad eundem an. cIↄlxxvi: secundùm quos æra Christi ab anno incipit Juliano xxiv: non xlvi; ut vulgò numeramus.

IX.

Est verò hæc sententia non modò falsa omnino sed etiam absurda. Quippe si eam sequamur, Christus fuerit mortuus, antequam denatus Cæsar Augustus. Quo nihil magis sacris repugnat Scripturis: ut quæ doceant, Christum anno Tiberii quinctodecimo fuisse à Ioanne baptizatum, ac prædicationem suam exorsum.

UT mirum sit, summum virum, Paulum, patriâ Middelburgensem, Episcopum Forosemproniensem, idem aliquando contendisse: imò persuadere aliis voluisse, id sibi fuisse revelatum ab Apostolo Paulo. Quod dubitare possis, vigilans, an dormiens somniârit. Sed bene est, quòd ipse postea ab hac opinione recesserit.

X.

Nunc ad eos venio, qui propiùs anticipant æram vulgarem. Atque horum quinque opiniones sunt; quæ quidem in considerationem venire mereantur. Prima eorum, qui proximè abeant: quomodo natus sit Christus anno Iuliano xliv, *C. Cæsare Octaviano* xiii, *& M. Plautio Sylvano Consulibus, anno Urbis,* Iↄccliii.

ITa Onuphrius Panvinus, Pererius, Mariana libro de morte Christi, atque alii: ex antiquis verò, ut videtur, Tertullianus: de quo postea considerabimus.

XI.

Altera biennio prævertit, ut natalis Christi incidat in annum Iulianum xliii: *quo Consules fuêre L. Cornelius Lentulus Getulicus, & M. Valerius Messalinus, anno Urbis* Iↄccli.

SIc Cassiodorus, & quodammodo Epiphanius: è junioribus verò Scaliger, & Baronius; quos alii magno

magno numero sequuntur. Sed hoc in iis est discriminis, quòd Ios. Scaliger id constanter faciat: sic ut judicaturus fuerit, quia æra vulgaris biennio minùs dicit, hoc anno etiam biennio minùs dici: id est, annum hunc cIↄIↄcXLII, esse minimùm annum XLIV. At Baronius, etsi Christum biennio antè natum credat, quàm æra habet vulgaris: tamen annum hunc cIↄIↄcXLII verè habiturus fuerit pro eo, qui dicitur. Ut verò hæc ἀσύστατα [a] conciliaret, tale summus vir, & utcumque humanum aliquid non semel passus, præclarè tamen de Ecclesiæ temporibus meritus, commentum reperit. Ubi ad Probi Imperatoris tempora deventum, duo paria consulum omisit. Prius est M. Aurelii Probi Imperatoris III, & Furii Lupi: alterum est M. Aurelii Imperatoris IV, & Ælii Scorpiani. Itaque cùm Probus annos imperârit sex, solùm ei tribuit quaternos. Quod si biennium ei restituatur, meliùs Baroniana sibi ratio constabit.

[a] *Pugnantia.*

XII.

Tertia triennio ante natum ponit: hoc est, anno Juliano XLII, *C. Calvisio Sabino, & L. Passieno Rufo Coss. anno Urbis* IↄCCL.

ITa Sulpitius Severus. Et Petavius quidem lib. XII de doctrina Temporum, cap. VII, [b] de vulgari æra sic scribit: *Nemo ex omni antiquitate repertus est, qui non, ut minimùm, triennio antè, natum Christum prodiderit; plerique quadriennio. Qui Consulibus his, & anno æræ Christianæ primo, Christum natum ederet, ante Bedam, hoc est, septimum ante* [c] *seculum, repertus est nemo.*

[b] Pag. 418.

[c] *Nisi potius octavum. Beda enim suam historiam Anglicam an. imposuit 731: ac proinde seculo floruit octavo.*

XIII.

Quarta quadriennio prævertit, ut natus sit anno Juliano XLI. *C. Cæsare Octaviano, & L. Cornelio Sylla Coss. anno Urbis Cond.* IↄCCXLIX.

ITa Ioannes Dekerius: cujus sententiam maximè se probare, ait idem Petavius ibidem. Atque idem sensit Epiphanius, si non ex consulibus, quos dicit; sed annis, quos tribuit Herodi, judicemus: quemadmodum planius fiet ex iis, quæ adferam ad Thesin XII.

XIV.

Quinta natum statuit quinquennio priùs, ut is annus sit Julianus XL, *Dec. Lælio Balbo, & C. Antistio Vetere Coss. anno Urbis* IↄCCXLVIII.

ITa Keplerus, Cæsareus Mathematicus, & M. Antonius Capellus, monachus Franciscanus.

CAP. XV.

Opiniones aliorum vidimus. Nunc expendendum, quid consentaneum magis sit, tum Sacris Literis; tum Sanctorum Patrum auctoritati. Distinctè de utroque loquar. Ac de Scripturis quidem ita statuendum, planè eas repugnare opinioni vulgari; modò capere eas sic velimus, ut non repugnent illis, quæ de rebus Romanis, ac Judaicis, prodidere Flavius Iosephus, & Dio Cocceius; ut ceteros taceam. Hoc ita esse, sic evincitur. Christus est natus ante mortuum Herodem: ut clarè constat ex Scripturis. At Herodes est mortuus anno Iuliano XLIV, *ante Pascha. Non igitur demum nasci potuit anno hoc exeunte: quia sic natus esset post mortem Herodis. Sed si eodem sit anno editus in lucem, id fuerit anno hoc inchoante: quod conveniat Græcis, natalem Christi referentibus ad* VIII *Id. Januar. Sin natus sit vel* VIII *Kal. Januar. ut vetusta habet Romana Ecclesiæ traditio, Chrysostomo ita testante; vel in Maio, aut Aprili, ut Ægyptios statuisse, tradidit Clemens Alexandrinus: ne eo quidem anno natus fuerit, sed potiùs præcedenti; putà* XLIII, *vel etiam antè. Ut biennio minimùm aberret opinio vulgaris.*

EX Evangelio Matthæi clarè dilucet, Herodem Ascalonitam, qui & *Magnus*, & *Senior* dici solet; ubi se à Magis, qui Jesum venerant adoratum, elusum vidit; occidisse pueros Bethlehemiticos: Iosephum verò, qui angeli monitu cum puero, & matre, paullò ante cædem illam fugerat in Ægyptum, non inde reversum, nisi angelico item monitu; cùm Herode jam mortuo, Archelaus in partem imperii venisset. Ut & Iesus fuerit natus ante Magorum adventum; & Magi accesserint ante cæsos Innocentes; & hi cæsi sint ante mortem Herodis, ac imperium Archelai. Ex quibus consequitur, multùm aberrare, qui, ut vulgo fieri solet, natalem Christi conferunt in annum, quo jam occisi erant pueri Bethlehemitici, inque Herodis locum liberi ejus successerant.

Cùm verò controversia sit de anno, quo mortuus est Herodes; eaque pendeat ex annis, quibus dicitur regnâsse: de eo accessus anno judicium ferri nequit, nisi priùs constiterit, quando cœperit regnare, & quot annis tenuerit imperium. De utroque istorum non possumus testem dare magis idoneum, quàm Flavium Iosephum, hominem Iudæum, ex primaria gente Asmonæa, virum doctrinæ & judicii summi, magnæque dignationis, ac fidei, non apud Iudæos modò, sed etiam Romanos: ut ostensum nobis operis de Historicis Græcis lib. II cap. VIII. Is auctor est nobis lib. XIV Antiq. cap. XVII, & lib. I de bello Iudaico cap. XV, Herodem, adnitente Antonio, à Senatu Romano consecutum esse regnum Iudææ, C. Domitio Calvino II, & C. Asinio Pollione, coss. hoc est, anno Iuliano VI; anno Urbis Varroniano IↄCCXIV; Olympiadis CLXXXV an. I. Idem verò Herodes triennio pòst Hierosolyma cepit, & Antigono Asmonæo, quem Parthi Regem fecerant, occiso, totâ Iudæâ potitus est. Ita qui ante triennium titulum Regis obtinuit à Romanis; hoc anno in possessionem regni venit, Olymp. CLXXXV. an. IV, M. Vipsanio Agrippâ, & L. Caninio Gallo coss. ut ait Iosephus lib. XIV Antiq. cap. ult.

Duplex igitur initium habet regnum Herodis; prius anno Iuliano VI; alterum, IX. Ac à posteriori initio numerat lib. XV Antiquit. cap. VII; ubi ait, Actiacam pugnam incidere in annum Herodis septimum. Nam à priori initio fuerit annus decimus. Quippe Actiaca Augusti victoria incidit in IV Non. Septemb. anni Iuliani XV; ut ex Dionis lib. L, & aliis, cognoscere est.

Porrò idem Iosephus testatur, Herodem mortuum esse, cum annorum esset circiter LXX; exactis annis XXXVII, ex quo à Romanis rex erat creatus; annis autem XXXIV post capta Hierosolyma.

Ex his quidam doctissimi viri sic colligunt: si Herodes cœpit regnare anno Iuliano VI, & decesserit anno imperii XXXVII; vivere regnareque desiisse anno Iuliano XLII. Sed qui sic argumentantur, ad duo non attendunt. Prius est, Herodem primùm cœpisse imperare exeunte Iuliano anno VI. Nam ex Iosepho constat, tempore Pentecostes fuisse in Iudæa; sub autumnum Alexandriâ iter instituisse Romam; sed gravi tempestate Pamphyliam versus jactatum; ac propinquante jam hyeme, Romam venisse. Alterum autem est, quòd Herodes obierit paullo ante Pascha: ut apud eundem Iosephum legimus. Id si est, non possumus dicere, eum anno esse mortuum XLII; quia inde sequeretur, non totos XXXVI annos imperâsse. Solùm enim, exeunte anno Iuliano XLII, cœpit annus Herodis XXXVII. At minimùm parte trigesimi septimi imperium habuerit. Imò Iosephi verba sic sonant, quasi complêrit. Audiamus ipsum lib. XVII Antiquit. cap. X: Τελευτᾷ βασιλεύσας, μεθ' ὃ μὲν ἀνεῖλεν Ἀντίγονον ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα· μεθ' ὃ δὲ Ῥωμαίων ἀποδέδεικτο, ἑπτὰ καὶ τριάκοντα. *Vitam finiit, cum regnasset, ex quo Antigonum sustulerat, annos* XXXIV: *postquam verò regnum à Romanis obtinuit, annis septem & triginta.* Quæ etiam legas lib. I de bello Iudaico cap. XXI. Interim non diffiteor, posse intelligi trige-

simum septimum inchoatum. Sæpe enim sic loqui amant scriptores; præsertim si major anni pars fuerit transacta. At nunquam sic loquuntur, quando quis aliquam anni partem non attigit. Non igitur obierit Herodes anno Juliano XLII: sed, si complêrit annum imperii XXXVII, decesserit anno Juliano XLIV: sin minùs, mortuus sit anno Juliano XLIII.

XVI.

Quæ de mortis Herodianæ anno diximus, etiam iis firmantur, quæ de annis Archelai apud Dionem, & Josephum, legere est.

DIo enim lib. LV refert, Herodem Palæstinum, (ita Archelaum appellat) M. Æmilio Lepido, & L. Aruntio Nepote coss. à fratribus esse accusatum; Ab Augusto autem, decimo tetrarchiæ anno, trans Alpes, Viennam putà, relegatum, ac partem ejus ditionis in publicum redactam. At Consules illi fuêre anno Urbis Varroniano IↃCCLIX, Juliano LI, novæ æræ Ægyptiacæ XXXVI. Ergo saltem tum accusatus; bonaque ejus, si non iisdem, at proximis coss. nempe anni Jul. LII, Urbis IↃCCLX, confiscata sunt. Etiam convenit Josephus lib. XVII Antiquit. Jud. cap. XIX a, & imprimis lib. XVIII, cap. III: ubi Archelai bona fisco esse addicta ait, anno XXXVII ab Actiaca victoria. At hæc victoria incidit in IV Non. Septemb. anni Jul. XV; quo Consules erant C. Cæsar III, & M. Messala Corvinus. Trigesimus igitur septimus annus cœperit IV Nonas Septemb. anno Juliano LI, ac desierit eodem Septemb. anno LII. Ut optimè Dio, & Josephus, conspirent. Ab hoc spatio solidum auferamus novennium. Tamdiu enim rexit Archelaus, & fortè nonnullis mensibus. Satis inde liquet, initium Archelai incidere in ver anni Juliani XLIII. Multi tamen octo tantùm solidos annos, & aliquot menses, demere jubent. Pro se adferunt, quod Josephus lib. II belli Judaici cap. VI dicat, Archelaum nono principatus sui anno legatos misisse ad Cæsarem Augustum; sed ab eo damnatum, inque exilium Viennam, Galliæ civitatem, pulsum. Verùm non, si legati sint anno nono missi, eodem etiam sit condemnatus. Proximo enim in eum potuit ferri sententia. Et sanè post libros de bello Judaico scripti sunt Antiquitatum libri. Horum libro XVII, cap. XV, ait, decimo principatus anno esse accusatum: nec somniâsse dicitur de novem, sed decem spicis; qui totidem imperii annos notarent. Ut videatur, quæ antea de anno scripserat nono, retractâsse.

a Al. cap. 15.

Idem cognoscere est ex annis Philippi tetrarchæ; qui & regni ipse habuit partem. Nam, Herode mortuo, sic divisum ejus regnum inter filios fuit, ut semissem Archelaus, quadrantem verò Philippus, quadrantem alterum haberet Herodes Antipas; ut est apud Josephum lib. XVII, cap. X. At, ut idem Josephus ait, lib. XVIII, cap. VI; obiit Philippus, anno Tiberii XX, cùm Trachonitidi, Gaulanitidi, & Bataneæ, annis præfuisset XXXVII. Annus autem is Tiberii fuit primus, qui Augusti ultimus. Exstinctus is anno Jul. LIX, XIV Kal. Septembris. Ergo Tiberii XX incidit prioribus IV mensibus in an. Jul. LXXVIII. At posteriori, majorique parte sui, in annum Julianum LXXIX. Atqui annos XXXVII rexisse Philippum, dicebamus. Si solidi intelligantur, his ablatis, fluxerit annus Julianus XLII, cùm Herodi successit Philippus. Sin Philippus extinctus, currente anno principatus sui XXXVII; cœperit imperare anno Juliano XLIII. Posterius hoc planè dicendum, ut XX Tiberii, & XXXVII Philippi, concurrant. Nempe ut mortuus sit Philippus anno Juliano LXXIX; nec longè ante Pascha, nec post XIX Augusti, sed intermedio tempore. Non multò ante Pascha, quia demum paullò ante Pascha cœpit Philippi annus XXXVII. Nec post XIX Augusti; quia tum cœpit Tiberii annus XXI. Ut igitur concurrant Tiberii XX, qui desiit in Augusto, & Philippi XXXVII, qui cœpit circa Pascha; statuendum est, Philippum excessisse anno Jul. LXXIX. vere exeunte, aut primâ mediâve æstate, vel circiter; non autem auctumno, vel hieme; quia sic assignati horum anni non concurrerent.

Item Philippus tetrarcha Bethsaida vicum in honorem Juliæ, Augusti filiæ, Tiberii Neronis uxoris, *Juliam* vocavit. Et hoc factum, antequam ob adulteria infamis à patre in Pandatariam Insulam relegaretur: quod contigit anno Juliano XLIV; ut ex Dione liquet. Etsi verò hinc colligi nequit, utrùm Herodes exstinctus sit anno Juliano XLIII, an XLIV: tamen solidè evincitur, non posse ejus mortem differri ultra Pascha anni XLIV.

Atque hoc aliter quoque comprobatur. Cùm enim Romæ de paterno testamento coram Augusto disceptarent filii Herodis: Cajum Cæsarem constat, primum ex Augusti amicis locum obtinuisse in consistorio. Id fuerit ante exactum annum XLIV; quia hoc in Syriam abiit, nec inde rediit: ut qui anno XLIX obierit; quod ex Suetonio, & Tacito, colligitur. Saltem igitur vitâ excesserit Herodes ante Pascha anni XLIV.

Summa horum omnium eò redit, non obiisse Herodem anno Jul. XLII; quia sic non attigisset annum imperii XXXVII. Nec obiisse anno Jul. XLV, aut XLVI; quia sic plures, quàm solidos XXXVII annos, regnâsset. Sed decessisse, vel anno Jul. XLIII, ut annum XXXVII inchoarit; vel anno Jul. XLIV, ut eundem imperii annum complêrit. Ac proinde cùm natus sit Christus ante Herodem mortuum, & is mortuus sit ante Pascha; ex hypothesi, qua Christus creditur natus XXV Decembris: si exstinctus sit Herodes anno Juliano XLIV, Christum natum esse, fortasse quidem multò antè; minimùm tamen, anno Jul. XLIII: sin is obierit diem an. Jul. XLIII, multò antè forsitan; sed minimùm tamen Christi natalem incidere in annum Julianum XLII. Ut corruat opinio vulgaris, quâ natus creditur, exeunte an. XLV: imò & illa Onuphrii Panuini, natum existimantis XXV Decembris anni Jul. XLIV.

XVII.

Ex iis, quæ diximus, mero meridie lucidius esse arbitror, Christum biennio minimùm natum esse ante æram vulgarem. Nunc eorum pensiculanda est opinio, qui plusquam biennio priùs natum fuisse arbitrantur. Pro isto etiam assertur è Scripturis, quod Magi ad Mariam, & puerum, Bethlehemum venerint ex Oriente; idque, ut vulgaris fert opinio, VIII Idus Januarias. Tantum, ut aiunt, iter non potuit confici intra XIII dies proximos à natali Christi. Jam adde, quòd minimùm diem unum alterum consultationi impenderent Magi, priusquam itineri se darent: quod etiam biduum saltem, vel circiter, fluxerit, intra quod Herodes, ubi de Magorum adventu, & caussâ ejus, didicisset, Synedrium convocaret; quò illi de loco Messiæ nascendi statuerent è Scripturis. Quo pacto vix dies IX itineri Magorum relinquantur. Ut igitur verisimilis sit recepta sententia, quæ Magos ait VIII Idus Januarias venisse Bethlehemum; iis accedendum aiunt, qui non XIII diebus à nato Christo; sed tot diebus, & anno, imò etiam biennio post, advenisse Bethlehemum arbitrantur.

SI anno pòst venerint, triennio minimùm natus sit Christus ante æram vulgarem. Sed quadriennio verus anticipet natalis, si post biennium contigerit adventus. Et tanto pòst se Bethlehemi stitisse; opinio etiam est Origenis homil. XI in Lucam, Eusebii in Catena Græca, Epiphanii hæresi XXX, & LI, quæ est Alogorum: ubi sic inter alia inquit a: Ἐκέλευσε γὰρ τοὺς ἐν τοῖς ὁρίοις Βηθλεὲμ παῖδας ἀποκτανθῆναι, τοὺς ἀπὸ δύο ἐτῶν, καὶ κατωτέρω, ἕως αὐτῆς τῆς ἡμέρας, ἧς οἱ Μάγοι παρ' αὐτῷ ἐγένοντο. Ἔνθεν τοίνυν φαίνεται ὅτι ὅτε ἦλθον οἱ Μάγοι, δύο ἦν ἐτῶν ὁ παῖς γεγεννημένος; *Infantes enim omnes quotcunque in agro forent Bethlehemitico, à bimatu, & infrà,* a Pag. 430 & 431. edit. Paris.

jussit

jussit occidi, ad illam usque diem, qua apud se Magi fuissent. Unde quis non videat, tum quando Magi venerunt, puerum fuisse bimulum? Idem paullò pòst subdit *a*: Τῷ γὰρ τριακοστῷ τρίτῳ ἔτει τῆς Ἡρώδου γεννᾶται ὁ Κύριος· τριακοστῷ πέμπτῳ ἦλθον οἱ Μάγοι· τριακοστῷ ἑβδόμῳ ἔτει τελευτᾷ ὁ Ἡρώδης, καὶ διαδέχεται Ἀρχέλαος, υἱὸς αὐτοῦ, τὸ βασίλειον. *Nam anno* XXXIII *Herodis natus est Christus, annoque ejusdem* XXXV *Magi venerunt, ac* XXXVII *anno moritur Herodes, cui successit Archelaus.* Ubi itidem videmus, ex ejus sententia Magos venisse ad Christum bimulum. Sed addit, Herodem biennio pòst supervixisse. Quod si est, quadrimulus fuerit Jesus, antequam Herodes moreretur; totoque sexennio peccet æra vulgaris, secundùm quam natus sit biennio post Herodis mortem. Nihil tamen error iste ad Epiphanium; qui ante Herodem esse natum ait, & quidem quadriennio toto.

a Pag. 430.

XVIII.

Hæc nunc expendamus: ac primùm illud, quòd negant, intra dies XIII *ex Oriente potuisse Bethlehemum iter absolvi. Disquiri igitur opus, quantum hoc iter fuerit. De eo autem statui nequit, nisi priùs constiterit, quid* Orientis *nomine signetur. Sunt qui intelligant extremas Orientis partes.*

UTi Andreas Osiander lib. I Annotationum in Harmoniam Euangelicam cap. IX. Sed veterum potiùs sententias afferamus.

XIX.

Plerique Babyloniam intelligunt.

QUomodo aliquando cepit Chrysostomus. Ac sic quoque intellexit Strabus, Fuldensis monachus, in Glossa, quæ Ordinaria vocatur.

XX.

Persiam notari, aliorum est judicium.

SIc auctor imperfecti operis ad Matthæum, Cyrillus Alexandrinus lib. IV, in Joan. Juvencus, Theophylactus, atque alii.

XXI.

Denique alii Arabiam capiunt.

IN his Justinus Dialogo cum Tryphone, Tertullianus adversus Judæos, & contra Marcionem lib. III, Cyprianus sermone de Magis, & stella, Epiphanius in Epitome.

XXII.

De ultimis Orientis partibus quod dicunt, mirè est infirmum; quia nihil est certius, quàm Orientis *nomine etiam signari in Scripturis loca proxima ad Orientem sita.*

UT cùm Numer. XXIII ait Bileam, *De Aram adduxit me Balac, rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Ubi videmus, vicinam Syriam signari.

XXIII.

Babyloniam intelligi, parum est verisimile; tum ob longinquitatem viæ, quæ multorum foret mensium; tum quòd ea regio potiùs ad Aquilonem sita sit.

UNde apud Jeremiam Prophetam I, 14, de hac natione legas: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Ac similiter idem alibi crebrò.

XXIV.

Si igitur ex Orientis *vocabulo judicium ferendum; magis verisimile sit ex Persia, vel Arabia, venisse. Ac pro Persia est, quòd hujus sapientes præcipuè sibi* Magorum *nomen vindicarent: quòd item adoraturi Regem dona ferrent. Sed & hic viæ magnitudo facit, ut difficile sit hoc conciliare cum eo, quòd tertiodecimo die à nato Christo credantur eum adorâsse.*

SAnè Persia trecentis distat milliaribus ab Hierosolymis: eoque vel opus sit, ut cum Remigio ad virtutem recurratur divinam: vel ut credantur non ex penitiori venisse Persia, sed finibus proximis; ac præterea usos dixeris camelis; quorum ea est celeritas, ut die etiam quaque conficiant iter XL leucarum. Vel statuendum, stellam ante natum apparuisse Christum: Magos etiam ante natum itineri se accinxisse. Vel dicendum, non quidem die tertio decimo venisse à nato Christo: sed tamen ante purificationem B. Virginis; quod scribit B. Augustinus De Consensu Euangelistar. lib. II cap. V, & XI. Quomodo si vel die venerint trigesimo octavo, & sua Scripturis auctoritas, & sic numerantibus sua ratio constabit.

XXV.

Omnium verò maximè arridet, ut per Orientem Arabia intelligatur. Compellor eo, quòd inde pauxillis diebus iter confici potuerit Hierosolymam: & κατ' ἐγγίον *a Hierosolyma, Oriens rectè dicatur.*

a Proxim.

UTcunque enim Arabia deserta sit ad meridiem: (uti & Sabæi; unde *Regina Saba*, quæ ad audiendam Salomonis Sapientiam venerat, *Regina Austri* appellatur:) *b* Felicis tamen Arabiæ pars est ad Orientem. Ac propterea Tacitus *c*, Judæam describens, ait; *Terra finesque, quà ad Orientem vergunt, Arabiâ terminantur.* Et ex Arabia venisse Magos, etiam Justinus Martyr ait Dialogo cum Tryphone, idque gemino in loco *d*. Sed interpres ejus Joannes Langus posteriori loco pro *Arabia* reposuit *Assyriam*, reclamante contextu Græco.

b Matth. 12.
c Lib. 5. Hist.
d Pag. 236. editionis Commelinianæ.

XXVI.

Accedit, quòd munera fuerint Arabica. Quippe Arabia abundat auro, thure, myrrhâ: quæ dona Magi attulerunt.

SAnè & auriferam esse Arabiam constat; & sola videtur myrrham producere *e*; & Sabæi portio sunt Arabiæ: de quibus Maro I Georg.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Imò Græculi iccirco, quia thure Dii colerentur, Sabæi autem illud mitterent; eos ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι *f* esse sic dictos, persuadere aliis voluerunt.

e Plinius lib. 12. cap. 15. & 16.
f Cultu divino.

XXVII.

Adhæc movet, quòd etiam Arabiæ fuerint Sapientes sui, & nomen iis Magorum *fuerit commune.*

DE sapientia Arabum, jam ab vetustis seculis ex Jobi historia liquet: cumque I Reg. IV, 30 legimus, Salomonem præcelluisse sapientibus, ut Ægypti, ita & Orientis, per Orientem vicinos Arabas intelligi, verisimile est: ac Pythagoram etiam, philosophiæ gratiâ, Arabas abiisse, auctor est Porphyrius apud Cyrillum lib. X contra Julianum. Porrò sapientes Arabum etiam Magos esse dictos, ex Plinio scimus lib. XXV, cap. III. Item ex eo, quod Ptolomæus in Arabia agnoscat Magorum sinum. Nempe *Magorum* vox generalis est; usque adeò, ut & Chaldæi sive Babyloniæ sapientes, dicantur Μάγοι à Græcis interpretibus Prophetæ Danielis. Imò veterum aliqui putarunt, hunc Magorum adventum fuisse prædictum Psalmo LXX, 10: ubi legas, *Reges Arabum, & Saba, dona addu-*

adducent. Atque hinc eorum opinio inolevit, Reges fuisse, qui Christum adorarunt. Sed si hoc esset, non siluisset Matthæus, cùm maximè id ad honorem Christi pertineat. Etiam magnificentiùs Herodes rex, regio nempe more, Reges Magos excepisset. Quare vix aliter hæc conciliare liceat, quàm si dicatur, Reges fuisse, laxè eâ voce utendo; ut sæpe in Scripturis fit, quæ regulos quoque *Regum* nomine dignatur.

XXVIII.

Hactenus ostendi, quàm infirma sit ratio eorum, qui plusquam biennio anticipant natalem Christi vulgarem, quia, ut aiunt, non potuerint Magi XIII *diebus conficere iter suum ex Oriente: eoque ante eorum adventum vel anno, vel biennio, fuerit natus; si eo venerint die, quò vulgò existimatur. Ostendimus enim, venisse eos ex Arabia; eoque nullo penè negotio pauculis diebus iter hoc confici potuisse. Et sane Evangelista dicit, venisse eos* τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, *non* γεγεννημένου. *Posteriori hoc capere poteramus, quasi id vellet jam multò antè natum fuisse. Nunc mens est, venisse recens nato Jesu.*

EA enim vis est aoristi. Quomodo, (ut hoc ipso de argumento agens, ait Casaubonus *a*) aliud fuerit, Ἰησοῦ γεννηθέντος ἦλθον οἱ μάγοι, aliud γεγεννημένου, cùm priori celeritas adventus magis, quàm altero hoc significetur.

a Exercit. 2 ad Annal. Ecclesiast. Baron. cap. seu sect. 9.

XXIX.

Hoc igitur extra controversiam esto, Magos intra XIII *dies à nato Christo advenisse: vel summùm venerint ante Purificationis tempus: hoc est ante diem à partu quadragesimum.*

NAm ex Levitici XII cognoscimus, puerperam à partu masculi dies XL esse habitam impuram: ac primis quidem diebus septenis majorem fuisse impuritatem; qui dies erant separationis, quia separaretur à rerum omnium contactu: at sequentibus tribus ac triginta fuisse impuritatem minorem, quibus solùm arceretur à contactu rerum sacrarum. Ex his postremus erat Purificationis, quo mulierem ab immunditie legali purgabat Sacerdos. Unde & Maria (quam parum credibile est, diutiùs, quàm necesse erat, substitisse Bethlehemi, ubi peregrina erat) necesse habuit proficisci Hierosolymam; ut illic hostiam pro sui lustratione offerret, puerum suum Deo offerret, & quinque siclis redimeret à ministerio templi, & sacerdotii Aaronici. Atque hanc rem signat B. Lucas cap. II, his verbis: *Et ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galilaam in civitatem Nazareth.*

XXX.

Nunc alterum eorum argumentum expendamus. Refert Evangelista, non omnes ad unum pueros, sine ætatis discrimine, ab Herode fuisse interemtos: sed à bimatu & infrà: idque κατὰ τὸν χρόνον, ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν Μάγων· Secundùm tempus, quod exquisierat à Magis: *Horum ea verborum nonnullis sententia videtur; Herodem à Magis quæsisse de tempore ortæ stellæ: hos ei respondisse, jam biennium, vel penè biennium esse, quòd stellam conspexerint: Herodem, quò securus esset, jussisse propterea, ut omnes intra biennium nati necarentur: quia nempe sic in iis etiam futurus ille esset, cujus nativitatem stella Magis indicâsset. Atque ita B. Matthæum etiam Epiphanius cepit.*

SEd vidit, huic sententiæ objici posse, Jesum à Magis repertum esse Bethlehemi: nec Mariam istic hæsisse ultra diem quadragesimum: quippe quæ, cùm purificationis tempus advenisset, Hierosolymam se contulerit. Non negat hæc Epiphanius: sed ait, (si rectè ejus mentem cepit Maldonatus) Josephum, ac Mariam, quotannis, dum vivus esset Herodes, natalitio Christi die, ex Ægypto venisse Bethlehemum: atque ita accidisse, ut Magi bimulum jam Christum cum parentibus illic reperirent. Sed hæc sententia facilè refellitur. Nec enim credibile est, Josephum, & Mariam, tyranno superstite, ausos se Bethlehemum conferre. Fuisset id contra Dei mandatum; qui fugere jusserat ex Judæa. Fuisset quoque contra στοργὴν *a*, quia puerum maximo exposuissent periculo. Et quomodo Josephus Bethlehemum ivisset, qui mortuo Herode, etsi ab angelo jussus esset redire, metu tamen Archelai non ausus sit domicilium figere in Judæa; sed in Galilæam concesserit? Verùm acutior profectò fuit Epiphanius, quàm ut istæc non videret. Longè nempe aliud in animo habuit, quam Maldonatus putavit. Locutus enim est sanctissimus Pater de tempore post reditum ex Ægypto. Hoc quippe voluit, Mariam, cùm Bethlehemo priùs, ad sese purificandum, Hierosolymam foret profecta, & post purificationem Nazarethum rediisset: in more postea habuisse, ut quotannis sacrum illum locum, ubi Filium Dei enixa esset, unà cum Filio frequentaret: atque ita factum esse, ut Magi Iesum eâdem in Urbe, ubi ante biennium erat natus, non tamen in eopse stabulo, sed luculentâ magis domo, stellâ duce reperirent. Quæ sanè plurimùm distant ab opinione, quam Epiphanio tribuit Maldonatus. Ut omnia magis liqueant, operæ puto, Epiphanium ipsum audire loquentem *b*, hæresi LI, quæ est Ἀνοήτοις *c*, vel veriùs Ἀλόγοις *d*: Ἐρχόμενοι δὲ, ὡς εἰπεῖν, μνήμης ἕνεκα τοῦ ἐκεῖ γεγεννημένου, πάντοτε ἐνιαυτοῦ πληρωθέντος, καὶ τοῦ δευτέρου πληρωθέντος, ἦλθον οἱ γονεῖς ἐκεῖσε ἀπὸ Ναζαρέτ, ὡς εἰς τὴν πανήγυριν ταύτην. διὸ καὶ ἡ ἔλευσις τῶν Μάγων γεγένηται, καὶ κατὰ τὴν τοιαύτην συγκυρίαν· οὐκ ἐπὶ ἴσοις τῇ καταλύσει τότε τῆς Μαρίας καὶ Ἰωσὴφ διὰ τὴν ἀπογραφὴν τὴν ὑπὸ τοῦ Λουκᾶ εἰρημένην· οὐ γὰρ ηὗρον τὴν Μαρίαν ἐν τῷ σπηλαίῳ ὅπου ἐγέννησεν· ἀλλὰ ὡς ἔχει τὸ Εὐαγγέλιον, ὅτι ὡδήγει φησὶν αὐτοὺς ὁ ἀστὴρ ἄχρις οὗ ἦλθεν, οὗ ἦν ἐκεῖ τὸ παιδίον. *Venêre igitur, ut sic dicam, ob memoriam istic gestorum; anno uno, atque altero, jam transacto, velut ad celebritatem eandem. Quo tempore Magorum adventus hujusmodi quadam opportunitate contigit. Quamquam fortasse non in eodem diversorio, in quo fuerant tempore descriptionis à Luca enarratæ. Nec enim repererè Mariam in spelunca, ubi pepererat: sed, ut Evangelium refert, stella eos deduxit ad locum, ubi erat puer.* Narrat deinde, quomodo eâdem nocte, duobus jam annis à natali die elapsis, Ioseph sit commonitus ab Angelo, ut ne Nazarethum reverteretur; sed cum puero, & matre, fugeret in Ægyptum; atque ut ibi biennio sit commoratus usque ad mortem Herodis. Quæ satis ostendunt, Epiphanium putâsse, Mariam cum puero biennio à nativitate Nazarethi vixisse securam; ac demum, eo spatio exacto, à Magis visitatam, & exinde metu Herodis profectam in Ægyptum. Sanè non longè à bimatu abfuisse Christum, cùm Herodes occideret infantes Bethlehemiticos, etiam Iosephi Scaligeri sententia est in Animadversionibus Eusebianis ad numerum MMXVIII; ubi sic scribit *e*: *Quod puerorum cades non multò præcesserit Antipatri cadem, tum ex Evangelio constat; cùm anno secundo à Christo nato id contigisse, &* παῖδας τοὺς κάτω διετῶν *interfectos fuisse perspicue ibi declaratum sit: tum etiam ex Macrobio, qui infantes ab Herode cadi jussos, & inter illos filium quoque ipsius Herodis pœnas dedisse, refert.* Sed in istoc differunt Epiphanius, & Scaliger, quòd hic censeat, mortuum Herodem paullò post occisos infantes; at ille credat biennio postea superfuisse.

a Amorem naturalem.

b Pag. 431. edit. Parif.

c Insipientium.

d Negantium Λόγον, sive Verbum, hoc est, naturam Christi divinam.

e Pag. 162.

XXXI.

Hanc si Epiphanii sententiam sequimur: vel Magi biennio prius, aut saltem anno ampliùs, viderint stellam

ante natum Christum: vel tamo post natum, se demum dederint in viam. Posterius eo refellitur, quod, ut videmus, loquantur Magi, tanquam de Rege recens nato. Prius verò eò minùs placet, quia non fiat verisimile, Magos tam diu dilaturos fuisse iter; præsertim eo in negotio, in quo non deerat iis instinctus divinus.

NIsi dicere lubeat, non statim Magos iter fecisse: sed sæpius esse divinitus commonitos, donec tandem de nato Rege penitùs fuerint persuasi. Neque negârim, hæc fieri potuisse. Sed quod in Scripturis habent fundamentum?

XXXII.

Videre hoc alii: qui iccirco aliter verba capiunt Euangelistæ: sic tamen, ut idem inde colligant, ac priores. Nempe hi volunt, annum, & ultra fuisse, ex quo jam abierant Magi: Herodem verò, memorem temporis, quo stellam sibi in Oriente conspectam dixerant Magi, tandem in animum induxisse, ut tolli juberet, quicquid Bethlemiticorum infantium circa illud tempus editum foret, quo Magi mox à visa stella accesserant.

SIc ab iis solùm receditur, qui existimant, & Magorum adventum, & innocentium cædem, paucarum intra hebdomadum spatium contigisse. At non item abitur ab iis, qui putant, & natalem Christi, & Magorum adventum, si non intra dies XIII, saltem intra XXXVIII, hoc est, ante Purificationem Mariæ, evenisse. Unde neutiquam sequitur, infantes itidem paucis post natalem Christi mensibus fuisse ab Herode interemtos.

XXXIII.

Siquidem potuit Herodes, etiam ubi elusum se à Magis vidit, quæ irato conceperat animo, in longum differre, partim Cæsaris Augusti, partim pessimi nominis formidine.

ATque hoc ita contigisse, verisimilius fiet, si verbis Matthæi, antea etiam allatis, paullùm insistatur. Ait Euangelista is hæc duo; priùs quidem Herodem clàm, arcessitis Magis, accuratè ex iis perquisivisse (id enim valet ἠκρίβωσε) quo tempore apparuisset stella: at postea, ubi ab iis elusum se vidit, satellitibus missis, (id vox ἀποστείλας designat) in Bethlehem, & ejus finibus, interfecisse pueros ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω, *à bimatu, & infrà*; vel, ut breviùs cum Macrobio [a] dicam, *intra bimatum*: atque hoc fecisse κατὰ τὸν χρόνον, ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν Μάγων, *juxta tempus, quod exquisierat à Magis.* Unde hoc consequi videtur, utut Magi mox, nato Christo, advenerint: non tamen infantes ab eo necatos, nisi biennio, vel saltem anno & aliquot mensibus pòst. Ut ea sit Matthæi verborum sententia; Herodem, ubi in animum revocavit, quando conspectam sibi stellam retulissent Magi, sic ratiocinatum secum: quia quindecim menses, vel (si malis hoc) biennium prope foret, quòd novus Rex natus diceretur: opus esse, quò regnaret securus, ut è medio tollerentur, quotquot Bethlehemi bimuli essent, vel minores. At, inquias, cur non simulatque se deceptum vidit, cædem patravit? Eò, dixero, quia credibile est, aliquid temporis abiisse, inquirendo Bethlehemi de nato puero: atque ubi ludere se operam vidit, necdum tamen ausum fuisse tam crudele facinus patrare: metuisse enim Romanos; metuisse subditos; ac propterea non antea hoc scelus esse aggressum, quàm ubi animo jam, & corpore æger, tot etiam Rabbinos igni tradidisset; totusque in eo foret, ut Antipatro, vel si, ut puto, eum jam sustulerat, tribus saltem illis, Herodi, Antipæ, & Philippo, regnum securè, ac tutò relinqueret.

[a] Lib. 2 Saturnal. cap. 4.

XXXIV.

Quamquam verò nihil impediat, quò minùs sic verba Euangelistæ capiamus; unde consequeretur, infantes anno, vel ampliùs, post natum Christum, esse interemtos; eoque vulgarem Christi æram triennio, vel etiam quadriennio peccare: nihil tamen cogit, ut ea sic interpretemur. Possit enim hæc esse mens Euangelistæ: noluisse quidem interimi eos, qui nati essent, ex quo tempore cum Magis foret collocutus; vel illi stellam, nati Regis novi indicem, vidisse se dixerant: sed voluisse tamen tolli omnes infantes Bethlehemiticos, qui antea nati forent; idque non proximè solùm, sed etiam ultrà, atque adeò ad bimulos usque; ut sic meliùs sibi consuleret, qui metueret, ne Rex novus aliquanto ante Magorum adventum lucem adspicere cœpisset.

SUnt enim hæc verba Matthæi, ex parte jam antea allata: Ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας τοὺς ἐν Βηθλεέμ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω, κατὰ τὸν χρόνον, ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν Μάγων· *Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis.* Quem ad locum Euthymius etiam observat (ac similiter eo antiquior, Strabus Fuldensis) verba illa, *secundum quod exquisierat*, posse referri solùm ad illud κατωτέρω, *infra*: ut Herodis ea fuerit sententia; etsi ad securitatem suam etiam bimulos vellet interimi, noluisse tamen eos necari, quos editos constaret post illud tempus, quo retulerant Magi, natum esse regem: ut de quibus nulla esse posset regni eos manentis suspicio. Dixeris verò, nisi grandius fuisset intervallum inter partum Virginis, & cædem infantium, haut jussurum fuisse Herodem, ut illi darentur neci, qui senos excesserant menses; nedum bimulos. Sed enim quia stella hoc solùm indicaret, in lucem jam editum: existimare potuit Herodes, aliquanto etiam ante natum fuisse. Fortasse quoque nec initio satis ipsis constabat Magis, Regem recens natum esse; sed tantummodo illud, natum esse; seu paucis ille diebus, seu mensibus etiam plusculis, antea terris datus fuisset. Cogitare adhæc quivit Herodes, de ætate imponi satellitibus posse: quia interdum infantes duorum mensium, triumve, tam validi sint, ut vel octo, decemve mensium videantur. Non absurdè igitur ob ista, & id genus alia, statuerit secum; ad securitatem suam pertinere, ut mandatum de infantibus necandis longè satis, nempe ad bimos etiam, extenderetur. Nec video, quid iis possit obduci præter verba Matthæi adlata; quæ etsi utramque sententiam admittant, magis tamen iis favere videntur, qui censent, Herodem attendisse ad tempus de apparitione stellæ à Magis indicatum; ac quia annum illud jam aliquantum excederet, eo bimulos necari præcepisse.

Sed sive hanc, sive priorem sequamur sententiam, omnia fient manifestiora, si totam de Christi Nativitate historiam paullò fusiùs deduxero; aliquibus etiam admistis, quæ licet ad controversiam nostram nihil pertineant, historiæ tamen Euangelicæ alluceant facem.

Sequar verò eos, qui mox à Purificatione Mariæ, saltem anno eodem, cædem infantium contigisse arbitrantur: non quasi hæc sententia, meo judicio, sit certior; sed quia receptior, & defendi non minùs posse videatur.

Octavo Kalend. Januarias, vel VIII Idus Januarias (quo die natum esse Christum Græci putarunt) Magi in Oriente conspexere stellam Jesu, hoc est, quæ natum Regem testaretur. Nempe Bileami vaticinio norant de stella ex Jacob nascitura, & orituro inde dominatore; ut Num. XXIII, 7. legere est. Et satis constat, iis temporibus ita Orienti fuisse persuasum, regem Judæâ venturum, qui orbi toti imperaret. Conspectâ igitur stellâ, nati

hujus

hujus regis indice, (& fortasse illâ Iudææ perpendiculariter imminebat, quod Eusebius *a* tradidit) primùm quidem, ut verisimile est, biduum, aut triduum, inter se consultarunt: exinde itineri se accinxere. Hierosolymam ut ventum, inquirunt de loco nati Regis. Turbatur eo civitas, ante omnes Herodes: qui concilium, hoc est, capita sacerdotalium familiarum, & divinæ legis interpretes, convocavit; ut ex Scripturis statuerent de loco, ubi promissum jam olim Regem nasci oporteret. Respondent hi, à Michea *b* de Bethlehem esse prædictum. Hinc idem Rex ex Magis sedulò exquirit de tempore, quo stellam primùm vidissent. Petit etiam, ut, reperto Rege, ad se redeant; quò & ipse exeat ad novum Regem adorandum. Sic quoque biduum quasi absumtum. Hinc dimissi sunt Magi: qui noctu fecisse iter videntur. Quam enim in Oriente viderant stellam, iterum extra Hierosolymam conspexere. Magnum inde iis gaudium, quia non temere se iter instituisse intelligunt. Quod in itinere Hierosolymitano non contigerat (nec enim in eo stellam videre) id nunc fit, ut eandem viæ habeant ducem. Quam non fuisse unam ex illis in Firmamento, motus testabatur. Cùm enim stellæ omnes, vel diurno motu in Occidentem, vel proprio ferantur in Orientem: hæc meridiem versus movebatur. Quippe Hierosolyma, ratione Bethlehemi, ad Septentrionem sita est. Præviâ hac stellâ, eunt Bethlehemum: quod sex circiter leucis Hierosolymâ distat. Eò ut ventum, constitit stella; & ita quidem, ut imò in aëre immineret domicilio, in quo esset puerpera. Nempe angelica virtus sic stellam hanc dirigebat. Ingrediuntur inde domum. Iesum vident; humilem illum quidem, nec ad morem Regum terrestrium ornatum: sed eo ne offenderentur, faciebat miraculum stellæ ducis, & indicis; quo satis firmabantur. Ergo in terram devoluti, ut Iuvencus presbyter scitè ait, obtulere

Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque,

His peractis, non, ut rex petierat, Hierosolymam redeunt; sed, in somnis moniti, domum aliâ tendunt viâ. Potuit tum Herodes credere, eò non redire, quòd regem nullum reperissent, ac suscepti itineris puderet, nec ludibrio esse regi, ac Hierosolymitanis vellent. Sed ubi purgationis tempus expletum, (quadragesimo nempe die à nato Christo, qui ab adoratione Magorum vigesimus septimus haberi solet) B. Virgo cum marito, ac puero, Hierosolymam proficiscitur, ut Iesum Domino sisteret, atque ex Lege offerret par turturum, aut duos pullos columbarum. Eodem quasi tempore, quo Iesu parentes, etiam Simeon, venerandus senex, (quidam Hillelis discipulum, Gamalielis, cujus ad pedes B. Paulus sedit, præceptorem fuisse volunt) templum ingreditur, idque monitus à Spiritu Sancto; à quo etiam antea cognôrat, non moriturum se, antequam Messiam vidisset. Nunc non videt modò, sed etiam in ulnas accipit; atque ita Deo, pro tanto beneficio, gratias agit. Præterea supervenit Anna Prophetissa, jam octogenariâ major; quæ & ipsa hunc magnum Regem, verum Messiam agnovit, & prædicavit. Hæc cùm in templo publicè fierent; facilè diffusa sunt per urbem, ac ad Herodis etiam aures pervenerunt: qui multùm timuit, ne natus puer à Iudæis pro rege Israeli promisso haberetur. Colligit hinc, se elusum esse à Magis, ac regem quidem iis conspectum; sed domum aliâ via rediisse, quàm venerant. Metu igitur, ac iræ plenus, statuit puero, cui jam nunc Iudæi tantum honoris habitum issent, vitam eripere. Sed Iosephus cum Maria, & Iesu, jam in Nazareth venerat. Ubi divinitus is ab Angelo in somnis edocetur, ut Herodes studeat puerum è medio tollere: atque id ne fiat, cum uxore, & puero, quamprimum in Ægyptum fugere jubetur. Herodes, etsi sedulò operam daret, ut Regem novum reperiret, nihil tamen certi potuit cognoscere: credo quòd obscuri essent Iesu parentes, & parum videretur verisimile de Rege nato in pecorum stabulo: pastorum etiam de Angelico indicio testimonium, ob personarum vilitatem, fidem perderet apud plurimos. Ergo crudele hoc consilium capit, tum in civitate Bethlehem, tum circumquaque universo in territorio, incidandi pueros non majores bimulis, nec minores bimestribus, vel circiter. Sic enim secum rationes inibat. Cognitum mihi ex Magis, quando stellam in Oriente primum conspexerint, indicem illam non nascendi, sed jam nati Regis. Quippe verba eorum erant: *Ubi est, qui natus est (ὁ τεχθεὶς) rex Iudæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Ne igitur sceptrum mihi Iudææ ereptum eat, qui rex novus natus perhibetur; tolli opus infantes Bethlehemiticos; non quidem universos, sed quantum satis, ut certò in his sit, cui stellà regnum videtur spondere: ac proinde juxta tempus, quo Magi dixere, stellam sibi visam fuisse. Quare satellites illi non habuere mandatum de necandis aliquanto diutiùs post stellæ ortum natis: ut iis, qui, cùm cædes pattaretur, solùm spatium explevissent menstruum, vel etiam minùs. Nec propterea tam stultè sapio, ut in animum inducam, carnifices illos non trucidâsse majores bimis, aut natos intra intervallum à visa stella. Scio, milites in impio illo furore non facilè adeò matribus de infantium ætate fidem habuisse; utcunque sæpe etiam dicerent, quod res erat. Solùm illud contendo, tale fuisse Regis mandatum, quale dicebamus.

a Lib. 9. de monstratione Evangelica, cap. 1.

b Mich. 5. 2.

XXXV.

Multorum sententia est, etiam natalem Christi erui posse ex cap. III *Lucæ: ubi dicitur, Joannem prædicandi initium fecisse anno Tiberii decimoquincto: & ab eo etiam baptizatum esse Christum: atque hunc cœpisse tunc agere annum ætatis trigesimum: unde colligunt, Christum esse natum anno trigesimo ante decimumquinctum Tiberii annum. Atqui, inquiunt, decimusquinctus Tiberii est Iulianus annus* LXXIII: *inde detractis integris* XXIX *annis, & parte aliquâ residui è* XXX *annis, consit annus Iulianus trigesimus tertius; quo idcirco, ut ratiocinantur, natus fuerit Christus. Sed opinio hæc postulatis nititur multis, iisque incertis. Hoc ut illuceat, tria expendemus loca Evangelistæ Lucæ cap.* III: *quibus ea, quæ ex mente eorum diximus, solidè putant comprobari. Ac primum ista tribus primis versibus:* Anno decimoquincto imperii Tiberii Cæsaris, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem finitimam Jordani, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. *Hinc sic concludunt: Si Ioannes cœperit prædicare, ac baptizare, anno Tiberii decimoquincto; & is annus sit Iulianus* LXXIII: *initium prædicationis incidere in annum Iulianum* LXXIII. *Rectè colligerent, si decimusquinctus Tiberii totus responderet septuagesimo tertio Iuliano. Sed hoc aut falsum videtur, aut valde incertum. In caussa est, quòd non constet satis, unde Evangelista ordiatur annum Tiberianum.*

PUtà, num à III Kalend. Septembris, quo Tiberius cœpit imperare: an ab initio anni civilis: quod fieri potuit trifariam: more Romano, à Kalendis Ianuariis: more Iudaico, à mense Nisan, vel Tisri: more Antiocheno, ac Syriaco, à mense Hyperberetæo, sive Octobri. Tertiam opinionem illud verisimilem facit, quòd Lucas fuit Antiochenus. Nec secunda abludit à vero, ut se accommodârit consuetudini Iudaicæ. Potuit interim & morem sequi Romanorum; quibus Iudæi suberant, & Syri. Potuit & numerare à tempore, quo Tiberius imperium accepit. In hoc rei incerto liquet, quàm debili nitantur argumento, qui eò quod inceperit imperare anno Iuliano LXXIII, credunt & Ioannem tum cœpisse baptizare.

ptizare. Nam Iudaicus annus sacer incipit à Martio; civilis demum à Septembri. In Augusto imperium exorsus Tiberius. In Octobri, ut dixi, cœpit annus Antiochenus. Nihil verisimilius, quàm Lucam numerare annos Tiberii in Augusto, vel principio civilis anni Iudaici in Septembri, vel exordio anni Antiocheni in Octobri. Quamcunque ex tribus istis opinionem insistas, primi anni Tiberiani pars minor pertinet ad annum Iulianum LXXIII: major verò ad annum LXXIV. Ut minimè reprehendi mereantur, qui Ioannem putant aggressum baptisma suum anno Iuliano LXXIV.

Adhæc non si tum Ioannes cœperit baptizare; eò continuò etiam baptizatus sit Christus. Potuit enim Iesus secundo Ioannis anno accedere. Atque ut priori eum adierit, non eò mox à baptismo cœperit prædicare. Et sanè verisimilius est, ministerium demum exorsum Ioanne in carcerem conjecto. Atque hoc etiam liquet ex eo, quòd angelus Gabriel, ut B. Lucas *a* ait, Zachariæ dixerit, filium ejus Ioannem Euangelistam (sic ἐκ προευαγγελίζεσθαι vocare liceat) *conversurum corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam justorum, ut paret Domino populum instructum.* Atqui B. Ioanni majusculo erat spatio opus, ut sic Christo Israelem præpararet. Nec qui nulla faceret miracula, tantæ subitò auctoritatis evadere poterat, ut, sicuti ait B. Lucas, *exspectaret populus, & cogitarent omnes in cordibus suis, numne esset Christus.* Sanè constabat, Ioannem esse Zachariæ sacerdotis filium: ac proinde eum esse è tribu Levi. Messias verò exspectabatur è tribu Iuda, ac semine David. Quod igitur sic quoque ambigerent, an non is promissus foret Messias, magnam ejus arguit auctoritatem: quam breviculo, ut dixi, tempore non potuit sibi comparare.

a Cap. 1. vers. 17. 18.

XXXVI.

Afferunt præterea pro se versum XXI: *ubi dicitur, factum esse, ut cùm baptizaretur omnis populus, etiam accesserit Iesus, & ab eo sit baptizatus. Et hæc, inquiunt, pertinent ad annum Tiberii quintumdecimum, ac proinde etiam ad Iulianum* LXXIII. *Quod superiùs fecimus, hic iterum oggerimus; Ioannem videri baptisma exorsum posteriori parte anni, quem dixi, Tiberiani; qui respondet Iuliano* LXXIV. *Adhæc nam, si tum Ioannes cœperit baptizare, eò continuò ab eo sit baptizatus Christus.*

ET quid si concedamus, Ioannem cœpisse baptizare extremo anno Iuliano LXXIII; & Christum accessisse ad Ioannem initio penè anni consequentis, putà VIII Idus Ianuarias: nonne ita decimoquincto anno Tiberiano, tum Ioannes cœperit baptizare; tum Christus fuerit baptizatus: & annus tamen Iulianus erit diversus?

XXXVII.

Tertium, in quo fundamentum ponunt, est versus XXIII: *cujus hanc mentem esse contendant; quando Christus à baptismo ministerium ordiebatur, cœpisse annum agere trigesimum.*

SAnè etiam Vatablus reddidit: *Et ipse Iesus incipiebat annum agere circiter trigesimum.* Erasmus hoc pacto: *Et ipse Iesus incipiebat esse ferme annorum* XXX. Ex quorum mente, ἀρχόμενος ἦν, valet idem, ac ἄρχειν.

XXXVIII.

Verùm non assequuntur Evangelistæ mentem: cujus en verba ipsissima: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. *Quæ vulgatus interpres sic reddidit:* Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum XXX.

NImirum planè assentiendum Iustino, Origeni, Euthymio; quibus placet, ἀρχόμενος non referri ad ætatem, sed ad ministerium Christi, sive prædicationem Euangelii: quasi dicas, *Iesus incipiebat ministerium*, vel *prædicandi munus.* Quomodo Act. 1, 22. de eodem legas: Ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, ἕως τῆς ἡμέρας ἧς ἀνελήφθη. *Incipiens à baptismate Joannis, usque in diem, quâ assumptus est.* Et X, 37. Ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας μετὰ τὸ βάπτισμα. *Incipientem à Galilæa post baptismum.*

XXXIX.

Alii fatentur, argumentum hoc ex voce ἀρχόμενος *putidulum videri: verùm idem certius colligi volunt ex eo, quòd dicatur fuisse,* ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα: *ubi* ὡσεὶ *cum Erasmo* ferme *interpretantur. Si, inquiunt, erat* XXX *ferme annorum anno Tiberii* XV: *consequitur, ut annis ferme triginta antè natus sit. Verùm nobis illud* ὡσεὶ *non est remittendi adverbium, sed dubitandi: eaque meliùs redditur* quasi, *h. e.*, plus minus.

HÆc etiam sententia fuit Iustini Martyris dialogo cum Tryphone *a*; ubi legas: Καὶ τριάκοντα ἔτη, ἢ πλείονα, ἢ καὶ ἐλάσσονα μείνας, μέχρις οὗ προελήλυθεν Ἰωάννης κῆρυξ αὐτοῦ. *Et* XXX *plus minus annis manens, donec prodiit Ioannes, præco ejus.* Nec certò quid statuere ausus fuit B. Augustinus, in secundo de Doctrina Christiana: ubi tamen locus id imprimis requirere videbatur. Ecce etiam, quàm cautè dicat Albinus de Offic. Eccles. c. VI: *Expletis namque Christus,* QUASI XXX *annorum curriculis, venit in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.*

a P. 246. edit Comm.

XL.

Utcunque verò illud ὡσεὶ *accipiatur* ἐνδοιαστικῶς *b*: *plurimi tamen Sanctorum Patrum veriti non sunt, certum annum præfinire; ut qui intellexere annum trigesimum ineuntem.*

b Dubitative.

VElut Iustinus dialogo cum Tryphone, Origenes homil. I in Ezechielem, Theophylactus, Hermannus Contractus, Hugo Cardinalis, Thomas Aquinas III parte, quæst. XXXIX, art. III, Alphonsus Tostatus in cap. III Matth. Dionysius Carthusianus, Isidorus Clarius, Onuphrius Panuinus lib. II Fast. ad an. Urbis IↃCCLXXXVI, Car. Sigonius in Sulpit. Sev. Genebrardus lib. II Chron. Barradius tom. II, lib. I, cap. XIII, Suaresius part. III, tom. II disputat. XXVI, sect. II, Ioannes Mariana de die mortis Christi, item Joan. Gagnæus, & tot alii.

XLI.

Sed neque desunt, qui intelligant annum trigesimum expletum.

UT B. Ignatius epistolâ ad Trallianos. Verba sunt ista: Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. *Expletis tribus annorum decenniis, baptizatus est à Joanne.* Ubi XXX solidos annos, ut verba sonant, intellexit etiam Chronicon Alexandrinum, quod *Fastos Siculos* appellant. Contrà dicunt alii, posse per expleta decennia intelligi inchoata: ut Lucæ cap. II, vers. 21 scriptum: Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον. *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Sed dissimilis, ut puto, ratio est dierum, & annorum. Faciliùs enim dicerim, jam dies esse octo, cùm octavus advênit dies; quàm octennium esse, ubi octavus tantummodo annus cœpit. Nempe minutum diei, ac grande anni spatium, hoc discrimen facit. Alii respondent, Ignatii epistolas esse supposititias, nec ulli ante Nicenum Concilium memoratas. Itane verò? Quasi non meminerit earum Irenæus lib. V, cap. XXVIII: & eo antiquior, ipsique par Ignatio, Polycarpus, apud Eusebium lib. III, *c* cap. λϛ'. Ut de Origene taceam; qui quiddam inde adducit homil. VI in Lucam. Alii aliter effugere conantur. Nam fatentur quidem, septem illas epistolas, B. Hieronymo agnitas, esse genuinas: atta-

c Græc. 36. fol. 31. edit. Rob. St. Sed Lat. cap. 30.

attamen quædam in his à juniotibus esse inserta; inque iis etiam esse illud de XXX annis aote baptisma expletis. Sed profectò nihil caussæ video; cur istoc etiam in eorum teferant numerum: præsertim quando idem apud Eusebium in Chronicis legas. Imò Nazianzeno quoque Orat. XXXIX, quæ est in sanctum baptismum, Christus, cùm baptizaretur, dicitur fuisse *τριακοντούτης*: *a* & discipulus ejus B. Hieronymus in Ezech. cap. I ait, *Triginta annos natus venit ad baptismum*: quod de annis completis etiam cepit Marianus Scotus ad Christi an. XXXI. Præterea sic loquitur B. Augustinus lib. XV de Trinitate cap. XV, Cedrenus in Compendio, Bernardus serm. de Epiphania; cujus verba ponam: *Cùm Christus* XXX *annorum tempus exegisset in carne, ad baptismum venit.* Adhuc Thomas Aquinas in cap. II Ioan. lect. I. Ac ne doctoribus insistam singulis: videtur idem sensisse Concilium Neocæsariense canone XI: *Presbyter ante* XXX *annos non ordinetur, etiamsi fuerit homo valde dignus; sed reservetur. Dominus enim Iesus Christus in* XXX *an. baptizatus est; & cœpit docere.* Est verò Neocæsarea civitas in Ponto: ubi hoc Concilium celebratum est anno CCCXIV. Completum verò, non currentem annum, intellexit quoque S. Fabianus, Distinct. LXXVIII, Can. Si quis *b*: *Si quis trigesimum ætatis suæ annum non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur.* Sanè si Patres illi noluere, quemquam presbyterum ordinari ante annum XXX exactum; idque propter Christi exemplum: omnino verisimile est, eos existimâsse, Christum non cœpisse prædicare, nisi cùm XXX jam annos explevisset.

a *Triginta annorum.*

b *Apud Ivonem verò in Pannormia lib 3 cap. 28.*

Videmus quàm multorum, & præstantium scriptorum auctoritate hæc sententia sit suffulta. Quo constituto, persacile est statuere de anno Iuliano, quo Iesus natus fuit. Nam satis est apertum, annum Tiberii XV, quo Christus est baptizatus, priori parte sui (nam regere Tiberius cœpit III Kalend. Septembris) fuisse annum Iulianum LXXIII: unde detractis annis integris XXX, quibus ante baptismum vixerat, consequitur, Christi natalem, qui in Decembri figitur, incidere in annum Iulianum XLIII. Quod enim dicebamus, annum Tiberii XV esse Iulianum LXXIII; id ex eo manifestum est, quòd primus Augusti annus sit secundus Iulianus; atque is imperârit annis LVII; anno uno sine imperatoria dignitate; inde per annos XII triumvir, aut duumvir, usque ad mortem Antonii; hinc autem per annos XLIV monarcha. Ad hos igitur LVIII annos *c*, si addideris solidos XIV Tiberianos: liquet resultare annos completos LXXII: ut deinceps quinctus Tiberii omnino sit Iulianus LXXIII; quemadmodum diximus.

c *Nempe primum an. ante Augustum, & 57. an. Augusti.*

XLII.

Summa eorum, quæ hactenus adstruximus è Scripturis, eò redit, Christum non esse natum post exeuntem annum Iulianum XLIII, *vel* XLIV *inchoantem. Fortasse autem & antea natum, si non exeunte* XLI, *vel ineunte* XLII; *saltem exeunte* XLII, *vel ineunte* XLIII. *Cur verò ulteriùs adscendamus, è Scripturis quidem nihil posse adferri, non solidi dico, sed neque, quod (nisi forte Epiphanii sententiam excipiamus, de qua postea dicam) vel speciem habeat veri. Magnopere verò eadem firmantur auctoritate SSorum Patrum: quorum nemo ante Bedam æram Christianam cœpit ab anno Iuliano* XLVI: *nemo ante Dionysium Exiguum fixit natalem Christi in exeuntem Iulianum annum* XLV.

QUod ut liqueat, ordine præcipuorum referam sententiam; qui quidem hac de re aliquid consignarint. De primi seculi scriptoribus nihil habemus, quod huc pertineat. Nempe qui Apostolos, eorumque discipulos, audierant; quia eorum dicta, factaque, oculis quasi adhue obversarentur, vel auribus inhærerent; nihil magnopere putabant talium scriptione opus esse: eoque magis gerendis rebus, quàm scribendis, sese applicabant.

Iure igitur censeat aliquis, ordiendum nobis ab Iustino Martyre; qui initio Aotonini Pii claruit; ut liquet ex Apologia II ad Antoninum hunc scriptâ; ubi bellum à Iudæis, duce Barchocheba, adversus Romanos extremis Adriani Cæsaris temporibus gestum *recens bellum* vocat: *τὸν νῦν πόλεμον*, inquit. Atque hic in eâdem Apologia dicit, esse à nato Christo an. CL. Cœpit autem Antoninus Pius imperare anno à vulgari æra CXXXVIII. Esto, ut, quod Eusebius in Chronicis tradit, Apologiam demum exhibuerit an. Antonini IV, sive æræ vulgaris XLII. Sic ab annis illis CL octennium desit. Sed verisimile sit, vidisse cum Patrum aliis, Christum biennio antè natum, quàm vulgò creditur. Hoc pacto solùm deficiat sexennium: Vel si idem voluit, quod postea Sulpicius Severus, quinquennium deficiat. In re tam incertâ nihil dicere habeo, nisi rotundo usum numero videri.

Ætate Iustino proximus fuit B. Irenæus. Sed neque ex eo aliquid explorati satis habere possumus. Hic lib. III, cap. XXV ait: *Natus est Dominus noster circa primum, & quadragesimum annum Augusti imperii.* Sed illud *circa* non est certum annum definientis. Præterea non satis est apertum, utrùm annos Augusti à nece Cæsaris, an à triumviratu ordiatur. Si priori modo numeres, signabitur annus Iulianus XLII; sin posteriori, fit an. Iul. XLIII. Prior opinio, quæ Sulpicio Severo favet, anticipat vulgatem sententiam triennio: altera, quæ Cassiodoro magis placuit, biennio duntaxat.

Certiora dabunt, quos deinceps adferam: ac primùm Tertullianus lib. adversus Iudæos cap. VIII; ubi ait: *Cleopatra conregnavit sub Augusto annis* XIII. *Post Cleopatram Augustus aliis annis* XLIII. *Nam omnes anni imperii Augusti fuerunt anni* LVI. *Videmus autem, quoniam quadragesimo, & primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus. Et supervixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis* XV. Sententia est, Augustum regnâsse annis LVI: nempe à triumviratu, usque ad necem Cleopatræ, annis XIII; post ejus necem, XLIII; unde tot anni, ac diximus, exsurgunt: sive ante natum Christum, annis XLI; post eum natum, annis XV; unde itidem anni consiunt LVI. Ex quibus consequitur, Tertulliano natalem Christi incidere in annum à triumviratu Augusti XLII, Iulianum autem XLIV; quo consules erant C. Cæsar Octav. XIII, & M. Plautius Sylvanus. Uno igitur anno Tertullianus vulgarem de Christi natali sententiam antevertit. Idem Tertullianus ait, natum esse Christum, cùm Syriæ præses foret Sentius Saturninus. Sic enim scribit adversus Marcionem *a*: *Sed & census constat actus sub Augusto in Iudæa per Sentium Saturninum.* Hujus Saturnini, ut præsidis Iudææ, meminit quoque Flavius Iosephus lib. XV Antiquit. cap. XII: ubi legas, eum successisse M. Titio, viro consulari. Quando id factum sit, ex scriptore hoc sciri nequit. Nec pugnat Tertullianus cum eo, quòd B. Lucas cap. III ait, nascente Christo P. Sulpicium Quirinium fuisse *ἡγεμόνα*. Neque enim soli præsides, sed etiam procuratores, dicuntur *ἡγεμονεύειν*. Nempe, cùm præses foret Saturninus, Quirinius extra ordinem missus fuit ad censum agendum. Unde & Iustino Martyri Apologiâ II *ἐπίτροπος*, hoc est *procurator* vocatur. Tandem verò Quirinius ipse præses fuit: putà mortuo jam Archelao, solido post Herodis mortem novennio: ut Iosephus docet Iudaicarum Antiquit. lib. XVIII, cap. I. Quare ex eo, quod de Iudææ præside Saturnino refert Tertullianus; de natali Christi nihilo certiùs aliquid colligas, quàm inde solidi quid de eo exsculpas, quod de procuratore Quirinio est apud Lucam. Interim cùm Tertullianum videamus Christi natalem referre ad annum Augusti à triumviratu XLII (qui Iulianus est XLIV:) hinc consequi putamus, ex hujusce Ecclesiastici scriptoris sententia, eum ipse annum esse, quo Saturninus Iudææ præses, & quo Quirinius ejus procurator fuit. Nec meliùs cum B. Luca conciliari posse Tertullianum arbitror.

a *Lib. 4. cap. 19.*

Proxi-

Proximus est Clemens Alexandrinus: cujus sententia est, natalem Christi incidere in annum novæ æræ Ægyptiacæ vigesimum octavum. Cœpit autem hæc æra anno Iuliano XVI, XXIX Augusti die. Ut annus vigesimus octavus æræ Ægyptiacæ incipiat ab XXIX Augusti, anni Iuliani XLIII, L. Cornelio Lentulo Getulico, & M. Valerio Messalla Coss. Desieru verò XXVIII Augusti anni XLIV, C. Cæsare Octaviano XIII, & M. Plautio Sylvano Coss. Ex hypothesi igitur, quâ Christus dicitur natus XXV Decembris, incidat natalis in exeuntem annum Iulianum XLIII. Quomodo biennio æram vulgarem præverrat. Ex hypothesi autem Orientis, & Græcorum, quâ natus VI Ian. vel illâ Ægyptiorum, quâ in Majo primò lucem vidisse perhibetur: incidat Natalis Dominicus in annum Iulianum XLIV: ex priori hypothesi sit XIII diebus minùs: ex posteriori verò, V mensibus. Ipsum audiamus Clementem in Stromateo primo: Ἐγεννήθη δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει, ὅτι πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογραφὰς γενέσθαι, ἐπὶ Αὐγούστου. *Natus est autem Dominus noster* XXVIII *anno, cùm primùm jusserunt censionem sive descriptionem fieri, tempore Augusti.* Quo loco intelligendus annus Augusti vigesimus octavus. Unde postea legas: Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες· ἥν φασιν ἔτους κη΄ Αὐγούστου, ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι· *Sunt autem qui curiosius Natali Domini non solum annum, sed etiam diem addunt: quem dicunt* XXVIII *anno Augusti diem* XXV *Pachon.* Mensis Pachon est ordine nonus, ac totus fere Majo respondet. Nam Thoth, qui cæteros ducit, incipit à XXIX Augusti. Vigesimus octavus Augusti annus incipit Iul. an. quadragesimo tertio. Nam Iuliani anni incipiunt anno proximè necem ejus antecedenti. Augusti verò anni, quemadmodum initio hujus Dissertationis orsi eramus referre, variè dicuntur: ut qui interdum incipiant à nece Cæsaris: interdum anno post necem, nempe à triumviratu Augusti cum Antonio, & Lepido: interdum à victoria Actiaca, quæ incidit in annum Iulianum XV: interdum autem à nece Antonii, captâque Alexandriâ; hoc est, anno sequenti: quomodo Clemens hoc loco intelligit. Cùm enim Alexandriæ fuerit presbyter: dubium non est, quin annorum ineat rationem more Alexandrinorum: hi autem, in Augusti honorem, eos numerabant ab illo tempore, quo Augustus est Alexandriâ potitus: quemadmodum & diem, quo cepit eam, festum quotannis agebant. Testis Dio lib. LI. his verbis: Τήν τε ἡμέραν, ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω, ἀγαθήν τε εἶναι, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι. *Diem urbis Alexandriæ captæ festam esse, an annos consequentes ab ea deinceps numerari.* Aliter etiam ostenditur, Christum ex sententia Clementis natum esse anno Iuliano XLIII; sive Augusti, auspicando à nece Cleopatræ, anno vigesimo octavo. Quippe sic loquitur: Ἀπὸ Ἰουλίου τοίνυν Καίσαρος, ἕως Κομόδου τελευτῆς, γίνονται ἔτη σλϛ΄, μῆνες ϛ΄. *A Iulio igitur Cæsare, usque ad mortem Commodi, sunt anni* CCXXXVI, *menses* VI. Et paullò pòst: Γίνονται οὖν, ἀφ' οὗ ὁ Κύριος ἐγεννήθη, ἕως Κομόδου τελευτῆς, τὰ πάντα ἔτη ἑκατὸν ἐνενήκοντα τέσσαρα, μὴν εἷς, ἡμέραι ιγ΄. *Fiunt autem, ex quo natus est Dominus, usque ad mortem Commodi, anni omnes* CXCIV, *mensis unus, dies* XIII. Ab annis CCXXXVI, mensibus sex, quantum est intervallum ad mortem Commodi, auferantur anni CXCIV, mensis unus, & dies XIII, quod est spatium à nato Christo usque ad mortem Commodi: residui sunt anni quadraginta duo, menses IV, dies XVII. Quæ satis ostendunt, ex opinione Clementis, natum esse Christum post annum Iulianum XLII, mense quincto. Et ista de Clementis opinione: quæ eò consideratione dignior, quia scriptor fuerit antiquus, ac secularium literarum peritissimus, & alibi nusquam invenire fuerint intelligentiores temporum, quàm in schola Alexandrinâ: unde & Sosigenis Alexandrini operâ in Fastis corrigendis uti voluit Iulius Cæsar: & Romana etiam Ecclesia diu ab Alexandrina petere per literas solet verum diem celebrandi quotannis Paschatis. Quare ejus etiam & viri, & loci auctoritas, movere nos multum debet, ut statuamus, natum esse Iesum biennio priùs, quàm vulgo perhibetur. In mense tantummodo à doctissimo hoc presbytero recessum à Scaligero, Baronioque: ut qui natum crediderit mense Majo; non verò, vel præcedente Decembri, ut Baronius; vel Septembri, ut Scaliger.

Hinc jam gradum capessamus ad Eusebium: qui in Chronicis refert Natalem Christi in annum Augusti à nece Cleopatræ XXIX; à triumviratu autem, XLII. Qui anni Augusti priori parte respondent anno Iuliano XLIV; posteriori, ac majori parte, anno Iuliano XLV. Ex hypothesi igitur, quâ B. Virgo Christum dicitur peperisse in Septembri, vel Decembri; Natalis ejus incidat in an. Iulianum XLIV. Sed ex hypothesi illorum, quibus enixa dicitur in Ianuario, vel Majo; Natalis ejus competat anno Iuliano XLV. Ergò ex hypothesi vulgari, quæ in Decembri figit, anno toto anticipat Eusebius sententiam vulgò receptam: quia sic, ex Eusebii mente, natus sit in Decembri anni Iul. XLIV: cùm vulgo Natalis rejiciatur in Decembrem anni Iuliani XLV.

Epiphanius constanter docet, natum esse Christum, Augusto XIII, & Silvano, coss. Augusti an. XLII; puta à triumviratu, ut Iulianus sit XLIV. Sed natalem diem esse ait VI Idus Ian. Ut si natalem credidisset VIII Kal. Ianuar. dicturus potiùs fuerit, natum anno præcedenti, Lentulo Getulico, & Val. Messallino coss. anno Iul. XLIII. Quare etsi XIII diebus minùs dicat: iis tamen meritò accenseatur, qui biennio æram anticipant vulgarem. Præsertim cùm leve sit aliquot dierum discrimen. Idem Epiphanius tradit, Herodem annis XXXVII rexisse: ac Christum anno XXXIII editum à B. Virgine; biennio pòst à Magis visitatum; post alterum biennium ex Ægypto rediisse Nazaretham. Vide eum lib. I operis Panarii contra hæreses cap. de Christi adventu, & peregrinatione in carne; item lib. II contra hæresin Ἀλόγων, num. LI; & lib. III contra Antidicomarianitas hæresi LXXVIII. Sed rectè quidem ait Epiphanius, Herodem rexisse annis XXXVII; ut ex Iosepho vidimus. Perperam verò Christum censet natum esse anno Herodis XXXIII, cùm natus sit anno ultimo, vel proximè præcedenti; ut superiùs vidimus. Dixeris, pugnare hoc cum isto, quod antea retuli, æram vulgarem quadriennio anticipari ab Epiphanio. Non sum dictorum immemor. Sed nulla in nobis est pugna, si ex pugnantibus Epiphanii sententiis, nunc hanc, nunc illam adferamus. Perplexè verò Epiphanium loqui, nec secum consentire, tam clarè ostendam, quàm meridie lucet. Siquidem hæresi LI, quæ est Alogorum, numero sive sect. XXII, triplicem natalis Dominici characterem facit; consules Romanos, Augustum, & Herodem. De primo constanter hoc Epiphanius tradit, natum esse Christum, Augusto XIII, & Silvano coss. Sed cùm ab eodem dicatur natus esse VI Idus Ianuarias: jure iis aggregatur, qui in lucem esse editum ajunt anno præcedenti, Lentulo & Messallino coss. Nam si de eo cum Occidentalibus illi convenisset, quincto & vigesimo die Decembris, non die pòst tertiodecimo, natum esse: non tam eum, quem nunc adducit, natalem annum assignâsset, quàm præcedentem: atque ita non Onuphrio, sed Cassiodoro præivisset. Sic igitur de eo loquamur, quasi in annum superiorem rejecisset: qui est Iulianus non XLIV, sed XLIII: nempe biennio ante virgineum partum ex sententia vulgari, quæ eum refert in finientem annum Iulianum XLV. Hæc de Coss.

Idem Epiphanius ejusce hæreseos Num. XXII, docet, natum anno Augusti XLII: qui Iulianus sit XLIV, numerando utrobique ab Hirtii & Pansæ consulatu. Sed si tredecim diebus ante natum esse cum Romana Ecclesia putasset; dixisset hunc annum Augusti XLI.

Denique idem Epiphanius natum censet Iesum anno Herodis XLIII: quem si pepererit B. Virgo in Ianuario, sit is Iulianus XLI: quando consules erant Cæsar Octavianus, & L. Cornelius Sylla. Sin natum putâsset, præcedente Decembri, fuerit annus Iulianus XL: quo consules

erant Lælius Balbus, & C. Antistius. Quomodo quadriennio lucem viderit ante mortem Herodis, anno Augusti non XLII, sed XL. Istoc potiùs voluisse Epiphanium, clarè indicant verba ejus ex hæresi LI, quæ est Alogorum, antea nobis relata ad Thesin XVII. Atque hæc ostendunt, si annos Augusti attendamus; biennio, ex Epiphanii mente, natum esse ante æram vulgarem: sin numeremus annos Herodis, ab eodem Epiphanio memoratos; nativitatem ejus quadriennio æram vulgarem prævertere: quæ manifesta est ἀντιλογία *a*.

a Contradictio.

De Chrysostomi sententia nunc non agam. Scio, aliqua haberi in sermone quodam secundi operum ejus tomi *b* post homilias in Marcum. Item in alio primitus edito à Pantino *c*. Sed uterque agit non de natali anno, sed die: de quo inferiùs disseram.

b Pag. 521, edit. Antverpiensis an. 1614.
c Antverpiæ apud Trognæsium an. 1604.

Quare venio ad Sulpicium Severum: qui æram vulgarem toto anticipat triennio. Nam illius sententia est, natum Jesum anno Juliano XLI, sive Augusti ab triumviratu XLIII, coss. C. Calvisio Sabino, & L. Passieno Rufo, qui in tabulis etiam Græcis Rufinus dicitur. Sic verò Sulpicius scribit lib. II: *Sub hoc Herode, anno imperii ejus tertio, & trigesimo, Christus natus est, Sabino, & Rufino Consulibus,* VIII *Calendas Januarias.* Subdit deinde: *Herodes post nativitatem Domini regnavit annos* IV. *Nam omne imperii ejus tempus* VII, & XXX *anni fuerunt.* De an. Herodis convenit prorsus cum Epiphanio; qui itidem Herodem ait regnâsse an. XXXVII: ac trigesimo tertio Christum natum. Hac parte igitur de eo idem, ac de Epiphanio, judicium esto.

Nec aspernandus nobis Paulus Orosius in Orchestra suâ. Hanc enim veram esse ejus operis inscriptionem, ostendi in Historia Historicorum Latinorum. Ejus hæc verba sunt lib. VII, cap. II: *Augusti Cæsaris, postquam imperare cœpit, emenso propemodum anno* XLII, *natus est Christus,* VIII *Kal. Januar. quando primùm incrementa omnia anni venientis incipiunt.* Et initio cap. seq. *Igitur anno ab Urbe condita* DCCLII *natus est Christus.* Si annos Augusti ordiaris à nece Jul. Cæsaris, Augusti XLII sit Julianus XLIII: sin initium capias à triumviratu, erit Julianus XLIV. Quodque ad annos Urbis, Varronem sequimur ducem; qui Urbem censuit conditam anno III Olymp. VI: eoque annus Urbis DCCLII sit Julianus XLIV. Sin præferamus Fastos Capitolinos; secundùm quos primordia Urbis incidunt in annum quartum Olymp. VI: fuerit is Julianus XLIII.

Dignissimus etiam est, qui in hoc cœtu locum sibi deposcat, Aurelius Cassiodorus. Hic in Chronicis tradit, Christum esse natum Lentulo, & Messallino, coss. an. Augusti à triumviratu XLI; qui Julianus sit XLIII. Atque hanc sententiam sequuntur Josephus Scaliger, & Cæsar Baronius. Sed in eo hi rectiùs, quàm Cassiodorus; quòd ille putârit, annum Augusti XLI esse primum æræ Christianæ. Nam hæc bienno posterior est; quod non advertit Cassiodorus.

XLIII.

Quod si ante Bedam presbyterum, imò, etiam Dionysium Exiguum (quorum ille demum post septingentesimum, hic post quingentesimum, à Christo nato, annum floruit) neminis is sensus fuit; partum Virginis incidere in VIII *Kal. Jan. anni Jul.* XLV: *vel hoc ipsum, quòd serò adeò ea sententia sit recepta, multùm illi præjudicare possit.*

QUàm enim parùm credibile est, omnes Ecclesiæ doctores aberrâsse antea in vero natali adsignando! Quid quòd Dionysius ipse suum postea errorem agnoverit: sed, ut ait Sigebertus, *frontem sibi pudoris cauterio exusserit?* Quod etiam probat Paulus Middelburgensis lib. XIII, cap. VI. Atque addit, hunc Dionysianum annos numerandi morem in Romanæ Ecclesiæ bullis ac diplomatis paucis demum annis ante sua tempora obtinuisse: cœpisse enim sub Eugenio IV; cui, ut sic fieret, persuaserit Blondus Forojuliensis, Collegio Pontificio notarius à secretis. Hæc quid de Dionysio censendum sit, satis docent. Atque ex iis judicium esto de iis, qui aliquot seculis postea secuti. In his est Marianus Scotus: qui Christum editum ait Lentulo, & Messallino, coss. Estque hic illi annus Augusti XLI. Sed ex Methodio subjungit, natum anno Augusti XLII, à nece Cleopatræ XXVIII. Cæterum in annis Augusti eo peccat Marianus, quòd primus ei annus dicitur, quando consulatum is gessit cum Q. Pedio: alter cùm consules fuere Pansa, & Hirtius: tertius, quo M. Lepidus, & Plancus. Nam hi consules non triennium, sed biennium signant: quia Pansæ, & Hirtio, interemtis, eopse anno Octavius, & Pedius, suffecti. Atque in hunc annum incidit triumviratus; unde si annos Augusti numeres, consulibus iis, quibus Christum esse natum dicit Marianus, annus Augusti fuerit XLI: sed à nece Cæsaris, quæ Idibus Martiis contigit, atque unde Methodius numerat, erit Augusti quadragesimus.

Sed longum esset de singulis loqui; qui barbaris illis seculis vixere. Renatis verò literis, nemo propius à vulgari æra abiit Onuphrio Panuino; quem secuti Pererius, Salianus, alii. Hi, ut superiùs etiam dicebamus *d*, uno anno prævertunt sententiam vulgarem. Censent enim, Christum esse natum C. Cæsare Octaviano XIII, & M. Plautio Sylvano coss. hoc est, Juliano anno XLIV. Nempe eorum sententia est, in numerandis Augusti annis prorsus incipiendum esse à triumviratu ejus. Constans verò, ut iidem contendunt, judicium est antiquitatis, B. Virginem esse enixam anno Augusti XLII. Unde porrò colligunt, natalem Servatoris nostri diem incidere in an. Julianum XLIV: quo consules fuere antè memorati. Nec negare possumus, multò plurimos veterum natalem Christi referre in an. Augusti XLII. Ita enim Irenæus lib. III, cap. XXV, Clemens lib. I Stromat. Julius Africanus, eumque secutus Eusebius lib. X Præparationis Euang. & lib. I Hist. Eccles. cap. V. item in Chronicis: adhæc Epiphanius hær. XX, & LI, & libro de mensuris. Verùm injicit scrupulum, quòd non omnes eodem modo annos capiunt Augusti. Imò nec reapse in anno Augusti consentire, satis ex iis Patrum liquet, quos paullò antè memoravimus.

a Thes. 10.

Longissimè verò abierunt à vulgari ærâ antea etiam dicti nobis Joannes Dekerius, & Joannes Keplerus. Quorum prior natione Flander, Societatis Jesu Theologus, ac literarum, & Scholasticæ Theologiæ, priùs Duaci, ac Lovanii, postea Græcii in Austria, professor fuit. Credidit is, natum fuisse Christum anno Juliano XLI, C. Cæsare Octaviano III, & L. Corn. Syllâ coss. Quod omnibus adversatur antiquis. Quippe is fuerit Augusti, à nece quidem Julii, XL; à triumviratu, XXIX; à nece Cleopatræ XXVI. At veterum nemo in animum induxit, Christum alio Augusti anno in lucem esse editum, quàm supra quadragesimum primo, vel altero: nemo fic tationes subduxit, ut à nece Cleopatræ annum subduceret alium, quàm duodetrigesimum. Sed animo lustremus, quo Dekerius argumento suam defendat opinionem, quique eum sequitur, clarissimus Petavius. Constat, inquit, ex Scripturis, mortualem Herodis diem esse posteriorem natali Dominico. At Herodes vitâ excessit anno Jul. XLII. Siquidem Josephus lib. XVII Antiquitat. cap. VIII ait, Rabbinis ab Herode vivicomburio sublatis, Lunare deliquium fuisse, paullò ante obitum ejus; qui non multò Pascha prævertit. At hoc optimè convenit anno Juliano XLII; quia eo Eclipsis Lunæ incidit in XIII Martii. Sed non si ex siderum doctrina scitur, tum eclipsin fuisse; inde consequitur, eam visam in Judæa; ac proinde esse eam ipsam, de qua loquitur Josephus. Imò nec potuit eadem esse. Nam quantillum spatii erat inter XIII Martii, & Pascha! At quæ inter crematos Rabbinos, & Paschatis festum, contigisse à Josepho narrantur; tam multa, variaque sunt, ut ad ea non paucularum hebdomadum, sed multorum mensium tempus requiratur. Quod cuivis Josephum legenti apertissimum erit. Adde quòd, etiamsi deliquium luminis

non

non mereantur Eclipseos nomen, nisi terrâ inter Solem, & Lunam, constitutâ: vulgo tamen etiam sic vocari solet, quando, citra illam caussam, pallor, & obscuritas sideris, eclipseos habet speciem. Ut contigit sub Julii Cæsaris necem: de quo Maro primo Georg. Plin. lib. II, cap. XXX, & Plutarchus in vita Cæsaris. Item (ut Dio lib. XLVIII ait) ante bellum Philippense. Iterum Hirtio Pansâque coss. Ante mortem etiam Augusti, eodem testante lib. LVI, ἥλιος πᾶς ἐξέλιπεν· *Sol omnis defecit.* Eamque Eclipsin etiam in Chronicis suis agnoscit Eusebius. In his eclipsibus reperiundis multum operæ positum à Paullo de Middelburgo, Gerardo Mercatore Rupelmondensi, atque aliis. Sed frustra omnes fuere, quia nullæ eo tempore erant: quod de eclipsi ante necem Augusti Scaliger agnoscit Animadversionibus Eusebianis; deque eâdem, & aliis, summi Mathematici fatentur. Atque hæc omnia ostendunt, omnino infirmum esse argumentum, quo imprimis fulcitur ratio eorum, quibus placet, Christum fuisse natum anno Jul. XLI.

Nunc aliquid etiam addamus de Keplero, viro ob eximiam Matheseos notitiam, æternâ laude dignissimo. Hic Christum censet esse natum exeunte anno Juliano XL, Lælio, & Antistio coss. Id fuerit anno Herodis, ex quo primò nominis regii decus à Romanis accepit, quincto, ac trigesimo: à captis verò Hierosolymis, & interemto Antigono, XXXII. Hæc sententia mihi, qui nisi invictis cogar argumentis, à venerandis Patribus recedere invitus soleo, eo minùs placet, quia antiquitati repugnat universæ. Sic enim natus sit Christus non anno Augusti XLI, vel XLII; sed à nece Cæsaris XXXIX, à triumviratu autem XXXVIII; nec anno à nece Cleopatræ XXVIII, sed XXV. Rationibus verò, quæ pro ea adferuntur, facilè istis occurritur, quæ pro sententia nostrâ superiùs adduximus.

XLIV.

Hactenus variantes de Christi æra sententias proposuimus, & expendimus. Quamquam verò ex iis satis eluceat, biennio minimùm peccare æram vulgarem: non propterea tamen ab ea deinceps recedendum, sive in privatis literis, aut contractibus, sive Principum edictis, aut Ecclesiæ conciliis, aliisve publicis instrumentis. Nam quia mille amplius annis hæc æra in usu fuit: ac secundùm hanc historici etiam, & alii scriptores, annos suos numerarunt: immutatio istius æræ magnam pareret rerum pene omnium confusionem.

ET quid ad nexum temporum refert, num dissentiant eruditi de vero Christi natali; dum consentiant de intervallo annorum ab eo anno, qui si natalis Christi non est verus, saltem is esse existimatur? Exempli gratiâ, secundùm æram vulgarem natus sit Karolus V Imperator anno CIↃIↃ: Erasmus anno XXXVI pòst mortuus. At si verùm attendas natalem, minimùm utrobique addi debeat biennium. Quid tamen impedit, quo minus loquar more recepto, ut meliùs intelligar? Et nonne eundem annum intelligunt, tum qui majorem, tum qui minorem numerum afferunt? Nempe utrique consentiunt, si à numero adsignato numeres retro: anno inchoante Juliano XLVI, quo consules fuere C. Iulius Cæsar Augusti filius, Divi nepos, & L. Æmilius Paullus, annos fore nec plures, nec pauciores, quam vulgaris habet æra. Dicas, non debuisse Ecclesiam sequi æram erroneam. Sed huic argumento jam olim occurrit Paulus Middelburgensis lib. XIII, cap. V. Summa eò redit, propriè hunc Chronologorum esse errorem; quorum rationes non eo probet Ecclesia, etsi suum ad usum accommodet. Adjungit, (quod & superiùs ad Thesin XLIII retuli) consuetudinem hanc in Bullis Pontificiis demum cœpisse temporibus Eugenii IV: qui Pontifex factus anno CIↃ CCCC XXXI.

XLV.

Sed fortasse hic aliquis facilè adsentiat nobis, quia minimum adeò est discrimen; puta biennii, aut triennii duntaxat, vel paullò amplius: ulterius verò quærat, quæ sententia etiam sit nostra, de immani illo discrimine, putà annorum amplius mille ducentorum; quo tardius natus prædicatur Christus, quàm veritas permittat. Quippe ea est opinio veterum Conciliorum, ac Patrum, Romanæque Ecclesiæ, in qua Natali ipso Dominico legitur, & auditur: Anno à creatione Mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: à diluvio verò anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo &c. Jesus Christus in Bethlehem Judææ nascitur, ex Maria Virgine factus homo. *Nostra hæc sententia est, nondum annis quater millenis à natali mundi abesse natalem Christi: atque in eo etiam Scaliger, ac Petavius, consentiunt; quorum ille Christi natalem refert ad annum mundi 3948; hic verò 3983. Nempe Hebræos codices sequimur; non LXX seniores; uti fecere Concilia, ac Patres.*

SIcut de his etiam B. Augustinus agnoscit lib. XV de Civitate Dei, cap. XI. Item Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus, qui temporibus vixit Gregorii Magni: *Sciendum est, quod aliter computant Hebræi, & aliter Romana Ecclesia traditio.* Adducerem Patrum complures, qui Græcos potiùs, quàm Hebræos codices sequantur: nisi id jam factum viderem à Baronio in Annalium Apparatu *a*. Verùm altera etiam hic controversia incidit. Nam S. Theophilus Antiochenus in opere ad Autolycum numerat à mundi principio usque ad excessum Lucii Veri, sub quo claruit, annos quinquies mille sexcentos octoginta quinque. Hoc est, annos trecentos amplius, quàm Ecclesia Romana. Clemens Alexandrinus lib. I Strom. constituit ab Adam usque ad mortem Commodi quinquies mille septingentos octoginta quatuor. Hoc fuerit annis pene trecentis supra computationem Romanam. Sexta synodus Oecumenica numerat ab orbe condito annos sexies millenos, centum, & nonaginta novem. Ea autem synodus celebrata est anno IↃ CLXXX. Annis igitur CCCXX Romanam ea Synodus Ecclesiam exsuperat. Quod verò tantus fuerit dissensus etiam eorum, qui non sequerentur codices Hebræos, id Baronius *b* credidit esse à diversa LXX interpretum lectione. Atqui in hoc eum nimium quantum ratio fugit. Vera autem ratio est, quòd SS. Patres suos etiam epilogismos illis addiderint epilogismis, quos in tralatione LXX interpretum agnoscimus.

a *Pag. 38. edit. Moreti.*

b *Loco ante memorato.*

XLVI.

Nec propter hosce τῶν ἑβδομήκοντα c epilogismos, Generalia etiam Concilia, & tot Ecclesiæ homines sanctissimos, ac doctissimos, more seculi pipulo differri æquum est. Nec enim dubium, quin sciverint multi, quid secundùm Hebræos codices statui oporteret. Sed putarunt, LXX codicibus in Ecclesia ubique receptis, non esse intempestivo scientiæ ostentu turbandos eorum animos, qui Hebraicè nescirent, vel ad tempora non satis attenderent.

c *Septuaginta interpretum.*

ET profectò quid magnopere attinebat super eo anxiè serram reciprocare, vulgarem, an veriorem æram, sequi oporteret: quando nihil pertinet ad fidei, ac vitæ regulam; de quâ solâ laborarent Concilia, & Ecclesia Catholica.

De tempore Nativitatis Jesu Christi, partis prioris, quæ est de anno natali,

FINIS.

DISSERTATIONIS DE TEMPORE NATIVITATIS JESU CHRISTI

PARS ALTERA; QUÆ EST DE CHRISTI MENSE, DIEQUE NATALI.

I.

Venio ad quæstionem alteram, de mense, ac die, quo B Virgo orbi est enixa Servatorem nostrum. De hoc quinctuplex præcipuè opinio est. Una longè cæteris receptior est; quâ natus perhibetur VIII *Kalend Ianuarias. Atque hæc Ecclesia Romana jam antiquis fuit temporibus.*

AUCTOR nobis Chrysostomus homiliâ in Natalem Domini: quæ Tomo de diversis Novi Testamenti Locis, secundùm editionem Frontonis Ducæi, ex illis LXXI numero est XXXI.
a P. 468. Ubi ait *a*, hanc sententiam, utcunque nova sit Constantinopolitanis; tamen παρὰ τοῖς τὴν ἑσπέραν οἰκοῦσιν ἄνωθεν γνωριζομένην· *Occidentem incolentibus jam à superioribus temporibus notam.* Aliquanto etiam post idem
b P. 468 sic scribit *b*: Παρὰ τῶν ἀκριβῶς ταῦτα εἰδότων, καὶ τὴν πόλιν ἐκείνην οἰκούντων, παρειλήφαμεν τὴν ἡμέραν. οἱ γὰρ ἐκεῖ διατρίβοντες, ἄνωθεν, καὶ ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως, αὐτὴν ἐπιτελοῦντες, αὐτοὶ νῦν αὐτῆς ἡμῖν τὴν γνῶσιν διεπέμψαντο. *Ab illis, qui exactè hæc norunt, quique illam Urbem* (Romam) *inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipsi, qui istic degunt, jam à superioribus temporibus, & ex antiqua traditione, ipsum celebrantes, ad nos usque illius notitiam transmiserunt.*

II.

Quorundam est conjectura, ortam esse hanc opinionem ex eo, quòd B. Lucas referat, Zachariam, postquam sacris esset operatus, gravidam fecisse uxorem Elisabetham; ut fore Angelus prædixerat. Id contigisse, exeunte Septembri, quia Zacharias fuerit summus Sacerdos: is autem quotannis decimâ Tisri. h. e. septimi Hebræorum mensis, in festo Expiationis, ingrederetur Sanctum Sanctorum, ad adolendum suffitum. At ex B. Luca constare, cùm Elizabetha sex menses gravida fuisset, cognatam ejus B. Virginem concepisse è Spiritu Sancto: porrò eandem post nonum mensem peperisse Servatorem. Ut à conceptu Ioannis, ad partum B. Virginis, sint menses XV. *Eoque, si exeunte Septembri conceptus sit Ioannes Baptista; partum Elizabethæ in extremum Iunium anni sequentis, partum B. Virginis incidere in exeuntem Decembrem.*

NEmpe tria fuere festa Iudæis mense septimo, qui Tisri vocatur. Primum Kalendis, quod *Clangoris*, & *Convocatio sancta* dicebatur. Alterum die X: puta *festum Expiationis.* Tertium XV, *festum Tabernaculorum.* De quibus Levit. XXIII, & Num. XXIX. Ex his veteres etiam Christiani observarunt festum Expiationis (יום כפורים) quia crederent tum contigisse δι' ἀρχιερωσύνην Ζαχαρίου. Multum verò hoc argumento pugnat Chrysostomus oratione eâ in Natalem Iesu, de qua proximè loquebamur.

III.

Huic argumentationi obstat, quòd Ecclesia Alexandrina non exeunte Junio, vel ineunte Julio, celebrare soleat natalem Joannis Baptistæ: sed mensis Pharmuth die XXVIII, *hoc est* XXIII *Aprilis.*

AUctor Cyrillus Alexandrinus homiliâ in Natalem Baptistæ. Magisque id consentaneum est sententiæ eorum, qui Christum in Octobri natum arbitrantur. Nam id tempus senis mensibus dissidet: quanto spacio post natum Baptistam B. Virgo gravida permansit. Fatendum interea, optimè convenire cum eo, quòd Romana Ecclesia natalem B Ioannis Prodromi festum agit XXIV Iunii. Quare non urgebo hoc argumentum, minimè ignarus, natales Sanctorum dies primis Ecclesiæ temporibus, ob atroces persecutiones, paullatim venisse in oblivionem: neque cùm dies festi in eorum memoriam constituerentur, tam id studuisse Christianæ Ecclesiæ proceres, ut ne alius ab illo, quo nati essent, dies assignaretur, quàm ut ab Hellenismo ad Christianismum traducti faciliùs sacrorum gentilium obliviscerentur, dum pro cæcorum nationum dæmoniis memoriam colunt eorum, qui sanctimoniæ exemplo nobis præivissent.

IV.

Est & alterum, & quod validiùs superiorem infringat opinionem. Zacharias enim non fuit summus Sacerdos: eoque corruit, quidquid super opinionem hanc exstruxere. Clarè, quod dixi, docet nos Euangelista: ut qui eum non ἀρχιερέα a, *nuncupet, sed* ἱερέα τινα: *ac præterea addat* b, ἐφημερίαν *suam, sive orbis hieratici vicem obiisse, quod non summi erat Pontificis, sed aliorum Sacerdotum.* a Summum sacerdotem. b Sacerdotem aliquem.

NEmpe posteritas Aaronis ex Davidis instituto (de quo 1 Paralip. XXIII, 27, & XXIV, 7.) in XXIV erat familias

milias distributa: quarum sexdecim ab Eleazaro, octonæ erant ab Ithamaro, propagatæ. Harum familiarum quæque non uno die in Sancto Sanctorum, quod erat Summi Pontificis: sed unam hebdomadem in prima parte tabernaculi, ubi erat ara suffitus *a*, administrabat liturgiam: ita ut XXIV elapsis hebdomadis ordo rediret ad eundem. Ac quæque familia Aaronica ordiebatur mane propositis panibus propositionis. Atque hæc vicissitudo vocabatur ἐφημερία: quam etiam obiit Zacharias. Nam Lucæ I, 5 dicitur fuisse ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, *de vice Abia*: & vers. 8 legas, sacerdotio functum ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ· *in ordine vicis suæ*. Et vers. 9 est, ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι· *sors illi obvenit, ut odores incenderet*. Hæc vicissitudo, & sortitio, satis indicant. Zachariam non fuisse summum Sacerdotem. Atque id etiam agnoscunt Carolus Sigonius de Rep. Hebr. lib. V, cap. III, & Didacus Stella comment. in Luc. cap. I. Nec sane Fl. Josephus, qui ex genere ipse erat Sacerdotali, & accuratè Pontifices summos recenset, uspiam meminit Zachariæ: sed, quantum ex eo videre est, fuerit tum Pontifex Matthias, de quo agit lib. XVII antiquit. Jud. cap. VIII: vel successor ejus Joazarus, de quo ibidem. Ac sub hoc natum Servatorem, mavult etiam Nicephorus. Etiam Zachariam non fuisse Pontificem Max. ex habitatione cognoscitur. De qua non referam, quod hodieque, ubi domus ejus fuerit, ostenditur; ut ex Brocardo *b*, Aranda *c*, & Adricomio, constat: sed quòd B. Lucas docet, habitâsse in montanis Judææ. Urbem non nominat, quia notissimum esset, in montanis Judææ non aliam esse civitatem sacerdotalem, quàm Cariat-Arbam, sive Hebronem. Nam priùs vocata Cariat-Arba, quasi civitas gigantis Arba, unius ex Enakim: postea autem dicta Hebron, à filio Caleb, cui extra sortem à Josue fuit concessa; ut videre est Jos. XXI. Eò igitur se recepit B. Virgo ad visendam cognatam Elizabetham, Zachariæ sacerdotis conjugem. Pontifex quidem Max. Hierosolymis habitabat: sed cæteri Pontifices per tribus erant dispersi; seque Hierosolymam recipiebant, quando suas vices, sive ἐφημερίας, obire oporteret. Scio, Bedam, & Hugonem Cardinalem, id velle, Zachariam habitâsse Hierosolymis: sed id Lucas refellit: nec aliunde is error, quàm quòd eum putassent summum sacerdotem: uti è junioribus quoque credidere Eckius, Clichthoveus, alii.

a Exech. 44. & ad Hebr. 9.

b 1 Part. cap. 6, sect. 68.

c Cap. 37.

Sed esto sanè, ut Zacharias fuerit summus Pontifex: tamen sic quoque mense uno aberraretur. Nam perperam à conceptu Joannis, ad partum B. Virginis, menses numeres XV, cùm tantùm sint XIV. Neque enim cum B. Virgo conciperet, Elisabeth sex mensibus gravida fuerat; sed duntaxat quinque, & fortasse paucis diebus, iisque incertis. Hoc liquet ex Lucæ cap. 1, vers. 24, 25, & 36. Quare si Elisabeth Joannem conceperit exeunte Septembri, vel ineunte Octobri: Maria pepererit Jesum exeunte Novembri, vel ineunte Decembri.

V.

Altera est opinio Ecclesiarum Orientis, & Græcarum: quæ natum putarunt VIII Idus Januarias.

QUod tempus quomodo aliarum gentium mensibus respondeat, refert Epiphanius hæresi LI, quæ est Alogorum. Nam cùm dixisset, natum esse VIII Idus Jan. sive VI die Januarii; addit *d*, id Ægyptiis esse XI Τυβί, Syris sive Græcis VI Αὐδυναίου Cypriis sive Salaminiis quincti mensis die V, Paphiis Julii XIV, Arabibus XXI Ἀλεώμ, Cappadocibus XIII Ἀταρτῖ, Hebræis XIII Τεβὴθ, Atheniensibus VI Μαιμακτηριῶνος. Hanc diem VI Januarii ἐπιφανείας, h.e. *apparitionis* nomine, vocatam constat. Neque id nescivit homo gentilis, Ammianus Marcellinus lib. XXI; ubi de Cæsare Juliano sic scribit: *Et ut hac interim celarentur feriarum die, quem celebrantes mense Januario, Epiphaniam dictitant; progressus in eorum Ecclesiam, solemniter numine adorato, discessit.*

d Pag. 446.

Vox inde, si Græcos audimus, quòd tum Christus apparuerit in carne. Itaque Zonaras, idem de Iuliano narrans, pro eo, quod *Epiphania* dicit Ammianus, ipse *Dominicum Natalem* dicit. Αὐτὸς δὲ τῆς γενεθλίου τοῦ Σωτῆρος ἡμέρας ἐφεστηκυίας εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναὸν, καὶ προσκυνήσας ὡς ὁμόδοξος τοῖς στρατιώταις δοκῇ ἀπῆλθε· *Ipse Natali Domini Ecclesiam ingressus, adorato numine discessit, quo ejusdem, ac milites, sententiæ esse videretur.* Ac parte eâ etiam Græcis consensere Ægyptii: unde Cassianus collat. X, cap. I: *Intra Ægypti regionem mos iste antiquâ traditione servatur, peracto Epiphaniorum die, quem provinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici baptismi, vel secundum carnem nativitatis esse definiunt: & idcirco utriusque sacramenti solemnitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis; sed sub una die, hujus festivitate concelebrant.* Quem locum signat Isidorus lib. I de Officiis Ecclesiasticis cap. XXVI. *Refert*, inquit, *Cassianus, apud Græcos Nativitatem Domini, & Epiphaniorum solemnitatem, non bifarie, ut in occiduis provinciis; sed unius diei festivitate celebrari.* Ubi videmus, pro eo, quod Ægyptiis id tribuat Cassianus, Isidorum Græcos reponere: nempe quia non Ægyptii soli; sed etiam Orientales, ac Græci, hanc consuetudinem servarent. Epiphaniorum enim festo complectebantur memoriam tum Natalis Dominici, tum Iesu baptizati: quod tempus ἐπιφανείας, seu *apparitionis* nomine signabant, ob eandem caussam, quam Latini attenderunt. Puta quia tum apparuerit Spiritus S. specie columbæ; ac vox audita sit de cœlis, dicentis, hunc esse filium Dei dilectum. Atque hanc rationem adducit Ambrosius de die Sancto Epiphaniæ serm. XXI, item serm. XXII, Isidorus lib. I de Eccles. Off. cap. XXVI, & lib. I Origin. cap. XVIII, Pontius Paullinus de natali Felicis IX. Solus Epiphanius putavit *a*, Christum VI Idus Novembris esse baptizatum à Ioanne, cùm annorum esset XXIX. At id VIII Idus Ian. factum fuisse, præter eos, quos dixi, sententia est S. Hieronymi in cap. I Ezechielis; Petri Chrysologi serm. LXXV, & CLX; Albini sive Alcuini lib. I de Offic. Eccles. cap. de Baptismo Domini; Cedreni in Compendio; S. Bernardi serm. I, & III de Epiphania, pluriumque aliorum. Imò & veterum est opinio, Magos eopse die Bethlehemum venisse: quod apud Isidorum, & Paullinum legas, locis antè assignatis. Quid quòd aliqui etiam, a. d. VIII Idus Ianuar. censent primum contigisse miraculum, quod factum in Cana Galilææ? Testis Ambrosius loco superiùs indicato, & S. Maximus sermone quodam, qui inter Ambrosianos legitur; item Leo Magnus epist. LXII ad Episcopos in Sicilia constitutos; adhæc Paullinus, & Isidorus, locis, quos antea signavimus. Quasi hæc dies velut πανδέκτης foret omnium penè grandium rerum: videlicet quomodo Stoici Adverbium vocitarunt πανδέκτην, quia nulla esset vocum classis, ex qua non aliquas adverbio Grammatici infercirent: ut est apud Sosipatrum Charisium lib. II.

a Hæres. 51 Alogorum.

VI.

Porrò Orientales non minùs sua de Natali Dominico sententia antiquitatem jactabant, quàm de vetustate sua gloriarentur Occidentales.

HOc liquet ex adlatis antea Cassiani verbis: ubi vocat antiquæ traditionis morem.

VII.

Nec temere gloriatos, inter alia est argumento, quòd Chrysostomus dicat, tantùm esse decennium, quòd Constantinopolitani sui, desertâ opinione veteri, illam Romanæ Ecclesiæ sint amplexi.

SIc enim ille homiliâ in Natalem Domini, quæ est XXXI ex LXXI illis à Frontone Ducæo editis Tomo de diversis Novi Testamenti locis *b*: Οὔπω δέκατόν ἐστιν ἔτος, ἐξ οὗ δήλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται.

b Pag. 466.

Non-

Nondum annus est decimus, ex quo hic ipse dies nobis innotuit. Addit deinde, non erraturum, qui hunc diem simul appellet, & novum, & veterem: novum, διὰ τὸ προσφάτως γνωρισθῆναι· *quòd tum demum exacta contigerit notitia*; puta Constantinopolitanis. Hos enim signat, cum ait, ἡμῖν, *nobis*. Veterem autem, quoniam eadem παρὰ τοῖς τὴν ἑσπέραν οἰκοῦσιν ἄνωθεν γνωριζομένη· *Occidentem incolentibus jam antiquitus cognita*. Præcipuè signat veterem Romam: unde notitia ejus diei pervenerat paullò antè ad novam Romam. Ideò subjungit, πρὸς ἡμᾶς δὲ κομισθεῖσα νῦν, καὶ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν· *Ad nos transmissa, neque id ante multos annos*. Intereà postquam etiam receptus is dies, multi veterem præferebant consuetudinem; qua VIII Januar. natalis Jesu celebrabatur. Hinc illa: Πολὺς μὲν περὶ τῆς ἡμέρας ταύτης πανταχοῦ γίνεται λόγος· τῶν μὲν αἰτιωμένων, ὅτι νέα τίς ἐστι, καὶ πρόσφατος, καὶ νῦν εἰσενήνεκται· τῶν δὲ ἀπολογουμένων, ὅτι παλαιά, καὶ ἀρχαία ἐστί, καὶ ἄνωθεν τοῖς ἀπὸ Θρᾴκης μέχρι Γαδείρων οἰκοῦσι κατάδηλος, καὶ ἐπίσημος γέγονε. *Multus ubique de hoc die sermo; partim incusantium, quasi novus sit, nuncque recens invectus; partim eundem propugnantium, tanquam antiquum, ac vetustum; quique superioribus seculis à Thracia ad Gades usque incolentibus manifestus ac celebris fuerit.* Ubi Thraciam potissimùm nominat, quia scriberet ista, cùm non Antiochenus ampliùs presbyter; sed jam Constantinopolitanus esset Episcopus.

VIII.

Præterea Orientales contendebant, nulli Ecclesiæ de natali die potius fidem esse habendam; quàm ejus loci, ubi Jesus natus fuerit. At peperit eum Virgo in Judæa: eoque sequendam putabant Ecclesiam Hierosolymitanam; quæ natalem ejus celebraret a. d. VIII Id. Januar.

a Tom. 2 operum Chrysostomi ex Antverpiensi editione Belleri pag. 522.

EXstat *a* sub Chrysostomi nomine homilia hominis Latini de Natali Dominico. In eâ disserit adversus illos, quibus tanti foret Ecclesia Hierosolymitana. Pluscula inde excerpam: *Aliqui putant, quòd in Epiphaniis nascitur. Non damnemus aliorum opinionem: nostram sequamur. Unusquisque in suo sensu abundat.* Et mox: *Non sunt nostra, quæ loquimur: majorum sententia est: universus mundus contra hujus provinciæ* (Judææ) *opinionem loquitur. Dicat aliquis: Hic* (putà in Judæa) *Christus natus est. Ergo magis illi sciunt, qui prope,* (ut Syri, aliique Asiatici, item Ægyptii) *quam qui longe.* ut Romani, aliique Occidentales. Hinc Judæos, & qui hos sequerentur, sic compellat: *Vobis dixerunt? Qui sunt in ista provincia Judææ?* Εἰρωνικῶς subdit: *Utique* (apud eos sunt) *Petrus, & Paulus, & cæteri Apostoli.* Sequitur deinde: *Vos* (Judæi) *ejecistis: nos* (Romani, cæterique Occidentales) *suscepimus. Petrus, qui hic fuit cum Joanne, qui hic fuit cum Jacobo, nos in Occidente docuit. Et vestri igitur, & nostri, Apostoli magistri sunt.* Objicit deinde, quòd traditio non potuerit Hierosolymis servari, quia Titus urbem eam everterit, omnes & Judæos, & Christianos ejecerit; planeque iis locis fuerit solitudo, donec Ælius Adrianus Cæsar Urbem instauravit, atque à se Æliam nominavit. Denique subdit: *Hoc totum quare dico? Quia nobis dicunt: Hic Apostoli fuerunt, hic traditio fuit. Nos ergo dicimus, quia hodie Christus natus est; in Epiphaniis renatus est.* Pluraque inibi in hanc mentem: pleraque verò omnia oratorie magis, quàm solidè. In iis est, quod ait de tanta à Christianis solitudine in Judæa. Nam deletâ Hierosolymâ, imò & antè, à Christianis itum Pellam: ubi frequentes Christianorum cœtus; imò & eodem translata sedes Episcopi Hierosolymitani.

IX.

Tertiam, quartamque opinionem discere est è Clemente Alexandrino: qui ait, Ægyptiorum nonnullis natum credi XXIV, vel XXV Pharmuthi: aliis verò XXV Pachon.

LOcus Clementis est in I Stromateon. Quem se intelligere *a* negat in commentario suo Gentianus Hervetus, vir perdoctus, beneque de Antiquitate meritus. Sed nostris temporibus res est apertior, Ægyptiorum menses sunt: Θώθ, Παωφί, Ἀθύρ, Χοιάκ, Τυβί, Μεχείρ, Φαμενώθ, Φαρμουθί, Παχών, Παυνί, Ἐπιφί, Μεσορή. Ex quibus Θώθ, qui annum ducit, incipiebat ab ortu Caniculæ, Sole ingrediente Leonem, novilunio. Sed dispar ratio Thoth Actiaci, sive fixi: cujus prima est XXIX Augusti. Vide Scaligerum in III de Emendat. Tem. cap. de anno Ægyptiaco *b*, & lib. IV, cap. de anno Ægyptiorum Actiaco *c*. Baronio in Apparatu Ecclesi. sect. CXX, dies XXIV, vel XXV mensis Pharmuthi est XX, vel XXI Aprilis: at XXV mensis Pachon est XV Maji. Nec multùm abeunt alii, qui diem XIX, aut XX Maji, arbitrantur. In quibus etiam Casaubonus ad Apparatum Annalium Baronii Numero seu sectione LXVIII. Etiam tum natum fuisse Christum, judicium est Thomæ Lydiat Dissertatione de annis nativitatis, & ministerii Christi, cap. XVI *d*.

a Pag. 365.
b Pag. 185.
c 221, edit. Raphaleng.
d Pag. 198.

X.

Sed qui mense Pharmuthi natum putant, minimùm mense peccant: qui in Pachon, etiam bimis: modò cum Ægyptiorum aliis de anno natali consenserint. Quippe Herodes ante exactum Phamenoth, decesserat: ut qui obierit paullò ante Pascha, quod mox ab æquinoctio verno celebratum fuit.

HOc de morte ejus ex Iosepho superius ostendimus: nec crambem repetere attinet. Id tamen Thomæ Lydiat non adversatur, quia is censet, Christum esse natum non paullo ante mortem Herodis, sed toto ante quadriennio: uti apud Epiphanium etiam legere est. Et sanè illa Ægyptiorum opinio non videtur facilè respuenda, partim ob antiquitatem ejus, partim quia gens in annorum doctrina esset exercitata, taliumque curiosa. Sed de hoc mox pluribus dicemus.

XI.

Quinta est sententia Josephi Scaligeri; qui natum contendit exeunte Septembri, vel ineunte Octobri. Atque hoc inde colligit, quòd fuerint XXIV ἐφημερίαι e, quarum quæque hebdomadem duràrit: sic ut ordo ἱερατικὸς f constiterit diebus CLXVIII. At, inquit, Scaliger, ex Maccabæorum historia colligere est, cultum, quem, profanatione templi, Antiochus Epiphanes interruperat, ab Juda Maccabæo esse instauratum anno Periodi Iulianæ 4549, Novembris 22: eoque anno 4550, Ian. 10. vices fuerint familiæ Abia. Unde si orbes hieraticos CCCXL. præcisè numeres, iterùm ad familiam Abia ordo redierit anno Periodi Iulianæ 4710, à 21 Iulii usque ad 28: qua hebdomade idcirco factus sit Zachariæ εὐαγγελισμός: ut omnino exeunte Iulio, vel inchoante Augusto, conceptus sit Ioannes Baptista. Quibus ita constitutis, & spatio quatuordecim mensium attributo Elisabethæ, ac B. Mariæ, quo vel ambæ, vel alterutra, uterum gesserit; liquidò consequatur, natum esse Christum circa initium Octobris.

e Paral. 23. 17.
f Sacerdotalis.

LEgimus I Maccab. cap. IV, 54, postquam Antiochus Epiphanes profanâsset templum, à Iuda Maccabæo cultum fuisse restitutum: atque id factum esse anno Græcorum CXLVIII, die XXV Casleu. Id fuerit Periodi Iulianæ anno 4549, Novembris die XXIII, fer. 1. Sed constat, ordinem hieraticum non ferià primâ; verùm in sabbatho, inchoâsse. Ergo cœperit instauratio ea pridie, h. e. No-

Novembris die xxII. Nec dubium videtur, quin in cultu instaurando primùm sua munia obierit familia Joaribi: quia inter xxIV familias sacerdotales primum locum obtineret. Si verò hæc familia cœpit Periodi Julianæ an. 4549, 22 Novembris; consequitur, ad Abiæ familiam, quæ ab illa Joaribi erat octava, pervenisse ordinem Periodi Iulianæ anno 4550 Ian. 10. Hinc ad Sabbathum 21 Iulii, Periodi Iulianæ anno 4710, est intervallum annorum 160, dierum 192: quod intra spatium Abiæ familia præcisè obierit ἐφημερίαν trecenties quadragies novies. Vices igitur tum fuerint Zachariæ à 21 Iul. usque ad 28: ac intra id spatium contigerit Zachariæ θυμιασμός: mox autem à 28 Iul. gravida fuerit Elisabetha è Zacharia, h. e. in fine Iulii, vel initio Augusti. Atqui, ut clarè ait B. Lucas cap. 1, quinque mensibus gravida fuerat Elisabetha, cùm Gabriel accederet B. Virginem: quod idcirco sexto mense factum ab eodem dicitur. A tempore igitur, quo conceptus Ioannes, computemus menses quatuordecim: quinque videlicet, quibus Elizabetha ante B. Virginem gravida fuit, Luca teste; & præterea quatuor, quibus Elisabeth, ac B. Virgo, pariter uterum gessere; ac insuper quinque, quibus post Elizabethæ partum Maria gestavit uterum. Incidet id tempus in Septembrem exeuntem, vel inchoantem Octobrem. Vide Scaligerum ipsum pluribus hæc explicantem in VI de Emendatione Temporum: item Notis in fragmenta: & lib. III. Isagog. Canon. Annotat. CI, & CIS. Fusè etiam ejus sententiam refert Ubbo Emmius rerum Chronologicarum lib. II a; ut cæteros mittam.

a Pag. 97. 98, 99.

Secundùm Henningum Arnisæum in disputatione de Partus humani legitimis terminis sect. XIV, *Scaligeri computatio, ex Cyclo Hieratico seu Cyclo vertente Sacerdotis depromta, laborat eo vitio, quòd demonstrare non possit stationes Sacerdotum mansisse imperturbatas etiam eo triennio, quo Antiochus, secundum vaticinium Danielis, sacris silentium indixerat.* Sed hac quidem parte non difficulter Arnisæo occurritur. Quippe vis argumenti, quo Scaliger, & alii, nituntur, in eo consistit, quòd bis duntaxat ἐφημεριῶν vices sint interruptæ: priùs cùm Nabuchodonosor templum Salomonicum incendisset: iterum cùm Antiochus Epiphanes templum secundum profanâsset. Post priorem cessationem cultus divini, ἐφημερίας reduxit Zorobabel: post alteram, id factum ab Juda Maccabæo. Cæterùm non dubitat Scaliger, quin quoties cultus is reduceretur, ἐφημερίαι iterum cœperint à classe principe; quæ Joaribi fuit. Quod si XXV mensis Cisleu Joaribi familia sacris operabatur; anno Juliano XLII vices classis Abiæ (in qua Zacharias) fuerint à XXI Julii usque ad XXVIII Julii. Nam ex quo sacrificiorum ἐφημερίας instauravit Judas, nunquam sunt interruptæ; ut Fl. Iosephus b testatur; quo nemo istæc scire meliùs potuerit, cùm fuerit ipse ex genere sacerdotali; quemadmodum superiùs dicebamus.

b Lib. 7. Antiq. cap. 11.

XII.

Quærat aliquis, in hac sententiarum varietate, quid veriùs putemus. Primùm dixero, nihil satis certum haberi: nec initio Ecclesiæ natalem Domini celebratum videri: ac fortasse nec seculo secundo.

CОntrà quàm se res habet in paschatis festo; quem diem semper festum esse agitatum à Christianis, clarè ostendam, cùm disseram de passionis Dominicæ die. Nempe primitus non tam sollicita fuit Ecclesia, nosse quo die natus esset Christus; quam de eo, quòd sanguine suo redemisset genus humanum, & mortis victor à mortuis resurrexisset.

XIII.

Alterum est, quòd caussa non est satis gravis, cur recedamus à vulgari opinione Ecclesiæ Romanæ: qua natalis statuitur XXV Decembris.

NAm 'de vicissitudine ἐφημεριῶν parùm solidè objici, satis antea vidimus. Nempe id Scaligero probandum fuerat, cùm Judas Maccabæus cultum instauraret divinum: ἐφημερίας a potiùs cœpisse à familia principe, quàm ubi ordo fuerat interruptus. Ac nihilo solidius, quod idem Scaliger hibernum tempus objectat non fuisse aptum patribusfamilias ad longum iter cum uxore instituendum census caussâ: tum item quòd pastores non soleant noctu eo anni tempore excubias agere apud gregem. Quippe de nocturnis excubiis non dicit Evangelista. Interpretes quidem verbum ἀγραυλεῖν reddunt *vigilare*, vel *excubare*. Sed meliùs vertas *sub dio agere*. Propriè verò, ut origo indicat, notat ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι. Id verò non diurno minùs tempori convenit, quàm nocturno. De quo Casaubonus plura Exercitatione II ad Annales Baronianos sect. VII. Imò, ut de nocturnis excubiis foret sermo, non ex Gallia, aut Germania, de Judæa, & locis aliis æstuosis, aut magis Meridionalibus, judicium ferri debet. Præsertim cùm nec in Septentrionalibus, ac frigidis regionibus, id locum habeat semper, quod arbitrantur. Atque hæc etiam vidit Keplerus. Casaubonus item loco ante memorato, cùm verba attulisset Columellæ b de *omnium animalium vestitissimo, frigoris tamen impatientissimo*; opinionem ante memoratam refellit, interque alia inquit: *Etiam in Anglia, ubi nullus est à lupis, & aliis noxiis animalibus metus, armenta saltem toto anno in agris pernoctant: neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos, illi tecto unquam subeunt. Quare vetusta traditio Ecclesiæ non temere nobis rejicienda.* Quod de Anglia ait Casaubonus, id verissimum esse comperimus jam ante annos XII, cùm per Angliam de nocte, & ante, & post Natalem Domini, sæpius iter faceremus. Quod si omnino ab hac opinione recedere foret animus: non aliam lubentiùs amplectar, quàm alterutram ex illis Ægyptiis, quas tertio quartoque loco ex Clemente Alexandrino memoravimus. Movet me illud, quòd Ægyptii præ gentibus aliis temporum fuerint gnari, & illorum, quæ ad tempus natalitium pertinent, curiosi. Nec minùs compellit, quòd undique doctissimus Clemens ne mentionem quidem eorum faciat, qui vel VIII Kal. Decembris, vel VIII Idus Januar. natum esse Christum crederent: ut non immeritò suspicio oboriatur, tum temporis necdum obtinuisse eas opiniones in populo Christiano. Nam si vel Ecclesia Romana, vel vicina adeò Hierosolymitana, nunc Natalem Dominicum in Decembri, vel Januario, celebrâsset: puto, neque id fugisset doctissimum illum Alexandrinum presbyterum, auditorem Pantæni, qui Apostolorum discipulos potuit audisse: ut ipsa Ægyptiacæ sententiæ antiquitas non leviter eam commendet.

a Vices sacerdotales.

b Lib. 7. cap 3.

FINIS.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ANNIS JESU CHRISTI
DISSERTATIO SECUNDA;
QUÆ EST
DE TEMPORE DOMINICÆ PASSIONIS.

I.

Postquam de Iesu Christi anno, mense, die natali egimus: videndum de anno, mense, die mortuali. Atque omne hoc tempus tum demum verè tradi credidit Beda; si in eo hæc tria concurrant: quòd tum Tiberius Cæsar, ac Pontius Pilatus, adhuc vixerint: quòd tria jam paschata à baptismo peregerit Christus: quodque pascha postremum (σταυρώσιμον a vocant) inciderit in feriam VI.

a Sub quod in crucem actus.

IMò idem Beda hæc tria venditat pro dogmatis Ecclesiæ lib. de Tempor. Rat. cap. XLVII, his verbis: *Habet enim, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paullo plus, quam* XXXIII *annis, usque ad sua tempora Passionis vixisse; quia videlicet* XXX *annorum fuerat baptizatus; sicut Evangelista Lucas testatur: & tres semis annos post baptisma prædicaverit.* Et postea: *Nam quod Dominus* XV *Luna, feriâ sextâ, crucem adscenderit; & unâ Sabbathorum, id est, die Dominica, resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico.*

II.

Plerique his tribus pronuntiatis addidere notam quartam. Ita enim passionis annum assignandum judicant, ut ejus dies incidat in VIII *Kalend. Aprilis, sive* XXV *Martii diem.*

DE quo sic idem Beda: *Quod autem* VIII *Kal. Aprilis crucifixus,* VI *Kalendarum earundem die resurrexerit; multorum late Doctorum Ecclesiasticorum constat sententiâ vulgatum.*

III.

Ex quatuor istis tria nobis placent effata, quæcum antiquis retinuit Beda: unum est, in quo abimus ab eo, ubi ipse prior recessit ab antiquissimis: ne qui dicat, Christum à baptismo suo tria exegisse paschata; cùm de duobus tantùm solide adstrui possit è Scripturis; nec plura numerent complures è doctissimis veteris Ecclesiæ doctoribus; ut postea parebit. Sic igitur statuimus, passum esse Christum Tiberio imperante, Pilato procuratore Iudææ, duobus paschatis à baptismate expletis, XX *Aprilis, feriâ sextâ. Quæ omnia concurrunt in annum Christi trigesimumprimum; sive ex Dionysii, vel Bedæ potiùs computo, vigesimum nonum; Olympiadis* CCII *ann.* I; *annum Urbis Varronianum* ↀCCLXXXII; *Iulianum* LXXIV; *ab Augusti Triumviratu* LXXII; *annum Tiberii quinctumdecimum, C. Rubellio Gemino, & C. Fufio Gemino coss.*

CUm verò quinctumdecimum Tiberii annum dicimus, numeramus annos more Romano; non Judaico, uti fecit B. Lucas; qui hunc vocâsset annum Tiberii sextumdecimum. Quippe Judæi, uti & Antiocheni (Antiochenus autem B. Lucas fuit) incipiunt annum à mense septimo, puta Tisri: quodque eum mensem antecessit, præcedenti anno accenſent. At Tiberius imperare cœpit mense Augusto: nimirum XIV. Kal. Septembris. Id spatium pusillum, quod ante Tisri fuit, habetur pro primo Tiberii anno: ac alter ejusdem inchoat à mense Tisri: secundùm hunc canona, convenientissimè etiam à doctissimo Petito adductum, יוֹם אֶחָד בַּשָּׁנָה בְּסוֹף שָׁנָה חָשׁוּב שָׁנָה, *Dies unus in fine anni pro anno numeratur.* Si dies unus, quanto magis aliquam multi; ut hìc fit? Nulla igitur pugna est, cùm B. Lucas ait, Joannem cœpisse baptizare anno Tiberii XV: à quo tempore duo Christus celebravit Paschata: & tamen à nobis, uti & Theologis antiquis, dicitur mortuus anno Tiberii decimoquincto. Nam, secundùm canona Hebræum, Christus est baptizatus anno Tiberii quinctodecimo; passus anno decimosexto. At more Romano si numeres, baptizatus est anno quartodecimo; passus decimoquincto. Hunc scrupulum initio evelli opus fuit, ne audire cogeremur, quod proverbio dicitur, *cantherius in porta.* Nunc ordine ea, quæ superiùs in vero Passionis tempore requiri diximus, fusiùs diducemus, atque explicabimus.

IV.

Primum fuit, Christum esse crucifixum, mortuumque, sub Cæsare Tiberio, & Pontio Pilato, Judææ procuratore. Quæ satis liquent. Nam Christus est baptizatus ab Joanne anno Tiberii decimoquincto, secundùm stylum Judaicum: sive decimoquarto, secundùm Romanum, & Græcum. At Christus tantùm anno uno, & paucis mensibus, supervixit: Tiberius verò, septennio, & semestri. Pilatus in Procuratione Judææ successit Valerio Grato, anno Juliano LXII, *anno Urbis Varroniano* ↀCCC, *M. Licinio Crasso, & L. Calpurnio Pisone coss. Quemadmodum ex Flavio Iosepho a non obscurè colligitur. Atque idem ostendit, decennio hanc tenuisse dignitatem: nimirum ad mortem Tiberii. Anno enim Tiberii ultimo accusatus fuit à Iudæis; eoque à Vitellio, Syriæ præside, (is Pomponio Flacco successerat) Romam ire jussus est ad caussam dicendam. Interim moritur Tiberius: eique in imperio succedit C. Caligula. Qui Ma-*

a Lib. 18 Antiquit. cap 3. sive, secundum aliorum distinctionem c. 4.

Marullum suffecit Pilato. Hic verò (de Pilato loquor) multis pressus malis, quarto Caligula anno manus sibi attulit a. Ut non ex Euangelica modò historia; sed ex Josepho etiam, satis appareat, Tiberio imperante, Pilato Judæam procurante, Christum fuisse crucifixum.

a *Eusebius in Chronicis.*

QUod si Christus à baptismate ne quidem biennio toto, nedum septennio & ultra, superstes fuit: (in tantum sanè nemo veterum prædicationem Christi extendit:) liquet, aliud egisse B. Irenæum; dum rectè fatetur, Christum sub Pilato esse mortuum; & tamen tantopere Christi ætatem prorogat, ut ex ejus hypothesi, post Tiberium, ac Pilatum, vixisse sit necesse. Nam lib. II. cap. XXXIX, & XL, contendit, Christum non multùm ab anno abfuisse quinquagesimo; saltem quadragenario fuisse majorem. Atque id bifariam adstruere conatur. Posteriori quidem loco, ex his verbis Joannis Euang. cap. VIII, 56, & 57: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Unde sic colligit, si XXX annorum fuisset, dixissent, *nondum habes annos* XL. Nunc quia foret annorum XL, ajunt, *nondum habes annos* L. Quod telum quàm imbelle sit, quis non videt? Alterum argumentum præcedenti cap. his proponit verbis: *A quadragesimo, aut quinquagesimo, declinat jam ætas in seniorem: quam habens Dominus noster docebat: sicut Euangelium, & omnes seniores, testantur, qui in Asia apud Ioannem discipulum Domini convenerunt, id ipsum tradidisse eis Ioannem. Permansit autem cum eis usque ad Trajani tempora. Quidam autem eorum, non solum Ioannem; sed & alios Apostolos viderunt: & hæc eadem ab ipsis audierunt, & testantur de hujusmodi relatione.* Nempe Papiam designat, Aristionis, & Joannis presbyteri discipulum; hominem non malum; sed, ut ex Eusebio b scimus, pertenuis judicii; eoque albâ omnia lineâ signantem, quæ accepisset ab iis, qui cum Apostolis, vel discipulis Christi, conversati dicerentur. Nitebantur verò illi verbis Judæorum antea adductis. Quasi non & tricenario similiter dicere potuerint, *Nondum centenarius es.* Nam Abraham, ante quem se fuisse Christus ajebat, defunctus erat ante annos penè mille, & nongentos. Atque hoc Irenæi nævo valde se jactant antiquitatis (ut mollissimè dicam) parum amantes. Si, inquiunt, is, qui tantùm octoginta circiter annis scripsit post excessum omnium Apostolorum, traditionis nomine venditavit errorem tam spissum: quid fidei mereantur, qui pluribus post Irenæum seculis vixere? præsertim si cogitemus, Irenæi tempore etiamnum viguisse donum linguarum, ac prophetiæ, & revelationum, quod postea desierit. Sed enim, qui, captatâ inde occasione, traducunt, quicquid traditur ab veteri Ecclesia: næ illi parùm assequuntur, quid *traditionis* nomine intelligant intelligentiores. Nempe non quodcunque unus, & alter scriptor Ecclesiasticus, etiam repugnantibus cæteris, retulerunt: sed quod ab Apostolorum ævo per universas Ecclesias ab iis, vel discipulis eorum, fundatas, per omnia, vel saltem prima aliquot secula, constanter decurrit. Quale profectò non est hoc de provecta adeò ætate Christi. Nam quis veterum non contrarium docuit? Imò aliqui etiam id clarè improbant. Ut B. Augustinus lib. II de Doctrina Christiana cap. XXVIII: ubi eos, qui Christum annos ajunt XLVI vixisse, ignorantiâ historiæ ait deceptos.

b *Lib. 4 histor. Eccles. cap. 33.*

V.

Alterum, quod requiri in vero Christi anno mortuali dicebamus, est illud, ut mortuus sit, duobus solùm paschatis à baptismate expletis. Quorum priùs est istoc, quo ementes, & vendentes, ejecit è templo: alterum verò, quod σταυρώσιμον c dicitur. Nec sanè plura ab Euangelistis memorantur. Imò priùs à solo exprimitur Ioanne cap. II.

c *Sub quod cruci affixus.*

PLura tamen statuunt alii, ex eodem Joanne; sed incassum: quod ut liqueat, seriem locorum, quibus de festis mentio fiat, annotabimus.

Joan. II, 13: Καὶ ἐγγὺς ἦν τὸ Πάσχα τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ὁ Ἰησοῦς. Καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ πωλοῦντας βόας, καὶ πρόβατα &c. *Et in propinquo erat Pascha Judæorum, & adscendit Jesus Hierosolymam. Et reperit in templo eos, qui vendebant boves, & oves* &c. De hoc paschate, quo Jesus ejecit è templo venditores boum, ac similium, satis hinc manifestum. Ac idem Pascha signatur ejusce capitis vers. 23.

Alterius Paschatis, quasi quatuor mensium spatio distantis, meminisse ajunt Joannem cap. IV, 13. Ubi Christus inquit: Οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνός ἐστι, ὁ θερισμὸς ἔρχεται; *Nonne vos dicitis, Adhuc quatuor menses sunt, & messis veniet?* Ergo, juxta eos, à mense primo, in quo Pascha memoratur, travolet Euangelista ad mensem nonum: unde ad pascha, messisque initium, quatuor intercurrunt menses. Sed magis placet, (quod Maldonato etiam visum) hoc de quadrimestri spatio proverbium esse generis Judaicæ: atque istoc velle Jesum; Quod vos dicere soletis, Post quatuor menses erit messis, id spatium est jam expletum: ita albicant fruges passim per agros. Sed quod verum est de frugibus terræ, id magis existimandum vobis de messe spirituali: ad quam se mittere dicit Apostolos. Quamobrem non quatuor ante Pascha alterum mensibus; sed non multò post pascha superius, dicta sint.

Cap. V. I. est: Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα. *Posthæc erat dies festus Iudæorum, & adscendit Iesus Hierosolymam.* Hic festi vocem volunt καθ' ἐξοχὴν a accipi pro festo Paschatis. Sed si cap. II locutus est de festo Paschali, hic jam perventum ad festum Pentecostes: deque eo sine dubio loquitur, serie temporis hoc comprobante.

a *Per excellentiam.*

De loco cap. VI, 4, paullo pòst dicam.

Cap. VII. 2, habemus hæc verba: Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία· *Erat vero in propinquo Iudæicum Tabernaculorum festum.* Atque additur deinde, quæ in eo festo evenerint. Ut Pentecoste in mensem tertium; ita Tabernaculorum festum in septimum incidebat.

Cap. X. 22: Ἐγένετο δὲ τὰ Ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, καὶ χειμὼν ἦν· *Facta autem sunt Encænia Hierosolymis, & hyems erat.* Ita à mense septimo, *Tisri* dicto, pervenit ad mensem decimum, vocatum *Cislen*: in cujus XXV incidebant Ἐγκαίνια, à Juda Maccabæo instituta in memoriam consecrati iterum templi Hierosolymitani, quod Antiochus Epiphanes profanârat.

Proximum festum, quod memorat Euangelista, est Paschatis, in annum sequentem incidentis. De quo cap. XI. 35: Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων· *Instabat autem Pascha Iudæorum.* Et cap. XII, I: Ὁ οὖν Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα ἦλθεν εἰς Βηθανίαν· *Iesus ergo ante sex dies Pascha venit Bethaniam.*

Hoc esse τὸ σταυρώσιμον b, satis liquet. Ut jam viderimus, quomodo Pentecosten, Scenopegiam, & Encænia, ordine inter duo paschata interserat Euangelista. Unde consequatur, Christi πολιτείαν, sive prædicationis annos, nonnisi duo paschata complecti. Sed unus est Euangelistæ locus, qui percellere adeò validè videtur, ut penè periculum sit, ne navi nostræ frangat ratem. Est is Joan. VI, 4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ Πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. *Instabat autem Pascha, festus dies Iudæorum.* Ecce hic pascha interpositum inter pentecosten, & scenopegiam: ut minimùm trium annorum paschata memorari videantur: primi unà cum pentecoste: alterius cum scenopegia, & encæniis: ac tertii citra aliud festum, quia mors Christi cætera anni tertii festa præverterit.

b *Sub quod crucifixus est Christus.*

Sed utcunque hæc speciosa sit oratio: nihil tamen solidi tinnit. Nam si locutus esset Euangelista de medio aliquo paschate, non contentus foret dicere, pascha instare; sed aliqua, puto, subdidisset de iis, quæ in paschali eo festo evenissent: quomodo cap. VII priùs quidem

 dicit,

dicit, appropinquâsse scenopegiam; sed subjungit postea, quæ eo in festo contigerint. Hic nihil tale: quia advenisse medium festum non dicitur. Ut omnino, cùm Euangelista cap. VI ait, in propinquo fuisse festum Paschatis, non de medio quopiam Paschate loquatur: sed de postremo; cujus tanquam propinqui, etiam meminit cap. XI, 55, & cap. XII, 1. Sed enim horum dixeris locorum dispar est ratio, quàm illius apud Joan. VI: quia post illos cap. XI, & XII, non agitur de festo alio, quam paschate extremo: at verò post locum Joan. VI sequitur de festo scenopegiæ, & encæniorum: ut hoc festum paschatis postremum videatur vix posse intelligi, cùm post illud neque scenopegiæ, neque encæniis, interfuerit cum discipulis. Procedit argumentum, nisi sit ὕστερον πρότερον: quod existimat vir eximiæ doctrinæ Samuël Petitus. Sanè hujusmodi ὕστερα πρότερα sunt in Euangeliis compluria: neque ulli id meliùs sciunt, quàm qui in eorum Harmonia concinnanda, vel consideranda, aliquid temporis posuerunt. Sed quid multis? Hic planè sermonem esse de instanti paschate σταυρωσίμῳ, clarè elucebit Joannem cum Luca conferenti. Joannes ait cap. VI, appropinquante paschate Christum pavisse quinque millia hominum paucis panibus, & pisculis. At Lucas cap. IX narrat idem planè miraculum, & alia quædam ejusce temporis: ac deinde eopse capite vers. 51 subjungit. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ. *Factum est autem dum complerentur dies assumtionis ejus.* Quod quid aliud est, quàm in propinquo fuisse πάσχα σταυρώσιμον?

Quare nihil opus dicamus, Joannis VI. 4, scriptum priùs fuisse, Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων· *Instabat autem festum Judæorum*: ac sermonem fuisse de festo σκηνοπηγίας, de quo cap. VII: sed librarium, cùm id non attenderet, Πάσχα adscripsisse, atque id ex glossemate irrepsisse in contextum. Sanè sic nihil quidem fit ordinatius: quia se mutuò sic festa hæc consequentur: Pascha, Joannis cap. II: Pentecoste cap. V: approquinquatio Scenopegiæ cap. VI: Scenopegia ipsa cap. VII: Encænia cap. X: hinc instans Pascha posterius, cap. XI, ac deinceps. Et videri possint vetustissimi nomen Paschæ non legisse Joan. VI: quia unum annum, vel prætetea menses paucos, Christum ajunt prædicâsse. Sed nihil, ut dixi, recurrere est opus ad tam violentam loci ejus interpretationem: quando in Scripturis non pauca sunt ὕστερα πρότερα, & tale hìc quoque esse, ex Luca ostendimus.

VI.

Sequitur tertium κριτήριον, unde cognoscatur, verusne adferatur annus Dominicæ Passionis. Nam præterea exigunt, ut Pascha incidat in VIII Kal. Apr. Eam veterum fuisse opinionem, ait Beda.

IN veteribus istis est Tertullianus lib. contra Judæos cap. VIII: *Quæ passio hujus exterminii intra tempora LXX hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Consulibus Rubellio Gemino, & Fusio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die VIII Kalendarum Aprilium, die primâ azymorum, quo agnum ut occiderent ad vesperam, à Moyse fuerat præceptum.* Ac similiter Augustinus lib. IV de Trinit. cap. V, & Gregorius Turonensis lib. X, cap. ult. Adderem Martyrologium Romanum, Bedæ, Adonis, Usuardi; nisi codices variarent, aliterque olim scriptum fuisse, complurium judicium foret.

VII.

Nec tamen veteres omnes ita sensisse, agnoscit Beda; quando ipse excipit Theophilum, & Synodum Cæsariensem: ex cujus sententia traditus est Dominus A. D. XI Kal. Aprilis a. Verùm non tanti dissensus horum visus est Mariano Scoto, Sigeberto, atque aliis; ut & ipsi propterea de VIII Kal. Apr Beda adsentirent, atque istoc tempus haberent pro indicio veri anni Passionis.

a Epistola Synodica Theophili Cæsar. apud Bedam.

ETiam receptæ sententiæ vehementer est adversatus Alphonsus Tostatus: qui inter capita XXI Senis ad disputandum proposita, illud etiam retulit, Christum non esse mortuum XXV Martii, sed III Aprilis. Sed huic Tostati disputationi se opposuit Cardinalis Joannes de Turrecremata: qui Tostatum propterea reum egit, & peregit. Tum Tostatus scripsit opus, quod *Defensorium* inscripsit: cujus in parte II fusè disserit de anno, & die Passionis. Vide de hoc certamine Joan. Marianam, Societatis Jesu Theologum, lib. de anno & die mortis Christi cap. X.

VIII.

Quartum anni mortualis, rectè constituti, indicium habetur, si Pascha incidat in feriam sextam: quo tempore à Christo paschalem diem festum esse actum, nemo ambigit. Sed hic gravis incidit controversia, num eodem die Pascha celebrârit Christus, ac Judæi proceres.

DIversum diem statuit Paulus Burgensis in Matth. cap. XXVI: eodem autem die celebrâsse, contra eum operosè contendit Tostatus Abulensis Defensorii sui Parte II. Atque ex horunce fontibus juniores fere hortos suos irrigarunt: ut qui vix adserant, quod non apud duos illos legerint; vel eos, qui hos exscripserant.

IX.

Nos cum Burgensi planè putamus, alio die Pascha observâsse Christum; alio autem Pharisæos, Scribas, & eorum asseclas; illum vesperâ feria quinta, hoc est dies Jovis: hos vesperâ feria sexta, hoc est, dies Veneris. Ipso Paschate cum discipulis comedisse, docent tres priores Euangelistæ: pridie Paschatis edisse, docet Joannes.

VErba quatuor Euangelistarum, planè ἐναντιοφανῆ a, inferiùs apponam. Nunc duo solùm adferam, unde pareat, quod dicebamus. Priùs est, quòd ex Joanne Euangelista luce meridianâ clarius fit, Christum pridie Paschatis esse passum; Paschali die jacuisse in sepulchro; at postridie Paschatis resurrexisse. Alterum est, quòd Exodi cap. XII prohibeatur, nequid operis fiat festo Paschali, præter ea, quæ ad cibum pertinerent. At verò ex Lucæ cap. XXIII cognoscimus, etiam justos homines aliter egisse, quo die passus est Christus. Per justos illos designo, tum Nicodemum, & Josephum ab Arimathia; qui unguenta, & sindonem, eo die pretio sibi ad sepulturam comparavere Dominicam: tum mulieres Dominum secutas; quæ & ipsæ tum temporis sibi unguenta emerunt, postero autem die quieverunt. Pascha igitur Christus die observavit alio, quàm alii, etiam justi.

a Contraria quæ videantur.

X.

Unde profluxerit illa Paschalis festi diversitas, parum olim convenit inter Latinos, & Græcos. Quorum hi contendebant, Christum, edendo agnum Paschalem Lunâ XIII, uno die anticipâsse verum Paschatis tempus: illi contrà aiebant, Christum legitimo tempore, putà Lunâ XIV exeunte, ac ineunte XV, quando incipit prima azymorum, comedisse hunc agnum: sed Judæos tantopere sitiisse sanguinem, ac mortem Christi, ut propterea, contra Legem Mosaicam, differrent Pascha in diem proximum.

SAtis liquet hoc sententiarum discrimen ex scriptis amborum adversariis. Imò Libitinam hactenus effugit liber

a Lib. XIII de Doctr. Temp. cap. 15.

liber ineditus (habere se ait Dionysius Petavius a) sic inscriptus: Πέτρε ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας κ̀ μάρτυρος, ὅτι ἀπλανῶς ἔταξαν οἱ Ἑβραῖοι τὴν ιδ´ τοῦ α´ μηνὸς τῆς σελήνης· *Petri, Episcopi Alexandrini, & Martyris, de eo quòd Iudæi rectè statuerint decimamquartam diem primi mensis Lunaris.* Hoc opere contendit, Christum non comedisse legitimum agnum Paschalem: ac docere adlaborat, sic etiam sensisse Hippolytum Portuensem in opere contra hæreticos exarato: adhæc Apollinarem Hierapolitanum, ac Clementem Alexandrinum libro de Paschate; cujus etiam meminere Eusebius lib. VI hist. Eccles. cap. XIII, & B. Hieronymus in scriptoribus Ecclesiasticis. Imò & Photius in bibliotheca sua, cod. CXVI, auctor est nobis, ab anonymo esse posteris relictum, *De sacro Pascha festo volumen tertium, libris VIII*: inque eo referri, Christum aliàs quidem legitimo tempore celebrasse τὸ νόμιμον πάσχα, *legitimum Pascha*: καθ᾽ ὃ δὲ παρεδόθη, οὐκ ἔτι· *at non item, quo tempore proditus est.* Subjungit deinde: Καὶ σκοπεῖν χρή. ὁ γὰρ Χρυσόστομος, καὶ ἡ Ἐκκλησία, τότε φησὶν αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν, πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. *Quod considerationem meretur. Quippe Chrysostomus, & Ecclesia, ajunt, tum eum perfecisse legitimum Pascha, priusquam institueret cœnam mysticam.*

XI.

Sed Græcorum opinio facilè refellitur. Nam, præterquam quod nihil habet verisimile, Christum esse Legem transgressum, alio tempore festum diem agitando, quàm divinum fuerat præceptum: obtendimus iis trium Evangelistarum priorum loca: quæ clarè evincunt, Iesum legitimum tempus observâsse. Nam Matthæus ait XXVI, 17: Primâ die azymorum accesserunt discipuli. *Marcus XIV, 12:* Primo die azymorum, quando pascha immolabant. *Lucas XXII, 7:* Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat immolari Pascha.

Legas & apud eundem; instante festo azymorum, duos à Christo discipulos esse missos ad patremfamilias, ut significarent, velle Christum Pascha suum domi ejus agere. Unde colligimus, tum illud, non neglexisse Christum celebrationem Paschatis: tum hoc præterea, alios etiam fuisse, qui idem tempus observarent.

XII.

Nec majoris est laboris diluere sententiam Latinorum. A vero enim non abhorret, in tam ampla Urbe, & tanto undique populi confluxu, Iudæos, patriorum licet rituum adeò tenaces, ausos nihilominus esse, Pascha contra Legem in diem alterum rejicere. Tum autem adversantur huic sententiæ varia B. Ioannis loca. Ut caput XIII, ubi pedum à cœna lotionem contigisse ait ante diem festum Paschæ. *Et cap. XVIII:* Non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha. *Et cap. XIX:* Erat autem Parasceve Paschæ.

Quem locum, uti & priores, mirè torquet Toletus in cap. XIII Ioan. Vult enim παρασκευὴν τοῦ Πάσχα dici, non ratione Paschatis, sed Sabbathi. Ac similiter in idem caput Ribera: inque Annalibus Baronius. Quasi non longè aliâ præparatione fuerit opus ad Pascha; quàm ad sabbathum simplex. Sanè fuit quidem Sabbathi dies; sed magnus ille Sabbathi dies: ut propter Paschatis concursum vocatur Ioanni cap. XIX. 31: *Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbatho; erat enim magnus dies ille Sabbathi; rogaverunt Pilatum, &c.*

XIII.

Quare dicendum videtur, Christum, observâsse decimamquartam Lunam, ex lege Mosaicâ: primores Iudæos diem sequentem, ex lege Patrum, jam ab initio templi secundi obtinente. Ea lex, ut ajunt, hujusmodi fuit, ut, si Luna decimaquarta mensis Nisan incideret in feriam sextam, pascha rejiceretur in feriam septimam: idque quia tanto foret populo molestum, biduo continuo feriari; difficileque esset cadavera, & cocta olera, tertium in diem adservare.

Firmantur hæc è Seder Olam; ubi legas, exstructo templo secundo, à R. Eliezero, & æqualibus, esse constitutum, ne secundo, quarto, vel sexto die ageretur Pascha. Caussas istorum adfert Paulus Burgensis Additionibus ad Nicolaum de Lyra. Merebantur verba adscribi: sed jam id factum à multis: in iis à Iansenio Concordiæ Evangelicæ cap. CXXVIII.

XIV.

Sed hic modus conciliandi Evangelistas speciosior, quàm verior, videtur. Nec enim talis ratio ferias transferendi vel ante Christum obtinuit, vel pluribus etiam seculis post Christum. Sanè apud antiquos ejusmodi consuetudinis nec vola, nec vestigium, compâret. Sed legimus apud eos, quomodo Iudæi, ante receptos Cæsaris Fastos, observarint veros Lunæ motus, & Neomeniam attenderint ἀπὸ τῆς φάσεως, sive à visione ejus primâ: fastis verò iis ex Augusti mandato receptis, numerarint secundùm medios Lunæ motus, & sideris utriusque exitus. Quippe Iulius Cæsar æquinoctium, quod ante à Iudæis III Aprilis die statuebatur, fixerat in XXV die Martii. Quoties igitur decimaquarta Luna primi mensis præverteret æquinoctium, paschalem diem, non agebant festum: sed exspectabant, donec foret æquinoctium; ac post illud demum, hoc est, simulac Sol signum Arietis ingredi cœpisset, pascha comedebant. Christus proinde ex lege Mosaica observavit vesperam diei decimaquartæ Nisan: sed Iudæi proceres, quia tum necdum foret æquinoctium, distulere in diem proximum; ut ita, post æquinoctium, festum agitarent diem Paschatis; secundùm consuetudinem cœptam, ex quo annum more Romano computarent.

Hæc consuetudo è non uno etiam Flavii Iosephi loco liquet: qui clarè docet, paschalem diem debuisse incidere in vernum æquinoctium: sive primum Solis in Arietem ingressum. Etiam Anatolio hoc traditum, & Agathobulis duobus, præceptoribus eximiis Aristobuli, unius ex LXX Senioribus: ut est apud Eusebium lib. VII Hist. Eccles. cap. λϐ´. Verba apponam: Οὗτοι τὰ ζητούμενα κατὰ τὴν ἔξοδον ἐπιλύοντες, φασὶ δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ἐπίσης ἅπαντας μετὰ ἰσημερίαν ἐαρινὴν, μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός. Τοῦτο δὲ εὑρίσκεσθαι, τὸ πρῶτον τμῆμα τοῦ ἡλιακοῦ, ἢ ὥς τινες αὐτῶν ὠνόμασαν, ζωοφόρου κύκλου διεξιόντος ἡλίου. *Hi dum in eo sunt, ut Exodi quæstiones dissolvant, dicunt, omnes ex æquo debere pascha immolare post æquinoctium vernum, medio primo mense. Hoc verò reperiri, ubi Sol primum segmentum circuli Solaris, sive, ut alii vocant, signiferi, vel zodiaci, permeat.*

Ac Christianos quoque in hoc imitatos esse Iudæorum consuetudinem, docet nos Epiphanius hæresi LXX, quæ est Audianorum a: Οὐκ δύναται (τὸ Πάσχα) ἀχθῆναι, εἰ μὴ παρεληλυθῇ ἰσημερία. *Neque potest Pascha celebrari, nisi jam præcesserit æquinoctium.* Ac postea b rationem hanc addit: Πρὸ γὰρ ἰσημερίας οὐ πληρωθήσεται τὸ ἴσον, ὅτι

a P. 813. edit. Paris. anno 1623.
b P. 814.

ὅτι πληροῦται τοῦ κύκλου τοῦ δρόμου, ἐκ Θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις τεταγμένου, ὁ ἐνιαυτός, ἐὰν μὴ παρέλθῃ ἰσημερία. *Quippe ante æquinoctium annus necdum est impletus: neque peractus annus circularis cursus hominibus a Deo præfiniti, nisi præterierit æquinoctium.* Et mox a: Ὁ Θεὸς καθιέρωσε τῇ Ἐκκλησίᾳ τὸ ἀκρίβασμα τῆς ἀληθείας τοῦ πανσεβάσμου ταύτης ἑορτῆς καὶ πανηγυρίας, μετὰ ἰσημερίαν μὲν ποιεῖσθαι, ὅτε ὑποπίπτει ἡ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης κατὰ τῆς σελήνης ἡμέρας ψῆφος· οὐχ ἵνα ἐν αὐτῇ τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἐπιτελέσωμεν. *Deus tradidit Ecclesiæ accuratissimam religiosissimi ac sacratissimi illius festi celebrandi rationem, ut post æquinoctium fiat, quoties inciderit in Lunam decimamquartam; non autem peragatur in ipsa quartadecimâ Lunâ.* Idem dixerat hæresi Tessarescædecatitarum, quæ est numero L: Κέχρηται οὐ μόνον (Ἐκκλησία) τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῆς Σελήνης, ἀλλὰ καὶ τῷ δρόμῳ τοῦ ἡλίου. *Ecclesia non solùm attendit Lunæ diem* XIV, *sed etiam cursum Solis.* Et mox: Διὸ παρατηρούμεθα μὲν τεσσαρεσκαιδεκάτην· ὑπερβαινόμεθα ἢ τὴν ἰσημερίαν. *Sic observamus diem quartamdecimam, ut prætergrediamur æquinoctium.* Unde verò hæc Iudæis, & Christianis, consuetudo cœperit, planius fiet ex iis, quæ de Octaëteride Iudæorum posteriorum mox referam.

a Ibid.

X V.

Ex iis, quæ proximè diximus, mirè elucet providentia divina; quod cùm alio die Christus, alio proceres Iudæi, Pascha celebrarent: ita factum sit, ut quo die typicus agnus erat mactandus ex Lege Mosaica, verus agnus oblatus fuerit à Iudæis, atque ita veritas typo optimè responderit.

QUod minimè evenisset, nisi eo anno duplex fuisset Pascha; unum ex Lege Mosis, alterum ex observatione Judæorum. Atque hæc ita manifesta esse arbitror, ut nihil necesse sit, majori eâ luce circumvestire.

X VI.

Utramque verò hanc notam, & tertiam, inquam, & quartam, concurrere in anno Christi XXXI, *sive Iuliano* LXXIV, *Tiberii* XV, *elucet ex octaëteride; unde optimè omnis pene hæc controversia deciditur.*

PEriodus enim, quâ utebantur Iudæi; non tam erat Calippica Seleucidarum, sive Syromacedonum; in qua quartusdecimus mensis Nisan aliquando anticipat æquinoctium vernum: quàm ὀκταετηρὶς a, quæ duo comprehendebat lustra Iuliana. Cleostrati Tenedii inventum facit Censorinus. Eruditè de ea, ut alii, Geminus. In hac fiebant trium mensium ἐμβολισμοὶ b; ut docuit Iulius Africanus, & ex eo tum Eusebius lib. VIII Demonstrat. Euangelicæ, tum B. Hieronymus in cap. IX Dan. Consulatur præterea Epiphanius hæresi LXX, quæ est Audianorum: è junioribus, inter alios, ad Epiphanium Dionysius Petavius; quique omnium, meo judicio, accuratissimè de ea egit, Samuel Petitus in Eclogis Chronologicis. Isti verò trium mensium ἐμβολισμοὶ fiebant ante Augustum Cæsarem partim secundo, partim quarto, partim septimo ὀκταετηρίδος c anno: idque quia his octaëteridos annis, dies sextusdecimus mensis Nisan incideret in III Non. Aprilis sive æquinoctium vernum; vel id tempus, quo, licet jam anticipâsset æquinoctium, tamen ab antiquo illud esse crederetur. Causa erat istius intercalationis, quòd ante hoc tempus Iudæis pascha celebrare religio erat: quamquam de die quidem præfinivisset Moses, de Æquinoctio autem attendendum nihil addidisset. Ac hujusmodi quidem videtur ratio fuisse octaeteridos Iudaicæ usque ad annum Iulianum nonum; quo Hierosolyma ceperunt C. Sosius, & Herodes. Hinc recepere Iudæi formam anni Iuliani: in quo, ex Sosigenis sententia, æquinoctii verni sedes est statuta A. D. VIII Kal. April. sive quincto, & vigesimo Martii die. Quare in octaëteride suâ diversam inire intercalandi rationem necesse duxerunt: cumque antea ter mensem incalarent, ne decimusquartus Nisan incideret in æquinoctium vernum, quod III Aprilis esse credebatur: deinceps ter mensem Adar intercalarunt, ne decimusquartus Nisan incideret in idem æquinoctium; cujus sedes foret in vigesimo quincto Martii die. En utriusque Octaëteridos diagramma, prout præiit clarissimus Petitus. Prioris hujusmodi est:

a Periodus octennem orbem recurrens.
b Intercalationes.
c Octenni.

ANNI Periodi	QUAL.	NEOMENIA. Nisan.	LITERA Dominic.	DIES Ann.
I.		II April.	E. D.	354.
II.	Embolim.	XXII Martij.	C.	384.
III.		X Aprilis.	B.	354.
IV.	Embolim.	XXX Martij.	A.	384.
V.		XVII Aprilis.	G. F.	354.
VI.		VI Aprilis.	E.	354.
VII.	Embolim.	XXVI Martij.	D.	384.
VIII.		XIV Aprilis.	C.	354.

DIAGRAMMA OCTAETERIDOS POSTERIORIS.

ANNI Periodi	QUAL.	NEOMENIA. Nisan.	LITERA Dominic.	DIES Ann.
I.		VI Aprilis.	E.	354.
II.		XXVI Martij.	D.	354.
III.	Embolim.	XV Martij.	C.	384.
IV.		II Aprilis.	B. A.	354.
V.		XXII Martij.	G.	354.
VI.	Embolim.	XI Martij.	F.	384.
VII.		XXX Martij.	E.	354.
VIII.	Embolim.	XVIII Martij.	D C.	384.

Nec Iudæi solùm, sed etiam Christiani veteres, ad expediendum Paschale negotium usi sunt octoëteride, seu simplici, seu geminâ; quam *Heccadecaëterida* dixere. Hoc inter alios liquet ex Epiphanio in hæresi Audianorum & Sozomeno lib. VII, cap. XVIII. Octaëteridos canones tradidit Dionysius Alexandrinus: Heccædecaëteridos, Hippolytus episco-

episcopus. Quæ postea, enneaderidis usu perspecto, ferè obsoleverunt. Etsi & Bedæ ætate aliquibus, sed minoris nominis, in usu fuere: ut ipse docet lib. de Temporum Ratione cap. XLIV.

Nunc hæc ad præsens institutum accommodemus, ac propriè ad eorum opinionem, qui Christum anno ætatis primo ac trigesimo, sive secundùm vulgarem Bedæ, & Computistarum æram (Dionysianam nuncupant) annum undetrigesimum. Ad XXIX, secundùm canonem Arithmeticum, μονάδα *a* addamus, ut XXX consiant: hunc numerum per octo dispescamus: supersit sextus Octaeteridis Iudaicæ. Atqui è superiori diagrammate videre fuit, neomeniam Nisan in sexto octaeteridis anno incidisse in A. D. III Id. Mart. sive XI diem Martij. Proinde decimusquartus dies Nisan fit IX Kal. Apr. sive XXIV Martij, feriâ quinctâ. Cujus vespere Christus cum discipulis pascha comedit, ac præterea Eucharistiæ instituit sacramentum. At passus die sequenti, putà XXV Martii: cujus vespere Iudæorum alij, imprimis proceres, pascha ederunt. Quippe, ex eorum sententia (ut post Eusebium, de quo ad Thesin XIV vidimus, Epiphanius in LXX, sive Audianorum hæresi ait *b*) Οὐ δυνατὸν τὸ Πάσχα ἀχθῆναι, ἐὰν μὴ ὑπερβῆ ἰσημερία. *Celebrari Pascha nequit, nisi, præterierit æquinoctium.* Inque eo secutus est Anatolium; uti ille Aristobulum, & Agathobulos duos; quorum hoc erat dogma: Τὴν δὲ Πάσχα, καὶ τῶν Ἀζύμων ἑορτὴν, δεῖν πάντως μεθ' ἰσημερίαν ἄγεσθαι. *Paschatis, & azymorum festum, planè post æquinoctium agi oportere.*

a *Unitatem.*

b Pag. 823. *edit. Paris.*

XVII.

Quæ hactenus de tempore Passionis Dominicæ diximus, ea etiam firmantur auctoritate veterum Ecclesiæ doctorum; ac eorum quidem, qui & temporibus Christi fuere propiores, & omnigenâ doctrinâ, temporumque etiam notitiâ, præ aliis celebrantur.

QUalis Clemens Alexandrinus: qui lib. I Στρωματέων *c* refert, Iesum quindecim annos vixisse sub Augusto, ac totidem sub Tiberio: in universum esse XXX; quorum postremo & prædicârit, & passus sit. Atque ad hoc, quòd uno anno prædicârit, refert istoc Prophetæ *d*, & Euangelii *e*: *Annum acceptum Domino misit prædicare me.* Intellige verò annum, & menses paucos; quod tempus potuerit duo paschata complecti, tria non item.

c Pag. 249. *edit. Commelin. an.* 1616.

d *Isa.* 61. 2.

e *Luc.* 4. 19.

Similiter Tertullianus lib. contra Iudæos cap. VIII: *Quincto decimo* (Tiberii Cæsaris) *anno passus est Christus, annos habens quasi* XXX, *cùm pateretur.* Quæ ex Tertulliano similiter adducit B. Hieronymus in Danielem cap. IX *f*. Ut Iulianum Pomerium Toletanum, atque alios, taceam. Eandemque Tertulliano opinionem tribuit Eusebius Cæsariensis. Ut planè audiendus non sit auctor Glossæ Ordinariæ; quando sic adducit Tertulliani verba, quasi antiquus ille Theologus senserit, quod receptæ erat opinionis, cùm Glossæ scriptor viveret. Nam refert verba truncatis illis, *cùm pateretur*, &, pro *passus est*, reponit, *baptizatus est.*

f Pag. 594. *col.* 2. *edit. Froben. a.* 1553.

Eodem Tertulliani capite alter etiam locus est, his verbis: *Quæ passio hujus exterminis intra tempora* LXX *hebdomadum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino, & Fusio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die* VIII *Kal. Aprilium; die primâ azymorum, quo agnum ut occiderent, à Mose fuerat præceptum.* Quodque de VIII Kal. April. dicitur id consonum etiam Actis Pilati ad Tiberium de Christo transmissis: si verè ea habuere Tessares-cædecaritæ. Epiphanii quidem de istoc verba sunt hujuscemodi, hæresi L *g*: Ἀπὸ τῶν Ἀκτῶν δῆθεν Πιλάτου αὐχοῦσι τὴν ἀκρίβειαν εὑρηκέναι, ἐν οἷς ἐμφέρεται, τῇ πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν Ἀπριλλίων τὸν Σωτῆρα πεπονθέναι. *Ex Actis Pilati gloriantur se accuratam istius rationem reperisse: ut in quibus referatur, Salvatorem esse passum* VIII *Kal. April.* Addit, se vidisse Acta Pilati alia, in quibus passio Christi referatur ad XV Kal. April. Ut mirer, Iosephum Scaligerum ob illa ex Actis Pilati priùs relata, Epiphanium culpare. Sic enim scribit in secundo De Emendatione temporum, cap. de cyclo Iudæorum Karraim *a*: *Porrò perperam scribit Epiphanius,* τεσσαρεσκαιδεκατίτας *gloriari solitos, se compertum habere ex Actis Pilati, Christum passum fuisse* VIII *Kal. Aprilis; cujus opinionis fuit Augustinus. Sed qui hoc potuit? cùm neomenia Nisan incidat in* XII *Martii, quoties* XXV *Martii est* XIV *Nisan.* Sanè non hoc perperàm Epiphanius de gloriatione eorum scribit: seu verè, seu falsò illi de Pilati Actis fuerint gloriati. Siquid hic erroneum, Quartadecimanorum, non Epiphanii, fuerit culpa. Quid quòd VIII Kal. April. etiam Cappadoces Christum credidere passum? ut ibidem Epiphanius subjungit. Imò & Hispani, Galli, Britanni, hanc opinionem fuere secuti olim: quâ de re jam ante Sigebertum, & alios, Beda lib. II Hist. Eccles. cap. III, & lib. V, cap. XVI. Quodque non satis Scaliger attendit, firmatur ea opinio Octaëteride; quæ Iudæis in usu tunc erat. Sed jam à Tertulliano ad alios longiùs me digressum sentio.

g Pag. 410. *edit. Paris. a.* 1622.

a P. 141. *edit. Raphelng.*

Venio igitur ad Origenem; qui, quâ ætate claruit Tertullianus, florere & ipse, Severi puta temporibus, cœpit, & ultra Decii tempora pertigit. Ejus est lib. IV περὶ ἀρχῶν cap. I: *Anno, & aliquot mensibus, docuit.* Ubi ultra annum id spatium signat, quod est usque ad Pascha σωτήριον *b*.

b *Quod sub crucifixionem Christi contigit.*

Iulii quoque Africani hæc verba sunt apud B. Hieronymum in cap. IX Danielis *c*: *Atque exinde usque ad annum quinctumdecimum Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni sexaginta.* Hoc ipsum claré traditum Lactantio Firmiano lib. IV, cap. X. Atque idem addit, crucifixum duobus Geminis coss. X Kal. April. Etiam passum XV Tiberii, Geminis coss. legas apud Augustinum lib. XVIII de Civit. Dei cap. ult. & lib. IV de Trinitate cap. V; item Sulpicium Severum lib. II Hist. Sacræ. Adhæc Prosper Aquitanicus lib. I de Prædict. cap. VII, anno trigesimo statuit crucifixum. Etiam colligere hoc est eorum ex opinione, qui XLII annos computant à morte Christi, usque ad Hierosolymæ excidium. Inque his est Origenes lib. IV κατὰ Κέλσου ἀληθοῦς λόγου *d*: (sic opus illud aureum, nec facilè unquam satis laudandum, in nonnullis inscribitur libris *e*) Τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη καὶ δύο, οἶμαι, ἀφ' οὗ ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν γεγόνασι ἐπὶ τὴν Ἱεροσολύμων καθαίρεσιν. *Nam quadraginta duo anni, ut reor, intercesserunt inter Iesu Christi crucem, & deleta Hierosolyma.*

c P. 593. *col.* 2. *edit. Froben. a.* 1553.

d *Viri adversus Celsum sermonis.*

e P. 180. *edit. Hæschelianæ sive Augustana.*

XVIII.

Hæc de opinione eâ, quam maximè probem. A qua si recedere sit animus, ad nullam potiùs delabar, quàm illam, biennium & paucos menses durâsse πολιτείαν f Christi: quod à veritate proximè recedit, & veterum multorum nititur auctoritate.

f *Susceptì muneris administrationem.*

VOluit hoc B. Hieronymus in cap. IX *g* Danielis, ubi legas: *Iuxta Ioannem Euangelistam per tria paschata duos postea implevit annos.* Sic tria complerit Paschata; atque id Pascha, de quo Ioannes cap. VI, habendum sit diversum ab illo, quod σωτήριον *h* dicitur. Facileque huic subscribent sententiæ, quibus durius videtur, quod de ὑστέρῳ πρότερῳ *i* in cap. VI admisso, superiùs dicebamus. Etiam ante Hieronymum similiter Epiphanius hæresi LI, quæ est Alogorum: ubi Dominum, quem natum statuit VI Ianuarii, vixisse *k* ait annos XXXII, & dies LXXIV: quot nempe dies à natali ad Pascha excurrunt. Ibidem refert, sub duobus Geminis baptizatum; iis successisse Rufum, ac Rubellionem; his Vinicium, ac Longinum; ac sub illis passum

g P. 594. *col.* 2. *edit. Froben. a.* 1553.

h *Crucifixionis.*

i *Inverso dicendi ordine.*

k P. 450. *edit. Paris.*

a P. 446. sum esse Christum. Inde subdit *a*: Καὶ ἐλήλεγκται τούτων ἡ πλάνη, διελεγχομένης σαφῶς τῆς κατὰ τὴν ἀλήθειαν διδασκαλίας, ὡς οὐ μόνον δύο χρόνων φέρεσθαι πασχῶν ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις ἐμφέρεται, ἀλλὰ καὶ τριῶν· *Hinc eorum arguitur error, clareque invenitur veritatis doctrina, non duo solum Paschata in Scripturis referri, sed tria.*
b P. 452. Et aliquanto pòst *b*: Δύο πάσχατα μὲν μετὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ κηρύγματος ὁ Σωτὴρ ποιεῖται, καὶ τῷ τρίτῳ πάσχει· *Duo paschata post prædicationis exordium celebrata sunt à Servatore; tertio deinde est passus.* Sed & lib. I hæ-
c Pag 48 edit. Paris. an. 1622. resi xx *c* narrat, Christum prædicâsse annum unum, nullo contradicente, seu Iudæo, seu Samaritano, seu Gentili: alterum, obtrectantibus multis: tertio autem passum esse. Idem legas hæresi LI, quæ est Alogo-
d P. 450. rum *d*. Eusebii eadem mens fuit. Sed hanc si sententiam tueamur, non incidet Pascha in feriam sextam; sive Octaëridem Iudaicam, sive periodum Calippicam attendas. Nec aliter huic occurrere difficultati liceat, quàm si dicas cum Epiphanio, Iudæos eo tempore vitiosâ usos computatione fuisse. Sed faciliùs isti subscripsero, si dieculæ error foret: nunc, qui, ejus sunt sententiæ, triduo, vel pluribus erratum esse diebus, agnoscunt ipsi. Credo, sacerdotes Iudaicos non ita fuisse ignaros cursus Solaris, & Lunaris: adhæc saltem Iudæi, qui Babylone, vel Alexandriæ egerent, tam spissi Hierosolymitanos commonuissent erroris; nec hi, ut puto, corrigere neglexissent.

XIX.

Non desunt tamen, qui toto ajunt triennio prædicâsse,
e Christi crucifixi. *& sis mensibus, qui ulteriùs ad pascha σωτήριον e accessere. Itaque inter pascha, de quo unus agit Ioannes cap II, & illud σωτήριον, de quo Evangelistæ loquuntur universi, non solum interponunt illud, de quo, ex eorum sententia, Ioannes VI; sed alterum etiam, de quo Ioannes V.*

DE triennio quidem nituntur auctoritate B. Ignatii epist. ad Trallianos, ubi disputans adversus eos, qui
f Opinione hominum. non verè, sed δοκητῶς *f* solùm, à Christo omnia peracta dicerent, transactis annis triginta toto ait prædicâsse triennio. Verba ejus sunt: Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος, ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου ἀληθῶς, καὶ οὐ δοκήσει. καὶ τρεῖς ἐνιαυτοὺς κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον, καὶ ποιήσας σημεῖα, καὶ τέρατα, ἐσταυρώθη ἀληθῶς, οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, οὐκ ἀπάτῃ. *Ac tribus decenniis inter homines versatus, à Ioanne est verè baptizatus, non verò opinione hominum duntaxat. Cumque triennium prædicâsset Evangelium, & signa, ac prodigia fecisset; crucifixus est verè, non opinione, non imaginatione solâ, vel imposturâ.* Nec tamen triennium solum intellexit Ignatius, si voluit, Christum esse baptizatum VIII Id. Ian. Nam cùm ex Scripturis liqueat, passum esse postridie, quàm Pascha celebrâsset; omnino ad triennium addi oportet menses eos, qui ab anni initio usque ad pascha intercedunt. Ita paschata à baptismo quatuor fuerint: ac præter σωτήριον, & illud Ioannis cap. II, atque istoc Ioan. VI; etiam pro paschate haberi debeat festum illud, de quo agitur Ioannis V. Eamque sententiam amplexus est ex antiquis B. Irenæus lib. II adversus hæreses cap. XXIX. Verba accipe: *Posthac iterum secundâ vice adscendit ad diem festum Pascha in Ierusalem; quando paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat triginta octo annos, curavit.* Rupertus Tuitiensis similiter ad memoratum Ioannis locum: *Hic Evangelista Paschale festum*
g In Concordia Evangel. *non aperte exprimit, dum dicit indefinite, Erat dies festus Iudæorum, & adscendit Iesus Ierosolymam: sed ex superioribus festum Paschale fuisse, colligitur.* Hanc
h Ad an. 31. etiam opinionem sequuntur Tostatus secundâ parte De-
i Ad eundem annum. fensorii, Paulus Middelburgensis in sua Paulina, Mariana in Diario vitæ Christi, Salmero Prolegomeno XXXIX: item Toletus, Iansenius *g*, Baronius *h*, Salianus *i*, ac tot alii. Nec dubitandum, quin ante hos idem voluerint Fasti Siculi, sive potiùs Chronicon Alexandrinum. Nam cùm quartum ei statuatur τὸ σωτήριον; tertium, de quo Ioannis VI, omnino ei primum illud fuerit, de quo Ioan. cap. II; secundum, de quo Ioannis cap. V. Sed superiùs diximus, potiùs fuisse festum Pentecostes: verisimiliùs sanè, quàm id Encæniorum fuisse, aliqui putant: in his Cajetanus in Ioan. cap. V, & Melchior Canus Locorum Commun. lib. X, cap. V.

XX.

Imò neque desunt, qui quinque putent paschata à baptismo ad mortem intercedere: postremumque fuisse anno Tiberii undevigesimo. Hi eo se tuentur, quòd tum in feriam sextam Pascha inciderit. Quippe, inquiunt, anno Tiberii XVI Iuliano, Pascha incurrit in diem VIII Apr. feriam VII. Anno Tiberii XVII incidit in XXVII Martii, fer. III. Anno Tiberii XVIII, in XV April. feriam III. At anno Tiberii XIX plenilunium erat feria VI: indeque pascha ex consuetudine à Judæis rejectum est in feriam VII: quod examussim respondet Evangelistis; qui docent, Christum quidem feria VI, sed proceres Iudæorum feria VII, Pascha suum celebrasse.

VIde de his fusiùs disserentem Sethum Calvisium, Isagoges Chronologicæ cap. ult. Et majoris hæc momenti forent, nisi Iudæi non tam periodum Calippicam attendissent, quàm octaeteridem; ut diximus.

XXI.

Alii, sed Græci, utuntur hoc argumento, quòd, quâ die est natus, eâdem à Magis est visitatus; quâ visitatus ab his, eâdem baptizatus; quâ baptizatus, eadem primum fecit miraculum in Cana Galilææ.

SAnè Græci VIII Idus Ian. natum putant: ac in eundem diem, primum referunt miraculum. Epiphanius hæresi Alogorum, quæ est LI *a*: Ἐν αὐτῇ γὰρ διερχομένῃ τῇ ἡμέρᾳ τῆς αὐτοῦ κατὰ σάρκα γεννήσεως πεποιηκὼς a P. 439. edit. Paris.
τὸ πρῶτον πάλιν σημεῖον τοῦ ὕδατος εἰς οἶνον, ἐν τῷ πληρῶσαι αὐτὸν τριάκοντα ἔτη. *Siquidem eâpse die, qua natus fuerat secundum carnem, comperitur primum fecisse miraculum, aquam convertendo in vinum, cum jam complesset annos* XXX. Atque idem postea etiam repetit *b*. b P. 45[illegible]

XXII.

Eodem autem modo hinc plura adstruunt paschata, ac Latinorum illi, qui, de solo natali dissentientes, idem de cæteris colligunt è ritu Ecclesiæ Romanæ: in qua chorus VIII Idus Ian. sic canit: Tribus miraculis ornatum sanctum diem colimus: hodie stella Magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit. *Hic ajunt tria enumerari, quæ eodem die sint annis facta diversis. Nam, inquiunt, unus alius fuit annus, quo Magi Christum adorarunt adhuc in præsepi constitutum: alius, quo baptizatus à Ioanne, & vox Patris è cælis est audita de Filio dilecto: ita & est alius, quo primum fecit miraculum in nuptiis Cana Galilææ. Quomodo annus intercurrerit inter baptismum in Iordane, & miraculum in Cana: qui annus cum paschate caruisse non possit; consequitur, & pascha aliquod à baptismate ante miraculum illud antecessisse; cujus non meminerit Ioannes.*

ATque hoc pascha agnoscunt Alcuinus de Ecclesiasticis Offic. cap. de Baptismo Domini, Rupertus Tuitiensis

sis in Ioa. cap. IV, & lib. III de Div. Offic. cap. XXIV, Bernardus serm. I de Epiphania, Petrus Trecensis Scholast. Hist. cap. XXXVII, Vincentius Bellovac. lib. VII cap. VII, Thomas Aquinas in Ioa. cap. II lect. I, Ludolphus Saxo de vita Christi, Simon de Cassia lib. de gestis Domini Salvatoris, Antoninus III Part. Tit. V cap. I: ut mittam Cajetanum, Melchiorem Canum, Sigonium, Genebrardum, Suarium *a*, Marianam *b*, Barradium *c*, Salianum *d*, cæterosque.

a *Disput.* 30. *sect.* 3. & *disp.* 4. *sect.* 1
b *Opusc. de die mortis Christi.*
c *Tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1.
d *Ad. an. Dom.* 29.

XXIII.

Sed argumentum, quo omnes isti nituntur, valde est infirmum. Neque enim veteres eò horum trium memoriam (quem ritum esse valde antiquum, agnoscimus) eodem celebrarunt die, quòd uno illa die peracta esse, existimarent: sed quia omnia ἐπιφανείας, *sive* apparitionis *nomine aptè satis comprehenderentur. Nam & majestas Christi apparuit ex Magorum adoratione, & ex voce cælitus auditâ, cum in Iordane baptizaretur, & ex miraculo primo in Cana Galilaæ facto. Unum ex tribus* VIII *Idus Ian. credebant evenisse: sed fatebantur, quod illud potissimum foret, se ignorare.*

AUdiamus B. Augustinum Serm. XXVII de Temp. *Licet de solemnitate hujus diei veterum diversa sit traditio; una tamen sancta devotionis est fides. Nam quamvis nonnulli Dominum nostrum, stellâ duce, à Magis existiment adoratum; alii asserant aquam in vinum mutâsse; quidam verò à Ioanne baptizatum esse confirment: in omnibus tamen Dei filius creditur, in omnibus festivitas est vera.* Et ejusdem ætatis scriptor Maximus Taurinensis, serm. de Epiphania: *In hac, dilectissimi, celebritate, sicut relatu paterna traditionis instruimur, multiplici est festivitate lætandum. Ferunt enim Christum hodie, vel stellâ duce à Gentibus adoratum; vel invitatum ad nuptias, aquam vertisse in vinum; vel, suscepto a Ioanne baptismate, Iordanis fluenta consecrâsse. Sed, quid potissimum hoc factum sit die, noverit, qui fecit.* Dubitâsse etiam videmus S. Paullinum in Natali S. Felicis, Eucherium Lugdunensem, (qui perperam dicitur Eusebius Emisenus) hom. de Epiphaniâ, & Isidorum de Offic. Eccles. cap. XXVI.

XXIV.

Sunt & alia, quæ obstare utrique huic sententiæ videantur; & illi inquam, quâ paschata quatuor à baptismo statuuntur, ac mortuus creditur Christus anno æra vulgaris XXXI, *sive Iuliano* LXXVI, *Tiberii* XVIII; *& alteri, quâ pascha celebrâsse quinquies, ac mortuus demum putatur anno æra vulgaris* XXXII, *Iuliano* LXXVII, *Tiberii* XIX. *In iis est istoc, quòd ante hoc tempus interfectus sit Ælius Seianus: quem post mortem Christi vixisse, non possumus negare; si is, ut à veteribus proditum fuit, Tiberio restiterit, Actis Pilati de Christi miraculis, ac resurrectione, edocto; ac propterea hoc agenti in Senatu, ut Christus in Deorum numerum referretur.*

NArrat historiam Orosius lib. VII cap. IV: *At postquam passus est Dominus Christus, atque à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum dimisit: Pilatus, Præses Palastinæ provinciæ, ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum, retulit de Passione, & Resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus; quæ, vel per ipsum palam facta fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine ejus fiebant; & de eo, quòd, certatim crescente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus, indignatione motus, cur non sibi prius, secundum morem, delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret; consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse Urbe Christianos: præcipuè cum & Seianus, Præfectus Tiberii, suscipiendæ religioni obstinatissimè contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est.* Occisus verò Seianus in consulatu suo, quem cum Tiberio gerebat, anno æræ vulgaris XXXI, Iuliano LXXVI, Tiberii XVIII; ut cognoscere est ex Dionis lib. LVIII. Atque idem ostendit marmorea tabula, quâ Interamnates, anno sequenti, gratulati sunt Tiberio de cæde Seiani. Ejus lapidis, qui in Umbria est Interamnæ, in basilica Episcopali, inscriptio est ejusmodi *a*:

a *Inscriptionum Gruterianarum pag.* 113. *num.* 2. *ex Smetio.*

SALUTI PERPETUÆ AUGUSTÆ LIBERTATIQUE PUBLICÆ POPULI ROMANI
GENIO MUNICIPI ANNO POST INTERAMNAM CONDITAM DCCIIII AD CN. DOMITIUM AHENOBARBUM -----
-------------- COS
PROVIDENTIÆ TI. CÆSARIS AUGUSTI NATI AD ÆTERNITATEM
ROMANI NOMINIS SUBLATO HOSTE PERNICIOSISSIMO P. R.
FAUSTUS TITIUS LIBERALIS VI. VIR. AUG. ITER
a P. S. F. C.

ERasum nomen alterius consulis. Qui non est A. Vitellius, quod Scaligero scriptum in secundo de Emendatione Temporum, cap. de Primis Palilibus Urbis *b*. Is enim in honore isto est mortuus; ut, cur nomen eraderetur, nihil fuerit caussæ. Sed est ille, qui ei suffectus, M. Furius Camillus Scribonianus. Hic enim novennio pòst Dalmatiæ præfectus, Annei Vinciani hortatu à Cæsare Claudio defecit, ac legiones in suum jurare nomen compulit: eoque hostis judicatus, à suis verò desertus, in Issam se insulam recipiens, voluntariâ morte obiit: ut ex Tranquillo, & Dione, cognoscimus. Hujus propterea nomen eradi meruit. Ut ad priorem annum redeam, consulatum Seianus non ultra Idus Majas gessit. Nam exinde in locum Tiberii, & Seiani, suffecti fuere C. Memmius Regulus, & Fulcinius Trio: ut ab eodem Dione traditum fuit. Id dicebamus contigisse anno æræ vulgaris XXXI: ut, si fortè eo anno, quod vix videtur, saltem non anno ejus æræ XXXII, aut XXXIII, Tiberio se, de Christo referenti, opposuisse in Senatu possit. Nimium tamen in hoc argumento ponere fiduciæ nolim: quando primus, qui hoc de Tiberio narret, (ex iis saltem, quos nunc habemus) Tertullianus est Apologetici cap. V. Proximus est Eusebius, qui nec ipse aliquid de Seiano intexit. Quid quòd in Chronicis hæc refert ad annum Tiberii XXII, sive æræ vulgaris XXXVI: ac Historiæ Ecclesiasticæ lib. II cap. II mox à resurrectione Christi hæc ait contigisse? ut nec secum conveniat. Interea qui sciat, ut procuratores provinciarum debuerint quotannis Cæsarem de memorabilibus quibusque facere certiorem, facilè videt, parum esse verisimile, Pilatum illa de Christo in tam longum tempus distulisse. Sed si mox à resurrectione indicium Cæsari fecit; neque tum Christianum nomen extrà provinciam Syriam exierat: quid attinebat, Senatum facere decre-

a *Hærent viri docti, quid significent extremæ quatuor literæ. ego eas sic interpretor; proprio sumptu fieri curavit. Sic in aliis inscript. P. S. P. hoc est, pro prio sumptu fecit.*
b *P* 362. *edit. Raphelerg.*

tum de exterminandis Urbe Christianis: qui eo tempore in Urbe videntur fuisse nulli? Quare in hac narratione prudentiam Orosii cogor desiderare: neque tam in isto fiduciam caussæ pono, cùm Christum nego à baptismate quinque, vel etiam quatuor paschata transegisse; quàm partim isto, quòd Scriptura summùm trium; sed, ut potiùs censeo, duûm tantùm paschatum meminerit; partim, quòd etiam hæc sententia optimè conveniat cum Octaeteride Iudæis usurpatâ; partim denique, quòd Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, & Iulius Africanus, aliique, à vetustate & doctrina commendatissimi, in eâdem nobiscum fuerint sententia. Atque hæc si placeat, est quòd gaudeam. Sin aliter, cogitemus pariter humanarum mentium caliginem: ob quam plurimum magno multorum molimine opus est ad eruendam veritatem; ut quam in altissimo sæpius puteo abditam esse, non injuriâ è gentium philosophis dixerit *a* Abderita Democritus. Sanè si uspiam, in temporum id ratione locum habet: ut de ejusmodi argumento verè possis dicere, quod in re alia olim Lucius Seneca *b*: *Levium metallorum fructum in summo esse: illa opulentissima esse, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti.*

a Cicero lib. 1. & 2 Academ. Quæst.

b Epist. 23.

F I N I S.

INDEX

EORUM, QUÆ

DISSERTATIONE

DE

GENERE JESU CHRISTI,

ET

SEQUENTIBUS CONTINENTUR.

Numerus Romanus, qui prior, Thesin: barbaricus, qui posterior, paginam, littera a, *primam*, b, *secundam columnam designat.*

N. *significat Dissertationis prioris partem priorem, quæ est de Natali anno Domini.*

M. *designat ejusce Dissertationis partem alteram, quæ est de Mense dieque natali.*

P. *notat Dissertationem alteram de Passione Dominicâ.*

Gnosti-

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

Y.

Z.

F I N I S.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

DISSERTATIO GEMINA;

UNA DE

JESU CHRISTI GENEALOGIA;

ALTERA DE

ANNIS, QUIBUS NATUS, BAPTIZATUS, MORTUUS.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, à SOMEREN, & GOETHALS.

M DCC I.

GERARDI JOANNIS VOSSII

HARMONIÆ EUANGELICÆ

DE

PASSIONE, MORTE,

Resurrectione, ac Adscensione Jesu Christi,
Servatoris nostri,

LIBRI TRES.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Prostant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS.
MDCCI.

Præstantissimo Consultissimoque Viro

DOMINO

FABIANO PHILLIPS,

ARMIGERO,

Amico suo singulari,

FRANCISCUS JUNIUS, F. F.

QUotiescunque cum animo recolo illam communium curarum societatem quæ nos multis abhinc annis arctissima familiaritate in Britannia vestra conjunxit, memoriam quoque meam statim sentio excitari ad recordationem eorum quæ mihi benigne semper fecisti. Immensa tua beneficia suavissime diligentissimeque in hominem peregrinum congesta pluribus hic verbis exaggerarem, si minus occurreret quid aures tuæ pati possint quam quid fidei virtutibusque tuis debeatur. Licet vero usque adeo rarum modestiæ tuæ indixeris temperamentum, ut in consiliis factisque tuis nec nimium nec parum videantur locum habere, serioque omnem collatorum in amicos beneficiorum memoriam mentionemque averseris; vincam tamen pernecessario mihi cultu cogitationes tuas, quandoquidem non tuo me arbitratu, sed meo, gratum esse oportet. Mitto itaque munusculum nunquam hactenus tibi expectatum, minus expetitum; neque depromtum ex nostris nugis, quas tu tamen aliquo in loco habere solebas, sed ex postumis scriptis G. J. Vossii, affinis quondam mihi conjunctissimi, & tibi totique adeo Britanniæ vestræ in magna semper æstimatione habiti. Argumentum libri minime tibi displiciturum confido, cum eruditio tua

& peculiaris quidam amor veritatis ex æquo ſe ad omnia doctrinæ (præſertim tamen piæ) genera extendat. Ingenue quidem confiteor, uberiorem tuis in me immerentem beneficiis gratiam deberi : ac majus aliquod amicitiæ noſtræ pignus in grati animi teſtimonium lubens obtuliſſem, niſi à verecundia tua ſola mediocritate munuſculi impetrari poſſe judicarem, ne hanc qualemcunque teſtificationem tuorum in me meritorum invitus admittas.

HAGÆ COMITIS.
cIↃ IↃ CLVI.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

LIBER I.

In quo de iis agitur, quæ anteceſſere Paſſionem Dominicam, atque ad eam præpararunt: Ac Priori quidem hac Parte de iis, quæ proxime contigere ante hebdomadem magnam.

Lib. I. Pars altera.

De iis, quæ in hebdomade magna ante paſſionem Dominicam contigerunt.

LIBER II.

Qui eſt de paſſione, morte, ac ſepultura.

LIBER III.

In quo agitur de Iesu Christi resurrectione & ascensu in Cœlos.

FINIS.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
HARMONIÆ EUANGELICÆ
DE
DOMINICA PASSIONE,
Morte, Resurrectione, ac Adscensione,
LIBER PRIMUS:

In quo de iis agitur, quæ antecessere Passionem Dominicam, atque ad eam præpararunt: Ac PRIORI *quidem hac* PARTE *de iis, quæ proxime contigere ante hebdomadem magnam.*

CAP. I.

De invidia Judæorum erga Christum, orta ex Lazari resuscitatione à morte: & primo Synedrii decreto de tollendo Christo.

1. §. *CUm historia eorum, quæ dixit, fecit, ac passus est Christus, partim ad propheticum ejus munus, partim ad sacerdotale, partim etiam ad regium pertineat; quorum duo priora fuse ab Euangelistis explicantur, tertium magis traditur in Actis Apostolicis: seorsum quidem actum est nobis de munere Prophetico, quo retulimus, tum prædicationem Euangelii, tum confirmationem ejus per miracula. Nunc ut sanctum hoc prosequar institutum, loquar de opere sacerdotii, quo nos Christus redemit, ac reconciliavit Patri. Ubi primo agam de iis, quæ proxime antecesserunt Passionem Christi, atque eo eam præpararunt. Deinde visurus sum de ipsa Passione, sive de Christo capto, & condemnato, & perpessionibus consecutis, usque ad mortem, & sepulturam ejus. Denique considerabo resurrectionem Christi, quadraginta dierum moram in terris, & adscensum in cælos.*

Præparationum, de quibus hoc primo libro dicam, aliæ sunt inimicorum sese præparantium ad capiendum, tollendumque Christum: aliæ ipsius Christi: eæque duplices: vel enim Christus discipulos iis præparabat adversus scandalum à passione Dominica: vel sese præparabat ad passionem fortiter ferendam. In quibus enarrandis temporis potius, quo quidque gestum, ordinem sequar, quàm ut digeram omnia secundum capita tria, ad quæ revocari universa dicebamus. Hoc pacto enim nexus rerum & harmonia Euangelistarum melius dilucebit.

Ordiar igitur à synedrii decreto, quando audita Lazari post quatriduanum excessum resuscitatione, cognitoque inde Iesum majori in honore esse apud populum, ex Caiaphæ sententia decretum fecit de Christo è medio tollendo.

Refert historiam Ioannes cap. XI. Ubi prius exponitur de Lazari resuscitatione. Hinc de orta inde invidia Pontificum, ac Pharisæorum, consultantium propterea de Christo necando. Tum de secessu Christi, ad periculum à Pharisæis vitandum. Miraculum resuscitationis, & grande erat, & certum. Non poterant præstigia videri, quia Lazarus in speluncula fuerat repositus, & lapis ingens os speluncæ occluserat. Iam quatriduum erat, quod obierat: unde & à sepulcro arcebat Iesum Martha, ne fœtore offenderetur. Vacillans ipsius Marthæ fides mortis veritatem arguebat. Ad vocem Christi Lazarus prorepsit è sepulcro, caput sudario obtectus, manibus pedibusque fasciis vinctus. Facta hæc populo circumstante, ad vocem Christi, non quasi ea vocis esset vis, sed loquentis virtus. Magna autem voce usus, ut magnitudini operis responderet. Nec miraculum facturus orabat Deum; sed gratias agebat, exauditionis certus. Voluit Deus tantum miraculum paucis contingere diebus ante mortem Christi; partim quidem, ut fidem Apostolorum, aliorumque fidelium, adversus scandalum ex futura cruce firmaret; partim etiam, ut hoc impiis occasio foret accelerandæ Iesu mortis. Et sane non simplex erat miraculum, sed miraculum in miraculo. Miraculum unum erat, quod jam olens revivisceret. Alterum quod manibus pedibusque vinctus, gratia miraculose quasi addente alas, tumulo exsiliret, inque pedibus consisteret. Sic enim verba Euangelistæ cepit Euthymius, & multo ante eum S. Basilius homil. de gratiarum act. a Ὁ νεκρὸς ἐζωοποιεῖτο, καὶ ὁ δεδεμένος περιεπάτει. Θαῦμα ἐν θαύματι, κειρίαις δεδέσθαι τοὺς πόδας, καὶ μὴ κωλύεσθαι πρὸς τὴν κίνησιν. *Mortuus à morte reviviscit: ligatus quoque ambulat. Admirare miraculum in miraculo: pedes fasciis habebat vinctos; neque interim à motu prohibebatur.* Sed esto, ut sese jam commovente Lazaro prius ei vincula fuerint ab aliquo adstantium soluta, quam exsurgeret, utcumque de eo taceat Scriptura: nonne sat miraculi erat, dies ante quatuor mortuo, & jam olenti, vitam reddi? Inclytum id miraculum solus narrat Ioannes. Cujus rei nonnulli rationem reddere sunt conati. Mihi imprimis hæc placet conjectura illustris viri, Hugonis Grotii. Cum sua scriberent Matthæus, Marcus, Lucas, superstes etiamnum erat Lazarus: eoque periculum illi creassent, si historiam istam signassent literarum monumentis. Quippe vixit Lazarus post resuscitationem annis XXX; ut accepimus ex Epiphanio; qui sine dubio è priorum traditione istoc hauserat. De periculo, quod inde Lazaro posset creari, argumento fuerint illa ipsius Ioannis verba cap. XII. 10. 11: *Consultarunt autem primarii sacerdotes, ut Lazarum etiam trucidarent: quia multi ex Iudæis propter eum abibant & credebant in Iesum.* At Ioanne scribente, Lazaro periculum erat nullum, quia is jam defunctus foret.

a Pag. 360. editionis Parisinæ Sonnii anno 1618.

Sub-

Subjicit vero idem Euangelista xi, 45, 46, quomodo multi eorum, qui miraculum conspexissent, crediderint in Iesum: at aliqui maligni rem istam nunciarint Pharisæis. Quipropterea, ut deinceps refertur, Synedrium convocarunt *a*. Pro *Synedrium* Thalmudistæ dicunt *Sanedrim*, voce non origine Hebræa, sed Græca, quippe ex Συνεδρίου vocabulo corrupta. Cujusmodi multæ Iudæis, ex quo Græcis, puta Alexandro Magno, & Syromacedonibus, ac Ptolemæis, paruerunt. Ex Maimonide vero, & Hebræorum aliis, videmus, triplex Hierosolymis συνέδριον fuisse: primum ad portam montis sancti, alterum ad portam atrii, tertium in conclavi è cæso lapide, sive parte templi, quæ Gazith dicebatur. Ordo autem hic judiciorum fuit, ut quæstio quidem à judicio primo devolveretur ad secundum, à secundo item ad tertium; at non contra. Etiam judices ex consessu primo adscribi gaudebant secundo, ut honoratiori: ex secundo item tertio, quod dicebatur Synedrium magnum, & interdum per ἀντονομασίαν simpliciter Synedrium. Atque ad hunc judiciorum ordinem attendit Christus, cum Matth. v. 22. ait, teneri eum τῇ κρίσει, qui fratri temere irascatur: sed teneri συνεδρίῳ, qui dixerit ei ῥακά: at teneri geenna ignis, qui ei dixerit, stulte. Ubi per κρίσιν intelligitur synedrium minus: at συνέδριον vox capienda de synedrio magno. Prima secundaque curia singulæ erant judicum xxiii: sed consessus magnus fuit judicum lxxi. Atque hoc Act. v. 21. dicitur γερουσία *b* τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Lucæ autem xxii, 66. πρεσβυτέριον *c* τοῦ λαοῦ. Quomodo & Senatores ipsi tum πρεσβύτεροι *d* vocabantur, ut Matth. xxvii, 12, & 41. & xxviii, 12. & Marc. xv, 1. tum πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, ut Matth. xxvii, 1. Ac similiter nominati tum ἄρχοντες *e*, ut Luc. xxiii, 13, & 35: tum ἄρχοντες τοῦ λαοῦ *f*, Act. iv, 8. & Luc. xxiv, 20. Flavius Iosephus πρώχοντας *g* appellat. In hoc judicio magno agebatur de rebus gravissimis, quæque non possent expediri ab unius civitatis synedrio, ut de rege, falso propheta, tribu, vel civitate quapiam. Hoc consilium non intelligitur à Ioanne, cum xi, 47. ait, Pontifices, & Pharisæos, postquam essent certiores facti de Lazaro suscitato, atque ut multi propterea crederent Christo, coegisse concilium. Nam ut ex iis liquet, quæ proxime dicebamus, non erat συνέδριον magnum, nisi cui etiam interessent seniores sive principes populi. At hoc solum dicitur congregatum à Pontificibus, & Pharisæis: de senioribus populi silentium esse videmus. Estque hoc primum conciliorum, quæ convocata fuere propter Christum. Numero hæc minimum erant quatuor: quorum duo consultarunt de Christo capiendo: duo de capto. Ex prioribus duobus unum est, de quo nunc agimus: atque hoc coactum fuit ante hebdomadem magnam: ac datum tum mandatum, ut siquis nosset Christum, indicium faceret, quo prehendi posset. Alterum autem coactum est hebdomadis magnæ feria quarta: quando Iudas transegit cum judicibus de Christo prodendo. Duo reliqua concilia habita ejusdem hebdomadis feria sexta: prius quidem ea nocte, qua proditus est Christus: alterum autem mane consecuto. Quæ tempora à multis videas confundi: cum ea manifeste distinxerit Matthæus, ut suo loco ostendam.

a Ioan. 11. 47.

b *Senatus filiorum Israel*
c *Senatus populi.*
d *Seniores.*
e *Principes*
f *Principes populi*
g *Primates, vel primatum populi obtinentes.*

Miretur fortasse aliquis, dicere Ioannem, concilium esse convocatum à Principibus sacerdotum. Nam Græce est ἀρχιερεῖς. Sed ἀρχιερεῖς vocabantur principes xxiv. classium sacerdotalium. Nisi quod nomen hoc, præter Pontificem Max. tribui etiam soleat illis, qui aliquando Pontifices M. fuissent. Siquidem istis temporibus subinde mutari solebant Pontifices Maximi. Unde est, quod dicatur Caiaphas ejusce anni fuisse Pontifex M.

In hocce Concilio videndum, cur convenerit, & quæ in eo concilio sint acta. De caussa ex parte jam dictum. Nempe occasionem præbuit miraculum suscitati Lazari. Simul miracula alia; ut quod Christus claudis gressum, cæcis restitueret visum. Hinc metus illis, de quo mox dicam. Hinc quoque irarum caussæ. At quæ hic Christi culpa, quod hominibus benefaceret? Nonne is in Urbe erat servandus, qui tot homines servaret? Imo quantis erat honoribus afficiendus, quibus beneficiis retinendus, ut foret, ad quem in rebus adversis recurrerent! At nunc concilium ineunt de illo, qui Lazaro dederat vitam, vita privando. Quid, inquiunt, agemus, si homo *a* hic (ita contemtim vocabant) porro signa pergat edere? Siquidem omnes de eo opinionem concipient, esse Regem Israëli promissum; quem si Iudæi, Cæsare relicto, sequi volent, omnia ingens in discrimen venient, brevique Romanæ aderunt legiones, quæ & urbem, & gentem, internecione deleant. Videmus, quam stultè componant rationes suas. Si Christum recepissent, nihil illis periculi inde erat; quia Christus non affectabat regnum terrestre: qui, ut poëta Hispanus ait, regna daret cælestia. Nunc, dum metuunt, ne, Christum nisi tollant, perdantur à Romanis, contrà eum tollendo in hanc miseriam inciderunt. Nempe, ut est Proverb. x: *Quod timet impius, veniet super eum.* Dum enim volunt conservare vitam terrenam, eam amittunt, ac pariter æternam. Ad sermonem istum, quem retuli, Caiaphas sic secundum mundi sapientiam dicere: *Satius esse, ut pereat unus*, (puta vel innocens) *quàm unitas.* Sive, ut verba potius Euangelistæ *b* retineam: *Vos nihil scitis, nec cogitatis conducere nobis, ut unus homo moriatur pro populo*, (h. e. populi salute) *& tota gens non pereat.* Nempe publici boni prætextu tolli volebat Iesum, ut, quod dicerent, periculum fugerent. Exemplum hoc statuunt prudentiæ illius, quæ πρακτική vocatur. Nam qui tradunt rationem administrandæ Reip., tradunt duplicia esse officia viri prudentis; alia vocant prima, alia secunda: prima pene omnes agnoscunt semper habere locum in vita privata: sed negant de publica: quia quandoque hic serviendum sit τῇ ὑποθέσει, sive instituto Reip. cujus bono omnia oporteat metiri: eoque si quod in se honestum foret, sed noxium sit Reip., officium esse hominis politici id facere, quod utile est. Hoc vocant *officium secundum*: vel *secundum honestum*, quia in publicis consiliis, si bonum Reip. sinat, ante omnia curandum sit, ne transiliamus limites honesti: sed siquid damnosum foret Reip., officii sit nostri, agere id quod in se sit turpe; sed quia publico utile, naturam exuit priorem; cum inhonestum ulterius dici non possit, postquam id exigit salus publica: ut quæ suprema lex sit. Cicero talia vocat *officia ex tempore*: Græci, ut dixi, prudentiam πρακτικήν, quia consilium sit capiendum non ex eo quod in se honestum, sed quod περίστασις temporis, sive necessitas, exprimit. Sic Aristides in vita privata adeo justitiam sectabatur, ut inde Iusti retulerit cognomentum. Sed, ut Theophrastus ait, idem in Reip. negotiis non pauca agebat injusta: quia judicabat necessitatem hoc eo tempore exposcere; eoque quod injustum alioqui foret inhonestum, fieri honestum, quia alterum perderet Remp., hoc vero ei admodum esset salutare. Similis videtur fuisse mens Caiaphæ, qui princeps erat totius Synedrii. Ille igitur non jubet considerare, sitne Iesus propheta an minus, multisne benefaciat, ac quidem miraculose: sed illud solum, quid expediat populo Iudaico. At Iesu salutem judicabat esse interitum populi: ac contra ejus mortem populi salutem. Statuit igitur, satius esse ut pereat Iesus, quàm populus. Dixeris, hæc si sint, nihil Caiapham dixisse, vel fecisse indignum principe prudenti, & salutem populi amante. Sed aliter est. Esto, ut vera sint, quæ de duplici honesto, duplici item prudentia dicebamus. Non tamen hic locum habent, quia confundit Caiaphas regem spiritualem, & mundanum. A rege spirituali nihil sibi metuissent Romani: eoque nec ab eo periculum erat Iudæorum Statui. Ex quibus liquet, quid de paralogismo Caiaphæ sit statuendum. Et tamen ab hoc homine mundana magis, quàm spiritualia, intelligenti, præclare illud dicitur, uni Christo pro populo esse moriendum. Videlicet Deus ita Pontificis, principatum populi sustinentis, (qualium non linguæ modo, sed vel somnia, magis Deo curæ esse solent, ut non ex Scripturis modo, sed

a Ioan. 11. 47.

b Ioan. cap. 11. vers. 49. 50.

sed gentium etiam scriptoribus, elucet) Deus inquam ita direxit Pontificis linguam, ut licet male sentiret, bonum tamen etsi non bene diceret: cumque crudeliter appeteret innocentis necem, redemtionis idem mysterium prædiceret. Quippe, ut Euangelista ipse interpretatur, Jesus vere mortuus est pro tota gente; nec Judæa solum, sed nationibus toto orbe dispersis, quo omnes in se credentes in unum colligeret ovile. Atque hoc est quod ait Ambrosius in Psalm. CXVIII, serm. XV: *Sinistro quidem dicebat animo: veruntamen gratia Spiritus Sancti usa est ore illius ad prædicendum futurum: tametsi impollutum ejus cor non attigerit.* Verbis Caiaphæ fidem habuere οἱ συμβουλευταί; eoque mox à Synedrio decretum fit de necando Christo. Unde sic Euangelista: *Ab illo ergo die consultabant una, ut trucidarent eum.* Quæ ipsa ratio satis visa est idonea, cur inde potissimum Passionis historiam ordiremur, iis etiam comprehensis, quæ ad illam præpararunt.

Porro non fugiebat Jesum, quale foret, quod adversum se sancivissent. Propterea se subduxit, inque Ephraim secessit, sive Ephrem malis: ut est apud vulgatum interpretem: nempe αι in η converso, quomodo ex Jeruschalaim etiam est Jerusalem. Et sane Syrus etiam Ephrem legit: ut apud quem sit *Ephrim*. Solet enim ι pro η reponere: quomodo & pro *Cephas*, habet Ciphas, pro *amen*, *ammin*. Civitatem hanc Ephrem in desertis statuit B. Hieronymus de locis Hebraicis. Eo vero se recepit cum discipulis; non tam metu, quam quia sciret, necdum advenisse horam suam. Simul exemplo suo discipulos docuit: non esse peccatum furorem sceleratorum latendo potius devitare, quam, se offerendo, magis accendere: ut Augustinus Tractatu XLIX. in Joannem. In quo non audiendus Tertullianus lib. de fuga in persecutione. Habet hic locum illud Amos V. 13: *In illo tempore prudens tacebit, quia tempus malum est.* Senatus vero Judæorum, haut aliter ac in atroci solet facinore fieri, jussit, ut siquis sciret ubi Jesus delitesceret, eam rem ad se deferret. Atque hæc prima est præparatio inimicorum Christi, quæ mortem ejus antecesserit.

Cap. II.

De Christo, Ephrem egresso, mortem suam discipulis prædicente. Qua occasione filii Zebedæi latentem animi ambitionem prodiderunt.

1. §. *Altera præparatio fuit, quâ Christus ex civitate Ephrem Hierosolymam tendens discipulorum animos in via adversus imminentis crucis scandalum præmunivit. Nam quod antea bis jam egerat, tertio facit, discipulis prædicendo, quæ foret perpessurus Hierosolymis.*

Paullo hæc plenius diducam. Postquam Christus imminere horam vidit, qua pro mundi salute mori oporteret: è latebris Ephraimi cum discipulis rediens Hierosolymam tetendit. Id ob Paschæ celebritatem agere videbatur: sed verior erat ratio, ut se ipsum, qui paschali agno hactenus esset significatus, ibidem offerret immolandum. Mirabantur discipuli, non magis reformidare hoc iter, qui sciret, quale decretum adversus se proceres fecissent. Nihilominus præeuntem sequebantur; quod caritatis fuit: sed secuti sunt cum timore; quod erat imperfectionis humanæ. In itinere eo Christus, cùm arcana quædam vellet discipulis de morte suâ indicare, egit cum iis, non quidem præsente turba, quam satius tum erat ista ignorare, ne prædictione mortis odia Judæorum in se magis concitaret. Sed, quod prudentiæ erat, κατ' ἰδίαν, h. e. discipulis seorsum adsumtis, quos testes habere voluit præscientiæ suæ. Jam antea quidem semel, iterumque, prædixerat iis passionem suam; sed tum actum generatim; nunc explicatius, perfectiusque.

2. §. *Sic enim est Matth.* XX. 17. 18: Et adscendens Jesus Hierosolymam adsumsit duodecim discipulos secreto, & ait illis: Ecce adscendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. *De supplicio mortis, & resurrectione postea dicetur. Nunc solum loquar de traditione. In qua videndum, tum à quibus, tum quibus tradendus. Tradendus quidem à Deo, & sese, sed ut redimeretur genus humanum: à diabolo item, sed ne redimeretur. Verùm proprie hic intelligimus, tum Iudam, à quo traditus ob avaritiam, tum Iudæos, qui tradidere ob invidiam. Possis & à Pilato traditum dicere, puta ob timorem, ne non videretur Cæsaris amicus.*

Traditum se iri ab uno Apostolorum, Christus hoc loco non dicit, ultimæ illud Cœnæ reservans. Aliter si egisset, rixæ potuerant oriri inter Apostolos.

3. §. *Quibus vero tradendus? A Juda quidem principibus sacerdotum, scribis, ac senioribus: qui pietate, & doctrina, antistare aliis debebant. Ab his verò sistendus Pilato, & ministris ejus.*

Quos signat Christus cum se ait a gentibus tradendum, ab iis se illusum iri, & flagellandum, cruci etiam affigendum, & occidendum. Ac ne sola hæc animos eorum nimium dejicerent, postea ad solandum eos subjungit, tertia se die resurrecturum. De quorum singulis postea. a Matth. 20. 19 & Marc. 10. 33.

4. §. *Sed discipuli hæc non perceperunt: quia terrenum fore Christi regnum alte adeo animis imbiberant.*

Capiebant quidem verba ista, ac propterea amore Christi valde dolebant: non tamen intelligere poterant, quomodo hæc satis convenirent cum gloriosa illa exspectatione Messiæ.

5. §. *Mater igitur filiorum Zebedæi, cum audiret Christum brevi à se auferendum, ab eo liberis suis primas petit sedes in regno Messiæ.*

Mater illa Salome erat: quæ ex Zebedæo pepererat Jacobum majorem sive seniorem, & Joannem Euangelistam. Fiducia vero poscendi inde erat, quod Christum perpetuo sectaretur, & cum Petro suos etiam filios magis familiares Christo videret. Sciebat, Dominum antea promisisse Apostolis, ubi ipse in throno majestatis suæ consideret, sessuros & ipsos super sedes XII. Hactenus Christum pro capite agnoverant, ut capite alio haut opus foret. Deinceps dispar iis ratio fore videbatur. Mature igitur consulere Salome voluit liberis suis.

6. §. *Quare necesse habuit Iesus, docere Salomen, ac liberos; in regno suo, non ambitioso, sed demisso animo, ad summa pertingi. Quo & illorum voluit fastum retundere, & ex facto eorum provenientem aliorum indignationem reprimere.*

Ac primo quidem respondit Christus, nescire eos, cujusmodi foret, quod peterent; hoc est, quid esset, in Christi regno proximum illi adsidere. Mundano enim hoc modo intelligebant: eoque maxime familiaribus, ac dilectis, concedi posse arbitrabantur. Illis honos videbatur, quod onus erat futurum. Nam & in Ecclesia locum habebat, quod de Rep. est apud Varronem: *Honos est honos, qui sustinet Rempublicam*

Imo magis in Ecclesiasticis muneribus, quam civilibus, verum id putandum. Nam, ut Apostolus b ait, *Siquis episcopatum desiderat, bonum desiderat opus*, hoc est, non dignitatem, sed laborem; non delicias, sed opus; per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. b 1 Tim. 3. 1.

7 § *Christus igitur, ut eos ab tam absurda opinione revocaret, rogavit, an possent calicem bibere, quem ipse esset bibiturus.*

Ubi calicem bibere, Hebræorum more, significat, supplicium subire, quod ipse erat perpessurus. Tralatio unde est, non usquequaque convenit. Sunt qui arbitrentur, peti eam à calice medicorum, quo sua miscent pharmaca. Hæc enim ingrata esse palato, & turbare corpus solent. Sed enim qui loca attenderit, ubi Scriptura calicis sive poculi ejusmodi meminerit, facile videbit, tralationem peti à calice inebriante, qui homines sic reddit impotes sui, ut nec caput, nec pedes officium faciant, sese ludibrio omnium exponant, fœda etiam multa, & gravissimis pœnis digna designent: ut mittam vomitus, capitis dolorem, & morbos varios, quos afferre ebrietas solet. Quid enim apertius verbis Psal. LXXV. 9: *Nam poculum in manu Domini, & vinum turbidum est, & plenum mixtione, ex quo fundit: verumtamen feces ejus, quas expresserunt, bibent omnes impii terræ.* Similiter Jerem XXV. 15: *Sume poculum istud vini, excandescentiam istam* (vel poculum excandescentiæ) *è manu mea: & bibendum dato istud omnibus gentibus, ad quas ego mitto te. Ut bibant, & concutiantur, atque insaniant propter gladium, quem ego missurus sum inter eas.* Lamentat. IV. 21: *O filia Edom, —— etiam ad te transibit poculum, inebriabis te, & nudabis te.* Ezech. XXIII. 31: *In via sororis tuæ ambulas, ideo trado poculum ejus in manum tuam. Sic ait Dominus Deus: Poculum sororis tuæ bibes profundum, & latum, & capacissimum; ad risum, & subsannationem ebrietate, & mœrore repleberis. —— Bibes illud, & exsuges.* Habacuc II. 15. 16: *Væ potum præbenti proximo suo, adhibenti utrem tuum, & etiam inebrianti, ut intuearis nuditatem eorum. Saturaris ignominia præ gloria. Bibe tu quoque, & retege præputium: & deveniet ad te poculum dexteræ Domini, & vomitus ignominiosus ad gloriam tuam.* Nec aliter capiendus est locus Apocalypsi XVIII. 6. Satis hæc ostendunt, tralationem esse arcessitam à calice inebriante: non vero intelligi amarum *absinthi laticem*, vel *pocula tetra medentum*: ut Lucretius loquitur lib. I, & IV. Nec tamen existimandum, *calicis*, vel *poculi* vocabulum semper accipi in malam partem. Est enim cum sumatur in bonam. ut Psal. XV. 3. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Et Psal. XXII. 5: *Et calix meus inebrians, quam præclarus est!* Quibus locis intelligitur poculum non ebrietatis, sed hilaritatis. Ut tralatio sit à patribus familias, cuique adsignantibus, quantum bibere debeat: uti & facere solent συμποσίαρχοι, sive modimperatores, vel reges convivii: qui talorum jactu creabantur: unde apud Horatium lib. I od. IV, *Nec regna vini sortiere talis.* Sed raro omnino hic hilaritatis calix intelligitur in Scripturis: sæpe autem ille ebrietatis, sive afflictionis. Ut & Psal. X, sive XI, 6: *Ignis, sulfur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ac similiter Jesa. LI. 17. Item Apocalyps. XVIII. 6: *Reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate ei duplum, secundum opera ejus: in poculo, quod propinavit, propinate ei duplum.* Nec multum abit loquendi forma apud Comicum Casina act. V. sc. II:

Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet. ——

Similisque locutio Belgarum, Ghy sult van 't eygen sop hebben. Ex quibus omnibus satis liquet, sententiam verborum Christi ad Zebedæi filios hanc esse: Tantumne virium est vobis, ut pares sitis illis perferendis, quæ patienda mihi erunt ex paterno decreto.

8 § *Porro ex iisdem quæsivit Dominus*, Aut potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? *Ubi itidem, per baptismum signat passionem.*

Nempe quia βαπτίζειν etiam est affligere, tralatione ab iis desumta, qui calamitatibus, quasi undis, merguntur, &, tanquam gurgite, sæpe etiam absorbentur. Sic sumi videas Psal. XVIII. 17, & XXXII. 6.

9. §. *Discipulis illis tanta erat ambitio, ut parum pensiculantes, quantum esset, quod rogarentur, continuo responderent*, Possumus. *Christus in temerario responso amplexus est promtitudinem illam patiendi pro Christo. Quare noluit eos, ut merebantur, acrioribus verbis castigare. Respondit vero duo. Unum est, sic sane fore, ut & ipsi calicem eum biberent, eodemque baptismate baptizarentur: hoc est, ut gravia subirent mala pro veritate cælesti: quod ex Jacobi nece docemur Act. XII: ac de Ioanne cognoscimus ex ejus exilio in Patmo, & aliis adversis, quæ perpessus fuit.*

Imo & martyrio decessisse, sententia fuit Chrysostomi; eumque, more suo, sequentis Theophylacti: sed dissentiunt alii veterum: præsertim Tertullianus & Origenes: qui sua occubuisse morte voluerunt.

10. §. *Altera responsi pars est in istis verbis*, Sedere ad dextram, & sinistram meam, non est meum dare, nisi iis, quibus paratum est à Patre meo.

Vulgatus, & Erasmus ita cepere, quasi neget Christus, suum esse id dare: sed ἀλλ᾽ hic sumitur pro εἰ μή: quomodo & ubi Matthæus, sive ejus interpres, XVII, 8, habet εἰ μή ibi Marcus IX, 8, ἀλλ᾽ usurpat. Ut solum neget, suum esse aliis dare, quam quibus paratum à Patre. Eos potius Petrum, & Paulum, fuisse, non absurde aliquis dixerit.

11. §. *Tanta duorum fratrum ambitio bilem concivit discipulorum aliis, simili ambitione laborantibus. Sed horum etiam ambitionem solitâ lenitate Christus pertulit. Interim ut & illos modestiæ commoneret, docuit eos, viam ad primatum non esse ambitionem, sed humilitatem. Quippe negat, sicuti comparatum esse in regno terreno, similiter se habere in cælesti. In hoc eum consequi primatum, qui omnium esse minimus volet: minimo haberi loco, qui cupiat esse maximus. Atque hoc suo confirmat exemplo, quod non venisset, ut sibi ministraretur; sed, ut ministrando omnibus, omnium utilitati inserviret: imò & vitam suam λύτρον daret pro multis.*

Ubi *multos* aliqui putant dici pro *omnibus*: quomodo ad Rom. V. dicitur, per unius inobedientiam multos esse constitutos peccatores. Sed magis verisimile est, particulam VT significare non affectum, sed effectum: non voluntatem antecedentem, sed consequentem: eoque non omnes signari ex omnibus: nempe non è Judæis solum, sed etiam gentibus. quomodo Joannes XI. 52. 53. ait, *fore, ut Jesus pro gente* (Judæa) *moreretur: nec tantum pro ea gente; sed etiam ut filios Dei dispersos cogeret in unum.* Ac similiter Esai. LIII. dicitur Christus cognitione sui justificaturus multos: ac postea de eodem ait, *ipse peccatum multorum tulit.* Similiterque sumitur Matth. XXVI. 28, & Hebr. IX. 28.

Cap. III.

De aliis, quæ evenere in itinere illo Hierosolymitano: Ut sunt conversio Zachæi, narratio parabolæ de decem minis, visus Bar-Timæo, & alteri, restitutus: præcipueque de Christo à femina inuncto ad pollincturam suam: quod factum videtur pridie Dominicæ Palmarum.

1. §. *ETiam alia nobis ab Euangelistis memorantur, quæ contigerint in itinere, quod Hiero-*

Hierosolymam instituerat Christus cum discipulis Ex his primum est, quod Hierichuntem venit, atque ibi Zachæum, publicanum principem, convertit.

Hierichus vetus fuerat eversa à Josua; ut est Jos. VI: sed Hiel de Bethel instauravit; ut est I sive III Reg. XVI. Ac nobilitata est miraculo Eliæ; de quo II, sive IV Reg. cap. II. De hac Hierichonte nunc est sermo. Verum denuo est eversa cum Hierosolyma à Romanis obsideretur; itemque instaurata. De utroque testis Hieronymus libro de locis Hebraicis. Brocardus *a* ait, suo tempore solum octo domus habuisse: ut vix pagi nomen mereretur. Vixit autem ille circa annum CIↃCCLX. Hanc urbem ingressus Jesus conspexit Zachæum, hominem Judæum, ut vel nomen fidem fecerit, publicanorum principem opulentum, insidentem arbori, cui nomen συκομωρέα, vel συκόμορος, aut συκάμινος, Latinis ficus Ægyptia, quæ frondibus morum, fructus sapore ficum referret. Eam conscenderat, quia Christum averet conspicere, ac pusillæ adeò foret staturæ, ut hoc in turba tam frequenti facere non posset. Christus, qui corda hominum inspicit, delectatus tanto ejus viri desiderio; de arbore eum descendere jussit, ac quidem, licet non invitatus, (quale nihil ab eo factum alibi legimus) prioratit, se velle in ejus ædibus divertere. Sciebat, optare hoc Zachæum; sed præ pudore non esse ausum rogare. Ille descendit lætus; gnarus, non se beneficium conferre; sed accipere. Verum malevoli culpare, quòd diverteret apud peccatorem: h. e. Judæum quidem, sed publicanum, quales quandoque Judæi: quippe qui & in Judæa interdum ordinis essent equestris; ut constat ex Flavii Josephi lib. II. de bello Judaico. Ab equitibus autem vectigalia solere conduci, satis notum intelligenti mores Romanos. Sed male eum peccatoribus accensebant, qui peccatorum pœnitudine duceretur. Sanè sponte pauperibus addicebat dimidium bonorum, quadruplum autem iis, quos fortasse defraudasset: Quomodo locutus est legis Mosaicæ non ignarus: quæ Exodi XXII. I. jubet quadruplum ab eo restitui, qui pecudem, extra bovem, furatus foret. Quam pulchram vero gratiam hospiti suo rependerit Jesus, arguunt hæc ejus verba: *Hodie salus huic domui contigit, eo quod & ipse sit filius Abrahæ.* Erat quidem antea filius Abrahæ secundum carnem: sed nunc secundum spiritum filius factus à Christo, qui, uti sequitur, venit *quærere, & salvum facere quod perierat.*

a In Descriptione Terræ Sanctæ.

2 § *Alterum est, quod narravit parabolam de itinere hominis nobilis, priusquam in terras longè dissitas abiret, decem servis talenta totidem largientis, ac prout rem iis fecissent, ita præmium, vel pœnam, cuique destinantis: ut est Luca* XIX. II, *& 16 sequentibus.*

Occasionem parabolæ indicant verba ista: *Hæc illis audientibus, adjiciens parabolam dixit.* Antecesserat proximè, *Venit filius hominis quærere, & servare, quod perierat.* Ea verba (uti & prophetias de regno Christi Jes. IX. 7. & Jerem. XXIII. 5. 6. & alibi) sic capiebant discipuli, quasi jam iret Hierosolyma, ut auspicaretur regnum sibi gloriosum, populo salutare, quod terrenum fore arbitrabantur. Et quam altè hic error obsederit mentes, argumento sunt, quod etiam ab resurrectione dicerent, *Nos autem sperabamus, eum esse, qui redempturus esset Israelem.* Ut igitur hanc opinionem eorum animis evelleret; parabolam refert, qua ostendat, non in vicina Hierosolyma se regnum accepturum, sed in terra longinqua: nec se à Judæis recipiendum ut Regem; sed ab iis rejectum iri: dumque ipse in regno abesset externo, non otiandum iis, sed negotiandum strenuè; donec tandem veniat in regnum suum dominus, ac fideles ministros adsumat regni consortes, segnes verò ac rebelles puniat. Hoc spirituale Christi regnum cœpit à resurrectione ejus: ut indicant illa Lucæ XXIV: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Videlicet passione ac morte suâ debuit prius acquirere sibi regnum. Revelatur verò hoc verbum prædicatione Euangelii per mundum universum. Ne igitur turbarentur discipulorum animi, si non continuo regnum suum inchoaret; præmunire voluit animos eorum hac parabola. Nunc enim id opus imprimis ei qui gloriose ingressurus erat Hierosolyma: ac putare poterant, ingressum istiusmodi fore initium regni ejus, quod terrenum fore arbitrabantur. Itaque & parabolæ isti videas hæc præstructa verba: *Et his dictis præcedebat adscendens Hierosolyma.*

In parabola hac tria tempora attendimus. Primùm illud, ante viri nobilis abitum. Deinde alterum, dum abest. Tertium post reduum. In primo tempore considerantur persona, factum, & caussa. Persona est homo quidam nobilis: hoc est, Christus. Factum est geminum: prius est decretum de itinere suscipiendo in terras longinquas, h. e. extra hunc mundum. Cujus caussâ additur, ut regnum sibi acquireret, ac deinde reverteretur. Signat verò acquisitionem regni spiritualis, ac gloriosi, per passionem ac mortem suam. Factum alterum est, quod ante discessum suum advocarit decem servos suos, singulis minam dederit, atque eas jusserit negotiari, donec rediret. Ubi per servos præcipuè capiendi sunt Euangelii ministri: quibus dona contulit spiritualia, ut iis alios lucrifacerent Christo. Nec expostular dominus cum eo qui tantùm quinas lucratus erat minas, gnarus, ut in negotiatione terrestri, ita in spirituali, usu venire, ut dispar sit occasio lucrifaciendi. Nec sapiens quisquam exigit ultra, quàm quis potuit.

In absentia nobilis primò attenditur factum civium: deinde servorum. Cives tumultuati sunt adversus nobilem, ac misere ad eum legatos, qui significarent, nolle se eum imperare: quasi dicerent, non esse quod de reditu cogitaret, cum cives imperium ejus respuant. Per cives intelliguntur Judæi, qui rejecerunt Christum.

Servorum unus, absente domino, mina una lucratus est minas decem; alter quinas; tertius minam in sudario abscondit, atque otiosam reliquit. Quibus significatur dispar usus donorum spiritualium, quæ Deus contulit homini.

Tertium tempus est de iis, quæ à reditu contigere. Ac partim ad servos, partim ad cives pertinet. Ac primo refertur, ut arcessiverit duos servos frugi: ac illum, qui se decem minas lucratum diceret, ubi prius collaudasset, denis civitatibus præfecerit: illum itidem, qui lucrifecerat minas quinque, remuneratus sit præfectura totidem opidorum. Quibus significatur, ut multiplex est usus donorum Dei, ita diversa esse præmia; puta quia variæ sunt mansiones in cœlis. Sequitur deinde, ut dominus etiam rationem exegerit à servo nequam: qui arcessitus, atque interrogatus, respondit, præscisse se domini sui mores, quamque austerus foret, & lucri appetens; quippe qui ab homine exigeret, quæ non dedisset: iis similis, qui metere volunt, ubi non seminarunt: eoque se satius existimasse, si minam ejus non exponeret negotiationis periculo: sed sudario involveret, ac domino reverso integram restitueret.

Itaque hic occurrit, tum status absolutus, tum assumtivus. Absoluto utitur servus, cum ait, rectè à se factum; quia omne id accipiat dominus, quod suum esset, eoque nulla ei fiat injuria. Assumtivo autem, quæ ἀντίθεσις dicitur, quia siquid culpæ sit, ea penes ipsum sit dominum. Ἀντέγκλημα appellant. Hic servus est typus omnium eorum, qui culpam volunt rejicere in Deum qui, fidem exigat, nec credendi contulerit potestatem: bonaque opera requirat, cum non dederit bonam voluntatem: sed ineluctabili fato caussa sit actuum malorum, eorumque inevitabilium: quasi non tales conscientia sua redarguat, quæ abunde restatur, quam multa facili etiam negotio agere vel omittere potuissent, in naturalibus

principio naturæ; in spiritualibus, per eam gratiæ mensuram, quam accepissent. Huic servo iratus Dominus, tum ob illius inertiam, tum quod ab eo accusaretur, respondit, se propriis eum verbis convincere: si enim tam severum esse scierit, hoc ipso debuisse non ad ignaviam excitari, sed industriam: quippe si præ avaritia soleret aliena etiam sibi vindicare, quanto magis lucrum reposceret ex suis? Debuisse igitur minam committere trapezitis, quo vel ab ipsu vel à mensario, eam reposceret eum lucro. Jussit deinde minam, quam haberet auferri, ac illi dari, qui denas esset lucratus: quia majoribus dignus est, qui minoribus bene sit usus. Quo pertinet illud: *Habenti dabitur, & ab non habente auferetur illud etiam quod habet.* Iis partim significatur, quàm graviter Deus in eos sit animadversurus, qui dona in se divinitus collata non converterint ad Dei gloriam, & proximi salutem: partim etiam, bene usis gratiâ minori datum iri majorem. Scitè de priori B. Hieronymus epistolâ ad Hieronymum: *Va illi, qui acceptum talentum* (minam convenientius verbis Euangelii dixisset, quia sudarii meminit) *in sudario ligans, ceteris lucra facientibus, id tantum quod acceperat reservavit: illico indignantis Domini clamore ferietur.* Et mox: *Dum enim tu ignavus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti.* Etiam de hac usuræ exactione agit Gregorius Magnus homil XVII in Euangelium: *Ponamus ante oculos nostros illum tanta districtionis diem, quo judex verus veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta* (vel minas) *credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium, & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque, quid sit operatus. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam, in conspectum sui judicis, conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt; qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus; qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus; qui pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debebamus ostendere, non habemus.* Atque hæc de trium servorum examine, atque eorundem præmio, vel pœna. Cùm verò decem fuerint servi, cogitare possumus, septem alios suas minas vel amisisse, vel absumsisse: quales sine dubio graviores etiam pœnas dabunt, quam qui minam suam reservârat otiosam. Possumus etiam cogitare, voluisse Dominum de tribus duntaxat loqui, quia vellet ex his de cæteris fieri judicium. Nam pro industria, vel ignavia quemque vel præmium accepisse, vel pœnas dedisse. Verum in parabolis nihil attinet minutatim insistere singulis.

Existimet aliquis, parabolam istam non esse hujus loci, ut quæ eadem sit ac illa de talentis: quæ, ut ex Matthæo constat, dicta est pridie, quàm traderetur. Nec multa esse similia negari potest. Diversas tamen esse diversum indicat tempus. Nam præterquam, quod hæc dicta sit die Dominico, Palmarum puta; priusquam adscenderet asinam; altera autem feriâ tertiâ, sive die Martis; præterquam etiam, quod hæc sit de minis, altera de talentis, quorum quodque Hebræis est centum minarum; ut inferius dicam plenius in parabola de talentis: quadrifariam distant hæ duæ parabolæ. Primùm servorum numero, qui hic decem, illic terni duntaxat. Deinde quod hic unicuique decem servorum detur mina una: illic trium servorum uni dentur talenta quinque, alteri duo, tertio unum. Præterea hic unus una ex mina lucratus denas, alter quinas: illic qui quinque accepit talenta, lucratus quinque: qui duo, lucratus duo. Denique hic, qui minam abscondit, dicitur id fecisse in sudario; quo facile tantillum occultatur: illic talentum, quia majori opus loco, absconditur in fossâ. Hactenus de secundo eorum, quæ contigere in itinere Hierosolymitano.

3. §. *Tertium est, quod Hierochunte egressus Bartimæo, & alteri cæco, restituit visum.*

Refert Matth. XX. 29, & 5. seqq. Marc. X. 46, & sex seqq. Luc. XVIII. 35, & octo seqq. Augustinus tamen lib. II de Quæstionibus Euangelicis cap. XLVIII, & lib. II de Consensu Euangel. putat, diversum esse miraculum, quod Lucas narrat, ab eo quod duo priores Euangelistæ. Id quod narrat Lucas contigisse priusquam ingrederetur Hierochuntem: id quod Mattheus & Marcus, factum cum Hierochunte egressus. In hanc sententiam impulit eum, quod Lucas dicat, ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχώ. Verùm optimè Ill. Grotio monitum, ἐγγίζειν non semper significare motum ad locum; sed & distantiam solum: ut verba allata sic reddi possint, *cum esset prope Jericho.* Sic Luc. XIX. 20: Ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν. *Cum esset prope Bethphage, & Bethaniam.* Siquidem jam transierat Bethaniam. De duobus cæcis narrat Matthæus; qui primus scripsit: de uno Marcus, & Lucas: de neutro Joannes, qui scripsit postremus. Marco, & Lucæ sufficit dicere de notiori duorum: cui sine dubio præcipue conveniunt περιστάσεις illæ, quæ κατ' σύλληψιν memorantur à Matthæo. Dicit Matthæus, eos, qui visum receperant, Christum inde, tanquam miraculi testes, secutos fuisse.

4 §. *Tandem verò sex ante Pascha diebus in Bethaniam venit Christus.*

De tempore quidem sic Joannes cap. XII. I. *Jesus ergo ante sex dies pascha venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus.* Locum verò eum elegit, quia sic recens miraculum firmabat. Hic enim à sororibus Lazari cœna est exceptus: cui etiam interfuit Lazarus redivivus. Præterea è Bethania facilis ac celer adscensus erat Hierosolymam.

5. §. *Atque hic à femina est inunctus: quod quia ad pollincturam suam factum esse dicit Christus: merito inter ea hic refertur, quæ pertineant ad passionis Dominicæ præparationem.*

Conducebat verò non ad discipulos modo, sed ad Christum etiam præparandum. De hoc igitur pluribus nunc loquemur.

6. §. *Ac Christum quidem à femina fuisse inunctum, priusquam pateretur pro genere humano; ab omnibus narratur Euangelistis. Sed semel ne, an bis, an ter id contigerit, in controversia est.*

De unctione eâ Christi quatuor agunt Euangelistæ; Matthæus XXVI, 7; Marcus XIV, 3; Lucas VII, 38; Joannes XII, 3. Nec propterea fuit, qui putaret, quater Christum esse inunctum, idque à diversis quatuor feminis. Nempe Matthæum, & Marcum; eundem narrare historiam, luce meridianâ clarius est. Sed ter inunctum, idque à tribus mulieribus, Origenis est opinio in Matth. homil. XXXV a: eumque secutus hac parte Theophylactus, & Euthymius. Primumque inunctum credunt à muliere peccatrice ignoti nominis: eam habitasse in Galilæa: factumque in domo Simonis Pharisæi, idque multo ante passionem. Ac de hac unctione solùm loqui Lucam. Iterum verò inunctum esse à Maria, sorore Lazari, ac Marthæ, sex diebus ante pascha. Ac de ista solum agere Joannem. Denique unctum esse à muliere ignoti nominis, biduo ante passionem, in Bethania, idque in domo Simonis leprosi. Ac eam unctionem referri a Matthæo, & Marco.

a In illud Matthæi, Dixit Jesus discipulis suis.

Hanc qui sententiam sequuntur, eo se tuentur, quòd illa quæ Matthæus, & Marcus, referunt, non conveniant cum iis, quæ narrat Lucas; atque itidem hic abeat ab illis, quæ legere est apud Joannem. Nam inquiunt,

prima

prima quidem unctio, de qua Lucas; ac secunda, de qua Joannes; hactenus consentiunt, quod utrobique pedes dicantur inuncti: sed in prima reticetur nomen mulieris, in secunda exprimitur. Unde licet non consequatur, esse diversas, sequitur tamen posse esse diversas. Re vera autem diversas esse, colligunt porro, quia unctione primâ id contigisse dicatur in domo Simonis leprosi; quam in Galilæa fuisse arbitrantur: altera autem referatur contigisse domi Mariæ sororis Lazari, ac Marthæ; quæ in Judæa, quippe in Bethania, fuit.

Jam quod ad unctionem primam, tertiamque, eas quidem hactenus fatentur consentire, quod utrobique domi Simonis id dicatur evenisse: sed discrimen in eo esse, quod prima referatur accidisse domi Simonis Pharisæi; tertia Simonis leprosi: item quod primâ inunctus dicatur à muliere peccatrice; tertiâ id reticeatur, ut fortasse fuerit pia, ac religiosa femina: denique etiam, quod in prima pedes sint unguento perfusi; in tertia caput.

Secunda verò, tertiaque narratio, consentiunt quidem eo, quod Jesus in Bethania fuerit inunctus: sed triplex hic se offerre ajunt discrimen. Nam in unctione secunda dicitur Mariam pedes inunxisse domi suæ: in tertia mulierem quandam caput Jesu unxisse domi Simonis leprosi.

Chrysostomi tamen ea est opinio, primam, tertiamque illam narrationem, à Matthæo, & Marco, institutam, probe convenire cum illa, quam Lucas reliquit nobis. Nempe ut peccatrix illa, cujus nomen præterit Scriptura, domi Simonis Pharisæi, sive leprosi, priùs caput, postea pedes inunxerit Christi. Huic sententiæ obstare alii contendunt, tum quod Lucas loquatur de inunctione multo ante passionem facta: tum quod ea contigerit in Galilæa; quemadmodum etiam Augustinus colligit ex Luca: non verò in Bethania; uti est apud Matthæum, & Marcum. Sed pro Chrysostomo liceat dicere, non, si à Luca referatur multo ante Dominicæ Passionis historiam, eo multo ante evenisse: neque si narretur proximè post ea, quæ in Galilæa contigerunt, eo & hoc inibi factum esse. Sæpe adeò Euangelistæ negligunt seriem temporis: ut etiam est apud Augustinum in secundo de Consensu Euangelistarum. Interea in eo cum Origene consentit Chrysostomus, quod diversa sit unctio illa apud Joannem: ut quæ non à peccatrice facta dicatur, sed ab Maria, sorore Lazari, ac Marthæ. Ex Chrysostomi igitur sententia duæ inunxerint mulieres: una ἀνώνυμος, eaque peccatrix: altera Maria, Lazari soror. At B. Hieronymus in eo quidem cum Chrysostomo convenit, quod duæ minimum sint, à quibus Servator sit inunctus: sed in altero abit, quia potius diversas censet, eam quæ caput, & illam, quæ pedes inunxerit. Sic enim scribit in Matthæi caput XXVI: *Nemo putet, eandem esse, quæ super caput effudit unguentum, & quæ super pedes. Illa enim & lachrymis lavat, & crine tergit, & manifeste meretrix appellatur. De hac autem nihil tale scriptum est. Nec enim poterat statim capite Domini meretrix digna fieri.* Sed hujusce teli, hunc ad modum validi, ictum eximus, si prius pedes, mox etiam inunxerit caput. Alii distinguere malunt inter peccatricem, & eam de cujus peccato silcatur. Ambrosius vero non quidem repugnat, quo minus diversæ habeantur; censet interea, posse eandem videri, ac diversum tantummodo tempus attendi oportere. Audiamus ipsum in Lucæ cap. VII: *Potest ergo non eadem esse, ne sibi contrarium dixisse Euangelistæ videantur: potest etiam quæstio, meriti, & temporis, diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, jam ista perfectior. Etsi enim non personam mutat Ecclesia vel anima, tamen mutat profectum.* Et sanè Mariam Magdalenam, Lazari, ac Marthæ sororem, prius fuisse peccatricem, atque hanc à quatuor Euangelistis signari, etiam statuit B. Augustinus lib. II de Consensu Euangelist. cap. LXXIX. Eumque postea secuti fuere plurimi Occidentalium: præsertim postquam in Rituali Ecclesiæ Romanæ una censetur. Et tamen id avorum ætate movere non potuit Iudocum Clichthoværum a, ac Iacobum Fabrum Stapulensem, quo minus contrariam sententiam defensum irent scriptis suis de tribus Mariis, peccatrice, Marthæ sorore, & unde expulsa septem dæmonia: quas omnes nomine Mariæ Magdalenæ celebrari vulgo erat opinio. Stapulensi vero, ac Clichthoværo, respondit Ioannes Roffensis. Græci verò nihilominus pro diversis habuere. Uti, præter memoratos, Basilius Seleuciensis homilia prima de Lazaro b; Οὐχ αὕτη ἦν ἡ πόρνη, ἡ ἐν τῷ Ματθαίῳ, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ Λουκᾷ· ἄλλη γὰρ αὕτη· ἐκεῖναι μὲν γὰρ πόρναι γυναῖκες ἦσαν, καὶ πολλῶν γέμουσαι κακῶν· αὕτη δὲ σεμνὴ, καὶ σπουδαία. *Non hæc erat illa meretrix, de qua in Matthæo: neque de qua in Luca: alia enim hæc: illæ enim erant meretrices, multis scatentes vitiis; hæc gravis, & honesta.* Ac similiter in enarratione Euangelistarum Theophylactus & Euthymius. Quid de Leontio, & tot aliis, dicam? Sed hæc plerosque Latinos parum movent. Nam adversus Græcos auctoritatem obtendunt Ecclesiæ Romanæ, quam dicebamus pro una habere in officio ordinato à Gregorio M. Aliis non tam leve est Græcorum Patrum pondus: ac præterea judicii trutinâ expendere jubent rationes, quibus eorum opinio comprobatur. Nec periclitari hac parte arbitrantur Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, quia nihil ea res ad fidem faciat: & negari non possit, Ritualium auctores quandoque non satis attendisse ad historiæ veritatem: unde & ex apocryphis videas complura esse admista. Vide Wilh. Lindanum de optimo genere interpretandi Scripturas lib. III. cap. III: Pererium præfatione libri XVI. Comm. in Danielem, & antiquiorum illos quos adducit Casaubonus Exercitat. XIV ad Baron. sect. XI.

a Parisiis excudit H. Steph. a. 1519.

b Græce habetur in biblioth. Bavar. Lat. in bibliotheca Patrum, edit. 2. col. 999.

Hactenus aliorum opiniones adduximus: nunc nostram in eo dissensu aperiemus.

7. §. *In eo dissensu veterum (nec multo iis minus discrepant juniores) nostra hæc est opinio, Jesum, antequam pateretur, semel duntaxat fuisse inunctum: atque id factum esse à muliere, ut ἁπλῶς ajunt Matthæus, & Marcus: eaque peccatrice, ut est apud Lucam: nempe à Maria, Lazari sorore; ut indicat Joannes. Ac contigisse id sex diebus ante pascha, ut docet Joannes: in Bethania, ut ajunt Matthæus, Marcus, & Joannes: in domo Simonis; ut referunt Matthæus, Marcus, Lucas; hominis sectâ Pharisæi, quod est apud unum Lucam; quondam leprosi, ut indicant Matthæus, & Marcus: ubi prius inuncti pedes, de quibus Joannes: hinc caput; de quo apud tres alios Euangelistas: idque ex alabastro unguenti; ut ajunt Matthæus, Marcus, Lucas: unguento, inquam, pretioso; ut est apud Matthæum, Marcum, & Joannem; videlicet trecentis æstimato denariis, ut est apud eundem Joannem.*

Hæc aliquanto fusius diducam. Ac primùm statuimus, unctionem Christi, quam Matthæus, & Marcus, memorant, non esse diversam ab illa, quam refert Joannes. Sic ut statuam, facit, quod utraque sit facta in Bethania circa tempus Dominicæ Passionis: utraque ex alabastro: vasis id vocabulum ex onyche, qui inde dictus est *lapis alabastrites*, & καλαχηστικῶς vas vitreum, in quo nardinum servaretur unguentum, quale etiam hoc loco signari censet Illustris Grotius. Utraque etiam facta unguento nardi pisticæ pretiosæ trecentis æstimato denariis. Utraque concivit indignationem in discipulis, plane similiter narratam, quam & Dominus similiter dicitur compescuisse. Hæc tam multa communia ostendunt non esse unctiones diversas. At cui verisimile fiat, cum prior inunctio, ut volunt, sex ante pascha diebus contigisset, ac tum eam ægre adeo tulissent discipuli; quatuor postea diebus, quasi Domini sermonis oblitos, denuo ob simile

alius mulieris factum, similiter ausos esse id reprehendere: sic ut necesse haberet Dominus similiter eos increpare? Verum, inquiunt, ut multa conveniant, sunt tamen aliqua dispaia, quæ eandem esse inunctionem non sinant: ut illa, quæ superius memoravimus, jam olim observata ab antiquis. Verùm aliter est. Nam quæ pugna, si Matthæus, & Marcus, dicant, mulierem quandam: sed nomen expresserit Ioannes, cui dicatur Maria, soror Marthæ: quemadmodum & ab eodem refertur Mariam ministrasse, ac una accubuisse mensæ fratrem ejus Lazarum? Quid impedit, quominus hi omnes in domo Simonis cœnarint? Potuerunt esse vicini, vel sanguine juncti, vel eo amici, quia pariter discipuli forent Christi. Quæ etiam pugna, si primo inuncti sint pedes, postea reliquum fuerit infusum capiti; effracto etiam, sicut Marcus ait, vasculo, adeo ut unguenti nihil sibi reservarit? Nec magis in eo est pugna, quod Ioannes dicat, factum mulieris sugillatum esse à Iuda: alii vero id de discipulis referant. Nam potuit Iudas primus reprehendisse; idque avaritia: mox vero discipuli exemplum fuerint secuti, sed pauperum cura. Vel etiam dixens, de discipulis referri, quia unus è discipulis hoc egerit: nempe ut similis sit συνεκδοχή, ac cum latrones dicuntur blasphemasse Christum, quia id actum à latrone, qui pendebat à sinistra. Similiaque inferius exempla adducam. Quare non possum aliud in animum adducere, quam eandem esse mulierem, non illam modo de qua Matthæus, ac Marcus, qui per omnia conveniunt: sed illam quoque de qua Ioannes. Tam multa enim sunt, in quibus consentiant, ut diversæ nequeant videri. Primùm quod in Bethania unxerit, idque in convivio, ac quidem unguento maximi pretii. Deinde quod mulier ea propterea à Christi discipulo, velut prodiga, fuerit culpata. Denique quod Christus mulieris factum defenderit, atque id dixerit ad pollincturam suam pertinere.

Verùm, qui hactenus assentiunt, in eo abeunt, quod diversam putent signari à Luca: unde sic colligunt, bis à muliere inunctum esse Dominum: prius quidem à muliere peccatrice in domo Simonis Pharisæi: postea verò à Maria, sorore Lazari, in domo Simonis quondam leprosi. De priori unctione loqui solum Lucam: de altera tres alios Euangelistas. Nolim magnopere huic sententiæ adversari: videoque etiam Cornelium Iansenium in Concordia sua Euangelica de unctione illa, quam Lucas narrat, agere capite XLVIII: de ea autem, quam referunt tres alii, loqui capite CIX. Attamen magis eo inclinat animus, ut nec illa sit diversa; idque quia tanta est narrationum convenientia. Siquidem hoc Lucas cum Matthæo, & Marco habet commune, quod Iesus à muliere in convivio, in Simonis domo, perfusus sit alabastri unguento. Cum Ioanne autem, quod Christi pedes ab ea sint inuncti, & capillis siccati. Quæ tam expressæ notæ magnum præbent argumentum, eandem esse: præsertim cum Ioannes διακριτικῶς dicat, Mariam illam, quæ unxit Dominum unguento: quomodo, puto, non loqueretur, si plures inunxissent Dominum. Nec enim tum nota hac satis ab aliis distingueretur. Adde quod Lucas nullius postea unctionis faciat mentionem. Quod cur factum putemus, nisi quia eadem foret unctio, ac illa à discipulis culpata, laudata à magistro? Ex unctione igitur mulieris, & accusatione discipulorum, & excusatione Christi, quando usque adeò conveniunt, eandem à Luca signari historiam colligimus. Nec obstare putandum, quod objectant, à Luca mulierem vocari peccatricem. Nam quid hic fuerit ἀσύστατον, si Maria, Lazari soror, prius fuerit peccatrix, hoc est, dissolutius vixerit: postea, pœnitudine ducta, serò emendarit vitam, & ob egregiam pietatem Christo fuerit accepta? Nec, quo minus eadem historia sit, impedit, quod tanto ante passionis historiam referatur à Luca. Nam, sicuti superius orsi eramus dicere, Euangelistæ sæpenumero in narrando non temporis habent rationem, sed occasionem arripiunt ex commodo argumenti nexu. Itaque Ioannes quidem accuratè attendit tempus: Matthæus vero, ac Marcus, inde occasionem cepere, quod proxime volebant dicere de pacto Iudæ cum Iudæis: cui rei ansam præbuerat indignatio Iudæ orta ex facto mulieris Christum ungentis. Lucas verò aliam amplexus opinionem. Nam cum antea locutus esset de Pharisæis prædicationem Christi aspernantibus, contrarium voluit subdere Pharisæi exemplum non alieni à sermonibus Christi, ac Lazari, fortasse consanguinei, vel amici, ac Christum propterea invitantis, eo interim offensi, quod pateretur se inungi à muliere peccatrice. Nam inde colligebat, ignorare Christum, qualis ea mulier foret, ac proinde prophetam non esse, cujusmodi à multis haberetur. Potuit & aliunde occasio Lucæ præberi. Ut si, quoniam antea egisset de pœnitentia, propterea subjungere voluerit illustre exemplum mulieris peccatricis pœnitentiam agentis.

Longius verò à janua, quod dicitur, videntur mihi aberrasse, qui arbitrantur, Mariam, à qua Dominus, priusquam pateretur, inunctus fuit, Mariam fuisse Magdalenam. Quam sententiam propugnat Baronius ad an. Chr. XXXII. Hæc enim non ea nota ab aliis distinguitur Mariis, quod inunxerit Dominum; sed quod Dominus ex ea septem ejecerit dæmonia. Videtur autem error is inde promanasse, quod Euangelistæ Mariam hanc celebrent inter eas, quæ operam utilem navarint ad pollincturam Christi. Eoque argumento etiam se tuetur Baronius. Verum Mariam Magdalenam, & Marthæ sororem, pro diversis etiam habet Clemens Romanus, sive alius, lib. III Constitutionum Apostolicarum cap. VI: *Erat nobiscum mater Domini, & sorores ejus: præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, sorores Lazari, & Salome, & quædam aliæ.* At ante seculum, & ultra, Roffensis episcopus, in iis, quæ adversus Clichthovæum, & Fabrum, scripsit, etiam ostendit, quod Massilienses, & qui provinciam inhabitarent, ab omni ævo sic statuerint: item antiquam esse inscriptionem monumenti à Maximino, uno è LXX discipulis, in honorem sororis Marthæ exstructo: ubi illi ea tribuantur omnia, quæ Scriptura narrat de Maria Magdalena. Hæc majoris essent ponderis, nisi multa adeò forent, quæ merito ea redderent suspecta. Quale inter alia, quod apud antiquiores omnes altum plane de istis silentium sit: nec nisi proximis seculis hanc Massiliensium famam cœpisse, per sit verisimile.

8. §. *Abunde dictum de quæstione, unane mulier, an plures, semel Christum, an sæpius inunxerint. Venio nunc ad alterum, cujusmodi unguento Christus fuerit unctus. Ἁπλῶς vocant μύρον Matthæus, & Lucas: sed βαρύτιμον addit Matthæus; πολυτελὲς Marcus; πολύτιμον Ioannes. At inde non aliud, quam magni fuisse pretii, intelligitur. Speciatim vero fuisse μύρον νάρδου πιστικῆς, aiunt Marcus, & Ioannes. Quid vero sit νάρδος πιστική, (cujus extra Ioannem nuspiam quam Marci XIV. 3. reperias mentionem) mirè & veteres variant, & juniores. Sunt, qui locum putent corruptum, & pro πιστικῆ rescribendum Ὀπιστικῆ.*

Nempe quia Athenæus, & Pollux, nardum laudant Babylonicam, & non longè admodum à Babylonia aberat Opis, Persiæ civitas, Herodoto, & Straboni memorata: eo credunt, & melioris notæ nardum fuisse, quæ ab illa Persiæ civitate Ὀπιστική diceretur. Sententiam hanc primus attulit Ioannes Hattungus: quem & alii postea sunt secuti.

9. §. *Huic verò sententiæ multum incommodat, quod ex scriptoribus Ecclesiasticis nemo, nec ullus τῶν ἔξωθεν, Opisticæ nardi meminerit. Quamobrem porro dispiciendum, an non rectius crediderint*

rint alii, πιστικὴ poni pro expresso aliunde in liquorem: ut sit à πίσσω.

Eo pacto notabit nardum pistillo contusam, inque liquorem, & unguentum redactam. Quam opinionem esse Iosephi Scaligeri, monitum viro Nobili, præceptori meo, Francisco Nansio, ad Nonni cap. XII. Sic à πίσσω, quod est *pinso*, *contundendo imminuo*, fuerit πιστικὸς, &c, eliso, τ, πισικὸς; quomodo ab eodem πίσσω torcular (ληνὸν Græci dicunt, unde *Lenæs* cognomen Baccho) aliter vocatur πισὸς, pro πιστός: ut ex Hesychio constat. Imo & ex πίσσω similiter veteres Latini *piso*, ac postea *pinso*, unde *pistillum*, atque alia.

10. §. *Sed neque in isto animus acquiescit, quia nemo unquam veterum prodidit πιστικὸς etiam dici ἀπὸ τῆ πίσσειν. Alii igitur existimant, voce ea significari liquidam sive potulentam: nempe ἀπὸ τῆ πίνειν: ut πιστικὴ dixerint pro ποτή.*

Placuit hoc Isaaco Casaubono, Notis ad Marci cap. XIV, eo magis, quia Athenæus lib. XV. referat, eam esse idoneam ut bibatur: ac libro VI legas, νάρδον καταπίνειν: apud Hirtium item lib. de bello Hispaniensi: *Ipse de tempore cœnavit; vinum, & nardum, identidem sibi infudit.*

11. §. *Hæc quoque opinio tum eo refellitur, quod πιστικὸς nusquam ea significatione reperiatur: tum quod non agatur hic loci de aliquo nardi liquore ad hoc præparato, ut ejus aliquid misceretur vino: sed de nardo, qua inungerentur membra.*

Atque hæc dicta sunto adversus triplicem juniorum conjecturam, Hartungi, Scaligeri, Casauboni.

12. § *Videamus nunc, an non satius sit acquiescere in judicio veterum. Quorum duplex fuit sententia. Prior est eorum, quibus placet esse ἀπὸ τῆ πίστεως, quasi fidelem nardum dicas: h.e. probatam, sive bonæ fidei, ac notæ.*

Quomodo πιστικῆς voce usi fuere Eusebius, Georgius Cedrenus, Manoel Comnenus: ut ostensum Casaubono Exercitat. ad Baronium XIV, sect. XIII. Ac sic cepit Theophylactus in Marc. XIV. 3: ubi inquit, Πιστικὴν ἢ νάρδον λέγει, ἤτοι ἄδολον νάρδον ἢ πιστῶς κατεσκευασμένην. Pisticam nardum intelligit, vel speciem nardi sic vocatam; vel nardum veram, bonaque fide præparatam.

13. §. *Huic opinioni non leviter obstare videtur, quod Græci ea voce non sic nisi fines tempore Euangelistarum; sed demum totis seculis post.*

Nec tamen prorsus rejicere hanc opinionem ausim. Cùm enim in confesso sit, sic loqui posteriores: quis spondeat nobis, non jam cœpisse multo ante sic loqui; non Athenis dico, sed locis iis, ubi inter eos viverent, quos Græci barbaros dixere. Inde igitur Marcus, & Ioannes, qui soli πιστικῆς νάρδου meminerunt, hoc loquendi genus potuerint hausisse. Sed hoc, ut incertum, in medio relinquamus.

14. §. *Altera veterum quorundam opinio fuisse videtur, vocem πιστικῆς non esse origine Græcam, sed Latinam. Ut si dicamus ex Latino spicata, vulgus Græcanicum trajectis literis fecisse pistaca, & mutata vocali media, pistica, penultima porrecta. Vel si Græci quidem ex spicata fecerint σπικάτη, vel σπεκάτη: corruptius vero Iudæi κατὰ μετάθεσιν extulerint* פיסטקא *pistica pro* ספיקטא *spicata.*

Hujusmodi trajectio valde est usitata, quando vox aliqua de una lingua transfunditur in alienam. Sic à Syriaco בורגא, quod (σχηματισμὸς id, sive, ut posterioribus Romani imperii temporibus dixere, *burgum* notat) pro πύργος dixere βύργον. A Græco μορφὴ est Latinum *forma*, à τέρην *tener*, ab ἀχλὺς *caligo*, ab Æolico βολγὸς, pro ὀχλὸς, *volgus*, sive *vulgus*. A *berbix*, ut posteriores dixere pro *vervex*, Gallicum *brebis*, hoc est, ovis. Gloss. vett. *berbix*, πρόβατον. A *ren* Germanicum ac Belgicum *nier*. A *crusta*, Belgicum *corst*. Possim innumerata id genus plurimis in linguis promere. Ac ne quis dicat, nunc sermonem esse de iis, quæ alii à Latinis accepere: par est ratio in iis quæ Græci, vel Iudæi, sumsere à Latinis; quale fuerit πισικη, vel potius πισικη, à *spicata*. Sic enim ex *Sextus* Græci fecere ξύσος, ex *sextarius* ξεστης: ut de hac ipsa re loquens ingens Germaniæ lux, imo æternum decus, Ioachimus Camerarius ad Marci cap. XIV annotavit. Estque paris monetæ, cum Græci pro Latino *saxifraga* scribunt σαξίφραγον. Similiaque etiam in Arabicis, & Syris, ad eundem Euangelistæ locum observat Ill. Grotius. Ac confirmat idem hanc sententiam è Nonno, qui locum hunc sic expressit:

Πισικῆς τρία μέτρα φατιζομένης ἀπὸ νάρδου.

Mensuras nardi tres, qua pistica vocatur.

Ubi si πισικῆς putasset vocem esse origine Græcam, non contra morem Græcanicum mediam produceret. Nempe & Nonnus videtur putasse, πισικη esse corruptum ex *spicata*. Eoque & φατιζομένης subjungit; ut significet, non Græcam esse vocem, sed vulgo aliunde receptam. Et quantum huic sententiæ accedit, quod & vetus interpres πισικῆς *spicati* reddiderit? Eo autem nardum dicitur spicatum, quia conficeretè spicis nardi. Nam laudatissima est nardus, quæ in aristas consurgit. Ac similiter si exprimeretur è foliis nardi, *foliatum* vocabatur: unde Martialis lib. XI epig. XXVIII:

At mea me libram foliati poscat amica.

15. §. *Superest exponamus, quo animo mulier inunxerit Christum. Ubi caussam facti bifariam attendere possumus: prius ex proposito feminæ: hinc ex consilio Dei actum feminæ dirigentis. Femina animus non ulterius adsurgebat quam ut honore adficeret Christum. Deus vero singulari consilio hæc eo direxit, ut illa ignara, & inscia, Christi mors, & sepultura. Apostolis, atque accumbentium aliis, imo ipsi etiam Christo significaretur.*

Mulierem honoris, ac, ut vulgo loquuntur, devotionis ergo id fecisse, etiam judicium est Chrysostomi homil. LXXX in Matth. Πολλὴ ἡ εὐλάβεια αὐτῆς, καὶ ἄφατος ἡ σπουδή. *Multa erat reverentia, & studium inenarrabile.* Sic lapidem inunxit Iacob Gen. XXVIII. 18. Et mos similis gentilibus, ut ex Anacreonte, & aliis, constat. At quanto alius divina se extulit providentia! Nam ea spectavit instantem pollincturam: unde Christus Marci XIV. 8: *Quod habuit, hæc fecit: prævenit corpus meum ungere ad sepulturam.* Similiter Matth. XXVI. 14. Ubi Theophylactum vide. Sic igitur colligimus, mulierem, etsi sciret, Christum deliciis ejusmodi neutiquam capi, suo tamen amori indulsisse, Spiritu Sancto interim animum ejus dirigente ad hoc significandum, quod ipsa ignoraret. Christum vero ex eo quod Deus intendit benigne interpretatum esse mulieris factum.

16. §. *Possumus interea etiam Christi verba simplicius interpretari, ut mens ejus sit: mulierem, quæ non semel audierat ex Christo, mortem ejus instare, solam anticipasse unctionis tempus, id quod mortuo deberi omnes sciunt, viventi adhuc præstando. Sane apud Marcum est verbum προέλαβε: quod est*, prævenit, antevertit.

Quasi

Quasi dicat Christus: Laudabilis est consuetudo vestra inungendi cadavera: quia hoc fit ad testandum, eorum resurrectionem exspectari. Et illaudatum videtur vobis, quod femina paullum hoc tempus anticiparit; ungendo eum, cujus mors instat? Luxus non erit in mortuo: & sit in paucis diebus morituro? Quod tempus ea prævenit amoris, & honoris ergo: & ut eadem illustri signo significaret illi pœnitentiam suam à quo fuerat conversa. Eoque id justius mihi præstitit, quia Regem sciret: cui honos is vivo etiam ex more omnium pene gentium convenit. Atque ita Christi verba etiam cepit illustris Grotius: qui pluribus eum in præclaris ad Euangelistas Notis illustravit. Adi & Cajetanum in Ientaculorum opusculo, Quæstione prima.

LIBRI I.

PARS ALTERA:

De iis, quæ in hebdomade magna ante passionem Dominicam contigerunt.

CAP. IV.

De glorioso Christi ingressu in Hierusalem, & aliis, quæ contigerunt hebdomadis magnæ feria prima, quæ dicitur *Dominica Palmarum.*

1. §. *Qua hactenus diximus, antecedunt Dominicam Palmarum: sequitur nunc, hebdomas magna.*

Salutarem Pascha hebdomadem appellat Theophilus Alexandrinus, prima epistola Paschali. *Majorem hebdomadem* vocant alii: ut ostendit Alcuinus, his verbis: *Ideo autem hæc hebdomada major dicitur*, quia *in ea maxime est adhibenda parsimonia: sive quod majus officium recolitur in ea.* Item Micrologus de Ecclesiasticis Ordinibus cap VII: *A Dominica tamen Palmarum, eo quod ibi Passiones legere incipimus, præfationem de Cruce dicimus usque ad crucem Domini*: videlicet *per quinque dies quinquepartitam Domini passionem intimantes: ipsamque hebdomadam, quam Sancti Patres majorem vocant, eadem præfatione adornantes. Nam & convenientissime eo tempore dicitur, cum de Passione Domini tam specialiter agitur.* Hæc universe de appellatione totius hebdomadis. Deinceps particulatim loquar de singulis ejus diebus. Ac primum de prima.

2. §. *Postridie, quam ea evenissent, quæ de unctione Christi proxime afferebamus, Christus gloriose in urbem ingressus fuit. Quæ in narratione attendimus antecedentia, comitantia, consequentia; sive tempus illud, quod ad sessionem in pullo asinæ præparavit; hoc, quo in via pullo asinæ Christus insedit; & ipsum in urbem ingressum. In primo tempore consideramus, quando ad iter præparari cœptum, & præparationis partes. Quando cœptum, satis nos docet Ioannes* XII. 12: *ubi expositis illis de unctione Christi, hæc ait, contigisse τῇ ἐπαύριον, crastina, vel potius postera luce.*

Quincta videlicet die ante Pascha, decima mensis Nisan: quod mysterio non caruit. Siquidem eo die Iudæi domum suam recipiebant agnum, quem quarto post die mactarent, quincto comederent; ut ex Exodi XII. 3. 6. liquet. Tum igitur voluit Hierosolymam ingredi, quando domi receptarent agnum mactandum: sicuti & tum voluit mactari, quando, ex lege Mosaica, mactaretur agnus Paschalis. In eo quoque mysterium agnoscimus, quod eopse die ingressus est Hierosolymam, quo Iosue, (qui uti nomen habuit *Iesu*, ita typus ejusdem fuit) trajecto Iordane, terram promissam ingressus fuit cum populo Israelis universo.

3. §. *Præparatio itineris fuit triplex. Prima* a *est mandatum discipulis datum. Altera est discipulorum obedientia. Tertia est non imperata stragulorum injectio in pullum. In primo attendimus mandatum de asina, ac pullo adducendis: locum, quia prædicitur ambos κατέναντι*, ex adverso, *inventum iri: eventum, cum additur, obtentum iri à Domino.* a Matth. 21. 1. & seqq. Mar. 11. 1. &c. Luc. 19. 29. ac deinceps.

In quibus ista concurrunt: quod divina virtute videt locum asinæ & pulli injugis: quod item, tanquam dominus, jubet utrumque solvi: adhæc quod prædicit fore, tum ut interpellentur discipuli, tum ut dominus asinæ, ac pulli, eos dimittat lubens. Quæ omnia arguunt divinum Christi spiritum, eumque esse verum Messiam. Nempe quo spiritu Iesaias *b*, & Zacharias *c*, olim hæc b Ies. 62. 11.
fore prædixerant: eodem illa Iesus prævidit, ac jussit *d*, c Zachar. 9. 9.
ut ita implerentur vaticinia prophetarum. In verbis propheticis per *Filiam Sion* intelligitur Hierosolyma in monte d Matt. 21. 5.
Sion exstructa. Per urbem vero κατὰ μετωνυμίαν significantur cives Hierosolymitani, & κατὰ συνεκδοχὴν omnes Israelitæ. Rex, inquit, tuus venit, hoc est, bono tuo. Ac apud Prophetam dantur ei terna elogia. Primum est *justi*, tum proprie, & ut dicunt, habitualiter, tum etiam μετωνυμικῶς, quatenus justificat populum suum. Alterum est *servatoris*. Siquidem נושע proprie quidem notat *servatum*: sed, ut Drusius quoque annotavit, participia passiva, quando fiunt nomina, active sumi solent. Tertium sit עני, h. e. *afflicti, ac pauperis*. Sed LXX. videntur legisse ענו, quod est πραΰς, h. e. *lenis, & mansuetus*. Per huncce Sionis regem à propheta signari Messiam, etiam fatentur scriptor Bereschith Rabba, & Midras Coheleth. Ubi Græce est ὄνον, apud Prophetam est חמור chamor: quod quandoque esse femininum, liquet ex II Sam. XX. 26: ubi & LXX reddunt τὴν ὄνον. Ac sic etiam accipi in hac historia, arguit, quod jungantur ὄνος, & πῶλος sive *pullus*: qui non patrem, sed matrem, sequi solet. Ac apud Matthæum quoque est ὄνον δεδεμένην, καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς.

4. §. *De altero referunt Euangelistæ, quomodo ierint discipuli, quo jusserat Christus, atque adduxerint asinam & pullum, cui hactenus insedisset nemo.*

Solius pulli meminere, Marcus, Lucas, Ioannes. Sed de asina, & pullo, clare est apud Matthæum. Quæ mox conciliabimus.

5. §. *Tertium est spontaneum discipulorum officium, quando asinæ, & pullo, stragula imposuerunt: ut Christi esset optio, utri vellet insidere. Insedit vero pullo, sed asina comitante.*

Hie-

Hieronymus tamen, & alii, tam veterum, quam recentiorum, putant, nunc pullo, nunc, eo lassato, insedisse asinæ. Nempe quia apud Zachariam est, *insidens asina, & pullo filio asinarum.* Ubi satis liquet, per synecdochen numeri *asinarum* dici pro *asina*: ut sententia sit, pullo ex genere asinino. Sed & Matthæus gemini meminit animantis, cum dicat, ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον, υἱὸν ὑποζυγίου, *sedens super asinam, & pullum, filium subjugis.* Sed parum est verisimile, Christum in tam brevi via hæc animantia commutasse. Nam Bethphage, & Bethania, erant prope Oliveti montem, una ab uno, altera ad alterum latus; sed sic, ut Bethphage propior foret. Quod liquet etiam ex tabula Iudææ ante annos pauxillos in Amstelodamensi hac urbe edita ab homine Iudæo. Et locum utrumque fuisse urbi propinquum, cognoscimus ex Matth. XI. 1. & Luc. XIX. 29. Verba Evangelistarum antea adducebamus. Quamobrem multo est verisimilior Euthymii opinio, soli insedisse pullo, sed cui asina esset addita: quod inde erat, quia asinæ abjugari non solent: ut optime socero meo Fr. Iunio observatum. Dicitur igitur asinæ, & pullo insedisse, quia alterutri insedent, quomodo Iud. XII. 7. legas, *Sepultus est in urbibus Gilead*: h. e. urbium aliqua. Ion. 1. 6. *Descendit in latera navis.* h. e. alterutrum latus. Et Matth. XXVII. 24. *Latrones exprobraverunt ei.* h. e. alter latronum. De quo aliquid jam ante dixi, pluribus vero egi lib. IV. Orator. Instit. cap. VIII. sect. X. Imo Zachariæ etiam verba sic liceat interpretari, ut per asinum, & pullum, intelligatur unum animal: quod natura sit asinus, ætate autem pullus. Quomodo fuerit ἓν διὰ δυοῖν: quo de schemate multa iidem adduximus in Oratoriarum quincto. Atque hæc de primo tempore, quod antecessit vectationem Christi.

Porro hæc vectatio Christi antiquis Iudæorum temporibus gloriosior fuisset, quam nunc erat. Nam & summates viros ob equorum penuriam tum iis vectari solere, liquet ex Iud. X. 4. & XII. 14. & aliunde. Sed postquam Salomonicis temporibus tanta inter Iudæos, & Ægyptios, conjunctio fuit, magis Iudæa equis abundavit: quod asinos multum depreciavit. Ad gloriam igitur Christi pertinuit, quod ea cum pompa Hierosolyma ingrederetur. Interim regnum ejus non fuisse terrenum ostendit, quod non equo generoso, sed asinæ pullo vectaretur.

6. §. *De præparatione dictum. Sequitur de toto vectationis tempore: quod pro locis itineris distinguemus. Primum considerabimus quæ gesta sunt, ex quo insidere cœpit, donec devenis ad descensum montis Olivarum. Hinc quæ contigere, donec Hierosolymis appropinquaret. Denique quæ facta cum Urbem ingrederetur. Vectatio inde cœpit, ubi mandatum dederat sibi asinam cum pullo adducendi. Id factum, cum exisset jam Bethania, ac Bethphage esset ex adverso.*

Hoc enim docent Marcus XI. 1. & Lucas XIX, 29; qui id factum ajunt, *cum prope abesset a Bethphage, & Bethania.* Græce utrobique est ἤγγιζεν. quod non tam significat, appropinquare, ut vulgatus reddidit interpres; quam *prope esse.* Nempe erat in valle inter utrumque eum locum. Quorum Bethania ab Hierosolymis distabat XV stadiis, sive duobus prope miliaribus. Bethphage autem mille solum passibus aberat ab Hierusalem; ut ex 1 Act. constat.

7. §. *Hic cum Christus pullum asinæ adscendisset, multi ex turba, honoris ergo, non modo ramalia, ac frondes, (στιβάδας est apud Marcum a) sed etiam vestes straverunt. Præterea eundem fuere prosecuti cum clamore, profitendo esse filium Davidis b; quo sine non fuisset Messias; tum bene precando c verbis Psal.* CXVIII d, Benedictus, qui venit in nomine Domini.

a Mar. 11. 8.
b Matth. 21. 9.
c Luc. 19. 38.
d Ps. 117.

Ubi in ἐυλογημένος intelligitur *sit.* Per *nomen Domini* signatur mandatum. Nempe cum mandato regnandi super populum.

8. §. *Addebat quoque a,* Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις· Hosanna in altissimis. a Matth. 21. 9. Mar. 11. 9. 10.

Prima vox Syriace est אושענא, Hebraice הושיעה נא, *hoschiáh nna.* Est vero composita ex Psalmi ejusdem vers. XXV, conflataque ex verbo significante *serva*, & particula, quæ notat *nunc.* Ut sententia sit, Hunc quæso Regem serva, omniaque ei prospera largire. Ut similis sit acclamatio, ac illa vulgaris, *Vivat Rex.*

9. §. *Addunt Evangelistæ, hæc omnia facta esse, ut implerentur de Christo vaticinia.*

Prophetarum eorum Verba jam antea expediimus. Hæc de primo vectationis tempore.

10. §. *Postquam devenit Christus ad descensum montis Oliveti (id alterum est vectationis tempus) magna iterum acclamatio coorta Iudæorum. Et erant in iis, qui una ex Bethania venerant, oculati testes Lazari è mortuis resuscitati. Etiam quia multi ex urbe venerunt ob famam ejus miraculi, numerus illorum reddebatur auctior, qui Christum comitarentur. Sed turbæ se immiscuerant Pharisæi; qui tantam audientes faventiam, monuere Christum, ut discipulos, sive turbam, increparet, ne forte acclamationem illam, quæ tanquam Regi fieret, male interpretarentur Romani, ac propterea grande malum Iudæis crearent, imo ipsi Christo. Respondit iis Iesus, his tacentibus, lapides locuturos.*

Referunt hæc ex parte Ioannes XII, 17. 18. 19: ex parte Lucas cap. XIX. 37. 38. 39. 40.

11. §. *Tertium est tempus, cum magis magisque Hierosolyma in conspectu forent. Tunc cœpit lacrymari, ac optare, ut tam sciret urbs ea, quam nunc culpa sua nesciret, quæ ad pacem, sive incolumitatem ac salutem suam pertinerent: siquidem eam urbem, quæ nunc salutaria Christi monita respueret, esse iccirco ab hostibus obsidione cingendam, multa dura, atque horrenda, perpessuram, tandem etiam diruendam, usque adeo, ut vix lapis maneat super lapidem.*

Quanti profecto in Christo est affectus argumentum, quod in illa etiam frequentia, se tanta pompa prosequentium, & Regem proclamantium, deploraret tamen miseram urbis conditionem, quæ sic negligeret tempus suæ ἐπισκοπῆς, sive visitationis ad se salvandum. Nec enim *visitare* solum dicitur Deus, quando ad puniendum venit; sed etiam, quando beneficium vult conferre. Mirum vero quosdam fuisse olim codices, in quibus hæc historia omitteretur. Quod ex Epiphanio constat ἐν ἀγκυρωτῷ. Nimirum delicatuli illi putarunt, indignum esse Christo, si ploraret: quasi non & eundem, Lazaro mortuo, flevisse legamus apud Ioannem. Sane affectus sunt à Deo; boni, si bene utamur, puta ad Dei honorem, & salutem proximi. At in Christo hic affectus manabat ex caritate erga alios: quæ citra dubium optima. Quod si dolor is bonus, etiam tale sit signum doloris, quale est fletus.

12. §. *Quartum est vectationis tempus, quando, asino insidens, & tanta comitante turba, ingrederetur urbem. Duo vero tum contigisse dicuntur. Prius est, quod tota civitas est commota b, ac illi quidem, qui Urbem incolerent, hoc est,* b Matth. cap. 19. v. 10. 11.

magna ejus pars, rogarent, quis foret ille, qui cum magna adeo pompa ingrederetur Hierosolymam; ac cui Messia, & Regis Israelitici nomen acclamaretur. Illi vero, qui è Bethania, ac Bethphage, advenissent, vel Hierosolymis accessissent, dicere, eum esse Propheten è Nazareth.

Sine dubio cum hæc dicerentur, atque audirentur, plurimi non aliud animo conceperunt, quam esse illum solum propheten; sed eum, de quo Moses pronunciarat Deuteron. XVIII. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audito.* Quæ Petrus Actorum III. & Stephanus VII. 37. de Christo interpretantur. Fuerit quidem ea imperfecta confessio: vera tamen, & quæ ad perfectionem præpararet. Siquidem voluit Christus paullatim populo innotescere, crescente indies notitia sui. Uti hodieque cognitionem sui sensim instillat.

13. §. *Pharisæi vero indignari, ac se ipsos culpare, quod, dum cunctantur, tanta Christus favoris popularis cepisset incrementa.*

Ioan. XII. 19: *Pharisæi ergo dicunt ad semet ipsos. Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus abiit post eum.* Sic ὑπερβολικῶς loquebantur, propter magnam adeo hominum vim, quæ Iesum sectaretur.

Cap. V.

De iis, quæ contigere Christo Hierosolymam non tam ingrediente, quam ingresso, & aliis quibusdam, quæ Euangelista Ioannes subjungit.

1. § S*Equitur historia illorum, quæ contigere, priusquam Christus Hierosolymis exiret. Hanc dispescimus in partes quinque: quarum unaquaque duas minores, quandoque etiam ternas comprehendit.*
a Matth. 21. 12. Marc. 11. 11. Luc. 19. 45. *Prima est ingressus in templum* a, *& in eo sanatio ægrorum. Non dubium vero quin ingressum in urbem ingressus in templum mox fuerit consecutus. Quomodo enim multum cessaret Iesus, qui doceret ipse, ante omnia quærendum esse regnum cælorum?*

Atque hoc etiam, quod non tecta arcem petierit, sed templum, argumento esse poterat, regnum ejus non fuisse mundanum, sed spirituale.

2. § *In templo Christum accessere cæci claudique:*
b Matth. 21. 14. *quos & sanavit* b.

Fuit hæc cæcitas, & claudicatio corporalis: sed symbolum erat cæcitatis, ac claudicationis spiritualis: quibus medetur Christus tum Spiritu suo, tum verbo, & Sacramentis.

3. §. *Altera pars continet hæc tria: puerorum acclamationem, procerum indignationem, & Christi ad eos responsum. Pueri in templo acclama-*
c Matth. 21. 15. *bant,* c Hosanna, fili David.

De voce illa *Hosanna* jam diximus cap. antecedenti.

4. §. *Principes vero sacerdotum, & Scribæ, cum viderent miracula quæ fierent, & jam non adultos solum, ut ante, sed etiam pueros, majorum exemplo adductos, gratulari, & omnia prospera optare Christo, tanquam regi: non propterea compulsi sunt ad eum agnoscendum, sed invidia qua-*
d Matth. 21. 16. *dam, & indignatione, rogarunt Christum* d, *an audiret ista, quæ dicerentur.*

Nempe sic secum cogitabant: aut probabit clamorem, aut improbat: Si probat, occasio erit accusandi apud Præsidem, quod rex velit haberi. Si is improbabit, occasio fuerit compescendi turbam, falsis, ac periculosis clamoribus eum onerantem verius, quam honorantem.

5. §. *Indignationi huic occurrit Christus, quærendo* a a Matth.
ex iis an non legissent illud Psal. VIII. 3. Ex ore 21. 16.
infantium, & lactentium, perfecisti laudem.

Quorum sententia est, Deum etiam per simplices, & indoctos, ac similes infantibus, gloriam suam fundare, ut Hebræa sonant, sive ut LXX reddidere, καταρτίζειν, *perficere*: q. d. nihil esse tam minutum, quod non divinæ inserviat gloriæ, eique fundatæ sive solidæ, & perfectissimæ.

6. §. *Tertia historia ejus pars complectitur in Græcis desiderium videndi Christi, & occasione ea habitum à Christo sermonem de gloria sua. De priori refertur* b, *quomodo Græci quidam, ex iis, qui* b Ioa. 12.
adscendere solebant, ut adorarent in festo, volue- 20. 21. 22.
runt Iesum videre.

Græce dicuntur, Ἕλληνές τινες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ. Fuere homines non circumcisi: puta nec Israelitæ, nec item proselyti: sed ex gentilibus iis, qui unum agnoscerent Deum: quales in Actis Cornelius centurio, & Eunuchus Candaces. De talibus capiendum hoc Act. XVII. 4: *Nonnulli igitur crediderunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna.* Τῶν σεβομένων Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος. Ex eo autem, quot quotannis Hierosolymam proficiscerentur in Paschatis festo, & suas cum Iudæis preces conjungerent, verisimile fit, eos è Phœnicia, aliove loco vicino, advenisse. Nec obstat, quod Græci dicantur. Nam universè Græci opponuntur Iudæis. Ita Marci VII. 16. Ἑλληνὶς dicitur, quæ aliis Euangelistis Syrophœnissa. Et sane potuit Tyriis, ac Sidoniis, ob locorum viciniam, inque ea excursum, facilior esse notitia Galilæorum Bethsaidensium, qualis ille Philippus; de quo nunc dicam.

7. § *Desiderium suum coram intuendi, credo etiam compellandi Iesu, primum significarunt Philippo è Bethsaida Galilææ: ille autem exposuit Andreæ, qui primus à Christo erat vocatus ad munus Apostolicum, eoque auctoritate exsuperabat. Uterque vero hoc retulit Christo, priusquam eos adducerent.*

Neque enim fiducia iis tanta eos protinus sistendi, cum scirent, Christum mandasse, ne commercium cum gentibus haberent, sed solum cum perditis ovibus Israelis.

8. §. *Quod ad alterum, Christus occasione ea, quod gentiles ipsi tangerentur desiderio videndi ejus, orationem instituit* c *de gloria, quæ se maneret* c Ioa. 12.
per orbem universum: ostendit vero, ad hanc se 23.
gloriam non posse pervenire, nisi moriatur, ac deinde resurgat, & ascendat in cælos, & spiritum S. mittat; quo instructi Apostoli fide impleant totum mundum.

Itaque sic ait *d* secum esse comparatum tanquam cum d Ioa. 12.
grano frumenti, quod nisi terræ fuerit mandatum, non 24.
feret fructus.

9. § *Ita denuo discipulos suos præparavit ad passionem, ne scandalo iis foret: Atque insimul exemplo suo eos voluit præparare ad ea quæ ipsi essent passuri: unde subjunxit* e, *illos, qui sic vitam* e Ioa. 12.
suam ament, ut Christum posthabeant, animam 25.
perdituros seculo futuro: illos verò, qui carnalibus desideriis renuncient, & vitam hanc præ Christo floccifaciant, æternum victuros cum Christo.

Æquum

Æquum etiam esse, ut minister sequatur Dominum a: *quod si fiat, fore etiam, ut ubi Christus*
a Ioan. 12. 26. *erit, istic sit minister.*

Hoc pacto discipulos ad animæ suæ odium invitat, tum præmio æternæ vitæ, tum glorioso sui consortio.

10. §. *Quarta pars continet ingentem Christi horrorem, consecutam precationem ad Deum, quo ab eo glorificaretur, & ad glorificandum vocem è cælis auditam. Horror, qui Christum occupavit, ortus est è recordatione passionis im-*
b Ioa. 12. 27. *minentis* b.

Quod ostendit, eum affectibus fuisse obnoxium, sed citra peccatum.

11. *Sic constitutus, quemadmodum dicitur, inter sacrum & saxum, hoc est, inter naturale vitæ desiderium, & voluntatem Dei, ad quam implendam venerat in hunc mundum, preces suas ad Deum convertit, cumque prius quidem rogavit, ut se liberaret ab supplicio, quod immineret: sed quasi revocans se, continuo* c *subiun-*
c Ioa. 12. 27. *git: venisse se in hunc mundum ad durissimam mortem subeundam: eoque quod desiderium naturale dictaret, non expeti à se, nisi cum ea conditione, si sic placeret Patri: sed certis, ac determinatis precibus sese exposcere, quod ratio juberet: nempe ut Pater omne id per Iesum faceret, unde clarum ac celebre fieret nomen divinum.*

Ut similis sit precatio, ac illa. *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* De qua quia copiose inferius dicam, plura hic addere supersedebo.

12. §. *Subditur, quomodo Dominus sit precatus,*
d Ioa. 12. 28. *hunc in modum* d: Pater, illustra nomen tuum: *ac tum vox è cælis sit audita,* Et illustravi, & iterum illustrabo.

Clarum Pater Filium, etiam nascentem, reddiderat per Angelos; ac deinceps per tot miracula potentiæ divinæ; proxime etiam Lazaro è mortuis suscitato; clarioremque erat facturus Spiritu S. Apostolis misso, qui conversuri erant omnes gentes.

13 §. *Adstantes hunc sonum audiebant: sed alii quidem qui à Christo longius abessent, turbatius,*
e Ioa. 12. 29. *unde tonitru esse credebant* e: *alii perfectius, unde putarent, Angelum fuisse cum Iesu collocu-*
f Ioa. 12. 30. *tum. Iesus vero indicavit* f *iis, vocem illam non propter se editam esse, sed propter adstantes, quo nempe eo facilius crederent Christo, cui Pater ipse cælestis testimonium perhiberet. Ingens vero solatium ea ex voce Christus percepit: sic ut magnifice glorietur de victoria, quam reportaturus esset de morte ac diabolo.*

g Ioa. 12. 31. *Nunc*, inquit g, *judicium est mundi.* Græce, κρίσις τοῦ κόσμου. Ubi per κρίσιν vel intelligitur damnatio, quia resurrectione sua omnes erat mendacii convicturus, qui credere nollent: vel more Hebræo, signantur vindiciæ in libertatem, quia genus humanum erat morte Christi liberandum ab eo, qui more tyrannorum, regnum mundi invaserat; ut plenius planiusque deinceps exponitur. Sequitur enim: Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου ἐκβληθήσεται ἔξω. *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Hoc est, diabolus, qui & ἄρχων τοῦ κόσμου dicitur cap. XIV. 30, & XVI. 11: uti & ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, *Deus hujus seculi*, 2 Cor. IV. 4. Ac similiter maligni illi spiritus Ephes. IV. 12. dicuntur κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου. *mundi rectores in hujusce seculi tenebris.* Alter etiam fructus superadditur vers. XXXII: Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. *Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me ipsum. Omnes*, inquit; puta non Iudæos modo, sed etiam alienigenas, dummodo non abnuant vocantem sequi. Per exaltationem vero a terra significat, se esse cruci affigendum: ut clare indicat Euangelista, cum proxime subjungit; a *Hoc autem dicebat,* a Vers. 33.
significans, qua morte esset moriturus. Nempe hoc colligebant è voce ὑψοῦν, *exaltari.* Sed credibile est, Christum aliquanto explicatius dixisse: ut si sic dixerit, uti legimus Ioan. III. 14: *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.* Et eo hoc est verisimilius, quia ipsi mox nominant *Filium hominis*: ut omnino videatur Ioannes tantum summam verborum Christi attulisse. Alioqui non intellexissent præsentes, Christum de mortis suæ genere locutum esse.

14. § *Quincta historiæ pars continet cavillum Iudæorum adversus ea, quæ dixerat Christus: & occasione horum incredulitatis, orationem Christi, qua omnes adhortatur ad finem. Quod ad prius, dixerat Christus, se moriturum, & quidem subiturum esse ignominiosam mortem crucis. Hoc offendit adstantes, qui inde collegerunt, non esse eum promissum Messiam: quandoquidem à Prophetis dicatur regnum ejus fore æternum.*

Utrumque prædixerant Prophetæ; & mortem Christi, ut imprimis Esaiæ LIII; & æternum regnum, ut Psal. CX, ac Dan. VII. 14. Sed de priori non cogitabant, verum duntaxat posteriori. Ut indicant verba illa vers. XXXIV: *Nos audivimus ex Lege*, quod *Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis; quis est iste filius hominis?* Ubi per *Legem* intelliguntur Sacræ Literæ; locis iis, quæ diximus: & si ea non satis fuerint aperta, cogitandum illustrari illa solere à Legis-peritis. Quærunt de Filio hominis, aliumne intelligat ab illo, cujus regnum fore æternum prædixerant Prophetæ.

15. §. *Bella hæc fuissent, nisi Christus brevi fuisset resurrecturus. Christus igitur iis objicit malitiam* b: *quod tam clara luce non videant lucem:* b Ioa. vers. 35. 36.
quia oculos occludant, etiam pauxillo tempore; quo qui lux esset mundi, cum iis esset victurus in terris. Hortatur igitur eos, ne errare in ignorantiæ tenebris velint: sed dum lucem habent Christum, in lucem credant, nec se perditum eant.

Verba Christi sunt Ioa. XII. 35. 36: *Adhuc ad breve tempus lumen vobiscum est: ambulate, donec Lucem habetis: ne vos tenebræ occupent. Et qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadit. Dum Lucem habetis, credite in Lucem, ut filii Lucis sitis.* Sensus est: quanto breviori tempore vobiscum ero, tanto studiosius vobis in luce ambulandum, ne lumen, sermo nempe Euangelicus, subducatur vobis. Quod meruere Iudæi, cum ne à resurrectione quidem credere in Christum voluere. Sed Christus nihilominus iis pepercit usque ad Hierosolymorum urbem obsessam: quo tempore quam diras Christo pœnas dederint, satis notum ex Flavii Iosephi historia de bello Iudaico.

16. §. *Atque hæc de eo tempore quo Christus in urbe substitit. Nunc sequitur de eo, quo egressus in Bethaniam, quia se nollet ante tempus divinitus decretum offerre morti suæ.*

Ioan. XII. 36. *Hæc locutus est Iesus: ac digressus se abscondit ab eis.* Quicum convenit hoc Lucæ XXI. 37: *Docebat interdiu in templo: noctu vero exiens, diversabatur in monte, qui vocatur Olivarum.*

17. §. *Priusquam tamen ad sequentia accedat, Ἐπι-φωνηματικῶς subjungit Ioannes, quomodo post tam multa, tam magna, quæ hactenus dixerat & fe-*

cerat Iesus, Hierosolymitanorum pars maxima non crediderit in illum.

Ioan. XII. 37. *Cum autem tam multa signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Ubi *coram eis* (ἔμπροσθεν αὐτῶν) valet, in præsentia turbæ, in qua magnus inimicorum numerus.

18. § *Refert deinde Ioannes, quomodo impletum tum fuerit, quod gemino in loco prædixerat Iesaias. Prius vaticinium est ex cap.* LIII, I. *quod ad incredulitatem Iudæorum etiam à Paulo accommodatur ad Rom.* X. 16. *Alterum est ex Ies* VI. 9, *ubi prophetes, cum Deum conspexisset folio insidentem, ac cinctum satellitio Cherubim divinas canentium laudes, mittitur ad exprobrandum Iudæis duritiem cordis.*

a Cap. 53. Ioan. XII. 38. 39. 40. *Ut sermo Iesaiæ* a *prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iesaias* b: *Ex-*
b Cap. 6. *cæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ne videant oculis, & ne intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Particula VT, (ἵνα,) quæ initio est, plane est ἐκβατικὴ; ut eventum, non caussam finalem designet. Nimirum ἵνα πληρωθῇ, idem valet, ac *sic evenit.* Illud Κύριε, sive *Domine*, non est apud Propheten, sed claritatis caussa addidere LXX. Per *brachium Domini* intelligitur potentia ejus, sive miracula. Revelari intellige cum effectu, quando videlicet satis attenditur ad miranda Dei opera, sic ut propterea credatur Deo. Excæcavit, & induravit Christus, non per se, sed ex accidenti; quatenus humilitate ejus multi fuere offensi, & indurati. Idcirco Act. XXVIII. 27, ubi eadem Prophetæ verba citantur, passive referuntur: *incrassatum est* (ἐπαχύνθη) *cor populi hujus.* Similiter Syrus. Subditur hinc: *Et auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt.* τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν. Christus igitur excæcat, cum homines se excæcant, nolentes videre lucem. Atque hinc liquet, cum hic subjungitur, ἵνα μὴ ἴδωσι, *ne videant*, & in Actis, μή ποτε ἴδωσι, *ne quando videant*, eventum, non finem signari. Hinc versu XLI sequitur: *Hæc dixit Iesaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Dicit Iesaias, se vidisse Dominum throno insidentem excelso, audisseque Seraphim acclamantes ei, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* In hac gloria Patris etiam conspexit gloriam Christi per Euangelium ministrantibus angelis, peccata remittentis iis, qui crediderint, & alios damnantis propter ἀπιστίαν. Quæque Iesaias conquestus est de excæcatione Iudæorum sui temporis, cui prophetes occasionem sua præbuisset prædicatione: ea & locum habent in excæcatione Iudæorum, de qua loquitur Euangelista: cui similiter occasio data prædicatiooe Christi.

19 § *Gravi huic querimoniæ de spontanea Iudæorum cæcitate subditur ab Euangelista, non propterea putandum esse nullos in Christum credidisse: sed paucos præ illa incredulorum multitudine: in credentium vero numero etiam fuisse dicuntur aliqui* τῶν ἀρχόντων, *sive senatorum.*

Vers. XLII, & XLIII. *Veruntamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne e synagoga ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Sensus est, multos è Senatoribus fuisse de veritate in animo convictos: nec tamen ab animo suo impetrare potuisse, ut eum profiterentur, vitamque ex ejus præscripto componerent. Exponitur qooque hujus rei caussa, quod metuerent, ne à Pharisæis ejicerentur Synagoga: atque ita omnibus forent odio, & contemtui: ut omnino gloriam apud Deum posthabuerint gloriæ apud homines.

20. §. *Subjungit his Ioannes sermonem Christi, quo adhortetur ad fidem sermoni suo habendam. Sed de tempore, quo habitus is sermo, non satis liquet. Possit esse habitus eo die, quo præcedentia dicebantur: possit etiam sequenti. Nec de eo magnopere est laborandum. Sufficiat scire, eo exhortationem hanc ad fidem subjici à Ioanne, quia proxime præmiserat, cur plerique non crederent, & ex primoribus multi non ausi essent confiteri.*

Ea vero adhortatio continetur septem ejusdem capitis versibus postremis.

21. §. *Ac primum quidem magno cum clamore dicitur prorupisse in hæc verba, Filio credentem, etiam Patri credere, cujus is sit legatus: quique Filium videt, videre quoque Patrem, cujus majestas reluceat in filii operibus.*

Ioannes cap. XII. vers. XLIV, XLV: *Iesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me: Et qui videt me, videt eum, qui misit me.* In Filio conspicitur Pater, quia, ut pulchre olim ajebat Lucianus Martyr: Ὁ υἱὸς τῆς τοῦ Θεοῦ οὐσίας καὶ βουλῆς, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης ἀπαράλλακτος εἰκών. *Filius est paternæ essentiæ, & voluntatis, & potentiæ & gloriæ imago nusquam discrepans:* sive, per omnia similis.

22. §. *Inde docet, cum lux soleat inferri ad discutiendas tenebras, se esse illam mundi lucem, cujus beneficio effugiamus tenebras.*

Vers. XLVI: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Hoc est, non vagetur in spissa errorum caligine; quam amant peccatores.

23. § *Loquitur hinc de iis, qui audiunt ac recipiunt verba, sed non observant, neque discipulos Christi se audent profiteri.*

Græce est vers. XLVII: Καὶ ἐάν τις μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων, καὶ μὴ φυλάξῃ. Ubi tamen aliqui libri πιστεύσῃ: quod secutus est Arabs. Sed φυλάξῃ etiam est in vetustissimo codice Anglicano: ac similiter Syrus, Nonnus, & vetus interpres Latinus, qui vertit: *Si quis audierit verba mea, & non custodierit.*

24 §. *Addit, se facile velle abstinere à tali damnando, quia meminerit non tam se in mundum venisse ad eum damnandum, quam servandum. Interea, quicunque se præbuerint ingratos erga sermonem Euangelicum, habere, qui, se tacente etiam, tales condemnet. nam cum sermo ille nihil habeat nisi admirandum prorsus, & omni veneratione dignissimum: tales à sermone hoc damnatum iri in die novissima: quando facta, dictaque omnium in apertum proferentur.*

Hæc mens est illorum, vers. XLVII, & XLVIII: *Ego non judico eum. Non enim veni, ut judicem eum, sed ut servem mundum. Qui rejicit me, nec accipit verba, habet qui judicet ipsum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in extremo die.* Rationem subjungit vers. XLIX: *Quia ego ex me ipso non sum locutus: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* Nihil inquit loquor ἀπ' ἐμαυτοῦ, h. e. quod à me hauserim, ipseque repererim. Cuncta habeo à Patre, qui me nihil non horum jussit dicere.

25 §. *Hinc addit, quantum ex eo Patris mandato fructus redundet: videlicet vita æterna.*

Vers. L: καὶ οἶδα ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστι. *Et novi, quod hoc mandatum sit vita æterna.* Puta τῆς

μετω-

μέλλουσαν, quia efficit sive gignit vitam æternam in omnibus iis, qui mandato huic obtemperant.

26. §. *Denique sic concludit*, Καθὼς εἴρηκέ μοι ὁ Πατήρ, οὕτω λαλῶ. Sicuti dixit mihi Pater, sic loquor.

Sensus est: Ac ego quidem non alia attuli, quam quæ Pater mandavit. Vos nunc dispicite, quid vestri sit officii, & an rejicere verba mea valeatis, quin offendatis Patrem, & excidatis vita æterna, quæ ab observatione mandatorum meorum dependet.

Cap. VI.

De maledictione ficus, & ejectione ementium ac vendentium è templo: quæ contigerunt hebdomadis magnæ feria secunda.

1. § *Proximo mane, quod erat quarto die ante Pascha, Christus e Bethania denuo Hierosolymam tendit. In via esuriens arborem accessit, quam è longinquo fructum ferre existimabat. Sed ubi propius accedit, deceptum se animadvertit. Quippe ficus erat, quæ eo anni tempore, puta medio mense Nisan, fructus ferre nequit. Tum eam Jesus maledicto reddidit aridam. Narrant historiam Matth.* XXI. 19. *Marcus* XI. 12.

Duo hic spectantur: Prius est occasio miraculi, quod Christus extra orbem pernoctans, ac mane urbem repetens, & in ficum è longinquo conspiciens, fame impellente ad eam ierit, ut fructum decerperet: sed ubi propius accesserit, nihil præter folia invenerit.

Alterum est, quod Christus, ubi deceptum se vidit, maledixerit ficui, ac illa propterea exaruerit.

Ex hisce duobus duplex itidem quæstio exoritur. Ex priori illa, quod Christo ignorantia tribuitur. Ut qui nescierit, ficum non habere fructus, idque eo tempore, quo etiam pueri nossent ficum non ferre fructus. Huic rei sic occurritur, scisse Christum, ficum id temporis fructu carere: sed quia è longinquo ficum conspiceret, nescisse eam esse ficum, sed credidisse arborem esse aliam, quæ iis in locis jam fructum haberet. Hæc eo firmantur, quod dicat Euangelista, longius ab arbore absuisse, ut nihil sit mirandum, si Christus, ac discipuli, frondosam quidem arborem conspexerint, ficum vero esse non cognorint. Sane etiamsi Adamus nunquam peccasset, è longinquo nihilominus prius vidisset esse arborem, quam ficum: quia hoc est de ordine naturæ simpliciter; non vero ex corruptione naturæ, quam peccando contraxit. Dixeris, Christum fuisse omniscium, cum divinæ etiam fuerit naturæ. Sed non quicquid norat, quatenus Deus, norat etiam quatenus homo: sed tantum, quatenus natura divina dignaretur influxu suo aperire humanæ.

Altera est quæstio, cur Christus ficui maledixerit immerenti, cum natura ob anni tempus non permitteret, ut
a Cap. 11. vers. 13. ficus non ferret. Nam apud Marcum a est, *Non enim erat tempus ficorum*. Et colligi potest ex Euangelistis, fuisse undecimum Martii. Huic difficultati sic obviam imus, non hæc facta fuisse propter ficum, sed ob discipulos: quibus fidei vim magis firmare voluit illustri arefactæ ficus miraculo; ut sic eos ad passionem instantem magis præpararet. Præterea voluit significare instantem Judæorum maledictionem, quia ficus hæc symbolum foret synagogæ, sive infidelium Judæorum, qui fructus ferre nollent; & ficus maledictio signum esset illius maledictionis, qua XL circiter annis post, Judæos male esset perditurus. Sic Jes. V. 2: *Exspectavi uvas, & tulit labruscas.* Et *Lucæ* XIII. 6. 7. sic parabola hæc declaratur. Ac conveniunt verba Matth. XXI. 43: *Ideo dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Particulatim quoque videtur attendisse hypocritas, quales Pharisæi. Recte enim hypocrisis assimilatur arbori, quæ frondes profert, non fructus.

2. §. *Atque hæc de iis, quæ in via non longe ab Hierusalem evenerunt. Postea Jesus ingressus est urbem, ac mox etiam templum.*

Nam neque eum pietas sivit, ut diu ingressum templi differret. Solum vero atrium est ingressus, quo & populo ingredi licebat. Reliquas partes duas sacerdotibus solis ingredi fas erat. Hic vero sermo de loco, ubi populus venderet, atque emeret.

3. §. *Quemadmodum vero Christus initio muneris fecerat, ut videre est Joan.* II. 14 15: *ita nunc quoque circa vitæ finem, ut ex Matthæo* XXI, *Marc.* XI, *& Luc.* XIX, *cognoscimus, templum gemine purgat facto, ejiciendo ementes, ac vendentes, & subvertendo eorum mensas.*

Quod factum defenditur à Christo duobus Scripturæ locis, Esa. LVI. 7. & Jerem. VII. 11. Quorum priori ostenditur templi usus, quia sit domus precum: altero exprobratur abusus ad sua commercia, propterea quod, more λῃστῶν, sive prædonum, tantum, quid ex re sua foret, attenderent. De vendentium astu vide sis, quæ Maldonatus annotavit. Atque ut absuisset fraus omnis, etsi licebat pecunia domo adlata emere Hierosolymis quod Deo offerretur, tamen id in templo vendere non licebat: ac quidem in parte extima, quæ gentium dicebatur: quia hunc locum oportuit iis vacare, qui se ex gentibus ad Deum converterent.

4. §. *Factum vere hoc Christi plane extraordinarium fuit, & à singulari vocatione, quam pridie ostenderat sanando cæcos & claudos, certissimo divinæ præsentiæ signo.*

Ut nihil sit opus, eo cum B. Hieronymo recurrere, quod & nummularii, & Pharisæi, obstiterint Christo, quia impedierint divinitatis signa, quæ ex oculis, & vultu Christi relucerent: singularis vero vocationis fere illi duntaxat conscii essent, qui eam consecuti. Sed propter alios eam comitari solent miracula: uti factum videmus in Christo.

5. §. *Atque hæc etiam ejectio nundinantium inter præparationes fuit Passionis Dominicæ: quia magis magisque commovit animos Pontificum adversus Christum. Uti vero ante, ita tum quoque, vesperi Urbe exiit Christus.*

Quod ad furorem inimicorum evitandum fecisse, dubium non est.

Cap. VII.

De variis sermonibus à Christo habitis feria tertia: ac præcipue tribus parabolis: duorum filiorum, vineæ locatæ, & nuptiis filii regii.

1. §. *Hinc Christus varies habuit sermones, die, ut vocant, Martis. Ac primum de vi fidei, occasione ficus arefactæ. Tum de responso ad quæstionem de baptismo Joannis. Exinde de parabolis tribus, una de duobus filiis in vineam missis ad laborandum; altera, de homine post locatam agricolis vineam peregre proficiscente; tertia de rege alios ad nuptias filii vocante.*

Postero mane, quod erat tertia die ante Pascha, denuo Jesus cum discipulis ivit Hierosolymam: atque, illis in via mirantibus, breviculo adeo spacio exaruisse ficum,

cui maledixerat Christus, loqui cum iis cœpit de fidei vi, quam tantam esse asseruit, ut ea montes etiam transferri possint. Atque addidit, omnia interea à Christo esse poscenda; etiam remissionem peccatorum. Quam ut consequamur, prius nos debere iis ignoscere, qui nos offenderunt.

2 §. *Hinc urbem, templumque est ingressus, ubi quotidie docebat. Principes vero sacerdotum & scribæ, perdere eum studebant; sed morabatur eos populi metus; qui plane à Christi ore pendebant. Captabant igitur omnem ejus in sermonibus suis capiendi occasionem: eoque fine eum rogarunt, qua auctoritate ista faceret. Sed Christus vicissim quæsivit de baptismo Joannis, utrum esset ab hominibus, an ex cælo. Et negavit, se prius daturum esse responsum, quam ab iis accepisset: quod dare illi non audebant, populi metu.*

Captionem Judæorum improbam proba captione elusit Christus. Quærebant illi de auctoritate, qua ista faceret. Quæsivit vicissim Christus de auctoritate, qua Ioannes baptizasset. Maluere tum Pharisæi inscitiam fateri, quam agnoscere impietatem. Interea sic etiam Christus docuit oblique, quæ fecisset, fecisse se auctoritate divina: ut qui ab Ioanne accepisset illud testimonium, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*

3. §. *Tum quoque narravit iis parabolam de duobus filiis: quorum unus prius detrectasset patri morem gerere; sed postea, pœnitudine ductus, sententiam mutasset: alter vero operam suam addixisset sed neglexisset: cumque ipsi etiam priorem filium prætulissent, dixit, posteriori ipsos esse similes; eoque fore, ut publicani, ac meretrices, qui Christo credidissent, præcederent principes sacerdotum atque alios, qui rejicerent Christum.*

Vide Matth. XXI. In hac vero parabola per eum, qui duos haberet filios, mystice Deus signatur. Per duos filios, hinc Pharisæi, & principes populi signantur; inde autem, meretrices, publicani & vulgus. Atque hæc propria est, & contextui convenientissima interpretatio: quam adduxit Hilarius can. XXI in Matt. Alii patrum nonnulli per unum filium intelligunt Iudæos, per alterum gentiles. Sed hos nonnisi oblique attenderit Christus; ut secundaria possit interpretatio vocari. Primaria vero esse nequit duabus de caussis. Primum quia nec Ioannes, de quo mox subjicit, nec etiam Dominus ipse, prædicarunt gentilibus, sed Iudæis. Deinde de variis unius gentis personis esse sermonem clare indicant illa verba: *Publicani, & meretrices præcedunt vos in regno Dei.* Publicani, ut Matthæus, & Zachæus: meretrices, ut peccatrix, & Samaritana. *Præcedunt*, inquit, quia loquitur de jam conversis. Scio, in quibusdam codd. Latinis esse, *præcedent.* Sed in præsenti habent Græci, & emendatiores Latini.

4. § *Alteram quoque narravit populo parabolam de locata vinea à patrefamilias: ac servis prim ab agricolis, postea & filio interemto: deque pœna, propterea irrogata.*

Vide Matth. XXI, Marci XII, Lucæ XX. Nempe paterfamilias est Deus; vinea est populus Dei, sive Ecclesia; servi sunt prophetæ veteres, à Judæis occisi, de quo Hieronymum hic vide: filius autem est Christus. Additur & de sepe, qua opus, ne exposita esset vinea prædæ; ut est Eccl. XXXVI: & de turri, partim ad speculandum, ecquis venisset ad vineam deprædandam, partim ad fructus adservandos: item de torculari, quo opus ad vinum conficiendum. Nihil vero attinet quærere, quid figurent sepes, turris, torcular, & similia. Solum enim eorum fit mentio, ut significetur, omnia fuisse procurata, juxta illud Dei apud Jesaiam V. 4: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Iisdem nec quæri debet, quid sibi velint verba illa, *Cum tempus fructuum appropinquasset.* Quippe semper est fructuum tempus. Nec magis quæsito opus est de istoc, *Forte verebuntur filium meum.* Nam sic de Deo loquitur, tanquam homine; quem verisimile est ita fuisse dicturum. Nimirum in parabola omni, necessaria, & ad σκοπὸν parabolæ pertinentia, distingui ab iis debent, quæ conjuncta sunt, sive accidentalia, & quasi condimenti solum caussa apposita. Christo vero interrogante, quid dominus vineæ facturus esset hujusmodi operariis: dictum est ab nonnullis, *Veniet, & perdet colonos, & vineam suam dabit aliis.* Quod responsum Dominus approbavit. Sed (ut Euangelistas conciliat Chrysostomus) sagaciores, qui in se dictum videbant, abominari talem eventum: quasi dicerent, Deus nobis meliora: qui talem exitum hostibus immittat. Hæc enim est vis verbi, *Absit.* Christus igitur veritatem talis eventus comprobavit è Psal. CXVIII. a 22. a Al. 117.
ubi proprie quidem David, typice vero Messias in Davide, adumbratus dicitur, *lapis ab ædificantibus reprobatus, factusque caput anguli, sive lapis angularis.* Græce, ἀκρογωνιαῖος. Tribus vero de caussis Christus vocatur lapis angularis. Primum quia est firmissimus lapis, qui totum sustinet ædificium. Unde Paulus ad Ephesios II. 20: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo.* Deinde quia est lapis offensionis multis. Siquidem minus cauti ad angulum offendunt, ut Judæi ad Christum. Hinc Petrus 1 ep. II. 7. 8: *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobarunt ædificantes: hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt in verbo, nec credunt, in quo positi sunt.* Tertium est, quod, ut lapis angularis duos parietes, sic Christus duos populos, Judæum, ac gentilem, inter se nectit: unde Eph. II. 14. dicitur, *utraque fecisse unum, & solvisse* τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, *intergerini parietis septum.* Ubi per septum illud intelliguntur ceremoniæ Legales, quarum jugum intolerabile vocat Petrus Act. XV. Sed Christus eas sacrificio suo abrogavit: unde Joan. I. 17: *Lex per Mosen data est: gratia, & veritas, per Jesum Christum.* Subjungit deinde Christus ex ejusdem psalmi versu sequente: *A Domino factum est illud: & est mirabile in oculis nostris.* Quasi dicat, rem tam mirandam ac insperatam non contigisse fortuito; sed consilio divino. Ex hoc Scripturæ loco ita colligit Christus. Quia vos estis illi ædificantes, qui rejicitis me, lapidem Scripturis prædictum, qui divino consilio fiet lapis angularis: futurum propterea, ut regnum Dei, quod per vineam superiori parabola erat significatum, auferatur à synagoga: ac alteri detur genti; puta populo gentili, non spernenti gratiam Christi, sed Domino exspectatos è vinea fructus reddenti. Quia vero dictum fuerat, dominum vineæ male multaturum esse impios illos operarios: eo deinceps modus ille supplicii indicatur, persistendo in lapide Christo, sed allegoria mutata. Dicitur enim fore, ut qui ceciderit super illum lapidem, confringatur. & super quem ceciderit lapis, conteratur. Ubi quomodo fractio, & contritio, differant, ex Aristotele possumus discere: qui lib. IV. Meteorologicon cap. IX b ait, Διαφέρει δὲ, ὅτι κάταξις μὲν ἐστιν εἰς μεγάλα μέρη διαίρεσις καὶ χωρισμός· θραῦσις δὲ ἡ εἰς τὰ τυχόντα, καὶ πλείω δυοῖν. *Differunt vero. Fractio enim est in magnas partes divisio, atque distractio: friatio vero* (sive contritio) *in quasvis sine discrimine, & quæ duabus plures sint.* Cum vero dicit Christus, hominem casurum super lapidem, significat, eum offensurum ad lapidem, sic ut cadat. At cum addit, lapidem casurum super hominem, signat, fore ut Christus iratus sic irruat in impios, ut justas dent pœnas infidelitatis suæ. Prius fit in hac vita, & est culpæ humanæ: alterum potissimum fit in vita altera, & est judicii divini. Quamquam vero

b Sive contextus 44.

hæc

hæc omnia in se dicta esse satis caperent principes sacerdotum & scribæ: necdum tamen injicere in Jesum manus audebant, idque populi metu.

5. §. *Addit quoque parabolam tertiam de rege, qui, filio sponso, ad convivium nuptiale homines invitavit, iisque venire negligentibus è viis advocavit bonos, malos: sed quem sine nuptiali veste conspexerat, in tenebricosum carcerem detrahi jussit.*

Vide Matth. XXII. Sunt vero hujus parabolæ partes quinque. Prima narrat, ut Rex, hoc est, Deus convivium nuptiale adornarit filio suo, h. e. Christo, Ecclesiæ sponso. Per duo hæc, tauros, & σιτιστὰ, h. e. altilia, sive sagina a, (quæ aliqui mystice de activis, & contemplativis interpretantur,) non aliud significatur, quàm fuisse opiparum convivium.

Altera refert, ut ad nuptiale hoc convivium multi sunt advocati per Regis servos: sed hi per incuriam ac contemtum venire neglexerint. Atque ut exinde vocati iterum per alios servos alii quidem alia curarint negotia, alii etiam Regis servos interemerint. Per servos, qui primo vocavere, præcipue capiendus est Moses: per secundo missos, Prophetæ, qui Mosi successerunt. Vel si solos Novi Testamenti ministros visum intelligere, primus fuerit servus Joannes Baptista, amicus sponsi: per servos secundo missos intelligit Apostolos, & fortasse etiam Christum ipsum, qui propter nos servi formam adsumsit.

Tertia parte narratur, ut Rex iratus partim quidem ob eos, qui detrectarant venire, partim etiam, imo imprimis, quod occidissent servos suos, miserit exercitum ad obsidendam, expugnandam, & evertendam illam homicidarum civitatem. Ea civitas Hierosolyma est, quæ annis circiter XL post hancce prædictionem eversa est à Tito Vespasiano.

Quarta memoratur, ut Rex, in locum eorum, qui tam improbe se gesserunt, hoc est, in Judæorum locum, alios, gentiles puta, jusserit vocari, idque nullo vel ætatis, vel sexus, vel fortunarum discrimine: imo & bonos jussit vocari, & malos: non quasi quisquam bonus sit, priusquam divinitus vocetur; sed quia minus mali cum pessimis comparati videantur boni: vel quia post vocationem alii fiant boni, alii in malitia persistant.

Quincta parte refertur, quomodo rex convivium sit ingressus. Reges enim seorsim solent cibum capere, honoris ergo. Is inde ingressus est convivium, ut illud præsentia sua condecoraret, ac lætiores redderet convivantes. Rex ille est Deus, qui convivium ingredietur extremo judicii die. Convivas vero lustrans unum conspexit non indutum veste nuptiali. Ubi per vestem hujusmodi, quæ splendida esse solet, ab Irenæo *a* Tertulliano *b*, Origine *c*, Hilario *d*, Hieronymo *e*, Augustino *f*, Gregorio *g*, intelliguntur opera justitiæ, sive virtutes spirituales. A quibus non videntur abire, qui fidem intelligunt, sed vivam, quæque per caritatem efficax sit. Per fidem enim induimus Christum, ac novum hominem. Unde Apostolus *h*: *Induimus Dominum nostrum Jesum Christum.* Ubi non fidem quamvis signari, sed caritatis operibus conjunctam, indicant ea, quæ præcedunt: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die, honeste ambulemus.* Conjungit itaque hæc B. Ambrosius lib. VII. commentarii in Lucam *i*: *Nec tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est, fidem habeat, & caritatem.* Ac similiter Chrysostomus homil. IX. in Joan. & in Matth. homil. LXX. Sequitur in parabola, ut Rex eum, qui veste venerat sordida, interrogarit, quo pacto sine decora veste ingressus foret: ille autem, quia propria eum conscientia accusaret, ad ista obmutuerit: tum rex jusserit quadrupedem constringi, inque exteriores conjici tenebras, h. e. subterraneum carcerem, extra ædes situm; per quem gehenna signatur. Additur ἐπιφώνημα istiusmodi: *Multi enim vocati, pauci electi.* Nempe non reciprocantur hæc, quia ut quis electus dicatur, non sufficit, ut sit vocatus, sed præterea opus est, ut responderit vocationi. Quæri video, quomodo hæc conveniant cum eo, quod è tam multis unus solum fuerit ejectus. Sed enim cum uno hoc jungendi sunt qui prius vocati noluerunt venire. Ut duo sint genera eorum, qui vocati, nec electi: aliqui ne venientes quidem; alii venientes, sed ob indignitatem rejecti, ut sunt hypocritæ.

a Lib. 4. cap. 70.
b Lib. de resurre. carnis.
c Homil. 9. in Leviticus 10. 1.
d Can. 22 in Matth.
e Tom. 9. in Matth.
f Tom. 6. lib. 22. contra Faustum cap. 14.
g Homil. 38. in Evang.
h Rom. 13 & Gal. 3.
i In Luca cap. 14. pag. 121. edit. Basil. an. 1555.

Cap. VIII.

De captiosis tribus quæstionibus à Pharisæis Christo propositis, una de pensitatione census, altera de resurrectione mortuorum, ultima de mandatis legis. Deque quæstione Pharisæis proposita à Christo, cujus filius foret Messias.

1. §. *Inimici Christi, cum iis quæstio illa, qua potestate ista faceret, non successisset è voto, tres alias instituerunt. Una Pharisæorum & Herodianorum erat de tributo Cæsari dando.*

Quæstio hæc inde nata fuit, quod Judæi, postquam à Pompeio vectigales facti sunt Romanis, in capita singula mares quidem ab anno XV, feminæ autem à decimo, ad annum usque LXV, didrachma, sive binos persolverent denarios. Porro ex Josepho, lib. XVIII. Antiquit. cap.... discimus, quomodo quidam Galilæus, secta Pharisæus, persuaserit populo, quod is liber foret, nec necesse haberet tributum exteris principibus persolvere. Atque ait, multos Judæ adhæsisse, sed una periisse cum duce suo. Fuit interim postea etiam grata hæc opinio in vulgus. Herodes nihilominus, beneficio populi Romani rex factus, & Cæsaris adulator, tributum hoc urgebat. Atque, ut in talibus fieri solet, etiam è Judæis erant, qui Herodi in hac re patrocinarentur, & inde à populo *Herodiani* vocarentur: imo, ut ex Matthæo constat, etiam ab excessu Herodis ea mansit appellatio. Falli enim opinor, qui *Herodianos* putant mixtæ fuisse religionis ex gentili & Judæa. Pharisæi igitur, cum studerent Christum dolis & arte sua irretire, suos ad eum discipulos miserunt una cum Herodianis, ut expediret hanc difficilem quæstionem. Sic autem ratiocinabantur secum: aut pro nobis respondebit, qui dandum tributum negamus; aut pro Herodianis, qui dare jubent. Si Pharisæis faverit, offendet Cæsarem, & seditionis poterit accusari. Sin Herodianis, excidet gratia populi, quæ invita tributum persolvit. Valde autem callide adoriuntur Christum. Siquidem ad benevolentiam captandam à veracitate eum commendant, quod non sit προσωπολήπτης, ac vel ob Cæsaris potentiam, vel populi favorem aliter sit dicturus, quam veritas jusserit. Nempe hæc expeditissima iis ratio videbatur ad eliciendum responsum. Sed Christus penitissima cordis eorum habebat cognita, eoque prius quidem hypocriseos eos arguit, deinde vero jussit; ut sibi numisma census offerrent. Ubi κῆνσος vox est Romana, sed quam à Romanis acceperint posteriores Græci: unde Hesychius Κῆνσος, εἶδος νομίσματος. Obtulere autem Christo denarium; nempe quia tributi nomine in specie, ut loquimur, duos persolverent denarios: unde Christum, ac Petrum, didrachma legimus persolvisse. Valet denarius Julium, sive Regalem, vel, Batava moneta, sex stuferos: ita ut decem denarii valeant ducatonum: nisi quod jam ducatonus non LX, sed LXIII stuferis cœperit æstimari. Sed hæc alibi fusius diducimus. Ideo autem numisma census Christus exigebat, ut sic eos convinceret erroris de non dando Cæsari tributo. Nempe civilis obligatio mater est actionum civilium. Atqui numisma census inscriptione sua testabatur, Judæos esse obligatos Cæsari Romano. Argumentum igitur istiusmodi est: Qui necesse habent nummis uti Cæsaris

ſaris effigie, ac nomine inſignibus, hi agnoſcunt ſe Cæſari ſubjectos. At de vobis hoc è denariis veſtris liquet. Inſtituerant illi quæſtionem, an liceret dare tributum: atque hoc fecere, ne, tam avaritia, quam conſcientiæ ſtudio, negare tributum viderentur. Chriſtus vero docet, non ſolum hoc licere, ſed nec facere aliter licere. Nec contentus eſt dicere, ut Cæſari darent, quæ forent Cæſaris: ſed addit, ut Deo quoque, quæ Dei forent. Videlicet, ne Judæi putarent, quia nunc didrachma perſolverent Cæſari, eo ſe exemtos eſſe lege iſtac templo etiam didrachma perſolvendi. Imo argumento à majori, tanto magis eſſe Deo ſerviendum. Quamquam dicere etiam poſſis, eo latius Chriſti verba ſe extendiſſe, ut oſtenderet, eos de pecuniis ſolum erogandis eſſe ſollicitos: ſed majorem requiri curam univerſæ erga Deum pietatis. Ob ſapiens hoc dictum Chriſti magna quidem admiratio ſubiit Judæos: ſed nihil imminuta eſt eorum pertinacia: unde eos legimus abiiſſe poſt hoc reſponſum: ſed meliores eſſe factos non legimus. Atque hæc dicta ſunto ad illuſtrandum hoc Chriſti reſponſum de cenſu dando. De quo Matthæi XXII, Marci XII, Luc. XX.

2 §. *Altera erat quæſtio Sadducæorum, cujus uxor in cælis futura eſſet quæ ſeptem habuiſſet fratres. Nempe hoc pacto reſurrectionis dogma poſſe everti putarunt.*

Habemus hiſtoriam Matth. XXII, Marc. XII, Luc. XX.

a Deut. 25. 5.

Sadducæi abutentes lege Moſis *a*, ſecundum quam mulier ſeptem ex ordine fratribus nupſiſſet, rogarunt, cujus illa eſſet futura in reſurrectione; hoc eſt, poſt reſurrectionem: nempe ſimili Hebraiſmo, ac Pſal. CXXV. 1. legimus: *In convertendo Dominus captivitatem Sion.* h. e. poſtquam convertiſſet. Eadem foret difficultas, ſi de duobus eſſent fratribus locuti. Sed maluerunt dicere de ſeptenis, quia abſurdius videretur, una ſi femina maritos haberet ſeptenos. Hæc de quæſtione. Chriſtus vero reſpondet errorem eorum provenire ex ignorantia partim Scripturæ, partim Potentiæ divinæ. Scripturam ignorabant, tum quia in Prophetis varia ſunt de Reſurrectione teſtimonia: ſed illi hos pro ſcriptoribus bonis quidem & utilibus, ſed divinis non haberent: tum quia neſcirent, etiam reſurrectionem poſſe comprobari ex Moſe, cujus libros pro θεοπνεύστους, ac canonicis agnoſcerent. Potentiam vero divinam neſciebant, quia putarent, fieri non poſſe, ut corpora in cinerem redacta, vel beſtiis comeſta, iterum ad vitam revocarentur: quaſi hoc illi difficile foret, qui omnia ex nihilo fecit. Poſtquam ſic eos coarguit, occurrit eorum argumento. Negat vero ex eo, quod reſurrectio ſit futura, ſequi rem tam abſurdam, ut una mulier ſeptem ſit fratribus nupta. *Nam*, inquit, *à reſurrectione neque uxores ducent, neque elocabunt; ſed erunt homines ut angeli Dei in cælis.* Apud vulgatum interpretem eſt, *neque nubentur*: quomodo ſe vertiſſe Hieronymus negat: ſed fatetur, noluiſſe ſe immutare, quod reperiſſet: nimirum quia ſic vulgo loquerentur. Sane uſurpat æqualis ejus Rufinus in expoſitione Symboli. Imo duobus pene ſeculis prior Tertullianus habet libro de Reſurrectione carnis. Eo autem ait Chriſtus nos à reſurrectione fore ἰσαγγέλους, quia loco vitæ animalis, tum cibi ac potus indigæ ad individui conſervationem, tum etiam generationem exigentis ad conſervationem ſpeciei, vivemus vitam ſpiritualem inſtar angelorum, non cibi, aut potus, nec generationis. Sic clare explicat Lucas cap. XX. 35, 36: *Qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt. Æquales enim angelis ſunt.*

Poſtquam Chriſtus Sadducæorum hoc ſolverat argumentum, validum adverſus eos telum intorquet; idque ex Exodi III; ubi Deus in rubo loquens vocatur Deus Abraam, Iſaac, & Jacob, qui jam erant mortui. Atqui Deus non eſt mortuorum Deus, ſed viventium. Quare Abraham, Iſaac, Jacob, vivunt apud Deum. h. e. potentia tum vivebant, ſed actu erant victuri, quia Deus eos reſuſcitaturus erat ad novam vitam. à qua reſuſcitatione dicuntur filii reſurrectionis: quia non per generationem conſequuntur vitam, ſed per reſurrectionem. Eoque pertinet *a*, *Filii Dei ſunt, cum ſint filii reſurrectionis.* Et cum mox ſubditur *b*, Abraham, Iſaac, Iacob vivere etiamnum, quia omnes illi vivunt Deo. Vivunt autem Deo, quia apud eum memoria eorum, atque amor viget, atque imprimis, quia eos vitæ reddere decrevit. Quærat aliquis, cur Chriſtus, licet complura in prophetis exſtent teſtimonia, tali argumento pugnet ex Moſe. De hoc accedimus Origeni, qui prophetas ab iis ait rejectos: eoque non potuiſſe niſi ex Moſe convinci. Nempe, ut diximus, Moſen credebant plane θεόπνευστον *c*: prophetas vero habuere pro viris piis, ſed quorum ſcripta non forent autoritatis divinæ.

a Luc. 20. 36.
b Verſ. 38.
c Divinitus inſpiratum.

Hujus vero diſſertationis triplex fuit effectus. Nam & Scribarum nonnullis, qui Sadducæis adverſarentur, hoc, licet hoſtibus Chriſti, veritas extorſit, ut ſermonem ejus approbarent; quemadmodum refert Lucas cap. XX: & Sadducæi non fuere auſi eum amplius interrogare; quod ibidem à Luca memoratur: & turba ſuper illius doctrina, & perſpicuis adeo ad tam perplexa reſponſis, mirabatur: ſicuti memorat Matthæus cap. XXII.

3. §. *Tertia quæſtio ſcribæ tentantis fuit de maximo mandato: ac reſponſum eſt à Chriſto, hoc eſſe de Deo cunctis viribus diligendo: cui mandato ſimile ſit alterum, ut proximum, ſicut noſmet, diligamus.*

Narratur hoc Matth. XXII, & Marci XII. Quia jubemus Deum diligere, quantum poſſumus, quæſtio eſt, an poſſimus hanc Legem implere. Reſpondent aliqui, poſſe nos, quod ad actum externum, non internum: ſaltem actu neminem implere legem, quia in nullo ſit ea legis perfectio, quam ineſſe nobis oportuit. Objectant, poſſe Deum per gratiam ſuam efficere, ut in nullo claudicet obſequium noſtrum, etiam ratione actus interni. Sed non quæritur, quid poſſit Deus; verum quid homo poſſit pro gratia, quam Deus in hac vita admetitur. Pro qua gratia, ſi abſolutam perfectionem attendas, etiam comparatione alterius vitæ, fatendum, neminem poſſe ſic Legem præſtare. Sed poſſe interdum κατ' ἐπιείκειαν, ſive pro ratione peregrinantium. Nam contradictionem implicat, ſi dicatur, non poſſe pro viribus donatis: quia hoc ſit in dubium vocare, num poſſit, quod poſſit. Quare hac mente non rogandum, quod poſſit, ſed an agat, quod poſſit.

4 § *Nec Chriſtus interrogari ſolum voluit: ipſe etiam rogavit Phariſæos, Quomodo Chriſtus haberetur filius David, à quo in ſpiritu Dominus appelletur.*

Vide Matth. XXII, Marc. XII, Luc. XX. Atque hoc dixiſſe dicitur David in Spiritu: hoc eſt, cum Spiritu plenus eſſet, eoque falli, ac fallere non poſſet. Ad hoc argumentum Chriſti reſponderi videas à Judæis poſtea ſecutis, pſalmum eum eſſe ſcriptum non à Davide: ſed aut Eliezero, Abrahami ſervo, ut is per dominum intelligat Abrahamum: quam ſententiam Judæis tribuit B. Hieronymus in hunc Matthæi locum: vel ab alio temporibus Ezechiæ regis, ut hic Rex ſignetur, quia ſederit ad dexteram templi, Deusque hoſtes ejus averterit: quam opinionem refert Tertullianus lib. V. contra Marcionem. Sed ſi pſalmus ille alterutro modo tempore Chriſti fuiſſet intellectus, hoc reſpondiſſent Judæi: quorum ſilentio poſteriorum ſeculorum Judæi condemnantur.

Cap. IX.

De sermone Christi in templo, postquam ab eo recesserant Pharisæi. Quo partim piorum officium tradit: partim Pharisæos describit: partim quoque iis, Judæisque aliis, Dei judicium denuntiat.

1. §. *Atque ista locutus est Christus præsentibus Pharisæis. Deinceps in templo sermonem instituit cum discipulis, & turba eum prosequente. Sermonem istum narrat Matthæus cap.* XXIII. *Ei vero inde data occasio fuit, quod Pharisæi, ubi viderunt, nihil se posse adversus potentiam verborum Christi, sese proripuere è templo. Post eorum igitur discessum Christus, primum instruit suos de piorum officio, usque ad versum* XII: *inde Pharisæos vivis depingit coloribus, iisque multifariam maledicit, usque ad versum* XXII. *Denique annunciat, quam acerbum Dei judicium maneret eos, gentemque universam: de quo usque ad capitis finem.*

Particulatim aliquid de horum singulis exponam. In prima parte, quæ est de piorum officio, tum agenda Christus refert, tum cavenda; idque Matth. XXIII. 2. 3. Agere jubet, quæ jusserint Pharisæi, & Scribæ: ac præmittitur ratio illa, quia sedeant in cathedra Mosis. Sententia est, quæcunque ex Mose, & Prophetis, dixerint, ea facite. Cavenda sunt opera eorundem: ut qui doceant Mosen, & Prophetas; sed ipsi non præstent. Nazianzeni est:

Ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τῷ τρόπῳ.
Vel ne doceto, vel doceto moribus.

Sed ex allatis Christi verbis, nec non Paulo Philipp. 1. 15. 16. videtur, divinam consulentibus literam potius dicendum esse:

Λόγῳ διδάσκ', εἰ μὴ διδάσκεις τῷ τρόπῳ.
Verbis doceto, moribus si non doces.

Sane satius est, quomodocunque docere, quam tantummodo nocere. Semper enim aliqui erunt in Ecclesia Dei, qui, uti hic præcipit Christus, magis vitam suam componant secundum Dei verbum, quam juxta vitam sacerdotis. Omnium autem longe optimum est docentibus, verba vertere in opera, ut Hieronymus loquitur. Bifariam vero Pharisæi & Scribæ sedebant in cathedra Mosis: ratione doctrinæ, & personarum. Doctrinæ successio principalis est, ut appellat Irenæus. Altera autem secundaria. Sed tum temporis utraque concurrebat. Christi igitur argumentum est hujuscemodi: Præceptis eorum, qui vocatione in cathedram h. e. doctrinam, & locum Mosis successerunt, obediri debet.

At sic successere Scribæ ac Pharisæi. Nec tamen obediri voluisset in iis, quæ Legi adversarentur. Quare loquitur de iis, quæ Lege præciperentur, vel saltem non repugnarent. Qualia & erant quædam, non damnosa quidem, sed exiguæ utilitatis. In cujusmodi parere etiam in cathedra Mosis sedentibus jubet, propter loci & ordinis autoritatem. Hæc de faciendis.

Cavere autem opera eorum præcipit: idque duplici de caussa. Primum quia non faciant, quæ ipsi præcipiunt. Nam grave onus alienis imponere humeris: tantum vero abesse, ut corpore toto, vel manu utraque, juvent hoc onere laborantes, ut nec digitulo onus attingant. Deinde quia, quæ faciunt bona, non faciant bene: nempe non eo fine, quo oportuit: sed ut laudem apud homines inveniant. Quam eorum ambitionem trifariam demonstrat: primum ex vestibus sanctimoniam ostentantibus. Deinde ex eo, quod adfectent primos consessus, & accubitus. Denique ex salutationibus publicis, & appellationibus superbis. Ad primum pertinent hæc vers. V. *Dilatant enim phylacteria sua, & majores faciunt fimbrias palliorum suorum.* Discimus vero ex Origene, Chrysostomo, Hieronymo, & Euthymio, φυλακτήρια fuisse membranulas, in quibus scriberentur legis præcepta. Has scribæ, & pharisæi, circumligabant tum capiti, tum brachiis: ut hoc pacto legem Dei semper ob oculos haberent. Atque hoc se facere aiebant ex præcepto isthoc Mosaico, Deuter. VI. 8: *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos.* Ac B. Hieronymus ait, suo etiam tempore hoc factitatum ab Indis, Persis, & Babyloniis. Φυλακτήρια autem dixere, quia fierent ad memoriam Legis conservandam. Ea vero dilatabant, ut plura inscriberentur præcepta, vel ut longius spectarentur.

Fimbriæ erant filamenta hyacinthini coloris, non texta, atque ex infima vestis ora dependentia. Quas geri Deus jusserat capite Mosis memorato: sed pharisæi, ac scribæ, eas gestabant majores, sive ut è longinquo etiam conspicuæ forent, sive ut viderentur legem exactius observare. Hæc de vestibus.

Alterum erat, quod amarent primos accubitus in cænis, & primo sedere loco in synagogis. De honoratiori accumbentium loco Ciacconium, ac Ursinum, vide libro de Conviviis.

Tertium fuit de publicis salutationibus, & titulis honorificis: ut qui *magistri*, *patres*, *doctores*, audire vellent, cum unum habeamus patrem, Deum: unum doctorem, ac magistrum, Jesum Christum. Dixeris, Apostolum Joannem, quos regenuerat Verbo, *filios* nuncupare: & Paulum se dicere *patrem Corinthiorum*, & ad Ephesios se vocare *doctorem gentium*. Verum non simpliciter Christus his titulis interdicit: sed prohibet, ne eos affectemus, vel si ab aliis sic audiamus, eo nobis placeamus. Quemadmodum enim inter Christianos domini se gerere debent, ut conservos: quia omnes uni servimus Deo & Domino Christo: ita & omnes cogitare debemus, nos esse fratres, pariter dicentes Deo, *Pater noster*: item nos esse condiscipulos, quia omnes à Christo edocti sumus eodem spiritu. Quare non ordinem docentium, & discentium, præsidum, & eorum qui reguntur, tollere voluit Christus: sed retundit fastum pharisaicum: qui fere magnificos affectare titulos solet. Iccirco subdit vers. XI: *Qui maximus est vestrum, erit minister vester*: ac sequenti versu addit minas, & promissionem? *Qui se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur.*

Atque hæc ad doctrinam pertinent. Partem capitis alteram dicebamus esse de summa Pharisæorum impietate, quæ hypocrisi velaretur. Hæc impietas signis octo comprobatur. Primum est injuriæ spiritualis, quia nec ipsi ingrederentur regnum cælorum, nec ingredi sinerent alios, quos onerarent suis traditionibus, & partim earum onere, partim exemplo malo, pravoque, ab obedientia Legis averterent. De hoc est versu XIII.

Alterum est avaritiæ cum hypocrisi conjunctæ: ut qui præ cæteris diu multumque in templo orarent; jactarent etiam, pro viduis se preces fundere; atque ita pietatis prætextu exhaurirent earum domos. Ob quam simulationem gravius dicuntur supplicium luituri publicanis. Nec enim hi abutebantur re sacra ad quæstum suum. Viduarum autem potissimum mentio fit, quia facilius viro decipitur mulier, & nupta facilius vidua. Nuptæ enim maritorum uti consilio solent, ut non facilis sit eas seducendi via. Ut mittam, quod viduæ soleant magis esse religiosæ illis, quæ viris volunt placere. Quod de longis precibus dicitur, videtur firmare illud, quod dicebam de precibus pro viduis. Nempe hoc beneficio devinctæ, convivio excipiebant pharisæos, muneraque iis mittebant. Ac propter hoc etiam gravius dicuntur puniendi. Nam per gravius judicium gravior condemnatio signatur. Vide vers. XIV.

Tertium est signum laboris indefessi sub specie religionis exhausti. Ut qui circumirent mare & aridam, hoc est, terram; (quomodo eam vocem Hebræi usurpant, & eorum more LXX interpretes) idque fine eo, ut facerent proselytum: quomodo à gentili religione ad Judaicam accedentes vocari solent: ut qui ad Christianam accederent, [illegible]

ὑμῶν. Additur, ubi fecerint proselytum, fieri filium gehennæ, h.e. reum gehenna dignum, ut mortis filius dicitur 1 Reg. xx. 30. Imo dicuntur, ubi semel à pravis magistris hauserint improbitatem, ac malitiam, ipsos tandem magistros longe à tergo relinquere. Videlicet in malis malorum discipulis malitia sic capiente incrementum, ut in bonis bonorum discipulis bonitas facere solet: secundum illud vetus,

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

Præstant magistri sæpius doctoribus.

Hæc de versu xv.

Quartum est signum erroris in doctrina de juramentis: ut qui putarent, siquis jurasset per templum, vel altare, nihil esse: quod vel absolute capiendum, ut qui sic juret, nullo modo teneatur præstare; vel comparate, ut nonnisi leviter reus fiat. At qui jurassent per aurum templo oblatum, vel munus impositum altari, eos voluere teneri promissis. Hanc doctrinam eo refellit Christus, quod majus sit, quo aliquid sanctificatur, quam quod sanctificatur. Aurum vero à templo, munus sanctificatur ab altari. Nempe hic etiam habet locum illud è Topicis Stagiritæ nostri: Propter quod unumquodque tale, illud magis tale. Hinc colligit Christus ex natura correlatorum, jurantem per altare, jurare per omnia, quæ sunt in altari: jurantem per templum, aut cœlum, jurare per eum qui habitat in templo, quique throno suo insidet in cœlis. Satis de versu xxii.

Quinctum est signum ex collatione imparium, quod industrii essent in minutis; negligentes in grandibus. De priori eo probat, quod non solum, sicut Lege erat præceptum, decimas darent de frugibus, & pomis: sed etiam de vilioribus: ut mentha, anetho, & cumino: de quibus nihil erat divinitus mandatum. Alterum eo firmat, quod omitterent tum judicium, sive vindicationem proximi adversus injurias illatas: tum misericordiam, sive beneficentiam erga egentes: tum fidem, sive constantiam in servandis promissis. De humana enim, non divina fide, hic loquitur. Neque negat, etiam viliorum posse decimas dari: sed ait, non ita hæc dari debere, ut negligantur longe majora. Quod quia facerent Pharisæi, vocat eos cæcorum duces: atque addit, excolare culicem, deglutire autem camelum. Nempe tralatio est à more orientali in excolandis vinis. Quæ purganda à minusculis animalculis: ut sunt culices: quibus oriens ob calorem abundat. At quid attinet ab his mundari, si relinquantur grandia? quod sit, deglutire camelos, ut ὑπερβολικῶς loquitur Christus. Nempe hoc vult, eos ad superstitionem usque urgere ceremonias: sed maxima dispretui habere, vel sane ob commodum suum dissimulare. Hæc de vers. xxiv.

Sextum signum est à studio externæ puritatis cum neglectu interioris. Nam purgare eos exteriorem poculi vel patinæ partem: at non curare cibum, vel potum, qui his inest: ut qui eos adepti sint per rapinam, vel his abutantur ad intemperantiam. Unde jubet, prius purgare, quod interius sit: à quibus si absint rapina, & intemperantia, mundum etiam fore, quod exterius est: quia non polluit hominem, siquid cibus aut potus sordium attraxerit è poculo, vel vase: sed illud vere inquinat, quod cor inquinat: ut quod adversatur præceptis divinis. Hæc de versu xxv.

Septimum est signum hypocrisis: ob quam comparantur sepulcris exterius calce atque albario opere obductis; intus vero sordium plenis. Atque hæc habemus vers. xxvii, & xxviii.

Octavum est signum hypocrisis conjuncta cum sævitia. Hypocrisios quidem erat, quod ædificarent prophetis sepulcra, & verbis damnarent cædem à patribus patratam: sic interim fatentes, se esse impiorum liberos. At crudelitatis insuper arguuntur, cum dicitur, *Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum.* Quo significat, se quoque ab iis occisum iri, ac doctores item, quos missurus foret.

a 4 Æn. Est vero Concessionis schema: sicuti illud a:

I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Hæc de vers. xxix. xxx. xxxi. & xxxii.

Ob hancce sævitiam vers. xxxiii. appellat eos *serpentes*: ac quia similium erant patrum liberi, eosdem mox nuncupat *progeniem viperarum.* Insuper quærit, quomodo, si tales esse persistant, evitare valeant gehennæ judicium, sive pœnam.

Superest tertia hujus capitis pars, quæ est de judicio superventuro tum Pharisæis, & Scribis; tum universæ Hierosolymæ. Utrobique primo proponitur beneficium divinum; sequitur ingrati animi vitium; ac subjicitur pœna secutura.

In priori parte id beneficii est, quod Deus mittat prophetas, sapientes, & scribas: quomodo loquitur Christus, ut se accommodet illis temporibus, quo melius intelligatur. Significat vero se ipsum, Apostolos, ac discipulos. Ingrati est animi, quod eos partim essent occisuri, & affixuri cruci; partim etiam in synagogis suis cæsuri flagellis, ac persecuturi de civitate in civitatem. Judicium his verbis significatur vers. xxxv: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zacharia, filii Barachia, quem occidistis inter templum, & altare.* Ubi UT non finem, sed eventum signat. Zacharias vero qui hic memoratur, non est Joannis Baptistæ pater, cujus parens non est Barachias dictus: neque de ejus nece quicquam traditum: sed Zacharias Joadæ filius, quem inter templum & altare fuisse occisum, legimus II Paralip. xxiv. 21. Unum obstare huic sententiæ videtur, quod is Joadæ filius fuit, non Barachiæ. Verum potuit Joïada fuisse binominis. Quamquam id vix censeo. Sed fortasse Euangelista omisit patris nomen: quod librarius addiderit perperam, quia confunderet Zachariam Joadæ, & Zachariam Barachiæ, unum ex minoribus Prophetis. Sane non alium, quam Joadæ filium, signari, eo credibilius est, quia is ultimus est prophetarum, de quorum nece legimus in Scripturis. Satis quidem credibile est, & alios postea esse interemtos; præsertim sub impio Manasse. Sed Servator eos solum nominare voluit, de quibus è Scripturis constaret. Sicui hæc sententia de librarii lapsu videatur durior, per me licet, ut credatur aliquis recentior, de quo tum constaret, nunc non item. Sed quomodo dicitur sanguis eorum venturus super eos, qui non occidissent prophetas? Nempe eodem id modo dicitur, quo legimus Exodi xx. 5: *Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filiis in tertia, & quarta progenie.* Nihil quippe injusti habet, si illi, qui propriis delictis pœnas mererentur, puniantur ob delicta majorum. Quod Deus potest absolute, id in talibus etiam potest relate: quemadmodum alibi fusius ostendi. Porro Christus non contentus semel hoc judicium denuntiasse, ad majorem asseverationem repetit illud versu xxxvi: *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.*

Itidem in altera parte id beneficii est, quod Christus voluerit Hierosolymis congregare Ecclesiam suam, sicut gallina pullos suos sub alis: ut est vers. xxxvii. Ingrati erat animi, quod tantum beneficium recusarint Hierosolymitani; ut est ibidem. Pœna vero est duplex. Prior, quod urbs propterea sit exscindenda. de qua versu xxxviii. Altera quod ab iis sit absuturus, usque ad id tempus, quando, ut est Math. xxi. 9, pii acclamabunt, *Benedictus* (εὐλογημένος, sive multis benedictionibus cumulatus) *qui venit in nomine Domini*, h.e. cum mandato imperandi populo suo. Hoc futurum extremo judicii die. Etsi quidam sic interpretentur, quasi loquatur Christus de spirituali adspectu sui, non corporali. Atque hi existimant, Christum innuere, aliquos ex ampla civitate iri conversum. Sunt & qui signari credant conversionem Judæorum, quæ judicium præcedet. Sane vel tempus istius conversionis, vel judicii designat. Ἀπ' ἄρτι, quod vulgatus parum Latine *amodo* vertit, pro *deinceps*, non significat præsens momentum: sed laxius capitur pro tempore pas-

sionis

fionis ac mortis. Nam post illud discipuli quidem viderunt Christum; at non Pharisæi, atque impii Judæi.

2. §. *Atque hæc omnia in templo contigerunt. Uti & illud, quod Jesus, ex adverso gazophylacii sedens, & conspiciens, quantum quisque in illud mitteret, minutum vidua paupercula donum amplius divitum muneribus prætulit: quia hæc de penuria sua, illi ex abundantia largirentur. Quemadmodum refertur Marci* XII, *& Luc.* XXI.

Tria hic considerantur, factum viduæ pauperculæ, de eo judicium Christi, & judicii caussa. Factum viduæ hujusmodi est. Cum certatim divites dona ingererent in gazophylacium, etiam vidua paupercula immisit duo λεπτὰ sive minuta. Gazophylacium erat arca in atrio templi constituta, juxta mandatum Regis Joas: ut est II sive IV Reg. XII. Hebraice *Corbonam* vocari, cognoscimus ex Matth. XXVII, ubi legimus, *in Corbonam mittere*. Quamquam Dionysius Richelius Carthusianus differre arbitretur. Qui & *Musah* credidit esse arcam Regis in templo positam, in quam itidem à populo pecunia inferretur. Sed eo signabatur locus custodum, Sabbati demum die custodia exeuntium. Minuta duo, quæ vidua immisit, valebant quadrantem, ut interpretatur Marcus: nisi cum Euthymio, & Roberto Senali, libello de ratione mensuratum, ac ponderum, quodque minutum fuisse censeas quadrantem. Est vero quadrans quarta pars assis, aliterque *teruncius* à tribus unciis vocatur. Valetque Hollandicam deutam, sive novenarium Brabanticum, prætereaque quartam deutæ sive novenarii partem. Sane sestertius, qui duorum assium ac dimidii erat, valet Belgicis duabus blancis, sive sesquistuferos; uti denarius, qui decem est assium, valet schellingio, sive sex stuferis. Quæ alibi fusius comprobamus. Atque ex his liquet, quam minutum fuerit, quod tribuit hæc vidua. Videamus nunc Christi judicium. Qui ait, viduam plus aliis donasse. Ac caussam subdit, quod æstimari dona oporteat non magnitudine eorum, quæ adveniunt foris, sed dantis affectu. Quippe cum alii largirentur de iis, quæ superessent, hæc dedit de paupertate, parum sollicita de egestate. Differunt vero hæc duo, ut ex Seneca, & aliis liquet, quod cum diviti supersit, pauperi non item, nec tamen alienæ sit liberalitatis indigus; contra egens ab aliis sit juvandus, ut vitam possit producere.

CAP. X.

De sermone Christi extra templum: quo prædicitur tum eversio templi, & Hierosolymorum: tum adventus filii hominis, & signa ejus. Item tres adferuntur parabolæ, una de iniquo judice; altera de decem virginibus; tertia de distributis talentis. Denique à Christo exponitur modus judicandi in novissimo die.

1. §. *Hinc templo egressus Jesus fuit, quod postea ingressus est nunquam. Cum exiisset, prædixit discipulis, quis status esset futurus, tum Synagoga Judaica, tum Ecclesia Christiana. Ad prius pertinent bella, fames & templi urbisque excidium: ad posterius, Christi adventus, & prævia adventus futuri signa. Quibus adjungit, quomodo nos ad ejus adventum debeamus præparare. Ut quatuor hic in considerationem veniant: Christi prophetia de Hierosolymitani templi eversione: interrogatio discipulorum de tempore, quo templum exscindendum, & adventurus Christus: responsum Christi, prius ad priorem, inde ad alteram quæstionem: ac denique adhortatio ad vigilantiam. Hæc omnia legere est Matth.* XXIV, *&* XXV, *Marci* XIII, *& Luc.* XXI.

Occasio tam luculento sermoni, sed, tanquam in re obscura, lucis, qua illustretur, indigenti, præbita ex eo occasio fuit, quod discipuli mirarentur magnitudinem templi ab Herode exstructi, Christoque structuram eam monstrarent. Christus igitur agnoscere præstantiam operis: sed prædicere ejus excidium. Matth. XXIV. 2. Discipuli jam ante, ut vidimus, edocti fuerant de abdicatione Synagogæ. Et regnum Christi terrenum fore putabant. Ergo, sedente Christo in monte Oliveti, ex adverso templi, eum accedentes interrogatunt hæc tria, ut bene Hieronymo observatum, quando esset futura illa templi eversio: & quo signo essent scituri instare adventum Domini: & unde essent cogituri de imminente seculi consummatione: sive quando Christus foret adventurus in gloria. Credebant, subverso templo isto, mox aliud multis partibus præstantius exstructum iri à Messia; qui Judæos esset liberaturus Romanorum jugo: eoque Rege seculum ad statum perfectissimum reductum iri. Atque ita confundebant excidium Urbis & Orbis: tempus inquam illud, quo templum esset exscindendum, cum eo, quo Dominus esset rediturus ad judicium. Icirco duas quæstiones diversissimas sub una comprehendit Matthæus. Hæc confusio quia gravissima iis erroris caussa esse postea poterat, commonet discipulos, ne sinant se ab iis seduci, qui essent venditaturi se pro Christo, ac multis illusuri. Hæc vers. IV, & V. Tum subdit Christus signa, quæ præcessura essent excidium templi. Ac primum adferuntur communes calamitates, sive ab hominibus illatæ: ut bella, & bellorum tumores; adversus quæ præmonentur discipuli vers. VI: sive cælitus immissæ, ut fames, pestilentia, & terræ motus; de quibus vers. VII. Quæ tamen omnia non finis, sed initium dumtaxat dolorum erunt, ut est vers. VIII. Communibus hisce calamitatibus subjicit alias Ecclesiæ singulares. Ut sunt, tum proditiones, cædes, & odia, propter nomen Christi; ut est vers. IX: quæ etiam mala magis & magis capient vires; de quo vers. X: tum incursiones ac seditiones falsorum prophetarum: ut est vers. XI: tum etiam iniquitatis summum incrementum, caritatis vero imminutio, & exstinctio: ut est vers. XII. Adversus quæ præmunit adhortatione ad perseverantiam, quæ promissionem habet vitæ æternæ; ut est vers. XIII. Denique aliud signum, quod antecedat templi excidium, adfertur. Nempe quod prius Euangelium sit prædicandum per universum terrarum orbem: sicut est vers. XIV. Sunt qui verba illa, *Et tunc veniet consummatio*, intelligant de fine mundi: sed, quæ diximus, satis ostendunt, loqui hactenus Christum de illis, quæ præcedent non finem mundi totius, sed solius Ecclesiæ Judaicæ: ante cujus excidium Euangelium toto fuisse orbe prædicatum, magnam partem ex Actis Apostolicis discere est.

Postquam de iis actum, quæ excidium templi diutius antecedunt, acceditur ad signum proxime excidium præcedens. De hoc ita vers. XXV: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele a propheta, stantem in loco sancto.* Ubi quid per *abominationem desolationis* intelligatur, his Lucæ verbis ostenditur: XXI. 20: *Cum autem videritis circumdari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote, quod immineat desolatio ejus.* Abominationem igitur vocat exercitus infidelium. h. e. Romanorum, qui desolaturi sive eversuri erant urbem, ac vastaturi terram sanctam. Ac quia Danielem multi legerent, nec intelligerent, eo subjungit hæc verba Matth. XXV. 15. *qui legit, intelligat*, sive animadvertat. Hinc sequitur narratio gravissimæ afflictionis, & Judaicæ Reip. finis. Quæ partim instituitur verbis figuratis, partim propriis. Figuratis quidem vers. XVI, XVII, XVIII. Quibus jubetur, ut qui in Judæa erunt, fugiant in Arabiæ montana: qui in solario, ne descensuri laborent de re quapiam assumenda: qui in agro, ne in urbem redeant, ad vestes, vel aliud quid, auferendum: Itidem vers. XIX, & XX. Quibus gravitas pœnæ partim eo significatur, quod feminis gravidis, vel lactantibus, non suppetet tempus fugæ: partim, quod orandum erit, ne fuga fiat, vel hieme, quando

a Dan 9, 27.

brevitas dierum longe fugere non finit: vel Sabbato, cujus iter folum erat VII ftadiorum. Sane Act. I. 12. ubi in Græco eft, *itineri Sabbathi*, Syrus interpres reddidit *feptem ftadiis*. De quo tamen aliqui aliter, ut eum ad locum erudite Beza annotavit. Hæc fane de fuga quæ fieret Iudæa relicta, fatis firmant Chryfoftomi opinionem, quæ hactenus adduximus de Urbis, non Orbis, excidio intelligi oportere. Hinc verf. XXI, & XXII. aperte & propriis verbis exponit quam tempora futura effent acerba. Tanta enim fore dicitur afflictio, ut ab omni hominum memoria non fuerit par, nec fit futura: imo à ficariis, & zelotis, perituram fuiffe omnem Judææ carnem, nifi dies illi fuiffent decurtati; fed maturandam Hierofolymorum obfidionem, atque ita, intra urbem ficariis, & zelotis conclufis, tandem latrociniorum, ac mutuarum cædium, finem fore. Quæ licet non tam aperte dicat Scriptura, non aliam tamen mentem habere, eventus oftendit, quem ex Iofepho cognofcimus. Atque hæc de refponfo Chrifti ad primam difcipulorum quæftionem.

Hinc accedit Chriftus ad alteram eorum interrogationem: quando adventurus effet Meffias. Ad hanc non refpondet affirmate, quia fatius erat nefcire, imo nec ipfe fciret Chriftus. Non igitur figna refertuntur adventus: fed quæ figna non fint adventus: idque ne alius à fe credatur adveniffe, vel jamjam affore, cujus adventus fortaffis diutiffime fit differendus. Hoc fine traditur, non credendum illis, qui hic, vel illic, fe dicerent effe Chriftum; quia fint futuri pfeudochrifti, & pfeudoprophetæ, qui non fermone folum, fed etiam fignis mendacibus, fint homines feducturi, ac, fi fieri poffit, ipfos electos. In hifce, qui fe pro Meffia venditarent, fuit Theudas ille, de quo Actorum 5: plenius vero Jofephus lib. XX. Antiq. cap. IV. Negat etiam Chriftus, talia fore figna, quæ inftare ejus fignificent adventum: nam adfore eum ex improvifo, quomodo fulgur ab Ortu travolat ad Occafum. Atque hæc eft mens verfus XXVI, & XXVII. Quibus verfu XXVIII. fubdimr: *Ubicunque enim fuerit cadaver* (πτῶμα) *illic congregabuntur & aquilæ.* Ubi (ut & Proverbiorum XXX, 17) per aquilam fignatur gypaëtus, five vulturius degeneris aquilæ genus: ficut oftendi lib. III. de Origine, & progreffu idololatriæ cap. LXXXI.
a Al. 30. Eandemque fententiam habemus Jobi cap. XXXIX, 29a: item Lucæ cap. XVII, 37. Sed apud Jobum fumitur proprie: apud Euangeliftas figurate. Sunt qui apud Matthæum fic interpretentur: Cum adventus Meffiæ fit futurus inopinatus, ac celerrimus, inftar fulguris: animus vefter, ne unquam fit imparatus, fed femper meditetur Chriftum crucifixum: ac huic adhærefcat, haut fecus ac cadaveri vulturius. Sed veram mentem ex fcopo perfpicere eft. Propofitum eft Chrifto munire pios adverfus pfeudoprophetas; qui dicturi effent, Chriftum in eremo effe, vel in penetralibus, ac eo ducere illos parati forent. Vult, ut tales habeantur pro impoftoribus, quia non fic erit comparatum cum adventu Meffiæ, ut alii alios in abdita ducant loca, ubi compareat Chriftus, & ita paulatim innotefcat: fore enim adventum ejus inopinatum, interim omnibus manifeftum; ut fe res habet cum fulmine: fore etiam ut nos eodem, ubi is erit, colligamur; ficut fe res habet cum aquilis, quæ congregantur ubi eft cadaver. Quafi dicat: Quid credatis talibus Chriftum vobis oftendere volentibus? cum is inopinus fe oculis veftris fit ingefturus, & fubito vos ad fe rapturus.

Vidimus, quæ Chriftus neget fore figna fui adventus. Hinc docet, quæ prævia figna fint futura tum adventus fui, tum confummationis feculi. Dicit apud Matthæum XXIV. 29, fore ifta εὐθέως μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, *ftatim poft afflictionem dierum illorum.* Hoc eft, poft excidium Hierofolymitanum. Hinc exponit, figna ifta fore, Solis & Lunæ obfcurationem, cafum ftellarum è cœlo, quaffationem cœleftium poteftatum: quæ figurate, ut apud prophetas folent, intelligi debent. Nempe per Solem fignatur Dei Verbum falfis interpretationibus & traditionibus obfcuratum: per Lunam mutabilia terrarum imperia, præcipue Romanum, fegnitie Cæfarum imminutum & ab exteris gentibus fubactum: per ftellas, illuftres Ecclefiæ doctores, deficientes ab Euangelica veritate: denique per *cælorum poteftates*, res Ecclefiafticæ, quarum gubernatio futura penes Chriftum. Hæc figna funt futuri adventus.

Hinc de ipfo agitur adventu. Ac primum qualis fit futurus, explicatur. Deinde quatenus certus, quatenus incertus, oftenditur. De priori eft verfu XXX. Ubi dicitur, fignum filii hominis appariturum in nubibus, velut tribunali: ejus confpectum fore impiis terribilem, fic ut plangant undique terrarum: fore hunc adventum cum potentia, & gloria multa.

Verf. XXXI docet, miffurum angelos fuos cum clangore tubæ ad electos fuos undique colligendos.

Certam effe prophetiam, oftendit exemplo ficus. Nam ut ex ejus conftitutione æftatem propinquare cognofcitur: ita etiam ex fignis adlatis præfciri, non longe abeffe adventum Chrifti. De quibus verf. XXXII, & XXXIII. Idem fimplici affeveratione firmat verf. XXXIV. Item comparatione naturæ cum fermone fuo: quæ inftituitur verf. XXXV. Sed bifariam ea intelligi poffit. Nempe vel hoc pacto; Periturum quidem mundum, fed verbum fuum fore æternum: vel hunc in modum; Potius perituram rerum naturam, quam ut aliquid eorum non fiat, quæ prædixerit. Sed ut certus fit Chrifti adventus, & feculi confummatio: tempus tamen eft incertum. Ut quod homo nemo fciat, imo nec angeli, vel filius hominis, fed folus pater cæleftis: ut eft verf. XXXVI. Exemplo vero rem declarat verf. XXXVII, XXXVIII, XXXIX. Id petitur à temporibus Noë: cum omnes ederent, biberent, luderent: atque ut apud Lucam additur, uxores ducerent, plantarent, ædificarent: non quafi hæc ἁπλῶς damnentur, fed quod toti forent in hifce mundanis, Dei, ac faluris fuæ penitus immemores. Ac quemadmodum hi folis iis vacarint, donec diluvium perderet mundum: fimiliter ait Matthæus fecuritatem fore, cum Domini inftabit adventus. Quo, ut eft verf. XL, & XLI, deprehendet omnes, eofque feparabit. Cujus difcriminis duo ponit exempla, unum ex agro, alterum ex piftrino. Iis fignificat triftiffimam etiam conjunctiffimorum feparationem, unius ad præmium, alterius ad pœnam.

Hactenus refpondit Chriftus ad tria illa, quæ difcipuli quæfierant. Deinde explicat hujus doctrinæ ufum; qui maximus eft. Nam ex eo, quod adventus Chrifti fit certus apud Deum, hominibus vero incertus: colligit, omnibus effe vigilandum; ut eft verf. XLII. Atque hoc verf. XLIII illuftrat fimilitudine patrisfamilias: qui fi fciffet, quando fur effet adventurus, non permififfet domum fuam perfodi. Ubi furi comparatur Dominus, ut Deus alibi injufto judici. Nempe eo fimilis adventus, quia uterque inopinatus. Ex eo, quod furis adventus futurus fit inexfpectatus, concludit verf. XLIV, & nos femper paratos effe oportere. Atque hoc feptem verfibus feqq., nempe ufque ad capitis finem, illuftrat parabola duorum fervorum, qui à patrefamilias peregre ituro effent domui præfecti. Ubi alludit ad veterum morem qui fervis præficerent præcipuum fervum, quem atrienfem vocant. Ejus erat demenfum reliquis adfignare fervis. Non igitur intelligendi duo fervi eadem in domo: fed difcrimen fervorum diverfis in ædibus, vel eadem in domo temporibus diverfis. Servus unus bona fide adminiftrat cuncta. Alter, morante Domino, dure habet confervos, & res domini fui dilapidat. Domino redeunte, fors quam difpar? Fidelis ille ad honorem evehitur: quo fignificatur merces vitæ æternæ. Infidelis adficitur fupplicio: quod Euangelifta indicat his verbis: *Dominus dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. illic erit fletus, & ftridor dentium.* Quibus fempiternum exitium denotatur. Græce eft, Καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, quod Erafmus interpretatur, *Et diffecabit eum.* Ut refpiciatur

tur ad supplicii genus, quod est sectio hominis in medium. De quo supplicio è legibus XII tabularum est apud Agellium lib. XX. cap. 1. Ac apud Iudæos Iesaias serra à Manasse dissectus putatur. Alius tamen simplicius videtur, si intelligatur divisio, si separatio ab aliis servis: præsertim cum sequatur, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει. quod ad verbum sonat, *partem ejus ponet cum hypocritis.* Ubi *partem* valet conditionem: *ponet* valet assignabit. Sempiternum vero exitium indicatur, cum additur, Ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, *illic erit ploratus, & stridor dentium.* Atque hæc omnia licet proprie pertineant ad diem mundi novissimum, & judicium universale: tamen suo etiam modo locum habent in die cujusque novissimo, & judicio particulari, quale mox à morte. Nec enim magis mortis certi sumus, quam Dominici adventus.

2. §. *Ad ea, quibus nos ad suum præparat adventum, variæ pertinent parabolæ: etiam illa Lucæ cap.* XVIII. *vers.* 1, *&* VII. seqq. *Est ea de judice nec Deum reverente, nec homines: sed tamen, cedente assiduis viduæ interpellationibus, partim ne, si sic pergeret molesta esse, penitus obtunderet: partim ne infamia foret, si ad ejus clamorem obsurdesceret.*

Utramque enim caussam adfert Christus. *Quamquam Deum non timeo, nec hominem revereor: tamen molesta est mihi hæc vidua: vindicabo* (ἐκδικήσω) *illam, ne tandem veniens sugillet me.* Gr. ὑπωπιάζῃ με. Quod *sugillet*, non modo vulgatus vertit interpres, sed etiam Erasmus. Proprie autem ὑπωπιάζειν notat, τὰ ὑπώπια, sive partes oculis subjectas sic percutere, ut livorem contrahant. Glossæ Philoxeni. *Suggillat*, πλήσσει, ὑπώπια ποιεῖ. Sed κατὰ μεταφορὰν usi ea voce pro, infamia aliquem afficere. Videlicet quia sic percussi, videantur ab omnibus, ita ut nec audeant in publicum prodire. Sic usurpat B. Hieronymus in procemio Pentateuchi: *Qui me asserunt in* LXX *interpretum sugillationem nova pro veteribus cudere.* Ac sic accipi hoc loco, etiam Alphonsi Salmeronis *a* sententia est. Aliqui tamen arbitrantur, ὑπωπιάζειν *obtundere*: quod classicis scriptoribus valet ad fastidium usque aliquid repetere. Et favet Syrus interpres, qui vertit, *molesta sit mihi.* Imo & Arabs, *Vexet me.* Quo pacto Lucas non geminam afferat rationem, sed hanc unam, ne vidua porro esset molesta.

a *Libro de parabolis Evangelicis tractatu 31.*

Scopum parabolæ initio capitis indicat ipse Evangelista his verbis, πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, *quod oporteat semper orare*, neque unquam animo defatigari; utcunque res postulata necdum obtingat. Quod Paulo III Ephes. est, μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσιν· *non deficere in afflictionibus*, nec malis succumbere.

Fuere autem, qui per impium hunc judicem intelligi Deum putarent. In his auctor est explicationum S. Scripturæ, quæ Athanasii dicuntur. Cujusmodi interpretationem explodi oportere, merito ait Titus, Bostrorum episcopus. Siquidem non voluit Christus argumentum adferre à simili; sed, ut artis nunc vocabulis utamur, à minus ad magis, hoc est ab eo, quod minus inesse videtur, ad illud, quod magis insit. Quod perperam vulgo dicunt, à minori ad majus. Neque enim hic attenditur, ecquid præstantius sit: sed quid verisimilius sit, sive, ut Aristoteles in Topicis loquitur, τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον ὑπάρχειν. Hoc argumentum est istiusmodi: Si etiam judex injustus tandem se passus est exorari, ut susciperet viduæ caussam: quanto magis Deus exaudiet pios, qui diu noctuque ad eum preces fundunt? Nihil vero est quæsito opus, utrum, quod parabola hac refertur, contigerit vere. Nec enim in hujusmodi magis opus est fide historica, quam in philosophorum, oratorumque apologis. Parabolam vero istam ad extremum judicium pertinere, arguunt verba ista, quæ postremo leguntur loco: *Verumtamen filius hominis cum venerit, num repertus est fidem in terra?* Quasi dicat, Deus quidem exaudiet piorum preces, & eorum caussam vindicabit: sed num putemus, in illa ob afflictiones deficientium multitudine, Filium hominis novissimo die multos, quos vindicet, reperturum? Commode vero iis, quæ dicta erant deprecandi perseverantia, subjiciuntur hæc de fidei defectu, quia fidei defectus est caussa, cur non perseveretur in precando. Unde Augustinus libro de verbis Domini: *Hoc autem Dominus adjicit, ut ostendat, quod, si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Ergo ut oremus, credamus. Et, ut ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem: fusa oratio fidei impetrat firmitatem.*

3. §. *Præterea attulit Christus parabolam de quinque virginibus sapientibus ac totidem fatuis: Quarum priores lampadibus suis prospexerunt ab oleo, nequid in se mora esset, quo minus obviam irent sponso, sponsæque: alteræ vero id neglexerant: unde factum, ut cum obdormivissent universæ, sed, adveniente sponso, clamore excitarentur nocturno, necesse habuerint oleum petere à prudentibus. His vero morem ei postulato gerere detrectantibus, ne neutris suppeteret satis: aliunde emtum ire sunt coactæ. Interim virgines sapientes cum lampadibus occurrentes Sponso, ingressæ sunt una cum illo in nuptias; & fores sunt occlusæ. Quare venientes alteræ quinque, nunc clamabant*, Domine, Domine aperi nobis; *nullum tamen aliud accepere responsum, quam illud*, Etiam atque etiam hoc vobis affirmo; Haud novi vos.

Solus hanc parabolam narrat Matthæus cap. XXV. Incipit ab illis verbis: *Tunc simile erit regnum cælorum.* Ubi *tunc* valet, mox à morte cujusque, & præcipue tempore juridicialis judicii, quando damnabitur servus impius, qui morante domino percusserat servos, & ancillas. De hoc enim parabola proxime apud Matthæum præcesserat. Porro hac parabola Christus nos ad vigilantiam adhortatur; ne, cum serum erit, frustra doleamus. Quod satis liquet ex epiphonemate parabolæ subjuncto: epiparabolam vocare liceat, ut ἐπιμύθιον dicimus. Cujusmodi sit parabola, vidimus jam. Quod sponsus noctu à virginibus exspectatus dicatur, hoc inde est, quia in Cananæa sponsi cum adolescentum comitatu noctu solebant accedere ad sponsam: eoque adventante virgines ei prodirent obviam, honoris ergo. Sane moribus etiam Romanis sponsa appetente nocte tradebatur sponso. Quam rem fuisse, inter cæteros, narrat Barnabas Brissonius lib. singulari de ritu nuptiarum. Exinde vero quod nonnisi noctu sponsæ domum ducerentur, ratio est aperta cur opus fuerit lumine nocturno. Romani ad hoc usæ sunt facibus: quæ fere ex pinu, vel spina alba. In hac parabola mentio est lampadum, & olei. Sane in V. T. non fit mentio candelarum sebacearum, vel cereorum: è quibus *sebaceæ* etiam κατ' ἐξοχὴν Belgis vocantur keerssen/ cum, ut ἔτυμον indicat, proprie notat *cereos.* Nam vocem hanc Romani pronunciabant, ut Græci κηρόν. Quodsi lucernis è sebo, vel cera usi forent veteres Iudæi: id fuisset in templi candelabris. Sed hic obtinuisse oleum olivarum, satis est apertum. Nunc ad significationem parabolæ veniamus. De qua mirifica somniabant Gnostici, & Valentiniani. Nam ut ex Tertulliano de Anima cap. VIII cognoscere licet, per virgines fatuas signari ajebant quinque sensus externos, deceptu faciles: per quinque facientes exprimi ajebat vires intellectus in perspicienda veritate. A quibus non multum abibat M. Antonius Genoa, philosophus Peripateticus: qui per sponsum intelligebat intellectum agentem, per sponsam intellectum patientem, per virgines fatuas, sensus quinque externos, per sapientes, sensum communem, & cæteros

ros internos; per oleum rerum externarum objecta. Sed in hujusmodi commentis semper meminisse convenit auctæ illius regulæ apud B. Hieronymum *a*: *Prudentem semper admoneo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus, & quæ commatice pro fingentium dicuntur arbitrio; sed consideret priora, media, & sequentia, & nectat sibi universa, quæ scripta sunt.* Præter vero interpretationem istam quinque sunt aliæ, quæ nihil habeant cum Gnosticis commune. Commemorat eas Alphonsus Salmeron sermonum in parabolas Euangelicas tractatu duodequadragesimo. Eas legere apud illum potes. Censeo autem, per virgines signari, qui Euangelio sunt vocati, atque id amplexi. Nec enim intelligi debent plane infideles, quales scortorum magis, quam virginum merentur nomen; sed solum qui sunt in domo Dei, quam Ecclesiam dicimus. Lampades sunt bona opera coram hominibus lucentia. Oleum est fides. Ejus defectus est fidei defectus. Obdormitio est securitas. Clamor nocturnus est citatio omnium ad judicium. Intromissio in conclave sponsi, est receptio in cœlum. Exclusio ex sponsi ædibus est exclusio è cœlis. Prudentia sapientum virginum in eo constitit, quod non tantum habuerint oleum in lampadibus, sed etiam in vasculis, unde oleum infunderent, ubi periculum foret, ne deficeret lumen. Insipientes vero, dum oleo sunt contentæ, quod inerat lampadibus, misere se decipiunt. Melius iis fuisset, si sponsus advenisset, dum & earum lampades arderent. Nunc aliter est, quia non tantopere sibi de oleo prospexerant, quam exigebatur usque in adventum sponsi. Aliter animatæ fuere virgines sapientes: quibus large satis suppetebat. Nempe harum oleum non tam qualitate exsuperabat, quam quantitate: quam durabilitas consequitur. Quo & nos edocti, non debemus eo nobis nimis placere, quia non male cœperimus: sed opera est danda, ut assiduis precibus, & exercitiis caritatis, augeatur in nobis fides, ac pietas. Quo enim fides luculentior, hoc durabilior: ac proinde licet aliquousque sis progressus, ad ulteriorem fidei gradum tendere oportet, donec ea robur acceperit, ac radices egerit: qualis non deficit. Sed inanis persuasio non sufficit, quæ frustrari solet. Ex Apostoli præcepto, opus est, ut per pietatis exercitia certam reddamus vocationem, & electionem nostram.

a Tom 9.

4 §. *Denique ejusdem scopi parabolam addit aliam, eamque tripartitam. Membrum primum est dispensatio heri; qui priusquam in terras abiret peregrinas, servorum uni quinque dedit talenta; alteri bina; tertio unum. Alterum membrum est servorum opera. Primus negotiando quinque talenta, est lucratus totidem talenta: alter binis bina: tertius talentum defodiendo pecuniam reliquerat otiosam. Tertium membrum est eventus, qui tum consistit in cognitione caussa, tum in judicio. Dominus enim ubi domum rediit, rationes exegit à servis. Ac primus quidem, & secundus, ob rem bene gestam à Domino sunt laudati, & præmio ornati. Tertius rationem reddere jussus, quasi non esset satis rem male gessisse; etiam culpam transferre voluit in dominum. Utroque nomine reprehensus est: neque solum talento est privatus; quod primo datum servo: sed etiam in carcerem est conjectus.*

Hæc de talentis parabola legitur Matth. xxv. 14. usque ad 32. Etsi vero ad rem non multum hic refert, quantum valeat talentum: tamen verisimile est loqui Christum de talento Hebræorum: quod illis ciccar: pro quo κίγχαρες est apud Iosephum lib. III. Antiquit. Iudaic. c. X *b*, ubi de pondere agens aurei candelabri, sic scribit: Σταθμὸν ἔχουσα μνᾶς ἑκατόν. Ἑβραῖοι μὲν καλοῦσιν κίγχαρες, εἰς δὲ τὴν Ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενον γλῶτταν σημαίνει τάλαντον. Quod Rufinus reddidit, *Pondus habens minas centum, quod Hebræi dicunt cinchares: Græca lingua interpretatum, talentum nuncupatur.* Pro *cinthares*, ut edidere, vel *cynthares*, ut est in Mso nostro, reposui ex Græco *cinchares*: pro Hebræo כּכר ciccar: unde κίγχαρ vel κίγχαρες, γ, vel ν inserto: prout à סדן, sadin, σινδών, ab און ozen, h. e. *auris*, venit *ansa*: similiter è Græcis: ut ῥυγχαίνη *runcina*, βυθὸς *fundus*, ἔχις *anguis*, δασὺς *densus*, atque alia. Quod si, ut Iosephus ait, ciccar sive talentum Hebræum valebat centum minas, idem fuerit ac talentum Ægineticum: non Atticum, quod tantum LX minarum erat. Mina autem valebat centum drachmas: drachma sive denarius asses denos: h. e. Belgarum sex stuveros, quos schellingium vocant. Talentum igitur Atticum fuerit mille & octingentorum Karoleorum: Hebræum sive Ægineticum ter mille Karoleorum. Sed rem ipsam consideremus.

b Secundum distinctionem Rufini: Græce autem cap. 7.

In hacce de talentis parabola, herus est Christus: famuli sunt omnes per Euangelium vocati. Inæqualis talentorum collatio est inæqualis divinorum donorum distributio. Negotiatio servorum fidelium significat rectum divinorum donorum usum. Defossio est eorundem neglectus, vel abusus. Remuneratio est gratuita merces cœlestis gloriæ. Pœna mali & ignavi servi est duplex: prior, quod privatus talento, h. e. bono accepto; atque id datum quinque talenta lucrato: juxta canona perpetuum, quo Deus honorat se honorantes, & impiis adimit quæ dedit. Altera pœna est, quod in extimas tenebras, h. e. gehennam, sit abjectus.

Nunc fusius ista diducam. Ac primum illud attendimus, quod Deus dicitur unum uni, bina alteri, quinque tertio talenta dedisse. Hinc enim cognoscimus, non esse ex nobis vires ad ullum spirituale bonum: sed à Deo esse eam virtutem, quæ *talenti* nomine signatur. Atque ut eo gratiæ spiritualis necessitas, ita & diversitas indicatur. Tertium accedit, sufficientia gratiæ, in tantum saltem, ut ne Deus perditionis caussa videri possit. Atque hæc abunde elucet ex eo, quod Euangelista dicit *a*, ἔδωκε ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν. *dedit cuique secundum ipsius facultatem.* Ubi vires intellige non nativas, quibus nihil homo valeat in spirituali bono: sed gratia supernaturali additas, & electis hactenus cum non electis communes. Nec enim Deus injustus est, ut plus alicujus humeris imponat, quam ferre valeat. Præterea cognoscimus negligi talentum posse concessum, defodiendo illud; ut sit gratiæ non defectus, sed neglectus, quia quis non utatur gratia divinitus collata. Atque hoc, licet parabolicum, valde iis adversatur, qui arbitrantur, hominem accepta gratia non plus boni facere posse, quam facit. Insuper hinc colligimus, disparem esse divinæ gratiæ usum: nec illos, qui nihilo amplius, vel etiam minus, aliis acceperunt, debere cogitare, eo sibi adlaborandum minus iis, qui majori accepta gratia, vel pari saltem, satis sint negligentes. Interim eos, qui duplum, vel amplius à Deo accepere, obstringi ad hoc, ut duplo, vel plus, commodi adferant Ecclesiæ Christianæ. Accedit ad ista, quod cum videmus, Deum remunerari eum, qui bene usus est talentis, eodem cognoscimus immensam Dei bonitatem, qui licet non foret nobis ulla ratione obstrictus, tamen sponte se obligarit nobis, sæpe interea nec facientibus, quod debemus, & per Dei gratiam possumus. Quando item servus nequam ait, se defodisse talentum, quia sciret duritiem domini, valentis metere, ubi non sevisset: animadvertere licet malitiam hominum, Deum accusantium injustitiæ ac immisericordiæ, quasi ab homine exigat, quod nequeat præstare. Hoc enim est, metere velle, ubi non severis. Ex ira Domini adversus servum, atrox sibi crimen impingentem; domini item responso, dicentis, si non hoc pacto, alia saltem via potuisse uti talento; satis apparet, multiplicem esse rationem bene utendi donis divinis. Unicuique autem esse dispi-

a Matth. 25. 15.

dispiciendum, quomodo quam optime sit usurus pro vocatione sua. Cum audimus, ei, qui talentum defoderat, illud eripi, ac conferri quinque talenta lucrato: commonemur, si gratiam Dei negligamus, ea spoliatum nos iri: at recte ea utentibus datum iri gratiam majorem. Eo additur, *Habenti dabitur.* h.e. lucrato aliquid, sive recte gratia uso, majori gratia conferetur. Tertullianus lib. IV adversus Marcionem cap. XIX: *Quid dabitur? Adjectio fidei, vel intellectus, vel salus ipsa.* Sequitur, *Non habenti adimetur etiam quod habet*, sive, *quod habere videtur*: ut est Luc. VIII. 18. Hoc est, Nihil lucrato, sive non uso donis gratiæ, etiam adimetur ea gratia, quam acceperat. Denique cum dicitur servus, ob defossionem talenti, conjectus in tenebras, ubi sit stridor dentium: discimus, quod Deus hominem pœnis plectat æternis, non esse ab irrationabili voluntate, quasi locum hic habeat illud,

a Juvenalis. *Sic a volo, sic jubeo: stet pro ratione voluntas:*

Sed, quemadmodum hoc recte explicant, Augustinus, Prosper, ac veterum alii; esse id ab judicio, sæpe multis partibus occulto, semper tamen justo: propterea, quod homo pœnas sit commeritus gratiæ neglectu, eoque diutino: qualem vel solam, vel imprimis signari, indicio est, quod dicitur dominus peregre profectus, post multum tempus revenisse: nempe vers. XXIX: *Μετὰ ϗ χρόνον πολὺν ἔρχεται ὁ κύριος.* Ac quia sic dicitur punisse servum inutilem, qui unicum accepisset talentum, cognoscimus, quanto majores daturi sint pœnas, qui non unicum, sed duo, vel quinque acceperint, sed defoderint: & si tam severe punit neglectum talenti, quod est peccatum omissionis, atque inertiæ, quanto magis sit animadversurus in abutentes; ut siquis talentum impendat in scorta, vel alia patret flagitia; quæ sunt peccata commissionis. Eoque cunctos, præsertim autem Verbi ministros, & quotquot divinæ humanæque sapientiæ studiis operam impendunt, sedulo hoc agendum esse, ne inertiæ possint accusari: quod in hac infirmitate humana per est difficile: ut omnes cogamur dicere illud divini psaltæ ps. XVIII: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Ubi præcipue intelliguntur peccata omissionis: licet plerique omnes mortales ea non attendant, vel pro levissimis ducant.

5. §. *Ab hac parabola Christus apud Euangelistam commode transit ad enarrandum ultimum judicium. Ubi tria considerantur: quæ judicium sive processum antecedunt, judicium sive processus, & sententiæ executio. Antecedunt hæc tria. Primum adventus Filii hominis gloriosus: qui futurus est in nubium throno, & cum angelis sanctis.*

Ubi curiosius fortasse quæratur, num Christus cum aliquibus, an omnibus, sit angelis affuturus. Videtur interim hic posse quæstio exsolvi, quia dicitur, *πάντες οἱ ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ.* Additur, sessurum ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ. Ubi per thronum gloriosum nubes signari, liquet ex eo, quod alibi dicitur in nubibus venturus.

6. §. *Deinde subjicitur omnium gentium ad judicium convocatio.*

Quod angelorum fiet ministerio, tuba omnes convocantium ad judicium. Quam congregationem scite describit Hieronymus epistola prima *b* ad Heliodorum:
b In fine.
Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Iudicatur Domino, lugubre mundus immugiet: tribus ad tribus pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole sua Venus. Tunc ignitus Iupiter adducetur, & cum suis stultis Plato discipulis. Aristoteli sua argumenta non proderunt. Tunc rusticanus & pauper exultabis, & ridebis, & dices: Ecce crucifixus meus, qui obvolutus pannis in præsepio vagiit. Hic est ille operarii, & quæstuariæ filius: hic, qui matris gestatus sinu, hominem Deus fugit in Ægyptum: hic vestitus coccino, hic sentibus coronatus: hic magus dæmonium habens, & Samarites. Cerne manus, Iudæe, quas fixeras: cerne latus, Romane, quod foderas. Videte corpus, an idem sit quod dicebatis, quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos. Nec dissimilia, quæ Tertullianus habet in fine libri de Spectaculis.

7. §. *Huic congregationi subjungitur secretio convocatorum, quia Christus, ad modum pastoris, oves statuet à dextris, hædos à sinistris.*

Ut in pascuis oves hædis permiscentur, sed cum vesperi domum commeatunt, secerni solent, quia male iis inter se conveniret: similiter in hoc mundo promiscue degunt boni, & mali, sed discernentur judicio extremo. Ovibus vero comparantur fideles, ob simplicitatem, & mansuetudinem: hædis assimilantur infideles, ob fœtorem, immunditiem, atque etiam lasciviam. Ob hanc similitudinem Nazianzenus in carmine de parabolis ista etiam habet pro parabolicis: ac parabolam etiam vocat Lyranus. Puto ego, ob pauca istiusmodi non debere parabolis potius quam prædictioni historicæ accenseri.

8. §. *In judicii forma, sive processu, duæ distinguuntur actiones: una attinet à dextera constitutos: altera illos à sinistra. Utrobique considerantur, judicis sententia, ejus ratio, ad hanc exceptio, & judicis responsio. Sententia in pios hæc fertur.* Venite *a*, ô benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi. a Vers. 34.

Οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου. Quibus Deus benedixit omni benedictione spirituali; ut id exponitur initio epistolæ ad Ephes. Κληρονομήσατε valet, quasi hæreditario jure possidete; puta, tanquam filii adoptivi. Additur, regnum iis præparatum ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Quomodo & Ephes. cap. I dicitur nos in filio elegisse ante constitutionem mundi. Nisi ab Euangelista attendi malis, quod in ipsa mundi creatione Deus fecerit regni ejusce locum felicitati suæ convenientem.

9. §. *Ratio deinde adjicitur; quæ ab operibus petitur. Nec enim sicut resurrectio est futura in momento, ita & judicium: sed aperiendi sunt libri, continentes, quæ quisque gesserit.*

Iuxta illud Ioannis Apocalyps. XX. 12: *Præterea vidi mortuos, parvos, & magnos, stantes in conspectu Dei: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est liber vitæ: judicatique sunt mortui, ex iis, quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum.* Quæ quomodo intelligi debeant figurate, mox exponam.

10. §. *Commemorantur autem à Christo sextuplicia misericordiæ opera: esurientibus dare cibum, sitientibus potum, hospitio excipere ejus indigos, nudos vestire, ægrotos invisere, in carcere agentes solari.*

Atque hæc sunt corporalia misericordiæ opera: præter quæ & spiritualia sunt: uti panem & potum verbi ministrare iis, quibus est fames & sitis spiritualis: nudos à virtute virtutibus ornare: & sic in cæteris.

11. §. *Sequitur deinde fidelium exceptio. Nam cum Christus sit dicturus, omnia misericordiæ opera sibi ab iis præstita esse: illi contra negabunt, se ista Christo unquam præstitisse. Hinc responsio est Christi, quæ in minimum aliquem sint collata, hæc sibi præstita se ducere.*

Verba

Verba Christi sunt, *Amen dico vobis, quatenus id fecistis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ubi valde ad opera misericordiæ incitare nos debet, quod etiam minimi illi sint fratres Christi, ac nostri: & magis inflammare debet, quod hujuscemodi opera Deus remuneretur felicitate æterna. Sane non in hac modo vita mirandum id nobis; sed etiam cum hanc vocem Christi audient fideles, obstupescent ob tantam tantillorum operum mercedem.

12. §. *Atque itidem quatuor ista in impiis ratione plane contraria observantur. Nam primum audient:* Abite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

Ubi quod vocat τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, valde adversatur Origeni. Non reponam, quæ fuse de eo hic disserit Iansenius: quæque adduximus in dissertationibus de statu hominis à morte, & judicio extremo.

13. §. *Tum, quo id promeriti sint, exponetur: nempe quod neglexerint omnia caritatis opera erga Christum. Negabunt illi, tantorum se criminum conscios sibi esse. Sed dicet Christus, non præstitisse eos hac membris suis, quorum ipse foret caput.*

Videbunt tum impii, longe alia trutina expensum iri opera sua, quam in vita putarant. Quodsi, ob neglecta misericordiæ opera, eos tanta manet pœna: quanta afficiendi erunt, qui pios etiam crudeliter fuerint persecuti?

14. §. *Nec tamen existimandum, cum Scriptura ait, eos tanti neglecti convincendos esse è libris, qui aperientur; proprie id accipi debere. Nam, ut veteres docent, per hosce libros intelliguntur conscientiæ singulorum.*

Quippe cujusque animo Deus in memoriam tte ducet, quid boni malive omni egerit vita: imo sic ea in lucem proferet, ut illa non ipsi modo, sed alii etiam cognoscant. Quæ igitur dicet Christus, ea non singula dicet voce sensibili, sed effectu, memoriâ singulis sua peccata suppetente. Hæc de judicii forma.

15. §. *Postremo autem capitis versu exponitur hujusce judicii executio. Nam impii dicuntur ituri in supplicium æternum; justi autem in gloriam æternam.*

Ubi prius loquitur de impiis, quia proxime de iis antecesserat. Hoc simplicius duco, quam ut ordine eo significatum sit, impios in conspectu piorum ad supplicium abituros, quo pii, infelicitatem eorum cum sua conditione comparantes, felicitatem suam melius intelligant.

CAP. XI.

De Christo passionem suam iterum prædicente; Deque consultatione Synedrii contra Christum, & pacto Judæ de tradendo Domino. Quæ evenere hebdomadis magnæ feria quarta, sive biduo ante Pascha.

1. § *Sequuntur ea, quæ, ut vulgo loquimur, die Mercurii contigerunt. Ubi duo in considerationem veniunt. Prius est, quomodo Christus praparaverit discipulos adversus passionis scandalum. Alterum est, quomodo inimici Christi se præpararint ad tollendum Christum. In priori duo attendimus: quod Iesus passurus, & quando passurus. Tempus præmittitur ab Euangelista. Ejus gemina nota. Una est, fore hoc post bidui intervallum. Ut cum Christus sit passus feria sexta, hæc contigerint feria quarta. Atque hoc altera etiam temporis nota ostendit, quia additur, futurum id tempore Pascha.*

Ubi satis liquere puto, vocem *Pascha* neutiquam sumi pro agno paschali, sive typico, sicut Exod. XII legas, *Phase immolari*, & *comedi*: sive per typum adumbrato, quomodo 1 Cor. V. dicitur, *Pascha nostrum immolatum est Christus*: sed μετωνυμικῶς pro tempore, idque vel pro primo die paschali, cujus initio agnus comedebatur: vel eo die, & sex diebus consequentibus. Utrum enim primum diem, an hebdomadem totam, intelligas, parum refert. Porro ubi Matthæus ait, *Post biduum Pascha fiet*, apud Marcum legas, *Erat autem Pascha, & azyma, post biduum.* Atque hic quoque *azyma* non proprie sumuntur, pro pane infermentato: sed pro septem dierum festo, quo Iudæi comedebant panem fermenti expertem. Hæc de tempore.

2. §. *Alterum erat, quod Christus sit passurus. De quo sic Euangelista:* Et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.

Græce est, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι. Ubi ἀπὸ κοινοῦ illud ὅτι repetendum. Ut sententia sit, Intra biduum, quod dixi, filius hominis, tradetur, & cruci affigetur. Antea, ut monitum, Christus indefinite erat locutus discipulis de sua passione: nunc tempus præfinit. Et convenit hoc tempus cum traditione illa Iudaica, in Cabalistarum monumentis etiamnum comparente, quo die populus Iudaicus Ægyptiaca fuit captivitate liberatus, eo per Messiam fore redemtionem Israelis.

3. §. *Sequitur præparatio illa insidiantium Christo. Nam ad consultandum de capiendo & necando Christo convenisse dicuntur* [a] *οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ* [a] Matth. 26. 3.
γραμματεῖς, καὶ οἱ πρεσβύτεροι principes sacerdotum, cum scribis, & seniores populi.

Per ἀρχιερέας intellige, tum Pontificem maximum, tum XXIV. illos sacerdotalium familiarum principes, ad quos pertineret ἐφημερία. Pontifex Maximus erat eo anno Caiaphas, ut est Ioan. XI. 51. Ubi jure addit τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου: quia tum pontificatus dignitas non erat perpetua, sed ambulatoria. Erat vero Caiaphas constitutus à Valerio Grato; uti postea à Vitellio hoc munere est dejectus. Nam Romani præsides sibi tum jus deligendi Pontificis vindicabant: quemadmodum antea fecerant Syromacedonum reges: & ante hos ipsos Hebræi reges: ut liquet ex 1 Reg. II. 27. & 1 Paral. XLIX. 22. At cum libera foret Resp. penes synedrium hanc potestatem fuisse, Maimones docet in Halacha Cele hammikdasch cap. IV: ac inde proditum veteri nostro in Leidensi Academia collegæ Petro Cunæo lib. II de Rep. Hebr. cap. 1. Nec quod Caiaphas vocetur ἀρχιερεὺς, pugnat cum eo, quod multi fuerant ἀρχιερεῖς. Nam cum ἀρχιερεῖς legimus, id fit propter eos, qui inter sacerdotes eminerent. Quales etiam, qui aliquando summi fuerant sacerdotes. Nam iis temporibus quotannis novus fiebat summus sacerdos. Nimirum pecunia sibi ambitiosi hanc dignitatem comparabant. Quare ἀρχιερεῖς illi erant inter LXXI seniores: qui constituebant πρεσβυτέριον, ut vocatur Act. XX. 5: sive γερουσίαν, ut appellatur Lucæ XXII, 66, atque alibi. Hi senatores (in quibus etiam fuit Iosephus ab Arimathia, qui in Christi necem noluit consentire) ut ab aliis senatoribus distinguerentur, interdum vocabantur πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ; ut 1 Maccab. XII. 35. ubi Ionathas convocasse narratur τοὺς πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ. Nempe universi populi Iudaici Senatores maximis de rebus consultabant. Ac quandoque etiam κατ' ἐξοχὴν vocati simpliciter πρεσβύτεροι. ut inscriptione ea Lacedæmoniorum

niorum epistolæ, quam habes 1 Maccab. xiv. 20. est hæc istiusmodi: τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τῷ λοιπῷ δήμῳ. *Senatoribus, & sacerdotibus, & reliquo populo.* Ab his diversi fuere Hierosolymis πρεσβύτεροι minorum caussarum: quales & in oppidis singulis: unde non πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, sed τῆς πόλεως vocabantur. Sed de his etiam dictum cap. 1.

4. §. *Porro hoc, de quo nunc loquimur, erat concilium secundum de capiendo Christo.*

Primum enim fuit ante hebdomadem sanctam: quo decretum est de Christo, ut indicium ejus faceret, quisquis sciret, ubi loci foret. Nunc erat quarta sanctæ sive majoris hebdomadis feria: nempe biduum tantummodo ante Pascha. Sed difficile est dictu, an hoc fuerit concilium proprie dictum. Verba quidem Scripturæ sunt ista Matth. xxvi. 1: *Dixit discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiaphas, & concilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem, Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo:* At, inquiunt, hic memorantur οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ γραμματεῖς, καὶ οἱ πρεσβύτεροι. Quæ descriptio est concilii ejus, quod Thalmudistæ vocant Sanhedrin. Equidem speciose hoc dici video, ut justum fuisse Concilium, & quidem magnum illud existimetur. Sed enim obstat, quod congregati fuisse dicantur in αὐλῇ sive atrio Pontificis maximi Caiaphæ. Fortasse igitur solum sub dio inter se fuerint collocuti, nec interiora palatii fuerint ingressi. Saltem id non dicitur. Imo quid si sponte se eo magno numero receperint Caiaphæ injussu? Quid si etiam istic non diu substiterint, sed metu populi, à quo Christum magni scirent fieri, se receperint extra urbem, ut tutiores forent? Sane Franciscus Quaresmius Elucidationibus Terræ Sanctæ lib. iv. cap. xvi auctor est, extra civitatem locum esse, qui appelletur *Mons mali concilii*: ac vulgo sic tradi, nomen hoc ex eo esse, quia illic consultatum sit de capiendo Christo, hic quoque cum Iuda sit transactum. Cui si traditioni habenda sit fides, possint ex atrio Caiaphæ se istuc recepisse; ac, citra etiam præsidem suum egisse ista, quæ dicebam. Præterea sive istic, sive in atrio Caiaphæ, vel interiori etiam palatio, fuerint congregati, non is locus fuit Synedrii magni: quod convenire solet in parte templi Gazith dicto; sive in conclavi è cæso lapide: ut cap. 1. dicebamus.

5. §. *Consultatio hujusce cætus binas habuit partes. Prior est consultatio de prehendendo, & necando Domino. Posterior est transactio Iudæ de eo prodendo. In priori exponemus prius, qui, quando, & de quo consultarint. Deinde quid decreverint, & decreti ejus caussam. Quod ad tempus, convenere biduo ante pascha: ut Matthæus, & Marcus, annotarunt. Intellige vero pascha, non prout proceres Iudæi, sed uti Christus celebravit ex lege Mosaica.*

Sic enim Euangelistæ hi intelligere paschatis diem solent: de quo inferius dicemus. Fuerit igitur feria quarta.

a Matth. 26. 3.

6. §. *Locus, ubi congregati, fuit* αὐλὴ a τοῦ ἀρχιερέως. *h. e.* palatium summi sacerdotis.

Nam αὐλὴ antiquis scriptoribus erat τόπος ὕπαιθρος, locus sub dio ante ædes principis: sed posteriores eo κατὰ συνεκδοχὴν ipsas ædes principis solent designare; ut Athenæus, & Eustathius, tradidere. Ac sic Pilati palatium αὐλὴν nuncupat Marcus xv. 16. Οἱ δὲ στρατιῶται ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον. *Milites vero abduxere eum in palatii partem interiorem, qua prætorium est.*

7. §. *Caussa, cur convenerint, hæc adfertur; ut consultarent, quo dolo prehenderent Christum, & per Iudææ præsidem necarent, idque tempore commodo; non in festo, quo magna conflueret Hierosolymam multitudo, quam Iesu sciebant favere; ut omnino periculum foret, ne tumultum adversus proceres concitaret, & eorum etiam manibus Iesum eriperet: maximeque metuebant, nequid auderent Galilæi, qui populares habebantur.*

Hic metus effecit, ut recederent à consuetudine recepta, qua, ut Thalmudici doctores annotarunt, insigni facinore pollutos in ipso die festo solent afficere supplicio, quo plures sibi inde exemplum caperent. Ideo & Herodes, ut est Act. xii. 4. decrerat Petrum post pascha populo producere ad pœnam. Quod optime Ill. Grotius interpretatur, intra octo illos dies, qui incipiebant à mactatione agni, ad finem azymorum. Atque idem merito rejicit vulgatem opinionem eorum, qui putant, cum Iudæi dicuntur noluisse Christum capi in die festo, voluisse eos, id tempus anticipari. Nam bidui tantum spatio aberat festum paschæ; imo minus etiam, si festum inchoemus à mactatione agni, quæ incipiebat à nona hora parasceves: à qua hora nec Iudæum vadari, prohibente Augusti lege, jus erat; ut testis nobis Iosephus lib. xvi. Antiq. Iud. cap. x. Tantillum cum solum spatium superesset, nullam videbant rationem, qua possent Iesum interea per dolum prehendere, damnare & per præsidem Romanum interficere. Sed ad patrandum illud, quod alioqui non ausi essent sperare, occasio se obtulit ab discipulo Iuda, qui, ut mox dicam, sponte adiit proceres ad Dominum prodendum. Hinc est, quod, consilio mutato, læti tam commoda occasione oblata, unum intra diem, imo minori etiam spatio, festinantissime Iesum ceperint. Ita videmus; ut, cum studiose hoc agerent Iudæi, ne Iesus festo die prehenderetur, ac necaretur: divina providentia hæc contra ita direxerit, ut contra, quam cogitarant, eveniret. Nam sic die eo, qui ex lege Mosaica paschalis foret, captus, & interemtus fuit. Quod duplici de caussa placuit Deo: primum ut sic ostenderetur, hunc esse verum agnum paschalem, veteris testamenti typis adumbratum: deinde ut ob tantam multitudinem, quæ Hierosolymam ob festum paschatis confluxisset, plures forent testes hujus supplicii pariter, ac sacrificii.

8. §. *A consultatione Synedrii venio ad factum Iudæ, primoribus populi se offerentis ad tradendum Christum. Ubi spectanda persona proditoris; pretium quod stipulatus est, & accepit; & tempus, quo id contigit. Is qui prodidit, dicitur fuisse* unus è duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes.

Additur cognomen, ut distinguatur à Iuda, Iacobi fratre, cognomento Thaddæo, vel Lebbæo: cujus exstat epistola Canonica. *Iscariotes* vero dictus, non quia foret ex tribu Issachar; quomodo *Isschariotes* potius vocaretur: sed quasi Cariotensem dicas, ab איש *vir*, & קריות *Carioth*, quæ urbs est Iudæ, Ios. xv. 25. Sed quid usque adeo cognitis insistimus?

9. §. *Quo tempore Iudas Dominum vendiderit, docent nos Matthæus, quando ait,* Tunc profectus unus ex xii, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum. *Ubi illud* τότε *tunc, non pertinet ad historiam de unctione Domini, quæ proxime antecessit; sed illud, quod narrare antea cœperat de principibus Iudæorum congregatis, & consultantibus adversus Christum. Hæc enim occasio erat accedendi proceres, & cum iis paciscendi de tradendo Domino. Quare feria quarta & coactum fuit Iudæorum concilium, & cum iis pactus est Iudas.*

Atque hoc in caussa est, cur in veteri Ecclesia non solum feria sexta, qua Christus est crucifixus: sed etiam feria quarta, soleant jejunare: uti locuples testis est B. Augustinus epist. LXXXVI, quæ est ad Casulanum. Nec propterea ratione caret, quod Matthæus, & Marcus, inter consultationem Synedrii, & pactum Iudæ, interserant historiam de unctione Christi. Nam hoc inde est, quod voluerit uterque præmittere occasionem, qua Iudas ad tale facinus est inductus. Iam quidem quartus erat dies, quod unctio contigerat: sed indignatio illa, quam Iudas conceperat ex eo, quod tantum sibi lucri decesserat, in caussa erat, quod, exinde animo plane abalienatus à Christo, assidue cogitarat de resarciendo hoc damno: ac cum audisset, congregatum esse synedrium adversus Christum neutiquam sibi prætermittendam hanc occasionem putarit, eoque sponte se obtulerit ad Dominum vendendum. Non igitur narratur res tum acta, sed præterita; hic loci vero inserta, ut, caussa venditionis venditioni proxime præmissa, res omnis melius intelligeretur. Atque hæc omnia plenius dilucent ex dissertatione ea quam superius de Unctione Christi consignavimus.

10. § *Tertio me expositurum receperam, quo pretio Christum vendiderit Iudas. Id triginta fuit argenteorum. Tantilla enim promissione gavisus, continuo omne studium contulit ad Dominum tradendum.*

Ἀργυρίῳ vero, sive argentei nomine in Scripturis signatur siclus: de quo credere debemus τοῖς ἑβδομήκοντα. Nam ubi Hebraice est cesseph, h. e. *argentum*, vertunt σίκλους ἀργυρίου *siclos argenti*: ut videre est II Samuelis XVIII. *Si vidisti, quare non confodisti eum* (Absalonem?) *& ego dedissem tibi argenti siclos, & baltheos.* Ubi Hebraice ac Græce est, uti dixi: ac similiter in verbis proxime sequentibus: *Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* Itidem Iosephus, eandem rem narrans, utrobique habet σίκλους. Ac Hieronymus quoque Ies. VII, & Hierem. XXXII, cum in Scripturis *argenteos* legimus, ait *siclos* denotari.

Quantum vero valuerit siclus, non aliunde melius scitu est, quam ex iisdem LXX: ut qui ubi Hebraice est *Secel*, vel *Ceseph*, vertant *didrachmum*. ut Genes. XX, 16: *Ecce mille argenteos* (Ceseph) *dedi fratri tuo.* Græce, χίλια δίδραχμα. Et cap. XXIII. 15, 16. pro agro Abraham annumerat Ephroni Hethæo *quadringentos siclos argenti*: ubi Græce τετρακόσια δίδραχμα ἀργυρίου. Drachma idem pene, ac Romanis denarius: hodie Iulius, sive Regalis, Hollandis schellingius, sive sex stuferi. Quare triginta didrachma, sive sexaginta drachmæ, vel denarii, sint scutari sive ducatoni, vel Philippei sex, floreni Hollandici octodecim, floreno quoque XX, ut vocant, stuveris æstimato. Ac verisimile est, hoc etiam pretio potuisse eum agrum figuli, vilem illum, & credo, à figulo emaciatum, nec nisi cadaveribus sepeliendis idoneum. Sane apud prophetam etiam legimus; *Emit agrum decem & septem siclis.* Nempe non ex nostrorum temporum caritate oportet æstimare ea quæ antiquorum sunt temporum.

Interea fatendum, aliter etiam siclum exponi. Nam Hieronymi est in IV Ezechielis: *Siclus stater est, hoc est drachma quatuor.* Imo & Iosephus lib. III Antiquit. Iudaic. cap. XII, agens de eo quod de sicli dimidio dicitur

a Pag. 78. ed. Froben. Exodi XXX, ait *a*: Ὁ δὲ σίκλος, νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus Hebræorum nummus quatuor drachmas Atticas continet.* Ut siclus non didrachmum sit, sed tetradrachmum. Nempe Iosephus non de vulgaribus siclis loquitur, sed illis sanctuarii: qui non didrachmum, ut vulgares, sed tetradrachmum valuere. Hoc pacto Iesus non XVIII, sed XXXVI florenis Hollandicis fuerit divenditus: sive scutatis, ducatonis, aut Philippeis XII, unoquoque horum tribus florenis Hollandicis, floreno quoque XX stuveris æstimato.

Atque hoc verisimilius facit, quod de agro figuli, emto tam vili pretio, antea dicebamus.

Sed ecce tertiam etiam opinionem. Nam & siclus pro decem didrachmis, sive quinque tetradrachmis accipi videtur: hoc est, pro libra Flandrica, sive duobus scutatis, ducatonis, aut Philippeis, sive pro sex Hollandicis florenis: quos gulden sive aureos, quia olim fuere tales, solemus nuncupare. Sic accipi posse, verisimile facit, quod, ubi in Genesi est, Iosephum esse venditum viginti argenteis, transtulere alii, aureis, quæ quinctuplo plus valebant. Inque illo II Samuelis XVIII. loco, antea de Absolomi morte citato, ubi in Hebræo est de decem argenteis siclis: Flavius Iosephus habet, quinquaginta argentei. Vide de istoc plura apud Stanislaum Grsepsium de re nummaria Hebræorum *a*. Sic triginta sicli fuerint floreni Hollandici CLXXX, sive libræ Flandricæ XXX, sive scutati, ducatoni, vel Philippei LX. Ac si omnia æstimemus moribus nostris, pretium id non paullo sit verisimilius. a Pag. 81. 82.

Atque ex his facile est statuere de pretio, quo divenditus est patriarcha Iosephus. Fuit ille divenditus à fratribus siclis viginti. Sic enim est in codd. Hebræis, & plerisque Latinis. In quibusdam est XXX. Nempe librarius quia sciret eum fuisse typum Christi, decem adjecit, ut sic melius conveniret cum prototypo. Sed nihil opus, ut typus, & antitypus, per omnia respondeant. Si sicli fuerint vulgares; emtus sit florenis XII, sive IV. scutatis. Sin intelligantur sanctuarii sicli, sint floreni nobis XXIV, sive scutati, vel ducatoni VIII. At si siclum æstimemus quinque tetradrachmis, venditus sit florenis CXX, sive libris Flandricis XX, seu scutatis aut Philippeis, aut ducatonis XL; quoque scutato tribus florenis Hollandicis, seu LX. stuveris æstimato. Ac sic quoque vile erit, quo æstimatus cæli terræque conditor, humani generis salvator. Quanto magis, si prima sumatur vox significatione, vel etiam secunda? Hoc mystice considerans B. Ambrosius, scite ait in Lucæ cap. VII, ubi sermo de Christi verbis, quibus Mariam Magdalenam defendit adversus Iudam: *Tam vili auctione vult æstimari Christus, ut ab omnibus ematur, nequis pauper deterreatur.* Et Paulinus epist. IV. ad Severum: *Nos magno emit, non vendit. Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior, quod se vili vult æstimari, ut ab omnibus ematur.* Videlicet tantus tam parvi vult æstimari, qui nos parvos tam magni æstimavit, ut pro redemtione nostri effunderet pretiosum suum sanguinem.

CAP. XII.

Eius agitur de præparatione agni Paschalis, quæ facta est feria quincta, sive pridie Paschatis, tempore diurno. Ubi hæc quatuor obiter considerantur. I. Ut discipuli Christum consuluerint, apud quem Pascha vellet præparari. II. Ut Christus eos signum edocuerit, unde hominem cognoscerent. III. Ut ab eo deducti sint in domum, ubi celebrandum Pascha. IV. Ut curatis rebus à discipulis, Christus ipse sera die advenerit. His de diurno tempore breviter enarratis, fuse agitur de comestione agni Paschalis, quæ fuit de nocte ejusdem feriæ: sed initio feriæ sextæ, secundum Iudæos, diem à Solis occasu auspicantes. Cæterum hocce capite universe attendimus mactationem agni. Ac primo actu, tum de victima, ac ejus conditionibus, tum de sacerdote, tum de loco & tempore sacrificii. Hinc de assatione agni disquirimus. Denique de comestione ejus cum panibus azymis, & herbis amaris.

1. §. T*Ranseo nunc ad acta feria quincta, quam diem Iovis dicimus.*

Is dies

Is dies jam olim *Cœna Domini* solet appellari, eo quod tum instituerit Christus Cœnam suam: non quidem si more loquendum Iudæorum, quibus vespera illa, qua Cœnam instituit, auspicata est feriam sextam: sed more Romano, quo vespera illa, ac præcedens lux diurna, ad eundem diem, nempe diem quinctum, pertinebat. Sic vero, uti diximus, diem enim esse nuncupatum, ostendit Micrologus lib. de Ecclesiasticis Observationibus cap. 1: *A Dominica tamen Palmarum, eo quod ibi Passiones legere incipimus, præfationem de Cruce dicimus, usque ad Cœnam Domini: videlicet per quinque dies partitam Domini passionem intimantes.* Ac sæpius sic loquitur in Historia sua Matthæus Parisius.

2. §. *Hujus diei gesta duabus partibus continentur, diurna, ac nocturna. Diurnam prius exponam.*

Quam narrant Matth. XXVI. 17. 18. 19. 20. Marc. XIV. 12, & 5. seqq. Luc. XXII. 7. & seqq. 6.

3. § *Eius historia est quadripartita. Primo enim refertur, quomodo, discipulis imminentis paschatis à Christo commonitis, duo eorum, Petrus, & Ioannes, consuluerint illum de loco, ubi comedere vellet agnum paschalem.*

Ex Deuteronomii cap. XVI cognoscimus, tria præcipue festa à Mose esse instituta; Paschatis, sive azymorum, Pentecostes, sive hebdomadum, Σκηνοπηγία, sive tabernaculorum; sub quo & Tubarum, & Expiationis festum comprehenditur. Iis post captivitatem Babylonicam alia accessere: in his Encænia. Sed nunc sermo nobis de solo Paschatis festo. Quod ita nuncupatum non ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia tum passus sit Christus, ut quidam veterum, Hebræi sermonis ignorantia, prodiderunt: sed ab Hebræo *pascha*, sive *pesach*, h.e. transitus: nempe quia exterminator angelus ædes eorum transiret, quorum postes forent inuncti sanguine agni. Idem dictum *festum azymorum*, quia agnus paschalis cum panibus azymis comederetur: ut inferius dicetur. Discipuli igitur rogarunt Christum, ubi vellet agnum comedi. Hoc primo azymorum die contigisse dicitur à Matthæo, & Marco. Caussa erat, quia vespera proxima inchoarent azyma. Sic locum eum interpretatus Chrysostomus. Ut videatur diem a luce inchoasse. Nam mane ista, vel circa meridiem, contigerunt. Nec enim verisimile est, hæc fecisse a Solis occasu. Itaque & Euthymius, cum à Luca dicitur, *Venit* (ἦλθε) *dies azymorum*, interpretatus hoc, *instat*, *imminet*. Proprie tamen dies festi inchoabant Iudæi a vespera, secundum illud in Levitico: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.* Quare dicendum, Matthæum loqui more Romano, quia his τὸ νυχθήμερον incipit ab ortu Solis.

4 §. *Alterum est, quomodo jusserit Christus, ut hoc signo locum cognoscerent. Urbem ingressis virum esse obvium venturum cum lagena aquæ: eum sequerentur usque in domum, quo aquam deferret. Hic patrifamilias dicerent, tempus Domini prope esse, ac propterea velle cum discipulis apud eum divertere, & pascha comedere. Eum discipulis indicaturum esse grande cœnaculum, ubi comedatur agnus paschalis.*

Verba Christi sunt apud Matth. *Abite in Urbem ad quendam*: πρὸς τὸν δεῖνα. Ut Hebræi dicunt פלוני *peloni*: cum nolunt nomen exprimere, vel etiam non possunt. Ut omnino infirmum sit argumentum, quando B. Ambrosius colligit, *sine nomine designari, ut ignobilis æstimetur.* Sequitur, *Et dicite ei, Præceptor dicit, Tempus meum prope est, apud te faciam cum discipulis meis.* Quisquis ille fuit, dives fuit, quia jussus præparare ἀνώγεων sive cœnaculum à solo subductum, idque grandius, in quo, more antiquo, lectulis stratis discumberetur à tam multis. Fortasse & discipulus fuerit, quando & è potentioribus aliqui in eum crediderunt. Hoc verisimile eo fit, quod discipuli jubentur dicere, *Magister dicit.* Fuerit saltem familiaris: ut inde cognoscitur, quod dicere jubeantur de mortis tempore. Verba Christi sunt, *Tempus meum prope est, apud te Pascha facio cum discipulis meis.*

5. §. *Tertium est, quod discipuli ex præscripto Christi agentes comperere cuncta, ut Dominus prædixerat: atque illic, ubi jusserat, pascha paraverunt.*

Hoc pacto etiam animos discipulorum præmuniit, omniscientiam suam ostendendo.

6. §. *Quartum est, quod & ipse Christus, sed sero diei, circa vesperam puta, Urbem est ingressus, quo mox ab occasu Solis comederet cum discipulis agnum Paschalem.*

Marci verba sunt, *Venisse cum* XII, hoc est, cum Apostolis reliquis. Nam Petrus, & Ioannes, fuerant præmissi. Nempe duodecim κατ᾽ ἀντονομασίαν, pro collegio Apostolorum, cujus major pars una cum Christo venit. Nisi malis, duos illos Apostolos fuisse reversos ad Christum: ut vere fuerint XII.

7. §. *Hactenus de tempore diurno: nunc pluribus de nocturno loquar. Quod partim est de iis, quæ fecit Christus, partim quæ dixit. Facta sunt quatuor, comestio agni Paschalis, lotio pedum Apostolicorum, intincta Iudæ data ad prodendum proditorem, & institutio S. Eucharistiæ.*

Ut à primo ordiamur, Christus ea nocte, qua traditus est, discipulos cœna adhibuit paschali. In ea autem comedebatur paschalis agnus: cujus mactatio erat typus, ac symbolum agni illius immaculati Iesu Christi, qui mactandus erat pro peccatis totius generis humani.

Agnum hunc Paschalem considerabimus bifariam: ratione communi, sive omnium Iudæorum, & particulari, sive unius Christi, & discipulorum. In ratione communi attendemus hæc tria; agni mactationem, assationem, comestionem. In primo agam de victima, sacerdote, & sacrificii tum loco, tum tempore. Victima erat agnus: qui figura fuit Christi, idque præcipue ob simplicitatem, & innocentiam.

Unde de Christo sic Iesaias cap. LIII: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, &, quasi agnus coram tondente se, obtumescet, & non aperiet os suum.* Exodi XII præcipitur, ut si agnus defuerit, ejus loco mactetur hædus. Paullus tamen Burgensis negat id fieri potuisse: & provocat ad doctores Hebræos: qui dicant, tantum agno, non hædo, potuisse fieri phase. Sed non operosum est has opiniones conciliare. Nam in primo illo paschate, quod observatum in Ægypto, & agnus, & hædus potuit mactari: postea vero agnus semper mactatus, non hædus. Quare & Christus semper agnus vocatur in Scripturis. Ut Ioan. I. 29. & I Petr. I. 19. ac crebro in Apocalypsi. Nec mirum, si in prima illa paschalis victimæ mactatione hædus fuerit typus Christi. Nam uti agnus fuit typus ob innocentiam Christi: ita hædus: quia mortuus est pro peccatoribus, imo ipse etiam iis est accensitus: juxta illud Iesaiæ LIII: *Cum iniquis reputatus est.* Atque eandem ob caussam etiam figuram Christi gessit hircus ille: qui, ut est Levit. XVI, omnes iniquitates deportabat in terram solitariam.

Plane vero errant Hebræorum illi, qui putant, in magnis familiis potuisse etiam vitulum mactari: nempe quia Deuter. XVI dicatur: *Immolabis Domino Deo tuo Phase de ovibus, & de bubus.* Neque enim illic agitur de sacrificio, quod

à familia qualibet fieret in paſchatis paraſceve: ſed de hoſtiis pacificis ſacerdoti à populo oblatis ad mactandum. Quales hoſtiæ cum alias offerri ſoleant, tum maxime in ſollemnitate paſchatis, pentecoſtes, & ſcenopegias: parſque talis hoſtiæ incendebatur Deo; pars data ſacerdotibus; pars cedebat offerenti: ut eſt Deuter. XII. & XIV.

Muhammedani quoque paſchatis tempore, quadrupes mactant; non agnum tamen, aut vitulum; ſed, ut Benjamin Tudelenſis in Itinerario *a* teſtatur, camelum, cumque à Calipha mactatum. Hujus portiones diſtribuuntur principibus, admodum eo lætis, quod de victimis comedere liceret, ipſius Caliphæ manu mactatis. Vide & quæ de iſto perſcripſit Samuel Purchaſius in Relationibus rerum Arabicarum Anglice perſcriptis. Etiam Alcoranum, quando geſtandus, dorſo cameli imponunt, quem inde ſanctificari arbitrantur: unde & plurimi, quibus ſtipatus lento procedit gradu, pilos tanquam ſacros evellunt, nonnulli etiam oſculantur, vel ſudorem ejus extergent, eoque oculos & faciem illinunt: ipſe etiam camelus poſtmodo in minutas conciſus partes manducandus ditibitur inter fideles, ut vocant. Narrat rem Georgius Douſa in epiſtola de Itinere ſuo Conſtantinopolitano *b*.

a Pag. 68. ed. Lugdun. Bat.

b Pag. 72. edit Lugd. Bat.

c Exodi. 12. 5.

8. §. *In agno paſchali requirebatur* c, *ut eſſet vitii expers, maſculus, anniculus.*

Noluit Deus offerri ſibi vitioſa, & imperfecta: quæ homo ipſe aſpernetur. Nec enim id eſſet amoris divini, vel hunoris, ſed contemtus argumentum. Jubet igitur, ut agnus ſit ſine macula, ſicut habet vulgatus: ubi intelligitur vitii macula, non autem illa ex coloris varietate. Græce eſt ἄμωμος, *ubi nihil jure culpaveris.* Hebraice eſt תמים *tamim*, h. e. integer: non cæcus, claudicans, ſcabioſus, aliove vitio laborans: ut liquet ex Levitici XXII.

Altera conditio erat, ut ſit maſculus. Hoc eſt, non agna, ſed agnus. Nec poſtquam de agno erat dictum, ſupervacaneum interpreti Latino fuit de ſexu addere. Nam *agnus* interdum ſpeciem ſignat, quomodo & agnam comprehendit, interdum vero ſexum indicat, quomodo agnam excludit. Hic laxe ſumebatur, eoque reſtringi opus fuit: ut obſervatum etiam Abulenſi.

Tertia erat conditio, ut ſit *filius anni*, prout Hebræa ſonant, h. e. anniculus. Quo rejicitur, qui annum excellerit, qualis potius aries dicendus: admittitur vero, quiſquis ſpatium anni non exſuperet: utcunque diem ſolum ageret octavum. Nam infra illud ſpatium non poterat offerri. Unde Exodi cap. XXII: *Septem diebus ſit cum matre ſua; die octava reddes illum mihi.* Et Levitici cap. XXII: *Bos, & ovis, & capra, cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub uberibus matris ſuæ: die autem octavo, & deinceps, offerri poterunt Domino.* Paſchalis igitur agnus ſummum erat unius anni, minimum erat ſeptem dierum.

9. §. *In mandato hoc Dei non ſubſiſtendum in ſenſu hiſtorico: ſed adſurgendum ad myſticum: quia per tres illas agni conditiones ſignificabatur, Chriſtum fore à peccato immunem, validum dictis, factiſque, & animo, ac corpore incorruptum.*

Nempe uti in aliis ſacramentis, ita & in paſchali agno, conſiderari debent res externa ſive typus, ſecundum rei naturam: & veritas typo adumbrata ſive res ſignificata, quatenus res per anagogen, ut veteres appellant, ad Chriſtum, & Eccleſiam, refertur. Ac pro duplici hac conſideratione agni paſchalis, duplex etiam eorum, quæ de eo dicuntur in Scripturis, interpretatio eſt; una ſimplex ratione rei externæ, ſecundum naturam ſuam conſideratæ; altera conjuncta, quatenus res ea aliquid ad Chriſtum, & Chriſtianam Eccleſiam pertinens, præfigurat. Nec tamen in omnibus, quæ de paſchali agno præcipiuntur, uterque ille ſenſus anxie ſuſpendus. Sunt enim, ubi ſolus hiſtoricus exigatur. Uti in illo, quod juſſit Deus die decima menſis Niſan à quaque familia agnum ſegregari. Hæc enim actio non fuit typica, ſed ſolum typicæ actioni inſerviebat. Atque idem de ſimilibus judicandum. At diſpar ratio ejus, quod exigebatur, ut agnus eſſet, tum integer, tum maſculus, tum anniculus. Nam per hoc, quod agnus erat integer, ſive ἄμωμος, ac maculæ, ſive vitii expers, indicabatur, Chriſtum fore omnis peccati expertem. Hoc, quod agnus erat maſculus, ſignificabat, Chriſtum fore virtute in omni opere juſtitiæ, nihilque habiturum molle, ac femineum. Per id, quod ſummum erat anniculus, denotabatur, Chriſtum tenellæ inſtar ætatis fore purum & incorruptum. Nam oves poſt annum exactum generare poſſunt, ut ait Heſychius in Levit. cap. XIV. Aurea vero nec ineunt, nec ineuntur. Aliqui vero & eo referunt, quod Chriſtus unum eſſet annum prædicaturus: qua de re diximus in diſſertatione de annis Chriſti. Plura de tribus hiſce agni proprietatibus, & myſtica earum interpretatione, vide ſis apud Nazianzenum orat. XLII, & Rupertum lib. II in Exod. cap. VIII.

10. §. *Dictum de victima: ſequitur de ſacerdote. Qui mactarit agnum, docemur his verbis Exodi XII, 6: Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael. Unde cognoſcimus, ſingulos patresfamilias mactaſſe agnos domi ſuæ.*

Contra quam opinio fuit Abulenſis, in Exodi XVI, Claudii Sainctes prima repetit. Euchariſt. cap. VII, Serarii in Ioſue v. quæſt. XXII. Volunt enim illi, à Levitis eſſe mactatum in templo. Dixeris, ſingulare id illorum fuiſſe temporum, quando Deus necdum Aaronicum inſtituerat ſacerdotium: ſacerdotibus vero, & Leviticis conſtitutis, ſacrificia horum propria fuiſſe. Sed ſecus eſt: nam cum ante inſtitutum ſacerdotium Aaronicum, primogenitis, & patribus familias, ſacerdotium in ſua cuique familia convenerit, hoc jus hactenus retinuerunt, ut uno anni die, nempe in paraſceve paſchali, agnum offerrent. Poſſis ſacerdotes dicere ἐφημέρους: quomodo animalcula quædam, Euſtathio teſte, ἐφήμερα vocabantur, quia unum ſolum diem viverent: ac herba eſt ἐφήμερον, uno ſolum alteroque die durans. Sicut & flos eſt ex eo, dictus ἡμεροκαλλὶς, vel ἡμερόκαλλες, quia, ut idem ait Euſtathius, ἐπειδὴ νυκτὸς φύει, ἅμα ἡλίῳ ἀπόλλυται, Ϛ, &c. Ex mactatione vero paſchalis agni ſacerdotis nomen haberent, indicat, quod agnus fuerit victima, & ejus occiſio vocetur à Deo immolatio. De la Cerda cenſet, patresfamilias non per ſe mactaſſe, ſed per Sacerdotes. Vide cum.

11. § *Quod ad locum, priuſquam Judæi templum haberent, immolabatur agnus, ubi tabernaculum foret: poſtea vero ea in Urbe ſemper id factum, ubi eſſet templum, hoc eſt, Hieroſolymis.*

Nimirum, quia, Deuteron. XVI. 5. 6. vetat Deus, feſtum alibi celebrari, quam eo in loco, ubi Deus celebraret nomen ſuum. Et profecto, ſi, ab everſo Templo, alibi licuiſſet mactare agnum Paſchalem, quam Hieroſolymis: etiam nunc mactarent Judæi per orbem diſperſi. At ipſi, cur non ulterius ſacrificent, hanc adferunt rationem, quod careant templo. Nempe eas non obſervant ceremonias, quæ ordinem habent ad templum: ut ſunt oblationes, ſacrificia, decimæ, primogenitorum immolatio, & redemtio, quæ in templo fiebant. At quæ in templo facere juſſi non erant, ea hodieque retinent: ut ſunt circumciſio, eſus azymorum, ſabbathum, Legem juridicialem obſervarent, ſi proprium jus foret tribunal. Dixens, mactationem agni habuiſſe locum, priuſquam haberent templum, & cum haberent, patresfamilias domi ſuæ paſchalem agnum immolaſſe. Non diffiteor. Sed non licuit alia in urbe immolare, quam ubi templum

plum eſſet; uti nec antea alibi loci, quàm ubi foret tabernaculum. Ut ſatis ſit apertum, cur non modo ceſſarior ſacrificia, quæ fierent in templis, ſed illa etiam, quæ fierent domi tempore paraſceues paſchalis.

12. § *Multis videtur, quotquot Hieroſolymam irent, in templo ſacerdotibus mactandum agnum obtuliſſe. Virum intra horas duas, puta à diei hora nona uſque ad undecimam, mactari agnum oportuit. Quot in tot millium confluxu fieri, tam brevi temporis ſpatio, non potuiſſet. Imo neque templi ejus, licet ampliſſimi, tanta erat capacitas, ut locus ſuffeciſſet.*

Nam locus ſolum latus erat cubitos LVI, longus LXXVI ut ex Judæis liquet in Maſlechet.

13. § *Quare iis potius accedimus, qui cenſent quemlibet et patremfamilias potuiſſe Hieroſolymis agnum Domi ſuæ mactare.*

Nimirum ſolo Paſchatis die, non alias, quilibet paterfamilias fiebat ſacerdos: ut indicant hæc Philonis verba: Ἐν ᾗ ἑορτῇ θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος, οὐχ ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες· ἱερωσύνην τοῦ Νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει κατὰ μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος. Sic igitur ſtatuimus, feſto Paſchatis ſacerdotes quidem mactaſſe paſchalem agnum in templo: ſed privatis in ædibus id factum eſſe à privatis: via utrumque publici ſacrificii, quæ à futuro Chriſti ſacrificio dependebat, in privata hæc ſacrificia fuiſſe derivatam.

Qui in alia ſunt opinione, aiunt, multos ob ſenium, vel valetudinem infirmam, ire Hieroſolymam non potuiſſe: ac proinde quemlibet ubique terrarum mactare agnum potuiſſe. Sed enim tales habuere cauſſam ſonticam remanendi domi. Sane totæ familiæ comedere paſcha debuerunt: ut videre eſt ex Exodi XII. 26. Sed non omnes fuere ſenes, vel infirmi: neque totas Hieroſolymam familias ire neceſſum fuit. Ivere igitur, qui poterant. Cæteros ætas, vel infirmitas, excuſabat. Nec tamen de opinione hac moroſe cum quoquam contendero, nentiquam ignarus, ſummis etiam viris longe aliud videri. De loco ſatis.

14 §. *In tempore conſideranda ſunt duo: qua die, & qua parte diei, fieri debuerit immolatio. Quod ad diem, paſcha ex lege Moſaica incidit in XIV diem primi menſis Eccleſiaſtici, qui prius Abib, poſtea Niſan dicebatur.*

Nempe Sole ingrediente verni æquinoctii ſegmentum, Luna ex adverſo in auctumnali ſegmento conſtituta: ita ut hæc duo concurrunt, Paſchalis veſpera, & Solis in primum Arietis punctum ingreſſum, aut proxime poſt eum diem. Hoc tempus ſemper incidebat in decimam quartam Lunam primi menſis, hoc eſt, menſis Niſan, qui priori parte ſui reſpondebat poſteriori parti Martii noſtri. Propterea Martius etiam ſcriptoribus Eccleſiaſticis primus eſt habitus anni menſis: unde Sidonius Apollinaris Februarium vocat menſem duodecimum: Gregorius Turonenſis Julium nuncupat menſem quioctum.

15. §. *Quod de paſchali die dixi, id myſterio non caret: quia quo die Judæi jubebantur mactare agnum paſchalem: eodem mactatus eſt Jeſus Chriſtus, agnus ille, qui tollit peccata mundi: ut vocatur Joan. 1. 29.*

Imo Judæorum quoque ita fert opinio, quo die in Ægypto liberati ſunt per phaſe, eodem fore ut redimantur, plenæque libertati reddantur per Meſſiam quemadmodum eſt apud Auguſtinum Steuchum in Exodi cap. XII. 6. & Maſium in Joſuam v. 10.

16. §. *Chriſtiani nihilominus, ut hoc obiter adtexam, receſſere à Judaici paſchatis die. Quippe nefas putarunt, illud celebrare cum iis, qui Chriſtum interemiſſent. Nec conveniens viſum fuit, ut quo die læti agitarent Judæi, eo jejunantes, ſqualerent Chriſtiani. Denique diſplicuit, ut Reſurrectionis dies, qua contigiſſet feria hebdomadis prima, aliam in ejus diem deinceps incideret. Quod futurum fuit, ſi in Paſſionis Dominicæ memoriam ſemper jejunaretur decima quarta primi menſis, quæ nunc in primum vel ſecundum aut tertium, aliumve hebdomadis diem incideret. Statuere igitur, Reſurrectionem celebrandam in Dominica, quæ proxime plenilunium ſequebatur Quod μέγα ἀναστάσιμον dixere, ut diſtingueretur à paſchate Judaico.*

Hoc pacto fiebat, ut Paſſionis jejunium ſemper incideret in feriam ſextam, die tertio ante Reſurrectionis feſtum. Quamvis vero non illud conſequerentur Chriſtiani, ut eo menſis die, quo Chriſtus paſſus eſſet, & reſurrexiſſet, ipſi etiam paſſionis, & reſurrectionis memoriam celebrarent: iſtoc tamen conſequebantur, ut eadem hebdomadis feria celebrarent, qua Chriſtus eſſet paſſus, & reſurrexiſſet.

17. §. *Qui vero cum Judæis mallent celebrare Paſcha, dicebantur τεσσαρεσκαιδεκατῖται, ſive Quartadecimani.*

In hæreticis eos repoſuerit Ignatius, ſi ſtandum iis, quæ nunc leguntur in Epiſtola ad Antiochenos. Sed non poſſum in animum inducere, jam circa initium ſecundi ſeculi ſic ſapuiſſe magnum illum Orientalis Eccleſiæ doctorem. Quippe tempore Ignatii omnes cum Judæis celebrabant Paſcha: imo & poſtea, quamdiu Hieroſolymis fuere Epiſcopi è circumciſione. quod clare tradit Epiphanius hæreſi LXX, quæ eſt Audianorum. Addit, XV Hieroſolymis fuiſſe Epiſcopos ἐκ περιτομῆς: ut præfuerint ad nonum annum Hadriani Imperatoris: ſicut oſtendunt illa Hieronymi in Chronico Euſebiano: *Hieroſolymæ primus conſtituitur Marcus, ceſſantibus his, qui fuerant ex Judæis.* Exinde variarunt in die: ſed ſalva caritate, uſque dum, tempore Victoris Papæ, propter diverſam conſuetudinem, diſſidium in orbe exortum, unde, ut idem ait Epiphanius, εἰρηνικὰ παρ' ἀλλήλων οὐκ ἐδέχοντο. Hujus Victoris temporibus paſcha eodem die cum Judæis celebrabant pleræque Aſiæ Eccleſiæ: quæ ita fuere edoctæ à S. Polycarpo: uti ille in eo exemplum ſecutus B. Joannis Evangeliſtæ. Præterea B. Irenæus, etſi Occidentalium ipſe morem ſequeretur: tamen vere Εἰρηναῖος, Victorem Papam commonuit, ut magis paci Eccleſiæ ſtuderet, nec propter circumſtantiam temporis in ceremonia iſtiuſmodi ab Eccleſia abſcinderet tot nobiles Aſiæ Eccleſias. Sed quicquid de Ignatio eſt, in hæreticis reponit, zeli majoris, quam judicii, Philaſtrius Brixienſis, hæreſi XI, & XXXIX. Ubi legas, fuiſſe eos imprimis in Phrygia, Galatia, Syria, ac Hieroſolymis.

18. §. *Quamquam vero ante Concilium Nicænum Aſiatica eccleſia hunc habuerint morem: concilio tamen Niceno id abrogatum, decretumque, ne paſcha celebraretur ante plenilunium: quod tempore Concilii ejus in v geſimum primum Martii incidebat.*

Ac ne in iſto erraretur, decretum, ut, quia Alexandriæ potiſſimum Matheſios ſtudia vigerent, ac Ptolemæi diſcipuli agerent, eo patriarcha Alexandrinus quotannis diem Paſchatis ex motu Lunari definiret, deque eo Epiſcopum Romanum, ac Patriarchas alios, faceret certiores. Quæ conſuetudo permanſit, uſque dum Theophilus Alexandrinus

xandrinus paſchata in catalogum xcv annorum diſpoſuit. Id factum Theodoſio principe. Ita factum, ut non eſſet quotannis neceſſe recurrere Alexandriam, & inde petere diem Paſchalem.

19. §. *Hæc univerſe de die. Quod ad partem diei, qua agnus mactaretur, ex Exodi* XII *cognoſcimus, id fieri oportuiſſe inter duas veſperas: hoc eſt, inter horam diei nonam, quando incipit prior veſpera, & horam à Solis occaſu primam, quando incipit poſterior veſpera. Quod tempus optime convenit tempori jugis ſacrificii.*

Id enim ut diximus, fiebat ab hora diei nona uſque ad undecimam. Vide, quæ de iſto Flavius Joſephus lib. VII de bello Judaico cap. XVII.

20 §. *Quare non poſſum eorum opinioni calculum adjicere, qui priorem veſperam incepiſſe volunt à meridie, quia exinde Sol declinat.*

Fuit in hac quidem ſententia Rabbi Nathan; ſicut legere eſt in Mechilta. Ac ſimiliter R. Simeon, filius Johai, in Zohar: item R. Salomon, & David Kimchi. Imo ex Chriſtianis quoque eam amplexi ſunt opinionem Nicolaus Lyranus, & Abulenſis. Sed enim plane accedendum iis, qui priorem veſperam ordiuntur ab nona pomeridiana, quæ æquinoctiali tempore nobis eſt tertia.

21. §. *Durabat vero hæc veſpera uſque ad Solis occaſum: inde altera incipiebat veſpera, quæ ſequentem noctis quadrantem ſibi vindicabat.* Crepuſculum *id tempus appellant. Nempe duabus horis ultimi quadrantis jugulare victimam ſolent, & ad coquendum præparabant. Reliquo ejus quadrantis tempore aſſabant. Ac poſt Solis occaſum primo noctis quadrante eundem comedebant.*

Sic Moſis verba de duabus veſperis etiam interpretantur Cajetanus in Exodi XII, Maſius in Joſ. v. 10. Janſenius Concordiæ Euangelicæ cap. CXLIII, & Franciſcus Junius analyſi Exodi XII, 6.

22. §. *Hactenus de mactatione, hoc eſt, jugulatione agni. In prima vero celebratione paſchatis, quod in Ægypto fuit, jugulati agni ſanguis excipiebatur vaſe, eoque tingebantur poſtes ædium, & ſuperliminare: idque ut angelus, qui in Ægyptiorum ædibus primogenita occideret, parceret Iſraelitis, ubi tinctos ſanguine poſtes conſpexiſſet. Quamquam vero hic ſanguis fuit typus ſanguinis pretioſi, quo Jeſus Chriſtus Eccleſiam redemit: nihil tamen de illa poſtium & ſuperliminaris tinctione nunc addam, quia non fuit perpetuæ obſervationis, ſed primi paſchatis in Ægypto proprius. Extra Ægyptum vero, hac tinctione omiſſa, mox agno pellis detrahebatur, ac fel educebatur, & viſcera, quæ ſordes continerent. Agnus ſic præparatus, non capite, vel cauda, aut pedibus abſciſſis, ſed integer aſſabatur.*

Hinc Exodi XII. 6. *Caput* (edetis) *cum pedibus ejus, & inteſtinis.* Quod eo additum, quia hæc non ſoleant aſſari, ob cartilaginoſam naturam. Sed nunc id fieri præceptum, quia mora fuiſſet opus, ſi iſta ſeorſum fuiſſent in aquis coquenda. Quare & iſtoc pertinuit ad iter accelerandum.

23. §. *De aſſatione ſic ibidem Deus ait:* Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni.

Aſſari autem, non aquâ coqui, agnum, Deus voluit duabus de cauſſis. Una erat, propter feſtinationem abitus. Citius enim aſſantur carnes, quam elixantur. Altera eſt, ad ſignificandam Chriſti integritatem. Nam partes carnis, aqueo calore penetrante continuo aperiuntur, ac multum de ſe humorem effundunt in aquas, quæ inde ſapidiores fiunt, & *juris* nomine à juvando nuncupantur. At in carnibus, quæ aſſantur, ſuperfluus quidem humor ab igni educitur: mox vero, calore exteriores partes indurante, utilis humor intus concluditur: ac ſolum calore attenuatur, ut, ſiquid lentoris & craſſitiei habeat, id corrigatur. Unde & aſſæ carnes, etſi difficilioris ſunt concoctionis, quam elixæ; ſolidius tamen nutrimentum præſtant. Cum hac agni aſſatione confert Chriſti crucifixionem Juſtinus in dialogo cum Tryphone. Nec ineleganter dicunt, martyres quidem elixari; aſſatum vero eſſe Chriſtum: quia λόγος deſtituebat ad tempus naturam humanam, nec guttam ſolatii præſtabat; cum contra aquæ ſpiritualis ſolatium martyribus ardorem paſſionis mitigaret.

24. §. *Tertium in ritibus, ad agnum pertinentibus, ejus erat comeſtio cum panibus azymis, & herbis amaris. Ubi tria attendimus; quid comeſtione ſignificaretur, cur agnus cum panibus azymis comederetur, cur item cum herbis amaris. Quod ad primum, per hoc, quod de ſacrificio ederent, notabatur fruitio cibi ſpiritualis.*

Recte Tertullianus de Baptiſmo: *Ea forma, qua* SEMPER *carnalia in figuram ſpiritualium antecedunt.* Nec ὑπόνοιαν hanc fuiſſe ignotam Judæis, cognoſcere eſt illo Philonis, libro de Allegoriis; Τὸ φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς.

25. §. *Panibus uſi azymis, quia in memoriam revocarent, quanta fuerit opus feſtinatione exituris ex Ægypto.*

Nam panes ejuſmodi cito conſiunt: at in fermentatis exſpectandum, donec fermentum digeſſerit ac attenuarit farinam. Itaque cum Abraham, & Loth, angelos exciperent hoſpitio, quia feſtinato itidem erat opus, oppoſuere illis panes azymos: ut eſt Geneſ. XVIII, 9. Ac Gedeon itidem eos angelo obtulit: ut eſt in Judicum libro. Atqui Iſraelitæ, licet libertatis deſiderio, ſponte egrederentur Ægypto: tamen & periculis urgebantur, quia Ægyptii, primogenitis ab Angelo interemtis, animis erga eos erant maxime infeſtis, nec aliud æque ſperabant, & ſpirabant, quam vindictam. Abituris igitur omnia erant omittenda, quæ moram injeciſſent profectioni.

26. § *Præterea panes azymi ſignificabant integritatem doctrinæ, ac vitæ. Fermentum enim ſymbolum eſt malitiæ.*

Et hanc, & ſuperiorem rationem, conjunxit Theodoretus in Exodum quæſt. XXIV: Διὰ δὲ τῶν ἀζύμων ἐμφαίνει οὐ μόνον τῆς ὁδοιπορίας τὸ σύντομον, καὶ τὸ τῆς τροφῆς αὐτοσχέδιον· ἀλλὰ καὶ ὅτι προσήκει μηδὲν ἴχνος τῆς Αἰγυπτιακῆς ἐπιφέρεσθαι πολιτείας. *Per azyma ſignificat non modo accelerationem itineris, & facilem cibi apparatum: ſed etiam, nullum Ægyptiacæ vitæ veſtigium retinere eos oportere.* Confirmat hæc deinde, quod Dominus ipſe fermentum dicat pro malitia: ut quando diſcipulis ait [a]: a Matth.
Cavete vobis à fermento Scribarum, & Phariſæorum. 16, Marc.
Item Paulus, dum inquit [b]: *An neſcitis, quod paullum* 8, Luc. 12.
fermenti totam conſperſionem fermentat? Expurgate ita- b 1 Cor. 5.
que

quæ vetus fermentum ut sitis nova conspersio sicut estis infermentati.

27. §. *Etsi vero comederetur agnus cum azymis, non tamen cum esu agni azyma cessabant. Nam comestio agni paschalis fiebat solum prima vespera diei decimaquinta mensis Nisan. At azymorum esus durabat diebus septem: quorum primus, quo vescebantur agno immolato, κατ' ἐξοχὴν* Pascha *vocabatur.*

De hisce VII diebus ita Moses Exodi XII: *Septem diebus azyma comedetis: non erit fermentum in domibus vestris: quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad septimum.* Solent vero Judæi nocte, quo tempore mactatent agnum paschalem, ad lumen lucernæ sedulo inquirere, ecquid fermenti uspiam foret in ædibus, ac siquid repertum, id foras projicere. Traditum hoc libro Thalmudico, qui *Pesachim* inscribitur: ac inde Jansenio relatum Concordiæ Euangelicæ cap. CXLIV.

28. §. *Herba vero amara notabam amarorem, & acerbitatem servitutis Ægyptiaca. Praterea symbolum erant afflictionum, quibus premuntur pii. Est enim crux perpetua pene comes filiorum Dei, interim salubre vitæ condimentum.*

In vulgato interprete est cum lactucis agrestibus. Sed in Hebræo est על מרורים *al merorim*, h. e. *cum amaris*, puta herbis. Septuaginta pro eo habent *πικρίδες*, quod est speciale herbæ nomen. Et fortasse ea est lactuca sylvestris: quando Theodorus Gaza *πικρίδα* ipse *lactucam sylvestrem* interpretatur Aristotelis lib. IX. Histor. Animal. cap. VI. Græce est: Ὁ δὲ δράκων, ὅταν ὀπωρίζῃ, τὸν ὀπὸν τῆς πικρίδος ἐκροφεῖ. ubi Gaza: *Draco, cum per usum pomorum nausea infestatur, succum sylvestris lactucæ exsorbet.* Et sane in isto ducem sequitur Plinium: qui similiter reddidit lib. VIII cap. XXVII: *Draco vernam nauseam sylvestris lactucæ succo restinguit.* Cæsar tamen Scaliger *a* in superiori Aristotelis loco Græcanicam *picridis* vocem retinet. Et Gaza ipse alibi *amaruginem* reddit. Est vero *πικρὶς* intybus, non quidem sativus ille, vel hortensis, quem vulgo *endiviam* nuncupant: sed is qui vulgo *cichorium sylvestre* nuncupatur. Hic enim saporis est amari.

a *Secundum distinct. Scaligeri cap. 8. sect. 102.*

Cap. XIII.

Accessium ad propria postremi Paschatis Dominici: videlicet ubi, quando, quo situ, & quibuscum illud celebrarit Christus.

1. § H*Æc universo tangunt comestionem agni Paschalis. Nunc ea considerabimus, quæ particulatim ultimam Christi Cœnam Paschalem attingunt. Sed primum in disquisitionem venit, utrum Christus celebrarit Pascha illud typicum, ac legale.*

Exstat enim Anonymi diatriba perperam inscripta S. Petro Alexandrino Episcopo, & Martyri. Hujus pars in eo est, ut probet, Jesum extremo vitæ tempore non comedisse cum discipulis τὸ νομικὸν καὶ σκιῶδες *a* πάσχα, sed ipsum pro nobis esse mactatum εἰς *b* ἀληθινὸν ἀμνόν. Habes eum scriptorem in Uranologio, quo varios sideralis scientiæ scriptores complexus fuit Dionysius Petavius *c*.

a *Legale & umbraticum.*
b *Ut agnum verum.*
c *Edit. Parif. 1630. p. 396.*

2. § *Nostra hac sententia est, Cœnam Christi fuisse biparitam: prius legalem ac typicum comedisse agnum: postea instituisse sacramentum corporis ac sanguinis sui.*

Quod planius fiet ex iis, quæ postmodo dicentur de Christi cœna communi, quæ consecuta, quia agni paschalis esus non explevisset famem.

3. §. *Hinc dispiciendum nobis de loco, ubi Pascha suum Dominus celebravit. Deinde, an eodem die egerit illud, quo Judæorum alii. Hinc quibuscum ederit agnum Paschalem. Denique quo corporis situ ederit. Ad primum quod attinet, satis liquet, celebrasse illud Hierosolymis. Nec enim, facere id alibi, fas erat.*

Quod abunde me superiori capite arbitror commonstrasse.

4. §. *Porro etiam de loco quæritur, cujus in domo Pascha celebrarit Christus: de quo tacent Scriptura: neque ex antiquis spondere aliquid certi possumus in tanto eorum dissensu.*

Apud Theophylactum legas, celebrasse domi Simonis leprosi, patris Lazari à mortuis resuscitati; quasi is non habitarit Bethaniæ; ubi celebrare fuisset nefas. Nicephorus lib. I Histor. cap. XXVIII tradit, fuisse domum Joannis Euangelistæ, circa montem Sion sitam: quod si esset, Christus pascha celebraturus, Joannem monuisset se domi ejus facere velle: non vero monuisset discipulos, ut illam ingrederentur domum, in quam viderent hydriam deportari. Atque idem dixero de sententia Hippolyti Thebani, in Chronico suo tradentis, fuisse domum Zebedæi, qui pater Jacobi majoris, & ejusdem Joannis erat. Nam sic alterutrum discipulorum tantummodo commoneri opus fuisset. Minus etiam placet, quod Amalarius prodidit, fuisse domum Josephi ab Arimathæa. Sic enim scribit: *Joseph ab Arimathæa, discipulus Jesu occultus, propter metum Judæorum, & ipse bajulator aquæ, qui suscepit eum in cœnaculo suo, cui Dominus mandavit, Dicit tibi Magister* &c. Saltem dixisset, fuisse patremfamilias, non eum qui aquam illi deportaret. Nam hos fuisse diversos, clare ex Euangelistæ dilucet Marci c. XIV, & Luc. XXII. Interea hoc largiamur ei, fuisse unum eundemque: in quo errore hæserunt B. Ambrosius in Lucæ cap. XXIII, & Alexander Monachus in Laudatione Barnabæ apud Simeonem Metaphrastem XI Iunii. Ne sic quidem negotium processerit. Nec enim Iosephus ab Arimathæa usque adeo paupertate premebatur, ut ipse, more calonum vel lixarum, viliumve mancipiorum, vel eorum, qui artes colunt βαναύσους, sive mercenarias, ac sellularias, per urbem hydria, vel alio vasis genere, aquas deportaret. Quippe dives fuit; ut est Matth. XXVII; nobilis decurio, sive Senator; ut est Marci XV, & Luc. XXIII.

Hæc igitur facile est refellere. Non æque (etsi valde etiam incertum videtur) quod Ioannis Marci domum fuisse narrat in suo Christo Patiente, sive Gregorius Nazianzenus, sive Appollinaris potius. Minus etiam refellere est, quod in monte Sion cœnaculum fuisse dicitur à Io. Damasceno orat. II de dormitione Virginum, & lib. IV. Fidei Orthodoxæ cap. XIV. Item Olikæ dux epist. II: ubi legas, nec Turcis aliter esse persuasum, eosque illud cœnaculum hodie etiam in magna habere veneratione. Meminit & cœnaculi ejus Burchardus VII, §. XLVII, ac statuit, unius lapidis jactu abesse ab Hierosolymis. Beda de locis, auctor est, cœnasse in superiori montis Sion planitie, prope templum ibi fundatum ab Helena: sicuti memoriæ prodidit Nicephorus lib. VIII. cap. XXX.

5. §. *Atque hic quæstio illa πολυθρύλητος incidit, an Christus eodem die pascha celebrarit quo Judæorum*

rum alii. De hoc ita statuimus, Christum celebrasse pascha feria quinta, ex lege Mosaica: Judaos autem feria sexta: cujus diversitatis caussam adduximus dissertatione de tempore Passionis Dominica Thesi XIX.

Tempore igitur suo observavit Christus Pascha: atque aliter si esset, objecissent id Iudæi Christo. Quo argumento etiam pugnat Humbertus Cardinalis de Sylva Candida, libro de azymo, & fermentato. Putat Hentenius, præfatione ea, quam Euthymio præmisit, abunde occurri huic argumento, si dicamus, nescivisse id Iudæos. Sed potuere ex Iuda proditore cognoscere: atque is, præter alios, testem adduxisset patremfamilias, in cujus domo pascha celebrarat. Quare fatendum, eo non ausos fuisse accusare Christum, quia is, secundum legem Mosaicam celebrasset, & alii etiam multi legitimum tempus observarent: ipsi contra sibi conscii forent, quod a lege recessissent, sive ut morem gererent traditioni, qua duobus festis concurrentibus, pascha rejicerent in diem posterum; ut inter alios voluit Rupertus lib. x de gloria & honore filii hominis, ac Paulus Burgensis ex Hebræorum Calendario adstruit in Matthæi cap. XXVI: sive potius origo ex eo, quod, anni Iuliani forma, jussu Augusti, recepta, ob diversam intercalandi rationem diversus crederetur dies æquinoctii; ante quod tempus Iudæis pascha celebrare religio erat: ut pluribus dixi loco paullo ante memorato.

6. §. *Proximum est, ut exponam, qui una cum Christo ederint agnum paschalem. Hi fuere* XII *Apostoli. Sane nec pauciores una edere poterant, quam deni; nec plures, quam viginti.*

Itaque ex numero hostiarum, quæ mactarentur in parasceve paschali, colligi potuit multitudo eorum, qui tum temporis religionem Iudaicam Hierosolymis amplecterentur. Exemplum ejus rei illustre adducit Flavius Iosephus lib. VII de bello Iudaico cap. VII: ubi legas, quomodo Cestius Gallus, Syriæ præses, quo Neronem Cæsarem, res Iudaicas contemnentem, edoceret de populi ejus multitudine, à sacerdotibus exegerit, ut, qua ratione optime possent, numerarent, quanta multitudo conveniret ad festum Paschale: illi vero ejus numerum collegerint ex multitudine hostiarum, quæ ab hora diei nona usque ad undecimam cæderentur: fuisseque earum numerum ducenta quinquaginta sex millia & quingenta: cumque non pauciores una epulari soleant, quam deni, comperiri inde, fuisse Hierosolymis vicies septies centena epulonum millia. Atque ita ille tantum denos tribuens contubernio: sed ait idem Iosephus, sæpe etiam vicenos convenisse, quomodo fuerint quinquagesies quater centena hominum millia. Sed quia nunc deni, nunc viceni; meditim ineamus numerum, quasi fuerint unius contubernii epulones quindecim. Sic epulones fuerint supra quadragies centena millia.

7. §. *Superest videamus, quo corporis situ Christus agnum ederit Paschalem. Verisimilius longe putamus, accubuisse mensæ, quia & alias comedens solebat accumbere: ut liquet ex historia, quæ refertur inunctus à muliere peccatrice, qua retro consisteret. Nam inunctio illa pedum stanti, ut sedenti, non poterat præstari. Accedit, quod dicitur in cœna ultima prius accubuisse, inde surrexisse ad lavandos discipulorum pedes, ac, his lotis, iterum accubuisse.*

Ac in ea etiam sententia fuit Franc. Iunius Analysi Exodi cap. XII, & Ribera lib. v. de Festis cap. III. Qui dissentiunt, negant, esse verisimile, à Christo esse neglectum illud præceptum Dei Exodi XII. II. *Sic autem comedetis* (agnum) *illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & contendentes festinanter.* Sed vere ficulnum est hoc argumentum; quia illud Mosis præceptum tantummodo pertinuit ad primi paschatis observationem in Ægypto. Tum enim vere erat festinatione opus. Eoque necessum fuit, eos esse lumbis accinctos, calceatos, & baculo instructos, viatorum instar. Temporibus vero consecutis præceptum hoc obligavit neminem: atque adeo ne observatum quidem fuit, ut Hebræi testantur universi. Nec me fugit, ut contra hæc obtendant auctoritatem Philonis libro de Sacrificio Abel, & Cain: ubi, cum disseruisset de tribus ingratorum generibus adversus Deum, adhortatur omnes, ut, sicuti pascha celebrantibus est præceptum, suos accingant expedito ad exercenda omnia virtutis opera: atque, uti calceis continentur pedes, sic carneam molem ratione constringant: ac virgam disciplinæ in manibus habeant, ut ea dirigant omnia vitæ negotia. Sed quid si dicamus, allusionem esse allegoricam ad primi paschatis celebrationem? Sin de omni id paschate existimavit, plane erravit; quod & Ribera sensit lib. v. de Templo cap. III. a Sane Christum non stetisse, sed accubuisse mensæ cum discipulis, arguunt verba illa Ioan. XIII: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua*: & pauxillo post: *Cum recubuisset iterum, dixit iis.* Respondet, Jesum quidem stantem edisse agnum paschalem: sed, eo comesto, cum alii apponerentur cibi, accubuisse ex more, ac tum surrexisse ad lavandos discipulorum pedes. Verum quid attinebat, eum, qui ob ritum paschalem staret, sese in lectum recipere cum discipulis; si continuo surgendum foret? Nonne satius fuisset in stando persistere, ac demum post lotos discipulorum pedes accumbere? Urgent, quod & Paulus ad vulgarem consuetudinem allusérit, cum ad Ephesios sic scribit cap. VI, 14: *State succincti lumbos vestros in veritate, & calceati pedes in præparationem Euangelii pacis.* Verum unde comprobant, alludi ad morem vulgarem, ac non potius ad præceptum Hebræis datum ex Ægypto egressuris: ut statuit Chrysostomus? Baronius arbitratur, stari solitum usque ad captivitatem Babylonicam: sed teduces sedisse, vel accubuisse; atque inde etiam esse quod accubuerit Christus. Placet, quod de Christo, & discipulis, consentit. Sed si post captivitatem obtinuerit accumbendi consuetudo, plane est verisimile, antea etiam, vel accubuisse, vel, si accubitus tum nondum obtineret moribus Judaicis, saltem sedisse potius, quam stetisse.

a In sim. sive p. 319 edit. Bellarmina.

CAP. XIV.

De iis, quæ dixit ac fecit Christus à cœna paschali, antequam institueret Cœnam Eucharisticam. Ubi partim de Christo pedes lavante discipulis, partim de eo, per exhibitionem panis intincti, monstrante proditorem suum.

1. § *Agno à Christo & Apostolis comesto, de quo proxime vidimus, quia non sufficeret agnus anniculus tam multis explenda fami, sequebatur cœna communis, sive vulgaris.*

Quam & agnoscit B. Augustinus lib. de Consensu Euangelistarum: *Peracta paschali cœna, & communi incepta, illis cœnantibus surrexit Christus, & lavit pedes discipulorum.* Ac similiter idem tractatu LV. in Joannem.

2. §. *Huic cœnæ etiam Judas interfuit, non item Eucharisticæ.*

Aliter, scio, B. Augustinus, & complures alii. Eos movit, quod Lucas post Eucharistiam institutam narret de intincta Judæ data. Sed cum Hilario censemus, antea ex-

excessisse convivio Judam. Movet vero, quod Matthæus, & Marcus prædictionem proditionis narrent ante institutum Eucharistiæ sacramentum. Nec sane verisimile est, Christum suum corpus, quod pro suis traditum iri diceret, traditurum illi, quem se traditurum sciret, & quem quasi *δακτυλοδεικτος* mox Apostolis indicare vellet. Sed de hoc dicam quoque initio capitis seq.

3. §. *In vulgaris ejusce cœnæ historia attendimus prius, quæ dicta, factaque, Juda præsente, deinde quæ eo absente. Præsente contigere præcipue duo. Nam & Christus pedes discipulis lavit: & pane intincto proditorem discipulis monstravit. In lotione ea, quam solus describit Joannes cap.* XIII, *tria hæc considerantur: quis laverit & quare laverit. Lavit Christus, qui dominus erat, discipulis suis pedes: in his etiam Juda, idque ubi constaret diabolum esse in cor ejus ingressum.*

Videlicet, ut hoc pacto animum molliret Judæ: simul ut iste etiam humanitatis suæ cumulus accederet. Quin ab eo lotionis factum esse initium sententia est Chrysostomi homil. LIX in Joan. & eum more suo secutus Theophylact. Joan. XIII. Ac, ut aiunt, fortasse eo id fuit, quia homo impudens supra cæteros accumberet. Sanctus tamen Augustinus tract. LVI in Ioannem à Petro exorsum arbitratur. Equidem, si à Iuda cœpit, crediderim, eo id esse factum, quia voluerit ab infimo, imo omnium impurissimo, maximeque lotionis indigo, incipere: ut plurimorum è Græcis opinio est: in his Origenis in Ioan. Ae fallitur auctor sermonis de Ablutione pedum, qui inter Cypriani scripta legitur, quando ait, Iudam fuisse illotum, quia ante lotionem discesserit. Contrarium enim ordo narrationis testatur.

4 §. *Caussa, cur Christus pedes laverit discipulis, gemina fuit: moralis una, mystica altera. Moralis illa, ut dilectionis, & humilitatis signum exhiberet.*

a Vers 12. 13. 14. Quo pertinent hæc verba Christi: a *Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magistrum, ac Dominum: & bene dicitis: sum enim. Si ergo lavi pedes vestres Dominus, & Magister, vos quoque debetis invicem alii aliorum lavare pedes. Exemplum enim prabui vobis. Non est servus major domino: neque legatus major est eo qui legavit ipsum.*

5 §. *Altera vere caussa erat mystica, ad significandam remissionem peccatorum. Ad quam rationem nondum assurgebat Petrus, cum diceret Christo:* Tu, Domine, mihi lavas pedes: *Quemadmodum, cum diceret Christus,* Quid ego facio, tu nescis nunc, scies autem postea: *subjecit ille:* Non lavabis pedes meos in æternum.

Quæ verba ejus non indiserte enucleat scriptor sermonis de ablutione pedum inter Cypriano falso attributa.

6 §. *Hinc Christus Petro, recusanti lavari, ait:* Si non lavero te, non habes partem mecum.

Atque ab hac caussa fuit, quod communicaturis pedes olim soleant lavari: ut cognoscimus ex B. Augustino epist. CXIX cap. VIII. Nempe mundatione pedum putabant signari, mundandas esse animas, antequam accedant ad participationem corporis Dominici: ut Rupertus etiam docet lib. V. de Divinis Officiis cap. XX.

7. §. *Porro etsi Petrus primitus lavari sibi pedes recusaret: ubi tamen didicit, quam lotio ea necessaria foret, non dubitavit poscere, ut totum corpus lavaretur. Sed responsum hujusmodi tulit à Christo, pedibus mundis, nihil ultra esse lotionis opus.*

Ubi respicitur gemina lotio veterum; una corporis totius in balneis, altera pedum, quando venientes è balneis corpore quidem essent mundo, sed pedes in via essent aspersi pulvere: quos propterea opus esset ablui, priusquam in lectulis recumberent tricliniaribus. Ad *ἀναγωγὴν* vero pertinet, quod aliqui per corporis lotionem intelligunt baptisma, ac per pedum lotionem pœnitentiam, qua, minimum propter quotidianæ incursionis peccata, post baptisma opus est.

8 § *Dicitur Christus, pedes loturus, deposuisse vestimentum, seque cinxisse linteo, quo postea pedes lotos tergeret. Dicitur quoque vestimentum adsumsisse, cum, lotione absoluta, novum institueré sacramentum vellet. Censet Baronius, prius deposuisse cœnatoriam, in qua accubuerat. Censet, postea assumsisse novam vestem sacris convenientem, more sacerdotum, quando celebrant λειτουργίας. Sed non is luxus Christo & discipulis, ut cœnatorias assumerent. Contenti erant tunica, sive interiore veste, quæ χιτὼν in scripturis dicitur, & pallio, sive veste exteriore, quæ ἁπλῶς* vestimentum, *vel* vestimenta, *τὸ ἱμάτιον, vel ἱμάτια, vocari solet. Cum igitur legimus, Christum à comesto Paschali agno deposuisse vestem, pallium intelligere convenit: quod eo deposuit, ut facilius lotionis ministerium obiret.*

Nec enim id palliatus commode poterat, quia brachia veste concluderentur. Servi eo sola tunica induebantur, & quidem absque manicis, vel cum una sola, ut ita paratiores ad ministeria forent. Quam autem vestem deposuerat Christus ante lotionem, hanc post lotionem iterum assumsit. De veste sacerdotali somnium est: nec debemus ex sequentium seculorum moribus mores Christi æstimare.

Particula unius lintei, quo Christus præcinctus discipulorum pedes detersit, monachi Cassinenses Hierosolymis detulisse in monasterium suum dicuntur anno Christi cIↄLXIV. Ubi & miraculo claruisse traditur. Si voles, adi de hoc Leonem Ostiensem Chronici Cassinensis lib. II. cap. XXXI.

9. §. *Alterum erat, quod Christus, postquam pedes discipulis lavisset, denuo se in lectulum tricliniarem recepit, cumque discipulis accubuit: ac tum à Iuda se proditum iri prædixit.*

De hoc Matth. XXVI. 21, 22, 23, 24, 25. Marc. XIV. 18, 19, 20, 21, Luc. XXII. 21, 22, 23. Ioan. XIII. 18, & præcipue 21, & 9 sequentibus. Imo de intincto pane, & Iudæ tradito, solus narrat Ioannes.

10. § *In ea prædictione novenas res consideramus. Primum est, quod Christus, ut Ioannes ait,* turbatus spiritu (*nimirum ob detestabile scelus, quod Judas moliebatur*) *discipulis secum accumbentibus prædixerit, se ab uno eorum proditum iri, qui secum manducarent.*

Quasi diceret, eorum uno, quos elegi, & in familiaritatem intimam adscivi, quique tantorum mihi beneficiorum nomine sunt obstricti.

11. § *Alterum est, obortus inde discipulis dolor; unde & quisque Christum rogavit, utrum ipse foret, qui proditurus esset.*

Christum sciebant veracem; sed quoniam nemo se satis novit, quasi conscientiæ suæ diffidentes primitus, ut ait Ioannes, se mutuo intuiti; & quia quisque vellet tanti criminis suspicione apud alios liberari; eo Dominum rogavit, ipsene foret, qui tam grandi scelere se esset obstricturus.

12. *Tertium est, quod hinc Christus dixit, ab eo se proditum iri, qui manum secum intingeret in paropsidem sive catinum.*

Gemmæ est videre vas pulcherrimum sive ex smaragdo, sive gemma alia. Ac ferunt, eamse lancem esse, in quam cum Christo manum immiserit Iudas. Sed refellitur hæc opinio eo quod Clemens Alexandrinus dicat: Ὁ κύριος τρυβλίῳ ἰκτυψων διπλῷ. Quod observatum Brodæo in Miscellan. lib. v cap. xix.

13 §. *Porro hoc Christi responsum minus generale est, ac prius. Nec enim universos, qui mensa accubuissent, una ex paropside edisse, sed solum quaternos vel circiter, verisimile videtur.*

Quod si nihilominus placet, universos ex eadem edisse paropside; possis dicere, non frustra hoc iterari à Christo, quia sit ἐμφαντικώτερον quam prius. Nam exprobrationem continet, quod eorum unus fuerit, quos etiam mensa sua dignaretur. Atque ut his idem diceret Christus (nam & hæc quorundam opinio est) non inanis eo fuerit ταυτολογία. Potuit enim Christus idem bis aliter atque aliter dicere, partim ut suos in mœrore diutius detineret, partim ut longiori spatio Iudam ad pœnitentiam invitaret, commonstrando illi & omniscientiam suam, & erga eum, qui hoc scelus moliretur, lenitatem. Chrysostomus homil. 1. de Prodit. putat, quando Christus diceret, proditorem secum manum intingere, satis indicasse, non alium esse, quam Iudam, quia solus secum intingeret. Sed hoc si esset, jam agnitus foret: nec locum habuisset sermo consecutus. Quare non multo aliud dicit Christus, quam unum esse ex accumbentibus.

14. §. *Quartum est, quod, ubi Christus vidit, hoc gemino monitu non corrigi Judam, subjecerit, tum quod ad discipulorum consolationem pertinet, tum quod Judam amplius terreret. Consolationi discipulis fuit, quod diceret, ab æterno de morte Christi esse præfinitum, perque Prophetas prædictum.*

Verba Scripturæ sunt: *Filius hominis vadit*, puta ad mortem. Additur, *secundum quod definitum est*, nempe à Patre. Item, *Sicut scriptum est de eo*, videlicet per Prophetas.

15. §. *Ad revocandum vero Judam ab insania faciebat quod ait Christus:* Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille.

Euthymius Zigabenus, & Thomas Cajetanus, sic interpretantur, melius fuisse illi, si in utero matris fuisset suffocatus, ac mortuus, nequid hujusmodi committeret. Sed simplicius sit exponere, ut nunquam fuisset: puta nec natus, nec conceptus.

16. §. *Quinctum est, quod exinde rogarit Iudas ipse,* Nunquid ego sum, Rabbi? *Christus vero responderit,* Tu dixisti, *quasi diceret, Sic est.*

Hebræa est phrasis. Sic Caiapha Dominum rogante, num ipse esset Christus, respondit hic, ut apud Matthæum est, *Tu dixisti*: pro quo Marcus, *Ego sum*. Similiter Pilato roganti, an rex foret, respondit, *Tu dicis, quia ego sum*. Hoc est, Is sum, quem dicis. Ita quoque interpretatur Joannes Cantacuzenus apolog. III adversus Musulmannos *a*. Aliter tamen Euthymius. Qui sic colligit. a *Post medium.*
Si hoc dixisset Christus, lacerandum fuisse a Petro, qui zelus ejus erat. Quare & ille, & alii multi arbitrantur, Christum nec asserere, nec negare; sed, quid sit, dicentis conscientiæ committere: ut, *Tu dixisti*, tantundem valeat, ac, *Tute novisti*. Ac favet huic sententiæ Benedictus Arias Montanus: qui in Matth. XXVI. ex usu Hebraismi valere ait, *Bene habet, satis est, nihil ultra de ea re agamus*. Mihi vero plane aliud evincere videntur loca similia, quæ adduximus. Argumento illi, quod eo responso metus non fuerit discipulorum aliis excussus, facile occurritur eo, quod responsum hoc non audierint, vel saltem non satis perceperint: fortasse quia submissius esset dictum à Christo.

17 §. *Sextum est, quod, quia hoc responsum non satis audissent discipuli, Petrus, pro zelo suo, à Ioanne, præcipue diligenti Christum, & ab eo dilecto, inque sinu Christi recumbenti, nutu petierit, ut ille rogaret Christum, quis proditurus foret.*

Non quasi Joannes sedens, caput rustice Christi pectori admorit; sed quia mensæ accubuerit inferior. Quæ res nota ex veteri more accumbendi.

18 § *Septima est, quod, Ioanne Christum hoc rogante, responsum sit, eum esse, cui panem intinctum offerret, ac simul eum dederit Iudæ Iscariota.*

Quo jam plene innotuit omnibus, quis ille foret. Nisi de hoc signo secreto uni dictum Joanni, ut aliquorum opinio est.

19. §. *Octavum est, quod ne sic quidem Iudas ad frugem sit revocatus: sed, diabolus, qui eousque animum occuparat Iudæ, magis etiam invaserit, sic ut plane redderetur insanabilis.*

Jam antea pravos Diaboli instinctus admisisse, ostendit, quod Joannes dicat, *diabolum misisse in cor Iudæ, ut traderet eum.* Sed nunc se magis diabolo mancipasse, arguit, quod idem Euangelista hic ait, *Et post buccellam* (ψωμίον) *tunc magis introivit Satanas.* Buccellam autem ipse Joannes *panem intinctum* interpretatur. Ut valde eum ratio fugerit, Abramium, qui ad Nonni paraphrasin in cap. XIII annotavit, per ψωμίον signari carnis frustillum medicatis frugibus conditum. Sed neque assentiendum Cyrillo Alex. in cap. VI Joan. vel Anastasio Sinaitæ orat. de Synaxi, panem hunc intinctum fuisse Eucharistiam. Contra quam opinionem fuse disputat Hildebertus Cœnomanus epist. LXIV. Proque eo est Augustinus tractat. LXII in Joan.

20 §. *Nonum est, quod Christus tum dixerit Iudæ,* Quod facis, fac cito. *Atque hoc quidem Apostoli ita intellexerunt, quasi, quia loculos haberet, præciperet ei Christus, ut illa emeret, quibus opus foret, vel ut egenis daret aliquid.*

Neque tam stupori, quam caritati Apostolorum, tribuendum videtur, quod tum quoque verba Christi ambigua in partem interpretarentur meliorem.

21. §. *Revera autem loquebatur Christus de exsequendo quamprimum negotio proditionis. Nec tamen eam præcepit, sed prædixit. Scire enim se ostendit, quid Iudas moliretur. Quod absterrere eum debuerat à tanto scelere. Præsertim quia sic etiam bonitatem & affectum suum erga Iudam*

dam declararet. Præterea vero eum Judam accelerare jubet, desiderium suum ostendit patiendi pro nobis.

Leo Magn. serm. VII de Pass. cap. IV: *Videns Dominus, cui flagitio Iudas esset intentus; Quod facis, inquit, fac citius. Vox hac non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati: qui habens omnium temporum potestatem, ostendit, se moram non facere traditori, & sic ad redemtionem mundi paternam exsequi voluntatem, ut facinus, quod à persequentibus putabatur, nec impelleret, nec timeret.* Vide Cajetanum jentaculi sexti quæst. secunda: ubi disquirit, an non verba Christi fuerint impellentia ad proditionis scelus.

22. §. *At non audiendi sunt, qui Juda Judæorumque facinus profectum ajunt à præscientia Dei ac decreto.*

Præscivit quidem Deus: quia, ut ait Augustinus lib. IV de Genesi ad literam cap. XXXII: *Cognitio fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant.* Sed præscientia illa speculativa fuit, non practica. Nec facta sunt, quia præscita, sed præscita sunt, quia futura: ut de hac ipsa Judæ proditione scribit apud Justinum Martyrem auctor Responsionum ad Orthodoxos quæst. LVIII. Quod similitudine hac Origenes illustrat apud Eusebium lib. VI Præparat. Euangel. cap. IX. Ait, sic cum divina esse præscientia comparatum, ut Deus prævideat, quia est futurum, non autem ut moveat vel impellat: sicut homo cum temeritate alicujus novit, qui iturus est per viam periculosam ac lubricam, lapsum ejus prævidet, nec tamen caussa est lapsus. Hoc interim est discriminis: quod homo falli potest; Dei oculus semper vigil infinitæ sit perspicaciæ. Eoque necesse sit futura omnia à Deo præsciri: nec tamen ex præscientia hac sit necessitas aliqua futuritionis, quia futuritio præcedat per modum objecti ac termini: ut necessitas hic non sit, nisi Logica, sive syllogistica: non Physica, sive caussalis. Hoc veterum omnium judicium fuit, quos alibi magno numero adduximus. Contentus igitur nunc ero Leone Magno, serm. XVI de Passione: *Numquid inquit as persequentium Christum ex Dei est orta consilio? & illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divina præparationis armavit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est: quia multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate Iudæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi: nec de uno exiit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemtoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit. Nec præsciendo, quod faciendum esset, coegit, ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret.* Et paullo post: *Quod itaque Dominus Iesus Christus furerem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit. Nec egit, ut hac vellent, sed cessit, ut possent, & sic usus est obcæcata plebis insania, quomodo & perfidia traditoris; quem ab immanitate concepti sceleris, & beneficiis est revocare dignatus, & verbis: adsumendo in discipulum, provehendo in Apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, ut cui nihil benevolentiæ deesset ad correctionem, nihil occasionum superesset ad crimen.*

23. §. *Nec magis decreto suo Deus caussa est proditionis, vel ullius mali. Neque enim statuere oportet cum Stoicis aliquod fatum ineluctabile, quia Judas potuit proditionem omittere: sed prævidit Deus, caussam liberam in circumstantiis istiusmodi, si sibi relinquatur, in actum talem erupturam: decrevit autem, id permittere; malumque, quod sic futurum prævidit, ad finem bonum ordinavit: in qua tam bonitas, quam sapientia Dei eluxit.*

Atque hinc est, quod Synodus Arausicana II *a* negat hominem prædestinari ad malum divina potestate. Quam sententiam quoque valide refellunt Prosper *b*, scriptorque de vocatione gentium *c*, ac Fulgentius *d*.

a Cap. 25.
b Ad 15. capit. Gallor.
c Lib. I. cap. 30.
d Libro ad Monimum, passim.

24. §. *Vera autem caussa cur Judas Dominum prodiderit, eius avaritia fuit. Nam ut est Joan. XII. 6. fur erat, eidemque loculorum cura erat commissa. Talis cum foret, facile, avaritia eum stimulante, incentore diabolo, nec tamen vim adferente, cui non posset resistere, ad parricidium, imo & sacrilegium parricidio copulatum, impelli potuit.*

Ut est apud B. Hieronymum in Jes. cap. LIX. Idem scite sic enarrat Didymus lib. III. de Spiritu S. *Observans diabolus quibusdam motibus & operationum signis, ad quæ potissimum Iudæ cor esset vitiis proclivius: deprehendit, eum patere insidiis avaritiæ: & reperta cupiditatis janua, misit in mentem ejus, quo modo desideratam pecuniam acciperet, & per occasionem lucri, proditor magistri & salvatoris sui existeret, argentum proprietate commutans, & suscipiens pretium sceleris à Pharisæis, atque Iudæis. Hac ergo cogitationis occasio locum tribuit Satanæ, ut in cor ejus introiens, impleret eum pessima voluntate. Introiit ergo non secundum substantiam, sed secundum operationem: qua introire in aliquem increata natura est, ejus quæ participetur à pluribus.*

25. §. *Post verba Christi Judam accelerare jubentis, id quod ageret, abiit ille, ut ad Dominum tradendum conveniret Pontifices, ac Seniores.*

Nocte abiit, nocte ipsa plus animo tenebrarum habens. Reliquit Christum; quoque longius abfuit ab eo, qui erat lux mundi, hoc tenebris majoribus animus fuit obseptus, spiritu tenebrarum eum sibi totum vindicante. At nondum ille abest; Christus neglexit tempus Eucharistiæ instituendæ: cujus proditor particeps non fuit. Plurimi tamen veterum arbitrantur, Iudam non abiisse tam cito; sed permansisse, dum Cœna instituitur Dominica: atque etiam à Christo, quia adhuc ignotus Apostolis foret, sacra symbola accepisse. In his, è Græcis quidem, fuere Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius: è Latinis vero, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus; ut Bedam, Rabanum, Bernardum, & juniorum alios mittam: Imo Fridericus Staphylus hæresin censebat, id negare: ut videre est in Prateoli Elencho, voce *Iudas*. Negant tamen Clemens Romanus sive alius lib. V. Constit. cap. XVI, Hilarius can. XXX. in Matth. Rupertus in Matth. cap. XXVI, & Ioan. cap. XIII, Innocentius III, lib. III, de Myster. cap. XIII, & alii complures: quos è junioribus sequuntur Turrianus in defensione loci è Clemente antea indicati, Barradius tom. IV lib. III epist. 3. Mendoza in I Reg. cap. VI. 21, annotat. XXIII. ut mittam cæteros.

CAP. XV.

De institutione Eucharistiæ: item de tribus, super quibus, post Cœnæ institutionem, Christo cum discipulis sermo fuit.

1. §. *Exinde tria de Christo refert Scriptura; qua contigere, priusquam cum discipulis domo exiret. Eorum primum est institutio Sacræ Cœnæ. Alterum multiplex cum discipulis sermo ab institutione Cœnæ. Tertium hymnus dictus. Institutio Cœna eò justius inter præparationes Passionis refertur; quia non tantum proxime Passionem præcessit; sed eam quoque mystice significavit, per-*

perque eam discipulos præparavit ad tentationem tantam facilius exsuperandam.

De hac narrant Matth. xxiv, 26, & seqq. Marcus xiv, 22, ac deinceps, Lucas xxii, 19, ac postea, Paulus 1 Corinth. xi. 23. & seqq.

2. §. *Contigisse eam inter cœnandum, sive potius post cœnam, (μετὰ τὸ δειπνῆσαι, ut est apud Lucam a) satis ex Euangelistis liquet.* a Luc. 22. 20.

Ac propterea in primitiva Ecclesia sacramentum Cœnæ in convivando celebratum; nempe una cum ἀγάπῃ. Sed postquam convivia, quæ primitus fuere temperantia, in ἀκρασίαν degenerarunt; quod jam temporibus B. Pauli contigisse, ex eo liquet, quod propter intemperantiam in agapis Corinthios castiget. Quare etiam eum agapæ permanserint: separatæ tamen à mysteriis fuere. Agapas vero obtinuisse etiam post annum trecentesimum, ex concilio Laodiceno cognoscere est. Quamquam verò Christus in cœna instituit hoc sacramentum: veteres tamen celebrarunt in conventibus suis antelucanis: quod ex Tertulliano cognoscitur. Excipe anniversariam diem, qua Christus celebrasset. Quo id non fuisse observatum, docemur hoc canone Concilii Carthaginensis: *Sacramenta altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Nempe eo die Christi exemplum sequi amabant.

3. §. *In hac Institutione quatuor nobis Scriptura exponit. Primum est exemplum Christi præeuntis. Alterum, sermo eius hoc mysterium explicantis. Tertium est mandatum præcipientis, ut exemplum sequamur. Quartum, prædictio de non amplius cibum cum discipulis sumendo. In exemplo Christi duo attendimus: rem duplicem, & ritus adnexos. Res ea, est panis, ac vinum.*

Panis vero ille ἄζυμος, sive fermenti expers, fuit. Nec propterea opus, ut nos etiam simili utamur pane, quia quod Christus pane est usus azymo, plane ex accidenti fuit: videlicet, quia cum Christus Cœnam institueret, ex lege Mosaica, non alius panis, quàm azymus, in ædibus esse poterat ex interdicto Mosaico. Vinum item, quod Christus bibit, aqua erat temperatum; uti & vini, & cæli natura postulabat; quod liquet ex Prov. ix. 2, 5. & Apocalyps. xviii. 6. Ac propterea etiam veteres Christiani mixto usi, non meto; ut liquet ex Justino, Irenæo, Cypriano, & tot aliis.

4. §. *Ritus vel ad panem vinumque, vel ad solum panem, vel solum vinum, pertinent. Commune est, quod dicitur Christus benedixisse, sive gratias egisse.*

Apud Matthæum, & Marcum, est εὐλογήσας, apud Lucam & Paulum εὐχαριστήσας. Ut idem sint *benedicere*, & *gratias agere*. Atque hinc & sacramentum hoc εὐχαριστίας nomen accepit. Ab ea benedictione erat creaturæ ἁγιασμὸς, ac fiebat precibus Deo dictis. Nam εὐλογεῖν, & εὐχαριστεῖν valet προσεύχεσθαι, ut ex Pauli interpretatione cognoscimus. Sane εὐλογεῖν, & εὐχαριστεῖν dicimur κατ' ἔλλειψιν, pro εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ ὑπὲρ ἄρτου ἢ ποτηρίου.

5. §. *Ad panem solum pertinet, quod Christus dicitur eum accepisse, fregisse, ac discipulis dedisse.*

Nam Euangelistæ dicunt ἔκλασε. Et Pauli est, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Nempe Hebræorum panes κλαστοί. Ab ritu vero eo, quod frangeretur panis, vetustas totum sacramentum etiam κλάσιν τοῦ ἄρτου appellavit.

6. §. *Ad ritus autem poculi refer, quod & illud Christus accepit, & discipulis dedit, dicens:* Bibite ex hoc omnes.

Quo ex loco per vocem OMNES non aliud evincitur, quàm de Apostolis, qui soli erant præsentes. Sed quomodo ulterius hoc mandatum extendatur, dicetur postea cum ad mandatum instituentis fuerit deventum.

7. §. *Sequitur institutionis causa, sive explicatio veritatis per ea signa demonstratæ: ubi prius de pane videndum: hinc de vino. De pane ita Christus apud Lucam:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. *Apud Paulum,* Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.

Ubi tria videmus. Primum quod panis dicatur corpus. Augustinus contra Adimantum cap. xii: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui.* Deinde quod Christus ait, corpus hoc dari ac frangi. Fractione ea significabantur tum dolores ac laceratio corporis, tum corporis ab anima separatio. Frangebatur autem panis ad distribuendum, h. e. alteri communicandum. Ut hoc symbolo etiam denotetur communio bonorum, quæ per crucem pararentur. Denique dicitur *pro vobis*, h. e. in vestram, ô discipuli, & omnium, in me credere volentium, salutem. ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ut idem Christus loquitur Joan. vi. 51. Est igitur panis vivificum Christi corpus: uti & vivifica ejus manducatio. Nec enim panis ille est inane signum: sed efficax, inque usu legitimo semper exhibens, ac conferens, quod obsignat. Non quasi sit conjunctio panis physica cum Christi corpore, (nec enim panis ὑπερφυσικῶς unitur cum Λόγῳ) sed quia est conjunctio sacramentalis, ex Christi instituto præstans animæ spiritualiter, quod visibili signo denotatur corporaliter.

8. §. *De vini significatione quatuor tradit Christus: quid sit illud, quod signat: quale sit, quorum sit, & quem in finem. De primo sic ait apud Matthæum, & Marcum:* Hoc est sanguis meus.

Hoc est, signum sanguinis exhibitivum. In fœderibus sanguis bibi solet, quandoque & humanus. Sed Christus in hoc fœdere novi sacramento dat vinum, sanguinem uvæ, ut veteres vocarunt. Sanguis, qui in sacrificiis fusus, erat symbolum animæ ac vitæ, quæ in sanguine consistit. Ita & symbolum sanguinis Christi significat communionem mortis & vitæ, omniumque beneficiorum, quæ ex morte Christi ad nos redundant. Sed & vinum, præterquam quod nutrit, etiam lætitiam parit: eoque symbolum quoque est vitæ immortalis, ac lætitiæ non desituræ. Ideo comparat Jesus poculum, quod biberent, cum eo, quod bibituri essent in regno Patris. Verba mox adferam. Nimirum solet Christus cælestem vitam, ac lætitiam, conferre cum epulis terrestribus. Unde & illud Matth. viii, 11. *Accumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob, in regno calorum.* Et Luc. xvi. 23: *Videt Abraham eminus, & Lazarum in sinu ejus.* Videt eum non solum cælestibus epulis frui, sed præ aliis honoratum: quippe qui in sinu Abrahæ recumberet: quod magni amoris indicium.

9. §. *De altero ait inib. a, sanguinem esse Novi testamenti. Pro quo apud Lucam b est,* Hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine. a Matth. 26 28. Marc. 14. 23. b Luc. 22. 20.

Græce est διαθήκη, quod valet idem ac Hebræum ברית: nempe fœdus. Sententia igitur sit, esse signum novi fœderis, ac proinde magis efficax adspersionibus illis fœderis antiqui.

10. §. De

10. §. *De tertio est apud Matth. & Marcum*, Qui (*sanguis*) pro multis effunditur : *apud Lucam* a, qui pro vobis effunditur.

a Luc. 22. 20.

Ratione meriti pro omnibus, ratione efficaciæ pro credituris, sive qui conditiones fœderis observarint. Gr. τὸ ἐκχυνόμενον, *qui effunditur*, pro, qui effundetur; sicut, *corpus, quod pro vobis traditur*, pro, jam jam tradetur.

11. §. *De quarto est apud Matthæum, cum sanguis is effundi dicitur* in remissionem peccatorum.

Remittuntur enim nobis peccata ob effusum Christi sanguinem, sive propter mortem Christi.

12. §. *Hæc excepit mandatum, quod partim erat de eo tempore, partim de futuro. De præsenti sunt illa apud Euangelistas*, Accipite, comedite, dividite inter vos.

De pane est, *accipite, comedite*, apud Matthæum XXVI. 26. *Sive, sumite, comedite*, apud Marcum XIV. 22. De poculo autem, *Bibite ex hoc omnes*, Matth. XXVI. 27. sive, *Accipite hoc, & dividite inter vos.* Λάβετε τοῦτο, καὶ διαμερίσατε αὐτοῖς. Luc. XXII, v. 17. Quo petitur, ut poculum, quod de manu in manum dedisset, hoc in orbem iret.

13. §. *De mandato in posterum nihil expressum ab Euangelistis : sed docet hoc nos Paullus 1 Corinth.* XI. 26 : Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec venerit.

Sensus est, sacro isto ritu, quo præivi vobis, & nunc celebrate repræsentationem mortis meæ imminentis, & deinceps etiam memoriam mortis tum obitæ. Duretque ea consuetudo in vobis, atque omni Ecclesia, donec rediero, ut vos adsumam in cælos, quo istic accumbatis fruituri mecum epulis æternis.

14. § *Mandatum id sequitur prædictio Christi de non amplius bibendo cum Apostolis.*

Verba Domini apud Matthæum & Marcum sunt: *Non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei.* Per *genimen vitis* intelligitur vinum: per regnum Christi, id quod in cælis esset obtenturus ad dexteram Dei sedens; præsertim ab universali resurrectione: per vinum novum, cæleste; quod bibetur, quando cœlum erit novum, terra nova. Magis hæc placent, quam ut *novum* adverbialiter sumatur, pro *noviter*: vel *novum* quidem sit nomen, sed de spirituali dicatur vino, sive gaudio, quod post triduum erant percepturi ex resurrectione. Quorum utrumque apud Cajetanum legas Ientaculo sexto. At dixeris, interpretationi nostræ obstare illa Petri Act. 2. v. 41. *Qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam surrexit à mortuis.* Propterea & Heldibia B. Hieronymum sibi consulendum putavit. Ac Eucherius Lugdunensis illa Christi verba inter obscuriora Scripturæ loca collocavit. Non puto rectius conciliari Scripturas, quam restringendo Christi verba ad hactenus consuetum bibendi morem, qui erat naturalis. Nam à resurrectione edit ac bibit Christus, sed novo modo, ac supernaturali, non ad corporis necessitatem, sed ad veritatem corporis adstruendam: ut in Resurrectionis historia plenius explicabitur.

Atque hæc de verbis, quibus nobis in Scripturis Institutio Cœnæ Dominicæ enarratur. Cuncta nunc solum attigimus, quia fuse satis hujus Sacramenti naturam prosecuti sumus in Disputationibus de sacra Cœna.

15. §. *Dubium vero, utrum statim ab Iudæ abitu, ante institutionem Sacramenti; an mox ab ea institutione, verba ista dixerit Christus:* Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semet ipso, & continuo clarificabit eum.

Ita vulgatus interpres. Græce pro *clarificare* est δοξάζειν, quod est *glorificare*. Sententia est: Uti Deus est glorificatus per filium, dum hic implet ejus voluntatem, ita filius glorificabitur à Patre tum variis in passione miraculis, tum suscitando eum à morte, & attollendo in cælos, ubi ad dexteram Patris considebit, missoque in mundum Spiritu S. supra omne nomen obtinebit nomen gloriosum in cœlo, & terra. Quæ omnia post Iudæ abitum dixit, ad Apostolos consolandos.

16. §. *Imo ex aliquorum sententia in ipsa Cœna iterum inter discipulos de primatu orta contentio fuit.*

Sic, inter alios, Cornelius Iansenius Concord. Euangel. cap. CXXXIII.

17. §. *Colligunt vero hoc ex eo, quod post prædictionem proditionis Lucas cap.* XXII. *interserit contentionem Apostolorum de primatu. Sed tam multa habet similia istis, quæ referuntur Matth.* XXVI, *Marc.* XIV, *Ioan.* XIII: *ut omnino verisimile sit, hanc eandem esse historiam, quam cap.* 11. *contigisse diximus in via, cum Christum Ephrem egressum tenderet Hierosolymam. Nec verisimile est, discipulos sic castigatos Christi verbis, iterum eo ambitionis prorupturos.*

Quare de eo nihil hoc loco nobis dicendum putavimus.

18. § *Illud vero satis est apertum, Christum, ab institutione Cœnæ, de tribus esse cum discipulis collocutum, priusquam exiret. Eorum primum est, quod mortem suam prædicit. De hoc sunt ista:* Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, &, sicut dixi Iudæis, Quo ego vado, non potestis venire.

Intelligit autem, quod vaderet ad mortem.

19 §. *Alterum est, quod occasione ea, quia de abitu monuisset, formam præscripsit vivendi inter se his verbis* a: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

a Ioan. cap. 13. vers. 33. 34. 35.

Non ἁπλῶς novum, sed quia moribus seculi foret antiquatum, à Christo nunc renovatum. Vel potius intellige novitatem, non in præcepto, sed in diligendi modo, quia jubentur diligere exemplo Christi, diligentis gratuito, ut observat Chrysostomus: imo plus diligentis, quam se ipsum, ut addit Cyrillus: denique diligentis spiritualiter, & ob vitam æternam; ut monitum Cajetano. Ac valde hoc præceptum commendat, quod pollicetur Christus, si sic se mutuo dilexerint, luculentum hoc signum omnibus fore, quod veri sint discipuli Christi: quorum est imitari magistrum.

20 §. *Tertium est, quod prædicitur, Christum à Petro abnegandum.*

Occasio hujus sermonis est istiusmodi. Dixerat Christus, se abitum parare. Petrus, cum non assequeretur, cujusmodi abitus intelligeretur, rogabat, quo iturus: quasi diceret, sequi se paratum quovis gentium. Sed Christus negabat, sequi eum, vel Apostolos, tum temporis posse: postmodo tamen secuturum ipsum: quando nempe & ipse moriturus foret pro Christo. Hic Petrus dicere, se vel animam esse pro Christo ponere paratum.

Displicuit Christo tanta de se præsumtio. Ergo significavit, eam esse à Satana, à quo sic tentatione agitaretur, quo fidem labefaceret: cæterum se orasse Patrem, ne illa deficeret. Quod quia jam consecutus foret, proximum esse, ut Petrus, oratione Christi jam firmior, firmaret & ipse fratres infirmos. Et ut magis humanam videret infirmitatem, adjunxit, eapse nocte scandalo se fore suis; ut à quibus, nec discipuli, nec amici officio fungentibus, eo quod parum digne de Domino suo sint sensuri, turpiter sit deserendus. Atque ita locum tum quoque esse habiturum, quod in re alia scriptum à Zacharia fuit, *Dum ipse pastor percutitur, oves disperguntur.* Hoc Apostolis erat lapides loqui. Ut igitur emolliat hunc sermonem, subjicit, solatii ergo, se eos præcessurum in Galilæam. Hic Petrus, cum pristinam retineret fiduciam sui, dicere, ut vel omnibus scandalo foret Christus, saltem de se aliter futurum: ut qui & pro Christo, & cum eo, mori paratus foret. Iactanti talia prædicit Christus, ter se ab eo abnegatum iri ante galli cantum. Nec Apostolos, melioribus hactenus, dum Christum secum haberent, adsuetos, satis intelligere, qualis deinceps rerum status immineret. De priori igitur tempore quærere, an hactenus iis, vel pecunia in loculis, vel cibus in pera, vel pedibus calceamenta, simileve in aliis ejusce generis, defuisset. Negare illi. Hinc de secututo tempore Christus subjecit, tam acerbum illud fore, ut vel divendita exteriori veste sollicitos esse conveniat de gladio emendo ad defensionem sui. Hoc figurate dictum fuit à Christo, quo significaret misera tempora, se tam dura diraque deinceps perpessuro; quando & impiis esset annumerandus, uti prædictum erat à Prophetis. Apostoli parum intelligentes istorum, quia de gladio emendo audierant, duos Christo gladios offerunt. Indoluit Dominus ob inscitiam eorum. Sed cum videret, eos nondum esse capaces illorum, quæ diceret, contentus fuit, illud quasi εἰρωνικῶς proferre, sufficere istæc. Videlicet sciebat fore, ut abunde verborum suorum mentem postea edocerentur, postquam esset passus, mortuus, sepultus, & à mortuis resurrexisset: præsertim ubi post adscensum in cælos iis misisset Spiritum sanctum.

Cap. XVI.

De longo sermone, quem ab institutione Cœnæ habuit Christus cum discipulis, dum mensæ accumberetur; ut refertur Ioan. cap. XIV. Deque hymno, quem cum Apostolis dixit, priusquam egrederetur.

1. § *Sequitur longus ille Christi sermo, quem ab institutione Cœnæ Eucharisticæ habuit ad discipulos. Est vero is bipartitus. Ex parte enim habitus est à Christo accumbente mensæ ad discipulos itidem accumbentes: ex parte vero postquam pariter à mensa surrexissent: sive id in eodem cœnaculo, sive in via factum sit. Prior illa pars tota in eo est, ut discipulorum animi formentur, ac firmentur, adversus futuram tentationem. Ea continetur Ioannis cap.* XIV. *Partem alteram habemus capitibus duobus seqq. ac initio quidem capitis* XIV. *petit Christus, ut ne perturbentur animo, sed uti in Deo patre credunt, ita & in se fiduciam collocent.*

Verba sunt, vers. I: Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία. *Ne turbator cor vestrum.* Nempe propter ea quæ dixi de discessu meo, & quod sequi non potestis: tum quod prædixi de scandalo futuro, & abnegatione mei: tum etiam quæ præmonui de magnitudine afflictionis secuturæ, propter quam & gladio opus foret. Subditur: Πιστεύετε εἰς τὸν Θεόν; καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε, Ubi post Θεόν nota interrogandi collocanda: ut Latine sit, *Creditis in Deum? etiam in me credite.* Vel si id displicet, initio intelligatur καθώς sicut: ut Ioa. V, 17, & hoc XIV, 19. Videlicet ad hoc exsuperandum tantam animi perturbationem. Nam, ut est I Ioann. V: *Hæc est victoria qua vincit mundum, fides nostra.*

2. §. *Postea, ut perturbari desinant, toto capite consolatur discipulos: idque à septem bonorum generibus.*

Sane consolatio, ut eam Cæsar Scaliger in libris de Re Poëtica non incommode definit, est oratio reducens mœrentis animum ad tranquillitatem. Sed plenior erit definitio, si etiam caussam tranquillitatis adferamus. Ea est, quod in consolatione malo opponitur bonum, cujus consideratione malum patienter feramus. Quamquam vero tot solatia, quæ Christus adfert, non ita multum profuere discipulis ante resurrectionem Christi: (nam, capto Christo, omnes se in fugam dederunt) post resurrectionem tamen plurimum profuere eorum augendæ spei, & caritati.

3. §. *Primum bonum, quo suos solatur, statuitur in multis habitaculis.*

Vers. II: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* μοναὶ πολλαί, multa habitacula. Pro quo, versu hoc ipso, mox dicitur τόπος, *habitationis loca.* Quæ multa dicuntur, & quidem, ut veteres explicant, honoris gradibus distincta. Tertullianus Scorpiaco; *Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo & stella à stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?*

4. §. *Ne vero videatur eos inani spe lactare, addit, aliter si foret, nec hoc eos fuisse celaturum.*

Græce, εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν. *Nisi id esset, dixissem vobis.*

5. §. *Addit, se vadere ad hæc loca iis paranda.*

Nempe à Patre quidem erant parata loca prædestinatione, quæ fuit ante jacta mundi fundamenta. At deinceps erant Christo paranda per mortem, & adscensionem suam: quibus iter erat aperturus alioquin invium: ut sequentia ostendunt. Quamquam nihil hic opus videtur, recurrere ad Prædestinationem. Nam simpliciter dicere licet, prius solum sermonem fuisse de habitaculis sive locis; hic vero agi de iis cuique præparandis. Ut similitudo sumatur à consuetudine vulgari, qua ex comitatu quispiam solet præmitti, ne demum, ubi advenerint, dispici sit opus, quem in locum se quisque sit recepturus.

6. §. *Subjicit deinde, se, ubi ab iis recesserit, velle ad eos reverti, ut ipse eos assumat, quo fuerat progressus.*

Vers. III: *Et si abiero* (ἐὰν πορευθῶ, postquam abiero) *ad parandum vobis locum, iterum veniam* (πάλιν ἔρχομαι, pro ἐλεύσομαι) *& assumam vos ad meipsum, ut ubi sum ego,* (h.e. ubi ero) *& vos sitis.* Nempe gloriæ, ac felicitatis meæ consortes.

7. § *Hinc concludit, ex iis, quæ dixerat, scire jam discipulos, & quo iret, & qua iret. Dixerat enim, se vadere ad domum Patris. Dixerat quoque, se non alius visum ire: qua ratione moriturum se significabat.*

Vers. IV: *Et quo ego vado, scitis, & viam scitis.*

8. §. *Ea occasione Thomas præ cæteris, sive quod ingenio foret tardiori, sive dolore aciem mentis præstinguente omnium nomine significavit, neutrum se nosse; nec enim scire se, quo eat, & qui nesciat terminum, multo minus scire viam, qua eundum.*

Vers.

Vers. v: *Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadas; & quomodo possumus viam scire?* Dixerat Christus, scire discipulos, quia non tam obscura erant verba Christi, ut nulli, saltem obscurius aliquanto, ea intelligerent. Thomas contra ait, nec discipulos scire, quia ex se alios metiebatur: quasi omnes tam tardi essent in rebus fidei, ac ipse.

9. § *Christus igitur respondet vers. vi,* Ego sum via, veritas & vita. *Hoc est, via exemplum, veritatis doctor, vitæ dator.*

Exspectabat Thomas, ut aperiret Christus, qua via esset perventurus ad Patrem. Christus vero pro summo erga discipulos suos amore, satius judicavit aperire eis hoc tempore, quo pacto ipsi essent perventuri ad Patrem, h. e. quomodo essent consecuturi æternam vitam, qua non fruimur, nisi apud Patrem. Hoc eos docet, significando, se esse illam viam. Quasi dicat, ad Patrem venietis, si insistatis viæ, ad quam prævivi vobis. Hac enim datur adscensus in cælos. Nec se modo viam ait, sed etiam veritatem: h. e. doctorem veritatis. Nam Euangelium est sermo veritatis; ut est Ephes. I. xiii. Atque hoc additum à Christo, ut ostenderet, sibi habendam fidem. Denique se ait vitam, h. e. eum, qui jus habeat dandæ vitæ æternæ: solis vero eam largitur, qui sequuntur se, h. e. exemplum imitantur. Unde Ioan. viii: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

10. § *Nec Christus solum est via, veritas, vita: sed & solus est illa. Unde continuo subdit,* Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

Quasi dicat, non est via præter me: solus etiam sermo meus est omnis mendacii expers, solus quoque vitam largior æternam, quæ est apud Patrem. In Christo igitur, ut via unica, ambulandum per caritatem: ei soli, ut veritati, credendum per fidem: in eo solo, ut vitæ datore unico, confidendum per spem. Unde dicitur Leoni Papæ serm. xi de Resurrect. *Via sancta conversationis, veritas doctrina divina, vita beatitudinis sempiterna.* Est & B. Bernardi serm. 11. de Ascensione Domini: *Sequamur Domine te, per te; quia tu es via, veritas, & vita: Via in exemplo, veritas in promissis, vita in præmio.*

11. §. *Hinc rationem adfert, cur Patrem non norint. Esse enim hoc inde, quod neque Christum recte norint. h. e. eius sapientiam, ac bonitatem.*

Vers. vii: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.*

12. §. *Nec tamen omnem iis notitiam Patris adimit. Nam cognoscere eum, ac vidisse ait: nempe in effigie ejus Filio. Sed nesciebant, eum esse characterem Patris. Viderant igitur, & non viderant: cognorant, & non cognorant. Iam viderant vivam Patris imaginem, inque ea viderant & Patrem. Sed non recte viderant, vel cognorant, quia nesciebant, eum quem viderent, & cognoscerent, characterem esse vivamque imaginem Patris sui: eoque & Patrem in Filio cognosci.*

Hæc mens verborum, quæ subjungit: *Et nunc cognoscitis eum, & vidistis eum.*

13. §. *Philippus, quia non caperet, quod Christus dixisset, Deum esse ab iis visum: optat sibi Deum ostendi, non quasi nesciret Deum esse spiritum, eoque ἀόρατον, sed cum Christus ipse visum diceret, & sciret Deum variis modis apparuisse in Veteri Testamento, rogat, ut aliquo eorum modorum sibi conspicere eum detur.*

Vers. viii: *Dicit ei Philippus: Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

14. §. *Christus propterea quodammodo cum eo expostulat: quod cum tam diu adeo illis fuerit familiaris, necdum tamen ab eo cognoscatur.*

Vers. ix: *Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me?*

15. §. *Tum explicat, quomodo videri Pater possit. Nempe in Filio, tanquam viva imagine.*

Verba Christi: *Qui videt me, videt Patrem.* Quæ cum dixisset, subdit, liquere exinde, quam absurdum sit hoc postulatum Philippi: *Ostende nobis Patrem.*

16 § *Hinc, quod dixerat, si videatur ipse, etiam Patrem videri, eo illustrat, quod & ipse sit in Patre, & Pater item in se.*

Vers. x: *Non credis, quod ego in Patre sum, & Pater in me?*

17. §. *Quia vero hic sermo durus videatur, (sane ob verba hujuscemodi Iudæi voluerunt lapidare Christum, ut est Ioan. x. 38. 39) eo addit, se non dicere ista ex se, sed e Patris mandato.*

Vers. x: *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor.* Si ex sese loqueretur, videri possit ea dicere suæ gloriæ studio: cum contra agat omnia ad honorem Patris. Vide Ioan. cap. vii. 17. 18. Dixeris, & Deum esse locutum per Prophetas. Locutus sane, sed ut dominus per servos: in Filio autem locutus, ut Pater.

18. §. *Postea arctissimam sui, & Patris conjunctionem qua ipse in Patre, Pater item in se, foret, comprobat ex operibus mirandis, quæ nonnisi à solo Deo possint proficisci.*

Vers. x, & xi: *Pater autem in me manens, ipse facit opera. Credite autem, quod ego in Patre sum, & Pater in me: alioqui propter ipsa facta credite.* Ubi cum dicit, Patrem in se manere, puto μένειν poni pro inesse, ut sumitur à Ioanne cap. v. 38, & alibi. Hinc ad opera sua provocat. Nimirum hoc vult, ex eo liquere, Patrem in se esse, quod cæcis det visum, omnis generis morbos solo sanet verbo, in diabolos habeat imperium, cogitationes etiam hominum videat. quæ *opera Patris sui* vocat Ioan. x. 37. *Si,* inquit, *non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Sin vero facio, & si mihi non creditis, operibus credite: ut cognoscatis & credatis, quod Pater in me est, & ego in eo.* Quasi dicat, Si mihi non crediris, nihil non divinum, neque id ex me, sed ex Patre, dicenti, saltem propter opera tam miranda, & omnem naturæ vim exsuperantia, credite, Patrem in me esse, perque me, ut vos credatis mihi, operari, quæ fieri non possint, nisi à Deo. Unde colligitur, cum audimus, Patrem esse in Christo, eo significari, Patrem illi inesse per virtutem tam miranda operantem. Quodque & Christum in Patre esse audimus, id capere sic possumus, ut inesse dicatur, per obedientiam omnibus numeris absolutam. Nempe manet Christus in Patre, manendo in omnibus ejus mandatis. Porro hujus arctissimæ conjunctionis fundamentum fuit, quod Christus esset ejusdem naturæ, ac Pater: nempe quatenus Λόγος foret: quo intuitu ὁμοούσιος, καὶ συναΐδιος Patri dicendus.

19 §. *Hactenus de solatio primo. Sequitur alterum, à miraculis, quæ facient, petitum. Dixerat antea de mirandis operibus suis. Ea occasione dicit, & ipsos paria facturos, atque etiam majora.*

jora. Neque hæc discipulis modo, sed omnibus credentibus promittit.

Verſ. XII: ***Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora his faciet.*** Sane & Apoſtoli morbos ſanavere, & ejecere dæmonas, & mortuos ſuſcitarunt. Majora vero facturos ait, quia cum Chriſtus præſens paucos ſolum converterit Iudæos, abſens per Apoſtolos convertit totum terrarum orbem. Sic hunc locum cepere etiam Chryſoſtomus, & Auguſtinus. Dixeris, miraculorum donum hic promitti, non Apoſtolis ſolum, ſed ſimpliciter in ſe credituris. At innumeros eſſe ac fuiſſe fideles, qui nulla operati ſint miracula. Ad hoc malo reſpondere verbis Cornelii Ianſenii, Epiſcopi Gandavenſis, Comment. in Concordiæ Euangelicæ cap. CXXXIV: *Idem eſt de hoc loco, quod de ſimili loco apud Marcum, ubi poſt reſurrectionem prædicit, qualia credentes ſigna ſint operaturi. Signa, inquit, eos, qui crediderint, hæc ſequentur &c. Sicut enim illa promiſſio ad literam intellecta (ſicut proprie debet intelligi) pertinet potiſſimum ad credentes ſeculo Apoſtolorum; in quo ſignis & prodigiis gloria Chriſti debuit illuſtrari: ita & hæc promiſſio. Deinde non voluit Dominus aut hoc, aut illo loco ſignificare, fideles vel illius ſeculi, vel cujuſlibet alterius, ſemper, & temere, ea ſigna & miracula operaturos; ſed cum ea peterent, & recte peterent; quæ recte non petuntur, niſi cum pro Dei gloria illuſtranda illa fuerint neceſſaria. Itaque ſicut etiam in primitiva Eccleſia non ſinguli Chriſtiani miracula operabantur; quod non per ſingulos, ſed præcipuos quoſdam Dei gloria eo modo illuſtranda erat; quodque non ſemper occurreret occaſio illuſtrandæ illo modo gloriæ Dei: ita non eſt mirum, ſi nunc vel nulli, vel pauci ea operentur miracula, cum Euangelica doctrina jam ſatis in orbe toto ſit confirmata: quæ tamen miracula & hodie fierent à fidelibus, ſi cum firma fiducia peterent ea à Deo, quod viderent illa illuſtrandæ gloriæ Dei neceſſaria. Quod ergo non fiant, aut eſt propter fidei imperfectionem, aut propter neceſſitatis ceſſationem.* Sed hac de re etiam dicemus in octava Reſurrectionis apparitione.

20 § *Hinc verſu XII, & XIII, promiſſionis ſuæ de miraculis rationes haſce ſubdit:* Quia ego ad patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Siquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.

Significat, ſe hactenus in humili ſtatu fuiſſe in carne mortali; cui non convenit tanta gloria per miracula. At poſtquam ſederit ad dextram Dei, magis ſe gloriam per eos declaraturum. Vos ſolum poteſtatem miraculoſam petite à Deo; quia non poteritis miracula patrare virtute propria; ſed duntaxat divina. Petentes vero exaudiam; non gloriæ meæ ſtudio; ſed ut Patris gloria per orbem totum diffundatur. Atque hoc de exauditione, ſiquid in nomine ſuo petatur, repetit verſ. XIV. Quod factum, eorum ut ſpem ſic magis firmaret. Nam altius animis inhærent, quæ ſemel iterumque dicta.

21. §. *Poſcit exinde verſ. XV, ut, ſi vere ſe diligant, demonſtrent hoc obſervatione mandatorum ejus.*

Quaſi dicat, ne amorem veſtri erga me oſtendite mœrendo ob diſceſſum meum; ſed ea faciendo, quæ præcepi.

22. §. *Tertia hinc ſequitur conſolatio à promiſſione Spiritus Paracleti: de quo ſic Chriſtus verſ. XVI, & XVII:* Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

Primum ait, ſe rogaturum Patrem. *Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα.* Ubi ἐρωτᾷν, more non Græco, ſed Romano, ſumitur pro *orare*: quia *rogare* Latinis non tantum *interrogare, percunctari*, ſignificat, ſed etiam *orare, precari*. Addit, quid oraturus. Eſt id, ut mittat diſcipulis Spiritum παράκλητον. quæ vox tum *conſolatorem* ſignat, tum *advocatum*: uti παρακαλεῖν & *ſolari*, & *patrocinari*. Utrumque facit Spiritus S. Ideo Latini veteres ſæpe retinent vocem Græcam. Hic loci tamen ſatius eſt *advocatum* interpretari: quo modo & 1 Ioan. II. 1. Chriſtus dicitur παράκλητος, h. e. advocatus, ut etiam vulgatus ibi reddit interpres. Similiter vero hic ſumi, arguit, quod ſpiritus contrarius Apocalypſ. XII. 10. vocetur κατήγορος, accuſator. Proximo verſu ſpiritus ille παράκλητος etiam nuncupatur τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *ſpiritus veritatis*: quia ſolus eſt ſinceræ veritatis doctor. Cui opponitur τὸ πνεῦμα τῆς πλάνης *ſpiritus erroris*: ut 1 Tim. 1, & 1 Ioan. IV. 6. Præterea exponit, quo fine ſit miſſurus, nempe ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα. *ut æternum ſit atque inhabitet in vobis.* Denique rationem ſubdit, cur diſcipulis ſit daturus, non mundo. Negat, ſpiritum veritatis poſſe accipi à mundo, h. e. hominibus mundanis: quorum animus, quamdiu tales eſſe perſeverant, rebus ſemper vanis & inanibus occupatur: ut proinde Spiritum eum non expetant, quia ignorant: at diſcipuli eum norunt, & expetunt; in quibus propterea ſpiritus & habitet, & porro ſit habitaturus.

a Cap. 14. v. 16.

23 § *Quarto loco conſolatur Apoſtolos reditu ſuo, quo iterum viſuri, eaque cognituri, quæ nunc non capiunt, neque unquam capiet mundus. Verba ſunt iſta verſ. XVIII, XIX, & XX:* Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos. Adhuc puſillum, & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

Quaſi dicat, Vos, filioli mei, (ſic enim alibi eos vocat Chriſtus) pauxillo tempore, puta triduano duntaxat, orbati eritis paterna præſentia mei: exinde autem vobis reſtituar. Ac licet homines mundani me nec oculis conſpicient corporis, quia non quibuſvis me ſiſtam; nec item oculis ſpiritualibus, quia fidem in me non habent: vos tamen utroque modo me intuebimini; corporis quidem oculis mox à reſurrectione; ſpiritualibus præcipue ab aſcenſione. Videbitis me, quia vivam, quippe reſuſcitatus à morte: videbitis ipſi, quia vivetis ipſi, & gaudebitis. Ac quoniam à reſurrectione vobis interpretabor Scripturas, & ab aſcenſione mittam Spiritum veritatis, cognoſcetis, tum & me vivere nunc in Patre, obſequendo ei in omnibus, & vos in me, per obedientiam & fidem, & me in vobis, per cuſtodiam atque auxilium. Hæc germana videtur loci ſententia: potiorque illa interpretatione B. Cyrilli, intelligentis adventum ſpiritualem in corda Apoſtolorum: vel illa B. Auguſtini, capientis de adventu corporali, qui erit in reſurrectione Spirituali: nec enim adverſari cenſet vel illud de modico tempore, eo quod mille anni coram Deo ſint velut dies unus. Dixeris, quo minus ſic capiantur verba Chriſti, uti dicebamus, adverſari illud, quod mundus in adventu ſecundo videbit Filium Dei in nubibus. Sane viſurus quidem, ſed non durante hoc mundi ſtatu, qui tum deſinet. Chriſti verba intelligenda de viſione ante judicium extremum.

24. §. *Quincta conſolatio petitur à triplici promiſſione, quam facit, uti non omnibus, ita nec ſolis diſcipulis, verum univerſis ſe diligentibus, hoc eſt, mandata ſua non reſpuentibus, ſed ſervantibus. Prima promiſſio eſt dilectio Patris. Altera, dilectio ſua. Tertia manifeſtatio ſui.*

Verſ.

Verſ. xxi. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille eſt, qui diligit me.* Græce, ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου, καὶ τηρῶν αὐτάς, ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀγαπῶν με. Ubi ἔχων ἐντολὰς dicitur, qui fidem habet Chriſto mandata ſua annuncianti, atque in intimum ea pectus admittit. Sed quia non ſufficit noſſe, eo mox requiritur, ut etiam obſervet. Nam alioqui eſt Deo exoſus, qui ſcit voluntatem Dei, nec facit; qualis pluribus vapulabit plagis. Sequitur deinde, quæ bona maneant diligentem. *Qui autem diliget me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Dilexit nos Pater, priuſquam diligeretur à nobis. Sed dilectionem noſtram proſequitur dilectione, quæ priorem exſuperet. Atque idem de Chriſti dilectione dictum eſto. Nam aliter nos dilexit, dum inimici eſſemus, aliter poſtquam fide eum recepimus. Per manifeſtationem ſui intelligit tum manifeſtationem corporalem; ut qui non Apoſtolis ſolum, ſed etiam mulieribus, ac quingentis fratribus, ſe oſtenderit: tum item ſpiritualem, quandoquidem in Pentecoſte Spiritum S. Apoſtolis miſit. Aliqui & illis, qui tum necdum fuere, promiſſum hoc accommodant. Nimirum quia manifeſtat ſe nobis in hac vita, quando per Spiritum S. homini inſpirat notitiam ſui: ac porro manifeſtabit in vita altera, cum ſe de facie ad faciem conſpiciendum præbebit. Verum prior illa manifeſtatio non videtur hic locum habere, quia loquitur Chriſtus de iis, qui diligunt illum: hoc eſt, qui jam norunt Chriſtum, & ejus mandatis obtemperant.

25. §. *Iudas, Iacobi frater, audiens, Chriſtum dicere, ſeſe manifeſtatum iri diſcipulis, non mundo: quærit, quomodo hoc cum eo conveniat, quod Meſſias à reſurrectione reſtituet Iſraelem, totoque orbe regnabit.*

Verſ. xxii: *Dicit ei Iudas, non ille Iſcariotes,* (ſed Thaddæus:) *Domine, quid factum eſt,* (pro *quid fit*, more Hebræo) *quod manifeſtaturus es nobis te ipſum, & non mundo?* Nempe quæſtio hæc provenit ab opinione falſa de regno Chriſti terreno. Nec enim ſic rogaſſet, ſi cogitaſſet, regnum Chriſti non mundanum fore, ſed ſpirituale.

26. §. *Chriſtus reſpondet, eo ſe mundo non manifeſtare, quia non diligatur à mundo: atque in eo ſe exemplum Patris ſequi. Sed ſiquis ſe diligat, quales ſoli ſunt illi qui mandata ejus obſervant, & ſe, & Patrem, ad eum venturos, & velle apud eum divertere, imo habere domicilium: qui honos magni eſſe amoris argumentum ſolet.*

Verſ. xxiii: *Reſpondit Ieſus, & dixit ei; Siquis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Amoris erat, inviſere; majoris, apud eum divertere; ſed maximi, velle eumpſe locum inhabitare. Valde autem hoc pacto dilectionem ſinceram urget: quam multi temere jactant, cum frigere illam liquido videamus ex mandatorum Dei neglectu.

27. §. *Atque hoc magis illuſtrat κατ' ἀντίθεσιν, cum ait, non diligi ſe ab iis, qui non obſervant mandata ſua: quaſi dicat, nihil mirandum eſſe, ſi non veniat ad tales. Præſertim, quando ſermo ſuus non ſit ſuus, ſed Patris. Ut neque Pater tales amare poſſit, quem imitari ſtudeat.*

Verſ. xxiv: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat: & ſermo, quem auditis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me, Patris.*

28. §. *Sextum inde ſubdit ſolatium de mittendo ſpiritu S. ut doceat eos cuncta, quæ nunc non intelligunt.*

Verſ. xxv, & xxvi: *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens. Paracletus autem, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis.* Cogitare potestant, iis, quæ Chriſtus reſpondiſſet, non ſatis clare expediri quæſtionem, quam moviſſet Iudas, & quam alii etiam, ſaltem Philippus, & Thomas, ſibi cuperent exſolvi. Potuere etiam alia id genus ſciſcitari, ut omnis ſibi ſcrupulus eximeretur. Verum Chriſtus, qui ſciret, quorum necdum eſſent capaces, hoc pacto cogitationi iſti occurrit. Ait, multa ſe hactenus cum iis locutum pro breviculo tempore, quo in mortali adhuc corpore ſit verſatus: ſed à reſurrectione miſſurum iis Spiritum, qui prius dicta in memoriam ſit revocaturus, & omnia eos edocturus neceſſaria. Quod & ipſum potuit mœſtis magnum adferre ſolatium.

29. §. *Septima ſequitur conſolatio, à pace, quam hactenus conceſſiſſet diſcipulis, ac deinceps eſſet relicturus.*

Hunc enim in modum locutus eſt verſ. xxvii: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Nempe ex Hebræa valedicendi formula. Ut enim Latinis *vale*, ita Hebræi שלום dixere: h. e. pacem, ſive ſalutem. Nec temere ait *pacem meam*: quia ſolus veræ pacis & doctor, & largitor. Pax ea complectitur hæc tria: pacem cum Deo, hoc eſt reconciliationem hominis cum eo: pacem ſecum, hoc eſt, tranquillitatem animi, ſive compoſitionem affectuum hominem in diverſa auferentium: pacem hominis cum proximo, ſive mutuam hominum concordiam. Nam diſcordia naſcitur ex affectuum dominio. Quod Iacobus oſtendit cap. iv: *Unde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Atque hanc pacem, epiſtolarum initio, precari Apoſtolus ſolet. Ut Philipp. iv: *Pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras, in Chriſto Ieſu.* Hinc exponit Chriſtus, quo pacto ſuam pacem det diſcipulis, his verbis, *Non quomodo mundus dat, ego vobis.* Supple, *Pacem* MEAM *do.* Hoc enim proxime anteceſſit. Ut in conſiderationem veniat pronomen MEAM, & particula QUOMODO. Mundus pacem exoptat, qua mollius & ſecure agant, ut nobiles, potentes, divites, ac fortunati ſolent. Sed Chriſtus non modo optat, ſed efficaciter largitur, neque illam mundanam, ac brevi duraturam tempore, ſed ſuam, ſive ſpiritualem, ac perpetuam; imperfectam quidem in hac vita; quia ſemper caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ſed perficiendam in cælis.

30. §. *Poſt ſeptem iſta ſolatii argumenta concludit Chriſtus, quod ante propoſuerat, ac præcipuum etiam repetit argumentum.*

Utrumque facit verſus xxviii extremis verbis. Prius quidem, cum ait, *Ne turbetur cor veſtrum*, puta miſeratione mei: *neque formidet*, videlicet, ſollicitudine de vobis, quia neſciatis, quid de vobis ſit futurum. Poſterius vero facit his verbis, *Vado, & venio ad vos.* Hoc eſt, mox redibo. Utrumque vero hoc, quod nempe & concludit, & potiſſimum reponit argumentum, à Rhetoribus etiam obſervari videas. Quippe propoſitio, & concluſio, non niſi ſitu differant. Illa τὴν πίστιν, ſive Contentionem, antecedit: hæc ſubſequitur. Epilogus vero, ſive concluſio, præter affectus quos ciet, præcipuum unum, plurave, ſed potiora, repetit argumenta; quod ἀνακεφαλαίωσιν vocant. Quemadmodum in Oratoriis Inſtitutionibus diximus lib. iii. cap. vi.

31. §. *Ut magis vero dolorem abſtergeat diſcipulis, addit, ſi ab iis diligeretur, quantum ac quomodo oporteret, profecto non tam ob abitum hunc mœſtos fore, quam gaviſuros. Quod ita probat, quia*

Pater, ad quem se abire dixerat, sit major se: ut omnino, se ad Patrem evecto, plus tutela ac præsidii sint habituri, quam in sola sui corporis præsentia.

Versu eodem XXVIII: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.*

Non major tantum ratione naturæ humanæ, quod satis per se est apertum: sed etiam quatenus Pater est Deitatis fons, ac principium, quo pacto hanc excellentiam intelligunt Gregorius Nazianzenus lib. III. de Theologia, & Hilarius lib. IX. de Trinitate. Eo autem minus dolendum ob abitum Christi fuit, quia vadebat ad Patrem, ut ab eo glorificaretur, unde Ecclesiæ pendebat glorificatio. Ut sic plus boni à Patre sit rediturum, quàm à corporali sua præsentia.

32. §. *Hæc cuncta ait Christus à se dicta esse, quo facilius credantur, ubi fuerint impleta. Ac deinde subiungit, velle nunc se in ea temporis angustia finem facere sermonis, quia appropinquet princeps mundi, sive diabolus, qui per satellites suos, puta proceres Iudæos, & ministrum Iudam, se studeat apprehendere. Nec tamen quicquam diabolo in se juris esse, quia omnis peccati sit expers: sed hæc sibi perferenda esse, quo obediat voluntati Patris in peccato mundi expiando.*

Vers. XXIX, XXX, XXXI: *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quod diligo Patrem, & sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio.*

Ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, princeps hujus mundi, quem κατήγορον sive accusatorem vocari in Apocalypsi dicebamus, nihil habuit in Christo, h. e. adversus Christum, quia cum peccati fuerit exsors, non potuit eum κατηγορεῖν, sive accusare, ac culpare, prout diabolus credentes solet. Itaque cum idem dicatur habere imperium mortis, liquet, Christum non esse mortuum ob culpam ullam, sed sponte permisisse se capi, damnari, & morte ignominiosa occidi.

33. §. *Quibus dictis, petiit à discipulis ut qui hactenus accubuissent mensæ, de ea consurgerent.*

Verba sunt Christi: Ἐγείρεσθε. *Surgite*, Imo & addidit, *ἄγωμεν ἐντεῦθεν, eamus hinc.* de quo mox. Atque hæc de Ioannis cap. XIV.

34. §. *Postremo Christus, nempe priusquam domo exiret, hymnum cum discipulis cecinit: de quo Matth.* XXVI. 30 Καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος.

Is mos Iudæis, ut & cibum sumturi, & eo sumto, precarentur Deum. Quod ex lege Mosaica fecisse, è Philone constat. Paulus Brugensis est auctor, solere Iudæos tum recitare VII psalmos pœnitentiales, h. e. à psal. CXII. usque ad CXVIII. Pulcrum sane quod ne gentiles quidem à cibo sumto precari neglexerint. Naucratiæ enim solenni eo tempore ἱκετεύσαντας εἰς γονατα, sacerdote precibus præeunte, teste Athenæo. Et Diotogenis Pythagorici, Stobæo auctore, præceptum erat, ut tum animo composito invocarentur θεοὶ ἀποτροπαῖοι.

Cap. XVII.

De alterius longi sermonis Christi, seu in cœnaculo inter stantes, seu in via inter eundum habiti, parte priori, quæ refertur Ioannis cap. XV.

1. §. *Sequitur hinc sermo Christi alius, quem Cygneam Christi* cantionem *dixeru. Sed de eo non satis apertum videtur, utrum habitus sit in cœnaculo inter stantes: an in via. Quibus placet prius, arbitrantur surrexisse quidem omnes de mensa: sed non continuo exiisse: verum prius hanc habuisse orationem.*

Nempe ut sæpe, inter amicos, à mensa etiam sermo continuari solet, quia ægre alter ab altero divellatur.

2. §. *Videtur tamen non minus probabile, in via habitum; cum Christus, ut clare Ioannes ait, non solum de mensa surgi, sed etiam exiri jusserit; nec quicquam dicatur, unde suspicio possit concipi, etsi surgendum, exeundumque dixisset, ipsum tamen novo sermone moram huic dicto injicere voluisse.*

Quibus mens alia est, hi negant, tam longum sermonem viæ convenisse. Nam, inquiunt, non potuisset Christus inter eundum à discipulis omnibus exaudiri. Non diffiteor. Sed sufficit, si dicamus, exaudire potuisse eos, qui cum Christo ordine præcederent: uti Petrum, Iacobum, Ioannem; quorum tertius hæc, uti audierat, exaravit.

3. § *Is sermo continetur cap.* XV, *&* XVI. *Priori capite tria facit. Primum comparationem instituit inter Patrem, & vinitorem; se, & vitem; discipulos, & palmites. Deinde adhortatur ad observationem mandatorum, ac præcipue dilectionis mutuæ. Denique consolatur suos adversus odium mundi.*

Prima continetur sex versibus primis: altera undecim proximis: tertia decem postremis.

4. §. *Prima occasio esse potuit, quod in Cœna institutione dixerit Christus, vinum esse sui sanguinem. Nam à vino ad palmites vitemque, & ipsum vinitorem, commodo potuit adscendi. Ac patrem quidem comparat agricolæ, sive vinitori; se viti.*

Idque vers. I: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola.* Quasi dicat. Non sum vera vitis; sed neque illa vulgatis: verum ἀληθινὴ illa. Quippe longe melius nomen vitis mereor, quia excellentius in me conspicitur, quicquid in vite laudatur. Cum vero Patrem dicit γεωργὸν, *agricolam*, intelligendus is, qui proprie est ἀμπελουργὸς, *vinitor*.

5. §. *Discipulos vero comparat palmitibus. Palmitum autem duo facit genera. Quosdam ait non ferre fructum, quosdam ferre. Priores tolli, sive ferro amputari: utcunque videlicet frondibus luxurient. Posteriores vero purgari, h. e. luxuriem iis frondium imminui, quo uberius ferant fructum.*

Vers. II: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit: & omnem, qui fert fructum, purgat; ut fructum copiosiorem adferat.* Ubi αἴρειν, sive *tollere*, valet, *ferro recidere*, atque amputare, ac pro sarmento habere. Καθαίρειν, sive purgare, est vineam pampinare, quod Græci dicunt βλαστολογεῖν. Itaque significat eos, qui non obediunt Christo, haut meliori loco censeri, quam sarmenta inutilia. Siquis vero mandata ejus servet, non recidi, atque abjici à Christo, sed solum purgari, quo magis & magis fructus proferat. Purgatio vero hæc per afflictiones fit: ut quando valetudo, opes, honores, potentia, quæ pro frondibus solum habenda, imminuuntur nobis, ne animus iis nimis immergatur, sed solutior his curis, de divinis, atque animæ salute, solicitius laboret.

6. §. *Hæc*,

6. §. *Hæc, generatim ita dicta, accommodat deinde discipulis: quos ait jam esse purgatos, propterea quod fidem haberent Evangelio.*

Vers. III: *Jam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Mundi nimirum corpore, non tamen pedibus, quorum lotione omni vita indigerent: juxta illud Christi apud Ioann. cap. XIII. 10: *Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus.* Nempe quotquot Christum vere recepimus, mundi sumus; ulterius tamen purgandi; non quidem baptismate, sed interiori pedum lotione.

7. §. *Exeo, quod se vitem esse dixerat, ac discipulos comparavat palmitibus; colligit, iis curandum esse, ut sint in Christo, & Christus in illis: quæ duo non divelluntur. Eo autem id curandum, quia ut palmes à se ipso non profert fructum, sed tum demum, si ex vite succum hauriat vitalem: ita nec ipsi quicquam boni possint, nisi sibi sint insiti. Fore alioqui, ut habeantur pro palmitibus infecundis, ac à vite recisis: qui ubi exaruerint, igni cremari solent.*

Vers. IV, V. VI. *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semet ipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardent.* Ex iis vero, quæ antea diximus, cognoscere fuit, Christum esse in nobis per Spiritus S. influxum, atque auxilium: nos esse in Christo per fidem, & obediendi atque imitandi propositum.

Atque hæc de parte capitis prima, qua Pater, Christus, discipuli cum vinitore, vite, & palmitibus comparantur: idque ut inde intelligeretur, quam necessarium sit, ut Christus inhabitet in nobis per Spiritus sui influxum, ac nos ei fide viva, sanctoque vitæ proposito inhærentes fructus dignos proferamus. Quomodo item, qui Christum repudiant, quia extra Christum non est vita, tandem puniendi sint morte æterna.

8. §. *Altera capitis pars est adhortatio ad observationem mandatorum Dei, ac potissimum dilectionis mutuæ. Primum argumentum petitur à promissione exauditionis.*

Vers. VII: *Si manseritis in me, & verba mea manserint in vobis: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Primum videndum, quibus, sive qua conditione fiat promissio. Deinde quid promittatur, sive quomodo promissio sit intelligenda. In iis, quibus promissio fit, exigitur, ut maneant in Christo, nempe fide, & obediendi proposito: item ut verba sive doctrina Christi maneat in ipsis; puta non solum quod ad notitiam, sed etiam fecundum affectum, quem subjiciant Dei mandatis. Promittitur autem impetratio omnium, quæ petierint: puta quæ petierint ad Dei gloriam.

9. §. *Deinde altera, imò gemina adfertur caussa; cur debeant observare verba, sive mandata Christi. Videlicet quia inde gloria Dei augebitur, & cunctis apparebit, eos esse genuinos Christi discipulos.*

Verba Christi sunt vers. VIII: *In hoc glorificatus est pater meus, ut [...]um multum feratis, & efficiamini discipuli mei.* Græce est ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη, *in hoc inclaruit*, pro *inclaro cet.* Sæpe aoristus pro futuro, aut præsenti. De quo diximus in Grammaticis Institutionibus. Ἵνα videtur hic non jam finem signare, qui per UT exprimitur: quam conditionem, quæ effertur per SI. Sententia est, Si homines videant, vos non solum nomine, ac professione, sed opere etiam, esse discipulos Christi.

10. §. *Tertium argumentum, quo hortetur Christus ad mutuam dilectionem, desumit à sua dilectionis exemplo.*

Vers. IX, & X: *Sicut dilexit me Pater, ita & ego dilexi vos: manete in dilectione mea.* Sic vertit Erasmus. Sed illud, *ita*, potius ante *manete* reponendum, *hoc pacto*: *Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos: ita & vos manete in dilectione mea*: h. e. mei. Geminum igitur, & Patris, & Filii, exemplum proponitur ad imitandum. Atque ita & illustrissimus Grotius accepit. Sequitur deinde: *Si præcepta mea servaveritis: manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Sententia est: Vidistis, qualis fuerit Patris erga me dilectio, atque ut ego vicissim ostenderim dilectionem meam mandata ejus observando. Vidistis etiam, quanta fuerit in me dilectio vestra. Vos itidem persistite in dilectione mei, & præstate, quæ præcepi. Priora verba similia sunt istis Ioan. XIV. 31: *Ut norit mundus, à me diligi Patrem; prout Pater mihi mandavit, ita facio.*

11. §. *Quartum argumentum, cur discipulos adhortetur ad dilectionem mutuam, petitur a fine eo, quod, quo gaudio Christus gauderet in dilectione Patris, eodem discipuli gavisuri sint. Atque hoc ex parte completum fuit à resurrectione Christi, & adscensione ejus: perfectissime vero implebitur à resurrectione universali.*

Christi verba sunt hæc vers. XI: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* Græce est, ἵνα χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν μείνῃ. *Gaudium meum*, pro, *gaudium propter me.* Καὶ ἡ χαρὰ ἡ ὑμῶν πληρωθῇ. Quo significat, verba hæc sua istoc tempore quidem non ita gignere solatium: sed magno gaudio fore ubi Christum viderint à resurrectione: majori, ubi conspexerint cælos petentem: maximo, cum secum in cælestia eos transferet gaudia.

12. §. *Quia vero hoc gaudium mentis spirituale nascitur ex observatione mandatorum Christi, subjicit, mandatum suum consistere in eo, ut se mutuo diligant; ac ut eos magis ad dilectionem hanc accendat, provocat eos exemplo suo, etiam vitam impensuri pro amicis. quo in hominibus nullus est luculentior caritatis gradus.*

Audiamus magistrum vers. XII, & XIII: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: Majorem hac dilectionem nemo habet* (quam) *ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

13. §. *Ac quoniam proxime discipulos suos vocarat amicos: addit, tum vere eos fore amicos, si servent mandata, manendo in dilectione ejus. Addit quoque, licet revera servi forent, (unde superius illud*, non esse servum majorem domino) *non tamen se eos servos vocitare, quia non habeat eos ut servos, sed ut amicos. Nam cum servi veri non soleant esse gnari, quid occulti agitet consilii dominus; sed contenti sint exsequi ea, quæ jusserit; contra se omnem iis exposuisse voluntatem Patris cælestis.*

Ponam de eo ipsius Christi verba, vers. XIV, & XV: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Jam non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

14. §. *Atque ut magis liqueat de caritatis hujus dignatione; addit, non se ab iis electum, sed eos à se electos; idque duplici fine; uno, ut fructum possent proferre, ad utilitatem sui, & gloriam Dei; altero, ut quaecunque salutaria sibi poscerent à Deo, ea impetrarent. Hinc universe concludit praecepto brevissimo, ac suavissimo, ut se invicem diligerent.*

Vers. XVI, & XVII: *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat, ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Commode vero capiendum, quod hic audimus dicentem: *Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Intelligendum enim de iis solum, quæ in carne mortali jussus esset eos edocere. Qualia sunt illa, quod resurrecturus à mortuis, adscensurus in cælos, missurus Spiritum S. Adhæc de gentium vocatione, judicio universali, & vita æterna. Alioquin pugnet cum eo, quod dicet postea, *Multa habeo vobis dicere; sed nunc non potestis portare.* Qualia fuere, inter alia, de regno suo spirituali, & de cessatione legis Mosaicæ. Atque hactenus de secunda parte hujus capitis: quæ præcipit observationem mandatorum, ac potissimum dilectionis mutuæ.

15. §. *Tertia capitis parte à dilectione mutua transit ad odium mundi: idque commode omnino, quia mutua dilectione odium mundi exsuperandum est; non vero ob odium mundi ab amore Christi recedendum. Ac primum quidem consolationis argumentum petit ab exemplo suo. Quis vero fidelis nolit in omnibus fieri similis Christo?*

Vers. XVIII: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odit.* Ubi Græce, πρῶτον ὑμῶν. Quod non solum interpretari possumus, *priorem vobis*; hoc est, ante vos: sed etiam *primum vestri*, hoc est, doctorem vestrum, ac dominum. Quam interpretationem amplexus est Cajetanus, ac fortasse etiam Cyrillus: & videri possint favere verba vers. XX; quæ mox adferam. Simplicius tamen dixeris, πρῶτον sumi pro πρότερον, ut sententia sit, *antequam vos*: quomodo & Syrus interpres accepit.

16 §. *Alterum argumentum est à caussa ejusce odii. Ea est, quod mundus non possit non odisse, quos Christus à mundo secrevisset.*

Verba Christi sunt vers. XIX: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Non videtur hic loqui de electione, qua Pater ab æterno eos prædestinasset ad vitam æternam: sed qua Christus in terris eos destinasset muneri Apostolico, ac mundi conversioni. Quemadmodum neque II Maccab. I. 25, cum Deus dicitur Patres elegisse, & sanctificasse, id ita accipi debet, quasi singulos destinasset ad salutem æternam: multi enim fuere Abrahæ filii solum secundum carnem: sed significatur, Deum Israelitas è mundi colluvie selegisse, sibique consecrasse, ut populum peculiarem: quem propterea ingentibus beneficiis, præ reliquis gentibus, affecerit. Sententia igitur Christi videtur, etsi futuri sint mundo exosi, non propterea animum abjicere debere, sed cogitandum iis esse, hoc se odium sustinere quia Christus ad hoc eos secrevit è mundo, ut sui essent discipuli; quo honore iis sit gaudendum: tum etiam non posse aliter esse, quin eos oderit mundus, cum simile capiatur simili; Apostoli autem sint dissimiles mundanis. Atque hæc lucem capiunt ex iis, quæ de similitudine, nunc amorem, nunc odium pariente, dicebamus in Oratoriis Institutionibus lib. II. cap. IV. sect. IV.

17. §. *Tertium argumentum sumitur à proverbiali γνώμῃ; non esse servum majorem domino.*

Verba sunt vers. XX: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis; Non est servus major domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.* Proverbiali huic sententiæ simile est istoc Matth. X, 24: *Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum suum.* Neque hic consistit intra odium, sed de persecutione addit, odii effectu. Nam quem quisque odit, periisse expetit. Qua de re dictum nobis in Oratoriis Institut. lib. II. cap. V. sect. I. Denique subjungit, non expectandum iis esse, ut cum contempserint sermonem Christi, non etiam discipulorum sermonem aspernentur.

18 §. *Quartum est argumentum ab odii, & persecutionis caussa. Ea dicitur esse odium Christi.*

Vers. XXI: *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Hoc est, odio mei, sive propter me, ἕνεκεν ἐμοῦ, ut pro eo est Matth. V. 11. Nomen alicujus, pro aliquo: ut *nomen Romanum, Thebanum, agelli*; pro *Romani, Thebani, agellus*; ut diximus in Oratoriis Instit. lib. IV. cap. VII. sect. XI. Ac alibi item adducimus hoc è Catonis distichis, *inimici nomen amici*, h. e. inimicus amicus, φίλος ἄφιλος. Porro non putandum, leve adferre solatium, quod essent hæc perpessuri propter Christum. Nam quia scirent hoc scire Christum, eo scire etiam poterant, Christum iis fore auxilio, qui amore ejus hæc tolerarent: præsertim qui hoc esset pollicitus: uti & postea præstitit: cujus rei illustre in Petro, carcere per Angelum educto, exemplum refertur Act. V.

19. §. *Cur autem oderint Christum, ratio adfertur, ignorantia ejus, qui miserat Christum.*

Ibid. *quia nesciunt eum, qui me misit.* Quasi dicat, præ ambitione, & aliis carnis affectibus, ita sunt excæcati, ut non attendant ad Patrem, à quo missus sum in mundum.

20 §. *Ac quam fœdum ignorantia hac peccatum sit, ostendit eo, quod Christus ad eos venerit, mandatum Patris illis enarrarit, prophetiarum testimoniis, ac miraculis firmarit. Absque iis foret, negat, pro peccato fuisse habendum, quod nescirent, à quo missus foret.*

Vers. XXII: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.* Non negat, si non essent veritatem à Christo ipso edocti, nihilominus peccatum habituros: sed negat, hoc peccatis non fuisse accensendum, quod non crederent Patri, ac Christo. Nunc contra turpi adeo inscitiæ πρόφασιν vel colorem nullum posse invenire.

21. §. *Quintum est ab odii hujus fœditate: quod bifariam comprobat. Prius ex eo, quod non Christum modo oderint: sed pariter Patrem, qui eum misit. Alterum eo, quod miraculis tam illustribus aliud potuerint edoceri.*

Audiamus Scripturæ verba vers. XXIII, & XXIV: *Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt me, & patrem meum.* Nimirum cum viderint, & audierint Christum; proprie sunt & odisse dicendi. Sed proprie non [illegible]ant Patrem: verum improprie, quatenus ille in suam tendere contumeliam judicaret, quicquid contumeliæ fieret Filio, etiam à se ignorantibus, dummodo & enarrando doctrinam, & firmando eam miraculis, veritatem aperte essent edocti, quam per malitiam rejecissent. Similia habemus,

bemus, cum alibi, tum Matth. xxv: ubi Rex dicitur benedictus dicturus, se ab iis pastum, visitatum, vestitum: eos vero responsuros, nihil horum à se factum: sed Regem sic verba sua interpretaturum, se sibi facta censere, quæ minimis fratrum fecissent. Adi & 1 Sam. x. 19.

22. §. *Addit deinde sermoni suo pondus ex eo, quod jam olim typum hujusce rei cernere fuerit in Davide.*

Vers. xxv: *Sed, ut compleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est, Odio habuerunt me gratis.* Verba sunt è Psalm. xxxiv, sive xxxv. 19. Post SED κατ' ἔλλειψιν desideratur, *hæc acciderunt*. Particula UT hic, ut passim alibi, non finem significat; sed eventum. Cum dicitur IMPLETUM in Christo, non significatur prophetia aliqua: sed id quod τυπικῶς præcesserat in Davide, id ἀληθῶς, sive eminentiori sensu evenisse in Christo. Atque ita capiendum sæpius, quando, quod antea adumbratum, ἐν πληρώματι factum ab Euangelistis narratur. Quod non attenderunt veteres Iudæi, & horum exemplo Celsus, Iulianus, Porphyrius, cum veritatem Scripturæ oppugnarent. Per LEGEM non intelligitur Lex Mosaica; sed universa Sacra Scriptura; qualis tum exstaret: uti etiam sumitur Joan. x. 34. & 1 Corinth. xiv. 21. ubi ex Lege citatur, quod legitur apud Propheten Iesaiam. Similiter enim, quod hic memoratur, est ex Psalmo xxxiv, sive xxxv. 19. GRATIS ponitur, pro immerito. Hebraice est חנם hinnam, quod οἱ ἑβδομήκοντα nunc δωρεὰν vertunt, ut hoc loco: nunc ἀδίκως, ut Proverb. 1. 11. 17. Similiter 1 Sam. xix. 5. Ionathas Sauli ait: *Quare peccares contra sanguinem innoxium, morte afficiendo Davidem gratis?* Ubi Hebraice itidem est חנם.

23 §. *Sextum est argumentum à duplici testimonio adversus iniquum hostile odium. Prius est Spiritus paracleti, quem missurus esset.*

Vers. xxvi: *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Ubi primo videndum quis mittendus. Is est Spiritus Παράκλητος, quomodo vocatur, quia caussam agit Christi, ac nostram, ut antea dictum. Deinde quis missurus, & unde missurus. Missurus est Christus, idque à Patre, è quo procedit. Denique dicitur, quid is facturus. Nempe testimonium Christo perhibebit: quod certissimum erit, quia dicitur *Spiritus veritatis*, &, *à Patre procedit*. Ut si angelis sit credendum, multo magis fides habenda sit Spiritui Sancto, qui non est spiritus creatus, sed, ut Athenagoras appellat, δύναμις τοῦ Θεοῦ, *tertium numen divinitatis, tertium numen majestatis*; ut Tertullianus loquitur adversus Praxeam.

24 §. *Alterum testimonium est ipsorum Apostolorum; quibuscum, ex quo cœpisset prædicare, semper esset conversatus: ut omnium, quæ vidissent, & ex eo audissent, testes essent certissimi.*

Vers. xxvii: *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Græce est, μαρτυρεῖτε, *testes estis*; ut vertit Erasmus. Sed recte vulgatus, *perhibebitis*: quia μαρτυρεῖτε per enallagen temporis ponitur pro μαρτυρήσετε. Eo autem dicuntur testes fore idonei, quia secum fuerint ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*: nempe prædicationis Euangelicæ, sive ex quo exercere munus suum cœpisset. Atque hactenus ea sermonis Christi pars, quam exhibet Johannes cap. xv.

CAP. XVIII.

De sermonis ejusdem, sive in cœnaculo, sive in via habiti, parte altera, quæ refertur Joan. cap. xvi.

1. §. P*Rogreditur Christus cap. xvi in sermonem, qui institutionem Cœnæ, postquam jam surrexissent, excepit: sive ubi exierant, videlicet in via, habitus sit; seu antea, in cœnaculo, factus sit.*

Posterius præferebamus superius. Sed de eo contendere nolumus cum quoquam.

2. §. *Quatuor vero ea sermonis parte facit. Primum discipulis prædicit adversa, quæ obventura essent à discessu suo. Ubi initio aperit, cur tam multa hactenus adduxerit de malis, quæ discipulos manerent. Atque ait, hoc ideo à se factum, non ut mæstiores reddat; sed quo minus offendantur, ubi in hæc inciderint.*

Nam quod dici solet, Tela prævisa minus feriunt. Verba sunt vers. 1: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Ubi HÆC non refertur ad id, quod proxime antecesserat de testimonio Spiritus S. & Apostolorum: quamquam sic Augustinus, & Euthymius, cepere; imo, ut Jansenius observat, etiam id voluisse videtur Officium Romanum, in Dominica, quæ Pentecosten præcedit. Sed omnino referri convenit ad ea, quæ istis præmissa fuere de odio, ac persecutione.

3 §. *Ejusce odii duos subjungit effectus: prior est, quod eos forent relegaturi à cœtu suo, qui συναγωγὴ dicebatur.*

Vers. 11: Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς. Pro quo Luc. vi. 22. ἀφορίσωσιν ὑμᾶς. Erat hoc pœnæ genus, quo quis à sacris arcebatur. Atque hoc usi sunt Iudæi erga confitentes Christum, ante resurrectionem ejus. Sed à resurrectione, postquam etiam doceretur legis Mosaicæ antiquatio, accessit Maranatha, sive ἀνάθεμα: tanquam non adversus lapsos, sed fidei desertores, eoque dignos, qui diris devoveantur. Imitati sunt Christiani; quibus pœna levior, abstentio. Hac à Cœna arcebantur ad tempus præfinitum. Gravior autem erat ἀνάθεμα, cum sine ulla temporis præfinitione abscinderentur. Sic tamen ut is, qui pœnitentia duceretur, non semper à sacris excluderetur, præsertim in vitæ extremis. Quamquam vero primis Ecclesiæ temporibus, cum vigeret donum discernendi spiritus, facilius erat dijudicare animos humanos, atque exinde statuere de pœna: non tamen postmodo cessare omnino hæc pœnæ genera debuerunt: quandoquidem disciplina in Ecclesia est necessaria, & judicium ex magnitudine criminis, & contumacia hominis, fieri possit. Vide, quæ tota hac de re pereruditе scripta Illustrissimo viro, Hugoni Grotio, in Lucæ vi. 22.

4 §. *Alter effectus est, quod operam sint daturi, ut auferant vitam, & in scelerata hac mente ita sibi placituri, ut videantur sibi gratum Deo cultum præstare.*

Eodem vers. 11: *Sed veniet hora ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo.* Ubi SED (Gr. Ἀλλ') non tam particula est adversativa, quam adfirmandi vel intendendi: q.d. *quin*, vel *imo*. Ubi vulgatus habet *obsequium*, Græce est λατρείαν, quod Erasmus reddidit *cultum*. Sentertia est, credent se sacrificium Domino offerre. Sic Paulus, quando, ut est Gal. 1. 13. καθ' ὑπερβολὴν ^a ἐδίωκε τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐπόρθει αὐτήν, se mirifice placere Deo credebat,

a *Supra modum persequebatur Ecclesiam Dei, ac depopulabatur eam.*

bat, tanquam, ut mox subdit ipse, περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων b. Atque idem de Iudæis sic loquitur Rom. x, 2: Μαρτυρῶ αὐτοῖς, ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. *Testimonium illis perhibeo, quod studium Dei habent, sed non secundum scientiam.*

a *Vehementius traditionum paternarum studiosum.*

5. § *Tanti odii adfertur caussa, quod neque Patrem, neque Christum norint,*

Verſ. 111: *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Quasi dicat, nesciunt, quam Pater sit φιλάνθρωπος, ac quanto majoris faciat pectus purum, quam ritus universos.

6 §. *Deinde exponitur, cur ea mala hac ultima concione prædicat discipulis, antea vero de iis siluerit. Nempe nunc se ea ait exponere, ut recordarentur dictorum quando contingent: at reticuisse antea, quia dum secum haberent Christum, nihil magnopere attinere ea scire: sed nunc scito iis esse opus, quando quidem suus discessus instaret.*

Verſ. iv, & v: *Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit tempus illud, reminiscamini eorum, quæ ego dixerim vobis. Hæc autem vobis initio non dixi, quia vobiscum eram. Nunc autem vado ad eum, qui misit me.*

7. §. *Hinc accedit ad partem capitis alteram: qua Christus studet mederi eorum mœrori. Ac primum significat, unde eorum mœror sit: nempe ab sermone de discessu suo.*

Verſ. v, & vi: *Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Inquiat aliquis, Petrum dixisse antea, *Domine, quo vadis?* Thomæ etiam verba fuisse: *Domine, nescimus, quo vadis: & quomodo possumus viam scire?* Verum non hæc Christo exciderant: sed voluit, ut, se jamjam abitum patante, more amantium instantius id rogarent. quo sibi sic occasio daretur planius, pleniusque istoc eos edocendi. Dolebat, mœstitia præpeditos usque adeo eos distinere, ut, hac sola præpediti, tam cito desisterent ab inquirendo, quod palmarium nunc erat rogare: ut quo non aliud utilius esset tantæ eorum mœstitudini medendo. Ipse igitur novam præbet occasionem denuo cogitandi de priori quæstione: quo ea perspecta dolorem exuerent conceptum è discessu suo.

8. §. *Exinde solatur eo, quod ipsis discessus ille sit salutaris: quia, absque eo foret, non posset illis mittere Paracletum.*

Verſ. vii: *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam. Si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ubi quod ait, se dicere veritatem, tum attentionem parat, tum fidem conciliat: cui subjicit, quam utile sit, se cælos petere, quia antea non possit mittere Spiritum sanctum.

9. §. *Huiusce Paracleti effectus adfertur triplex. Primus est ratione mundi; alter ratione Apostolorum; tertius ratione ipsius Christi. Primus ille tria itidem continet. Nam mundum arguet de tribus. Ex quibus principe loco ponitur illud de peccato; puta quod noluerit Christo credere.*

Verſ. viii, & ix: *Et cum venerit ille Paracletus, arguet mundum, de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non credunt in me.* Q. d. Tum apparebit, me esse prophetam illum, de quo sic Deus Deuteronomii xviii. 18, 19. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, non audierit, ego ultor exstiam.* Ubi *verba ponam in ore ejus*, valet, per eum loquar, sive, is voluntatis erit meæ interpres. Quod addit Deus, se graves de eo pœnas sumturum, qui prophetæ illi non habuerit fidem; id impletum in Hierosolymitanæ Urbis excidio: quod supplicium in se fuit horrendum, ac totum personuit terrarum orbem.

10. § *Proximum est, quod Spiritus mundum arguet de justitia. Nam cum natura æqui bonique requirat, ut bonis multa mala immerito perpessis bene tandem sit, hoc in Christo etiam relucebit, quem Deus mundo huic eripiet, ne amplius conspiciatur, & in cælis imperii gloriaque sua participem faciet.*

Verſ. x: *De justitia vero, quia ad Patrem vado, & posthac non videbitis me.* In hoc Spiritus effectu considerandum, quid arguat, & quo arguat. Justitia arguet: nempe illa retributiva: de qua ii Theſſ. i. 5: *In exemplum* (sive documentum) *justi judicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Nam si justum est, ut Deus pios, propter Deum passos, dignetur regno suo: justum etiam sit, ut Christum recipiat in regnum suum, eique donet nomen supra omne nomen. Id, quo arguet, est Christi assumtio in cœlos: ubi non ultra obnoxius sit injuriis, ac contumeliis, sed de victis hostibus triumphet.

11 §. *Tertium, de quo Spiritus arguet, judicium est: quo diabolus, qui caussa fuit, cur Christus adjudicaretur morti, ipse regno suo exutus, adjudicabitur igni æterno.*

Verſ. xi: *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.* Quicum optime convenit illud Ioan. xii. 31: *Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Hoc est, diabolus, qui per idololatriam, & omnis generis vitia, toto pene orbe, quasi Deo excluso, imperium obtinebat, (unde & *Deus hujus seculi*, ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, appellatur à Paulo a) is nunc hoc regno suo spoliabitur, mundusque vindicabitur in libertatem. a 2 Cor. 4. 4.

12. §. *Altera paracleti utilitas est, quod discipuli, multorum adeo ignari, (quæ Christus, magister optimus, eo noluit illis exponere, quoniam necdum horum capaces sciret) ista tunc docebuntur à paracleto, spiritu veritatis: ut qui solus vere edoceat doctrinam salutarem; nec aliud loquatur, hominique inspiret, quam quod à Patre, ac Filio, accepit: qui etiam iis sit annuntiaturus tum particulatim de certis hominibus, tum universe de mundo, Judæis, ac Ecclesiæ statu.*

Verſ. xii, & xiii: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare nunc. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semet ipso; sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Postrema verba pertinent ad spiritum propheticum: de quo Act. xiii. 1. & Epheſ. iv. 11. Sic Agabus prædixit famen sub Claudio Cæſ. futuram: Act. xi. 28. item Paulum Romæ vinciendum. Act. xxi. Extremis temporibus multos à fide defecturos, multorumque impietatem, prædicit Spiritus i Tim. iv. 1. & ii Tim. iii. 2. Mortem suam instare prædicit Petrus epist. secunda. 1. 14. Mitto Apocalypsin pene universam.

13. §. *Uti-*

13. § *Utilitas tertia paracleti redit ad Christum, quem illa futurorum prædictio, de qua proxime est locutus, clarum reddet ac gloriosum. Siquidem Spiritus ille doctrinam suam dicitur accepturus à Christo: non quasi non accepturus à Patre, sed quia omnia Patris etiam sint filii: ut quæ Ecclesia prædicet, sit hausurus de communibus archivis.*

Vers. XIV, & XV: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quod de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Ubi videmus, Christum statui tanquam alterum dominum: Spiritum S. tanquam utriusque œconomum, sive dispensatorem. Qua mente etiam capere oportet illa Tertulliani, quando Spiritum S. vocat *villicum Patris, vicarium Christi.*

14. §. *Tertia capitis parte transit Christus ad solatium aliud, nempe à reditu suo, post pusillum, quasi tridui tempus, futuro: quia tunc iterum alter alterum visurus.*

Verba Christi sunt vers. XVI: *Pusillum, & non videbitis me, & iterum pusillum, & videbitis me; quia ego vado ad Patrem.*

15. §. *Verum discipuli, partim ob mœrorem, qui totos occuparat, partim ob tam inopinata, quæ audirent, non capiebant, quæ Christus diceret.*

Etiam poterant putare, in ejus verbis esse ἀντιλογίαν. Quasi dicerent, ut est apud Chrysostomum: *Si te videbimus, quomodo abis? Si autem abis, quomodo videbimus?*

16. §. *Quare inter se conferre capita, & colloqui cœperunt. Nec tamen, multorum more, aspernati sunt, quæ ignorarent; nec superbe simularunt se scire, quæ nescierunt, sed ingenue inscitiam fatebantur.*

Vers. XVII, & XVIII: *Dixerunt ergo quidam ex discipulis etiam inter se: Quid est hoc, quod dicit nobis: Pusillum, & non videbitis me; & rursum pusillum, & videbitis me? &, Quia ego vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Pusillum? Nescimus, quid loquatur.* Ubi cum legimus, *Dixerunt ex discipulis*, Εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν, intelligitur τινὲς, *aliqui.* quod præterit vulgatus; sed Erasmus expressit. Similiter Matth. XXIII.34. Ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε, καὶ σταυρώσετε. Pro αὐτῶν τινας, *illorum aliquot.* Ac similiter in iis, quæ sequuntur: ac sæpius alibi. Additur, πρὸς ἀλλήλους, *inter se*, quia sic mussitarunt, ut non potuerint exaudiri à Christo. Hinc mirari se ostendunt, quod diceret, se jam vadere ad Patrem, & pusillum duntaxat cum iis fore. Hoc enim est, quod non caperent, minuto adeo spacio secum fore.

17. §. *Christus partim exteriori signo, quod discipuli capita collimarent; partim etiam spiritu divino edoctus; non putavit, sibi cessandum, donec rogaretur; sed, boni fungens magistri officio, prior interrogando occupat: ac continuo eos solatur eo, quod licet ex passione, ac morte sua, magnum sint percepturi luctum, mundo interim gaudente; mox tamen eorum tristitia sit convertenda in lætitiam; ut simile hic sit futurum, ac in muliere pariente, quæ in partu quidem ingentem sustinet acerbitatem, ac cruciatum; sed, ubi prole feliciter fuerit aucta, absterso omni dolore, magnum concipit gaudium.*

Hæc mens vers. XIX, XX, XXI, XXII. Verba sunt: *Cognovit autem Jesus, quod vellent ipsum interrogare; & dixit eis, De hoc quæritis inter vos, quod dixi; Pusillum, & non videtis me, & iterum pusillum, & videtis me.* Ubi, *non videtis me*, ait, pro *non videbitis me*: præsens pro futuro, ut sæpe. Hinc sequitur: *Amen, amen, dico vobis, plorabitis, & lamentabimini vos.* Dolorem eum signat, quando cernent Christum capi, capto à militibus illudi, illusum crucifigi, mox mori, & sepeliri. Addit, *Mundus contra gaudebit.* Præcipue Pharisæi; qui de Christo devicto quasi triumphabunt. Sed solatur continuo verbis hisce: *Vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Atque hunc discipulorum dolorem, ac lætitiam, illustrat similitudine peraccommodata. Ejus prior pars est: *Mulier cum parit, dolorem habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit anxietatis, propterea, quod gaudeat, hominem esse natum in mundo.* Hoc est, quia auxerit genus humanum. Atque hæc est πρότασις, quæ indicari solet per particulam *veluti*, *quemadmodum*, aut similem. Sequitur ἀπόδοσις, cujus nota fere est, *sic*, *similiter*, aut ejus generis particula. Ea hujusmodi est: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: sed iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Græcè est, χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει, *gaudium nemo tollit.* pro ἀρεῖ, *tollet.* Dixeris, etiam conspecto iterum Christo, inque cælos evecto, sæpe ob persecutiones magno in dolore fuisse discipulos. Verum ut tum magno fuerint in mœrore versati: caussa tamen gaudii permansit; quia scirent, Christum non iterum moriturum, sed jam sedere ad dexteram Patris, atque ibidem sibi ab eo habitaculum esse destinatum.

18. §. *Felicitatem læti illius temporis, quo gavisuri sint conspecto iterum Christo, etiam postquam denuo fuerit sublatus, eo commonstrat, quod qui antea solerent, quotiescunque aliquid adversi, vel periculi, incideret, ad Christum se recipere, ac suis eum precibus sollicitare: hi deinceps non essent rogaturi Christum, sed Patrem, quem in nomine Christi rogantes, impetrarent, quod rogassent.*

Vers. XXIII, & XXIV: *Et in illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hactenus non petistis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Ubi duo præcipue dicit Christus. Primum, non amplius se præsentem rogatum ab iis iri, uti solet. Nam dum Christum haberent secum, in adversis omnibus, atque adeo periculis, continuo ad illum confugiebant, eumque precibus suis sollicitabant. Ut Matth. VIII.25. cum tempestate coorta aiunt; *Domine, serva nos, perimus.* Et, quantum tribuerint præsentiæ Dominicæ, arguit illud Mariæ, & Marthæ: *Domine, si fuisses hic, frater noster non esset mortuus.* Cum vero hic de precibus sit locus, liquet, non adversari huic dicto Christi, quod discipuli à resurrectione rogarint Christum, an eo tempore restituendum esset regnum Israel: & multa etiam alia de Scripturis inquisivisse, credibile est. Quod movit B. Augustinum, ut, quod Christus ait, non rogandum se amplius, id intelligi dixerit oportere de tempore à resurrectione universali, quando plenum erit gaudium, nec quoquam rogato opus fore, contra quam erat, dum in terris Apostoli degerent; præsertim antequam Christus vaderet ad Patrem, nec accepissent Spiritum S. Nempe non attendit satis sanctissimus ille Hipponensis Pontifex, vocem ἐρωτᾷν hic sumi non pro interrogare, sed pro orare: quo de Latinismo superius dicebam. Et hæc de primo. Alterum tria comprehendit, quem rogaturi, & in cujus nomine, & qua fiducia, Christo ablato, rogaturi dicantur Patrem: idque in suo nomine: precando nimirum, ut

exau-

exaudiantur, non tam ob patres, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, vel etiam ob Davidem, uti sub veteri fœdere precari solent: sed per, & propter Jesum Christum: quæ nova erat precandi forma. Quanta autem fiducia sint precaturi, aperit, cum addit, eos certo impetraturos, quæ Patrem in suo nomine rogarint. Puta omnia Deo gloriosa, sibique salutaria: non si potentiam, honorem, opes, exposcant: imo ne quidem, si citra conditionem rogent malis præsentibus liberari: sed neque si vel salutaria aliis rogent; quandoquidem, pro quibus rogant, sæpenumero indigni sunt spiritualis gratiæ donis: in cujusmodi etiam cum hac conditione poscendum, si ita ferat Domini voluntas. Occulta enim divini judicii quis novit? Nec dubium, quin Deo grata sit ejusmodi pro peccatoribus oratio; utcumque non semper piorum exaudiat preces, ne quidem pro conversione malorum liberorum orantes. Nempe precum talium fructus quando non percipitur ab iis, pro quibus funduntur, ad ipsos tamen precantes redit. Quo pertinet illud Christi Matth. x, & Luc. x: *Et si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. sin autem, ad vos revertetur.* Quod vero hic dicebamus, novam dari formulam precandi, id firmatur, quando subjungit Christus, hactenus eos non esse precatos in nomine suo. Nimirum Deum hactenus rogarant, & ut propter fœdus cum Patribus initum, & ob promissiones populo factas se vellet exaudire. Sed non disertim in nomine Christi: quem nesciebant esse *μεσίτην* inter Deum, & homines.

19 §. *Finem huic sermoni impositurus, quia poterat videri pleraque obscurius dixisse, non illud inficiatur Christus: sed ait, utcumque nunc multa sic locutus sit: instare tamen tempus, quo libere, aperteque sit expositurus omnia.*

Vers. xxv: *Hæc per proverbia locutus sum vobis: veniet tempus, cum jam non per proverbia loquar; sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Græce est, *Ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν.* *Παροιμία* proprie est allegoriæ genus: ac interdum laxe accipitur pro allegoria: imo interdum allegoriam continet nullam: qua de re disserimus Oratoriarum Institutionum libro IV cap. XI. Hic vero loci *παροιμίας* vocabulo quilibet signatur sermo figuratus, vel obscurus. Cujusmodi ea fuere quæ proxime Apostolis dicebat, necdum intelligentibus, quæ precari oporteret.

20. § *Præterea, cum antea dixisset, impetraturos à Patre, quicquid in nomine suo petierint, adjungit nunc, tantum esse amorem Patris erga ipsos, ut sponte etiam, & intercedente nemine, paratus sit eos exaudire. Quo profecto quid majori esse solatio poterat? Cur vero tam bene sit affectus Pater erga discipulos, gemina ratio adfertur: quod ipsi amarint filium, & quod eum crediderint exiisse à Patre: ut videas, Deum, & fidem, & caritatem, amplecti.*

Vers. xxvi, & xxvii: *In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quod ego rogaturus sim Patrem pro vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quod à Deo exiverim.* Dixeris, Christum negare hic, se pro nobis advocatum, ac deprecatorem fore: id vero obstare istis epist. ad Hebr. IX: *Introivit in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et B. Joan. I epist. cap. II: *Advocatum habemus in cælis apud Deum patrem, Dominum nostrum Iesum Christum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Aliqui, ut hæc concilient, aiunt, bifariam posse intercedi, quasi inter judicem iratum & reum, ac tanquam apud eum ubi sufficiat memoria reconciliationis factæ. Christum loqui de priori intercessione, qua negat opus fore, ubi pro omnium peccatis satisfecerit. At in epistola utraque sermonem esse, non de advocato, qui supplex in genua procumbat apud iratum: sed in quo sufficiat, si corpus vulneraque pro homine accepta semper coram Deo compareant. Sed hæc longius videntur quæsita: longeque simplicius dixeris: non hoc negare Christum, se fore advocatum nostrum in cælis: sed dicere solum, se nolle nunc de istoc loqui: quia longe majus esset, quod velit subjicere: puta, quod tantus sit amor Patris erga nos, ut, se etiam non intercedente, ultro nobis daturus sit, quæ petimus. Tanti vero amoris erga discipulos ea adfertur caussa, quod ipsi Filium amarint, & in eum crediderint. Quod non ita capiendum, quasi homo prior diligat Deum; sed quia, postquam Deus hominem ex amore gratia sua prævenit, atque is per Spiritus gratiam credit Deo, eumque diligit, fidem amoremque hunc hominis Deus exosculetur, & majori novoque amore prosequatur.

21 §. *Quia vero dixerat Christus, amari à Patre, postquam crediderint, Christum exiisse à Patre: fidem hanc, ut rectam, tali pronunciato firmat vers.* XXVIII: Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

Exivit à Patre, cum adsumeret naturam humanam: in mundum venit, cum nasceretur. Exivit mundo, atque ad Patrem ivit, cum à resurrectione adscenderet in cælos. *Iterum*, inquit, *mundum relinquo.* *Πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον.* ubi *πάλιν* valet *ex adverso, è contrario*, nec enim secundo mundum reliquit. Sic Matth. IV. 7: *Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* *Πάλιν γέγραπται.* Quasi dicat, Scripturæ verbis à te adductis alia oppono, ut liqueat, non debere eum locum, quem adduxisti, sic accipi, uti eum capiebas. *Relinquo mundum*, *ἀφίημι τὸν κόσμον*, pro relinquam, usitata temporum enallage. Sic *vado*, pro *vadam*.

22. §. *Sequitur quarta capitis pars, qua dispersionem discipulorum prædicit.*

Quod fit ejuscemodi occasione. Cum illa Christus dixisset, quæ discipuli se capere negarent; in his illud, *Paulisper me non videbitis, paulisper videbitis*: multa his subjecit ad eorum lucem, quæ solatio essent futura à discessu suo: clareque addidit, se exiisse à Patre in mundum, & nunc è mundo exiturum ad Patrem. Ex eo quod ait de egressu è mundo ad Patrem, intelligere incipiunt discipuli de quali abitu sit locutus. Christo igitur aiunt, nunc clare eum locutum, videreque se, eum esse omniscium, ut qui viderit clare, quid non cepissent; nec opus esse ut rogetur de obscuris, qui etiam, priusquam rogetur, ea enunciet: ac in hoc, sive per hoc, quod etiam cogitationes hominum norit, se credere ei dicenti, quod exiisset à Patre. Christus modestiæ amator unicus, qui sciret quam infirma esset eorum fides, pro more & amore suo existimavit, arrogantiam illam, vel, si malis, ignorantiam sui, castigari oportere. Proinde eos in hanc mentem adfatur: Itane jam creditis in me? Vel potius sine interrogandi nota: Vos quidem jam credere vos dicitis, dum omnia tuta sunt. Qualis vero sit ista fides, in aperto mox erit, ubi periculum ingruet. Tum enim me capto mox diffugietis, alii alio, me relinquentes solum: solum, inquam, si attendam vestri præsentiam, qui me omnes deseretis, sed non, si cogitem Patrem meum, qui mecum erit, h.e. à partibus meis stabit: ac quamvis sinet me aliquantisper male tractari, non tamen me solatio destituet: cujus præsidium mihi pluris erit, quam auxilium orbis universi. Verum audiamus ipsum Euangelistam, vers. XXIX, & quatuor sequentibus, loquentem. *Dicunt ei discipuli ejus, Ecce nunc aperte loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus, quod scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget: per hoc credimus, quod à Deo exivisti. Respondit eis Iesus: Nunc creditis.*

Ecce

Ecce instat tempus, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in sua, meque solum relinquatis: & tamen non sum solus, quia Pater mecum est.

23. *Quo tandem tam longi sermonis, sed longe mitissimi, pausa fieret, concludit orationem eo, quod cuncta hac pracipue de prasidio Paterno dixisset, ut confiderent in Christo, ac per, & propter eum, mediis in undis animis forent tranquillis: gravia quidem esse, qua perpessuri sint à mundo, at non tanta tamen, ut ea illos dejectura sint de felicitate futura: quandoquidem Christus sit ille, qui devicerit mundum: quippe qui hactenus tam multa esset à diabolo, & infidelibus, perpessus, ac jam jam per mortem crucis passionem suam esset consummaturus.*

Dabo antea Christi verba, quæ leguntur versu capitis ultimo: *Hac locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo adflictionem habetis: sed bono animo sitis, ego vici mundum.* Gr. Ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον. Hoc est, jam jam devincam. Devicit Christus obediendo Patri usque ad ignominiosam mortem crucis: eoque & nobis vires peperit, quibus vincamus mundum. Eum in Christo vincimus, quando illi credimus. Unde apud Joannem I epist. cap. IV: *Vicistis eum, quoniam major est, qui in vobis est, quam qui in mundo.* Et cap. V: *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. & hac est victoria, qua vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Jesus est filius Dei?*

CAP. XIX.

De oratione Christi ad Patrem, quæ refertur Joannis cap. XVII.

1. § *Postquam Christus mortem aditurus solatus est suos, eosque salutaribus monitis instruxit: ferventissimas ad Deum preces fudit.*

CAP. XVII. I: *Hac locutus est Jesus, & sublevatis oculis in cælum dixit, Pater* &c. Hic, dum discipulis adest, oculos in cœlum attollit. Cum solus vero in horto foret, in faciem procidisse dicitur. Prius valuit, ad mentem ipsam in cœlum attollendam. Posterius ad magis ostendendum animum supplicem ac demissum. Porro superius jam dictum, magis mihi eorum sententiam probari, qui longum illum sermonem, qui est Joan. XV, & XVI, in via à Christo habitum arbitrentur. Multoque magis id censeo de precibus ad Patrem subsecutis. Planeque subscribo illustrissimo Hugoni Grotio, Sueonum ad Christianissimum Regem, dum viveret, Legato, id factum videri in templi conspectu, cum id transiret, & paullum subsisteret. Hoc eo credibilius, quia porticus Templi septentrionalis, atque orientalis, valli Cedron proxima foret: ut cognoscere est è Flavio Josepho lib. VI belli Judaici. cap. XIX.

2. §. *Ejusce orationis partes sunt quatuor; una, pro sese; altera, pro discipulis; tertia, pro credituris per eorum sermonem: quarta, qua iterum ad Apostolos redit. Ac pro se quidem initio poscit, ut quia hora venerit prafinita glorificationi Filii, nunc eum glorificare velit, sive ostendere, quis, & quantus sit.*

Vers. I: *Pater, venit hora: clarifica filium tuum.* Ubi per horam, quæ venerit, signatur tempus, quo amarus ille calix esset bibendus: puta cum damnandus, illudendus, cruciatus ac mors contemtissima subeunda. Hinc petit, ut quem Deus adeo per testimonium suum in Jordane, per tot miracula, & aliter, glorificasset, eum porro glorificaret. Quod postea factum: prius per prodigia in passione: inde per resurrectionem: tum per adscensionem in cœlum: ac denique per missionem Spiritus Sancti: quam consecuta est omnium gentium fides.

3. § *Tum finis is subjungitur, quo & filius glorificet Patrem.*

Nam uti Pater glorificavit Filium, resuscitando eum: ita & Filius resuscitatus glorificavit Patrem, non modo quatenus ex Christi resurrectione Patris potentia eluxit, quomodo interpretatur B. Augustinus: sed etiam quia, Christo mittente Spiritum Sanctum, nomen Patris prædicatione Patris inclaruit per orbem universum.

4. § *Hinc subjicitur alter finis ille, ut, quemadmodum a Deo accepisset potestatem in omnes homines, ita & ipse vitam aternam largiatur, non omnibus quidem, sed quos ei dedisset: hoc est, credentibus.*

Vers. II: *Sicut* (καθὼς, qua ratione) *dedisti ei potestatem omnis carnis: ut quotquot dedisti ei, det eis vitam aternam.* Ubi duo hæc distinguere oportet, potestatem, & usum potestatis. Potestas est in servando, & damnando hominem: usus ejus, in dando illis vitam æternam, quos Pater sibi dedisset.

5. §. *Proxime addit, in quo sita sit ea vita aterna: eaque dicitur consistere in cognitione Dei, & legati ejus Jesu Christi.*

Vers. III: *Hac est autem vita aterna, ut cognoscant te solum, Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum.* Ubi vitam æternam considera, quatenus tum hic inchoatur, tum in cælis perficitur. Intellige autem cognitionem πρακτικήν, hoc est, vivam & efficacem per caritatem. Nam ut est I Ioan. II. 4: *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & veritas in eo non est.*

6. §. *Justam esse petitionem suam, eoque dignam exaudiri, demonstrat eo Christus, quod jam, secundum Patris mandatum, nomen illius sermone, miraculis, ac conversatione, clarum fecerit, atque illustre: sic ut solum restaret, idem ut nomen nunc redderet gloriosum opere redemtionis; quam rationem jam jam erat aggressurus.*

Vers. IV. *Ego te glorificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem.* Quæ verba illustrat B. Polycarpus, Smyrnensis episcopus, & B. Ioannis Apostoli discipulus, in Responsione Capitulorum: *Quomodo opus salutis humana adimplesse commemorat, cum necdum crucis vexillum conscenderat? Sed definitione voluntatis, de qua cuncta veneranda passionis insignia adire decreverat, jure se opus perfecisse significat.* Prout è Græcis reddidit Victor, Episcopus Capuanus, in Catena sua super IV Euangelistas *a*. Vixit ille paullo ante annum quingentesimum.

a Apud Feuardentium habes in notis ad Irenæum lib. 3. cap. 3.

7. §. *Modum addit idem, quo petat glorificari: nempe ut ea ornetur gloria, quam apud Patrem habuit ante constitutionem mundi. h. e. ut non merum esse hominem, sed hominem deum declaretur.*

Vers. V. *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud temet ipsum, gloria, quam habui, prius quam hic mundus esset, apud te.* Placet, quod B. Augustinus hæc interpretabatur de gloria, quæ Christo fuit præparata, destinataque ante omnia secula. Quomodo Apocalyps. XIII. 8, agnus dici-

dicitur occisus ab initio mundi; pura destinatione: quomodo item Eph. 1.4. dicitur, *Deum nos elegisse ante mundi constitutionem.* Ac firmat etiam ἀντίθεσις illa 1 Petri 1.20: *Qui præordinatus* (προεγνωσμένος) *quidem fuerat ante mundum conditum: manifestatus autem extremis temporibus propter vos.* Imo & Hebræi similiter legem aiunt fuisse ante mundum. Nec tamen multum adverser, siquis malit intelligere gloriam, quam, quatenus Λόγος foret, habuit semper. Nempe ut poscat Christus, divinam quoque gloriam ab hominibus exposci, quæ non relucebat clare adeo in homine ignominiæ exposito, & mox cruci affigendo, moriturum etiam, ac sepulturæ tradendo. Magis tamen censeo, non tam rogare pro gloria τοῦ Λόγου, quam gloria naturæ humanæ, à Λόγῳ assumtæ: quam gloriam sibi ab æterno destinatam sciret, sed non nisi à passione, ac morte, posse obtineri.

8. §. *Quod vero paullo ante, ad æquitatem petitionis suæ comprobandam, dixerat Christus, se Patrem suum glorificaße in terris: id plenius deinceps voluit explicare. Itaque glorificationem eam exponit manifestationem nominis divini: hoc est, sapientiæ, bonitatis, potentiæ. Quam se manifestaße hominibus ait; puta cum eo effectu, ut sibi crederetur. Proque eo, quod aiebat ante, id fecisse in terris, dicit, se manifestaße hominibus ex mundo universo electis à Patre; qui, eo trahente, credidissent illis, quæ jußus erat iis tradere; qui etiam constanter, quæ acceperant, retinent, certi, Christum à Patre exiisse, hoc est, ab eo missum esse ad mandata Patris exsequenda.*

Vers. VI, VII, VIII: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, (tui erant, & mihi eos dedisti) & sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quod omnia, quæcunque dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt; & cognoverunt vere, quia à te exivi, & crediderunt, quod tu me misisti.*

9 §. *Pars altera sequitur precum Christi. Ea discipulos, quos à fide, & obsequio, proxime laudarat, commoda admodum transitione commendat Patri. Negat, se orare pro hominibus mundo immersis: sed rogare ait pro iis, quos Pater, cujus forent, dedisset Filio: ut nunc non Patris solum, sed & Filii forent; ut omnia paterna etiam Filii, omnia item Filii forent paterna: eoque se justius pro his rogare, quia & suum nomen per eos, eo quod ab iis agnosceretur, gloriosius fieri cœpisset.*

Vers. IX, & X: *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis.* Ubi tria considerantur. Primum postulatum Christi pro discipulis: nempe ut Pater se absente eos conservet. Deinde illustratio petitionis per ἀντίθεσιν, quando ait, se non pro mundo rogare, sed iis, quos sibi Pater dedisset. Interdum quidem & pro infidelibus Deus rogat: ut Luc. XXIII. 34: *Pater, remitte illis: nesciunt enim quid faciant.* Sed has preces proprie instituit pro discipulis, sibi per fidem jam insitis; inferius oraturus pro iis, qui postea per sermonem eorum essent inserendi. Hujuscemodi particularis petitio, qua, hostibus exclusis, discipuli commendarentur Patri, tanquam amici ipsius, & Christi, magno erat futura solatio, ne Christo absente vel mœrore, vel hostilis odii metu, absorberentur. Post hancce ἀντίθεσιν sequitur tertium, quod est gemina ratio postulati. Siquidem illud καὶ, quod est initio versus X, est caussale: ut valeat *Nam.* Quare sententia est: Dixi, eos mihi datos à te: nec eo desinunt esse tui: quandoquidem Patri, Filioque, cuncta sunt communia: cum paterna cedant in usum filii: & filius cum iis, quæ habet, subjectus sit Patri. Atque hæc prior est ratio postulati; Altera ratio petitur ex eo quod illorum fide ac confessione sit glorificatus. Quasi dicat, Etiam eo justius discipulos meos tibi commendo, quod per eos nomen meum jam fieri cœperit gloriosius, atque illustrius.

10. §. *Tertiam inde cur pro iis roget, rationem hanc producit, quia jam jam abiturus eßet è mundo: ut eos, quos Pater sibi dedisset, opus sit deinceps ab ipso servari, quo unum fierent secum, sicut ipse unum foret cum Patre. Ergo paterna se custodia, ac cura, illos committere, quos ipse hactenus servasset; ac sic quidem servasset, ut in tanto mundi odio perierit nemo, præter eum, qui jam olim perditioni esset destinatus; ac in quo impleta essent quæ Scriptura fore tanto ante prædixerat. Addit præterea, se eo Patri illos committere, ne mœrore ob discessum suum amittant gaudium ex sui notitia conceptum, quod iis optet perpetuum.*

Vers. XI: *Et jam non sum in mundo*, pro, non ero. *Et hi in mundo sunt*, quos ego in mediis tempestatibus relinquo. *Et ego ad te venio*, nempe relicto hoc mundo, & in eo discipulis meis. Ex ἀντιθέσει ea satis liquet, per *mundum* signare loca illa, quæ vivi incolimus. Sequitur, *Pater sancte.* quomodo convenienter hoc loco Patrem compellat, quia pro iis rogat, quos sanctificari cuperet. *Serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi.* Gr. ἐν τῷ ὀνόματί σου. h. e. per te, sive ope tua, qua opus cultoribus tui, ac nomen tuum profitentibus coram mundo. Sic Actor. IX. 27. Barnabas Apostolis narrat, quomodo Paulus, hactenus suspectus, libere esset Damasci locutus ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, hoc est in Jesu, sive profitendo Jesum. Hinc finem subdit hujusce postulati; *Ut sint unum, sicut & nos.* Eo petit, ut unum cum Patre, & Filio, fierent; sicut ipse, & Pater, unum essent: non quasi æqualitatem exposceret, sed similitudinem, quæ gradibus magnopere variat. Nec enim in consensu cum Deo, & Christo, tanta est similitudo nostri cum Christo, quanta Christi cum Patre.

Vers. XII: *Cum essem* (sive *dum hactenus fui*) *cum eis in mundo*, (illud ἐν κόσμῳ vertere neglexit vulgatus interpres, vel præteriit librarius) *ego servabam eos in nomine tuo*: puta, semper iis & præcipiendo, & exemplo præeundo, eum successu felici. *Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*: quasi dicat, solum defecisse Judam, ob tam horrendam perfidiam exitio dignissimam. Græce est, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας: quod & de Antichristo legas II Thes. II. 3. Sic Matth. XXIII. 15. scribis & pharisæis dicitur: *Cum* (proselytus) *fuerit factus, facitis eum filium gehennæ* (υἱὸν γεέννης) *duplo magis quam vos estis.* Sic David II Sam. V. 12. in sententia, quam adversus se ipsum protulit apud Nathanem, vocat divitem illum, qui pauperis pecus epulabatur, *filium mortis.* Ac Sirachides similiter Ecclesiastici cap. XVI. 10, ἔθνος ἀπωλείας. Denique Judas dicitur periisse, ut impleretur Scriptura; non quasi perierit, quia Scriptura prædixerit; sed quia in eo sit impletum, quod prædictum erat Scripturis. Quod vulgo sic efferunt, ΥΤ sumi non finaliter, sed consecutive. Nec enim Judas prodidit Christum, quia Scriptura prædixerat: sed prædixit Scriptura, quia Christum erat proditurus. Præviderat Deus proditurum, nisi impediret: decrerat vero permittere, & tam atrox facinus dirigere ad bonum generis humani. Scriptura autem, quam signat Christus, est Psal. CVIII: ut Petrus eum locum explicat Act. I. Subjicit & hanc rationem, cur pro iis roget: quia nisi discessu suo mœstos favore suo dignaretur Pater, amitterent initia gaudii, quod exoptet augeri ac perfici. Græce est,

χαρὰν

χαρὰν τὴν ἐμὴν, *gaudium meum*, hoc est, quod de me conceperunt.

Vers. XIII: *Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in se ipsis.* Sensus est, Quoniam ad te jamjam venturus sum, eo, dum adhuc sum in mundo, discipulis præsentibus, hæc iis optare, ac precari volui, ne gaudio, quod, me præsente, perceperunt, excidant me absente: cum contra perfici illud, quam imminui, nedum tolli, malim. Græce est, *τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν*, hoc est, gaudium quod ex me capiunt. Quomodo & superius sumi dicebamus Joan. cap. XV. 11.

11. §. *Tertia sequitur ratio, cur pro discipulis roget. Ea est, quod mundo sint exosi; & quidem propterea, quod postquam receperint sermonem Patris, à Filio sibi traditum, non amplius sint de mundo, sed exemplum suum sequerentur, qui nihil saperet mundanum.*

Vers. XIV: *Ego tradidi iis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Quasi dicat, mundus amat sui similes, puta eos, quibus nihil placet, nisi mundanum: illi vero, quos mihi dedisti, mundo relicto, se addixere Deo, & mihi. Quocirca subeuntes jam nunc tantum odii, & porro perpessuros, atque id tui & mei caussa; tuo servari præsidio, longe æquissimum est.

12. §. *Nec tamen, sicut ipse, cujus caussa essent exosi, mox erat è mundo tollendus, ita & illos secum tolli cupit: quippe quos adversis multis probari, & longe, lateque, sermonem sibi à Christo traditum diffundere, Patris, Filiique honori longe consultius foret.*

Vers. XV: *Non rogo, ut tollas eos è mundo, sed ut serves eos à malo.* Græce est, *ἐκ τοῦ πονηροῦ*. Ubi, quia articulus apponitur, non absurde sentiunt, qui diabolum intelligunt: uti & in oratione Dominica, cum dicimus, *Libera nos à malo.* Malim interea utrobique peccatum intelligere. Quandoquidem *ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται*, *mundus totus in malo constitutus est*: ut est 1 Ioan. V. 19.

13. §. *Iterum hinc subjicit, licet infirmos esse non ignoraret, esse tamen alienos à mundi malitia. Qua tam insigni laudatione eorum animos erexit.*

Vers. XVI: *De mundo non sunt; sicut nec ego sum de mundo.* Ubi similitudinem, non æqualitatem, signari, satis est apertum.

14. §. *Quia vero non satis est, ut à contagione mundi sint immunes; sed præterea requiritur contraria malitiæ virtus, sanctimonia, rogat porro, ut eos efficiat sanctos, idque per veritatem, sive Euangelii doctrinam, quam jussus erat mundo prædicare.*

Vers. XVII: *Sanctifica eos per veritatem tuam. Sermo tuus veritas est.*

15. §. *Hujusce postulati gemina affertur ratio. Prior, quia, sicut ipse à Patre esset in mundum missus ad eum de peccatis suis arguendum: ita & illos in mundum mitteret ad idem opus urgendum: in qualibus imprimis requiritur constantia, ne corrumpantur à mundo. Posterior est, quia pro iis se ipsum sanctificaret, hoc est, victimam offerret, quo & ipsi sanctificentur, hoc est, præ oculis habentes obedientiam Christi, purius sanctiusque indies vivant.*

Vers. XVIII, & XIX: *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati per veritatem.* Illud *sicut* (*καθὼς*) similitudinem indicat; sed in qua dissimilitudo etiam sit magna. Etiam illud *sanctificare* (*ἁγιάζειν*) aliquanto aliter priori sumitur loco, quam posteriori. Christus eo sanctificatus, quia se obtulit victimam pro nostris peccatis. Nos sanctificamur obediendo præceptis Christi, & sequendo vitæ exemplum.

16. §. *Sequitur Dominicæ precationis pars tertia: qua cum primo pro se, inde pro discipulis orasset, nunc rogat pro cunctis fidelibus, ac porro credituris, usque ad mundi finem.*

Vers. XX: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sint per sermonem eorum in me.*

17. §. *Duo autem hic videre oportet: quid petat, & quare petat. Petit, ut omnes unum sint fide, ac caritate. Videlicet, ut quemadmodum Pater, & Filius, conspirant in promovendo Euangelio: sic etiam illi conspirent obediendo Euangelio. Petit autem eo fine, ut credat mundus, se missum esse à Patre.*

Hoc postulatum cum fine eo continetur vers. XXI: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quod tu me miseris.* Est quidem longe excellentior ratio, qua Deus idem est, ac *Λόγος*: ut qui sit *τοῦ Θεοῦ ὁμοούσιος*; eoque natura Deus: sed hic loquitur Christus, quatenus Filius est hominis, ut similitudo debeat assignari, quæ Deo ac homini sit communis. Talis vero est, quod quem Spiritum Filius à Patre accepit, hunc mittat in corda nostra: & ut Filius obediit Patri, ita & nos obediamus Patri, Filioque.

18. §. *Alteram etiam caussam, ob quam petat, adjungit: nempe propter gloriam, quam discipulis dedisset.*

Vers. XXII: *Et ego claritatem* (*δόξαν*, sive gloriam) *quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Ubi plerique intelligunt gloriam divinæ *υἱοθεσίας*: hoc est, ut quemadmodum ipse a Patre hoc acceperit, ut sit Filius: similiter illi à Christo hoc acceperint ut sint Filii Dei. Id vero fit per influxum Spiritus S. Hic enim efficit, ut in hac etiam vita simus unum cum Christo, ita uti Christus est unum cum Patre. Possis & per gloriam Christi intelligere potestatem patrandi miracula. Nam videas hanc nunc *gloriam Christi* appellari, ut Joan. I. 14, cum ait Apostolus, *Et vidimus gloriam ejus*: nunc *gloriam Dei*, Joannis XI, 40, ubi suscitaturus Lazarum, Marthæ, quæ aiebat jam olere, ait, *Nonne dixi tibi, quod, si credideris, visura esses gloriam Dei?*

19. §. *Repetit deinde, quæ dixerat de arctissima conjunctione Patris, ac sui: item sui, ac discipulorum: ac geminum inde fructum adfert: nempe quod mundus inde cognoscet, tum se missum à Patre; tum discipulos etiam à Patre diligi, sicut Filius, in quo unice Patri est complacitum, diligitur à Patre.*

Vers. XXIII: *Et ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & ut cognoscat mundus, quod tu me misisti, & eos dilexisti, sicut & me dilexisti.*

20. §. *Quarta parte recurrit Christus ad Apostolos. Cumque pro iis primum orasset custodiam Patris in hac vita; (uti nec pro credituris per*

horum sermonem alia rogavit quam quæ ad consortium gratiæ in hac vita pertinerunt:) nunc pro Apostolis etiam exposcit consortium gloriæ, ac felicitatis, in vita altera.

Vers. xxiv: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem* (δόξαν sive gloriam) *meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Ubi videndum, pro quibus preces fundat. Nempe pro iis supplicat, quos Pater dedisset. Hoc est pro discipulis præsentibus: quorum gratia potissimum hæc dicebantur. Hos pater instituendos dederat Christo, idque cum effectu; quia receperunt doctrinam, quam audierant. Augustinus statuebat, preces fieri pro omnibus credituris. Quod si placet, sententia fuerit, quos mihi dedisti in prædestinatione tua. Sed videtur loqui de iis, qui dati erant per vocationem, quorum nemo periit, prӕter filium perditionis. Quamquam vero proprie hæc ad Apostolos pertineant: tamen ad electos omnes recte referuntur, quia quicunque constantis gratiæ fuere participes in hac vita, etiam gloriæ erunt participes in altera: secundum illud Rom. viii. 30: *Quos justificavit, etiam glorificavit.* Nunc videamus quid oret: *Volo*, inquit, h. e. velim, *ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* Quibus cælum signatur.

21. §. *Postulato huic subjungit ejusce caussam. Hæc est, ut coram contemplentur honorem Christi. Nam pars est beatitatis, habere suæ felicitatis amicos tum spectatores, tum consortes.*

Eodem vers. xxiv: *Ut videam gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum.* Hoc est gloriam ab æterno à Patre ex amore decretam. Hanc à resurrectione demum accepit. Itaque *dedisti*, idem hic est, ac dare decrevisti, destinasti.

22. § *Alteram etiam rationem eruere est inde, quod mox Patrem vocat justum. Nam justi est, remunerari. At mundus, inquit, te non cognovit: contra vero cognovere discipuli, quos hactenus docui nomen tuum, & à resurrectione plenius docebo. Atque in hoc id propositum mihi, ut sic edocti, sentiant se diligi à te, quemadmodum me diligi à te declarasti: item ut firmius insistant doctrinæ meæ, ac fidei exemplo.*

Vers. xxv, & xxvi; *Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi; & hi cognoverunt, quod tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Loquitur Christus de cognitione πρακτικῇ. Sola enim notitia est vera, quam quis comprobat vita. Dicit, se docuisse discipulos nomen Dei: h. e. bonitatem, sapientiam, & alias Dei proprietates. Factum id duabus de caussis. Primum, ut in discipulis foret dilectio Dei: puta, qua discipuli diligantur. Ut 1 Joan. iv. 9: *In hoc apparebit caritas Dei in nobis,* (ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐν ἡμῖν) *quod Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Deinde id factum, ut & Christus sit in discipulis: videlicet per Spiritum fidei, & obedientiæ. Quomodo & Christus in nobis formari dicitur Gal. iv. 19. Similiter Joan. xiv. 20. Atque hæc de cap. xvii.

Cap. XX.

De precibus, quas Christus, in monte Olivarum, in summo animi mœrore, & angore, ob imminentem passionem ad Deum fudit; deque solatio, quod per angelum accepit, priusquam se sponte sua sisteret proditori.

1. §. *Post hosce sermones Christus tandem transgressus torrentem Cedron per vicum Gethsemane pervenit ad montem Oliveti.*

Videndum, unde, & qua, & quo iverit. Uti ante è Bethania solebat ire ad precandi locum: ita nunc eodem ex Hierusalem egreditur. Egressus autem è domo, ubi cœnaverat, atque instituerat, (ut Dionysius nuncupat) ἀρχισύμβολον δεῖπνον. Hinc per urbem iit: ac transgressus est torrentem Cedron, è sublimiorum, quæ circumjacerent, locorum aquis pluviis incrementa sua capientem. Apud interpretem Syrum, ubi Græce est πέραν τοῦ χειμάῤῥου, legas לעברא דרגלתא *lebebra dargeltha*, h. e. *ad transitum pedis.* Quod Latinis fuerit, *ad vadum* sive locum, ubi pedibus per torrentem vadere liceret. Inde enim *vado* nomen. Quæri satis otiose video, cur Christus pertransierit hunc torrentem. Ac volunt id fecisse, ut significaret se properare ad rem perpetuo memorandam, & ut aiunt cedro dignam. Sic Zacharias Episcopus Hierosolymitanus: & è Latinis Haimo, Thomas, Lyranus. Nec dubitavit eam quoque adferre caussam vir eruditus Christophorus Pelargus: qui & quatuor rationes alias addidit: sed nihilo meliores. Ut hanc caussam adferrent, eo impulsi fuere, quod putarent, hunc torrentem sic vocatum esse à cedris ejus loci. Et sane in plerisque codd. apud Joannem legere est Joan. xviii. 1. πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων, *trans torrentem cedrorum.* Quam lectionem etiam secutus est Nonnus. Sed verius Euangelistæ codices, aliis τοῦ κέδρου, vel ἁπλῶς, χειμάῤῥου Κεδρών. Quomodo & vocabulum hoc sine articulo legitur ii Regum xv. 23. & iii Reg. xv. 13. & iv Reg. xxiii. 4. Eo autem minus putandum, torrentem hunc à cedris nomen accepisse, quod arbor ea non habeat simile vocabulum apud Hebræos: sed iis cedrus sit ארזים arizim. Torrenti vero inde nomen Κεδρὼν datum, quia in valle flueret umbrosa, eoque coloris esset nigricantis, ob loci obscuritatem: puta à קדרות, Kadruth. h. e. *nigritia, tenebræ.* Ab hoc torrente itum ad Olivatum montem. Cum autem varia ejus sint montis loca, partem eam adiit, ubi prædium, & villa Γεθσημανῆ: גיא שמנים, Jes. xxviii. 1. Hortum vocat Joannes: Hebræis notat *vallem pinguem*: unde liquet, non in monte fuisse, sed cis montem. Alii interpretantur *vallem octavam* vel *octavum hortum*; ut ex eo fuerit nomen, quia hortus foret octavus ab Hierusalem. Is locus, ut B. Hieronymus libro de locis Hebraicis auctor est, situs est ad pedem montis. Bocardus, qui curiose admodum lustravit Palæstinæ situm, ait, locum eum, ubi oravit Christus, concavæ rupi adhærere: hodieque ostenduntur saxa cavata: quod à vestigiis Christi precantis esse, communis est opinio. Sed cum Beda ipse dicat, magno eum locum studio frequentari solere ad preces ibidem fundendas, ubi eas fuderat Christus: non paullo est verisimilius, excavata esse crebra hominum frequentatione, qui precandi gratia, ac sæpius fortasse curiositate quadam, eo commearent.

2. §. *Cum vero non potuerit Judas ignorare, Christum eo se conferre solitum: neque ejus mentem nescreverit Christus; nec propterea remanserit, ubi fuerat: liquere arbitror, in orationis, quam convivii loco, capi maluisse.*

Conveniens etiam fuit, ut sicuti Adamus prior male agendo perdidit nos in horto Eden, sive paradiso: sic in horto Gethsemane Adamus secundus passionem suam ordiens, eadem ordiretur præcipuum nostræ redemtionis opus à peccatis. Quam rationem Cyrillus, & Theophylactus ad Joannis cap. xviii. annotarunt.

3. § *Hinc non universos quidem discipulos reliquit; solos tamen secum adsumsit, Petrum, & duos Zebedæi filios, Jacobum, ac Joannem; puta quos adhibere soleret in rebus secretioribus.*

Eos

Eos potissimum selegit, ut sicuti illos in monte habuerat gloriæ suæ testes; ita nunc haberet spectatores religiosi certaminis cum infirmitate humana. Minus quippe scandalo futura iis fuit imbecillitas: qui soli interfuissent transfigurationi.

4. §. *Tam gravia vero hic perpessus est Christus, ut hinc etiam possis eius Passionem ordiri.*

Quod video facere inter alios etiam Christophorum Pelargum, Commentatio in Euangelium Ioannis cap. XVIII.

5. §. *Potius tamen præparationi ad passionem ea accensemus, quia hic precibus sollicitus ad Deum fusis animum ad passionem instantem præmunivit: & iisdem ab Angelo solatium meruit ad acerba quæque animo infracto deinceps sufferenda.*

Atque hæc ratio est, cur Passionem Dominicam, sic pressius dictam, libro proximo potius à capto, vinctoque Domino auspicemur.

6. § *Gravitatem passionis tum Euangelistæ verba indicant; tum Christi ipsius, quando ait, se sic commoveri, ut undequaque tristis sit anima usque ad mortem.*

Matth. XXVI. 36. dicitur cœpisse λυπεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, h.e. *contristari, & gravissime angi*: Marci XIV, 33, cœpisse ἐκθαμβεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, *expavescere, & gravissime angi*: ut optime transtulit Beza. Vim verbi non satis assecutus est vulgatus interpres, cum apud Matthæum ἀδημονεῖν reddit *mæstus esse*: minus etiam, cum apud Marcum reddit *tædere*. Sane Suidæ ἀδημονεῖν est λίαν λυπεῖσθαι, *valde* λυπεῖσθαι, *valde tristem esse*. Hesychio autem, cujus gravior etiam nobis auctoritas, ἀγωνιᾷν: quod est, *cum dolore, & animi angoribus luctari*. Unde & Lucas XXII. 44. Christum fuisse ἐν ἀγωνίᾳ. Hæc Euangelistarum sunt verba: at illa Christi Matth. XXVI. 38: Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου, *Pertristis est anima mea usque ad mortem*: hoc est, sicut videmus in moribundis, prout exponit Euthymius. Nam *tristis*, ut est apud vulgatum interpretem, non sufficit voci exprimendæ, quia περὶ in compositione auget. Unde Aristoteles lib. IV. Ethic. cap. III: καὶ οὔτε εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται, οὔτ' ἀτυχῶν περίλυπος. *Neque in secundis valde lætus erit, neque in adversis valde tristis.* Nimirum περὶ eam vim habet, quam apud Latinos *per*: ut in *perscitus, perdoctus*: vel *præ*: ut in *præpinguis, præalustris*.

a Comment. ad hunc locum.

Valde autem falluntur, qui cum Origene a colligunt; quia dicitur, Christum cœpisse contristari, eo volunt, solum principium doloris sensisse: eoque & eum ait Christus, animam suam esse pertristem, initium solum magnæ tristitiæ intelligi. Nam huic sententiæ adversatur, quod animam dicat esse περίλυπον, & usque ad mortem, hoc est letaliter: item quod de grumis sanguinis refertur: denique reclamat precatio consecuta, & quod angelus ad solandum missus: de quorum singulis mox dicam. Etiam ex eo, quod Christus animam dicit esse undiquaque tristem, recte adversus Apollinarem colligitur, non fuisse Christo divinitatem loco animæ.

7. § *Tanto angore, & mœrore, stimulo optimo, compulsus Christus, tum ipse oravit Deum Patrem; tum Apostolis præcepit, ut se paullo longius progresso, officio ne deessent in vigiliis, ac precibus. In orante Christo attenditur, tum dispositio orantis, tum oratio ipsa. Ad prius pertinet, quod oraret solitarius, ut oraret ardentius: quodque oraturus, pronus ceciderit in terram, quod summæ submissionis est signum.*

Matth. XXVI. 36. 37. 38. 39. Mar. XIV. 32. 34. 35. Luc. XXII. 40. 41.

8. §. *In oratione tria considerantur, persona, quam orat, res, quam orat, & modus sive conditio, qua orat. Invocatur pater, cui Syrus interpres præmittit* Abba.

Non quia aliud sit, ac *Pater*: sed quoniam ipsum sit vocabulum, quo usus sit Christus. Vel etiam quia Christus dixerit, *Pater, pater mi*: quomodo apud Syrum est, *Abbah, abbi*, h.e. *Pater, pater mi*. Ubi illud MI fidem, majoremque fiduciam declarat. Ut cum dicimus, *Pater noster*.

9. §. *Res, quæ oratur, continetur his verbis*, Transeat à me calix iste; *sive* poculum hoc, *ut est Matth.* XXVI. 39. *Ubi per* calicem, *sive* poculum, *intelligitur afflictio, quam decreto Dei erat subiturus. Similis nempe locutio est, ac illa Matth.* XX. 22: Potestisne bibere poculum quod ego bibiturus sum? *Et ibid. vers.* 23: Poculum quidem meum bibetis. *Item Joa.* XVIII. 11: Annon bibam ipsum poculum, quod dedit mihi Pater?

Ubi satis apertum est, intelligi non poculum suave, sive hilaritatis: sed amarum, sive ebrietatis, omniumque malorum quæ dare ebrietas consuevit: ut pluribus ostensum, cum explicaremus responsum Christi ad postulatum Salomes & filiorum Zebedæi.

10. §. *Modus, sive conditio, qua orat, indicatur, quando subjicit Christus*, Si possibile, transeat à me calix iste: *ut est apud Matth.* XXVI. 39.

Dixeris, sine conditione poni apud Marcum XIV. 36: *Abba pater, omnia possibilia sunt tibi: aufer poculum à me hoc.* Sed pugna hic est nulla inter Euangelistas. Omnia Deus potest divinæ naturæ consentanea, nec ἀντιλογίαν continentia; dummodo non obstet decretum prius. Cum igitur ait Christus apud Matthæum, *Si possibile est*; sententia est, nisi decreto tuo contrarium definiveris.

11 §. *Affectum interea paruisse rationi, argumento est, quod Deum rogat, ut voluntas eius fiat, non sua: hoc est, non id, quod exposceret, desiderium naturale.*

Non igitur exsculpere hinc possumus geminam Christi voluntatem; sed potius duas unius voluntatis partes. Quarum prior ostendit, quid expetat, solum attendendo naturam: altera, quid appetat, consideratis omnibus circumstantiis. Nec enim appetitus abolebatur in Christo, sed regebatur perfecte. Est quippe naturalis. Natura enim omnes aversamur mortem: quæ per se destruit naturam, nec à Deo est facta, sed invidia Diaboli intravit mundum. Nec ulterius naturalis ille se exserit appetitus, quam ut feratur ad ea, quæ naturæ commoda sunt. Ratio vero expendit omnes circumstantias, ac deinde præfinit, quid facto sit opus. Quamdiu solum attendimus, quid appetat natura, unum videmus, non omnia, ut illis usu venit, quibus caligant oculi. Cuncta vero cernere incipimus, ubi ratio omnes circumspicit περιστάσεις. Quamobrem dum solum obversatur, quid natura desideret, non possumus non mortem aversari. Sed per accidens etiam possumus eam desiderare, sedulo cogitando, ita Deum velle, proque vita hac redditurum infinitis partibus meliorem. Quæ quidem in nobis etiam habent locum; in Christo autem se multo perfectius exserebant. Quippe in eo ratio quidem sivit, ut appetitus sensitivus appeteret, quod est suum: sed non ulterius sivit, quam placuit, vel decuit. Quare cum in Christo distinguere oporteat,

reat, quid appetitus apperat natura, & quid apperat cum moderamine rationis: liquet, mentem Christi verborum hanc esse: Natura abhorreo à morte, præsertim tam dura, quam instat. Eoque appetitus naturalis non alius est, quam ut calix iste passionis à me auferatur. Sed scio, quorsum in hunc mundum sim missus: eoque rationali appetitu non peto, quod naturæ desiderium exigit: sed potius voluntatem meam divinæ voluntati submitto. Hinc aliqui dicunt, prius illud esse *velleitatem* potius, quam *voluntatem*: ut quod conditionem habeat, q. d. hunc, pater, calicem auferri vellem, si tu velles: sed volo, quod tu vis. Vel si hic etiam, ut fit apud Matthæum, particulam *si* retineas, omnino, cum dicitur, *volo, si vis*, valebit, *Quandoquidem vis, plane acquiesco.* Nec enim Christus, quid pater vellet, ignorabat. Atque hinc etiam liquet, quomodo intelligi debeant veteres, cum ex hoc loco disserunt adversus Eutychianos, & Monothelitas. Duplicem enim Christi voluntatem hinc collegere veteres: eorumque sententia est firmata in Concilio Lateranensi Romano CL episcoporum præside Papa Romano Martino primo, anno IϽC XLIX, & exinde in altero Concilio Romano, CXXV Episcoporum, præside Agathone, Romano episcopo, ac denique synodo ut generali Constantinopoli celebrata an. IϽCLXXXI. Interim hæc voluntas Christi, qua mortem recusavit, licet plena fuit, conditionata tamen, quia sententia est, Non quidem nolo mori; sed nollem mori, si fieri posset. Quæ voluntas non est peccatum, quia nulli repugnat præcepto. Neque cum Christus desiderium suum subjicit voluntati divinæ, tam orationem corrigit, quam perficit. Nam desiderium quidem naturale præcessit: sed sequitur, quod congrueret cum eo propter quod venerat in mundum: ut appetitus illi non fuerint adversi, sed diversi: utpote à diversis facultatibus adversi.

12 §. *Etiam indicat angoris hujus magnitudinem, quod ter eo angore correptus, toties etiam oravit, magno ut anxietatis, sic etiam pietatis argumento.*

Nec obstat Lucas: quia is ternas & anxietates, & preces, uno *ἀγωνίας* & *orationis* vocabulo complexus fuit.

13 §. *Præterea certissimum est maximæ anxietatis indicium, quod sic sudavit, ut sanguinis grumi disfluerent in terram.*

Nec enim, quod dicitur, ὡσεὶ θρόμβοι τοῦ αἵματος, id nuda comparatio est, quod voluit Euthymius: vel proverbialis hyperbole, sicut credidit Theophylactus: sed vere, & simpliciter capiendum. Nimirum sanguis guttatim manabat, propemodum, sicut ictis ab eo serpentis genere, cui inde *hæmorrhoi* nomen. In Christo vel, deficiente sudoris materie, tenuior etiam sanguis profluxit; ut vult Cajetanus: vel, crassiori sudoris materie se permiscens, istos sanguinolentos sudoris grumos effecit. Sane ratum quidem hoc, nec tamen plane adversum naturæ; ut testatur Aristoteles lib. VII Hist. Animal. cap. XVI, & lib. III de Part. Animal. cap. V. Atque historici alia etiam exempla suggerunt. Vide & Galenum lib. IV, & VII Methodi medendi. Διαπήδησιν vocant: quando nempe sanguis serosus, isque tenuis & calidus, rarefactis vasorum tunicis, vel osculis, per cæcos cutis meatus, sudoris in modum, parvis grumulis transmittitur.

14. §. *Denique tanta fuit anxietas, ut etiam angelum Deus cælitus mitteret, qui confirmaret. Porro hoc non post primas, sed postremas preces, contigisse, existimandum. Nec enim verisimile est, post missum angelum anxietatem nihil remisisse.*

In nonnullis Græcorum, & Latinorum codd. omittitur illud de guttis sanguineis, & angeli confirmatione: ut testantur Hilarius lib. X de Trinitate, & Hieronymus lib. II adversus Pelagianos. Nempe videntur ea præteriisse, quia putarent, non convenire Christo tanta naturalis in homine imbecillitatis documenta. Hieronymi quidem verba sunt ista: *In quibusdam exemplaribus, tam Græcis, quam Latinis, invenitur, scribente Luca, Apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum, haud dubie dominum Salvatorem.* Hieronymum interim agnovisse ea verba pro genuinis, ostenderit hæc ejus verba: *Salvator in passione ab angelo confortatur: & Critobulus meus non indiget auxilio Dei.*

15. §. *Mirantur non pauci tantam anxietatem: eo magis, quia martyrum plurimi ad mortem processerint alacres, ac læti. Veterum nonnulli ajunt, sic doluisse non propter se, sed propter alios, partim amicos, partim inimicos: illorum periculum; horum etiam exitium, prævidisse.*

Ambrosius in Lucam cap. XXII: *Tristis videbatur, & tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: Percutiam pastorem, & dispergentur omnes. Tristis enim, quia nos parvulos relinquebat &c. Neque distat à vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos.* Hieronymus in Matth. cap. XXIV: *Contristabatur non timore patiendi, qui ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timoris arguerat: sed propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorum, & rejectionem populi Iudæorum &c. Tunc ait illis, tristis est anima mea usque ad mortem &c. Quæ contristatur, anima est: & non propter mortem, sed usque ad mortem contristatur, donec Apostolos sua liberet passione.*

16. § *Sed uti ista magnum attulisse Christo mærorem existimo: ita non dubito, quin angor ille imprimis sit profectus ab instantis horrendæ passionis metu, τῷ Λόγῳ, sive divina Christi natura, nolente exerere suam potentiam, nisi sic, ad tempus, humana patiente natura, graviores perpeteretur pœnas pro nobis. Itaque non tam angebatur ob passionem, quam ob passionis caussam.*

Ut recte observavit Thomas Aquinas: idque præeunte B. Ambrosio in cap. XXII Lucæ.

17. §. *Nempe animo Christi obversabatur ira Dei ob peccata generis humani, propter, quæ atrox adeo supplicium esset subiturus. Martyres autem Deum sensere placatum; eoque cum gaudio accedebant ad tormenta, & mortem præsentissimam. Præterea in hac supplicii acerbitate, à Patre imposita, sponteque suscepta, non, ut in martyribus, solum oppugnabatur bonum animale, quod commune iis cum Christo fuit, sed etiam bonum spirituale, communioque cum Deo. Nec opitulabatur Λόγος infirmitati humanæ: unde illud*, Deus mi, cur me deseruisti?

De quo bifariam hic videas peccari à compluribus. Sunt qui nimis jejune loquuntur: sunt qui nimis exaggerent. Prius faciunt, qui inter Christi & martyrum cruciatus non distinguunt, cum hi solum pertulerint corporis cruciatus, in Christo imprimis attendere oporteat cruciatus animæ. Etiam in martyres ubertim solatia à Spiritu S. defluebant: in Christo cessabant ad tempus solita solatia. Martyres non sentiebant Dei iram: sentiebat Christus, non quidem erga se, sed erga genus humanum, pro quo se stiterat vadem.

Nimis vero cruciatus Christi exaggerant, qui existimant, ita fuisse inferni cruciatibus immersum, ut dubitarit de amore Dei, nec spem senserit emergendi è tantis malis.

malis. Sensit Christus tantum dolorem quantus cadere possit in animam, sed Dei amantem, Deoque caram: de cujus erga se amore nec leviter dubitavit, nec tantillum desperavit: quemadmodum nec ullos conscientiæ angores persensit, sponte omnibus malis obviam ivit, latroni etiam promisit paradisum: animam etiam cum magno clamore exhalavit: infiniti fuere cruciatus, verum non tempore, vel magnitudine, sed personæ dignitate. Plura si de istis voles, vide Robertum Locum Anglum in Essigatione veri Sabbatismi *a*.

a Edit. Londin. an 1605, pag. 122. & 9. seqq.

18 §. *Videamus nunc, cujusmodi in hoc animi sui angore sermo fuerit Christi cum tribus discipulis. Mandarat iis, ut dum anima ejus usque adeo tristis foret, illi sustinerent, & una cum Christo vigilarent. Inde paullum progressus, in faciem prociderat, Deumque orarat. Hinc rediit ad suos: quos reperit dormientes. Tum Petro dixit,* Non potuistis una mecum hora, *hoc est, brevissimo tempore*, vigilare?

Ubi Petrum potissimum compellat, quia is jactantius sese antea gesserat: ut nunc præcipue ejus esset vigilare.

19. §. *Tum iterum præcepit hoc pacto:* Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Græce est, γρηγορεῖτε. quod proprie valet, ne somno indulgete: sed figurate significat, attendite rebus vestris. Hic id verbi sumitur communiter, κατὰ σύλληψιν, nempe tum proprie, tum tralatitie, cujus generis complura adduxi exempla Institutionum Oratoriarum lib. IV. cap. X sect. VII. Sententia igitur est Christi, non convenire Apostolis, ut nunc sint somniculosi, cum gravissima immineat tentatio, quia jam jam morti sit tradendus. Non poterat aliter esse, quin iis, qui temporale, ac mundanum Christi regnum somniarent, ea res gravi esset offendiculo. Proinde jubet eos orare, ne intrent in tentationem: h. e. non ut ne tententur, quod ex decreto de morte Christi omnino consequebatur; sed ne tentationi gravissimæ, quam effugere non liceret, turpiter succumberent.

20 §. *Atque ut ad orandum magis excitaret, addidit quoque pulchram hanc γνώμην:* Spiritus quidem promtus est, at caro infirma.

Græce est Matth. XXV. 41: Τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής. Per πνεῦμα, sive spiritum, signatur facultas animæ ea, quæ dictat, quid recta ratio postulet. Per carnem vero facultas illa, quæ suadet, ut obsequamur desideriis carnis. Πνεῦμα igitur, uti alibi sæpius, ita hic est, quod Apostolo Paulo tum νοῦς sive mens vocatur, tum ὁ ἔσω ἄνθρωπος, *interior homo*. Nec tamen πνεῦμα hominis sic semper accipi putandum. Nam pro toto animo, sive utraque animæ facultate legimus Matth. V. 3. μακάριοι πτωχοὶ τῷ πνεύματι, & Act. XIX, 21, de Paulo, qui decresset ἐν τῷ πνεύματι, transita Macedonia, & Achaia, ire Hierosolymam.

21. §. *Iterum inde abiit, ac oravit, ut superius relatum. Secundoque reversus ad discipulos, secundo reperit dormientes. Videlicet oculi plane erant gravati præ mæstitudine. nec satis ipsi capiebant, quid dicerent.*

Cur mœsti remedium à somno petant, diximus lib. III. Idololatriæ gentilis, & Physiologiæ Christianæ cap. XXXIV.

22. §. *Tertio recessit, ac non verbis quidem, sententia tamen, eadem precatus fuit. Sed tertio rediens, denuo dormientes invenit discipulos: quos sic compellavit* a: Dormite jam, & requiescite. *Quæ est εἰρωνικὴ concessio. Nam, ob advenientes milites dormire iis non permittebatur. Sequitur enim:* Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce, appropinquavit, qui me tradet.

a Matth. 26. 45.

Ubi per *horam* intelligit mortis tempus. Uti & similiter Ioa. XII, 27: *Pater, servato me ex hora hac, sed propterea veni in horam hanc.* Per *peccatores* autem (ἁμαρτωλοὺς) milites Romanos è cohorte illa, quam Præses Romanus festis soleret diebus adhibere ad templi custodiam vigilibus Judæis: quos στρατηγοὺς in Euangelio vocant Marcus *b*, ac Ioannes *c*, & in Actis Lucas *d*. Ipsam cohortem σπεῖραν nominat Matthæus *e*, & Ioannes *f*, νεὼ Flavius Iosephus: quem de hac consuetudine vide: lib. VIII. Antiquit. Iudaic. cap. IV. Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, sive vigilum præfectus, ut Romani vocitassent, unus erat è sacerdotibus, dignitate Pontifici Maximo proximus. De quo fusius disseruit illustrissimus Hugo Grotius.

b Marci 14. 65.
c Joannes c. 6. 32. & 45. Item c. 18. 3. 12. & 22 Adhac c. 19. 6.
d Act. 5. 22. & 26.
e Matt. 27. 27.
f Ioa. 18. 3.

FINIS LIBRI PRIMI.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
HARMONIÆ EUANGELICÆ
DE
DOMINICA PASSIONE,
Morte, Resurrectione, ac Adscensione,
LIBER SECUNDUS:
Qui est de passione, morte, ac sepultura.

Cap. I.

De apprehensione Christi, primi ejus passionis parte.

1. §. *HÆc fere sunt, quæ dicere habui de iis, quæ præcesse re passionem Dominicam, ac proxime quidem, de Christo se precibus sanctis præparante ad Passionem, ac quodammodo etiam auspicante.*

Omni pene vita multa quidem Christus perpessus fuit: sed ea rectius censentur nomine προπαθείας, q. d. *propassionis*, quibus probari oportuit patientiam, ac tolerantiam Christi priusquam in vitæ extremo gravissima illa, & animo, & corpore, sustineret. Quod non ita capiendum, quasi Deus non antea perfecte sciret, quantum perferre Iesus posset: sed quia idem vellet cognoscere scientia, ut vocant, experimentali: secundum quem modum Deus etiam in Scripturis sæpius aliquid cognovisse dicitur: ut Genes. XXII. 12, & alibi. De hujusmodi igitur passione nunc loquemur. Ac uti obedientia communis initium capit à circumcisione, ministerium à baptismo; ita passio hoc modo intellecta incipit à captivitate.

2 § *Passus autem, non prout est Λόγος, sed quatenus carnem adsumsit.*

Aliter illi, qui dicebant, Ἔπαθεν ὁ Θεός, ὡς ἠθέλησεν a, *Passus Deus, sicut voluit.* Sed eos in suo adversus illos sermone abunde refellit Athanasius. Culpat vero, quod de natura rogati, quæ passioni obnoxia non est, respondeant de voluntate, quæ naturæ nequit repugnare, cum Deus nequeat se ipsum negare, teste Apostolo b. Hinc est, quod ait, σύμφωνον δεῖ τῇ φύσει τὴν θέλησιν εἶναι, *consentaneam decet naturæ esse voluntatem.* Hoc ab iis negligi, qui adscribant Deo τὰ οὐχ ἁρμόζοντα θείᾳ φύσει. *non convenientia naturæ divinæ.*

a *Athanasius* tom. 2. pag. 201. edit. Paris. an. 1627. b 2 *Timot.* 2. 13

3 § *Passionis sex facimus partes pro sex locis, in quibus Christus fuit.*

Sed septem partes pro septenis fuerint locis, si annumeremus angores, quos in horto Gethsemane est perpessus, paullo antequam caperetur: uti dictum extremo libro præcedente. Malui vero passionem ordiri ab eo tempore, quo cæpit in hostium esse potestate, ut dixi. Id quo pacto evenerit, deinceps exponam.

4. § *Prima Passionis pars est, quod, à monte olivarum progrediens Iesus, proditione Iudæ capitur, mox vincitur, ad Annæ domum rapitur, atque ab eo, ita uti erat ligatus, ad Caiaphæ domum mittitur. In hac parte, quæ varias circumstantias complectitur, primum considerabimus, quomodo Iesus, omnium, quæ futura erant, gnarus, processerit obviam Iudæ, adventanti cum cohorte Romana, & Iudæis ministris, perpetuis templi custodibus: idque cum laternis, facibus & armis: ut est Ioan.* XVIII. 3.

Cohortem vocat σπεῖραν. Erat vero Romanis cohors sexcentorum militum. Nam, ut L. Cincius apud Agellium ait lib. XVI cap. IV: *In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Cohorti qui præesset, tribunus dictus: uti & qui legioni. Nempe duplices fuere tribuni, alii legionis, alii cohortis. De priori Horatius a: *Quod mihi pareret legio Romana tribuno.* a Lib. 1. sat. 6.

Nec tamen unus uni legioni tribunus: sed senis commune imperium: sic interim, ut per vices bini binique regerent. Hic de tribuno non legionis, sed cohortis est sermo: Sane vulgatus interpres *tribunum* vocat: idque præeunte Cæsare lib. II belli Civilis, & Plinio lib. III Epistol. Ac vetus Iuvenalis Scholiastes, illud sat. I: *Curam sperare cohortis;* interpretatur *Tribunatum militum.* Quod jamdiu Lipsio monitum lib. II De militia Romana. Dial. IX. V. Qui vero Romanis *tribunus*, is Græcis χιλίαρχος, etiamsi cohorti solum præesset. Hinc Ioa. XVIII. 12: Ἡ οὖν σπεῖρα, καὶ ὁ χιλίαρχος, καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων συνέλαβον τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἔδησαν αὐτόν. *Cohors igitur, & tribunus, ac ministri Iudæorum, comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum.* Proprie tamen χιλιάρχης vel χιλίαρχος *millenarius*: ut non satis apte sic reddatur. Græcis quidem χιλίαρχος præerat militibus mille: sed Romanis tribunus cohortis, ut dixi, tantum præfuit sexcentis: legionis autem, sex millibus. Nec tamen censeo, sexcentos milites ad unum Iesum capiendum missos fuisse. Verisimilius est, bonam partem permansisse in Urbe ad custodiam templi. Ut σπεῖρα sive cohortis vox hic ἐκ συνεκδοχῆς sumatur. Magnus vero ille ardor capiendi Christi, quod in ipso plenilunio veniunt cum facibus, & laternis. Nam quorsum hoc, nisi ut angulos omnes perreptarent, necubi forte abditus lateret?

5. §. Por-

5. §. *Porro Iudas, qui huic turbæ præibat, eam mo nuerat, ut quia Christum non nossent, illum apprehenderent, quem ipse oscularetur. Ergo simul ac Christum in conspectum venit, inquit ei,* Ave, rabbi, *& osculum ei dedit. Iesus qui præsciret, quid esset futurum, sic eum est affatus,* Amice, a l quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis?

Augustinus serm. cxvii de Tempore: *O signum sacrilegum, ubi osculo incipitur signum: per pacis indicium rumpitur pacis sacramentum.* Videlicet ut Ioab *a*, filius
a 2 Reg. sive Sam. 20. Sarviæ, Amasam, quem David exercitus ducem constituerat, osculo excepit, atque addidit, *Salve, mi frater:* verum occulte eum, præ invidia, transfodit; ita & Iudas Iscariot, amorem simulans, domino, quem prodere vellet, osculum, pacis symbolum, dedit. Nempe ut nos salutantes sæpe manum alterius apprehendimus: ita ex Orientalium more, salutantes, se invicem osculabantur. Unde Paulus 1 Corinth. xvi, *Salutate vos invicem in osculo sancto.* Neque hoc solum in salutando: sed alias etiam in dilectionis mutuæ signum: ut videre est ex Luc. vii. 44. Atque à Iudæis accepere Christiani, ut liquet, cum alicunde, tum ex Iustini Apologetico, & Tertulliani secundo ad uxorem. Imo hodieque eum morem observant Ecclesiæ Orientis. Usque adeo autem veteres Christiani detestabantur hujus osculi memoriam, ut propterea, quo tempore Passionis Dominicæ memoria recoletetur, osculo abstinerent. Amalarius Fortunatus de Ecclesiasticis Offic. lib. 1. cap. xiii: *A pacis osculo in istis diebus nos abstinemus, non quod pacis osculum malum sit, ubi ex caritate vera profertur: sed ut demonstretur, quam injuriam passus sit Christus à suo proditore: ut & nos vitemus eandem injuriam in fratribus.* Idem innuit lib. iii cap. xliv. Etiam apud Ruptum Tuitiensem est lib. vii de Divinis Offic. cap. xii: *Iudæ traditoris probrosum execrantes, & anathematisantes osculum, quo filium hominis tradens, sanctum & innocens Apostolorum infamavit collegium apud eos, qui foris erant, & occasionem maledicendi præbuit detestandique eos, quorum sanctitatis æstimatio magna fuerat; ut de illis tale quid cantitarent, quale illud est, Et crimine ab uno Disce omnes.*

6. §. *Hinc Iesus ab Iuda propius iit ad turbam.*

Atque ita, qui cum ad regnum quæreretur, aufugit, quæsitus ad crucem ultro se obtulit: ut est apud Petrum Damiani sermone de S. Eleucadio *b*: item Bernardum ser-
b Sub finem. mone de S. adventu.

7. §. *Hinc alacri animo turbam rogavit, quem quærerent.*

Non quasi nesciret; sed ut, ipsis hoc referentibus, commodam haberet occasionem aperiendi sui. Oculi enim eorum sic divinitatis vi tenebantur, ut, quem tenerent, nescirent; ne quidem dux eorum Iudas.

8. §. *Illis ergo respondentibus, quæri à se Iesum Nazarenum, Christus se illum esse professus est. Tum illi retro cesserunt, quasi potentia Christi dissflarentur, inque terram conciderunt supini.*

Ita videmus, ut quemadmodum in vita reliqua, sic quoque in extrema, ostenderit Christus, tum humilitatem ac benignitatem, tum majestatem ac potentiam. Humilitatis erat, quod Iudam proditorem admitteret ad osculum. Majestatis, quod vocibus istis, *Ego sum*, prosterneret inimicorum catervam. Nempe vis ista Dei in carne latentis, Dei illius, *quo surgente disperguntur, & pereunt omnes inimici:* ut est Psal. lxviii. Vide Ambrosium in Psal. xxxix, Augustinum tractat. cxii in Ioan. & Gregorium Mag. lib. xxxi Moral. cap. viii. Ea Iudam, & turbam, debuerat à scelesto proposito revocare. Nunc non alio æque valuere, quam ut eos redderet inexcusabiles. Quodsi parva licet componere magnis: aliquid simile in Romana habemus historia. Nam ut ait Valerius Max. lib. viii cap. ix, *Missi a sævissimis ducibus* (Mario, Cinnaque) *milites ad M. Antonium* (oratorem) *obtruncandum, sermone ejus obstupefacti districtos jam, & vibrantes gladios, cruore vacuos, vaginis reddiderunt.* Ac Velleius de eodem lib. ii, *gladiis militum, quos facundia sua moratus erat, jussu Marii Cinnaque confossus est.* Ac similiter Plutarchus in Mario, & Appianus lib. i belli civilis.

9 § *Surrexisse hinc videntur, qui ceciderant. Denuo eos rogavit, quem quærerent. Illi, quia miraculo istà à contumacia non recesserant, iterum reposuere nomen Iesu. Christus rursum indicare, se illum esse. Sed rogavit, ut se si quærerent, discipulos pro quibus sollicitus quoque erat, permitterent abire.*

Atque ita (ut est apud Ioannem xviii, 9.) impletum est, quod oratione sua ad Patrem dixerat *a*, *Eorum quos* a Ioa. 17.
mihi dedisti, perdidi neminem. Puta, præter perditionis 12.
filium. Aliorum negat se ullum perdidisse, vel corporis, vel animæ ratione: sed servasse universos, quo postea spiritum S. acciperent, & incrementa conspicerent regni Messiæ. Eo quoque dimisit discipulos, quia ostendere voluit durare amorem suum usque ad finem; ut est Ioan. xiii. Quam rationem adducit Theophylactus in Ioa. cap. xviii. Tum etiam quia solus pati deberet, sine alienis auxiliis: ut est Esai. lxiii. Item quia nollet discipulos tentari supra vires: sicut legimus 1 Cor. x. 13.

10 §. *Tum demum manus injecta est Domino à milite Romano, templi custode. Nempe ut præceperat Synedrium.*

Concurrunt hic major, minorque potestas. Major est senatorum Synedrii, qui Matthæo xxvi. 47. dicuntur ἀρχιερεῖς, καὶ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ. ac Levit. iv. 15, οἱ πρεσβύτεροι τῆς συναγωγῆς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Ab his diversi fuere singularum civitatum senatores, qui dicti πρεσβύτεροι τῶν πόλεων. At minor, quæ hic concurrit, potestas est τοῦ στρατηγοῦ, sive præfecti vigilum Iudaicorum ac Romanæ cohortis, quæ die festo ob majus periculum in tanto undique hominum confluxu vigilibus templi ordinatiis à Præside Romano addi ex Antonia solebat. Nam in hanc etiam cohortem potestatem fuisse sacerdotibus, arguit illud Pilati, κουστωδίαν ἔχετε. de quo postea dicemus.

11. §. *Ex iis, quorum fervor in apprehendendo Christo præcipue eluxit, videtur fuisse Malchus.*

Hoc nomen sonat regem. Sed re erat servus: nempe famulus principis sacerdotum. Ac doctissimus, sed virulentus Christianæ religionis hostis, Porphyrius, primitus idem *Malchi* nomen habuit: unde vita Pythagoræ ab eo exarata Malcho inscribitur: ut videre est ex editione Rittershusii: postea autem nomen maluit Πορφύριος: quomodo reddidit Græce, quia reges gaudent purpura.

12. §. *Discipuli cum quid rerum ageretur, viderunt, rogavere Christum, an non esset tempus gladios educendi, quos peregrinantium more gestarent. Petrus vero, injussu etiam Christi, auriculam abscidit Malcho. Quod Christus male tulit. Itaque & eam Malcho restituit, & Petrum objurgavit, atque officii commonuit.*

Quantus fuerit Petri zelus, multis Scripturæ locis dilucet. Igitur servo, manum injicienti Christo, medium diffindere caput cogitabat. Factum valde imprudens. Nam quid unus potuisset adversus tam multos? Quin

vero sic potius nocuisset & sibi, & domino. Ac sibi quidem, quia grandis sit culpa publicos violare ministros. Domino autem, quia videri poterat jussu ejus fecisse. Sed Deus ita direxit ictum, uti nonnisi dextram amputaret oricillam; non sic quidem, puto, ut ea decideret humi, sed ut de aure dependeret. Hoc vulnus sanasse Christum dicit Lucas. Nec contentus eo Dominus, factum illius publice improbavit.

13 §. *In admonitione ea Petri attendere oportet; tum cujus illum rei commoneat; tum quibus de caussis. Monet autem, ut gladium recondat in vaginam. Ratio adfertur hujusmodi, quod qui gladium eduxerit, gladio sit periturus.*

Excutit ea verba Cajetanus Ientaculi sexti Quæstione tertia. Omnino autem non vaticinium est, sed comminatio. Ut Genes. IX: *Omnis, qui effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis effundetur.* Quo pacto aliqui etiam verba illa capiunt: *Quocunque die comederis de arbore vetita, morte morieris.* Censent enim, salva ejus dicti veritate, potuisse Deum ignoscere: sed maluisse alterum, atque id convenientius, vel saltem non minus conveniens judicasse. Quam quæstionem alibi diligentius expendimus.

Dixeris, licere vim vi repellere: atque id factum esse à Petro; qui non occidendi quemquam libidine, sed ut iniquam vim à Domino arceret, gladio usus sit. Verum aliter est. Nam etsi non teneamur vim vi repellere, etiam adversus latrones: esse tamen id concessum cuique. At vim inferre magistratui, vel, cum publica auctoritate missis, neutiquam jus esse, ne quidem inique si judicent, sed vindictam tum Domino esse committendam.

Toleranda igitur tum vis, etiam injusta: quia nisi à privatis hæc vis feratur, effreni licentiæ, ac tumultibus porta aperitur, nullaque vel legum, vel judiciorum, futura est auctoritas. Sane sic animati fuere veteres Christiani, qui innocentes nocentibus cedebant, occidi malentes, quam occidere; etiam cum vires ad ultionem, suique defensionem minime deessent: ut ostendunt Tertullianus in Apologetico, & Cyprianus ad Demetrianum.

14 §. *Addit etiam Iesus, nec tali sibi defensione opus esse: ut qui, non dico* XII *angelos, sed vel angelorum legiones* XII, *possit impetrare à Patre.*

Legio una sex millium erat: ut è Vegetio, atque aliis, constat. Atqui angelus unicus in exercitu Senacheribi occidere potuit CLXXXV militum millia. Quid igitur ad hæc una Romanorum militum cohors?

Miretur aliquis eum, qui tantum posset, non se iis viribus eripuisse periculo. Respondet ipse, decretum obstitisse divinum, prophetarum oraculis indicatum, cui obniti sit nefas.

15 §. *Praterea dixit Christus turbæ, Matt.* XXVI. 55. Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus (*sive clavis*,) comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam, docens in templo, & non me tenuistis.

Græce est, *καὶ οὐκ ἐκρατήσατέ με*. Quo significavit, se capi ab illis voluntate Patris, non eorum viribus. Atque id manifestius faciunt verba, quæ subjunxit: *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Quasi dicat: Antea cum diebus singulis vobiscum in loco publico considerem, non injecistis manus, quia nondum venerat hora illa, qua vobis & tenebrarum spiritibus & malorum spirituum ministris in ignorantiæ tenebris adhuc degentibus omnia hæc à Patre meo cælesti permittuntur.

16. §. *Dehinc fuere discipuli, alii post alios, diutius, ut videtur, subsistente Petro, ac post illum etiam Ioanne.*

Qui cap. XVIII. 4. & seqq. refert deinde gesta, sed per retrogressum: nempe ante illa de abscissa Malcho auricula. Alii quod omnes fugisse dicuntur, aliter conciliant. Nam primo & Petrum, ac Ioannem, fugisse: sed postmodum reversos, ac Christum secutos.

17. §. *Dum Christus capitur, fugientibus discipulis, juveni cuidam, qui non longe aberat, manus fuere injectæ; ille autem cum sola sindone esset indutus, in manibus eam arripientium reliquit, atque ita plane nudus aufugit.*

Nempe sindon nocturna erat vestis, quæ ἐπικαμίσιῳ nostro, sive indusio respondet. Sane cubitoriam fuisse vestem, indicant illa Dionysii, Alexandrini episcopi, apud Eusebium *a*: Κἀγὼ μὲν, οἶδεν ὁ Θεὸς, ὡς λῃστὰς εἶναι πρότερον ἡγούμενος ἐπὶ σύλησιν καὶ ἁρπαγὴν ἀφικομένους, μένων ἐπὶ τῆς εὐνῆς ἤμην γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι, τὴν λοιπὴν ἐσθῆτα παρακειμένην αὐτοῖς ὤρεγον. *Equidem, scit Deus, ut primo existimans latrones esse, ad prædam rapinamque venientes, inque lectulo manens, ubi nudus eram linea in veste, reliquam vestem, quæ proposita erat, illis porrexerim.* Vides, ut dicat, nudum in linea veste, non quasi prorsus nudus, sed quia prope nudus. Unde Galenus: Μὴ γυμνὸς κομιζέσθω, ἀλλ' ἐπιβεβλημένος σινδόνα μὴ ψυχρὰν, ἢ ἕτερον ἐπίβλημα. *Ne nudus feratur, sed com tectus sindone non frigida, aliove amictu.* Quasi dicat, si non veste exteriori, minimum saltem sindone, sive interiori tunica linea. Glossæ vett. Σινδών, *tunica linea.* Itaque parum quis tutus in ea adversus injurias aëris. Unde de endromide Sequanica sic Martialis:

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres:
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Sententiam puto: Elegans quidem est Tyria sindon: sed tutior multo sis endromide Sequanica. Nisi cum Casaubono *b* malis extremo loco, *cultus eris*. Ut commendet non modo ab utilitate, sed etiam elegantia. Sed non possum in animum inducere de elegantia ejus vestis, qua uterentur adversus pluviam, & ventos. Quicquid est, interius gestabatur, imo sola quandoque ab iis, qui vitam sectarentur ἀσκητικὴν: ut Serapio ille, qui, quia sindone sola amictus obambularet, *Sindonites* dicebatur: teste Theodoreto, & Palladio in Lausiacis. Videtur autem juvenis ille, qui relicta sindone in militum manu plane nudus aufugit, non tam è propinqua domo ad nocturnum clamorem è lectulo sic subito occurrisse, quam è domo, ubi pascha cum Christi discipulis comedisset, amore Christi secutus esse. Ac Theophylactus cum varias adferat opiniones, hanc primo recenset loco. Habes & apud Euthymium. Nec eum casu, ob tumultum excitatum, ut aliqui volunt, accurrisse, arguunt illa Euangelistæ verba, ἠκολούθει αὐτῷ. Quorum verborum non alia est mens, quam quod secutus sit Christum, jam antequam ex Iudæ adventu tumultus esset excitatus. Nempe amabat Christum, & sequebatur ob periculum, quod ei intellexerat imminere. Iam ante tamen cubitum se receperat: ut indicio est, quod solum sindone fuerit indutus. Sed quia cognorat, quid ageretur; cum in lecto jam jaceret, surrexit: atque ita sine veste exteriori, quia nox erat, Christum sequi non dubitavit. Qui cum Ambrosio, Gregorio, Beda, aliis censent, B. Ioannem fuisse, magnos quidem sequuntur auctores, & inclinare etiam eo videtur Baronius ad an. XXXIV num. XXXIX: sed nihil solidi pro se afferunt. Nec enim ille dormiturus cubuerat: sed in tricliniari lecto cibum sumserat, ubi exterior vestis poni non solet; nisi forte à delicatioribus, qui cœnatoriam assumerent. Non is mos discipulis Christi. Atque ut in tunica jacuisset Ioannes, quod neutiquam est verisimile, pudor suadet, ut credamus, exutum eam non iterum adsumsisse. Fortasse nec satis convenit, quod diminutive νεανίσκος appellatur. Verum vox ea laxius sumitur: unde vulgatus vertit *adolescens*.

a Histor. Eccles lib. 6. Histor. cap. 40.

b Exercitatione 16 ad Annales Baronii.

Imo

Imo & in codd. nonnullis *νεανίσκοι* vocantur, qui hunc *νεανίσκον* apprehenderunt. Sed Syrus habet, ut vulgata.

18. § *Nec cohortis præfecto sufficere visum, si caperent Christum. Etiam vinclis constrixit.*

Augustinus in Ioan. tract. CXII: *Ligaverunt eum, à quo potius solvi debebant, & liberati dicere, Dirupisti vincula mea &c.*

19. §. *Quod factum è consilio Iudæ. Nam dixerat ille, ut est Marci* XIV. 44: Comprehendite (*quem osculatus fuero*) & abducite caute. *Græce, ἀπάγετε ἀσφαλῶς.*

Veritus is, credo, ne inconspicuus elaberetur è turba; quod antea contigerat non semel.

20. § *Cumque ligare volentes posset nullo negotio vel effugere, vel impedire: passus eos tamen: idque propter nos, ne nos (ut loquitur Iudas vers.* 5. *&* 6.) ad judicium magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservaremur.

Quod immensi fuit amoris erga nos: imo & humilitatis. cui hoc tribuit Ambrosius in epist. poster. ad Philippenses: sed humilitatis generosæ, & conjunctæ cum sapientia, quæ longe omnem humanam exsuperaret. Unde Augustinus in Psalm. LXVIII: *Quid tam simile est imprudentiæ, quam cum haberet in potestate, una voce suos persecutores prosternere, patienter se teneri? &c. Stultum videtur: sed stultum hoc superat omnes sapientes.*

21. §. *Ita ligatus deducitur ad domum Annæ.*

Hoc honoris est habitum Annæ, quia foret socer Caiaphæ, principis sacerdotum: quem credibile est, nihil magni sine socero agere solere. Et erat ejus domus in via; ut prætereunda foret euntibus ad Caiapham: quemadmodum ait Augustinus in Ioannem tractat. CXIII. Ut verisimile sit, milites voluisse oculos senis pascere ejus spectaculo quem in triumphum ducerent: ut est apud Chrysostomum in Ioa. homil. XXVIII. Et credo, dum hic est, aliqui præcurrere, qui, Caiaphæ significarent de capto Iesu, quo quam primum posset concilium convocare. Hæc ut simpliciora, sic veriora, puto, quam caussam illatam à Cyrillo lib. XI cap. XXXVII, *quod ille Iudæ proditori pactam mercedem promisisset; & illa etiam nocte solvisset.* Nam quid opus recurrere ad conjecturam tam incertam?

22 § *In ea domo multa Iesus creditur perpessus, quæ ab Euangelistis narrantur. Sed cuncta illa ad Caiaphæ domum pertinere, parebat Ioannem cum tribus Euangelistis conferenti.*

Ab Anna igitur nihil actum statuimus, nisi quod, sicuti viderat Christum ligatum, ita miserit ad generum. Iccirco deductionem ad Annam præteriere tres priores Euangelistæ.

23. §. *Inde autem ad Caiaphæ domum deductus fuit, quia is foret anni ejus Pontifex Max. Inque hujus domo congregatum erat Concilium ad consultandum de Christo capto.*

Qui interfuere ei concilio, hoc ordine recensentur à Matthæo cap. XXVI: Ἰησοῦν ἀπήγαγον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα, ὅπου οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι συνήχθησαν. *Iesum duxerunt ad Caiapham, principem sacerdotum, ubi Scribæ, & Seniores convenerant.* Nimirum, qui eruditionem attenderent, priori loco duxere Scribas; interim dignitatis ratione potiores erant Seniores. Utrique in domo Caiaphæ sunt collecti, dum Christus in domo Annæ morabatur. Porro cum duo priora concilia fuerint de capiendo Christo: hoc, & quod est consecutum, fuere de capto Christo. Ac prius quidem horum nocturnum fuit: posterius diurnum. Nunc nocturnum aggredior.

CAP. II.

De altera Passionis parte, quæ consistit in Christi accusatione, damnatione, illusione. Adnexum his de Petro Christum abnegante.

1. §. *Christus ad Caiaphæ domum tractus, primum falso accusatur, tum impie damnatur, hinc fœde reliqua nocte illuditur: quæ tria constituunt alteram Dominicæ Passionis partem. Quod ad accusationem, in ea, totoque judicio, talia Caiaphas gessit, quæ non judici, sed inimico convenirent. Quid mirum? quando homo erat avarus, planeque perditus.*

Quod cognoscere est ex Flavio Iosepho lib. XVIII Antiquit. cap. III. & VI.

2. §. *Talis cum foret, sic omnia componebat, ut videretur Christus merito insimulari tum falsæ doctrinæ, tum seditionis, regnique affectati. Ac primo rogatus est Christus de doctrina, ac discipulis suis.*

Interrogatum ab Anna, scribit Cajetanus Ientaculi primi quæst. tertia. Sed omnino ad Caiapham ea pertinere, liquet ex dictis.

2. §. *Christus, bene sibi conscius, libere respondit, non se rogandum de doctrina. De discipulis reticuit; quia ex doctrina penderet quæstio de discipulis.*

Verba Christi, *Quid me interrogas?* Videri possit Christus non satis decore se gerere coram sacerdote summo. Sed hoc vult Christus, non se rogandum, qui reus sit, ac cui pro se loquente non haberetur fides. Vide de iis verbis Cajetanum ibidem disserentem.

3. §. *Addidit, rogandos alios, qui audissent docentem; idque & in Synagoga & templo.*

Quantum duo hæc differant, arguit, quod Hierosolymis templum fuerit unicum; synagogæ CCCCLXXX, ut alibi dicimus.

4. §. *A Ministrorum uno, ob liberum indignante responsum, alapa est cæsus. Unde dilemmate hujusmodi convictus est à Christo: Si male locutus sum, testare de malo: si bene, cur me cædis?*

Alapa cæsus non alteram præbuit maxillam, sed ratione se tuetur: unde liquet, Christi præceptum Matth. V. non aliud jubere, quam, potius quam vindictam sumamus, alteram etiam maxillam esse obvertendam.

5. §. *Post alios testes falsos, duo significarunt, se audisse dicentem? Ego dissolvam hoc templum manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo. Atqui non erat locutus de templo manufacto: nec dixerat, se velle destruere, sed, illos destructuros.*

Nam verba ejus fuere: *Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Sed summum hæc vana poterat ostentatio videri. Cui enim damno futurum, si templum disjectum instauret? Nihil igitur hæc accusatio valuisset apud Pilatum.

6. §. *Propterea alia insistenda erat via. Surgit igitur Caiaphas.*

Nempe ante sedebat, ut judices solent. Nunc singulare aliquid acturus surgit: ut etiam solent, qui lecturi essent in synagogis: quod liquet ex Luc. IV. 16.

7 § *Bis vero rogat Christum, an esset filius ille Dei. Primo rogat simpliciter. Cui tum respondit Christus:* Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

Ut est Luc. XXII. 67.

8. §. *Iterum deinde interrogatur; sed cum adjuratione.*

Adjurare is dicitur, qui Dei nomine, & quasi mandato, aliquem ad loquendum adstringit.

9. §. *Tunc ob reverentiam numinis respondit Iesus, ut est apud Matthæum:* Tu dixisti: *sive, ut apud Marcum est*, Ego sum.

Siquidem ista Hebræis *ἰουδαϊσμοί*: ut vim deperdat argutiola B. Augustini, sic verba ea interpretantis: *Non ego dico, sed tu ais.*

10. §. *Sane non hoc modo dixit Christus: sed etiam addidit, utcunque nunc humilis, & reus, tribunali adsisteret, fore nihilominus, ut eundem aliquando conspicerent sedentem ad dextram Dei, gloriæ & potentiæ divinæ consortem: ut in nubibus etiam venientem videant ad omnes judicandos.*

Nempe solet Christus incredulos Iudæos remittere partim ad resurrectionem, ut cum dixit, non habituros aliud signum, quam Prophetæ Ionæ: partim ad judicium extremum, ut hoc loco. Quod autem dicitur, *ἀπ' ἄρτι*, (vulgatus, more sui seculi loquens, *amodo* reddidit, pro *deinceps, posthac*) non notat *statim*; sed significat, non amplius se visum iri, quam extremo judicii die. Quippe secundum adventum opponit primo. Pluribus de hoc Christi responso agit Cajetanus Ientaculi primi quæstione tertia.

11. §. *Tum Pontifex, qui adegerat ad veritatem dicendam, quamquam gauderet, quod factus sic esset voti compos, nihilominus scissione vestis dolorem simulat.*

Multarumque is gentium mos fuit, ut in luctu, vel indignatione, rumperent vestimenta: quemadmodum videre est apud Homerum Il. X, & Maronem V, & XII Æn. Etiam in patriarcharum historia refert Moses, idem fecisse Iacobum, cum conspexisset laceram & cruentam Iosephi vestem. Et Ezechias similiter, cum tantopere blasphemasset legatus Senacheribi.

12 § *Pontifex vero, rumpens vestem, simul erupit in has voces:* Ecce nunc auditis blasphemiam.

Cæterum *blasphemare* dicitur, qui contumeliose, & impie loquitur adversus Deum, vel etiam principem.

13. §. *Addidit Pontifex:* Quid vobis videtur? *Iudices tum uno ore eum mortis reum judicarunt.*

Videlicet ex lege Levit. XXIV. 16. Ubi jubetur, ut blasphemi lapidibus obruantur. Unde & Christum ut blasphemiæ reum, lapidare voluerunt; sicut est Ioa. X. 31.

14. §. *Prior hæc condemnatio Iesu fuit quæ facta à sanedrin, h. e. synedrio, sive LXX senioribus, idque magis ob caussam religiosam, quia se filium Dei dixisset, quod blasphemum putarunt; quam ob caussam civilem, quia se regem perhiberet ejus gentis, quæ nullum regem, nisi Cæsarem, agnosceret, eoque læsæ foret majestatis reus.*

Sed argumentum posterius postea magis apud Pilatum urserunt; ut inferius videbimus.

15. §. *Ad hanc Christi condemnationem refertur hoc Ierem.* XI: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.

Ubi per panem corpus Iesu etiam intelligit Tertullianus libro adversus Iudæos.

16. §. *Postquam reus peractus, quadrifariam illusere.*

Tempus significatur particula TUNC: quæ confuse significat totum tempus nocturnum.

17 § *Prima illusio erat, quod, ut ait Matthæus* XXVI. 67, *ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ*, conspuere in faciem ejus.

Qui contemtus sane ingens fuit. Itaque & siquis nollet ducere viduam fratris sui sine liberis defuncti: jubebatur hæc, ut est Deuter. XXV, spuere in ejus faciem, & dicere: *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.*

18. §. *Deinde venerandam ejus faciem velaverunt.*

Cur autem, nisi quo tanto audacius insolentiam suam exercerent?

19 §. *Tertium est, quod partim colaphis, sive pugnis, partim alapis, sive palmis faciem ejus ceciderunt. Quod his verbis narratur, à Matth.* XXVI. 67: *Καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν· οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν*: quidem colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in ejus faciem dederunt.

Recte ita vulgatus: etsi *ῥαπὶς* proprie *baculus*. Unde Mercurius *χρυσόῤῥαπις*, à virga aurea, qua animas ille ad Orcum deducere fingebatur. Quare aliqui *ῥαπίζειν* vertunt *bacillis cædere*: ut Theodorus Beza: quem eo nomine reprehendit P. Faber lib. 1. Ἀγωνιστικῶν cap. XIX *a*. Melius res intelligetur, si erroris aperiam fontem. Multos decipit, quod inter *colaphos*, & *alapas*, non distinguant: cum *κολαφίζειν* sit διὰ τῶν χειρῶν πλήττειν συγκαμπτομένων τῶν δακτύλων, ut exponit Theophylactus *b*: at alapæ fiunt manu explicita: ut in manumissionibus. Hæc Græcis, *ῥαπίσματα*: unde Suidæ *c* τὸ *ῥαπίσαι* est πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρί. Recte igitur, ut dixi, vulgatus interpres vertit, *palmas in faciem dare*. Recte item Sedulius pro eo *palmis cædere*. Atque id clare etiam liquet ex Matth. V. 39. Ubi jubemur, siquis *ῥαπίσει* dextram maxillam, obvertere ei & alteram. Nec enim consuetudo fert, ut maxillas feriamus bacillis; sed alapis, vel colaphis. Vide &, quæ ex Glossario, & Nonno, ad ea Matthæi verba Casaubonus annotavit. Consalvus Durantus annotavit, ad S. Brigittæ revelat. lib. 1 cap. 10. Christum colaphis & alapis fuisse cæsum: ac differre ea, quod colaphus collum, alapa maxillas percutiat. Testem etiam adducit Landulphum Saxonem de vita Christi part. II cap. LX. Sed hæc satis refelluntur iis, quæ diximus.

a Pag. 71.

b Matth. c. 26. fol. 121.

c In ῥαπίσμ.

20 §. *Quarto loco convitium addidere*, Prophetiza nobis, Christe; quis est, qui te cecidit?

Oculi

Oculi erant Christo velati. Est igitur irrisio. Propbetiza, ajunt, quia vulgo insignis haberetur propheta, & se Filium Dei dixisset.

21 §. *In quatuor istis, & pœna fuit, & ignominia.*

Sed sicut alia magis ignominiæ sint, alia pœnæ: tertium magis pœnæ censendum: cætera magis ignominiæ fuerunt.

22.§. *Ad hanc historiam eorum, quæ pertinent ad Passionem Iesu in domo Caiaphæ, aliud addunt Euangelistæ: quod est de abnegatione Petri. De priori ita res habet. Dum Pontifex, & consilium Seniorum, in æde consultant interiori, Petrus consistebat in atrio, ubi ministri erant, ac qui præterea convenissent ex promiscua multitudine. Atrium vero non videtur fuisse sub eodem tecto, ac erat conclave, in quo congregati erant seniores: sed inter domum & plateam, ubi sub cælo aperto esse area solet porticibus cincta: ut hodieque in magnatum ædibus videmus.*

Festus: *Atrium proprie est genus ædificii ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit.* Isidorus lib. xv Orig. cap. III: *Atrium magna ædes est, sive amplior & spatiosa domus: & dictum est atrium, eo quod addantur ei tres porticus extrinsecus.* Sed proprie atrium non tam domus est, quam, ut ait Festus, ante ædem. Nec quia atrium pro tribus areæ lateribus totidem habeat porticus: eo conflata est vox *atrium* ex *à* & *trium*: quemadmodum nec quia *à terra* oriatur, quasi *aterrium* dicatur, ut Festus refert, nisi potius id fuerit à Paulo Diacono. sed vel est ab Atriensibus Hetruscis, qui ad ejusmodi structuram præivisse dicuntur à Festo, & ante eum à Varrone lib. v de L. L. vel potius est à Græco *αἴθριον*, quod ab *αἴθρα*, æthra, quia sit sub dio, sive cælo aperto, unde & *subdival* Latine dixeris.

23.§. *In hisce atrii porticibus ob anni tempus (erat enim medius Martius) ignis erat structus: ad quem cum aliis Petrus se calefaciebat: nunc adstans: nunc assidens.*

Utrumque enim legas apud Euangelistas. Nec tamen putandum, in porticibus illis fuisse caminos nostris similes, qui nempe gula ingenti, igne subdito, fumum excipiant, perque tectum emittant. Hujusmodi quippe spiramentis, sive fumariis, caruere veteres. Quomodo vero hi à frigore sibi caverint, docebit Philander in Vitruvii lib. VII cap. III, & Paullus Manutius Commentario in lib. VII epist. X, quæ incipit, *Legi tuas.* Fusius eam rem si exponere hic velim, metuo ne aliena ab instituto nostro videar consectari.

24 §. *Hic cum quæpiam ex ancillis Petrum conspexisset, diceret illa:* Et tu cum Iesu Galilæo eras.

Sic Christum ignominiæ caussa vocabat: ut fere solebant, qui animo erga eum iniquo forent. In caussa partim erat, quod plurimum in Galilæa versatus esset: partim quod omnes fere discipuli forent Galilæi. Quia vero promissio de nascituro Messia, Iudæ, ac particulatim Bethlehemo, facta erat, eo, qui promissum esse Messiam negarent, Galilæum dicere malebant. Itaque & Iulianus Apostata, tum Christum, tum Christianos omnes, Galilæos nuncupabat: ut est apud Socratem Hist. Ecclesiast. lib. III cap. XII.

25 §. *Petrus, audita accusatione ancillæ, turpiter sese dat. Nam cum antea sic apud Iesum amorem ejus, & in amore constantiam, jactasset: Dominum nunc negat, gallo mox canente, nec tamen resipiscente Petro. Post iterum ab ancilla, non eadem, quod ex Marco aliquis poterat putare; sed alia, ut ex Matthæo est apertum, audire cogitur,* Et hic erat cum Iesu Nazareno. *Tum iterum negare Petrus, se Christum nosse. Ac id etiam firmare juramento. Quasi horæ intervallo post tertio agnitus est à famulo Pontificis, cognato Malchi ejus, cui auriculam absciderat. Famulus iste non contentus dicere, omnino eum esse è discipulis, addebat, hoc etiam cognosci ex idiomate Galilæorum.*

Nempe uti hodie dialecto differunt Hollandi, Brabanti, Flandri: ita olim Galilæi, ac Iudæi. Sane similiter discrimen fuit inter Gileaditas, & Ephraimitas: illis SCHIBOLETH pronuntiantibus, his SIBOLETH; quæ res multis necis fuit caussa: ut est Iudicum XII. 6.

26.§. *Alterum quoque addebat argumentum, & grave: quod ipse eum cum Iesu conspexisset in horto Gethsemani. Hisce signis jam pressus, si non oppressus, crimen quoque auxit, more mortalium, ubi semel exorbitarint. Ergo, qui primo simpliciter abnegarat: ac deinde cum juramento: hic tertio non cum juramento solum abnegat, sed etiam cum detestatione, seu Christi, seu sui. Petro etiamnum loquente, iterum gallus canit. Mox etiam fit, ut, Concilio soluto, Christus ex loco interiori deduceretur in atrium, ubi Petrus erat. Quem misericordiæ oculis tacite intuens, ita commovet, ut cogitans de secundo galli cantu, & jam ter à se abnegato Iesu, foras prodiret, inque fletum amarum prorumpendo pœnitentiam delicti testaretur.*

Atque ita impletum fuit, quod prædixerat Christus de abnegatione Petri. Apud Marcum est, *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me abnegabis.* Ac credibile est, Marcum, Petri sectatorem, ipsa retinuisse verba Christi, prout à Petro acceperat: quo nemo eo melius nosse poterat. Nimirum intellexit tum prius gallicinium circa noctis meridiem, ut Varro loquitur, h. e. circa medinoctium: tum alterum sub lucis adventum: de quo Martialis:

Surgite: jam pueris vendet jentacula pistor,
Cristatæque sonant undique lucis aves.

Secundum gallicinium etiam vocant Pomponius Mela, & Ammianus Marcellinus. Sed tres alii Euangelistæ, qui simpliciter dicunt, *antequam canat gallus*, loquuntur de solo secundo: quod, ut ex Agellio, Appuleio, Censorino, & Macrobio, videre est, intelligi semper solet, quoties simpliciter *gallicinium* dicitur.

Cur vero gallus tum circa noctem mediam, tum circa auroram, canere soleat, exposuimus lib. III de Theologia gentili, & Physiologia Christiana, cap. LXXXVIII.

Excusare Petrum conantur veterum aliqui, quod negarit Deum hominem, quem Dei filium agnosceret. Ita Ambrosius in Lucam, Hilarius can. XXXI, & Theodoretus serm. de caritate. Sed ingenue magis B. Hieronymus in Matth. cap. XVI: *Scio, quosdam pie affectos erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem: & esse sensum, Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit, si defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne, quod dicat, Me negabis; non, Hominem.* Similiter Augustinus; qui, tractatu LXVI in Ioannem, inter alia inquit, *Agnovit plane peccatum suum infirmitas Petri; prorsus agnovit; &, quantum malum Christum negando commiserit, plorando monstravit. Ipse suos re-*

darguit defensores, & , unde eos convincat, producit lachrymas testes. Ac similiter idem in Ioan. tractat. CXIII.

Cap. III.

De tertia Passionis parte, sive iis quæ perpessus est Christus in concilio matutino. Cui adnexum de Judæ pœnitentia, & misera morte.

1. §. *Diximus de concilio nocturno, & abnegatione Petri, qua ante gallicinium fuit. Sequitur concilium matutinum: de quo Matthæus* XXVII. 1: Mane facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. *Item Marci* XV, 1: Mane concilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis, & UNIVERSO CONCILIO, (καὶ ὅλον τὸ συνέδριον) vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. *Et quid manifestius verbis illis Lucæ* XXII. 66? Ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & scribæ, & duxerunt illum in consilium suum.

Ubi in disquisitionem venit, quid sit *in concilium suum.* Utrum redire in domum Caiaphæ? an per consilium hoc intelligitur Synedrium magnum? Quæ opinio est Caroli Sigonii lib. VI de Rep. Hebræorum cap. VII: *Ex his*, ait, *apparet, cum dictum est, convocatum esse summo mane concilium, atque eos duxisse Christum in Concilium suum, convocatum esse in Gazith.* Sane ex tribus prioribus conciliis nullum fuit Synedrium magnum: ut antea ostensum. Quare vel quartum hoc fuit Synedrium magnum; vel è quatuor conciliis adversus Christum coactis nullum in Gazith, sive conclavi cæsi lapidis, fuerit celebratum. Quorum posterius fortasse verius est, licet multum adversetur doctissimorum hominum opinioni. Nam Christus è Caiaphæ domo dicitur ab Euangelistis deductus esse ad Pilatum. Adde quod adscensus & descensus in Gazith plusculum temporis absumsissent: quando altitudo ejus pedum octingentorum, secundum aliquos Hebræorum: sed secundum Villalpandum CCC cubitorum. Consideret quisque, quam multa illo mane acta esse ab Euangelistis dicantur.

2. §. *Quarat aliquis, qua caussa fuerit iterum conveniendi mane, cum Christus jam nocturno consilio esset reus mortis judicatus. In caussa, credo, fuerit, quod vellent explorare, an in sententia persisteret. Ac præterea statuendum supererat de exsecutione sententiæ, quam tulissent.*

Cum enim Christus caperetur, jam multa nox erat: ac magis, cum deductus est in domum Caiaphæ: quid dicam, finito concilio? Non dubium autem quin in judicibus fuerint aliqui, vel ætate confecti, vel valetudine imbecilli. Credibile igitur, voluisse illos somnum capere spatio noctis reliquo.

3. §. *Matutino consilio duo hæc egere. Primum (sed, ut videtur, paucis) actum cum Christo. Rogatus est, an foret promissus ille Messias. Respondit ille: si dixero, non credetis mihi: & si vos interrogaro, non respondebitis mihi, neque dimittetis.*

Quomodo meminerat, eos nihil respondisse rogatos de baptismo Joannis, deque loco psalmi, *Dixit Dominus Domino meo &c.* atque aliis nonnullis.

4. §. *Addidit interim, deinceps filium hominis sessurum ad dexteram potentiæ Dei. Unde occasio iis quærendi, utrum foret filius ille Dei. Quod cum noluisset negare, continuo statuerunt, eum suopte testimonio damnari.*

Videlicet soricis instar, quæ suo, ut aiunt, indicio perit.

5. §. *Exinde dispexere, quomodo decretoriam sententiam exsequerentur. Placuit vero ut vinctus mitteretur ad Pontium Pilatum, Judaæ tum temporis præsidem.*

Non decretum fecere de mittendo Jesu ad Regem, sed ad præsidem Romanum. Nimirum multum jam forma Reip. Judaicæ immutata erat ab illa, quæ fuerat Christo nascente. Tum erat Herodes Magnus Ascalonita, primus Judææ Rex externus. Huic remi fuere liberi: Archelaus, Herodes Antipas, & Philippus. Archelao regnante, ex Ægypto, una cum Josepho, rediit Christus. Herodes Antipas is fuit, qui Joannem Baptistam sustulit. Philippus is, cui vivo, videntique, uxorem suam eripuit Herodes Antipas. Horum primus Archelaus decennium rexit Judæam: sed cum tria Judæorum millia festo Paschatis interemisset in templo, sacerdotium his eriperet, illis conferret, prout animo esset collibitum: & multa alia, tyrannorum more, pro impeno magis, quam rationis ductu, ageret: à gente sua accusatus est apud Cæsarem: ab eo damnatus, & Viennam Galliæ civitatem relegatus fuit: ut testatur Iosephus. Exinde Iudæa in provinciam est redacta: eique gubernandæ missi fuere à Romanis præsides: quorum quinctus erat Pontius Pilatus, ut ab eodem Iosepho memoriæ proditum est.

6. §. *Non potuit diu latere Judam, quomodo Christus jam esset morti à Concilio addictus, atque adeo etiam missus ad Pilatum, quo persuaderent ut crucis supplicio afficeretur. Pœnitere tum Judam facti sui cœpit. Ac non incommode huc referantur verba illa Matthæi* a: Tunc videns Ju- a 27. 3.
das, qui eum prodiderat, quod damnatus esset, pœnitens &c.

Nec tamen quicquam cogit, ut pœnitudinis tempus præcise ordiamur inde, quando Iesus è Concilio deductus est ad Pilatum. Nec enim Euangelista is solet sic particulam TUNC usurpare, ut necesse sit narrationem restringi ad momentum rei, quæ proxime præcessit. Quare historiæ etiam veritas constabit, si demum crucifixo Christo, mortuoque, vel etiam postero die cœperit pœnitere. Amplius dicam, fortasse tum demum serio doluit, ac argenteos retulit, postquam intellexit de Christi resurrectione. Utcumque ista habent, saltem, quod de agro figuli emto refertur, non eo tempore, sed commoda postea occasione factum esse, per est verisimile. Majoris tamen lucis caussa, Euangelistarum exemplo, universam hic exsequemur historiam de Iudæ pœnitentia, morte, & adnexis.

7. §. *Dolorem suum testatus est Judas tum sermone, tum opere. Ivit enim ad sacerdotes ac seniores, quo proditionis pretium referret, aperteque confessus est, se peccasse, sanguinem prodendo innoxium.*

Fortasse speraverat, Iesum, ut antea fecerat, sese è manibus eorum subducturum, vel sic rationibus eos placaturum, ut sententiam mutarent. Hoc ubi aliter cecidisse videt, animo æger, primum quidem de facto dolet, quod contritionis est; deinde pecuniam, pro proditione acceptam, refert, &, se peccasse prodendo Christum, libere prædicat: quorum hoc est confessionis, illud ad satisfactio-

tisfactionem refertur. Quæ quamquam omnia concurrerent, non tamen proprie *μετάνοια* fuit. Nam *μετανοεῖν*, *resipiscere* est, à *νοεῖν sapere*. At non resipuit Iudas: licet conscientiæ stimulis actus doluit admodum de facto: quod signatur ab Euangelista voce *μεταμεληθείς*. Erat igitur pœnitentia non simulata, sed ex animo profecta: nec tamen pœnitentia secundum Deum ad vitam. Siquidem pœnitentia cum spe debuit conjungi, quorum alterum sine altero claudicat. Hinc eleganter Fulgentius epist. VII cap. V: *Salubris conversio duplici ratione consistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem: ac per hoc, si ex toto corde quisquam renunciet peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo. Etenim nonnunquam aut spem pœnitenti homini diabolus adimit; aut speranti pœnitentiam tollit: unum dum onerat, comprimit alterum: dum elevat, dejicit.* Accommodat deinde hæc Iudæ: qui pœnitentiam gessit; sed non consecutus est pœnitentiæ fructum. Videlicet quia non ad infinitam Dei misericordiam recurrit: neque ad vitæ emendationem animum appellit; verum diaboli astu ad desperationem adigitur; Caino similis, qui tantum esse peccatum suum aiebat, ut nullus relinqueretur veniæ locus: sicut est Genes. IV. Itaque, ut ait S. Leo, serm. V. de Passione: *tam perversa impii* (Iudæ) *conversio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret.* Imo Pachymerius *a* non dubitat scribere, præstitisse, ut non pœniteret, quam ut pœnitens desperaret; quia illud possit esse stuporis: hoc liquido sit suopte judicio condemnationi æternæ addicti.

a *Lib. 4. Hist.*

8. §. *Sed in quæstionem venit: utrum Judas potuerit recurrere ad Dei misericordiam, vitamque melius componere. Id quidem extra controversiam à Patribus ponitur, omnibus, quos vere peccatorum dolet, quique vitam corrigere sunt parati, patere misericordiam Dei. Sed non convenit, an non Deus propter tam enorme scelus justo judicio gratiam suam sic subtraxerit Juda, ut non dico difficile, (quæ quorundam sententia est) sed ἀδύνατον ei fuerit, resipiscere: ut qui à Deo esset derelictus, & judicatus omni misericordia indignus: eoque sic obduratus, ut omni divina gratia vere careret, ac proinde veniam superare non posset.*

Potuisse legitime pœnitere, sententia est Origenis, Chrysostomi, Asterii apud Photium *b*, & aliorum plurium. Sed Augustinus, qui id negat de Pharaone, non minus negasset de Iuda. Vide eundem tractatu de utilitate pœnitentiæ cap. III: *Non erat dignus misericordia: ideo ei non fulsit lumen in corde, ut ad ejus indulgentiam concurreret, quem tradiderat.* Est & B. Ambrosii serm. I. in Psalm. CXVIII ad vers. VIII: *Plerumque derelinquit Deus, quos vult probari: penitus autem derelinquit, quos deserit: dereliquit penitus Iudam; non dereliquit autem S. Iob.* Plura de hoc vide apud eos, qui scripsere de peccato in Spiritum S.

b *Cod. 271. orat. de Pœnitentia.*

9. §. *Hæc interim confessio Judæ, præsertim quando ne pecuniam quidem retinendam putaret, magnum & innocentiæ in Christo, & sceleris in Juda, & iniquitatis in Principibus, ac sacerdotibus, argumentum fuit.*

Sicut Ambrosius ait lib. X in Lucam *c*. Alioqui potuisset Iudas videri, ob occulta quædam Iesu delicta sibi animadversa, dominum deseruisse, & prodidisse.

c *In Luca cap. 22.*

10. §. *Valde etiam gravat judices, quod, cum Judæ confessionem audirent, paratam etiam pecuniam refundere viderent: dicerent ei,* Quid ad nos? tu videris.

Quasi non ad judices, qui pastores sunt populi, pertineat anquirere, juste, an injuste, discipulus prodiderit magistrum.

11. §. *Judas, ubi vidit, judices nolle recipere pecuniam, ut se tam impio auctoramento exoneraret, projecit argentum in templum. Quomodo factum est sacerdotum. Hi consilio super ea habito, negarunt, eam posse in corbonam mitti.*

Hoc est, in *γαζοφυλάκιον*, ut appellat Lucas XXI. 1. item Iosephus, qui & vocat *ἱερὰ χρήματα*, & *Θεοῦ θησαυρόν*. Ejusdem est lib. II belli Iudaici, *τὸν ἱερὸν θησαυρόν· καλεῖται δὲ κορβωνᾶς*. Syriace est קורבנא *Kurbana*: quod significat *oblationem*, *munus*, à radice קרב, *accessit*, *obtulit*. Sane Æthiopes *Εὐχαριστίαν* vocant קרבן, ut omnium oblationum principem.

12. §. *Cur vero non posset in corbonam inferri, hanc rationem attulere, quod pretium sanguinis non posset religionis negotiis inservire.*

Nam cum Lex vetet, ne pretium meretricis divino servitio destinetur: facile viderunt, idem esse statuendum de pretio cædis. Interim se ipsos hac sententia damnarunt. Nam si non debuit Iudas tam impiam pecuniam à sacerdotibus accipere: nec sacerdotibus convenit eam Judæ offerre. Hanc eorum hypocrisin merito damnant Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XIII, Augustinus in Psal. LXIII, & Leo Magnus serm. VI de Passione cap. III.

13. §. *Eo igitur rejecto, aliud statuerunt: videlicet, ut conferretur in usum pauperum. Maluere proinde ea pecunia sibi emere agrum figuli.*

Sive id nomen ex eo, quia figuli fuerit, vel figuli inde eruerent terram ad vasa sua fingenda: sive quia esset prope portam figuli, sive fictilem, Hieremiæ memoratam: sive denique, ut Villalpandus *a*, & Maldonatus conjectant, ex eo id nomen fuerit, quod eo deportarentur fragmenta vasorum fictilium: quomodo Romæ Doliolo, sive testaceo monti, à testis fictilium vasorum nomen datum fuit.

a *Part. 1. apparatus, lib. 3. cap. 25.*

14. §. *Exinde vero is ager, quia emtus esset pecunia, Juda annumerata, ut proderet sanguinem innoxium, voce Chaldaica dictus est* HAKELDAMA, *hoc est, ager sanguinis.*

Ea vox est apud vulgatum Matthæi interpretem, cap. XXVII, vers. 8. in Græco Ἀκελδαμά Act. 1. 19. ex HAKAL *ager*, & DEMA, vel DAMA, pro quo Hebræi dicunt DAM, h.e. *sanguis*. Situs est hic ager ad plagam australem montis Sion: ut est apud B. Hieronymum de locis Hebraicis. Puta inter piscinam superiorem, & natatoriam Siloë; ut ait Brocardus. Pluraque de eo Adrichomius.

15. §. *Emtus is ager ad sepulturam peregrinorum.*

Nempe, ut communis fert opinio, eorum, qui religionis ergo Hierosolymam venissent, atque istic obiissent. Credibile est, & antea locum habuisse, quo peregrinantes sepelirent. Sed in tanto confluentium numero majus spacium, ut puto, requirebatur. Beatus tamen Hilarius can. XXXII in Matth. agrum hunc cessisse ait in usum alienorum, sive allophylorum, h.e. alterius gentis ac religionis: quales multi Hierosolymam venere post Judæam à Romanis subactam. Horum cadaveribus sufficere est visus tam vilis agellus. Valde autem ratio fugit B. Augustinum, qui agrum hunc ab ipso Iuda emtum arbitratur tractatu de IV feria cap. III. Sed præiverat Prudentius

dentius in Psychom. Uti & errorem hunc secutus Arator lib. I in Act. vers. XCV.

16 §. *Ea emtione, quæ facta est* XXX *argenteis, Matthæo teste, impletum fuit, quod per prophetam Jeremiam scriptum erat*: Et acceperunt XXX argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus *Sed hæc nusquam legere est in Jeremia: verum simile quid est in Zacharia.*

Hieronymus Comment. in Matth. cap. XXVII: *Hoc testimonium in Ieremia non invenitur: in Zacharia vero quædam similitudo fertur: & quamquam sensus non multum discrepet, tamen & ordo, & verba, diversa sunt.*

17 § *Huic difficultati bifariam occurri solet. Aliqui erratum aiunt, vel ab Euangelista, vel à librario. Qui prius aiunt; dicunt, Matthæum lapsu memoriæ posuisse* Jeremiam, *pro* Zacharia.

Ita B. Augustinus lib. III de Consensu Euangelico cap. VII. cui & adsentit Glossa ordinaria, & è junioribus Joannes Gerardi. Nec alienus ab hac sententia videtur Erasmus Annot. ad hunc Matthæi locum. Lapsui vero huic occasionem præbuisse existimant partim nominum similitudo: partim etiam quod Ieremias cap. XXXII. 2. habeat aliquid de agro à se emto ex præcepto Domini.

18. § *Alii errorem censent à librario profectum: sive olim hæc in Jeremia fuerint lectæ, sed postea à librario omissa: sive apud Matthæum primitus fuerit* Ζαχαρίου, *sed pro eo incuria quadam* Ἱερεμίου *fuerit repositum.*

Utramque conjecturam legas apud Eusebium lib. X Demonstrationis cap. VIII *a*. Sed prior parum est verisimilis. Itaque nemo vel veterum, vel juniorum, eam, quod constet, approbavit. Sed posterior jam ante lecta apud Origenem in Matthæum cap. XXVII: posteaque placuit compluribus. Quorum alii quidem putant, integre fuisse scriptum *Ieremia*: pro quo oscitanter repositum sit *Zacharia*: alii (in quibus Theodorus Beza, & Joannes Piscator) arbitrantur, compendio literarum fuisse exaratum Ζῦ, unde, quasi Ἰῦ foret, facili lapsu, factum sit Ἱερεμίου.

a Puta edit. Græcæ: sed tralationis Trapezuntianæ, multa omittere solitæ, cap. 4.

19 § *Est & tertia ratio, qua peccasse librarius possit. Ut si Euangelista simpliciter posuerit* per prophetam: *ille addere voluerit nomen prophetæ, & fortasse ad marginem duntaxat: unde sequens librarius quod nonnisi glossema erat, retulerit in sermonis contextum.*

Pro hac sententia est, quod Prophetæ nomen desit in versione Syriaca: quod item B. Augustinus testetur, in aliquibus libris non apponi nomen prophetæ. Sic enim scribit lib. III de Consensu Euangelistarum cap. VII: *Si quis autem movetur, quod hoc testimonium non invenitur in Scriptura Ieremiæ Prophetæ; & ideo putat, fidei Euangelistarum aliquid derogandum: primo noverit, non omnes codices Euangelistarum habere, quod per Ieremiam Prophetam dictum sit, sed per prophetam. Possemus ergo dicere, his potius codicibus esse credendum, qui Ieremiæ nomen non habent. Dictum est enim hoc per Prophetam, sed Zachariam. Unde putatur, codices esse mendosos, qui habent nomen Ieremiæ; quia vel Zachariæ habere debebant; vel nullius, sicut quidam; sed tantum, per Prophetam, dicentem; qui utique intelligitur Zacharias.* Ac eo inclinat quoque Wolfangus Musculus: *Apparet*, inquit, *pro Zacharia positum Ieremiam, à Scriba forte, qui putaverit, Euangelistam de Ieremia sentire; qui agri emti mentionem facit cap.* XXXII. *Nam glossa ordinaria admonet, in plerisque codd. Latinis non haberi Ieremiam; sed simpliciter, quod dictum est per Prophetam, dicentem.* Estque hæc sententia multum verisimilis: verisimilior tamen futura, nisi Origenes, scriptor tam antiquus, & in conferendis libris sacris usque adeo industrius, de hoc loco disserens, nullam variantis lectionis fecisset mentionem. Ac B. quoque Augustini verba sunt lib. III de Consensu Euangelist. cap. VII: *Sed utatur ista defensione, cui placet: mihi autem, cur non placeat, hæc caussa est: quia & plures codices* (Latini puta) *habent Ieremiæ nomen: & qui diligentius in Græcis exemplaribus Euangelium consideraverunt, in antiquioribus Græcis ita se perhibent invenisse. Et nulla fuit caussa, cur adderetur nomen: ut mendosius fieret. Cur autem de nonnullis codicibus tolleretur? Fuit itaque caussa, ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Ieremiam non inveniretur.*

20. §. *Aliqui librarii quidem errorem esse censent: quod tamen præbuerit occasionem errandi, definire non audent.*

Ut Calvinus in Matthæi verba sæpius memorata: *Quomodo Ieremiæ nomen irrepserit, me nescire fateor: nec anxie laboro. Certe Ieremiæ nomen errore positum esse pro Zacharia, res ipsa ostendit.*

21. §. *Alii vel ab Euangelista, vel à librario peccatum negant. Sed horum aliqui dicunt, partim legi apud Ieremiam, partim apud Zachariam. Morem vero esse Scripturæ, ut, quando testimonium aliquod ex duobus conflatur scriptoribus, satis ducat si alterum nominet.*

Quomodo testimonium Matth. XXI. 5 est ex Esa. LXII. 11. & Zach. IX. 9. adhæc illud Act. I. 20. compositum ex Psal. LXIX, 27, & CIX, 8. Et testimonium I Petri II. 7. conflatum ex verbis Psal. CXVIII. 22, & Esa. VIII. 14. Aliaque ejus generis adferuntur. Scripturæ vero suffecere, ut, siquid ex duobus citetur, alterius solum nomen exscribatur, ostendunt ex Matth. XXI. 5: ubi Euangelista citat prophetam dicentem, cum verba sint ex duobus prophetis, Zacharia IX. 9. & Esai. LXII. 11. Utrumque hic fieri contendunt. Vide Sanctium in Zachar. & Salomonem Glassium lib. I. Philolog. sacr. tract. II sect. III. Nec invitus hanc sententiam amplecterer, nisi, quæ dicit Jeremias, nihil ad Euangelistæ locum pertineret.

22. §. *Aliqui malunt dicere, nec errorem esse, nec locum ex duobus prophetis conflatum: sed ex uno Ieremia desumtum; non tamen eo ex libro, qui in canone habeatur, sed deperdito quopiam apocrypho Ieremiæ libro: quomodo tempe de Ianne, & Iambre, qui Mosi restitisse dicuntur II Tim. III, ex Apocrypho depromtum existimatur. Uti & inde videtur hausta Enochi prophetia, quam legere est Iudæ v. 14. 15.*

Sensit hoc Origenes: qui ad memoratum Matthæi locum sic scribit: *Suspicor, aut errorem esse scripturæ*: (non sacræ, sed scriptionis, sive librarii, quod μνῆμα γραφικὸν dicimus) *aut esse aliquam secretam* (ἀπόκρυφον) *Ieremiæ Scripturam, in qua scribitur.* Ac paullo post: *Si autem hæc dicens aliquis, existimat, se offendere, videat ne alicubi in secretis* (sive apocryphis) *Ieremiæ hoc prophetetur: sciens, quoniam Apostolus scripturas quasdam secretorum profert. Sicut dicit alicubi a. Quod oculus non vidit, nec auris audivit. In nullo enim regulari* a 1 Cor. 2. 9.
(sive

(five Canonico) *libro hoc positum invenitur, nisi in secretis* (five Apocryphis) Eliæ *propheta*. In quo tamen deceptus est eo quod in LXX illud non repetisset. Sed legas in Hebraicis codicibus Esaiæ LXIV. 4: ut optime B. Hieronymus observavit ad Pammachium de optimo genere interpretandi: *Scriptum*, inquit, *est, quod oculus non vidit &c. Solent in hoc loco apocryphorum quædam deliramenta sectari, & dicere, quod de Apocalypsi Eliæ testimonium sumtum sit, cum in Esaia juxta Hebraicum ita legatur.* Sed utcunque in eo Origenes sit deceptus: solidiora tamen sunt quæ subjungit: *Item quod ait a, sicut Iannes, & Mambres, restiterunt Mosi*, non invenitur in publicis Scripturis: *sed in libro secretorum, qui suprascribitur Iannes, & Mambres. Unde ausi sunt quidam epistolam ad Timotheum repellere: quasi habentem in se textum alicujus secreti* (five apocryphi:) *sed non potuerunt. Primam autem epistolam ad Corinthios propter hoc aliquem refutasse quasi adulterinam, ad aures nostras non pervenit.* Quod de Iannes, & Mambres, ait Origenes, firmatur Ionathanis paraphrasi Chaldaica, quæ hæc nomina ex traditione apposuit Exodi VII. 11. Ut mittam, quod nec Plinio fuere penitus ignoti. Ut apud quem lib. XXX cap. I legas: *Est & alia Magices factio à Mose, & Iamne, & Iothape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.* Ubi interim non uno nomine vehementer errat: primum quod Mosen annumerat magis: deinde quod Iamnem, & Iotapen, fuisse Iudæos putat, cum fuerint Ægyptii: ac denique quod eos censet claruisse multis annorum millibus post Zoroastrem: quod ne verum quidem fuerit, si Zoroastres ille sit Misraim Chami filius; ut voluit Clemens Rom. lib. IV Recognitionum, vel si Nini Regis fuerit æqualis; ut est apud Augustinum *b*, & Suidam. Nedum id verum sit, si demum vixerit sub Persicis regibus: de quo plura diximus lib. I de Theologia Gentili cap V. Origeni etiam de nomine Prophetæ subscribit B. Hieronymus in Matth. cap. XXVII: *Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Ieremiæ apocryphum; in quo hæc ad verbum scripta reperi.* Et sane, si Arati, Menandri, Epimenidis, hominum gentilium, versus citare Apostoli non erubescunt: cur vereantur iidem quædam promere ex libris piorum, utcunque ἀκανονίστως? Quod planius fiet, si, quales hi libri fuerint, cogitemus. Prophetæ multa dixere, quæ non sint in canonem relata ab Esdra. Hæc, qui audierant, filiis, ac nepotibus tradidere: illi ex sese natis, & ita porro: quædam etiam posteris ab aliquibus consignata: sed quia memoria hominum est fragilis, eo & contingebat admisceri, ubi scriptor aliquid humanitus pateretur. Hujusmodi libri, licet non essent θεόπνευστοι, erant tamen exarati ab hominibus piis, & spiritum Dei habentibus. Ut quamquam non essent in canonem relati, tamen essent Ecclesiæ libri. Qui cum in manibus forent piorum, cur non homines Spiritu Dei acti inde potuerint quædam depromere, & suis adscribere auctoribus? Neque enim Spiritui Sancto difficile fuit, dum iis scribentibus adsistit, sic animum dirigere, ut nihil inde excerperent, nisi genuinum, germanumque; nec ut propheticum producerent, nisi quod tale foret. Si non habuere ea auctoritatem divinam, quatenus continebantur libro Apocrypho, nacta tamen eam sunt, quatenus adducta inde in libro Canonico.

a 2 Tim. 3 8.

b Lib. 18 de Civit. Dei cap. 14.

23. §. *Hac conciliandi ratio imprimis placet. Quod si quis nec admittat quod ante de librarii errore dicebamus: nec, quod proxime monebamus, ex apocrypho citatum videatur: nihil superesse arbitror, quam ut statuamus, Zachariam fuisse binominem, atque aliter dictum Jeremiam.*

Placuit hoc Erasmo *e*, Junioque *d*. Quomodo nempe pater Zachariæ illius, inter altaria, sicut Euangelista refert, interemti, & Barachias, & Ioiadas, videtur nuncupatus: priori enim nomine vocat Matthæus XXIII. 35: altero nominatur II Chron. XXIV. 21. Item sacerdos, qui I Sam. XXI. & seqq. nominatur Achimelech, is Marc. II. 26. dicitur Abiathar, prout & pater dictus fuit.

c In Annotat. ad hunc locum Matthæi

d In Analysi Matthæi.

24. §. *Et hac de propheta nomine. Nunc videamus, utrum Zacharias, & Matthæus, sententia satis conveniant. Consentire inter se, parebit verba eorum conferenti. Zachariæ sunt ista cap.* XI *vers.* 12 *&* 13: Et dixeram illis, Si bonum videtur in oculis vestris, date mercedem meam triginta argenteos. Dixit autem Dominus mihi, projice eos ad figulum, magnificentia pretii (*hoc est, magnificum pretium*) quo æstimatus sum ab illis. Et accepi triginta illos argenteos: & projeci eos in domo Domini ad figulum. *Matthæi vero est cap* XXVII. *vers.* 9. *&* 10: Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos, pretium illius æstimati, qui æstimatus est à filiis Israël: & dederunt eos pro agro figuli, sicut constituit mihi Dominus. *Ubi primo videmus, Zachariam dicere*, appenderunt mihi triginta argenteos, *ac mox addere*, magnificum pretium, quo æstimatus sum ab illis. *Conveniunt hac probe cum illis Matthæi:* Appenderunt triginta argenteos, pretium illius æstimati, qui æstimatus est à filiis Israël.

At, inquiunt, apud Prophetam est, *Accepi* XXX *illos argenteos*. Apud Matthæum *Acceperunt* XXX *argenteos*. Sed Græce est ἔλαβον: quod tam *accepi*, possumus reddere, quam *acceperunt*.

25. §. *Praterea apud Prophetam est*, Projeci eos in domo Domini ad figulum. *Ac similiter Matthæus*, Et dederunt eos ad agrum figuli.

Verum, aiunt, Zacharias ait, *Projeci argenteos ad figulum*: Matthæus, *dederunt pro agro figuli*. Facile hæc conciliantur, si pro ἔδωκαν legatur ἔδωκα: quomodo legit Syrus interpres.

26. §. *Pracipua superest difficultas in eo, quod Zacharias dicat, se à Deo accepisse* XXX *argenteos: & eos jecisse ad figulum: Matthæus vero id factum dicat per Judam: nec ab eo emtum figuli agrum, sed postea id esse factum à sacerdotibus. Verum non, si aliqua sit dissimilitudo, eo typus desinit id esse, quod dicitur: verum permanet typus, quamdiu convenit in pracipuis: ut sunt ista, appensi sunt* XXX *argentei, & in templo ad figulum jacti.*

Atque hæc quidem dicta sunt, pro iis, quibus placet, Matthæum citare verba Zachariæ. Sed nihil opus est anxie laborare de conciliandis ejus Prophetæ, & Euangelistæ verbis, si locus ille ab Euangelista allatus sit ex apocryphis Jeremiæ: quam sententiam satis esse verisimilem, ostendunt illa, quæ antea adduximus.

27. §. *Quaritur praterea, quo pacto ager integer potuerit emi triginta argenteis. Nam si argenteus valet siclum, pretium id fuerit tantummodo sex librarum Flandricarum, sive* XXXVS *florenorum Hollandicorum.*

Hoc sic adstruitur, quod siclus argenteus summum valuerit tetradrachmum: drachma autem valeat sex stuferos sive schellingium Hollandicum, sive Julium regalem: tetradrachmum XXIV stuferos, sive quatuor Julios.

Eoque xxx argentei valeant florenos nostros xxxvi. Quo pretio, nostris saltem moribus, non possit ager emi sepeliendis peregrinis.

28. §. *Nempe qui sic colligunt, non attendunt, argenteum solere etiam accipi pro quinis tetradrachmis.*

Unde Flavius Josephus, pro illo II Reg. xviii, ubi Joab cuidam, qui dicebat, se Absolon vidisse de quercu pendentem, ait, *Si vidisti, cur non confodisti eum? equidem dedissem tibi decem argenteos*: habet, *quinquaginta argenteos.* Idem in Genesi, ubi Josephus dicitur venditus xxx argenteis, ille reposuit aureis: quorum unusquisque quinque tetradrachma continebat. Quomodo triginta aurei erunt clxxx floreni Hollandici. Plura hac de re si voles, adi Stanislaum Grieppium de re nummaria Hebræorum *a*.

a Pag. 80. 81, 82.

29. §. *Redeamus ad Judam: qui sic se gessit, ut, pecunia amissa, etiam corpus, & animam, amitteret. Quod mortis genus ostendit: utcunque de eo non per omnia conveniat. Communior ita fert opinio, suspendisse se, ac, ut aliqui volunt, de ficu.*

De suspendio videntur id omnino sonare verba Matth. xxvii, 5: Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. Quod transfertur: *Et abiens laqueo se suspendit.* Planeque eam sententiam secutus videtur Ignatius epistola ad Philippenses: quando ait, Μετάμελον ἐμβάλλει τῷ προδότῃ, καὶ βρόχον αὐτῷ δείκνυσι, καὶ ἀγχόνην διδάσκει. *Pœnitentiam* (princeps mundi) *immisit proditori, & laqueum illi commonstravit, & suspendium, quo strangularetur, edocuit.* Sed major esset verborum istorum auctoritas: si epistola hæc genuina foret. Nunc unam esse earum constat, quarum nec Eusebius *b*, nec Hieronymus *c*, meminere. Quare alios potius adducam. In his est Irenæus: qui apud Eusebium, lib. v Histor. Eccles. cap. xv, ait, Montanum & Maximillam, quos constat suspendio vitam finiisse, eodem periisse letho, ac Judam. Etiam de suspendio assentiunt Nazianzenus, sive potius Apollinaris in Christo Patiente, Prudentius in Psychomachia: Chrysostomus serm. iii de Juda. Item Augustinus, Leo, Arator, Beda, Bernardus, multique alii. De ficu se suspendisse ait Juvencus lib. iv Histor. Euangelicæ:

b Lib. 3. Histor. Eccles. cap. 30.
c In Catalogo.

Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Sed hoc fictum poëtice, vel συνεκδοχικῶς prolatum: quomodo *alnus*, *pinus*, *abies*, accipi à poetis solent pro nave cujuscunque ligni. Quod non attendens Beda, historice ac proprie accipit. Sed eum decepere, qui temporibus istis superesse eam fidem dicerent. Sic enim scribit libro de locis sanctis cap. iv: *Portam David egredientibus fons occurrit in Austrum vel Vallem directus, ad cujus medietatem ab Occasu Judas se suspendisse narratur. Nam & ficus magna ibi, & vetustissima stat.* Subdit deinde, quæ ex Iuvenco attulimus. Quamquam vero, quod de tanta ejus ficus vetustate prædicat, fabulam esse censeam: non tamen magnopere offendor eo, quod ad annos pertinet. Nam de ficu Ruminali sic Tacitus verbis extremis lib. xiii: *Eodem anno* (puta urbis conditæ Ibcccxi) *Ruminalem arborem in Comitio, quæ super octingentos & quadraginta* (malim cum Lipsio *triginta*) *ante annos Remi Romulique infantiam texerat*, mortuis ramalibus, & arescente trunco deminutam, *prodigii loco habitum est; donec in novos fetus reviviscerct.* Interea fabulosum & hoc arbitror. Nec tam Ruminalem dici puto, quia sub ea educti sunt Romulus, & Remus, (videlicet à rumi: sive mamma, unde subrumi hædi, qui aliter lactentes, auctore Varrone *d*) quam quia sub ea pecus soleret ruminare. Utramque opinionem adducit Festus in *Ruminalem*, his verbis, ut ex codice Farnesiano liquet: *Ruminalem ficum appellatam ait Varro prope Curiam sub Veteribus, quod sub ea arbore lupa rumam dederit Remo, & Romulo; id est, mammam. Mamma autem rumis dicitur. unde rustici hædos lactentes, subrumios vocant, qui adhuc sub mammis habentur. Alii autem sunt, qui putant, quod sub ea pecus ruminari solitum esset.* Posterius si placet, nihil solidi subsit ei, quod jam a Romuli & Remi temporibus eam fuisse ficum arbitrantur. Et valde repugnat, quod Plinius lib. xvi. cap. ult. ficum non inter arbores vivaces reponat, sed brevis esse vitæ dicat: nempe uti malus, pirus, prunus, myrtus, & aliæ quædam.

d Lib. 2 de re Rust. cap. 11. & Cato, sive de liberis educandis.

30. §. *Sed quicquid de ficu est, hoc ipsum quod se suspenderit, divini fuerit judicii. Quippe qui sibi judex & carnifex factus, ejusmodi se addixerit supplicio, ut, cujus nec anima cælo, nec corpus sepultura dignum foret, is inter cælum, terramque, medius penderet. Sed enim huic sententiæ obstare non leviter videtur, quod in Actis legimus præcipitem datum, & intestinis prorumpentibus periisse.*

Act. 1. 18: Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. *Suspensusque crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Nimirum, justo Dei judicio, viscera corporis effudit, qui non habebet viscera misericordiæ.

31. §. *Si superiora Matthæi verba de suspendio intelligamus: difficile fuerit cum eo conciliare verba Petri in Actis. Videamus tamen, quo pacto id tentarint homines eruditissimi. Primus modus est, ut laqueum impellens mox, fracto eo, ciderit præceps, ac sive quia in stipitem, vel saxum acutum incideret, sive potius quia divino judicio ab interiori caussa rumperetur, venter effuderit intestina.*

Sic cepit Syriacus interpres. apud quem est: *Et cecidit super faciem in terram.* Etiam Augustinus lib. i contra Felicem Manichæum sic legit: *Et collum sibi alligavit, & dejectus in faciem diruptus est medius.* Lucis etiam aliquid adfert istud Quinctiliani Declamat. xvii: *Strictos circa collum laqueos, aut nexus, aut ipsius corporis ruina, decepit.*

32 §. *Alter modus est, ut se prius suspenderit; sed vel arbore in terram inclinata, vel aliquibus supervenientibus, qui laqueum adimerent, supervixerit aliquantum, Deo sic eum per misericordiam invitante ad emendationem: sed postea novis actus Furiis semet præcipitem dederit, sic ut medius creparet, visceraque effunderet.*

Ita Theophylactus *a*, & Euthymius *b*, ceperunt.

a In cap. 27. Matt.
b In Matt. capite quod ei est 67.

33. §. *Tertius est modus, ut, postquam se suspendisset, & ratione aliqua ex iis, quas dicebamus, periculo esset exemtus, in loco angusto à curru transeunte sic fuerit oppressus, ut rupto ventre exciderent intestina.*

Sic Papias, & ex eo Oecumenius ad verba ex Actis producta: Ὁ Ἰούδας οὐκ ἐναπέθανε τῇ ἀγχόνῃ, ἀλλ' ἐπεβίω, κατενεχθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι. καὶ τοῦτο δηλοῦσιν αἱ τῶν Ἀποστόλων πράξεις, ὅτι πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. τοῦτο δὲ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου μαθητής, λέγων· Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν Ἰούδας. Πρησθεὶς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν, ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. *Judas non est mortuus suspendio, sed supervixit. Dejectus est*

est enim prius, quam præfocaretur. Idque Apostolorum Acta indicant, quod pronus crepuit medius. Hoc autem planius scripsit Papias, Ioannis Apostoli discipulus, dicens; Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Iudas. In tantum enim corpore est inflatus, ut progredi non posset: cumque currus leni cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut effunderentur ejus intestina. Subjicit deinde alia, non ex Papia, sed aliis, de capitis tumore, item oculorum, & membri genitalis, deque sanie ac vermibus totius corporis: & quomodo post longa tormenta in prædio sit mortuus, eo cum fœtore, ut diu illud propter odorem intolerandum manserit desertum. Quibus non dissimilia ex Apollinari referuntur in codd. quibusdam MSSis. Atque istic horum etiam Papias auctor dicitur: de quo multum ambigo. Et ut verum esset, ex Eusebio satis constat, Papiam fuisse exigui judicii, ut fabulosa interdum ei fuerint obtrusa pro veris.

34. § *Fortasse autem nihil opus est recurrere ad ullum ex hisce conciliandi modum. Nam verbum ἀπήγξατο, quo utitur Matthæus, idem est, quod ἀποπνίγεσθαι, sive suffocari; quod laqueo quidem fit; non solo tamen, sed etiam mœrore: ut sententia Evangelistæ esse possit, tortæ conscientiæ stimulis ita agitatum, ut mœrore spiritum constringente halitum ducere liberum non potuerit.*

Sane aliquem non laqueo solum, vel Græcis ἀπάγχεσθαι, vel Latinis *strangulari*, certissimum est. Nam, ut de Latinis prius dicam, *strangulationem*, vel *strangulatum vulva*, apud Plinium legimus lib. XX. cap. XV, & XVIII. Ovidii est lib. V Trist. el. I:

Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus.

Nec mœror solum strangulat: sed etiam voluptas, vel cupiditas, Senecæ; cura, Juvenali. Nec ἀπάγχεσθαι de laqueo necesse est capere, cum Ælianus lib. V Variæ Historiæ cap. VIII ait, scommata, & convicia, valere, prout animus fuerit hominis: atque huic rei argumento esse, quod Σωκράτης μὲν κωμῳδούμενος ἐγέλα· Πολύαγρος δὲ ἀπήγξατο. Ubi sententia est: *Socrates in comœdia traductus ridebat: Polyagrus vero perturbatione animi est strangulatus.* Puta ira, ac dolore, affectibus vehementissimis. Idem cognoscimus ex historia Tobiæ cap. III: ubi Sara dicitur mœrore fuisse affecta, ὥστε ἀπάγξασθαι, *ut suffocaretur*: h. e. nihil ab eo, quæ præ mœrore animam agit, differre videretur. Idem locum habere possit in Achitophele, Judæ in multis typo; de quo apud Græcos interpretes *a* idem usurpatur verbum ἀπήγξατο. Ibi Hebraice est חנק: quod de mœrore, non laqueo, capiunt complures interpretes Hebræi. Atque idem verbum in Matthæi Tralatione Syriaca, & Arabica, hoc loco usurpatur. Hoc pacto de Iuda vocem ἀπάγχεσθαι cepere Illustris Grotius, & doctissimus Pricæus.

a 2 Sam. sive Reg. 17.

35. §. *Sed sic quoque in quæstione est, utrum mœrore isto Iudas mortuus sit; an alio mortis genere. Si prior placet sententia, dicendum, mœrore sic strangulante, ut nec halitum posset ducere, infelicem concidisse pronum in faciem, intestinis etiam singulari judicio Dei de ventre effusis. Sin posterius placet, statuere conveniat, cum tanto fuisse mœrore affectum, ut vitæ omnis pertæsus sese de loco sublimi præcipitem dederit, atque, ista ruina contritus, viscera effuderit.*

Sane inter mortis genera τῶν βιοθανάτων etiam præcipitationem sui refert Phædra in Hippolyto Senecæ:

Decreta mors est, quæritur fati genus:
Laqueone vitam finiam, an ferro exigam:
An missa præceps arce Palladia cadam.

Valde autem morti isti convenit verbum illud ἐλάκησε, quo utitur Lucas. Sic Lucanus lib. II:

Hic se præcipiti jaculatus pondere dura
Dissiluit percussus humo.

Appuleius lib. V Metam. de sorore Psyches: *Saltu se maximo præcipitem dedit. Perque saxa cautium membris jactatis, atque dissipatis, & perinde, ut merebatur, laceratis visceribus suis, interiit.* Pluraque in hanc mentem attulit summus vir Pricæus. Ac impense hanc sententiam probo: ut nempe Iudas mœrore non quidem mortuus sit, sed eo desperationis adactus, ut se præcipitem daret, atque ita diruptus sit medius.

36. §. *Fortasse autem hæc Judæ acciderunt, non quidem simul ac cognovisset, condemnatum esse Jesum: sed die uno altero post, vel ultra etiam. Quid si enim de resurrectione Christi intellexerit: eoque cognito sic illi mœror fuerit aggravatus, ut animum nequiens vertere suffocaretur, pronusque concideret in terram: vel potius desperationis plenus, vitæque pertæsus, sese præcipitem dederit, atque ita interierit?*

Neque obstat, quod mox à nummis in templum conjectis rem narret Matthæus XXVII. 5. Sæpe enim Scriptura non temporis ordinem attendit, sed dicendi occasionem. Cujus exemplum etiam hic habemus, cum dicitur, postquam Iudas argenteos in templum conjecisset, eis fuisse emtum agrum figuli in peregrinantium sepulturam. Nec enim id continuo, sed commoda occasione, fortasse aliquot post resurrectionem diebus, factum videtur. Atque hæc de morte Judæ.

37. § *Porro tam fœdum ac nefarium hominem, quique non vivus modo, sed etiam moriens horrendum in modum peccarit, miris laudibus ac honoribus extulerunt Caiani: tanquam, qui non modo a Christo ad decus Apostolicum fuerit evectus, & mysteriorum factus particeps: sed etiam, tradendo Servatorem, promoverit plurimum salutem generis humani.*

Irenæus lib. I adversus hæreses cap. ult. *Alii autem rursum Cain à superiore principalitate dicunt, & Esau, & Core, & Sodomitas, & omnes tales cognatos suos confitentur, & propter hoc à factore impugnatos, neminem ex his male acceptum. Sophia enim illud, quod proprium ex ea erat, abripiebat ex eis ad semet ipsam: & hæc Iudam proditorem diligenter cognovisse dicunt, & solum præ ceteris cognoscentem veritatem, perfecisse proditionis mysterium; per quem & terrena, & cœlestia omnia dissoluta dicunt, & confictionem afferunt hujusmodi, Iudæ Evangelium illud vocantes.* Tertullianus de Præscriptionibus adversus hæreticos cap. XLVII: *Nec non etiam erupit alia quoque hæresis, quæ dicitur Cainæorum. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum: & ideo inferiorem repertum. Hi, quod hoc adserunt, etiam Iudam proditorem defendunt, admirabilem illum, & magnum esse memorantes, propter utilitates, quas humano generi contulisse jactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Iudæ propter hanc caussam reddendam putant. Animadvertens enim inquiunt, Iudas, quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii sic contra disputant, & dicunt: quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, ut salus, quæ impediebatur per Virtutes, quæ obsistebant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset: & ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari.* Meminit hæresios illius etiam

postea

postea cap. XXXIII: uti, quos hic dicit *Cainaos*, appellat *Caianos*: ut & facit lib. de Baptismo. Imo sic quoque, ut vidimus, nuncupat Irenæus. Item Philastrius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus: apud quos, si voles, similia de Caianis vide. Nec alii sunt Cainitæ: ut vocat Clemens lib. VII Στρωμ. Recte vero Epiphanius horum dementiam refellit ex ipsius Judæ verbis, se peccasse confitentis prodendo sanguinem inno-
a Hæresi 38. xium. Ut plura cum Epiphanio *a* & Philastrio adversus eos adducere, supervacuum videatur. Solum igitur aliquid dicam, de eo, quod Judæ opus, Dei esse, ac Christi, videatur. Scelus Judæ est in eo, quod tradiderit Christum. Atqui de Deo ipso legimus Rom. VIII. 32: *Filio proprio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit eum.* De Christo item dicitur ad Gal. II. 20: *Filii Dei, qui me dilexit, & tradidit semet ipsum pro me.* Sed huic difficultati occurrit B. Augustinus in Psal. XL ad verba illa, *Adversum me cogitabant mala mihi.* Item ad hoc Psal. LXV, *Mentientur tibi inimici tui.* Adhæc ad illud Psal. XCIII: *Secundum malitiam eorum disperdet eos.* Præterea tract. VII in epist. I Joannis ad illud, *Filium suum unigenitum misit in hunc mundum.* Contentus ero verba
b Tom. 9. col. 618. Bas. edit. an. 1556. ejus loci adscribere *b*: *Si pater tradidit filium, & tradidit se ipsum filius, Iudas quid fecit? Facta est traditio à Patre: facta est traditio a Iuda. Una res facta est. Sed qua res discernit patrem tradentem filium, se ipsum filium tradentem, & Iudam discipulum tradentem magistrum suum? Quia hoc fecit pater & filius in caritate: fecit autem hoc Iudas in proditione. Videtis quia non quid faciat homo considerandum est: sed quo animo, & voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Iudam. Patrem benedicimus, Iudam detestamur. Quare patrem benedicimus, Iudam detestamur? Benedicimus caritatem, detestamur iniquitatem. Quantum enim præstitum est generi humano de tradito Christo! Nunquid hoc cogitavit Iudas ut traderet? Deus cogitavit salutem nostram, qua redempti sumus: Judas cogitavit precium, quo vendidit Dominum. Filius ipse cogitavit precium, quod dedit pro nobis: Iudas cogitavit precium, quod accepit, ut venderet. Diversa ergo intentio diversa facta fecit. Cum sit una res, ex diversis eam intentionibus si metiamur: unum amandum, alterum damnandum; unum glorificandum, alterum detestandum invenimus. Tantum valet caritas. Videte quia sola discernit: videte quia facta hominum sola distinguit.*

Cap. IV.

De quarta Passionis parte sive iis, quæ perpessus est Jesus, prius in ædibus Pilati, deinde & Herodis.

1. § *Quartam Dominicæ Passionis partem ab eo ordimur, quod mane ex ædibus Caiaphæ per urbem mediam raptus est in prætorium ad Pontium Pilatum.*

Ex eo, quod mane id factum dicitur, cognoscitur, quam fuerint sanguinis sitientes. Videlicet metuebant ne à populo sibi per vim eriperetur, eoque urgebant hoc negotium, quantum possent.

2. §. *Eo ut ventum, Iesus quidem raptus in prætorium: sed populi primores ingredi noluerunt, quia esset dies parasceves, ac lege Mosaica, Num. VI, præciperetur, ut mundi comederent pascha.*

Timebant, ne ingrediendo domum hominis gentilis contaminarentur. Atqui domus non erat polluta nisi propter Pilatum. Proinde magis debuissent ipsius Pilati vitare consortium. Ut hinc quoque eorum hypocrisis eluceat. Et quam insanum, quod metuunt sibi ab ingressu domus, nec formidant effundere sanguinem innoxium?

3. §. *Apud Pilatum trifariam Christus est accusatus. Ac primum falsa doctrina, qua populum seduceret.*

Quasi, Christus aliud egerit, quam ut salutaribus monitis revocaret populum ad pœnitentiam, & pietatem in Deum. Sed hoc caput de doctrina parvo loco duxisset homo Romanus, ac gentilis. Alia igitur erant.

4. §. *Alterum vero fuit tributi negati: quod seditiosum erat.*

Sed quomodo ad seditionem alios concitavit, qui diceret, Deo dandum, quæ Dei; Cæsari, quæ Cæsaris?

5. §. *Tertium fuit regni affectati. Quærebat igitur Pilatus*, Tu re es Rex Judæorum?

Rogat de eo, quod sua interesset primis. Sane si Rex fuisset, terrenus puta, huic, non Cæsari, danda fuissent tributa. Cum vero Judæi hoc agunt, ut Christus capitis damnetur, eo quod Regem se diceret: sese ipsos capitis damnant, quandoquidem Messiam ejusmodi exspectarent, à quo everteretur Romanum imperium, novumque induceretur regnum, & id terrenum.

6 §. *Rogante hoc Pilato, vicissim eum libere rogavit Christus, utrum ex se istoc quæreret, an ex aliis accepisset. Ioan.* XVIII. 34.

Quasi diceret, Aut ex te istoc rogas, aut suggestu alieno. Si ex te, quid in me cognovisti, cur videar regnum turbare? Sin aliunde accepisti, vide ne decipiaris ambiguo *regni* vocabulo.

7. §. *Hac interrogatione voluit Iesus occasionem præbere Pilato ulterius exquirendi; uti factum. Ac primum quidem, significante Pilato, se ignarum esse opinionum Iudaicarum: sed Pontifices eum sibi tradidisse; eoque se exquirere, quid grande commisisset, quo sic eos offendisset.*

Joan. XVIII. 35: *Respondit Pilatus, Nunquid ego Judæus sum? Gens tua, & Pontifices, tradiderunt te mihi. quid fecisti?* Ubi pro eo, quod Græce, *Gens tua*, (τὸ ἔθνος τὸ σὸν) Syrus commode, *populares tui.*

8. §. *Christus ex hac simplici interrogatione, & ab animo veritatis indagandæ profecto, occasionem cepit respondendi ad id, quod antea rogarat Pilatus, & à delegatis Synedrii potissimum objectaretur. Ne vero simplici affirmatione offenderetur Pilatus, explicatius exposuit, quale esset regnum suum. Negat, ab se quicquam periculi esse imperio Romano: ut cujus regnum neutiquam ejus esset indolis, ac mundi hujus regna esse solent.*

Joan. XVIII. 36: *Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.* Regnum suum vocat Iesus, quod sibi promissum per Prophetas. Id regnum non esse mundanæ indolis, eo adstruit, quod qui ad tale regnum adspirant, armare soleant ingentem turbam, quæ pro Imperatore suo decertare sit parata, ne in manus veniat hostiles. Sibi solum discipulos esse paucos, & eos plerosque inermes, quibus etiam, ne gladium stringerent,

rent, interdixerit. Et sane si regnum affectasset terrenum, non fugisset in montes, cum populus eum creare Regem vellet: ut est Ioa. VI. Quid quod etiam discipulis interdixerit, ne cui significarent, se esse Messiam? Periculum enim erat, ne terrenum eum regem populus putaret. Fassus quidem erat apud Caiapham, se esse Messiam: sed quale suum esset regnum, adjecerat. Dicebat enim, se visum ab iis iri sedentem ad Dei dextram, & venientem in nubibus ad judicandum. Huic quod de regno suo respondit Iesus, admodum est conveniens, quod ejus cognatos respondisse Cæsari Domitiano legere est apud Eusebium Histor. Eccl. lib. III cap. XV: Ὡς ἡ αὐτοῦ βασιλεία οὐ κοσμικὴ μὲν, οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνοι. *Quod ejus regnum non esset mundanum, aut terrestre; sed cæleste, & angelicum.*

9. §. *Ex his cognovit quidem Pilatus, non esse, quod ab hoc Rege sibi metuant Romani: interim regnum sibi vindicare audiebat. Quæsivit igitur, an quomodocunque foret Rex.*

Ioa. XIX. 37: Οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; *Ergone tu rex es?*

10. § *Pilato responsum est à Christo*, Tu dicis. *Matth.* XXVII. 11, *& Marci* XV. 2. *Sive ut est apud Ioan.* XVIII. 37. Tu dicis, quod Rex sum ego. *Quo Hebraismo ingenue se regem confitetur; sed qualem dixerat.*

Itaque inchoasse jam tum spirituale regnum est dicendus, quod ab adscensione plenum adeptus est in cœlis. Atque hæc est illa professio, quam prædicat Paulus I Tim. VI. 13: *Præcipio tibi in conspectu Dei, qui vivificat omnia, & Iesu Christi, qui testatam fecit sub Pontio Pilato bonam confessionem.* Et ad hanc regiam potestatem, quam etiam habuit in terris, pertinet, quod peccata remitteret, quibus vellet, & miracula etiam patraret, liberrima potestate. Inque hoc etiam David typus fuit Christi, quod, jam in regem inunctus, primitus solum partem obtinuit regni.

11 § *Nec sufficit Christo, si se Regem diceret: addidit, se ad hoc natum, inque hunc mundum venisse ut regnaret. Et sane id prædictum jam ab Angelo erat, antequam nasceretur, Luc.* I. 31. 32: Et dabit illi Deus sedem David, patris ejus: Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis. *Subdidit etiam, in hoc regnum suum consistere, ut doceat homines veritatem: cui, qui veritatem amant, credant, ac nulla vi adacti, sed sponte obtemperent.*

Ioan. XVIII. 37. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Porro de his, & cæteris Christi ac Pilati verbis plura si voles, adi Cajetanum Ientaculi primi Quæstione tertia: ubi agit de quadruplici admiratione coram Pilato.

12. § *Pilatus ex eo Christi responso opinionem de eo concepit, quasi se Regem profiteretur non multum absimilem illi Stoicorum: quibus sapiens suus idem etiam Rex est. Itaque rogavit, qualis illa veritas foret, cujus se diceret doctorem.*

Ioan. XVIII. 38. *Dicit ei Pilatus, Quid est veritas?*

13. §. *Sed quia istoc cognoscere, non videretur ad Iudicis officium pertinere, non institit hoc exquirere: verum ad Synedrii delegatos, ac populum adstantem ivit, & dixit, nihil se in Iesu invenire ejusmodi, quod ad suam pertineat cognitionem, ac pro crimine sit habendum.*

Ioan. ibid. *Et cum hoc dixisset, prodiit ad Iudæos, & dicit eis, Ego nullam invenio in eo caussam.* Οὐδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκω ἐν αὐτῷ. Ubi αἰτία, pro crimine.

14. §. *Hoc Pilati judicium ægre auditum à Iudæis: qui iccirco in multis eum culparunt, sperantes, in ea criminum copia aliquid saltem fore, quod animum Iudicis moveret.*

Marci XV. 3: *Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.*

15. §. *Pilatus tam multis auditis, sermonem convertit ad Christum, ac quæsivit ex eo, nihilne adversus ea responderet. Sic enim existimabat, neminem melius posse eorum calumnias diluere, quam ipsum.*

Marci XV. 4. *Pilatus autem rursum interrogavit illum, dicens, Non respondes quicquam? ecce quam multa adversus te testentur.*

16. §. *Iesus vero nec Pilato respondit, nec Iudæis. Non Pilato quidem, quia usque adeo illi satisfecisset, ut pronunciaret innocentem: nec Iudæis, quia tantam eorum pertinaciam sciret, ut nullo satisfieri responso posset. Præterea voluit præire nobis patientiæ exemplo. Adde quod jam animum obfirmarat ad mortem subeundam. Et si multum ut poterat, voluisset se purgare, visus esset mortem velle effugere. Pilatus vere hoc silentium videns, mirabatur tum tantam adversus actores lenitatem; tum etiam mortis contemtum.*

Marc. XV. 5: *Iesus autem deinde nihil respondit; adeo ut admiraretur Pilatus.*

17. §. *Iudæi, ubi videre, Pilatum esse propensiorem erga Iesum, ac periculum esse ne è manibus elaberetur; accusavere eum vehementius, tanquam seditiosum: ut qui concitaret populum à Galilæa usque ad Iudæam, & ipsam principem civitatem Hierosolymam.*

Luc. XXIII. 5: *At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum, docens per universam Iudæam, exorsus à Galilæa usque ad hunc locum.* Videbant, nihil se promovisse crimine regni affectati: ergo aliam movent litem seditionis excitatæ: idque doctrina nova, qua populus sit commotus: id vero repugnare quieti publicæ cujus Pilatus sit custos. Ac quam vere hoc dicant, inde cogniturum ajunt, quod non in Iudæa modo hæc faciat, sed etiam Galilæa, seditiosorum nutricula.

18. §. *Pilatus, ubi audiit de Galilæa, quæsivit, num Iesus è Galilæa foret. Eo cognito occasionem hanc arripuit mittendi eum ad Herodem, Galilææ tetrarcham: quia sic se extricare posse hoc iudicio existimaret. Commode autem contigit, quod eo tempore illic Herodes foret: quem credibile est eo venisse, ut Pascha inibi celebraret.*

Lucæ XXIII. 6. 7: *Pilatus autem, audiens, Galilæam nominari, interrogavit, num homo Galilæus esset. Et ut cognovit, quod ad Herodis ditionem pertineret, remisit eum ad Herodem: qui & ipse Hierosolymis erat per id tempus.* Ubi remittere non est denuo mittere, sed mittere ad judicem competentem, sive eum ad cujus ditionem aliquis pertineat, seu propter natales, sive habitationis ergo. Sic Romani *remittendi* verbo uti solent. Porro Herodes ille, de quo hic sermo, est is, cui cognomen Antipas, filius Herodis Magni, sive Ascalonitæ, ejus nempe, qui pueros Bethlehemiticos interemerat: maritus ve-

ro Herodiadis ex Aristobuli fratre natæ, anteaque Philippo nuptæ: patruus Herodis Agrippæ, à quo in Actis legimus Jacobum majorem fuisse occisum, & Petrum conjectum in carcerem: denique avunculus magnus Agrippæ, coram quo orationem suam habuit Paulus; ut est Actor. XXVI.

19. §. *Herodi mire id gratum accidit, partim quod honoris & officii caussa id à Pilato factum crederet: partim quia jam diu erat, quod multa audisset de Christo, & avidus esset conspiciendi alicujus miraculi.*

Luc. XXIII. 8: *Herodes autem, viso Iesu, gavisus est valde: tenebatur enim multo jam tempore cupiditate videndi illum, eo quod audiret multa de eo; & sperabat se signum aliquod visurum ab eo fieri.*

20. §. *Sed spe sua excidit: tantum enim abest, ut miraculo dignaretur, ut ne quidem voluerit affari.*

Luc. XXIII. 9: *Interrogabat autem eum* (Iesum Herodes) *multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat.* Interrogabat enim de potestate regia, quam habere se diceret. Nihil responsi accepit: nedum miraculo dignabatur. Sciebat, eundem esse, quem vulpem antea vocarat: qui etiam Philippo fratri, Trachonitidis tetrarchæ, nefarie eripuisset Herodiadem uxorem; etsi lex non sinat, ut quis fratris superstitis conjugem ducat. Sciebat quoque, ab eo, in Herodiadis gratiam, Joanni Baptistæ præcisas cervices. Accedat ad hæc omnia, quod non veritatis amore, sed more aularum, ex curiositate duntaxat, miraculo aliquo vellet oculos pascere. Quasi non miraculum omne excedat naturæ vires: ut grande aliquid esse conveniat, cujus gratia illud fiat.

21. § *Interea delegati Synedrii, qui una venerant, acriter accusarunt Iesum, ut sic etiam Herodi redderent suspectum: quasi qui Davidis solium affectaret, ad quod non Galilæa minus, quam Iudæa pertineret.*

Luc. XXIII. 10: *Stabant autem principes Sacerdotum, & Scribæ, acriter accusantes eum.* Græce est ἐντόνως, quod vulgatus *constanter*, Erasmus rectius *acriter* vertit: quomodo & sumitur Act. XVIII. 28: ubi Paulus dicitur Iudæos ἐντόνως refellisse.

22. §. *Herodes cum, propterea, quæ retulimus antea, ab Iesu se contemni putaret, ipse Iesum pariter contempsit, eumque sine dubio variis scommatis illusit: & quia rex Iudæorum dicebatur, candida indui veste jussit, qualis regi conveniret: atque ita illusum remisit ad Pilatum.*

Luc. XXIII. 11: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitibus suis: cumque illusisset, indutum veste splendida remisit ad Pilatum.* Græce est, σὺν τοῖς στρατεύμασιν, quod ad verbum sonet, *cum suis exercitibus.* Sed sensus est, cum suo comitatu, ac ministris. Est enim Hebraismus, צבא pro quovis comitatu. Iussit vero indui veste regia: nempe candida, h. e. non λευκῇ, sive alba, sed λαμπρᾷ, sive non alba solum, sed etiam splendida; h. e. cum fulgore ex albore eo relucente: quali subinde reges uti solent, ad candorem animi, & innocentiam testandam. Ideo Pompeius Magnus affectati regni erat suspectus, quod cretatis uteretur fasciis. Nihil enim referre ajebant, qua corporis parte diadema gestaret. Apud Valerium etiam Maximum legas lib. 1. cap. VI. Imperatoribus in prælium exituris nunc album, nunc purpureum dari paludamentum solere. Ita illusus Christus remittitur ab Herodis palatio ad Pilatum. Nec dubitandum, quin in via, & cum iret, & cum rediret, exceptus fuerit multorum sannis.

23. §. *Ab hoc tempore reconciliati sunt Herodes, & Pilatus, cum antea fuissent inimici.*

Luc. XXIII: *Et facti sunt amici, Herodes, & Pilatus, in eodem die. nam antea simultas inter eos intercesserat.* Simultas ea videtur inde orta, quod Pilatus involasset in quædam, quæ ad Herodis jurisdictionem pertinerent: & fortasse, quod Galilæorum sanguinem cum sacrificiis eorum miscuisset: ut est Luc. XIII. Reconciliatio autem ex eo, quod judicium de Iesu tanquam Galilæi, Herodi, ut Galilææ Regi, detulisset. Et sane, absque tam gravibus caussis, facile etiam discordia vitia adversum virtutem concordant. Hactenus de quarta parte Dominicæ Passionis.

Cap. V.

De parte passionis quincta. Ad quam pertinent ista: quod, reductus ad Pilatum, variorum ageretur criminum reus, etiam denudaretur, cæderetur flagellis, indueretur purpura, coronaretur spinis, rideretur, conspueretur, percuteretur alapis, & arundine, atque ita tractatus ostenderetur populo, & adjudicaretur morti.

1. §. V*Enio nunc ad partem Dominicæ Passionis quinctam. Pilatus ubi vidit, præter spem suam evenisse, ut Herodes remitteret Iesum: totus in hoc incubuit, ut persuaderet, sufficere, si Iesus virgis castigatus dimitteretur: quippe qui imprudentius fortasse egisset quædam: sed nihil morte dignum commisisset, vel judicio suo, vel, si non credatur sibi, judicio quoque Herodis, qui & popularis foret, ac religionis ejusdem.*

Luc. XXIII. 13. 14. 15: *Pilatus autem, convocatis principibus Sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos, Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum: & ecce, ego coram vobis interrogans, nullam caussam inveni in homine isto ex his, de quibus accusatis eum. Sed ne Herodes quidem: nam remisi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum est ei.* Ubi obscurius quod dicitur, *Nam remisi vos ad illum.* Græce, Ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτόν. Quomodo & Syrum legisse liquet. Ut hoc velit, proceres à se missos ad Herodem. Sed in aliis libris est, Ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς. *nam remisit eum ad nos.* Hoc est, remisit Herodes Iesum, tanquam ridendum potius, quam morte dignum.

2. §. *Subjunxit Pilatus, velle se propterea non quidem impunitum dimittere, ne nihil Iudæorum postulato largiatur; attamen nec morte punire, quia hoc nimis foret crudele in eo, quem innocentem putaret. Mediam igitur se viam instituturum, qualis, si cædatur flagellis.*

Luc. XXIII. 16: Παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω. *Castigatum ergo illum dimittam.* Qua castigandi voce proprie virgæ, aut flagella, signantur.

3. §. *Hinc eidem in mentem venit, quomodo etiam absque omni supplicio posset dimittere: quandoquidem esset festum Paschale: cujus ergo quotannis aliquis è captivis soleat liberari.*

Hæc enim sententia est verborum Matth. XXVII. 15: *In festo autem consueverat Præses unum turbæ dimittere, quem voluissent.* Sive, ut apud Lucam XXIII. 17: *Necesse autem habebat dimittere eis in festo unum.* Pro quo

Ioan.

Ioan. XVIII. 39: *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam in Pascha.* Ubi videmus, quod aliis generatim ἑορτή, id ἀζύμων Ioanni Pascha vocari. Et alibi similiter videas interdum ἑορτή pro paschate poni κατ᾽ ἐξοχήν. Perperam vero ex his colligunt aliqui, Christum esse crucifixum ipsa die, qua comedebant agnum Paschalem, sive prima die azymorum. Nam Pascha à Pilato laxe sumitur, ut simul comprehendat tum parasceuen, quia ad pascha præparet, tum non primum modo, sed sex etiam sequentes azymorum dies. Nec ipso die Paschali vacassent Iudæi judicio capitali: quod fuisset profanare diem tam religiosum. Quare postulatum istiusmodi non poterat habere locum vel primo azymorum die, vel ultimo; qui cæteris habiti sanctiores, vereque μεγάλαι ἑορταί: sed tantum parasceues die, vel azymorum diebus, inter primum, & ultimum interjectis.

4 §. *Hæc consuetudo non erat à temporibus antiquis; quibus siquid contra legem Mosaicam peccatum foret, nulli erat ignoscendi potestas; non Regi, non Synedrio, non toti populo. Omnino enim obtinebat, quod divinus ad Hebræos epistola scriptor ait* X. 28: Qui aspernatus fuerit Mosis legem, absque misericordia (χωρὶς οἰκτιρμῶν) sub duobus, aut tribus testibus, moritur.

Quod pluribus ex historia Iudaica exemplis comprobat illustris Hugo Grotius, annotationibus ad eum Matthæi locum, de quo nunc loquimur.

5. §. *At profectus is mos à Romanis, qui, stante adhuc Rep. lectisterniis tempore vincula captivis adimi jussere; ut ex Livio constat. Quomodo cum animati essent, nihil mirum, si Augustus Cæsar, ut gratificaretur Iudæis, hoc Præsidibus, quibus nulla alioqui ignoscendi potestas, concesserit, ut in festo præcipuo, hoc est, Pascha, quod sæpius* ἀζύμων festi *nomine intelligitur, permiserit iis, uni ex captivis vincla demere, atque eum carcere emittere.*

Quid mirum igitur, si, cum gentiles Imperatores hunc honorem habuerint festivitati Paschali, turpe putarint Imperatores Christiani, si hac parte forent inferiores? Uti Valentinianus, Valens & Gratianus: quorum Constitutio est in Codice Theodosiano, tit. De indulgentiis: *Ob diem Paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus. Attamen sacrilegus, in majestate reus, in mortuos veneficus sive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione istius muneris separentur.* Ibidem & altera est eorundem Principum, anno edita consequenti: *Paschæ celebritas postulat, ut, quoscunque nunc acra exspectatio quæstionis pœnaque formido sollicitat, absolvamus. Decretis tamen veterum mos gerendus est: ne temere homicidii crimen, adulterii fœditatem, majestatis injuriam, maleficiorum scelus, insidias venenorum, raptusque violentiam, sinamus evadere.* Ob ea, quæ hic excipiuntur, Gratianus, Valentinianus & Theodosius, L. Paschalis, eodem tit. dicunt: *Paschalis lætitia diem ne illa quidem temere sinere ingenia, quæ flagitia fecerunt.* Plura de hoc si voles, Brissonium adi ad L. Dominico, De Spectaculis, in Cod. Theodos. Imo Prudentius, poëtarum more ludens, fingit, eo die quoque pœnas cessare apud inferos.

6. §. *Pilatus itaque, ob huncce morem, jubet, ut quia vinctum quoque haberet* ἐπίσημον, *sive scelere aliquo insignem, ac famosum, statuant inter se, utrum malint Iesum dimitti, an Barabbam, qui in seditione quadam hominem interemisset.*

Matth. XXVII. 16, 17: *Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, Utrum vultis dimittam vobis, Barabbam: an Iesum qui dicitur Christus?* Marci XV. 7: *Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditionis auctoribus fuerat vinctus, qui per seditionem cædem patraverant.* Luc. XXIII. 18. 19: *Barabbam, qui erat propter seditionem quandam factam in civitate, & homicidium, conjectus in carcerem.* Ioann. XVIII. 40: *Erat autem Barabbas latro.* Græce est λῃστής. Actor. III. 14. pro eo ἄνδρα φονέα *virum homicidam* legas. Per latronem igitur hic non alius, quam *homicida* intelligendus.

7. §. *Spes erat, Iesum prælaturos. Et eo tam impares composuerat Pilatus, gnarus, ex invidia Christum accusari.*

Matth. XXVII. 18: *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.* Uti à fratribus contigerat Iosepho, qui typus fuit Christi.

8. §. *Interim Pilato, considenti in tribunali, nuntium mittit conjux, qui significaret, multa se perpessam in somnis propter Iesum: eoque esse auctorem, nequid sibi cum justo illo negotii esse velit.*

Matth. XXVII. 19: *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi cum justo illo: multa enim sum passa hodie in somnis propter eum.* Unde videmus, ut Pilatus secum uxorem duxerit in provinciam: quod moribus antiquis adversabatur. Sed Tiberianis temporibus aliter fuit: ut cognoscimus ex Taciti Annal. III: ubi Cæcinas conqueritur, *ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus coli: duo esse prætoria.*

Ex eo autem, quod Pilatus dicatur sedisse pro tribunali, cognoscimus, id nunciatum esse, non in secretario, sed postquam inde exisset. Nam distincta erant hæc duo loca, secretarium, ut posteriores vocarunt) & tribunal. In secretario disquisitio judicum fiebat. Atque eo vocabatur reus, cum esset examinandus. Sed postquam aliquid de reo decretum, exibatur ad tribunal; unde sententia pronunciabatur. Ea duo loca distingui velo solebant. Unde Ado prid. Id. Augusti de Euplo: *Cum esset extra velum secretarii, intromissus est, jubente Calvisiano, in auditorium.* Hinc Clemens, qui dicitur Romanus, lib. II cap. LII. παραπετάσματος μέσου, *velo interposito.* Ut vero Latini, *secretarium.* Sic Synodus Africana, τῷ σηκρήτῳ τῆς διακονίας. Pluribus de hoc illustris Grotius. Sed ad somnium, quod habuerat Pilati uxor, redeamus.

9. §. *Credo, somniarat, hunc esse filium Dei, aut saltem hominem justum: multaque Hierosolymitanæ urbi mala imminere, si innocens detur neci. Mariti igitur amore eum de hoc somnio facit certiorem.*

Varia sunt somniorum genera: quæ quadruplici à caussa solent variare: ut ostendimus lib. III De theologia gentili, & physiologia Christiana cap. XXXV. Somnium hoc utrum morale, an divinum fuerit, non satis liquet. Fortasse utrumque concurrit. Morale sit, quatenus verisimile est, varia de die audiisse judicia de Christo, & multis eum prædicari filium Dei, & miraculis insignem. Sed divinum potius fuerit, si somniarit, reapse esse Filium Dei, & ob ejus necem fore, ut exscindantur Hierosolyma. Posterius hue amplexi etiam Origenes, Chrysostomus, Theophylactus: qui ex somnio colligunt, vel antea piam fuisse, vel somnio factam, atque eo salvatam. Ac Maldonato quoque id probabile videtur.

10. §. *Dum hæc fiunt, Iudæi inter se consilium capiunt, quid responsuri essent Pilato. Persuasum vero illis à principibus, ut festi ergo Barabbam peterent dimitti.*

Matth.

Matth. xxvii. 20: *Principes autem Sacerdotum, & Seniores, persuaserunt turbis, ut peterent Barabbam, Iesum vero perderent.* Vide, quid non odium, & invidia possit: seditiosum, & homicidam, præferunt homini innocentissimo. Quod merito Iudæis exprobrat Petrus Act. iii, 14: *Vos autem sanctum, & justum, negastis; & postulastis, ut virum homicidam donaret vobis.*

11. §. *Ubi videt Pilatus, præter exspectationem ecedisse, ut eligerent Barabbam, denuo idem exquirendum sibi putavit, spe qualicunque, non adeo pertinaces fore in sententia sua, si viderent, aliud Præsidi videri. Sed Iudæi uno ore acclamarunt, non Iesum, verum Barabbam dimittendum. Nec propterea destitit à proposito Pilatus: sed rogavit, si Barabbam vellent dimitti, quid fieri cuperent de Christo. Illi clamare tum, ut cruci affigeretur: non contenti poscere ut morti addiceretur, sed ut ignominiosa. Hic Pilatus tertio eos compellare, rogareque, quid tam grave commisisset Iesus, ut tale ei supplicium esset subeundum. Illi eandem canere cantilenam, si clamor insanientium cantio dicenda. Nempe una voce acclamare sæpius, ut crucifigeretur.*

Matth. xxvii, 21: *Respondens autem Præses ait illis, Utrum vultis vobis è duobus dimittam? At illi dixerunt, Barabbam. Dixit illis Pilatus, Quid igitur faciam Iesu, qui dicitur Christus?* Non videntur ea fuisse Pilati verba. Nam nondum *Christi* nomen ita innotuerat passim. Sed sufficit, quod sententiam expresserit Euangelista. Sequitur: *Dicunt ei omnes, Crucifigatur. Præses autem ait, Quid enim mali fecit?* Τί γὰρ κακὸν ἐποίησε; Ubi γὰρ positum pro οὖν, ut sententia sit: Siccine? quid igitur mali commisit? Vel si proprie γὰρ sumitur, quod verius puto, more Hebræo reticuerit Euangelista id, quod dictum fuisse intelligitur, ex ratione, quæ subjicitur. Omissa vero Ioannes sic supplet: *Regem vestrum crucifigam? Quid enim mali fecit?* Quomodo *& veruntamen* (πλὴν) Matth. xxvi, 64, (ut monet ibi Maldonatus) non expressis respondet, sed omissis. Hinc subjicit Matthæus: *At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur.* Hujusmodi acclamationum varia apud Partes, & imprimis in Martyrologiis, habemus exempla: ut cum clamarent, *ad leonem, ad bestias*, atque alia id genus. De quibus recte quidem L. Decurionum C. de Pœnis, *vanas populi voces non esse audiendas*: attamen constat, multos magistratus magis iis fuisse commotos, quam conveniret. Eadem narrat Marcus xv. 11. 12. 13. 14. Tertio autem Iudæos à Pilato compellatos clare indicat Lucas xxiii. 22: *Ille autem tertio dixit eis, Quid enim mali fecit? nullum crimen capitale comperio in eo. Castigatum ergo illum dimittam.*

12 §. *Et jam parum abesse res à tumultu videbatur. Quæ res metum incussit Pilato, sic ut à proposito desisteret.*

Matth. xxvii. 24: *Videns autem Pilatus, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret*, &c. Is tumultus in seditionem prorupisset, quia populus non sivisset elabi eum, quem persuasa foret esse blasphemum. Sane & antea Christum propterea populus voluit lapidare, non expectato Præsidis judicio. Posteaque, Stephanum à populo Iudaico lapidibus obrutum, in Actis legimus. In tumultu nihil recte atque ordine fieri solet. Eoque justius sibi à seditione metuebat Pilatus, quia, quam facile is populus ad eam concitaretur, abunde foret expertus, cum milite Hierosolymis inducto spoliare vellet templi thesauros: de quo apud Flavium Iosephum legere est lib. ii de Bello Iudaico cap. viii.

13. §. *Sic constitutus Pilatus, consultum putavit, ut cederet furori. Ergo Christum flagellari præcepit.*

Ioan. xix. 1: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Partim id a Pilato factum, quia sic mos ferret Romanus, ut qui crucifigendi essent, prius flagellis cæderentur: partim etiam, quod speraret, hoc supplicio posse emolliri duros Iudæorum animos.

14 §. *Antequam vero flagellaretur, toto corpore denudari opus fuit.*

Quod non potuit non dolorem illi adferre, qui non omnem amisisset pudorem. Nec tamen hic par omnino ratio est Christi, ac nostri. In Christi enim corpore nihil pudibundum, quia non peccarat. Interim licet nihil in ejus carne pudendum, assumserat tamen carnem pudendæ similem. Itaque non dubium, quin dolore effecerit Christum ea denudatio, propter caussam turpitudinis non veræ, sed apparentis. Quamquam vero disputetur, utrum Christus fuerit penitus nudus, an verenda tectus, cum affigeretur cruci; de quo inferius disseretur: tamen cum flagellandus alligaretur columnæ, fuisse penitus nudum, communis omnium opinio est: ut ait Franciscus Suarez in Commentar. ad iii Part. Thomæ tom. ii quæst. xlvi disputat. xxxix sect. iv. Atque ita quoque in Revelationibus S. Brigittæ lib. i cap. x legas: *Ibi alligatus nihil omnino operimenti habebat.* Et lib. iv cap. lxx: *Deinde jubente lictore seipsum vestibus exuit; columnam sponte amplectens, recte ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando, totum corpus ejus laceratur. Ad primum igitur ictum ego, quasi corde percussa, sensibus abducor: & post tempus evigilans corpus ejus laceratum video. Toto enim corpore nudus erat, cum flagellaretur.*

15. §. *In flagellatione ipsa tria considerantur: virgisne sit cæsus, an flagellis: an de numero verberum constet: num procumbens, an stans cæsus fuerit. De primo sic statuo, flagellis fuisse cæsum. Hoc enim indicat vox* φραγελλώσας, *quæ est apud Matth.* xxvii. 26, *& Marci* xv. 15.

Ut fallatur Maldonatus, quando virgis cæsum putat. Imo Romæ in Ecclesia B. Mariæ ostendi ajunt flagellum, quo cæsus est Dominus. Est vero flagellorum supplicium fœdius. Nam liberi virgis, servi flagellis cædebantur. Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Porcia lex ab omnium civium corpore amovit virgas, hic immisericors flagella retulit.* Aculeatis flagellis cæsum, B. Virgo ait apud Brigittam *a*. Volunt plerique, Christum esse cæsum flagellis taxillatis, quæ ἀστραγαλωταῖς μάστιξι dicuntur. Appuleius lib. viii appellat flagra pecuinis ossibus catenata. Alibi, contortis tæniis lanosi velleris fimbriata, & multijugis talis ovium taxillata. Plura Iustus Lipsius, Daniel Mallonius *b*, Ludovicus De-la-Cerda *c*, Consalvus Durantus *d*.

a Lib. 4. cap. 70.

b Elucidationibus ad Alphonsum Palæum cap. 5.

c In Advers. sacr. cap 107. § 27.

d Annotat. in S. Brigittæ Revelat. lib 1. cap. 10. num 9.

16 §. *Alterum erat, quoties Christus flagellis fuerit cæsus. Siquidem in eo differebat flagellatio Iudaica, & Romana, quod illa certo plagarum numero contineretur; hæc non item. Iudæi enim tantum quadragies poterant cædere: ut est Deuteron.* xxv. 3.

Solent autem uno minus ictu cædere, sive humanitatis ergo, sive quia poterant ictu uno aberrare, eoque satius esset intra præscriptum modum ferire, quam eum excedere. Unde & Paulus ii Corinth. xi. 24: *Quinquies quadragenas una minus accepi.* Nempe ab Iudæis istæ erant.

17. §. *At Romanus modus non erat certus: sed nunc major, nunc minor. Quare de Christi flagella-*

gellatione, qua, antequam crucifigeretur, more facta Romano, quot verberum fuerit, dici nequit.

Landulphus de vita Christi non dubitat scribere, affectum verberibus 5475. Nec Ioannes Lanspergius, homilia L. de Passione Dominica, vel Guilielmus Pipinus stat. VI Christi patientis, multum abeunt. Sed plane hoc fidem excedit, cum corpus humanum tot nequeat flagra perferre. Scio, divina virtute fuisse Christi corpus conservatum. Sed quid opus recurrere ad miracula, ubi nihil certi subest toti rei? Porro Iudaica flagellatio loro fiebat vitulino: quod Rabbini observant in Deuter. XXV. Hæc de numero plagarum.

18. §. *Tertium erat, quo situ corporis flagellarentur. Iudæi flagellabant prostratos.*

Ut ibidem ostendunt hæc verba Mosaica Deut. XXV. 2. *Sin autem eum, qui peccavit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari.*

19. §. *At servi Romani columnæ alligabantur.*

Unde Plautus Bacch. act. IV sc. VII:

—— Abducite hunc
Intro, atque adstringite ad columnam fortiter.

Atque ita Christum esse cæsum, ait quoque Nazianzenus orat. I in Iulian. Hieronymus epist. XXVII ad Marcell. Paullinus epist. XXXIV. & veterum alii. Columna, ad quam alligatus Iesus fuit, postea Ecclesiæ est facta porticus. Et eam sibi ait conspectam B. Hieronymus sanguine Christi cruentatam. Sic ea fuit columna, fuit longa: ut quæ sustineret ædem. Sed Romæ in æde S. Praxedis, martyris Romanæ, quæ sub Antonino Cæsare passa, brevis monstratur columna, cui dicitur fuisse alligatus. Et sane talis accommodatior, ut columna tantum assurgat ad nates. Ita corpus totum pene patuerit plagis. Plura de flagellatione si voles, adi Alphonsum Paleotum, lib. de Stigmatibus Christi, quæque ad eum Daniel Mallonius annotavit cap. V. Item Consalvum Durantum notis in S. Brigittæ Revelationes lib. I. cap. X. §. 12.

20. §. *Post eam flagellationem Iesus à militibus Pilati prehensus, inque Prætorium, non longe à tribunalis & secretioris Iudicii consistorio dissitum, abreptus fuit: atque eodem tota est cohors convocata.*

Matth. XXVII. 27: *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem.* Marci XV. 16: *Milites autem abduxerunt eum intro in atrium, quod est prætorium, & convocant totam cohortem.*

21. §. *Ab hacce cohorte tanquam ad ludicrum spectaculum, imo non ad spectandum modo, sed illudendum etiam, advocata, sive Pilati jussu, si ve militari protervia, omnis ludibrii, atque injuriarum generibus Christus affectus fuit.*

Nec inutile vero, nec injucundum sit, cum bis conferre, quæ Philo Alexandrinus libro in Flaccum *a* refert de Carabba quodam, parum mentis compote, & interdiu noctuque nudo oberrante per compita, nec vel æstum, vel frigus curante, vere puerorum & adolescentum otiosorum ludibrio. Hunc hominem miserum ad gymnasium propulere; ac constituerunt in sublimi, ut conspici posset ab omnibus; mox capiti imposuere diadema papyraceum; corpus amiciunt storea (χαμαιςρωτῳ) pro chlamyde; pro sceptro in manum dedere arundinem. Sic histrionico more regem factum adolescentes, perticas humeris gestantes, tanquam satellites, stiparunt; ac aliqui salutatum accessere; alii jus sibi reddi petiere; alii consuluere de Republica, post hæc omnes circumstantes MARIM acclamarunt; quod Syris dominum signat. Sed nunc de Christo persequamur.

a P. 751. edit. Allobrog. a. 1613.

22. §. *Primum est, quod Christum exuerunt vestibus suis.*

Exuisse tunicam inconsutilem, & stolam, apud Origenem legas, & ex eo apud Iansenium, & alios. Hæc pudori erant, ut ex iis cognoscere est, quæ superius dicebamus. Fortasse tamen non totus denudatus, sed solum interiori tunicæ superinducta est vestis alia.

23. §. *Alterum est, quod ad ludibrium induerunt eum chlamyde coccinea, ut est apud Matthæum: sive chlamyde purpurea, ut referunt Marcus, & Ioannes.*

Ubi duplex quæstio exsurgit. Prior est de veste. Nam aliud ἱμάτιον, aliud χλαμύς. Altera est de colore. quia alius est cocci color, alius purpuræ. Quemadmodum & materia differebant. Nam coccus è frutice terrestri: purpura è concha marina. Imo & tertium discrimen, quod in usu consistebat. Siquidem equites apud veteres Romanos coccinea usi veste: sed purpura soli imperatores. Quod ad priorem quæstionem, censeo, ἱμάτιον hic laxe sumi, ut non tunicam signet, quæ interior, sed chlamydem comprehendat, quæ exterior. Quod ad colorem, credo, proprie fuisse vestem coccineam: sed pro ea dici purpuream, quia vulgo sæpe confunderentur; idque propterea, quod Tyria purpurea proxime à cocci colore abesset. Quamquam proprie acceperit Nonnus, cum ait *a*:

Πορφυρέην ἐσθῆτα διάβροχον αἵματι κόχλῳ.
Purpuream vestem irriguam sanguine muricis.

a Ioan. cap. 19. vers. 5. sive poeta v. 24.

Unde vero subito vestis hæc eximia? Num dicendum, eam fuisse satellitum alicujus? an centurionis suam vestem præbentis ludibrii ergo, quam mox esset recepturus? Sane exiturum ad supplicium sua iterum veste dicuntur induisse. Atque hæc de veste.

24. §. *Tertium erat, quod Christo ludibrii caussa coronam imposuerint spineam: coronam, ut Regi: spineam, ut miserabili Regi.*

Quod ut magis liqueat, duo hæc attendemus, quod coronarint, & quod spinea id corona factum. Coronarunt, ut qui se regem diceret. Primitus simulachrum Solis, corona erat insigne: & quidem quæ duodecim haberet radios, ad indicandum duodenos per signa duodecim labores. Unde Maro XII Æn.

—— Ingens mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru; cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.

Signa vero, ac menses XII, signari, etiam legas apud Martianum Capellam lib. II de nuptiis Philologiæ:

Solem te Latium vocitat, quod solus honore
Post patrem sis lucis apex: radiisque sacratum
Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.

Sol vero creditus naturæ universæ ac præcipue ætheræ arbiter: ac quatenus naturæ præest universæ, vocatus Saturnus; quatenus cœlo, Iupiter; quatenus in se consideratur, Apollo, aut Phœbus. Unde liquet, quomodo ad Solem pertineat, quod ait Callimachus:

—— ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες.

Liquet etiam, cur ut filii Iovis, sive ut Solis filii, vel nepotes, ut Latinus apud Maronem, coronam habuerint radiis XII insignem. Itaque & cum quidam somniasset, se solem factum per forum ambulasse undecim radiis insignem, hoc divinatores ita interpretati, imperatorem

quidem fore; sed undecim mensibus exactis diem suum obiturum. Testis Artemidorus lib. IV cap. LI. Et hæc universe de regum coronis.

Nunc particulatim agam de corona, quæ imposita fuit capiti Christi. Hæc fuisse dicitur è juncis marinis. Id colligunt ex voce πλέξαντες. Sed clare apud Euangelistas est ἀκανθῶν. Quo nomine à nullo scriptore ὀξυάκανθος intelligitur. Marcellus Empiricus eam coronam fuisse dicit e spina alba. Aliqui tamen, quibus visa est corona, S. Ludovici temporibus Lutetiam deportata, rege ipso pompam, honoris, & pietatis ergo, comitante, fuisse eam scribunt è juncis marinis. Verum ipse Baronius agnoscit, è spina videri. Credibile est, hancce spineam coronam detractam capiti Christi, cum ei exuerent χιτῶνα ἄρραφον a. Nam cum corona fuerit ampla, non potuissent aliter exuere tunicam, quæ ita stricta erat, ut proxime corpori quasi adhæreret: unde & ἐχόμενον dixere. Planeque putidum est, quod Grammatici dixere, χιτῶνα nuncupari ἀπὸ τοῦ χέειν. Colligimus igitur, milites prius coronam de capite Christi sustulisse: hinc tunicam exuisse: ea exuta, iterum coronam imposuisse. Quantæ autem immisericordiæ fuit, quod pro corona aurea, gemmis distincta, imposuere spineam, quæ non solum ignominiæ foret, sed etiam pungendo adferret dolorem! Quo fine & capiti arctius impressisse, est verisimile.

a Inconsutilem tunicam.

In memoriam spineæ Domini coronæ Petrum fuisse tonsum, tradit Ceolfridus abbas epistola ad Naitanum regem, lib. v. Histor. Angl. cap. XXII: *Neque vero ob id tantum in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est: ideireo & nos, qui per eandem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus.* Et paullo post: *Formam quoque coronæ, quam ipse, in passione sua, spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret, & auferret à nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre: ut, se etiam irrisiones, & opprobria, pro illo libenter, ac promto animo, sufferre, ipso etiam frontispicio doceant.* Atque hoc est, quod etiam legas apud Germanum, episcopum Constantinopolitanum, in Theoria mystica rerum Ecclesiasticarum b: Τὸ δὲ ξύρισμα τῆς κεφαλῆς τοῦ ἱερέως, καὶ τὸ γυροειδὲς αὐτοῦ τμῆμα τὸ μέσον τῶν τριχῶν, ἀντὶ τοῦ ἀκανθίνου στεφάνου, ὅνπερ ὁ Χριστὸς ἐφόρεσεν. *Rasura capitis sacerdotalis, & rotunda ejus pilorum media sectio, vice coronæ est spineæ, quam Christus gestavit.* Etiam sesquiseculo post similiter Rabanus Maurus in institut. Cleric. lib. I cap. III: *Sunt quoque quidam doctorum, qui asserunt, diversas ob caussas Petrum Apostolum hunc ritum primum sumsisse primitus, ut formam, & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemtione nostra, crucis patibulum subiturus, à nefanda Iudæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur.* Aliquot etiam post seculis sic inter alios scripsit Ebrardus, sive Eberhardus Bethuniensis, (Bethunia vero in Arthesia est) contra Waldenses cap. IV c: *Corona, quæ fuit data Christo caussa improperii, nobis caussa honoris debet esse.* Legas apud nonnullos, Petrum, cum missus esset ad prædicandum Euangelium, fuisse tonsum ad contumeliam: sed, Christo benedicente, id vertisse in gloriam: Sic sane idem Germanus, episcopus Constantinopolitanus, proxime post verba paullo ante allata: Ὁ ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ ἱερέως περικείμενος διπλοῦς στέφανος ἐκ τῶν τριχῶν σημειώσεως, εἰκονίζει τὴν τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου τιμίαν κάραν, ἣν ἐν τῷ τοῦ κυρίου καὶ διδασκάλου κηρύγματι ἀποσταλεὶς, καὶ καρεὶς ὑπὸ τῶν ἀπειθούντων τῷ λόγῳ, ὡς ἐμπαιζόμενος ὑπ᾽ αὐτῶν, ταύτην ὁ διδάσκαλος Χριστὸς εὐλόγησε, καὶ ἐποίησε τὴν ἀτιμίαν τιμὴν, καὶ τὴν χλεύην εἰς δόξαν. *Duplex corona circumposita capiti sacerdotis, ex capillorum significatione, imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, quæ, cum missus esset ad prædicationem domini & magistri, et tonsa est ab iis, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis; eique magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit.* Pluraque de hac re inibi. Ac video etiam, Iacobum de Voragine hunc sequi opinionem in Legenda Aurea, ubi de Cathedra Petri.

b P 149. edit. Paris. Morell. an. 1560.

c P. 75. edit. Ingolstad. an. 1614.

25 §. *Quartum est, quod arundinem tribuerint Christo, ut ei esset pro sceptro regio.*

Sunt reges ποιμένες λαῶν, ut eos vocat Homerus: & propterea pro pedo datum est iis sceptrum, ut meminissent, se pascere, non deglubere debere gregem sibi commissum. Sed Christo data arundo ad risum concitandum.

26. §. *Quintum est, quod in genua provoluti salutarent eum, dicentes,* Ave, Rex Iudæorum.

Sane qui se submittit, is vel totum se humi prosternit, vel in genua procumbit. Verum hæc à militibus non serio, sed ludibrii ergo fiebant. Sic & Pseudophilippus à rege Philippo per ludibrium rex salutatus: ut est apud Livium.

27. §. *Sextum est, quod etiam sputo eum adspergerent.*

Quod quantæ fuerit ignominiæ, antea diximus.

28. §. *Septimum est, quod alapas etiam impegerint.*

Quod & à Iudæis in domo Caiaphæ factum, ut antea referebamus.

29 §. *Octavum, quod arundinem pro sceptro antea tributam eripuerint dextra, & caput ea percusserint, tanto maiori dolore, quod spinæ coronæ sic altius imprimerentur.*

Sane spinis corpus Christi fuisse lanciatum, etiam apud Tertullianum legas, libro de Corona militis. Addunt juniores, evulsam etiam capillos, ac barbam; quod adstruere laborant ex iis, quæ de Passione Dominica scripsit S. Bernardus. Sed de hoc silebo, quia silet Scriptura.

30. §. *Post tot injuriarum ac contumeliæ genera hoc agit Pilatus, ut denuo tentet Iudæorum animos. Primum producitur Iesus extra prætorium, miseranda facie, flagellatus: quo producto ait Pilatus Iudæis,* Ecce homo.

Quasi dicat, Videte miserum, nihil minus quam regem, cujus supplicio confido satiatos esse jam animos vestros, ut, siqua vobis humanitas, nihil ultra supplicii irrogari sit opus.

31. §. *Sed tantum abest, ut, eo conspecto, animis mitigarentur, ut quemadmodum feræ, gustatis carnibus, magis solent furere: ita illi fierent efferatiores. Nempe metuebant proceres, ne, si dimitteretur, populus paullatim ad se rediret, & pænitudine eorum, quæ inique egisset, Iesum crearet regem, deque iis, à quibus essent concitati, supplicium sumeret. Quare gnari, mortuos non mordere, hoc agunt, ut populus eum ad supplicium deposcat. Unde clamor ille,* Crucifige, crucifige. *Tum Pilatus, indignabundus plane: se quidem nullam reperire culpam in eo morte dignam. Sed si crucem meruisse videretur, ipsi crucifigerent. Iudæi ad ista a, non licere,* a Ioan. 18.
sibi quemquam occidere.

Hoc pugnare videtur cum eo, quod antea dixerant, esse ἔνοχον θανάτου. Sed inter cognitionem, & executionem caussæ distingui oportet. Dixeris Act. XII. legi de Iacobo Apostulo ab Herode Antipa interemto. Sed dispar ejus ratio temporis: quia Herodes is mire gratus fuit Caio, Claudioque: à quibus & regiam obtinuit digni-

dignitatem. Sermo nobis de temporibus Pilati, & præsidum Iudææ, qui eum præcessere: ut sunt Coponius, Ambivius, Rufus, & Gratus. Nam post excessum Archelai, qui Herodis Magni filius fuit, Romani Iudæam, ut provinciam, per præsides rexere. Sub iis hoc quidem relictum erat Iudæis, ut ei manus ac vincula injicerent, qui deliquisse contra legem dicebatur: adhæc ut cognoscerent caussas juxta legem divinam, & inde judicium ferrent: sed in potestate erat Præsidis Romani, ut vel Iudæorum judicium sequeretur, vel mitiori pœna afficeret, vel etiam prorsus absolveret. Videlicet, uti apud Romanos, alia erat ratio prætoris, alia erat cognitorum.

32. § *Nec tamen sic nodus plane solvitur.*

Nam sæpius ipsi Christum occidere voluerunt: etiam citra consensum Pilati, Præsidis Romani. Stephanum quoque protomartyrem lapidibus obruerunt. Quare dicendum, quadraginta quidem annis circiter, ante excidium Hierosolymorum, (ut Rabbini testantur) ademtum fuisse Iudæis jus capitalis supplicii: sed solum in iis, quæ ad crimen læsæ majestatis, aliterve ad Remp. & imperium pertinerent: in quibus ne cognitionis quidem, nedum exsecutionis iis fuit. At permissu Præsidis licuit iis decernere de delictis ad legem suam pertinentibus: imo in talibus non leviores modo pœnas sumere concessum fuit: sed etiam capitales. Nimirum ut in captivitate licuit Babylonica: quod ex Susannæ historia satis est apertum. Sic igitur statuimus, potuisse cognoscere de Christo, ut blasphemo, non potuisse, ut majestatis reo. Atqui accusatio Christi duplex fuit. Prior erat blasphemiæ, secundum legem Iudaicam, Levit. xxiv, 14. juxta quam lapidandus fuisset. Hinc dignus morte à Iudæis judicatus. Matth. xxvi, 65. 66. Marc. xiv. 64. Altera est læsæ majestatis, secundum leges Romanas. His enim seditiosi affigebantur cruci, vel bestiis objiciebantur: ut etiam Paullus ait in Digestis. Volebant autem Iudæi, Christum damnari etiam læsæ majestatis, quia se Regem fecisset, non veto solum ut blasphemiæ reum, quia se filium Dei dixisset. Nempe ita majori erat auctoritate damnandus: nec habiturus fautores.

Valde interim errant, qui Christum putant cruci adjudicatum more Iudæorum. Iudæis enim tantummodo fuere hæc quatuor supplicia: lapidum, laquei, gladii, & ignis. Nec obstat, quod interpres veteris testamenti crucis meminit. Nam ubi ligni mentio fit, *crucis* ille vertit, cum *ligni* nomen sit generale, nec minus conveniat arbori infelici, de qua suspendebantur, quam cruci. Imo & σαυρῶ nomen non solius est crucis, ut ne quidem è LXX solidi quicquam exsculpere sit. Psalmo tamen xxi, ubi etiam secundum Massoritas legitur, *Perforarunt manus, & pedes meos*: crucis supplicium signari, non est dubitandum. Verum istud non historice de se David scribebat: sed de Christo, spiritu prophetico, tanquam typus Christi.

Dixeris, non è Romanis, sed populo fuisse Iudaico, qui Iesum esse crucifigendum, toties acclamarint. Recte sane: sed non propterea putandum, vulgus magnopere laborasse, quo mortis genere periret. Sed quod potius *Crucifige*, dicunt, quam *Occide*, ex eo est, quod facile præviderent, cum Christus haberetur quispiam è vili popello, quippe fabri filius, nec ulla civili, vel sacerdotali dignitate ornatus: fore ut, si tollendus esset, affigeretur cruci. Vafros tamen populi primores, & quosdam alios, altius spectasse rem, credibile est. Nam hi illud agebant, ut tanquam læsæ majestatis reus damnaretur. Nimirum hoc pacto se illud consecuturos putabant, ut omnis generis hominibus justius supplicium videretur, ac cædis ejus invidia (qua apud innumeros bonos se flagraturos videbant) in Romanos maxime derivaretur. Ab eadem caussa fuit, quod Iudæorum primores dicerent, non posse Pilatum dimittere Iesum, si Cæsaris esse amicus volet. Atque hæc de responso, quod Iudæi dederunt Pilato, poscenti, ut ipsi cruci figerent Iesum.

33. §. *Præterea, quia dixerat Pilatus, nihil se morte dignum invenire, jubent iidem distinguere inter leges Romanas, & Iudaicas. Ajunt enim, se legem habere, secundum quam mori debeat, quia Filium Dei se dixerat. Hoc majorem etiam terrorem incussit Pilato.*

Gentiles enim statuunt, ex Deo, & homine, generari heroes, sive semideos. Metuere igitur accepit, ne sic natus esset Iesus, ac, talem tollendo, Deorum in se iram concitaret.

34. §. *Quare prætorium iterum ingressus rogandum sibi Iesum putavit, qui genus, unde domo? Tacuit Christus. Pilatus id ubi videt, quæsivit an non dignaretur responso eum, qui tam studiose pro eo omnia ageret apud Iudæos, & potestatem haberet, tum absolvendi, tum condemnandi. Ad hæc Christus, non habiturum eum potestatem, nisi ea ἄνωθεν, &, ut posteriores loquuntur, cælitus esset concessa.*

Quo non illud sensisse videtur, viros principes, quibus potestas est judicandi de aliis, à Deo hoc munus habere: id enim omnium est principum commune. At aliquid hic dicere voluit Christus, quod proprie magis tangeret Pilatum: eoque potius istud significat, nunc horam suam advenisse, qua tradendus esset in manus hominum, & ab iis judicandus: alioqui enim non fore ei tantum potestatis in sese, qui à Deo missus esset in terras, ad perhibendum veritatem. Quare Christi verba capere convenit, non de judicandi potestate, sicut loquuntur, auctoritativa, sive ex officio; sed permissiva, sive divina ordinatione, concessa, cum ex officio non haberet. Ut eodem hæc spectarint, ac illud ad Iudæos *a*: *Hæc est hora illa vestra, & potestas tenebrarum.* Ubi hora est hora fatalis: quomodo (ut in iis quæ ad sermonem pertinent, liceat exemplum ex tyranno petere) Nero ajebat apud Suetonium *b*: *Nondum adesse fatalem horam.* Imo Christi ipsius est Ioan. II. 4: *Nondum venit hora mea.*

a Luc. 22. 53.

b In Nerone c. 49.

35. §. *Addidit Iesus, utcunque Pilatus peccaret, tam multa agendo in gratiam Iudæorum, multo tamen gravius eorum esse delictum, qui ipsum Pilato tradidissent.*

Quo terrorem voluit Pilati non augere, sed imminuere, nequid liberationis suæ caussa agere videretur.

36. §. *Post hos sermones impensius studuit Pilatus eum manibus Iudæorum eximere. Sed acclamare Iudæi:* Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. *Quo multum infracta fuit in Pilato illa animi vis, quæ eluxerat prius.*

Sciebat, quantum calumniæ possent. Metuit itaque sibi ab ira Cæsaris. Inde collabascit. Nec tanti unius hominis, licet innocentis, vitam arbitratur, ut propterea, & populum offenderet, & deperderet gratiam Cæsaris.

37. §. *Iesum igitur foras producit, proque tribunali consedit in Gabbatha.*

Qui locus sic ab altitudine dictus Hebraice, vel Chaldaice. Græcis, quia lapidibus stratus, λιθόστρωτος vocabatur.

38. §. *Utcunque vero jam animo Pilati sederet hæc sententia, condemnare Iesum: nihilominus committere non potuit, quin aliqua diceret, & faceret, ad testandum, quam invito hoc faceret animo. Iterum igitur quæsivit ex iis:* Quid ergo vultis faciam de Iesu, qui dicitur Christus? *At illi iterum succlamabant,* Crucifige, crucifige.

fige. *Ad istum populi clamorem regessit Pilatus: Ergone vultis, ut ego crucifigam vestrum Regem? Pontifices ad hæc: Regem alium, quam Cæsarem, non habemus. Ut Pilatus conspexit, nec hilum se promovere, sed turbam gliscere; χέρνιβα sive malluvium adferri sibi jussit: manus lavit, populo inspectante: quem his verbis est affatus:* Innocens ego sum à sanguine hujus: vos videritis.

Non hæc gesta paucis testibus: sed die Parasceues, quo tempore in Urbe esse solent ad tricies centena millia, ut alibi ex Josepho ostendimus. Sane illustre iterum hoc testimonium innocentiæ fuit, idque à Præside Romano. Isti oris professioni accessisse dicebamus, quod ad propriam quoque innocentiam testandam manus lavarit. Nempe munditie manuum, velut symbolo, voluit testari animi munditiem, & innocentiam. Sic, ut Aristeus ait, LXX interpretes quotidie, antequam se ad translationis operam accingerent, manus solent abluere, ut ita testatum facerent, puros se esse, nec ullius sibi criminis conscios: quod pertinebat ad majorem conciliandam suæ tralationi fidem.

39 §. *Cum vero ea consuetudo, ut judices lavarent manus, non fuerit Romana: videtur Pilatus in hoc morem secutus esse Judæorum. Nam Deuteron.* XXI. 6. *legere est, Judices reum condemnaturos abluisse manus, ad testandam innocentiam, ac similiter divinus Psaltes* XXV. 6: Lavabo inter innocentes manus meas.

Non potuit eum Judicum morem ignorare Pilatus, qui tot annos Præses Judææ fuisset. Et licet non foret Judæus, sequi tamen voluit apud Judæos, quibuscum sibi negotium foret. Ac eo facilius potuit hac parte imitari velle Iudæos, quia in aliis etiam gentibus lotio in χειρονίπτρῳ sive malluvio symbolum esset purgationis: ut apud Athenienses: imo passim lustrationes sive purgationes fiebant aqua marina, aut vivo flumine. Sed non tam ad testandam innocentiam, quam ad purgandum à delictis, & vitæ melioris professionem. Postea quoque in veteri Ecclesia ante templum canthari & luteres fuere, vel etiam fontes, ut aqua manus abluerent; quo precantes in templo, puris id facerent manibus, typo ejus moniti, quod dicebam. Chrysostomus serm. xv. de verbis Apostoli, *Habentes*
a In ea Chrysostomi editione quam Front. Ducæus dedit, ac tomo illo, in quo homiliæ de diversis novi Testamenti locis. pag. 369. *autem eundem spiritum* a: καθάπερ γὰρ κρήνας εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἴκων νενόμισται, ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ Θεῷ, πρότερον ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσιν· οὕτω καὶ τοὺς πένητας ἀντὶ πηγῶν καὶ κρηνῶν ἔστησαν οἱ πατέρες πρὸ τῶν θυρῶν, ἵν᾽ ὥσπερ ὕδατι τὰς χεῖρας ἀπονιπτόμεθα, οὕτω φιλανθρωπίᾳ τὴν ψυχὴν ἀποσμήχοντες πρότερον, οὕτως εὐχώμεθα. *Sicuti enim mos est, ut fontes sint in atriis templorum, quo, precaturi Deum, prius manus laverint, quam eas ad Deum attollant: ita etiam pauperes, fontium vice, majores nostri collocarunt ante fores templi, ut, quemadmodum manus abluimus aqua, sic etiam, per beneficentiam abstersa anima, tum demum oremus Deum.*

40. §. *Utcunque vero voluerit Pilatus coram populo, & ore, & symbolo testari innocentiam suam: non tamen innocens fuit. Nec enim sufficiebat professio, sed requirebatur absolutio. Nunc vero passus, sibi extorqueri, ut morti traderetur.*

Tertullianus Apologetici cap. XXI: *Ad doctrinam vero ejus, qua revincebantur magistri, primoresque Judæorum ita exasperabantur, maxime quod ad eum ingens multitudo deflecteret, ut postremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia suffragiorum in crucem dedi sibi extorserint.*

41. §. *Ac putavere aliqui, ita extortum Pilato, ut non consenserit, sed solum permiserit.*

Ita Lactantius lib. IV Institut. cap. VIII: item Chrysostomus orat. II de Eleemosyna.

42. §. *Verum longius processit Pilatus: quod clare arguunt illa verba Lucæ* XXIII. 24: Et Pilatus adjudicavit (ἐπέκρινε) ut fieret, quod illi postulabant. *Et sane omnes Judæorum clamores tendebant, ut ipse eum damnaret Pilatus. Titulum etiam ipse scripsit, h. e. scribi præcepit. Nec per Judæos supplicium de eo sumtum, sed per milites Romanos. Uti nec à Judæis corpus postulatum: sed à Pilato.*

Itaque à Pilato ipso damnatum, prope omnium veterum Theologorum sententia est. Ac similiter Tacitus scripsit XV Annalium: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.*

43. §. *Sic igitur statuendum, ipsius Pilati voce fuisse damnatum.*

Cujus injustitiæ graves à Deo pœnas luit. Nam qui accusationibus Iudæorum, quas falsas sciret, usque adeo se abripi passus fuit, ut supplicio addiceret innocentem: ipse etiam falsis Iudæorum criminationibus circumventus, Viennam in exilium missus fuit: ut idem Iosephus refert lib. XVIII. Antiq. Iud. cap. VII. Nec Herodi impune fuit, Christum, in quo professus fuit nihil se morte dignum comperire, tam crudeliter tractasse. Quippe is, quamvis longe aliam ob caussam, à Caio Caligula relegatus fuit Lugdunum; ut est apud Iosephum lib. XVIII. Iudaic. Antiquitatum cap. XIV. Sed à Pilato, & Herode, ad Iudæos redeamus.

44. §. *Judæi visis, & auditis illis, quæ de Pilato retulimus, acclamarunt* a: Sanguis ejus su- a Matth. 27. 25.
per nos.

Cujus Hebraismi ea mens, Nos pœnam luemus; sive, Non culpam præstabimus. Ac similiter loquitur Scriptura Levit. XX. 9. 12. 16. Ios. II. 23. & alibi.

45. §. *Nec sibi modo, siquid à se peccaretur, dira omnia imprecabantur: sed etiam carissimis pignoribus, & inde nascituris. Nam non contenti dicere,* Sanguis ejus super nos, *addunt*, & filios nostros.

Nempe variarum is gentium mos, etiam Hebrææ, sicuti heic videmus, ut non se modo, sed etiam posteros devoverent. Ita legas in fœdere Smyrnæorum cum Magnetibus, quod ex marmoribus Arondelianis primus edidit, ac commentario illustravit clarissimus Seldenus: Ἐπιορκοῦντι γε ἐξώλεια, καὶ αὐτῷ, καὶ γένει τῷ ἐξ αὐτοῦ. *Siquis pejerarit, is pereat, & una ejus genus.* Apud Senecam etiam lib. III de beneficiis cap. XXVIII. refertur, quomodo *Rufus, vir ordinis Senatorii, descendenti Cæsari occurrerit, & cum malam mentem se habuisse pridie jurasset, id ut in se, & filios suos recideret, optarit.* Nec solere hujusmodi in atroci facinore abire impunita, ex Cylonio scelere cognoscimus: de quo Thucydides lib. I. Pluribusque eam rem illustrat ad hunc locum illustrissimus Grotius. Quam vero imprecatio ista obstrinxerit genus Iudæorum, ostendit consecutus Urbis interitus, & quod hodieque gens ea per orbem vagatur extorris, & exosa.

46. §. *Ad tristem adeo, ac sceleratam devotationem,*

nem, quis non exhorrescat, cui non plane cernea sit fibra? Credo, etiam cohorruit Pilatus ipse. Saltem noluit ulterius tendere brachia contra torrentem: sed, populari cedens furori, Barabbam dimisit: Jesum autem tradidit affigendum cruci.

Quæ omnia de Christi damnatione ita particulatim narrant Euangelistæ, non tantum ad veritatem historiæ additis circumstantiis magis testandam, & firmandam: sed etiam ad innocentiam Christi undequaque comprobandam. Poterat enim Christus in seditione occidi. Sed voluit se sistere coram tribunali judicis terreni, ut istic innocens damnatus liberaret nos judicio coram tribunali judicis cælestis. Atque hæc de parte quincta Dominicæ Passionis.

Cap. VI.

De Sexta Passionis parte: sive de iis, quæ perpessus est Christus, cum è domo Pilati ad supplicii locum rapietur.

1. § *SExtam nunc aggredier partem Passionis Dominicæ: quam inde ordimur, cum se pararent ad rapiendum eo Christum ubi facinorosi ultimo afficerentur supplicio. Ac primo Christum tunica exuere coccinea, propriisque vestibus induere. Spineam capiti coronam esse ademtam, non dicitur, ut verisimile sit, relictam. Sic è prætorio deductus est, primum quidem per urbem: deinde ex ea porro usque ad Calvariæ montem.*

Hic tria attendimus, unde itum, quo itum, & qua itum. A prætorio itum, ubi quæ ante egressum sit à militibus perpessus, proxime vidimus. Itum ad supplicii locum, qui extra urbem fuit. Itum cruentis gressibus prius per urbem, inde per portam judiciariam est egressus, atque id viæ emensus, quod duceret ad locum supplicii. Locus is tum Iudaico, tum Romano etiam more, extra urbem erat. Mosaico tempore mortis supplicium sumi solere extra castra, cognoscimus ex Numer. xv. 35. Ac postquam urbes inhabitatæ à Iudæis, extra easdem id obtinuit: ut videmus 1 Reg. xxi. 13. Iidem, Romano more, extra vallum deducebantur milites: ut constat ex A. Hirtio de bello Cæsaris Africano: item Seneca, & Vegetio. Etiam extra urbem affigebannit cruci. Egrediebantur vero per portam Metiam, sive Exquilinam: quam signat Plautus Milite Act. II. Sc. IV:

Credo ego, istoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis manibus, patibulum cum habebis.

Etiam Suetonii est in Claudio cap. XXI: *Civitatem Romanam usurpantes in Campo Esquilino percussit.* Ubi *civitatem usurpantes*, valet, *falso dicentes se cives*, ὅτι τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν κατεψεύδοντο, ut pro eo dicit Arrianus in Dissertationibus Epicteti lib. III cap. XXIV. Et habitasse carnificem extra Urbem, constat ex Cicerone pro Rabirio. Fere etiam crux juxta vias; ut magis esset conspicua. Vel eadem de caussa in monte, ut illa Polycratis *in excelsissimo Mycalensis montis vertice*: sicut ait Valerius lib. VI. cap. ult. Ac similiter illa Christi in monte Calvariæ.

2. §. *Videri etiam possit Christus in via esse multa perpessus, & verbera, & sannas, dum militari manu per arduam truditur viam.*

Sane moris erat Romani, ut furcifer sive patibulatus in via cæderetur virgis, vel stimulis pungeretur à carnifice, qui pone sequeretur. unde Plautus Mostellaria:

O carnificinam crebram, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si huc reveniat senex.

Ubi *patibulatus* est, qui patibulum gestaret, hoc est, furcam sive stipitem erectum, in summo habentem ramos bifidos, quibus cervices inserebat furcifer, manibus deinde ad eam deligabatur: Is sic procedens à carnifice, vel conservis, ut acceleraret gressum, stimulis pungebatur, vel virgis cædebatur. Unde Nero, ut Tranquillus narrat, cum audisset, se à Senatu hostem judicatum, & peti, ut puniretur more majorum, eoque rogasset, cujusmodi id supplicium foret, responsum accepit, *nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.* Sæpe enim virgis sic cædebantur, ut inde morerentur, priusquam affigerentur cruci: sæpe item, ubi tam grave supplicium perpessi forent, crucifigi solent. Unde Plautus Carbonaria: *Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci.* Et Arnobius lib. VII: *Servum pessime meritum per circi aream mediam traduxisse cæsum virgis, & ex more multasse post patibuli pœna.* Ubi *patibulum* vocat, quod Plautus, ut vidimus, *crucem.* Quamquam & sæpe, ut puto, furcam gestarent, nec tamen vel ad necem cæderentur, vel cruci affigerentur; ut supplicium non foret capitale, sed ad ignominiam duntaxat: cujus rei auctores habemus Plutarchum in Coriolano, & Donatum ad Terentium.

3. §. *Sed solum dicam; ubi prait Scriptura. Quale est, quod coactus est crucem propriam gestare.*

Passionis lignum bajulasse ipsum, etiam Tertullianus tradit adversus Iudæos cap. X.

4. §. *Bajulare eo crucem ipse suam adactus, quia nec Judæi id facere voluissent, nec Romani.*

Non Judæi, quia illis moriens in ligno maledictus foret: secundum illud Deuter. XXI. 23: *Maledictus, qui pendet in ligno.* Ubi nihil quidem particulatim de ligno crucis; sed generatim de ligno: ut intelligantur tum suspensi, tum crucifixi. Quare licet Christus non fuit suspensus, sed crucifixus: recte tamen ei Mosis illa verba adaptat Paulus ad Gal. III. 13. Nempe quia universe quisquis in ligno penderet, typus foret Christi: atque hic pro nobis factus sit execratio, h. e. pœnas, quas nos execrabiles commeriti eramus, sustinuit pro nobis. Sed neque Romani voluissent crucem ferre, quia genti huic consuetudo foret: ut ne aliis crux imponeretur, quam qui illi erant affigendi. Tales, usque dum deventum foret ad supplicii locum, portare crucem solere, clare testatur Plutarchus libro de tarda Dei vindicta, & Artemidorus lib. II. Ὀνειροκρ. cap. LXI.

5. §. *Porro in via occurrit Simon Cyrenæus de villa sua veniens, ut est Lucæ* XXIII. 26.

Pater is fuit Alexandri, & Rufi: qui videntur tum fuisse noti vulgo inter fideles: ac fortasse è Christi discipulis erant: vel postea numerati inter discipulos Apostolorum. Nempe horum nomina non tantum ad veritatem historiæ pertinuerunt; sed etiam ad duorum illorum gloriam.

6. §. *Simonem igitur ad ferendam Christi crucem angariaverunt* a. a Luc. 23. Joan. 19.

Hoc est, adegerunt. Id enim est ἀγγαρεύειν: quo de verbo, à Persica lingua oriundo, egimus in Originum libris: ac aliquid etiam diximus lib. I. de Vitiis Sermonis cap. V. & lib. III. cap. XI.

7. §. *Dubium vero, utrum Simon Cyrenæus coactus sit ad juvandum Christum, ut deinceps Christus, &*

& Simon, pariter humeros supposuerint cruci: an potius Christo & lasso, & ob flagellationem acerrimam infirmo prorsus, parcitum sit à militibus, qui solum Simonem satis ad hoc validum viderent. Sane in isto variant & veteres.

Referunt aliqui, Christum ter ob grave pondus concidisse: semel non longe ab lithostroto; inde paullo extra portam, tertioque ad radicem montis Calvariæ. Quod si est, Christus semper bajularit, prius solus, postea cum Simone. Sed argumentum id majoris foret ponderis, nisi hoc de terno Christi casu à junioribus duntaxat proderetur. ut vel ab iis hoc fictum, vel ex apocryphis quibusdam haustum videatur. Pictores quidem sic historiam effingunt, ut priorem crucis partem Christus ipse, posteriorem autem gerat Simon. Sed magis fit verisimile, totam in urbe à Christo bajulatam, extra urbem vero in Simonem translatam. Nempe, Christo jam lasso, nec valenti amplius ferre, jejuniis, vigiliis, contumeliis, tantopere antea afflicto, Simonem, hominem alienigenam, & vilem fortasse, in via forte obviam factum, crucem ferre coegerunt. Ita hæc conciliant Origenes in Matth. cap. xxv. Athanasius serm. de Passione, & cruce. B. Hieronymus in Matth. xxvii. 32. B. Augustinus lib. iii. de Consensu Euangelist. cap. x. Leo Magnus serm. viii. de Passione. Ut mittam Bedam, Glossam, Theophylactum, Euthimium, Lyranum, Lodulphum de vita Christi, ac cæteros.

8. § *Aiunt autem, Veronicam Christo, ad supplicii locum eunti, præbuisse sudarium, cui ille imaginem suam impresserit. Atque hoc sudarium Romæ adservari.*

Ut constare melius possit, quid de ea Christi pictura, ac similibus, sit sentiendum, historiam de universis ejus picturis breviter percurram.

Ter Christus se dicitur depinxisse: semel ante passionem, semel in passione, semel post passionem. Ante passionem in linteo, quod per pictorem Abgaro, Edesseno toparchæ, misit. In Passione, quando Veronicæ sudario imaginem suam impressit. Post passionem, cum in sepulchro sacræ sindoni, à Josepho Arimathensi emtæ, figura corporis Christi adhæsit. De his ordine agam.

Ac primo historia de Abgaro, & Christo, apocrypha est: ut anno cccxcv Gelasius Papa statuit cum LXX episcoporum concilio Romano, ac apud Gratianum est distinct. xv can. Sancta Romana. Vel saltem vera non est epistola, quæ ab Jesu ad Abgarum missa dicitur. Aliter si foret, non minus fuerit pars canonis divini, quam scripta Euangelica. Quod quis veterum dixit? Multum sane metuo, ne aliquis Archivorum præfectus fucum fecerit Eusebio. Atque ut omnia essent genuina, quæ apud Eusebium in fine lib. i. Histor. Eccles. leguntur: non tamen fidem merentur, quæ addunt juniores, sed præterit Eusebius: cujus ea erat fides, & industria, ut quicquid in Edessenis foret Archivis, fuerit posteris proditurus. Sane transit statim Eusebius ab epistola Jesu ad Thaddæi iter Edessanum. Commentitia igitur videntur, quæ memorantur de imagine θεότευκτῳ: ut Euagrius vocat lib. iv. cap. xxvi. Vixit vero Euagrius temporibus Maurítii Imperatoris: cujus anno xii historiæ suæ finem imponit, hoc est, anno Christi Iɔxcv. Hausit illa Euagrius ex Procopio, qui paullo ante, nempe sub Iustiniano, vixit. Non tamen apud eum leguntur. Ex scriptorum illis, qui postea claruere, Gregorius ii, qui Dialogus dicitur, Ioannes Damascenus lib. 3. de Imaginibus, Patres Concilii Niceni ii, Adrianus Papa in Responsione ad Capitulare Caroli M. cap. xviii. &, qui post annum demum cIɔ ccc vixit, Nicephorus Callisti, lib. ii. cap. ii. Atque hic multa addit, quæ non minus in archivis Edessanis inveniri ait, quam illa ab Eusebio relata. Sed quantum fidei mereantur, pauci non vident. Edessanum illud sudarium de quo diximus; adversari dicitur Januæ, sive Genuæ potius. Sic enim Livius vocat; qui primus omnium scriptorum urbis ejus meminit in bello Hannibalico sive Punico ii.

Altera est pictura Veronicæ, quod nomen corruptum ex Φερονίκη, sive potius ex Βερονίκη; quomodo Macedones dicebant, Β pro Φ substituto. Hæc Veronica dicitur Romam profecta, & sudario, cui imago Christi impressa, sanasse Tiberium: Clementem tamen, quem Petrus Episcopum Urbis fecerat, sudarium hoc nactum esse: ab eo, ut in Eleusiniis lampada sequenti tradebant, devenisse ad successores, hodieque Romæ adservari. Meminit Albericus in Dictionario: qui vixit anno cIɔ ccc L. Historia ejus rei exstat in bibliotheca Vaticana: ubi totam sibi lectam esse, aiebat Thomas Stapletonus: ut ex ore ejus se accepisse ait Pammelius ad Tertulliani Apologet. cap. xii num. CCLXXX. Ubi plura de hac imagine legere est. Hæc si vera sunt, mirum, non verbo attigisse Eusebium, vel alium tribus post seculis: ne quidem Patres Concilii Niceni ii, vel Hadrianum i in Responsione ad Capitulare Karoli Magni, qui studiose adeo advocarunt, quæ possent, ad tuendum imaginum cultum.

Tertia est pictura sacræ sindonis: cui Nicodemus involverat corpus Jesu Christi. Ea prius Cambrerii in Sabaudia adservabatur, nunc Augustæ Taurinorum. Inventam aiunt anno cIɔ cccclviii. Joannes vero Hierosolymitanorum regum ultimus donavit illam Annæ sorori suæ, Ludovico Sabaudiæ Duci nuptæ. Ex pictura hac colligunt, quantus fuerit Christus, quanta corona spinea, quantaque magnitudo singulorum Christi vulnerum, & similia. Nec enim faciem solum, ut Veronicæ sudarium, sed universi corporis formam, pectus, brachia, manus, ventrem, femora, tibias, pedes, ac, verbo ut dicam, omnia ante retroque repræsentat. Adservatur in capsa argentea. Sed suspectam valde eam sindonem reddit, quod totis mille quadringentis annis talis sindonis meminerit nemo: cum multi adeo minutias quasque referre soleant, quæ ad sanctorum λείψανα[a] pertineant. Præterea non video, quomodo sacræ sindoni potuerit imprimi imago Christi, cum aromatis corpus fuerit inunctum. Nam quasi centum libras aloës, & myrrhæ, ad ungendum Christum attulisse Nicodemum, refert B. Joannes xix. 39. Nec proxime corpus ambibat sindon, sed ὀθόνια, sive lintea illa: sudarium tantummodo tegebat faciem: fasciæ autem sive institæ operiebant manus, pedesque, ex more Iudaico: quem cognoscere est ex historia Lazari resurgentis. Aiunt, Papas duos, Xystum iv, & Iulium ii, bullis suis comprobasse. Sed nominant non proximos à Christi temporibus; sed qui non longe à nostris temporibus absuere.

Et hæc de picturis Christi, quas Christus ipse expressit. Præter quas memorant alias tres: unam aiunt pictam à B. Luca, quæ Romæ dicitur adservari. Ita Thomas Aquinas part. iii. quæst. xxv. art. iii. ad iv. Sed vellem idoneum adduxisset auctorem. Scio, dici pictam ab eodem B. Virginem. Sed antiquissimus à quo id traditum sit, est Theodorus Lector, qui circa annum vixit sexcentesimum. Eum secuti fuere tanto posteriores, Simeo Metaphrastes in Lucæ vita, & Nicephorus Callisti lib. xiv. Histor. Eccl. cap. ii.

Adhæc αἱμοῤῥοοῦσα, sive mulier ea, quam Christus à fluxu sanguinis liberavit[b], imaginem ejus apud Paneadem, sive Cæsaream Philippi, constituisse dicitur. De qua Eusebius lib. vii. Histor. cap. xiv, sive juxta Græcum codicem cap. xviii. item Sozomenus lib. v. cap. xx, & Nicephorus Callisti lib x. cap. xxx. Atque hic more suo aliqua adjecit illis, quæ Eusebius, & Sozomenus retulere. Fortasse & Eusebium legenti scrupulus possit injici, an ea imago fuerit Christi. Nec tamen id negat Eusebius: sed erectam putat ἐθνικῇ συνηθείᾳ, *gentili consuetudine.*

[a] *Reliquias.*

[b] *Matt. 8. Marc. 5. Luc. 7.*

Imo

Imo & Nicodemus ille, qui Christum inunxit, putatur secundum picturam Christi, quam in sacra sindone viderat, eundem è ligno sculpsisse; ac cum instaret Hierosolymorum excidium, misisse in Galilæam. Ejus vero loci Episcopi dicuntur imposuisse navi, quam divinæ committerent providentiæ. Hanc appulsam esse ad Etruriæ oppidum, quod Lunæ dicitur. Lunensem vero episcopum de re tota fuisse edoctum per Angelum: ac propterea imaginem currui imposuisse magnifico: ac quo loco cessarunt equi, templum exstruxisse, ubi hodieque sacra illa à Nicodemo elaborata imago adservetur. Quæ omnia majoris forent auctoritatis, si subnixa essent primorum seculorum scriptoribus. Veritatem adstruere solent è miraculis: de quibus, ut aiunt, Athanasius, libello de passione imaginis Christi in Beryto. Ac totus is libellus legitur & comprobatur in synodo Nicena II. Act. IV. Bellarminus tamen in Scriptoribus Ecclesiasticis genuinum negat: nec leve est argumentum, quo id adstruit. Quippe miraculum id, quod eo libello refertur, demum contigit anno DCCLXVI; ut Sigebertus in Chronicis testatur. Quare Athanasius is non fuerit magnus ille Athanasius, sed aliquis quadringentis annis recentior, vixeritque, quo tempore agitabatur de cultu sacrarum imaginum. Atque hæc de Christi imaginibus generatim visum dicere, occasione Veronicæ Christo obviam factæ in via ad Golgotham ducenti.

9. § *Christum in via secuti multi è populo, etiam mulieres, quæ partim quia hæc fierent innocenti, partim memores beneficiorum, quæ accepissent, ob tam lugubre spectaculum, lamentabantur, ac plangebant.*

Luc. XXIII. 27: *Sequebatur autem illum multa turba populi, ac mulierum, quæ & plangebant, & lamentabantur.* In hisce feminis etiam ipsa fuit Mater Domini, in qua tum impletum illud est vaticinium Simeonis *a*, gladium pertransiturum ejus animam.

a Luc. 2. 35.

10. §. *Christus ubi hanc plorantium, ac plangentium, turbam conspexit, non quidem culpavit fletum eorum: qui ex pietate proficiscebatur: monuit tamen, si scirent, quantum ipsis mali impenderet, non tam laboraturas de Christi calamitate, quæ mox in summam esset gloriam versura, quam de sua sorte, ac pariter liberorum, quorum miseria esset mærorem duplicatura.*

Luc. XXIII. 28: *Conversus autem ad illas Jesus dixit, Filiæ Hierusalem, nolite flere super me: sed super vobis ipsis, & super filiis ipsis.*

11. § *Rationem deinde hanc subjungit, quoniam, si scirent, quæ sibi tempora impenderent, magis suam essent sortem doliturae. Venturam enim ultionem divinam, juxta ea, quæ Judæi sibi, & liberis, essent imprecati. Nunc maledictas credi steriles; sed tum beatas vocatum iri, quia non angentur propter miseram liberorum sortem.*

Luc. XXIII. 29: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Atque huc respicit etiam, quod antea dixerat Judæis *b*: *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus.*

b Luc. 21. 23.

12. § *Miseriam quoque eorum temporum auget, quod, non reperientes refugii locum, optaturi sint, ut montibus, & collibus contegantur.*

Hoc eo expressit, quod, ut est Lucæ XXIII. 30: *Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos.* Quæ verba sunt ex Oseæ X. 8. Similisque est Jesaiæ II. 19. Ac novissimis mundi temporibus adaptantur eadem Apocalyps. VI. 16. Oseas de Samaria loquitur. Sed hujus excidium typus fuit excidii Hierosolymitani: uti Hierosolymitanum typus erat excidii universalis. Ostendit vero Christus, se præscisse tanto ante, quæ eventura forent. Sane tum in speluncas se abdidere, ut effugerent vim Romanam. Et quid apertius ostendit magnitudinem calamitatum, quam quod matres præ fame ipsos etiam carissimos liberos comederunt?

13. §. *Denique hæc confirmat proverbiali parabola ligni viridis, & aridi.*

Luc. XXIII. 31: *Quia si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Sensus est; Si hæc faciant Romani in ligno viridi, cui se confert Jesus, quia vigeret in se Spiritus Dei, & fructus salutares proferret: quid non essent iidem facturi in ligno arido, h. e. populo Judaico, nullos proferenti fructus, instar arboris arefactæ, & tantum utili ut comburatur?

14. §. *Una vero cum Christo ducebantur latrones duo.*

Qui *nequam* dicuntur à vulgato interprete. Sed non satis sic expresseris vocem Græcam κακοῦργος: quæ est Lucæ XXIII. 32: Ἤγοντο δὲ καὶ ἕτεροι δύο κακοῦργοι, σὺν αὐτῷ ἀναιρεθῆναι. Quæ bene Erasmus vertit: *Ducebantur autem & alii duo facinorosi, cum eo ut interficerentur.* Malunt aliqui, *malefici*. Et κατὰ λέξιν vocabulum Græcum id sonat laxe sumendo: quomodo Cicero in Verrinis *maleficos, ac sceleratos*, conjungit. Interim est ambigua vox; cum usitate, præsertim Jurisconsultis, & aliis, qui à Constantini temporibus vixere, *malefici* sint, quos LXX φαρμακοὺς vocant: puta venefici, ac carminibus magicis utentes. De nominibus eorum in crucifixione ipsa dicam.

15. §. *Dum sic facinorosis miscetur Jesus, quemadmodum postea Marcus a ait,* impleta est Scriptura, quæ dicit, Et cum iniquis deputatus est. a Marc. 15 28.

Quæ verba sunt desumta ex Jesaiæ LIII: 12.

16. §. *Tandem deventum in locum Chaldaico vocabulo dictum* Golgotha, *vel integre* Golgoltha: *id est Calvariæ locum.*

Matth. XXVII. 33: Καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅς ἐστι λεγόμενος Κρανίου τόπος. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* Similiter interpretatur Marcus XV. 22. Apud Lucam est XXIII. 34: Ὅτε ἀπῆλθον ἐπὶ τὸν τόπον τὸν καλούμενον Κρανίον. *Postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvaria.* Ubi rectius fortasse Κρανίου: ut legisse videtur Epiphanius, ac vulgatus interpres: apud quem est *Calvariæ*. Si Κρανίον magis placet propter tot codicum auctoritatem, μετωνυμικῶς Κρανίον vocetur, quia Κρανίου, vel Κρανίων, locus foret. Ac firmare eam rem videtur, quod in Cephallenia etiam oppidum foret nomine Cranium, sive, ut Thucydides vocat, Κρανία. Est vero *Golgotha* vox Syriaca. Sane Hebræis גלגל *caput*, sive κρανίον, *calva*. Syriaca autem [Syriac] גלגלתא, & elisa, ut quandoque fit, litera, *Golgotha*. Sic vero is locus vocatus perhibetur ob sepultum ibi Adamum, ejusque cranium ibi inventum. Hanc rem plenius exponam.

Apud B. Hieronymum in Matth. cap. XXVII, & ad Ephes. cap. V. lego seu historiolam, seu fabellam, quam se audisse ait è quodam ad populum concionante. Is Adamum primum aiebat ibidem fuisse sepultum, ubi tot seculis

culis post Jesus, Adamus secundus, fuit crucifixus. Ac cum sanguis Jesu stillaret de cruce, Adamum primum, pro cujus culpa moriebatur Jesus, eo sanguine fuisse contactum, ejusque virtute à crimine purgatum. Tum Jesum ad eum sic exclamasse : *Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Subjungit deinde hæc verba : *Magno applausu populi pia explicatio suscepta est, non tamen vera, cum neque Adam in Calvaria monte sepultus sit. Ubi enim sepultus sit Adam, testatur liber Josua cap. XIV. dicens, Ibi Adam maximus inter filios Enachim sepultus est. Neque & Calvaria mons ab Adæ capite, sed à calvariis eorum, qui in eo monte capite plectebantur, sic appellatus fuit.* Hæc operæ sit expendere. Nec enim desunt, quæ facere videantur pro ea sententia, quam Hieronymus refellit. Hujusmodi est non modo ipsa montis appellatio : quia si à cranio hominis ea fuerit, nullus potius, quam primus homo intelligi videatur : sed etiam ἀναλογία illa primi, & secundi Adami : cum valde congruere divinæ videatur sapientiæ, ut ubi mortuus, sepultusque est primus Adam, per quem mors venit in mundum, ibi quoque moreretur secundus Adam, per quem vita venit in mundum. Ut enim Adam inobedientia sua perdidit genus humanum : ita Christus est, *qui nobis restituit rem*, obediens factus usque ad mortem crucis. Contrarium Hieronymus colligebat ex verbis illis Josuæ XIV. 15 : *Nomen Hebron autem vocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Verum vox האדם Adam non est hic nomen proprium, sed commune, sive, ut Grammatici dicunt, appellativum. Ut sententia sit, *Nomen autem Hebronis olim fuerat Cariatarbe, sive civitas Arba. Is fuerat homo maximus inter Ænacinos.* Maximum intelligo non statura, sed imperio ; cujus posteri Ænacim ; unde Castor, & Pollux, ἄνακες, qui postea, τ inserto, ἄνακτες. At quis ille homo magnus ? Judæi commentario in Cantica Abrahamum patriarcham intelligunt : ac multis id probare conantur. Non dubium mihi, quin τῷ κοινῷ Arbe intelligatur, unde *civitas Arbe* dicta. Aliquibus tamen non Adam solum communiter, verum & Arbe sic sumi putatur, ut notet *quatuor*, eoque Cariat-arbe significet civitatem quatuor hominum. Quatuor isti fuisse traduntur, Adam, Abraham, Isaac, Jacob : qui istic sepulti dicuntur : uti & quatuor matronæ, Eva, Sara, Rebecca, Lea. Sed alii nomen ex eo deducunt, quod quatuor hi, Aner, Eschol, Mamre, Abraham, hic habitarint, & circumcisi sint. At quanto simplicius, quod prius diximus, ut Arbe fuerit viri principis nomen, & inde Arbæ civitas dicta sit. Atque hæc satis ostendunt, si aliud non habeat Hieronymus, quam Josuæ locum, caussam non esse, cur minus credatur Adam esse sepultus in monte Calvariæ. Quod traditum Tertulliano, magno viro, sed non poetæ, miseris istis versiculis in secundo contra Marcionem, cap. IV:

Golgotha locus est capitis calvaria dictus.
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit.
Hic medium terræ est, hic est victoria signum.
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus stillantis Adæ virtute lavari.

Origenes similiter tract. XXXV in Matth. *Venit ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus, ut, sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur : ut in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus est, & resurrexit.* Video & illustrem locum adferri ex B. Basilio in Levit. cap. XXV. ubi dicit : *Obtinuit fama quædam in Ecclesia, memoriam conservans, non quidem scripto proditam ; quæ talis est. Quod prima utique Judæa hominem habebat accolam, nimirum Adam, simul atque excidit deliciis paradisi, in hac terra collocatum ad mitigandam jacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illic eam, cui addictus erat, sententiam condemnationis plene est exsecutus. Itaque insolens esse ac novum videbatur illius ætatis hominibus spectaculum, os capitis, defluente carne, nudum : at illi recondentes cranium loco illi indiderunt nomen Cranion, id est Calvariam.* Undecunque hæc petantur, (nec enim, Basilii esse, mihi persuaserim) mirum sane, quod existimet is scriptor, primum mortalium Adamum esse mortuum. Saltem de Abele occurrisset. Sed hoc quidem utut est, alii quoque veterum multi receptæ, quam dixi, sententiæ insistunt. In his Cyprianus serm. de Resurrect. Domini. Origenes tractatu XXXV in Matth. Athanasius serm. de Passione Domini, Ambrosius lib. V. epist. XIX, & in Lucam, cap. XXIII *a*. Epiphanius in fine libri III. adversus hæreses. *a Al. 25.*
Chrysostomus homil. LXXXIV in Joan. Augustinus quæst. CLXI in Genes. & serm. LXXI. ubi sic loquitur : *Vere, fratres, non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus : & dignum erat, ut ubi acciderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia, & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* Habes quoque eam sententiam apud Nonnum in Paraphrasi Joannis, & Theophylactum in Matth. cap. XXVII, ac Euthymium ibidem. Equidem nec ipse censeo incongrue dici : sed unde ista hausere, qui dicunt ? Aiunt, traditionem esse à Noacho, qui ex Mathusalemo id potuerit novisse. Speciosius dicerent, si apud aliquem eorum legeretur, qui ante illos tot seculorum intervallo vixerunt. Nec tamen super eo cum quoquam contenderim, quandoquidem opinio ea nonnihil hoc seculo parum pio ad alendam devotionem piam facere videtur. Siquis tamen, quid sentiam, requirat, dicam, mihi *Golgolta* sive cranii locum videri appellatum, non quidem, quia multa illic crania conspicere foret, (neque enim vel Judaici moris, vel Romani erat, sub dio relinquere defunctorum crania) sed simpliciter, quia facinorosis illic soleant capita detruncari. Nam *Golgol*, unde *Golgolta*, non de craniis modo defunctorum videntur dixisse, sed etiam capitibus viventium : quomodo & in Græcis Latinisque, κρανίον, & *calva*, in vivis obtinet appellatio. Capitis igitur locus idem fuerit ac decapitationis locus. Qualis locus Romanis *Sestertium*, ac scalæ *Gemoniæ*.

Porro, Judæam, & in Judæa Hierusalem, montemque Calvariæ, mundi esse medium, tradidere veterum complures : ac fuisse convenientissimum, ut istic Christus pateretur, quia ejus passionis virtus diffundi debuit per orbem universum : ac simul, quia Ierusalem locus erat à Deo ad sacrificia electus, quæ typus erant sacrificii à Christo in cruce peracti. Legas hoc apud Thomam part. III, quæst. XLVI, artic. X. Ierusalem vero fuisse umbilicum mundi, tradit Tertullianus Carmine ante memorato, Cyrillus Catech. XIII, Eucherius in Quæst. veteris Testamenti. Victorinus Pictavorum Episcopus:

Est locus, ex omni medium quem credimus orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

Quos versus & Beda adducit cap. III. de locis sanctis. Opinio vero hæc nata ex verbis Psal. LXXIII. 13. *Operatus est salutem in medio terræ.* Sed *in medio terræ* valet *palam, in omnium conspectu.* Theodoretus : Τὸ ἐν μέσῳ τῆς γῆς, ἀντὶ τοῦ, πάντων ὁρώντων. Quomodo etiam exponit Euthymius : imo & Bellarminus, Sa, atque alii.

17. §. *Ubi autem Christus est passus, ibi postea temporibus Hadriani Veneris simulachrum est statutum : uti & Resurrectionis profanatus est locus, constituta istic statua Jovis.*

Hieronymus epist. XIII. ad Paullinum de Institutione Monachi. *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium*

Con-

Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis, simulachrum Jovis, in Crucis rupe, statua ex marmore Veneris, à Gentibus posita colebatur; existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis, & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Idem de Calvariæ monte tradit Alexander Monachus homilia de Inventione S. Crucis, & Gregorius Ἁμαρτωλὸς in Chronico: & ante hos Socrates, Theodoretus, Sozomenus, ac Hieronymi æqualis Rufinus: & ante hos omnes Eusebius lib. III. de Vita Constantini lib. III. cap. XXV: Δεινὸν ὡς ἀληθῶς τάφον ψυχῶν κατεσκεύαζον νεκρῶν εἰδώλων, σκότιον Ἀφροδίτης ἀκολάστῳ δαίμονι μυχὸν οἰκοδομησάμενοι. *Nefandum revera, & execrabile bustum animarum construxere, & obscurum lascivo Veneris dæmoni recessum ædificarunt.* Nisi cum Rosweido a sic hunc locum malis legere: Νεκρὸν εἰδώλου ξόανον Ἀφροδίτης ἀκολάστῳ δαίμονι, καὶ μυχὸν, οἰκοδομησάμενοι. *Mortuum idoli simulacrum lascivo dæmoni Veneris, & recessum, ædificarunt.* Memoria fefellit Paullinum, cum XI epistola ait, Jovis simulacrum in loco Passionis constitutum: nisi & heic malis, laxe adeo locutum, ut & propinquum Resurrectionis locum comprehendat.

a Notis in Paullini epist. 11.

Cap. VII.

Accessum ad septimam Passionis partem. De qua hoc loco memoratur, quomodo in monte Calvariæ, ubi myrrhatum poculum gustasset, vestibus sit exutus, ac cruci affixus. Ubi tum de crucifixionis tempore actum, tum de crucis forma, partibus, ac clavis: hinc expositum, quam mundi partem spectarit Christus in cruce pendens, & qui ritus Ecclesiæ inde originem traxerint: denique, cur Deus maluerit filium cruci affigi, quam alio mortis genere necari.

1. §. *Septima Dominica Passionis pars, pro triplici tempore, est trimembris. Primum enim in considerationem veniunt, quæ proxime crucifixionem antecedunt. Deinde ipsa crucifixio. Postremo quæ eam consecuta, donec deponeretur de cruce. Crucifixionem duo antecedunt. Prius, quod, ut in locum supplicii deventum, datum Jesu vinum myrrhatum cum felle mixtum.*

Vel ab aliis quidem vinum myrrhatum, ab aliis vinum felle mixtum: quæ Euthymii, & Theophylacti sententia fuit. De vino myrrhato auctor Marcus: de vino cum felle mixto Matthæus: si Latinos codices sequimur. Nam in Græcis pro vino est acetum. Nempe pro οἶνος videtur librarius ὄξος rescripsisse, facili errore in ea vocum affinitate. Nisi malis, acetum dixisse, quod vinum erat, sed acescens: aut vinum aceto fuisse permixtum.

2. §. *Videtur autem Jesu is potus esse datus, non tam animo malo, quam ex consuetudine: qua vinum dabatur admisto quopiam, quod mentem perturbaret, ut sic minus cogitatione mortis morituri terrerentur.*

Perituris siceram dare jubet Salomon Proverb. XXXI. Judæi vero non merum dare vinum, quod animum mœstum recrearet: sed permistum aliquo, quod inebriaret, ut ita horrorem supplicii minus attenderent. Atque hoc etiam Sixtinus Amama lib. III. Antibarbari Biblici b probatum ibat loco Maimonidæ in Halacha Sanhedrin cap. XIII: *Postquam vero confessus est, potionant eum grano thuris in calice thuris, ut tollatur ab eo intellectus, & inebrietur.* Sane non thuris modo ea vis, sed etiam myrrhæ cum vino haustæ, ut tenebras animo offundat, imo etiam, ut acceleret mortem, quemadmodum Galenus tradit lib. XV. de Simplic. medic. cap. XIX. Itaque & doctissimus Nicolaus Faber pro *miro*, legit *myrrha* apud Appuleium. Prior locus est lib. VIII. Metam. *Indicem sese multimodis commaculat ictibus, myrrha præsumtione munitus.* Alter lib. X: *Obfirmatus myrrha præsumtione, multis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni.* Nempe myrrha intellectum quidem obnubilat, corpori vero conciliat robur. Ac vis eadem semini erucæ: quo icciirco se præmunire solent, qui torquendi essent. Plinius lib. XX. cap. XIII: *Aiunt, verbera subituris, potum erucæ semen ex vino duritiam quandam contra sensum inducere.* Monuit & Laurentius Ramirez de Prado Pentacontarchi cap. IX. Cui tamen ægre subscribo, cum vinum myrrhatum esse Christo exhibitum à piis mulieribus, suspicatur. Nec enim tam mulierum, quam militum, vel aliorum, has partes fuisse, credibile est. Sunt & alia, quæ non absimilem rationem habeant. Thus enim in potu insanos facit: largius haustum etiam mortem conciliat. Vide Dioscoridem lib. I. cap. LXX. Itaque Ptolomæus Philopator cum vellet Judæos objicere elephantis obterendos, largis thuris manipulis condivit vinum. Nempe quo sic elephanti prorsus efferarentur, eoque minus parcerent Judæis: ut cognoscere est ex III Macch. cap. V.

b Pag. 937.

3. §. *Cæterum Christus gustavit quidem, sed bibere ob amarorem noluit. Hinc Christum non, ut ante, alienis, sed suis jam vestibus exuerunt. Prorsus enim nudus pependit in cruce, ne verenda quidem velatus.*

Nudos solere crucifigi, etiam arguit Artemidorus in eruditis suis Oneirocriticon nugis lib. II. cap. LVIII: Σταυροῦσθαι ἀγαθὸν πένητι. καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθείς. τοῖς δὲ πλουσίοις βλαβερόν. γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται. *Crucifigi* (in somnis) *bonum est pauperi. Nam altus est crucifixus. Verum divitibus damnosum est. Nudi enim crucifiguntur.* Ita in actis S. Pionii legas, cruci affigendum suas sibi vestes exuisse. Etiam partes, quas natura tegi voluit, ab omnibus spectabantur. Quod & Bonaventura a, & Ludolphus b, tradidere. Imo B. Ambrosii est lib. X in Lucam: *Refert considerare, qualis adscendat. Nudum video. Talis ergo adscendat, qui seculum vincere parat, ut seculi adjumenta non quærat. Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit. Vicit ille, qui tegumenta deposuit: & talis adscendit, quales nos, auctore Deo, natura formavit. Talis in paradiso homo primus habitaverat: talis in paradisum homo secundus intravit.* Etiam S. Augustinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. II, & contra Faustum lib. XII. cap. XXIII, Adamum Christo cruci adfixum confert cum Noë domi suæ nudato. Et Hesychius homilia de S. Andrea ait, sic Christum pependisse nudum in cruce, qualis Adam fuerat in statu innocentiæ. Aquisgranenses tamen prædicant, se habere illud velum, quo verenda Christi contecta fuere, cum in cruce penderet. Etiam Tostatus c femoralibus fuisse contectum arbitratur. Et pro hac parte stant aliqui recentiorum: ut Malonius d, qui argumentis adnititur, sed ficulnes, hanc tueri sententiam. Adhæc Salmeron e. Imo ante hos omnes eo inclinasse videtur Petrus Blesensis epist. CII: *Divitibus quidem in hospitio cum honore & reverentia susceptis, in omni opulentia delicia apponuntur de patrimonio crucifixi; Christus autem, semel olim crucifixus in ligno, foris in pauperibus suis crucifigitur, & torquetur in luto; in quibus aut nudus omnino, aut in semicinctiis tabescens, fame & frigore tremens, de his, quæ interius dantur canibus, solatium angustia sua postulat: & non est, qui moveatur super contritione Joseph.* Nempe, ut aliis, sic Blesensi scrupulum injecit, quod Christum verenda contectum pingerent pictores. Nec culpo, quando in eo ab iis consultum est pudori. Atque idem censeo de eo, quod pingunt Jesum in Jordane, dum à Joanne baptizatur, partes eas velatum. Aliter tamen historiæ veritas habuit. Omnibus enim partibus nudi

a Meditat. Vita Christi cap 78.
b Part. 2. cap. 63.
c Paradox. 5. cap. 42.
d Ad cap. 6. Paleo. num. 10. & lib 4. de imagin. cap 4.
e Tom 10. tract. 35.

erant,

erant, qui baptizarentur: imo & virgines, & matronæ. Atque hæc, quæ de Christo, & cum cruci affigeretur, & cum baptizaretur, atque item de aliis, cum baptizarentur, diximus, ex Cyrillo Hierosolymitano, Chrysostomo, atque aliis, comprobavimus disputatione prima de Baptismo thesi VI.

Sed redeamus ad Christum crucifixum. De quo, putavi fore operæ pretium, si adscriberem dissertationem Joannis Molani lib. IV. de historia sanctarum imaginum, & picturarum, cap. IV: *Nudum etiam crucifixum esse Christum, quales nascimur, iidem* (Joannes Hellelius, & Petrus Montanus) *& multi alii, in Passionem Domini scribentes, diligenter annotarunt. Hinc non solum in Græcis Ecclesiis, Christum in cruce pendere cum vestibus; sed etiam apud nostrates, in multis antiquis imaginibus, simpliciores quidam, multum Evangelio contrarium mirantur. Nam a doctis in Hannonia viris intellexi, multos istic esse, qui rideant Lovanienses, apud quos in primaria Ecclesia, & in ipso pastoralis officii altari, veneranda imago crucifixi Christi, quæ in publicis processionibus, arduas ob caussas indictis, ex avito, & religioso more, à duobus sacerdotibus circumfertur, vestita cernitur: mirarique vehementer, istud non corrigi in tam celebri studiorum, sive (ut est Iudicum I.) literarum civitate. Sed ii non legerunt, quod Gre-*
a Cap. 22. *gorius Turonensis scribit in libro de gloria martyrum* a: *esse apud Narbonensem urbem in Ecclesia seniore, quæ Genesii martyris reliquiis plaudit, picturam, quæ Dominum nostrum, quasi præcinctum linteo, indicat crucifixum. Quæ pictura, dum assidue cerneretur à populis, apparuit cuidam Basilio presbytero per visum persona terribilis, dicens: Omnes vos obtecti estis variis indumentis, & me jugiter nudum aspicitis? Vade quantocius, & cooperi vestimento: & tege linteo picturam illam, in qua crucifixus appareo. Sicut ergo vestis Christo resurgenti, aut ad judicium venienti, appingitur; & sicut linteamina habens, qui ibidem ex sepulchris suis resurgentes pinguntur; sic etiam Salvator noster, in cruce pendens, propter nostram in præsenti vita miseriam, qui in Adam innocentiam perdidimus, non pingitur omnino nudus, sicut cruci ab iis, quos*
b Psal. 22. *Psalmista* b *canes vocat, est adfixus, sed pingitur aut vestitus, aut cinctus linteo. Postremum est nunc frequentius, partim quia hujuscemodi imago magis videtur excitare devotionem mentis, quam altera Christi, in cruce vestiti: partim vero, quia nonnulli putant, Christum linteo tectum fuisse. Quod tamen magis opinantur, quam sciunt: & di-*
c Cap. 70. *versimode etiam narrant. Brigitta enim lib. IV. c. revelationum, Mox, ait, jussus vestes ponit, parvumque linteum verendis prætexit. Dialogus vero quidam, qui inscribitur Mariæ, & Anselmi, de passione Domini, & solenniter intermisceri solet prædicationi Dominicæ passionis, ut annotat Dionysius a Richel, Carthusianus, sic habet, loquente Maria: Panniculum capitis mei circumligavi lumbis*
d De passione Domini artic. 14. *ejus. Franciscus postremo Polygranus* d, *(ut reliquas opiniones omittam:) Nudus crucifixus est Christus: quamquam pium opinor, credere, succinctio alicujus velata pudenda: tum quod natura etiam horreat hoc facinus, tum quod Christus ipse, in cujus erat voluntate, quod pateretur, coram castissima matre, aliisque sanctis mulieribus, non credendus est, invelatus voluisse apparere: tum demum, quod*
e Exod. 28. *erat in cruce summus* e *pontifex, & hostia.* Vide etiam quæ ad superiorem Brigittæ locum fuse annotavit Consalvus Durantus, presbyter, ac Theologiæ Professor. Is propter Brigittæ auctoritatem, & alia quædam, arbitratur, Christi verenda fuisse contecta linteo. Non quidem diffitetur, prorsus nudos solere affigi cruci: sed ait, Christi passionem fuisse voluntariam, nec alia pati decrevisse, quam quæ decerent: propterea vitasse quicquid honestati repugnaret, quale fuisset, si à matre, & feminarum aliis, conspiceretur prorsus nudus. Mihi videtur, ad gravitatem passionis pertinuisse, si mors ejus maxime fuerit ignominiosa; opprobrium vero auget, si nullo fuerit tectus velamine. Quodque ad sanctarum feminarum conspectum attinet, cogitandum, quid è gentilibus Livia Augusta dixerit, cum in angusta via obviam venissent, qui ad supplicium prorsus nudi raperentur. Aiebat illa, non magis horum visu se moveri, quam cum nudas conspiceret statuas. Ait Consalvus Durantus, Patrum eos, qui magno numero aiunt Christum fuisse nudum, intelligendos esse de nuditate ea, qua quis dicitur nudus, cum veste est à latrone spoliatus, utcumque sit genitalia contectus: perizoma enim, sive succinctorium, non censeri in veste: quod ex Isidoro, Glossa interlineari, & Lyrano, adstruere laborat. Sed aliam fuisse Patrum opinionem, arguit, quod dicant, Christum sic nudum fuisse uti nascimur nos: atque uti Adamus fuit in paradiso: uti item cœlos petemus.

4. §. *Nunc ea considerabimus, quæ ad crucifixionem pertinent. Ac primo, quia de loci circumstantia, nempe de Golgotha, antea vidimus, solam nunc attendemus temporis rationem. Hinc loquemur de materia ac forma crucis, & clavis ejus. Quibus subtexam, quam mundi plagam spectarit Christus in cruce pendens: & qui ritus inde promanarint. Ad temporis circumstantiam pertinet, quo die sit crucifixus, & qua hora. Dies erat Parasceues.*

Quæ proxime paschale festum præcedebat, atque nomen ex eo habuit, quia tum omnia ad paschalis agni immolationem, & comestionem, præpararent. Unde liquet, Christum non eo die comedisse pascha, quo proceres Judæorum, & maxima populi pars: sed pridie id fecisse cum discipulis: de quo plura diximus in dissertatione de annis Christi nati, baptizati, mortui. Ubi & expositum, cur Judæi non accusarint Christum, quod alio, quam ipsi, die celebraret Pascha.

5. §. *De hora dissentire videntur Evangelistæ. Nam Marcus* XV. 25 *ait, Christum hora diei tertia affixum cruci.* Ἦν ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. *At apud Joannem* XIX. 14. *id fallum legas Parasceues hora quasi sexta. Huic difficultati trifariam occurritur. Sunt qui putent, esse alterutrius Evangelistæ errorem. Sunt qui existiment, esse lapsum librarii in alterutro loco. Sunt qui nihil esse peccatum, ac conciliari loca ista posse arbitrentur.*

Prima est sententia eorum, qui in rebus non necessariis ad fidem, uti in minuta de loco, aut tempore, circumstantia, vel in numero, aut simili, Euangelistas statuant falli potuisse; non item in rebus fidei, & saluti necessariis. Atque hi etiam adferunt pro se verba illa Baronii ad an. XXXIV. §. CLX. *Quod Ioannes dicit, fere hora sexta; Marcus, & Matthæus, absque ulla distinctione, dixerunt, hora sexta: in ex his cognoscas, Euangelistas in conscribendis horis horologium non habuisse præ manibus, ut per sua puncta singulas horas distinguere potuissent; sed de horis scripsisse, quod tunc opinati essent.*

Qui librarii in alterutro Euangelista errorem censent, hi aiunt, Euangelistas non integre τρίτη & ἕκτη scripsisse, sed Γ, & ϛ, inque ea scripturæ similitudine, vel apud Marcum Γ pro ϛ, vel apud Joannem ϛ pro Γ irrepsisse. Postea, commisso jam errore, placuisse, ut non numerorum notis, sed vocibus integris scriberetur. Ac videri possit etiam Nonnus Γ pro ϛ apud Joannem legisse. Saltem pro ἕκτη vertit τρίτη. Sic enim ejus habet paraphrasis:

Ἦν ῥ ὅ πλανομένη τριτάτη θυηπόλος ὥρη
Καὶ Πιλάτος ταχυεργὸς ἐπ' ἄλλυγε θώκῳ
Ἑβραίοισι ἔειπεν, ἴδε σχεδὸν ἵσταται ἀνὴρ
Κοίρανος ὑμείων.

Eratque protensa tertia letifera hora;
Et Pilatus promus in confecta ex bonis lapidibus sede
Hebraeis clamavit, Ecce prope stat vir
Dominus vester.

Tertia est opinio illorum, qui hæc conciliant. Quod non uno faciunt modo. Aliqui putant, horas non accipi pro duodecima diei parte, sed quarta, sive trihorio: quo pacto, ut ex Censorino *a* constat, & diem, & noctem, in quatuor vigilias dispescebant. Sie prima diei hora fit usque ad ineuntem horam quartam; secunda usque ad ineuntem septimam; tertia usque ad initium nonæ; quarta usque ad primam noctis. Quomodo si intelligas tertiam Marci, eadem fit ac sexta Ioannis, h. e. nostra meridiana, sive duodecima. Alii aliter conciliant. Nam censent, à Ioanne per sextam Parasceues non intelligi sextam Parasceues Iudaicæ, sed Christianæ: eam Christianam Parasceuen incepisse ab hora noctis nona, qua Christus in Synedrio videtur pronunciatus mortis reus. Ita sexta Parasceues non alia fuerit, quam diei tertia. Hoc voluit B. Augustinus de consensu Euangelistarum lib. III. cap. XIII, ubi eandem esse dicit horam diei tertiam, & sextam parasceues: nec à Iohanne diei sextam, sed à parasceue, hoc est, præparatione immolationis Domini, (quod nobis verum est pascha) sextam intelligi. Ac similiter Ludovicus Ramirez de Prada pentecontarchi cap. XXXVII. Ex his nulla æque sententia placeret, quam ista, ut per horam tertiam, tertius diei quadrans, per horam sextam, sexta è duodenis diei pars intelligatur. Sed huic opinioni non parum incommodat, quod veterum nullus pro quadrante diei, hoc est, pro trihorio, *horam* dixerit. Itaque multum memio, ne quid vitii irrepserit incuria librarii. Quomodo dixeris?

a Cap. 23.

6. §. *Maxime eo inclinat animus, ut librarius confuderit* ἐπίσημον *ς, & Γ.*

Quæ & sententia est B. Hieronymi: (si modo is auctor) in Psal. LXXVII: item aliorum, quos memorat Theophylactus in Ioannis cap. XIX.

7. §. *Sed sic quoque in ambiguo relinquitur, utrum Marcus è Ioanne, an Ioannes è Marco, sit corrigendus.*

Posteriorem sententiam amplexi, quos laudat Theophylactus. Etiam sic Nonnus, ut superius vidimus. Ac Petavius in XII. de Doctrina Tempor. cap. XIX. refert, habere se Petri Alexandrini opusculum ἀνέκδοτον, ubi testaretur, in autographo Ioannis, quod Ephesi adservaretur, scriptum fuisse, ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη. De quo si certo constaret, jam decisa lis foret. Nunc dignum consideratu, an non potius sint audiendi, qui priorem opinionem sequuntur: ut Thomas Cajetanus, & Melchior Canus *b*.

b In 2. Loca.

8. § *Mihi verisimilius fit, emendari Marcum oportere. Ac facile, puto, adsentient nobis, qui cogitare volent, quam multa ab Euangelistis evenisse dicantur inter id tempus, quo Christus à Caiapha est deductus ad Pilatum, & illud, quo in Golgotha crucifixus fuit.*

Nam (ut taceam secundam accusationem & damnationem à Iudæis mane factam, ut diximus) est apud Pilatum à Iudæis accusatus, ipse interrogatus, ad Herodem missus, ad Pilatum remissus, multa adeo tentata à Pilato, ut dimitteretur, & tandem extra urbem missus. Tantum sane abest, ut intra trihorium ea putem fieri potuisse, ut mirandum sit, sex intra horas evenisse, præsertim moras tantopere Pilato nectente.

9. §. *Adde quod Matthæus etiam agnoscit, solem defecisse hora sexta. At quanto est verisimilius, eadem hora & Christum esse crucifixum, & paullo post tenebras esse consecutas: quam trihorio, postquam Iesus esset crucifixus, solem defecisse?*

Quamquam videas, in hac sententia fuisse Nonnum. Sed aliud indicant Euangelistarum hæc verba: *Erat autem fere hora sexta, & facta hora sexta tenebræ factæ sunt super universam terram, usque in horam nonam.* Atque hæc de tempore, quo cruci affixus est Christus.

10. §. *Secundo loco me acturum receperam, tum de crucis materie ac formâ, & partibus; tum de clavis ejus. De materie, utcumque aliqui disputent, incertum est.*

Quæ & sententia est Gretzeri lib. I. de Cruce cap. VI. Interim non dubium, quin unius generis lignum fuerit: utcumque de quatuor generibus quidam scribant, sed nullo innixi vel probabili argumento. Quidam arbitrantur, crucis lignum fuisse è robore, seu quercu, quia ejus in crucifigendo imprimis esse usus soleat, tanquam, ob duritiem, fixioni laturæque aptum. Silius lib. I:

Quem postquam diro suspensum robore vidit.

Et eodem libro:

—— Erecto suffixum robore mæstis
Ostentabat ovans populis.

Alterum quoque argumentum addunt, quod crux fuerit ex obvio alio promtoque ligno: quercus autem crebra, & frequens olim ac nunc quoque in Iudæa. Sed omnia hæc valde sunt infirma. Nam quercus in Iudæa est rarissima: quod hac in re etiam deceptus fit doctissimus Iustus Lipsius libro de Cruce tertio cap. XII. Imo neque ex Silio recte colligas roboris usum in adfixione ad crucem. Nihilo sane solidius, quam cum statuunt, equum Durium, quo capta Troia, fuisse ex abiete, quia Maro *a* de eo dicat, a 2. Æn.

—— Sectaque intexunt abiete costas.

Ac Propertius *b*: b Lib. 4. el. 1.

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?

Aut cum ajunt, Argo navem fuisse ex abiete: quia Ennius *c*, & Catullus *d*, abiegnam dicant. Nam de equo Durio apud eundem Maronem legitur: c In Medea. d Carm. de Nuptiis Pelei, & Thetidis.

—— Et pinea furtim
Laxat claustra Sinon.

Et navim Argo Valerius Flaccus nunc alnum vocat, nunc pinum. Quare non dubitandum, quin in istiusmodi nomen *roboris, abietis, alni, pinus*, pro qualibet arbore usurpent poetæ.

Sunt qui crucem ex cedro, vel cypresso fuisse conjectant, quia trecentis annis sub terris durarit, priusquam ab Helena inveniretur. In his Nicolaus, Corcyræ Metropolita. Sed enim nihil ejusmodi ligno opus. Nam nec alia ligna sub aquis demersa, vel terris profunde obruta, putrescunt: quod quotidie experiuntur Hollandi. Nam palos profunde in solum impactos, quasi recentes post secula tota educunt: imo & arbores inundatione eversas. Putredo, ac caries, sunt ab aëre, ac tepore. Aër, vaporque absit, proque tepore sit frigus: durabit lignum multis seculis. Quod vero capuli mortuorum tam facile putrescant, id est ex eo, quod plurimum aëris contineant. Et multum ignis inest corporibus humanis: qui non omnis à morte statim exspirat. Unde aër ille tepidior, quam si foret cenotaphium.

Sunt qui scribant, lignum crucis è quadruplici lignorum genere fuisse compositum. Ac videri possit Beda iis ad hanc sententiam præivisse. Sed omnino id fabulosum: nec hujusmodi quid traditum ab antiquioribus. Ac puto, inde ortum, quod lignis quatuor crucem constare, multorum esset opinio, videlicet stipite erecto, transverso, titulo, & stipite seu mediano, h. e. sedilis ex-

cessu, seu imo, hoc est suppedaneo. Atque hæc de materia crucis.

11. § *Forma crucis ea fuit, quæ est litera* T *apud Græcos, & Romanos.*

Loquimur de cruce proprie dicta, qualis illa est cui affixus est Christus. Improprie vero *crux* dicitur de patibulo: tum antiquo, quod aliter dicitur *furca*: tum novo, & in crucis locum introducto à Constantino M. Is enim, quia Filius Dei pro salute nostra est crucifixus, noluit facinorosos simili mortis genere perire. Novum igitur induxit genus patibuli, quod fune suspensos strangulabat. Nec deinceps crux obtinuit in orbe Romano. Quæ tempora quia sæpe confunduntur à viris alioqui non ineruditis, fieri aliter nequit, quin ipsi sæpius aberrent. Tres hæ formæ sic differunt. Vera crux, ut dixi, refert literam T: Excipe crucem χιαςῆ, sive decussatam: qualis quæ dicitur S. Andreæ. Hæc enim figuram habebat Græcæ X, vel Latinæ X. At furca sive patibulum vetus figuram habet literæ Y. Nempe stipitis superius bifidi. Erat enim lignum unum, sed divisis cornibus exsurgens: non, uti crux, è duobus lignis compactum. Atque à duobus illis patentibus ramis sive cornibus, non à patiendo, ut putabat Isidorus, *patibulum* dicebatur. Patibulum recentius à Constantino inductum, hodieque usitatum, obtinet formam Græcanicæ literæ Π. In hoc patibulo non clavis figi solent; sicut in veteri cruce: sed reste strangulantur. Ante Constantinum non erat moris quemquam publico judicio strangulationi addicere: siqui ἀγχόνῃ sive strangulatione, seu laqueo perirent, sponte sua sic vitam finiebant. Quare κρεμᾷν & *suspendere* in publicis suppliciis non aliter debent intelligi, quam de cruci addictis. Ne quidem aliter *suspendendi* verbum accipitur in illo XII Tabb. *Caput obnubito, & ex arbore infelice suspendito.* Quoties igitur de suspensione sermo est, sedulo attendere oportet de quibus temporibus sit sermo. Quemadmodum idem quoque faciendum in Græca voce σταυρὸς, & Latino *patibulum*. Nam ante Constantinum numquam intelligi debent de ligno, unde penderent strangulati, sive lignum illud vocetur furca, sive crux. Utroque enim sensu sumi videas. Crucem veram per *patibulum* signat Sallustius: cum IV Histor. ait, *patibulo affigi*. At de furca usus Tacitus in XIV Annalium: ubi conjungit *patibula, ignes, cruces*. Furca etiam capienda, cum in Glossis Philoxeno tributis *Patibulum* exponitur σταυρὸς: sed additur (sic enim recte emendant) ἀγχόνιον. Hæc quippe antiquior est σταυροῦ significatio. Fuse docteque de his Salmasius epistolis de Cruce.

12. §. *Nec vera crux solum figuram referebat Hebræi Tau, sed etiam Ægyptii.*

Qua de re Salmasium vide libro de cruce *a*. Ubi inter
a Cap. 245. & seq. alia docet, iccirco non modo *Dei*, vel *Di* appellari: sed etiam SALEBDI, à crucis forma, quia SALEB Ægyptiis crux. Addit, forma hac sæpius etiam occurrere in literis Ægyptiorum Hieroglyphicis, uti SS. Patres annotarunt: ac aliquando etiam cum ansula inveniri, sicut Tavi Abyssinorum.

13. §. *Quæritur, an non & figura eadem sit, vel fuerit, Tau Samaritani. Putavit hoc Origenes propter locum Ezechielis cap. IX, ubi Dominus jubet, ut angelus per mediam eat Hierosolymam, inque fronte eorum, qui piis suspiriis ob peccata populi, & calamitates ejus, ingemiscunt, Tau notet, quo his solis parcatur, dum occisione occiduntur, qui non fuerint ita signati. Nec dubium, quin eo alludatur Apocalypsi cap. VII, cum jubetur parci in fronte signatis. Sane Tau Hebræum intelligi nequit, cum hoc habeat figuram longe aliam: quæ propius accedit ad literam* Π. *Sed dicebat Origenes, se ex homine Hebræo intellexisse, gentem suam olim alias habuisse literas, ubi eadem esset figura literæ Tau, ac Græcis. Deque mutatis literarum ductibus vere aiebat.*

Nam ante captivitatem Babylonicam eædem fuere Judæorum ac Samaritanorum literæ. His Moses usus, his David, ac cæteri. In captivitate demum Judæi assuevere literis Chaldæis, & Assyriis. Eapropter Esras auctor fuit ut Biblia deinceps non Mosaicis, sive Samaritanis, sed Chaldæis literis describerentur: ut fusius comprobamus lib. I de re Grammatica cap. XXXI. Existimavit igitur, Ezechielem loqui de figura literæ T, non qualem habet apud Judæos, sed Samaritanos.

14. §. *Sed nihil æque huic Origenis sententiæ obstare videtur, quam quod in Samaritanis bibliis litera Tau non habeat figuram Tau Græcorum, verum longe diversam. At in Ægyptiorum literis Tau est ejus figura. Num igitur inde obortus sit error, dum Samaritana, & Ægyptia litera, confunduntur? Verum videmus, etiam B. Hieronymum idem, ac Origenem, dicere.*

Sic enim ille ad superiora Ezechielis verba: *Antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera, crucis habet similitudinem: quæ in Christianorum frangitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Nec dicere possumus, Hieronymum Samaritanas literas ignorasse: cum Samaritana etiam consulere Biblia soleat: unde initio libri II commentarii in epist. ad Gal. ait: *Quam ob caussam, Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inveni* &c.

15 §. *Sed hoc quoque argumentum eluseris, si dicas, Hieronymum, cum in Ezechielem scribens Origenem sequeretur, fuisse ab eo deceptum, quia necdum sciret literas Samaritanas: quas postea demum didicerit, ac jam sciret, cum in epistolam ad Galatas commentaretur. Interea & elabi aliter possumus, nullius Origenem, vel Hieronymum, erroris insimulantes; quod malim. Videlicet si dicamus, Samaritanos habuisse geminam literæ T figuram: quarum una referret &c.*

Fortasse autem otiosa est omnis hæc quæstio: nec Ezechiel particulatim loquitur de figura literæ: sed indefinite de signo aliquo. Nam Aquila quidem, & Theodotio, retinent Hebræam hanc vocem TAU. Sed LXX, & Symmachus, σημειῶς transtulere σημεῖον. Auctor idem Hieronymus initio lib. II. commentarii in epist. ad Gal. cap. III. Sane תו TAU, *signum*, à תוה TAVA, *signavit*.

16. *Atque hæc de figura crucis. Componebatur vero ex duobus lignis: stipite arrectario, & ligno transverso. Stipes erectus respondebat malo in navi: lignum transversum antennæ malo navis alligatæ. Prior magnam partem obtegebatur corpore cruciarii. Alteri alligabantur, vel affigebantur brachia expansa.*

Prior, quæ crassior, longiorque, sic describitur Tertulliano lib. I. adversus nationes: *Pars crucis, & quidem major, omne robur, quod directa statione defigitur.* Idem partem eam *staticulum*, & *statumen* appellat: nempe ab eadem origine, unde *statuam* dicimus. Eopse libro cap. XII: *Si de hoc differentia intercedit, quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ sine forma, rudi palo, & solo staticulo ligni informis dedicatur.* Nec absimili significatione B. Hieronymus ait uxorem Lothi in

stati-

flatiemlum salis esse conversam. Arrectatium hunccе crucis stipitem Iustinus appellat ὄρθιον ξύλον. Ad transversum lignum crucianus extendebat manus, quæ deinde affigebantur. Hinc Arrianus in Dissertatione Epicteti lib. IV. cap. XXVI: Καὶ ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμενος, καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι, τρίβη ἔνθεν καὶ ἔνθεν. *Ut in balneo vestibus exutus, & te ipsum extendens, ut solent crucifixi, hinc inde fricens.* Atque huc referunt antiqui interpretes verba illa Christi ad Petrum Ioa. cap. ult. *Extendes manus tuas, & alius te einget.* Est quoque in Actis S. Pionii Martyris: *Ultro se vestimentis spoliavit, &, in cœlum suspiciens ac Deo gratias agens, super lignum se ipsum extendit.*

17. §. *Ex stipite arrectario metienda est altitudo crucis: quæ non uniusmodi semper erat. Quædam enim cruces extra ordinem fuere sublimiores.*

Qualis illa Hamani quinquaginta cubitos alta; ut est in historia Hesteræ: qualis item ea, cui affixus fuit à Carthaginensibus Regulus: de qua Silius Italicus lib. II:

—— Cum robore pendens
Italiam cruce sublimis spectaret ab alta.

Hanc diversitatem etiam cognoscimus ex epigrammate hoc Lucilii:

Μακροτέρῳ σταυρῷ σταυρούμενον ἄλλον ἑαυτοῦ
Ὁ φθονερὸς Διόφαντ' ἐγγὺς ἰδὼν ἐτάκη.

Vertit Salmasius a:

Cum Diophon cruce suffixum majore videret
Altius esse alium, tabuit invidia.

Sublimius solito patibulum, ex ejusdem Salmasii emendatione b, *improbum patibulum* dixit Sallustius in quatto Historiarum apud Nonium. Quomodo *improbius natus*, de grandioris staturæ homine; item *improbiora labra* de nimis grandibus, legimus; *& podex extans improbius*, pro altius. Ut taceam de *labore improbo* apud Maronem, & similia apud alios.

a *Lib. de Cruce* pag 314.

b *Vulgo enim legitur* improbi patibulum.

18. § *Plurimum vero non erant sublimiores, quam ut pedes cruciarii à terra tribus solum, vel quatuor pedibus abessent.*

Et nisi adeo humilis fuisset, quomodo potuissent de solo in eam insilire? quod indicant hæ loquendi formæ, *excurrere in crucem, adscendere in crucem, in crucem tolli, levari, exaltari*, imo *in crucem saltare?* Imprimis vero hoc necesse habent confiteri, qui hæc non de mediano ligno sive sedilis excessu interpretantur: sed de ὑποποδίῳ sive suppedaneo. De quo inferius loquar in minoribus crucis partibus. Nec si tam alta fuisset crux, quam quidam volunt, unus eam ferre potuisset. Quo de more dicam, cum loquar de Christo prius, mox Simone Cyrenæo, Christi crucem bajulante. Præterea si alta adeo crux fuit, ac vulgo putant, quomodo matrona illa Ephesia, de qua apud Petronium Arbitrum legere est, solum cum milite & ancilla, potuit maritum de cruce tollere? Denique modus, quo in cruce, nec tamen per crucem moriebantur, satis altitudinem hanc refellit. Nam in sublimi cruce non potuissent, nisi fame, exanimari. At humiliori cruci conveniunt tot alia, quæ mortem adserent. In his crurifragium fuit: item quod interdum supposito ad stipitem igni pendentes ustularentur: quodque non raro objicerentur bestiis, ut hæ cruci adsultantes diriperent viscera. Quod tamen non ie/ro probatum exemplo Laureoli ab ursis decerpti, ut est apud Martialem in Spectaculorum libello: nam dixerit aliquis, hos & arbores scandere ad instar felis, vel simiæ. Malim dicere de canibus & lupis. Catullus epigr. CIX, in Cominium:

Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

Appuleius lib. VII Met. *Et patibuli cruciatum, cum canes & vultures intima protrahent viscera.* Dixeris, nisi sublimior fuisset crux, facile potuisse noctu cruciarium ab amicis auferri de cruce. Sed huic rei consultum fuit custodia militari. Unde Petronius Arbiter: *Proxima ergo nocte cum miles, qui cruces adservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret.* In Ægypto mos similis, ut videre est ex Plutarcho in Cleomene; qui narrat, ut adfixo cruci sint additi οἱ τὸ σῶμα μὴ κλεπτόμενον ἀλλ' ἀνασταυρωμένον φυλάττοντες.

19. § *Valde autem falluntur, qui vel σταυρὸν Græcis, vel Latinis* crucem, *putant aliquando constitisse solo stipite arrectario, in terram defixo.*

Censet hoc Iustus Lipsius lib. I. de Cruce cap. V. Tuetur autem his Tertulliani verbis in Apologetico cap. XVI: *Quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, vel Ceres Pharia? quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostant.* Atqui locus potius contra Lipsium facit. Nam aperte vocat crucem, & stipitem, sive palum. Nempe conveniunt quidem eo, quod utrobique sit stipes: sed differunt quod in cruce præterea sit lignum transversum. Sententia igitur est: Non esse gentilibus mirandum, si Christianis forma crucis in pretio sit; cum ipsi sub forma stipitis sive rudis pali Athenis quidem colant Palladem, in Ægypto autem Cererem sive Isidem. Quantillo, inquit, hæc distant? num alio, quam quod in cruce ad stipitem lignum alterum accesserit? Et sane duo hæc ligna etiam requirit lib. adversus Iudæos cap. X. 17: ubi mystice enarrat verba illa Mosis benedicentis filiis Iosephi Deuteronomii cap. XXXIII. 17: *Tauri decor ejus, cornua unicornis cornua ejus, in eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terræ.* Post hæc è Mose adducta subjungit doctor ille Afer, ex parte jam ante nobis allata, & exposita. *Non utique rhinoceros destinabatur unicornis, vel minotaurus bicornis: sed Christus in illo significabatur: taurus ob utramque dispositionem; aliis ferus, ut judex; aliis mansuetus, ut salvator: cujus cornua essent crucis extima. Nam & in antemna navis, quæ crucis pars est hac, extremitates hujus cornua vocantur: unicornis autem, medio stipite palus.* Videmus, duo animantia memorate, taurum bicornem, & rhinocerotem unicornem. Transversum crucis lignum ait referre taurum bicornem: quia lignum illud se habet in cruce, ut in navi antemna, cujus extremitates duæ appellantur cornua: unde sic Maro:

Cornua velatarum obvertimus antemnarum.

Ac similiter Lucanus lib. VIII. *vela* dixit *pendentia cornibus aquis*; & Valerius Flaccus in I. Argonaut. *lævum antemnæ cornu.* Imo & Artemidorus lib. II. cap. XII. de Tauro, κέρατα appellat. Ut vero tauro bicorni assimilat Tertullianus cornua ligni transversi: ita stipitem arrectarium comparat cum rhinocerote: quia ut rhinoceros cornu habet unicum, in naribus puta, unde & nomen accepit; sic etiam stipes ille in medio sui habeat palum acutum, eum videlicet cui solet insidere crucianus: ut postea plenius exponam. Hæc satis refellunt opinionem Lipsii de cruce unius stipitis. Quemadmodum & illud falsum, quod putabat, stipitem erectum proprie *crucem*, transversum autem lignum proprie vocari *patibulum*. Nemo enim veterum sic iis utitur vocabulis.

20. §. *Vidimus de partibus crucis majoribus: quæ formam crucis instituunt. Sunt præterea aliæ minores, non tamen simpliciter necessaria, quia & crux erat sine partibus minoribus. In his de una constat ex Scripturis. Ea est tabella supra verticem: quæ continebat supplicii caussam.*

Ita in Christi cruce hæc tabellæ inscripta erat mortis ratio, quod regnum affectasset: ut plenius exponetur capite proximo. Græcis ideo titulus αἰτία. De quo Scaliger Animadversionibus Eusebianis ad annum 1973 a. Erat vero tabella cerussata, cui literæ atramento sic inscribebantur, ut longius conspicerentur. Nec tamen grandes adeo quam censent, qui putant, sublimes usque adeo

a P. 146.

cruces fuisse Romanis. Hic quoque media ineunda est via. Quia vero scriptæ literæ istæ majusculæ in gypso, hinc tabellam eam Sozomenus, de cruce Christi agens, λεύκωμα appellat. Id vocabulum Etymologus magnus ait signare tabellam gypso dealbatam, utilem ad ei inscribendum, quæ publicanda essent. *Album* vocat lex Constantini in Codice Theodosiano. λευκὴν σανίδα nuncupat Nicephorus Callistus. Ac firmat illud Hesychii, huic probando etiam Salmasio adlatum: Σανὶς λευκή, λεύκωμα, ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ δήμοσιαι ἐγράφοντο πρὸς τῶν κακούργων. Τίθεται δὲ ἐπὶ σταυρῶν. SANIS *alba, album, in quo sententiæ adversus maleficos Athenis scriberentur. Apponebatur vero etiam in cruce.* Quod postremum capere oportet de temporibus ante Constantinum Magnum. Ac plane existimo, Hesychium (Christianus enim fuit) in animo habuisse αἰτίαν, quæ conspecta in cruce Christi.

21. §. *Præterea attendebatur in cruciariis, ne, si solum manus affixa essent ligno transverso, ruptis manibus corpus decideret de cruce. Huic metui bifariam potuit obviam iri: prior ratio est, si medio trunco affigeretur lignum, cui cruciarius insideret: altera, si sub pedibus esset affixum lignum, cui cruciarius insisteret.*

Utrumque horum videre est è picturis crucis, cui Franciscanos affixere Iaponenses. Hoc interim differunt, quod manus pedesque non clavis adfixerint, sed funibus alligarint cruci. Quemadmodum & in eo discrimen fuit, quod sic alligatos cruci carnifex, medium diaphragma lancea transfigendo, vita privaret.

22. §. *Prius horum, videlicet lignum medianum inter femina excurrens, ac prominens, agnoscitur ab iis Theologis, qui vixere ante tempora Constantini M., cum crux etiamnum foret in usu, ut ejus figuram optime potuerint nosse. Ut sunt Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullianus.*

Iustini verba primo apponam loco, ex dialogo ejus cum
a Deuter. 33. 17. Tryphone. Ubi primo adducit verba Mosis *a*, benedicentis Iosepho: gloriamque ejus inter fratres comparantis tauro bicorni, ac rhinoceroti unicorni. Subdit deinde
b Pag. 249. edit. Commelin. *b*: Μονοκέρωτος γὰρ κέρατα οὐδενὸς ἄλλου πράγματος ἢ σχήματος ἔχοι ἄν τις εἰπεῖν καὶ ἀποδεῖξαι, εἰ μὴ τοῦ τύπου ὃς τὸν σταυρὸν δείκνυσιν. ὄρθιον γὰρ ἓν ἐστι ξύλον, ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπερῃρμένον, ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται· καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας *c*, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστίν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ
c Salmasius lib. de Cruce pag. 243. cornu vigit εἰς κέρας, ut sententia sit, eminere in figuram cornu, sive cornus. σταυρούμενοι. καὶ βλέπεται, ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ σὺν τοῖς ἄλλοις κέρασι συνεσχηματισμένον. *Unicornis enim cornua nullius alius rei, aut figura, quis similia dixerit, vel ostenderit, quam typi crucem designantis. Rectum enim unum est lignum: unde summa pars in cornu sustollitur, cum aliud ei lignum adaptatur, & utrimque extremitates, ut cornua, uni illi cornu adjuncta apparent: & quod in medio impactum est lignum, ipsum etiam, ut cornu, eminet; puta in quo cruciarii vehuntur, ac insident, ac apparet ut cornu, ipsum quoque cornibus aliis confirmatum, ac compactum.* Videtur ut quatuor cornua agnoscit in cruce Iustinus: duo, quibus taurum bicornem referat: ea sunt extremitates ligni transversi, antennam referentis. Duo item, quibus referat monocerotem: nempe & cornu monocerotis refert, quod supra medium stipitis arrectarii exstat: & præterea cornu hoc repræsentatur palo in stipite medio. Est & quinctum cornu, nempe extremitas ima stipitis arrectarii. Sed hoc prætetiit Iustinus, quia sub terris latet. Iustinus vero, dum hanc etiam partem annumerat, quinque statuit extremitates. Sic enim scribit lib. II. cap. XLII: *Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque; duas in longitudine, & duas in latitudine, & unam in medio, ubi requiescit, qui clavis adfigitur.*

Extremis verbis clare signat τὸ ἐξέχον πῆγμα. Ut male de suppedaneo intellexerit Feuardentius *a*. At Tertullianus, a In notis ad Irenæum.
quia consideraret crucem sub figura literæ T, non habuit rationem ejus, quod supra medium ligni transversi stipes arrectarius paullum emineret. Itaque tria solum crucis agnoscit: videlicet cornua duo ligni transversi, & unum medii stipitis erecti. Verba ejus antea adduximus, ut liqueret, crucem Tertulliano nunquam dici de solo stipite. Nunc partem eorum apponam, ut magis pateat de palo eminente in medio stipite arrectario. Sic igitur ille adversus Iudæos cap. X: *Nam & in antemna navis, quæ crucis pars est, hujus cornua vocantur: unicornis autem in medio stipitis palus.* Ut quidem Pamelius rescripsit, qui illud *cornua* se de suo supplevisse agnoscit. Retinet & Scaliger: sed maluit: *Quæ crucis pars est hac, extremitates hujus cornua vocantur.* Sed Salmasio placet hæc veterum codicum lectio: *Quæ crucis pars est, hoc extremitates ejus vocantur.* Extremitates istæ cornua dicuntur: unde crux tauro comparatur, ut superius satis exposuimus. Hujus vero est loci, quod subdit: *Unicornis autem medio stipite palus.* Ubi clare signat lignum illud in medio stipitis erecti referens cornu monocerotis. In editione B. Rhenani est, *media stipite palus*, pro *medio*, vel *in medio stipite*. Unde Pamelius fecit, *media stipitis palus*. Quod σόλοικον. Possis & cum doctissimo
Bartholino *b* legere, *medius stipitis palus*. Proclivis fuerit error, ut *medio* fit ex *medius*, quia 9, vel simile, sæpe pro *us* soleat scribi. Idem Tertullianus lib. II. adversus Iudæos *sedilis excessum* nuncupat. *Pars*, inquit, *crucis, & quidem major, est omne robur, quod erecta statione defigitur. Sed nobis tota crux imputatur, cum antenna scilicet sua, & cum illo sedilis excessu.* *Excessum* vocat, ut Iustinus τὸ ἐξέχον. Ut vero hic sedile nuncupatur, ita censet maximus Salmasius *c*, quia in ea subsiderent, *subsidem* dici à Mæcenate versibus istis: b Lib. de Cruce pag. 128.

Hanc mihi vel acuta
Subsidem cruce sustine. c Lib. de Cruce pag. 230.

Putabat Iosephus Scaliger *d*, etiam sedilis excessum notari à Iulio Firmico, cum libro de errore profanarum religionum ait: *Cornua nihil aliud, nisi venerandum crucis signum monstrant. Hujus signi uno extenso, ac directo cornu, mundus sustentatur, terra constringitur.* Nec assentio Claudio Salmasio, qui *e* censet, per unum illud cornu intelligi summam partem stipitis arrectarii. Nam tria solum cornua agnoscit, præterito medio stipitis palo. Præter quem duo alia ponit cornua ligni transversi, quod considerat, quasi è duobus esset lignis compactum, quæ brachia hominis repræsentent. Sic enim subdit: *Et è duorum, quæ per latus vadunt, compagine, Oriens tangitur, Occidens sublevatur, ut sic totus Orbis, tripartita stabilitate firmatus confixi operis, immortalis radicis fundamenta retineat.* Atque hæc de medii stipitis palo, sedilis excessu. d Animadversionibus in Eusebium pag. 10. e Libro de Cruce pag. 247.

23. §. *Vidimus de priori ratione sustinendi corporis: quæ debetur sedili. Altera est ab ligno cruci impacto, in quo pedes cruciarii. In hoc pede uno prius insiluisse videtur cruciarius: ac deinde ei, altero etiam pede imposito, institisse.*

Videntur hoc indicare variæ loquendi formæ. Ut, *excurrere in crucem*; quod legas apud Plautum Mostell. II. 1: *insilire in crucem*, Mil. Glor. II. 3: *adscendere in crucem*, cui opponitur *descendere de cruce*: ut locuti etiam, qui prætereuntes crucem Christo insultarunt. A secundo est Plauti Bacchidibus vox *Crucisalus* ficta, quasi in crucem salientis.

24. §. *Quæritur igitur, an hoc ὑποπόδιον etiam fuerit in cruce Dominica. Nullus meminit eorum, qui ante Constantinum M. vixerunt. Sed meminere aliquot, qui multo postea fuere.*

For-

Fortasse etiam Nazianzenus, sive potius Apollinatis, vel alius in Christo Patiente: cujus verba sunt ista:

—— Ἥλωσαν χέρας,

Πόδας τε καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ.

Quod fortasse reddere possis:

Fixerunt clavis manus,

Impacto ut affixere ligno ejus pedes.

Saltem intelligi nequit τὸ ἐν μέσῳ πηγνύμενον ξύλον: sive palus è medio stipitis arrectarii exstans, cui ut equuleo insiderent: eoque vel non signatur aliquod ex lignis minoribus, vel fuerit hoc πῆγμα illud prope in imo stipite, cui insisterent. Ac multum hoc antiquitatem ejus sententiæ fulciret, quia tam Apollinatis, quam Nazianzenus, vixere anno Christi trecentesimo, & sexagesimo. Fuit hæc sententia Iosephi Scaligeri. Sed enim non video, cur non potius assentiam Claudio Salmasio, cui πηκτὸν ξύλον est stipes erectus, soloque defixus. Quomodo & Terminus, qui palus erat ligneus, *defixus in agris* dicitur Tibullo:

Nam veneror, seu stipes habet defixus in agris.

Sane ad stipitem hunc arrectarium affigi solent pedes, uti manus ad lignum transversum.

Ad certiora igitur veniamus. Post Apollinarem, ac Nazianzenum annis ducentis claruit Gregorius Turonensis. Obiit enim annis quatuor ante sexcentesimum; uti quatuor post eum Gregorius Magnus. Hunc in cruce suppedaneum, ac fortasse primum, statuisse, evidens est ex lib. 1. de gloria Martyrum cap. VI: *Quæritur, cur plantæ affixæ sint, quæ in cruce sancta dependere visæ sunt potius, quam stare. Sed in stipite erecto foramen factum, manifestum est. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est: super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis, sacræ adfixæ sunt plantæ.*

Eam Turonensis conjecturam plane secutus est Beda in Collectaneis: quando è quatuor diversis lignis compactam fuisse crucem ait. Vixit ille seculo toto post Turonensem. Videlicet anno septingentesimo, & deinceps. Ac pene annis quingentis post similiter Innocentius III, qui anno claruit millesimo ducentesimo: & sermone priori de martyre uno hunc in modum loqui-
a P. 173. edit. Coloniensis an. 1575. tur a: *Fuerunt autem in cruce Dominica ligna quatuor, stipes erectus, & lignum transversum; truncus suppositus, & titulus superpositus.* Quæ postea repetit, mysticeque enarrat. Iustus Lipsius nihil caussæ habuit, cur intelligeret de trunco in terra juxta crucem apponi solito, ut esset ἀντηρίδος sive obliqui sustentaculi loco. Nec enim is crucis pars erat. Et fulciendæ cruci non unus sufficisset truncus; sed pluribus fuisset opus. Quo minus autem de sedilis excessu possit intelligi, in caussa est, quod ex quo crux in usu esse desiit, de illo non amplius loquantur scriptores: minimeque omnium, qui vixere tanto post Gregorium Turonensem. Omnes enim pedibus in Turonensis sententiam ierunt. Et quod *suppositum truncum* appellat, indicat, loqui de supposito toti corpori, non ventri, & natibus duntaxat: præsertim quia sic insiderent, ut magis starent: at suppedaneo vere insisterent. Adhæc apponit Innocentius, *titulum superpositum*, & *truncum suppositum*: ut, sicut ille supra verticem, ita hic sub pedibus fuerit.

25. §. *Etiam Gregorii Turonensis sententiam secuti sunt pictores multi, qui post eum, sed ante complura secula, vixerunt.*

De quo malo verba ponere Francisci Feu-ardentii Notis in Irenæi librum II. cap. XLII: *Istud denique plurimum confirmant vetustissima crucifixi Domini nostri in templis servatæ imagines, quas etiam eodem anno, quo hæc scribimus,* CIↃ IↃ XCV, *multis in locis conspeximus, cum dicto scabellulo, in quo pedes etiamnum distincti secretique duobus clavis affiguntur. Nimirum Virduni in majori eademque vetustissima æde unam: & monasterio, quod à divo Paulo nomen habet, alteram. Treveris ejusdem forma vidimus in majori templo duas: in æde B. Virginis, tres: sancti Simeonis, duas: S. Paulini, unam: & S. Mariæ, alteram. Confluentiæ in templis diversis, tres. Coloniæ Agrippinæ etiam ejusdem formæ imagines, id est, pedibus disjunctis, atque duobus clavis in subjecta tabella confixis, plurimas conspeximus. In summo templo tres; ad S. Severinum, tres; ad S. Cunibertum, tres; ad S. Gereonem, unam; ad S. Ursulam, unam; ad S. Mariam de Capitolio, unam; in cæmeterio S. Georgii, unam; ad Indulgentias, unam; ad S. Mauritium, unam; ad Clarissas, unam; in quodam Xenodochio, unam: audimusque, in aliis sacris locis tales multas servari: quibus superior conjectura nostra non mediocriter firmatur.*

26. §. *Præterea suppedanei formam conspicere est in Roma subterranea. Sed & in veteribus nummis eam observarunt viri eruditi.*

Ac primus in his, Nobilis ac doctissimus præceptor meus, Franciscus Nausius, hoc nomine etiam laudatus Iosepho Scaligero in Animadversionibus Eusebianis.

27 § *Multorum nihilominus opinio est, pictorum & similium de suppedaneo esse commentum.*

Sane non agnoscit Iustus Lipsius in libris de Cruce. Est & Theophili Rainaldi in Metamorphosi latronis cap. III a: *Nulla hujus fulcri & sustentaculi vestigia* a Pag. 64.
apparent apud Ethnicos, cruciariorum supplicia describentes. Et quid opus suppedaneo, si possent *tolli* vel *levari* in crucem? Quomodo & veteres de hac re locutos videmus.

28 §. *Negant quoque, vel suppedaneo, vel mediano ligno, cui insiderent, fuisse opus, quia nervosa adeo sint hominis manus, ut nihil periculi sit, ne mole corporis rumpantur: saltem pedibus conjunctis, & clavis ad stipitem arrectarium adfixis. Id fortasse aliquid fit in corporibus tenuibus & emaciatis: vel etiam corpulentis, quando ante Solis occasum corpora de cruce tollerentur: ut fiebat apud Iudæos: sed apud alias gentes ratio erat dispar, ubi non tollebant corpora de cruce, sed cibum relinquebant alitibus, &, si humilior esset crux, etiam lupis, ac canibus. Cujusmodi cadavera tempore diutino ita tabescebant, ut neque nervi sufficerent corpori sustinendo, imprimis mole vel pondere prægravato.*

Saltem non dubium, quin corpora paulatim putrescant, ac cum tabe liquefacti corporis, tum pondere corporis penduli, foramina manuum dilatentur: eoque corpori, quod suppedaneo, vel alterutro sit suffultum, minus à ruina in cruce periculum esse, quam si utrumque absit. Nec putandum, si neutro esset opus, Iaponenses esse usos utroque; antiquos autem alterutro saltem: ut liquet ex Irenæo, & aliis, qui bene crucis formam norant: ut qui vixerint, quando adhuc crux obtineret. Nec audio, qui censent, nimis fore delicatum mortis genus, si ita insiderent, vel insisterent ligno. Nec enim delicatum videtur illud, quod efficit, ut diutius in gravissimo supplicio vivant. Nisi quis cum Mecœnate sapiat, qui vitæ tantam putabat jucunditatem, ut eam prorogari optaret, si vel acutæ cruci insideret, ut antea vidimus. Sed si quis quærat, utrum potius censeam in Christi cruce fuisse, sedilis excessum, an suppedaneum: de priori dixero: idque ob Tertulliani, & aliorum auctoritatem, qui, ut dixi, vixere, cum crux obtineret. Suppedaneum vero, qui certo agnoverit in cruce Dominica, ante Turonensem habemus neminem. Imo neutrius mentio est apud veterum ullos, qui de cruce inventa ab Helena, & forma ejus crucis, egerunt. Solum enim meminere stipitis

piris recti, antemnæ, & tituli. Videre hoc est ex Cyrillo Hierosolymitano, Ambrosio, Paullino, Rufino, ac tribus his æqualibus, Socrate Scholastico, Hermio Sozomeno, & Theodoreto.

29. §. *Nunc à partibus, & forma crucis, ad clavos venio.*

Quos Gregorius Turonensis *Dominicos* vocat, quia Dominus iis cruci adfixus fuit. Vulgus pictorum, imo & scriptorum aliqui a, Dominum, uti & latrones duos, funibus alligatos cruci arbitrantur. At eos refellit ipsa *crucifigendi* vox: quæ vim amittit, si fuerint alligati, non clavis fixi: ut etiam apud Augustinum est Psal. LXVIII. Et sane veteres Theologi uno ore ajunt, eos clavis affixos. In his è Græcis sunt Chrysostomus homil. de cruce, & latrone, & homil. XV in epistol. ad Rom. Nonnus in XIX cap. Joann. adhæc Basilius Seleuciensis orat. XVII. E Latinis vero B. Augustinus lib. I. ad Simplicianum quæst. II, & tractat. VII. in Ioannem; nec non S. Gregorius lib. XVIII. Moral. cap. XXV. & Alcimus Avitus Carm. III:

a Vigerius chorda. 7.

Etsi confixas clavis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.

Et sane sic in cruciariis obtinuisse, videre est ex Seneca de vita beata cap. XIX, & Plinio lib. XXVIII cap. IV; ut Appuleium mittam; atque è Græcis Ulpianum in Demost. orat. κατὰ Μειδίου, atque alios. Et si in latronibus aliter fuisset, non operosum fuisset S. Helenæ distinguere crucem, in qua Christus pependit, ab illis latronum, contra quam est apud Paullinum epist. XI, ad Severum, & Theodoretum lib. I. Histor. cap. XVIII. ut reticeam juniores: quales Nicephorus lib. VIII. cap. XXIX, Alexander Monachus orat. de inventione Crucis, & Georgius Hamartolus in Chronico. Nam indicium fecisset Helenæ, quod in his deforent foramina clavorum. Nec tamen abnuam, olim etiam funibus adligatos cruci. Saltem in apocrypho opere Abdiæ Babylonii legas lib. III. Historiæ Apostolicæ: *Proconsul mandat quæstionariis, ut ligatis manibus, & pedibus, non clavis adfixus suspenderetur, quo diutino cruciatu deficeret.* Sed de exigua ejus scriptoris auctoritate nihil nunc dicam: præsertim, quando de ea in Historicorum Historia vidimus. Hoc igitur sufficerit nunc, quod propositum fuit proconsuli, abire à vulgari crucifigendi modo, ut vita, ac cruciatus foret diuturnior. Quod satis arguit, quam nihil illud repugnet consuetudini clavis adfigendi. Interea in sexto Lucani, (ubi de maga Thessala, cruciariorum reliquiis ad artes suas utente, sermo est) de vinculorum adligatione verba sunt aperta. Clarum quoque illud Artemidori Oneirocriticon lib. II. cap. LVIII: Σταυροῦσθαι ἀνδρὶ ἀγάμῳ, γάμον σημαίνει, διὰ τὴν δέσιν, πλὴν οὐ πάνυ τι συμφέροντα. *Crucifigi* (se somnianti) *viro non habenti uxorem nuptias prædicit, ob ligaturam; attamen non adeo commodas.* Imo etiam concurrisse videntur clavifixio, & vinculorum ligatio: & fortasse in ipso Christo. Audiamus Hilarium lib. X de Trinitate: *Sed forte penduli in cruce corporis pœna, & colligantium funium violenta vincula, & adactorum clavorum cruda vulnera sunt dolori. Et videamus, cujus corporis homo Christus sit, ut in suspensam, & nudatam, & transfossam carnem dolor invaserit.* Nec videntur aliter capi oportere illa Tertulliani in Scorpiaco cap. XV: *Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.* Videlicet per cinctionem intelligit non solum clavifixionem, sed etiam conjunctam ei vinculorum adstrictionem. Quomodo & Theophylactus exponit illud Ioan. XXI. 18. *Extendes manus tuas, & alius cinget te.*

30. §. *Clavis plurimum affigebantur cruci jam erecta: quandoque tamen, maxime si sublimior foret crux, jacentes ac supini imponebantur cruci exinde erigenda.*

Prius defigi solere cruces, quam affigeretur cruciarius, ostendit Iosephus lib. VII. de exitio Iudææ: Ὁ δὲ Βάσσος προσέταξε καταπηγνύναι σταυρὸν, ὡς αὐτίκα κρεμῶν τὸν Ἐλεάζαρον. *Bassus jussit crucem defigi, tanquam protinus suspensurus Eleazarum.* Idem cognoscimus ex illo Titi Quinctii epigrammate in Alcæum poëtam:

Ἄφλοιος, καὶ ἄφυλλος, ὁδοιπόρε, τῷδ' ἐπὶ νώτῳ
Ἀλκαίῳ σταυρὸς πήγνυται ἠλίβατος.

Quod Salmasius a vertebat:

a Epist. de Cruce. pag. 449.

Fronde libroque carens super isto monte, Viator,
Ut crux Alcæo figitur alta, vides.

Proque hoc modo sunt formæ illæ loquendi, *adscendere in crucem, insilire in crucem, in crucem levari.* Nempe vel in suppedaneum cruciarius insiliebat, vel, id si nullum foret, in medium palum, sive sedilis excessum, à carnifice levabatur: haut aliter ac aliquem à stratore in equum sublevari videmus. Scalarum enim in crucifixione usus aberat: qui si fuisset, veterum aliquis meminisset. Atque hæc de priori, longeque vulgatiori ratione crucifigendi.

De posteriori cognoscere est ex Actis S. Bionii. Inque Christo idem obtinuisse, sententia est Laurentii Iustiniani sermone de Passione, Palæoti cap. VI. de sacra sindone, & Francisci Lucæ Brugensis in Matth. cap. XXVII. 35. Dissentiente interim Malonio ad Palæotum de sacra sindone cap. VI. num. VIII. Mihi quoque non dubium, quin in Christo obtinuerit consuetudo receptior: qua prius nuda crux infigebatur humo: ac deinde in eam tollebant illum, qui foret crucifigendus.

31. §. *Præterea quæritur, quas corporis partes clavi transfixerint. Illud quidem convenit, manus pedesque trajectos: sed remanet in controversia, de manibus quidem, qua parte perforatæ; de pedibus vero, utrum altero alteri imposito, pes uterque uno transmissus sit clavo; an uterque seorsum fuerit trajectus. De priori ambigunt, num hir sive vola, hoc est medium manus fuerit trajectum, an vero vel carpus, qui inter brachium & manum, vel proximum carpo metacarpium. Prius multi contendunt. Ac pro se adferunt verba hæc Zachariæ* XIII. 6. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? *Ut vulgata habet tralatio: sive, ut in aliis:* Quid sunt plagæ istæ inter manus tuas? *Ut ad verbum sonant Hebræa. Eo alii laxius* manum *accipiunt, ut carpum comprehendas. Ac censent, sic potius capi Scripturas oportere, quia carpus firmior sit vola ad corporis pondus sustinendum.*

Posteriori modo Antwerpiæ pinxerat Petrus Paullus Rubenius, vir & doctrina, & pingendi arte clarus. Hæc quia pictura in templo, & loco illustri erat collocanda, ob novitatem picturæ, turbavit animos quorundam; qui iccirco litem ei movere: in his Ioannes Cramuel Lobkowitius, Abbas Disenbergensis, & Melrosensis: ut ipse scribit ad Bartholdum Nihusium. Ut & inde videas, eum ligno tum mediano, tum suppedaneo, plane adversari.

32. §. *Alterum erat, utrum Christus cruribus divaricatis, ac pedibus disjunctis pependerit, eoque pedes singuli seorsum fuerint clavis transfixi; an uno clavo pes uterque, quia pes unus alteri esset impositus. Si prius, quatuor fuerint clavi: si posterius, terni.*

De isto sic Baronius in Annal. ad an. XXXIV, num. CXIV: *De Christo Domino antiquiores imagines quatuor ipsum affixum clavis repræsentant: nempe seorsum singulis pedibus singulis affixis clavis. Sed aliam sententiam de tribus clavis recentior probavit usus.* Pro posteriori

modo

modo est, sive Nazianzenus, sive Apollinaris, in Christo Patiente, & toto seculo junior eo Nonnus. Imo & alii multi: inque his Theologi illi, qui Revelationes Brigittæ, vel scripserunt, vel limarunt. Sed aliter auctor libri de Passione Cypriano tributi: *Clavis sacros pedes terebrantibus.* Et plures advocarem ad partes, nisi liqueret, eum morem fuisse Romanum. Nec aliter capiendum est hoc Plauti Mostellaria act. II. sc. I:

Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit:
Sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.

Multum hoc lucis capit, si instruere suppedaneo, ut etiam apud Japonenses fit. Apud quos ea pœnæ ratio multum convenit cum Romana. Quippe manus licet, pedesque non affigantur clavis; sed solum alligentur; tamen crux eorum & ὑποπόδιον habet, cui insistant, & lignum inter femina, cui insideant. Ut videre est ex Franciscanorum historia, quos Japonenses cruci affixerunt. Nec aliter dixerint Trevirenses, qui dextri pedis clavum se habere jam à multis seculis prodiderunt: quod ipsum ex antiquis memoriis se referre ait Justus Lipsius in Notis ad librum II de Cruce cap. IX. Nec quicquam apertius his verbis Gregorii Turonensis lib. I de gloria Martyrum cap. VI. *Clavorum*, inquit, *Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc est ratio. duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.* De plantarum clavis ait objici posse, eas in sacra cruce dependisse, ut his nihil fuerit opus. Respondet, *In stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est. Super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis, affixæ sunt plantæ.* Excessit Gregorius Turonensis quadriennio ante annum sexcentesimum, octennio ante Gregorium Magnum. At quatuor quoque agnoscit Ruffinus, qui annis ducentis antecessit: de quo mox videbimus.

33. §. *Atque hæc de cruce, & clavis, ratione temporis, quo Christi, & Apostoli fuere. Subjungam, quæ pertinent ad tempora trecentis quasi annis postea subsecuta: quando crucem eam reperisse creditur Helena, mater Cæsaris Constantini.*

Mirantur alii, imprimis maximus Salmasius [a], Eusebium multa quidem referre de pio Helenæ studio in visitandis locis, quæ Christus calcasset, deque Ecclesiis exstruendis: sed illud præterire de tribus, dum Calvariæ mons repurgatur, crucibus inventis, uno Domini, ac duabus latronum: item de cruce Domini exinde agnita, quod ægrota mulier latronum crucibus admota, non recuperarit valetudinem, sed tactu ejus, de qua pependerat Christus: adhæc de clavis crucis Christi, quos Helena dederit filio Constantino, partim galeæ ejus, partim equi freno infigendos, ut hoc pacto tutior foret adversus hostes. Sane tanti hæc visa fuere Theodoreto, ut etiam eo retulerit prophetiam Zachariæ XIV. 20: καὶ ἔςαι τὸ ἐπὶ τῷ χαλινῷ τοῦ ἵππου ἅγιον τῷ κυρίῳ παντοκράτορι. *Atque erit hoc in freno equi sanctum domino omnipotenti.* Quod majoris foret aucturitatis, nisi pro *freno equi* Hebraice foret *tintinnabulis*: illis nempe, quæ collis equorum appendebantur, ac Græcis dicebantur κώδωνες. Ut præteream, quod quæ sequantur apud Zachariam, pertineant non ad Hierosolymam illam, qualis erat sub imperatoribus Christianis, sed antequam à Tito est destructa. Quis vero illa de inventa cruce, ac clavis, melius scire potuit Eusebio, qui tum temporis vivit, & tam sedulo & accurate singula de Helena enarrat? An dicendum, ea omisisse, quia non crederet rumori vulgi? sed eum postea adsensu Episcopi Hierosolymitani, & aliorum aucturitate, vires ac pondus accepisse? atque inde esse, quod viri pii ea pro certissimis habuerint? Meminere enim ætate proximi, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Paullinus, Rufinus, & qui seculo post inventam crucem claruere, tres æquales scriptores, Socrates Scholasticus, Hermias Sozomenus, & Theodoretus.

[a] Lib de Cruc. pag. 371 & seqq.

Magis etiam miratur idem vir summus, quomodo clavi crucis Christi potuerint dignosci ab illis, qui fixi fuerint in cruce utraque latronum. Neque enim cruci inhærere potuerint, quia ut tollerentur crucifixi, necesse fuit extrahi, inque terram conjici. Num dicemus, clavos quosque, iis locis unde prius fuerant exemti, iterum esse infertos?

Simeonis Metaphrastæ, quem Baronius in Annalibus sequitur, opinio est, cum Christus esset sepeliendus, B. Virginem hosce clavos è corpore filii exemisse, & in sinu suo collegisse. Sed enim hoc si foret, quanto verisimilius esset, clavos à piis adversatos, quam annis prope trecentis postea sub terra esse repertos ab Helena, magni Constantini matre! Adhæc Marcus Velserus pluribus adstruit lib. I. de Cruce cap. XXXIV, moris fuisse in Judæa, ut quibus instrumentis aliquis in cruce neci esset datus, eadem cum illo terra obruerentur. De quo ex Rabbinis et am inferius dicam.

34. §. *Quid inventa cruce clavis factum sit, exponit Rufinus Histor. Eccles. lib. I. cap. VIII*: Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat (*Helena*) ad filium. Ex quibus ille frenos composuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse.

Ubi, ut dixi, quatuor videmus clavos agnosci: cum alios dicat freno, alios galeæ inservisse. Ac similiter Theodoretus histor. Eccl. lib. I. cap. XVIII. De duobus assentit Gregorius Turonensis loco ante memorato: de aliis duobus paullo aliter. Sic enim scribit: *Quæritur etiam, quid his clavis fuerit factum. Duo sunt, quos supra diximus aptatos in freno; tertius projectus in fretum: quartum adferunt esse defixum in capite statuæ Constantini.* At cur freno inserti? Caussam addit, *Quo facilius, si adversæ gentes restitissent principi, hac virtute fugarentur.* Nec dubitat dicere, Zachariam de hoc vaticinatum, verbis istis: *Erit, quod in equum ponitur, sanctum Domini.* Clavorum istorum magnam esse virtutem, comprobat postea eo, *quod Justinus imperator, à mago quodam illusus, propter pecuniam, expertus est, ac suis omnibus patefecit.* De tertio clavo, in fretum ab Helena projecto, sic rem paullo plenius narrat: *Adriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo tam frequentia erant naufragia, ac demersio hominum, ut vorago navigantium diceretur. Tunc provida regina, condolens excidia miserorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quod sævas fluctuum commotiones facile posset opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra præstantur. Unde usque hodie sanctificatum mare venerantur, cum ingressi fuerint, jejuniis; orationibusque & psalterio vacant.* De quarto clavo sic scribit: *Adferunt, esse defixum in capite statuæ Constantini: quæ civitate, ut aiunt, tota, excelsior esse suspicitur: scilicet ut tota, cui eminet, salutis quodammodo galea coronata est.* De horumce clavorum usu vide sis Ambrosium in funere Theodosii, Cassiodorum in Tripartita lib. II. cap. XVIII. Paullum Diaconum, Eutropii continuatorem lib. XI. Zonaram Annal. part. III; Nicephorum lib. VIII. cap. XIX. Hos laudo fide Mallonii, notis in Alphons. de stig. Chr. p. 363.

35. §. *Superest videamus, an clavi isti, non quatuor dico si tertius submersus, sed summum tres superesse existimentur.*

Sane unus eorum ab Helena dicitur transmissus Romam in Ecclesiam S. Crucis in Hierusalem. Hodieque illic adservari, ait Franciscus Maurolycus in Topographia sanctarum reliquiarum. Nec aliter Christianus Adricomius

in descriptione Hierosolymorum num. CCXLII. Præterea Mediolani clavus summa in veneratione est. De clavo autem pedis dextri, Treveris adservato, jam antea vidimus. Sed de primo horum Romam misso, nihil tale veteres, qui aiunt, freno vel galeæ insertum esse. Cum vero multo plures tribus clavi hodie ostendantur: quæritur, an non hoc clamet imposturam. Contentus ero adferre, quid ad hoc respondeat Baronius an. CCCXXVI, num. LIV: *Accidit fortasse alicubi: ut clavus aliquis inter sacras Reliquias adservatus, quo mystica membra Christi, nempe Martyr quispiam, confixus est, idem unus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus.* Quasi dicat, ut error sit, abesse tamen animum fallendi: & sic quoque posse quodammodo Christi crucifixi clavum nuncupari: quia Christus in membris suis sæpe sit crucifixus. Nempe ea loquendi forma, qua Christus ipse Saullo dicebat, a *Cur me persequeris?*

a Act. 9.3.

36 §. *Quia de forma crucis, & clavis, abunde videor pro instituto dixisse, venio ad illud, quam ad mundi plagam vultum Christus direxerit dum in cruce penderet, deque ritibus, qui inde defluxerunt. Vetus est traditio, Christum, cum crucifigeretur, occidentem spectasse.*

Meminit ejus rei B. Hieronymus in Marc. cap. XV. Et paullo hoc junior Sedulius lib. IV. al. V:

Occiduo sacra lambuntur sidere planta:
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Item Beda in Luc. cap. XCIII, S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Jo. Damascenus lib. IV. Orthod. Fid. cap. XIII. qui tres paullo post annum septingentesimum vixere.

37 § *Quia autem Christus expansis manibus in cruce Occidentem spectabat: eo in baptismo quoque, in quo, ut Apostolus testatur, crucifigimur Christo, Christusque in verbis crucifigitur, baptizandus sic statuebatur, ut expansis in formam crucis manibus, terque dæmonem exsufflans, spectaret Occidentem.*

Quem ritum cognoscere est ex Dionysio Areopagita lib. de cælesti Hierarchia cap. II.

38. §. *Etiam hinc ritus alter, ut precantes respicerent orientem.*

Uti memorant Clemens Rom lib. II. Constitut. Apostolicarum cap. LVII, Justinus lib. quæst. ad orthodoxos, quæst. CXVIII. Clemens Alex. lib. IV Stromat. Tertullianus adversus Valens. Origen. homil. III in Num. Basilius lib. de Spiritu S. Damascenus lib. IV. de fide orthodoxa cap. XIII. Nempe servus Stratonis ejus, qui Tyriorum postea rex factus, ex domini consilio orientem solem in occidente quærebat, ac reperit: ut Justinus in Trogi epitome narrat lib. XVIII. At Christiani è contrario Christum, justitiæ solem, occidentem, hoc est, morientem pro se, in oriente quærunt, eumque precantes animi illuc oculis spectant.

39 § *Cæterum hujus ritus non ea solum caussa adfertur, quod Christus in cruce spectarit occidentem, sed etiam quod in sepulcro sic positus fuerit, ut caput occidentem versus fuerit conditum.*

Ut Adricomio ex inspectione sacri sepulcri observatum in descript. Hierosol. num. CCCXXXV.

40 §. *Quod item faciem occidentem versus converterit cælum adscendens.*

Hoc idem adstruit ex vestigiis pedum Christi marmori impressis, qui in monte Oliveti spectantur: ut idem Adrichomius refert.

41. §. *Quod præterea occidentem versus conversum faciem creditur in adventu secundo.*

Quod colligunt ex illo, quia Act. I dicatur, *Quemadmodum vidistis eum adscendentem, ita veniet.* Hujusmodi vero aliquid habere incerti, fatendum: interim vero non sunt dissimilia, quæ ab iis curiose adeo adferuntur.

42. §. *Imo & eo Orientem spectandum in precibus dixere, ut cogitemus, quomodo Adam in Oriente sit ejectus è paradiso, ac cum eo pariter nos felicitate ista exciderimus, quam per Adamum secundum luculentius recipimus.*

Sed uti hæc ratio locum habeat in nobis cis paradisum habitantibus, ita contrarium exigeretur in illis qui trans paradisum incolunt Orientem.

43. §. *Majoris vero momenti ea est consideratio, cur Christus potius cruci sit adfixus, quam alio supplicii genere adfectus.*

Superius quidem ostendimus, cur Christum crucifigi maluerint judices. At nunc dispicitur, cur Deus hoc potius supplicii genus elegerit, quam ut vel decollaretur, sicut decessor ejus Ioannes Baptista: vel dissecaretur serra, sicut Iesaias prophetes; ut aliorum supplicia in aliis præteream.

44. §. *Ratio vero adfertur à veteribus non inelegans, quod conveniret, ut sicut primus homo in ligno nobis peperit mortem: ita filius Dei nobis vitam acquireret in ligno.*

Natura humana vulnus accepit in ligno, Adamo primo comedente de arbore scientiæ boni & mali. Eidem naturæ medicina est ab ligno, Adamo secundo pro nobis patiente in cruce. Unde in hymno Ecclesiastico:

Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hostis unde læserat.

45. §. *Præterea eo Deus spectarit, quod hoc mortis genus esset maxime acerbum, eoque magis ostenderit Dei odium erga peccatum, amorem vero erga hominem.*

Quam illustre enim est indicium odii erga peccatum quod noluerit illud expiari, nisi supplicio tam duro, diroque. Quantum etiam documentum amoris & misericordiæ erga nos, quod voluerit ipsum Filium unigenitum ejusmodi supplicium pro nobis sustinere?

46. §. *Adde quod non modo valde esset acerbum, sed etiam ignominiosum, & infame supplicii genus. Humillimus igitur humillimo, sive abjectissimorum hominum affici voluit supplicii genere.*

Itaque gentiles ridere hoc solent in Christianis, quod fiduciam collocarent in crucifixo: quem & Epicureus ille Lucianus contemtim a appellat τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα b. Sed Christianos non puduit crucifixi. Imo B. Paulus I ad Cor. II. 2 negat, se quicquam scire, præter Iesum Christum, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον c. Notum illud, quod Ignatio tribuitur: Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται d. Nec sivit Constantinus Cæsar, ut illud supplicium ulterius inserviret tollendis facinorosis. Quare illud

a Lib. de Peregrini morte
b Illum in Palæstina crucifixum.
c Et hunc crucifixum.
d Amor meus crucifixus.

sustu-

sustulit. Unde B. Augustinus tractatu CXI in Joannem: *Modo in pœnis reorum non est apud Romanos; ubi, cum Dom... honorata est, putatum est, quod & reus honoraretur, si crucifigeretur.* Nimirum movit Cæsarem, quod hoc supplicio salvatum esset genus humanum, videlicet, quod ad sufficientiam meriti, non efficaciam applicationis. Omnes nimirum reducit à captivitatis necessitate: reducit solos fideles à captivitate. Pro omnibus mortuus, si PRO notet finem conditionalem; non mortuus pro omnibus, si PRO notet finem absolutum, sive effectum. Quomodo veterum Patrum sententiam in postremo Historiæ Pelagianæ libro fusius exposuimus.

47. § *Etiam rationem hanc mysticam ejusmodi mortis adducit Athanasius De Incarnatione Verbi Dei*, Ut in morte sine mutilatione integrum corpus servaret, & caussa subduceretur iis, qui Ecclesiam in partes cupiunt discindere.

Quantopere sane unitas Ecclesiæ cordi fuerit Jesu Christo, arguit precatio ejus Joan. XVII. 11. 20: ubi & hanc caussam, cur pro unitate ea oret, bis adducit; *Ut credat Mundus, quia me misisti.*

48 §. *Quæritur, an in veteri Testamento evidentem habeamus prædictionem hujus crucifixionis. Non arbitror. Censuit id tamen Justinus Martyr, dialogo cum Tryphone.*

Ubi agit de illo ex Psal. XCVI. 10: *Dominus regnavit à ligno.* Ac similiter legit Tertullianus adversus Judæos cap. X, & lib. III adversus Marcionem cap. XIX, & XXII. Item Arnobius, Lactantius, Augustinus, Cassiodorus, Fortunatus, in cujus hymno tempore passionis cani solet:

Impleta sunt, quæ cecinit
David fideli carmine,
Dicens in nationibus,
Regnavit à ligno Deus.

Ac legas etiam in Psalterio Romano. Ab Hebræo tamen codice absunt, ac vulgata Latina. Sed Lindanus vult, Judæos sustulisse ex codice Hebræo: Genebrardus, sciolos quosdam mutilasse codices Latinos. Verum ut, propter Justini autoritatem, credimus, in nonnullis codd. fuisse duo hæc verba, ἀπὸ ξύλου: ita abfuere ab iis, quibus usi Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. Præterea desunt in codice Chaldæo. Nec ea Latino interpreti addi voluere Romani correctores, ac Sixtus V. & Clemens VIII Pontifices. Planeque iis adsentio, qui arbitrantur, è glossemate hominis pii irrepsisse in quorundam exemplarium contextum. A qua opinione alienus neutiquam est Faber Stapulensis.

49. §. *Fuêre interim in V. T. typi, quibus hoc mortis genus significaretur. Ut exaltatio serpentis in deserto: de quo Numer.* XXI. 8. *Unde Christus ipse Joan.* III 14. 15: Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.

Nec ignoro, complures doctissimos viros exaltationem hanc intelligere de prædicatione Euangelii. Sed capi oportere de exaltatione in ligno, sive crucifixione, indicant hæc Christi verba Joan. XII. 32: *Cum exaltatus fuero è terra, omnes traham ad me.* Quibus subjungit Euangelista: *Hoc autem dixit, significans, qua morte esset moriturus.* Miretur fortasse aliquis, Deum hoc potissimum symbolum elegisse apud populum usque adeo propensum ad idololatriam: ut in hoc ipso serpente eventus comprobavit. Nam necesse habuit Ezechias rex eum confringere, postquam eo populus ad cultum idololatricum abuteretur: ut est II sive IV Reg. XVIII. 4. Sed enim voluit Deus, quemadmodum læsi erant à serpentibus, sic liberarentur serpentis conspectu. Sicut autem serpens æneus figuram quidem habuit serpentium, à quibus erant læsi; sed non habuit venenum: sic Christus habuit figuram primi Adami; sed non habuit peccatum. Præcipue vero similitudo in eo consistit: quod sicut, qui corporis oculis adspicerent serpentem in perticam levatum, liberabantur à morte temporali: sic qui oculis fidei intuentur Christum elevatum in lignum crucis, hi liberantur à morte æterna.

CAP. VIII.

De iis, quæ Christo fecere alii, dum in cruce pendens vixit.

1. §. *AB iis, quæ ad crucifixionis tempus, & formam crucis, pertinent, venio ad illa, quæ contigere, donec de cruce deponeretur. Horum alia mortem antecedunt, alia consequuntur.*
Quæ precedunt mortem, triplicia sunt. Alia alii fecere Christo: alia dicta sunt à Christo. Alia à Deo facta sunt ad glorificandum Christum.
Quæ Christo fecere, partim ab inimico plane animo sunt profecta: partim aliquid habent humanitatis.
Ad prim pertinet quadruplex ignominia. Primum, quod à latere ejus duo sunt latrones crucifixi. Deinde quod titulus sit adscriptus cruci, quasi foret læsæ majestatis reus. Adhæc quod eo in cruce nudo, & inspectante, vestes sint divisæ. Tandem, quod Judæi ac gentiles irriserint & subsannarint crucifixum.

Tria priora eodem ordine commemorat Euangelista Ioannes. Et videtur is maxime consentaneus naturæ. Quare huic potius, quam illi aliorum Euangelistarum insistam: eo magis, quia postremus scripserit Ioannes.

2. §. *De primo ignominiæ genere sic Euangelista:* Crucifixi sunt cum eo duo latrones. *Quomodo, ut Marcus* a *ait, impletum, quod ait* a Marc.
Iesaias cap. LIII. 12: Cum iniquis reputa- 15. 28.
tus est.

Imo in medio eorum est crucifixus: quasi aliis duobus magis facinorosus. Atque hac ipsa de caussa vulgo existimant, sublimius aliis pependisse. Ac sic pinxere Albertus Durerus, pluresque alii non parvi nominis. Sed de iis, quæ de suo historiæ sacræ addiderunt, magnam partem verum est illud Lucilianum,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

3. §. *De altero narrat Scriptura, Pilatum in tabella capiti affixa scribi jussisse caussam hanc supplicii quod regnum affectasset apud Iudæos.*

Ioannes XIX. 19: Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. *Scripsit & titulum Pilatus, & posuit super crucem.* Condemnationis titulum intellige. Præter quem & alii erant multi. In his, sepulchri. Unde Iuvenalis:

—— titulo res digna sepulchri.

Ubi lapidis inscriptio intelligenda.

4. §. *Titulus vero erat, ut integre eum refert Ioannes, qui postremus Euangelistarum scripsit;* Jesus Nazarenus rex Judæorum.

Fuſe diſſerit Cajetanus, cur hoc crimen potiſſimum adſcripſerit Pilatus, cum pluria fuerint, quorum accuſatetur. Vide eum Ientaculi primi quæſtione quarta. Sane hoc pacto egregie ſe ultus eſt de Iudæis. Negabant illi, poſſe eſſe Cæſaris amicum, niſi eum, qui regem ſe diceret, pœna crucis afficeret, quæ ſeditioſos maneret. Paruit ille: atque ita ſatis oſtendit, Cæſaris ſe gratiam cupere. Sed dum ſcribi jubet, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*; non, (ut maluiſſent proceres Iudæorum) qui ſe regem diceret Iudæorum: exprobravit iis ſtultitiam, quod regem exſpectarent, & quando haberent, voluiſſent eum cruci affigi.

5. §. *Tribus linguis adſcriptus fuit titulus: Hebraa, quia hac uterentur, ubi ſumtum ſupplicium: Graca, quia hac maxime familiaris eſſet Orienti, ex quo Alexander Magnus eum ſubegiſſet, & Seleucidæ, ſive Syremacedones, imperium illic tenuiſſent, ut Ptolomai in Ægypto. Latina autem, quia Judaa & Syria reliqua in Romanorum foret poteſtate, ex quo Tigranem vicerat Pompeius.*

Eo igitur tribus hiſce linguis ſcriptus fuit titulus, quia nemo Hieroſolymis foret, quin aliquam è tribus hiſce linguis noſſet. Ut nihil ſit opus eo recurri, quod in tribus linguis cernamus non contemnendum Trinitatis myſterium. Quod placuit, inter alios, Iacobo Ledeſimæ, libro de divinis Scripturis quavis lingua non legendis, cap. III *a*.

a Pag. 19. edit. Colon. 1597.

6. §. *Ac Lucas quidem hoc ordine linguas recenſet, Graca, Latina, Hebraa: Joannes illo, Hebraa, Graca, Latina.*

Arripiunt hunc Joannis ordinem Baronius, Gretzerus, alii, ac Latinam linguam extremo aiunt loco collocari, quia locus extimus foret honoratiſſimus. In quo immane quantum eos ratio fugit. Baronius tamen hoc evincere conatur ex eo, quod in theatris, & amphitheatris, ima cavea Senatorum foret. Quaſi hoc alia de cauſſa fuerit, quam quia ſic proximi ſpectaculo forent, ac facilius cuncta cernerent. Idem Baronius pro ſe adfert, quod in pompa triumphali præmitterentur aurum, & alia hujuſmodi: poſtea vero dux ſubactus, & inde imperator conſequeretur. At hoc factum, ut ſic voluptas creſceret ſpectaculo. Quod non fuiſſet, ſi initio præiſſent victi duces, & imperator. Imo ne in eo quidem ſatis rem explicat, cum Imperatorem ait poſtremum fuiſſe. Nec enim in fine is, ſed medio pompæ erat. Quippe ſequebantur Imperatorem amici, ac ſenatores, poſteaque legiones. Nihilo ſolidius eſt, quando poſtremum ait fuiſſe locum conſularem. Cujus cauſſam vide apud Plutarchum in Problematis. Nihil profecto certius, quàm Romanis, duo ſi forent, honoratiorem fuiſſe locum priorem; ſi tres, medium. Quare longe aliter ſtatuendum de ordine linguarum, quam Baronius putavit.

7. §. *Nempe Joannes retinet ordinem eum, quo lingua iſta in Judaa fuere uſurpata. Nam Judaorum ſermo vernaculus erat Hebraus; à Gracis victi, Gracam; à Romanis ſubacti, Romanam didicere.*

Proque eo ordine etiam ſe habet harum trium linguarum antiquitas. Latina enim profluxit è Græca, Arcadum imprimis, qui Dorice locuti. Græca autem promanavit à Phœnicia, ſive Syra, quæ dialecto ſolum ab Hebræa differebat.

8. § *At Lucas attendit ordinem Pilati, vel miniſtrorum: qui primum locum genti dedere, qua prius viciſſet Iudaos; ſecundum autem, qua ſecundo ſubegiſſet; poſtremum vero genti bis ſubacta.*

Et profecto quid æquius, quam ut poſtremum ſortiretur locum gens, quæ prius paruiſſet Græcis, nunc vero ſubjecta eſſet Romanis. Quod vero Græcam præmiſere Romanæ, licet & Græci Romanis parent, id inde eſt, quod Iudæorum haberetur ratio, qui prius ab Alexandro M., poſtea à Pompeio M. eſſent victi. Accedit, quod Græca lingua multo latius pateret, quam Romana, ac iſtis terris Græce prope omnes ſcirent. Latine non item.

Cui hæ cauſſæ non placent, dicat, eo diverſo ordine uſos Euangeliſtas, quia de ordine non laborarent, ſed ſufficeret iis, dicere de tribus linguis, quæ tum in uſu eſſent: ac, neglectu ordinis, oſtendiſſent, neque nos de ordine curioſos eſſe oportere.

9 §. *Tertium ignominia genus eſt, quod, Chriſto prorſum nudo in cruce relicto, eodem vivente, ac vidente, diviſere ejus veſtes in partes quaternas: ac ſortem ſuper eas miſerunt, ut hac arbitra quiſque ſuam haberet portionem. Sic, teſte Euangeliſta Ioanne* a, *impletum eſt utrumque eorum, qua legimus Pſal.* XXI b. 19: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

a Cap. 19. verſ. 24. b. Al. 22.

Habes etiam in quibuſdam codd. Matth. XXVII. 35. Sed in vetuſtiſſimis Græcis non reperit Beza. Nec habet Syriaca Immanuelis Tremellii. Habet tamen illa Guidonis Fabricii. Habet & Arabs. Non legit Origenes. Editio Sixti Papæ V non habet. Addidit in ea, quam recognovit Clemens VIII. Plane eo inclino, ut ex Ioanne ſit adjectum. Sixtinus tamen Amama *c* putabat, rectius addidiſſe Clementem Matthæo, quam Sixtum omiſiſſe.

c Antibarbari Biblici lib. I. cap. 10. ſect. I.

10. §. *In quatuor autem partes diſtribuerunt, quia veſtes Judaorum habuere partes quatuor.*

Unde Deuter. XXII. jubetur, ut fimbrias aſſuant quaternis palliorum angulis. Et credibile eſt, quaternos fuiſſe milites, quorum opera crucifixus ſit Chriſtus: ut ſic unicuique ſua foret portio.

11. §. *Sed præter veſtes eas, ſic diſſectas, fuit tunica* ἄῤῥαφος d, *h.e. texta è ſuperiori parte uſque ad ima, ac nuſpiam conſuta. De qua dixere milites:* Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit.

d Inconſutilis.

Quæſtio eſt, qualis fuerit tunica Chriſti, quæ ἄῤῥαφος *e* dicitur in Scripturis. Variæ de eo ſententiæ ſunt. Mihi optime videtur hanc rem explicaſſe Salmaſius Notis in Vopiſcum *f*: ubi docet, tunicarum, id eſt, χιτώνων, alias fuiſſe σχιστὰς ſive ῥαπτὰς, vel συμφορητὰς, h. e. ſciſſiles ſive ſutiles, ſive fibulatas: alias ἀῤῥάφους, ſive inconſutiles priores utrimque in humeris fibula conſtringebantur: poſteriores vero una ex parte fibulis jungebantur; ex altera vero parte erant non concluſæ. Sic noſtræ, ut vocant, camiſiæ, utrimque ſunt ῥαπτοὶ, conſutæ, ſive concluſæ, ac tectæ: ſed pallia ab una parte ſunt σχιστὰ ſive ῥαπτὰ, parteſque fibula conjunguntur. Ἄῤῥαφον igitur, quod non habet ῥαφὴν, ſeu ῥαφίδα, h. e. περόνην, ſive fibulam. Sed hanc rem idem doctiſſimus, & ſummus vir, fuſius ſe perſequi velle ait in Opere de re veſtiaria. Tunicam hancce Chriſti, à matre fuiſſe contextam, traditum eſt ab Euthymio. Ut admodum precioſam extollit Nonnus in paraphraſi Ioannis cap. XIX, ubi vocat αἰγλήεντα χιτῶνα *ſplendentem tunicam*. Ejuſdem eſt:

Οἴνοπα μὴ σχίζωμεν ἀδηλήτῳ τόδε χιτῶνα
Θέσκελον ἀμφιέστου τύχεν, ξεῖνον.

e Inconſutilis.

f Pag. 402.

Ne

Ne rubram hanc veri coloris tunicam dissecemus,
Habentem formam divinam, & peregrinam.

At aliter Isidorus Pelusiota lib. I. epist. LXXIV, ubi sic scribit: Τίς δὲ ἀγνοεῖ τὴν εὐτέλειαν τῆς ἐσθῆτος ἐκείνης, ἥπερ οἱ πτωχοὶ κέχρηνται τῶν Γαλιλαίων; *Quis ignorat vestis illius vilitatem, qua pauperes Galilaeorum utuntur?*

12. §. *Quarta est ignominia, quod Iudaei ac gentiles irriserint, & subsannarint Christum.*

Id etiam sonti facere sit inhumanum: quanto magis insonti?

13. § *Derisores isti fuere quadruplices. Ac primo dicuntur, sannis, & conviciis excepisse praetereuntes: ut qui capita quassarint, dicentes*, Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illud reaedificas! salva te ipsum, descendens de cruce. Si filius Dei es, descende de cruce.

Quasi se filium Dei declarare debuerit descendendo de cruce, & non potius manendo in ea donec moreretur, & postea resurgendo è sepulchro. Quomodo impleturus erat illud Oseae XIII: *Ero mors tua, ô mors.*

14. §. *Alterum irrisorum genus fuere principes sacerdotes cum scribis & senioribus. Quorum talis sermo:* Alios salvos fecit: se ipsum non potest salvum facere.

Bella oratio! Scilicet credituri erant de cruce descendenti, qui credere noluerunt à morte resurgenti: quod longe erat majus.

15. §. *Addidere etiam:* Confidit in Deo: liberet nunc eum, si diligit eum: dixit enim, Filius Dei sum.

Impie profecto, atque etiam stulte: cum non potuerint ignorare, Deum prophetas, & tot sanctos homines, qui in numine reposuissent suam fiduciam, non tamen semper eos praesentibus eripuisse periculis.

16. §. *Tertium genus irridentium fuere milites, qui spectantes titulum dicebant*, Si tu es rex Judaeorum, salvum te fac.

Utrum ab his etiam sitienti in cruce oblatum fuerit acetum, postea melius dicetur.

17. §. *Quartum genus est latronum, qui una erant crucifixi. Hi dixere*, Si tu es Christus, salvum fac te ipsum, & nos. *Sic Matthaeus, & Marcus. Sed Lucas de uno id dicit: alterum enim rogasse, ut sui vellet esse memor, cum venisset in regnum. Quae veteres sic conciliant, ut prius ambo sint convitiati: postea alter resipuerit.*

Ita Origenes tractat. XXXV in Matth. Athanasius serm. de Passione & Cruce Domini, Ambrosius lib. X. in Lucam, Hieronymus in cap. XXVII. Matth. Chrysostomus homil. XXI ad Rom. in mor. & homil. LXXXVIII in Matth. Prosper contra Cassianum cap. XIV, Titus Bostrensis in Luc. cap. XXXIII: item Theophylactus, Euthymius, alii.

18. §. *Fortasse tamen simplicius dixeris, cum Evangelista in plurativo latrones aiunt, unum è latronibus intelligi.*

De quo loquendi genere, Scripturis familiari, pluribus dixi lib. IV. orat. Institut. cap. VIII. sect. X.

19 § *Utcumque hoc est, latronum ille, qui pendebat à dextra, alterum increpuit: Tune, inquam, qui in eadem es damnatione, ac brevi Deo omnium rationem reddes, necdum Deum times? Nos juste damnati dignas subimus poenas: hic vero quid commisit? Deinde (miram fidem!) eum, quem, ut maleficum, ac mox moriturum, videbat in cruce pendentem, moriturus & ipse,* Dominum *vocat, atque addit*, Memento mei, cum veneris in regnum tuum.

Non videtur ulla oratio adeo brevis tam multa complecti, quam latronis pauca verba. Poenitentiam videmus, & contritionem, quam vocant, tralatione petita à rerum durissimarum imminutione in particulas minutissimas. Nec corde solum dolet, sed ore etiam peccata sua confitetur, atque ita sarcinam eorum à se abjicit. Confitetur autem sponte, ac libere, coram infinita multitudine eorum, qui tempore paschali solent congregari Hierosolymis. Solent hi esse circiter quadragesies centena & quinquaginga virorum millia: ut ex Flavio Josepho *a* computant Joannes Boudinius *b*, & Theophilus Reinaudus *c*. Praeterea ex caritate socium blasphemantem increpat. Idem, non de praesenti supplicio, sed vita futura sollicitus, orat, non mundanam salutem, ut à rege terreno: sed caelestem. Atque orat, non ut Salome pro liberis suis, praefiniendo quid fieri velit, nempe ut filiorum uni à dextris sedere det, alteri à sinistris: sed modeste solum poscit, ut sui meminisse velit; caetera Christo committit. Addit, *Cum veneris in regnum tuum.* Pendentem videbat: & à morte verbo & spiritu suo regnaturum sperabat. Quousque neque tum pertigerant Apostoli, cum temporale Messiae regnum somniarent.

a Lib. 7. belli Judaici cap. 17.
b Lib. de Christi charitate, & gloria.
c De Metamorphosi Latronis cap. 9. pag. 408. & 409.

Quae longe maxima cum cogito, non repugno, siquis cum nonnullis arbitretur, latronem, pro zelo, quo fervebat, etiam circumstantes commonuisse sui muneris, multaque dixisse, quae reticuerint Evangelistae.

20. §. *Videtur autem latro eo usque animo adscendisse, tum miraculorum fama, tum mansuetudine Christi, fortitudine atque innocentia, quae ex actibus Christi in Cruce ipsa relucebant. Nec tamen hic sistendum: cum primas obtineat gratia Christi interior, quia subitus ille afflatus à divina tractatione fuit.*

Quod & Leonis Magni judicium est serm. II de passione. At non audiendus Cassianus, cum, Collatione XIII cap. XI, ait, *Zachaeum, & latronem desiderio suo vim quandam regnis caelestibus inferentes specialia vocationis monita praevenisse.* Quem errorem refellit Prosper adversum Collatorem cap. XIV, item Concilium Arausicanum II, quod definit in his verbis: *Unde manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum.* Fusius de hac gratiae praevenientis necessitate egimus Historiae Pelagianae lib. III. part. II. Quid vero responderit Christus latroni pio, postea commodius dicetur.

Puto autem, satius esse, ut in principali hac conversionis caussa subsistamus, quam ut conjectura curiosa, multumque incerta, imo, ut puto, falsa, conversionis instrumentalem caussam esse dicamus, quod Christi pendentis umbra in latronem inciderit. Christum enim aiunt pependisse vultu versus Occidentem verso; de quo supra abunde diximus. Inde autem consequitur, hora sexta, sive meri-

meridie, quando Iesus est crucifixus, Solem habuisse à sinistra, ac proinde umbram brachii Christi incidisse in latronem, qui a dextra Christi erat. At si Petri umbra ægrotis fuit salutaris; non quidem vi naturali, quandoquidem inumbratio non est actus corporis nisi negativus; sed morali, vi divina se exserente nonnisi ubi vellet: quanto, inquiunt, major vis fuerit umbræ Christi, qui non corporibus modo, sed animæ pariter mederi solet! Proinde ita colligunt, hujus umbræ vi conversum fuisse latronem à dextra Christi pendentem, sive Septentrionem versus, sicut alter latro pendebat versus austrum, ut ille non potuerit à brachio Christi inumbrari. Hanc caussam commemorat, nec improbat, Vincentius Ferrerius Valentinus, monachus Ordinis prædicatorum, qui anno excessit CIƆ CCCCXVIII, atque à Callisto III. in sanctorum est numerum relatus. Vide eum concione in parasceuen, & in serm. IV majoris hebdomadis. Præivit vero toto seculo Iacobus de Voragine sive Varagine, Serm. III de Innocentibus. Ambigo autem, an ipso meridie umbra Christi potuerit attingere latronem non minus sublimem: saltem id non nisi de inferiori corporis parte fuerit verisimile. Et quomodo inumbrari potuerit corpus latronis, si ab hora sexta, usque ad nonam, tenebræ fuerint? ut est apud B. Ioannem. Vellem ad ista, quibus alia mens, magis attendissent.

Quodsi quis subitæ hujusmodi conversionis ac in latrone videmus exemplum exposcat, illustre habemus in B. Paulo. Multaque alia, sed disparis autoritatis, adducit Theophilus Reinaudus in Latronis Metamorphosi cap. IV. *a*. Qui & cap. seq. fuse disserit, utrum conversio istiusmodi necessaria, an libera, dici debeat.

a P. 140 & aliquammultis sequentibus.

Sanctus hic latro, cui quæ facta sit promissio, postea dicetur, *Dimas* appellatur a nonnullis: quorum, ut puto, antiquissimus Gaufridus Vindocinensis *b*: eoque plane puto, id nomen esse haustum ex apocryphis libris. Quædam tamen sacella cum hoc nomine huic Sancto latroni fuisse erecta, apud Baronium legas in Martyrologio Romano ad VIII. Kal. April. Sed in ipso Martyrologio nomen præteritur. Sic enim istic legas: *Ierosolymis commemoratio sancti Latronis, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in paradiso.* Sed neque in Martyrologiis suis nomen expressere Beda, Ado, Usuardus. In nonnullis etiam libris, sed fere obscuris scriptoribus, nuncupatur *Dismas*: imo & *Gismas*, *Oesma*, *Gesta*: sive id factum sit errore librarii, sive quod, pro variis terris, varie id nomen corruperint: ut in incertis fieri solet. Imo in Collectaneis seu Floribus, Venerabili Bedæ, non sine nominis ejus injuria, adscriptis, bono latroni *Matha*, improbo *Ioca* nomen fuisse dicitur. Cujusmodi commentis piget immorari. Nec Chrysostomo *c* adsenserim, existimanti, hunc latronem fuisse hominem gentilem. Potius Iudæum censeo: quo & Euthymius inclinat, propterea quod crederet Christum esse promissum Messiam. Nam unde alioqui ea gentili foret notitia? Ne illud quidem pro certo admisero, quod Chrysostomus *d*, Eulogius *e*, Cosmas Hierosolymitanus *f*, putant, eum solitum noctu insidias struere, ac multis fuisse homicidiis infamem. Quod item ab annis amplius XXX latrocinatus dicitur: imo Iesum intercepisse in via, cum Maria & Iosephus cum puero fugerent in Ægyptum. Hisce fabulis occasionem præbuit, quod Scripturis dicatur λῃστής: quasi non ea vox habere locum possit, si zelo nimio in seditione commiserit homicidium. Quo inclinat Innocentius III *g*, & Idiota *h*. Potuit igitur non modo prima ætate esse religione Iudaica imbutus, sed etiam in provecta diu bene vitam composuisse, sed ob unum insigne facinus addici cruci.

b In fine Sermonis decimi.
c Tom. 2 edit. Græcolat. serm. 7. addititio in Genesin.
d Homil. 55. in Genes.
e In Apologet.
f In canone de exaltatione Crucis od. 7.
g Serm. 1. de Convers. S. Paulli.
h Contemplatione de conflictu, orna. & animis, cap 4 num. 2.

21. §. *Ab latrone nunc venio ad aliam adstantium actionem: quam Matthæus, & Marcus, contigisse memorant paullo antequam Christus exspiraret. Cum enim is clamasset,* Eli, Eli, *putarunt aliqui, invocasse Eliam.*

Quales non fuere milites Romani; hi enim non norant Eliam: neque Iudæi Palæstini; hi sciebant, *Eli* significare *Deus mi*: sed Græci religione Iudæi: qui, linguæ Hebrææ, ac Chaldææ ignari, de Elia tamen norant ex LXX interpretibus.

22. §. *Mox etiam Christo clamante, se sitire, unus accurrit, spongiamque aceto immersam calamo circumvolvit: ut eo in sublime elevato inde Christus liquorem exsugeret.*

Sed verba tum pronunciata non similiter referunt Matthæus, & Marcus. Apud Matthæum est: Οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον, Ἄφες, ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλίας σώσων αὐτόν. *Reliqui vero dicebant, Sine, videamus, an veniat Elias servatum eum.* Hæc videntur ab adstantibus dici ei, qui potum dabat. At apud Marcum est de eo qui daret bibere, Ἐπότιζεν αὐτόν, λέγων, Ἄφετε· ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλίας καθελεῖν αὐτόν. *Dedit ei potum, dicens, Sinite; videamus, an veniat Elias ad eum detrahendum.* Hæc pugnare judicat Iansenius Concordiæ Euangelicæ cap. CXLIII. Eoque Marcum censet eodem modo scripsisse, ac Matthæum: sed librarium quempiam omisisse, Οἱ δὲ λοιποί: tum alium pro ἔλεγον reposuisse λέγων; & ex ἄφες, fecisse ἄφετε. Sed nihil est, cur putemus, locum esse depravatum. Nam & qui potum dabat, & qui non darent, pariter dixere, *videamus an Elias sit venturus.* Illud *sine*, vel *sinite*, non poscit aliquid permitti, puta, ut potus detur vel negetur, sed propemodum redundat, ut cum dicimus *age*, vel *agete*.

23. §. *Quod vero acetum ei datum, id non tam fecisse, ut illuderent, vel ut celerius obiret, quam ut refocillarent.*

Alia tamen mens Iansenio: qui in Harmonia sua tradit, acetum eo datum, quia id haustum mortem acceleret vulneratis: atque id velle Hieronymum, cum præbitum ait, ut eum *consopiant*: atque hoc inde etiam posse colligi, quod M. Antonio Triumviro, ut ex vulnere, quod sibi inflixerat, citius moreretur, datum fuerit acetum: ut narrat Plutarchus in ejus vita. Verum hæc sententia eo refellitur, quod datum hoc ab iis, qui videre volebant, utrum Elias illi esset opem laturus. Voluere igitur eum aceto reficere, quo vita prorogaretur, donec Elias adventaret. Sane aceto, si deficientibus præbeatur, vim esse refocillandi, & veteres medici prodidere, & usus quotidianus ostendit. Et quia hæc sunt acta apud cohortem Romanam: quid si acetum sit datum more Romano? Pro quo facit, quod in castris Romanis potus erat posca: hoc est, aqua aceto permixta. Sane & Cato Censorius, ut de eo Plutarchus testatur, aquam in militia bibebat, vel in acri siti & calore acetum: villum exiguum nonnisi viribus deficiens sumebat. De Hadriano ita Spartianus: *Cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens: hoc est, larido, caseo, & posca.* Atque idem in Pescennio: *Iussit vinum in expeditione neminem bibere: sed aceto universos esse contentos.* Videmus inde, ut ducibus ipsis sufficere acetum putarit. Vulcatii quoque est in Avidio: *Præter laridum, atque acetum, militem in expeditione quicquam portare prohibuit.* Quod igitur acetum est datum Christo, non tam ad ignominiam ejus factum, quam humanitate qualiquali. Quippe, ut vidimus, more castrensi, honestiores etiam contenti fuere aceto, sive ea, quam generali nomine *poscam* dixere, à πῶ, sive *poto*, ut ab ἔδω, vel *edo*, *esca*. Domi interim nonnisi pauperum potus erat. Itaque Plautus Mil. Glor. Act. III opponit vinum, unde facile agentes se inebriant; & poscam, qua alii sitim coguntur explere.

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.

Vide & de posca Hieronymum Mercurialem lib. III. Var. Lect. cap. XXII. Et refert Ioannes *a*, vas fuisse aceti ad manum.

a Cap. 19. vers. 29.

manum. Quod appositum sine dubio, quia mos foret (credo Romanus) dare acetum in cruce morituris.

24 §. *Sed videtur hic non levis esse inter Euangelistas dissensus. Apud Matthæum* XXVII 48. *&* *Marcum* XV. 36 *leguntur hæc verba :* περιθεὶς καλάμῳ ἐπότιζεν αὐτόν. *At pro eo Ioannes* XIX. 29. *ait,* ὑσσώπῳ περιθέντες. *Quæritur igitur, si ὑσσώπῳ fuerit spongia circumvoluta, quomodo fuerit circumligata calamo; vel si calamo, quomodo hyssopo? Ac videtur hic nonnullis tam aperta pugna, ut locum existiment corruptum. Interea hi ipsi diversimode corrigere laborant. Sunt, qui apud Ioannem pro* ὑσσώπῳ περιθέντες *legendum putent* ὑσσῷ περιπεριθέντες *: ut sententia sit, spongiam fuisse circumvolutam hasta vel pilo, Romana militia telo.*

Fuit hæc conjectura maximi viri Joachimi Camerarii, Notis in Joannis cap. XIX. Ὑσσὸν interpretatur *pilum*: quod jaculi genus; uti & hasta erat veliatis; non item hasta illa, unde hastatorum ordini nomen. Hac enim cominus pugnabatur. A pilo, telo missili, *pilata* dicuntur *legiones*, & Festo *populus pilumnus*, pro Romano. Similiter ὑσσὸν exponit tum Casaubonus, Polybii interpres, tum ejus enarrator Lipsius, libris de Militia Romana. Sed maximi Salmasii *a* sententia est, ὑσσὸν esse Latinorum *hastam*; *pilum* vero ab iis δόρυ nuncupari. Atque hoc se plenius demonstraturum promittit commentario de Militia Romana. a Epistola de Cruce pag 298.

25. §. *Hac sententia eo corruit, quod & pilum, & hasta, Romanis semper fuerit è ligno, ferroque: calami autem, vel arundinis vox, quando in telis numeratur, solum conveniant telis ex arundine factis; sive ha sagitta forent, sive etiam jacula, sive hasta.*

Sagittarum ex calamo sive arundine sæpius mentio est apud poëtas. Sic Maro VII Æn. de Ascanio feriente cervum:

—— *Perque ilia venit arundo.*

Idem Ecl. III:

—— *cum Daphnidis arcum*
Fregisti, & calamos.

Ovid. VIII. Met.

Impositis calamis patulos sinuaverat arcus.

Arabibus etiam eadem vox KANA, & *cannam*, & *hastam* significat. Nimirum per metonymiam materiæ. Quæ ratio in pilo Romano, vel eorum hasta, non habet locum. Itaque nusquam de hasta Romana, vel pilo, κάλαμος usurpatur.

26. § *Atque his etiam refellitur eorum opinio, qui pro* ὑσσώπῳ *legunt* ὑσσωτῷ.

Ut nempe ex litera π una solum lineola, seu vetustate, seu aliter, perierit. Adde quod licet à λόγχη, λογχωτὸς apud Suidam legas ex epigrammate, ab ὑσσὸς tamen nusquam invenias ὑσσωτός. Neque ὑσσωτὸς idem fuerit ac ὑσσός, uti nec λογχωτὸς idem quod λόγχη. Nemo sic veterum locutus. Sed λογχωτὸς iis, hasta habens è ferro cuspidem, ut opponatur *hastæ puræ*. Nam λόγχη proprie cuspis τοῦ δόρατος, teste Julio Polluce lib. x. cap. XXX.

27. §. *Alii pro* ὑσσώπῳ *legunt* οἰσύπῳ.

Οἴσυπος ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος : si recte interpretatur Hesychius. Sed vox argumento est, sic dici, quasi ὄϊος ῥύπος. Ut non tam designet sordes in caprarum pilis, quam ovium. unde Ovidius:

Oesypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis?
Demtus ab immunda vellere succus ovis.

Et Plinius lib. XXIX. cap. II. ait, *Oesypo in Atticis ovibus genito palma.* Firmari autem eo hæc sententia videtur, quod sæpius apud auctores optimos librariorum culpa pro οἴσυπος legatur ὕσυπος, vel ὕσσωπος. Nec id modo Græcos, ut Galenum lib. II. de med. fac. sed etiam Celsum lib. v. cap. XIX: imo & Plinium, de quo monuit Hermolaus Barbarus ad ejus lib. XXIX. cap. VI. Etiam Arabes Medici, quia apud Græcos scriptores crebro reperirent ὕσσωπος esse conversum in οἴσυπος, somniarunt, duplicem esse hyssopum, siccam, & humidam : ac per siccam quidem intellexere verum hyssopum : per humidam autem, οἴσυπον.

28. §. *Sed œsypo nullus hic est locus. Vulneribus quidem medebatur, iis impositus : sed succida lana illa, vel eius sordes, nihil ad sitim restingnendam, vel spiritus revocandos, poterant conferre.*

Imo ori admotæ potius nauseam creassent. Nec uspiam de more ejusmodi lectum. Imo vix aliud æque rationi est adversum.

29. §. *Præterea &* ὑσσὸν, *vel* ὑσσωτὸν, *vel* οἴσυπον *corrigentibus valde obstant omnes codices Græci: omnes item qui e Græco vertere : uti interpres Latinus, Syrus, Arabs, Ægyptius : qui omnes* canna *habent, sive* arundo.

Nec aliter commentatores veteres omnium ætatum. Persica etiam Xavieri historia summitatem cannæ sive arundinis reddidit.

30. §. *Sic igitur colligimus; cum nunquam facile aliquis error debeat in sacris codd. agnosci : tamen minime heic istis modis emendari oportere. Nunc videamus, quomodo conciliare possint Euangelista, si nihil mutemus. Est vero triplex ratio. Primus est modus, si cum Origene statuamus, per* calamum, & hyssopum, *idem signari : videlicet fruticem hyssopi, qui & thyrso sive caule constat. Nempe is thyrsus quidem utilis fuerit ad altius sublevandam spongiam, quo facilius contingere os Christi possent : at folia profuerint ad hoc, ut odore eorum recrearetur Christus.*

Hanc sententiam juvat, quod eodem verbo utantur Euangelistæ. Nam ut Matthæus, & Marcus, aiunt, καλάμῳ περιθεὶς, ita Joannes ὑσσώπῳ περιθέντες. Ut idem videatur per κάλαμον & ὕσσωπον denotari. Quod si est, totum hyssopi fruticem intelligere oportet : videlicet caulem sive thyrsum cum foliis: folia quidem, ut odore reficerent : caulem vero, ut sustentaret spongiam, & eadem præstaret, ut facilius, manu in altum porrecta, spongia admoveretur ori Christi. Nam, ut diximus, non ultra tres, quatuorve pedes, cruciarius elevabatur à terra : ut suffecerint hæc duo, si manus in altum elevaretur, & contineret bipedalis hyssopi thyrsum.

Ad folia hyssopi quod attinet, audiri non debet Theophylactus, quando arbitratur, additam fuisse hyssopum, ὡς θανατηφόρον, *tanquam letale aliquid, ac mortiferum.* Plane enim est ἀλεξιτήριον, cum vim habeat revocandi spiritus deficiscentes. Quo fine & acetum fuit, ut Nonnus *a* loquitur, ὑσσώπῳ κεκερασμένον, *hyssopo temperatum*: quomodo nunc buglossum (*borraginem* vocant officinæ) vino est mos indere. Nempe, uti πρὸς τὸ λειποθυμεῖν aliqui naribus admovere solent pulegium, & acetum; de quo auctores Galenus, & Trallianus : sic acetum & hyssopum dedere Christo, ne plane deficeret, priusquam adventaret Elias. a Joan. 19. 29.

31. §. Ad

31. § *Adversus hanc sententiam facere videtur, quod hyssopus sit exiguus frutex, ut caulis non potuerit ad hoc iuvare, quo facilius spongia ei imposita ad os pertingeret. Sed facile hic ictus exitur, si hyssopus in montibus Hierosolymitanis altius excreverit.*

Dioscoridi duplex est hyssopus, montana, & hortensis. Montana, ut Arabes tradunt, est frequens in montibus
a Epist. 1. de Cruce pag. 318. & 321. Hierosolymitanis. Et censet ὁ πάνυ Salmasius *a*, huic caulem fuisse & longiorem, & firmiorem, sic ut spongiam & facile sustineret, & longius exporrigeret. Quomodo amaraci, sive majoranæ caulis, ubi anniculus, ligneus fit, atque ad altitudinem duorum pedum exsurgit; cum alioqui in hortis sit caule & brevi, & infirmo. Interea assensum sufflaminat, quod *calamus* quidem κατ' ἐξοχὴν dicatur de calamo aromatico: nec Græcis modo, sed & Hebræis, quibus קנה sic sumitur Jesaiæ XLIII, 24, & Jerem. VI. 20: at nunquam restringatur ad culmum hyssopi. Adde quod non satis sit evidens, apud Judæos esse hyssopum δενδρώδη, sive arborescentem: concavum præterea, ut caulis ejus possit calamus nuncupari. De quo certiora proment, qui deinceps Judææ montana lustrabunt.

32. § *Nec si sententia hæc minus arrideat, eo pugnent Euangelistæ. Est enim & altera, tertiaque, conciliandi ratio. Ut si dicamus, alios, ut humanitatis officium præstarent, spongiam circumdedisse arundini, alios hyssopo. Vel si statuamus, quod magis placet, spongiam fuisse hyssopo, hyssopum calamo circumvolutam.*

Quod visum Toleto in Joannem, & Michaëli de Palacio, Theologo Granatensi. Et profecto, ut non pugnant, si unus dicat, Titium adfuisse, alter Mævium, quia uterque potuit adfuisse: ita nec contradictio est, si hic dicat, spongiam fuisse circumligatam calamo, alter hyssopo: quorum hyssopus in summitate esset calami: ima vero calami pars manu teneretur. Unde etiam Nonnus Joan. XIX. 29.

Γ'ξυτέιν καλάμοιο ... ἄκρον ἐρείσας
Ὤρεγεν ὑσσώπῳ κεκορυσμένον ὄξος ὀλέθρου.

Recta procedentis arundinis ad extremam summitatem figens
Porrexit hyssopo mixtum acetum exitii.

Eandem sententiam secutus est, inque Christo suo Patiente egregie expressit divinus vir, Hugo Grotius:

—— *Vase defusus latex*
Amarus avidos spongiæ laxat sinus,
Premit fluentem purus hyssopi viror.
Quem levat in altum dextera adstantis viri
Protenta arundo.

Porro hæc locum habent, sive per calamum intellexeris arundinem vulgarem; sive κατ' ἐξοχὴν malis κάλαμον εὐώδη, seu aromaticum: cujusmodi à Matthæo &
c In Notis ad Joan cap. 19. 29. Marco signati putabat ὁ μακαρίτης Ludovicus de Dieu *b*, vir probitate, & doctrina eximius. Quod firmari etiam videtur more illo Judæorum, quo (ut ex Rabbinis observatum clarissimo Theologo, & collegæ antehac in Leidensi Academia conjunctissimo, Constantino L'Empereur) ad lustrationem immundorum adspergebant hyssopo tres habente culmos, sive caules: ac, si breviores hi forent, eos ligno cuipiam alligabant. Similiter nempe illi, qui Christo dabant bibere, hyssopum cum spongia calamo alligarunt. Atque hæc dicta sunto de iis, qui Christo è spongia acetum dedere exsugendum.

Cap. IX.

De iis, quæ dixit Christus in cruce pendens. Deque ejus morte.

1. § *Accedo ad ea, quæ Christus dixit in cruce. Sunt ea septuplicia: alia oratio Christi orantis pro inimicis: alia paradisum promittentis latroni: alia matrem alloquentis, ac mox eam commendantis Joanni: alia conquerentis, se à Deo desertum: alia potum poscentis ab adstantibus, alia de consummatione omnium testantis: alia Deo commendantis spiritum suum.*

Prima igitur oratio erat, qua pro illis oravit, qui crucifigerent: caussa etiam addita, quia, quid facerent, nescirent. Nimirum neque norant, esse Filium Dei, quem affixissent cruci: neque notum iis, sic Deum procurare salutem generis humani.

Hac oratione satis ostendit Jesus, se esse perfectissimum patientiæ ac caritatis exemplar. Atque ita est impletum, quod est apud Jesaiam cap. LIII: *Et pro transgressoribus rogavit.* Etiam hoc veri est Pontificis, (ut inquit scriptor divinus epist. ad Hebræos cap. IX.) *orare pro populi sui ignorantia.* Ac nobis quoque exemplum præbuit; secundum illud Luc. VI: *Orate pro persequentibus vos.* Quomodo Stephanus, protomartyr, cum lapidibus impeteretur, in genua provolutus dixit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*: ut est Act. VII. Ac Jacobus etiam, frater Domini *a*, præceps datus de pinna templi, cruribus fractis, adhuc semivivus, manibus in cælum protensis, aiebat: *Domine, ignosce illis. Quid enim faciant, nesciunt.* Auctor B. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. a Alphæi filius, qui minor dictus, ad discrimen majoris, puta Zebedæi filii, ab Herode gladio occisi, ut est Act. XII. 2.

2. § *Altera Christi oratio ad latronem fuit à dextris pendentem; à quo rogatus erat, ut sui vellet meminisse, ubi in regnum pervenisset. Huic Christus respondit,* Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. *Ubi quatuor in considerationem veniunt. Primum, quid sit* Amen. *Deinde quinam verbo* hodie *conjungatur. Exinde quod dicat, secum fore. Denique quid per paradisum intelligatur.* AMEN *plurimum adverbii significationem habet, ut sit idem ac* vere: *nunc verbi, ut significet* fiat: *nunc nominis, ut valeat* verus. *Hic primo sumitur modo.*

Ἀμὴν אמן est ab radice אמן *aman*, verax, ac fidelis fuit. Adverbii modo summum exponitur *vere, certo*, ἀληθῶς, πεπιστευμένως. Et sic accipi solet in N. T. Sunt qui jurandi particulam dicant. Sed parum est verisimile, hoc si esset, toties ea fuisse usurum Christum, qui crebris juramentis interdixit nobis. Mollius igitur Augustinus tract. XLI. ait, esse quasi juramentum. Nempe ea utitur Scriptura, ut vehementius affirmet. Ac interdum est simplex, interdum geminatum. Nec tamen hic mysterium quærendum, cum Joannes sæpe geminet, ubi simplex est apud Euangelistarum alios.

Quando verbi optantis vim habet, à LXX exponitur γένοιτο, *fiat, ratum esto, ac fixum.* Ac sic sumitur 1 Cor. XIV. 16: ubi negat, idiotam, non intelligentem, quid dicatur, posse dicere *amen*: qua voce in veteri Ecclesia populus obsignabat precationem sacerdotis.

Præterea *amen* vim habet nominis: ut Apocalypsios cap. III. 14: Τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, καὶ ἀληθινός. *Hæc dicit ille Amen, testis fidelis, & verax.* Ubi ἀμὴν esse nomen, ex articulo addito recte collegere Ticonius, & Primasius. Quod addo, quia pauci hujus tertiæ significationis meminerunt: imo plerique solius secundæ

dæ faciunt mentionem : in his etiam Angelus Caninius lib. de locis N. T. cap. v.

3. §. Hodie *cum verbo* eris, *non cum* dico, *cohaeret; ut quidam cavillantur, qui sic distinguunt,* Amen dico tibi hodie. *Quorsum enim diceret Christus, se eo die loqui? Sententia igitur Christi est, non se diu velle differre id, quod poposcerat latro; nempe ut sui meminisse vellet, cum in regnum suum veniret: sed eopse die postulatum ejus impleturum.*

Aliter tamen, Theophylacto teste, visum Græcis quibusdam; nempe ne cogerentur fateri, quemquam in paradisum recipi ante universalem resurrectionem. Sed istiusmodi distinctionem ut hæreticam detestatur Moyses abbas apud Cassianum Collat. I. ca. XIV. Alios etiam huic errori implicitos adducit Turrianus in defensione Constitut. lib. V. cap. XIII.

4. §. *Magnam etiam vim habet, quod Christus ait,* Mecum eris : *juxta illud apud Ioannem: cap.* XVII: Volo, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. *Significat igitur, qui nunc particeps esset supplicii, fore deinceps participem gloriæ.*

Bernardus tractatu in illud, *Ego sum vitis: Mira,* inquit, *benignitas: non dixit simpliciter, Eris in paradiso, vel, cum angelis eris; sed mecum eris. Satiaberis eo, quem desideras: Videbis in majestate, quem confiteris positum in infirmitate. Nec differo, quod promitto, quia hodie mecum eris.* Sane magnæ erat gloriæ, ingredi paradisum: sed majoris, ingredi cum Domino, ut annotat Chrysostomus homil. in Parasc.

5. §. *Paradisi nomine à Christo intelligitur non hortus à Deo in Eden plantatus, sed locus beatarum animarum.*

Hebræis פרדס *pardes* notat hortum amænissimum arboribus fructiferis consitum : ut Eccles. II. Ab Ebræis accepere Persæ : a Persis Græci, quibus vocatur παράδεισος : ut apud Xenophontem. Cum vero natura sua vox sit generalis, sumi in Scripturis solet de horto, in quo collocati fuere primi parentes. Atque hic etiam sic accipiunt varii è patribus Græcis: item Moses Bar-Cephas, libro de Paradiso. Sed plane est verisimile, terrestrem illum paradisum diluvio universali, & fortasse ante etiam, fuisse abolitum. Quare statuendum, loqui Christum de bonis illis, quæ, ut ait Paulus, *oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non adscenderunt.* Atqui, ut argumentatur Chrysostomus in Genesin, terrestrem paradisum vidit Adam oculis, audivere aures, cor ejus excepit : unde colligit, non regnum paradisi, sed regnum cælorum intelligi.

6. §. *Ex eo autem, quod Christus latroni promittat paradisum, quæstio exorta est, quomodo hoc conveniat cum eo, quod Christus Ioan.* III. *neget, quemquam ingredi regnum cæleste, nisi regeneratus fuerit aqua, & spiritu. Nec enim fuisse baptizatum, antequam adfigeretur, verisimile est. Huic rei bifariam occurri video. Sunt qui dicant, pro baptismo aquæ fuisse baptismum sanguinis, sive martyrii. Obiisse enim ut martyrem, ipsius Christi collegam. Aliis vero placet, fuisse baptizatum aqua, & sanguine Christi, quo cum impetu fluente e Christi latere perfosso fuerit adspersus.*

Vtrumque horum apud B. Augustinum legas, imprimis libro de animæ origine ad Vincentium Victorem, lib. III. cap. IX. Quo potissimum remitto, quia ipse id facit lib. I. Retractat. cap. XXVI, ubi agit de censura libri LXXXIII. Quæstionum. Ac priorem modum, nempe quod ut martyr obierit, etiam probaverat Cyprianus, qui epist. LXXIII, *martyrem* appellat. Quasi cruciatus cœperint quidem à pœna latrocinii, sed in martyrio fuerint consummati: quod & sensit Eucherius homil. de Latrone. Videlicet, quia milites, crura ei frangentes, non solum moris caussa id fecerint, sed odio Christi, quem latro confessus esset: ut scribit Benedictus Fernandius in Genes. cap. XL. Ac subscribit Carthagena lib. XI. de Christo homil. III. Similiterque alii complures.

Alterum vero modum probat Joannes Chrysostomus orat. de cœco à nativit. item orat. de resurrectione: atque iterum serm. de regressu ex Asia.

7. §. *Sed quod ad prius attinet, est latro mortuus in Domino; at non pro Domino. Neque enim adjudicatus est mors ob confessionem revelatæ veritatis: sed ob homicidium. Quodque ad posterius, ut fuerit aqua & sanguine Christi adspersus, non is dicendus baptismus, cum Christus dici nequeat baptizasse, qui jam erat mortuus. Imo & mortuus videtur fuisse latro, quia hæc adspersio contigit post crurifragium latronis, quod perfossionem lateris antecessit. Denique neque illud certum est, an aqua & sanguine fuerit perfusus. Sane id esse non potuit, si Christi latus sinistrum fuerit perfossum, quod multi arbitrantur, quia cor ea parte jacere existimatur. Nam sic in sinistrum latronem aqua & sanguis profluxerint, non dextrum. Atque adeo sublimis ille situs latronis vix sinere videtur, ut lancea latus Christi perfodiente, utcumque id dextrum foret, latronis dextri corpus perfunderet, nisi crura vel pedes fortassis. Neque si latro non fuerit baptizatus, eo minus verax fuerit Christus; quia quæ de necessitate baptismi dicuntur Ioannis* III, *ea proprie sunt capienda de baptismo, qui fit aqua spirituali. Sic enim capere oportet quod de aqua, & spiritu dicit, ut sit schema illud, quod vocatur* ἓν διὰ δυοῖν. *Quod vero ad aquæ baptismum, non ejus privatio, sed contemtus damnat. Si enim haberi non possit, & pænitentia ac fides adsit, supplet extraordinarie Christus, quod aliter nequit obtineri.*

Fuse hæc comprobavimus disputatione de baptismo septima; quæ inscribitur de Necessitate baptismi.

8. §. *Venio ad orationem Iesu tertiam : cujus prius occasionem referam. Narrat Euangelista Ioannes, quomodo ad crucem adstiterit, cum Euangelista ille, quem Iesus diligebat, hoc est Ioannes ipse, tum etiam B. Virgo, una cum Maria Magdalene, & Maria Salome, filia Cleopa, vel potius Clopa.*

Nam Κλώπας hic dictus; Κλεόπας autem, alter discipulorum euntium Emauntem. Hæc uxor fuit Zebedæi, & inde mater duorum Apostolorum, Iacobi majoris, & Ioannis Euangelistæ. Dixeris, addi oportere Mariam Iacobi, & Iose matrem. Sed hæc non est alia, quam B. Virgo, quæ horum quidem mater non erat, attamen mater dicebatur, quia essent Iosephi liberi ex priori uxore: &, mortuo Iosepho, à maximo natu filio, vel potius privigno, quicum viveret, ab aliis sic Mariis distingui vulgo soleret, priusquam Iesus miraculis innotuisset; imo postea etiam veteri more appellaretur. Qua de re fusius dictum nobis Dissertatione de genere, & fratribus Christi.

9. §. *Quantopere doluerit B. Virgo hoc spectaculo,*

 haud

haut facile aliquis exprimere valeat. Atque eam doloris magnitudinem prædixerat Simeon ille justus, his verbis : Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Christus conspecta matre, ac Joanne, prius quidem matri filius; Mulier, ecce filius tuus: *puta Joannes, qui posthac filii loco erit.*

Matrem non vocat, sed *mulierem*, ut alias quoque fecit, quia non terrenum, sed Patris sui negotium ageret in terris.

10. §. *Deinde etiam Joanni ait :* Ecce mater tua *Hoc est, quam tibi, velut matrem, deinceps curæ esse cupio. Atque ab hoc tempore eam Ioannes recepit εἰς τὰ ἴδια, h.e. in domum suam.*

Exinde videtur longo tempore fuisse silentium, idque non Christi modo, sed etiam prætereuntium & adstantium. Cujus caussam hic fuisse credo tenebras, quæ horrorem incuterent : ut postea de iis plenius dicam. Christus vero absque dubio interim orabat pro nobis. Iamque tribus quasi horis pependerat in cruce ; ac post tot patienter perlata, tot tranquille acta, tempus instare videbat, quo spiritum erat traditurus. Ergo, ne mortuus jam putaretur, sed adhuc vivere constaret, exclamavit ingenti voce: ELI ELI, *sive, ut eadem mente est apud Marcum,* ELOI, ELOI, LAMA SABACHTANI? *Hoc est,* Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?

Quæ verba sunt initium Psalmi XXI. Sed pro Hebræo *Azabtani*, quod in Psalmo legas, in Christi sermone est *Sabachtani*. Cujus caussa est, quod Judæi à captivitate Babylonica non uterentur amplius mero sermone Hebræo: sed multis Chaldaicis permixto.

11. §. *Porro adlata Jesu verba sic aliqui interpretantur, quasi sint vel cum desperatione luctantis, vel vere desperantis. Qui priorem sententiam sequuntur, aiunt, à desperatione tantum non absorptum: eoque dixisse non meditata, sed vi doloris extorta, at mox correcta: quomodo oculis caligine obductis non pariter omnia videmus. Quibus posterior placet opinio, scribere non verentur, revera desperasse, atque ita fieri oportuisse, quia in se recepisset desperationem nostram. Posteriorem sententiam probare neutiquam possumus.*

Etsi ea fuerit opinio Joannis Feri, docti, & facundi, pene ante hoc seculum, Ecclesiastæ Moguntini. Sed illum hac propter jure reprehendit Lucas Brugensis.

12. §. *Absit enim, ut statuamus, Servatorem nostrum non confidisse Deo. Horret id animus credere. Quippe si fiducia in Patrem carebat, cur confugit ad Deum? ut ostendunt illa verba,* Deus mi, Deus mi. *Non igitur putandum, verba ea esse diffidentis, & deliberato propterea consilio exposcentis à Deo rationem, cur sibi tanta exposito ignominia nullum vel corporis auxilium, vel animi solatium præstaret. Sed est ea querimonia ab humana proveniens infirmitate.*

Nam & in Christo, ut superius dictum, distinguere oportet inter hæc duo: quorum prius est appetitus sensitivus sive desiderium naturæ : alterum autem voluntas perfecta, sive appetitus rationalis, quatenus est subditus rationi, non ut est natura quædam. Prius non ulterius se extendit, quam ut inter naturæ commoda, & incommoda, distinguat, priora appetat, posteriora aversetur. At appetitus rationalis aliquid etiam appetit naturæ desiderio repugnans. Nam non sinit diutius appetitum sensitivum, sive voluntatem, ut est natura quædam, appetere, quod est suum, quam ipsa velit. Et ipsa, dum hoc permittit, consideratis omnibus circumstantiis, statuit quod est præferendum, appetendo etiam naturæ contraria ob finem meliorem. Ratio igitur norat in Christo, cur desereretur. Sed nesciebat facultas inferior, cujus captum ea transcendit. Atque ab hac proficiscebatur illa interrogatio.

13. §. *Quæras, quid attinuerit, non sileri, sed promi hanc interrogationem. Non sui hac caussa protulit, sed eorum, qui credituri adstarent, ut viderent magnitudinem passionis.*

Sane Martyres magno cum gaudio sæpissime ad passionem procedunt, idque quia interius eos Deus solatur, ut mala ferant exteriora. Sed, Christo patiente, non λόγος in rationem, non ratio inferiorem in facultatem insinuabat vigorem illum, unde gaudium, ac solatium proveniret. Quæ gratiæ subductio majorem longe passionem Christi fuisse arguit. Atque hoc est, qood derelictionem appellat Christus. Nempe quod, cum idem Deus, & homo, divina tamen natura consolationis suæ rivis non deflueret in humanam: neque se in carnem diffunderet: sed sineret, ut ingentem ea horrorem persentiret.

14. § *Quanto hæc sunt verisimiliora, quam, ut tantus Christo dolor inde potissimum fuerit, quod is, ob temperiem optimam, sensu fuerit acutiori, quam hominum alii?*

De quo Bonaventura in III. dist. XVI. art. I. quæst. II. item Suarez T. II. part. III. dist. XXXIII. s. II. Audiamus etiam Theophilum Reinaudum in Metamorphosi Latronis cap. IIIa: *Consideranda est Christi Domini exquisitissima temperies, tactum profundens acerrimum. Sicut enim stimuli impactio (quæ asino, propter asininam, hoc est, ignobilissimam temperiem, non est adeo dura) homini, ob temperiem perfectiorem, accideret longe asperior: ita inter ipsos homines, qui temperatiores sunt, acrius percelluntur, admoto eodem doloris objecto.* Addunt, in Christo non illa modo attendere oportere, quæ dolorem parerent : sed etiam quæ ignominiam: ut sputa, irrisionem: & similia, quibus in latronibus una crucifixis, parcitum fuit, ut observat Isidorus Pelusiota: lib. III. epist. CXXX. Verum, ut hoc etiam nomine graviorem fuisse perpessionem Christi, quam illam latronum, lubentes agnoscimus : ita multo altius hisce ascendendum, si assequi studeamus tanti doloris in Christo caussas.

a Pag. 67.

15. §. *Porro verba superius adlata Hebraice expresserunt Euangelista, ut intelligeretur, quod subjicitur, ex circumstantibus quosdam putasse invocari ab eo Eliam.*

Valde autem infirmum est Bellarmini argumentum, quando ex eo qood Elias credebatur advocatus, colligit, Eliam à Judæis solitum invocari. Quemadmodum nec ullius ponderis est, quando idem invocationem sanctorum inter Judæos obtinuisse evincere laborat ex divite apud inferos rogante Abraham, ut mittere ad se Lazarum velit. Ex eo autem, quod verba Christi sint initium Psal. XXI, ut diximus, colligere est, alia etiam ejusdem Psalmi ad Christum typice pertinere. Ut sunt, *Omnes videntes me deriserunt me.* Item: *Foderunt manus meas.* Adhæc: *Diviserunt sibi vestimenta mea.*

16 §. *Hinc Iesus dixit,* Sitio: *qui quinctus est sermo. Nempe noctem duxerat insomnem ; plurimaque erat perpessus, quæ sitim accenderent. Ergo aliquis eorum, qui Eliam credebant invocari, accurrit cum spongia, quæ acetum imbiberat, eaque calamo imposita inde ei bibendum dedit.*

Variæ

Varie antea hunc locum enarravimus: sed hanc cumprimis approbamus sententiam. Quæritur, quis hoc humanitatis officium præstiterit, milesne fuerit, an adstantium alius. Ex Matthæo XXVII. 47. 48. clare liquet, factum esse à quodam adstantium, qui, cum Eli Christus vocasset, Eliam advocari putarit, ut opem ferret. Acetum vero, in quo spongiam tingeret, ad manum erat. Nam, ut ait Joannes XIX. 29, *vas erat positum aceto plenum*. Quod censeo factum esse ex more, quo acetum solebat dari cruciariis ad refocillandum eos languentes.

17 §. *Postquam acetum è spongia bibisset, ait Christus*, CONSUMMATUM EST.

Id est, quicquid à prophetis de me prædictum, quicquid etiam ad redimendum genus humanum præstari opus fuit, id omne jam implevi. Atque hic fuit sermo sextus.

18. §. *Exinde, viventibus adhuc latronibus duobus, celerius ipse, quam vulgo crucifixi soleant, posuit animam suam, eandem iterum sumpturus. Emisit vero spiritum suum clamans voce magna, vel potius, ubi voce magna clamasset, (nam Græce est* Κράξας,) Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

Hoc est, velut depositum quoddam committo fidei tuæ, postea resumpturus. Verbis usus est Christus è Psalm. XXX: ubi tamen LXX habent, παραθήσομαι, etiam consentiente contextu Hebræo. Id fuerit, *deponam*: hac mente, Jam jam, velut depositum carum, commendabo tibi.

19. §. *Post illa inclinato capite, animam efflavit: quomodo mori instar miraculi est. Nam in stante morte maxime homines sunt infirmi. Christus vero, ut diximus, magno cum clamore excessit. Ut hinc liqueat, sponte animam deposuisse. Quod aliter etiam comprobatur. Nam sic crucifixi sæpe biduum, triduum, vivebant.*

Immerito & heic ambigit Lipsius. Nam Hanoviæ Judæus deorsum crucifixus supervixit dies quinque. Ac plurimum fame sola solent mori crucifixi. Quibus vero eos lenta adeo morte defungi displicebat, crura jussere frangi. Atque hunc morem amplexi sunt Judæi, eo quod ante Solis occasum sepeliri ex lege Mosaica oporteret. Ex his videmus, Christum, vel mire fuisse infirmum, quod esse potuit in corpore tot suppliciis afflicto, ut ante dictum: vel omnino naturale mortis tempus anticipasse. Ac hoc quibus placet, convenienter dicunt, occisum quidem à Judæis, quia crucifixionem mors naturaliter erat secutura: & tamen animam suam posuisse cum vellet, &, cum vellet, adsumsisse; quod ad sacerdotale munus pertinebat. Sin ex mera infirmitate mors naturaliter obvenit, sistendum in eo, quod adsumtis etiam legionibus angelorum tueri se poterat, ne caperetur, nedum adfigeretur cruci.

20 §. *Quæritur, cur Christum mori oportuerit. Geminam afferunt rationem. Una est, quia aliter non potuerit satisfieri justitia Dei. Quod verum est, si non absolute, saltem ex hypothesi decreti divini. Nec enim alium Scriptura nobis salutis modum aperiunt, quam Christi satisfactionem pro peccatis nostris.*

Sane & Augustini, & veterum alii permulti, imo & juniorum magni nominis, (quod in opusculo quodam jam ante annos XXV, ut amici norunt, exarato, luculenter ostendimus) ea fuit opinio, in infinitis divinæ sapientiæ thesauris non defuisse modum alium nos pœnis liberandi: sed hunc pro libertate sua elegisse. Etiam arbitrantur, uti punire omnes potuit illæsa misericordia, ita potuisse omnibus ignoscere illæsa justitia. Nempe, distinguunt inter judicem, & principem: judex est alligatus formulæ; non princeps, qui idcirco potest dispensare de Lege. Atqui, inquiunt, si justitiæ est punire sontes, injustitiæ sit non punire sontes. Verum hoc argumentum istiusmodi est, ac si dicas: Si liberalitatis Regiæ sit, dare mihi talentum: illiberalis ac sordidus sit, nisi dederit. Itidem enim se res habet in puniendo. Cujus caussa est, quia à natura peccati sit, ut possit puniri. Sed ut quis actu puniatur, est à libera punientis voluntate. Sane Deus etsi bonus est, non tamen necessario creavit mundum: quia inter bonitatem, & actum creationis, media intercedit voluntas. Ac similiter in merito, & inflictione pœnæ, inter justitiam Dei, & exsecutionem justitiæ punitivæ, est actus liber; nempe volitio puniendi.

21. §. *Alteram rationem, cur moriendum fuerit Filio Dei, eam adferunt, quia non aliter potuerit satisfieri divinæ veritati: quod ex prædictionibus prophetarum, & typis legalibus, adstruunt. Sed ex his non aliud evincere est, quam Deum ita decrevisse: at non item, haud aliter decernere potuisse. Addunt & comminationes divinas. Ut quod Deus dixerit Adamo*: Quocunque die comederis de arbore hac, morte morieris. *Unde sic ratiocinantur, Deum non fuisse veracem futurum, nisi vel ipse, vel alius, satisfecisset pro nobis. Sed salvo aliorum judicio, sic censeo, comminationes divinas, nisi adsit juramentum, significare quidem punibilitatem, sive jus puniendi, quod inde Dominus accipit; sed non inde consequitur, Deum constringi ad exsequendas pœnas, quas comminatur: præsertim, cum tacita sæpius subsit conditio.*

Ita Deus etsi non perderet Niniven, verax esse perstitit, quia tacita esset conditio hæc, nisi se corrigerent. Sed de isto nulli litem movebimus, contenti eo, ne ea moveatur nobis, quibus sufficit quid Deus voluerit, seu aliud pôtuerit, seu, ut nunc contendunt aliqui, non potuerit.

22. §. *Quæstio est Philologica, an Christi mors per magni Panos obitum debeat intelligi.*

Apud Plutarchum libro de defectu oraculorum legimus, ut Æmylianus rhetor variis narrant de re miranda, cujus inter alios & pater suus Epitherses, grammatices professor, locuples testis fuisset. Historia istæc erat hujusmodi. Thamo, gubernatore Ægyptio, in Italiam tendente navi vectorum, & mercium plena, cum ad Echinadas insulas esset deventum, cœpit ventus plane remitti, atque ita nullo quasi vento ad Paxas fluitabant. (Heic post cœnam, dum alii potant, alii vigilant, grandis est vox audita, quæ semel, iterum, tertio Thamum inclamaret. Tertio demum paruit: ac dictum ei fuit, ubi ad Palodes (*ad paludes* vertunt; atque ita Baronius quoque; cum *Palodes*, sive *Pelodes*, portus sit ad cujus ingressum est Buthrotum, Epiri oppidum) ubi, inquam, ad portum Palodes ventum sit, in terram inclamet, magnum Pana esse mortuum. Disputatum postea, quid facto opus esset. Placuit mandatum præteriri, si ventus, cum eo esset deventum, faveret. Sin intermisisset, morem gerendum. Ventum eo: ventus nullus: inclamat Thamus, quod jussus erat. Mox gemitus, & suspiria multo plurima audiuntur, & cum admiratione juncta: quasi dolentium ob magni Panos mortem, & admirantium, mori potuisse. Ubi Romam deventum, nuncius is, à tot vectoribus longe mox, lateque, diffusus fuit. Res ad aures pervenit Cæsaris Tiberii. Advocat is Thamum. Rem hic omnem exponit. Tiberius exquirit ex hominibus eruditis. Quid ex gentilibus nisi fabulas audiret? Aiunt illi, videri sibi illum ex Mercurio, & Penelope prognatum. Quid hic Christiani?

 23. §. Sane

23 §. *Satis admodum verisimile est, per magnum Pana accipiendum esse Christum, eoque Christi mortem nunciatam. Tempus convenit, sive spectemus, quod res ad Tiberium delata: sive quod contigerat id tempore Epitherfis, patris Æmyliani, unde id accepit Plutarchus, Trajani Cæsaris præceptor. Et quis potius Pan magnus dicatur, quam Christus, auctor naturæ sive universitatis, quam nomine* Panos *intellexere gentiles?*

Etiam hoc videre est ex illis quæ de Pane in Bucolica
aln Ecl. 2. scripsit Iunius Philargyrus *a*. Verba ejus ponam: *Pan, id est, Natura omnium rerum, inventor est fistula. Pan pastoralis Deus, per cornu Solem significat, & Lunam: per fistulam, septem planetas stellas: per pellem maculosam, cæli sidera: per cannam, ventos: per ungulas caprinas, soliditatem terræ: villosus est, quia vestitus gaudet terra. Hic autem natus est Mercurio in arietem converso, & Penelope, uxore Ulyssis.* Plura de hoc dicimus in opere de Theologia Gentili, & Physiologia Christiana.

Cap. X.

Quæ Deus, Christo in cruce pendente, fecerit ad glorificandum filium.

1 §. N*Unc videamus de iis, quæ ad glorificandum Iesum facta sunt, dum in cruce viveret. Hujusmodi est illud Marci* XV. 33: Γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης, σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν ἕως ὥρας ἐννάτης. Cum fuisset hora sexta, tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam. *Ubi videmus, duas exprimi* περιστάσεις*, temporis unam, loci alteram. De priori similiter Matthæus* XXVII. 45. *Lucas vero* XXIII. 44. Ἦν δὲ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, καὶ σκότος ἐγένετο. Erat autem quasi hora sexta, & tenebræ factæ sunt.

Sententia est, tenebras fuisse à meridie usque ad nonam, sive nostram tertiam pomeridianam. Fuere autem tenebræ istæ non spissæ, quales Ægypitacæ, aut noctis: sed cujusmodi esse solent tempore eclipsios Solaris.

2. §. *De tempore satis. Altera* περίστασις *de loco erat, quæ, ut Marcus, & Lucas referunt, terra erat universa.*

Ubi non solum Iudæam, sed totum intelligi orbem oportet, si standum Dionysio, quem vocant Areopagitam. Is enim tenebras hasce in Græcia, sibi, & philosophorum aliis, visas ait in epistola ad Polycarpum contra Apollophanem, & epistola ad Apollophanem jam conversum: ut quidem Iansenius ait Concordiæ Euangelicæ cap. CXLIII. Mallem pro Græcia Ægyptum dixisset. Nam continuo subjungit, eclipsin eam sibi, & Apollophani, visam esse Heliopoli; quæ sane inclyta Ægypti civitas: ubi numen colebatur bovis figura, ut & Memphi: quemadmodum abunde dictum nobis lib. 1. de Gentili Theologia Christiana, cap. XXIX. Putamus autem, per universam terram solam signari Iudæam. Quod & Erasmus arbitratur in cap. XXVII Matth. Scio, eo nomine vapulare à Melchiore Cano lib. XI. cap. II: eumque sequitur
a P. 105. Rosweidus Leg. Talionis tab. VII *a*. Sed decepit eos, quod non viderent, illa de Dionysio, & Apollophane, esse commentitia. Omnino enim epistolæ illæ sunt ὑποβολιμαῖαι.

3 §. *Quæritur, an Eclipsis ea fuerit naturalis Non fuisse naturalem, satis indicat, quod contigerit tempore Paschatis, sive Luna* XIV, *quando plenilunium est, ut tum Luna fuerit ex adverso Solis, non inter Solem, & nos, interjecta: quod non nisi in novilunio fit, ut neque alia Solaris esse eclipsis possit.*

Tertullianus, Origenes, ac veterum alii, testantur, Eclipsios hujus meminisse etiam Phlegontem Trallianum, Hadriani Cæsaris libertum. Phlegontis verba sic Latine reddidit Hieronymus in Canone Eusebiano: *Quarto autem anno* CCII *Olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terraque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subverterit.* Phlego tamen pro naturali habuit eclipsi; quod valde adversatur Tertulliano. Dixeris, videri eandem; quia Euangelistæ dicant, fuisse eo tempore terræ motum; ac Phlego itidem dicat, tempore Eclipsios ejus, de qua agit, terræ motum fuisse in Bithynia, maximeque Nicææ. Scio: sed scrupulum injicit quod sileat de terræ motu in Palæstina. At, inquias, potuit hoc ignorare: nec levem videri nobis auctoritatem Patrum debere, qui eandem faciunt eclipsin, illam Euangelistis, ac Phlegonti memoratam. Movit Patres, quod eundem in annum utraque incideret. Sed falsos esse, arguit, quod si tam miraculosa Eclipsis variis conspecta terris foret, non solus ejus Phlegon meminisset. Quid enim magis in natura stupendum, quam Solem deficere in plenilunio? Ut jam mittam, quod ante dicebam, Phlegonti sermonem esse de Eclipsi naturali, quæ solum in novilunio.

4. §. *Porro etsi in plenilunio Luna sit ex adverso Solis: non propterea putandum, Lunam è loco suo accurrisse ad Solem, seque inter Solem, & Terram, constituisse, atque ita effecisse eclipsin proprie dictam. Hæc si forent, à gentilibus utique essent observata, & complurium consignata monumentis. Quare verisimilius est, obscurationem eam contigisse ex retractione radiorum Solarium.*

Possit & caussa esse à maculis Solaribus, qui in disco Solis medio apparent visentibus per telescopium, sive tubum Batavum. Nam minus longe illuxerit Sol, maculosiore Solis parte Iudææ obversa. Potuere & corpora quædam opaciora obduci, sic ut lux Solaris fieret Iudæis minor. Hujusmodi aliquid contigisse, verisimilius est, quam ut Luna ex adverso Solis procurrerit in locum Soli subjectum: ac deinde iterum in locum priorem se receperit.

5. §. *Atque hæc de obscurationis Solaris caussa efficiente. Denique etiam finem ejus videamus. Voluit Deus ea ostendere, quantopere aversaretur Iudæorum scelus.*

Nam Sole radios avertente, idque meridiano tempore, quo imprimis lucet: significabatur, eum nolle intueri tam atrox facinus. Etiam quia lux lætitiam parit, tenebræ tristitiam: naturam ipsam quasi tristari hac obscuratione Solaris luminis indicabatur. Et ut spissis Ægypti tenebris Ægyptiorum cæcitas, ita hac obscuratione cæcitas Iudæorum notabatur. Impletumque ita illud Amos VIII: *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.*

Cap. XI.

De iis agitur, quæ contigere, dum Christus in cruce mortuus pependit: nempe ab eo tempore, quo expiravit, usque illud donec fuit depositus de cruce. Inque eo tempore quatuor explanantur.

tur. Primum de quatuor prodigiis in Scriptura expositis: tum duobus aliis, quæ ab aliis videas superaddi. Deinde de consecuta hominum indignatione ob occisum Christum. Postea de postulato Judæorum, ut Christo frangerentur crura, ac postea deponeretur de cruce. Denique de milite transfigente Christi latus; unde aqua, & sanguis exierunt.

1. §. *Quæ diximus, evenere antequam Christus exspiraſſet. Nunc videndum de illis, quæ, eo defuncto, necdum tamen de cruce deposito, contigerunt. Atque hic, quia proxime dixi de prodigiis, quæ acciderunt Christo vivente, prius subnectam nunc de prodigiis quatuor aliis quæ mortuo acciderunt. Primum est de velo templi scisso: puta eo, quod adytum à sancto separaret.*

Tres enim fuere templi partes: atrium, in quo populus; sanctum, in quo sacerdotes; sanctum sanctorum, quod solus ingredi poterat summus sacerdos. Παραπέτασμα illud, quod ruptum fuit, distinguebat sanctum à sancto sanctorum. Καταπέτασμα τοῦ ἀδύτου a appellatur à Flavio Josepho lib. VIII. Antiquit. cap. II. De eo sic Paulinus Carm. XV:

a Velum adyti.

Tunc & discisso nudata altaria velo
Amisere sacri religionem adyti.

Hoc exemplo etiam Christianis ante sacrarium, atque altare, velum fuisse, indicat illud B. Chrysostomi in epist. ad Ephes. homil. III: Ὅταν ἴδῃς τὰ ἀμφίθυρα, τότε νόμιζε διασχίζεσθαι τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν καὶ κατιέναι τοὺς ἀγγέλους. *Ubi videris trahi vela ostii: existima cælum superne diduci, & angelos descendere.* Ubi ἀμφίθυρον vocat velum, seu cortinam ostii: quæ Anastasio bibliothecario *velothyra*. Diximus de ea in Glossario Latinobarbaro, ac pluribus Rosweidus Notis in Paulini carm. XVIII. Porro istoc adyti velum demum à morte Christi fuisse ruptum, ex eo cognoscimus, quod Matthæus, cum dixisset, Christum emisisse spiritum, subjungat: *Et ecce velum templi scissum est.* Ex quo, id post Christi obitum contigisse, etiam colligit B. Augustinus. Atque hoc miraculum tres describunt Euangelistæ, cum tria alia solus describat Matthæus.

2. §. *Ejus prodigii duplex fuit significatio: quarum una Judæos, altera tangit Christum. Quod ad priorem attinet: quemadmodum obscuratione Solis ostendit Deus, quantopere hoc Judæorum facinus aversaretur; quanta etiam eorum cæcitas foret: ut antea pluribus dicebamus: ita nunc veli ruptura monstrabat, sicut Judæi ruperant vestem, dicentes, Christum blasphemaſſe, sic Deum rumpere velum templi: partim nimirum ut iram suam declararet ob Judæorum scelus; partim ut indicaret, se propterea etiam detestari ipsum divini cultus locum.*

Sane Judæi, qui in luctu, & indignatione, rumpere vestem solent, ratione erant prædiri. At nunc scinditur creatura ἄλογος, ad testandam facinoris indignitatem. Atque hanc rationem etiam adducit Theophylactus.

3. §. *Altera ratio, quam Christum spectare dicebamus, ea est, quod sic ostensum recludi cælum: adeo ut nunc cuilibet illud pateat. Præterea significatum fuit, finem imponi typis legalibus, scisso miraculoso velo, quod inter typos eos illustrem obtinebat locum.*

Similitudo in eo consistit, quod ut rupto velo paruit Sanctum Sanctorum antea populo invisum: ita morte Christi nunc omnia manifestentur legalia, quæ antea erant obscura, & quasi velo quodam cooperta. Cæterum Origenes duo statuit vela templi: exterius, in templi egressu; interius, quod erat coram propitiatorio. Atque inde mystice colligit, hic prius velum esse retectum: in vita altera alterum retegendum. Sed hæc licet belle dicantur, tamen nihil solidi habent quo nitantur. Omnino enim unum erat templi velum. Et aliter si fuisset, non dicerent Euangelistæ templi velum: sed, utrum illud templi velum foret, addidissent. Similiter Tertullianus Apologetici cap. XVI: *Solis sacerdotibus* (sacrarium) *adire licitum: etiam conspectus cæterorum velo oppanso interdicebatur.*

4. § *Alterum erat prodigium, terræ motus. Qui & ipse ostendit, rerum naturam Christo quasi συμπαθοῦσαν a.*

a Condolere.

Sane terræ motu, iram Dei significari, etiam cognoscere licet è Psal. XVII: *Commota est, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

5. §. *Tertium prodigium erat ruptura petrarum; qua itidem ostenditur, naturam Christo condoluiſſe.*

Ut petræ non tam fuerint duræ, quam corda Judæorum, quibus nihil obstinatius.

6. §. *Quartum fuit prodigium, quod monumenta etiam sint aperta, multaque inde resurrexerint corpora fidelium, qui obdormivissent. Non tamen utrumque in morte Domini contigiſſe existimandum. Quippe Domino quidem moriente, vel mox à morte, aperta sunt sepulchra: sed exiere inde, nonnisi Christo resurgente.*

Unde Matth. XXVII. 53: *Exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem.* Ubi Hierosolymam, licet in ea tam atrox scelus patratum esset adversus Filium Dei, sanctam nihilominus civitatem vocat, ob cultum divinum istic institutum. Videmus autem, clare dici, exiiſſe demum sepulcris postquam Christus resurrexerat. Græce est, μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ. Neque enim par erat, ut ante Christum resurgerent: quem Apostolus b vocat *primitias dormientium, & primogenitum ex mortuis.* Utrum vero postea morituri iterum, an ad immortalitatem resurrexerint, dicam postea, cum loquar de resurrectione Christi, & ejus efficacia.

b 1 Cor. 15. Coloſſ. 1.

7. §. *Atque hæc de quatuor prodigiis in Scriptura memoratis. Addunt quidam alia, de quibus tacet Scriptura. Nam illo de velo rupto addit ex Nazaræorum Euangelio B. Hieronymus de fracto templi superliminari. Imo idem Hieronymus à Flavio Josepho proditum ait, angelos, templi Hierosolymitani præsides, cum Christus crucifigeretur, velumque scinderetur, dixiſſe, Transmigremus hinc.*

Hieronymus ad Hedybiam, quæst. VIII: *Velum quoque templi scissum est in duas partes, ut compleretur illud, quod refert Josephus, præsides Templi dixiſſe virtutes,* TRANSEAMUS EX HIS SEDIBUS.

8. §. *Sed eo minor hac parte nobis est beati viri auctoritas, quod ipse alibi hæc referat non ad Pascha, sed ad Pentecostes festum subsequens.*

Sic enim scribit in Chronico Eusebiano ad Olym. CCII:

 ubi

ubi cum de Passionis Dominicæ anno locutus foret, subjungit: *Iosephus etiam, vernaculus Iudæorum scriptor, circa hæc tempora die Pentecostes Sacerdotes primum commotiones locorum, & quosdam sonitus sensisse, testatur: deinde, ex adyto templi repentinam subito erupisse vocem, dicentium,* TRANSEAMUS EX HIS SEDIBUS.

9 § *Imo longius etiam recedens alibi idem refert ad templi excidium Hierosolymitanum.*

Puta Commentario XVIII in Iesaiam, cap. LXVI: ubi de excidio Urbis loquens, ait: *Quando præsides templi consona angeli voce dixerunt,* TRANSEAMUS EX HIS SEDIBUS.

10. §. *Nec propterea insultandum B. Hieronymo, quasi parum attenderit, quid scriberet, dum sibi ipsi contradicens, nunc paschate, sive tempore Passionis Dominicæ, aliquid contigisse vult, nunc pentecoste: nunc anno, quo excisa est Hierosolyma. Nam cum refert hanc historiam ad passionem Dominicam, Eusebium sequitur, qui eam tribuit opinionem Iosepho. Quando autem ait, paullo ante excidium evenisse, ipsum sequitur Iosephum, quem postea consuluit.*

Eusebium id paschali tempori tribuisse, liquet non solum ex Chronico Hieronymiano; sed etiam ex lib. VIII.
a P. 250. Demonstrationis Euangelicæ *a*, ubi, cum locutus esset de nocte ea, qua Christus discipulis mystica distribuit symbola, addit exinde, cessasse legem Mosaicam, ac hoc per verba illa, μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, fuisse significatum. Sed Iosephum velle hanc vocem in templo auditam esse tempore Urbis obsessæ, satis videre est ex iis,
b P. 881. edit. Froben. Sed in tralatione Latina, cum Rufini, tum illa Gelenii, lib 7. cap. 12. quæ refert lib. VI. de bello Iudaico cap. XXXI *b*; ubi sic scribit: κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν, ἣ πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερόν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν, πρὸς τὰς λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἀντιλαβέσθαι ἔφασαν, καὶ κτύπου, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ φωνῆς ἀθρόας, ΜΕΤΑΒΑΙΝΩΜΕΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ. *Festo autem die, quam Pentecosten vocant, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quendamque strepitum, senserunt: postea vero subitam vocem audiere, quæ diceret,* MIGREMUS HINC. Pro quibus sic gentili more Tacitus lib. IV. Histor. Taciti: *Expassæ repente delubri fores, & audita major humana vox, Excedere deos: simul ingens motus excedentium.*

11. §. *Quanta fuerit vis & efficacia prodigiorum; quæ vere, partim ante mortem Christi accidisse diximus, qualis obscuratio Solis; partim postea evenerunt, ut quatuor illa è Scripturis memorata: cognoscere licet, ex centurione gentili, qui, istis conspectu, dixit:* Vere hic homo justus erat; *ut ait Lucas. imo amplius, ut est apud Marcum:* Vere hic homo filius Dei erat.

Ubi, in confessione illa hominis gentilis, præludium habemus vocationis gentium.

12. § *Nec ipse solum his motus fuit, sed & milites, qui cum eo erant; ut Matthæus indicat. Imo & vim suam exseruere in Iudæis; qui, in conspectu, pectora sua ob scelus patratum ferientes, domum cum indignatione, ac pariter stupore, reversi sunt.*

Caput, pectus, femur præ dolore & indignatione percuti solere, ostendimus Oratoriarum Institut. lib. VI. cap. XI. §. IV.

13. §. *Præterea in illis, quæ Christo mortuo, attamen in cruce adhuc pendente, contigerunt, illud etiam est, quod Iudæi accesserint Pilatum, rogantes eum, ut crura frangerentur adfixis cruci; ac deinde tollerentur ad sepulturam.*

Ubi duo videmus Iudæorum postulata: unum erat crurifragium: alterum vero, corporum de cruce depositio ad sepulturam. De crurifragio inferius dicam. In depositione videndum, quid postulatum sit ex more Iudaico, quid item Romano. More Romano, & aliarum gentium, damnatorum corpora relinquebantur insepulta. Ac nequis ex propinquis vel amicis corpora detraheret de cruce, custodes apponebantur. Hinc Petronius, *Proxima ergo nocte, cum miles qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, notasset sibi lumen.* Natali tamen Imperatoris, ut aliquis ad damnatos etiam ex publico gaudio fructus rediret, solere ad sepulturam deponi, indicat Philo Iudæus in Flaccum. Alias non temere id fiebat: nunquam saltem nisi venia à Præside vel magistratibus obtenta. Quod & Ulpianus docet L. *corpora* D. *de cadaveribus punitorum.*

Ex his liquet, cur Iudæi accesserint Pilatum, cum vellent deponi corpora de cruce. Quemadmodum & postea Iosephus Arimathæensis, si vellet Christi corpus tradere sepulturæ, necesse habuit illud petere à Pilato. Sed non sufficit scire, necessario iis fuisse compellandum Pilatum, si deponi vellent. Scito etiam opus, cur vellent deponi. Cujus rei ratio fuit à lege Mosaica: non quidem, quod Iudæi isti usque adeo forent observantes Legis: sed ne viderentur ejus non observantes. Revera enim voluerunt non esse pii, sed videri: sicut arguit, quod iidem parasceues die noluere ingredi prætorium Pilati: nec tamen eo tempore verebantur (quod multo magis Legi repugnabat) Christum innocentem addicere morti acerbissimæ. Lex vero, quam nunc prætendunt, legitur Iteratæ Legis cap. XXI. 22: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno; sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo, qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam.* Dixeris, hanc legem nihil pertinere ad Christum plane ἀναμάρτητον *a*. a Peccati expertem.
Subscriberem, nisi hic Christum spectare conveniret non κατ᾽ ἀλήθειαν, sed κατὰ δόκησιν Iudæorum: qui, ut facinorosum, cruci addixerant. Itaque & Paullus Gal. III, Christo applicat illud, Maledictus qui pendet in ligno.

Quodsi ante vesperam semper corpora mandari terræ opus erat: quanto magis id fieri necesse fuit instante Sabbato magno? Eo quoque motos fuisse Iudæos, docent nos verba B. Ioannis XIX. 31: *Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, ut non remanerent corpora sabbato, (erat enim magnus ille dies sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Cur vellent Christum deponi de cruce, diximus. Addamus nunc etiam caussam Legis illius ceremonialis. Nempe relictis in cruce cadaveribus damnatorum terra fuisset polluta: ut est Deuteronomii loco ante indicato. Apud LXX est: Καὶ οὐ μὴ μιανεῖτε τὴν γῆν, ἣν κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι ἐν κλήρῳ. *Et non inquinabis terram, quam Dominus Deus tuus tibi dat in sortem.* Quæ Philo libro de specialibus legibus, ubi contra homicidas disputat, sic interpretatur: Ἦν ἀναγκαῖον εἰς τὸν νεκρῶν χῶρον ἀποσυρῆναί τε καὶ καταχῶσαι, ὅπως μὴ τὰ ὑπὲρ γῆς μιαίνωσι. *Necesse eos fuit in communem mortuorum locum deferri, terraque recondi, ne ea quæ super terram essent inquinarent.* Ubi videmus, ut per τὴν γῆν intellexerit τὰ ὑπὲρ γῆς. hoc est, homines ipsosatque aëra etiam, cujus serenitas fœdo maledicti illius spectaculo velut nube obducitur, turbaturque. Nec est, quod dicas, si suspensi polluant terram, magis ab illis pollutum iri patrium sepulcrum. Tales enim non inferebantur communibus sepulcris, sed seorsim à cæteris. Quod legas in compendio Thalmudico dicto Alphesi, & apud Rabbinos Iacob Iurim, ac Mosem Maimonidem.

14. §. Et

14 §. *Et hæc de postulato Judæorum. Sequitur videamus de facto militum. Hi utriusque latronis, quia superstites forent, crura fregerunt: in Christo, quia jam mortuus esset, non item: sed miles ei lancea latus lancinavit, unde exiit sanguis, & aqua.*

Ut tria hic veniant in considerationem; quod crurifragium omissum, latus apertum, & sanguis cum aqua latere exivit. Quæ pluribus explicabimus.

Crura crucifixis confringi solent malleo. Pro incude erat stipes attectarius. Fiebat hoc, ut celerius morerentur. Itaque duobus latronibus crura fracta: Christo non item, qui atrociter flagellatus, spinea corona graviter punctus, & omnibus contumeliis vexatus, infirmiori videtur constitutione fuisse quam latrones. Saltem animam exhalarat ante latrones. Etsi autem nihil opus erat mortui latus perfodi, miles tamen lanceam per latus transmisit. Vulgatus interpres videtur legisse apud Joannem ἤνοιξε, quia vertit *aperuit*, quasi sit ab ἀνοίγω. Sed in omnibus codd. hodie est ἔνυξε, h.e. *pupugit*, *vulneravit*, nempe à νύττω. Estque hoc quinctum Christi vulnus. Nam quatuor priora fuere manuum pedumque. Remansisse autem hæc vulnera post resurrectionem, liquebit ex Christi sermone ad Thomam, qui est Joan. xx. Volunt, quinque hæc vulnera esse adumbrata quinque lapidibus, quibus Goliathum David devicit. Sane David Christi, Goliathus diaboli typus fuit. Sed quinque lapidibus, quinque Christi vulnera signari, asseverare certo non ausim: licet conjectura non absurda.

Instrumentum, quo Christi latus perfossum, λόγχην vocat Joannes. Nonnus id factum ait μαχαίρᾳ. Atqui credibile non est, eum, qui hastam in manu haberet, voluisse ea posita educere gladium ad latus aperiendum. Hæc clarissimus Salmasius *a* eo pacto acute conciliabat. Censet, μάχαιραν à poëta sumi per κατάχρησιν pro cuspide sive ferro lanceæ. Nempe simili licentia ac pro eo Gratius *cultrum* dixit in Cynegetico:

a Lib. de Cruce pag. 338. & 339.

Aut contra ut tenero destrictas cortice virgas
Prægravat ingenti pernix Lucania cultro.

In Euangelio lingua Persica edito à Xaverio, Societatis Jesu Theologo, legas, militem eum, qui lancea Christi latus aperuit, equitem fuisse. Atque eadem fuit sententia iis, qui Scripturam Bohemica reddiderunt lingua. Nempe hoc inde est, quod crediderunt, tam sublimem fuisse crucem, ut equite opus esset ad latus Christi lancea contingendum. Num etiam dicent, fuisse opus equite, ut calamo ei spongia circumvoluta daretur bibere? Abunde hoc refellitur eo, quod moris Romani non erat, tam sublimes erigere cruces: sed tales, ut ima pars cruciarii nonnisi tribus quatuorve pedibus ab humo abesset. Quod satis antea commonstravimus. Adde quod non ab equite, sed pedite, custodiri crucifixi soleant: &, quod palmarium est, Joannes eum vocet non ἱππέα, sed στρατιώτην, quæ vox de pedite usurpari solet, etsi postremis seculis *miles* accipi sueverit de equite: (quod etiam Bohemicos Euangelii interpretes fefellit) at non item antiquis: ut, quin unus fuerit è cohorte peditum, minime sit dubitandum. Pictores vero, qui equitem cruci appingunt, ut sæpius vidimus, nihil morantur.

Hoc vero de latere vulnerato, uti & de aquæ ac sanguinis fluxu, solus nobis narrat Johannes: qui iccirco, ne ex audito solum id habere videatur, ait, se id ipsum oculis suis conspexisse, atque ita completam esse prophetiam geminam. Prior erat Exodi XII: *Os non comminuetis ex eo.* Quod quidem præceptum est de agno paschali: sed agnus ille erat typus Christi: in quo id completum, quod in agno paschali adumbratum. Eo autem in typico agno præscriptum, quia confractio ossium agni, ad medullam exsugendam, moram attulisset profectioni ex Ægypto, quæ erat properanda. Altera prophetia fuit Zachariæ XII: *Videbunt, in quem transfixerunt.* Sed hoc in LXX non invenitur: ut qui in allato Zachariæ loco habeant: *Adspicient ad me pro eo, quod insultaverunt.* Ut vel hinc liqueat, quam utilis, imo necessaria fuerit opera B. Hieronymi, de fonte Hebræo transferentis Scripturas.

Nempe Joannes secutus codd. ubi erat דקרו DAKEROU. Unde vertit ἐξεκέντησαν, *compunxerunt*. Sed LXX usi codd. ubi erat רקדו RAKEDOU, trajectis literis: quod valet ὠρχήσαντο, *saltaverunt*, sive *insultaverunt*. Cæterum nec Joannes ad verbum vertit: sed sententiam tamen expressit. Nec impletum solum in Judæis Christo pendente: sed etiam implebitur in ultimo judicio: unde Apocalypseos cap. I, v. 7, legas: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Ubi idem est verbum, quod hoc loco: nempe ἐξεκέντησαν. Subjicitur vero istic, quod apud Zachariam loco memorato sequitur: *Et plangent se super eum omnes tribus terræ.*

Clare autem hæc historia nobis ostendit providentiam Dei in passione Christi. Quid enim æque poterat fortuitum videri quam quod miles, ambigens an Christus esset mortuus, ac fortasse etiam accedente aliqua petulantia, transfodit latus Christi? Verum Joannes ostendit, id Scripturis fuisse prædictum. Priusquam enim adferret duo illa loca antea memorata, præmittit hæc verba: *Facta hæc sunt, ut Scriptura impleretur.* Ubi UT non ita capiendum, quasi miles hoc animo Christum transfoderit, ut impleretur, quod de osse non frangendo in agno Paschali præceptum fuit à Mose *a*: aut quod Zacharias *b* prædixerat, visuros Judæos, quem pupugissent. Non ea Scripturæ peritia militi Romano: nec ea pietas. Sed UT sumitur hic non antecedenter, verum consequenter, ut vulgo loquuntur: hoc est, non militis notatur propositum, sed solum rei eventus. Nempe *factum ut impleretur*, valet idem ac si dixisset: sic factum, ut impleretur; sive, sic impletum est, quod prædictum fuit. Similis ratio est illorum Joannis XIX. 24: *Dixerunt ergo* (milites) *inter se, Ne findamus eam* (tunicam inconsutilem,) *sed sortiamur de illa cujus futura sit: ut Scriptura impleretur, dicens c: Partiti sunt vestimenta ea sibi, & super vestem meam jecerunt sortem.* Nec enim dixere ea milites animo implendi, quod legitur in Psalmis: sed dum istoc agunt, quod dicitur, ignari implent, quod David prædixerat. Sed quæritur, quomodo illud de ossibus Christi non confractis cum eo possit convenire, quod pedes clavis fuerint transmissi. Siquidem ex sceletis apparet, pedis ossa arcte adeo jungi, ut nequeat clavus, nisi osse fracto, transadigi. Mihi eorum placet sententia, qui aiunt, clavum, ubi solidiora cohærent ossa, esse immissum, ossibusque iis separatis, medium transiisse. Quomodo ossa non sint fracta, sed diducta duntaxat, ac collisa.

a Exod. 12. 46. & Num. 9. 12.
b Zach. 12. 10.
c Psalm. 21. 19.

Quæritur præterea, num alterutrum, an utrumque fuerit latus perfossum. In Scripturis quidem videmus unius solum lateris fieri mentionem. Ac vulgo etiam quinque Christi vulnera numerantur. Est & Tertulliani lib. II. adversus Marcionem:

Hujus de latere ligno pendentis in alto.

Theodoretus tamen in dialogo II Christum ait discipulis ostendisse *perforata latera.* Et Leo Magnus epist. XCVIII. cap. III. vocat *vulnera lateris.* Sed est *συνεκδοχῇ* numeri: ut scriptura dicit, Jonam ivisse *in latera navis*, hoc est, in alterutrum latus: latrones insultasse Christo, hoc est, alterutrum eorum. Et similia, de quibus satis in Oratoriis Institut. dictum nobis lib. IV. cap. VIII. §. X.

Sic igitur statuendum, unum fuisse vulnus. Quæritur porro, utrius lateris id fuerit. Sinistri fuisse, ait Lucas Brugensis in Ioan. XIX. 34. *Latus aperuit.* ubi sic scribit: *Non pectus aperuit miles, ut quidam pingunt, sed latus, idque sinistrum; quamquam pictores dexterum nolent. Penetratis enim costis primum, & pulmone deinde, ac tandem pericardio, transfodit cor, quod pericardio proxime*

&

& pulmone consequenter obvelatum, tametsi in medio corporis, tamen ad sinistram situm est magis, quam ad dexteram: prout etiam ictus, cum fiat dextra manu, propense petit partem sinistram. Addunt aliqui argumentum mysticum. Nam Adamum primum esse typum secundi Adami: eoque, uti ex primi latere sinistro formata est Eva, sponsa ejus: ita ex latere secundi profluxisse aquam & sanguinem, quibus formatur Ecclesia, sponsa Christi. Evam autem ex sinistro latere factam colligunt, quia uti non debuit sumi ex capite, ne se efferret supra maritum, nec ex pedibus, ne marito contemtui foret, ita ex latere sinistro potius, quod ignobilius, sumtam, quam ex dextro, ne parem se marito crederet. Si ex picturis antiquis de his statuendum, invenias non paucas, ubi latus sinistrum perfoditur. Aliud tamen multis videtur. Adferunt auctoritatem Innocentii III. lib. II. de Sacro altaris sacramento cap. LIV. ubi sic loquitur: *Calix ponitur ad dextrum latus, quasi sanguinem suscepturus, qui ex latere Christi dextro creditur vel cernitur profluxisse.* Et, toto seculo antiquioris, Ivonis Carnutensis, itidem scribentis, epist. CCXXXV: *Hostia, quæ juxta calicem consignatur, sic debet esse posita, ut sua & Calicis positione dextrum Christi latus repræsentet.* Adhæc ajunt, Athanasium, non veterem quidem, sed alium multo juniorem, in libello de passione Imaginis Christi sic scribere: *Hebræos patrum suorum vestigia secutos valido ictu lancea latus dextrum Iconis percussisse.* Etiam, inquiunt, Isidorus Mosconius, libello beatæ Claræ de Cruce, refert, Claram assidua meditatione Christi crucifixi cordi suo insculpsisse imaginem crucifixi: eam autem habere vulnus in latere dextro. Quin ipsam B. Virginem ad Briginam, ut in ejus Revelationibus legitur, dicere, in dextro latere lancea vulneratum. Et in sacra Sindone, quæ Augustæ Taurinorum asservatur, vulnus lateris conspici in parte sinistra, atque hoc indicium esse, vulnus esse acceptum in latere dextro, quia linteum, quod, corpori circumvolutum, imaginem Christi recepit, à sinistris id repræsentet; unde colligunt, fuisse Christo à dextra, ut contrario se hic modo habuerit, sicut in speculis fieri videmus. Etiam de dextro latere transverberato legas in historia Persica Xaverii. Sic quoque Io. Chiffletius de linteaminibus Christi. Adhæc P. Tamovius, & tot alii: ut omnino magnos secutus sit auctores Caspar Barlæus, jam ab annis XXX, & aliquanto amplius, collega conjunctissimus, idem & philosophus, & poeta eximius, quando Christum in cruce pendentem sic compellat:

Dextra tibi perfossa riget, mea sola scelesta est,
Nec sentit pœnam noxia dextra suam.
Innocuum qui mucro latus transfixit, aberrat;
Debentur lateri vulnus, & hasta, meo.

In hoc præstantium virorum dissensu non excutiam, quid verisimilius videatur: solum dicam, de neutro latere satis constare: atque hoc etiam Gretzerus censet lib. I. de Cruce cap. XXXIV.

Etiam quæri video, utrum sub mammilla vulnus acceperit: prout pictores fingunt. Sed eos, ut ante vidimus, Lucas Brugensis refellit eo, quod Euangelista clare dicat, *latus* fuisse apertum. Pictores vero tuetur Daniel Mallonius comm. in Alphonsi Palæoti, archiepiscopi Bononiensis II, historiæ de Christi stigmatibus cap. II. Nempe propterea, quia in sindone quæ à Iosepho Arimathæensi emta & Christo mortuo circumvoluta, imaginem ejus tecepisse dicitur, vulnus istic loci appareat, ubi pingitur vulgo. Sed major esset sindoni illi fides, si veteres ejus meminissent: nunc demum inventa intra annos ducentos: nempe anno CIↃ CCCC LVIII, ut superius vidimus. Sunt qui dicant, ferrum lanceæ non inter costas in cor adactum, sed inter pectus & femur vulnus inflictum, indeque lanceam cor versus adscendisse. Atque hoc colligunt, quia Christus in alto pependerit, miles in terra constiterit, ut, si cor peteretur, ex inferiori corporis parte ad superiora fuerit deveniendum. Fuit hæc sententia Vincentii Bellovacensis sermone de Parasceue, Alexandri item ab Ales, quem se sequi profitetur Antoninus Gislandas quæst. LXXV. de Parasceue, & Pipinus serm. de Christo Patiente. Sed non essent eo moti argumento, si scirent, vel cogitassent, crucifixos non multum solere elevari à terra: quippe qui vel de terra uno gradu adscenderent in ὑποπόδιον sive imum crucis lignum, annectano crucis stipiti additum, ut ei insisteretur à crucifigendis; vel si ὑποπόδιον foret nullum, (quod verisimilius videtur) à carnifice sublevaretur in medium stipitis palum, quem *sedilis excelsum* à Tertulliano vocati superius dicebamus.

Video autem, cum duleés dicantur clavi, quibus vivus est excruciatus Christus, lanceæ mucronem, quo à morte est transfixus, dirum appellari: nempe quia gravius peccatur in mortuos, quam vivos. Quam rationem adfert Franciscus de Petris, Iurisconsultus Neapolitanus lib. I. Festivarum Lectionum cap. V a.

Dubitari tamen possit, an, qui homo esset gentilis, nec aliud attenderet, quam ut pareret superioribus, grave adeo commiserit delictum. Totum hoc exinde pendet, quo animo fecerit. Ajunt aliqui, ab eo factum, ne Christus crurifragium pateretur. Quod durum creditu in homine gentili. Alii igitur petulantia factum putant. Alii etiam odio iruisse: ut Chrysostomus in Ioannem cap. LXXXIV. quem & sequitur, more suo, Theophylactus. a Pag. 36.

Mihi non displicet, profectum esse ab hæsitatione, quo & sibi, & aliis, de morte certius constaret: ut Cyrillus censet lib. XII. in Ioan. cap. XXIX. Et quo verisimilius hoc videatur, narrant aliqui, oculis fuisse caligantibus: ut propterea, nihil ambigentibus aliis, de morte ipse dubitarit. Verum quid de illis dicemus, qui plane cæcum fuisse arbitrantur? Quos sequi non dubitavit Baptista Mantuanus, qui proavorum temporibus magni spiritus poëta fuit. Sic enim cecinit Festorum libro:

Tu cæcus non mente minus, quam corpore, sanctum
Lancea, & admoto pectus mucrone petisti.

Ac secutus quoque hoc commentum Xaverius in Historia Bohemica. Potius, ut diximus, iis accedimus, qui eo factum putant, ut certius de morte constaret. Interea sic etiam scrupulus superest, qui eximendus nobis. Nam aliqui fecisse ajunt, quia læso pericardio, vel corde, certa mors consequatur. Sed hoc si est, dici oportuit, non tam voluisse explorare, utrum esset mortuus, quam statuisse vulnus infligere, unde certo esset moriturus. Sane letalia quidem sunt cordis vulnera, etiam secundum Hippocratem. Verum hoc de læsis cordis ventriculis exponit Galenus lib. V de locis affectis cap. I. Et tamen hic quoque aliquod est discrimen, quia, læso dextro cordis ventriculo, ad aliquot dies potest supervivi. Qua de re Sennertum adi libro V. praxios particularis part. IV. cap. III, & inclytæ hujus Amstelodamensium Urbis senatorem Amplissimum & Medicum experientissimum Tulpium lib. II. Observationum cap. XVIII; item alios, quos de cordis vulneribus laudat Clarissimus & amicissimus Thomas Bartholinus Medicus lib. de latere Christi b. Quare si avebat miles cognoscere, utrum Christus esset mortuus, convenientius dixeris, voluisse eum transmittere pleuræ membranam quæ thoracem ambit. Siquidem ex pleuriticis satis est evidens, quam acutus sit illi parti sensus. Proinde si Christus animi duntaxat deliquium esset passus, pleura trajecta confestim ad se rediisset, certumque vitæ indicium dedisset. Quod ubi non factum, vere esse mortuum, potuit miles perspicere. Quamquam quid impedit, quo minus dicamus, utrumque in milite concurrisse. Voluisse enim latus aperire, partim ut certius de morte sibi, & aliis constaret: partim ut, si vita superesset, certo hanc adimeret. Nihil enim impedit, plures esse facti unius caussas. b P. 135. & seq.

Etiam in disquisitionem vocant, utrum non latus solum, sed etiam pericardium, atque adeo cor fuerit perforatum.

ratum. Sed de isto videbimus mox, cum quæremus, unde aqua è latere effluxerit.

Porro miles, qui lancea perfodit Christi latus, *Longinus* dicitur etiam in Martyrologio Romano Idibus Martiis, ubi legas: *Cæsarea in Cappadocia passio S. Longini militis, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur. Quæritur, verumne id nomen, an fictum ἀπὸ τῆς λόγχης*: qua voce lancea, vel hasta, intelligi solet: συνεκδοχικῶς videlicet, cum proprie signet cuspidem hastæ, vel sagittarum ferrum; ut ex Xenophonte, atque aliis, constat; ac Yvoni etiam Villiomaro observatum contra Roberti Titii locos controversos lib. I. cap. IX.

Etiam illud in quæstione est, utrum hic miles fuerit idem, ac centurio ille, qui cum terræ motum, aliaque miranda, quæ fierent, Christo in cruce pendente, conspiceret, confessus est, eum vere esse filium Dei: ut legere est Matthæi XXVII. 54. Sed diversos censeo cum Luca Brugense in Ioa. XIX. 34. Nec enim persuadere mihi possum, centurioni, Christum confitenti, animum fuisse istiusmodi, ut adigeret lanceam per latus Christi sustineret. Scio, quid dicant, amore factum, ne crura illi frangerentur. Sed omnino, qui præclare adeo de Christo sentiret, atrox facinus judicasset, sic sacrum corpus violare, seu vivi, seu mortui.

Adtexam aliquid de nomine ejus militis. Si Longino nomen fuerit, plane id fuerit Romanum. Notum nomen Velii Longini Grammatici, cujus de orthographia liber superest, & Dionysii Longini Rhetoris, cujus exstat elegans liber de charactere sublimi. Ut à Iustus Iustinus, ab Augustus Augustinus, à Marcellus Marcellinus: sic à Longus Longinus. Sed multum metuo, ne primo miles, cujus nomen nesciretur, à lancea, qua aperuit Christi latus, *Longini* nomine sit donatus: posteaque ita etiam centurio dici cœperit, idque occasione ea, quod miles idem ac centurio ille crederetur. Interim sub Cæsare Maximiano Longinus miles fuit, qui privatus militari zona. Sed id sine dubio Romanum nomen putandum.

De latere Christi à milite aperto abunde dictum. Proximum est, ut consideremus illud, quod, ut Ioannes ait, qui id coram conspexit, aqua, & sanguis ex latere ejus profluxerunt. De sanguine nemo miratur. Solum de aqua est disceptatio. Nam multi eum purum & elementarem fuisse arbitrantur: talem nempe, qualis ille, quo in sacro lavacro abluimur. Atque hi ad lavacrum recurrunt. Et reperti, qui dissentientibus scriberent hæresios dicam. Vide sodes de hac re disserentem Thomam Aquinatem III par. quæst. LXVI, art. IV ad III: adhæc Salmeronem tom. X tract. XLVII, & Suarez, ac Maldonatum. Sed profecto non recurrendum ad miraculum, nisi ubi naturæ est defectus. Atqui potuit aqua exire è latere pericardio perfosso: est enim illud aqua refertum ad æstum cordis refrigerandum. Unde Hippocrates sic librum de Corde orditur: Καρδίη, σχῆμα μὲν ὁκοίη πυραμὶς, χροιῇ δὲ κατακορέως φοινίη. καὶ περιβέβλεαται χιτῶνα λεῖον. καὶ ἔστιν ἐν αὐτῷ ὑγρὸν σμικρὸν ὁκοῖον οὖρον. ὥστε δόξεις ἐν κύστει τὴν καρδίην ἀναστρέφεσθαι. γέγονε δὲ τοῦδε ἕνεκα, ὅκως θάλληται ῥωμαλέως ἐν φυλακῇ. ἔχει δὲ ὑγρασίαν, ὁκόσην μάλιστα καὶ πυρευμένη ἄκος. *Cor figura quidem metæ similis, coloro autem admodum puniceo, tunica levi circumtegitur, in qua humor a paucus, qualis urina, inest, ut cor in vesica conversari existimes. Ea vero de caussa extitit, ut validum in custodia vigeat. Humiditatem autem tantam habet, quanta maxime ad æstuantis modolam satis sit.* Dixerit aliquis, librum hunc non esse Hippocratis, quia ejus nec Galenus uspiam meminerit, nec Erotianus, ubi libros Hippocratis recenset: ac præterea, contra quam Hippocrati factum, nervorum originem, & principem animi facultatem censeat esse in corde. Non repugno: constat tamen, esse antiquissimum. Ac sententia eadem est Galeni, ut qui & ipse lib. V de locis affectis cap. II *b* scribat, καρδίαν ἐν ὑγρῷ κινεῖσθαι, *in humore moveri.* ac mox subdat: καὶ θαυμαστὸν, οὐδὲν ἀθροίζεσθαί ποτε πλῆθος ὑγροῦ τοσοῦτον ἐν τῷ περιέχοντι χιτῶνι τὴν καρδίαν, ὡς ἐμποδίζειν αὐτῇ διαστελλομένῃ. καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν ἀνατεμνομένων ζώων ἐθεασάμεθα πολλάκις ὑγρὸν οὔρῳ παραπλήσιον, ἐν τῷ περικαρδίῳ δαψιλές. *Neque enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem cumulari interdum in tunica cor ambiente, ut ipsum, ne attollatur, impedire possit. Quippe in animalibus dissectis videmus plerumque plurimum humoris urinæ speciem referentis, in eo, qui ipsum involvit, panniculo contineri.* Quid multis? quando eadem in sententia sunt tot Anatomici ac Medici. In his Andreas Laurentius historiæ Anatomicæ lib. IX. ubi de Organis vitalibus, Georginus Bertinus Medicinæ lib. V. cap. IX, Nicolaus Nancelius in Analogia Macrocosmi, & Microcosmi, Adrianus Spigelius lib. IX. de fabrica humani corporis cap. V. E Theologis vero, aliisque Scripturæ interpretibus, Benedictus Arias Montanus Elucidat. in Ioannem cap. XIX, Ioannes Poza Theologus Complutensis in Elucidatio Deiparæ cap. IV. tr. I. lib. III, Iacobus Tirinus in Euangelia. Adhæc summi viri Theodorus Beza, Immanuel Tremellius *a*, & Hugo Grotius. Atque eodem etiam Iustus Lipsius propendet. Ipsi etiam sæpe tum Leidæ id conspeximus, dissecante humanum corpus Petro Pauwio: posteaque Ottone Heurnio, & Adriano Falkenburgio, viris clarissimis, multisque annis in Leidensi Academia collegis conjunctissimis; tum in inclyta hac Amstelodamensium urbe anatomen exercente insigni Medico, & Anatomico, Amplissimoque Urbis Senatore, Nicolao Tulpio.

Ac multo minus merum fuerit miraculum, si etiam inter thoracem & pericardium aqua seu serum contineatur. Sane egregius naturæ mystes Caspar Bartholinus Danus, & dignus tanto parente filius, clarissimus Thomas Bartholinus, existimant, nihil opus esse recurrere ad pericardium perforatum: quia utcumque non fuerit pertusum cor, vel pericardium, ex sola pleura perforata hoc potuerit contingere: imo hoc verisimilius videatur, quia de solo latere aperto legere sit in Euangelio. Statuunt vero, in capacitate thoracis nunc minus esse aquei liquoris, nunc plus, pro cujusque temperamento: inque Christo ob doloris magnitudinem humorem hunc fuisse adauctum: nec tamen merum & elementalem aquam fuisse, sed ἰχῶρας ὑφαίμους sive αἷμα ἰχωροειδὲς, sive ὑδατῶδες αἷμα, sanguinis serum, sive humorem aquaticum: quomodo & sanguis ex aqua mixtus vocatur Cypriano, vel alteri, libro de montibus Sina, & Sion: πεφυρμένον πως Apollinari, vel alteri in Christo Patiente. De hac sententia plura nunc non disseram: malo enim adeas doctissimum, & amicissimum Thomam Bartholinum lib. de latere Christi cap. IV, & XI, ac deinceps.

15. §. *Quæri video, utrum aqua, & sanguis, fluxerint simul, an successive, puta prius aqua, post etiam sanguis, vel contra. Præterea ut simul fluxerint, in quæstione remanet, utrum distincta fuerit aqua à sanguine, an vero ambo fuerint permixta. Censeo, fuisse immixta, non confusa.*

Præit Apollinaris vel alius in Christo Patiente *b*:

— Ὕδωρ
Ἔκρευσεν εὐθὺς, αἷμά τ' οὐ πεφυρμένον.
— *Aqua*
Effluxit illico, & sanguis non permixtus.

Nonnus paraphrasi cap. XIX *c*:

Πρῶτα μὲν αἷμα χύθη, μετέπειτα δὲ θέσκελον ὕδωρ.
Primum quidem sanguis effusus est, deinde vero divina aqua.

Quæ ostendunt, hoc voluisse eos, vel prius unum, inde alterum fluxisse liquorem; vel ut eodem tempore fluxerint, eodem tamen è vulnere ea, quasi distinctis αὐλοῖς sive rivulis, fluxisse arcuatim: quomodo fluentem sanguinem *tullios* dixere antiqui. Ut Ennius:

Misso sanguine tepido tullii efflantes volant.

a *Amatus Fiesius* ὑγρὸν σμικρὸν *vertit* humor modicus. *Atqui* modicum *antiquis non signat* paucum, *ut vulgo uti solent: sed* mediocrem, *modumque servans. Quod & origo vocis confirmat.*

b *Edit. Ald. tom. 3. fol 159 b.*

a *Notis in Ioan.*

b *P. 274. edit Morell. a. 1611.*

c *Vers. Ioan. 34. carminis vero 190.*

a 1 Ioa. 5. 8.

16 §. *Hic vero sanguinis & aqua fluxus mysterio non caret. Nam, ut ait B. Ioannes* a, tria sunt, quæ testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.

Sententia est, quemadmodum divinitati Christi testimonium in cælis perhibent, Pater, Λόγος, & Spiritus Sanctus: ita in terris humanitati ejus testimonium dant Spiritus, quem moriens emisit, sanguis & aqua, quæ mortuo è latere eruperunt. Sane homo verus constat anima, & corpore: anima per spiritum signatur: corporis veritatem signant aqua & sanguis: aqua quidem, ex elementis conflari; sanguis, iisdem ac nos humoribus componi, comprobavit. Unde & idem b: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.* Præterea per aquam, & sanguinem, duo significantur sacramenta: baptismus, quo renascimur; & eucharistia, qua tenati nutrimur.

b 1 Ioa. 5. 6.

17 § *Sanguis ille, qui fluxit è latere Christi perfosso, à matre Domini dicitur collectus in usum reliquiarum, hodieque ostentatur. Sed de isto non apud Euangelistas modo, sed omnes, qui trecentis post Christi passionem annis vixere, altum est silentium.*

Præcipue autem de adservatione ejus poëticam esse fictionem lubentes agnoscent, qui in fluxu aquæ miraculum statuunt. Nec enim citra revelationem hoc potuisset Maria prævidere.

18. §. *Atque hic terminatur historia Passionis Dominica.*

Dixeris, Passionem non posse ultra mortem extendi: ac videri proinde assentire nos Petro Ioannis, qui circa annum c Iↄ ccxv docuit, Christo latus perforatum adhuc viventi: quemadmodum à Guidone Carmelita traditum, & Bernardo de Lutzemburgo in Catalogo hæresium, & ex iis Bellarmino in Chronologia, quam Ecclesiasticis Scriptoribus subjunxit. Nobis vero longe alia mens: sed putamus, quæ proxime diximus, recte ad mortem, ut ejus signum, referri. Nam ex apertione lateris, & inde aquæ, ac sanguinis, exitu, certo constat de morte Christi.

Cap. XII.

De Christi sepultura, & corporis custodia.

1. §. A *Passione ac morte Christi venio ad historiam sepulturæ.*

Nec enim mos Iudæis fuit cadavera cremare; ut Græcis, ac Romanis, imo & aliis quibusdam gentibus: nedum, ut Colchis, de arbore suspendere: sed terræ mandare. Unde Philo libro in Flaccum: Ἀνθρώποις καὶ πᾶσι χερσαίοις οἰκειοτέραν ἡ φύσις χώραν ἀπένειμε γῆν, οὐ μόνον ζῶσιν, ἀλλὰ καὶ ἀποθανοῦσιν, ἵν᾽ ἡ αὐτὴ καὶ τὴν πρώτην ὑποδέχηται γένεσιν, καὶ τὴν ἐκ τοῦ βίου τελευταίαν ἀνάλυσιν. *Hominibus, & omnibus terrestribus animalibus, natura proprium magis locum tribuit terram, non modo viventibus, sed etiam mortuis, ut ipsa & primum exciperet ortum, & postremam resolutionem.* Deque Iudæis aperte Tacitus in quincto Historiarum: *Corpora condere, quam cremare, more Ægyptio.* Nisi cum doctissimo Chiffletio c pro *condere*, malis *condire*. Quomodo de Poppæa idem in XVI Annalium ait: *Corpus non igni abolitum, ut Romanis mos: sed, regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur.* Ubi similiter *conditur* legit, media porrecta. Verum fallitur. Nam conditum quidem prius, ac postea conditum: at non, ubi odoribus esset refertum, fuit conditum, cum odores illi ipsi ad condimenta pertineant; sed terra tum conditum est. Quod vero Tacitus ait, *corpora condere, more Ægyptio*, id opinionem gignat, quasi eum sepeliendi morem didicerint ab Ægyptiis. Sed ex iis quæ de sepultura Saræ *a*, atque aliis, narrat Scriptura, satis liquet, morem hunc Iudæis patrium fuisse, non ab aliis gentibus acceptum. At non repugno, quo minus, non dico condendi, sed condiendi morem hauserint ab Ægyptiis. Quibus triplex mos fuit condendi: ditiorum unus, argenti talentum insumentium in conditura, quæ fiebat myrrha puta, casia, aliisque odoribus; item vino phœniceo. Alter mediocrium, quia minarum viginti, ac nitro, quod carnes tabefacit, & unguento cedrino, fiebat. Tertius infimorum, quo corpora lavabantur, & exsiccabantur. Ac postremus ille mos obtinuit in Iudæa. De more isto Ægyptiorum plura si voles, vide Herodotum lib. II, & Diodorum Siculum libro I: è junioribus Chifletium adi libro de linteis Christi sepulcralibus cap. II, & III. Nos Iudaicis ritibus insistemus; ac imprimis sepulturæ Christi: ubi primum agendum de iis, quæ proprie sunt sepulturæ: deinde de custodia sepulti.

c Lib. de linteis sepulcralibus Christi cap. 2.

a Genes. 23.

2. §. *In sepultura attendimus, qui sepelierint, & ubi ac quomodo, & quando id fecerint, & qui fuerint spectatores. Sepeliere duo viri principes: quorum prior fuit Iosephus ab Arimathæa.*

Arimathæa vero, ut est apud B. Hieronymum lib. de Locis Hebraicis, & in lib. I Sam. sive Reg. cap. I, civitas fuit in regione Tannitica prope Diospolim, aliter dicta *Rama*, & *Ramathim Sophim*, unde Elcana, pater Samuelis prophetæ.

3. §. *Hic describitur non modo à patria, quam diximus: sed etiam ab genere, opibus ac dignitate, quia erat nobilis, dives & Senator Hierosolymitanus.*

Græce est βουλευτής: quod interpres vetus reddit *decurionem*, nempe quia qui Romæ Senatores, hi in municipiis *decuriones*.

4 §. *Idem erat vir bonus & justus, ac discipulus sive auditor Iesu: ac exspectabat ipse etiam regnum Dei, quod Christus appropinquare docuerat. Nec consenserat iis, quæ adversus eum Synedrium decreverat.*

Itaque ut Hieronymus in Matthæum scribit, non defuere, qui de eo dicerent intelligendum Psal. 1: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Sed non is scopus Psalmi hujus: etsi huic Iosepho recte etiam accommodetur.

5 §. *Quamquam vero antea, Iudæorum metu, occulte solum audisset Christum, ut est apud Ioannem* b: *nunc tamen, metu ac pudore posito, audacter accessit Pilatum, atque ab eo corpus Christi petiit ad sepulturam. Pilatus, cum sciret, crucifixos aliquamdiu vivere solere, prius ex centurione exquisivit, an jam mortuus esset: nec nisi eo cognito corpus permisit Iosepho.* b Ioa. 19. 38.

Quod ipsum postea inserviit isti rei, ut de veritate resurrectionis certius constaret.

6. §. *Iosephus hinc triplici officio functus est. Nam & corpus de cruce deposuit, depositum sindoni munda, quam hoc fine erat mercatus, involvit, & ita involutum imposuit novo sepulchro ex petra exciso: quod sibi magno sumtu pararat.*

Hanc

Hanc curam plenius mox explicabimus. Miretur aliquis, aurum esse tangere mortuum, quo se pollui credebant Iudæi. Et hoc quidem aurum, cum mox esset comedendus agnus paschalis. Sed quomodo id corpus pollueret quemquam, cujus sanguis omnem immunditiem abluit? Hæc de Iosepho.

7. §. *Alter sepelientium fuit Nicodemus: is qui nocte accesserat Christum, ut est Ioan. III, & Christi etiam defensionem contra Pharisæos susceperat, ut est cap. VII. Ut vero Iosephus sindonem, ita hic ad pollincturam attulit mixturam aloes & myrrhæ, idque ad libras prope centum: ut liqueat, corpus Iesu non leviter fuisse inunctum, sed unguento penitus immersum.*

De consuetudine ea pluribus mox loquar. Hæc nunc de personis sufficiant.

8. §. *Ordo in pollinctura hujusmodi fuit. Primum corpus laverunt.*

Lotionis, ac quidem, ut à pluribus factæ, meminit Chrysostomus Homil. LXXXIV in Ioan. *Dum peteret eum à Pilato* (Ioseph,) *& dum lavarent, jam vespera adventarat.* Apud Romanos etiam lotio unctionem præcedebat: unde Ennius Annalium lib. III de Tanaquile:

Tarquinii corpus bona femina lavit, & unxit.

Trojanis item tribuit Maro VI Æn. ubi de exsequiis Miseni,

—— Corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Pœnis quoque morem lavandi cadaver assignat Maro IV Æn. ubi Anna inquit,

—— Date vulnera, limfis
Abluam. ——

9. §. *Ubi laverant, ungebant.*

Inungendi hunc morem clare indicant verba illa Christi, cum Maria eum pistica nardo inunxisset, ut est Ioan. XII: *Sine illam, in diem sepulturæ meæ servavit istud.* Etiam Ioan. XIX, 39, clare est: *Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum.* Ac versu proximo additur clare, hunc morem fuisse Iudæis, ut aromatibus condirent cadavera. Ac Marci XVI legas, ut Maria Magdalena, & aliæ feminæ, *emerint aromata, quo venientes ungerent Christum.*

10 §. *Nempe Iudæis etiam hoc studio erat, ut defunctorum corpora diutissime conservarentur, bonumque spirarent odorem: quod credibile est fecisse, non solum testando amori erga defunctum, sed etiam ob spem resurrectionis.*

Unde colligitur, honorem exsequiarum, si modum servet, esse laudabilem. Quo etiam pertinet illud Ecclesiastici cap. VII: *Mortuo non prohibeas gratiam.* Leve autem discrimen erat inter Iudæos inungentes, & Ægyptios, de quibus ante diximus. Nam Iudæi exterius solum inungebant. At Ægyptii etiam interius, eoque viscera prius eximebant: ipsum cerebrum extrahebant per nares. Hujusmodi conditura modus ταριχεύσις dicitur Herodoto.

11. § *Corpore inuncto, illud linteis sepulcralibus involverunt: quæ multi putant fuisse tria: linteum breviùs, quod sudarium dicitur, & caput tegebat: linteum longum, quod sindon vocatur, & reliquo corpori, eique nudo, circumvolvebatur: & fascia sive instita, quibus sindon coercebatur, & manus pedesque ligabantur. Sed cum, qui meminere sindonis, non nominent ὀθόνια sive κειρίας: h. e. linteamina, sive fascias: quique hæc expressere, taceant de sindone: credibile est, idem per sindonem & ὀθόνια sive κειρίας signari. Σινδὼν sive ὀθόνη erat initio, prout emtum. Hoc postea fuit discerptum, ut inde fierent ὀθόνια, sive κειρίαι, quia fasciatim corpus involverentur, ac pars inserviret colligando pectori, ac ventri, cum brachio utroque; pars vero femori ac pedibus: quibus opus erat scissis diversis.*

Hæc fusius enarrat Salmasius secunda de Cruce ad Bartholinum epistola a. Ὀθόνην fuisse integrum linteum, priusquam discerperetur, ostendit, quod Lucas linteum illud, in quo varia Petro animalia ostensa, appellet ὀθόνην μεγάλην, *linteum magnum.* Sed ubi in partes discerptum, quæ pro fasciis, sive vinculis sepulcralibus forent, non tam ὀθόνη, vel σινδὼν erat, quam ὀθόνια, h. e. *linteamina.* Hesychius: Ὀθόνη, σινδών, ζώνη, πλατεῖον. Ac mox: Ὀθόνια, λινᾶ ἱμάτια. Nempe ut Latinis *pannus* aliquid integrum: sed partes ejus, *panni*, τὰ ῥάκη: unde *pannus obsutus, pannosus, pannuceus*, ῥακώδης. Majori igitur linteo, quod sindon dicitur, in fascias discerpto, Christus istis fasciis involutus fuit. Quod etiam indicant Marci verba, ἐνείλησε τῇ σινδόνι: & verbum ἐντυλίξαι, quod usurpant Euangelistarum alii. Sed eos loquentes audiamus. a P. 378. & 379.

Ioan. cap. XIX. 40, *Acceperunt corpus Iesu, & ligaverunt* (ἔδησαν) *illud linteis* (ὀθονίοις) *cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Sindone fuisse corpus Iesu à Iosepho involutum, aperte etiam est apud Matth. XXVII, 59: *Accepto corpore, Ioseph involvit* (ἐντύλιξεν) *illud sindone munda*: σινδόνι καθαρᾷ. Item Marci cap. XV, 46. & Lucas cap. XXIII. 53. Præter vero sindonem fuisse sudarium, indicant verba Ioa. cap. XX. 6: *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita,* (ὀθόνια κείμενα) *& sudarium, quod fuerat super caput ejus.* Clare & linteamina, & sudarium memorat ut diversa. Ac similiter de Lazaro cap. XI. 44: *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies ejus sudario erat ligata.* Ubi videmus, etiam corpus dici institis ligatum, sive fasciis. Græco est κειρίαις. Per κειρίας vero plerique non aliud intelligunt, quam quæ ὀθόνια appellat Ioannes: nempe quia corpus fasciatim involveretur linteis: ut in Resurrectionis historia dicetur. Nec tamen cum eo contendere velim, qui præter institas alia fuisse lintea existimet. Audiamus Augustinum lib. III de Consensu Euangel. cap. XXIII: *Neque hoc repugnat quicquam recte intelligentibus: nec enim illi* (tres priores Euangelistæ) *qui de Nicodemo tacuerunt, affirmaverunt, à solo Ioseph Dominum sepultum, quamvis solius commemorationem fecerint: aut quia illi una sindone à Ioseph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuisse afferri à Nicodemo, & superaddi; ut verum narraret Ioannes, quod non uno linteo, sed linteis involutus sit: quamvis & propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas, quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi una sindon ibi fuit, verissime dici potuit, Ligaverunt eum linteis: lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* Porro sudarium quoque ex lino fuisse textum, satis indicat Catullus, qui epigrammate ad Asinium, quod prius *linteum* dixit, mox *sudarium* appellat: & Dioni in Nerone est σουδάριον, quod Tranquillo *sudarium.* Nomen ab usu, quia sudor eo soleat abstergi: Nisi à Græcis: quia Hermippus σουδάριον: ut ex Grammaticis vett. constat. Pollux ait, quod σουδάριον suo tempore vocaretur, antiquis Comicis dictum καψιδρώτιον. Quæ vox etiam apud Hesychium. Nec audiendus Nonnus, quando paraphrasi in Ioan. cap. XI, 181, & XX, 33, vocem appellat Syriacam. Homo Ægyptius, Græceque doctissimus, Latine nesciebat. Objectant, quod libro Ruth, cap. III vers. XV, ubi Hebraice est הבי המטפחת, *habi hammitpahat*, h. e. *dato linteum*, apud Chaldæum paraphrasten sit הבי סודרא, *habi odara*: quod Elias exponit, *linteum, velum, speciem panni.* Etiam סודרא, *sudera*, pro velamine habet Thargum Exodi XXXIV. 33. 34. Etiam

Syriacus interpres Act. XIX. 12. סודרא *sudara* habet, ubi Græce σουδάρια. Sed enim & Chaldæus ille Paraphrastes & Syriacus interpres non minus habent quædam, quæ à Latinis Oriens acceperat, quam habent Græci Euangelistæ, qui multa usurpant à Latinis accepta, quia in Judæa & Syria vulgo obtinerent. Vir doctissimus, qui de linteaminibus Christi sepulcralibus scripsit, aliter huic quæstioni occurrit ejus operis cap. v. *Inclino*, inquit, *in sententiam Nonni; etsi nihil vetat idem vocabulum linguis nativum esse, ut asserunt quidam de nominibus missa, Cephas, Iesus, pascha.* Nonni hac parte, ut dixi, levis est auctoritas; quia, cum Latine nesciret, nihil mirum, si origine Syriacum putaret vocabulum, quo Syri, & Chaldæi vulgo uterentur. Quod vero ad *Missa*, omnino à Latinis est, non Hebræo מסת; etsi non ignorem, pro spontanea manus oblatione usurpari Deuter. XVI. 10. Quippe si à Judæis foret, novissent vocem eam Ecclesiæ Græcæ, At *Cephas*, *Jesus*, *pascha*, Syriaca sunt, vel Chaldaica: non à Græco κεφαλή, ἰησοῦς, & πάσχω; licet hoc traditum sit à veteribus quibusdam, nescius linguæ Syriacæ. Non tamen adversor, siquis non pro veris habeat etymis, sed allusionibus non inconcinnis.

Simeon Metaphrastes ait, Beatam virginem sudario hoc detersisse caput Christi de cruce depositi: ac deinde illud tradidisse Josepho ab Arimathæa, ut eo inter sepulcralia lintea uteretur. Sed quis nescit, quam multa ille paraphrastes veteribus ignota, vel è recentiorum hauserit lacunis, vel ipse confinxerit?

Post resurrectionem Christi sudarium illud primitus possessum dicitur à Judæis credentibus in Christum, usque in quinctam generationem: deinde ab infidelibus usque ad tempora Mahuviæ, qui anno obiit IↃCLXXVIII, ac hæredem regni reliquit filium suum Gizid. Pluribus, ex relatu Arnulphi Episcopi, rem narrat Venerabilis Beda lib. de Locis Sanctis cap. v: ubi & de incombustili ejus sudarii virtute miraculum narrat. Ipsum, si voles, adi: & Chifletium lib. de linteis Christi sepulcralibus cap. VI: ubi & contendit, sudarium Vesontinum magis videri esse illud Bedæ memoratum, quam Taurinense, quia hoc sit pedum XII, illud Vesontinum pedum octo, quam fuisse longitudinem sepulcri Dominici tradit Adrichomius. Verum magnitudo sepulchri Dominici parum ad rem facere videtur, cum Beda clare loquatur, non de sindone, quæ Christi corpus contexit, sed (hæc verba ejus sunt) *sudario capitis Domini.* Et scrupulum merito injicit, quod in hoc sudario non capitis modo, sed reliqui etiam corporis, effigies sit impressa. Integer enim homo comparet. At sudario solum capitis, sindoni solum corporis reliqui effigies potuit imprimi. Varie huic difficultati solet occurri: dum alii putant, priusquam resurgeret Christus, effigiem sui totius tegumento capitis impressisse: alii autem, sudario signari linteum, quod totum corpus à vertice usque ad imos pedes contexisset. Prius censet Gretzerus lib. 1. de Cruce cap. LXXXV: alterum Chifletius lib. de linteis sepulcralibus cap. VII. Cui controversiæ diutius insisterem, si quæstio illa, utrum Vesontinum linteum sit idem, ac illud quicum Christus sepultus fuit, ad veritatem Dominicæ sepulturæ pertineret. Nunc solum dixero, de priori quidem sententia illud, non apparere caussam, cur Christus miraculose vellet capitis velo totius corporis effigiem imprimere: de altera, quod satis sit apertum, sudarium intelligi non universi corporis, sed unius capitis tegumentum. Unde & Nonnus:

> Καὶ κεφαλῆς ζωστῆρα περίπλοον ἅμματι χαίτης,
> Σουδάριον, τόπερ εἶπε Σύρων ἐπιδήμιος αὐδή.
> *Et capitis cingulum resolutum nexu comæ,*
> SUDARIUM *quod dixit Syrorum popularis vox.*

Et, licet aliter hic Nonnus, vox ipsa indicio est, sic dici, quia capitis sudorem detergeret: cui usui Nero ligato circa collum sudario prodibat: ut est apud Tranquillum in ejus vita cap. LI. Et quid multis? cum capiti soli inservisse clare liqueat ex iis, quæ Joan. cap. XI legimus de Lazaro, deque Christo cap. XX. Neque aliter Syrus interpres. Ut Augustinum, Bedam, & tot alios, taceam: qui omnes suscepere. De sudario satis dictum. Sequitur de sindone, quæ corpus reliquum, à collo puta usque ad pedes, obvolvebat. Fuisse illud è lino, manifestum est. Videtur vox esse ab Hebræis. Nam סדין, *sadin*, quod est Judicum XIV. 12. 13. LXX vertunt, ut Esai. III. 22, βύσσος. Plura de sindone diximus, cum ageremus de juvene, sindone sola induto, eaque in militis manibus, dum fugeret, relicta, ea nocte, qua captus est Christus.

Quemadmodum vero sudarium alii, de quibus diximus, sic Allobroges, sive Taurinenses, sibi vindicant sindonem, qua Christi corpus fuit involutum. Quæritur, quo pacto hoc conveniat cum eo, quod eam Vesontiones se habere dicant. Aliqui contendunt, illos habere sudarium, hos sindonem. Alii aiunt, Taurinenses habere linteum, cui corpus Christi involutum cum primum de cruce deponeretur, ac deferretur ad sepulturæ locum, quo in linteo non debuisse Christum sepeliri, quia ex vulneribus Christi esset cruentatum: eoque post pollincturam alio plane mundo fuisse opus: atque hoc esse Vesontinum. Nondum dixi. Nam alii quoque se aliquod ex sepulcralibus Christi linteis habere aiunt. Ad hoc responderi video, fuisse tria lintea, sudarium, sindonem, & fascias: ac fortasse alicujus ex istis alios hanc, alios partem aliam habere. Sed ecce aliud etiam responsum. Camberienses quoque sibi sindonem Christi sepulcralem vindicant. Ac Julius II. in bulla anni CIↃ IↃ VI ait, eam esse, *in qua Dominus noster Jesus Christus, in monumento positus, involutus fuit.* Chifletius a sic occurrit, *responderi, & apposite, Pontificem non eo loco decretum sancire, sed ex vulgi sententia loqui.* Nimirum, quia vulgus multa credat, quæ sapientes non credunt. Audiamus etiam, quid de variis Christi sindonibus catagraphis, sive pictis, scribat Gretserus lib. 1 de Cruce cap. LXXXV; *Hujusmodi sacra pignora, & λείψανα, ex imitatione aucta, & ex prototypo sæpius expressa, occasionem dedisse posteris, ut sibi persuaderent, se verum exemplar possidere; cum non nisi imaginem ex primo sudario vel sindone effigiatam haberent: qui error omni culpa caret, cum & in primis illis, & in his, quæ ad imitationem illorum adumbrata sunt, Redemtor noster honoretur.* Addit Chifletius lib. de linteis Christi cap. XXVII, *Ulyssipone, primaria Lusitaniæ urbe, extra muros, in Monasterio Virginum Matris Dei de Enxobregas, ostenditur die Jovis hebdomadæ sanctæ sudarium cum imagine Christi Domini, sed ectypon. Mallonius diserte asserit, & Camberiano linteo alia exemplaria excerpta esse, quæ in magna existimatione, ut par est, servantur: & nos ex Vesontino idem factum supra ostendimus.* Quid mirum autem, si multa ectypa paullatim sint habita pro ipso exemplari: quando in sanctuariis etiam quæ *brandea* vocant, idem usu venit. De hoc more Romano sanctuaria mittendi pro ipsis reliquiis vide Martyrologium Baronii ad Mart. diem XV. Et Annales Eccles. an. Christi LV. num. XII: item Chifletium memorati operis cap. XXVII. b Ubi & aliter iis occurrit, qui mirantur, pro sudario Christi, quod unicum fuisse è Scripturis constat, plura hodie ostendi. *Forte*, inquit, *alicubi Martyris cujuspiam prisci avi, aut alterius viri sancti sudarium pro Christi sudario colitur.* Quomodo etiam, ut superius vidimus, Baronius respondet iis, qui objectant de pluribus clavis, quam ternis, aut quaternis. At ille, ut aliquis fortasse non sit è clavis, quibus Christus ipse affixus fuit cruci, posse esse è clavis, quibus idem ille postea affixus est cruci in membris suis: ut in sancto quopiam martyre. Verum hujusmodi si insistere ulterius velim, metuo ne videar τὰ περίεργα ποιεῖν ἔργον. Sindonem, & fascias, non fuisse diversa, censuit etiam Nonnus, cum scribit:

> Λεπταλέοις ὀθόνῃσιν ἱμαντώσαντο θυηλὸν
> Σῶμα, πολυπλεκέων ὀθόνῃ δεσμῷ.

a Lib. de linteaminibus Christi cap. 25.

b P. 164. & seq.

Tenu-

Tenuibus linteis circumdederunt mortui corpus,
Multiplici circumvolutionum fragrante vinculo.

Ac videtur hæc sententia posse adstrui verbis Joannis de sepultura Lazari, & Christi. Nam de Lazaro ait cap. XI, 44: *Ligatus* (δεδεμένος) *manus & pedos institis* (κειρίαις) *& facies ejus sudario erat ligata.* De Christo inquit cap. XIX. 39: *Acceperunt ergo corpus Christi, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus.* Græce ἔδησαν ἐν ὀθονίοις. Ac cap. XX. 6. 7. refert, ut Petrus insiliens in sepulcrum viderit tum sudarium, quod fuerat super caput, tum linteamina (τὰ ὀθόνια) seorsim collocata. Videmus, his locis partim sola memorari ὀθόνια; partim κειρίας cum sudario; partim, cum eodem ὀθόνια. Unde consequi videtur, idem signari per κειρίας, & ὀθόνια, h. e. per fascias, & lintea. Nempe quia lintea fasciatim nudo corpori circumvolverentur. Præsertim cum, ut dicitur δεδεμένος κειρίαις, *ligatis fasciis* sive *institis*, vel *taniis*: sic etiam dicatur ἔδησαν ἐν ὀθονίοις, *linteis* sive *linteaminibus vinxerunt.* Aliquorum tamen opinio est, corpus prius fuisse sindone circumvolutum, ac deinde fasciis sindonem constrictam: vel nudo corpori fascias admotas, ac deinde circumplicitam esse sindonem. Ac pro hac sententia facit, quod præter sudarium memorentur ὀθόνια, h. e. linteamina, numero plurativo: ut diversi generis linteamina intelligantur, eoque sindon à fasciis sit diversa. De linteis sepulcralibus satis.

12. § *His à Nicodemo, & Josepho, curatis, corpus Christi non arca prius inclusum, atque hinc sepulcro est immissum, ut moribus nostris obtinet; sed ita uti erat linteis involutum, repositum est in sepulcro.*

Tradunt Rabbini, in speluncis fuisse loca excavata: in quibus cadaver fasciis suis involutum reponeretur: ac cavum istoc fuisse pro arca nostra.

Sepulchrum id Christi spelunca fuit, unde & cryptam à veteri scriptore videas nuncupari. Etiam comparant veteres cum Ecclesiæ concha: videlicet quia spelunca, quæ Dominicum corpus continuit, structuræ erat concameratæ: uti templi pars interior non pro tecto lacunar haberet, sed cameram, quam absidem, & concham dixere: ac dimidiati hemisphærii figuram habuit, sive quartam referebat partem sphæræ: uti *testudo* vocabatur, si hemisphærium referret; *fornix*, si hemicylindrum. De quibus, ut solet, erudite Salmasius ad Solini Polyhistora *a*.

a Pag. 1213. & quatuor sequentibus.

13 §. *Paupertatem vero Christi arguit quod alieno impositus sit sepulchro: uti & quod alieno unctus unguento, & aliena sindoni involutus. Divinam quoque providentiam ostendit, quod prope locum, ubi crucifixus erat, sepulcrum hoc foret, cum ob imminens pascha, longe eum transferendi non suppeteret tempus. Eandem demonstrat, quod hoc sepulcrum fuerit novum, & è petra excisum.*

Nisi enim novum fuisset, dicere potuissent, alium ex eo resurrexisse: & nisi è petra excisum, suspicati potuerant, discipulos per cuniculos esse ingressos sepulcrum, atque ita corpus suffuratos.

14. §. *Ita vero repositus est Christus in spelunca, ut facie respiceret Occidentem.*

Qua de re ex Adrichomio dictum cap. VI, cum ageremus, quam partem cæli spectarit in cruce pendens. Aliter tamen Beda, qui sic situm censet, ut capite à Septentrione Austrum respiceret.

15. §. *Post hæcce officia ingens saxum est advolutum ori monumenti.*

Quod & factum in sepultura Lazari; unde Joannes: Ἦν δὲ σπήλαιον, καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. Caussa hujus moris gemina erat: partim ne sæviri posset in cadaver, partim ne furtim auferretur.

16 §. *Atque hæc virorum fuere officia circa sepulturam Christi. Muliebre vero illud, quod feminæ complures, inque iis præcipue hæ duæ, Maria Magdalena, & Maria altera, uti à crucifixo non poterant avelli, ita etiam postquam à cruce esset depositus, viros sunt secuta, qui pollincturæ, & sepulturæ curam susceperant. Atque hæ è regione monumenti consederunt, sedulo observantes quid de corpore fieret, atque ubi sepeliretur: idque eo animo, ut exacto sabbato eo redirent pollincturæ ergo. Nec Christus modo terræ mandatus fuit, sed & crux de qua pependerat Christus: imo & illæ, quibus affixi fuerant latrones, istic loci, ubi steterunt prius, obrutæ terra fuerunt: atque id omne ex Judæorum more factum.*

Consuetudinem eam ex Rabbinis observarunt complures. Solum dicam duos, Orientalium literarum peritissimum Joannem Morinum, Parisiensem Theologum, & summum virum Constantinum L'Empereur, in Leidensi Academia antehac collegam meum conjunctissimum. Si veteres ipsos, hoc est, fontes consulere malis, adeatur Maimonides opere inscripto *Manus fortis*, tractatu Sanhedrim cap. XV, num. IX, & commentario in Misnajoth, eodem tractatu, in fine cap. seu sectionis VI. & ipsum Misnajoth, eopse tractatu, cap. VI, num. V, & VI, & Ghemara initio cap. VI, ut mittam cæteros.

17. §. *Porro universa hæc contigere instante jam Sabbato.*

Lucæ XXIII. 54: Καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευή, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. *Et dies erat Parasceves, & Sabbatum illucescebat.* Aliter dies, aliter nox ἐπιφώσκει: dies beneficio Solis; nox munere Lunæ ac siderum. Hic sermo de nocte illucescente: quia à nocte inciperet dies sive τὸ νυχθήμερον Judæorum. Non tamen hic locus tam de initio noctis capiendus, quam de vespera præcedente, sive ultima hora diei Veneris. Nam subdit Euangelista, mulieres spectasse, ubi reponeretur corpus Christi, ac aromata præparasse ad inunctionem, quam post sabbatum exsequi decreverant. Ista sane contigerunt die Veneris, paullo antequam Sol occiderit. Non igitur vox ἐπιφώσκειν à Luca accipitur, sicut à Matthæo *a*. Ille loquitur de luce matutina: hic de vespertina. *a Matth. 28. 1.*

18. §. *Postera ubi dies illuxit, quo Sabbatum magnum erat, principes sacerdotum ac pharisæi, neglecta religione sabbati, rogarunt Pilatum, ut, quia Christus, quem impostorem vocabant, dum viveret, dixisset, se die tertia resurrecturum, eo sepulcro custodiam adderet, ne discipuli corpus furtim auferrent, ac postea in plebe spargerent, eum resurrexisse: atque ita error de Jesu posterior priori esset periculosior. Ad quæ Pilatus respondit, posse eos ad hanc rem uti custodibus, quos haberent.*

Romanam κουστωδίας vocem retinuit Matth. XXVII, 65: Ἔχετε κουστωδίαν. Ac similiter vers. seq. & XXVIII. 1. Nec mirum id: quia Romani erant milites. Siquidem, ut superius dictum, præses Romanus vigilibus Judæis ad templi custodiam addebat cohortem, quæ quia hominum erat gentilium, eo, qui ex illa cum Juda proditore veniebant ad capiendum Christum, ἁμαρτωλοὶ sive peccatores dicti Matth. XXVI. 45. Cum vero dicat Pilatus, κουστωδίαν ἔχετε, liquet, Judæos, quo tempore hanc cohortem Romanorum militum haberent, imperium in eam cohortem ha-

habuisse. Nempe parebat ea στρατηγὸς, cujus officium erat, ex Synedrii jussu iis manus injicere, qui deliquissent contra legem.

19 §. *Eo impetrato, ut etiam milite Romano ad sepulcri custodiam uti liceret, Judæi lapidem sepulcri obsignarunt, & sepulcro milites apposuere, qui corpus custodirent. Quomodo iterum ignari inservierunt providentiæ divinæ.*

Sperabant enim impii Judæi, se posse hoc pacto impedire, ne resurrexisse postea crederetur. Sed contra evenit, ut sic potius miraculum ac fidem resurrectionis firmarent. Nam obsignatione sepulcri, & addito custodum grege, sublata est occasio, ne à discipulis esse sublatus putaretur.

Cap. XIII.

De descensu Christi ad inferos.

1. § *Post sepulturam Christi in Symbolo, quod* Apostolicum *vocatur, subjici solet descensus ad inferos. Quem aliqui olim intellexere secundum naturam divinam. Sed perperam, cum Deus omnia impleat sua οὐσίᾳ; eoque proprie non possit dici adscendere, vel descendere.*

Vide Fulgentium lib. I ad Thrasymundum, Vandalorum regem: ubi eos, qui alteram sententiam amplecterentur, oppugnat.

2. §. *Omnino autem intelligendum de humana natura. Sed sic quoque in controversia est, utrum capere oporteat ratione animæ, an corporis: &, si ratione animæ, num metaphorice, an proprie: si ratione corporis, num ratione sepulturæ, an triduanæ in sepulchro detentionis. Metaphorice de animo intelligere oportet, si signatur status animæ in loco invisibili.*

Sic transfert ᾅδης vetus Irenæi interpres: nempe ut ᾅδης idem sit ac ἀειδὴς τόπος. Nec tamen Irenæus metaphorice cepit, ut quidam juniorum; sed proprie, ut mox patebit.

3. §. *Proprie vero de animo intelligunt, quibus placet, animam Christi abiisse in loca infera, idque in locum, ubi Patrum animæ asservarentur, quo inde eas secum assumeret in paradisum. Imo, juxta alios, etiam in gehennam, ut se victorem ostenderet spiritibus malis.*

Quidam contenti sunt dicere, abiisse in locum, ubi animæ Patrum detinerentur, usque dum Christus pro eorum peccatis satisfecisset. Atque ita interpretantur, quod captivam dicitur a duxisse captivitatem. Addunt, eum hisce
a Ephes. 4.8. sui triumphantis comitibus, & assectis sese in paradiso ostendisse Patri, mortis ac Satanæ victorem. Sed alii ulterius progrediuntur: qui volunt, etiam inferorum infima penetrasse, non quidem, ut pateretur, (cui sententiæ nimium quantum adversatur, quod in cruce dixerit Christus, jam esse consummatum:) sed ut malis spiritibus se ostenderet; non tanquam reum, sed velut victorem. Quare descendit ille eo, sed sine dolore: quia jam satisfecerat Patri pro inferorum doloribus, quos perpeti nos oportuisset, absque misericordia Dei foret, & Christi merito.

Sane & Irenæus lib. v. cap. ult. ait, postquam Christus exspirasset, animam ejus triduo conversatam cum animis defunctorum. Est & Fausti Regiensis lib. de Fidei Ratione: *Corpus in tumulo, anima in inferno, divinitas in paradiso.* Similiter Vigilius lib. II contra Eutychem, & alii multi: in his Nicephorus Callistus lib. I Histor. Eccles. cap. XXXI. Itidem creditum, piorum, impiorumque animas esse sub terris. Saltem Novatianus, qui contra Cornelium episcopus creatus fuit, sic statuit lib. de Trinitate. Eoque antiquior paullo Tertullianus lib. de Idololatria cap. XIII, & Lazarum, & divitem, à morte apud inferos collocat. Sed hunc ait esse in tormentis ignis: illum vero consecutum esse refrigerium: hoc est, esse istic, ubi erit refrigerium animabus donec summa erit perfectio in omnium resurrectione. Hilarium audiamus in Psal. CXXXVIII: *Humana ista lex necessitatis est, ut, sepultis corporibus, ad inferos animæ descendunt.* Aliqui malunt dicere, sic quidem fuisse ante resurrectionem Christi: sed à resurrectione ejus piorum animas non ultra esse apud inferos. Hieronymus Marci XIV: *Vespera diei, vesperam indicat mundi; circa undecimam namque horam veniunt novissimi, qui primi denarium vitæ accipiunt æternæ: quia ante crucem Abraham erat in inferno, & post crucem latro in paradiso.*

Gentiles, quando Tartarum, & campos Elysios, loca credidere vicina, videntur istoc hausisse ab antiquissimis, qui tum bonos statuere inferos, h. e. paradisum, tum malos, sive gehennam.

4. §. *Qui vero ratione corporis accipiunt per descensum ad inferos, intelligunt, vel sepulturam, quæ contigit eodem die ac Christus est passus: vel detentionem corporis in sepulcro, quæ duravit, donec tertio die à mortuis resurrexit. Si horum alterutrum magis placere dixero, Patrum mihi objiciatur auctoritas: à quibus invitus discedere soleo. Sed non leve est, quod nusquam id legitur in Scripturis, licet aliquos hoc ex iis colligere non ignorem. Præterea Patres hoc dogma de descensu animæ Christi non habuere pro capite, sive, ut nunc loqui solemus, pro articulo fidei. Unde id videas prope in omnibus symbolis omitti.*

Ut in ipsius Synodi Nicenæ Symbolo. Ubi profecto non præteriissent, si dogma hoc agnovissent. Quippe eo nihil magis valuisset ad refellendum Arrium: Siquidem is negabat Christum habuisse animam: ac divinitatem ei pro anima fuisse aiebat. Quod & paullo post defendit Apollinaris, Laodicenus presbyter. Iidem neque legas in Antiocheno II, & Sardicensi; uti & utraque Sirmiana, quarum priori Liberius, alteri Osius Cordubensis subscripsit. Nec meminit confessio fidei synodi Illyricæ, vel concilii Romani III, in quo Apollinaristæ, inter alios, damnati. At nihil magis ad expugnandos eos valuisset. Nec meminere Concilia duo Oecumenica, Constantinopolitanum, & Chalcedonense. Nec Toletanæ synodi, vel quod Pelagius edidit, ut orthodoxus crederetur. Neque repetitur in confessione à Cyrillo, nomine Concilii Ephesini, edita: nisi quis eo trahat, quod dicatur spoliasse infernum. Sed hoc notat, mortem vicisse, deque ea triumphasse resurgendo. Non in symbolo Charisii Philadelphensis presbyteri, repetito in concilio Chalcedonensi. Nec in Eutychetis responsione, tempore ejusdem concilii. Nec habet symbolum Gelasii episcopi Romani. Neatinum, & Justiniani Imp., vel ejus edictum. Non Agathonis episcopi Romani, non Damasi papæ, non Macarii Antiocheni archiepiscopi, qui in Monothelitarum postea sententiam transiit: non Sophronii, quod est in concilio Oecumenico VI, sive Constantinopolitano gen. II. Non Confessio Patrum concilii Hispalensis II. Non Agapeti. Non concilii Lateranensis, Toletani XI, Bracarensis III. Non veteris Ecclesiæ Alamannicæ symbolum à Goldasto editum Tom. II Antiquitatum Alamannicarum. Non Concilii Tolet. XIII, vel XVI. Non Nicenæ syn. II. Non Maxentii Theologi. Non B. Basilii & Epiphanii. Non synodi habitæ in encæniis Antiochenæ Ecclesiæ. Non concilii

cilii Francofurtensis sub Carolo M. Non concilii Parisiensis sub Ludovico & Lothano. Non Wormatiensis. Ut tandem finiam, in symbolo Athanasii mentio fit; sed potest ibi de sepultura intelligi. Et non esse id Symbolum Athanasii, imo neque ante annum fuisse sexcentesimum, fuse ostendimus libro de tribus Symbolis. Fit etiam mentio in Forojuliensi & Arelatensi: sed ea conciliorum sunt recentium Symbola.

5. §. *Sic igitur statuimus: Orientales per descensum Christi ad inferos primitus intellexisse quod Occidentales vocarent sepulturam: ac errore quodam factum esse, ut cum primi, qui unum dicerent, alterum praeterirent, ambo postea coeperint conjungi. Sane temporibus Rufini, hoc est, circa annum quadringentesimum, ipsa Ecclesia Romana erat contenta meminisse solius sepulturae: Aquileiensis vero Ecclesia habuit quidem utrumque in Symbolo suo; sed si ex Rufini mente judicandum, unum idemque ambobus significari arbitrabatur.*

Non abesse à Romano, vel Orientalibus, ait Petrus Faber Agonisticon lib. III cap. x. Sed abfuisse olim, clare indicant haec Rufini verba in Expositione Symboli §. 20: *Sciendum est, quod in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum, Descendit ad inferna. Sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur.* Contra vero eo in Symbolo, quod Athanasii dicitur, habetur de descensu ad inferos, non item de sepultura. Errore vero ea conjungi, etiam judicium est doctissimi Valentini Scindleri, sic in Lexico suo scribentis in voce Sheol: *Habetur in Symbolo Constantinopolitano: Passus etiam sub Pontio Pilato, ac sepultus est. Pro quo in Symbolo Athanasii: qui passus pro salute nostra descendit in infernum. Postea illa unum & idem significantia conjuncta fuerunt, tanquam duo, & diversa.*

6. §. *Ac pro sententia hac multum facit, quod pro* ᾅδῃ *sive* inferis, *Hebraice sit* sheol: *quod notare terram sive sepulcrum, minime est dubitandum.*

Itaque illa Patriarchae verba Genes. XLII *v.* 38, *Deducetis cum dolore canos meos in Sheol*: auctor libri Tobith sic reddidit: *Deducetis cum dolore vitam meam εἰς τὸν τάφον.* Arabes pro *sheol* habent tara: quod Valentinus Scindlerus in doctissimo Lexico suo vertit *terram*. Ut hinc quoque colligere sit, *sheol*, ᾅδην, *inferos*, terram denotare, quatenus est mortuorum receptaculum. Nec aliter accipitur I sive III Reg. cap. II. vers. 6. & 9: quibus David moriturus praecipit Salomoni, ut ne canitiem Joab, & Simei, pacifice & sine sanguine deducat ad *sheol*. Ubi gehennam non possumus intelligere: nec enim haec poena à judice terreno infligitur: sed plane signatur sepulcrum, statusque mortuorum: in quorum numerum etiam Joab, & Simei, jubet referri.

7. §. *Quando vero errore conjungi haec duo coeperint, de sepultura Christi, & ejusdem ad inferos descensu, solide nequit comprobari.*

Non constare id, etiam Busaeus agnoscit. Erasmus putabat, id factum ab Thoma Aquinate. Vixit is anno clↄ cc LXV. Aliqui hoc eo refellere conantur, quod mille annis ante id in Symbolo Athanasii legeretur. Hunc vero id Symbolo inseruisse, Goldastus putabat, quia valde faceret adversus Arrium, uti & Apollinarem. Uterque enim negabat, Christum habuisse animam. Sed non esse id Symbolum Athanasii, luculente, ut arbitror, evicimus opusculo de Tribus Symbolis. Praeterea Athanasiano in Symbolo non est de sepultura, ut per eum descensum sepulturam ejusce Symboli scriptor potuerit intellexisse; sicuti antea referebam.

8. §. *Sed si omnino visum, ambo in Symbolo sociare, ut diversa: nihil commodius per descensum ad inferos intellexeris, quam triduanam mortis potestatem in Christum: sive statum animae in morte, tum ab excessu è corpore usque ad sepulturam, tum inde porro tempore triduanae commorationis in sepulcro. Quomodo ut de caelo descendit, ut nasceretur, ad inferos descendit, cum moreretur.*

Quod est apud Augustinum Quaest. in Genesin. Ac pro hac sententia facere videntur Patrum illi, qui, ut superius dicebamus, ᾅδην, quo Christus descendit, commune faciunt animarum domicilium, tum infidelium, tum fidelium: inque hoc ᾅδῃ animas dicunt detineri usque ad resurrectionem, nec ante id tempus in caelestem gloriam pervenire. Vide, inter alios, Tertullianum contra Marcionem lib. IV cap. XXXIV, Hilarium in Psal. CXX. & Andream Caesariensem in Apocalyps. cap. XVII: ubi loquitur de stolis albis animarum in sinu Abrahae recumbentium, & justorum pusillo tempore, donec numerus electorum consummetur, gloriam aeternam exspectare: deinde vero subjungit; Πλησίοι γὰρ τῆ ἁγίων τούτο εἴρηται, ὡς χώρας ἀξίας οἰκήσεως τῆς ἀρετῆς ἐργατὸν ἕκαστον δὲ ὡς ἡ ἐκεῖ τῆς μελλούσης αὐτῶν δόξης τεκμηριούται. *Multorum namque sanctorum sententia est, unumquemque virtutis cultorem locum factis suis dignum post hanc vitam sortiri; ex quo de gloria sibi praeparata certam conjecturam facere soleat.* Nempe hoc vult, licet animae ante judicii diem necdum penitus, vel fruantur gaudiis, vel plectantur poenis pro meritis: eo tamen & loco esse, & conditione, ut praejudicia futuri sentiant judicii. Ex opinione à Graecis hausta Grammaticis ᾅδης dicitur, quasi ἀιδὴς τόπος, unde & *locum invisibilem* reddidit vetus B. Irenaei interpres. Sane satis convenit, locum eum non posse à nobis videri: ut neque status animae, nec ipsa animae ἰδέα. Sed de originatione adlata non adsentio. Magis placet Ἀδὼν, sive Dorice Ἀδὰν, esse ex אדמה *Adamah*, terram significante. Spiritus ex fine trajectus in initium: *m* autem in *n* commutatum, quia nullus Graecis casus in *m* desinit. Ab eadem igitur voce est Ἀδης, à qua primus homo nomen accepit *Adam*: quia ab *Adamah*, h. e. terra, Adam dictus, quia ex terra sumtus; uti &, in eandem reversurum, Deus pronunciat. Imo & ejusdem est originis Arabum MAHAD, & cum articulo AL-MAHAD, quod ipsum notat ᾅδην. Fidem fecerit, quod eaedem sunt literae, ac in ADAMAH: sed ἐν μεταθέσει. Trajectio hujusmodi vel est à confusione Babylonica, vel inde, quod linguae paullatim sint corruptae. Quid mirum autem, si Arabum vocabula usque adeo conveniant cum vocibus Hebraeis? quando Arabes sunt Ismaëlitarum propago. Ismaël autem filius Abrahae; frater Isaaci, cujus filius Jacob, sive Israël, Ismaëlis frater. Quid mirum item, si Graeca consonent Hebraeis, quando Graecorum pars est à Cadmo & aliis è Phoenicia advenis? de quo nobis dictum in primo de Arte Grammatica cap. x. Porro non temere dicebamus, SHEOL, etsi proprie sit sepulcrum, sive subterraneum corporum receptaculum, figurate tamen etiam accipi pro statu mortuorum, sive detentione in morte. idque bifariam, quia alius ᾅδης communis, alius proprius, vel damnatorum. Nempe corporis locum posuere pro animae conditione. Sic enim sumitur Genes. XXXVII *v.* 35. ubi liberis suis Patriarcha ait, *Descendam in* SHEOL *ad filium meum.* Saltem gehennam hic intelligere non possumus, quia nec Josephum, juvenem pium, nec etiam se, eo descensurum putabat Jacob: quae interpretatio facilius obtineret locum, cum Dathan, & Abiron vivi dicuntur descendisse in Sheol. Superest igitur, ut vel sepulcrum, vel mortuorum conditionem intelligamus. Sed si retineamus interpretationem adlatam, vix possis sepulcrum intelligere: quia, ut observatum Origeni, non putavit Jacob, corpus Josephi esse sepultum, sed varia per loca dispersum: ut quod diceretur à fera laniatum. Quare dicendum, per SHEOL intelligi statum mortuorum, vel saltem quemcunque

Pag. 532. edit. Basil. an. 1570.

eunque locum, ubi sit mortuus. Juxta illud Mæcenatis: *Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.*

Possis tamen sepulcrum intelligere, si placet interpretatio R. Salomonis Jarchi, qui exponit, *Descendam in Sheol propter filium meum.* Hebr. ELBENI. Ut intelligatur mortis caussa, non consortium.

Status iste mortuorum ex primorum seculorum judicio, non ejus erit felicitatis, ac ille à resurrectione. Sic enim statuunt, defunctis lætitiæ fore, quod quiescant à labore, & securi exspectent gaudium æternum. Interim eo minorem esse lætitiam, tum quod anima sit à corpore separata, sine quo actus exercere exteriores non possit, vereque sit imperfectum quiddam: tum quod ingenti flagret desiderio denuo assumendi corporis, & plena fruendi beatitate: quod desiderium significatur Apocal. cap. VI. per clamorem animarum sub altari: ut etiam exponit Gregorius Magnus. Sed neque Tertullianus, & alii, quando de refrigerio animarum loquuntur, aliud existimandi intelligere, quam solatium divinum ad tanti desiderii ardorem atque æstum melius ferendum.

9. §. *At neutiquam per descensum ad inferos intelligere in Symbolo licet inenarrabiles animi angores, quos Christus est in cruce perpessus: nam illi angores intelliguntur in capite illo* Passus est, *nec alii superfuere, postquam Christus ipse dixit, esse* jam consummatum.

Quare non possumus doctissimis viris assentire, quando in tam brevi Symbolo, non sine magna ordinis perturbatione, post mortem, atque adeo sepulturam, subjici ea arbitrantur, quæ ante mortem contigerunt. Respondent, in voce *Passus*, solum intelligi visibilem passionem: hic signari angores animi, qui non videntur. Vellem autem ostenderent, usu Scripturæ hoc pacto ea distingui solere. Et sic quoque de descensu ad inferos ante sepulturam collocari debuisset. Interea neque hic ullus est fidei error, quia certissimum est, acerbissimos, imo ineffabiles fuisse dolores eos, quos Christus pro nobis pertulit in cruce. Sic igitur de hac & illis Patrum interpretationibus censeo, hominem, ut veritatis, sic etiam pacis amantem, non tam sollicitum esse oportere de modo descensus, quam de fructu ejus. Genus teneamus; de modo nulli præfractæ moveamus litem.

CAP. XIV.

De nocturno Tempore, quod Resurrectionem Christi proxime antecessit. Ubi & de Pervigilio Paschæ.

1. §. *Superest ut, priusquam ad Resurrectionis historiam veniatur, agamus de tertio Sepulturæ die: non toto, sed ea noctis parte, quæ præcessit Resurrectionem.*

Dies hæc Matth. XXVIII. 1. *μία σαββάτων* vocatur, quæ Joan. XX. 1. *πρώτη*. Nempe est Hebraismus. Sic Genes. 1. 5. יום אחד, *dies unus*, pro ראשון *primus*. Theophylactus in Lucam: Παρὰ Ἑβραίοις τὸ μία σημαίνει πρώτην. Neque Latini hoc sermonis genus ignorant. Cicero in Catone: *Qui uno & octogesimo anno mortuus est.*

2. §. *Duo autem sunt, quæ ad hanc noctis partem pertinent. Primo in Scripturis memoratur. Alterum pertinet ad tempora consecuta. Illud est, quod ejus diei vespere, unde Judæi diem ordiuntur, mulieres aromata emerunt. Nempe mox à sabbato: ut ait Marcus* XVI. 1.

Obstare tamen videtur, quod Lucas XXIII. 56. in parasceue paralle aromata, & unguenta, censet, quia plures fuerint mulieres, à pluribus emta aromata: ut si Maria Magdalena emerit mox à morte Christi ante occasum Solis: post quem incipiebat Pascha: Joanna autem Chuzæ, & ipsa primaria femina, id fecerit exacto paschate, sive vespera, quæ excepit sabbatum. Sabbato ipso emere nihil licuisset: ideoque emere partim proxime ante sabbatum, partim continuo post illud.

3. §. *Emere ea mulieres, ut inungerent Christum, sicuti Lucas innuit, clareque dicit Marcus.*

Id quidem fieri ante sepulturam solet: quemadmodum dictum, cum de Nicodemi facto superius loqueremur. Sed tum à mulieribus hisce id non potuerat fieri, quia festinato opus erat in sepultura propter imminens pascha.

4. §. *Atque hæc de historia mulierum aromata ementium ad Christum inungendum. Alterum pertinere dicebamus ad veteris Ecclesiæ morem. Estque ejusmodi. Solet veteri Ecclesia in templis ad mediam usque noctem detineri: vel ut exspectans Dominum ac Regem suum Jesum Christum: qui exinde resurrexit.*

Tertullianus lib. II. ad Uxorem: *Quis* (infidelis maritus uxorem Christianam) *nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis denique sollennibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit?* Quem locum B. Rhenanus in argumento hujusce libri illustrat ex B. Hieronymo: qui cum narrasset Judæorum opinionem de Messia in media nocte venturo, in similitudinem Ægyptii temporis, subjungit deinde hæc verba: *Unde reor, & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum Paschæ, ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi, & postquam illud tempus transierit, securitate præsumta festum cunctis agentibus diem.* Hæc nox Eusebio in VI Hist. Eccles. nunc vocatur ἡ μεγάλη καὶ ἱερὰ διανυκτέρευσις, καὶ ἡμέρα τῆς ὑπάτης καὶ ἱερᾶς παννυχίδος. Etiam uterque Gregorius, & Nazianzenus, & Nyssenus, uterque oratione de Pascha, prior etiam oratione funebri in Patrem, tradunt, noctem eam, quæ Pascha, sive Resurrectionis festum proxime præcessisset, luminibus ac flammis coruscasse. Nec alio respexit Ausonius Burdigalensis in versibus rhopalicis, sive idyllio XXIX; nisi id idyllion, ut vereor, supposititium sit:

Ad temet properant vigilatu convenientes.
Nox lucem revehet funalibus antevehendam,
Nox lumen pariens credentibus indubitatum.

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
HARMONIÆ EUANGELICÆ
DE
DOMINICA PASSIONE,
Morte, Resurrectione, ac Adscensione,
LIBER TERTIUS:
In quo agitur de Jesu Christi Resurrectione & adscensu in Cœlos.

Cap. I.
De Resurrectionis tempore & modo; deque monumentorum apertione.

1. §. *Nunc exsequar de Resurrectione Christi. De qua mirandum, cum nihil exactius narretur ab Euangelistis, nusquam tamen plura se offerre ἐναντιοφανῆ: idque, ut de Euangelistis aliis taceam, etiam inter Matthæum, & Marcum; qui magis cæteris solent convenire. Et hæc ratio esse videtur, cur plerique librarii ea in Marco prætererint, quæ cap.* XVI. *leguntur, à versu nono, qui incipit, Ἀναστὰς, ad libri usque finem. Nempe credebant, ea non posse conciliari cum Matthæo, eoque tutius omitti.*

Sane pars ea capitis abest hodieque à MSis quibusdam: ac quam antiquus sit is defectus, arguit, quod ejusdem meminit Gregorius Nyssenus: uti & Hieronymus ad Hedibiam quæst. III: ubi ait, verba illa *in raris ferri Euangeliis, omnibus pene Græcia libris hoc capitulum in fine non habentibus.* Idem quoque inibi illam, quam attuli, caussam prætetitionis adducit. At non audiendi, qui putant, Marcum quidem ultra versum VIII. historiam Resurrectionis texuisse, sed amissam fuisse paginam extremam. At quando quæso sit perdita? utrum superstite Euangelista, an mortuo? Si vivo, cur non postulatum à Marco, ut reponeret deperdita? Diu enim, post conscriptum Euangelium, Alexandrinæ præfuit Ecclesiæ. Si mortuo, cur non potius ex Matthæi Euangelio suppletum, præsertim cum in multis adeo conveniant ut multi compendium esse alieni operis putarint? Præterea quis dubitet, quin simul ac Euangelium illud in hominum manus venit, plurium manu fuerit descriptum; præsertim in Ecclesia Alexandrina: ut unius vel alterius codicis defectum, ex aliis facile fuerit supplere. Et sane extimam ejus capitis partem habent etiam interpres Syrus, Arabs, ac Latinus. Agnoscit etiam B. Irenæus lib. II. cap. XXXVI, & præcipue lib. III. cap. XI.

2. § *Nec inutile fuit, ita ἐναντιοφανῶς scribi ab Euangelistis. Nam opinio alioqui foret, conspirasse eos, & quod proverbio dicitur, de compacto rem gessisse, ut in velabro olearii solent. Adhæc factum id videtur ad exercendam fidem & sedulitatem nostram. Nam si serio, ut convenit, pensiculemus cuncta, comperiemus, pugnam in iis esse nullam: eam vero, quæ esse videtur, non à scribentium, sed legentium vitio provenire.*

Quod ut pateat, animus est cuncta ea, quæ ab Euangelistis de Resurrectione scripta sunt, commemorare hoc loco, eaque, non sine veterum ductu in plurimis, in nonnullis etiam juniorum, ita digerere, ac componere, ut verissimum esse liqueat, quod dicebamus.

3. §. *In resurrectionis historia considerabimus tum tempus, & formam sive modum: tum multiplicem ejus confirmationem. In tempore attendimus, quo die, & qua diei parte. Quod ad prius, cum feria sexta sit passus, mortuus ac sepultus, septima autem tota jacuerit in sepulcro; consequitur, resurrexisse feria prima, quæ vulgo Solis dicitur: ac in honorem Dominicæ Resurrectionis* Dominica *appellatur.*

Utrum vero & sic accipiatur in Apocalypsi *a*, non æque est apertum. Nam posset Ioannes intellexisse non feriam primam hebdomadis, quæ quinquagies bis in anno recurrit: sed eumpse mensis ejusdem diem, quo resurrexit: qui dies semel recurrit in anno. Cur vero Resurrectionem Dominicam non celebremus decimasexta die primi mensis, id ex eo est, quia Passionis Dominicæ dies non semper incidit in diem Veneris: sed quandoque alium hebdomadis diem. At (ut superiori libro dicebamus) æquum fuit, ut Resurrectio Dominica Dominico die, quando eo resurrexit, celebraretur. Quare satius visum, ut Passionis Dominicæ jejunium semper incideret in feriam quinctam: quia alioqui resurrectionis festum incideret in feriam secundam, tertiam, quartam, quinctam, aut sextam. Ea vero feria, qua à Christianis memoria Resurrectionis celebrantur, Pascha jam à plurimis seculis nominatur. Nempe aliud est Pascha Judaicum, aliud Christianum. Illud incidebat in diem decimamquinctam mensis Nisan: eo enim immolabant suum phase. Hoc vero in Dominicam quæ Iudaicum festum proxime consequeretur, idque in memoriam non passionis, sed resurrectionis Dominicæ. Iudaicum igitur

a Apoc. I. 10.

pascha erit pesah sive transitus de vita ad mortem, quia agnus vivus occidebatur. Nostrum est pesah, sive transitus à morte ad vitam, quia Christus qui mortuus fuerat, tum resurrexit. Dies quo passus est Christus, jejunio celebratur. At, ut Ambrosius ait epist. LXXXIII, *Pascha nostrum non passionis, sed lætitiæ est, & resurrectionis.* Qui vero primus hebdomadis, is octavus est, si ultra hebdomadem procedas: eo & Resurrectionis dies octava dici potest. Itaque mysterium in eo statuit B. Ambrosius, quod templum foret octochorum, ac fons ejus octogonus. Habes id Carmen in Thesauro Inscriptionum Collectionis Gruterianæ pag. MCLXVI num. VIII:

Octachorum sanctos templum surrexit in usus,
Octagonus fons est munere dignus eo.
Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus rediit,
Luce resurgentis Christi; qui claustra resolvit
Mortis, & e tumulis suscitat examines.

4 §. *Quod ad partem diei, nox erat quando resurgeret, & quidem (Judæorum judicio, quibus dies ab occasu incipit) post feria prima noctem intempestam.*

Unum hoc objici possit, quod apud Matthæum, XII. 40, Christus ipse dicat: *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tres dies, & tres noctes: ita erit filius hominis in corpore terræ tres dies, & tres noctes.* Atqui primæ diei, si forte, hora diurna, saltem non ultra, triduo possit accenseri. Secunda die, quin integra fuerit in sepulchro, nullum est dubium. Tertiæ diei quæ prima erat hebdomadis, nihil ex spatio diurno sepulchrum sibi vindicavit: ex nocturno prope universum. Deest igitur triduo primæ diei nox tota: tertiæ dies integra. Sed non est operosum huic occurrere difficultati: quia περιφραστικῶς *dies, & nox*, ponitur pro die civili: quomodo triduum Christus in sepulchro fuit συνεκδοχικῶς. Hanc rem pluribus exposui lib. IV. Oratoriarum institutionum cap. VIII. §. VIII, quæ non reponam.

5. §. *Atque hoc de tertia Resurrectionis die etiam cognoscimus ex eo, quod Evangelistæ tradant, mulieres exacta jam hebdomade primo diluculo exiisse domo: Jamque ortum Solem fuisse, vel oriri cœpisse, cum ad sepulcrum pervenirent, deque Christi resurrectione edocerentur.*

Hæc lucem majorem capient, cum mulierum testimonium excutiemus. Hic solum adduximus, ut liqueat, Christum die tertia resurrexisse.

6. §. *Sed quæritur etiam, qua noctis hora resurrexerit. Maxime est verisimile, id factum sub Solis ortum, dum Maria Magdalena, ac mulierum aliæ, irent ad sepulchrum. Videlicet illis iter capessentibus, differentibus etiam, quis lapidem devolveret, & angelus de cœlo descendit, & terra est mota, & lapis devolutus, & fuga in Urbem facta custodiæ militaris.*

Quomodo, quia jam lucesceret, milites clare viderunt ea omnia quæ diximus, & perculsi adeo, ut mortuis essent similes, mox fuga sibi consuluerunt, in urbe obviis, & præcipue in Urbe proceribus narraturi, quanta vidissent miracula. Mulieres videntur nescisse de sepulchro militibus septo. Alioqui non tam consultassent in via de lapide devolvendo, ad quod viri aliqui potuerunt advocari à Maria Magdalena, & Joanna, opulentis feminis, ut postea dicam: quam de custodibus sepulchri, qui non erant passuri, ut sepulchrum aperiretur.

Concors est veterum Patrum sententia, Christum vel media nocte resurrexisse, vel summo mane, sive paullo ante auroram. Cyprianus de orat. Dominica, circa finem: *Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quem credimus ante auroram resurrexisse.* Vide Durantum de ritibus Eccles. Cath. cap. VI, & VII.

7. §. *Quæritur etiam, priusne lapis ab Angelo fuerit devolutus, quam Christus resurgeret: an Christus resurrexerit antequam devolveretur. Sunt enim, qui clauso velint sepulcro exiisse. Sed de hoc quid censeam, inferius exponam.*

Ostendam autem, eo devolutum ab angelo lapidem, ut Christus exiret sepulchro.

8. §. *Hæc de tempore resurrectionis. Forma sive modus est, quod facta cum terræ motu, eoque magno: sic ut apertum esset indicium præsentis virtutis divinæ. Is factus, ut illi etiam militum qui, obdormiscerent, expergerentur, ac universi eorum fierent testes quæ evenissent. Nam, paucis excubias agentibus, permitti aliis solet, ut dormiant. Sed tanto terræ motu somnus facile excussus. Ita omnes oculis etiam suis videre angelum cœlo descendentem, & lapidem de sepulchro devolventem.*

Hinc Euthymius, *Terræ motus factus est propter assidentes sepulchro custodes, ut timore terræ motus erecti, & horrore adspectus ejus, qui lapidem revolverat, consternati, fugerent, & hæc Judæis renunciarent, ac testes ipsi fierent veritatis.*

9. §. *Ea evenisse putamus, dum mulieres sunt in via.*

Unde factum, ut, quia post fugam militum venirent, Angelos solum, non etiam milites, viderent.

10. §. *Hactenus dictum de Resurrectionis tempore, & modo. Nunc videamus, quibus veritas Resurrectionis confirmetur. Sunt ea varia. Ac primum, quod, quorum monumenta, moriente Christo, fuerant aperta, eorum corpora Christo resurgente resurrexerint, & è sepulcris, quæ extra urbem erant, Hierosolymam iverint, atque ibi conspecta sint. De quo sic apud Matthæum legere est, XXVII, 52:* Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Qui egressi è monumentis post resurrectionem ejus introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis. *Neque hoc solum Resurrectionem Christi confirmat: sed pariter ejus resurrectionis efficaciam ostendit, partim in fidelibus ante memoratis, partim se deinceps exertura in omnibus credituris: quippe similiter resurrecturis virtute Christi.*

Quæritur, num isti iterum mortui sint, uti Lazarus, qui à Christo resuscitatus fuerat: an cum Christo ad vitam resurrexerint immortalem. Posterius malunt recentiores, quia, ut aiunt, alioqui magis pœnæ instar resurrectio fuisset, multa deinde adversa in hac vita subituris. Sed aliter veteres. Et sane quod juniores dicunt, alioqui non fore certos resurrectionis testes: id non magni videtur momenti, quia quid deinceps de iis fieret, constaret nemini: eoque satis esset, si resurrexisse eos innotesceret. Nec sic iis, qui viderunt, illudebatur, quia abunde ita & animæ immortalitas, & potentia Dei in resuscitandis corporibus, imo & veritas resuscitati Christi, ostendebatur. Quibus aliud videtur, præterea aiunt, si iterum fuisset moriendum, non beneficium iis fore, sed tormentum. Id vero nihil est, quia jucundissimum his animis fuit

Chri-

Christum conspicere, & cum eo, sine dolore ullo, quod facile fuit Deo præstare, corpus deferentes adscendere io locum animis beatis destinatum, ubi æternum forent cum Christo ante Dei thronum.

Cap. II.

De testibus cœlestibus resurrectionis.

1. §. *Præterea confirmatur Christi resurrectio, testibus variis, & apparitionibus multis. Testes partim fuere cælestes, partim terrestres. Cælestes sunt angeli apud mulieres.*

Nempe ut conceptio per Angelum significata est Mariæ; & nativitas pastoribus: ita & resurrectio Angelico ministerio indicata Mariæ Magdalenæ, cæterisque mulieribus; posteaque & adscensio in cælos, per angelos relata; & extremo judicio redibit Christus cum angelis buccina excitaturis & congregaturis mortuos.

2. §. *Duos fuisse angelos, tradunt Lucas* XXIV. 4 *& Joannes* XX. 12. *Sed Matthæus & Marcus contenti sunt unum dicere, quia unus amborum nomine locutus fuit.*

Aliqui volunt, diversas esse narrationes, quia bis venerint mulieres ad sepulcrum. Et fatendum, hunc esse morem Euangelistarum, ut, quod unus narrat, id sæpe alter prætereat: & tamen sic continuet omnia, quasi oihil esset omissum. Quo observato, variæ sæpe apparentes pugnæ tolluntur. Censent igitur, & idem hic factum. Quippe ubi desinunt Matthæus & Marcus, qui de uno narrant angelo, ibi incipere Lucam, qui omissis illis à Matthæo & Marco narratis, referat de regressu mulierum, & duobus angelis conspectis: & sic continuare historiam, nequid momenti majoris præteritum videatur. Speciosa oratio: sed tam multa in sermone angelico conveniunt, ut rem eandem narrari prorsus putem. Quare magis sit verisimile, unum à Matthæo, & Marco referri, quia unus sit locutus: sed Lucam & Joannem de duobus dicere, quia duo fuerint, & hoc pertineret ad firmandam resurrectionem. Nec obstat, quod apud Lucam sit εἶπον, *dixerunt.* Nam κατὰ συνεκδοχὴν *angeli dixerunt*, ponitur pro, *alter mer:* ut in Passionis Dominicæ historia, *latrones exprobraverunt ei*, pro, *alteruter latronum.*

3. §. *In hisce angelis considerantur hæc quatuor. Primum à quo fuerint legati. Dicuntur autem* angeli Domini, *ac cælitus descendisse. Quod ad legationis auctoritatem pertinet.*

Matth. XXVIII. 2: *Angelus Domini cum è cælo descendisset, accessit ad monumentum.* Nempe cælum est angelis quasi patrium solum, ubi Deum assidue laudant ac contemplantur. Inde, quoties Deus jubet, descendunt, ad mandata ejus exsequenda.

4. §. *Angelis descendentibus, ingens terræmotus fuit.*

Nemqe uti Christo moriente, ita & resurgente, terræ motus fuit. Matth. XXVIII. 2: *Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo.* Satis particula γὰρ sive *enim* indicat, terræ motum ab angelis fuisse. Nempe hi cœlos atque elementa, pro Dei voluntate, gubernant.

5. §. *Subjicitur factum Angelicum, ad ostendendam resurrectionis veritatem. Dicuntur enim devolvisse lapidem ab ostio sepulchri: partim videlicet, ut Domino suo nostroque honestum janitoris officium præstarent: partim etiam, ut mulieres, posteaque discipuli, conspicerent, Christum non amplius esse in sepulchro.*

Utramque rationem adferunt veteres: nec omnes tamen. Neque enim desunt, qui priori caussæ adversentur. In quibus est incertus scriptor in opere interrogationum ac responsionum ad Orthodoxos, Justino Martyri attributo, (ut & Hugoni Grotio a observatum) è variis varii temporis scriptoribus collecto: Is sic scribit Responsione CXVII: Οὐ διὰ τὴν αὐτοῦ ἔγερσιν, ἡ λίθου ἐκ τοῦ μνημείου ἐγένετο ἡ ἀφαίρεσις· ἀλλὰ διὰ τὸ δηλωθῆναι τοῖς ὁρῶσι τὴν ἀνάστασιν. Τὸ γὰρ ἐν τῷ μνήματι τὰ μὲν τοῦ ἐνταφιασμοῦ αὐτοῦ ὁρᾶν ἱμάτια, αὐτὸν δὲ μὴ ὁρᾶν, δεῖγμα τοῦ αὐτοῦ ἐναργέστατον γέγονεν ἀναστάσεως. *Non excitationis ejus gratia saxi ipsius devolutio de monumento facta est: sed eorum caussa, qui id conspecturi erant. Nam quod sepulcralia ejus in monumento vestimenta viderunt, ipsum autem non viderunt: evidentissimum resurrectionis ejus fuit indicium.* Sed oihil solidi adversus priorem caussam, quam is Scriptor negat, adferri potest.

a In Matth. 28. 2.

6. §. *Post factum angelicum in lapide devolvendo, quod comprobandæ resurrectionis veritati inservit, videndum, quales se mulieribus ostenderint angeli. Hic attenditur* προσωπογραφία *à tribus hisce, forma, habitu, sive cultu, & situ. Quod ad formam, apparuere forma virili, ac quidem juvenili.*

Nam apud Lucam XXIV. 4. est, δύο ἄνδρες: apud Marcum vero XIV. legas de forma νεανίσκου. Forma juvenilis conveniebat angelis, quia nunquam canescunt, aut consenescunt, sed perpetuo florent, ac vigent, vegentque.

7. §. *Quod ad habitum, sive cultum, candido fuere amictu; quod symbolicum argumentum puritatis ac sanctimoniæ.*

Hinc Ioannes XX. 12. sic de Maria Magdalena scribit: καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους ἐν λευκοῖς, καθεζομένους. *Et videt duos angelos, amictos albis.* Pro eo, quod Ioannes dicit, ἐν λευκοῖς καθεζομένους, *amictos albis*: apud Lucam est: δύο ἄνδρες ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις. *duo viri in vestibus fulgurantibus.* Matthæus & Marcus de uno, ut dixi, narrant. Prior de eo, ἡ ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπὴ, καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ λευκὸν, ὡσεὶ χιών. *adspectus ejus, sicuti fulgur, vestimentum ejus candidum, sicut nix.* Alter sic: νεανίσκον περιβεβλημένον στολὴν λευκὴν, *adolescentem amictum stola candida.* Ex eo, quod στολὴν appellet, liquet fuisse vestem ad talos usque demissam: quam Græci etiam ποδήρη nuncupant. Ea erat Pontificis Maximi, quali indutus & Ioanni apparet Christus Apocalypsios I. 13. Alba vero, vel potius candida erat stola: qui candor symbolum sit tum victoriæ, triumphi, ac lætitiæ: tum candoris, sinceritatis, ac innocentiæ: ut videre est Daniel. VII. 9. ac septenis Apocalypseos notis.

8. §. *Quod ad situm, Matthæi est* XXVIII, 3. 4. Angelus Domini descendit de cælo, & accedens devolvit lapidem ab ostio, seditque super eum. *Amplius dicit Ioannes* XXII: *qui duos memorans angelos, unum, illum nempe qui amborum nomine locutus, sedisse dicit ad caput: alterum autem ad pedes. Marcus, qui, cum Matthæo, solum meminit unius, eum sedisse ait* ἐν τοῖς δεξιοῖς.

Hoc est, ad dextram partem, juxta locum ubi caput fuerat mortui. De altero, utrum ad pedes à dextro, aut sinistro latere sederit, non refert Scriptura. Sed enim quidam putant, incertum, an sederit angelus, propter illud Lucæ XXIV. 4: Δύο ἄνδρες ἐπέστησαν αὐταῖς. Quod

a Ad Matth. 28. 2.

vulgatus interpres, Erasmus item, & alii, verterunt, *Duo viri adstiterunt iis.* Verum Illustri Hugoni Grotio a adsentiendum, qui ἰϕιςάναι vertit *supervenerunt* : quomodo eo verbo Hippocratem, & Herodianum uti, idem ostendit.

9 §. *Hactenus de* προσωπογραφίᾳ *à forma, habitu, situ. Sequitur angeli oratio : quæ partim* ἐπανορθωτικὴ, *partim* ἀποδεικτική. *Prior solatium adfert consternatis, non quidem è mala conscientia, ut contigit custodiæ militari : sed imbecillitate humana.*

Nam dixit angelus: Μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς. Ubi ἐμφατικὸς videtur illud ὑμεῖς. Quasi diceret: Timeant milites; non vos. Quæ cur metuere non debeant, hæc adnectitur ratio, quod sciatur, eas quærere Iesum crucifixum.

10 §. *Pars altera comprobat resurrectionem bifariam. Prim à prædictione Christi, cum dicitur,* Ἠγέρθη, καθὼς εἶπε. Surrexit; sicut dixit.

Ita Matthæus XXVIII. 6. Pleniusque Lucas XXIV. 5. 6. *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit: recordamini, ut dixerit vobis, cum adhuc in Galilæa esset: dicens, Quod oporteret Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertio die resurgere.*

11. §. *Deinde firmat eandem ab* αὐτοψίᾳ, *sive oculorum sensu, cum additur:* Venite, videte locum, ubi situs fuit Dominus.

Ubi angelus αὐτὸς dicit, Dominus; tanquam Dominus & angelorum, & hominum. A resurrectione enim cœpit regnum Christi in hos, & illos.

12. §. *Tertium locum obtinet mandatum geminum: prius ut lugentibus discipulis quam primum significent Christi resurrectionem, quo sic animo fluctuantes firmentur. Alterum, ut addant, Jesum ab iis inventum iri in Galilaa.*

Matth. XXVIII. 4. *Et cito dicite discipulis ejus quod surrexit à mortuis: & ecce præcedit vos in Galilaam; ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis.*

Cap. III.

De terrestribus testibus resurrectionis.

1. §. *DE cælestibus testibus satis: venio ad terrestres: qui vel pii, vel impii. Pii vel mulieres fuere, vel viri. Mulierum nomina partim exprimuntur, partim reticentur. Nominantur quatuor: ac princeps locus à Matthao, Marco, & Luca tribuitur Maria Magdalena: à Joanne vero sola nominatur: credo, quia nobilior genere foret, & vel sola, vel præcipue, in unguentis sumtus fecisset.*

Sane propterea nomen ejus præponitur non à Matthæo solum XXVII, 56, & 61: item XXVIII, 1: sed etiam Marci XV, 1. Luc. VIII, 2, 3. & XXXIV, 10. Timentibus vero aliis, oculisque in terram dejectis, hæc etiam flevisse dicitur, quod apertum erat luctus indicium.

2. §. *Ei subdit Matthæus Mariam alteram: quam Maria Magdalena itidem subjecerat* XXVII. 61. *Est vero ea Maria Jacobi & Joses: ut liquet duo hac loca conferenti cum* XXVII. 56. *& Marci* XV, 40: *ubi vocatur* Maria Jacobi parvi & Joses mater. *Atque eadem est, quæ* Maria mater *Domini vocatur. Quippe ea noverca Jacobi & Joses, liberorum Iosephi: ut satis verisimilis est doctissimorum virorum opinio.*

Quippe tres illas Marias ad crucem stetisse ait Ioannes XIX. 25, Mariam, matrem Domini, Mariam Cleopæ, & Mariam Magdalenam. Subjungit deinde, quomodo Iesus matrem adspexerit, & eam Ioanni commendarit. At parum est verisimile, Euangelistas alios, cum referre vellent, mulieres cruci adstantes præteriisse matrem Domini, quæ præcipue nominari merebatur. Quare per est verisimile, eam ipsam esse, quam Mariam Iacobi, & Ioses matrem, vel simpliciter Mariam Iacobi, vocant Euangelistæ alii. Temporibus quibus Euangelium scriberent Matthæus, & Marcus, nominari vulgo solet à liberis Iosephi jam defuncti: postea vero, cum Ioannes scriberet, potius à proprio filio suo solet nuncupari. Sed totum hoc plenius explicuimus dissertatione nostra de Genealogia Christi, & fratribus ejus.

3. §. *Tertia mulierum fuit Maria cognomento Salome, filia Cleopa, sive, ut Græce est, Clopa, uxor Zebedai; mater duorum Apostolorum, Joannis, & Iacobi majoris.*

Matthæo in iis, quæ cruci adstiterint, dicitur *mater filiorum Zebedæi*: Marco bis *Salome* vocatur. Lucæ præteritur: Joanni de fœminis piis cruci adstantibus agenti, *Maria* ἡ τοῦ Κλωπᾶ, ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς Ἰησοῦ. *Maria Cleopa, soror matris Jesu.* Ubi per sororem non germanam intelligo, (nam videtur Maria fuisse filia unica, ut diximus de genealogia Jesu dissertantes) sed consobrinam. Hæc ex Zebedæo mater Jacobi majoris, & Joannis Euangelistæ fuit. Jacobus ille dictus *major* ad discrimen minoris, sive quia ætate esset provectior, sive quod eum in majoribus negotiis una cum Petro ac Joanne adhibere soleat Christus. Estque is, quem ab Herode occisum legimus in Actis. Minor erat Josetis frater, Josephi filius, Mariæ semper virginis privignus: cujus exstat epistola Canonica.

4. § *Quarta Luca* XXIV. 10. *memoratur, nomine Ioanna. Ea uxor aut vidua erat Chuza, qui Herodis erat procurator: ut scimus è Luc.* VIII. 3.

Ut Maria Magdalene, ita & ista, ut nobilis matrona ac dignitate præcellens, à Luca præponitur Mariæ Jacobi, matri Domini. Nempe illustris ea dignitas, quod maritus fuerit Regius ἐπίτροπος. quod non tantum œconomum notat, ut cepit Syrus, quem Græci aliter λογοθέτην vocant, Latini *procuratorem*, ut vertit vulgatus interpres.

5. §. *Præter vero quatuor hasce fuere aliæ* ἀνώνυμοι.

Eas signat Lucas. Nam cum XXIII. 55. 56. dixisset, mulieres Galilæas die parasceues vidisse monumentum, & aromata, ac unguenta parasse: sabbato autem secundum præceptum quievisse: cap. XXIV. 1. ait, eas prima hebdomadis die rediisse aromata portantes, nec eas solum, sed etiam τινὰς σὺν αὐταῖς. *Nonnullas cum illis.* Nempe Hierosolymitanas quasdam, quæ sese junxerant mulieribus Galilæis. Scio, illa verba, *& nonnulla cum ipsis*, non inveniri in vulgato interprete. Imo & Græco codice quodam non reperisse se, ait Beza, sed major est aliorum codd. auctoritas. Habent etiam Syrus, & Arabs: qui & ipsi per τινὰς non viros, sed feminas, intelligunt.

6. §. *In hisce mulieribus tria sunt tempora distinguenda; quo emere aromata; quo domo exiere; &*

quo

quo venere ad sepulchrum. Aromata emerunt vespere primæ feriæ: de quo satis antea diximus. Quod ad alterum tempus; proximo primo diluculo ad sepulcrum exierunt.

Nam factum id, ut Matthæus ait cap. XXVIII. 1: Ὀψὲ τῶν σαββάτων. Ὀψὲ particula negotium facessit. Propriè notat *sero*. Unde quicquid serius fit, ὀψὲ fieri dicitur. Sed quod serum, id tardum; unde pro *tarde* accipitur. Ut & Ambrosio monitum lib. x. in Lucam, & B. Hieronymo epist. CL. ad Hedibiam. Iam quod tarde fit, idem fit post tempus. Unde sumitur pro *post*. Quomodo Plutarchus in Numa, ὀψὲ τούτων, *post ista*. Et Philostratus, ὀψὲ τῶν Τρωικῶν, *post res Troianas*. De quo plenius Grotius. Similiter Matthæus, ὀψὲ τῶν σαββάτων, *post sabbatum*, sive hebdomade jam exacta. Unde Marcus pro eo habet, διαγενομένου σαββάτου, *cum transiisset sive præteriisset sabbatum*. Idem Matthæus, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. *cum primum se ostentaret lux prima dies sabbatorum*. Ubi duo explicanda, quid sit prima lucis ostentatio, & quid prima sabbatorum. Priori denotatur primum diluculum. Nam ἐπιφώσκειν sive illucescere dicitur Hebræis tempus, quod imminet, & appropinquat. Sic Luc. XXIV. 54: *Dies erat Parasceues, & sabbatum illucescebat*. Ubi illucescere, h.e. imminere, dicitur nox ea, quæ parasceues diem excipiebat. At hic dicitur illucescere, sive appropinquare, dies, sive diurnum lumen, feriæ primæ. Nam mulieres exiere, ut est Ioan. XXI. 1. πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης. *mane cum adhuc tenebræ essent*. Caussa, cur tam mane exirent, ea fuit, quod jam sabbati dies præterierat, eoque metuerunt ne die illo corpus Christi, quod tantum ob imminens sabbatum erat in proximo Iosephi Arimathæensis sepulchro repositum, alio transferretur.

Quod ad alterum, μία σαββάτων per Hebraismum ponitur pro πρώτη: de quo dictum lib. super. cap. ult.

7. §. *Sole vero jam oriente devenerunt ad sepulcrum Atque hoc veritatem resurrectionis firmat. Nam si in tenebris venissent, ea, quæ viderunt, pro spectris habere potuissent.*

Ad sepulchrum pervenere, ut dicit Marcus, λίαν πρωῒ, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου: sive ἔτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, ut est in MSo, quo Beza usus, & apud Eusebium lib. x. Ἀποδείξεως Εὐαγγ. cap. VIII. Quod Latine fit, *valde mane, cum adhuc Sol oriretur*. Nam aoristus sæpe vim habet imperfecti. Imo icciro iste χρόνος dicitur ἀόριστος, quia non definit, imperfectum, perfectum, an plusquam perfectum, denotetur. Theodorus Beza ait, se & in MSo quodam reperisse ἀνατέλλοντος. Videtur id esse à glossa. Nempe ut significaretur, hic aoristum poni pro imperfecto. Nam præsentis & imperfecti eadem est vox in infinitivo. Sed alia mens Bezæ Notis in N. T. editis anno CIↃ IↃ LVI; ubi sic ait: *Ego suspicor, omissam particulam οὐκ, ut scripserit Marcus, οὐκ ἔτι ἀνατείλαντος ἡλίου. id est, nondum orto Sole. Ut omnes optime inter se conveniant. Neque vero hic duntaxat omissa est negans particula οὐ, sed etiam supra Matth. VIII. 30: si quis eum locum diligenter consideret.* Ubi Græca quidem sonant : *Erat autem longe ab eis grex porcorum multorum pascens*. Sed vulgatus interpres habet, *Erat autem non longe*: quod sententia loci requirere Bezæ videtur. Ac de hoc quidem loco sententiam etiam retinuit in posterioribus editionibus : uti illa an. CIↃ IↃ LXXXII. Quamquam fatetur, omnes Græcos codices repugnare. Sed puto, nihil in Græcis mutandum. Erat longe: sed sic tamen, ut in conspectu quodammodo foret. Ideo Marcus, & Lucas pro μακρὰν, *longe*, habent ἐκεῖ, *illic* : Et sane Syrus quoque interpres negantem particulam omittit. Quod vero ad locum Matthæi de tempore, quo mulieres venere ad sepulcrum, plane standum codd. MSis, & editis; in quorum nullo est οὐκ, uti neque apud Syrum. Et audaciæ nimiæ videtur sic sacro contextui mederi velle, præsertim ubi nihil medicina opus, quia locus Crotone sanior sit. Et Beza ipse, cum cognosceret, multis displicere eam opinionem, noluit pertendere. Sic enim scribit edit. an. CIↃ IↃ LXXXII : *Scribit Matthæus, τῇ ἐπιφωσκούσῃ, cum lucesceret. Lucas, ὄρθρου βαθέος, profundo diluculo: & Iohannes multo etiam apertius, σκοτίας ἔτι οὔσης, cum adhuc essent tenebræ. Itaque aliquando existimavi, videre posse, Marcum scripsisse οὐκ ἔτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, nondum orto Sole. Qua conjectura si periculosa videatur, age legamus ἀνατέλλοντος, oriente, secuti vetustissimi codicis mei auctoritatem: ut sub ipsum ortum Solis eo dicantur mulieres ista advenisse.* Ac postea: *Alios Evangelistas dico profectionis; Marcum adventus ad ipsum sepulcrum tempus notare*. Et sane istæc conciliandi ratio, uti expeditissima, ita longe verissima.

8. §. *Ubi ad sepulchrum deventum, introspexere, ut ante omnia cognoscerent an adhuc ibi corpus Christi foret, ubi die parasceues positum erat.*

Sciebant enim, tantum repositum esse ob festinationem, quia longius non posset transferri ob instans pascha; quemadmodum diximus.

9. §. *Quæ tum Angeli mulieribus dixerint, superius relata sunt nobis.*

Nempe cum Angelorum testimonium expenderemus.

10. §. *In iis erat angelorum hoc mandatum, ut nunciarent discipulis, Iesum resurrexisse. Quod continuo exsecuta dicuntur.*

Apud Ioannem dicitur, Magdalenam hoc nunciatum isse Petro, & alteri discipulo : nempe ei, quem Christus dilexisset. Significatum omnibus iis: sed soli nominantur principes, quibuscum, si non solis, præcipue tamen, sermo fuit : qui & soli cucurrisse ad videndum sepulcrum referuntur.

11. §. *Exsecuta vero hoc mandatum mulieres, ut apud Matthæum est*, [a] μετὰ φόβου, καὶ χαρᾶς α. a Cum metu, & gaudio.

Timor inde, quia non caperent resurrectionis mysterium. Gaudium vero partim ex eo, quod Deus eas dignatus foret angelorum conspectu : partim quod ex iis resurrexisse Dominum cognoscerent. Nulli interim ausæ fuere hæc dicere in via : idque Iudæorum metu: ut cognoscere licet ex illis Marci verbis XVI: Καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον. ἐφοβοῦντο γάρ. Quæ verba non Græci modo interpretes agnoscunt; sed & Syrus, ac vulgatus Latinus. Qui tollebant, putabant, pugnare cum eo, quod dicuntur nunciasse Apostolis, ut jussæ erant. Sed nulla hic pugna, quia nihil ausæ erant dicere iis, qui obviam venirent: ac demum rem aperuerunt, ubi ventum ad Apostolos.

12. §. *Interim non ea animi fiducia exsecuta sunt mandatum, ut non adhuc fluctuarent. Sane Magdalena ipsa etiam, cum Dominum vidisset Petro & Ioanni dicere*, Sublatum Dominum è monumento, nec scire se, ubi eum posuerint.

Quæ non videntur convenire satis de resurrectione Domini penitus persuasæ. At conspexerat Dominum: fateor : verum metuebat, ne phantasma vidisset : quemadmodum &, qui ex ea id audierant, φάντασμα fuisse judicabant : ut cognoscere est ex sermone discipu-

ſcipulorum Emauntem euntium Luc. xxiv, 21, 22, 23, 24, 25.

13. §. *Venio nunc ad teſtimonium virorum, Ubi primi ſunt Petrus, & Ioannes.*

Quos & alibi ſociatos reperias. Ut in noviſſima Cœna Luc. xxii: in eo, quod Chriſtum pariter ſecuti, item in Actis iii, & alibi.

14. §. *Horum Ioannes, ut junior, & ætatis beneficio agilior, prior ad ſeptum, ubi ſepulcrum erat, pervenit: ac continuo, inclinato corpore, caput in ſpecum intromiſit, ad explorandum, an corpus Chriſti abeſſet, uti retulerat Magdalena.*

Quod melius intelligitur, ſi conſtiterit, duas fuiſſe partes ſpecus, cui immiſſum erat corpus Chriſti: unam exteriorem, alteram interiorem. Exterior erat, cujus os contegebatur lapide; quo lapide devoluto, patebat pars ſpecus, & pars corporis, dum foret corpus. Interior pars ſemper ſuperne erat contecta: ac reliquum corpus continebat.

15. §. *Ioannes* παρακύψας, *ita ut interius ſpecus cavum videret, conſpexit* τὰ ὀθόνια, *ſive linteamina.*

Ut quidem vulgatus vertit interpres, cumque eo Eraſmus. Sed proprie notat faſcias ſive inſtitas: quibus cadaver involvebatur: ut videre eſt in Ægyptiorum cadaveribus, quas *mumias* vocant. Etiam Herodoti eſt de iis lib. ii: Λούσαντες τὸν νεκρὸν, κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι, ὑποχρίοντες τῷ κόμμι, τῷ δὴ ἀντὶ κόλλης τὰ πολλὰ χρέωνται Αἰγύπτιοι. *Cadaver ubi abluerunt, ſindone byſſina totum inciſis faſciis involvunt, gummi illinentes; quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur.*

16 §. *Poſtea & Petrus pervenit ad ſepulcrum: ac, tum quia ætate foret grandior, eoque conſideratior; tum quod zelo ferventior; etiam ingreſſus eſt ſepulcrum.*

Erant enim ſepulcra Iudæorum grandia: quæ aliquot ſtantes caperent. Unde & mulieres ab angelis juſſæ venire in ſepulcrum: puta gradibus quibuſdam ad deſcenſum in ſepulcro paratis. Deſcriptionem ſepulchri pleniorem ſi voles, adi Bedam in ultimum caput Marci, & lib. v. Hiſt. Angl. cap. xvii: item Brocardum Monachum, qui conſpexerat.

17 §. *Petrus vero, non ſolum faſcias vidit; ſed ſudarium etiam: utque hoc ſeorſum ſuo loco collocatum.*

Sudarium id capiti fuerat impoſitum: unde Ioannes xx. 7, Τὸ σουδάριον, ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. Ac deinde addit: οὐ μετὰ τῶν ὀθονίων κείμενον, ἀλλὰ χωρὶς ἐντετυλιγμένον εἰς ἕνα τόπον. Quod ſeorſim cum cura collocatum, oſtendebat, non eſſe à furibus ablatum: qui hujuſmodi neglectis maturare fugam ſolent.

18. §. *Exemplum vero Petri ſecutus deinde eſt Ioannes: qui, ubi faſcias, & ſudarium Chriſti, vidit, corpus Chriſti non vidit; credidit ſermoni Magdalenæ: crediturus ante, ſi ſatis intellexiſſet Scripturæ ſenſum, Chriſti reſurrectionem typis, & figuris, in Scripturis adumbrantis: aut ſi fidem ſatis ſermoni habuiſſet Chriſti, Reſurrectionem ſuam prædicentis. Sed rei magnitudo, & humani tarditas ingenii, faciebant, ut minus iſta in animum admitterent.*

Vide Ioan. xx. 8. Poſt iſta vero diſcipuli hi duo πρὸς ἑαυτοὺς, *ad ſeſe*, hoc eſt, domum ſuam, rediiſſe dicuntur.

19. §. *Quæritur, utrum ex his proximis teſtimoniis præceſſerit: mulierumne, an Petri, & Ioannis. Sane Ioannes prius de Petro & Ioanne memorat: contra autem Matthæus, Marcus, Lucas.*

Apud quem etiam hoc pacto Cleophas ad Dominum: *Mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad ſepulchrum, & non invento corpore ejus, venerunt, dicentes, ſe etiam Angelorum viſionem vidiſſe, qui dicant, eum vivere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt, ſicut mulieres dixerunt; ipſum vero non invenerunt.*

20. §. *Nec dubitandum, quin iſte ſit ordo temporis. Sed Ioannes ſequitur ordinem dignitatis. Nam mulierum teſtimonium, quia facile iis imponitur, non continuo ſolet admitti. Sane cum Magdalena, ea quæ ad ſepulchrum vidiſſet, & audiſſet ex angelis, narraſſet Apoſtolis: his, ut eſt apud Lucam,* viſa ſunt verba mulierum, ſicut deliramentum, & non crediderunt eis. *Etiam Paulus 1 Cor. xv, ubi teſtes Reſurrectionis laudat, Petrum, Iacobum, Apoſtolos cæteros, ac quingentos etiam fratres advocat: ſed de mulieribus tacet. Ioannes igitur maluit ordiri à teſtimonio Petri & Iacobi. Quorum ille veritatem reſurrectionis jam ſanguine ſuo obſignaſſet, hic autem ſuperſtes, ac quævis pro veritate ejuſdem ſufferre, eſſet paratiſſimus.*

Valde hanc conjecturam firmat, quod ſic quoque mulierum teſtimonium riſere gentiles: in his Luciani amicus, Celſus, qui ut eluderet teſtimonium Mariæ Magdelenæ, eam vocabat γυναῖκα πάροιστρον a: ut Origenes narrat adverſus Celſum. *a Semi-furiosam, ſive velut æſtro immiſſo aliter incitatam.*

21. §. *Hactenus de teſtimoniis piorum egimus. Sequitur illud impiorum: hoc eſt, militum, qui appoſiti erant Ieſu corporis cuſtodes. De his duo dicuntur, quorum alia ipſum teſtimonium tangunt, alia eventum. In teſtimonio quatuor conſiderantur; quorum primum erat, quando ierint ad teſtandum. Hoc tempus indicatur iſtis verbis,* πορευομένων αὐτῶν, iis, *mulieribus puta*, euntibus, *ſive à ſepulcro redeuntibus. Sive, ut recte vulgatus, & Eraſmus, reddiderunt,* Quæ cum abiiſſent.

Nempe præſens ponitur pro præterito. Quamquam nec impediat aliquid, quo minus credamus, hos in Urbem perveniſſe, & iſta dixiſſe, dum mulieres eſſent in via ad Urbem.

22. §. *Alterum eſt, qui ierint, nempe non milites omnes, ſed* τινὲς τῆς κουστωδίας, aliqui cuſtodum.

Sed qui omnium nomine irent.

23. §. *Tertium fuit, quibus ſint locuti. Id Matthæus factum ait* τοῖς ἀρχιερεῦσι, principibus ſacerdotum.

Nempe his ratio cuſtodiæ reddenda fuit. Qui, ſi vellent, poterant ſynedrium vocare. Quippe jam exactum erat ſabbatum.

24. §. *Quar-*

24. §. *Quartum est, quid dixerint. Nempe retulere omnia illa, quæ sibi contigissent.*

Videlicet de terræ motu, & angeli descensu, & lapide ab eo devoluto. Atque ut ex illis tanto correpto fuerint tremore, ut mortuos referrent; sicut Matthæus narrat XXVIII. 2.4. Tum autem, ut simul ac paullum ad se rediissent, sepulchrum inspexerint, sed neminem viderint. Ut caussa non fuerit, cur diutius apud sepulcrum permanerent; eoque venisse se miranda ista nunciatum iis, quibus officii sui rationem reddere oporteret.

25. §. *Sequitur nunc pactio τῶν ἀρχιερέων, & militum eorum, qui suo, ac aliorum nomine, advenerant. Ubi tum attenditur τῶν ἀρχιερέων postulatum, ac promissum; tum militum adsensus. Suasere proceres illi militibus, ut dicerent, corpus Iesu, sese dormientibus, sublatum à discipulis. Et, quia periculi plena hæc confessio fuisset apud præsidem Pilatum, cui suprema erat ratio reddenda: eo polliciti sunt, se id præstituros apud eum, ut sint ἀμέριμνοι, sive indemnes. Atque ut magis sibi obstringerent, etiam promisere iis ingentem pecuniæ vim.*

Hinc videmus, quantum in animis valeat humanis ambitio, atque invidia: quibus duobus, velut œstro perciti, proceres Iudæorum eo fuere perducti, ut innoxium crudelissimæ neci addicerent. Sane invidia compulsos, etiam Pilati judicium fuit, ut narrant Euangelistæ. Parum profecto ante sceleratum hoc facinus conscientiæ iis fuit. Ac, eo patrato, pusillum illud, quod reliquum videbatur, plane fuit, non sopitum, sed occisum. Quare nihil ultra scrupuli fuit, quodvis agere ac jubere, utcumque in animo essent convicti, longe aliter se rem habere. Etsi igitur proceres de terræ motu, angeli descensu, lapidis ab angelo devolutione, & corpore non reperto, certissima è custodibus, testibus minime suspectis, audiissent: auctores tamen fiunt iisdem, ut passim spargant, &, si opus sit, Pilato dicant, Iesum, sese dormientibus, furto esse sublatum à discipulis. Gravis ea criminis fuisset confessio: & ex Digestis, Titulo de re Militari, satis constat, quantopere, qui stationem deseruissent aut male custodiam curassent, puniri soleant à Romanis, militaris disciplinæ servantissimis. Sed ne hæc eos cura morderet, duo fecerunt. Nam spoponderunt, acturos sese cum Pilato, ne hoc nomine ulla adversus eos instituatur quæstio: grandi præterea pecunia mendacium hoc redemerunt: quamquam de falsitate in conscientia essent persuasissimi. Quales vere αὐτοκατάκριτοι ab Apostolo vocantur, tanquam à propria conscientia convicti, damnatique. Mendacii vero istius meminere etiam Iustinus, ac Tertullianus. Et nisi hoc, vel simile sparsissent, actum de eorum caussa fuisset. Nam satis aperta fuisset innocentia Christi, si à mortuis resuscitatus crederetur: cum hoc facere solius sit virtutis divinæ. Atque istoc in caussa est, cur Apostoli, in sermonibus & scriptis, tam multi fuerint in Resurrectione adstruenda.

26. §. *Ob promissa ista postulato procerum adsensere milites: utcumque longe aliter se rem habere in conscientia essent convicti.*

Quare ut ex facto τῶν ἀρχιερέων videmus, quantum invidia, & ambitio, valeant, ita ex facto militum conspicimus, quantum possit, ut cum Marone dicam, *Auri sacra fames.*

27. §. *Quamquam vero fama hæc de discipulis Domini sui corpus suffuratis etiamnum duravit inter Iudæos, Matthæo suum Euangelium scribente: quod octavo à Resurrectione anno factum putatur: est tamen mendacium id calidum potius, quam callidum: quippe spissum adeo, ut undique diluceat. Nam si custodes ad unum omnes dormiebant, unde iis constabat, à discipulis esse furto sublatum? Præterea quo pacto, cum sepulcrum esset militari septum custodia, discipuli eo ausi fuissent accedere, homines adeo meticulosi, ut Petrus ipse, quo animosior erat nemo, metu ancillæ abnegarit Christum: cæteri, cum vincula illi injici viderent, in fugam se conjecerint. Imo postea etiam, Iudæorum metu, nonnisi noctu ausi fuerunt congregari. Adhæc plane iis adversatur, quod lintea, quibus fuerat Christus involutus, in sepulcro sint reperta, ut nudum resurrexisse Christum constet. Sudarium etiam convolutum, & seorsum à linteis repositum. Quæ cura non nisi securi animi fuit. Qualis esse non potuit discipulis. Longa enim mora erat avellere à corpore lintea cum unguentis, quæ pice aut visco tenacius adhærebant.*

Quare, si discipulis, hominibus piscatoribus & inermibus, ex eo quod forte clanculum essent conspicati, custodes omnes dormire, tantum animorum accessisset, ut per militarem custodiam suspenso irent ac redirent gradu: lapidem etiam ingentem, quod absque strepitu non videtur fieri potuisse, devolverent de sepulchro: saltem, aperto sepulcro, continuo arrepto Christi corpore, ita uti erat, involuto sindone, & unguento, (præsertim quando & ea non aspernandi erant pretii) se conjecissent in fugam: nec ad ea agenda, quæ antea dicebamus, moram diuturnam traxissent in sepulcro. Metuissent enim, nequis in tanto custodum numero expergisceretur, atque ita miseri deprehenderentur ἐν αὐτοφώρῳ.

Quod non ineleganter, pro ætate quidem ea, qua vivebat, Sedulius expressit:

> —— *Fare, improbe custos,*
> *Responde, scelerata cohors: si Christus, ut audes*
> *Dicere, concluso furtim productus ab antro*
> *Sopitus latuit, cujus jacet intus amictus?*
> *Cujus ad exuvias sedet angelus? anne beati*
> *Corporis ablator velocius esse putavit*
> *Solvere contectum, quam devectare ligatum?*
> *Cum mora sit furtis contraria. Cautius ergo*
> *Cum Domine poterue magis sua lintea tolli.*

28. § *Nec dubium, quin milites ipsi rei veritatem apud familiares subinde sint confessi. Rara enim res est, silentia posse præstare. Præterea quæ conspexerant, tam miranda erant, ut, præsertim ubi paullum temporis intercesserat, ea diutius premere non possent.*

Nec dubium, quin ista etiam confessione multi sint conversi ad fidem Christianam.

29. §. *Sed neque fieri aliter potuit, quin istius rei fama ad Pilati aures perveniret. Neque is tam incuriosus erat, ut non in omnia sedulo inquireret, præsertim quæ sui esse muneris sciret, de cunctis memoratu dignis Cæsarem facere certiorem.*

Uti & ab eo factum esse, indicant illa Tertulliani verba in Apologetico: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nunciavit.*

CAP.

Cap. IV.

De novena apparitione Christi Servatoris.

1. § *Vidimus de quadruplici testium genere. Nunc agemus de novena apparitione Christi. Earum prima est facta Mariæ Magdalenæ: ut testantur Marcus* XVI. 9: *& Ioannes* XX. 11, *ac sequentibus, & Matthæus* XXVIII. 9. 10.

Quæ Petrum, & Ioannem, ad sepulcrum currentes, secuta: sed, mulier quippe, tardius eo pervenit.

2. §. *Nec alia signatur apparitio Matthæi* XXVIII. 9 10.

Aliqui tamen diversas putant Marias Magdalenas: uti B. Ambrosius. Audiamus lib. x in Lucam cap. ult. *Nescit una Magdalene Maria, secundum Ioannem; scit altera Maria Magdalena, secundum Matthæum. Nam eadem & ante scire, & postea nescire, non potuit. Ergo si plures Mariæ, plures fortasse etiam Magdalenæ: cum illud personæ nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Illa admittitur pedes Domini tenere: tangere Dominum ista prohibetur. Illa angelum videre meruit: hæc primo cum venit, neminem vidit. Illa discipulis Dominum resurrexisse nunciavit: ista raptum esse significat: illa gaudet, hæc plorat. Illi in gloria sua jam Christus occurrit, hæc adhuc mortuum quærit: illa Dominum vidit, & credidit: hæc non potuit agnoscere, cum videret. Illa fideli adorabat spiritu: hæc dubio mæstificabatur affectu.* Ac aliquanto post: *Itaque quid interfit inter illam, & hanc Mariam, Scriptura distinguit. Illa occurrit, ut Iesum videat, hæc retrorsum convertitur: illa salutatur, hæc redarguitur.* Alii vero unam quidem Mariam Magdalenam putant: sed diversas uni factas apparitiones: quarum prior contigerit, antequam mulieres ex angelico mandato allocutæ forent Apostolos: altera autem, postquam Petrus, & Ioannes, jam vidissent sepulcrum. Sed longe est verisimilius, semel duntaxat ipsius resurrectionis die ex urbe exiisse mulieres ad visendum sepulchrum. Nempe sic, ut videntur, habent tempora. Maria Magdalena, licet vidisset, Iesu corpus non esse in sepulcro, & ex Angelo audiisset, Iesum resurrexisse, ac jussa esset hunc nuncium referre Apostolis: tamen fide fluctuabat. Metuebat, ne vanum esset de resurrectione, & corpus ab hortulano, vel alio, alium in locum esset repositum: idque eo magis formidabat, quia sciret, tantum festinatione quadam ibi esse repositum. Ergo quamquam jam parere angelo cœperat, tamen animi incerta mox regreditur, diligentius scrutatura, an non alicubi videat vel corpus Christi, vel ejus ablati indicium. Sic animo affecta plorabat, quod ne corpus quidem superesset Iesu, cui extremum unctionis officium præstaret. Rogat angelus, cur fleret: non quasi caussam ignoraret, sed ut sic præpararetur ad illam Christi apparitionem, quæ mox secutura. Quamquam & verba sic capere possumus, ut sententia sit, Quorsum fles, cum caussa flendi sit nulla? nempe quia jam resurrexerat Christus. Respondet autem Magdalena: *Sustulerunt Dominum meum, nec scio, ubi posuerunt eum.* Quæ verba satis arguunt, etiam tum metuisse, ne corpus esset ablatum. Non passus est Dominus Iesus diutius sic hærere incertam. Ergo se illi in horto sistit. Tum Maria à monumento hortum versus se convertere; sive respexerit, more eorum, qui sollicite aliquid quærunt; sive quod ex vultu angelico advenire aliquem, cui honorem haberent, cognosceret; sive quia aliquem ipsa à tergo strepitum audisset. Quicquid vero in caussa sit, (potuere plura horum concurrere) respiciens Iesum vidit, quem Iesum esse nesciret. Rogat Iesus, cur fleret. Illa, ut Ioannes ait, *existimans quod hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu asportasti eum, dicito mihi, ubi posueris eum, & ego eum tollam.* Cogitabat secum, nullum rectius sciturum, ubi corpus repositum foret, quam eum, qui horto esset præfectus: & fortasse illud eo animo reposuisset loco Iudæis ignoto, ne crudeliter in corpus etiam sævirent. Nisi potius a furibus metuebat ablatum propter aromata. Poscit igitur, ut, si sciret, ubi illud repositum foret, ejus rei indicium sibi facere vellet: quasi diceret, hoc si intellexero, dein curæ sibi fore, ut istic sepeliatur, ubi corpus nequeat esse ludibrio. Christus, ubi tantum sui desiderium vidit, non porro dissimular, quis foret: sed nota voce, ac nomine suo Mariam compellat. Tum illa, agnoscens Iesum, dicere Iesu, ut solebat Ῥαββουνί, quod Hierosolymitana lingua sonat, *Magister mi.* Ac simul amplexari pedes parabat, fortasse etiam amplecti jam familiariter cœperat. Quod ab affectu erat: sed simul proderat ad cognoscendam corporis Christi veritatem. Non tamen hoc fine ab ea factum: sed reverentiæ caussa: quomodo deprecabunda Sephora fecit marito, de quo Exodi IV. 25. mulier illa Sunamitis Elisæo; ut est II sive IV Reg. IV. 27. Ac mos idem apud Græcos: unde illud Homericum;

—— Καὶ λάβε γούνων.

Sed Christus gestu Magdalenam amovens recusavit hanc corporis sui contrectationem. Ac rationem illam addidit, *Nondum enim adscendi ad Patrem.* Sunt qui sic enarrent: (in his Maldonatus.) Non est, quod me sic prehendas, quasi non amplius sis visura. Maneo enim aliquantisper vobiscum. Nondum adscendo ad Patrem. Ut præteritum pro præsenti sumatur: quasi diceret, Nondum decrevi adscendere. Nam sæpe verba actus accipiuntur pro verbis voluntatis. Sed magis placet interpretatio Iustini Martyris, & aliorum ex antiquis, ac recentior etiam vulgo, ut mens Christi sit ista: Mitte illam familiarem, ac carnalem amplexationem: quæ olim habuit locum. Nunc augustiori sum conditione, quia resurrexi ad immortalitatem ac regnum: eoque hoc pacto frui me non potes. Sed frueris me abunde, ubi adscendero in cælum: idque eo modo, quem tunc cognosces, nunc vero non capis. Atque hoc de adscensu suo brevi futuro fratribus suis nunciare est jussa: simul etiam ut in Galilæam irent, illic visuri Iesum. Ubi per fratres intelligit non profecto consanguineos: sed Apostolos. Allusit vero, ut Eusebius observat, ad illud Psal. XXI *a*, *a Al 22.*
23: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Sic autem vocare discipulos non solet: sed demum postquam resurrectione declaratus nova ratione est Filius Dei. Quippe per ejus resurrectionem facti tunc sumus filii Dei, eoque Christi cohæredes. Huic novæ ἀδελφότητι probandæ allatus psalmi locus adducitur à divino scriptore ad Hebræos II. 12, postquam dixisset, non puduisse Iesum, ut nos fratres suos nuncuparet. Atque hinc etiam ad Rom. VIII. 29. vocatur idem *primogenitus in multis fratribus.* Hisce Iesu fratribus jussa est dicere ista, quæ oratione directa protulit Christus: *Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum. Meum, vestrumque*, inquit, ut significaret, & illis esse in Deo fiduciam reponendam, sicut ipse fecisset, qui resuscitatus esset à mortuis. Nec tamen eodem modo & Christi, & discipulorum pater censendus. Recte Cyrillus Hierosolymitanus Catech. VII, & XI, *Non dixit*, inquit, *ad Patrem* nostrum, ἵνα μὴ κοινωνία γένηται τῶν κτισμάτων πρὸς τὸν μονογενῆ, *ne communio foret creaturarum cum unigenito*: sed, *ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum.* ἄλλως ἐμὸν, κατὰ φύσιν· ἄλλως ὑμῶν κατὰ θέσιν. *aliter* MEUM, *per naturam; aliter* VESTRUM, *per adoptionem.* Solus enim Christus φύσει υἱὸς, *natura filius*, ut quoque ait Gregorius Neocæsariensis, sive Thaumaturgus, serm. in sancta Theophania, deque Christi baptismo. Quomodo & Epiphanius in Ancorato dicit §. XLIX, nos quidem filios esse

τέ

κατὰ χάριν, *secundum gratiam* : Christo autem neminem posse æquati, τῷ εἶναι αὐτὸν φυσικὸν υἱόν. *eo quod sit naturaliter filius.* Ac similiter Ambrosius lib. I de Fide, cap. VI, Augustinus Tractatu XXI in Euangel. Joann.

Hinc subdit Joannes, Magdalenam paruisse, nunciasseque discipulis, ut Dominum vidisset, hoc est, quem Dominum putaret. Nam verene is esset, adhuc erat incerta: ut mox dicam. Item narravit, quos secum habuisset sermones. Discipuli tamen Emauntem euntes, tacent apud Lucam de Christo mulieri, vel mulieribus, viso: & contenti sunt dixisse, se ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι· *visionem angelorum vidisse.* Quod inde est, quia, ut dixi, ipsa hæserit Magdalena, utrum angelus, an ipse fuisset Dominus, quem vidisset. Ex eo profecta sit dubitatio, quod contactus corporis certum resurrectionis fuisset argumentum, ille autem quem viderat, prohibuerit, ne pedes suos amplexaretur. Potuere & discipulorum aliqui propterea putare, solum Christi animam fuisse, quam vidisset. Nam opinio ea quorumdam fuit Judæorum, animas etiam habere vehiculum suum, corpus quoddam pellucidum, mediæ inter animum, & crassa illa corpora naturæ: ut autor est Origenes in secundo adversus Celsum. Ac similiter Chaldæi, & Pythagoræi: de quibus Ill. Grotium adi [a].

[a] *In Matt.* 28. 8. Atque ex his liquet, quo pacto una videatur apparitio. Quibus vero persuasum est de apparitione duplici: hi arbitrantur, postquam Mariæ Magdalenæ esset visus, eam à sepulchro rediisse ad mulierum alias: atque ibi Iesum non Magdalenæ solum, sed cæteris etiam mulieribus apparuisse. Hoc colligunt ex illis Matthæi verbis XXVIII. 8, 9, 10: *Et ecce Iesus occurrit illis* (ἀπήντησεν αὐταῖς) *dicens, Avete. Illa autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, & ibi me videbunt.* Diversam putant, quia hic dicitur non mulieri, sed mulieribus apparuisse. Sed συνεκδοχή est, mulieribus, hoc est, uni è muliebri illo cœtu: ut ante exponebamus illud, *Latrones exprobraverunt illi.* Quamquam & satis sit verisimile, Magdalenam esse regressam una cum famula sua: quomodo proprius fuerit sermo.

Hæc de mulieribus, quibus apparuisse Iesum, narrat Scriptura. Plurimorum opinio est, præter eas etiam apparuisse Matri suæ: sed propterea præteriti ab Euangelistis, quia testimonium ejus, tanquam domesticum, nempe in caussa Filii, parum fuisset efficax. Sed non videtur hoc satis convenire cum verbis Marci XVI. 9: Ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτου, ἐφάνη πρῶτον Μαρίᾳ τῇ Μαγδαληνῇ· *Ipse qui resurrexerat, mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ.* Et potuit Christus eo se Matri non ostendere subito, quia minus hoc ei opus foret, ut quæ in fide neutiquam, vel saltem longe minus, vacillaret.

3. §. *Altera apparitio facta est duobus discipulis Emauntem euntibus: de qua paucis Marcus* XVI, *fuse Lucas* XXIV.

Nam fallitur Euthymius cum discipulos duos à Luca signatos ab iis diversos censet, de quibus Marcus. Movit eum, quod in narratione, amborum aliquis videretur dissensus. Sed ea, quæ dissentire videntur, facile conciliantur: ut inferius patebit.

Considerabimus vero in narratione istac, quibus apparuerit Christus, & quando, & ubi, & qualis, ac quare apparuerit: tum etiam dicta factaque, & Christi, & utriusque discipuli.

Apparuit duobus, qui forent è LXX discipulis. Uni nomen Κλεόπας, vel Κλεωπᾶς, ex quo vocabulo contractum Κλωπᾶς. Imo & ipsum Κλεόπας vel Κλεωπᾶς contractum est ex Κλεόπατρος; quomodo Dama sive Δημᾶς, ex Δημήτριος, Ἀπολλῶς ex Ἀπολλώνιος, Ἀλεξᾶς ex Ἀλέξανδρος, Λουκᾶς ex Λουκανὸς, pluriaque id genus adduximus Institutionum Oratoriarum lib. IV cap. 1. §. V. Κλεόπατρος vero nomen Macedonicum, uti & Cleopatra. Nec dubium, quin Iudæi id demum acceperint post tempora Alexandri Magni.

Alterius discipuli nomen reticetur. Eo creditur fuisse Lucas: quomodo & Joannes, modestiæ caussa, suum reticere nomen amat.

Sane ut Marcum, ita etiam Lucam, ante adscensum Christi in cælum, fuisse in ejus discipulis, diserte scripsit Origenes, & inde idem tradidit Euthymius, in iis, quæ, de vita Lucæ, ejus Euangelio præmisit. Sed hæc sententia eo refellitur, quod Lucas ipse sua se ab iis dicat accepisse, οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα; quibus *etiam Iesus se exhibuerat videndum, dum viveret.* Hæc non conveniunt ei, qui & ipse Iesu ante passionem fuerit discipulus. Alii Nathanaëlem aiunt: ut ex Epiphanio scimus. Alii Apostolum Bartholomæum. Apud B. Ambrosium videas Ammaonem vocari. Sic enim apud eum legitur in Lucam lib. X cap. XXIV: *Videtur separatim se istis undecim demonstrasse; sicut se Ammaeni, & Cleophæ, seorsum jam vespere demonstraverat.* Nisi pro *Ammaoni*, quæ vox nihili videtur, cum illustri Grotio rescribendum *Simoni*, sive, ut Hebræi hoc nomen efferunt, *Simeoni*. Nam similiter Origenes lib. adversus Celsum: Γέγραπται δὲ ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν, ὅτι μετὰ τὴν ἀνάστασιν λαβὼν τὸν ἄρτον ὁ Ἰησοῦς εὐλόγησε, καὶ κλάσας ἐπεδίδου τῷ Σίμωνι, καὶ τῷ Κλεόπᾳ. *Scriptum in Euangelio secundum Lucam, quod Iesus post resurrectionem accepto pane benedixit, ac fregit, deditque Simoni, & Cleopæ.* Nempe (quod eidem summo viro observatum) cum dicat Origenes, ita esse apud B. Lucam, plane videtur apud eum cap. XXIV. 34. legisse: Λέγοντες, ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι. *Dicentes, Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* In Latino est ambiguitas: quia illud DICENTES & ad duos discipulos Emaunte venientes, & ad denos Apostolos, possit referri. Et potuit ita cepisse Ambrosius. Sed in Græco, si Λέγοντες placet, non aliter, quam de duobus discipulis possis accipere. Verum non dubito, quin vera sit lectio hæc vulgata, Λέγοντας: ut sententia sit, non ista discipulos dixisse Apostolis; sed Apostolos discipulis. Quomodo non unus ex LXX signabitur: sed princeps Apostolorum: quem seorsum vidisse Jesum liquet ex I Corinth. XV; ut inferius dicam.

Hæc de iis, quibus apparuit Christus. Tempus apparitionis clare in Scripturis exprimitur. Nam ipso Resurrectionis die factam esse, legas Lucæ XXIV. 13.

Locus etiam clare indicatur, isque geminus. Prior est, via, quæ Hierosolymis ducit Emauntem; qui pagus dicitur distitisse LX stadiis Hierosolyma. h. e. septem milliaribus Italicis, ac dimidio. Nam octo stadia milliare ejusmodi conficere, nemo nescit. Memoratur is pagus etiam I Maccab. III. Ac Plinio refertur inter toparchias Palæstinæ. Nicopolis postea nomen habuit. Apud Lucam de his discipulis est, πορευόμενοι εἰς κώμην, *euntibus in pagum.* Apud Marcum vero, πορευομένοις εἰς ἀγρὸν, *euntibus rus.* Nempe quia vulgo Græcis Hebraizantibus πόλις, & ἀγρὸς, opponebantur. Alter locus est diversorium in Emaunte, ubi cum iis Christus cœnæ accubuit.

Qua forma apparuerit Jesus, docet nos Marcus XVI. 12, cum ait, ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, hoc est, habitu alio, quam uti suleret. Fuere vestes aliæ, quam gestarat: proprias enim milites diviserant. Quæritur unde igitur eas habuerit Jesus. Nempe illas vel crearat ipse, vel aliunde sumserat: ut respondet Justinus Martyr, sive sub Justini nomine incertus quispiam, Responsione ad Orthodoxos CXVI.

Sed quid si non externa fuerit vestis, verum patria, ac rustica; sive qualis habitantium in agro Hierosolymitano? Nam cum Christus se discipulis junxisset, ac rogasset illa duo; qua de re loquerentur, & cur essent tristes; amborum nomine, fortasse eo quia senior foret, Cleopas respondit apud Lucam: Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα ἐν αὐτῇ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις; *Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cogno-*

cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus? Iam vero, ut ἐνοικοῦντες vocantur, qui in urbe degunt: ita πάροικοι dicuntur, quibus domicilium est in urbis diœcesi, sed extra urbem. Similiter παροικία ipsa diœcesis; παροικεῖν de iis, qui habitant in agro, sive territorio extra urbem. Sic sententia fuerit: *Habitas in Hierosolymitana diœcesi, & ignoras, quæ proxime tam miranda contigerunt?* Atque hæc interpretatio, uti Illustri Grotio placuit, ita eo fit verisimilior, quod Iesus se Emauntem euntibus addiderit socium, ac simularit se eopse vespere ulterius ire velle: quasi in pagum aliquantulum distantem. Vel παροικεῖν sumere etiam possis pro commorari extra suas ædes, pagumque vel oppidum. Ut sententia sit, Tu hactenus extra domicilium tuum agis in Vrbe, nec ista cognosti? Utcumque sumas, est vulgaris ille admirantis sermo: ut indicat, quod similiter apud Ciceronem leges pro Milone: *At vero, judices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestra peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur?* Usus autem est peregrinantium veste. Nam cum peregrinus videretur, mirabundi, quod, cum Hierosolymis veniret, nesciret solus peregrinorum, quæ diebus istis contigissent, quærunt, Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα ἐν αὐτῇ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις; *Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neque novisti, quæ facta sunt illic his diebus?* Quasi dicerent, ex habitu te peregrinum esse cognoscimus: attamen quis peregrinorum tam incuriosus est, ut si Hierosolymis fuerit, cum ista fierent, eorum tamen sit ignarus?

Sed non erat satis, si ex schemate sive habitu non agnosceretur: nec è vultu voluit agnosci. Potuit igitur immutare vultus lineamenta: quod & factum esse Theophylactus arbitratur. Sed Iesu satius visum, si solum impedirentur oculi discipulorum: quod illis Lucæ verbis significatur XXIV. 16: Ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτόν. *Oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Quod non incommode mihi videtur exponere Cajetanus Ientaculi septimi quæstione prima: quando ait, id factum *per subtractionem, secundum omne quod sua figura, seu coloris erat; hinc enim apparentia fit alterius. Et parva hujusmodi varietas sufficit ad alienam effigiem apparandam, & non apparandam propriam: quoniam species visibilis sic deficiens ab integritate objecti repræsentat non talem faciem, non tales oculos &c. ac per hoc repræsentat alienam effigiem.*

Porro quæritur, cur Iesus noluerit agnosci. Ratio vero est, quod sic futurum sciret, ut discipuli liberius detegerent animi sui ulcus, & Iesus melius faceret medicinam ex factis, & ultro citroque dictis.

Iesus objurgatus, quod solus nesciret notissima, pergit interrogare, quæ ista forent. Tum illi sermonem texunt tripartitum. Primum describunt Christum a persona, quod fuerit propheta, & quidem potens operibus & sermonibus: quod elogium & Mosi tribuitur à Stephano Act. VII. 22. Additurque de Iesu, talem fuisse coram Deo, & hominibus: Deo nempe, testimonium ei perhibente, dum virtutem ei concedit tanta patrandi miracula: hominibus item ei testimonium dantibus, dum prædicationi ejus habent fidem, non ob miracula modo, sed etiam quia docendi modo emineret.

Parte altera narrant, quam indigne tantus propheta esset habitus à primoribus populi: qui & Pilatum eo adegissent, ut eum crucifigeret.

Tertia pars agit de spe discipulorum, idque bifariam. Nam prius explicatur, quid eam non parum infregisset: deinde quid nonnihil illam confirmaret. Ad prius pertinet, quod dicit Cleophas, Ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ. *Nos autem sperabamus, eum esse illum, qui liberaturus esset Israel.* Nam per λυτροῦν non intelligitur redemtio, sive satisfactio pro peccatis, (nec enim usque adeo in fide profecerant Christiana, ut tantum intelligerent mysterium) sed significatur Israëlis liberatio à jugo Romano: quomodo & Zacharias, pater Ioannis Baptistæ, exspectasse dicitur λύτρωσιν τοῦ λαοῦ, *populi liberationem*, nempe ab exterorum servitute.

Nec aliter capere oportet, quando Luc. II. 25. Simeon dicitur exspectasse παράκλησιν τοῦ λαοῦ, *consolationem Israëlis.* Interea non terrenam tantummodo felicitatem, sed spiritualem etiam, hoc est, cum vitæ emendatione sociatam intelligebant. Animi vero anxietatem augebat, quod jam dies esset tertius, ex quo obiisset. Nempe non cogitabant Spurinnæ illud ad Cæsarem: *Venit dies, non abiit.*

Sed ut ista spem adimebant, ita erat, quod eam aliquantum erigeret. Videlicet, quod mulieres negassent, ulterius esse in sepulchro, atque adderent, se vidisse ὀπτασίαν τῶν ἀγγέλων, *visionem angelorum*, qui eum vivere dicerent. Interea quam infirma hæc spes fuerit, satis liquet.

Horum sermonem excipit Christus objurgatione severa, ac justa: *O stulti & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti sunt prophetæ.* Græce est, Ὦ ἀνόητοι, καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ. Unde liquet, cum Iesus Matth. V. 22. ait, eum, qui fratri suo *racha* dixerit, reum fore τῷ συνεδρίῳ, intelligi debere, qui præcipiti ira id fecerit, non, qui hoc fraterno amore egerit, ut dementiam suam alteri ob oculos poneret, atque ita eum melius ab erroris semita reduceret in viam. Dicit autem Iesus, esse tardos in omnibus credendis, τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν. Credebant, quæ de gloria Messiæ erant prædicta. Sed credere non poterant, Messiæ patienda esse dira multa, & sic ingrediendum in regnum suum. At Christus ait, non ea solum iis credenda, quæ adlubescerent, sed universa. Hanc enim vim habet illud ἐπὶ πᾶσιν. Tertullianus lib. IV adversus Marcionem cap. XLIII, eodemque ultimo, sic adducit hunc locum: *O insensati, & tardi corde, in non credendo omnibus, quæ locutus est ad vos.* Videmus, de Iesu id dicere, quod in Euangelio legitur de Prophetis: ἐπὶ πᾶσιν, οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται. *in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ.* Neque propterea putandum, ita, uti Tertullianus citat, vulgo codices habuisse, quibus Ecclesia uteretur. Nam differit Tertullianus adversus Marcionem: qui Euangelium ediderat, quibusdam additis, resectis, mutatis. Inde citat ista Tertullianus, ut ex proprio eum Euangelio refellat. Hinc postea eopse capite: *Et Marcion quædam contraria sibi, illa, credo industria, eradere de Euangelio suo noluit, ut ex his, quæ eradere potuit, nec erasit, illa, quæ erasit, aut negetur erasisse, aut merito erasisse dicatur.* Ac tandem hunc librum quartum verbis istis consignat: *Misereor tui, Marcion; frustra laborasti. Christus enim in Euangelio tuo meus est.* Hoc est, etiam judicando ex Euangelii editione tua, liquet, Iesum esse Creatoris filium: quod negabat Marcion. Id Euangelium vocabat Apostolicum, atque unius Lucæ erat, sed interpolatum: ut ex Epiphanio liquet hæresi XLII. quæ est Marcionitarum. Ubi & videas superiorem Lucæ locum, ubi verba Iesu ad Cleopham ita interpretatur, quasi non de Prophetis, sed se ipso sit locutus, & inter illa reponit, quæ Marcion in Euangelio corrupit.

Post gravem adeo increpationem refellit Christus eorum opinionem, unde dolor iste obvenerat. Cumque illi non possent sibi persuadere, Christum esse Regem promissum, idque propterea, quia esset crucifixus & jam mortuus, quod non videbatur convenire instauratori Israëlis: contra Christus, quasi κατὰ βίαιον, ostendit, ideo potius esse promissum Messiam, quia hoc exigebatur in Messia, ut pateretur, & moreretur, atque ita ingrederetur in regnum suum. Hoc ne facilius, quam verius dictum videretur, adstruxit hoc è Mose, & prophetis: ubi prophetarum nomine etiam Psaltæ divini, ac hagiographa omnia continentur. Ea probatio partim fuit ex vaticiniis disertim id sonantibus; qualia præsertim apud Esaiam, ac Danielem reperimus: partim è typis ac symbolis;

bolis; cujusmodi erant sacrificia, præcipue piaculare pro populo: item serpens in deserto erectus, Davidis gesta, aliaque, sub quibus mysterium latere, Christus, & Apostoli docuerunt: multaque alia, præter ea, quæ in Scripturis habemus, subesse, vix dubium videtur: quamquam propterea probari non multum debeat illorum industria, qui pene in omnibus veteris Testamenti rebus mysterium simile quærunt, &, si ipsis credimus, inveniunt: animo, credo, pio, sed nimis præfidenti, sic, ut, quod cum Sabinis somniant, aliis etiam velint temere persuasum.

Ubi appropinquatum Emmaunti, simulavit Iesus, se ulterius velle ire: ut quidem vulgatus habet interpres. Unde controversia ortum, an aliquando liceat aliud simulare, quam animus sit nobis. Putarunt id Chrysostomus, & ejus discipulus Cassianus: nempe judicarunt, licere simulare apud eos, quibus hoc ipsum, ut simulemus, prodest. Non ingredior hoc loco istam disputationem. Id sufficit quod Græce est προσεποιεῖτο. Id optime Erasmus reddit, *præ se ferebat*. Certe potuit præ se ferre, & non simulare, ut, si revera propositum habuerit, ulterius ire, nisi instanter à discipulis rogaretur, ut secum maneret, etiamsi dixisset verbis, volo ire ulterius, non eo sit mentitus: quia id cum conditione intelligendum. Sic Matth. VIII. 7. Christus centurioni ajebat, iturum se ad filium ejus paralyticum qui graviter torquebatur, seque eum sanaturum: id conditione ea dictum, nisi centurio urgeat, ut ne veniam, sed hic verbo solo sanem. Ac simili conditione Christus Marci VI. 48. dicitur voluisse præterire discipulos: nempe nisi multum rogaretur à discipulis ut navem conscenderet. Cujusmodi voluntati conditionatæ non magis repugnat scientia futuri eventus, quam divinæ comminationi de evertenda Ninive obstitit, quod Deus præsciret servatum iri. Nimirum & ista comminatio adnexam habuit tacitam hanc conditionem, nisi Urbs pœnitentiam egerit: quam acturam Deus præscivit.

Præ se ferente Christo, ulterius se ire velle, discipuli partim quia εὔξενοι sive hospitales forent, partim grato erga doctorem animo, (facile enim videbant, virum esse non vulgariter eruditum in scripturis) rogant eum, ut secum divertere & cibum capere velit. Neque id semel ac frigide rogarunt, sed constanter; unde Euangelistæ ajunt, παρεβιάσαντο, *adegerunt eum*: puta vehementer orando. Quomodo & idem Lucas sumit Act. XVI, 15. Rogantes vero & rationem addidere, quia jam vespera esset, ac tenebræ imminerent.

Christus igitur eorum sermone persuasus, tectum una subit, atque accumbit. Ipse præter convivarum morem, instar patrisfamilias, ut solebat antea, panem accipit, ei benedicit, ac discipulis præbet. Illis, ut credibile, consuetudine illa Christo usitatissima adductis, suspicio injicitur, forte hunc ipsum esse Iesum. Et fortasse peculiari etiam modo solet pani benedicere, vel eum frangere. Ergo attentius, quam antea, considerant vultum Christi. Ecce rem mirandam. Quem hactenus non norant, is agnoscitur in fractione panis, non illa quidem eucharistica, sive sacramentali, ut multos putasse, ex Augustino, & Theophylacto videre est: sed tamen plusquam vulgari, nec omnis, ut videtur, mysterii experte. Tum demum agnitus, non modo, quia occasione memorata acrius in Christi vultum fixissent oculos: sed præcipue, quia jam oculis impedimentum erat nullum: eoque in vultu Christi figuram, & lineamenta omnia, possent observare. Christus vero jam agnitus ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, *inconspicuus illis fuit*. Quod quomodo factum sit, varia jam olim opinio fuit: triplex imprimis. Una, ut sit factus ἄφαντος ex subito recessu. Altera, ut id contigerit ex obducta oculis caligine. Tertia, ut provenerit ex natura corporis πνευματικοῦ, qualia à resurrectione fore corpora nostra, etiam Apostoli Pauli sententia est. Prima videtur placuisse interpreti Syro, & Arabi. Altera placuit Epiphanio: nempe ut simile evenerit discipulis, ac Sodomitis, cum educere Lothum vellent: item famulo Elisæi prophetæ. Tertia Origenis erat, qui, ut ex aureis ejus adversus Celsum libris videmus, corpora à resurrectione credidit mediæ fore naturæ inter visibilia nostra, & invisibilia angelorum: ac videri, cum volunt; si nolint, non videri: quod & de Angelis ipsis existimavit. Ac tertiam hanc opinionem secutus etiam videtur vulgatus interpres, cum vertit, *Et ipse evanuit ex oculis eorum*. Eo autem conspici ultra noluit, quia videret, discipulos duos jam abunde à se firmatos esse in fide. Et propositum ei erat Hierosolymam ire, ut itidem firmaret in fide denos Apostolos, quos congregatos sciret. Discipuli ubi disparuisse Christum vident, locuti inter se de summo ardore, quo in via ex sermone Christi flagrabant. Ardor vero erat ex vehementi commotione spirituum. Illa ex sermonis virtute, atque efficacia.

Mox etiam consilium capiunt eapse vespera eundi Hierosolymam, ac de iis, quæ sibi contigerant, discipulos faciendi certiores. Veniunt igitur, ac narrant, antequam eodem venisset Iesus. Sermoni eorum non habitam fidem, ait Marcus. At habitam tradit Lucas: qui & Apostolos ait subjecisse, quomodo Iesus etiam visus esset Petro ὄντως, hoc est, ἀληθῶς resurrexisset, imo & visus esset Petro. Nam λέγοντας, non λέγοντες legi oportere, antea dictum. Euangelistæ autem facile conciliantur. Nempe alii credidere, alii non item: uti de ἀπιστίᾳ argumento est, quod etiam Christus, cum denos accessit, eorum amentiam, & incredulitatem arguit. Tanta eorum incredulitas, quam & deinceps magis cognoscemus, vehementer fidem nostram firmat. Nam nimis creduli facile falluntur, ac mox fallunt sui similes. Sed Apostoli vix ullis argumentis adduci potuerunt ad credendum; ut necesse fuerit, Christum & sæpe, & multis comparere, & non videndum modo se præbere, sed voce nota alloqui, & corpus dare contrectandum, & cibum iis præsentibus capere: ut qui alienis non crederent oculis & auribus, crederent suis: nec ulterius pro spectro eum haberent, qui vere à mortuis resurrexisset.

4. §. *Tertia apparitio est facta Petro, quem seorsum vidisse Christum, indicat sermo Apostolorum decem ad discipulos Emaunte venientes, deque viso à se Christo referentes.*

Verba eorum hæc Lucæ XXIV. 34: Ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι. *Surrexit Dominus vere, & conspectus est Simoni.* Meminit ejus visionis etiam Paulus 1 Corinth. XV. 5. Ambrosium adi lib. X. in Lucam cap. ult. Apud Ignatium in epistola ad Smyrnæos legas, Christum Petro post resurrectionem dixisse: Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον. Quod vetus interpres reddidit: *Apprehendite, palpate me, & videte, quoniam non sum dæmonium incorporeum.* Eusebius Eccl. Histor. lib. III κεφ. λϛ, negat, se scire, unde ea verba depromserit Ignatius: Οὐκ οἶδ' ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται. *Nescio unde illum locum mutuatus sit.* Sed scivit illud B. Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: ubi desumtum ait ex Euangelio secundum Nazaræos, sive Hebræos. Cujus & Epiphanius meminit non semel: imo Eusebius ipse lib. III Hist. cap. κζ. Eo ex Euangelio & alia compluria à veteribus adducuntur. Quale vero id Euangelium fuerit, mox exponam. Fortasse autem, quod ex Hebræorum Euangelio relatum, non hac apparitione factum, sed quincta, qua decem discipuli una fuere. Hoc inde aliquis collegerit, quia Christus non dixit Petro, *palpa*, sed *palpate, & videte.*

5. §. *Quarta est facta Iacobo: cujus rei meminit Paulus, 1 Corinth. XV. 7.*

a Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, in vita Iacobi.

De hoc plenius rem narrat B. Hieronymus, his verbis a: *Dominus autem cum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum, & apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis.* Subjicit deinde idem: *Afferte, ait Dominus, panem, & mensam. Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum; quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Hæc ita legi, ait Hieronymus, in Hebraico Euangelio, quod Nazaræorum erat: ac à Matthæo quidem (qui in Palæstina octennio ab ascensione Christi in cælos permansit) Hebraice in Palæstinorum præcipue gratiam perscriptum fuit, sed assuta habuit quædam non à Matthæo exarata; sed fando accepta. Eo autem *Nazaræorum* dictum, quia à Christo Nazareno primitus, qui fidem ejus in Palæstina amplexi, *Nazaræi* sunt vocati: postea autem annunciatu inter gentes Euangelio, Græco vocabulo à Christo nominati sunt Christiani. Cum vero fuerint Iacobi duo, is, de quo nunc sermo est nobis, ipsi Chrysostomo est minor, qui Hierosolymorum episcopus; non major, filius Zebedæi, frater Ioannis.

6. §. *Quatuor apparitiones ista solum uni, vel duobus facta. Venio nunc ad illas, quæ pluribus contigere. Ac quinta quidem, sextaque, in Iudæa: septima, & octava, in Galilæa: nona, eademque postrema, iterum in Iudæa. Quinta sextaque, facta Apostolis: prior Thoma absente, ipso Resurrectionis die: quippe Dominica post Solis occasum. Sed si cum Iudæis diem ab occasu Solis numeremus, feria secunda. Altera vero apparitio, hoc est, sexta, evenit coram eodem Thoma, octiduo post Resurrectionem.*

Utrobique tamen dicitur apparuisse undenis. Sed enim sic loquitur Scriptura more vulgari, *undenos* dicens pro collegio Apostolico, sive undeni forent, sive pene undeni. Similiter Paulus 1 Cor. xv. 5. ait, (ut est in codd. Græcis) apparuisse illis xii. Hoc itidem valet, Apostolorum collegio: quod ante miserum illum Iudæ exitum constiterat xii Apostolis. Utram περιφερὲς sit, quam συνεκδοχή. Quomodo & Athenarum rectores à Xenophonte lib. ii vocantur xxx, postquam cæsus esset Theramenes, eoque non amplius essent tyranni xxx, sed undetriginta.

Ut vero historia utriusque apparitionis melius intelligatur, distincte agam, primo de apparitione priori, deinde de altera.

Quod ad priorem, primum Christus se inexspectatus in medio stitit Apostolorum cœtu. Quod factum ipsa Resurrectionis die, ὀψίας γενομένης, cum jam serum esset, ac tenebræ nocturnæ. τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *foribus clausis*: nempe & de nocte, & foribus clausis, congregabantur discipuli, διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων. *Ob metum Iudæorum.* Quomodo & clausis foribus congregatos liquet Act. xii. 13. Nam pulsasse sæpius Petrus dicitur: & ancilla dicitur subauscultasse, ut ex voce cognosceret, an intromitti posset. Ex Plinio etiam, Tertulliano, & aliis, de nocturnis Christianorum cœtibus cognoscere licet. Quærat aliquis, quomodo clausis januis ingressus sit Christus: sic ut non pateret qua parte esset ingressus. Nempe divinæ fuit naturæ opus, ut est apud incertum scriptorem Quæstionum, & Responsionum ad Orthodoxos, quæst. cxvii: ubi hoc plane reponit inter τὰ ὑπὲρ φύσιν τῇ φύσει γινόμενα, *quæ supra naturam in natura fiunt.* Modum addit istiusmodi: Ὅτι οὐ κατὰ τροπὴν τοῦ σώματος εἰς τὸ πνεῦμα, ἐποιήσατο εἰς αὐτοὺς τὴν εἴσοδον, ἀλλ' ἐν παχυμερεῖ σώματι τῇ θείᾳ αὐτοῦ δυνάμει ποιητικῇ τῶν ὑπὲρ φύσιν. *Quod non mutatione corporis in spiritum, sed per divinam suam potentiam, rerum, quæ supra naturam, effectricem, hujusmodi introitum ad eos instituerit.* B. Augustinus lib. xxii de Civitate Dei cap. viii, quod est de miraculis: *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Iesum, per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos, ostiis clausis, ingressum fuisse, non credunt.* Sed fuse imprimis de eo Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. xii. cap. liii: *Clausis ergo foribus, repente Dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo, clausis januis, corpus Domini penetrarit, cum intelligat, non de homine nudo, ut modo nos sumus, sed de omnipotente filio Dei hæc ab Euangelista conscribi. Nam cum Deus verus sit, rerum naturæ non subjacet, quod in cæteris quoque miraculis patuit.* Quibus plura alia subjicit huic firmando.

Hinc constitit Christus in medio Apostolorum; eosque salutavit his verbis. Εἰρήνη ὑμῖν, *Pax vobis.* Quod Latinis voce Punica fit *Avete.* Qualis pax intelligatur, docent hæc verba ejusdem Salvatoris Ioa. xiv. 17: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, sed non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Siquidem mundi pax sæpe inane est nomen, quia interius non est pax, vel quies, sed tumultus, ac seditiones. Dispar est ratio in pace Christi, cujus suavitate spiritus perfunditur, ac reficitur, dum cogitamus, quomodo Christus pro nobis cruciatus pertulerit, ac mortem, quo nos reconciliaret Patri.

Tum vetuit eos timere, eo quod ipse esset. Ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖτε. *Ego sum, ne timete.* Quæ verba non modo agnoscunt Syrus, & Arabs: sed etiam vulgatus interpres, atque Ambrosius: ut omnino sit verisimile, ea verba ex Græco codice aliquo, unde exscripti alii, excidisse. Valde fallitur vir summus, quando huc ex Euangelio Ioannis translata esse autumat, cum neque istic compareant. Caussa vero, cur sic eos compellaret Iesus, hæc subjungitur, quod exinde animo essent perturbati, quia crederent, se videre spiritum, sive, ut in Nazaræorum Euangelio erat, (quod multa è famæ traditione adjecerat Matthæo) dæmonium incorporale. Quo nomine intelligitur spiritus malignus: qui sæpe solet mortuorum specie comparere: quod multi etiam factum esse arbitrantur in Samuele à Pythonissa excitato. Quæ super eo opinio sit nostra, videre est è literis, quæ leguntur in Ioannis Beverovicii Quæsitis per epistolam, aliorumque responsis.

Exquisivit igitur Iesus ex Apostolis, quid ita percellerentur, cogitationibus variis animum subeuntibus, illa imprimis, malum esse spiritum, qui illis illuderet phantasmate. Ne visu quidem, & alloquio isto satis firmatus erat animus omnium. Plerorumque tum etiam metus erat, ut dixi, ne spectrum vidissent. Altera igitur ratio ad firmandos Apostolos accessit. Iesus manus, pedes, latus, ostendit, ac cicatrices, ut vestigia vulnerum, quæ iis partibus acceperat. Unde eos jussit cognoscere, non se spiritum esse: quippe, qui non habeat carnem, & ossa. Dixeris, non fuisse id validum argumentum, quia & angeli corpore vero induti comparuere. Fateor: sed enim his Deus vera creavit corpora: quod dæmonibus non facit. Eoque vel frigida cadavera adsumunt, quæ non meticulosis haut adeo operosum est tactu vel aliter dignoscere: vel corpora habent ex aëre formata: quæ Φαντάσματα dicuntur, quia non sunt, quod apparent. Solidum igitur est Christi argumentum, quando sic colligit: aut Iesum videtis, aut phantasma. Nam ne verus esset angelus, minime metuebant, eoque nec eo probato opus fuit.

Sic etiam animi fuere incerti, quia ita fere omnes sumus, ut quod vehementer cupimus esse verum, id difficulter credamus, ac metuamus semper, ne in falsum conjiciamur gaudium. Itaque tertium addidit Christus. Cibum apponi jussit. Præbuere illi partem assi piscis: & favum mellis. Comedit Christus: unde & Petrus Actor. x. 41 ait, una cum eo edisse, & bibisse. Ac vere comedit, non quia esuriret, aut siriret, sed ut resurrectionis veritatem comprobaret: seque hominem commonstraret, non spiritum.

Dixerit

Dixerit aliquis, non esse hoc solidum argumentum, quia & Angeli ederint, & biberint; ut Genes. XVIII. 9, apud Abraham; Genes. XIX. 3, apud Loth; Raphaël item in Historia Tobiæ. Sed enim in Angelis non est actio naturalis corporum viventium. Christus vero non cibum, ut angeli, in corpus ingessit inanimum, sed in corpus vivum: non tamen ad nutritionem id factum: sed solum ad veritatem corporis comprobandam. Hinc Augustinus epist. XLIX: *Futura resurrectionis corpus imperfecta felicitatis erit, si cibum sumere non potuerit: imperfecta felicitatis, si cibi eguerit. Sed aliter absorbet terra aquam sitiens, aliter Solis radius candens: Illa, indigentia; iste, potentia.* Quibus significat; quod ederit, fuisse non egestatis, sed potestatis: nec cibum in stomacho concoctum: sed absumtum, ut humorem Solis calor absumit. Si hoc non videatur per se sufficere, occurrat illud Ovidii:

Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

Quomodo in hisce apparitionibus concurrunt effigies, loquela, vulnera, tactus, esus, potus, progressus, conversatio, prædictio, miracula, testimonia Angelorum, vaticinia prophetarum. Omnia perfecte commonstrant, non æque singula, perfectissime cuncta, h. e. conjuncta. Nam id discriminis est inter *omne*, & *cunctum*, ut in Originum libris ostendimus.

Denique triplici huic argumento addidit argumentum ex Scripturis. Unde Lucas XXIV. 44: *Hi sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum vobiscum* (puta in quotidiano convictu, non, uti nunc, dispensatione quadam) *adhuc essem: quod necesse foret impleri omnia, quæ sunt scripta in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis, de me.* Ubi videmus, quomodo Scripturæ dividantur. Per *Mosem* intelligitur Pentateuchus: per *prophetas* tum historici signantur, qui prophetæ anteriores vocantur, quia ante acta enarrant; tum prophetæ posteriores, qui postfutura prædicunt, ac proprie magis prophetæ nuncupantur. Per *psalmos* designantur hagiographa: quia princeps in iis est psalmis locus: cæteroquin & tres Salomonis libros comprehendunt: ut ex Josepho constat.

a Cap 24. v. 45. 46. Subjungit Lucas a: *Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere a mortuis tertio die* &c. Apertio cordis non solum fuit à verbis Christi: sed etiam à Spiritu S. illustrante intellectum. Hæc enim duo ad φωτισμὸν concurrunt. Testimonia è Scripturis, non tum modo, sed illis XL diebus, quibus in terris fuit, adduxit, & explicuit, ut postea dicetur. Quæ vero subdit deinde Euangelista de mandato prædicandi Euangelii, & promissione Spiritus Sancti, deque mandato altero, ut Hierosolymis exspectarent illum donec accepissent; etsi ea tum attigisse Christus possit: plenius tamen exposita die ascensionis: quam resurrectionis: de quo nunc loquimur. Quippe in Judæa solum accepere mandatum, ut irent in Galilæam: in Galilæa autem, ac Bethania, jussi, postquam esset sublatus, Hierosolymis subsistere, donec Spiritum S. accepissent, ac inde Hierosolymis orsi apud omnes gentes prædicare pœnitentiam, promittere remissionem peccatorum, atque ex suo mandato, jure, &, quasi vices Christi obeundo, credentes baptizare: quemadmodum inferius dicetur.

Postquam Christus tot argumentis firmarat Apostolos: munus suum, tanquam legatione perfunctus, resignat Apostolis, quos vicarios suos facit. Atque huc pertinent verba illa Ioannis XX. 21: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quæ similitudo etsi dispar magnam partem, valde tamen Apostolicam dignitatem commendat: nec Apostolicam modo, sed illorum etiam, quos Apostoli in docendi munere sibi suffecerunt. Porro ad hoc munus exsequendum, partim contulit, partim uberius promisit gratiam Spiritus Sancti. Hoc factum per insufflationem, tanquam symbolum non inane, sed efficax. Nempe uti primo homini insufflando datus est spiritus vitæ: ita & Apostolis insufflando, partim reapse datus, partim uberius promissus est Spiritus Sanctus ad novam vitam. Valde autem accommodatum erat insufflationis symbolum; quia Spiritus S. vento confertur Act. II. 2.

Porro ex eo quod Christus dicat, *Accipite Spiritum S.*, colligitur, Spiritum non à Patre solum, sed etiam à Filio procedere. Qua de re ita Augustinus lib. IV de Trinitate cap. XX: *Nec possumus dicere, quod Spiritus S. & à Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus & Patris, & Filii dicitur. Nec video, quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum ait: Accipite Spiritum S. Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus S. fuit; sed demonstratio per congruam significationem, non tantum à Patre, sed & à Filio procedere Spiritum S. Quod ergo ait Dominus, Quem ego mittam vobis à Patre: ostendit Spiritum & Patris, & Filii; quia etiam, cum dixisset, Quem mittet Pater, addidit, in nomine meo. Non tamen dixit, Quem mittet Pater à me: quemadmodum dixit, Quem ego mittam vobis à Patre: videlicet ostendens, quod totius divinitatis, vel (si melius dicitur) Deitatis principium Pater est. Qui ergo à Patre procedit, & Filio, ad eum refertur, à quo natus est Filius.*

Præterea iis dedit potestatem remittendi peccata: quo & pertinent verba illa Matth. XVIII. 18: *Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo: & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cælo.* Quod illic promittitur, hic confertur. Dixeris, solum Deum habere potestatem remittendi peccata. Sed filius hanc potestatem à Patre accepit: eamque Apostolis dedit, non sic tamen, ut non magnum reluceat discrimen inter modum, quo Christus, eumque quo Apostoli remittunt peccata. Apostoli remittunt, partim cum fidem professos baptizant in remissionem peccatorum, atque ita Ecclesiæ inserunt: partim cum post pœnitentiæ testimonium iterum in communionem admittunt: de quorum utroque alibi dicimus. Sub conditione igitur fidei ac pœnitentiæ remittunt peccata: idque Christi nomine. At Christus propria auctoritate ea remittit, & citra conditionem, quia est καρδιογνώστης, eoque solum remittit iis, quos scit credere. Ait vero Christus, quorum remiserint peccata, fore remissa: sed & quorum retinuerint peccata, ea fore retenta. Quod tum fit in incredulis, quibus non impertiuntur baptismum; tum post enorme delictum contumacibus, quos non admittunt ad communionem. Nempe hoc Apostolorum judicium futurum erat prævium signum divini judicii secuturi. Unde Tertullianus: *Summum futuri judicii præjudicium est, siquis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii, relegetur.* Quemadmodum vero remissorum erat peccatorum visibile signum sanatio morborum, quos immiserat Deus propter peccata; ut videre est Jacobi V. 14. 15: ita & alienati ob peccata Numinis indicium erat, vel cæcitas inducta, ut Act. XIII, 11: vel conspicuum in aliquem Satanæ dominium; de quo 1 Cor. V. 5. & 1 Timoth. I. 20.

Hæc de apparitione priori: de qua spissus est error multorum, quando censent, eam fuisse novissimam, contigisseque ipso Ascensionis die. In hunc errorem eos præcipue impulit, quod vulgatus interpres Marci XVI. 14. ὕστερον verterit *novissima*: quemadmodum & recentior interpres *postremo* reddidit. Omnino autem Erasmo adsentiendum, qui vertit *postea*: quomodo sumitur à Thucydide, Plutarcho atque aliis. Hoc pacto perfacile sit solvere nodum, quem ex vitiosa tralatione nectit Augustinus lib. III. de consensu Euangelistarum cap. XXV.

Venio nunc ad apparitionem alteram, quæ itidem facta Hierosolymis: sed præsente etiam Thoma. Relatum illi ab Apostolis erat, quomodo, eo absente, vidissent Dominum. Hoc non poterat in animum inducere. Itaque non dubitavit dicere: *Nisi videro in manibus ejus typum ex clavis,* (ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων) *ac mittam digitum meum in clavorum locum,* (τόπον, non τύπον) *& mittam manum meam in latus ejus, non credam.*

 Ubi

Ubi videmus quinque vulnerum loca signari: de quibus cognorat ex Joanne. Is enim præsens cuncta conspexerat. Porro omnia ista loca non videre modo, sed etiam contrectare se velle ait Thomas: absque isto crediturus erat, fuisse Apostolos vel oculis deceptos, vel phasma vidisse. Ingens ἀπιστία; sed *bono nostro literis mandata*. Qua de re scire Leo Magnus Sermone in Adscensione Domini I: breviter, more suo, Petrus Chrysologus serm. LXXXIII: pluribus Gregorius Magnus initio Homiliæ XIX: fusiusque hoc ipso, in eandem mentem, Radulphus Ardentius homilia LXIX primæ editionis. Hujus verba quidem: *Sed, fratres mei, quare Dominus electos discipulos suos permisit de sua resurrectione tam diu dubitare? Non hac frustra; sed provida, & utili, hac nobis permisit dispensatione. Plus nobis quippe profuerunt illi, qui tarde, & vix crediderunt. Creduli nempe facile credunt, etiam rei nondum probatæ. Increduli vero contra rei multimodis probatæ vix credere volunt. Quis ergo non credat, quod etiam increduli non credere non potuerunt? Quis non credat, quod Thomas incredulus visu propiore, & attrectatu manus diligenti, credere compulsus est? Quis non credat, quod Paullus incredulus, & fidei persecutor, a Domino sibi loquente prostratus, excæcatus, & post ab eodem reilluminatus, credere coactus est? Credamus ergo, fratres, absque dubitatione, quod etiam increduli crediderunt; & agamus Deo gratias, qui ideo discipulos suos dubitare voluit, ne nos dubitaremus; ideo eos ad tempus incredulos esse voluit, ne nos increduli essemus.* Hæc Radulphus. Ex his cognoscere est, quo Apostoli ipsi ad credendum erant difficiliores, hoc oportere nos faciliores esse ad credendum. Nec enim fidem leviter habuerunt: sed demum gravissimis ac non dubiis argumentis convicti. Christus igitur, ut Thomæ etiam omnem eximeret scrupulum, iterare ea octiduo post voluit, ac proinde iterum feria prima, qua resurrexerat; & cum Mariæ Magdalenæ, & discipulis Emauntem euntibus, &, si non Iacobo etiam, saltem Petro apparuerat; quodque præcipuum erat, Apostolorum collegio non integro quidem, quando ex Scripturis liquet de Thoma absente, attamen pene integro, ac, ut probabile, solo Thoma absente: etsi fieri possit, ut etiam alius abfuerit; de quo iccirco nihil dicatur, quia is crediderit Apostolico sermoni.

Hanc Dominicam, quæ sequitur Dominicam Paschalem, clausum Pascha appellat Matthæus Parisius in Historia a: *In octavis Pascha, quod vulgariter clausum pascha nuncupatur.* Belgis blolie-paschen/ pro broken/ sive gebroken Paschen/ h. e. pascha fractum.

a Pag. 524. vers. 25 & alibi.

Quia vero Christus tum resurrexit feria prima, & eadem Apostolico collegio apparuit: & octiduo post itidem feria prima secundo se stitit collegio eidem; imo & quinquagesimo à resurrectione die, quo misit Spiritum Sanctum, itidem feria erat prima: deinceps etiam Apostoli conventibus addixere sollemnibus feriam primam. Quomodo legimus Act. XX. 7, hac die congregatos fuisse discipulos, ac Paulum prædicasse, & sacramentum εὐχαριστίας administrasse. Atque iccirco Apostolus etiam I Cor. XVI. 2. jubet ea die reponere collectam, ne id demum fiat, cum eo venerit. Atque inde nomen *diei Dominicæ*, Apoc. I. 10.

Iterasse vero Christum, quæ octiduo ante fecerat, liquet ex eo, quod itidem se clausis januis subito stitit in medio Apostolorum, qui jam non deni, sed undeni erant. Monuit tum Christus Thomam, ne ultra esset incredulus. Nam & fides recte imperatur, quia ex parte aliqua est in potestate voluntatis. Deinde jussit, ut manum mitteret in locum clavorum, ac vulneris à milite in latere accepti. Creditur à nonnullis Thomas contentus tum fuisse conspicere cicatrices. Sed verisimilius est, contrectando paruisse Christo. Ac quidem primo exclamavit, Ο' κύριός μου, *O domine mi.* ut communis fert opinio, (alteram quoque inferius subdam) Attice rectus ponitur pro vocandi casu: quomodo & mox subditur, καὶ ὁ θεός μου, *& Deus mi.* Ac similiter Psal. XXXIV a, 23: Ἐξεγέρθητι, κύριε, καὶ πρόσχες τῇ κρίσει μου, ὁ θεός μου καὶ ὁ κύριός μου, εἰς τὴν δίκην μου. *Excitare, Domine, & attende judicio meo, Dominus meus & Deus meus, in caussam meam.* Sic Marci XV. 34; Ο' θεός μου, ὁ θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες; *Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti?* Sed apud Psaltem prius est; *Deus*, inde *Dominus*: contra in sermone Thomæ: quod non de nihilo est. Deus præmittitur à psalte, quia Deus dicitur absolute, Dominus ratione creaturarum: ut *Deum esse* natura sit prius, imo & tempore. At Thomas prius vocat Dominum appellatione consueta; deinde vocat Deum, postquam è contrectatione resurrectionem, atque ex ea colligebat eum esse, à quo vitam, eamque æternam, exspectare oporteret. Unde de se Christus ipse Joan. XI. 25: Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις. *Ego sum resurrectio.* h. e. auctor resurrectionis. Quomodo & I Cor. I. 30. dicitur *justitia*, *sanctificatio*, *& redemtio*: nempe κατὰ μετωνυμίαν caussæ efficientis.

a Secundum Hebr. vers. 35.

Non igitur adsentiendum Theodoro Mopsvesteno, qui volebat, figuratum esse sermonem per exclamationem. Quasi diceret, *O Deum immortalem! quid video? quid tango?* Sed ejus sententia sub anathemate damnata est Synodo V Constantinopolitana act. III. Can. XI, & in Edicto Justiniani Imper. de Professione Fidei. Sane si solum Exclamatio foret, non utrobique articulus ὁ foret, sed ejus loco ὦ. Quare assentimus Athanasio epistola ad Maximum. *Conjiciant*, inquit, *cum pudore oculos ad Thomam palpantem Christum, illumque & Dominum, & Deum confitentem.* Ac facile adsentimus iis, quibus placet, non tam esse Atticismum nominativo posito pro vocativo, ut diximus antea, quam ab affectu esse, quod trunca oratione usus sit Thomas: nec clare dicitur, *Tu Dominus, tu Deus meus es.*

Ad eum Thomæ sermonem respondit Christus, beatum nunc quidem esse quod tandem credat, postquam vidit; (sub quod comprehende, quod etiam audivit & contrectavit) sed beatiores esse qui crediderint, licet non viderint.

Ex utraque vero apparitione ista videmus, etiam à Resurrectione Christi remansisse in Christo vulnerum cicatrices. Ea vulnera fuere quina: duo manuum, totidem pedum, & unum lateris perfossi. Sane plurium non meminit Scriptura. Veteres tamen sic interdum loquuntur, quasi & sextum fuerit, lancea per utrumque latus adacta. Sed de quinis malim. Horum signa remansisse, clare etiam agnoscit Leo Magnus serm. I: de Ascensione: *Dum in corpore suo Christus ostendit reliquias vulnerum, vestigia cicatricum.* Caussam etiam aperit B. Ambrosius in Lucam lib. X. cap. ult. *Quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat; sed etiam devotionem acuit, quod vulnera suscepta pro nobis cælo inferre maluit; abolere noluit, ut Deo Patri nostra pretia libertatis ostenderet.* Nempe voluit Christus ea reservare; partim ut illis fidem discipulis faceret; partim quia huc ad gloriam ipsius faceret: quomodo cicatrices adversæ militem non fœdant, sed honestant. Quare martyribus putamus patres quidem resectas redditum iri, nequid sit monstrosi: attamen conspicuas fore cicatrices, ac indicia quædam martyrii, quo fuere affecti. Vide B. Augustinum lib. XXII de Civ. Dei cap. XX.

7. § *Septima fuit apparitio in Galilæa: quo Apostolos concedere jusserat Christus.*

Ubi quæritur, cum mox à Resurrectione præceperit Christus, ut discipuli irent in Galilæam, cur bis se prius iis ostenderit Hierosolymis: uti proxime vidimus. Huic sic occurrit Ambrosius lib. X. in Lucam cap. ult. *Convenientius arbitrer, quod Dominus quidem mandaverit discipulis, ut in Galilæa se viderent: sed illis metu intra*

con-

conclave residentibus, primum se obtulisse: postea vero confirmatis animis, illos Galilæam petisse.

Etiam quæritur, cur jusserit Christus, ut in Galilæam potius irent, quam Hierosolymis subsisterent. Nempe eo id præceptum, quia in Galilæa non tantumdem poterat ambitio, atque invidia procerum. Tutius igitur in Galilæam itum: ubi subsistere usque ad diem à resurrectione quadragesimum; quo adscendit in cœlos.

8. § *Cum vero bis in Galilæa apparuerit discipulis, prior earum apparitionum, contigit ad mare Tiberiadis: quam* septimam *vocamus, accensis illis, quæ in Judæa contigerunt.*

Sed potest & tertia apparitio vocari: quando in Euangelio Joannis cap. XXI. 14. sic legitur: Τῦτο ἤδη τρίτον ἐφανερώθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. *Hoc jam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis.* Sed tertia hic apparitio dicitur ex iis, quibus non uni solum, ut nunc Petro, nunc Jacobo: nec duobus solum, ut discipulis Emauntem euntibus, ostendit: sed si non denis, vel undenis, saltem senis se ostendit. Quamquam & possis dicere, tertiam dici, quia Euangelista dierum numero computat. Ut primæ apparitionis nomine contineantur omnes, quæ prima die continentur: ut qua mulieribus, Petro seorsum, seorsum Jacobo, ac denique denis apparuit discipulis. Sic altera fuerit, qua octavo post resurrectionem die apparuit Apostolorum collegio, etiam Thoma præsente. Tertia, qua apparuit die tertio, nempe ad mare Tiberiadis.

Hanc apparitionem solus describit Euangelista Ioannes cap. XXI. Quam tamen ipse non videtur edidisse. Potius Euangelium terminarit capite XX. quod probabile reddunt ejusce capitis versus duo ultimi. Hi sic sonant: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem sunt scripta in libro hoc, ut credatur, quod Iesus est Christus ille filius, & ut credentes vitam habeamus per nomen ejus.* Quibus verbis videtur finem imposuisse Euangelio suo. Ut sententia sit: In hoc signo desinam: quia longum sit omnia scribere: & ista sufficiant ad salutem. Quomodo, scribentem aliud tum temporis signum voluisse superaddere, non est verisimile. Atqui capite proximo refertur apparitio Domini ad mare Tiberiadis. Illa igitur sit addita ab Ioanne post editionem primam: vel post ejus excessum ab Ioanne presbytero, atque Ecclesia Ephesina: quæ non modo ex ore Ioannis Apostoli sæpius audierat, sed credo etiam in privatis repererat scriptis. A morte vero Ioannis Apostoli accessisse, malo credere: propter illa verba vers. 24: *Scimus,* (οἴδαμεν) *quod verum est testimonium ejus.* Nam Ioannes de se potius *scio* (οἶδα) dixisset: quomodo cap. XIX. 35. singulo numero de testimonio sui loquitur. Neque ea res fidei hujus capitis ultimi detrahit quicquam: cum similiter Pentateuchi verba extrema de morte Mosis post mortem ejus addita sint. Iosuæ etiam libro, quem ab Iosua ipso scriptum fuisse legere est in Talmude, additi fuerunt versus V postremi, de morte Iosuæ, & inde consecutis.

Apparitio vero, quam accessisse postea, dicebamus, habet hoc pacto. Petro piscari in animo erat: partim alimoniæ caussâ, quam antea ex comitatu Christi percipiebant: partim, quia dum Apostoli Spiritum jubentur exspectare, vix aliud erat, quod agerent. Huic discipuli sex se comites addidere: Iacobus Zebedæi filius cum fratre Ioanne, Thomas sive Didymus, Nathanaël è Cana Galilææ, & duo, quorum nomina reticentur. Tota autem nocte nihil piscium ceperunt. Ubi diluxit, Christus in litore constitit, nec tamen agnitus est à discipulis. Quæsivit vero è pueris (sic piscantes blandimenti caussâ appellabat) an non haberent obsonium: qua voce omne quidem προσφάγιον, sive quod cum pane comeditur, designatur: sed præcipue & κατ' ἐξοχὴν piscis; ut est apud Athenæum initio lib. VII, & Plutarchum Symposiacon lib. IV problemate IV, pluribusque ostensum præceptori meo Francisco Nansio Notis, & Curis secundis ad Nonni cap. XXI. vers. 60. Negantibus illis, sibi esse obsonium, jussit Christus, ut rete mitterent ad dextrum navigii latus. Hoc videtur litus spectasse, ubi minus piscium esse solet, eoque hactenus ad sinistrum latus erat iis piscatio. Promittit autem iis Christus felicem piscationem. Eaque pollicitatio jam divinitatis erat argumentum. Parent Christo: ac mox tanta est capta piscium multitudo, ut rete in scapham attrahi nequiret. Ioannes novitate rei motus, attentius eum considerare cœpit, qui hoc jusserat: ac mox Dominum esse ait. Tum Petrus, qui antea, ut expeditior foret, solum erat indutus interiori tunica, cætera vero nudus, induit tunicam exteriorem, eamque honoratiorem: quæ ἐπενδύτης, vel ἐπένδυμα nuncupatur. Ea ubi se succinxit, vado ad Christum iit, parum pensi habens, si vestis ea paullum humectaretur, dum honoratiori se veste sic sisteret Christo. Ut vero laudabilis ille Petri fervor fuit: ita nec segnitiei culpandi cæteri. Quippe videbant, se quoque brevi affore Christo: nam navigium à litore aberat stadiis solum ducentis. Præterea laus ea fuerit Petri, quod foret promtior: at ea Ioannis erat, quod erat perspicacior. Prior enim Christum esse animadvertit. Postquam perventum in litus, contuentur ibi cum panem, tum ὀψάριον, prunis impositum: ubi *obsonii* nomine pisces signantur: nisi unicum, & ingentem fuisse verius sit. Hæc vero Christus non aliunde habuit: sed creavit: quamquam & piscis ad jussum Christi possit è mari se stitisse Christo. Præcepit deinde Iesus, ut & ipsi discipuli pisces apponerent quos cepissent. Petrus igitur (cum sociis, credo, sed is princeps) navem ascendit, ac rete attraxit in terram. Id plenum fuit piscium, & magnorum, & multorum; puta CLIII. Qui numerus non videtur mysterio carere. Nam per magnos multosque pisces, multas magnasque gentes denotari verisimile est. Etiam à nonnullis traditum, tot esse piscium genera. Et figura hujus fuerit, quod temporibus Davidis, ac Salomonis, fuerint CLIII millia proselytorum: ut legere est II Paralip. II. 17. Merito autem pro miraculo habendum, quod, cum tanta esset piscium copia, non propterea rete frangeretur. Nempe & hoc videtur præsagium fuisse concordiæ futuræ inter eos, quos Apostoli essent congregaturi in rete Dominicum. Exinde suos Iesus vocat ad jentaculum. Nam & hoc per ἄριστον notatur, ut ex Homero liquet. Illi etsi viderent, augustiorem esse Christi vultum, quam olim conspexerant: non tamen ausi fuere eum interrogare, quis foret: nempe quia tum ex vultu, ac voce, tum ex bisce miraculis, satis viderent, esse Christum. Is vero deinde, tanquam paterfamilias, panem, & pisces, singulis distribuit: sic quoque referens Ecclesiæ suæ gubernatorem, qui cuique sua dona admetitur. Vere autem comedisse Christum, liquere ex iis possit, quæ superius dicebamus de apparitione quincta: quando Christus coram X discipulis comedit de parte assi piscis, & favo mellis.

Assum hunc piscem symbolum fuisse Christi passi, legas apud Bedam in Lucæ cap. XXIV: *Quid signare credimus piscem assum, nisi ipsum mediatorem Dei, & hominum, hominem passum? Ipse enim latere dignatus in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ, &, quasi tribulatione, assatus est tempore passionis suæ.* Ac tangit idem cap. XXI in Ioannem. Sed longius hæc petita. Quo pacto homo spiritualis conferatur pisci asso, exponitur quæstione LXXIX earum, quæ Athanasio tribuuntur.

Melle, & favo, quid signetur, Augustinus refert. Censet, melle animam nostram signari, favo corpus. Melle sejuncto à favo notari dulcissimas epulas, quibus anima fruetur, ubi è corpore excesserit. Favo autem signari cibum, dum anima hoc corpore continetur. Eleganter hæc dicuntur: sed eo Christum spectasse, non temere asseram.

Postquam vero cibum una sumsissent: quando tempus incipit maxime idoneum colloquiis: ter Petrum rogavit Christus, an se amaret. Ac primum hoc pacto: *Simon Io-*

na

na, diligis me plus, quam hi? Prætulerat se discipulorum aliis, cum diceret: *Si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* Disciplinæ igitur hic Ecclesiasticæ exemplum habemus, quando, qui se sese extulerat, rogatur, an plus cæteris diligeret. Sed non ita læva mens erat Petro, ut se ulterius præferret aliis. Solum igitur dicit: Amare se Christum, & Christum hoc scire. Scite Augustinus: *Sufficit ei testimonium perhibere cordi suo: noluit esse judex cordis alieni.* Merito autem ad Christum provocat, quia jam experimento didicerat, melius se nosci à Christo, quam se ipso. Respondit Petro Jesus, *Pasce agnos meos. Meos*, inquit, non *tuos*. Et cum *pasce* ait, sententia est, Non tibi consule, sed illis; nec coge, sed suade. Sic enim pascendi vocem ipse intellexit Petrus; ut indicat prioris epistolæ suæ cap. v. 2. *Pascite, quantum in vobis est, gregem Christi, curam illius agentes, non coacte, sed volentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo.* Secundo rogatus, similiter respondit. Cum tertio rogaretur, indoluit. Sed disciplinæ Ecclesiæ conveniens fuit, ut, qui ter negasset, non nisi trina confessione in integrum restitueretur.

Præterea Petro prædixit, ubi consenuisset, hoc est, XL. annis post, vinctum iri, non ut junior soleret, sed vinculis, quibus duceretur, quo natura abhorreret: unde violentam fore mortem cognoscitur: additur etiam, fore, ut alter ejus manus extenderet; quo, ut in Euangelio dicitur, significatur modus, quo esset Deum glorificaturus. Ubi magnificum audimus martyrii encomium, quod condecoret Deum. Ex manuum vero extensione cognoscitur, violentam illam mortem, fore mortem crucis. In ea enim manus extenduntur. Sane hac sublatus Petrus, idque Romæ: sicuti cognoscere est ex non uno loco Tertulliani. Item ex Clementis Alex. lib. VII: Caio item, & Dionysio Corinthio, apud Eusebium: ut Ambrosium, Prudentium, Chrysostomum, Theodoretum, & juniorum alios reticeam. Non habere mihi frontem videntur, qui hoc negant, repugnante omni antiquitate: quasi in historia aliunde sapere possimus, quam ex antiquorum monumentis. De morte autem eo melius hæc scribere potuit Joannes, quia Petrus sub Nerone mortuus est Romæ: at Joannes post Neronem ea scripsit: nempe, ut Theophylactus ait, in Patmo sua.

Hinc jussit Jesus, ut Petrus sequeretur se: quod symbolicum fuit. Nam per corporalem sequelam significabatur, ei etiam Christi instar mortem esse subeundam pro veritate Euangelii. Paruit in eo Petrus Christo. Sed, dum sequitur, videt, etiam Joannem sequi, qui amore Christi par Petro, aut suppar fuit. Non hoc ille jussus erat. Hinc cogitatio subit, quia de sua morte cognorat, exquirendi etiam, qualis mors alterum hunc discipulum maneret. Tum Christus, ut excuteret Petro curiosam ac supervacuam de sodali suo curam, sic ei dicere: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Quasi dicat: Quid si nolim eum à statione sua abripi, & occidi: sed ipse, qui Imperator sum omnium sub meis militantium vexillis, eum à statione sua arcessam: eoque non violenta, uti tu, sed sua morte fungetur: ecquid ad te hoc pertineret? Tu hoc age, & sequere me, etiam morte violenta, qua prævivi, meique instar hac Deum condecora. Discipuli, qui adstarent, non intellexere hæc verba: quod inde erat, quia vox *adventus* est ambigua: nam & accipi potest de adventu singulatim aliquem spectante: ut quo Joannem arcesseret a statione sua: & de adventu, quo venturus ad judicium universale. Quod tempus *adventum suum* appellat Matth. XVI. 27. & XXIV. 30. Nec dubium, quin à resurrectione plenius, planiusque, de eo egerit Christus. Cum igitur discipuli intelligerent adventum Christi secundum, ad vivos, mortuosque judicandum; opinio hæc eorum animos pervasit, non moriturum Ioannem. Et fortasse duravit ea opinio etiam, donec moreretur. Nempe alebat opinionem, quod ad tam longam pertingeret ætatem. Ac tandem præter exspectationem mortuo, Joannes nomine presbyter, Ephesinus episcopus, cujus & secunda, tertiaque epistola Ioannis jam olim credebantur, Ecclesiæ suæ nomine ea adjecerit: ne Christus falsus vates videretur: Ac fortasse addiderit ex scriptis B. Ioannis privatis: quibus ipse hoc prius scripserit, ut animis hominum evelleret opinionem de se falso susceptam. Non audiendus vero Trapezuntius libello ad Papam edito, quo contendit, Ioannem non obiisse: sed cum Enoch, & Elia, venturum ante judicium. Impulit eum ad hanc sententiam vitiosa codicum vulgatorum lectio ista: *Sic enim volo manere, donec veniam*: quomodo & in Ecclesiis cantari solet. Sed omnino ἐὰν, *si*, non *sic*, vertendum: quicquid contra contendat Trapezuntius. Recte Tertullianus de Anima: *Obiit & Ioannes, quem in adventum Domini fuisse remansurum, falsa fuerat spes.* Et ut ad propiora tempora ac loca veniam, quis melius hoc nosse potuit Polycrate, qui Ephesinus ipse Episcopus fuit? Is Ephesi mortuum, scribit ad Victorem Episcopum Romanum: ut videre est apud Eusebium lib. III Hist. Ecclesiast. cap. XXXI.

Quare non possum accedere Catharino, Salmeroni, & Baradio; qui (ut de iis scribit Cornelius à Lapide a) *putant, Henoch, & Eliam, & S. Ioannem Euangelistam, necdum esse mortuos, ideoque eos adhuc habere mortalia corpora, venturosque esse contra Antichristum, & ab eo martyrio afficiendos.* Omne hoc inde est, quod ad *Si* additum sit e, ut fieret *Sic*. Cornelius à Lapide cum nollet recedere à textu vulgari, qui *sic* habet, & sciret, quid veteres de morte Ioannis prodidissent, ait ad Ioan, XXI, Sic *valere* SI, *ut alii codices legunt.* Sed simplicius dixeris, cum Græce sit ἐὰν, omnino SI legi oportere. a In Gen. pag 95. col. 2.

Quæ hactenus de apparitione septima, ac morte Petro à Christo prædicta retulimus, ea, Ioanne vivo, non legebantur in vulgatis Euangelii codd., sed postea sunt adscripta, & edita ab Ecclesia Ephesina. Unde deinde subjicitur: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scripsit hæc.* Quasi dicant presbyteri Ephesini: Discipulus ille, de cujus morte quærebat Petrus, est ille, qui hanc ipsam historiam scripsit: quam nunc bona fide, uti reperimus in ejus scriptis, repræsentamus. Et quia objici poterat, facile nunc esse, ista promere mortuis omnibus Apostolis, porro adjicitur: *Et scimus, quod verum est testimonium ejus.* Quasi dicerent, Scimus, quanta fuerit Ioannis sanctimonia, & quibus miraculis doctrinæ veritatem firmarit: ut de ejus testimonio simus persuasissimi. Scimus etiam, sic contigisse, uti de morte tum Petri, tum etiam Ioannis, à Christo erat significatum. Denique, quia mirari aliquis poterat, unicam solam apparitionem adjici, adduntur ita ab eadem Ecclesia, sive ejus nomine & consensu ab Episcopo Ecclesiæ: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur, libros.* Quæ sine dubio ὑπερβολή est scriptoris. Ait nunc, οἶμαι, *puto*, at superiore versu dixit, οἴδαμεν, *scimus*. Nempe, scripta illa nomine totius Ecclesiæ: inde illud οἴδαμεν: at interim scripta ab uno, nempe Episcopo: quemadmodum & epistolæ ad totam scriptæ Ecclesiam uni tamen Episcopo inscribebantur: ut videre est Apocalypseos cap. II, & III. Hæc de apparitione septima, in qua sistit Euangelium Ioannis: simul etiam de iis, quæ addidit Ecclesia, in qua mortuus Ioannes. Nunc apparitiones cæteras ex Euangelistarum aliis addamus.

9. § *Octava apparitio itidem in Galilæa fuit, idque eo in monte, quo undenos ire jusserat Christus* b. *Is mons putatur fuisse Itabyrium sive Thabor: in quo antea discipulis tribus majestatis suæ præbuerat specimen: unde &* mons sanctus *vocatur* II *Petri* I. 18. b Matth. 28.

Ex apparitionibus Christi factis coram discipulis solam hanc narrat B. Matthæus: nempe quia omnium ea fuerit cele-

celeberrima. Turbet aliquem, quod de hac apparitione idem Euangelista dicat commate XVII: *Καὶ ἰδόντες αὐτὸν, προσεκύνησαν αὐτῷ· οἱ δὲ ἐδίστασαν.* Quod vulgatus reddidit interpres: *Et, videntes eum, adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.* Ubi miretur aliquis, tum etiam dubitasse aliquos, postquam & ipse Thomas desierat ambigere. Verum non hoc voluit Euangelista: sed istoc, antea fuisse dubitatum. Nam illud ἐδίστασαν est aoristus, qui & imperfecti, & perfecti, & plusquam perfecti, habet significationem. Quare οἱ δὲ ἐδίστασαν cum Grotio verterim, *Quidam vero addubitaverant.* Antea puta, & in iis præcipue Thomas.

In apparitione ea, quæ peculiariter à Christo dicta sint, haut facile est statuere: quia B. Matthæus comprehendit tum quæ Hierosolymis dicta fuere antea; tum quæ partim in monte prolata, partim quæ locutus postea in Bethania, cum jamjam cælos esset adscensurus. Est vero omnis is sermo tripartitus. Prima pars præmittit Christi mandato autoritatem ejus. Quippe ait, datam sibi, à resurrectione puta, potestatem in cælo, & in terra. Dicam de iis ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. Per potestatem in terra jus populi ex universo orbe colligendi; cui credenti, ac baptizato, remitteret peccata; quemque sic uniret sibi, ut ipse caput fieret, singuli, & è populo membra, forent per & propter Christum cælestis vitæ hæredes, Christi cohæredes.

In cælo habuit potestatem duplicem: prior est jus mittendi à Patre Spiritus Sancti; de quo Act. II. 33. Alterum est imperium in Angelos: de quo Philip. II. 10. Hebr. I. 4. Eph. I. 10. Coloss. I. 16. Primi solum loci verba apponam: *Ut in nomine Iesu omne se genu flectat, cælestium, ac terrestrium, & infernorum.* Ubi *cælestium* nomine Angeli, terrestrium, homines vivi; infernorum, mortui, secundum Theodoretum; secundum Chrysostomum, dæmones; secundum alios, & mortui, & mali spiritus, intelliguntur. Ut liqueat, Christo dominium datum in omnem creaturam, & justam & injustam. Habuit quidem & antea potestatem; sed ratione naturæ divinæ: hic vero sermo est de potestate, quam, ut mediator, sibi acquisivit redemtione generis humani. Nam quia omnes sanguine suo redemit, jus habuit omnes in regnum suum congregandi.

Postquam de potestate sive regno suo locutus: accedit ad mandatum suum, his verbis, Πορευθέντες οὖν &c. Quasi dicat, cum igitur mihi data sit hæc potestas, vestrum erit exsequi eam, prout jussero.

Mandati vero partes sunt tres. Prima est, cum eos jubet μαθητεύειν, sive discipulos facere: neque id ex solis Judæis, ut antea, sed ex gentibus cunctis. Nam addit, πάντα τὰ ἔθνη. Quemadmodum fore prædixerant Prophetæ. Ut Oseæ II. 23: *Vocabo non populum meum, populum meum.* Malachiæ I. 11: *Ab ortu ad occasum magnum erit nomen meum inter gentes.* Daniel. VII. 14: *Et dedit ei potestatem, & regnum: & omnes populi, nationes, & linguæ, ei servient.* Vide & Jesaiæ XLIX. I. item Psalm. II. 8. Porro pro eo, quod apud Matthæum est, μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη, apud Marcum est, κηρύξατε πάσῃ τῇ κτίσει, *prædicare omni creaturæ.* Ubi quæritur, cur *omni creaturæ* dicatur pro *omni homini.* Simplicissime dixeris, more Hebræo *creaturam* accipi pro homine κατ' ἐξοχήν. Nec inepte tamen, qui censent, sic restringi debere, Prædicare omni creaturæ idoneæ ut ei prædicetur, qualis solus homo. Sic interpretatur Eusebius Emissenus, vel potius Eucherius Lugdunensis in Homilia Festi Ascensionis. Atque ait, simile esse hoc Apostoli de caritate, quod omnia credit, puta credenda. Imo & illud, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*: ubi intelligere convenit omnia trahenda. At argute magis, quam vere, Gregorius Magnus Homil. XXIX, ubi eo censet dici *omni creaturæ*, quia homo sit microcosmus, ac cuncta solus complectatur, quæcumque præclara insunt omni creaturæ. Locus Gregorii prolixior est. Sed præcipua complexus est Radulphus Ardentius homil. LXIX primæ editionis: *Omni creaturæ, inquit, id est, homini, propter quem omnis creatura facta est, & in quo omnis creatura per naturarum participationem contenta est. Habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum pecudibus, discernere cum Angelis.*

Porro quod jubentur omnem gentem vel creaturam μαθητεύειν, suo modo etiam ad infantes possumus referre, quatenus Ecclesiæ inseruntur, & disciplinæ destinantur. Non quidem possunt fidem habere actu, nihilo sane magis, quam rationem exercere. Sed uti nihilominus habent animam rationalem: ita in baptismate participes fiunt Spiritus Sancti, ac in mysticum illud Ecclesiæ corpus coalescunt, cujus caput est Jesus Christus, ut plenius nobis expositum est in Dissertatione de Pædobaptismo.

Iussi vero Apostoli incipere ab Ierusalem. Sic enim Lucas XXIV. 47: Ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλήμ [a]. Iuxta illud *a Incipiendo ab Ierusalem.*
vaticinium, quod fama ferebatur, teste Suetonio, & Tacito, è Iudæa proditurum, qui orbi imperaret. Hoc variis à prophetis prædictum. Esaiæ. II. 3. *De Sione exibit lex, & verbum Dei ex Hierusalem.* Vide eundem propheten IX. 16. XXVIII. 16. XL. 9. LX. I. Item Psalm. II. 6. & CX. 2.

Altera pars est, qua instituit initiationis sacramentum: nempe tinctionem sacramenti, qua & Iudæi fuere usi in iis, qui ab idolis se ad unius Dei cultum converterant, ac inquilini erant, nec tamen jus civitatis expuscebant. Qua de re erudite Illustris Grotius ad Matth. III. 6. Imo & apud gentiles is mos fuit ut per ablutionem corporis initiarentur sacris Deorum. Vide & de isto Grotium in Matth. XXVIII. 19. Uno nunc Tertulliani loco contentus ero lib. de Baptismo: *Sed enim nationes, extraneæ ab omni intellectu spiritualium potestatum, eadem efficacia idolis suis subministrant: sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus, Mithræ.* Ubi pulcre discrimen illud ponit inter ablutionem gentilem & Christianam: quod in priori concurrant exterior corporis, & interior animæ ablutio: eoque aquæ istæ sint viduæ, non maritæ, hoc est, cum Spiritu Sancto, à quo interior est ablutio, sociatæ. Quemadmodum enim mystica est unio inter maritum, & uxorem: ita & unio est mystica inter baptismum corporis & animæ: nec in legitimo sacramenti usu unquam divelluntur. Imo nec maritæ solum aquæ, sed etiam fœcundatæ dicuntur: quia qui ea abluuntur, accipiant Spiritum S. virtute aquæ, non quatenus est elementum, sed quatenus sacramentum. Unde Xystus Papa versibus iis, quos inscribi jussit in octangulari lapide basilicæ Constantinopolitanæ:

Gens sacranda polis hic semine nascitur almo,
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.

Quid mirum igitur, si per baptismum dicamur regenerari? unde *genitalem undam* vocat Cyprianus. Item si dicatur φωτισμός, aliisque elogiis spiritualis efficaciæ indicibus tum in Scripturis ornetur, tum ab sanctissimis quibusque, & antiquissimis Theologis: cum baptismum consideremus velut aggregatum quoddam ex duabus rebus constans, elemento, & gratia spirituali. Estque harum in usu legitimo conjunctio arctissima, ut non minus unum sint, quam conjuges fiunt una caro: imo arctior est in baptismate spiritualis illa unio, quam illa conjugum civilis. Parque ratio est Sacræ Eucharistiæ: ubi itidem arctissima est junctura, & unitas individua inter signum, & signatum: puta panem, & vinum, ritusque annexos: & corpus ac sanguinem Domini, illius esum, ac hujus potum. Ut in societate istac individua mirari minime debeamus, si de pane & vino sacramentali tam magnifice loqui veneranda soleat antiquitas.

Jubet vero Christus nos baptizari in nomen (εἰς τὸ ὄνομα) Patris, Filii, & Spiritus Sancti: Patris, ut omnipotentis creatoris, qui Filium unigenitum pro misericordia

ſua in mundum miſerit ad ſalutem noſtram : in Filium, ut naturalem ; quique in plenitudine temporis naturam adſumſerit humanam, & pro peccatis noſtris ſatisfecerit Deo, omniumque ſit conſtitutus ſalvator in ſe credentium, quos die extrema ſuſcitaturus eſt ad vitam æternam : item in Spiritum Sanctum, ut Spiritum Dei, ex quo conceptus ſit Jeſus, quique teſtetur de veritate Euangelica, eamque à Chriſto traditam in Eccleſia illuſtret, & in cordibus noſtris obſignet. Quo pacto veteres Theologi exponere eam ſolent Fidei regulam, quæ à baptizandis jam ab antiquiſſimis temporibus exigi ſolet. Atque his tribus nos in baptiſmo, velut auctoramento, ac militari ſacramento, addicimus, & obſtringimus. Et ut milites Romani ſpondebant, ituros ſe, quo ſenatus, populuſque Romanus juſſiſſet ; ita nos Chriſtiani in baptiſmate pollicemur, ad Chriſti præſcriptum vitam nos velle exigere.

Porro verbis illis, quibus in Patris, Filii, & Spiritus S. nomen baptizari jubemur, non videtur præſcribi neceſſaria baptiſmatis formula ; ſed neceſſaria conditio actionis, qua baptizamur, ſive formula ea exprimatur, ſive ſolum intelligatur : ut ſiquis baptizet in nomen Jeſu, ut in Actis factum legimus. Interea formula hæc, quæ obtinet, tutius retinetur, ne offendiculo ſimus imperitis, & innovando ſchiſmati occaſionem demus, vel calumniæ. Sed de iſtoc etiam plenius actum nobis in Diſſertationibus de Baptiſmo.

Tertia eſt mandati pars, quod Apoſtoli docere fideles jubentur, ut ea ſervent, quæ ad vitam piam, & ſanctam exiguntur. Verba Chriſti ſunt, Διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν· *Docentes eos facere omnia, quæ præcepi vobis.* Poſt baptiſmum jubentur διδάσκειν, ante μαθητεύειν: quia hoc initiationis eſt, & ad κατήχησιν pertinet: alterum perfectionis; unde Clemens Alexandrinus in VI Stromateon τῆς πίστεως τελείωσιν appellat. Ante baptiſmum erat εἰσαγωγή: poſt eum ἀκριβεστέρα διήγησις. Prius poſſis, veterum exemplo, conferre cum initiandis, qui myſtæ dicti in Eleuſiniis ſacris, &, minuſculis myſteriis contenti, intra veſtibulum conſiſtebant. Poſterius conferas cum initiatis, qui anno quincto in ſacrario majorum myſteriorum participes fiebant, ac ἐπόπται dicti ſunt. Pluribus hoc diſcrimen explicat Scaliger ad lib. III Tibulli, & in Eleuſiniis ſuis amiciſſimus, dum viveret, Jo. Meurſius, item Iſmael Bullialdus Notis ad Mathematica Theonis Smyrnæi.

Hæc de triplici mandato. Poſt quæ ſequitur triplex promiſſio. Una ſalutis æternæ, quam pollicetur omnibus credentibus, & baptizatis. Nec enim vera eſt fides, ſiquis baptiſmum contemnat : qui ordinarium eſt initiationis inſtrumentum.

Altera promiſſio eſt operandi miracula. Cujus generis quinque à Marco exponuntur. XVI. 17. 18. Prima eſt, ejiciendi dæmonia: quomodo Paulus Act, XVI. 18. Pythonis ſpiritum ejecit ex ancillula. Hoc donum omnibus dabatur fidelibus : ut liquet ex Iuſtini Martyris dialogo cum Tryphone, Irenæo lib. II, Tertulliano in Apologetico, Minutio in Octavio, Lactantio item, ut recentiora tempora prætergeam. Ex memoratis, unius Tertulliani verbis contentus ero : *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet. Juſſus à* QUOLIBET *Chriſtiano loqui ſpiritus, ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo.* Idem : *De corporibus noſtro imperio excedunt inviti, & dolentibus, & vobis præſentibus erubeſcentibus.*

Datum vero hoc donum, ubi miraculis opus eſſet ad fidem excitandam & alendam. Unde liquet, promiſſionem eam ad primitivam Eccleſiam imprimis pertinere. Tum enim convertendæ gentes infideles. Nec dubito interea, quin hodieque iis, qui gentibus Chriſti neſciis prædicare volet Euangelium, paratus ſit Chriſtus idem donum impertiri.

10. §. *Alterum miraculum eſt, linguis loquendi novis, hoc eſt, ſibi inſolitis, anteaque ignotis.*

Quomodo Apoſtoli, Spiritu S. feſto Pentecoſtes accepto, ſubito aliis linguis loqui cœperunt : ut eſt Act. II. 4. Sed & Act. X. 46. domeſtici Cornelii centurionis audita Petri concione novis dicuntur locuti linguis. Item Act. XIX. 6. legimus, quomodo Paulus quoſdam baptiſmate Joannis baptizatos baptizarit in nomine Jeſu, manuſque iis impoſuerit, ac deinde locuti ſint linguis. Item ad Corinth.

11. §. *Tertium miraculi genus eſt tollendi manibus ſerpentes citra ullam noxam.*

Quomodo Paulus in Melita inſula viperam, ex pyra incenſa prorepentem in manus, illæſus conjecit in ignem ; ut eſt Act. XXVIII. 5.

12. §. *Quartum eſt miraculum, quod, ſiquid θανάσιμον ſive letale biberint, id iis non nocebit.*

Cujus *a* generis Euſebius exemplum è Papia habet ; de Victore milite, Martyrologium Adonis a. d. Prid. Eid. Maii ; de Sabino Canuſino epiſcopo, Gregorius Turonenſis : pluraque id genus apud alios. Imo Thalmudiſtæ etiam narrant de quodam Joſua, filio Levi, qui poſtquam venenum bibiſſet, prolato nomine Jeſu valetudinem recuperarit.

a *E Gratio ſunt pag. 691.*

13. §. *Quinctum miraculi genus eſt ſanatio ægrorum per impoſitionem manuum. Ubi non nuda intelligitur impoſitio manuum, ſed precationi juncta.*

Quæ conjunguntur Act. XXVIII. 8: προσευξάμενος ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ ἰάσατο αὐτόν. *Cum oraſſet, impoſuiſſetque ei manus, ſanavit eum.* Sermo eſt de Publio, febribus, ac dyſenteria vexato : quem Paulus ſanavit.

14. §. *Atque hæc miracula patrandi vis omnibus credituris promittitur Joan.* XIV. 12. *Non quaſi ſingulis hanc virtutem Deus ſit tributurus : cum ſint* διαιρέσεις χαρισμάτων, *ut eſt* 1 *Cor.* XII. 4 : *ſed quia ſingulis aliquod ſit* χάρισμα *tribuendum, quod ſe exerat, non ſemper, dico, ſed ſi occaſio daretur, ſic Dei gloriam illuſtrandi.*

Ut pluribus diximus, cum exponeremus Ioan. cap. XIV. 12.

15. §. *Hactenus de promiſſione doni miraculorum. Tertia eſt pollicitatio præſentiæ ſuæ gratioſæ, duratura uſque ad conſummationem ſeculi.*

Quouſque cum Apoſtoli non vixerint, liquet, promiſſionem eam factam quoque iis, qui ab illis eſſent conſtituti præcones Euangelii, & aliis porro his ſuccedentibus, uſque ad finem mundi. Futurus autem nobiſcum non modo quatenus divinitas ejus eſt ubique præſens : ſed quatenus Spiritus ſui gratia atque auxilio nobis aderit. Sic cum Ioſepho dicitur Deus fuiſſe, cumque eo deſcendiſſe in foveam, quia illi auxiliatus eſt. Suntque hujuſmodi Hebraiſmi complura in Scripturis exempla.

16. §. *Ad hanc apparitionem octavam etiam pertinere videtur apparitio illa quingentis fratribus facta, de qua Paulus* 1 *Corinth.* XV. 6.

Nam

Nam si alia fuisset ab iis, quas narramus, puto, non omnes prætermissent Euangelistæ. Nunc contenti fuere de undenis referre: quia hi soli, tanquam præcipui, mandatum acceperant eundi in Galilæam, ut ibi Christum viderent: cæteri vero ab Apostolis sunt adsumti: ut præcipue LXX discipuli. Drutmarus addit, non discipulos modo, sed & feminas abiisse in montem.

Non desunt tamen, qui ad sequentem referant apparitionem, quando è monte olivarum adscendit in cælos. In iis est Paræus. Ac præit Chrysostomus: qui id colligit inde, quod dicat Apostolus, *ὤφθη ἐπάνω*, *conspectus est in loco supero*. Sed verisimilius ἐπάνω exponitur *supra quam*, hoc est, *plusquam*: quod Græcis πλεῖον ἤ. Mirantur nonnulli de tanto fratrum numero, cum in Hierosolymitano cætu, quando acceperunt Spiritum Sanctum, solum fuerint CXX: ut est Act. I. 15. Ideo Beza putabat, legendum ἐπάνω ν' ἀδελφοῖς, hoc est, *πεντήκοντα*, *quinquaginta*. Sed bene est, quod interea mutare nihil est ausus in illo omnium codicum consensu. Quin verisimile est, Christum Hierosolymis, ubi tantus erat Judæorum metus, non habuisse tot discipulos, ac in Galilæa, ubi tutum erat Christo credere. Inde etiam ipsi erant Apostoli: atque ibi vixerat Christus. Credibile igitur est, Jesum eo mandasse Apostolis, ut in Galilæam irent, quia major illic foret credentium numerus, atque à quam plurimis post resurrectionem conspici vellet.

17. §. *Valde autem hanc apparitionem firmat, quod cum Apostolus priorem ad Corinthios epistolam scriberet, ex illis quingentis fratribus, quos dixi, obiissent quidem complures, sed complures etiam superessent, testes eorum certissimi quæ vidissent.*

Verba enim Pauli sunt I Corinth. XV. 6: *Postea visus est amplius quam quingentis fratribus simul: ex quibus plerique manent usque adhuc; quidam autem obdormierunt.*

Fortasse autem & tum eum quingentis iis conspexerit Jesum S. Ignatius. Solent enim parentes, siquid videndum grande ac memorabile, adsumere etiam liberos suos: qui longissimo tempore oculari esse testes possint. Ejus opinionis fundus est locus S. Ignatii: ex cujus epistola ad Polycarpum apud B. Hieronymum legas, & interpretem illius Sophronium: Καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν εἶδον· *& post resurrectionem in carne eum vidi.* Sed ea verba in epistola illa hodie non reperias. Legas quidem simile in epistola Ignatii ad Smyrnenses. Sed pro εἶδον, *vidi*, est istic, οἶδα, *scio*, *novi*. Ac similiter adducit Eusebius lib. III Hist. Eccles. cap. XXXI. Ubi Christophorsonus etiam reddidit, *novi ipsum*, non *vidi*. Ut valde fallatur Mæstræus, quando ab Eusebio hoc ait dici, Christum à Resurrectione visum esse ab Ignatio. Et sane si Christum vidisset in carne, addidisset, ubi, quando, vel qua occasione, vidisset. Præterea alios potius adducit testes, ut Petrum, & Thomam: tum item loca adfert scripturæ, quibus hæc adstruat. Denique scopus Ignatii satis convenit cum interpretatione ea: quia solum dicit, Ego scio, non tantum eum veram habuisse carnem in nativitate, passione, sed etiam post resurrectionem. Quod magis poterat in dubium vocari, præsertim iis, qui, cum Chaldæis, ac Pythagoreis, putarunt, animas etiam à morte conspici, quia habeant vehiculum pellucidum, mediæ inter animam & corpus naturæ. Quæ & Judæorum quorundam fuit opinio: ut legere est apud Origenem in secundo contra Celsum.

CAP. V.

De nona, & ultima, apparitione Servatoris; deque adscensione in cœlos, & mox consequutis.

1. § *Nona superest, eaque ultima apparitio in terris: nempe quando in cælos adscendit. Hujus historia est tripartita. Primo videndum de iis, quæ antecedunt adscensionem. Deinde de adscensione ipsa. Ac postremo de mox consecutis. In primo attendimus hæc quatuor: I. tempus apparitionis hujus, atque adscensionis. II. postremum Christi cum discipulis colloquium. III. deductionem eorum in Bethaniam. IV. benedictionem Christi. Quod ad tempus attinet, contigere hæc die à Resurrectione* XL, *ut clare ait Lucas Act.* I. 3: Per quadraginta dies conspectus ab iis, & dicens, quæ ad regnum Dei spectant.

Hinc cognoscimus, tam diu voluisse in terris commorari, ut enuclearet discipulis Scripturarum loca, quæ antea non percepissent. Verisimile etiam est, tum multa docuisse, quæ ad Ecclesiæ οἰκονομίαν pertinerent. De Tempore, quod dixi, corrupte admodum e Constitutionibus Apostolicis citat Anastasius Nicenus Quæst. XCIII in Script. *Mansit nobiscum in mundo prædicans Euangelium regni cælorum, & curans omnem morbum, & omnem ægritudinem in populo, donec fuit natus* XXXII *annos, & menses* III. *In tricesimotertio suo anno fuit cruci adfixus, Pharmenoth, id est, mensis Martii die vicesimo quincto, hora sexta diei, & decima quarta lunæ. Resurrexit autem in triduo, Pharbute, id est, Aprilis die prima, hora sexta noctis; & visus est ab omnibus discipulis; & manifestavit gloriam suam per dies* XL, *docens nos prædicare in nomine suo pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Adsumtus est autem rursus Pachon, id est, Maii die tertia, hora diei nona.* Sane quod hic dicitur, VIII Kal. Aprilis, sive XXV Martii, fuisse adfixum Christum: idem & apud Tertullianum legas contra Judæos cap. VIII, Augustinum lib. IV de Trinitat. cap. V, Bedam de Ratione temporis cap. XXVIII, & XLV, item in Martyrologio Romano, ubi de morte S. Dismæ boni latronis. Sed vide, quo pacto cum eo conveniat, quod sequitur de resurrectionis, vel adscensionis die. Nam dicitur resurrexisse die prima Aprilis: quomodo longe supra triduum fuerit in sepulchro. Subjungitur adscendisse tertia Maii: quo pacto paucioribus multo, quam XL diebus, in terris à Resurrectione commoratus. Atque hæc de tempore.

2. §. *Videamus nunc quæ dixerit discipulis suis Christus, mox ab iis abiturus. Primum est, quod eos testes adscivit, tum passionis, tum resurrectionis suæ.*

Quæ fundamentum sunt doctrinæ de pœnitentia, ac remissione peccatorum: præcipue vero resurrectio; quia hæc non potuit cognosci, nisi per eos, qui ipsi conspexissent Christum, & cum eo locuti forent: neque etiam potuit contingere, nisi virtute divina: at Deus non confirmasset, nisi quod verissimum foret. Verba sunt Lucæ XXIV. 48: Ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων. *Vos autem estis testes eorum.* Ἐστὲ vero hic ponitur pro ἔσεσθε: ut liquet ex Act. I. 8. Ubi dicitur fore sibi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & ad ultimum terræ.

3. *Alterum est, quod promisit, se post Ascensionem Spiritum S. à Patre sui missurum: largiori nempe mensura, quam antea fecisset.*

Luc. Euang. XXIV. 49: Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός μου ἐφ' ὑμᾶς. *Et ecce ego mitto promissum Patris mei super vos.* Ubi itidem ἀποστέλλω *mitto*, ponitur pro ἀποστελῶ, *mittam*. Unde Act. 1. dicitur pro eo, *accepturos Spiritum S.* Hoc convenienter superioribus subjicitur. Quasi dicat: Vos quidem testabimini, quæ vidistis: ego autem adversus mundi furorem, quo constantiores sitis, muniam vos intus robore Spiritus S.

4. §. *Tertium est, quod mandavit, ut Hierosolymis persisterent, donec accepissent Spiritum S.*

Luc. XXIV. 49: *Vos autem sedete* (καθίσατε) *in civitate Hierusalem, quoad usque induamini virtute ex alto.* Ac similiter Act. 1. 4: *Præcepit eis, ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum Patris.* Nempe non multos post dies implendum.

5. §. *Atque hæc de triplici sermone Christi ad discipulos. Sequitur, quomodo discipulos è Galilæa deduxerit in Bethaniam, Judææ pagum, situm in olivarum monte, vel ei adsitum.*

Sabbati itinere Hierosolymis distabat: hoc est, bis mille pedibus, ut ait Hieronymus, sive mille passibus, ut ait Lyra. Alii bis mille passibus absuisse aiunt. Nec exacte è Scripturis possis definire. Bethaniam quindecim stadiis abfuisse Hierosolymis, diximus lib. 1: ut videantur pene fuisse bis mille passus.

6. §. *Hic Christus in monte Olivarum benedixit discipulis: idque manibus super eos elevatis.*

Elevantur etiam manus ab iis, qui Deum precantur: more & gentibus recepto: unde Horatii illud,

Cœlo supinas si tuleris manus.

Sed hic agitur de ea manuum elevatione; quæ fieret ad benedicendum. Quomodo & manus capiti alterius imponebantur, pro quo fierent preces. Rogabant enim, quemadmodum ipsi manu sua alium protegerent: sic Deus ut protegeret eundem in viis suis. Nimirum caussa ejus erat ritus, quod qui aliquem tueri volunt adversus alterius violentiam, eum manibus extensis soleant protegere. Sed si unus quidem, vel unus alterve foret, capiti imponebatur manus: sin major foret cœtus, compendio studebant: multarumque impositionum loco erat protensio manuum super capita cœtus. Quomodo est Levitici cap. IX. 22: Ἐπάρας Ἀαρὼν τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν λαὸν εὐλόγησεν αὐτούς. *Aaron attollens manus super populum benedixit eis.* Ac Episcopalis ille mos, populum salutare, manu super eum elevata: quod liquet ex Optato disputatione septima adversus Parmenianum. Ubi per salutationem istiusmodi benedictio significatur, quæ manibus fieret sublatis.

7. §. *Sequitur nunc adscensio ipsa. Vix impleverat hunc benedicendi ritum Jesus Christus, cum, ecce, in altum elevatur, inque cœlos attollitur.*

Hanc in cœlos adscensionem Apostoli ἀνάληψιν nuncupare solent. Quam vocem quoque de Eliæ adscensu LXX usurpant IV Reg. II. v. 11. Atque olim etiam liber exstitit, qui Ἀνάληψις Μωσέως inscriberetur. Cum vero Christus adscendisse in cælos dicitur; & cælum sit triplex; superum volucrium, puta aër; superius, stellarum sive æther; supremum, angelorum, quod *cælum cælorum* dicitur: hic intelligitur tertium: quod Paullo Ephes. IV. 10 dicitur ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν. *supra omnes cælos.*

8. §. *In Adscensione hac attendimus quatuor.* I. *locum unde adscendit.* II. *modum adscensionis.* III. *testes,* IV. *caussam efficientem. Locus, unde adscendit, est mons Oliveti, qua parte Bethaniam spectat. Nempe ex quo monte ivit Hierosolyma ad locum passionis, ex eodem abiit è terris ad locum gloriæ.*

Hoc consolationi nobis esse debet, quando gravi morbo lecto affigimur, vel aliter affligimur à Domino, sic ut finis vitæ adesse videatur. Nam qui locus tunc molestiam adfert: is mox initium futurus est viæ ad gaudia ducentis.

Porro à veteribus refertur, locum, unde Christus adscendit in cœlum, etiamnum vestigia Christi retinere; nec unquam paviri potuisse. Sic sane Paullinus epist. XI ad Severum, & Sulpitius II Historiæ Sacræ.

9. §. *Modus est hujusmodi. Interim dum discipulis manibus exporrectis benedicit, in altum est elevatus, discipulis conspicientibus, & oculis eum prosequentibus, donec illum nubes susciperet.*

Nempe quia videri amplius non posset vel nollet.

10. §. *Atque hinc etiam de testibus cognoscimus. Nempe fuere illi* XI *Apostoli, cum discipulis* LXX.

Imo si Chrysostomum audimus, etiam quingenti fratres: de quibus Paullus I Cor. XV. 6. Sed verisimilius est, hos octavæ fuisse apparitionis testes: ut superius diximus.

11. §. *Proximum est, ut dicam de caussa efficiente. Elevatio facta est non virtute externa, ut angelico ministerio, sicut contigit Eliæ; sed virtute interna, propriaque, & corporis gloriosi agilitate.*

Sane corpus animale citra ingens miraculum aliquot seculorum spatium requirat, priusquam pervehatur usque ad firmamentum: ut quod à nobis distet semidiametris terræ decies novies millenis, secundum Tychonem Braheum: sive vicies millenis, secundum Mersennium. Sic ut si lapis à firmamento demittatur, & is minuto quoque conficiat leucam Franciam, lapis in via sit futurus, secundum Mersennium, annis centum & duobus. Qua de re diximus lib. II. de Theologia gentili, & Physiologia Christiana, cap. XXXV. & lib. III. cap. IX. Nec propterea somniandum nobis diuturnum Christi in adscensu iter. Nam Christi corpus à Resurrectione non animale fuit, quale suo pondere gravatur: sed spirituale, ubi corpus non animæ, sed spiritui obsequitur, ita ut corpus protinus sit, ubi spiritus velit. Nunc cogitationum alis momento cœlos petimus, corpore hic relicto: tum corpus ipsum eadem erit agilitate, quia subito erimus, ubi volemus: quod non inde erit, quia corpora nostra convertentur in substantiam spiritualem, ut Origenistæ credebant: sed quia terrestres illæ corporis conditiones immutabuntur, & Spiritus Domini dominabitur in nobis. Atque hæc plurimum lucis capient è dissertatione nostra, quam de Corpore glorioso, inter cæteras à nobis institutas, cum Theologico Illustrium Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum Collegio præessemus, edidimus.

12. §. *Nunc agendum de iis, quæ adscensionem Christi mox sunt consecuta. Hujusmodi sunt duo. Prius est, quod discipulis cælum spectantibus, nec ulterius conspicientibus Christum, duo adstitere an-*

angeli vestibus albis amicti: qui hoc pacto discipulos sunt affati: Sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum. *Unde colligi solet, descensurum ad eundem locum, nempe montem Oliveti, sive in vallem Iosaphati. Ac pro se advocant locum Joëlis cap.* IV. 2: Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphati, ut disceptem cum illis ibi pro populo meo, & possessione mea Israele, quem disperserunt per gentes, terramque meam partiti sunt. *Nec sane inconveniens fuerit divini judicii locus, ubi Deus olim horribili strage perdiderat populi sui hostes: quemadmodum legere est* II *Paralip.* XX. 16. 26.

A qua victoria Iosaphati, vallis hæc dicta est Iosaphati: quemadmodum locus ille ubi Orebus cæsus, Orebi rupes vocata est: ut videre est Iud. VII. 25. Falsus Arias Montanus, cum Iosaphati vallem dici arbitratur, eo quod illic sepultus fuerit Iosaphat. Nam sepultus ille intra urbem: nempe in monte Sionis: ut est II Paralipom. XXI. 1. At vallis Iosaphat, non in urbe erat, sed urbi vicina: ut ait Kimchi: nempe inter urbem, & montem Oliveti, ut est apud Lyranum, ac statuit quoque Adrichomius in descriptione Hierosolymorum.

Cap. VI.

De fructibus adscensionis Dominicæ.

1. § *Atque hæc dicta sunto de ultima apparitione, & historia adscensionis Dominicæ. Addam nunc ἐπίμετρον de fructu Adscensionis: qui bifariam attenditur: ratione nostri, ac ratione Christi ipsius. Ratione nostri est triplex. Primus est intercessio Christi pro nobis. Unde Apostolus ad Rom.* VIII. 34. Quis est qui condemnat? Christus est qui mortuus est, imo vero qui etiam excitatus est, qui est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis. *Etiam Joh.* XIV. 13. Ego, *inquit Christus*, ad Patrem vado; & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate, & ego ROGABO Patrem, & alium paracletum dabit vobis. *Sed &* I *Joh.* II. 2: Habemus advocatum apud Patrem, Christum Iesum, justum, qui est propitiatio &c.

At dicat quis, si Christus orat pro nobis, licebit sic precari: *Christe ora pro nobis*: quod in Ecclesia Dei est insolens: licet Christo data sit omnis potestas in cælo & in terra. Huic sic occurritur, Christum dici orare pro nobis oratione non vera, & propria, sed interpretativa: nempe quatenus non ad horam unam, alteram, ut Pontifex V. T., sed perpetuo coram Patre suo apparet, vulnera & cicatrices suas adhuc servans & exhibens: propter quæ Deus Pater nos in gratiam recipit ac justificat. Hinc ad Hebr. IX. 24: *Introivit* (Christus) *in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Non igitur intercessio est Christi humilis supplicatio, sed gloriosa corporis Christi præsentatio, quod in terris pro nostris peccatis plenissime satisfecit, ejusce item sacrificii jugis valor, & constans Patris voluntas, ut propter illud sacrificium nos in gratiam recipiat.

2. § *Alter adscensionis fructus est adscensio nostri in cælum, ac glorificatio: de quo sic Christus apud Joan.* XIV. 2. 3: In domu Patris mei habitationes multæ sunt: sin minus, dixissem vobis. Vado, paraturus vobis locum: & cum abiero, & paravero vobis locum, rursum veniam, & adsumam vos ad me ipsum.

Quibus in verbis duo nobis significantur: paratio loci, & nostri eum in locum adscensio. Ad prius pertinet, quod dicat, se vadere ad patrem, ut locum nobis paret. Ad alterum, quod addit, se velle reverti, & nos adsumere ad se ipsum. Quæritur, quomodo per adscensionem nobis locum paret. Veterum, & quorundam e junioribus, sententia est, Christum primum omnium in cœlos adscendisse: ingressumque viam antea inviam: eoque recte dici, parasse locum, quia adscensu suo reseraverit cœlos. Quod si est, Patres V. T. non fuerint in cœlis ante Christum localiter, sed solum formaliter, quatenus suo modo nihilominus erant beati, ob certam spem & exspectationem gloriæ illius, qua fruituri erant post extremum judicii diem. Equidem, quin per adscensum Christi incrementa ceperit Patrum felicitas, nolim in dubium vocare. Nec tamen cum dissentientibus velim serram reciprocare. Nam cui bono? quando, seu hoc, seu alterum statuas, nihil eo vel Patrum felicitas futura sit major, vel etiam nostra.

3 §. *Tertius adscensionis fructus est missio Spiritus S. Unde Christus Joan.* XVI. 7: Nisi ego abiero, consolator ille non veniet ad vos. Sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos. *Et* XIV. 16: Ego autem rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis: ut permaneat vobiscum in æternum.

Ubi *alium* dicit, quia hactenus habuerant secum filium Dei, qui eos solaretur: ne igitur, sublato se, solatii sint expertes, ait, se missurum iis Spiritum Sanctum, qui non aliquantisper cum iis maneat, sed dum vita superesset; imo non cum iis modo, sed universe cum fidelibus, dum mundus staret. Est enim gemina ἀντίθεσις: una inter filium, & ἄλλον παράκλητον: altera inter consolationem aliquamdiu durantem, & illam quæ durabit in æternum.

4. §. *De hoc adscensionis fructu est etiam insignis locus apud Davidem Psal.* LXVIII, *& ex eo apud Paulum Ephes.* IV. 8: Adscendens in altum, captivam duxit captivitatem, (*sive captivorum turbam*,) & dona dedit hominibus.

Ubi tria hæc distinguenda: adscensus in cœlum, triumphus de potestatibus Ecclesiæ infestis, & collatio spiritualium charismatum: quæ tria eopse ordine ponunt David & Apostolus. De secundo, tertioque pluribus dicendum. Veteres plerique per captivitatem intelligunt homines pios veteris Testamenti: eos enim arbitrantur detentos, quasi captivos, donec Christus adscenderet: cum eo autem pariter adscendisse. Alii vero arbitrantur, signari mundum, carnem, & satanam, qui mortis habebat imperium: de quibus Christus resurrectione sua à mortuis, & adscensu in cœlos, triumphavit. Nempe haud aliter ac imperatores Romani in triumphum ducebant vinctos hostium duces. Aliqui utramque interpretationem conjungunt: ut sermo sit de utraque captivitate: & illa, ut loquuntur, captivante, nempe mortis, ac satanæ: & altera captiva, videlicet antiquorum Patrum. Sed si Patres etiam ante adscensionem Christi felices fuere, etsi minus quam postea,

stea, ut antea dicebamus : equidem duce satis captivis comparentur. Malim igitur solos intelligere Ecclesiæ hostes: de quibus longe præclarius triumphavit, quam Marius de Iugurtha: aut de Cleopatra triumphasset Augustus, nisi illa sibi aspides admovisset.

Tertium in superioribus verbis significatur illis verbis, *Et dona dedit hominibus* : pro quo in Hebræo est, *Accipiens dona in hominibus.* Ac magna cum obstinatione Iudæi objiciunt Christianis, quod Apostolus mala fide Davidis verba expresserit. Verum non cogitant, in Hebræo esse ἐνάλλαξιν, quia *accipiens* ponitur pro, *accipiens dedit.* Quod & Chaldæus paraphrastes expressit. Vide quæ de hoc socer Franc. Iunius in Parallelis annotavit. Quod vero conjunguntur triumphus de hostibus, & charismatum distributio : id & ipsum simile est veterum triumphis. Nam ut Imperatores in triumpho solent dona in populum mittere : ita & Imperator noster Christus in æterno suo triumpho nobis dono mittit Spiritum S. tanquam pignus & arrhabonem immortalitatis.

5. §. *Hactenus dictum de Ascensionis fine ratione Ecclesiæ : nunc videndum de fructu, qui ad Christum Mediatorem redundat. Facta vero hæc ἀνάληψις Christi, ut iret sessum ad dexteram Dei.*

Hoc enim est, quod legimus ad Hebræos XII : 2. Ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ ἐκάθισεν.

6. §. *Hanc sessionem quidam intellexerunt propriè: ut Audiani sive Anthropomorphitæ.*

Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. VII : *Credimus etiam, quod sedet ad dexteram Dei Patris. Nec ideo tamen, quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem, arbitrandum est, ut de illo cogitantibus, dextrum, aut sinistrum latus animo occurrat : aut id ipsum, quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, quo exsecratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum nefas est Christiano in templo collocare : multo magis in corde nefarium est, ubi vere est Templum Dei, si à terrena cupiditate, atque errore mundetur. Ad dextram ergo intelligendum est, dictum esse in summa beatitudine, ubi justitia, & pax, & gaudium est : sicut ad sinistram hædi constituuntur, id est, in miseria, propter iniquitates, & labores, & cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem ; sed judiciariam significat potestatem.*

Membrorum positionem, quam refellit hoc loco Augustinus, statuerunt Ἀνθρωπόμορφοι, sive Ἀνθρωπομορφιανοὶ, qui & Αὐδιανοὶ sive Ὠδιανοὶ : sic dicti ab Audio, sive Odio, è Mesopotamia orto, qui temporibus Arrii ac Niceni concilii vixit, ac statuit, quod homo dicitur conditus ad imaginem Dei, id intelligi debere de corporis membris ac lineamentis : eoque cum Deus dicitur visus, significari divinam substantiam oculis visam corporeis : ut docet Epiphanius hæresi LXX, Socrates lib. VI cap. VII, & Sozom. lib. VIII cap. VII. Audium hunc magis hæreticum, quam schismaticum videri, vult Epiphanius; quod & refert Augustinus; apud quem, literis perperam trajectis, *Vadiani* legas pro *Audiani.* Epiphanium etiam sequitur Damascenus lib. de hæresibus. Sed de eo alibi disputamus.

7. §. *Tralatitium vero esse sermonem, satis liquet. Ac aliqui putant, tralationem esse in vocabulo* dexteræ : *ea nunc potentiam divinam signari, nunc gloriam Dei : posteriori autem modo hic sumi. Sed ridiculum fuerit, sedere ad dexteram, hic exponere, sedere ad gloriam. Nempe metaphora non est in sola voce* dexteræ : *sed tota loquendi formula : quæ notat, consortem esse gloriæ divinæ, ac imperii in creaturas, imprimis in Ecclesiam. Ut Christus dicatur sedere ad dexteram Patris, quia Patri honore est proximus, quippe is, per quem ἀμέσως Ecclesiam regat.*

Multum autem disputatur de caussa hujus locutionis. Nebrissensis jam olim persuadere conatus, sinistrum latus esse dextro honoratius : ac propterea dici Christum sedere ad dextrum, tanquam honore proximum. Etiam huc trahitur, quod Salomon jussit matrem Bersabeam sedere à dextris: ut quam honorare voluit; sed sic ut sibi non præferret. Idem fuse conatus est comprobare Goropius Becanus in Hermathena sua. Qui etiam Romanos in ea fuisse opinione variis veterum locis evincere se posse sperat : inter alia istoc Ovidiano in V Fastorum:

Et medius juvenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes unus erat.

Nam *interior* accipi pro *sinisterior*, etiam Servius a tradit. Sed Servio huic, honorato licet Grammatico, non tantum honoris deferimus, ut ejus esse servi velimus. Omnino enim *interior* est *dexterior*: uti contra, *exteriorem ire*, pro à sinistris Horatius b dixit: ut recte observatum magno Turnebo in Adversariis lib. XIV cap. IV, & XXIV. Ubi tamen male in Ovidii loco, quem mox adferam, pro *interior* reposuit *exterior*. Quod vero ad Becanum, nuspiam gentium puto sinistrum latus esse honoratius, præterquam apud Othomannicam nationem, sive Musulmannos. Ubi ad hoc attenditur, quod, qui à dextris eat illius, qui gladio sit accinctus, manui latus sibi claudentis sit obnoxius. De aliis vero nationibus aliter & olim fuit, & nunc est. Nempe fefellit hosce, quod attenderent potius personam Regis, quam thronum, vel thronum ejus considerarent, tanquam solum à sinistra habentem sedem constituam, cum attendi conveniat eam quasi bilaterem, ut sic dicam: & quidem, ut thronus Regius sit sublimior honoratiorque sede utraque, & illa dextri, & illa sinistri lateris. Quomodo aliter esse nequit, quin ille, qui sedet à dextro throni latere, ut aliis superior, ita inferior sit Rege. Majorem igitur honorem salva dignitate Regia non poterat matri exhibere Salomo, quam cum matrem Bersebam dextero adsidere lateri jussit: ut est I sive III Reg. II. 19. Secus fuisset, si jussisset occupare latus sinistrum, quia sic, vacante sede lateris dextri, visus fuisset unum præferre matri, cui is locus reservaretur. Etiam est Psalm. XLV. 10. *Adstat regina ad dexteram tuam in auro Ophir.* Sermo est de filia Pharaonis, adstante Salomoni, marito suo; in cujus honorem psalmus ille à filiis Core canebatur. Si & gentilium testimonia exposcimus, Suetonius in Nerone cap. XIII ait, *Tiridatem, Armeniæ regem, juxta se latere dextro collocavit.* Quod sine dubio honoris caussâ factum, quicquid in Hermathena sua nugetur doctissimus, sed majoris tum ingenii, tum doctrinæ, quam judicii, Goropius Becanus. Quem abunde refellit Justus Lipsius Electorum lib. II cap. II.

a 5. Æn.

b Lib. 2. sat. 5.

8. §. *Porro sessio ad dexteram Patris tria hæc complectitur : omnimodam humilitatis, quam adsumserat in terris, depositionem : summæ regalis, ac sacerdotalis potestatis usurpationem & declarationem : ac denique honoris debiti exhibitionem ab angelis pariter, & hominibus. Hæc gloria cum imperio conjuncta convenit Christo*

sto secundum utramque naturam, sed aliter, atque aliter. Divina enim natura secundum se divinam excellentiam & gloriam habuit ab æterno. Humana natura si attendatur quatenus divinæ conjuncta est ὑποστατικῶς, divinam habuit gloriam à primo incarnationis momento, etsi occultaretur ex dispensatione voluntaria. Quamvis igitur humana secundum se erat imperfecta in terris, divina tamen fuit perfecta, etsi non manifesta.

Ut valde fallantur, qui propterea, quod humana Christi natura gloriam habeat divinam, putant, eam ubique præsentem. Recte colligerent, si humana hæc natura gloriam illam haberet secundum se per realem, ut loquuntur, transfusionem. Nunc aliter est, quia eam solum habuit in unitate personæ per gratiam unionis.

Quibus aliter videtur, contendunt, Christum, secundum humanitatem, sedisse ad dexteram Dei patris à primo nativitatis momento. Sed non difficulter iis occurritur. Quippe alia ratione humana natura divinam habuit gloriam, cum Christus è Virgine nasceretur: aliter vero, quando post ascensum in cælos sedere cœpit ad dexteram Patris. Quod variis Scripturæ locis comprobatur. Ut Marci XVI. 19: *Dominus igitur, postquam locutus esset eis, sursum receptus est in cælum, & sedet ad dexteram Dei.* Luc. XXIV. 26: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam.* Ioan. VII. 39: *Nondum erat Spiritus S., quia Iesus nondum erat glorificatus.* Hebr. I. 3: *Purificatione peccatorum nostrorum per seipsum facta sedit ad dexteram majestatis illius in excelsissimis* &c.

Quamobrem, si quæstio sit, quid Christus fuerit consecutus per Adscensionem in cœlos, dixero, humanam ejus naturam tum majori in gloria fuisse, partim quatenus gloria divina, quam ab incarnatione habuit, longe fuit manifestior: partim quatenus gloria naturæ humanæ secundum se consideratæ, cum hic imperfecta foret, ea perfectionem & complementum suum accepit in cælis.

9. §. *Exsecuti sumus pertinentia ad historiam ter trium apparitionum, quem intra numerum nos continemus: quanquam B. Augustinus ex Evangeliis colligat denas. A quo summo antistite in tribus recedimus, veritate ita, ut arbitror, exposcente. Primum ille apparitionem mulieribus factam censet diversam ab ea, quæ contigit Mariæ Magdalenæ. Nobis cum eadem videatur, superius exposuimus. Præterea illam quidem Petro seorsum factam annumerat: at præterit illam, quæ seorsum itidem facta Iacobo. Denique illam, quæ nona est nobis, dividit in duas: quia existimat, Christum, è Galilæa redeuntem in Iudæam, prius apparuisse discipulis in Hierusalem: hinc eos deduxisse in Bethaniam, seu montem Olivarum, unde conspectus sit in cælos adscendens. Sed cum Scriptura dicat, Iesum, postquam se exhibuerat discipulis in Galilæa, eos eduxisse foras in Bethaniam: non video, cur Hierosolymis potius, quam è Galilæa, ad Olivarum montem eductos credamus. Novenis vero his apparitionibus non id solum actum à Christo fuit, ut vere resurrexisse crederetur, sed etiam ut discipulos instrueret, interpretando iis, quæ de se scripta essent in Scripturis.*

Ea quatuor potissimum erant. Primum quod Christus pati deberet: ut clarissime omnium prædixerat Iesaias, & sacrificiorum typis fuerat adumbratum. Deinde quod tertia die esset resurrecturus: cujus rei typus in Iona præcessit. Hinc quod in nomine ejus cunctis gentibus prædicanda esset pœnitentia ac remissio peccatorum. Unde Iesa. LIII: *In scientia sua justificabit ipse servus meus multos.* Denique prædicationem eam inchoatum iri ab Hierusalem: secundum Ies. cap. II, nec non Michæam cap. IV, *De Sion exibit lux, & verbum Domini de Hierusalem.* Itaque & discipulis illud in mandatis dedit, ut, postquam ab iis esset sublatus, Hierosolymam irent, atque ibi permanerent, donec juxta vaticinium Ioëlis effunderetur in eos Spiritus S., eoque Spiritu induti testes Iesu fiant per omnes gentes.

10. §. *Nostri vero ratione, duplex ejus sessionis fructus fuit. Nam quia regis est, & benefacere domi, & defendere foris: etiam Christus rex, tum beneficiis nos spiritualibus ornavit ad bene vivendum, tum, ne succumbamus potestati inimicæ, nos suo spiritu contra eam tuetur.*

Atque hæc de nona apparitione Christi à resurrectione, quando adscenderet in cœlum: cujus occasione etiam de adscensus ejus fine actum, qui erat sessio ad dextram Dei.

11. §. *Quamquam vero non denas cum Augustino, sed novenas solum apparitiones Iesu memoravimus; fuere tamen & aliæ. Sed solum locuti hactenus sumus de iis, quæ contigere, priusquam caperetur cælis. Cætera postea fuere; in quibus princeps facile locus debetur, quando B. Paulo apparuit Damascum eunti. Tum enim & audivit eum clamantem*, Saul, Saul, cur Act. 22.
me persequeris? *atque etiam conspexit, ut* 7. & 14.
ostendunt illa Ananiæ verba: Ut videres illum justum.

Imo & postea vidit; ut in carcere ἐν ὁράματι, Act. XXII. 11: item cum tertium in cœlum raptus fuit, atque ἄῤῥητα audivit: in quibus citra dubium gloriosus Christi conspectus fuit.

12. § *Multum etiam veritatem Resurrectionis confirmat, quod discipuli Christi tanta id constantia docuerint, ac sanguine etiam suo veritatem ejus rei obsignarint.*

Sane insolens est, ut aliquis pro opinione vera, sed unde nihil ad se redeat lucri, grande velit periculum subire. Et credamus, discipulos tam futuros insipientes, ut, si Iesum ipsi furto sustulissent, pro eo, à quo turpiter adeo sibi illusum scirent, à quo etiam nihil commodi sperarent, omnibus se offerre periculis, ipsam etiam obire mortem, vellent? Quam profecto hæc à sana ratione abhorrent!

13. §. *Atque hæc de Historia Resurrectionis Iesu Christi. Nunc paucis consignabo triplicem Resurrectionis hujus fructum. Primus est ratione justificationis: unde Apostolus Rom. IV. vers. ult.* Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

Utcunque enim Christus sua passione ac morte promeritus esset remissionem peccatorum nostrorum, & vitam æternam: non ea tamen satisfactio applicari nobis potuisset, nisi resurrectione sua mortem devicisset.

14. §. *Alter est Sanctificatio: quem fructum significat Ioannes* VII. 39: Nondum erat Spiritus

ritus Sanctus; quia Iesus nondum erat glorificatus. *Et Christus ipse Ioa.* XVI, 7: Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.

Atqui abire in cœlos non poterat, si ipse morte fuisset detentus in sepulcro. Nisi igitur resurrexisset, nec potuisset mittere Spiritum sanctificantem. Huc etiam pertinet, quod Christi resurrectio sit typus ejus resurrectionis, qua animæ nostræ in hac vita moriuntur delictis, & ad vitæ novitatem resurgunt.

15. 5 *Denique resurrectio Christi caussa est glorificationis nostræ.*

Absurdum enim est, putare, cum Christus resurrexerit ad gloriam, non itidem nos ad eam resurrecturos: atque ubi est caput Ecclesiæ mysticum, ibi & nos aliquando fore, qui ejus membra sumus. Hoc enim adversatur promissioni illi Christi Ioa. XIV. 3: *Rursum veniam, & vos ad me assumam, ut, ubi ego sum, ibi & vos sitis.* Est & Apostoli Rom. VIII. 17: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

FINIS LIBRI TERTII.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

BAPTISMO

DISPUTATIONES XX,

ET UNA DE

SACRAMENTORUM

VI, ATQUE EFFICACIA.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,

à SOMEREN, & GOETHALS.

M DCC I.

Viro nobili, clarissimoque,

GEORGIO RATALLERO
DOUBLETIO,

in supremâ Hollandiæ, & Zelandiæ,
Curiâ Senatori amplissimo,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS
S. P. D.

Nobilissime, Amplissimeque Vir,

Offero Tibi librum; ambigo ipse, novumne dicere debeam, an antiquum, an utrumque eorum. Atque huc magis inclinat animus; unde novantiquum nobis liceat nuncupare. Longè maxima ex parte antiquum esse, facilè ipse agnosces: ut qui jam ante annos xxx, cùm primò hæc consignâssem, non legeris ea solùm; sed juventutem quoque sacris initiatam studiis, sub præsidio meo publicè, ut scholarum est mos, audieris eadem defensitantem. Nec rationes tamen deficiunt, cur, ut Tibi gratior sit opera hæc nostra, ausim eam ab aliqua etiam novitate commendare. Antea enim disputationes singulæ prodierunt seorsim, justisque temporis intervallis. Nunc universas, quæ ad baptismum quidem pertinerent, uno quasi fasce complexus sui. Nec necesse putavi, eadem ubique verba appendere. Sponte enim illud prædico, siquid rectiùs, vel clariùs, posse dici putarem: minimè veritum me esse, illud vel immutare, vel addere. Jam verò, quod caput est rei, aliquas hîc dissertationes comperies, antea ineditas: scriptas quidem quadriennio illo, quo ab illustribus Hollandiæ, & Westfrisiæ Ordinibus commissum mihi regimen fuit Theologici, quod Leidæ habent, Collegii: sed postquam in Academia ibidem cœpi profiteri Sacræ, Ecclesiasticæ, externæque historiæ tempora (ut de Eloquentiæ studiis, curisque aliis, nihil nunc dicam) propter multiplicis oneris, ac muneris, quod susceperam, difficultatem, propè habitas pro derelictis; ac nunc demum anno ætatis secundo, & septuagesimo, quo magis, magisque lethi memor, mea convaso, publici juris factas. Variæ autem, & graves me caussæ compulerunt, cur ista, potissimùm sub præclari nominis tui auspiciis, in lucem prodire vellem. Primùm quidem, quòd beneficia, à tot jam annis mihi præstita, ac meis, jamdiu me commonefecerint, ut si paria referre non possem, qualecunque saltem grati pignus animi reponerem. Doluit enim sæpe, fateor, quòd cùm pro aliorum in me benefactis gratiam, quo potui pacto, studuerim rependere: tibi uni, etsi neminem sciam, cui videar mihi devinctior, nullo hactenus argumento testatus fuerim animum, atque affectum meum: tanquam, per te solum, mihi esse ingrato liceret. Accessit, quòd minimè animus mihi foret, hæc cuiquam offerre, nisi in hujuscemodi versato. Rarum in aliis quidem, si uno in studii genere emineant. Tua verò laus est, quòd, qui te jus audiant dicentem, omni ætate putent operam dedisse jurisprudentiæ. Quique aures, atque animos, adhibent differenti de divinis, nihil aliud, nisi sacra, tractâsse, arbitrentur.

Atque idem in politioribus literis existimant, ac philosophiâ universâ. Et sanè, de omni hoc, fieri vix aliter potuit, qui parente tanto, Philippo Doubletio, nascereris. Vir sanè is luculentâ erat natus familiâ, cui decus etiam addebat stemma maternum è Batava stirpe Dammiâ: in qua, ante annos penè ducentos quinquaginta, tres Dammios fratres, cum Dammio cognato, raro exemplo, Sigismundus Imperator, rogante Guilhelmo, Comite Hollandiæ, equestri ornârat dignitate. Sed genus, & proavos, alienas censes laudes: ac, per te esset, nec tangere hujusmodi liceret, quamvis jam ante annos quasi qninquaginta mihi cognitissima. Sed mos hactenus geratur. Illud igitur potiùs dicam, virtutibus suis fuisse longè nobiliorem. Quas cùm propagari in liberis, ac nepotibus, vellet; nihil æquè studuit, quàm ut Tibi, sic nato, à primâ etiam pueritiâ præficeret optimos pietatis pariter, ac doctrinarum magistros. Gnarus videlicet, quantum cæteris antistarent vera animi bona: cujus rei ex se ipso capere poterat documentum: ut qui, postquam parentem suum, quem honestissimo sciret semper loco in avitâ Mechliniensium urbe habitum esse; perque fluctus illos decumanos decumis suis ab Albano Duce excitatos, cum multis summis viris in Hollandiam vidisset ejectum: eam mox his terris virtutibus suis conciverit admirationem sui, ut, oculis omnium in se conjectis, Comitatûs Hollandici rationibus, atque insuper fœderatæ totius Belgicæ præficeretur ærario. Nec leviter ejus fidem, ac merita, declarat, quòd, in posteriori illa dignitate, defuncto suffectus sit filius natu maximus, Joannes Doubletius, Sanct-Annæ-Landiæ Dominus, vir summæ virtutis, atque existimationis: mox filius alter Philippus, vir benefactis florens; qui cum tanto omnium applausu nunc munus hoc sustinet. Sed de eximiis horum laudibus dabitur fortasse aliàs melior dicendi locus. Ne propterea tamen in Patre, vel Fratribus, sistam, facit *ἡ μακαρῖτις* mater tua, cordatissima matrona, cui multum sapienti supra sexum suum, cùm antea semper, tum præcipuè post mariti excessum, nihil æquè curæ fuit, quàm ut simillimus evaderes parentis sui, Georgii Ratalleri: quod nomen non sine numine, in sacri baptismatis fonte, imposuerunt parentes, multùm tam auspicato vocabulo favente aviâ Loïâ, Georgii Ratalleri viduâ; quicum quoties sermo mihi fuit, non aliter judicavi, qnàm conspicere me, atque audire, reliquias aurei seculi. Nempe hoc ipso nomine excitare te à puero studuerunt, ad ejus viri vestigia premenda. In quo nec prudentia illos destituit, nec felicitas. Nam, ut, more Homerico, à posteriori initium capiam, vivam in Te magni avi imaginem nunc omnes intuentur: ut qui in dignitate illa Senatoriâ, verè sis, quod gentilitium Ratalleri cognomen sonat, *consilio omnibus*. Qnàm latus, & lætus, mihi hîc se offerret campus de laudibus tuis disserere volenti! Sed jam dudum metuo, ne ut aliis, qui Te nôrunt, jejunè dicar, atque aridè, de Te locutus; ita uni Tibi videar fuisse nimius. Quare alteri capiti insistam, quod in hac etiam, ut Græci vocant, ὀνοματοθεσίᾳ, quam magnus Plato sapientis propriam ducebat, prudentiam non minùs aperit, quàm affectum. Nam is avus tuus Ratallerus fuit, ut sapientiâ, & fide, nulli esset secundus. Hoc jam omnes fore augurabantur, simulac à Galliæ, & Italiæ, Academiis redux patriæ se iterum stitisset. Sed magis postea in multiplici adeò dignitate se exseruit virtus ejus incredibilis, ac propè divina. Primùm, cùm in supremum Artesiæ Consilium est adlectus. Exinde, ubi à Cæsare Karolo V. in magno Belgicæ Consistorio, quod est Mechliniæ, Senator est creatus, & Libellorum Supplicum Magister. Postea etiam cùm in ditione provinciæ Ultrajectinæ supremi Senatûs Præses fuit. Quando item Belgarum suorum nomine tantâ cum gloriâ legationem obiit ad Serenissimum Daniæ Regem. Magna hæc, imò ingentia esse, inficias iverit nemo. Longè tamen hisce majus existimari debet, quòd difficillimis temporibus istis, animum semper æquissimum, consiliaque moderatissima, attulerit rebus turbatis. Quod sub Margaritæ, Ducis Parmensis, gubernatione inter alias præcipuè Valencenarum urbs: sub Matthia Archiduce, tum Gronin-

ningana, tum Campensis civitas, suo, & totius Belgicæ bono, ubertim fuere expertæ. Sed facilè mei ordinis hominibus persuasero, quantacunque hæc sint, magnam tamen iis accessionem exinde fieri, tum quòd in tanta dignitate singularis esset comitas, ut Gratiæ eum, quasi digitis suis, finxisse viderentur: tum quòd ob variam, & elegantem eruditionem, à summis etiam viris inter seculi sui decora reponeretur. Quo loco iis fuisse, mirabitur nemo; qui viderit pulcherrima ingenii, doctrinæque ejus, monumenta. In quibus, (ut taceam de metricâ, quam adservas, psalmorum paraphrasi) non postremus debetur locus Sophoclis, quotquot exstant, tragœdiis, Latino ab eo carmine tam fide bonâ redditis; quam postea malâ, ex prima tragœdiarum trium editione, suam in versionem multa adeò transtulit Joannes Lalemantius Heduus; vir cæteroqui pereruditus; ut ostendunt quædam Hippocratis opuscula, donata ab eo Latinâ togâ, & doctis illustrata commentariis. Neque ignoro, quid in Sophocle Latino requisierit vetus amicus noster, liberi satis oris, ac calami. Nobis verò arduum illud semper visum fuit, quòd nobilis adolescens, Latinè, Græceque doctissimus, purè adeò expresserat genuinam grandis poëtæ mentem. Et scimus, vix hominis esse in omnibus omne punctum ferre: quando etiam in dimidiato illo Menandro, quem viritim terit, teretque usus publicus, vim Comicam desiderârit (at quantus vir!) Julius Cæsar. Nempe nulli Deus omnia dat magna: quale etiam est adsequi Sophoclis cothurnum: quo si sublimiorem novisset poëtarum princeps, non hunc potissimùm nominâsset; cùm laudare vellet tragœdias sive Varii sui, sive Asinii Pollionis. Præterea mirum, non venire istis in mentem, translationem illam suo veriùs esse auctori extortam, quàm sponte emissam in lucem. Itaque ipse maluisset per intervalla superaddere τὸ ὕψος, quod unum (quo jure id faciant in interprete, ipsi viderint) οἱ μέγα πνέοντες requirere se ajunt. Quasi non hanc etiam laudem adimpleverit in elegiacis, epigrammatis, atque aliis; quantum quidem fineret argumentum, curareque istiusmodi permitterent magni Regis, & Reipublicæ, negotia: quæ vellem homines umbratici (citra convicium hoc dico) magis attenderent. Utinam verò adhuc superessent commentarii ejus cedro dignissimi; quibus partim jam maturâ ætate, partim etiam senex, complexus fuit rerum se, quâ Senatore, quâ Senatûs Præside, judicatarum observationes exactissimas. Nunc (triste) eâ parte nihil nisi plorare nepotibus reliquerunt obscœnæ illæ Harpyiæ, quæ in thesaurum hunc involârunt: credo ut grandia inde, atque arcana, venditantes pro suis, majori essent admirationi cæteris. Verùm his ulteriùs insistere si parem, metuam prorsus, ne, contrà quàm præcipi solet à dicendi magistris, fiat μετάβασις ἄνευ ἐπανόδου. Redeo igitur eò, unde abieram; ac quia initio omnis in eo fui, ut exponerem, cur inscripserim hunc laborem nomini Tuo: deque caussa principe satis mihi videor dixisse, pauca addam de altera hac; quòd sic putârim aliis me testari meliùs posse amorem Tibi debitum. Ac cœptus quidem ille erga admodum adolescentulum, cùm omnes caperentur indole, præclara quæque promittente. Multum verò idem firmatus fuit suavissimo annorum prope XII convictu, partim in principe Batavorum urbe, partim in Academia eorundem. Postquam verò lustratis Academiis Britannicis, Gallicis, Italicis, restitutus es tuis, cum Ulysse Homerico, mores edoctus, & urbes: tanta idem incrementa cepit, ut ad fastigium pervenisse amorem hunc putarem. Crevisse tamen video, dum pro beneficâ illâ naturâ obstringere me, meosque, non cessas. Pro quo nihil occurrit, quod reponam, præter affectum Tibi, Tuisque, devotissimum, & hujus apud posteros testandi ergô, (ut mei ordinis homines solent) chartaceum munusculum: quod tamen gratissimum fore confido, vel argumenti caussâ. Quid enim magis nos meditari assiduè decet, quàm sacramentum illud, unde, inter alia, duo illa magna ad nos redeunt bona? Primùm quòd eo inserimur Ecclesiæ, ac reddimur membra Christi; cujus spiritu vivimus, quotquot eum induimus. Deinde quòd in hac vita, perpetuis tentationibus obnoxiâ, suavissimum

inde solatium percipimus adversus omnes mali spiritûs insultus. Quorum utrumque accuratiùs in opere ipso exponimus.

Faxit Deus Opt. Max. Nobilissime, & Amplissime vir, ut labor hic noster aliquid adferat fructûs veræ pietatis, & antiquitatis Ecclesiasticæ, studiosis. Atque ab eodem Numine precor, ut conservet Tibi amorem nostri, ac diutinam largiatur valetudinem, & vitam; non modò Reip. caussâ; sed etiam propter suavissimos liberos; imprimis filiorum trigam, tenerâ hac ætate nihil, nisi optatissimum, in studiis, & moribus, spirantem; Philippum, Florentium, Joannem: quorum si me precibus ad Deum commendem non minùs, quàm tanti parentis, nihil abs re fecero. Scio, quàm illa innocens ætas grata sit Deo; cui ex ore etiam parvulorum nascitur robur, & gloria; ut divinus psaltes ait. Illis ego, pro suo erga me adfectu, vicissim opto, ut parentum insistant vestigiis, avi etiam utriusque, & majorum deinceps longâ serie.

Amstelodami, anno æræ Dionysianæ CIↃ IↃ CXLVIII, III Idus Martias. Quo die, (ut unum hoc de nostro, Scholastici hominis, quasi jubilæo, addam, quando scis, quàm ægre apud te sermonem desinam) annus expletur quinquagesimus; ex quo post primum ætatis septennium balbutiei, & Grammatisticæ, datum, alterosque annos septenos Latinis, & Græcis literis impensos, ac totidem in philosophorum præcipuè spatiis transactos, ex Senatûs Academici auctoritate apud Leidenses (& fortasse hoc eò est commendabilius, quòd honos ille, quantum memoriâ omnes tenerent, à Lycei primordiis ante me illic contigerat nemini) summam studii Philosophici lauream mihi conferebat Theologus, ac Philosophus clarissimus, quo præceptore jure glorior, Petrus Molinæus. Hoc jam, quia de me est, existimabis fortasse meliùs potuisse præteriri. Nec repugno. Sed facilem mihi scio apud te veniam fore: quia, quâ prudentiâ es, nôsti mores senum; quibus adolescentiæ, primorumque studiorum, dulcis esse solet, ac jucunda recordatio.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DISPUTATIO ΠΡΟΔΡΟΜΟΣ
DE
SACRAMENTORUM
NATURA, AC INPRIMIS VI, ET EFFICACIA.

THESIS I.

PRIUSQUAM particulatim de Baptismo loquar, statutum paucis aperire, quid sentiendum sit de Sacramentorum natura, ac præcipuè eorum vi, & efficaciâ: quam alii nimis extollere, alii contrà nimis deprimere videntur. In nimium ea honorem evehunt, quicunque censent, illa omnibus iis, qui non ponunt obicem peccati mortalis, gratiam justificantem, ac sanctificantem, conferre ex opere operato, hoc est, per se, ac vi actionis suæ; nempe pœnitentiâ, ac fide, vel exclusâ omnino, vel ab efficientiâ saltem exclusâ; hoc est, utrâque solùm dispositivè, neutrâ verò instrumentaliter, ad justificationis actum concurrente *a*.

a Bellarm. lib 2. de Sacram. cap. 1.

II. Contrà nimis sacramentorum virtutem evacuant, qui volunt, ea tantùm esse vel notas Christianorum, vel symbola mutuæ charitatis, vel testimonia animi erga Deum grati, vel allegoricas commonefactiones, quibus, tanquam picturis, ob oculos nobis ponatur Christiana mortificatio, vivificatio, & spiritualis alimonia: vel qui ea duntaxat instituta volunt ad excitandam fidem per modum objecti repræsentativi: vel qui fatentur quidem, esse symbola gratiæ; sed duntaxat ante, & extra sacramenta collatæ; non autem gratiæ præsentis, hoc est, quæ in legitimo sacramenti usu exhibeatur, & confeatur.

III. De ardua hac quæstione dicturi, ab ipsis *μυστηρίων*, & *sacramenti* vocibus auspicabimur; idque non tantùm, ut pateat, cùm vocabula ea sint πολύσημα, quâ significatione illis hoc loco utamur: sed vel maximè, quia ex vocum harum proprietate de rei ipsius natura aliquatenus possit judicari.

IV. Quadruplicem autem de Sacramenti nomine invenimus opinionem. Una illorum est, qui, quoniam Irenæus *b* dicit, Eucharistiam constare re terrenâ, & cœlesti; ac sæpius sic de sacramentis loquantur Patres: eò censent, Sacramenti voce primò, ac propriè, notari signum & signatum, totamque illam actionem sacram conjunctim: figuratè verò accipi pro alterutro seorsim; idque vel per synecdochen, vel metonymiam.

b Lib 4. c. 34.

V. Altera est eorum, qui eò quòd Varro *c* autor sit, sacramenti voce significari oppignorationem pecuniæ à litigantibus factam in loco sacro eâ conditione, ut victor pecuniam suam auferret, victus apud Pontificem relinqueret: hinc colligunt, sacramentum propriè notare oppignerationem nostri coram Deo: quia nempe, sicut, qui litigaturi erant, certum pecuniæ pondus deponebant; sic, qui Sacramentis initiantur, sese Deo oppignerent.

c Lib 4. de L. L. Hinc Cicero epistolâ ad Volumnium: Sacramento contendas, mea non esse.

VI. Tertia illorum sententia est, qui eò quòd apud Festum, & alios, legamus, sacramentum significare juramentum per sacrum quiddam, uti cùm milites ad fidem, & obedientiam Imperatori præstandam, se juramento obligant; unde & in glossis Philoxeni exponitur ὅρκος στρατιωτικὸς *a*: iccirco maximè verisimile putant, Sacramenta in Ecclesiâ sic vocari, quia Christianus miles iis se velut juramento obligat duci suo Christo. Nam, ut non Augustinus *b* modò, sed gentilis quoque Philosophus *c*, dicebat, Θεῷ ἔδει καὶ ἡμᾶς ὀμνύειν, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι *d*. Confirmare quoque hanc sententiam eo conantur, quòd Tertullianus, Latinorum, quos habemus, antiquissimus (qui & videri possit *sacramenti* vocem strictâ illâ significatione primus in Ecclesiam induxisse) clarè nomen hoc à militia externâ ad Christianam militiam transferat. Sic enim ille libro ad Martyres cap. III: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus.* Et lib. de Pudicitia cap. XIV: *Ut Sacramento benedictionis exauctoraretur, nunquam in castra Ecclesiæ reversura.*

VII. Quarta est opinio illorum, quibus placet, *Μυστήριον*, & *Sacramentum*, esse *συνώνυμα*: ac utroque tum generatim significari rem sacram arcanam: tum speciatim rem sacram, arcanam, symbolicam. Quod verò utrumque strictissimè in Ecclesiâ usurpetur pro re arcanâ sacrâ symbolicâ, gratiam spiritualem signante, & efficaciter obsignante; id esse ab Ecclesiæ Doctoribus; qui, cùm hujusmodi signa propriam in Sacris literis appellationem non haberent, generis iis nomen accommodârint.

VIII. Hanc quartam sententiam solam putamus esse veram: ac judicium hoc nostrum certæ rationis pondere subnixum esse, facilè videbunt omnes, qui proprietatem cùm Græci, tum Latini vocabuli, ac multiplicem utriusque usum in Novo Testamento, Græcâ Bibliorum translatione, ac Latino interprete, curatiùs nobiscum considerare non gravabuntur.

IX. Μυστήριον enim, si originationem spectes, primò notat rem arcanam: ut quod vel sit à μύω, hoc est claudo, quia res arcanæ non enuncientur, sed in pectore clausa contineantur: vel potiùs ab Ebræo מסתרים *e*, id est, *latibula, absconsiones*: quod à סתר, hoc est, *abscondere, occultare f*. Sacramentum verò primò significat rem

a Hujus militaris sacramenti formula erat: Ibo, quò jusserit Senatus, populusque Romanus: sive, quò duxerit Imperator: sive, conventuros se jussu consulum, neque injussu abituros: quod est apud Livium lib. III, & XXII. Addebant & hic non deserturos signa; ut docent Polybius lib. X, & XI, ac Dionysius lib. IV, & Seneca etiam indicat epist. XCVI. Aliquando & illud addere jussi, nihil se adversus populum moturos; teste Polybio lib. XI. Hæc spondebant educendi in exercitu, plura postea in castris, quæ ad militarem pertinerent disciplinam: ut in exercitu, decemque millia prope, non facturos se furtum quod ex L. Cincio Alimento memorat Agellius lib. XVI cap. IV. b *De tempore Serm* 181. c *Arrianus dissert. in Epist. lib* 1. *cap.* 18 d *Deo oportebat & nos jurare, ut milites Cæsari.* e *Jes.* 45. 3. *& Psalm.* 17. 12. f *Ubi & ab eadem voce* SATAR *est* Saturnus. *Deus Latius; terra* Saturnia, *Latium. Item* Satyri, *non ἀπὸ τῆς σάθης. De quibus pluribus ego in Originum libris.*

rem sacram, vel sacrantem, sive consecrantem, & sanctificantem. Nam ut à supino *juratum* est *juramentum*; à *testatum*, *testamentum*: ita à *sacratum*, *sacramentum*.

x. Verùm, ut raro vocabula in primo usu consistunt; ita & μυστήριον, quod primò rem signat arcanam, pressiùs sumi cœpit pro re arcanâ sacrâ; & Sacramentum, quod primò notat rem sacram, vel sacrantem, angustè cœpit accipi pro re sacra arcana. Ambo igitur in eo conveniunt, quòd nunc generalissimè notant rem arcanam; nunc minùs generaliter, rem arcanam sacram. Generalissimè utuntur LXX interpretes Dan. II. 19: ubi somnium Nabuchodonosori vocatur μυστήριον. Vulgatus verò interpres nunc *mysterii* vocem retinet; nunc *sacramentum* appellat; uti vers. 18, & 30. Similiter Tob. XII. 6: *Sacramentum regis occultandum est.* Sirac. XXVII. 16: *Amici mysteria denudare.* Et Paulus 2 Thess. II. 9. de Antichristo ait, *Operatur jam mysterium iniquitatis.* At minùs generatim pro re arcana sacra sumitur ad Ephes. I. 2: ubi prædicatio Evangelii dicitur μυστήριον, & vulgato interpreti *Sacramentum.* Eodemque modo μυστήριον, & *sacramenti* vox tribuitur incarnationi Christi 1 Tim. III. 16: item redemtioni nostræ, Col. I. 27. Quibusdam verò in locis etiam *mysterii* nomen hac significatione retinuit interpres, ut Matth. XIII. 11: *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum*: & ad Romanos cap. ult. vers. 27, ubi gentium vocatio *mysterium* dicitur. item 1 Cor. XV. 51. sic vocatur resurrectio carnis: & aliis locis.

XI. Duplici huic usui ejus verbi superaccessit tertius, superioribus angustior, pro re arcana, sacra, symbolica: quo sensu *sacramenti* nomen tribuitur typis, cerimoniis, parabolis, & quibuscunque rebus sactis, aliud sensui, aliud menti exhibentibus. Ita Apoc. I. 20. visio septem stellarum, significans angelos septem Ecclesiarum, & quòd septem candelabra sunt septem Ecclesiæ, μυστήριον vocatur, & Latino interpreti, *sacramentum.* Ac Eph. V. 31. conjunctio viri & uxoris in conjugio, est sacramentum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ. Imò *sacramenta* quoque dicuntur signa rei non sacræ: quomodo Angelus Apoc. XVII. 7. exponit, quid significent septem capita bestiæ portantis meretricem. *Ego*, inquit, *dicam tibi sacramentum mulieris.* Possis & huc referre locum Dan. II. 19. cujus antè meminimus. Nam visio illa Nabuchodonosori, non tantùm res arcana erat; sed & signum rei futuræ. Verùm hujusmodi ejus vocabuli usus planè est καταχρηστικός. *Sacramentum* enim haud propriè notare quodvis signum arcanum, sed potiùs signum arcanum sactum; vel sacramenti etymon satis docet.

XII. Vidimus hactenus, ut μυστήριον, & *sacramentum*, nunc significent rem arcanam, nunc rem arcanam sacram, nunc rem arcanam, sacram, symbolicam. Neque strictiùs eæ voces usurpantur vel in Græco Scripturarum contextu, vel à Latino interprete.

XIII. Verùm cùm Ecclesiæ doctores viderent, Baptismum, & sacram Cœnam, esse res arcanas, sacras, symbolicas; neque in Scripturis nomen illis peculiare attribui, quo à cæteris sacris rei arcanæ symbolis discernerentur: judicarunt, Baptismum, & Cœnam, κατ' ἐξοχὴν *sacramenta* commodè dici posse: unde factum, ut *sacramenta* specialissimâ hac ratione dicta sint, non quævis signa sacra, arcana; sed signa arcana, sacra, à Christo Ecclesiæ eum in finem præscripta, ut gratiam spiritualem signarent, & exhiberent. Estque hæc significatio eatenus ἄγραφος, quatenus in sacris literis nusquam vox μυστηρίου, ac *Sacramenti*, ita angustè accipitur. Neque iccirco audiendi sunt, qui μυστηρίου, & *sacramenti*, vocem damnant, eò quòd, uti ajunt, appellatio hæc non inveniatur in Scripturis; Dei autem solius sit nomina rebus divinis imponere. Nam generatim, quemadmodum vidimus, vocabulo hoc utitur Scriptura pro signis arcanis, sacris. At Baptismus, & Cœna, sunt signa arcana sacra. Sunt igitur μυστήρια, sive sacramenta. Cumque inter omnia sacra symbola non possint esse præstantiora, quàm quæ gratiam spiritualem efficaciter obsignant: principaliter signa istiusmodi ita dici meruerunt.

XIV. Quamquam profectò, etiamsi ex S. literis vocabulum hoc adstrui non posset: non tamen usum ejus justè iccirco reprehenderent. Nam si fateantur, parùm referre quibus vocibus utamur, dummodo de re conveniat: nec illud diffiteri poterunt, super appellatione hâc contentionis serram reciprocari non debere. Sin arbitrantur, magni referre, quomodo unumquodque nominetur: cur, ubi Scriptura peculiare vocabulum minimè suggerit, aliâ potiùs appellatione utamur, quàm appellatione genericâ, Scripturis contentâ: præsertim si sic antiquissimi Patres, cæterique scriptores, ad nostra usque tempora sint locuti? Profectò cum Ecclesia non tantùm sentiendum, sed etiam loquendum; antiquorumque hac in re consuetudinem ruspari, ac sequi, non tantùm eruditæ est diligentiæ, sed etiam piæ curiositatis.

XV. Porrò ex iis, quæ hactenus exposuimus, facilè refutatur prima sententia: cujus autores putant, *sacramentum* proprie significare actionem & Dei, & ministri, quatenus ambo in Sacramenti usu concurrunt. Nam ex iis, quæ diximus, apparet, *sacramentum*, obsolescente puriori sermone Latino, accipi solere vel pro re sacra arcana, vel pro rei sacræ arcanæ symbolo: quæ etiam significationes inveniuntur apud Tertullianum. Is enim lib. IV adversus Marcionem, totum Christianismum vocat religionis Christianæ sacramentum. Nempe quia propositum Dei de reconciliatione nostri per Christum, quam reconciliationem Evangelium nos docet, toti mundo absconditum est, nisi quatenus divinitus revelatur. Idem lib. V contra Marcionem, de duobus Abrahæ filiis loquens, vocat eos Sacramenta figurarum, & allegorias sacramentorum. Et lib. adversùs Judæos, Sacramentum ligni ait, disputans de securi Elisæi, & de ligno Adæ. Quibus ex locis colligi potest, omnes figuras, omnesque allegorias, Tertulliani ævo, *sacramenta* fuisse appellata. Apud Augustinum quoque eum loquendi modum sæpius invenimus: ut qui, allegorias texens, dicat, *sacramentum panis*, *sacramentum piscis*, *sacramentum numeri* &c. Clarè igitur ex his elucet, *sacramenta* propriè signare signa: quòd verò pro signo, & signato, conjunctim interdum capiatur ab antiquis, id factum esse per synecdochen partis; propter eam, quæ inter signum, & signatum est, ἀναλογίαν, atque indubitatam amborum in legitimo signi usu perceptionem.

XVI. Nec minori negotio ex dictis eorum refellitur opinio, qui *Sacramenti* vocem putant in Ecclesia Dei esse metaphoricam, petitamque esse translationem, vel ab oppignoratione litigantium; vel ab juramento militari. Nam loca superiùs adducta clarè evincunt, Latinos, in vocis hujus usu multiplici, secutos esse Græcos; qui & ipsi μυστήριον nunc rem arcanam appellant; nunc rem arcanam sacram; nunc rem arcanam symbolicam; nunc denique rem arcanam sacram symbolicam, gratiæ spiritualis significativam.

XVII. Infirmo igitur tibicine nituntur, qui sic argumentantur: Sacramentum fuit pecuniæ oppigneratio ex pacto litigantium proveniens. At in Sacramentis Ecclesiæ homo se oppignorat Deo, ut consequatur gratiam fœderatis promissam. Ergo Sacramenta primariò sunt signa pacti, ac fœderis, inter Deum, & nos. Vel qui sic concludunt: Sacramentum militare efficit pactum inter ducem, & militem; quia cùm se miles imperatori obstringit, hic fidem ac obedientiam duci; ille stipendium, aut aliud, militi pollicetur. Sed Sacramenta Ecclesiæ inde sunt dicta, quòd similiter Christianus miles in his Deo fidem, & obedientiam; Deus militi suo regnum cœleste, promittat. Ergo Sacramentum in Ecclesiâ notat signum fœderis inter Deum, & fideles. Licet enim verum est, quod colligunt; infirmum tamen est utrumque hoc argumentum; eò quòd, uti ostendimus, antiqui Ecclesiæ doctores minimè attenderint hosce ejus vocabuli usus; sed

imi-

imitati sint Græcos; qui etsi *μυστήριον* vox propriè notet rem sacram arcanam, tamen *συνεκδοχικῶς*, aut *μετωνυμικῶς*, eam accommodârunt rerum sacrarum signaculis. Quæ significatio non solùm apud Ecclesiasticos scriptores obtinuit; sed etiam externos. Notum enim, ut à gentilibus quoque ritus ii *μυστήρια* appellentur, quibus in Cereris, Liberi patris, aliisve sacris, religioni suæ idololatricæ initiabantur.

XVIII. Quamquam autem ex *sacramenti* voce non satis validè demonstretur, sacramenta esse divini fœderis signa: non tamen de re ipsa dubitari potest; cùm Scripturis, & inductione, id solidè possit comprobari. Nam Gen. XVII, 10. ait Deus: *Hoc est* FOEDUS MEUM *inter me, & vos, quod servabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas.* Quod explicatur vers. seq. *Circumcidetis igitur carnem præputii, ut sit* SIGNUM FOEDERIS *inter me, & vos.* Nempe cùm ex sacramentis in V. T. sola esset circumcisio; sola etiam fœderis divini signum fuit: postquam verò paschatis sacramentum accessit, circumcisio quidem symbolum erat receptionis in fœdus: pascha verò continuationis in fœdere signum fuit. Eâdem autem ratione in Ecclesiâ Christi, baptismus, qui circumcisioni successit, fœderis initi: cœna, quæ successit paschati, signum est fœderis continuati.

XIX. Ex his consequitur, sacramenta esse signa fœderis inter Deum, & nos, initi. Porrò in pacto hoc, & Deus spondet gratiam suam; ut cùm Abrahamo ait, *Ero Deus tuus*: & officium stipulatur humanum; ut cùm inquit, *Tu mihi populus eris.* Itaque voluit Deus, sacramenta esse notas, ac symbola fœderis divini, gratiæ quidem divinæ obsignativa, humani autem officii commonitiva.

XX. Triplex verò gratia sacramentalibus symbolis denotatur: quarum alia ut præsens ostenditur, alia ut præterita commemoratur, alia ut futura promittitur. Huic triplici significationi quarta accedit; quia hominem excitant ad præstationem officii sui; ut antè dicebamus. Quatuor ista in singulis sacramentis locum habere, paucis demonstrabimus.

XXI. Circumcisio commonefaciebat fœderis à Deo initi cum Abrahamo, & semine ejus; cui se Deum fore promiserat. Gen. XVII. 7. Significabat etiam remissionem peccatorum: unde Apostolus appellat *σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως*. Rom. IV. 11. Signum item erat, quòd Christus ex ejus semine esset nasciturus, in quo *pater fieret multarum gentium*. Gen. XVII. 4, & XXII. 18. Rom. IV. 13. 16. 17, Gal. III. 29. Admonebat etiam officii, ut circumcideret quisque cor suum; juxta illud Jer. IV. 4: *Circumcidite corda vestra.*

XXII. Pascha commemoratio erat beneficii, quòd primogenitis Israëlitarum parcitum esset, ac liberati essent ex Ægypto, domo servitutis. Exod. XII. 1. 2. 3. 4. 5. 11. Ejusdem comestio denotabat participationem Christi mactandi pro peccatis ipsorum. 1 Cor. V. 7, 8. Promittebat quoque futurum sacrificium Jesu Christi. Nam per agnum paschalem *τυπικῶς* signabatur agnus Dei tollens peccata mundi. 1 Cor. V. 7. 8, & X. 3. Erat insuper sacrificium Eucharisticum pro præstita liberatione, tum corporali è captivitate Pharaonis, tum spirituali è captivitate diaboli. Exod. XII. 24. 26, & XIII. 8. 9. 10.

XXIII. Baptismus (ut Cyrillus Hierosolym. Catech. II. vocat) erat *ἀντίτυπον τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων* a. Nempe quia quemadmodum Christus sanguinis, mortis, & sepulturæ aquis pro nobis quasi immersus fuit; idem autem resurrectione suâ ex morte, & sepulturâ, emersit: itidem nos in baptismo tum immergamur, & pauxillam sub aquis moram ducamus; tum ex aquis emergamus. Unde Rom. VI. 3: *An ignoratis, quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus esse baptizatos?* Et vers. 4: *Sepulti igitur sumus, unà cum eo per baptismum in mortem.* Item Coloss. II. 12: *Consepulti cum eo per baptismum; per quem etiam cum eo resurrexistis per fidem efficaciæ Dei; qui excitavit eum à mortuis, vosque mortuos in peccatis, & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis.* Etiam, quatenus baptismus est ablutio aquæ à sordibus corporalibus, significatur eo mundatio sordium spiritualium per sanguinem Christi, & efficaciam Spiritus Sancti: unde Paulo Ananias ait Actor. XXII. 16: *Baptizare, & abluitor à peccatis tuis.* Quatenus verò in eodem est immersio in aquas, & emersio ex iis; notatur eo sepultura, ac mors peccati, & resurrectio ad novitatem vitæ: ut liquet ex Apostolo 1 ad Cor. XV. 29. Unde & dicitur *lavacrum regenerationis, & renovationis per Spiritum S.* Rom. VI. 5, & VIII. 11. Futurum verò tempus respicit baptismus, quatenus emersione ex aquis signatur resurrectio nostra ad beatam, & æternam vitam: unde etiam super sepulcris baptizari videntur in veteri Ecclesia; qui fortasse *super mortuis baptizati* dicuntur 1 Cor. XV. 29. a. Nempe quia emersione configuramur Christo resurgenti, cujus resurrectio symbolum est resurrectionis futuræ. Icirco & à Theodoreto, libro de divinorum decretorum epitome b, baptismus vocatur *ἀῤῥαβὼν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ τῆς ἐσομένης ἀναστάσεως τύπος*, *arra futurorum bonorum, & futuræ resurrectionis typus.* Quemadmodum & ibidem, ratione significationis superiùs allatæ, dicitur *κοινωνία τῶν δεσποτικῶν παθημάτων, καὶ μετουσία τῆς δεσποτικῆς ἀναστάσεως*: *communio Dominicarum passionum, & Dominicæ resurrectionis.* Intelligit enim justificationem, & sanctificationem nostri: quæ communio est, & fructus passionis, ac resurrectionis Dominicæ. Præterea in baptismo admonemur officii nostri erga Deum: quod *bonæ conscientiæ stipulatione* significatur à Petro 1. III. 21. Hinc etiam à Paulo Rom. VI. 4. dicimur *sepulti cum Christo in mortem; ut sicut excitatus est Christus à mortuis, ita & nos novâ vitâ ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis ejus: nimirum etiam resurrectione coalescemus. Illud scientes, veterem nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut enervetur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccato.* Ad officii etiam commonitionem pertinet, quòd caritatis est vinculum inter federatos. Nam ut est 1 Cor. XII. 13: *Omnes in unum corpus baptizati estis*; id est, glutino & coagulo dilectionis conjuncti.

a Exemplum perpessionibus Christi respondens.

a Pluribus de hoc Apostoli loco dicam Disputatione de Baptismo duodecimâ, aphorismo sive thesi secundâ.

b Cap. de Baptismo.

XXIV. Similiter Cœna in memoriam revocat passionem Dominicam; unde Luc. XXII. 19: *Hoc facite, in meam commemorationem*: id est, in memoriam mortis Dominicæ, prout interpretatur Paulus 1 Cor. XI, 26: *Quotiescumque manducaveritis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.* Signat spiritualem alimoniam per carnem & sanguinem Christi, & communionem cum eo in unitate spiritûs: unde 1 Cor. X. 16: *Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Christi?* hoc est, efficax instrumentum ad alendam, & augendam communionem eam, quæ in baptismo est inchoata. Et Joan. VI. 51: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Significatur etiam promissio de vita æterna. Nam ad hanc nutrimur corpore, & sanguine Christi; quorum panis, & vinum, sunt signa. Hinc Christus ibidem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Qui locus, cum priore, ab instituto nostro alienus non est. Licet enim eo capite non agatur de Sacramentali manducatione; agitur tamen de esu spirituali, qui per sacramentalem significatur. Triplicem hanc, pro triplici tempore, gratiam complectitur quoque Romanæ Ecclesiæ Canticum, istis verbis:

O sacrum convivium, In quo Christus sumitur,
Recolitur memoria Passionis ejus,
Mens impletur gratiâ, Et futuræ gloriæ
Nobis pignus datur.

Denique Cœnâ Dominicâ excitamur partim ad gratias Deo agendas pro redemtione nostri per sacrificium Christi in cruce: unde & poculum *εὐχαριστίας*, & *εὐλογίας*, vocatur: partim ad mutuam dilectionem inter eos, qui de uno pane edunt, & ex uno poculo bibunt: unde Paulus 1 Cor. X. 17: *Quoniam unus panis, unum corpus*,

pus, multi sumus. Nam omnes unius panis participes sumus.

xxv. Ex his haec clarius est, sacramenta nobis, & praeteritum beneficium, in memoriam revocare, & praesentem gratiam significare, & futuram ob oculos ponere, ac praeterea sui fideles officii admonere. Porrò autem quaeritur, utrùm signa haec significationem eam habeant, naturâ, an ex instituto: item utrùm gratiam simpliciter signent, an etiam obsignent. Utrumque ut intelligatur, consideranda est varia signorum natura.

xxvi. Sunt enim tria signaculorum genera. Quaedam tantam habent cum re significatâ similitudinem, ut naturaliter absque instituto divino, aut humano, significent: atque ita imago Caesaris, aut Philosophi alicujus, ad vivum depicti, ejus est signum; & vestigium in arenâ impressum, signum est pedis. Quaedam nullam habent similitudinem cum re signatâ; eóque significatio eorum planè ab institutione dependet: atque hac ratione verba sunt signa rerum; & campanae sonitus est signum convocandi senatus, aut alius conventus. Quaedam denique sunt intermediae naturae; quae quidem similitudinem naturâ habent cum re signatâ, sed indeterminatam, ac confusam; ita ut magis apta sint ad significandum, quàm re ipsâ significent: cujus generis sit pictura hominis simpliciter accepti, ad significandum certum hominem. Nam si Platonem, aut Demosthenem, Justinum Martyrem, aut Irenaeum, repraesentare visum sit: simplex hominis pictura idonea erit ad eos significandos; sed ad eos re ipsâ significandos, determinabitur pictura, si nomen adscribatur; aut aliquid ex antiquitate addatur *a*, unde cur hic potiùs, quàm alius, significetur, intelligi possit.

a Cujusmodi additamentorum exempla plurima apud Joannem Molanum habet Lib. de Imaginibus sanctorum.

xxvii. Sacramenta sunt signa tertii ordinis, quia etsi ablutio externa reapse minimè significaret ablutionem internam, nisi institutio divina accederet: item absque eâ institutione manducatio panis, & bibitio vini, haud designaret fruitionem corporis, & sanguinis Christi: ἀναλογίας tamen naturalem inter haec, & illa, nihilominus fore, negari non potest: imò absque eâ analogiâ sacramenta non essent id, quod sunt; quod apertè testatur Augustinus Epist. xxxiii, ad Bonifac. *Si Sacramenta*, inquit, *quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent; omnino sacramenta non essent.*

xxviii. Praeterea signorum alia sunt tantùm significativa; ut effigies hominis, hedera vini: quaedam obsignativa; ut sigillum obsignat rem diplomate contentam: quaedam exhibitiva; quomodo unctio est signum muneris Prophetici, Regii, aut Sacerdotalis; item praebitio calicis, pedi, pilei, reive similis, signum est muneris Episcopalis, aut potestatis docendi in Academiis.

xxix. Sacramenta sunt signa tertii generis, quia non tantùm signant promissionem gratiae in Christo; sed etiam rem promissam obsignant, atque exhibent. Unde Bernardus in Sermone de Coenâ Domini: *Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum: sic divisiones gratiarum diversis sunt tradita sacramentis.*

xxx. Atque inde est, quòd haec efficax gratiae collatio signo in Scripturis, & plerisque Patribus, tribuitur; sed locutione sacramentali: partim nempe per μετωνυμίαν signi, ob Symboli, & rei significatae ἀναλογίαν: partim per συνεκδοχὴν partis, quatenus signum, signatumque, conjunctim considerantur, tanquam unum aggregatum; idque ob conjunctam amborum exhibitionem, & perceptionem in usu signi legitimo. Quam conjunctionem vulgò vocant *unionem sacramentalem*; sed non usque adeò convenienter; cùm non signatum cum signo, sed nobiscum uniatur; eoque potiùs, minùs saltem ambiguè, *conjunctio pacti* debeat nominari.

xxxi. Quamquam verò sacramenta praebeant gratiam spiritualem: non tamen quicunque sacramentis utuntur, spiritualem hanc gratiam percipiunt; sed tantùm, qui habent spiritualem manum, quâ oblatam possint gratiam recipere. Est ea manus Fides: quae omnino à gratiâ ipsâ distingui debet. Fides enim tum disponit hominem ad salutem; quod rectè agnoscunt Pontificii: tum (quod malè iidem diffitentur) unicum est instrumentum in adultis, ad percipiendam gratiam salutarem. Gratia verò est id, quod fide recipitur; quam fusiùs sic describimus, ut sit gratia Dei Patris in Christo, quâ peccata credentibus remittit, & eosdem renovat Spiritu suo. Ut igitur manus, & thesaurus; ita differunt fides, & gratia Dei in Christo.

xxxii. Ex his caussa paret, cur Deus in verbo conjungat fidem, & sacramenta: iisque hunc tribuat effectum, quòd homines à peccatis abluant, eosque regenerent, ac salvent. Ita Christus Marc. xvi. 16. ait, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.* Quasi dicat Christus: Credenti, qui baptizatur in nomine meo, promitto gratiam Dei Patris, ut eam manu fidei apprehendat, & ita salvus fiat. Quod verò sequitur, *Qui non crediderit, condemnabitur*, hanc sententiam habet: Etsi in Baptismo offeram gratiam Dei Patris in me, non tamen omnes, qui exteriùs baptizantur, hanc gratiam percipient; sed tantummodo, qui spiritualem illam gratiam, quae externum baptismum in legitimo ejus usu comitatur, spirituali fidei manu attingere, ac prehendere possint. Iidem cùm Paulus 1 Cor. x. 17. dicit, panis usum esse communionem corporis Christi, mens Apostoli est, hominem fidelem, cùm ore corporali apprehendit, atque edit panem terrestrem, qui in substantiam ejus convertitur, ac corpori ejus unitur: eundem manu, atque ore spirituali, hoc est, fide apprehendere, atque edere, panem coelestem, Jesum Christum; hoc est, virtute corporis, ac sanguinis Dominici, sive merito passionis Christi, percipere gratiam Dei Patris in Christo, qua nos inserit, atque unit filio suo Jesu Christo, ut nos simus, maneamusque in illo, & ille in nobis: quò pertinet illud Christi Joan. vi. 51. *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et hoc Cypriani, sive alius antiqui, ac probi scriptoris, Serm. de Coena: *Dixerat sane hujus traditionis magister, quòd nisi manducaremus ejus carnem, & biberemus ejus sanguinem, non haberemus vitam in nobis; spirituali nos instruens documento, & aperiens ad rem adeo abditam intellectum; ut sciremus, quod mansio nostra in ipso sit manducatio, & potus quasi quaedam incorporatio, subjectis obsequiis, voluntatibus junctis, effectibus unitis.*

xxxiii. Ex hocce fidei, & sacramentorum, ad unum ἀποτέλεσμα concursu, satis paret, cur unum idemque effectum in Scripturis nunc fidei tribuatur, nunc sacramentis. Nam in Act. xv. 9. legimus; *Fide purificans corda eorum:* sic Eph. v. 26. dicitur; *Mundans eam lavacro aqua in verbo vitae.* Et ut ad Rom. iii. 28. scriptum; *Arbitramur hominem justificari per fidem:* & Luc. vii. 50; *Fides tua te salvam fecit:* sic ad Tit. iii. 5. legitur; *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et 1 Pet. iii. 21; *Vos salvos fecit baptisma.* Et (si antiquos audimus) Joan. iii. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest ingredi in regnum coelorum.* Ubi licet magis probemus eorum interpretationem, qui, ut alibi per spiritum, & ignem, spiritualem ignem; ita hic per aquam, & spiritum, spiritualem aquam intelligunt: tamen nec caussam satis gravem videmus, cur damnatum eamus expositionem veterum, qui *aqua* vocem propriè intelligunt: quam & recentiorum multi sequuntur, & hos inter maximus Bucerus.

xxxiv. Quòd multi eam tantopere aversantur, hoc inde est, quòd putent, si propriè *aqua* vocem sumamus, gratiam coelestem alligatum iri aquae externae. Sed non magis id ex illâ antiquorum interpretatione concludi debet; quàm cùm Christus, non contentus dixisse, *qui crediderit salvus erit*; addit, *& baptizatus fuerit*: aut ex iis locis, quibus baptismo dicimur regenerari, ablui à peccatis, salvari. Nempe non aliud hinc consequitur, quàm

Deum

Deum nos sacramentis alligare, ubi adsunt: at, cùm haberi non possint, statuendum abesse etiam utendi necessitatem: teste quoque Augustino contra Donatistas
a Aphorismo 49. lib. IV. cap. XXII. Verba ejus inferiùs *a* adducemus.

XXXV. Neque est, quòd concludat quisquam, veteres omnes ulteriùs multò progressos esse; quando apud eos legimus passim, per baptismum nobis offerri, & conferri, gratiam regenerationis, & ablutionis peccatorum. Nam similiter ab Apostolo Eph. v. 26, dicitur Christus *Ecclesiam sanctificâsse purgatione ei collatâ lavacro aquæ in verbo.* καθαρίσας τῷ λουτρῷ ὕδατος ἐν ῥήματι. Ubi τῷ λουτρῷ ὕδατος, manifestè indicat caussam purgationis instrumentalem. Itidem ad Tit. cap. III. 5. ait Apostolus, *nos salvari per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* διὰ λουτροῦ, inquit; quod satis indicat Spiritum sanctum per baptisma efficere regenerationem, & renovationem. Præterea cur minùs per baptismum dicemus nos mundari, ac regenerari; quàm id dicitur de Verbo? unde Paulus I Cor. IV. 15: *Ego vos regenui per Euangelium.* Et Petr. I. I. 23: *Renati non ex semine mortali; sed ex immortali, per sermonem Dei vivi, & manentis in æternum.* Imò de impositione quoque manuum legimus Act. VIII. 18: *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus.* Et 2 Timoth. I. 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

XXXVI. Dicat fortasse aliquis, horum esse disparem rationem, quia per verbi prædicationem ex non credentibus fiamus credentes: perque impositionem manuum Spiritum sanctum sint consecuti, qui priùs eum non habebant. Sed remissionem peccatorum, & renovationem, ac regenerationem ab omnibus credentibus jam ante baptismum haberi; eoque dici non posse, nos hæc consequi per baptismum.

XXXVII. Huic argumento non uno ab omnibus modo occurri solet. Nam ut extra controversiam poni debet, sacramentis offerri, & conferri gratiam justificantem, & sanctificantem: ita illud in controversiâ manet, num omnis ea gratia, an solùm gratiæ ejus incrementum, per sacramenta nobis applicetur. Quibus prior placet opinio, dicere solent, eum qui fidem habet prædicationi Euangelicæ, potentia quidem proximâ salutem habere; quia & dispositus est ad salutem consequendam, & instrumento instructus, quo gratiam salutarem attingere, & consequi possit: interea tamen, quatenus tantùm Euangelio fidem habet, gratiam ipsam Euangelio prædicatam reverà nondum habere; sed ad salutarem illam gratiam reipsâ consequendam insuper opus esse, ut gratiam salutarem, sive remissionem peccatorum, & renovationem sui, quæ *regenerationis* nomine continentur, à Deo ex vero indigentiæ sensu suppliciter poscat, ac utatur sacramentis, per quæ à Deo expetitam regenerationis gratiam consequatur. Aiunt, ita temporibus hæc dividere ipsam Scripturam. Nam quemadmodum ex eo, quod Joan. v. 24. dicitur; *Qui audit Verbum, & credit, habet vitam æternam*, rectè colligitur hic ordo; ut prima sit prædicatio Euangelii, hinc fides: quemadmodum item ex eo, quòd est Marci ult. v. 16; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, consequitur, priorem esse fidem, posteriorem baptismum: itidem ex isto Act. XXII. 16; *Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*; concludi posse arbitrantur, priorem esse invocationem nominis divini, ac baptismum; posteriorem verò ablutionem à peccatis, sive regenerationem. Sed & ordinem hunc confirmatum aliquis eat praxi Ecclesiæ primitivæ; quam nos docet B. Justinus Martyr, tantæ antiquitatis scriptor, ut videre potuerit Ioannem Euangelistam; saltem claruerit anno quadragesimo ab ejus excessu. Is praxin Ecclesiæ, quam dixi,
b Pag. 73. edit. Commelin. his narrat verbis in Apologia ad Antoninum Cæsarem *b*: Ὅσοι ἂν πεισθῶσι, καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα, καὶ λεγόμενα, εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων, καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. Ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστί, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. *Quicunque persuasi fuerint, &* CREDIDERINT, *vera esse, quæ à nobis* TRADUNTUR, *& dicuntur, ac vivere se ita posse receperint;* ORARE *jejunantes, & petere à Deo priorum* PECCATORUM REMISSIONEM *jubentur, nobis cum iis unà & orantibus, & jejunantibus.* DEINDE *adducuntur à nobis, ubi* AQUA *est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus,* REGENERANTUR.

XXXVIII. Quamquam verò hæc verisimilem facere possint eorum opinionem, qui censent, Verbi quidem esse fidem in nobis gignere: at sacramentis omnem conferri gratiam, quæ fide accipi debet: nos tamen posteriorem potiùs sententiam probamus, ut Spiritus per Verbum non solum fidem gignere, sed & fidei dicatur offerre, & conferre gratiam spiritualem, sive gratiam regenerationis. Neque obstant, quæ ad confirmationem prioris sententiæ ex Scripturis, ac Irenæo, adducebamus. Nam quemadmodum Irenæus, atque adeò Paulus quoque, & ipse Christus, baptismo tribuunt regenerationem: itidem eam ipsam prædicationi Euangelicæ adsignat Paulus I Cor. IV. 15. *Ego*, inquit, *vos regenui per Euangelium.* Et Pet. I. epist. cap. I. 23: *Renati non ex semine mortali; sed ex immortali, per Sermonem Dei vivi, & manentis in æternum.*

XXXIX. Nempe Verbum, & Sacramenta, eo conveniunt; quòd ambo gratiam regenerationis offerant, & exhibeant: sed quòd nonnunquam id sacramentis peculiariter adscribi videtur, id inde est, quòd fides in sacramentis hanc gratiam videat clariùs, apprehendat firmiùs, teneat certiùs. Sanè quomodo Apostolus *a* ait, a Ad Rom. I. 16.
Euangelium esse credenti potentiam ad salutem; nisi, per Euangelii prædicationem, credenti offeratur Christus cum omnibus suis beneficiis, ut ea homo fide sibi applicans salvetur? Quomodo item Augustinus *b* dicere b Tom. 6. contra Faustum. lib. 19 cap. 16: & tom. 9 in Euangelium Ioannis tractatu 80.
potuit, Sacramentum esse verbum visibile; nisi & Verbum, & Sacramenta, gratiam spiritualem repræsentent, atque offerant; sed Sacramenta sub signo visibili, Verbum invisibiliter? Quid denique manifestius, quàm quemadmodum sacramenta (quæ duabus constant partibus, materiali, sive elemento, & formali, sive τοῦ σημαντικοῦ) licet non conferant gratiam materiali, quatenus sunt egena corpora; id tamen efficiunt formali, seu significatione, per quam in intellectu hominis fidelis Christum cum beneficiis suis, quasi præsentem, sistunt, atque exhibent: sic Verbum quoque (quod & ipsum constat materiali, sive sono aures feriente, & formali, sive τοῦ σημαντικοῦ) licet non offerat, aut conferat, gratiam materiali; formali tamen, sive quatenus significat, in intellectum agere; nec fidem solùm generare, augereque; sed & ei, qui jam generatim credit, gratiam Dei in Christo tum foris promittere, tum intus repræsentare, tum fidem ad præsentem gratiam sibi applicandam excitare?

XL. Quærat aliquis, si Verbum quoque gratiam offerat spiritualem, quid opus fuerit Sacramentis? Ad hoc dicendum, obscuriùs, & minùs efficaciter, id præstare Verbum. Neque tamen putandum, id fieri defectu Verbi; sed imbecillitate nostrâ. Quamdiu enim in hâc vitâ sumus, egemus sensuum adminiculo; ac quo quid meliùs sensui exhibetur, eo perfectiùs ab intellectu recipitur. Unde scitè dicit Chrysostomus homiliis in Matthæum, & aliis in locis: *Si incorporeus esses; nuda, & incorporea, Deus tibi dedisset dona. Sed quoniam anima corpori inserta est; in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.*

XLI. Quare graviter peccant, qui eò quòd doceant Ecclesiæ nostræ, Verbum quoque spiritualem gratiam offerre, & conferre; iccirco Verbi prædicatione contenti, si non utriusque, saltem alterutrius sacramenti aspernantur usum. Nam etsi Verbum sistat nobis

bis totum Christum: tamen invisibiliter id facit; eoque, cùm nos corporei simus, corporeis quoque indigemus adminiculis: ut quod verbum facit obscuriùs, & languidiùs, horum munere fiat manifestiùs, & efficaciùs.

XLII. Contra hæc objicitur à quibusdam, quòd Abraham justitiam fidei habuerit ante circumcisionem, Rom. IV. 10. quòd item Cornelius gratiam sanctificationis habuerit ante baptismum, Act. X. 2. Verùm neque nos negamus, gratiam justificationis, aut sanctificationis, ab adultis ante sacramenti usum fide apprehendi: sed dicimus, ordinariè ante usum sacramentorum tenuem tantùm gratiæ gustum haberi: extraordinariè autem posse etiam tum auctiorem esse, manifestiusque sentiri; quod in Abrahamo, & Cornelio, factum, non negamus; verùm eatenus exempla hæc judicamus esse extraordinaria; cujusmodi nobis regulam præscribere non possunt.

XLIII. Adde, quòd non tantùm sacramentis utendum est propter finem; hoc est, ad recipiendam gratiam, cujus caussâ sunt instituta: sed etiam propter caussam efficientem; hoc est, propter mandatum Christi: qui & ipse baptizari se voluit, nequis sub ullius sanctimoniæ, quam ante baptismum haberet, prætextu, baptismum aversetur.

XLIV. Denique ipsum Abrahami, & Cornelii, exemplum, iis repugnat. Nam quamquam hi jam gratiam justitiæ, ac sanctificationis, haberent; nihilominus & ille circumcisus, & hic baptizatus est. Neque circumcisio, aut baptismus, in his fuerunt otiosa. Justificatio enim, & sanctificatio, sunt actus quidam perpetuus; in quo & Deus semper donat, & homo semper accipit. Totâ itaque vitâ homo fidelis poscit remissionem peccatorum, & renovationem sui: totâ item vitâ utrumque impetrat. Habet antè, sed consequitur tum conservationem, tum incrementum ejus, quod habet. Omnibus credentibus opus, ut tum fides, tum gratia fide percepta, foveatur, alatur, augeatur. Omnibus igitur credentibus & Verbi, & Sacramentorum adminiculo, opus est: quæ qui aspernantur, ne fidem quidem, ac gratiam, quam fide percipimus, habere sunt judicandi. Siquidem ut homo sanus, si vitæ hujus pertæsus non sit, minimè abstinebit cibo, ac potu, quibus corpora nostra nutriuntur: ita neque quisquam veram fidem, verumque vitæ æternæ desiderium habens, repudiabit aut Verbi prædicationem, aut Sacramentorum usum; quibus fidem in nobis foveri, & ali, gratiam item fide receptam conservari, & augeri, constat.

XLV. Neque hæc doctrina detrahit quicquam aut Deo, aut fidei. Non Deo: quia fatemur Deum esse caussam principalem; qui solus per Verbum fidem in nobis gignat, & in Verbo, ac Sacramentis, nobis offerat gratiam suam in Christo; nempe remissionem peccatorum, & efficaciam S. Sancti. Neque fidei derogat: quia agnoscimus, illam esse unicum illud instrumentum, quo apprehendamus gratiam salutarem in Verbo, & Sacramentis, nobis oblatam. Tantùm dicimus, quemadmodum fides est quasi manus nostra, quâ nos quærimus, & accipimus: sic Verbum, & Sacramenta, esse quasi manus Dei; quibus is nobis offert, & confert, quod fide à nobis petitur, & accipitur.

XLVI. Sed neque sic aut Sacramentis, aut etiam Verbo, adimitur quicquam, quod tribui iis conveniat. Nam & Sacramenta Verbo præferimus, quatenus oportet: & Sacramentis Verbum, quatenus Scripturæ, ac Ratio, jubent. Sacramenta duplici nomine Verbo præferimus. Uno, quòd in infantibus, ubi Verbi nulla est efficacia, sacramentis sit locus ad generandam in iis fidem, sine quâ nemo videbit vitam æternam.

XLVII. Per fidem autem in infantibus intelligimus principium, sive semen fidei; non habitum fidei, aut actualem fidem: quæ infantes habere non possunt, quia gratia præsupponit naturam: in infantibus autem nondum ea est naturæ perfectio, ut in iis ratio se exserere possit; nedum habitus supernaturalis, actusve ex eo ortus, esse possit. Quare illud tantùm dicimus, Spiritum Sanctum in baptismo non esse in infantibus otiosum; sed eos jungere capiti suo Christo: ex qua unione mysticâ suo tempore prodire possit habitus fidei; uti ex fidei habitu oritur operatio, seu actualis Christi, & beneficiorum ejus apprehensio, & applicatio. Nempe quemadmodum in naturalibus, ita in supernaturalibus quoque, tria hæc distinguere oportet; potentiam, habitum, actum. Potentia ratiocinandi, aut sermocinandi, est etiam in infantibus. Habitus est in adultis, licet dormientibus. Actus in vigilantibus, & ex habitu operantibus. Potentia respondet semini, habitus arbori, actus fructui. Semen fidei etiam in infantibus esse potest. Habitus non est, nisi adultorum. Actus non est, nisi eorum, qui operantur ex habitu.

XLVIII. Præterea eo nomine plus in adultis possunt Sacramenta, quàm Verbum; quòd Verbum (ut suprà quoque dicebamus) quia invisibile est, nobis, qui corporei sumus, eoque corporeis adminiculis egemus, obscuriùs, & languidiùs, gratiam cœlestem repræsentet: at in sacramentis, quia visu, gustu, tactuque percipiuntur, plurium sensuum beneficio res intellectui significetur clariùs; fides ad apprehendendum excitetur efficaciùs; & à fide apprehendatur firmiùs, & cumulatiùs.

XLIX. Quemadmodum autem sacramenta duplici nomine præstant Verbo; itidem Verbum duobus nominibus præferendum est Sacramentis. Uno, quòd Verbum in adultis, & generet fidem, & genitam foveat, atque alat: Sacramenta verò eam non gignant, sed tantùm genitam conservent, atque augeant. Altero, quòd absque Verbo non salvemur, quia qui non credit, jam est condemnatus *a*: fides autem est ex auditu *b*. At Sa- a *Ioan.* 3.
cramenta sint instrumenta gratiæ utilia, non ἁπλῶς ne- 18
cessaria: quando non minùs sine sacramentis salvatus est b *Rom.*
latro, quàm cum sacramentis damnatus est Judas. Ex 10. 17.
Scripturis *c* etiam scimus, neminem quadraginta illis an- c *Iosu* 5.
nis, quibus in deserto fuerunt Israelitæ, fuisse circumci- 5.
sum: nempe ob continuas peregrinationis jactationes. At plurimi interea fuerunt nati, & ante exactum id tempus denati. Quotquot autem ex incircumcisis fide venturum Messiam amplectebantur, absque dubio per eundem fuerunt salvati. Notum quoque illud Augustini, & Bernardi: Non privationem sacramenti damnare, sed contemtum. Nempe ad sacramenti contemtores pertinet illud Augustini contra Faustum lib. XIX. c. XI: *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contemta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Sed vicissim eos, qui nullâ culpâ suâ sacramento privantur, consolari debet latronis exemplum: de quo sic idem Augustinus contra Donat. lib. IV. cap. XXII: *Latroni voluntas non abfuit; sed tantùm non accipiendi necessitas adfuit.*

L. Ex his igitur colligimus, tum Scripturarum, tum antiquitatis id judicium esse, eum, qui sacramenta contemnat, gratiam simul, quam ea in signo offerunt, ipsumque gratiæ largitorem Deum, contemnere: at qui non contemnat, licet sacramento orbetur, nihilominus salvari; quia ubi sacramenta haberi non possunt, vel non requirat Deus, quod per ea efficere solet; vel ipse suppleat, atque operetur per Verbum, quod ordinariè efficere solet per Sacramentum.

LI. Postquam de utilitate, & efficaciâ sacramentorum diximus, superest, ut agamus de modo, quo Deus per Sacramenta est efficax. Multi censent, sacramentalibus signis à Deo instillari, ac infundi spiritualem gratiam, quam postea in hominem transfundant: alii contrà talis quidem qualitatis infusionem inficiantur; sed tamen censent, sacramenta per se, & vi actionis suæ, gratiam spiritualem conferre; sive id fiat per signi motionem solam, & ad subjectum applicationem; sive per aliquem alium modum nobis incognitum.

LII. Ne-

LII. Nostra verò sententia istiusmodi est. Duplicem in sacramentis virtutem distinctè consideramus: unam internam, alteram adsistentem. Virtus interna est sacramenti per se: in quo duo spectamus. Materiale, sive elementum visibile; & formale, sive τὸ σημαντικὸν, quod habet ab instituto divino. Nam etsi similitudo inter elementum, & rem cœlestem, est à naturâ: destinatio tamen elementi in signum rei cœlestis est supernaturalis. Quemadmodum autem Verbum non imbuit animum cognitione, neque voluntatem ad agendum excitat ratione materialis, hoc est, ratione soni, aures ferientis; sed ratione formalis, hoc est, ratione sententiæ, ad quam significandam verba sunt instituta: itidem sacramenta ratione materialis nullam habent vim; sed tantùm ratione formalis, sive ejus, quod significant: ejusque solius munere agunt in intellectum; qui considerata analogiâ inter elementa, & res cœlestes, pleniùs, planiusque cœlestis gratiæ naturam assequitur, & intelligit: nec meliùs tantùm intelligit, sed etiam, intellectu per meditationem rerum cœlestium elevato, ad apprehendendam gratiam cœlestem magis disponitur, & excitatur.

LIII. Sed ut apprehendat gratiam, si non offeratur? Opus igitur est virtute Spiritus Sancti adsistente: quod & Verbi similitudine magis perspicuum fit. Nam Verbum ratione τοῦ σημαντικοῦ, si absque Spiritus Sancti operatione consideretur, ultra haut potest, quàm ut animum cognitione imbuat: non item ut assensum impetret, nisi humanum: quomodo capita fidei de partu Virginis, resurrectione carnis, & similibus, utcunque intelligi ab homine gentili possint; credi, nisi Spiritus Sancti vi, non possunt: vel si gentilis, à doctore suo persuasus, fidem quoque capiti alicui religionis habeat, humana hæc erit fides; quia credet ob autoritatem hominis dicentis; non quia in Verbo dicat Spiritus Sanctus. Similiter in Sacramentis, homo Spiritûs expers, utut significationem signorum audiat, & verba intelligat; non tamen veritatem mysterii credet; aut si aliquid ejus credat, saltem haut salutariter credet.

LIV. Quare tum in Verbo, tum in Sacramentis, necesse fuit, ut Spiritus Sanctus sese τῷ σημαντικῷ jungeret; atque, eo intellectui spirituale signatum significante, ipse signatum in legitimo signi usu intus offerret, & conferret. Eaque vel potissima ratio est, cur homo non possit instituere Sacramenta. Nam quemadmodum homo nequidem, si posset instituere sacramenta, id facere deberet; quia Deus damnat omnem ἐθελοθρησκείαν: ita neque si velit, possit; quia in sacramentis ea conjunctio est signi, & signati, ut in legitimo signi usu, ex promissionis divinæ virtute, simul donetur signatum. At ejus est promittere, qui & potest donare.

LV. Hæc sententia nostra subnixa est locis Scripturæ, Patrum testimoniis, & rationibus: quo triplici agmine erroneam opinionem deinceps impugnabimus; idque tum negativè, ostendendo, gratiam spiritualem non esse à virtute signi: tum affirmativè, probando, eam esse à Spiritu Sancto, virtutem efficiendi hanc gratiam uni sibi reservante.

LVI. Ac primò quidem id evincitur ex prædicatione Evangelii. Nam Apostolus 1 Cor. III. 6. ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit.* Ubi clarè distinguitur externum ministerium ab operatione Spiritûs. Similiter igitur non externo baptismo adscribi debet, quod est Spiritûs Sancti; sed dicendum, gratiam cœlestem esse à Spiritu Sancto, sese signo jungente, &, quod signum non potest, per se operante.

LVII. Illustria quoque sunt verba illa 1 Petr. III. 21. *Baptismus nos salvat, non quo carnis sordes abluuntur; sed quo fit, ut bona conscientia Deum interroget.* Ubi clarè negat, baptismum per se consideratum, hoc est, externam aquæ ablutionem, nos salvare: sed dicit, id præstare baptismum internum; hoc est, non eum, quem minister, sed quem Spiritus Sanctus confert.

LVIII. Eadem Patrum mens fuit. Hieronymi est cap. IV in Jes. *Homo aquam præbet, Deus autem Spiritum Sanctum.* Augustini est lib. III. in Levit. quæst. LXXXIV: *Dominus dicit; Ego sanctifico Aaronem: & Mosi dicit; Sanctificabis eum. Quomodo ergo & Moyses sanctificat, & Dominus? Non enim Moyses pro Domino; sed Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum: Dominus autem invisibili gratiâ per Spiritum Sanctum; ubi est totus fructus, & omnis utilitas, etiam visibilium Sacramentorum.* Idem Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. XXVI, docet, solùm Deum posse dare Spiritum Sanctum; & ideo Apostolos non dedisse Spiritum S. quibus manum imponebant, sed orâsse, ut descenderet.

LIX. Ex his, & similibus locis, colligere est, cùm Patres plerique sacramento tribuere videntur effectum spiritualis gratiæ; non intelligendum id esse de virtute sacramenti internâ, nisi dispositivè; at de virtute sacramenti adsistente effectivè: hoc est, signum quidem, ratione significationis, quam habet, fidem ad considerationem gratiæ cœlestis excitare; sed Spiritum Sanctum gratiam cœlestem offerre, & conferre.

LX. Potest denique rationibus hæc sententia probari, ac contraria refelli. Si enim sacramenta vi actionis suæ operantur gratiam cœlestem: aut id fit virtute, quam sacramenta habent naturâ; aut virtute superadditâ naturæ. Prius esse non potest: quia sic cuivis aquæ, pani, vino, inesset vis justificandi, ac sanctificandi. Nec enim percipi potest, quomodo aliquid planè maneat, ut erat priùs; & tamen possit plus, quàm poterat priùs. Quod si virtute divinâ ita elevetur signum, ut posse incipiat operari gratiam spiritualem, quam virtutem non habebat priùs: aut ea nova virtus erit qualitas quædam, divinitus signo communicata, infusaque: aut orietur effectus non à virtute, corpori inhærente; sed à motione ipsa signi: ut nempe, quod in securi est acies ad secandum, id in Sacramentis sit sola Dei motio ad justificandum, & sanctificandum. Si prius, hoc est, si est à virtute supernaturaliter signo instillatâ; aut ea virtus erit corporalis, aut spiritualis. Si corporalis; vis quoque erit corporalis, neque nisi in corpus agere poterit: cùm nihil agere possit ultra vires suas, sive quas naturâ habet, sive quas supernaturaliter accepit. Sin vis est spiritualis; jam non erit in subjecto corporali, & extenso; quia omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur. Superest igitur, ut sit ab ipsâ motione signi. Sed huic modo obstat, quòd neque è natura, neque è Scriptura, exemplum adferri potest effectûs ullius à vi creaturæ orti, nisi per potentiam creaturæ illi naturâ insitam, aut divinitus infusam. Si qui effectus neutro modo à creatura sint; ii neque à creatura esse dicendi: sed à creatore ipso ad preces suorum, sive aliter, talia operante. Quamobrem commentum hoc de effectu, ab actionis vi orto, nec tamen à vi internâ ejus, cujus actio est, profecto, merum κενοφώνημα est: eâdemque facilitate, quâ citra probationem ullam *a* affertur, etiam rejici debet.

a Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 11.

LXI. Præterea justificatio est opus nobilius, quàm creatio mundi; ut præter alios scribit Augustinus tract. LXXII in Joannem. Et ratio idem evincit; quia res supernaturalis majoris est potentiæ, ac gratiæ, quàm naturalis. At nulli hunc honorem tribuit Deus, ut eo ad creandum, vel mundum, vel corpus aliquod in mundo, uti velit. Ergo multò minùs hunc honorem alteri dabit, ut vi actionis suæ justificet, gratiamque conferat spiritualem.

LXII. Quare ut tandem finem faciamus, omnino errant graviter, qui *b* volunt, Fidem, Verbum, Sacramenta, ad salutem quidem concurrere; sed Fidem tantùm, quatenus ad salutem disponit; Verbum tantùm, ratione ejus, quòd salutarem gratiam offerat; Sacramenta, quia eandem conferunt vi actionis suæ. Nam, ut ex iis,

b Bellarm. lib. 2. de effect. sacram. cap. 11.

quæ hactenus disputavimus, paret, fides non tantùm ad gratiam disponit, sed insuper unicum est instrumentum ad apprehendendam gratiam salutarem : nec Verbum tantum offert, sed etiam confert ; etsi minùs clarè, & sensibus accommodatè : & Sacramenta quidem gratiam conferunt ; sed (ut ex Scholasticis etiam sensit Paludanus) virtute quidem signi dispositivè : at immediatà Spiritus S. virtute effectivè.

LXIII. Patet similiter ex iis, quæ diximus, plurimùm debito sacramentorum honori detrahi ab iis, qui volunt, sacramenta tantùm esse symbola testantia gratum animum nostrum erga Deum, & Servatorem nostrum : vel solùm esse notas professionis, quibus nempe Ecclesia ab externis discernatur : aut nonnisi testificationem esse, &, ut Tertullianus *a* loquitur, contesserationem mutuæ dilectionis in membris Ecclesiæ inter se : aut solùm admonitionem de mortificatione veteris hominis, vivificatione novi hominis, & spirituali alimoniâ : aut signa tantùm esse justificationis & sanctificationis, quatenus jam antea fuerunt percepta : sed, si Sacramentis, quem Scriptura, Antiquitas, & Ratio, jubent, honorem tributum ire volumus, universa hæc conjungi debere : ac ne sic quidem principalem sacramentorum finem, ac vim, satis expressum iri, nisi illud quoque addatur; Sacramenta esse symbola gratiæ spiritualis præsentis, hoc est, quæ in actione sacramentali percipiatur, virtute quidem signi (uti dicebamus) dispositivè, quatenus symbola visibilia fidem sensibili cœlestium repræsentatione tum alunt, & fovent, tum excitant ad apprehendendam gratiam spiritualem : virtute autem Spiritus Sancti effectivè, quatenus is gratiam, quam signum tribuere non potest, per se homini fideli offert, & efficaciter confert.

a Lib. adversus hæreticos cap. 20.

LXIV. Denique ex his etiam colligimus, Sacramenta posse considerari trifariam : ac, pro eo, etiam triplicem esse de iis loquendi formam. Primùm enim consideramus signa κτ̃ φύσιν : quomodo Baptismatis aquam dicimus, & in Eucharistia panem, ac vinum. Deinde attendimus ea oppositè, sive relatè, ratione ejus, quod significant : quomodo aqua est symbolum sanguinis Christi : panis, & vinum, sunt typi, sive figura, & imago corporis ac sanguinis Christi. Adhæc in considerationem veniunt secundùm conjunctionem pacti : quatenus, voluntate, ac promissione divinâ, in legitimo sacramentorum usu, concurrunt ablutio aquæ, & ablutio peccatorum per sanguinem Christi ; esus panis, cum potu vini ; & esus corporis Christi, cum potu sanguinis ejus. Propriè igitur loquendo, id quod in baptismate cernimus, est aqua : quod in Eucharistia, panis, & vinum. Sin secundo, tertioque modo, consideremus, locutione in sacramentis usitatâ aqua est sanguis Christi : panis, & vinum, sunt corpus Christi, & sanguis ejus. Sed hoc est discriminis, quòd secundo modo sic loquamur per *μετωνυμίαν* signi : tertio autem per *συνεκδοχὴν* partis, quia pro toto, quod constat signo, & re sacramenti, ponimus partem nobiliorem. Atque hæc generatim de vi, & efficacià sacramentorum præmisi ; ut lucem iis fœnerarem, quæ particulatim deinceps de Baptismo dicentur.

F I N I S.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

BAPTISMO

DISPUTATIO PRIMA:

Quæ est de vocabulo *Baptismi*, deque elemento aquæ, & ablutione nudorum, & succedaneâ adspersione.

CUm duo sint sacramenta novi fœderis; Baptismus, & Sacra Cœna : ordiendum à priori : quia ut prius est nasci, quàm pasci; gigni, quàm augeri : ita sacramentum, quod nos Ecclesiæ inserit, prius est illo, quod in eàdem nos conservat, & confirmat. Incipiam autem à voce; deinde de re dicam.

THESIS I.

BAPTISMI vox multifariam dicitur in Scripturis. Nunc de eo sermo erit nobis, quatenus est Sacramentum à Christo institutum, ut per illud Ecclesiæ inseramur, cum hac promissione, quod non minùs certò, quam aquâ extrinsecus lavamur, etiam intrinsecus à peccatis abluimur per sanguinem, & spiritum Christi.

Nihil pervulgatius est, quàm baptismum trifariam dici : intelligi enim vel baptismum *fluminis*, sive aquæ (βάπτισμα ἐν ὕδατι vocat Nazianzenus) ut cùm jubentur *a* Apostoli, *docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti* : vel baptismum *Flaminis*, seu Spiritûs Sancti : ut in verbis Ioannis Baptistæ *b*, *Ego baptizo vos aquâ : ille autem vos baptizabit in Spiritu, & igne* : vel signari baptismum *sanguinis*, seu martyrii, (βάπτισμα μαρτυρίου, καὶ αἵματος, nominat Nazianzenus *c*) de quo loquitur Christus, cùm dicit *d* : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Similiterque accipitur Luc. XII. 50. Ac baptismi etiam, seu lavacri nomine, appellant Tertullianus *e*, Cyprianus *f*, alii.

Sed, ut de ambiguitate vocabuli consentiunt omnes : ita super eo aliquis est dissensus, quid propriè notet, & quæ similitudinis ratio sit, ob quam ad alia transferatur. Id igitur paucis explicabimus.

a Matth. 28. 19.
b Matth. 3. 11.
c Orat. 39. in sancta lumina, pag. 634 edit. Morell.
d Matth. 20. 22. & Marc. 10. 38.
e Lib. de baptismo cap. 16.
f Epist. 73. ad Iubajanum, & lib. de Exhortatione ad Martyrium.

Κυρίως βαπτίζειν notat *mergere*; quomodo explicatur in Glossis vett. in operum quorundam Cyrilli calce inventis, atque ab Henrico Stephano primùm, deinde B. Vul-
a Col.408. canio, editis *a*. Ubi & βάπτω, *tingo*; βαπτὸς, *tinctus*, exponitur. Itaque plus omnino est, quàm ἐπιπολάζειν, quod est *leviter innatare*: minùs autem, quàm δύειν, quod est *pessum ire*, sive, ad sui exitium fundum petere. Sed quia ferè aliquid mergi, ac tingi, solet, ut lavetur, atque abluatur: hinc factum est, ut quemadmodum apud He-
b Sive 4 Reg. 5.14 c ibid. bræos טבל, quod LXX vertunt *b* βαπτίζω, etiam accipitur pro רחץ, quod est lavare: similiter apud Græcos *c* τὸ βαπτίζειν pro eodem usurpetur κατὰ μετάληψιν. ut Judith. XII. 7, Sirac. XXXIV. 30, Luc. XI. 38. Nec aliter intelligere oportet baptismata calicum, urceorum, æramentorum, & lectorum, Marc. VII. 4.

Ab hisce autem duabus significationibus duæ aliæ promanârunt, ob similitudinem quandam. A priori enim usu, quo *mergere* significat, profluxit is, quo pro *affligere* usurpatur. Cujus ratio est, quod, qui affliguntur, calamitatum gurgite quasi mergantur, & absorbeantur. Unde David Ps. LXIX. 1. dicit, *aquas intrare usque ad ani-*
d Vers 15. 16. *mam*; posteaque orat *d*, *ut eripiatur è profundis aquarum, ne mundet earum decursus, & absorbeat profundum.* Vide & Ps. XVIII. 17, & XXXII. 6. Hanc veram esse translationis caussam putamus: etsi aliis sic dici placet, quia uti in baptismo aquâ, ita in martyrio sanguine perfundimur:
e T. I. pag. 533. edit. Morell. unde Basilius homil. de XL martyribus *e*. Ἐβαπτίσθη εἰς Χριστὸν οὐχ' ὑπ' ἄλλου, ἀλλ' ὑπὸ τῆς οἰκείας πίστεως, οὐκ ἐν ὕδατι, ἀλλ' ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι. Vide imprimis, quam fusè inter aquæ, & sanguinis baptismum comparationem instituit Gennadius Massiliensis lib. de dogm. Eccles. cap. LXXIV. Imò, si Prosperum audimus epigr. LXXXVIII, eo etiam conveniunt, quòd utrumque baptisma parit remissionem peccatorum: quam sententiam tuentur Bellarminus lib. I de Baptis. cap. VI, Costerus in Enchir. & alii Romanæ Ecclesiæ doctores.

Ab altera autem significatione, quâ *abluere* significat, transfertur ad donationem Spiritûs Sancti. Nempe quoniam hic, ut animam imbuat, & abluat, aquæ instar in eam effunditur: prout loquitur Scriptura Joelis II, 28; & exinde Petrus Act. II, 17. item Paulus Tit. III. 6: *Servavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti, quem effudit in nos copiosè.*

Præter verò triplicem hunc baptismum, etiam apud antiquos legas baptismum pœnitentiæ; quia, lacrymis perfusi, remissionem peccatorum postulamus, & consequimur. Unde & διὰ δακρύων, vel τὸ τῶν δακρύων βάπτισμα, appellatur à Nazianzeno orat. XXXIX, sive in sacra
f Tom. I. p. 634 edit. Morell g Tom. 2. p. 296. edit. Commel. h Luc. 7. lumina *f*, & scriptore quæst. ad Antiochum tributarum Athanasio, resp. ad quæst. LXXII *g*. Ad eundemque allusit Sedulius lib. III, cùm de peccatrice *h*, rigante pedes Christi, ita canit:

—— Purgata recessit
Per gemitum; propriisque lavans in gurgite fletûs
Munda suis lachrymis redit, & detersa capillis.

Imò scriptor vetus, sed itidem falsò creditus Athanasius, in dictis, & interpretationibus parabolarum Euangelii, cùm respondisset ad quæstionem CIII, quid sit, *Et omnes in Mosen baptizati sunt*; octo recenset baptismatum genera: quæ ipsa eodem ordine commemorat Damascenus lib. IV Orthodoxæ fidei cap. X. *Primum* est *universalis diluvii*, delentis peccatores: quod baptismi esse antitypon, Petrus ait 1. epist. III. 21: *Baptismum mundi* vocat Tertullianus lib. de baptismo. *Alterum* est baptisma *per mare, & nubem*; de quo Apostolus I Cor. X. 2: *Omnes baptizati sunt nube, & mari.* Ac mare quidem, per quod Israelitæ transierunt, aquæ baptismatis; columna nubis, quæ noctu prælucebat, Spiritus Sancti fuit ἀντίτυπον. Cyprianum vide lib. IV. epist. VI. ad Ma-
i Paragr. 11. k Tom. 4. pag. 422. gnum *i*, Ambrosium de iis, qui initiantur mysteriis cap. III *k*, Chrysostomum in illud I Cor. X: *Nolo vos ignorare*, &c. Augustinum tract. XI. in Joan. quibus ab insigni Theologo addi video Cyrillum in Joan. lib. VI cap. XV. sed solemne est, ut hîc errent viri docti, dum non cogitant, ex XII Cyrilli libris in Joannem quatuor medios deperiisse, defectumque istum supplevisse Jodocum Clichthoveum: qui immo superioris seculi vixit. *Tertium* Patribus istis baptisma est *legale*, quo immundi se, vestesque suas, lavabant, secundùm legem Mosaicam. Quas Leviticas lotiones *varios baptismos* vocat scriptor divinus epistolæ ad Hebr. IX. 10. *Quartum* est baptisma *Ioannis*, baptizantis ad resipiscentiam. *Quinctum* est *Christi*, quo vel ipse, non indigus baptismi, à Joanne, nostri caussâ, baptizatus fuit: vel quo nos aquâ baptizat, & spiritu. *Sextum* est *pœnitentiæ*, & lacrymarum. *Septimum per martyrium*, & sanguinem. *Octavum* non salutare est, sed *letale*; quo peccatores flammantibus tartarei diluvii undis immergentur.

Ex vario adeò ejus vocabuli usu quinctus hîc solùm habet locum. Secundùm quem definire in hunc modum possimus; ut dicatur baptismus esse primum Novi Testamenti sacramentum, quo, ex institutione Christi, per ministrum ejus aquâ abluimur, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; ut ita receptio in novum gratiæ fœdus, ac interior per sanguinem, & spiritum Christi, ablutio à peccatis, & clarè nobis signetur, & certò obsignetur.

Hæc ut apertiora fiant, primùm agemus de baptismo secundùm se; deinde de ejus ministro; hinc de suscipiente baptismum; postea de baptismi loco, ac tempore; deque iteratione ejusdem. De cerimoniis enim baptismi separato libro agemus. In prima parte considerantur hæc quatuor: aqua, quâ abluimur; actus ipse ablutionis; verborum forma, quæ in abluendo usurpatur; & significatio, quæ aquæ, & ablutioni inest, quatenus est signum. Atque ex his etiam statuemus tum de necessitate baptismi, tum convenientiâ, ac discrimine baptismatis Joannis, ac Christi. De aqua primùm videamus.

THESIS II.

In baptismo abluimur aquâ verâ, & naturali: quali Joannes baptizasse legitur Matth. III, 6 *&* 16; *& Joan.* III. 23: *item Apostoli, & alii; ut Act.* VIII. 28: Descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus; & baptizavit eum. *Et Act.* X. 47: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi? *Unde & Eph.* V. 26. aquæ lavacrum *appellatur.*

Quare damnamus hæreticos, qui aquâ uti nolebant. Augustinus hæresi LIX: *Seleuciani, & Hermiani, baptismum in aqua non accipiunt.* Caussam, quam præterit Augustinus, elementi vilitatem fuisse arbitratur doctissimus Danæus *a*: sed fallitur. Nam prætexebant, quòd a Notis ad dictum Augustini locum.
Joannes Baptista, suum baptisma, & Christi, comparans, diversam faciat materiam amborum; sui quidem aquam, sed Christi ignem. Philastrius: *Seleucus, & Hermius, hæretici, animas hominum de igne, & spiritu, esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Ioannes baptista: Ipse vos baptizabit in spiritu, & igni.* Nihil igitur apertiùs, quàm compulsos fuisse his verbis Matth. cap. III: *Qui post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni*: quo loco Baptista, non contentus dicere, *baptizabit Spiritu*, addidit, *& igni*; quia non quælibet Spiritus Sancti communicatio intelligatur; sed ea, quæ festo Pentecostes contigit specie ignis. Quam loci hujus mentem esse, vidit Erasmus Annotationibus, itemque paraphrasi, in superiorem locum. Adhæc Bucerus, & alii. Quamquam & de regenitis omnibus accipere possumus; quia omnes spirituali igni baptizari necesse est. Præter istos etiam aquæ usum refugerunt Pauliciani: quippe qui in sacramentis aversarentur res materiales, solâque pronunciatione verborum sacramen-

tum

tum perficerent. Quemadmodum nec verba dicebant, quæ Ecclesia usurpat; sed ista: *Ego sum aqua viva.* Auctor Euthymius Panopliæ parte II. tit. XXI.

THESIS III.

Aquâ verò, quâ Joannes, & Apostoli utebantur, aqua erat vulgaris: non per adjurationem, signationem, crucisve immissionem, & olei infusionem, consecrata. Qui ritus etsi inventi non sint χθὲς ϗ πρώην, tamen in Scripturis fundamentum habent nullum, eoque nec sunt de baptismi οὐσίᾳ.

Agnoscit hoc non solùm S. Basilius lib. de Spiritu S. ubi aquæ consecrationem inter traditiones reponit: sed etiam Stephanus Durantius lib. I. de ritibus Ecclesiæ cap. XIX. mem. 12: ubi de ritibus istis sic scribit: *Hæc non obtinent, quoties maxima premit necessitas. Tunc enim etiam aquâ non consecratâ, sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, sive in stagno, baptizari licet.* Nam cùm etiam absque consecratione verum esse baptismum fatetur; clare indicat, non esse eam de baptismi οὐσίᾳ, quandoquidem quæ ejus generis sunt, omitti nunquam possint. Nec cerimoniæ ejus antiquitas præscribere temporibus nostris potest; quia ut instituendi alicujus ritûs, si usus exigat: ita ejus abrogandi, si abusus requirat, Ecclesia habet potestatem. Quam rem pleniùs explicabimus, cùm de baptismi cerimoniis agemus.

THESIS IV.

Cur verò liquore, corporis sordes abluente, sacramentum hoc perfici mandârit Christus: in caussa est ἀναλογία inter ablutionem externam, quæ aquâ fit, eâque mundâ; & internam, quæ fit sanguine, ac spiritu Christi. Minimè igitur fuerit baptismus, siquis illud aquæ loco usurpet, quod non habet vim ad corpus abluendum.

Ut siquis hominem valetudinis desperatæ, ob aquæ defectum, in nomine Trinitatis tingat aquâ lutosâ, quæ polluit veriùs, quàm purgat: ut hîc desit ἀναλογία. Quam attendit divinus scriptor ad Hebræos X. 22: *Abluti corpora aquâ mundâ.* Item siquis ter perfundat arenâ: quemadmodum contigit Hebræo adolescenti: qui iccitco, cùm miraculosè convaluisset, ad Jordanem, ut verè baptizaretur, à Dionysio, Ascalonis episcopo, missus fuit. Testis Sophronius sophista, vel potiùs, Joannes Moschus, sive Eviratus, Prati spiritualis cap. CLXXVI. Ac similem habet historiam Nicephorus lib. III. cap. ult. Nisi potiùs Nicephori narratio ex illa Moschi est efficta: quod verius arbitror. Nam quod Nicephorus ait contigisse tempore M. Aurelii Antonini Imp. ac episcopum, qui de baptismo arenatio consulebatur, Dionysium Alexandrinum fuisse autumat, id verum esse non potest; cùm Dionysius ille vixerit, non Aurelio Antonino imperante; sed sexaginta annis pòst, tempore Philippi Imperatoris. Quare siquid hujusmodi contigit ætate Antonini; Dionysius Corinthiorum episcopus intelligi debet. Sed, uti dixi, verisimilius est, hanc Nicephori narrationem planè eandem esse illi, quam suis contigisse temporibus refert Joannes Moschus; qui circa annum vixit sexcentesimum. Equidem, qui Antonini ævo istiusmodi aliquid evenisse narret, veterum invenio neminem.

THESIS V.

Quæstionem movent nonnulli, an loco aquæ uti liceat liquore alio, dummodo talis sit, quo corpus abluatur, E. G. vinum, vel lac. Sanè hoc novitatis studio si fiat, graviter sine dubio offenditur Deus: sin ad hoc summa compellat necessitas, reprehendi non debere, quorundam, sed dissentientibus aliis, sententia est.

Verâ, & naturali aquâ, uti nos vulgò debere, & Joannis, & Apostolorum docet exemplum; ut vidimus. Atque hic, ut Tertullianus ait lib. de baptismo cap. I, & XII, *nulla est distinctio, mari quis, aut stagno; flumine, aut fonte; lacu, aut alveo, diluatur.* Nempe manet ubique ἀναλογία, quam aqua vera, & naturalis habet cum sanguine, & spiritu Christi, purgante nos à peccatis. Quâ de convenientiâ Ambrosium vide lib. I, & II, de Sacramentis, & Hieronymum epist. ad Oceanum. Nec temerè est, quòd sapientissimus Deus hunc potissimùm liquorem elegit, quando ut nihil eo est utilius ad vitam (ἄριστον μὲν ὕδωρ, ut Pindarus ait) ita nec communius, aut vulgatius, est quicquam. Quare non minùs peccaret, qui in baptismo, fastu luxurioso, pro aqua vino uti vellet: quàm qui in Eucharistia, prætextu abstinentiæ, pro vino uteretur aquâ: ut ὑδροπαραστάτας, sive Aquarios fecisse, scribit Augustinus hæresi LXIV. Sed quæritur, utrùm extrema agentem vino, lacte, aut simili liquore, liceat baptizare, si aqua haberi nullo modo possit. Mihi propè otiosa hæc quæstio videtur, quando fieri vix potest, ut vinum, lac, aut liquor similis, possit haberi; aquæ elementum communissimum non item. Veruntamen si hoc obtingat, plures arbitrantur, omnino abstinendum esse baptismo. Hos inter Ruardus Tapperus a: *Si* inquit, *vino ad-* a Tom. 2. *ministraretur baptismus, nullum esset sacramentum, nec* p. 357. *ulla fieret regeneratio, nec peccatorum remissio.* Pauciores dissentiunt, & hos inter Clarissimus Beza, cujus verba adferre non gravabor ex epistola ejus secunda ad Thomam Tilium: *Hæc mens fuit Christi, cùm panem, ac vinum, ad hæc mysteria deligeret, ut propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem, velut ob oculos, repræsentaret. Itaque à Christi sententia nihil aberrat, qui, nullo prorsus novandi studio, pro pane, & vino substituat, quæ, etsi non parem, similem tamen alimoniæ analogiam habeant. Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicujus differri amplius cum ædificatione non possit, nec debeat: ego certè quovis alio liquore, non minùs ritè quam aquâ, baptizârim. Nec aliter de his rebus ipsi etiam superstitiosissimi Scholastici scriptores censuerunt.* Ubi quòd idem sentire dicit Scholasticos, metuo ne eum memoria fefellerit.

THESIS VI.

De aqua elemento hactenus. Nunc de usu aquæ, sive de ablutione videamus. De qua duo hæc quæruntur. Primùm, utrùm antiquitus per immersionem, an per effusionem ex vase, vel per adspersionem, soleat baptizari. Deinde, an hac parte recedere liceat à consuetudine veteris Ecclesiæ. Ad prius quod attinet, quin Joannes baptista, & Apostoli, immerserint, dubium non est. Nam Matth. III. 6. legimus: Et baptizabantur in Jordane. *Nec non vers. 16:* Et baptizatus Jesus adscendit statim de aqua. *Item Joan. III. 23: scriptum est*, Joannem baptizâsse in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic. *Etiam Act. VIII, 38: dicitur* uterque descendisse in aquam, *& Philippus, & Eunuchus. Horum etiam exemplum Ecclesiam veterem secutam esse, innumeris Patrum testimoniis clarissimè evincitur.*

Hinc Hieremias, Patriarcha Constantinopolitanus, ad Theologos Wittebergenses Resp. II. cap. IV. cùm trinâ se immersione, non infusione, uti dixisset, caussam hanc adjungit: *Baptizabant enim veteres, non manibus suis aquam baptizando adspergentes: sed trinâ immersione, hoc Evangelii sequentes: Ascendit ex aqua. Ergo ante descenderat. Ecce immersio, non adspersio.* Et sanè quia

quia toti immergebantur; baptismus autem sive immersio non vestium est, sed humani corporis: eò etiam, posito pudore, toto penitùs corpore nudabantur; adeò ut ne fasciam quidem (qualem pictores, honestatis causa, appingere solent) obduxisse videantur partibus pudendis. Saltem earum apud veteres mentio non est: sed ita loquuntur universi, quasi non minùs nudi baptizarentur, quàm Adam fuit in paradiso, vel quàm de matre omnes nascimur, vel quàm petemus cœlos, vel quàm Christus cruci affixus fuit: quamquam hic etiam pictorum mos est partes medias linteo velare; qui non tam facti spectant veritatem, quam quid maximè conveniat moribus nostris. Hæc ita esse, veterum testimoniis ostendemus. Cyrillus Hierosolym. catech. mystagogica II. Εὐθὺς οὖν εἰσελθόντες, ἀπεδύεσθε τὸν χιτῶνα· καὶ τοῦτο ἦν εἰκὼν τοῦ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἀπεκδύεσθαι σὺν ταῖς πράξεσιν. ἀποδυθέντες γυμνοὶ ἦτε, μιμούμενοι καὶ ἐν τούτῳ τὸν ἐπὶ σταυροῦ γυμνωθέντα Χριστὸν, καὶ ἐν τῇ γυμνότητι ἀπεκδυσάμενον τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ἐξουσίας, καὶ μετὰ παρρησίας ἐν τῷ ξύλῳ θριαμβεύσαντα. *Statim igitur, ut ingressi estis, vestem exuistis: quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis imago fuit. Atque ita exuti, eratis nudi: imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Christum: quà ille nuditate principatus, & potestates hujus seculi, spoliavit, & magna confidentiâ in ligno de illis triumphavit.* Et mox: ὢ θαυμασίου πράγματος. γυμνοὶ ἦτε ἐν ὄψει πάντων, καὶ οὐκ ᾐσχύνεσθε· ἀληθῶς γὰρ μίμημα ἐφέρετε τοῦ πρωτοπλάστου Ἀδὰμ, ὃς ἐν τῷ παραδείσῳ γυμνὸς ἦν, καὶ οὐκ ᾐσχύνετο. *O rem admirandam! nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat. Revera in hoc enim protoplasti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiso fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore.* Unde non solùm universo corpore fuisse nudos, sed etiam nec mysterio hoc caruisse, cognoscimus. Idem ostendit Amphilochius in vita S. Basilii, cùm de eo sic scribit: *Petebat a Deo aliquod suæ fidei signum ostendi: surgensque cum tremore, suis se vestibus spoliat, unàque cum vestibus veterem exuit hominem.* Ergo eo, quòd vestimenta exuebant, mysticè significabatur, veterem exui hominem. Similiter Chrysostomus homil. VI in cap. II. ad Coloss. Καὶ ἐνταῦθα γυμνότης, κἀκεῖ γυμνότης. ἀλλ' ἐκεῖ μὲν ἁμαρτήσας, ἐγυμνώθη ἐπειδὴ ἥμαρτεν· ἐνταῦθα δὲ ἵνα ἀπαλλαγῇ, γυμνοῦται. ἀπεδύσατο τότε τὴν δόξαν, ἣν εἶχεν, ἐκεῖνος. ἀποδύεται νῦν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, καὶ πρὶν ἢ ἀναβῆναι, οὕτως εὐκόλως ἀποδύεται, ὥσπερ τὰ ἱμάτια. *Et hic nuditas, & illic nuditas. Sed illic quidem, cùm peccasset, nudatus fuit, quoniam peccavit: hic autem nudatur, ut liberetur. Exuit tunc ille gloriam, quam aliquando habuit. Nunc veterem exuit hominem: & priusquam adscendat, tam facile exuit, quam vestimenta.* Dionysius Areop. lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. de baptismo *a*: Ἐπιτίθησιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ τὴν χεῖρα, καὶ σφραγισάμενος, ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα, καὶ τὸν ἀνάδοχον. τοῦ δὲ ἀπογραφομένου, εὐχὴν ἱερὰν ποιεῖται, καὶ ταύτην ἁπάσης αὐτῷ τῆς ἐκκλησίας συμπληρωσάσης, ὑπολύει μὲν αὐτὸν, καὶ ἀπαμφιέννυσι διὰ τῶν λειτουργῶν. *Manum ejus capiti imponit; signoque edito, sacerdotibus imperat, ut viri, atque sponsoris nomina perscribant. Iis scriptis, suas preces perficit; quas ubi universa Ecclesia cum eo perfecit, exuit eum, exspoliatque per ministros.* Et mox *b*: Καὶ παντελῶς ἀπαμφιεσάντων αὐτὸν τῶν λειτουργῶν, κομίζουσι μὲν οἱ ἱερεῖς τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον. *Cùm planè vestes ei detraxerunt ministri, tum sacerdotes sacrum unctionis oleum adferunt.* Et multis interjectis *c*: Ὅπερ ἡ τῶν συμβόλων παράδοσις ἱερῶς αἰνιττομένη, τὸν προσιόντα τὴν οἷον προτέραν ζωὴν ἀπεκδυόμενον, καὶ μέχρι τῶν κατ' ἐκείνην ἐσχάτων χιτώνων ἀποδυόμενον, γυμνὸν, καὶ ἀνυπόδετον ἵστησι, πρὸς δυσμὰς ἀφορῶντα. *Id quod signorum traditio sanctè, sed obscurè significans, cum eum, qui accedit, quasi superiore vitâ exuit, & ad extremos usque habitus expoliavit: nudumque tum, & nudis pedibus collocat, occasum adspicientem.* Apertè ait, universas vestes fuisse exutas. Elias Cretensis in orat. IV. Nazianz. *In divino nostro ortu, quemadmodum sacerrimus Dionysius inquit, ad sacerdotem quidem is adducitur, qui spirituali regeneratione donandus est: ipse autem, & pedes ejus, adhibitâ ministrorum eorum, qui ad hoc constituti sunt, operâ, calceis nudat, & CORPUS UNIVERSUM detegit.*

a C. 116. edit: Morell. anno 1568.

b Pag. 117.

c Pag. 125.

Eundem morem in Latina obtinuisse Ecclesia, etiam usque ad tempora Bernardi (post quæ, succrescente tam sacerdotum, quam aliorum, nequitiâ, scandali & flagitii causâ sublatus fuit) illustria hæc testimonia ostendunt. Zeno Veronensis Invitat. II. ad fontem: *Gaudete: in fontem quidem nudi demergitis, sed ætherea veste induti, mox candidati inde surgitis: quam qui non polluerit, regna cælestia possidebit.* Ambrosius serm. X ubi, in avaros invectus, *Ideo*, inquit, *nudi in seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque, & expediti, ad cæli januam properemus. Quam autem incongruum, & absurdum est, ut quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, dives intrare velit in cælum!* Anselmus in Matth. cap. III: *Plures caussæ sunt, quare Christus ad baptismum accessit: primo, ut exemplo nos invitaret; ne quis forte ab inferiori baptizari, vel in conspectu hominum denudari, erubesceret.* Et post aliqua: *Vocatur ergo consummatio justitia: ad quam Dominus volens homines invitare, ne ab inferiori dedignentur baptizari, vel in conspectu hominum denudari; ideo vult exemplo docere, quid alios oporteat facere, ut nullus post eum erubescat.* Bernardus serm. XLVI de paupertate: *Ideo nudi nascimur in hoc seculo, nudi etiam accedimus ad baptismum; ut nudi, & sine impedimento, perveniamus ad cælum.*

THESIS VII.

Neque soli adulti denudabantur, sed etiam infantes.

Ostendit hoc Gregorius M. in Sacramentario, ubi describitur *ordo baptismi infantium a*. Nam cùm dictum esset, *Deinde baptizat eum sacerdos sub trina mersione, &c.* mox subjicitur: *Et vestitur infans, dicente presbytero.* Atqui, si infantem vestibus indui opus, priusquam confirmetur: priùs iis exutus fuerit necesse est, quàm baptizetur. Similiter Ordo Romanus *b* cap. de die sabbat. S. Pasch. *Pontifex ergo egreditur à fonte in secrarium, habens ibi compositam sedem, vel in Ecclesia, ubi voluerit; & sedet in ea; & cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* Et mox: *Et sic vestiuntur. Induti verò ordinantur, &c.* Idem Alcuinus, sive Albinus Flaccus, lib. de divinis Offic. cap. XIX, de Sabb. Pasch. *c* *Postquam verò vestiti fuerint* (infantes) *deportantur ante Pontificem ad confirmandum.*

a T. 2. Liturgicorum Pamelii col. 269.

b Auctarii bibl. Patrum col. 82, & 83.

c T. 3. bibl. pp. ed. 2. p. 1197.

THESIS VIII.

Eadem etiam consuetudo in mulierum baptismo obtinebat: ita tamen, ut earum pudori non unâ ratione consuli soleat.

Mulieres quoque universo corpore denudari solere, liquet ex iis, quæ Chrysostomus epist. ad Innocentium Papam contigisse narrat, cùm Theophilus, episcopus Alexandrinus, tumultum civisset, ut Chrysostomum ab Ecclesiâ ejiceret. Inter alia inquit *d*. *Mulieres, quæ intra Ecclesiam, ut baptizarentur, sese veste nudaverant, per id temporis nuda fugiebant, metu acerbissimo hujus commotionis impulsæ: neque sexus verecundiæ, & honestati, permittebantur præ pavore consulere.* Idem constat ex iis, quæ Jo. Moschus prati spiritualis cap. IV. nar-

d Græcè habes editionis Saviliane, sive Etonensis tom. 7. p. 156.

narrat de Conone presbytero, qui ob tentationem, quam patiebatur, non poterat puellam nudam sancto oleo inungere. Nam si inungebantur nudæ, etiam baptizabantur nudæ, quia inunctio baptismum consequebatur. At ritum veterem non intellexit Michael Isfeltius, cùm in notis ad eum scriptorem monet, Cononem, quia presbyter fuerit, unxisse in vertice, non in fronte. Nam etsi is mos erat Ecclesiæ *a* Romanæ: tamen omnes corporis partes ungebantur à Græcis; etiam à presbyteris in quibusdam Ecclesiis: qua de re infra etiam dicemus.

a *Ordo Romanus in auctario bibl. Pat. col.* 82.

Interea feminarum pudori plerisque in locis consulebatur mulierum ministerio: quæ eas, ad baptismum venientes, honestè nudabant, & exuebant, nequid baptizantis oculis inverecundè ingereretur: ut Epiphanius indicat hæresi LXXIX, quæ est Collyridianorum *b*, ubi ait: Διακονισσῶν μὲν τάγμα ἐστὶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἀλλ' οὐχὶ εἰς τὸ ἱερατεύειν, οὐδέ τι ἐπιχειρεῖν ἐπιτρέπειν· ἕνεκεν ἢ σεμνότητος τοῦ γυναικείου γένους, ἢ δι' ὥραν λουτροῦ, ἢ ἐπισκέψεως πάθους, ἢ πόνου, καὶ ὅτε γυμνωθείη σῶμα γυναικὸς, ἵνα μὴ ὑπὸ ἀνδρῶν ἱερουργούντων θεαθείη, ἀλλ' ὑπὸ τῆς διακονούσης, ἣ ἂν ἐπιτάσσεται ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἐπιμελεῖσθαι πρὸς τὴν ὥραν τῆς ἀποδυομένης γυναικὸς ἐν τῇ ὥρᾳ τῆς τοῦ σώματος αὐτῆς γυμνώσεως. Latinè ea sonant: *Est quidem Diaconissarum ordo in Ecclesia: sed non est institutus ad functionem sacerdotii, vel ad aliquam ejusmodi administrationem: sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut adsit tempore baptismi, sive quando nudandum est mulieris corpus, ne ab iis conspiciatur, qui sacris operantur; sed à sola videatur diaconissâ: quæ jussu Sacerdotis curam mulieris gerit, dum vestibus exuitur: atque id secundum constitutionem boni ordinis, & Ecclesiastica disciplina, ex præscripto canonis admodum stabilita.* Itidem honestatis causâ sacerdos baptizatæ quidem frontem inungebat: at diaconissa ungebat corpus: quod nos docet Clemens Constitutionum Apostolicarum lib. III. cap. XV, ubi ait: Εἰς πολλὰς χρείας γυναικὸς χρήζομεν διακόνου. καὶ πρῶτον μὲν ἐν τῷ φωτίζεσθαι γυναῖκας, ὁ διάκονος χρίσει μὲν μόνον τὸ μέτωπον αὐτῶν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, καὶ μετ' αὐτὸν ἡ διάκονος ἀλείψει αὐτάς. οὐ γὰρ ἀνάγκη τὰς γυναῖκας ὑπὸ ἀνδρῶν καθορᾶσθαι· ἀλλὰ μόνον ἐν τῇ χειροθεσίᾳ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς χρίσει ὁ ἐπίσκοπος. Quem locum sic transtulit Jo. Carolus Bovius, Episcopus Ostunensis: *Ad multos usus muliere diaconissâ indigemus. Ac primùm, cùm illuminantur* (hoc est, baptizantur) *mulieres, diaconus ungit frontem ipsarum oleo sancto; deinde diaconissa eas absterget. Non est enim necesse mulieres adspici à viris; sed solùm in manus impositione caput illis ungit episcopus.* Atqui apud Clementem est ἀλείψει, quod est *unget*, non *absterget*, ut Bovius putavit; qui planè pervertit mentem Clementis. Sanè in ipsa Latina Ecclesia tangebatur pectus, & inter scapulas unctio fiebat: uti constat ex Gregorii sacramentario, Alcuino lib. de divinis officiis, Rabano de institut. clericorum lib. I. cap. XXVII. In Græca verò Ecclesia totius corporis unctio fiebat: ut videre est apud Cyrillum Hierosol. Catech. mystag. II, & Chrysostomum homil. VI in epist. ad Coloss. Eundemque ritum apud Syros obtinuisse, ostendit Severus Alexandrinus in ritibus baptismi. Ex quibus satis liquet, cur Clemens, sive quisquis illas τῶν ἁγίων ἀποστόλων διαταγὰς scripsit, à diacono quidem dicat inungi frontem; sed addat, corpus ungi à diaconissis. Etiam ex his lucem capit Justinianus Novell. VI. cap. VI; cùm *Deo amabiles diaconissas* jubet *ad sacrum venire ministerium, & adorandis ministrare baptismatibus, & aliis adesse secretis, quæ in venerabilibus ministeriis per eas ritè aguntur.* Nam per secreta ministeria nudationem, & corporis inunctionem, potissimùm designat. Nec interim negamus, diaconissarum etiam usum fuisse in instituendis, & præparandis baptismo feminis rudioribus: sed tamen, quòd Justinianum hoc loco id dicere ait vir quidam eruditus; planè fallit, & fallitur: neque si diceret hoc Imperator, eò caussæ quicquam erat, cur idcirco in dubium eum illo vocaremus, quæ Epiphanius, vel Clemens, de diaconissis scribunt, cùm multiplex earum fuerit ministerium; quod Clemens apertè indicat illis verbis, Εἰς πολλὰς χρείας γυναικὸς χρήζομεν διακόνου.

b *Pag.* 447 *Gr. Basil. pag.* 344. *Lat.*

Aliâ etiam ratione consulebatur muliebri verecundiæ. Nam viri separatim à feminis baptizabantur: unde Cyrillus Hierosolymit. præfat. Catechef. Μένεθε τὸν φόβον ὅταν ἐξορκισμὸς γίνηται, ἕως ὅτου οἱ ἄλλοι ἐξορκιζόμενοι παραγίνονται· ἄνδρες μετ' ἀνδρῶν, καὶ γυναῖκες μετὰ γυναικῶν. *Reverentiam adhibe, cùm fit exorcismus, quousque alii exorcizati aderunt; viri cum viris, & mulieres cum mulieribus.* Idem liquet ex narratione illâ apud August. lib. XXII. de Civitat. Dei cap. VIII: *Carthagine Innocentia, religiosissima femina, in mamilla cancrum habebat. Admonetur in somnis, appropinquante Paschâ, ut in* PARTE FEMINARUM *observanti ad baptisterium, quæcumque illi baptizata primitus occurrisset, eundem locum signo Christi signaret. Fecit, & confestim sanitas secuta est.* Synodus Constantinopolitana sub Menna act. I, secundùm editiones priores; sive quinctâ in edit. Binn. *a Stephanus, & alter Stephanus, dixerunt: Cùm essemus in baptisterio Neophytistarum, sine tunicis, & calceamentis existentium, diaconis ipsos exorcizantibus, venit episcopus noster Petrus* (Apamearum episcopus) *& ejecit nos foras unà cum neophytis, & introduxit canonicos, & privatim cum ipsis stetit per multas horas.* Nam, quemadmodum jam alii ante nos observârunt, baptisterium Neophytistarum vocat, ut ab illo mulierum distinguat. Ordo Romanus cap. de Sabbatho sancto *b*: *Deinde presbyteri, aut diaconi, etiamsi necesse fuerit, & acolythi, induentes se vestibus mundis, vel candidis, ingrediuntur in fontem intrò in aquam, & baptizantur primò masculi, deinde feminæ.* Idem colligi potest ex Gregorii M. Sacramentario: in quo *Ordo ad catechumenum faciendum* talis præscribitur *c*: *Cùm venerint ad Ecclesiam, recitentur eorum nomina, & stent masculi ad dexteram, feminæ verò ad sinistram.* Postea *d* oratio commemoratur; priùs, quæ super masculos, exinde quæ super femellas habetur. Similiter Albinus Flaccus lib. de divinis Offic. cap. de Sabbatho S. Pascha *e*: *Post horam denique tertiam Sabbatho præparantur ad Ecclesiam, qui baptizandi sunt, simul cum patrinis, & matrinis, & ordinantur ab acolytho, masculi ad dexteram, feminæ verò ad sinistram.*

a *Pag.* 46. 9.

b *Bibl. Patr. auctarii T.* 1. *col.* 82.

c *In Liturgicis Pamelii T.* 2. *pag.* 259.

d *Pag.* 261. & 262.

e *In bibl. Patr. T.* 3. *item auctarii T.* 1. *col.* 258.

THESIS IX.

Quamquam verò hæc ita sunt; tamen, ut in purificationibus legalibus sufficiebat adspersio, itidem in Ecclesia adspersionem pro baptismo sufficere existimamus. Manet enim vis sacramenti. Quippe cùm utrobique ablutio sit; etiam inter adspersionem aquæ, & illam, quæ fit sanguine Christi, sacramentalem ἀναλογίαν *cernere licet. Nec, quia immersionem fatemur obtinuisse apud antiquos: eò semper hac usos esse consequitur. Nam aliqua in contrarium possunt adduci. Præterea, cur adspersionem, quæ jam obtinet in Ecclesiis nostris, retineri posse credamus, charitatis, & necessitatis lege compellimur. Siquidem ut nuda corpora, præsertim infantium; (quales ferè sunt, qui nunc baptizantur) aëri frigido exponantur, & aquis tota immergantur, in hisce ad Septentrionem sitis regionibus, præsertim hiberno tempore, sine valetudinis periculo fieri non potest.*

Quæ antea congessimus ex antiquis, clarè arguunt, baptizandos nudari totos, atque ita immergi solere. Quapropter

propter nec desunt, qui putent, consuetudinem hanc revocari hodie debere; atque adeò perfusionem, vel adspersionem, verè esse baptismum negent. His non uno modo occurritur. Primùm enim, non si Apostolos immersisse comperiamus, eò ritum hunc semper observâsse consequitur. Sane, alios inter, Thomæ Aquinati verisimile fit, interdum eos aquâ perfudisse, ob baptizandorum multitudinem. Uti Act. cap. II, & IV: ubi unâ die ter mille, alterâ verò quinquies mille, baptizati fuisse dicuntur. Hoc enim non tam per immersionem, quàm perfusionem, vel adspersionem, fieri potuisse, arbitratur Thomas. Ac videtur ei hac parte accedere Bucerus resp. secundâ ad Latomum lib. I, cap. XII. *a* Nec video, quomodo aliter esse possit, nisi, per varios administros, factum id fuerit. Nec enim ipsi semper Apostoli baptizabant; sed in hoc aliorum etiam operâ utebantur. Interim perfusionis etiam exemplum habemus in historia de martyrio B. Laurentii *b*; ubi narratur, ut *unus ex militibus, Romanus nomine, urceum afferens cum aqua, opportunitatem captârit, qua eum offerret B. Laurentio, ut baptizaretur*: cujus etiam voti compos esse factus postea dicitur. Alterum etiam in iisdem Actis exemplum habemus; ubi, ut Lucillum baptizârit Laurentius, commemoratur. Verba Actorum sunt: *Et cum exspoliâsset eum, fudit super caput ejus.* Adhæc Walafridus Strabo de rebus Eccles. cap. XXVI, *c* *Notandum*, inquit, *non solùm mergendo, sed etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, & adhuc posse baptizari: sicut in passione B. Laurentii quendam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet evenire, cùm provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur.* Locum hunc eò libentiùs attuli, quia inde liquet, bene antiqua esse Acta illa, de passione Laurentii: quæ tamen, uti hodie leguntur, ea ipsa esse non possunt, quæ à notariis Ecclesiæ Romanæ primitus sunt scripta. Multa adeò continent, quæ historiæ adversentur. Nempe credimus, vulgaria illa, quæ apud Surium *d* habemus, consarcinata esse partim ex Actis antiquis, partim ex scriptoribus recentioribus. Atque hoc ita esse, eo minùs in dubium vocari debet, quia in iis sunt verba illa illustria ex Ambrosii libris de Officiis. Nam quòd aliqui scribunt, Ambrosium potiùs ista ex Actis exscripsisse: ostendunt sanè, quàm in talibus naris sint obesæ. Verborum enim illorum dictio est elegans, planeque Ambrosio digna: ad quam reliqua Actorum dictio nullâ ex parte adspirat. Rectissimè verò ait Walafridus, & olim perfusione multos esse baptizatos, & hodie posse baptizari. Nam, ut etiam vidit Dominicus Scotus dist. III. quæst. un. art. VII. *In baptismo aliquid est de essentia, ut ablutio; juxta illud ad Eph. V; ubi Apostolus baptismum appellat lavacrum aquæ: aliud verò accidentarium; nempe ut ablutio hoc, vel illo modo, fiat.* Secutus verò hac in re Thomam Aquinatem fuit; qui & ipse mersionem quidem magis congruam esse ait; eoque nec aliter fieri debere putat, nisi ob rationem vel necessitatiam, vel honestam, vel saltem rationi consonam: attamen cùm aqua in sacramento assumatur, ut per ablutionem corporis, ablutio animæ significetur: ablutio verò non solùm immersione, verùm etiam effusione, & aspersione fiat: quolibet sanè istorum modorum celebrari posse baptismum arbitratur. Subjicit idem caussas quatuor, propter quas aliter, quàm mersione, fieri possit. Prima est magna baptizandorum multitudo: ut Act. II. & IV; de quo jam diximus. Altera est inopia aquæ; ut quando ad immersionem non sufficit. Tertia est languor baptizantis, sustinere non valentis baptismum. Quarta est baptizandi morbus, cui à mersione periculum immineret. Sanè etiam antiquissimis temporibus ægrotos, ne absque baptismo discederent, in lecto perfundebant, vel adspergebant. Quò alludere putatur Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. VI, cùm ait: *Neque ego renuo divinum beneficium, id est, ablutionem delictorum, inituris aquam omni modo salvum esse; sed ut eò pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi, tam infidæ pœnitentiæ viro, adspergimem unam cujuslibet aquæ commodabit?* Sed apertiùs de talium baptismo loquitur Cornelius, Urbis episcopus, epist. ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. VI. cap. XLIII *a*: ubi, de Novato loquens, ait, Μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐν κλίνῃ διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι. *Minime licebat, quemquam, qui in lecto propter morbum perfusus esset, sicut huic contigerat, in clerum assumi.* Cur verò tales non poterint in clerum recipi, ut canon hic ait; caussa erat gemina. Una, quòd viderentur necessitate, non sponte, facti Christiani. Altera, quòd non conveniret inter omnes, an aspersio ista, vel perfusio, verus esset baptismus. Iccirco idem Cornelius sic apud Eusebium ibidem de Novato scribit: Ὃς βοηθούμενος ὑπὸ τῶν ἐπορκιστῶν, νόσῳ περιπεσὼν χαλεπῇ καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ, ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς τὸ βάπτισμα *b* ἔλαβεν· εἴ γε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι. *Qui quidem, ubi, exorcistarum præsidio, spiritu illo malo esset liberatus, & post in tam gravem morbum, ut jam fermè mors putaretur, incidisset; in lecto, in quo decumbebat, aquâ circumfusus, baptismum accepit: si modo talem hominem baptismum accepisse dicendum sit.* Eadem Nicephorus narrat lib. VI. cap. III: ubi verba extrema sic vertit Joannes Langus: *Aquam petiit, quâ in lecto ipso, stans decumbebat, perfusus, baptizatus scilicet est: siquidem tinctionem hujusmodi baptismum vocare licet.* Quæ si cum judicio aliquo Nicephorus exscripsit, argumento erunt, ejus etiam ætate de baptismo hujusmodi dubitatum fuisse apud Græcos. Apud Latinos verò, jam Cypriani temporibus, controversiam de hoc fuisse, colligimus ex eo, quòd de hoc Cyprianum consulendum putârit Magnus; ut verba ista ostendunt *c*: *Quæsisti etiam, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & languore, gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi.* Respondet verò ad hanc quæstionem Cyprianus, *in sacramentis salutaribus, necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferre divina compendia. Nec*, inquit, *quemquam movere debet, quod* ASPERGI, VEL PERFUNDI, VIDEANTUR *ægri, cùm gratiam Dominicam consequuntur; quando Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur, & dicat* d: *Et adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, &c.* Quod si Clinicorum legitimus est baptismus, ut Cyprianus testatur: etiam verus erit baptismus infantium, qui per adsperginem fit in Ecclesiis Occidentis; præsertim in tractu hoc Septentrionali; ubi periculum est, ne tenellæ incommodetur ætati, si frigidô hoc cœlo nudentur toti, & aquis immergantur.

Præter verò quatuor istas, quas Thomas attulit, caussas, etiam quinctam aliqui addunt, honestatem: propter quam decentius est hodie adultos ipsos adspergere, vel perfundere, quàm nudatos toto corpore immergere. Nempe antiquis temporibus, quibus candida simplicitas magis vigebat, honestè denudabantur toti: sed postquam, ut aliorum, ita sacerdotum accrevit nequitia, experientiâ id toti orbi clarè testante, honestè amplius id fieri non potuit: & hac propter jam à quinque retro seculis paulatim per universum pene Occidentem consuetudo illa exolevit.

Sed qui immersionem revocari debere contendunt, objiciunt nobis, quòd ad Rom. cap. VI, 3. 4. 5. testetur Apostolus, immersione, & emersione, in hoc sacramento repræsentari tum sepulturam Christi, tum mortificationem veteris nostri hominis, & vivificationem novi. Quod etiam agnoscit Chrysostomus in illud Joan. III: Græcè, si malis, sic sonant *e*: Καθάπερ ἔν τινι τάφῳ, τῷ ὕδατι καταδυόντων ἡμῶν τὰς κεφαλὰς, ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος θάπτεται κάτω, καὶ καταποντιζόμενος... καταποντίζεται εἰς τέλος ἅπας, εἶτα ἀνανευόντων ἡμῶν, ὁ καινὸς

a Pag. 48.

b Apud Surium T. 4. pag. 588.

c Pag. 48.

d Tom. 4. histor. sanct.

a Gr. 43 Lat. cap. 35.

b Ita legendum.

c Ep. 76. ad Magnum.

d Cap. 36. vers. 25.

e Tom. 2. edit. Etonensis, sive Savilliana pag. 656.

ἄνεισι

censet Athanasius, in dictis & interpret. scripturæ quæst. XCIV: *ἐν τῷ γὰρ καταδῦσαι τὸ παιδίον ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τρίτον, καὶ ἀναδῦσαι, τοῦτο δηλοῖ τὸν θάνατον, καὶ τὴν τριήμερον ἀνάστασιν τοῦ Χριστοῦ. Quod infantem ter in aquam immergimus, & ter educimus, mortem, & triduanam Christi resurrectionem, significat.* Egregiè etiam B. Augustinus, in quarta homilia; prout citatur à Gratiano Decreti tertià parte De Consecrat. b Distinct. IV. Can. LXXVI: *Postquam*, inquit, *vos credere promisistis, tertiò capita vestra in sacro fonte demersimus: qui ordo baptismatis* DUPLICI MYSTERII *significatione celebratur. Rectè enim tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine sanctæ* TRINITATIS. *Rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi; qui etiam die tertia resurrexit à mortuis. Illa enim tertiò repetita demersio typum Dominicæ exprimit sepulturæ; per quam Christo consepulti estis in baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide: ut peccatis absoluti in sanctitate virtutum Christum vivatis imitando.* Hæc satis ostendunt, ter immersisse veteres, & mystici quid in eo constituisse. Qua de re etiam Gregorii Magni, & Walafridi Strabonis verba inferiùs adferam.

a T. 2. p. 345. edit. Commel.

b Fol. 450. edit. Paris. 1528.

THESIS II.

Utrùm verò consuetudo hæc traditione ad nos pervenerit, an Dominico præcepto, ne inter veteres quidem satis convenit.

Ex traditione non scriptà deducit eam S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. XXVII c: *Τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; ἀλλὰ δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα, ἀποτάσσεσθαι τῷ σατανᾷ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας; Item ter immergi hominem, unde nobis? Reliqua item, quæ fiunt in baptismo; veluti renuntiare satanæ, & angelis ejus, ex qua scriptura habemus? nonne ex minime publicatâ, & arcana hac traditione?* Similiter Hieronymus dialogo adversus Luciferanos d: *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret. nam & multa, quæ per traditionem in Ecclesia observantur, autoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt: velut in lavacro ter caput mergitare, &c.* Verùm alii, uti dicebam, hanc consuetudinem Dominici esse præcepti existimant. Ut conditores canonum, qui Apostolis tribuuntur. Canon enim XLIX sic habet: *Siquis episcopus, aut presbyter, in una initiatione non tres immersiones, sed unam duntaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate; sed, Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Fallitur interim glossarum Gratiani auctor, qui semel immergentes dixisse putat, *Baptizo te in mortem Domini*: atque ob formulæ mutationem tales debere deponi. Fallitur item vir eruditus, qui hoc canone negari putat, baptizari nos in mortem Christi, contra quam Apostolus docet cap. VI. ad Rom. Nam hoc solùm canon iste vult, exinde quòd Apostolus dicat, baptizari nos in mortem Christi, quæ unica est, immersionis numerum peti non debere, sed potiùs ex formula baptismi, quâ tres Deitatis personæ exprimuntur. Ita enim Græci interpretes, Zonaras, & Balsamo, rectè hæc verba ceperunt. Nec alia, ac canonis hujus, mens fuit B. Chrysostomi e, homilià de fide, ubi ait: *πᾶσι τοῖς μυστηρίοις οἱονεὶ σφραγῖδα τιθεὶς ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν τρισὶ καταδύσεσι τοῦ σώματος ἓν βάπτισμα τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς παρεδίδωκε, λέγων, Πορευθέντες μαθητεύσατε &c. Omnibus mysteriis velut signum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquæ unum baptisma discipulis suis tradidit, dicens: Euntes docete, &c.*

c Pag. 273. edit. Basil. sive p. 211. edit. Paris. a. 1618.

d T. 2. p. 139. edit. Bas. a. 1553.

e Tom. 7. Etonensis, sive Savilianæ editionis pag. 190.

Item Pelagius Papa apud Gratianum De consecrat. Dist. IV. *Multi*, inquit, *sunt, qui in nomine solummodo Christi, unâ etiam immersione, se asserunt baptizare. Evangelicum vero præceptum, ipso Domino, ac Salvatore nostro Iesu tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trinâ etiam mersione, sanctum baptisma unicuique tribuere: dicente Domino discipulis suis: Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quæ docent, veterum non paucos ter immergendi morem pro Dominico habuisse præcepto. Unde & canon antea citatus deponi jubet semel immergentem: & Zonaras ad eum canonem inquit, *τὴν μίαν ἐπιφημίζειν κατάδυσιν ἀσεβές ἐστι. unicam celebrare immersionem scelestum, ac nefarium est.*

THESIS III.

Hispaniæ tamen episcopi, ætate Gregorii Magni, semel immergebant, comprobante id quoque Gregorio: qui non minùs in unâ immersione, quàm trinâ, mysterium inesse credebat. Nam & unam mersionem rectè adhiberi, ad significandum unam Deitatem, unam item Christi mortem: & per trinam mersionem rectè indicari, tum tres Deitatis personas, tum triduanam Christi sepulturam. Ac quamquam Romana Ecclesia ter mergitaret: Hispanicam tamen simplici mersione rectiùs contentam fore, putabat Gregorius. Et pro sententia hac sua adferebat, quòd alioqui favere videretur hæresi eorum, qui apud Hispanos Deitatem dividerent, & ad doctrinæ suæ testationem, ter, quàm semel, tingere mallent. Etiam hoc Gregorii judicium approbavit Concilium Toletanum IV; quod anno Christi IↃCXXXIII, *præside Isidoro Hispalensi, habitum est.*

Hispaniæ Episcopos circa annum sexcentesimum semel immersisse, testis est Gregorius M. Epistolâ ad Leandrum, episcopum Hispalensem a. Verba ejus adferam: *De trinâ mersione baptismatis nil responderi veriùs potest, quàm quod ipsi sensistis, quòd in unâ fide nil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod siquis fortè etiam pro summa Trinitatis veneratione existimet fieri; neque ad hoc aliquid obsistit baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel, immergere; quando & in tribus mersionibus personarum trinitas, & in unâ potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur: fiendum apud vos* b *esse non censeo: ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumque, quod faciebant, faciunt, se morem vestrum* c *vicisse glorientur.* Sententia Gregorii est, etsi in Ecclesia Romana trina fiat immersio, ad repræsentandum triduanam Christi sepulturam, & fortasse etiam Trinitatem exprimendam: tamen Hispanos rectiùs facturos, si semel immergendi consuetudinem reservent. Nam cùm Arriani apud eos ter immergant, ut ostendant, Filium, & Spiritum sanctum, non esse ejusdem οὐσίας: omnino fore, ut si & ipsi ter mergere occipiant, in istorum concessisse sententiam videantur. Hoc Gregorii judicium tempore Honorii Papæ secutum est Concilium Toletanum IV: cujus hæc sunt verba can. V. d: *De baptismi sacramento, propter quod in Hispaniis quidam sacerdotes trinam, quidam simplicem mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur.* Paullò pòst citantur superiora Gregorii verba; quibus ista subjunguntur: *Quapropter, quia de utroque sacramento, quod fit in sancto baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque*

a Registri lib. 1. indict. 9. c. 41. Itemque Decret. T 3. De Consecrat. dist. 4. can. De trina.

b In Parisina Gregorii editione anni 1542 pro vos malè editum est nos.

c Pro vestrum eadem editio malè habet nostrum.

d Juxta vulg. edit. sed in edit. Garsiæ Can. 6.

que irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur: propter vitandum autem a *schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplicem teneamus baptismi mersionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, haereticorum probare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium sacramenti; videat in eo mortem, & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est: & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem divinitatis, & trinitatem personarum ostendi: unitatem, dum semel immergimus; trinitatem, dum nomine Patris, Filii, & Spiritus S. baptizamus.* Verba hujusce canonis, quae jubent *simplam tenere mersionem*, etiam citantur à Gratiano decreti part. III. de Consecr. Dist. IV. can. Propter. Meminit etiam hujusce rei Walafridus Strabo lib. de rebus Eccles. cap. XXVI: *Alii trinam immersionem volunt in similitudinem tridnanae sepulturae; ut in Canonibus Apostolorum statutum habetur, & Romanorum consuetudo observat: alii unam, propter divinitatis unitatem, contendunt: ut in concilio Toletano plenissime habetur: ubi etiam commemoratur, quòd B. Gregorius interroganti super hac Leandro inter caetera ita responderit: quia in una fide nihil officit Ecclesiae consuetudo diversa.*

a Autem videtur redundare: etsi tam in Garsiae sit editione, quàm vulgatâ.

THESIS IV.

Quamquam verò Gregorii, & Toletani concilii sententiam non ausimus improbare: tamen tanti ponderis apud nos esse non debet, ut iccirco simplam mersionem in Ecclesias, quae cum Arrianis conflictantur, inducendam putemus. Nam non minus haeretici fuerunt, qui unam, quàm qui ternam usurparent. Si igitur simel mergendum, ne videamur in eorum concedere sententiam, qui dividunt Deitatis essentiam: pariter dicere liceat, ter esse mergendum, ne aliqua videatur esse contesseratio inter nos, & eos, qui unam statuunt Deitatis personam. Nec solùm nihil caussa est, cur recedamus à consuetudine ter immergendi: verùm graves etiam rationes possimus adferri, cur hunc ritum alteri praeferamus. Nam quis Ecclesiae filius non lubens amplexetur morem eum, quem vetus Ecclesia ubique terrarum usurpabat olim; solis exceptis Hispanis; idque demum, ut videtur, circa annum sexcentesimum; neque id aliâ de caussâ, quàm odio haereticorum? Quid quod hodie trina immersio ubique obtinet terrarum? ut omnino consuetudo ista mutari non possit sine temerario novitatis studio, & scandalo infirmorum. Denique adde, quòd dum ad personarum singularum nomen tingimur, clariùs nobis ob oculos ponitur triplex Dei beneficium; Patris quidem in Filio nos adoptantis, Filii nos sanguine suo à peccatis abluentis, & Spiritus corda nostra obsignantis in diem redemtionis.

b Cap. 26. Walafrido Straboni *b* caussa, ob quam Hispanos patres semel immersisse dicebamus, non satis gravis visa est: quemadmodum ostendunt haec verba ejus, quae subjungit antea citatis: *Quae singularis mersio, quamvis tum ita Hispanis complacuit, dicentibus, trinam mersionem, ideo vitandam, quia haeretici quidam dissimiles in Trinitate substantias dogmatizare ausi sunt, ad consubstantialitatem S. Trinitatis negandam: tamen antiquior usus praevaluit, & ratio supradicta. Si enim omnia deserimus, quae haeretici in suam perversitatem traxerunt; nihil nobis restabit: cùm illi in ipso Deo errantes, omnia, quae ad ejus cultum pertinere visa sunt, suis erroribus quasi propria applicarint.* Optimè Walafridus. Nam si propter haereticos ter immergentes semel immergere oportet: itidem, ob semel immergentes, ter mergitare necesse erit. Semel autem immergebat Eunomius: qui pejus etiam de filii Deitate, quàm Arrius, sentiebat. De simplici hac Eunomii immersione ita scribit Theodoretus lib. IV. haereticarum fabularum *a*: Τὸν ἀνέκαθεν παρὰ τοῦ Κυρίου, καὶ τῶν Ἀποστόλων, παραδοθέντα θεσμὸν, συνέχεε, ἄντικρυς ἀντινομοθετήσας μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, μηδὲ ποιεῖσθαι τῆς Τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ. *Subvertit quoque sancti baptismi ritum à Domino, & Apostolis, ab initio traditum; & contrariam legem aperte tulit, dicens, non oportere ter immergere eum, qui baptizatur; nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi.* Quemadmodum & iidem Eunomiani in eo à ritu vulgari discedebant, quòd inferiores corporis partes baptismo non dignarentur. Unde ibidem Theodoretus ait: Βαπτίζοντες μέχρι τῶν στέρνων τῷ ὕδατι δεύουσι, τοῖς δὲ ἄλλοις μορίοις τοῦ σώματος ὡς ἐναγέσι προσφέρειν τὸ ὕδωρ ἀπαγορεύουσι· οὗ δὴ χάριν, κειμένῳ εἰς πύελον ἐβάπτιζον, ἔξω τὸν ἄνθρωπον ταύτης ἑστῶτες, τὴν τούτου κεφαλὴν μέχρι τῶν στέρνων ἅπαξ εἰς τὸ ὕδωρ κατῆγον. *Baptizantes ad pectus usque aquâ madefaciunt: reliquis autem partibus corporis tanquam abominandis, aquam adhibere prohibent. Quâ de caussa, quando in solio sive labro baptizabant, exteriùs constituto homine, caput ejus pectore tenus semel in aquam deprimebant.* Narrat ibidem, ut cùm aliquando caput quidam in mergendo ad labrum allidens vulnus accepisset, aliam excogitarint baptismatis formam: quae cujusmodi fuerit, vide cùm apud eundem Theodoretum, tum etiam Nicetam Choniaten Thesauri orthodoxi lib. V. cap. XXXVII. His igitur de caussis ternam immersionem retinemus: non ob rationes illas mysticas, quas juniores excogitarunt: uti Albinus, seu Alcuinus Flaccus de divinis Officiis cap. de Sabbatho sancti Paschae *b*: *Rectè homo, qui tertio gradu peccat, id est, consensu, cecidit in mortem, tertio elevatur, ut de fonte per gratiam resurgat ad vitam.* Item Honorius in Gemma animae lib. III, cap. CXI: *Ter mergitur, quia anima tribus modis, scilicet cogitatione, locutione, & opere moritur; & his tribus mortibus per fidem Trinitatis eripitur. Ter etiam ideo mergitur, quia omne peccatum tribus modis, scilicet suggestione, delectatione, consensu, committitur. Ter quoque ideo mergitur, ut homo a naturalis, & à scripta Legis, & Evangelii praedicatione salvatur.* De immersione hactenus. Accedamus nunc ad formulam verborum, quae in baptismo usurpatur.

a Fol. 105. edit. Rom.

b Tom. I Auctarii Bibliothecae Patrum col. 258.

THESIS V.

DE FORMULA BAPTISMI.

Necessaria verborum formula, quâ in baptizando uti nos jusserit Christus, nulla, ut putamus, in Scripturis invenitur. Neque nescimus, non junioribus modò, sed etiam veteribus, feri ita persuasum esse, Salvatorem nos istis verbis adstrinxisse. Baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. *Verùm huic sententiae obstat, quòd non ait Christus,* Ite, & docete omnes gentes, dicentes: Baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. *sed contentus sit dixisse,* Baptizantes: *quod fieri potest, etiamsi simpliciter dicatur,* Baptizo te in nomine Dei, *vel* Jesu Christi. *Nam* baptizari in alicujus nomen, *est ei per ablutionem initiari, & consecrari in religionem, & cultum, ut illius arbitrio vivamus. Atqui hoc fit, seu dicas in nomen Dei, seu Trinitatis, seu Patris, Filii, & Spiritus S. seu Jesu Christi, seu simile quid, sed ἰσοδυναμοῦν. Itaque licet in Actis* c *legamus, Apostolos baptizâsse in nomen Jesu: non tamen hac formulâ esse usos consequitur,* Ego te baptizo in nomen Jesu: *similiterque nec cum jussi sunt baptizare in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, eò jussi sunt hanc formulam usurpare,* Baptizo te in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. *Sed tum qui diceret,* Bapti-

c Act. 2. 38. & 8. 16. & 19. 5.

zo

zo te in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, *baptizaret in nomine Christi*: tum qui dicat, Baptizo te in nomine Christi, *baptizet in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Quæ etsi ita sint; omnino tamen præstat, ut tres personæ exprimantur; partim quia ita per totum terrarum orbem & olim obtinuit, & nunc fit: eoque satis verisimile est, morem istum ab Apostolico promanare exemplo: partim quia eo pacto vis, & efficacia baptismi clarius explicatur. Nam cùm Pater, Filius, & Spiritus S. nominantur: distinctè ob oculos ponitur, atque in memoriam revocatur, ut Deus Pater nos gratis adoptet in Filio; & Filius passione ac morte suâ promeritus sit remissionem peccatorum, vitamque æternam; & Spiritus Sanctus creet in nobis cor novum, quo in novitate spiritûs serviamus Deo.*

Utrùm verò etiam ministerialis caussa mentio fiat, quod nunquam facere solent Ecclesiæ Græcæ; parùm, aut nihil, referre arbitramur.

Formula, quâ Occidentis Ecclesiæ uti solent, hujusmodi est: *Ego te baptizo in nomine* (vel nomen) *Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Continet ea caussam baptismi efficientem tum principalem, quæ Trinitas est: tum instrumentalem, quæ est minister. Sed minister, etsi proxima & immediata sit caussa exterioris baptismi, tamen à Græcis omitti solet. Tali enim formulâ uti solent, *Baptizatur servus Christi &c.* Quos verè baptizare, etiam Ferrariense seu Florentinum Concilium agnovit. Cur eam prætereant, ista à Thoma Aquinate, Alphonso Castrensi, atque aliis, caussa adfertur; quia, initio nascentis Ecclesiæ, alii aliis eo se nomine præferrent, quòd à præstantiori ministro baptizati forent. Atque hoc probatum eunt ex ipso gentium Apostolo, qui ad Corinthiorum Ecclesiam ita scribit epist. 1. cap. 1 [a]: *Significatum est mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrûm dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Isti malo obviam se utcunque ituros putabant Orientales Ecclesiæ, (in quibus Euangelium primò prædicatum fuit) si, tertiâ utentes personâ, se ministros tantùm baptismi esse eâ formulâ ostenderent, quam diximus.

[a] Vers. 11. 12. 13.

Multimodis verò hic errat Innocentius in cap. 1. de baptis. & ejus effectis. Negat enim, legitimum fore baptismum, si Græcus in Occidentali Ecclesia suam formulam usurpet. Nam si Ecclesia variare nequit essentias rerum: quod uno in loco sacramentum est, id ubique erit sacramentum. Unde meritò Innocentii errorem refellit Adrianus in IV. sentent. quæst. 1. art. 3 [b]. Ac spissius idem Innocentius peccat, cùm pro baptismo haberi posse negat, siquis dicat, *Ego Petrus, vel ego sacerdos, baptizo te, &c.* Nam nihil hìc variatur de essentia non solùm principalis, sed etiam ministerialis caussæ. Idem Innocentius non agnoscit pro baptismo vero, siquis pro *baptizo* dicat *balneo*, aut *abluo*. Et glossator Decreti super can. *Multi*, de consec. distinct. II negat, sacramentum fore, si dicatur, *Ego te mergo.* Cui etiam assentit Alexander Alensis IV partis, quæstionis XIII, memb. III, art. III. Similiterque Gabriel in quartum distinct. III, quæst. unicâ circa finem; ac rationem addit, quia verba non sint synonyma verbo *baptizo*; eo quòd *baptizo* non quamlibet significet ablutionem, sed hanc sacram. Verùm hæc ingentem partim Græcanici sermonis ignorantiam, partim superstitionem in verbis, ostendunt. Quamquam enim verbum *balneo* licenter nimis usurparetur, cùm illud alium significet effectum; uti etiam siquis dicat, ego te in aquas præcipitem do: tamen de *tingo*, aut *immergo*, id dici minimè potest; quando hæc idem significant, quod Græcum βαπτίζω: unde Gloss. vett. ab H. Steph. editæ, (sicut Disputat. 1. dictum) βαπτίζω, *mergo.* Et Isidorus lib. VI. Orig. cap. XIX. *Baptismus Græcè, Latinè tinctio appellatur.* Hinc Tertullianus lib. de coronâ militis cap. III. vertit *mergitare.* Idemque verba Matthæi sic citat: *Ite ad docendas, & tingendas nationes in Patrem, Filium, & Spiritum S.* Vide eum lib. de Præscriptionibus cap. VIII, & XX; lib. de baptismo cap. XIII; & lib. adversus Praxeam cap. XXVI. Sed & Cyprianus sic citat, *tingentes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* Vide eum epist. XXIII ad presbyt. & diac. Rom. & LXXIII ad Cæcilium, & XXV ad Mosem, Max. & cæt. Confess. Etiam Hieronymus, Augustinus, alii, non rarò ita vertunt.

[b] Editionis Ascensianæ fol. 10. a.

Illa verò nobilior controversia est, utrùm baptizari quis possit in nomine Christi, non factâ mentione Patris, aut Spir. Sancti. Multis id placet; idque iccirco, quòd Apostoli nusquam leguntur aliter baptizâsse, quàm in Jesu Christi nomine. Ut Act. XIX: *Atque, his auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu Christi.* Et Paulus ad Gal. III. 27: *Quicunque baptizati estis, Christum induistis.* Hinc Ambrosius lib. 1. de Spir. S. cap. III: *Sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quia unum nomen, potestas una: ita etiam, ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritûs, designatur; non solum ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur, & Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium, & Spiritum. Denique & Æthiops, eunuchus Candacis reginæ, baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.* Et aliquanto pòst: *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum abneges; plenum est fidei sacramentum.* Ac mox: *Cum enim dicitur, in nomine Domini nostri Jesu Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est.* Et paullò pòst: *Qui unum dixit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas; & Deum Patrem, à quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum, quo unctus est, designasti. Et si Patrem dicas; & Filium ejus, & Spiritum oris ejus, pariter indicâsti: si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas; & Deum, à quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupâsti.* Secutus verò hac parte, ut facere solet, Basilium; cujus ista verba περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος: Ἡ γὰρ Χριστοῦ προσηγορία τοῦ παντός ἐστιν ὁμολογία· δηλοῖ γὰρ τόν τε χρίσαντα Θεόν, καὶ τὸν χρισθέντα υἱόν, καὶ τὸ χρίσμα τὸ πνεῦμα. Ambrosii sententiam probavit ante annos septingentos & sexaginta Nicolaus Pontifex can. *A quodam*, de consect. d. 4. ubi ait: *Si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi (sicut in Actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius) rebaptizari non debent.* Eadem multorum, & Patrum, & Scholasticorum, mens fuit: quales à Dominico Scoto [a] nominantur isti; Cyprianus epist. ad Quirinum, Athanasius lib. de Trinit. & Spir. S. scriptor imperfecti operis in Matth. hom. III, Beda super Luc. cap. II. Hugo lib. II. de Sacram. part. VI. cap. III; & secundùm hos Magister Sent. lib. IV. dist. III, item Altisiodorens. lib. III. tract. III. cap. IV. quæst. II, & Alexander IV. part. XIII. quæst. III. memb. III. art. ut Bonaventuram, Paludanum, Marsilium, Cajetanum, atque alios mittam: qui omnes, ut Scotus fatetur, putant, etsi explicitè una nominetur persona; tamen, si corde confiteamur Trinitatem, implicitè alias contineri; eòque verum, & legitimum esse baptismum, qui fit solius Christi nomine in formulâ expresso.

[a] In 4. Sent. dist. 4. quæst. unica art. 6.

Thomas tamen Aquinas in IV. Sent. dist. III. contrariam sequitur opinionem. Qui pro se citat Zachariam Papam can. in synodo de consecrat. dist. quartâ, ubi ait: *Perfectus Christianus nemo est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. fuerit baptizatus. Nam siquis unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud*

bapti-

baptisma verum esse non posset. Similiter autem Pelagius Papa de Consecrat. d. IV. can. *si revera*, ubi ad Gaudentium Episcopum inquit, *Si revera hi de hæreticis, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, solummodo in nomine Domini baptizatos se fuisse forsitan confitentur: sine cujusque dubitationis ambiguo, eos ad fidem Catholicam venientes; in SS. Trinitatis nomine baptizabis.* Eandem sententiam multis tueri adlaborat Dominicus Scotus; qui &, ut eam SS. sanctorum Patrum fuisse ostendat, laudat illud Didymi lib. II. de Spiritu S. *Si quis ita baptizare conetur, ut unum ex prædictis nominibus omittat; scilicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; sine perfectione baptizabit.* Et hoc Fulgentii celeberrimum: *Mysterium illud redemtionis nullo modo habetur, si Patris, & Filii, & Spiritus S. nomen subtrahatur.* Quibus addere potuit Tertulliani illud de Baptis. cap. XIII: *Lex enim tingendi imposita est, & forma præscripta; Ite, docete nationes, tingentes eas in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et imprimis istud Augustini lib. VI. de Baptis. cap. XXV: *Certa sunt verba Euangelica, sine quibus non potest consecrari baptismus.* Nec dubito, quin eadem mens sit Walafridi Strabonis de divinis Officiis cap. XXVI: *Celebratur ipsum baptisma* VERUM, NONNISI IN NOMINE SUMMÆ TRINITATIS: *quod & Dominus ipse ostendit, & canones Apostolorum docent.* Et hæc quidem Patrum istorum mens fuit.

Richardus verò in IV. sent. dist. 3. art. 2. quæst. 2. neutram ausus est partem definire: sed eum, qui in nomine Christi est baptizatus, sub conditione rebaptizandum ait. Eodemque inclinat Scotus ead. dist. q. 2.

Nos Cajetani sententiam amplectimur: qui rebaptizandum negat, dummodo usurpata sit formula idem significans. Cajetanum etiam sequitur Adrianus q. 1. art. 3. quæst. 2. Imò Lutherum quoque eandem aliquando probâsse, ostendunt hæc ejus verba libro de captivitate Babylonica, cap. de Baptismo: *Alii rigidissime negantes damnant sic dici, Ego baptizo te in nomine Iesu Christi. quo ritu certum est Apostolos baptizâsse, ut in Actis Apostolicis legimus: voluntque nullam aliam deinceps valere, quam istam, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Sed frustra contendunt. nihil enim probant. sua somnia duntaxat adserunt. Quocunque modo tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit.* Eadem mens fuit Huldrici Zwinglii lib. de vera & falsa religione cap. de Baptismo *a*: *Multò vividius est, quod Græci Matth.* XXVIII. *habent: Baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. quàm in nomine: quemadmodum Latini habent. Nam in nomen baptizari, est per fidem in Deum inseri: nomen autem potentiam, majestatem, gratiam, hoc loco significare, non est novum: ipse Christus enim dicit Marci.* XVI; *In nomine meo dæmonia ejicient; id est, in mea virtute. nihil enim habebant Apostoli sive dictorum, sive factorum, quod merito sibi tribuere possent, ut inquit Paulus Rom.* XV: *& Actorum* IV *negat Petrus, ullum esse nomen sub sole, quàm Christi, in quo salvi possimus fieri: hoc est, per solam Christi gratiam. Quamvis interim, quod ad exteriorem aqua baptismum attinet,* NON VETEM, *dum tingimus aut initiamus baptismo, sacris his verbis uti; tametsi baptizare in nomen Patris, & Filii &c. revera nihil aliud sit, quàm eos, qui prius carnis erant, & mundi, jam Patri, Filio, Spirituique sancto, initiare, dedere, consecrare.*

d T. 2. fol. 201. & 202.

Similiter neque verus esse baptismus definit, si quis inscitiâ sermonis Romani rusticè ac barbarè formulam pronunciet: in quo aliquando lapsus fuit S. Winfridus, cognomento Bonifacius, quem vulgò Germanorum Apostolum vocant; sed errorem ejus castigavit Zacharias Papa; cujus hæc ad eum verba sunt *a*: *Virgelius, & Sidonius, religiosi viri apud Bojariorum provinciam degentes, suis nos literis visitarunt, per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas eis injungeret Christianos denuo baptizare. Quod audientes, nimis sumus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, si habet, ut dictum est. Retulerant quippe, quòd fuerit in eadem provincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens, Latini eloqui infringens linguam, diceret: Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritus Sancta: ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille qui baptizavit, non errorem, aut hæresin introducens, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut suprà fati sumus, baptizans dixisset; non possumus consentire, ut denuo baptizetur. Quia, quod tua bene compertum habet sancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. nullo modo rebaptizari debeat; sed per solam manus impositionem purgari debeat.* Quæ etiam legas Decret. de Consecrat. dist. IV. can. *Retulerunt.* item apud Aventinum lib. III Annalium Boiorum. *a*. Censet igitur Zacharias, sermonis barbarie non mutari veritatem baptismi: sed mutatione formulæ secundùm rem ipsam. Talis erat illa Marcitarum; qui, ut Irenæus narrat lib. I. cap. XVIII, & ex eo Epiphanius hæres. XXXIV, inter baptizandum his verbis utebantur: Εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. *In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Iesum descendit, in unione, & redemtione, & communione virtutum.* Alias etiam eorundem formulas apud eosdem vide ibidem. Erat quoque talis baptismus Eunomianorum: qui fiebat εἰς ὄνομα Θεοῦ ἀκτίστου, καὶ εἰς ὄνομα υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος: *in nomen Dei increati, & nomen Filii creati, & in nomen Spiritus sanctificativi, & à creato Filio creati.* Testis Epiphanius hæresi LXXVI *b*, quæ est Anomœorum; & ex eo Nicetas Choniates Thesauri orthodoxi lib. V. cap. XXXVII. Quare istæ demum formulæ tollunt baptismi veritatem, quæ veritati simul fidei Christianæ adversantur: quales sunt, quæ neque explicite, neque implicitè, concipiuntur in nomine Trinitatis.

a Pag. 210 edit. Bas. anno 1580.

b Pag. 419. Gr.

Atque ex his etiam elucet, quid statuendum sit de formulis, quibus Pater, Filius, & Spiritus S. nominantur; sed lacinia quædam adjectitia. Nam additamentum si Trinitatis confessionem abolet, falsus est baptismus: at verus est, si adolet, atque auget confessionis claritatem. Prioris generis est baptismus Eunomianus, quem antea retulimus. At posterioris generis erit, si baptismus fiat in nomine Patris ingeniti, Filii geniti, & Spiritus Sancti ab utroque procedentis.

Etiam Arrianos ex impio dogmate suo formulæ quædam adjicere solere; & Catholicos item, ad explicationem ejus, quædam adjicere consuevisse; eruditis aliquot viris persuasum esse video. De Arrianis, auctores sententiæ suæ laudant magnum Athanasium orat. III. contra Arrianos *c*, & B. Hieronymum adversus Luciferianos *d*: quibus in locis Athanasius quidem ait, εἰς κτίστην, καὶ κτίσμα, εἰς ποίημα, καὶ ποιητήν: Hieronymus verò dicit, baptizare eos *in Patre solo vero Deo, & in Iesu Christo salvatore creaturâ, & in Spiritu S. utriusque servo.* Sed non assecuti sunt Patrum horumce mentem. Nam si hoc vellent, hæreticos istos ejusmodi formulâ usos esse: quorsum attinebat, Athanasium mox ostendere, nihil referre, si Arriani, Patris, Filii, & Spiritus Sancti nomina retineant; cùm aliter ea, quàm Ecclesia, intelligant? vel quo pacto Hieronymus ibidem eo pugnaret argumento, quòd Luciferiani non minùs, quàm Catholici, reciperent baptizatos ab Arrianis? aut quâ fronte Hilarium, urbis diaconum, exagitaret, quòd dogmate de rebaptizandis, qui ab Arrianis venirent, orbem alioqui periturum servare sibi videbatur: unde *Deucalion orbis* ab Hieronymo ibidem appellatur? Quare illud solum Patres isti volunt; cùm verba intel-

c Pag. 219. edit. Commel.

d T. 2. p. 139. edit. Bas. 1553.

b Bonifacii epist. 134.

intelligi oporteat ex animo dicentis; utut Patrem, Filium, & Spiritum S. nominent Arriani; tamen id tantundem esse, ac si baptizare se dicant in nomen creaturæ: quippe qui Christum habeant pro mera creatura. Nec operosius est comminuere arietem, quo utuntur, ut probent, Catholicos aliquando hac formula usos esse: *Baptizo te in nomine Patris universorum, & Domini Dei, ac salvatoris nostri Iesu Christi, & Spir. S.* quod colligunt ex verbis istis Justini Martyris apolog. II. pro Christianis *a*: Ἐν ὀνόματι τοῦ Πατρὸς τῶν ὅλων, καὶ δεσπότου Θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου, τὸ ἐν ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται. Nam solùm propositum Justino fuit, baptismi formulam προσφέρειν propter gentiles, Christianæ religionis ignaros. Sed tamen demus istud viris illis eruditis, tum Arrianos, tum Catholicos, iis, quas dicunt, formulis uti solere. Sanè sic Arrianorum quidem baptismus, qui de hæresi aliquid adjungit formulæ, non erit verus baptismus, cùm proposito id Christi è diametro adversetur, ut quis in creaturæ baptizetur nomen. Catholicorum verò baptismus, qui tantùm explicationis caussâ apponit aliquid, nihilo secius baptismus erit; quia sententiam formulæ reservat. Quamquam verò concedamus, baptismum fore legitimum, etsi aliqua vel addantur, vel demantur formulæ, aut etiam verba idem significantia substituantur: tamen minimè putamus formulam veterem pro arbitrio cujusque posse innovari. Nam etsi non adstrinxerit nos Christus certis verbis: tamen satius multò judicamus, ut retineatur forma vetus; quandoquidem eam legitimè usurpari posse omnes consentiunt: utrùm verò aliâ uti liceat, adhuc disputatur. Quare incerta certis præferri non debent: præsertim ubi periculum est, ne temere innovando turbentur animi infirmorum; qui Ecclesiæ in talibus libertatem ignorant: atque etiam calumniandi ansa præbeatur hominibus malignis, & suspicacibus; qui mutationem formulæ, quasi fidei mutationem, interpretarentur. Ut de eo nihil nunc dicam, quòd formula melior non invenitur: item, quòd si tres personæ Deitatis exprimantur, faciliùs nobis in memoriam venit beneficiorum, quæ Patri, quæ Filio, quæ Spiritui S. distinctè tribuunt Scripturæ. Cujusmodi est, quod à Patre adoptamur in Filio, & Filii merito adoptamur, & adoptatio hæc Spiritûs arrâ obsignatur.

a Pag. 73 edit. Commel.

Video etiam quæstionem moveri, quid statui debeat de baptismo in Christi nomine non dato, sed accepto. De hoc ita Lutherus lib. de captivitate Babylonicâ cap. de Baptismo: *Non dubitem, siquis in nomine Domini suscipiat baptismum, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu, sita est virtus baptismi. Sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato.* Mihi verò secus videtur. Nec enim video, quomodo baptismus, quem constiterit non esse datum in Christi nomine, legitimus haberi possit. Improba tamen mens ac cogitatio sacerdotis, dummodo sana sit sermonis forma, scrupulum nequit injicere; quia non baptizamur in fide sacerdotis, sed Ecclesiæ.

DISPUTATIO TERTIA

DE

BAPTISMO;

QUÆ EST DE SIGNIFICATIONE EJUS MYSTICA.

Hactenus egimus tum de aquæ elemento, & immersionis, atque ablutionis ritu, quatenus in oculos incurrunt; tum de formula ea, quæ, cùm aliquis baptizatur, auribus percipitur. Deinceps agendum de significatione baptismi, quam Scholastici formale ejus nuncupant; haut aliter ac in sermone, quod auribus percipitur, pro materia est; quod animo per ea concipitur, pro forma censetur.

THESIS I.

IN baptismo distinctè considerandum, quid significetur aqua elemento: quid item ritu annexo. Aqua elementum designat aquam mysticam: quæ est, sanguis, ac spiritus Iesu Christi. Ἀναλογία *sacramenti in eo consistit, quòd ut aqua mundandi corporis; ita sanguis, & spiritus, abluendæ habeat animæ potestatem.*

Hinc apud Ambrosium scriptor com. in epist. Paul. in cap. VI. ad Rom. *a Ideo per aquam celebratur baptismus, ut sicut aqua sordes corporis abluit, ita & per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos nos, & innovatos credamus, ut, quod incorporale est, invisibiliter abluatur.*

a P. 198. & 199. edit. Frobeniana.

Alteram etiam similitudinem addi video, nec inconvenientem; quòd, ut aqua æstum corporis; ita spiritus Christi refrigerat æstum concupiscentiæ. Hieronymus epist. LXXXIII. ad Oceanum: *Aqua refrigerat. Sic baptismus præstat refrigerium contra concupiscentiæ ardorem.* Algerus lib. III. de Eucharist. cap. IV: *Quia aqua exstinguit, mundat, & candidat præ cæteris liquoribus; ideo etiam in baptismate carnis incentivam restinguit; peccatorum, tam originalis, quàm actualis, labem abluit; & innocentiæ candorem reducit.* Anselmus in cap. III. Matth. *a. Quæritur, quare in aqua fieri voluit remissionis sacramentum? scilicet ut flammeum gladium, id est, ignem gehennalem, nobis exstingueret; quia aqua contrarium est elementum igni.* Panormitanus in cap. Non ut apponeres de Baptism. *Aqua est igni contraria; peccatum autem comparatur igni.*

a Pag. 18 vers. penult. edit. Colon. a. 1612.

Præterea quemadmodum aqua est principium rerum; inque earum creatione *Spiritus incubabat aquis*, ut dicitur Gen. I. 3: ita placuit Deo, ut Spiritus aquâ baptismatis uteretur in regeneratione, & renovatione; quæ est ἀνάκτισις, sive altera creatio. Tertullianus lib. de baptis. cap. III: *Primus liquor, quod viveret, edidit: ne mirum sit in baptismo, si aqua animare noverunt.* Damascenus lib. II. Orthodox. Fid. cap. IX: Πρώτῳ τῷ ὕδατι προσέταξεν ὁ Θεὸς ἐξαγαγεῖν ψυχὴν ζῶσαν, ἐπειδὴ ἤμελλε δι' ὕδατος, καὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἐπιφερομένου τοῖς ὕδασιν ἁγίου πνεύματος, ἀνα-

κατίζων τὸν ἄνθρωπον. τοῦτο γὰρ ὁ θεῖος ἔφη Βασίλειος. Rabanus lib. v. de serm. propr. cap. XI: *Voluit Deus, ut res, seu gratia hujus sacramenti invisibilis per convenientiam, per contrectabile, & visibile, impenderetur elementum; super quod etiam in principio ferebatur Spiritus.* Ac similiter idem lib. I de Institut. Cleric. cap. XXX. Hæc de aquæ symbolo.

Thesis II.

Ritus adnexus est triplex: primùm immersio in aquam, & inde consequens ablutio. Deinde mora sub aqua. Ac denique emersio. Quæ ipsa partim referuntur ad memoriam historiæ Dominicæ, de Christi passione, morte, sepulturâ, ac resurrectione ejus: partim significant beneficia, quæ per hæc nobis confert Iesus Christus: partim nos commonent officii: quomodo nempe nos gerere debeamus. De his tribus ordine agendum: quorum primùm pertinet ad tempus præteritum. Nam ut aquæ immergimur, & moram sub ea ducimus, rursumque emergimus: similiter Christus, propter peccata nostra, mortuus est, & sepultus, tertioque die resurrexit vivus ad justificationem nostram: quemadmodum docet Apostolus ad Rom. IV. 25.

[a] Pag. 523 edit. Morell. an. 1608.

Iccirco Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. II [a] baptismum esse dicit τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων ἀντίτυπον· eorum, *quæ Christus est perpessus, imaginem, ac figuram.*

Thesis III.

Altera ritûs significatio pertinet ad beneficia Christi, tum præsentia, tum futura. Præsentia attendimus tum in immersione, & morâ sub aquis, ac emersione: tum ablutione, quæ immersionem, ac moram, consequitur. Immersio in aquam est immersio in Christi sanguinem, ac spiritum: hoc est, conjunctio cum Christo, ut capite, & Ecclesiâ, ut corpore ejus: unde & Christi *nomine interdum appellatur.*

Hanc significationem indicat Apostolus Gal. III. 27. 28 *Nam quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu.* I Cor. XII. 13: *Etenim per unum spiritum omnes in unum corpus baptizati estis.* Coloss. I. 24: *Reliquias afflictionum Christi expleo in carne mea, pro corpore ipsius, id est, Ecclesia.*

Thesis IV.

Præterea quatenus distinctè consideramus immersionem in aquam, moram sub aqua, emersionem ex aqua: distinctè etiam attendimus, quomodo vetus noster homo moriatur, ac sepeliatur cum Christo, ac vivificatus emergat novus. Hinc Rom. VI. 3. 4. 5. 6 Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ejus baptizati sumus. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quemadmodum Christus ex mortuis surrexit per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus; scientes quòd vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ne ulterius serviamus peccato. *Idem docet Apostolus Coloss.* II II. 12. *Ubi etiam in baptismo dicimur exuere corpus peccatorum carnis.* In quo etiam circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus; dum corpus peccatorum carnis exuistis per circumcisionem Christi, consepulti cum eo per baptismum; per quem etiam cum eo resurrexistis per fidem Dei efficaciter agentis, qui suscitavit eum ex mortuis.

Scitè de hac similitudine Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi III [a]: Διὰ τοῦ βαπτίσματος λύεται τοῦ θανάτου τὸ κέντρον. κατέρχῃ μὲν γὰρ εἰς τὸ ὕδωρ, φορῶν τὰς ἁμαρτίας· ἀλλ' ἡ τῆς χάριτος ἐπίκλησις σφραγίσασα τὴν ψυχήν σου, οὐ συγχωρεῖ λοιπὸν ὑπὸ τοῦ φοβεροῦ καταποθῆναι δράκοντος. νεκρὸς ἐν ἁμαρτίαις καταβὰς, ἀναβαίνεις ζωοποιηθεὶς ἐν δικαιοσύνῃ. εἰ γὰρ σύμφυτος γέγονας τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου τοῦ σωτῆρος, καὶ τῆς ἀναστάσεως καταξιωθήσῃ. ὥσπερ γὰρ Ἰησοῦς τὰς οἰκουμενικὰς ἁμαρτίας ἀναλαβὼν, ἀπέθανεν, ἵνα θανατώσας τὴν ἁμαρτίαν ἀναστήσῃ σε ἐν δικαιοσύνῃ· οὕτω καὶ σὺ καταβὰς εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ τρόπον τινὰ συνταφεὶς, ὥσπερ ἐκεῖνος ἐν τῇ πέτρᾳ, ἐγείρῃ πάλιν ἐν καινότητι ζωῆς περιπατῶν. *Per baptismum solvitur mortis stimulus. Descendis quidem in aquam ferens peccata: sed gratiæ invocatio signans animam non permittit deinceps ab horrendo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, & adscendis vivificatus in justitiâ. Nam si insitus factus es similitudini mortis Salvatoris; etiam resurrectione dignus effecteris. Quemadmodum enim Iesus mundi totius peccata recipiens, mortuus est, ut mortificato peccato restitueret te justitiæ: sic & tu descendens in aquam, & quodammodo consepultus illi, sicut ille in petrâ, exsurgis, rursus in novitate vitæ ambulans.*

[a] Pag. 62. edit. Morelli.

Similiter Chrysostomus in Joa. cap. III homil. ad illud, *Nisi quis renatus f. e. a. e. s.* [b] Ἡμῶν, καθάπερ ἔν τινι τάφῳ, τῷ ὕδατι καταδυόντων ἡμῶν τὰς κεφαλὰς, ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος θάπτεται, καὶ καταδὺς κάτω κρύπτεται ὅλος καθάπαξ. εἶτα ἀνανευόντων ἡμῶν, ὁ καινὸς ἄνεισι πάλιν. *In aqua, tanquam in sepulcro quopiam, caput immergentibus nobis, vetus homo sepelitur, ac demersus totus inferius occultatur. Deinde nobis emergentibus, novus inde exsurgit.* Quæritur, quomodo ad Rom. VI. 4, & Coloss. II. 12, dicamur συνταφέντες, sive consepulti; cùm in baptismo nulla appareat corporis nostri sepultura. Sed optimè hoc declarat Chrysostomus: *Quod*, inquit, *in Christo factum est per naturam, id in nobis fieri intelligi per analogiam, & proportionem.* Nempe in baptismo nostro, ut antea dictum, per moram sub aquis designatur sepultura corporis peccatorum, sive veteris Adami. Similitudo in eo consistit; quòd ut cadaver terrâ obruitur, ac premitur; ita in baptismo homo obruitur aquis: & ut homo premitur aquis; ita vis peccatrix in nobis prematur, & enervetur; ne ulteriùs nos impellat, quò velit; vel salutem nostram impediat. Addit deinde utrobique Apostolus, nos etiam cum Christo resurrexisse: ubi similis ratio obtinet, ac in priori. Nam ut Christus non mansit in morte, sed resurrexit: ita nos virtute, & efficaciâ resurrectionis ejus, resurgimus & ipsi à peccatis, *ut vivamus justitiæ*: quemadmodum ait Petrus prioris epist. cap. II. vers. 24. Ubi videmus, non solùm immersionis meminisse, & emersionis; sed etiam occultationis: id est, medii illius intervalli, quo sub aquis moramur. Nam ut corpus sub aquis quasi sepelitur: ita etiam peccata nostra sepeliuntur coram Deo: hoc est, non imputantur nobis, sed habentur quasi pro mortuis, & sepultis. Emergit homo: sed demerguntur peccata, ut exeat is mundus, ac sine macula. Augustinus homil. XCI de Tempore: *Quando in salutari lavacro tertiò Christiani merguntur: tunc Ægyptii, id est, originalia peccata, vel actualia crimina, quasi rubro mari sepeliuntur.* Arator lib. II. histor. Apost.

[b] Pag. 126. edit. Commel.

—— Omnia dæmonis arma
His merguntur aquis, quibus ille renascitur infans,
Qui captivus erat.

Seu igitur originale, seu actuale delictum, attendas; adhæc qualecunque, & quantumcumque, imò etiam quotcumque, veniam consequimur. Unde baptismus Tertulliano lib. IV. adversùs Marcionem cap. IX dicitur *lavacrum compendiatum.* Nisi scripserit, *compendiarium.* Origenes homil. XV. in Jos. *An non ita credimus, quia omne genus peccati, cum ad salutare lavacrum venimus, aufertur?* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi

chesi XVIII a: Ὥσπερ πληγῆς προχωρησάσης ἐν τῷ σώματι κἂν θεραπεία γένηταί τις, ὅμως ἡ οὐλὴ μένει· οὕτω καὶ ἡ ἁμαρτία πλήσσει τὴν ψυχὴν, καὶ τὸ σῶμα, καὶ μένουσιν οἱ τύποι τῶν ἥλων ἐν πᾶσι· περιαιροῦνται δὲ μόνον ἀπὸ τῶν λαμβανόντων τὸ λουτρόν. *Ut enim plagâ acceptâ in corpore, etiamsi curata sit, cicatrix tamen manet: sic & peccatum vulnerat corpus, & animam; & manent signa cicatricum in omnibus. Tolluntur autem tantum ab iis, qui lavacrum baptismi acceperunt.*

a Pag. 490. edit. Morell. a. 1608.

Ambrosius lib. I. de pœn. cap. VII: *In baptismo est remissio omnium peccatorum.* Cæsarius, sive alius sub nomine Eusebii Emiseni serm. fer. VI: *Ecce quicquid iniquitatum sempiternus ignis excoquere, & expiare vix posset, subitò sacro fonte submersum est, & de æternis debitis brevissimo lavacri compendio* b *eum indulgentissimo creditore transactum est.* Gregorius Magnus lib. IX. epist. XXXIX: *Qui dicit peccata in baptismo non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

b *Ut Tertullianus, sicut paullo ante dixi*, lavacrum compendiatum.

Imò, si aliquos audimus, ipso *baptismi* vocabulo commonemur, omnia in eo peccata cadere. Sanè Anastasio, Sinaitæ monacho, posteaque Antiocheno patriarchæ, qui Mauritii Imperatoris tempore claruit, βάπτισμα dicitur, quasi βάπτωσμα, ἐν ᾧ βάπτεται, ἤγουν πίπτει τὸ πταῖσμα· hoc est, *abjectio lapsus, puta in quo abjicitur, seu cadit, peccatum.* Atque idem iisdem verbis apud Camertem Phavorinum legas. Sed non hoc tam ἔτυμον est, quàm allusio, & durior quidem; ut multæ illius ætatis.

THESIS V.

Atque hæc de immersione, & emersione. Ablutione verò, quæ immersionem, & moram sub aquis consequitur, indicatur ablutio sordium animæ à peccatis; quæ partim fit sanguine Christi, quo reatus peccati remittitur ad justificationem nostri: partim Spiritu Christi, quo concupiscentia, seu peccatum inhabitans, quasi letali vulnere inflicto, paullatim occiditur ad sanctificationem nostri.

Act. XXII. 16: *Exsurge, baptizare, & ablue peccata tua.* I Cor. VI. 11: *Abluti estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Ephes. V. 26: *Christus mundavit Ecclesiam suam lavacro aquæ in Verbo.* Hebr. X. 22: *Abluti corpus aquâ mundâ.* I Joa. I. 8: *Sanguis Iesu Christi, filii Dei, emundat nos ab omni peccato.* Videmus, ut nunc aquâ dicamur mundari, nunc sanguine: videlicet quia aqua est symbolum sanguinis; atque hæc duo in legitimo baptismi usu concurrunt. Porrò quod ob hanc sacramenti similitudinem vocatur ablutio à peccatis, id propriè magis appellatur remissio peccatorum. Unde & dicimur baptizari in remissionem peccatorum. Ut Act. II. 38: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum.* Pro quo etiam dicimur *baptizati in mortem Christi.* Ut Rom. VI. 3: *Quotquot in Christum Iesum baptizati sunt, in mortem ejus esse baptizatos. In mortem* ait, pro in remissionem peccatorum morte Christi impetratam: ut caussa ponatur pro effectu.

THESIS VI.

Quia verò, qui sordidi peccatis immergebamur aquâ, mundi emergimus, & Spiritus S. luce, tanquam veste splendidâ, circumfusi: eò in baptismate etiam dicimur Christum induere: ut ad Gal. III. 26. 27: Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu. Nam quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis. *Ubi quòd Christum induere in baptismo dicimur, bifariam exponitur à veteribus. Vel quia per Spiritum sanctum inserimur Christo, & hac nostri cum unigenito, & naturali filio conjunctione gratiosè fimus filii Dei. Vel etiam, quia Spiritu Dei intus renovamur ad novam vitam, & eo tanquam veste splendidâ circumfundimur; ita ut nativa veteris hominis macula, ac ruga, contegantur; proque iis pietas, ac sanctimonia, reluceant in conversatione, ac vita.*

Hinc Basilius de S. Baptismo, & Cyrillus Hierosol. in præfat. Catech. βαπτισμός ἐστιν ἔνδυμα φωτεινόν. Et moris fuit in Ecclesia veteri, ut ad testationem ejus rei in baptismo induerentur veste candidâ: qua de re abunde dicetur, cùm Ceremonias baptismi, quæ in veteri Ecclesia obtinuere, explicabimus.

THESIS VII.

Vidimus de beneficiis Christi præsentibus. Præterea verò futurum nobis beneficium Christi obsignat Deus. Quemadmodum enim in baptismo aquis immersi mox emergimus salvi: ita futurum est, ut, licet calamitatibus in hac vita premamur, non tamen opprimamur; sed, iis tandem liberati, in perennia gaudia transferamur.

Aquis autem calamitates camparari, satis liquet ex 2 Sam. XXII. 17. & Psal. XVIII, 17: *Extraxit me de aquis multis.* Item ex Psal. XXXII. 6. LXIX. 2. 3. 16. CXLIV. 7.

THESIS VIII.

Adde quòd cùm baptismo significetur mors, sepultura, ac resurrectio Christi: ejus autem resurrectio gloriosa nostræ resurrectionis sit pignus: ex baptismo nostro cognoscere licet, quòd uti aquis quasi sepulti mox exsurgimus; ita die ultimo è sepulcris suscitabimur ad gloriam, vitamque æternam.

Hinc Theodoretus in epitome de divinis decretis cap. de baptismo: Ἀρραβὼν γάρ ἐστι τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ τῆς ἐσομένης ἀναστάσεως τύπος. *Est enim arra futurorum bonorum, & futuræ resurrectionis typus.* Per futura autem bona intellige vitam æternam. Unde Nazianzenus Orat. XL. in S. baptisma a: ἡ γέννησις ἐκ βαπτίσματος πᾶν ἀπὸ γενέσεως κάλυμμα περιτέμνει, καὶ πρὸς τὴν ἄνω ζωὴν ἐπανάγει. *Nativitas ex baptismo omne id, quod à nativitate contractum est, velamen amputat, & nos ad supernam vitam revocat.* Quæ convenienter dicuntur verbis Christi Marci XVI. 16. *Quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.*

a Pag. 637. edit. Morell.

THESIS IX.

Hæc dicta sunto de significatione baptismi secunda; quæ designat beneficia Christi tum præsentia, tum futura. Tertia superest significatio: quæ est admonitio officii nostri. Nempe ut veterem hominem mortificantes, & peccata nostra abluentes, magis & magis in vita nova ambulemus. Præterea ut, quia in unum corpus baptizati sumus, concordes sub uno capite Christo vivamus.

Baptismus officium suum ob oculos ponit baptizatis, tum illud, quod ad Deum ἀμέσως pertinet, tum quod proximo debetur. Per omnem enim vitam admonet nos, ne mundo nos immergamus, & misceamus, quando in baptismo Christo immersi, arctèque conjuncti sumus: nec peccatorum sordibus nos polluamus; qui, cùm baptizaremur, *stolas nostras lavimus, & dealbavimus in sanguine Agni* b: neque carni, aut diabolo vivamus, qui mundo nos, & satanæ abrenunciare, & Deo vivere velle, respondimus. Deus enim in baptismo bonam à nobis conscientiam stipulatus fuit, & nos eam promisimus illi: unde baptismus à Petro I. III. 21. vocatur *munditiei*

b Apoc. 7. 14.

ἀγ-

ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν. Ac Tertullianus quoque tum ad Petri hunc locum, tum catechistarum interrogationes attendens, lib. de Resurrectione carnis, *Anima*, inquit, *non lavatione, sed responsione sancitur.*

Eodem verò nos commoneri, ut tanquam unius corporis membra, alii alios diligamus, & fraternam concordiam colamus: satis indicat Apostolus 1 Cor. XII.13: *In uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive gentiles; sive servi, sive liberi.* Et vers. 20: *Multa quidem membra, unum autem corpus.* Et Eph. IV. 3.4.5: *Sollicite estote servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus; sicut & vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

THESIS X.

Quacunque verò hactenus diximus de significatione baptismatis, satis clarè elucent in ritu immersionis, & tinctionis: non aquè, si adspersio sola fiat. Nec tamen putandum, omnem eâ aboleri ἀναλογίαν: quandoquidem adspersione aqua etiam fit ablutio: eóque per exteriorem illam adspersionem, & mundationem, apertè indicatur adspersio, ac mundatio interior, quæ fit sanguine Christi, & aquâ Spiritus Sancti.

De hujusmodi adspersione loquitur Jes. LII.15: *Adsperget sanguine suo gentes multas.* Ezech. XXXVI. 25: *Adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris.* Et Petr. 1. epist. 1.2: *Electis in obedientiam, & adspersionem sanguinis Christi.* Imò adspersione hac etiam officii nostri commonemur. Quia sine mystica adspersione solo infecundo, & arido, similes sumus: unde Cassiodorus in illud Psal. XXIII.2: *Super aquam refectionis educavit me: Aqua,* inquit, *refectionis est baptismi lavacrum, quo anima sterilis ariditate peccati ad bonos fructus inferendos divinis muneribus irrigatur.*

FINIS.

DISPUTATIO QUARTA
DE
BAPTISMO;
QUÆ EST
DE FINE, ET TRIPLICI
BAPTISMATIS EFFECTU;
uti & tribus beneficiis, quæ effectu tertio continentur.

EX iis, quæ de significatione baptismi dicebamus, etiam de fine, & effectibus ejus, judicium fieri potest; quando, ut Scholastici dicere solent, sacramenta nihil efficiunt, quod non significent. Est vero effectus is triplex: regeneratio, adoptio, & receptio in fœdus gratiæ. Receptio verò & ipsa continet tria: primum remissionem peccatorum, sive ablutionem per sanguinem Christi. Deinde renovationem, sive donum Spiritus Sancti. Denique salutem, sive vitsm æternam. Vidimus, quæ promittat disputatio hæc QUARTA. Cæterum tam multa, magnaque, non ita sunt tribuenda baptismo, ut detractum aliquid eamus sanguini, & spiritui Christi. Quare prioribus ordine expositis, videndum erit, quâ mente ea Christi sint propria: quâ item tribuantur sacramento baptismi. Ubi opera dabitur, ut neque accedamus Messalianis, qui jam olim putarunt nullam esse vim & efficaciam baptismi: neque tantum ab iis abeamus, ut quæ virtuti debentur spirituali, ea adsignemus signis corporalibus. Ac de his agam disputatione QUINCTA. Cæterum ex iis, quæ quartâ, quinctâque disputstione dicentur, variæ resultant quæstiones: præsertim ex eo, quòd tribuitur baptismo remissio peccatorum. Quæ si perfecta est, unde est, quòd baptizati etiam, seu infantes, seu adulti, cum tot morbis conflictentur? unde morbus concupiscentiæ, quicum per omnem vitsm certandum? unde jus magistratui, etiam puniendi delicta ante baptismum commissa? His igitur, & similibus, occurremus disputstione SEXTA. Atque hujusmodi quidem argumentum destinavimus disputstionibus tribus, quæ proxime consequentur. Quorum promissa deinceps solvere aggredior.

THESIS I.

CUM *triplex sit tum finis, tum effectus baptismatis; princeps in his locus debetur ei, quod hominem regeneret. Quod universa sensit antiquitas, persuasa illis Christi verbis apud Joannem* III. 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.

Itaque Justinus Martyr, dial. cum Tryphone a, bapti- a p.178.
smum appellat ὕδωρ τῆς ζωῆς. Irenæus lib. 1. cap XVIII, edit. Commelin.
τὸ βάπτισμα τῆς εἰς Θεὸν ἀναγεννήσεως. Theophilus ad

Auto-

a In Orthodoxographis pag. 308.

Autolycum libro secundo *a*: καὶ ταῦτα εἰς παράδειγμα τοῦ μέλλειν λαμβάνειν τοὺς ἀνθρώπους μετάνοιαν, καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν διὰ ὕδατος, καὶ λουτροῦ παλιγγενεσίας, πάντας τοὺς προσιόντας τῇ ἀληθείᾳ, καὶ ἀναγεννωμένους, καὶ λαμβάνοντας εὐλογίαν παρὰ τοῦ θεοῦ. *Et hinc notum sit mortalibus, fore ut pœnitentiam apprehendant, & peccatorum remissionem nanciscantur per aquam & regenerationis lavacrum, quotquot accedunt ad lavacrum, & regenerantur, accipientes benedictionem à Deo.* Tertullianus lib. de baptismo cap. I: *Nos pisciculi, secundum* ἰχθὺν *nostrum Jesum Christum, in aqua nascimur.* Unde videmus, quàm antiqua sit illa ἀκροστιχὶς, cujus initiales literæ Ι. Χ. Θ. Υ. Σ. Eæ significabant Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, σωτήρ. Sed gentiles inde formabant ἰχθὺς, id est, *piscis.* Quasi Christus esset piscis, Christiani pisciculi. Hoc, licet in contumeliam diceretur, lubentes tamen fassi sunt Christiani. Sumus, inquiebant, pisciculi; quia, ut pisciculi nascuntur in aqua: sic nos aquâ, & spiritu, renascimur. Sed illustre inprimis est illud B. Cypriani lib. I. epist. II. ad Donatum; *Ergo cùm in tenebris, atque in nocte cæca jacerem, cùmque in salo jactantis seculi nutabundus, ac dubius, vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus: difficile prorsus, ac durum, pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset; Atque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quòd prius fuerat, deponeret, corporis licet manente compage, hominem animo, ac mente mutaret.* Et aliquibus interjectis: *Sed postquam, undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe detersâ, in expiatum pectus, ac purum, desuper se lumen infudit; postquam cælitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit: mirum in modùm protinus confirmare se dubia; patere clausa; lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur, ut esset; agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus S. animaret. Scis ipse profectò, & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quidve contulerit, mors ista criminum, vita virtutum. scis ipse, nec prædico.* Athanasius epistolâ ad Marcellinum, de interpretatione Psalmorum *b*: Τοὺς δὲ βαπτιζομένους, καὶ λελυτρωμένους ἀπὸ τῆς φθαρτῆς γενέσεως βλέπων, καὶ θαυμάζων τὴν τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίαν, ᾀδέ εἰς ὄνομα τοῦ τριακοστοῦ πρώτου. *Baptizatos autem conspiciens, & liberatos à corruptibili nativitate, ac proinde admirans Dei in homines humanitatem, canet super illis Psalmum* XXXI. Cyrillo Hierosolymit. præfat. catechef. inter elogia cætera vocatur παλιγγενεσία ψυχῆς, *animæ regeneratio.* Optatus Milevitanus lib. II. adversùs Parmenianum: *In Sacramentis Trinitatis occurrit fides credentium, & professio, quæ apud acta conficitur angelorum; ubi miscentur cælestia & spiritualia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritualiter Deo. Sic fit hominum Pater Deus; sancta fit mater Ecclesia.* Eidem lib. V, cùm aliis effertur præconiis; tum quòd sit *nativitas immortalis.* Apud B. Hieronymum, B. Chrysostomum, B. Augustinum, & alios ejus ævi, tam multa hujusmodi invenio, ut satius videatur, nihil, quàm aliquid dicere. Leo Magnus serm. IV in solemni nativ. *Aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & virginem.* Dionysius etiam Areopagita, qui circa hæc vixisse tempora videtur, ut alius sit ab nobili illo in Actis memorato, de Eccles. Hierarchia cap. II, ἀναγέννησιν, & θεογενεσίαν appellat. Prosper item epistolâ ad Demetriadem, *Dum*, inquit, *homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit nova creatura de veteri: vasa iræ in vasa misericordiæ transferuntur; & in corpus Christi convertitur caro peccati.* Eidem Prospero, vel potiùs Hilario Arelatensi, lib. de Vocatione Gentium, baptisma est *origo veræ vitæ, veræque justitiæ.* Cassiodorus in Cant. cap. VII: *Est fons divinus, quo fideles in novam creaturam regenerantur.* Damascenus lib. IV. Orth. Fid. cap. X: Διὰ βαπτισμοῦ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν, ἡ παλιγγενεσία, καὶ σφραγὶς, καὶ φυλακτήριον, καὶ φωτισμός.

b Tom. I. pag 751. edit. Commelin.

THESIS II.

Cum regeneratione verò conjungitur alterum baptismi effectum, υἱοθεσία, *sive adoptio.*

Unde Cyrillus Hierosolymitanus catechesi II *a* ait, nos non ob alia modò τὸ βάπτισμα, ἀλλὰ καὶ υἱοθεσίας χάριν τυγχάνειν. *verum & propter adoptionem consequi baptismum.* Conjungit itaque & Prosper ad Demetriadem. Nam cùm de regeneratione dixisset, quæ paullo antè vidimus, continuò hæc subjungit: *De impiis justi, de captivis liberi, de filiis hominum fiunt filii Dei.* Fusiùs idem deducit Beda lib. I. cap. III. in Joannem: *Peccator in fontem descendit, purificatus adscendit: descendit filius mortis, adscendit filius resurrectionis: descendit filius prævaricationis, adscendit filius reconciliationis: descendit filius iræ, adscendit filius misericordiæ: descendit filius diaboli, sed adscendit filius Dei.*

a Pag. 521. edit. Morell. an. 1608.

THESIS III.

Cumque adoptione similiter conjuncta est receptio in fœdus gratiæ, & insitio in Ecclesiam, quæ est corpus Christi, capitis nostri. De insitione ea est illud I Cor. XII. 13: Per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus. *Ubi intelligitur Christi corpus mysticum, cujus omnes fideles viva sunt membra. At de receptione in gratiæ fœdus est istud I Pet.* III. 21: Cui correspondens baptisma etiamnum nos salvat, non depositio sordium carnis, sed conscientiæ bonæ interrogatio erga Deum per resurrectionem Jesu Christi. *Sermo est de baptismate grandiorum, qui dicitur interrogatio bona erga Deum conscientiæ; sive, ut Græcè est* συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν. *Ubi* ἐπερώτημα *non simpliciter interrogationem signat; sed eam, quæ interrogationi alteri subjicitur. Nam baptizandi rogant Deum, an non Deus suus esse velit: & Deus vicissim eos rogat, & restipulatur, An non bonam conscientiam habituri sint ergo Deum. Etiam huc referri potest istud I Joan.* 5. 8: Tres sunt, qui testimonium dant in terra; Spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres in unum sunt. *Ubi per Spiritum intelligitur verbum, quod est ministerium Spiritus: per aquam verò, & sanguinem, signantur Baptismus, & Cœna. A tribus his testimonium habemus, quòd simus recepti in fœdus gratiæ. Idem etiam cognoscimus ex typis Testamenti veteris. Nam legimus Gen.* VI. 18: Statuam pactum meum tecum: & ingredieris arcam, &c. *At Petrus* I. III. 21. *cùm dixisset de arca Noë, & octo animabus in aqua servatis, subjungit:* Huic antitypon baptisma nos salvat. *Etiam Gen.* XVII. 10. *circumcisio vocatur pactum Dei, quia esset signum pacti. At in circumcisionis locum successit baptisma; ut cognoscimus ex Coloss.* II. 11.

Unde & illud μεγάλη περιτομὴ appellatur ab Epiphanio *b*: quia videlicet, ut addit, nos circumcidit à peccatis. Pleniùsque enarrat scriptor *c* de cardinalibus Christi operibus Serm. de ratione Circumcisionis: *Præcedebant olim integumenta rerum significantia abolitionem peccati, & ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc sacramentum consuetudini antiquæ subtrahere voluit Christus: & licet non esset in hoc tempore necessarium; tamen ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit circumcisionis aptari signaculum. Sanè originale pecca-*

b Tom. I. lib. I. hæres. 8.

c Qui inter Cypriana tributa legitur. Auctor ipse agnoscit, se reticuisse nomen suum. In bibliotheca Oxoniensis Collegii omnium animarum, inscribitur Arnoldo, Bonillacensi, vel Bonævallensi abbati, qui ætate B. Bernardi claruit.

tum, quòd à primis parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari; licet vim plenam significantiæ non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine.

Esse verò baptisma signaculum pacti inter Deum, & nos, etiam Dionysius Areopagita sensit: ut qui Hierarchiæ Ecclesiæ cap. III. appellet *sigillum pactionis divinæ.* Et penè seculo eo antiquior Basilius in S. Baptisma vocat σφραγῖδα ἀνεπιχείρητον *a*. Nec alia mens Cyrilli Hierosolymitani Catech. III. *b*. Τὸ μὲν ὕδωρ καθαίρει τὸ σῶμα· τὸ δὲ πνεῦμα σφραγίζει τὴν ψυχήν. *Aqua sane mundat corpus; spiritus autem signat animam.* Multoque his recentior Oecumenius, in I Petri III. 21. ἐπερώτημα exponit ἀῤῥαβῶνα, ἐνέχυρον, καὶ ἀπόδειξιν· *arrhabonem, pignus, & demonstrationem.*

a Sigillum non manu factum.
b Pag. 54.

Baptismo verò nos inseri Ecclesiæ, docet Augustinus lib. I. de peccat. mer. & remiss. cap. XXVII. ubi eum vocat *Ecclesiæ januam.* Et lib. II. de Catech. rud. cap. I, *portam gratiæ, & primum introitum sanctorum ad æternam Dei, & Ecclesiæ consuetudinem.* Bernardus serm. de cœna appellat, *Sacramentum initiationis, & intrantium Christianismum investitura.*

THESIS IV.

Hoc fœdus gratiæ tria filiis Dei præstat. Nam & peccata remittit; & donat Spiritum sanctum; & ex adoptione jus confert in hæreditatem vitæ æternæ. Quorum singula iccirco baptismi esse effecta dicuntur. De remissione peccatorum, quæ & vocatur ablutio per sanguinem Christi, satis superiori disputatione demonstravimus. Omnino igitur eorum rejicimus sententiam, qui putant, baptisma in infantibus non semper obsignare remissionem peccatorum. Quod si foret, consequeretur, sacramenta Dei in illis esse fallacia: quippe quæ gratiâ divinâ nullam ponentibus obicem, non conferrent, quod obsignarent. Hoc cùm credere non sustineat animus; profectò non tantùm ex judicio charitatis, sed etiam infallibilis veritatis, infantes baptizatos cœlo adscribimus, quotcunque priusquam ratiocinari, seque actualibus polluere peccatis, cœperint, de vita hac discesserint.

Pro hac sententia etiam est Calvinus lib. IV. Instit. cap. XVI. §. 5. *Non enim Dominus olim circumcisione dignatus est, quin eorum omnium participes faceret, quæ per circumcisionem signata tunc fuerunt: alioquin meris præstigiis ludificatus esset populum suum, si fallacibus symbolis eos lactâsset: quod solo auditu horrendum.* Aliaque in hanc mentem eopse habes capite, & præcedenti. Itaque & Cornelius Schultingius, Theologus Coloniensis, Animadversionibus in Calvini Instit. lib. IV. cap XV, Calvinum ait intelligi à Zuinglio lib. II de baptismo *c*, ubi eos reprehendit, qui putant, baptismum in hunc finem datum esse, ut fidem infirmam confirmet, & quod Deo à nobis promissum est, quasi infallibili signo obsignet. Sed est hæc ἀνιστορησία. Agnoscimus quidem, eam esse Calvini mentem; quam & ipsi amplectimur. Sed nec Calvini verba attendit; imò nec in animo habere potuit Zuinglius: cùm librum suum de baptismo jam divulgârit anno CIƆ IƆXXV: ipse decesserit an. CIƆ IƆXXXI, ætatis suæ XLIV: Calvini autem Institutio demum viderit lucem anno CIƆ IƆXXXVI *d*.

c Tom. 2. pag. 63.

THESIS V.

De adultis verò statuendum, non alios hanc remissionem consequi, quàm quos pœnitet vitæ anteactæ, quique parati sint proferre fructus dignos pœnitentiâ.

d Basileæ per Thomam Platterum, & Balthasarum Lasium.

Hinc Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone *a* baptismum nuncupat λουτρὸν τῆς μετανοίας, καὶ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν τοῦ Θεοῦ γέγονεν· *lavacrum pœnitentiæ, ac Dei notitiæ; quod propter iniquitates populorum est institutum.* Ac postea: Τὸ βάπτισμα, τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον. *Baptisma, quod solum mundare valet resipiscentes.*

a Pag. 178. edit. Commelin.

THESIS VI.

Alterum bonum, quod è fœdere gratiæ consequimur, est sanctificatio, sive renovatio nostri. Unde hanc cum regeneratione conjungi videmus ad Tit. III. 5: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus S. *Et Act. II. 38:* Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi; & accipietis donum Spiritus Sancti. *Quemadmodum verò ad regenerationem, pressius sumtam, pertinet remissio peccatorum: ita ad renovationem refertur mortificatio veteris, & vivificatio novi hominis: quæ iccirco etiam baptismo tribuuntur.*

Hæc Apostoli verbis abunde superiori disputatione comprobavimus. Nunc aliquot veterum testimonia adducam de altero hoc bono, è fœdere gratiæ promanante; quod dicebamus esse sanctificationem, sive renovationem nostri. Tertullianus lib. de Baptismo cap. IV: *De Sancto* (Spiritu) *sanctificata natura aquarum & ipsa sanctificare concepit.* Item: *Omnes aquæ sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semet ipso: & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Item: *Spiritus dominatur, caro famulatur: tamen utrumque inter se communicant reatum; spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritaliter mundatur.* Idem cap. VI: *Non in aquis Spiritum S. consequimur; sed in aqua emundati Spiritui sancto præparamur.* Quæ omnia quomodo intelligi oporteat, meliùs dicetur disputatione sequenti: quam de modo operationis instituemus. Similiaque habemus eopse libro cap. VIII: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum S. Sanè humano ingenio licebit Spiritum in aquam arcessere, & concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantæ claritatis animare: Deo autem in suo organo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem?* Quem locum eò libentiùs adduxi, ut emendarem. Planè enim censeo pro *claritatis* rescribi debere *alacritatis.* Quod optimè convenit cum sequenti verbo *animare.* Tertulliano consentit is, qui eum magistrum appellare solet: beatus videlicet martyr Cyprianus lib. IV. epist. VII ad Magnum *b*: *In baptismo omnes nequitiæ vires diabolus amittit.* Ibidem subjungit: *Sicut scorpii, & serpentes, qui in sicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non possunt, aut sua venena retinere: sic & spiritus nequam, qui scorpii, & serpentes, appellantur, & tamen per nos datâ à Deo potestate calcantur, permanere ultrà non possunt in hominis corpore, in quo baptizato, & sanctificato, incipit Spiritus S. habitare.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi secundâ *c*; Μηδεὶς νομιζέτω τὸ βάπτισμα ἀφέσεως ἁμαρτιῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ υἱοθεσίας χάριν τυγχάνειν, ὡς τὸ Ἰωάννου ἐτύγχανε βάπτισμα, μόνης ἀφέσεως ἁμαρτιῶν παρεκτικόν· ἀλλ᾽ ἀκριβῶς εἰδότες ἡμεῖς, ὅτι ὡς ἔστιν ἁμαρτημάτων καθαρτήριον *d*, καὶ πνεύματος ἁγίου δωρεᾶς πρόξενον· οὕτω καὶ τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων ἀντίτυπον. *Nemo existimet, baptisma tantum remissionis peccatorum: verùm etiam adoptionis filiorum sese accipere: sicut Joannis baptismus solam peccatorum remissionem præstabat. Nos vero* [de nostro baptismo] *certi simus: quod ita ut est peccatorum absolutio e, & donum*

b Circa medium.
c Pag. 521. edit. Morell.
d Fortasse, ὕτω trajectò legendum, ὕτω καὶ πνεύματος &c. Quod exigere videtur ἀνάλογον genuinum baptismi.
e Malim trajectâ particulâ, sic & donum Spiritus S. conciliat, & Christi passionum imaginem gerit.

Sancti

Sancti Spiritus conciliat: sic & Christi passionum imaginem gerit.

Basilius lib. de Spiritu S. cap. xv: Δύο σκοπῶν ἐν τῷ βαπτίσματι προκειμένων· καταργῆσαι μὲν τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, ὥστε μηκέτι αὐτὸ καρποφορεῖν τῷ θανάτῳ, ζῆν δὲ τῷ πνεύματι, καὶ τὸν καρπὸν ἔχειν ἐν ἁγιασμῷ. τὸ μὲν ὕδωρ τοῦ θανάτου τὴν εἰκόνα παρέχει, ὥσπερ ἐν ταφῇ τὸ σῶμα παραδεχόμενον· τὸ δὲ πνεῦμα, τὴν ζωοποιὸν ἐνίησι δύναμιν ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν ἁμαρτίαν νεκρότητος, εἰς τὴν ἐξ ἀρχῆς ζωὴν τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἀνακαινίζον. τοῦτο οὖν ἐστι τὸ ἄνωθεν γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος, καὶ πνεύματος· ὡς τῆς μὲν νεκρώσεως ἐν τῷ ὕδατι πληρουμένης· τῆς δὲ ζωῆς ἡμῶν ἐνεργουμένης διὰ τοῦ πνεύματος. *Cum duo fines in baptismo propositi sint; abolere scilicet corpus peccati, ut non amplius morti fructum ferat; & vivere Spiritu, fructumque habere in sanctificatione: aqua quidem mortis imaginem exhibet, velut in sepulchro corpus recipiens; Spiritus autem vivificans vim immittit, a morte peccati ad vitam ab initio animas nostras renovans. Hoc igitur est ex supernis natum esse, ex aqua, & Spiritu: nimirum dum mortificatio nostra perficitur in aqua, & vitam nostram operatur Spiritus.* Videmus, ut duplicem agnoscat baptismi finem: ac priùs dicat remitti peccata; quod fit divinâ misericordiâ, propter Christum: deinde ad meliorem vitam excitari; quod fit per Spiritum S. Nec enim is in iis habitare dignatur, qui sordibus peccatorum sunt immersi; sed postquam à sordibus illis mundati dignum fiunt domicilium Deo. Unde idem Basilius in Psal. xxviii *a*: Τῇ λαμπρυνθείσῃ ψυχῇ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐνιδρυθεὶς ὁ Θεός, οἱονεὶ θρόνον αὐτὴν ἑαυτῷ ἀπεργάζεται. *Splendenti animæ statim post diluvium* (baptismi) *Deus insidens, eam velut thronum sibi constituit.* Sententia est, priùs debere nos mundari baptismo, quo remittuntur peccata: iis remissis, Deum in nobis constituere thronum suum ad exercendum omne opus bonum per Spiritum suum. Multa hujus generis alibi apud eundem legas. Sed eximius de hac renovatione hominis est locus ille lib. i de baptismo, cap. ii *b*: Ὥσπερ ὁ σταυρούμενος ἀπαλλοτριοῦται τῶν ζώντων· οὕτω καὶ ὁ ἐν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου συσταυρωθεὶς τῷ Χριστῷ, ἀπαλλοτριοῦται πάντων τῶν κατὰ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ζώντων. *Quemadmodum, qui crucifigitur, à viventibus abalienatur: ita & is, qui in similitudine mortis cum Christo crucifigitur, abalienatur ab omnibus, qui secundùm veterem hominem vivunt.* Ac mox: Καὶ ὥσπερ ὁ σταυρωθείς, καὶ κρίμα θανάτου ὑποδεξάμενος, τῶν πάλαι συζώντων αὐτῷ ἀφίσταται, ὑψηλότερος τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἑρπόντων γενόμενος· οὕτω καὶ ὁ τῷ Χριστῷ συσταυρωθεὶς διὰ τοῦ βαπτίσματος, πάντων ὁμοῦ τῶν κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦτον ζώντων ἀπαλλάσσεται, ὑψώσας ἑαυτοῦ τὸ φρόνημα πρὸς τὴν ἐπουράνιον πολιτείαν. *Et quemadmodum, qui crucifigitur, estque mortis subjectus condemnationi, ab illis disjungitur, cum quibus aliquando vitæ commercium habuit, sublimior jam illis, qui in terra adhuc repunt, factus: ita & qui cum Christo per baptisma crucifigitur, ab omnibus in universum, qui secundum hoc seculum vivunt, abalienatus est, sublatâ jam mente ad cælestem conversationem exaltatus.* Ambrosius, sive Hilarius diaconus, in cap. vi. ad Romanos: *Baptismus mors peccati est, ut alia sequatur nativitas; quæ, corporis manente compagine, hominem mente innovat, sepultâ omnium malorum actuum vetustate.*

a Pag. 76. edit. Basil.

b Pag. 657. edit. Morell.

Chrysostomus orat. de baptismate Christi *c*; ubi tale Judaici, ac Christiani baptismi ponit discrimen: Τὸ μὲν γὰρ Ἰουδαϊκὸν καθάρσιον ἁμαρτημάτων μὲν οὐκ ἀπήλλαττε, ῥύπων δὲ σωματικῶν μόνον· τὸ δὲ ἡμέτερον οὐ τοιοῦτον, ἀλλὰ πολλῷ μεῖζον, καὶ πολλῆς γέμον χάριτος· καὶ γὰρ ἁμαρτημάτων ἀπαλλάττει, καὶ ψυχὴν ἀποσμήχει, καὶ πνεύματος δίδωσι χορηγίαν. *Itaque Judaica illa quidem expiatio nequaquam a peccatis liberabat, sed a corporeis sordibus tantum: nostra verò talis non est, sed multò major, ac multâ plena gratiâ; nam & à peccatis liberat, & animam abstergit, & spiritûs gratiam largitur.* Idem in Joannis cap. i homil. x *d*: Καθάπερ ἡ τοῦ πυρὸς φύσις τῇ τῶν μετάλλων ὁμιλήσασα γῇ, χρυσὸν αὐτὴν ἀπὸ γῆς εὐθέως ἐποίησεν· οὕτω δή, καὶ πολλῷ μᾶλλον, ἀντὶ πηλίνων χρυσοῦς τὸ βάπτισμα ἐργάζεται τοὺς λεγομένους, τοῦ πνεύματος πυρὸς δίκην κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν εἰς τὰς ἡμετέρας ἐμπεσόντος ψυχάς, καὶ τὴν μὲν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ καταναλίσκοντος, τὴν δὲ εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου νεοπαγῆ, καὶ λαμπράν, καὶ ὡς ἀπὸ χωνευτηρίου στίλβουσαν, ἀναφέροντος. *Quemadmodum ignis, si metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit: sic, & longè magis, pro luteis aureos eos baptisma facit, quos abluerit; cùm Spiritus S. tanquam ignis, illâ ipsâ horâ animos nostros ingrediatur, & terrenâ absumtâ similitudine, cælestem illam novam, & claram, tanquam ex fornace fulgentem, referat.*

c Pag. 143. & 144. edit. Ingolstadiensis.

d Editionis Etonensis, sive Savilianæ Tom. 2. pag. 595.

B. Hieronymus adversus Luciferianos *a*: In *Patre, & Filio, & Spiritu S. baptizatus homo templum Domini fit, & veteri æde destructâ, novum Trinitatis delubrum ædificatur.* Nec alia mens Augustini, & tot aliorum.

a P. 137. edit. Froben. 1553

Imò nec aliter Scholasticis præivit Lombardus iv Sent. Dist. iii, Lit. L. *Caussa institutionis baptismi est innovatio mentis, ut homo, qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam baptismi renovetur; quod fit depositione vitiorum, & collatione virtutum. Sic enim fit quisque novus homo, cùm, abolitis peccatis, ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit fœditatem; appositio virtutum affert decorem.*

Etiam hæc sententia est ultimæ Græcorum vetustatis: ut ostendit Manuel, sive Emanuel Palæologus, Constantinopolitanus imperator ab anno cIↄcccLxxxviii usque ad annum cIↄcccccxx. Hic in præceptis de Educatione regiâ ad Joannem filium, fratrem Constantini, Imperatorem Orientis ultimi, sic scribit cap. xxvii *b*: Νόμιζε μοι τὴν σὴν καρδίαν, οἱονεὶ χρησίμην γῆν τὸ καθ' αὑτὴν εἶναι, καὶ τῷ κοινῷ τῆς φύσεως αὐχμῷ (λέγω δὴ τὴν προπατορικὴν ἁμαρτίαν, δι' ἣν τῆς χάριτος ἐκπεπτώκαμεν) φύουσαν μηδὲν ὑγιές. εἶτα τῷ βαπτίσματι, ὥσπερ ἀρότρῳ τινί, ἀνακαθαρθεῖσαν Θεῷ. *Arbitrare cor tuum, bonum quasi solum esse per se, quod ob ariditatem illam naturæ communem (de peccato primorum parentum loquor, propter quod omnes excidimus gratiâ) nihil boni producat. Deinde per baptismum, velut aratrum quoddam, repurgatum esse Deo.*

b Pag. 52. edit. Basil. an. 1578.

Thesis VII.

Porrò etiam hoc alterum baptismi effectum æquè ac prius, quod erat peccatorum remissio, ablutionis *nomine vocatur. Sed hoc discriminis est, quòd priori ablutione consequimur, ne peccata nobis imputentur: posteriori, ne in nobis regnet peccatum. Prior ablutio plena est, perfectaque; quia* nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu. *Rom.* viii. 1. *At dispar ratio est posterioris; quia etsi ratione signi, sive sacramentalis repræsentationis, tota uno præstetur momento: tamen ratione rei in nobis signatæ extenditur ad omnem vitam, ac gradus suos habet; quia inchoatur in baptismo, sed de die in diem crescit; secundùm illud* ii *Corinth.* iv. 16: Interior homo de die in diem renovatur. *Nec nisi morte consummatur.*

Augustinus lib. i. de moribus Eccles. Cath. cap. xxxv: *Sacrosancto lavacro inchoata innovatio novi hominis perficiendo perficitur in aliis citiùs, in aliis tardiùs.* Bernardus serm. de Cœna: *Lavari quidem citò possumus; sed ad sanandum multâ curatione opus est.*

Thesis VIII.

Tertium bonum, quod è fœdere gratiæ consequimur in baptismo, est salus, seu vita æterna. Unde Christus apud Matth. xxviii, *& Marc.* xvi: Qui crediderit,

derit, & baptizatus fuerit, salvabitur. *Item ad Tit.* III. 5: Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S. *Item isto 1 Petr.* III. 21: Baptisma nos salvat. *Inprimis autem ex omnium veterum mente idem docemur verbis Christi Joh.* III. 5; *ut antea diximus. Etiam hoc colligere est ex eo, quòd baptismo induimus Christum, & adoptamur in filios. Nam* Qui habet filium, habet vitam æternam, *ut est 1 Joan.* v. 12 *Et,* Si filii Dei sumus, utique & hæredes: hæredes utique Dei, cohæredes autem Christi; *quemadmodum ait Apostolus ad Rom.* VIII. 17. *Etiam in diluvio octo animas in arca esse servatas, docemur Gen.* VIII. 18. *Atque 1 Petr.* III. 21. *dicitur, baptismum esse antitypon arcæ, quia nempe eo à diluvio ira divinæ præservamur.*

Hinc insignis illa gradatio apud Clementem Alexan-
a Pag. 69 edit. Lugd. Bat. drinum lib. 1. pædag. cap. VI a: Βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα, φωτιζόμενοι υἱοποιούμεθα, υἱοποιούμενοι τελειούμεθα, τελειούμενοι ἀπαθανατιζόμεθα. *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* Tertullianus lib. de Baptism. cap. 1: *Felix sacramentum aquæ nostræ; quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.*

b Pag. 54. edit. Morell. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi III b: Μήτε τοίνυν εἰς τὸ ὕδωρ καταβαίνων, μὴ τῷ ψιλῷ τοῦ ὕδατος πρόσεχε· ἀλλὰ τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνεργείᾳ τὴν σωτηρίαν ἐκδέχου· ἄνευ γὰρ ἀμφοτέρων ἀδύνατόν σε τελειωθῆναι. οὐκ ἐγώ εἰμι ὁ τοῦτο λέγων, ἀλλ' ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστός, ὁ τοῦ πράγματος τὴν ἐξουσίαν ἔχων, φησίν· ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν· καὶ ἐπιφέρει λέγων, ἐξ ὕδατος, καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. οὐδὲ τῷ ὕδατι βαπτιζόμενος, μὴ καταξιωθεὶς δὲ τοῦ πνεύματος, τελείαν ἔχει τὴν χάριν. οὐδὲ κἂν ἐνάρετός τις γένηται τοῖς ἔργοις, μὴ λάβῃ δὲ τὴν δι' ὕδατος σφραγῖδα, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. τολμηρὸς ὁ λόγος, ἀλλ' οὐκ ἐμός. Ἰησοῦς γὰρ ὁ ἀποφηνάμενος· καί μοι λάβε τὸν λόγον τὴν ἀπόδειξιν ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς. *Qui itaque in aquam descensurus es, non aquæ simplici mentem adhibe, sed Spiritus Sancti virtute salutem suscipe: nam sine utrisque ad perfectionem deduci non poteris. Non ego sum, qui dico; sed Dominus Jesus Christus, illoque ejus rei potestatem habet: Nisi quis, inquit, renascatur desuper: Et addit, ex aquâ & Spiritu, non poterit intrare in regnum Dei. Neque si quis aquâ baptizetur absque Spiritu, perfectam habet gratiam: neque si quis etiam bene compositus, probisque sit moribus, non recipiat autem signaculum per aquam, intrabit in regnum cælorum. Audax est hic sermo, sed non meus. Jesus enim est, qui hanc tulit sententiam. Cujus rei ex sacrâ Scripturâ accipe demonstrationem.* Idem deinde probat Cornelii exemplo.

Optato Milevitano lib. v. adversus Parmenianum baptisma dicitur *cælestis regni comparatio.* Basilio homilia
c Tom. 1. pag 481. edit Paris. an. 1618. XIII, sive Exhortatione ad baptismum c, ὄχημα πρὸς οὐρανόν, βασιλείας πρόξενος, *vehiculum ad cælum, regni cælestis conciliator.* Quæ ipsa etiam verba reperio apud Cyrillum Hierosolymitanum, præfat. Catechef. Sed & Gregorius Nazianzenus orat. XL, quæ est in S. Baptisma, appellat d ὄχημα πρὸς Θεόν, *vehiculum ad Deum*: &
d T. 1 pag. 638 edit. Morell. mox: τὴν κλεῖδα τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· *clavem regni cælorum.* Similiter Chromatius in Matth. cap. v: *Renatis in baptismo cælorum regna patent, quæ nobis Filius Dei, in corpore ad cælum adscendens, primus aperuit.* Augustinus lib II. contra Cresconium Grammaticum cap. XIII: *Est sacramentum novæ vitæ, ac salutis æternæ.* Pluraque ejus antistitis adducam Disputat. VI. Theodoretus quæst. XXVI. in Genesin: Οὕτως ὕδωρ ζῶν καλεῖται τὸ βάπτισμα· οὐκ ἐπειδὴ φύσιν ἑτέραν ἔχει τὸ βαπτίσματος ὕδωρ, ἀλλ' ὅτι δι' ἐκείνου τοῦ ὕδατος ἡ θεία χάρις τὴν αἰώνιον δωρεῖται ζωήν. *Sic baptismus dicitur aqua viva: non quòd aqua baptismatis naturam habeat diversam; sed quoniam per aquam illam divina gratia vitam donet æternam.* Beda in Matth. lib. 1. cap. 1: *Quod Christus vidit cælos apertos, nostri utique gratiâ factum est, quibus per lavacrum undæ regeneratricis janua panditur regni cælestis.*

THESIS IX.

Ex iis, quæ hactenus diximus, liquet in baptismate nos regenerari, adoptari, in fœdus gratiæ recipi, eóque accipere remissionem peccatorum, Spiritu S. renovari, & heredes fieri regni cælestis. Quæ tot, & tanta bona ingenti nobis solatio esse debent, quacunque, & quantacunque vel calamitate premamur, vel tentatione à Satana oppugnemur.

Unde Cyrillus Hierosolymitanus Cat. III a: Εἶθ' ὅταν a Pag. 72.
τοῦ χρίσματος καταξιωθῇς, τότε σοι πρὸς τὰς ἀντικειμένας δυνάμεις παλαίειν δίδωσι τὴν ἐξουσίαν. ὥσπερ γὰρ μετὰ τὸ βάπτισμα, τεσσαράκοντα ἡμέρας ἐπειράσθη, οὐχ ὅτι καὶ πρὸ τούτου νικᾶν οὐκ ἠδύνατο, ἀλλ' ὅτι πάντα τάξει, καὶ ἀκολουθίᾳ πράττειν ἐβούλετο· οὕτω καὶ σὺ πρὸ τοῦ βαπτίσματος τοῖς ἀντικειμένοις παλαίειν μὴ τολμήσας· λαβὼν δὲ τὴν χάριν, καὶ λοιπὸν θαρσῶν τοῖς τῆς δικαιοσύνης ὅπλοις, ἀγωνίζου τότε, καὶ εἰ θέλεις, εὐαγγελίζου. *Deinde cùm tibi gratia confertur, tunc tibi adversus contrarias virtutes pugnandi dat potestatem. Quemadmodum enim ille post baptismum, & quadraginta dies, tentatus est; non quod & antea non posset vincere, sed quòd ordine omnia, & successivè, facere volebat: sic & tu, ante baptismum, adversariis reluctari non audebas: acceptâ verò gratiâ, deinceps confidens armis justitiæ, decertato, &, si vis, etiam evangelizato.*

Nazianzenus orat. in sanctum baptisma b: Ἐάν σοι b Edit. Morell. pag. 642.
προσβάλῃ μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ τοῦ φωτὸς διώκτης καὶ πειραστής· προσβαλεῖ δέ, (καὶ γὰρ καὶ τῷ λόγῳ, καὶ θεῷ μου προσέβαλε διὰ τὸ κάλυμμα, τῷ κρυπτῷ φωτὶ διὰ τὸ φαινόμενον) ἔχεις ᾧ νικήσεις. μὴ φοβηθῇς τὸν ἀγῶνα· πρόβαλε τὸ ὕδωρ, πρόβαλε τὸ πνεῦμα, ἐν ᾧ πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ, τὰ πεπυρωμένα σβεσθήσεται. πνεῦμα μέν ἐστιν, ἀλλὰ διαλῦον ὄρη. ὕδωρ μέν ἐστιν, ἀλλὰ πυρὸς σβεστικόν. *Si te luminis persecutor, & tentator, post baptismum adortus fuerit, ut certè adorietur, (nam & Verbum, & Deum meum, propter carnis velamen oppugnare aggressus est; lumen, inquam, illud absconditum, propter humanitatem in adspectum cadentem) habes, quo eum superes: ne certamen reformides: aquam adversus eum appone, spiritum appone, in quo ignita omnia pravi illius tela extinguentur. Spiritus quidem est, verum dissolvens montes: aqua quidem est, sed quæ ignis exstinguendi vim habet.* Quibus enim bene mihi convenire videntur verba Lutheri: quæ aliqui immeritò exagitant. Afferam eò lubentiùs, quia consolationem, quam continent, veterum etiam exemplo confirmant. Sic igitur ille c serm. c Tom. 2. Lat. Ien. fol. 535.
de S. Antonio: *Generale verbum promissionis contra omne malum, sive peccatum, sive mortem, sive tribulationem quamcumque: Quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit &c. Hoc uno est maxime gaudendum, quia si in tribulatione quacunque hujus promissionis Dei memor fueris, & sic dixeris contra diabolum: Ecce ego baptizatus sum, & credo in Christum, adducendo mox illud, Quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur: jam es verè in loco pacis, & lætitiæ, & quietis. Si enim adhæseris his verbis fortiter, & non dubitaveris ea esse vera, teque verè baptizatum: impossibile est, ut te peccatum, vel mors, vel diabolus superet, aut contristet. Sic legimus de sancta quadam virgine; quæ ad omnem tentationem cujusque mali non aliud opposuit, quàm suum baptismum, dicens brevi verbo ad satanam, & ad mala impugnantia, sic: Baptizata sum, q. d.*

bapti-

baptizata sum, & credo: ideo nihil facis, satan; quia stat contra te invictissima promissionis verbum, Qui crediderit, &c. Majoricum, Martyrem Africanum, sub Honorio raptum ad supplicium capitis propter confessionem Evangelii, nullâ aliâ re magis confirmavit Dionysia, matrona pientissima, quam inculcatione fœderis sanctissimi per baptismum cum sacrosancta Trinitate initi: Memento fili, te in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, baptizatum esse. De Majorico id legas apud Victorem Uticensem lib. III de Persecut. Vandalicâ. Unde, quæ de eo scribunt, hausere Usuardus, Ado, cæteri.

FINIS.

DISPUTATIO QUINCTA DE BAPTISMO;

QUÆ EST DE OPERATIONIS MODO: ITEM DE EUCHETIS, sive Messalianis.

THESIS I.

1. §. HACTENUS *de parte primâ; quæ fuit de baptismatis vi, & efficacia. Venio nunc ad alteram; quam receperam me acturum de operationis modo. De quo primo illud in considerationem venit, ne quidem veterum illos, qui magnificè inprimis de baptismo loqui solent, tantas vires tribuere aquæ elemento, quasi hæ naturâ illi insint: sed Spiritui Sancto, qui ad hæc omnia aqua utitur instrumento. Videlicet oculis fidei intuebantur aquam, quasi sanguine, & spiritu Christi tinctam: unde esset, quòd aqua naturâ quidem suâ ablueret foris; sed quatenus tincta sanguine, & spiritu Christi, ablueret intus; cæterosque illos præstaret mirandos effectus, quos antea memoravimus.*

Hoc ita esse, aliquot veterum testimoniis ostendam. Cyprianus de baptismo Christi: *Spiritus Sanctus invisibiliter manum totius bonitatis apponit, & plenitudinem gratiæ divinæ unctionis pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, & rem sacramenti consummat, ac perficit.* Idem de Resurrectione Christi: *Baptizantur in nube, & mari, Hebræi: & jam spiritu, & sanguine Christi* (in baptismo) *mundatur à peccatis populus Dei.* Concilium Nicenum a in Can. de Baptismo: *Baptisma nostrum non sensilibus oculis, sed mentalibus, considerandum est. Aquam vides; sed tamen considera Dei potentiam, quæ latet occulta in aquis. Nos enim Spiritu S. & igne baptizari sacra testantur eloquia.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi tertiâ b: Μὴ ὡς ὕδατι λιτῷ πρόσεχε τῷ λουτρῷ· ἀλλὰ τῇ μετὰ τοῦ ὕδατος διδομένῃ πνευματικῇ χάριτι. ὥσπερ γὰρ τὰ τοῖς βωμοῖς προσφερόμενα τῇ φύσει ὄντα λιτὰ, μεμολυσμένα γίνεται τῇ ἐπικλήσει τῶν εἰδώλων· οὕτως ἀπεναντίας τὸ λιτὸν ὕδωρ πνεύματος ἁγίου, καὶ Χριστοῦ c, πρὸς τὴν ἐπίκλησιν λαβὸν δύναμιν ἁγιότητος ἐπικτᾶται· *Non tanquam aquæ simplici accede huic lavacro, sed ut spirituali gratiæ, quæ cum aquâ datur. Nam, ut illa, quæ in aris offeruntur, cùm naturâ sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contrà aqua simplex per Sancti Spiritus, Christi, & Patris invocationem acceptâ virtute, sanctitatem consequitur.* Nazianzenus orat. XL, in sanctum baptisma a: Διττῶν ὄντων ἡμῶν, ἐκ ψυχῆς λέγω, καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύσεως· διττὴ καὶ ἡ κάθαρσις, δι' ὕδατός τε φημὶ, καὶ πνεύματος, τοῦ μὲν θεωρητῶς τε καὶ σωματικῶς λαμβανομένου, τοῦ δὲ ἀσωμάτως, καὶ ἀθεωρήτως συντρέχοντος, καὶ τοῦ μὲν τυπικοῦ, τοῦ δὲ ἀληθινοῦ, καὶ τὰ βάθη καθαίροντος. Claré ait, ut homo constat corpore visibili, & animâ invisibili: sic baptismum complecti visibilem aquam, abluentem exteriùs, & gratiam invisibilem, mundantem interiùs. Ambrosius lib. I. de Sacram. cap. V: *Non omnis aqua sanat; sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus S. descenderit, & aquam illam consecraverit.* Idem de iis, qui initiantur mysteriis cap. IV: *Hinc cognosce, quòd aqua non mundat sine Spiritu; ideoque legisti, quod tres testes in baptismate unum sint; aqua, sanguis, & spiritus; quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid enim est aqua sine cruce Christi? Elementum commune sine ullo sacramenti effectu: nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est.* Idem lib. III. de Spiritu S. cap. XI: *Audi, quomodo testes Spiritus mentem renovat: aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad precium, Spiritus Dei vos per adoptionem filios Dei facit, sacri fontis unda vos abluit, sanguis Domini vos redemit.* Idem in cap. V. Lucæ: *Aquâ corpus abluitur, spiritu animæ delicta mundantur.* Chrysostomus homil. XXXV in cap. V. Joan. b. Ὥσπερ ἐνταῦθα οὐχ ἁπλῶς ἰᾶτο τῶν ὑδάτων ἡ φύσις (ἦ γὰρ ἂν διαπαντὸς τοῦτο ἐγίνετο) ἀλλ' ἐπὶ τῇ τοῦ ἀγγέλου ἐνεργείᾳ c· οὕτω καὶ ἐφ' ἡμῶν οὐχ ἁπλῶς τὸ ὕδωρ ἐργάζεται, ἀλλ' ὅταν τὴν τοῦ πνεύματος δέξηται χάριν, τότε ἀπολύει τὰ ἁμαρτήματα. *Quemadmodum hujus aquæ natura per se non sanabat: siquidem semper sanasset: sed duntaxat cum ab angelo movebatur* d: *ita & in nobis non simplex aqua operatur; sed cum Spiritus gratiam accipit, omnia peccata abluit.* Augustinus epist. XXIII. ad

a In Actis Gelasii Cyziceni lib. 2 cap. 30. sive in Actis Alphonsi Pisani can. 7.
b Pag. 53.
c Nam dicuntur, in Græcis, post Χριστοῦ desiderari, καὶ Πατρός: an potiùs, illud, & Patris, Latinè esse additum ab Joanne Grodecio, Decano Glogoviensi, qui Cyrillum vertit Latinè?

a P. 641. edit. Morell.
b P. 700. edit. Etonensis, sive Savilianæ.
c γρ. καταβαίνοντος.
d Scr. post angeli descensum.

ad Bonifacium: *Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, regenerat hominem in uno Christo ex uno Adam generatum.* Idem tract. XI. in Joan. *Unde rubet baptismus Christi, nisi sanguine Christi consecratus?* Idem lib. Quæst. ex N. T. cap. LIX. *Sicut sordes corporeas aqua; ita spiritus animam abluit à peccatis.* Paulinus epist. XII ad Severum:

Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestique sacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, sanctamque liquoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem.

Per sequentia etiam secula si pergam, metuo in re apertâ ne fastidio sim.

Thesis II.

Nec propterea necesse est putare, vel sanguinem, vel Spiritum Christi, propriè misceri aquæ, ut in calice miscentur vinum, & aqua. Nam cui illud bono. cùm anima, utpote res spiritualis, nullâ re corporeâ ablui propriè possit? Sed cùm veteres aiunt, sanguinem Christi, & Spiritum S. se aquæ miscere, popularè est loquendi genus, quod ita capere oportet, quasi dicerent, quando aquâ abluimur foris, oculis fidei intuendum esse sanguinem, & Spiritum Christi: quia hæc cum aqua concurrunt, haud secus, ac si miscerentur cum aqua. Nam dum aqua abluit corpus, etiam Christum, qui sanguinem suum effudit pro nobis, Spiritu suo in animam penetrare, suamque in ea exserere vim, & efficaciam.

Hanc rem pleniùs explicavimus, cùm de vi, & efficacia Sacramentorum universè ageremus.

Thesis III.

Existimare aliquis possit, nec aliud sensisse Messalianos, sive Euchetas, cum negarent, per baptismum nobis remitti peccata; vel ut hoc quodammodo illis tribui posset, saltim non conferre vires ad peccata in posterum vitanda. Credo, cùm scirent, solum Deum, ac Christum, remittere peccata, ac conferre Spiritum Sanctum: Deo, Christoque, injurium putarunt, si hæc tribuerentur actui sacerdotis, utcunque sancti; sed subinde ne sancti quidem. Verùm cogitare eos oportuit, has loquendi formas, quas tantopere aversarentur, usurpari à Spiritu S. in Scripturis: nec tam nobiles effectus tribui baptismo, ut caussæ principali, sed instrumentali: eoque non esse sistendum in signis visibilibus; sed oculos fidei esse elevandos ad id, quod significaretur, & ita significaretur, ut simul conferretur.

Quos Græci Εὐχίτας, hos Syri dixere Messalianos *a*; teste Augustino hæresi LVII. Nempe a צלה tsallah, in benoni piel, (quod Daniel usurpat VI. 11.) est מצלין mesalin; à quo *Messaliani*, ac, T abjecto *b*, *Mesaliani*. Theodoretus histor. Eccl. lib. IV. cap. X. Messalianorum, sive Euchetarum dogma esse ait, μηδεμίαν ἐκ τοῦ θείου βαπτίσματος ὠφέλειαν τοῖς ἀξιουμένοις γίνεσθαι· μόνην δὲ τὴν ἐνδελεχῆ εὐχὴν τὸν δαίμονα τὸν ἔνοικον ἐξελαύνειν· *divini baptismatis lavacrum his, qui eo tincti erant, nihil omnino prodesse; sed solas preces ardentes dæmonem in animis habitantem expellere.* Quæ etiam legas historiæ Tripartitæ lib. VII, cap. XI: & apud Nicephorum lib. XI, cap. XIV. Idem Theodoretus in epitome de divinis decretis, cap. de baptismo: Οὐ γὰρ ὡς οἱ φρενοβλαβεῖς Μεσσαλιανοὶ ὀνομάζουσι, ξυρὸν μόνον μιμεῖται τὸ βάπτισμα τὰς προγεγενημένας ἀφαιρούμενον ἁμαρτίας. τοῦτο γὰρ ἐκ περιουσίας χαρίζεται. εἰ γὰρ τοῦτο μόνον ἔργον ἦν τοῦ βαπτίσματος, ἀνθ' ὅτου τὰ βρέφη βαπτίζομεν, οὐδέπω τῆς ἁμαρτίας γευσάμενα; οὐδὲ γὰρ τοῦτο μόνον ἐπαγγέλλεται τὸ μυστήριον, ἀλλὰ καὶ τούτων μείζω, καὶ τελειότερα. ἀρραβὼν γάρ ἐστι τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ τῆς ἐσομένης ἀναστάσεως τύπος, καὶ κοινωνία τῶν δεσποτικῶν παθημάτων, καὶ μετουσία τῆς δεσποτικῆς ἀναστάσεως, καὶ ἱμάτιον σωτήριον, καὶ χιτὼν εὐφροσύνης, καὶ στολὴ φωτοειδής, μᾶλλον δὲ αὐτὸ φῶς. *Non enim, ut dicunt amentes Messaliani; baptismus novaculam imitatur, quæ præcesserunt peccata auferens: hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hic solus esset baptismi effectus a, cur pueros baptizemus, qui peccatum nondum gustarunt? Non enim hoc solum pollicetur sacramentum; sed his etiam majora, & perfectiora. Est enim arra futurorum bonorum, & futuræ resurrectionis typus, & passionis Dominicæ communicatio, & Dominicæ resurrectionis participatio, & pallium salutaris, & tunica lætitiæ, & stola luminosa, vel potius lux ipsa.* Ait Theodoretus, baptisma prodesse, non tantùm ut peccata, quæ jam commisimus, remittantur; sed etiam ad peccata in posterum fugienda. Ac multos, qui idem doceant, superiùs adduximus.

a Græcis Μισσαλιανοί. Latini S. adjecere, quasi esset à proprio Messilla: uti hoc à Messana Siciliæ; Doribus dictâ Μεσσάνα. ut Ionibus Μεσσήνη.
b Ut à Tzor Hebræo, Ennio Sarra: (eadem est ac Tyrus:) quique Arabibus Tzophi, nobis sunt Sophi.

a Puto ut actualia peccata condonet. Nam de his solum loqui indicat, quod de pædobaptismo subjungit.

Sed enim inquient, nec deesse ex orthodoxis Ecclesiæ doctoribus antiquis, qui (quæ Messalianorum creditur opinio) solam remissionem in baptismate dicant promitti, & obsignari: at nullas vires conferri ad deinceps superandum Satanam, & mundum. Id verò pernegamus. Dicent, sic sensisse B. Hieronymum lib. I. adversus Pelagianos *b*, ubi ait: *Si baptismus statim justum faceret, & omni plenum justitiâ, nequaquam utique Apostolus neophytum refutaret. Sed baptismus vetera peccata conscindit, novas virtutes non tribuit; dimittit è carcere, & dimisso, si laboraverit, præmia pollicetur.* Et penè initio libri III *c*: *Scio, baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam.* Mox quoque subjungit: *Si fieri posset, ut semper aqua baptismatis mersos teneret: volitantia nos desuper peccata non tangerent, Spiritus S. tueretur.* Ac paullo post: *Fac aliquem baptizatum, vel statim, vel in ipsis diebus, morte subtractum: & concedam tibi, quod concedere non debeo, nec cogitâsse aliquid, nec locutum, in quo errore, & ignorantiâ laberetur.* Et post pauca: *Statim à baptismate homo peccato caret: sed illud tempus, quod sine peccato est, nequaquam possibilitati humanæ, sed Dei gratiæ, deputatur.* Verùm ex his omnibus non id efficitur, quod volunt. Nam disputat B. Hieronymus adversus Pelagianos, qui docebant, hominem in hac vita eò perfectionis devenire, ut sine peccato vivat. Atque hoc adstruebant ex vi, & efficacia baptismi, non solum remittentis nobis omnia peccata; sed etiam conferentis Spiritum S. ad evitanda omnia peccata. Adversus eos docet Hieronymus, non si habeamus Spiritum S. eò habere perfectam justitiam: cùm baptizati non solùm agant ex principio gratiæ, sed etiam naturæ: eóque nunquam sit homo sine peccato, nisi quo tempore fit baptismus; qui si foret perpetuus, perpetuò fore hominem sine peccato; non quidem suâ virtute, sed divinâ. Nihil igitur caussæ est, cur putemus, B. Hieronymum hac parte abiisse a Patrum aliis: qui magno consensu contra Messalianos docent, non solùm in baptismo remitti peccata, sed etiam conferri Spiritum S. cujus vi pugnemus deinceps contra peccatum: per quam etiam jungamur Christo, & membrum fiamus mystici illius corporis, cui nisi insiti simus, non possimus esse filii Dei, & cohæredes Christi. Hæc plurimis veterum testimoniis firmavimus disputatione quartâ. Quare nunc contentus ero illustri hac de re judicio Isidori Pelusiotæ, indicto antè, eóque fine hunc in locum reservato. Primùm agnoscit, etiam infantes in baptismo mundari à sordibus, quæ ex primorum parentum delicto omne humanum genus pervaserunt. Deinde ait, in adultis omnia remitti peccata, quæ in vita commiserunt: sic ut omni deinceps supplicio sint exemti. Præterea nos regenerari arcanâ quadam vi, quæque captum humanæ mentis transcendat. Adhæc redimi, sanctificari, adoptari in filios, justificari, fieri cohæredes Christi; cui per hoc mysterium inseramur, sic ut ille sit caput, nos è membris,

b Pag. 270. edit. Basil. an. 1553.
c Pag. 297.

caro

caro de carne ejus; ac deinceps evehendi, ubi est caput nostrum, atque æternum cùm eo regnaturi. Ex quibus omnibus concludit, eos, qui putárunt, solùm nobis in baptismo remitti peccata: (quales Messaliani) nimis jejunè sentire de tanto mysterio: ut, quo etiam adoptemur, & divinæ fiamus cognationis participes, aliisque innumeris augeamur bonis, inque sublimem prorsus extollamur dignitatis gradum. Sed fortasse volupe erit ipsum potiùs B. Chrysostomi discipulum audire loquentem. Sic igitur ille lib. III epist. CXCV ad Herminum Comitem: Ἐπειδὴ γέγραφας ὡς μεγαλόνοια βουλομένη μαθεῖν, δι᾽ ἣν αἰτίαν τὰ βρέφη ἀναμάρτητα ὄντα βαπτίζεται· ἀναγκαῖον ᾠήθην ἀντεπιστεῖλαι. τινὲς μὲν οὖν σμικρολογοῦντες φασὶν, ὅτι τὸν διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ Ἀδὰμ διαδοθέντα τῇ φύσει ῥύπον, ἀποπλύνονται. ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτο μὲν γενέσθαι πιστεύω, οὐ μὴν μόνον (οὐδὲ γὰρ ἂν τοσοῦτον ἦν) ἀλλὰ καὶ ἄλλα πολλὰ μακρῷ τὴν ἡμετέραν ὑπερβαίνοντα φύσιν δεδόσθαι χαρίσματα. οὐ γὰρ ὅσον ἐχρῆζεν ἡ φύσις εἰς τὴν τῆς ἁμαρτίας ἀναίρεσιν ἔλαβε μόνον, ἀλλὰ καὶ θείοις ἐκοσμήθη δωρεαῖς. καὶ γὰρ οὐ μόνον κολάσεως ἀπηλλάγη, καὶ πονηρίαν ἀπημφιάσατο πᾶσαν, ἀλλὰ καὶ ἀνεγεννήθη ἄνωθεν παλιγγενεσίας θείας, καὶ λόγον ὑπερβαινούσης, ὥσπερ ἐκ μηχανῆς τινὸς ἐπινοηθείσης, καὶ ἀπελυτρώθη, καὶ ἡγιάσθη, καὶ εἰς υἱοθεσίαν ἠνέχθη, καὶ ἐδικαιώθη, καὶ ἐγένετο συγκληρονόμος τοῦ μονογενοῦς καὶ σύσσωμος αὐτοῦ διὰ τῆς μετοχῆς τῶν ἱερῶν μυστηρίων κατέστη, καὶ εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ τελεῖ, καὶ ὥσπερ τὸ σῶμα τῇ κεφαλῇ, οὕτως αὐτῷ ἥνωται. ἅπερ ὁ θεσπέσιος ἐννοήσας Παῦλος, ὁ τῶν τοῦ Χριστοῦ νοημάτων ταμίας ποτὲ μὲν ἔλεγε, καὶ αὐτὸν ἔδωκεν ὑπὲρ πάντα, κεφαλὴν τῆς ἐκκλησίας, τουτέστιν ὑπὲρ τὰ ἄλλα πάντα χαρίσματα, τοῦτο αὐτῇ ἐδωρήσατο, τὸ τὸν Χριστὸν κεφαλὴν αὐτῆς εἶναι [a]. ποτὲ δὲ πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος, καὶ τῆς δωρεᾶς, καὶ τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες, ἐν ζωῇ βασιλεύσουσιν, οὐκ εἶπε χάριν, ἀλλὰ περισσείαν χάριτος, δεικνὺς, ὅτι οὐ φάρμακον ἐλάβομεν ἀντίρροπον τοῦ τραύματος μόνον, ὡς οἴονται σμικρολόγοι τινὲς, καὶ τῆς θείας μεγαλοδωρεᾶς ἀναίσθητοι, ἀλλὰ καὶ εὐμορφίαν, καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν, καὶ ἀξιώματα, πολλῷ τὴν ἡμετέραν ὑπερβαίνοντα ἀξίαν. μὴ τοίνυν, ὦ φίλος, νόμιζε ἁμαρτιῶν μόνον ἀναιρετικὸν εἶναι τὸ βάπτισμα, ἀλλὰ καὶ υἱοθεσίας, καὶ θείας συγγενείας, καὶ ἄλλων μυρίων τῶν τε λεχθέντων, τῶν τε παραλειφθέντων ἀγαθῶν ποιητικόν. ὁ γὰρ τῶν ἁπάντων βασιλεὺς, οὐ μόνον ἐλυτρώσατο τὴν αἰχμαλωτισθεῖσαν φύσιν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν ἀνωτάτω τιμὴν ἀνήγαγεν. *Quoniam magnificentia tua per literas ex me quæsivit, quid caussa sit, cur infantes, cùm peccatis careant, baptizentur; necessariò tibi rescribendum esse putavi. Quidam igitur nimis tenuiter, & jejunè, ajunt, eos spurcitiem eam, quæ ob Adami transgressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere. Ego verò hoc quidem etiam fieri persuasum habeo: at non solùm (neque enim id tam magnum esset) verùm alia quoque multa, naturam nostri longè superantia, beneficia nobis concessa esse. Neque enim natura nostra id duntaxat accepit, quod ad peccatum de medio submovendum, ac delendum, requirebat: verùm etiam divinis beneficiis aucta, & ornata est. Neque enim solùm supplicio exemta est, atque improbitatem omnem exuit. Sed etiam supernè regenita est (divinâ, & omnem orationis vim, ac facultatem excedente regeneratione, tanquam ex machinâ quadam excogitatâ) & redemta, & sanctificata, & in adoptionis jus adducta, & justificata, & unigeniti cohæres effecta est, ac per sacrorum mysteriorum perceptionem concorporea ipsi reddita, & in ipsius carnem censetur; & quemadmodum corpus capiti, eodem modo ipsa ei copulata est. Quod quidem cùm divinus Paulus, Christi sensuum velut promus condus, animadvertisset; nunc quidem his verbis utebatur: Et ipsum donavit super omnia caput Ecclesiæ, hoc est, præter alia omnia beneficia hoc eam munere affecit, ut Christus ipsius caput sit: nunc autem ad hunc modum loquebatur: Multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ, accipientes in vita regnabunt. non dixit, gratiam, sed abundantiam gratiæ: hinc videlicet ostendens, nos non pharmacum duntaxat, quod vulneri par sit, accepisse (quemadmodum jejuni quidam homines, ac divinam munificentiam minimè agnoscentes, opinantur) verùm etiam pulchritudinem, & honorem, & gloriam, & dignitates, meritum nostrum multis partibus excedentes. Quæ cùm ita sint, ô amice, ne hoc existimes, Baptismum peccata tantummodo delere: verùm & adoptionem, & divinam cognationem, ac sexcenta alia, tam quæ commemoravi, quàm quæ prætermisi, bona procreare. Siquidem ille omnium rex captivam naturam non modò redemit; verùm etiam ad summum honoris gradum evexit.* Quid his apertiùs dici poterat adversus Euchetas, seu Messalianos?

[a] Al. ἔχειν.

THESIS IV.

Sic igitur statuimus, solùm quidem Christi sanguinem nos salvare, si de meritoria salutis caussâ agamus: solùm item Spiritum S. nos regenerare, si principalem regenerationis caussam efficientem consideremus: sed his non excludi caussas instrumentales: uti fidem, quâ meritum Christi, velut manu, apprehendimus: item prædicationem Verbi, & usum Sacramentorum; per quæ Spiritus S. in nobis operatur regenerationem, & salutem nostram.

Nimirum hic locum habet, quod vulgo dicitur, subordinata non pugnare. Quod vellem attenderent, qui antiquos, vel sententes cum his, dum magnificis adeò elogiis ornant baptismum, injurios arbitrantur merito, & efficaciæ Servatoris nostri.

F I N I S.

DISPUTATIO SEXTA
DE
BAPTISMO;

Quæ versatur circa

PROBLEMATA QUÆDAM
DE BAPTISMI EFFECTIS.

Thesis I.

Superest pars tertia, quæ dubiis quibusdam occurrit circa illa, quæ de effectis baptismi antea diximus. Ac alia quidem pertinent ad effectum de remissione peccatorum: alia ad alterum de renovatione per Spiritum Sanctum: alia ad tertium de hæreditate vitæ cœlestis. De remissione delictorum plus est difficultatis. Ubi primum in disquisitionem venit, quomodo, si in baptismo peccata omnia remittantur, remaneat in baptizatis concupiscentia, peccati omnis fomes, quicum certandum nobis est per omnem vitam. De hoc ita statui solet, remanere quidem labem, sive vitiositatem, quod ad materiale: sed tolli formale, sive reatum: quia licet vitium hoc Deo displiceat, odium tamen ejus non redundet in personam.

Innocentius III in Psal. IV pœnitent. *Originale peccatum transit reatu, quantum ad labem; & remanet actu, quantum ad fomitem; ex quo surgunt motus, vel actus peccandi; sicut è contrario dici solet, quod actuale peccatum transit actu, & remanet reatu.* Atque hanc sententiam istiusmodi argumento comprobat Foxus lib. de Christo gratis justificante *a*: Quòd Christus moriendo pro nobis portavit, id solùm per mortem suam sustulit, solumque per baptismum deletur. At solùm pœnam nostrorum scelerum portavit pro nobis Christus: non scelera ipsa in corpore gessit, quæ nulla habuit. Ergo solam pœnam, non materiale peccati, per mortem sustulit, eaque sola per baptismum aufertur. Sed postea, hoc est, in vita altera, per potentiam tollet etiam materiale peccati.

a Pag. 69. & 70.

Hinc etiam cognoscere est, quid statui oporteat de quæstione illâ, an concupiscentia peccatum sit in baptizatis. Non quidem pressè eam vocem sumendo; quo pacto peccatum non est, nisi quod secundùm se voluntarium est: sed laxè omnino, quomodo hoc nomine comprehenditur etiam vitiositas; quæ secundùm se considerata non propriè est peccatum, sed μετωνυμικῶς: peccati quippe tum effectus, tum caussa. Hanc vitiositatem etiam Augustinus appellat *malum*: & laxiùs Apostolo *b* *peccatum* vocatur, tum quoniam ex primorum parentum peccato nascitur; tum quia est vitiosarum actionum principium: propter quod, naturâ nobis insitum, ad vitiosos actus propendemus. Propriè verò in baptizatis peccatum esse, negat Augustinus, non modò, quia secundùm se non sit voluntarium: sed etiam, quoniam Deus sic in baptizato oderit vitiositatem, ut non oderit hominem; nec eum excludere velit è cœlis; sed dignetur gratiâ Spiritus Sancti; per quam regenitus sit filius Dei, & hæres vitæ æternæ. Hoc clare docent verba ejus contra duas Pelagianorum epist. cap. XIII. *Sed hæc* (concupiscentia) *etiamsi vocatur peccatum; non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit.* Item lib. I. de nupt. & concupisc. cap. XXIII: *Quia concupiscentia, modo quodam loquendi, peccatum vocatur, quòd peccato facta est, & peccatum si vicerit, facit reum: reatus ejus valet in generato.* Et post aliqua: *Sic autem vocatur concupiscentia peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat; sed quod pigros faciat.* Item cap. XXIV: *Ex hac inquam carnis concupiscentiâ, tanquam filiâ peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcunque nascitur proles, originali est obligata peccato.* Atque hæc loca eò lubentius adduxi, quia eadem produxit Joannes Piscator in Scholiis ad Rom. cap. VI. 12: ubi *peccatum* interpretatur vitiositatem naturæ ex primo peccato ortam: quam per Metonymiam efficientis *peccatum* vocari ab Apostolo disertim dicit, & allatis Augustini locis probat. Idem quoque tradit ad Rom. VII. 12: ubi similiter accipi docet: uti & vers. 9. 11. 13. 17. 20. 23. 25.

b Rom. 7.

Thesis II.

Altera etiam quæstio exoritur ex eo, quòd in baptismate dicantur omnia nobis remitti peccata. Nam hoc si est, unde fuerit, quod post baptismum quoque tot morbis, & calamitatibus adfligamur per omnem vitam? Imò hoc in infantibus etiam conspiciamus, qui nullum commisere peccatum actuale? Hic scrupulus, qui quorundam animos pungit, non difficulter eximitur; modò constet, quicquid adversi subimus post baptismum, id non ampliùs habere rationem pœnæ, sed paternæ castigationis. Nec enim Deus filiis suis quicquam immittit mali, tanquam iratus judex; sed instar patris, liberorum cupientissimi; qui corpus adfligit ad breve tempus, ut animam salvet in æternum.

Lombardus lib. IV. Sentent. Dist. IV. lit. F. *Quæritur, cur pœnalitas, cui pro peccato addicti sumus, non tollatur per baptismum? hoc ideo tradunt fieri viri sancti, quia si à pœna homines per baptismum liberarentur, ipsam putarent baptismi precium, non æternum regnum. Ideo soluto reatu peccati, temporalis pœna tamen manet, ut illa*

illa vita studiosiùs quæratur, quæ erit à pœnis omnibus aliena. Ideo etiam manet, ut sit fidelis, & certandi materia, & vincendi occasio: qui non vinceret, si non pugnaret; nec pugnaret, si in baptismo fieret immortalis. Ubi Lombardus laxiùs *pœna* vocem usurpat: quo pacto verum est, remissâ pœnâ æternâ, solam infligi temporalem. Sed propriè si *pœna* vocem capiamus, ἀντιλογία fit, perfectam esse remissionem peccati; & luendam tamen pœnam temporalem.

Thesis III.

Quid quòd quandoque etiam vis baptismatis, quæ, naturâ suâ, nonnisi spiritualis est, sese exseruit in sanando morbo corporali? Videlicet quemadmodum Christus a rogatus, ut morbum sanaret, contulit & majus bonum; quod erat remissio peccatorum: ita Deus, quò spiritualem mundationem, ac sanitatem, quam in baptismo consequimur, faceret testatiorem; interdum iis, qui baptizabantur, miraculosè restituit corporis sanitatem.

a Matth. 9. 2. Marc. 2. 5. Luc. 5. 18.

Nobile hujus rei exemplum commemorari solet de Constantino Magno; quem à lepra in baptismo fuisse liberatum, testatur Nicephorus lib. VII Histor. cap. XXXIII. Sed suspectam hanc narrationem facit, quòd nullam ejus rei mentionem faciunt antiqui scriptores Ecclesiastici; atque adeò nec Eusebius ipse, Constantini σύγχρονος, qui & vitam ejus scripsit. Quare magis fidem meretur, quod Socrates narrat lib. v. histor. cap. VI; Theodosium, cùm ab episcopo Thessalonicensi baptizatus esset, convaluisse à morbo. Item quod idem lib. VII, cap. IV, de Judæo refert; qui per Atticum, Constantinopolitanum episcopum, in baptismate liberatus fuit paralysi. Etiam Vincentius Bellovacensis, atque alii, sunt auctores, leprosum quendam, cùm ab Arnulpho episcopo baptizaretur, statim sanari, novamque carnem induere cœpisse.

Thesis IV.

Tertia est quæstio, si per baptismum perfecta fiat peccatorum omnium remissio, quo jure magistratus puniat peccata ante baptismum commissa. Quomodo in Iudæos severè animadvertitur ob homicidia, aliaque enormia facinora, quæ ante baptisma patraverunt. Mirè hic variant Canonistarum sententiæ. Sed pro iis, qui pœna eximendos negant, stat ea ratio, quod Evangelium non aboleat Politiam: ac proinde per baptismum, qui annexus est Evangelio, non tollatur pœna civilis, quæ est penes magistratum. Aliter si foret, homines nefarii baptismum expeterent, quò effugerent hanc pœnam. Mitigari tamen pœna solet in iis, qui ob ea, quæ ante baptismum commiserint, puniuntur.

Nec obscurum est, cur dispar sit ratio pœnæ, quam Deus immittit, & ejus, quam infligit magistratus. Nam prioris remissione consulitur animæ: at pœnâ civili consulitur Reip. propter exemplum. Vide Covarruviam lib. II. Var. Resolut. cap. I num. IV, & Tiraquellum De pœnis tempor. Caussa XXV.

Thesis V.

Quarta quæstio est, utrùm baptismus tantummodo prosit ad remissionem peccatorum ante baptismum; an etiam illorum, quæ postea committuntur. Ac si posterior placet sententia, quomodo peccata possint dici remissa, priusquam sunt commissa.

Baptismum se extendere ad peccata per omnem vitam, non pauci veterum tradiderunt. Sed plurimorum instar fuerit B. Augustinus lib. I de nuptiis, & concupisc. cap. XXVI: *In eis, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licet adhuc manentis concupiscentiæ, remittatur, ut in peccatum non imputetur.* Et cap. XXXIII: *Quod ait Apostolus* a, *Mundans eam lavacro aquæ in Verbo, sic accipiendum est; ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur; non solùm præterita* b *peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo; sed etiam, quæ posterius humanâ ignorantiâ, vel infirmitate, contrahuntur: non ut baptismus, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datum est, fit, ut non solum antea, verùm etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Et pauxillo antè: *Eadem regeneratione, quæ fit per sacrum lavacrum, usque in finem, cuncta mala hominis purgantur, atque sanantur.* Idem tract. CXXIV in Ioan. c *Credentes in Christum per lavacrum regenerationis soluto reatu omnium peccatorum, (& originalis videlicet, contra quod maximè regeneratio est instituta, & cæterorum, quæ male agendo contracta sunt,) liberantur à damnatione perpetua.* Quæ Augustini loca etiam citantur ab Alphonso Salmerone d: qui & inde concludit, Baptismo *non tantùm præterita, sed & futura remitti peccata.*

a Ephes. 5. 26.

b *Abest vox præterita ab editione Frobenianâ an. 1556. Sed video, sic adduci à viris eruditis: ambigo, an in Mss. Interim satis ex sequentibus liquet, præterita peccata significari ab Augustino.*

Atque idem voluit Lutherus, cùm scriberet, solâ memoriâ, & fide suscepti baptismi, dimitti peccata. Quo nomine, inter cætera, reprehenditur à Bellarmino e. Equidem non necesse habeo præstare, quicquid dixit Lutherus, vel alius. Sed tamen probare non possum passivum hoc malum, quo penè omnes adversariorum sententiam odiosè, & insidiosè, proponunt: multi etiam, quod inprimis doleт, veteribus dicta Theologis; videlicet ut plus iis sapere videantur. Ad Lutherum quod attinet, hoc solùm voluit, quod vidimus etiam Augustinum sensisse, gratiam baptismatis non tantùm pertinere ad peccata præterita, sed extendere se etiam ad futura; dummodo, quotiescunque peccavimus, recordemur fœderis initi in baptismo: in quo Deus spopondit, velle se in posterum etiam delicta infirmitatis tegere propter Christum; ac gravissima etiam peccata condonaturum, quoties in vera pœnitentia per fidem redimus ad fœdus gratiæ, quod nobiscum semel iniit in baptismo.

c *Circa medium.*

d T. 13. pag. 487.

e Lib. I de baptismo cap. 12.

Imò ex his etiam cognoscere est, quid sibi voluerit Lutherus, cùm diceret f, baptizatos non posse damnari, etiamsi velint, nisi nolint credere. Quo nomine iisdem vapulat à Bellarmino. Sed sententia ejus fuit, pœnitentiam, ac fidem, etiam peccatorum, quæ quis à baptismo commiserit, invenire remissionem in baptismo: non quasi aliquid sit remissum, antequam commissum; sed quia in fœdere, quod nobiscum in baptismo initur, Deus promittat, velle se nobis esse Deum: nec tantùm remittere peccata, quæ admisimus; sed etiam polliceri, toties se condonaturum, quoties, pœnitentiam seriò agentes, oculos fidei conjiciemus in baptisma nostrum, ac promissionem ejus applicabimus nobis. Id si faciamus, non posse nos damnari, quia immota stet veritas: *Quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.*

f *In Captivitate Babylonica.*

Thesis VI.

Adhæc in disquisitionem venit, parine passu dignitatis procurrant baptismus, & professio monachatus; quandoquidem per eam quoque dicimur consequi remissionem peccatorum. Putamus autem, inter hæc esse discriminis nimium quantum. Siquidem Baptismus originem habet ab instituto ipsius Christi. Monastica vita solùm ab exemplo piorum hominum, ex fuga persecutionis. Baptismus est mandatus omnibus, &

singulis credentibus. Monastica vita nullum habet universale mandatum: ut humana sit libertatis. Totius hoc antiquitatis judicium est, æternum eos perire, qui contemserint baptismum: hoc est, baptizari nolint, cùm possint. At quid tale antiqui de vita solitaria? Quare injurios censemus baptismati, qui inventum humanum in parem cum baptismo evehunt dignitatis gradum.

Tangit hanc quæstionem Thomas. 2. 2. q. 89: *Legitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam consequantur, religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.* Bellarminus tamen lib. 11. de Monachis cap. vi. negat ex parte: sed ita negat, ut ex bona parte interim æquet; quòdque unâ largitur manu, id eripiat alterâ. En verba a: *Sicut in baptismo remittuntur perfectè omnia peccata, quoad culpam, & pœnam: ita in professione religiosâ, quando debitâ intentione suscipitur, piè creditur, remitti omnis pœna temporalis; pro qua alioqui satisfaciendum esset, etiam culpâ remissâ. Non tamen propterea anteponimus, vel æquamus baptismo, professionem monasticam. Baptismus enim non solum pœnam, sed etiam culpam tollit; idque certò scimus: professio autem monastica non tollit culpam, sed solam pœnam; & hoc ipsum non certò asserimus, sed piè credimus. Neque est hoc nostrum inventum. Nam imprimis testatur Athanasius in vita Antonii, B. Antonium in visione audivisse, sanctos Angelos dicentes, omnia peccata sibi remissa fuisse, quando Monasticam vitam suscepit.*

a Parag. Denique dicimus.

Thesis VII.

Quas hactenus quæstiones proposuimus, ea pertinent universa ad remissionem peccatorum. Venio nunc ad illas, quæ moventur de sanctificatione, sive renovatione per Spiritum Sanctum. Ac primùm quæritur, cui bono infantibus detur Spiritus Sanctus, cùm necdum valeant ratione uti: & operationes naturæ sint priores operationibus gratiæ. De hoc sic censeo, non solùm esse eum Spiritus Sancti fructum, quòd, eo operante, fidei & charitatis opera exerceamus: sed etiam, quòd nos jungat capiti nostro Christo, & mystico ejus corpori: cui nisi inseramur, non possumus esse membra Christi. Quemadmodum igitur infantes habent animam rationalem, & tamen necdum ratione utuntur: sic à baptismo habent Spiritum Sanctum; etsi necdum se exserat in operibus fidei, & charitatis Ac sicut infantes eo, quòd habeant animam rationalem, in numero hominum censentur: sic etiam eo, quòd consecuti Spiritum sanctum, sunt, & habentur in illorum numero, qui sunt regeniti, filii Dei, membra Christi, ac communionis sanctorum participes.

Sicuti plenius dicetur disputatione de Pædobaptismo.

Thesis VIII.

Altera quæstio est, an sacramentum, & justitia, eodem se ordine consequantur in infantibus, & adultis Ordinem in his contrarium statuimus. Nam infantes priùs baptizantur: sequuntur postea fides, & pietatis opera. In adultis præcedunt fides, & studium pietatis. Sequitur sacramentum; &, cum sacramento, bonorum, quæ habuerant, incrementum.

Augustinus de Baptismo contra Donat. lib. iv. cap. xxiv: *Sicut in Abraham præcessit fidei justitia, & accessit Circumcisio, signaculum justitiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti, & accessit sacramentum regenerationis in lavacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo nativitatis suæ die circumcisus est, præcessit signaculum justitiæ fidei, & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante præcesserat: ita in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum, etsi Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore.* Similiter Lombardus iv Sentent. dist. iv. lit. F. *Cùm baptismum percipiunt, qui jamdudum per Spiritum sanctificati sunt: & a peccatis, si qua interim post conversionem contraxerunt, mundantur; & ab exteriori satisfactione absolvuntur; & adjutrix gratia, omnisque virtus in eo augetur, ut verè novus homo tunc dici possit: fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur. Ideo Hieronymus dicit, quòd fides, quæ fideles facit, in aquis baptismi datur, vel nutritur; quia non habenti aliquam ibi datur; & jam habenti, ut plenius, habeat, datur: sic & de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior; & omni habenti, ibi amplius datur.* Et post aliqua: *Multum ergo confert baptismus etiam jam per fidem justificato; quia accedens ad baptismum, quasi ramus a columba portatur in arcam. Qui autem intus erat judicio Dei, nunc etiam judicio Ecclesiæ intus est.*

Thesis IX.

Tertia est quæstio: Si in baptismo renovemur; unde fit, quòd Spiritus S. in tam multis non sit efficax, tum eorum, qui in infantia, tum qui, ubi adolevissent, fuerint baptizati. Videas enim eorum innumeros concupiscentiæ prorsus indulgere; inque peccatis assiduè vivere, eoque æternùm perire. Tantum malum non est ex defectu baptismi: sed malitiâ hominum, qui resistunt Spiritui sancto. In qualibus, si professioni credimus, vetus homo mortuus est, & sepultus: & tamen actus edunt, uti solent, in quibus vetus homo vivit. Quod tantundem est, ac si dicas, mortuos ambulare. Ut spectris veriùs mereantur accenseri.

Novus enim homo vivit ex novo principio, quod est gratia Spiritus S. Vetus homo vivit ex veteri principio, quod est concupiscentia. Fructus novi hominis sunt charitas, mansuetudo, temperantia, & similes virtutes. At fructus concupiscentiæ sunt adulterium, inimicitiæ, comessationes, & similia carnis opera: ut Apostolus docet ad Galatas cap. v. 19, & deinceps. Rectè Cyprianus de zelo: *Christi nomen induere, & non per Christi viam pergere, quid aliud, quàm prævaricatio est divini nominis? Christi nomen induimus in baptismate: Christi viâ ambulamus, cùm fructus justitiæ proferimus.* Hoc verò esse non à baptismi defectu; sed divinorum donorum neglectu, constans est judicium antiquitatis. Quod longè plurimi juniorum sequuntur. Adferam verba magni viri, & amici, qui pro multis erit. Videlicet τοῦ μακαρίτε Joannis Davenantii, Satisburiensis episcopi, in cap. II Paul. ad Coloss. a. *Qui ambulant secundum concupiscentias carnis, non possunt Deum incusare, aut baptismi inefficaciam: sed seipsos, qui Spiritui resistunt; cui si parérent, peccatum in illis quotidie debilitaretur, imago justitiæ renovaretur, fieret denique illud realiter, quod in baptismo factum fuit sacramentaliter.*

a Pag. 260. edit. Cantabrigiensis an. 1627.

Thesis X.

Pro corollario fuerit hæc quæstio; an baptismate imprimatur animæ character indelebilis, propter quem repeti non possit. Sed neque Scriptura, neque primæva aliquot secula, characterem ejusmodi agnoverunt. Cur verò baptismus non sit iterandus, aliæ longe, eæque gravissimæ, suppetunt rationes.

Tum de hujusmodi charactere, tum de argumentis istiusmodi, dicemus disputationibus de Anabaptismo.

DIS-

DISPUTATIO SEPTIMA DE BAPTISMO; QUÆ EST DE NECESSITATE BAPTISMI.

Thesis I.

QUÆ *tribus disputationibus proximis excussimus, ea pertinent ad baptismi finem, & effectus. A quibus cùm magnam partem baptismi necessitas pendeat; de hac proximè agemus. Tria verò de ea in quæstionem venient. Primum est, utrùm, si haberi queat, necessarius sit. Alterum est, utrùm si obtineri nequeat, privatio ejus condemnet. Tertium est, utrùm haberi posse, censendum sit, si non aliter consequi valeamus, quàm ab homine hæretico.*

II.

Primum illud affirmamus, hoc argumento compulsi, quòd Christus ipse præceperit *a* baptismum: cujus mandatum qui respuit, Christum ipsum, & Patrem, qui misit eum, contemnit.

a Matth. 28. & Marc. 16.

III.

Adhæc divina est comminatio *b*: *Masculi, cujus caro circumcisa non fuerit, delebitur anima de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* Atqui baptismus in circumcisionis locum successit: quod indicat Apostolus ad Coloss. II. 11: ubi baptizatis opus esse negat, ut circumcidantur, quia acceperint περιτομὴν ἀχειροποίητον. Unde & Epiphanius lib. I. hæresi VIII, quæ est Epicuræorum *c*: Οἱ τύποι ἐν τῷ νόμῳ ἦσαν· ἡ δὲ ἀλήθεια ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. ἐκεῖ γὰρ ἡ περιτομὴ σαρκικὴ ὑπηρετοῦσα χρόνῳ ἕως τῆς μεγάλης περιτομῆς, τουτέστι τοῦ βαπτίσματος τοῦ περιτέμνοντος ἡμᾶς ἀπὸ ἁμαρτημάτων, καὶ σφραγίζοντος ἡμᾶς εἰς ὄνομα Θεοῦ. *Figura in lege fuerunt; veritas autem in Euangelio. Illic enim circumcisio fuit carnalis, quæ inservit tempori, usque ad magnam circumcisionem; hoc est baptismum, qui circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.* Si igitur Deus non circumcisis graviter adeò comminatur: quanta manet pœna contemtores baptismi; quem Salvator noster Christus solemniter præcepit, & in suo etiam corpore consecravit; non dedignatus accipere baptismum servi, ne Domini nos baptismum accipere gravaremur.

b Gen. 17. 14.
c Pag. 14 edit. Basil.

IV.

Damnamus itaque hæreticos veteres, qui baptismum abrogabant. Quales erant Manichæi, Seleuciani, & Hermiani. Augustinus hæresi XLVI de Manichæis: *Baptismum in aquâ nihil cuiquam perhibent salutis adferre; nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Idem hæresi LIX de Seleucianis, & Hermianis: *Baptismum in aqua non accipiunt.* Et ante eum Philastrius: *Seleucus, & Hermias, hæretici, animas hominum de igne, & spiritu esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Ioannes baptista: Ipse vos baptizabit in spiritu, & igne.* De Archonticis etiam Epiphanius hæresi XL ait: Ἀναθεματίζουσι τὸ λουτρόν, κἄν τινες εἶεν ποτὲ ἐν αὐτοῖς προειλημμένοι, καὶ βεβαπτισμένοι· *Baptismum damnant; etsi quidam inter eos fuerint, qui essent baptismo initiati.*

V.

Damnamus etiam Faustum Socinum; cujus *a*, uti & discipuli ejus Ostorodii *b*, sententia est, aquæ baptismum non habere præceptum Christi, aut saltem non perpetuum, & universale. Primùm enim negat, apud Matth. cap. XXVIII loqui Christum de aquæ baptismo. Præterea, etsi concederetur, Christum de eo dedisse præceptum, censet illud tantùm pertinuisse ad initia, quibus ex rudi populo, & ceremoniis assueto, Ecclesia Christo colligebatur. Denique eo etiam concesso, ut perpetuò debeat in Ecclesia obtinere; negat tamen universale esse. Nam cùm aquæ baptismus nihil aliud sit, quàm publica, & sollemnis quædam professio nominis Christi; minimè hunc iis necessarium esse ait, qui ex Christianis, id est, Christum profitentibus, nascuntur; aut qui in Christiana fide sunt educati. Interim agnoscit, cùm in illis etiam, quæ ad cultum Dei pertinent, fieri aliqua possint, quæ mandata non sint; dummodo ne sint interdicta, aut interdictis paria, vel similia: posse etiam nunc Ecclesiam ritum hunc usurpare, Apostolorum exemplo; qui etsi præceptum Christi non haberent, tamen aquâ baptizarunt. Imò expedire censet, ut è Judæis, aut gentibus, conversi, vel nullam etiam religionem antea amplexi, tingantur in nomine Christi. Quin neque diffitetur, à Christianis natos, & in Christiana religione educatos, licere baptizare; etsi, ut ait, ejus rei nullum exstet in Scripturis exemplum. Tantùm negat, tales ad hoc esse adigendos; cum baptismus externus res libera sit, & indifferens: unde & fatetur, etiam infantes (dummodo sine scandalo Ecclesiæ fiat) posse baptizari: in quo dissidet ab aliis Transsylvaniæ ministris: qui dogma Trinitatis, & pædobaptismi, habent pro notis Antichristi: cumque omnibus fraternitatem colunt, dummodo utrique huic dogmati renuncient.

a Disp. de baptismo, & alius ejus argumenti opusculis.
b Institutionum Germanicarum c. 9.

VI.

Ad hoc dogma firmandum, primùm respondet omnibus istis, quibus docemus, aquæ baptismum esse præcepti divini. Cujusmodi imprimis sunt verba institutionis Matth. XXVIII, & Marci XVI. Ubi verbum *baptizantes* non ad aquæ baptismum refert; sed ad doctrinam, & initiationem illam, quæ docendo fit. Nam cùm *baptizare* in Scripturis interdum pro *docere*, interdum pro *initiare*, accipiatur: utramque significationem censet huic loco convenire; propriam, quatenus de aquæ immersione dicitur, non item. At interpretatio prior non tantùm planè coacta est, cùm sequatur, *docentes eos servare omnia,*

nia, quæ præcepi vobis: sed etiam praxi Apostolica refellitur, quæ mandati hujus exsecutio fuit, quicquid dicat Socinus. Aliter si esset, narraret Scriptura, ut Apostoli ritum hunc sive seorsim, seu in Concilio aliquo, instituissent. Etiam refragatur ei perpetuus Ecclesiæ consensus, cùm ita Christi verba, ante Socinum, acceperit nemo.

VII.

At quod de consensu Ecclesiæ diximus, verisimile sibi
a Cap. 15. fieri negat Socinus. Nam inquit a, *Novatianos, sal-*
pag. 129. *tem ab initio, nullo baptismo fuisse usos, & multos semper inter ipsos baptismo caruisse; id satis docere potest, quod Novatus baptismum abrogaverat; teste apud Eusebium Dionysio, Alexandriæ Episcopo, viro insigni, in epistola quarta de baptismate.* Verùm Socinus non cepit mentem Dionysii. Hoc enim vetus ille Theologus vult, baptizatos in Ecclesia Catholica iterum baptizâsse; quod de eo, præter Theodoretum, & alios, testatur Cyprianus epist. ad Jubajanum. Non igitur baptismum ἁπλῶς Novatus negabat; ut qui ipse baptizaret: sed Catholicorum baptismum non agnoscebat, quia ab his baptizatos pro baptizatis non habebat.

VIII.

Pergit deinde Socinus: *Cùm*, inquit, *in nono Nice-*
b Ruf. lib *næ Synodi canone, ut apud Rufinum* b *exstat, clericos*
1. cap. 6. *Catharos, (qui iidem planè sunt, qui Novatiani,) si per pœnitentiam ad Ecclesiam converterentur, & Ecclesiastica dogmata confiterentur, in suo ordine suscipi debere decretum fuerit, nullâ prorsus baptismi mentione factâ: satis constare videtur, non semper, neque in omnibus, baptismum ab Ecclesia requisitum fuisse.* Argumentum planè ficulnum. Nam quid attinebat baptismi meminisse; cùm Cathari, sive Novatiani omnes, minimùm semel essent baptizati; sæpe etiam bis? ut illi, qui priùs à Catholicis essent baptizati; ac postea à Novatianis rebaptizati. Cyprianum quidem, & Africanos Patres, fatemur credidisse, rebaptizari eos debere: sed hi Novatianorum baptismum non magis pro baptismo habebant, quàm Novatiani baptismum Catholicorum: quæ Africanorum Patrum sententia ab aliis, etiam eorum successoribus, fuit improbata.

IX.

Nec respondere iis contentus Socinus, quæ pro Catholica sententia adduci possunt, Scripturarum auctoritatem, & rationes aliquot, adfert ad commentum suum firmandum. Primum est divinum testimonium, quod pluribus locis c invenitur, *Ioannem quidem aquâ baptizâsse;*
c Luc 3. *Christum verò Spiritu sancto baptizare.* Unde conclu-
16. Act. 1. dit, *proprium esse Christianorum, non aquâ, sed Spiritu*
5. c. 11. *S. baptizari.* At Catholicæ Ecclesiæ judicium est, aquæ,
16. & spiritûs baptismum non pugnare; sed in legitimo baptismi usu conjungi.

X.

Alterum testimonium est ex 1 Cor. 1, 17: *Non enim misit me Christus baptizare; sed evangelizare. Hæc verba*, inquit, *omne de baptismo præceptum ipsi* (Paulo) *datum excludere videntur.* Sed sententia si Apostoli esset, nequaquam se missum esse ad baptizandum; non ibidem diceret, se Cajum, & Crispum, baptizâsse, & Stephanæ domum: ut nunc nihil dicam de duodecim viris Ephesiis, Act. XIX: quos à Paulo esse baptizatos, & universa censet antiquitas, atque etiam Socinus agnoscit. Quare hoc solum vult Apostolus, se principaliter missum esse ad docendum Evangelium; eoque baptismum ferè aliis commisisse, quorum semper illi aderat copia.

XI.

Tertium argumentum est Gal. III. 27: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Hæc*, inquit, *apertè ostendunt, aliquos fuisse inter eos, ad quos scribit, qui vel non essent, vel possent non esse baptizati.* Quod alibi pleniùs declarat. *Vis*, inquit, *illius pronominis est, ut omnino res quasdam, sive homines, ab aliis omnibus secernat, & quidem in iis ipsis, de quibus, vel cum quibus, est sermo.* Sed τὸ QUICUNQUE universaliter apud Apostolum accipi debet: quia sententia est, cujuscunque fueritis conditionis. Sequitur enim continuò: *Non est Iudæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, aut femina: omnes enim vos unus estis in Christo Iesu.* Atque ut concedamus, certos tantùm signari; sanè dici potest, non alios excludi, quàm partim eos, qui verbum audirent, & baptismi essent candidati, ut catechumeni: partim qui absque fide in Christum baptizati essent, ut hypocritæ.

XII.

Quartum testimonium petitur ex verbis istis initii cap. VI ad Hebræos: *Quapropter, intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur; non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Christum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni. Hic*, inquit Socinus, *rudimenta Christianæ disciplinæ enarrantur; nec tamen ipse aquæ baptismus inter ea commemoratur.* At nos planè ejus mentionem fieri statuimus, cùm mentio fit *baptismatum doctrinæ*: hoc est, initialis doctrinæ de baptismatis. *Baptismata* verò dicitur, non quia pluria, sed quia plurium: nam unum quidem specie, sed numero sunt multa.

XIII.

Quinctum testimonium est, quod Petri 1. ep. cap. III dicatur, *Cui rei respondens exemplar baptismi nos quoque servat; non quo carnis sordes abjiciuntur; sed quo fit, ut bona conscientia Deum interroget.* Ait Socinus, *non ad eum modum locuturum fuisse Petrum, si aquæ baptismus omnibus suscipiendus esset: sed alia quavis ratione, quæ ritum illum non ita deprimeret, ac non magnifaciendum esse indicaret.* Sed profectò non si interioris baptismi proprium esse dicatur, quòd hominem salvet; eò exteriorem baptismum suscipi debere, negatur; quia alius est hujus baptismi finis: nempe ut sit initi cum Deo fœderis signum, ac sigillum, promissionem Evangelii signans, & obsignans: quæ & justa est ratio, cur fœderatis omnibus sit præceptus.

XIV.

Quinque istis Scripturarum testimoniis tres rationes adjungit Socinus. Earum prima est, *Quod cùm Christi disciplina tota spiritualis sit, & interiorem hominem respiciat; ac propterea in universum ab externis, iisque certis, & constitutis ritibus tantum non abhorreat; ea solùm externa facta omnino requirens, quæ ab interiore novo homine necessariò proficiscuntur: nullus ejusmodi ritus Christi Ecclesiæ præscriptus censeri debeat, qui apertissimis verbis, id est, quæ nullum non modò dubitationi, sed ne tergiversationi quidem locum relinquant, institutus, & perpetuo servandus traditus non fuerit.* Sed profectò si negare volumus necessitatem baptismi, eò quòd sit ceremonia: etiam cœnæ Dominicæ necessitatem tollere licet, quæ & ipsa ritus est externus. Sin eò retinemus cœnam, quia clarum habet mandatum: nec baptismus negligi potest, qui non minùs apertè præcipitur. Scio, secus videri Socino. Sed quid agas istis, quibus nec meridie Sol lucet? adeò ut etiam in clarissimo dogmate de Filii Deitate, & pro peccatis nostris satisfactione, Cimmeriæ illis tenebræ sint?

XV.

Altera ratio est, quòd *nullum ex novi fœderis libris exemplum proferri possit baptismi aquæ iis ministrati, qui vel*

vel in Christiana religione alti, atque educati, essent; vel postquam adolevissent, se Christianos esse publicè, ac perpetuo, professi fuissent. Hæc ratio Anabaptistis quidem repugnat, quibuscum negotium erat Socino: Catholicis non item, apud quos, qui è Christianis nascuntur, in infantia baptizantur: qui grandiori ætate convertuntur, per baptismum statim profiteri incipiunt Christianismum.

XVI.

Tertia, ultimaque ejus ratio est, *quòd permulti veri, & reliquis præstantiores Christiani, aqua baptismo tincti non fuerunt*: ut non Apollos solùm, de quo Act. XVIII; sed ipsi Apostoli, & LXX discipuli: item illi centum, & viginti, de quibus Act. I. 15; & quingenti illi fratres, quibus semel Dominum Iesum, postquam resurrexerat à mortuis, visum fuisse Paulus scribit 1 Cor. XV. 6. Videamus de singulis. Apollo fuisse baptizatum baptismate Christi, censent Chrysostomus, & OEcumenius in cap. XVIII. Act. Atque ut hoc non esset, baptismate Ioannis baptizatus erat; quales an iterum baptizari potuerint; vel, si potuerint, an omnino debuerint, est seculo hoc controversum: quemadmodum disp. de Ioannis baptismo ostendemus. Apostolum Andream à Ioanne, cujus fuerat discipulus *a*, fuisse baptizatum, etiam Socinus concedit. De cæteris idem multi existimant. Alii malunt, baptizatos esse ab ipso Christo: qui etsi ordinariè non per se, sed per discipulos, baptizaret; ut scimus ex Joa. IV: tamen aliquem, vel aliquos, potuit baptizâsse, ut haberet baptizatos, per quos baptizaret alios: quemadmodum Augustinus censet epist. CVIII ad Seleucianum. Imò ab Euodio, Apostoli Petri successore, scriptum dicitur; non solùm B. Virginem, sed etiam S. Petrum, ab ipso Christo esse baptizatos: ut testis est Nicephorus lib. II Histor. cap. III; & ante eum Euthymius in cap. III Ioa. atque ex his Bellarminus lib. I de baptis. cap. IX. Quare, ex horum sententia, aliquos omnino baptizârit Ioannes, aut Christus; ab his verò baptizati sint cæteri: quod etiam ad discipulos extendi debet. In hoc veterum dissensu inprimis placet sententia Tertulliani: qui libro de Baptismo ait, *discipulos Christi à Ioanne fuisse baptizatos.* Nec modò, propter antiquitatem scriptoris, eò inprimis inclinat animus: sed etiam aliis de caussis. Nam per est verisimile, non baptizâsse Christum; partim ut hoc discrimine ostenderet, ministros quidem suos exteriùs baptizare; se verò illum esse, qui interiùs baptizaret Spiritu sancto: partim etiam, ut doceret, dignitatem, ac virtutem baptismi, non pendêre à ministri dignitate; sed Christi institutione, & pacto fœderis initi à Deo nobiscum: partim denique, ne inter baptizatos oriretur concertatio, dum alii se à discipulis, alii à Christo ipso, dicerent tinctos: quod malum facilè exoriturum fuisse, ex iis cognoscimus, quæ in Corinthiacâ contigisse Ecclesiâ, Apostolus narrat 1 Cor. I. 14. Quamquam etsi concederetur, ut Ioannes, licet non baptizatus, tamen mandato Dei tingebat; ita Apostolos & LXX discipulos, etsi non essent baptizati, à Christo tamen habuisse mandatum alios tingendi: nihil hoc Socinum juvaret; quia alia eorum ratio est, qui ἀμέσως vocati sunt à Christo ad baptizandum; alia illorum, ad quos mittebantur.

a Joh. I. 37. 41.

XVII.

Vidimus de prima quæstione; Num, si haberi possit baptismus, necessarius sit. Accedo nunc ad alteram; Utrùm, si haberi non possit, privatio ejus condemnet. De quo hæc nostra sententia est: Quamquam baptismo nos adstringat Deus, ubi haberi potest: non tamen ita externo se symbolo alligare, ut non possit, aut nolit, absque eo hominem salvare. Sane annis illis quadraginta, quibus Israëlitæ in eremo fuerunt, circumcisio fuit intermissa: ut legimus Jos. V. 5. At quis omnes interea natos, & denatos, adjudicet morti æternæ?

XVIII.

Et sanè, si baptismus esset absolutè necessarius: uti dixit Christus, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur*: etiam dixisset, *Qui non crediderit, & non baptizatus fuerit, damnabitur.* At nunc tantummodo ait, *Qui non crediderit damnabitur.*

XIX.

Adhæc quomodo infantes fidelium, si baptizari ante mortem non potuerunt, damnabuntur; cùm Deus in lege promittat, *se misericordiam ostensurum in millesimam usque generationem colentium eum?* Sanè si in millesimam, quomodo non in primam, quæque nihil adversus fœdus cum parentibus initum deliquerit? Exod. 20. 6.

XX.

Etiam Deus Abrahamo inquit, Gen. XVII. 7: *Ero Deus tuus, & seminis tui.* Et Petrus Act. II. 39: *Non vobis modò, sed & liberis vestris, facta est promissio, & iis, qui à longè sunt.* Etiam Pauli est Rom. XI. 16. *Si radix sancta, etiam rami.* Et 1 Cor. VII. 11, licet parentum alteruter sit infidelis; tamen, ob alterius fidem, *liberi sancti* esse dicuntur.

XXI.

Objectant verba Christi Ioa. III. 5: *Nisi quis genitus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest ingredi in regnum cælorum.* Qui locus de internâ regeneratione intelligi debet, cùm aqua, & spiritus ponantur pro aqua spirituali. Vel si cum antiquis *a* de aqua externa agi malis, locus *de illis intelligendus est, qui possunt, & contemnunt baptizari*: ut interpretatur Lombardus.

a Cyrillo Hierosolym. catechef. 3. & aliis magno numero disput. 5 adductis.

Etiam objiciunt veterum multos, qui infantes, si citra baptismum discesserint, adjudicent gehennæ tormentis: ut sunt è Græcis Cyrillus Hierosolymit. catech. III: è Latinis, Augustinus epist. CXXVI ad Hieronymum, & lib. I. de anima & ejus origine cap. IX, nec non lib. III. c. XIII, & alibi passim: item scriptor Hypognosticôn lib. V, Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia Christi, & lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. III, & XXIX, uti quoque lib. I. de verit. prædestinat. Adhæc Gregorius M. lib. IX. Moral. cap. XVI. &c.

XXII.

Sed horum sententiam juniores meritò improbârunt. Vide, quæ fusè adversùs eam disputat Bernardus epist. LXXVII. Ac similiter sensit ejus σύγχρονος Petrus Blesensis Serm. XXII. de S. Trinitate: *Sufficit Spiritus, & aqua: sufficit spiritus, & sanguis; si aquam non exclusit contemtus religionis, sed articulus necessitatis: sufficiet spiritus solus, quia testimonium ipsius pondus habet.* Similiterque idem Serm. XXIV in festo Iacobi: *Sufficit, si cui testimonium fidei dabit Spiritus sanctus inhabitans, & baptismus: vel spiritus, & martyrium: vel etiam solus spiritus; ubi articulus necessitatis aquam exclusit, non contemtus religionis.*

XXIII.

Quid quòd Augustinum Augustino opponere possumus? Nihil enim clarius, apertiusque, verbis istis lib. V. de baptismo contra Donatistas: *Etiam atque etiam considerans invenio, non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis; si fortè ad celebrandum mysterium baptismi, in angustiis temporum, succurri non potest.* Atque idem alibi similiter: *Quantum valeat, sine visibili etiam sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur visibiliter, cùm mysterium baptismi non contemtus religionis; sed articulus necessitatis, excludit.* Quæ verba etiam citat Hugo de S. Victore *b*, eruditionis

b Habes Tom. priori Auctaris Bibliotheca SS. Patrum Edit. 2. col. 1374.

Theologicæ de Sacramentis lib. I cap. XIII. Qui & inde concludit, verba illa Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu*, sic restringi oportere, Si quis renasci contemserit ex aquâ, & spiritu.

XXIV.

Et sanè, si ante Augustinum omnes tantam baptismi necessitatem agnovissent; puto, non tam diu permansissent Catechumeni, contrà quàm factum videmus. Pervulgata aliquot exempla complexus est Carolus Sigonius libro quinto de Occidentis imperio ad an. CCCL, his verbis: *Constantinus, & Constans, utrumne, sacro fonte abluti, vitâ excesserint, parùm compertum. Constat enim, homines per hos annos diu inter Catechumenos se probâsse; nec nisi serò sacramentum baptismatis accepisse. Nam & Constantius Augustus ab Euzoio, & Theodosius major ab Acholio, episcopis, serò initiati sunt: & Valentinianus junior, baptismum à D. Ambrosio postulans, interfectus est: & D. Martinus, inter Catechumenos constitutus, miracula edidit: & D. Ambrosius, nondum tinctus, episcopatum inivit.* Nisi is paullò junior foret, poterat addere Nectarium, virum senatorium, ac præfecturâ fungentem; qui adhuc catechumenus, propter virtutis honorem, factus est episcopus Constantinopolitanus; ut ex antiquis ipse Sigonius postea refert lib. VIII. ad a. CCCLXXXI.

XXV.

Neque Basilius videtur putâsse, baptismum esse ἁπλῶς necessarium, saltem in iis, qui quomodocunque, etsi non verè, essent baptizati. Nam epistolâ ad Amphilochium can. I. *a* tradit, baptismum Catharorum, & Encratitarum, & Hydroparastatarum, & Apotactitarum, non esse verum baptismum; quia etsi, qui initio schismatis baptizarent, manusque imponerent, spiritualem gratiam conferrent, propterea quòd legitimè essent vocati ad hoc munus; ii tamen, qui à schismaticis illis vocati essent, non acceperint potestatem eam tribuendi gratiam Spiritus S. ac proinde non magis baptizarint, quàm si laici fuissent. Unde concludit, tales esse rebaptizandos. Agnoscit interim, seriò esse dispiciendum, quid imprimis ex re fuerit Ecclesiæ, ac pacis publicæ. Si enim baptismus eorum sit futurus offendiculo, satius esse arbitratur, illum omittere; non quasi sit verè baptizatus, sed quia credatur à multis verè baptizatus; quibus futurum sit scandalo, si iterum tingantur. Audiamus ipsum Basilium *b*: Ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν. *Quoniam autem Asiaticis quibusdam omnino placuit, dispensationis, ac concordiæ caussâ admitti, ac recipi eorum baptismum, sanè recipiatur.* Et postea, cùm Encratitas iterum baptizari præcepisset, restringit hæc eo pacto: Ἐὰν μέντοι μέλλῃ τῇ καθόλου οἰκονομίᾳ ἐμπόδιον ἔσεσθαι τοῦτο, πάλιν τῷ ἔθει χρηστέον, καὶ τοῖς οἰκονομήσασι τὰ καθ' ἡμᾶς πατράσιν ἀκολουθητέον. *Si ne est, ut universali Ecclesiæ administrationi cares offutura sit: alterâ illâ consuetudine utendum; & sequendi Patres, qui, quæ nostri muneris sint, statuerunt.* Atqui si credidisset Basilius, baptismum ἁπλῶς esse necessarium: non docuisset, posse eum in non verè baptizatis omitti οἰκονομίας ἕνεκα *c*. Nam sine quo salvari non possumus, id concordiæ caussâ omitti nullâ ratione potest, aut debet.

a *Tom. 2. pag. 759. edit. Parisin. an. 1618.*

b *Eâdem pag.*

c *Dispensationis, ac concordiæ caussa.*

XXVI.

Hoc de veteribus judicium etiam fuit Bezæ epistolâ VIII, quæ ad Grindallum, episcopum Londinensem *d*: *Quem* (liberorum baptismum diutius differendi) *errorem jam olim non fuisse, ne ab episcopis quidem plerisque, animadversum; vel illud declarat, quod Nazianzenus, patris Episcopi filius, non sit, nisi post vigesimum annum, baptizatus; nedum ut tunc invaluerit opinio, de summa, & prorsus necessariâ baptismi ad salutem necessitate; quam Africani, Pelagio resistentes, postea invexerunt.* Idem in abstersione calumniarum Tilemanni Heshusii: *Hunc* (de absoluta baptismi necessitate) *errorem etsi nimium multi jam pridem asseruerunt: cum tamen pro dogmate ab omnibus receptum non fuisse, vel ex eo constare potest, quòd multi in contrariam partem graviter peccantes, in multos annos Baptismum, & suum, & suorum liberorum, differebant. Neque de obscuris hominibus loquor; sed de iis, qui in omnium oculis versabantur. Constantinum enim legimus ad extremum usque vitæ tempus Baptismum distulisse; qui tamen eo nomine, sicut merebatur, ab Episcopis non fuit reprehensus. Sed & Nectarium legimus, priusquam baptizaretur, designatum fuisse Constantinopolitanum Episcopum. Imò, quod maiore admiratione dignum est, Gregorius ille Nazianzenus, Episcopi filius, non est ante virilem ætatem, & tamen absque ullo offendiculo, baptizatus. Et hunc ipsum constat, ex eius oratione in sanctum Baptismum, sic reprehendere, qui sacrum Baptismum ad tricesimum annum differrent; ut tamen infantes, nisi urgeat necessitas, censeat tertio demum anno baptizandos: cuius opinionis fuit etiam Tertullianus.* Hæc adduxi, non quia existimem, baptismum tamdiu meliùs differri: (longè enim aliud ostendam disputatione de pædobaptismo) sed ut omnibus liqueat, veterum multos, præsertim in Ecclesia Græca, non tantam statuisse baptismi necessitatem, quàm plerique hodie arbitrantur. Atque hæc de quæstione secundâ.

d *Pag. 74. & 75. edit. anni 1575.*

XXVII.

Superest quæstio tertia, utrùm necesse sit baptismum petere ab hæretico, si aliter eum consequi non liceat. De hoc aliorum adferre judicia contentus ero. Philippus Melanchthon in Concilio suo: *Volo pios, firmos, & infirmos, accedere ad baptismum infantium, in suis Ecclesiis, ubicunque sunt. Servare etiam possunt ritus adiaphoros, ut interesse lectioni Psalmorum in vespertinis precibus, & aliis honestis congressibus, etsi aliquid vitiis aliquibus admixtum est; quia in eo cœtu sunt adhuc aliqui electi, & sancti, ut pueri: & aliqui adulti rectè sentientes, sed infirmi; qui tamen sunt membra Christi, & sunt paullatim provehendi.* Martinus Bucerus in Consilio, quod Melanchthonis Consilio subjunxit: *Sententia hic à domino Philippo scripta in omnibus assentior. Opto quidem fratres, quos Babylonica tenet captivitas, diligentissimè cavere, ne intempestivè, & petulanter vituperando vulgatas cærimonias, opinionem impietatis apud electos Dei, quos lucrifacere Domino oportebat, incurrant: atque eo se inutiles reddant, qui illos Domino adducant. Opto, ut illud inter fratres certum teneatur, Quæcumque Dei, & Christi, supersunt in vulgatis lectionibus, concionibus, & aliis Ecclesiasticis actionibus, ita vitiari non posse, nec impietate ministrorum, nec irreligiosâ humanorum commentorum admixtione, nec superstitione abutentium: quin pii homines loquentem, & agentem in illis Dominum audire, & sentire queant, & ad incrementum pietatis illis uti. Ita scilicet, etiam post Christi necem, usi sunt cærimoniis Hierosolymitanis, vitiatis gravissimâ impietate, & administrantium eas, & usurpantium: tum etiam contaminatione inventionum humanarum.* Petrus Martyr in Consilio, quod superiori subditur: *Quæ a dominis Philippo, & Bucero, scripta sunt, mihi quoque probantur: istaque solummodo adscribo, ut potiùs magis explicem, quàm ut illorum consilio adjiciam. Inprimis, qui Baptismum infantibus suis in Ecclesiis Papisticis petunt, aut in illis precibus intersunt vespertinis, & matutinis, cùm ista ibi non perficiantur sine mortuorum invocatione, aut suffragiis pro defunctis; eorum partes sunt, ita amplecti in istis Dei, & Christi instituta, ut vitia ipsi detestentur, non modò secum in animo, sed pro opportunitate oblatâ, verbis ea patefaciant, idque potissimum eis, quos, ut infirmos, vident se posse offendere suis illis actionibus.* Habes hæc judicia in tractatibus Theologicis

Ioan-

Ioannis Calvini, excusationi ejus ad Nicodemitas subnexa *a*: iis subjungitur judicium Calvini; ubi nihil quidem speciatim de baptismo; sed ait tamen, in ipso quæstionis statu, & summa, non putare se, suum responsum ab d. Philippi sententia, cui alii duo assentiuntur, discrepare.

a *Edit. Genev. an. 1597. p. 604. & seqq.*

XXVIII.

Aliqui tamen viri docti alterius sunt sententiæ: eosque inter Bucanus; qui in locis comm. censet, nullam esse ejusmodi necessitatem posse, quæ urgeat, ut ab hæreticis ministris, utcunque Trinitatis dogma retineant, baptismus postuletur. Et videntur huc etiam referri posse verba Petri Martyris epist. ad Eccles. Angl. *Profectò infantes vestri de salute non periclitantur, si absque baptismo intereant; quia nec gratia Christi, nec prædestinationis effecta, externis rebus, & Sacramentis sunt alliganda.* Quò maximè inclinet animus, commodiùs exponam Disputatione nonâ; quæ erit de ministris baptismi à Christo instituti.

FINIS.

DISPUTATIO OCTAVA
DE
BAPTISMO;
QUÆ EST
DE BAPTISMO
JOANNIS.

THESIS I.

HACTENUS septem disputationibus baptismum in se consideravimus. Deinceps agam de caussâ ejus efficiente. Est ea vel principalis, vel instrumentalis, sive ministra. Principalis est Deus, vel Christus Mediator. Cui, ut notissimo, nihil attinet insistere. Ministra caussa primò erat Ioannes, qui Christum ipsum baptizavit. Deinde Apostoli, atque alii, ad docendum, & baptizandum, divinitus vocati. Priùs agam de baptismo Ioannis. De quo hæc tria ordine exponam. I. Quatenus conveniat cum baptismo Apostolorum, & quomodo differat. II. An ex iis, quæ de baptizatis à Ioanne narrantur in Actis *a*, rectè colligant Anabaptistæ, eos, qui semel baptizati fuerunt, iterum posse baptizari. III. Cur Christus, qui à peccato omni immunis erat, baptizari voluerit baptismate Ioannis; quod erat baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

a *Act. 19. 3. 4. 5. 6.*

II.

Baptismus Ioannis, & Christi, sive Apostolorum, primùm in eo conveniunt, quòd uterque è cœlo fuerit, non ab hominibus. De baptismate Ioannis cognoscimus inde, quòd ipse apud cognominem Euangelistam *b* sic loquatur: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit.* Item ex his Euangelistæ verbis *c*: *Verbum Domini factum ad Ioannem: quo motus ille d venerit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum.* Quia item ejus baptismus nomine *justitiæ*, hoc est, obedientiæ, Dei mandato debitæ, nuncupetur à Christo *e*, quique baptizari à Joanne noluissent, *consilium Dei f sprevisse* dicantur. Nec obscurè idem indicat historia de Christo *interrogante g sacerdotes, & seniores populi, baptisma Ioannis unde esset; è cœlo, an ex hominibus.* Adhæc eam sententiam firmat, quòd sancta Trinitas illud Ioannis baptisma comprobârit *h*: Pater voce de Filio editâ, Filius suâ tinctione, Spiritus manifestatione sui in symbolo columbæ.

b *Ioan. 1. 33.*
c *Luc. 3. 2.*
d *Ibid. vers. 3.*
e *Matth. 3. 15.*
f *Luc. 7. 30.*
g *Matth. 21. 25.*
h *Matt. 3. vers. 16. & 17. Marc. 1. v. 10. 11. Luc. 3. 22.*

III.

Spissus igitur est error Sociniani Ostorodii, existimantis *a*, *ex scriptis Apostolorum, & Euangelistarum*, non posse demonstrari, vel Ioannem, vel Apostolos, à Deo, aut Christo, in mandatis accepisse, ut baptizarent: neque ex eo, quòd Christus sit baptizatus, consequi, id præcepti fuisse divini. Cui hac parte præeunt Romanæ Ecclesiæ doctores. Uti Bellarminus, cùm ait *b*: *Baptismus Ioannis ab ipso Ioanne institutus erat: quia in Scripturis passim vocatur baptismus Ioannis: ista autem denominatio non potest significare Ioannem ministrum tantùm fuisse ejus baptismi, sed etiam auctorem.* Quod argumentum nullius est ponderis. Nec enim baptismus ille Ioannis dicitur, quasi Ioannem habuerit auctorem; sed partim quia Ioannes baptismum suum primus promulgavit, & inchoavit; cùm Apostoli administrarint baptismum à Christo promulgatum: partim quia baptismus Ioannis cedebat alteri spiritualium donorum copiâ, atque ubertate, quam ab Apostolis baptizati consequebantur.

a *In Institut. Germ. cap. 30.*
b *Lib. 1. baptis. cap. 20.*

IV.

Distinctiunculâ tamen mollire sententiam suam postea conatur Bellarminus; cùm dicit, *Deum solum in genere inspirâsse, & inspiratione illâ mandâsse, ut baptizaret: sed ritum in particulari, quo baptizandum esset, ipsum Ioannem instituisse, non à Deo præscriptum accepisse.* Quibus similia habet Maldonatus *c*. *Si*, inquit, *spectes primam originem, baptismus Ioannis cœlestis fuit: quia non propriâ voluntate, sed divino instinctu, Ioannes baptizavit: si verò spectes ritum, & effectum; nihil habebat baptismus ille, nisi humanum.* Verùm & ritum, & effectum, Deo tribuere oportet; qui Ioannem miserat, ut tingeret aquâ in remissionem peccatorum: quemadmodum postea planius fiet.

c *T. 1. de Sacramentis disp. 2. qu. 3.*

V.

Quod si Deus est auctor ejus baptismi; satis liquet, baptismum Ioannis, & Christi, convenire caussâ efficiente

principali. Nam Christus quidem baptismum mandavit Apostolis: sed *Deus a per Filium locutus est*: eique *non b ex mensura Spiritum dedit*. Quare Christi baptismus mandatum habet Trinitatis; quæ Joannem ad baptizandum misit, & cùm Christus baptizaretur, baptismum Ioannis admirandæ revelationis testimonio confirmavit.

a Hebr. 1. 1.
b Ioh 3. 34.

VI.

Si verò baptismus Ioannis fuerit à Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto: non dubium, quin etiam Ioannes baptizârit in nomine, hoc est, confessione, atque invocatione Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Siquidem non potuit in alius nomine baptizare, quàm qui *misit eum ad baptizandum*; ut est Joan. 1. 33. At misit eum Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

VII.

Verùm, inquit Bellarminus, *baptismus Ioannis non habuit invocationem Trinitatis: quia neque Scriptura, neque ulla Patrum traditio, id habet.* Argumentum imbelle, cùm idem dici possit de baptismate discipulorum Christi ante passionem ejus. De eo tamen non dubitavit Lombardus *c* scribere, *Si quæritur, in qua forma tunc* (ante Christi resurrectionem) *baptizârint Apostoli: sane dici potest, in nomine Trinitatis: scilicet in ea forma, in qua postea baptizaverunt gentes; quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum.*

c Lib 4. sent. dist. 3. lit. G.

VIII.

Nec idcirco, cùm Ioannem in Patris, Filii, & Spiritus Sancti nomine baptizâsse dicimus, illud volumus, eum in baptizando exprimere solere personas Trinitatis: sed sententia est, eum non in suo, sed Dei nomine, qui personarum ratione est trinus, semper baptizâsse. De formulâ verò, qua in baptizando uti solet, cùm taceat Scriptura, neque nos certi quicquam afferre possumus. Bellarminus quidem ait *d*, *valde esse probabile, Ioannem nullâ omnino formulâ verborum uti consuevisse*. At nobis parum probabile videtur, mutâ ceremoniâ fuisse contentum. Incerta, sed verisimilior, est sententia Ambrosii *e*, & Hieronymi *f*; item Lombardi, Alensis, Thomæ, Paludani, atque aliorum; quibus placet, Ioannem hac, similive formulâ, usum esse, *Baptizo te in nomine venturi Messiæ.* Quod colligunt ex verbis istis Act. XIX. 4: *Ioannes baptizavit baptisma pænitentiæ, populo dicens, In venientem post ipsum ut crederent, hoc est, in Christum Iesum.* Perpetua tamen hæc esse formula non potuit. Nam ut de Christo nihil nunc dicam (quem ridiculum fuisset tingere in nomine venturi Messiæ:) nec Ioannes cæteros, postquam Christus ministerium suum orsus esset, potuit formulâ isthac baptizare. At tum quoque baptismum Ioannis durâsse, cognoscimus ex Ioh. IV. 2. Verùm esto, ut eâ semper formulâ sit usus: sic quoque in nomine Trinitatis baptizârit. Nam cur hoc minùs de Ioanne dici debeat, quàm de Apostolis; qui in nomine Iesu dicuntur baptizâsse Act. II. 38? Et tamen in Trinitatis nomine eos immersisse, ait Ambrosius; quia Christi nomen complectatur tum Patrem, qui *unxit Filium oleo lætitiæ præ consortibus suis g*, tum Filium, cui *Pater dedit Spiritum non ad mensuram h*; tum Spiritum sanctum, qui est ipsa *unctio i*. Quem secutus Nicolaus I. pronunciat, legitimum fore baptismum, etsi in formula solius Iesu mentio fiat; quia videlicet *institutio Christi non de vocibus, sed de rebus, sit intelligenda.* Quâ de re etiam Cajetanum vide in Thomam *k*. Atque ex his satis liquet, non Apostolorum tantùm baptismum; sed Ioannis etiam, Deum habere auctorem, & in Dei nomine administrari solere.

d Lib. 1. de bapt. cap. 20.
e Lib. 1. de Spiritu S. cap. 3.
f In cap. 2. Ioelis.
g Psal. 45. 8.
h Ioh. 3. 34.
i 1 Ioh. 2. 27.
k P. 3. q. 66. art. 6.

IX.

Præterea convenit uterque baptismus materiali; quia utrobique tinctio facta est aquâ. De Ioannis baptismo constat ex Matt. III. 11. Marc. 1. 8. Apostolos verò aquâ baptizâsse, docemur Act. VIII. 36. & X. 47.

X.

Denique consideremus etiam formam, quæ in relatione ad rem signatam, & obsignatam, consistit. Tam baptismus Ioannis, quam Christi, in remissionem peccatorum fiebat. De illo legimus Marci 1. 4, & Luc. III. 3: *Erat Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* De hoc verò dicitur Act. II. 38: *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Et Act. XXII. 16. Paulus Ananiæ inquit: *Exsurge, baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Christi.* Adde quòd sacramenta sunt sigilla doctrinæ ejus, quam Dei nomine minister annunciat. Atqui Ioannes à Deo missus fuit ad docendum, ut remissio peccatorum obtingeret omnibus, qui pœnitentiam agerent, & crederent in venturum Messiam. Nam Zacharias de filio ait Luc. 1. 76: *Præibis faciem Domini ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum ejus.* Et Act. XIX. 4. dicitur *Ioannes baptizâsse baptisma pænitentiæ, populo dicens, In venientem post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum Christum.* Remissionem verò peccatorum esse Christi beneficium, docebat Ioannes his verbis: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ubi passionem Christi attendi, rectè agnoscit Thomas *a*, cum ait, *Non est credendum, quod ignoraverit Ioannes, Christum ad passionem venturum. Ipse enim dixerat*, Ecce Agnus Dei, *pronuncians immolationem futuram.* Nec alia Patrum mens. Nam & Iustinus Martyr *b* ait, verba illa esse *symbolon supplicii crucis*: & Hilarius *c* dicit, appellari agnum, ut innocentia Christi, & passio demonstretur: & Epiphanius *d* docet, *agnum irrationalem* (hoc est typicum) *deducere nos ad magnum agnum, ac cælestem*: hoc est Christum. Ut audiendus non sit Bellarminus, cùm dicit *e*: *Ioannem nihil expressè docuisse de passione. Nam quod vocavit illum agnum Dei, potuisse referri ad innocentiam, & mansuetudinem; etiamsi victima non fuisset.*

a 2. 2. q. 2. art. 7.
b Dialogo cum Tryph. Iud pag. 200. edit. Commel.
c Lib. de Patris, & Filii unitate, circa finem.
d Hæres. 8 quæ est Epicureorum.
e Lib. 1. de baptis. c. 23. resp. ad argument. 7.

XI.

At, inquit idem Bellarminus *f*, *Ioannis baptismus dicitur baptismus pænitentiæ*, ut Math. III. 11, Luc. III. 3, Act. XIII. 24, & XIX. 4. *Christi verò baptismus nusquam dicitur baptismus pænitentiæ; sed lavacrum regenerationis*, Tit. III. 5: unde colligit, Ioannem non baptizâsse in remissionem peccatorum. Quæ sententia ex reformatis scriptoribus etiam placuisse videtur Regnero Prædinio, Enarrat. in cap. III Matthæi *g*. At cogitare oportuit, baptismum Ioannis non ἁπλῶς dici *baptismum pænitentiæ*; sed addi, *in remissionem peccatorum*. Respondet Bellarminus, *remissionem peccatorum non tribui baptismo; sed pænitentiæ, ad quam provocabat.* Quod, pleniùs declaraturus, adjungit, *pænitentiam contrario se modo habuisse ad baptismum Christi, & Ioannis: quia baptismum Ioannis sequitur pænitentia, ut ejus effectus: baptismum Christi præcedit, ut ejus dispositio.* Nempe, ex illius mente, baptismus Ioannis gignit pœnitentiam; pœnitentia disponit ad Christi baptismum; baptismus Christi caussa est remissionis peccatorum: atque ita pœnitentia quidem immediatus, remissio verò peccatorum non nisi mediatus est effectus baptismatis Ioannis. Quæ ut vera essent, negari tamen non posset, baptismum Ioannis dari in remissionem peccatorum. Iam verò quod pœnitentiam baptismi ejus effectum facit, id nos pernegamus. Legimus quidem apud Marcum *h*, *Ioannem baptizâsse, & prædicâsse.* Sed hoc καθ' ὕστερον πρότερον dictum est. Nec enim vocationem à baptismo ordiebatur: sed, uti Apostoli postea fecerunt, ita ipse etiam priùs prædicabat; deinde baptizabat: nec baptizabat alios, quàm qui ducerentur pœnitudine peccatorum. Itaque alibi, ubi temporis ordo servatur, prædicatio quidem pœnitentiæ, hæc autem baptismo Ioannis

f Lib. 1. de bapt. cap. 23.
g P. 137.
h Mar. 1. 4.

nis præponitur; ut Matth. III. 1. 2. 3. & 6, ac Luc. III. 3. 7.

XII.

a Lib. 1. de baptis. c. 21. b Concordia Evang. c. 30. c De sacramentis T. 1. disp. spec. 2. d Matth. 3. 11. e Act. 2. 3.

Alterum quoque arietem intorquet Bellarminus *a*: uti & Cornelius Jansenius *b*, Maldonatus *c*, atque alii. Objectant enim, quòd Joannes Baptista *d* distinguat baptisma suum à baptismo Christi: quia ipse baptizet in aqua, hic baptizaturus sit in Spiritu, sine quo non est remissio peccatorum. Quasi *baptismi* vox utrobique similiter capiatur; ac non priori loco aquæ baptismus intelligatur, qui à communibus Spiritus Sancti donis, invisibiliter datis, separari non debet: posteriori verò loco sermo sit de effusione donorum visibili: quæ die pentecostes facta narratur à Luca *e*. *Apparuerunt*, inquit, *in Apostolis dispertita linguæ tanquam ignis, seditque Spiritus Sanctus super singulos eorum.* Hujus interpretationis quem certiorem laudare testem possumus, quàm Salvatorem, & Apostolum Petrum? Atqui Christus ipse *f* post resurrectionem dixit Apostolis: *Joannes quidem baptizavit aquâ: vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos dies.* At Petrus *g* ait, *Recordatus autem sum verborum Domini, sicut dixit; Joannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.*

f Act. 1. 5.

g Act. 11. 16.

XIII.

Nec ignoro, viris aliquot eruditis placere, in verbis Baptistæ externum hominis ministerium distingui ab eo, quod intus præstat Spiritus Sanctus: ut simile sit isti 1 Cor. III. 6: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit.* Verùm etsi sententiam hanc sanctam esse fatemur; priorem tamen interpretationem magis nunc probamus: partim quia Christus, & Petrus, apertè ita explicant (nam velle dicere cum Bellarmino, tantummodo esse allusionem, nimis frigidum est) partim quia omnes Euangelistæ *baptizabit*, quàm *baptizat*, dicere maluerint; partim quia etiam futurum tempus respicit, quòd Joannes subjungit, *Qui post me venturus est, potior me est.*

XIV.

h Lib. 1. de bapt. c. 21. i Luc. 1. 76. k Rom. 4. 11.

Illo præterea argumento pugnat Bellarminus *h*, quòd Joannes non esset Salvator, ut baptizare potuerit in remissionem peccatorum; sed solùm Salvatoris præcursor *i*, ad parandas ejus vias. Quasi non ipsa etiam Veteris Testamenti sacramenta obsignârint remissionem: unde Circumcisio appellatur *sigillum* k *justitiæ fidei.* Aut quasi Joannes ita fuerit præcursor, ut non doceret totam salutis rationem; & pœnitentiam inquam, & fidem in Christum, & studium operum bonorum. De pœnitentia legimus Matth. III. 2. *Agite pænitentiam.* De fide, Joan. 1. 29, *Videns Christum ad se venientem, dicit; Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* De operibus bonis Luc. III. 8, *Facite fructus pænitentiâ dignos.* Quare Joannes etiam fecit, quod Timotheo præcipit Apostolus 1 cap. IV. 16, *Hoc faciens te ipsum servabis,* (puta instrumentaliter) *& eos, qui te audiunt.* Ac similiter loquitur Jacobus V. 20.

XV.

l Parag. 4.

Idem Bellarminus Patrum multos allegat, qui existimâsse videntur, Joannis baptismum non obsignasse remissionem peccatorum; sed fuisse in sola aqua: quales sunt isti. Scriptor de cardinalibus Christi oper. Serm. de baptismo Christi *l*: *Præparabat viam Domino Joannes, lavando exterius corpora; ut præcederet exterius lavacrum secuturum baptisma; in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remissio. Præcessit, quod erat ex parte, ut consummatio sequeretur.* Ambrosius in Psal. XXXVI: *Audistis hodie legi, quia Joannes baptizabat in Aenon juxta Salim. Aenon dicitur oculus suppliciorum. Salim ipse adscendens. Hoc habet interpretatio. Qui ergo baptizari elegit, supplicia prævidet. Et ideo confugit ad baptismatis sacramentum, ut peccatum omne deponat, ne obnoxius incipiat esse suppliciis. Et fortè supplicia prævidet, qui baptizatur baptismo pænitentiæ: at verò ille gratiam spectat, qui baptizatur in Christo. Baptismus ergo Joannis, oculus suppliciorum est: baptismus Christi, oculus gratiarum.* Hieronymus adversùs Luciferianos *a*: *Iste ergo talis, tantusque, Spiritum Sanctum non dedit, quem Cornelius centurio, antequam baptizaretur, accepit? Responde quæso, cur non dederit? Sed ignoras. Audi, quid Scripturæ doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam baptisma pænitentiæ fuit in peccatorum remissionem; id est, in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsequutura.* Augustinus T. 7. de baptismo contra Donat. lib. V. cap. X: *Quapropter, quanquam ita credam baptizâsse Joannem in aqua pænitentiæ, in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsa vero in Domini baptismo id fieret: sicut resurrectio, quæ expectatur in finem, spe in nobis facta est; sicut dicit idem Apostolus: quia simul nos excitavit, & simul sedere fecit in cælestibus.* Similiter Walafridus Strabo de Officiis divinis cap. XXVI. Interim non paucos commemorat Bellarminus, qui tale nihil dicant, ac ille opinatur: uti scriptorem quæst. ad Orthod. quæst. XXXVII, Hilarium in Matth. can. II, Optatum lib. V, Ambrosium lib. II. in Luc. cap. II, pluresque alios.

a Fol. 138.

XVI.

Verùm ut multos Patrum, ejus, ac Bellarminus voluit, sententiæ fuisse agnoscimus: ita nec desunt ex iisdem Patribus, qui dissentiant. Uti Basilius orat. quomodo aliquis baptizetur baptismate, quod est in Euangelio D. N. Jesu Christi *b*: Τὸ δὲ Ἰωάννου βάπτισμα πολυπλάσιον εἶχε τὸ πλέον. Οὐδεμίαν γὰρ ἐποιεῖτο διάκρισιν ἁμαρτημάτων· οὐ διαφορὰν ἐπεζήτει θυσιῶν· οὐκ ἀκρίβειαν ἐποιεῖτο ἁγνισμοῦ· οὐ παρατήρησιν εἶχεν ἡμερῶν, ἢ ὡρῶν· ἀλλὰ κατ' οὐδὲν εἰς μηδὲν ἀναβολῆς γενομένης ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. ἅμα τε προσελθών τις ἐξομολογούμενος τὰς ἁμαρτίας, ὅσας δήποτ' οὖν, καὶ οἵας δήποτ' οὖν, καὶ ἐβαπτίζετο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, καὶ εὐθὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων. *Joannis baptisma multis modis excelluit* (Mosis baptisma.) *Nullam enim prorsus faciebat peccatorum differentiam. Nullum exigebat sacrificiorum discrimen. Purificationem studiose non efflagitabat. Nec dierum, aut horarum, habebat observantiam. Nec ullam prorsus faciebat ad gratiam Dei, & Christi ipsius, perveniendi dilationem. Simul itaque accesserat quis, & peccata sua, quantacunque, & qualiacunque, fuissent, confessus fuerat; in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat.* Etiam Cornelius Jansenius in Concordiâ Euangelicâ *c* fatetur, hanc fuisse sententiam Prudentii Cathemer. hymno VII: ubi de baptismo Joannis ita canit:

b Pag. 585. edit. Basil. a. 1551.

c Cap. 13.

Hortator ille primus, & doctor nova
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas:
Sed tincta postquam membra defæcaverat,
Cælo refulgens influebat spiritus.
Hoc ex lavacro, labe demtâ criminum,
Ibant renati; non secus, quàm si rudis
Auri recocta vena pulcrum splendeat:
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.

Idem Jansenius fatetur, similiter sensisse B. Ambrosium; cujus hæc verba lib. 1. de Spiritu Sancto cap. III: *Illi, qui negaverunt, se scire Spiritum Sanctum, quamvis baptizatos se dicerent in Ioannis baptismo, baptizati sunt postea; quia Ioannes in remissionem peccatorum in advenientis Iesu non in suo baptizavit nomine. Et ideò spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Ioannes baptizare solebat, acceperant.* Imò Augustinus ipse, etsi in diversa est sententia, tamen cum diversum sentientibus pugnaciter contendere non vult. Sic enim scribit lib. V de Baptismo contra Donatistas cap. X:

Ne quisquam contendat, etiam in baptismo Ioannis dimissa esse peccata; sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos Paulus denuo jussit baptizari, per baptismum Christi esse collatam; non ago pugnaciter.

XVII.

Bellarminus, cùm hæc negare non posset, quæstionem esse ait, *non an baptismus remittat peccata ex devotione, & fide accedentium*: (quomodo Patres, quos diximus, intelligere jubet) *sed an baptismus Ioannis, uti Christi baptismus, peccata remittat vi suâ, vel ex opere operato.* Sed *opere operato* quod ait, nos, ut Scholasticorum commentum, aversamur: nec enim signa sacramentalia conferunt spiritualem gratiam per se, ac vi actionis suæ; verùm dispositivè duntaxat: at effectivè ea est ab assistente virtute Spiritus Sancti: ut ostendimus disp. de Sacramentorum vi, & efficacia: item disputatione quinctâ de Baptismo, cùm Messalianos refelleremus.

XVIII.

Hactenus egimus de baptismatis utriusque convenientiâ: unde etiam consequitur, falli Scholasticorum illos, qui de Ioannis baptismate non altiùs adsurgunt, quàm ut simile fuerit sacramentis veteris Testamenti. Atque is error deinceps magis elucebit. Nunc, in quo Ioannis, & Apostolorum baptisma, differant, videamus. Primum discrimen est ratione temporis. Nam *Lex, & Propheta, usque ad Ioannem*: ut dicitur Math. XI. 13. Unde liquet, ministerium Ioannis non pertinere ad V. T. Rursum Ioannes erat præcursor Christi, missus ut pararet vias ejus; quemadmodum dicitur Marc. I: eoque nec ministerium ejus ἁπλῶς erat Novi Testamenti; ut qui prænunciârit Messiam, non qui venisset, sed *qui venturus esset*, ut ipse loquitur *a*: quod non incarnationis, sed ministerii ratione, intelligi debet. Quamquam cùm præsentem monstrârit Christum, etiam dicere poterat, *qui veniret.* Ut igitur, qui Aaronico baptismate tingebantur, jussi sunt credere in Christum venturum; Apostolico verò baptismate tincti credebant in Christum, qui venisset: ita Ioannes baptizans credere jubebat in Christum, qui veniret. Ergo baptismus ejus nec erat Veteris Testamenti, nec ἁπλῶς Novi Testamenti; sed ejus temporis, in quo & Vetus desineret, & Novum inciperet Testamentum. Unde Tertullianus *b* Ioannem vocat *limitem constitutum inter vetera, & nova; ad quem desineret Iudaismus, & à quo inciperet Christianismus.* Nazianzenus *c* item παλαιᾶς, καὶ νέας μεθόριον *inter vetus, & novum Testamentum, intermedium.*

a Matt. 3. 11 ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος.

b Advers. Marc. lib. 4. cap. 33

c Orat. 39 quæ est in sancta lumina pag. 633. edit. Morell.

XIX.

Magis tamen ministerium ejus pertinebat ad Novum Testamentum, quàm Vetus. Nam πρόδρομος rectè ex Rege, & cum Rege censetur, quem præcurrit. Unde baptismus Ioannis à scriptore quæst. ad Orthodoxos, qui apud Iustinum invenitur *d*, vocatur προοίμιον τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ. Etiam ex Thoma Bellarminus *e* ait, *baptisma Ioannis non pertinuisse ad legem veterem; sed potius ad novam.* Et hæc de primo discrimine.

d Qu. 37. p. 312.

e Lib. 1. de bapt. c. 19.

XX.

Præterea discrepant, quòd Baptismus Ioannis à Deo quidem erat; sed non à Christo; nisi quatenus idem est naturâ cum Patre, & Spiritu Sancto; atque actiones Dei externæ sunt indivisæ: At baptismus Apostolorum est à Christo, ut Mediatore, in terris promulgatus: nec dubium, quin semper apertè, atque expressè in ejus nomine sit administratus, sive primæ, tertiæque etiam personæ, fieret mentio, sive solius Iesu: quod de Ioannis baptismo asseverari non potest.

XXI.

Adhæc cum baptismate Christi conjunctus erat Spiritus Sanctus, hoc est, uberior Spiritûs mensura: imò plerisque baptizatis per manuum impositionem conferebatur donum linguarum, & prophetiæ; quod *Spiritûs* nomine in Scripturis signatur.

XXII.

Atque hæc satis ostendunt, baptismum Ioannis, & Christi, partim eundem esse, partim diversum: sed cum οὐσίας potissimùm ratio haberi debeat, magis eundem, quàm alium, esse; quia uterque administrabatur in remissionem peccatorum. Unde etiam liquet, quid statuere oporteat de isthoc decreto Concilii Tridentini sess. VII. can. I. de baptismo: *Siquis dixerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Ubi eandem vim utriusque baptismatis esse negant, quia illius effectus fuerit pœnitentia, non remissio peccatorum: hujus remissio peccatorum, non pœnitentia. Sic enim Bellarminus, & Pontificiorum alii, interpretantur.

XXIII.

Atque ut verum diceret Concilium; tamen sic quoque pâret, longè alium ejus spiritum esse, quàm Augustini. Nam etsi is quoque remissionem peccatorum à Ioannis baptismate separaret: tamen, ut suprà vidimus, non anathema dicit iis, qui dissentirent; sed negat, se cum iis pugnaciter velle contendere. Laudabiliter sanè. Nam vidit sanctissimus antistes, etsi hic erret aliquis, non periclitari salutem, non convelli fidem, non lædi pietatem. Est enim solùm controversia de ceremonia temporis ante multa secula præteriti, & quæ non diu durârit: de quâ seu hanc, seu illam sententiam sequaris, salva permaneat doctrina de pœnitentia, fide, & pietate.

XXIV.

De prima quæstione hæc dicta sunto. Nunc videamus, utrùm ex iis, quæ de duodecim viris, à Ioanne baptizatis, narrat Lucas Act. XIX. rectè colligant Anabaptistæ, eos, qui ritè semel fuerint baptizati, iterum posse baptizari. Nos, Catholicæ Ecclesiæ judicium sequentes, id pernegamus. Sanè mirè quidem in ejus loci enarratione variant interpretes: sed tamen nulla eorum expositio Anabaptistis favet. Triplex interpretamentum adducere contenti erimus. Eorum unum est, ut propter particulas relativas μὲν, & δὲ, verba illa ἀκούσαντες δὲ Pauli esse dicantur; Lucæ autem verba incipiant versu seq. ubi particula καὶ respondeat versui tertio, & quarto.

XXV.

Objicit adversus hanc interpretationem Bellarminus, quòd ex ea sequatur, viros istos bis esse à Paulo baptizatos. Sed vel non intelligit, quid velint sententiæ hujus auctores, vel sciens calumniatur. Nam hoc ajunt, primùm generatim dici de toto Joannis ministerio, quòd baptizaverit baptismo pœnitentiæ, hoc est, & concionibus, & baptismo, ad pœnitentiam homines provocârit: deinde verò speciatim addi, quo ordine, & modo, baptismum administrârit: nempe quòd priùs sit hortatus, ut crederent in Christum; deinde eos in Christi nomine baptizârit: denique adjungi, postquam Paulus & doctrinam Ioannis, ut Euangelicam, & baptismum ejus, ut Christianum, approbâsset: baptizatis à Ioanne, non quidem iterâsse baptismum, sed tantummodo imposuisse manus, ut acciperent Spiritum sanctum, hoc est donum linguarum, & prophetiæ; quod discipuli isti in ecclesia vigere ignorabant, nedum ut ipsi illud accepissent.

XXVI.

Altera ejus loci interpretatio est, ut sermo sit ἀνανταπόδοτος, nec δὲ sit relativa, sed transitiva particula: aliter si esset, Lucam, inquiunt, non fuisse dicturum, ἀκούσαντες δὲ, sed οἱ δὲ ἀκούσαντες ἐκεῖνον, vel potiùs, οἱ δὲ ἀκηκοότες ἐκεῖνον. hoc est, *Qui verò audiverunt illum.* Movet etiam eos, quòd, cùm discipuli illi dixissent, se baptizatos fuisse εἰς Ἰωάννου βάπτισμα, Paulus doceat eos, qualis fuerit Ioan-

Joannis doctrina. Unde colligunt, ab aliquo Ioannis discipulo, cùm baptismus ejus locum ampliùs non haberet, aquâ tinctos esse; vel cùm ritè posset usurpari, malè in Ioannis nomen, non Christi, fuisse baptizatos; atque ideo, postquam de doctrina Ioannis rectiùs forent instructi à Paulo, fuisse ab eo non tam rebaptizatos, quàm baptizatos; quia prior baptismus non esset verus baptismus.

XXVII.

Huic sententiæ favet Optatus Milevitanus, lib. v: qui ait, eo illegitimum fuisse eorum baptismum, quia post institutum à Domino baptismum essent baptizati. a *Ante*, inquit, *praecepta* (hoc est antequam Christus præcepisset baptismum) *baptisma Ioannis, cùm esset imperfectum, perfecta* (lego, *pro perfecto*) *judicatum est ab eo, cui nemo judicat. Et quia quasi limes quidam fixus esset jussionis, inter tempora antecedentia, & sequentia: cùm apud Ephesum baptizarentur aliqui in baptismate Ioannis post praecepta, hos videns beatissimus Paulus, interrogavit, an accepissent Spiritum Sanctum.* Et mox: *Sic baptizati erant, quemadmodum multi a Ioanne fuerunt baptizati. Siqui ante legem* (hoc est, mandatum Christi) *baptizati sunt, ad indulgentiam pertinuerunt. Hi verò, qui, apud Ephesum post legem, Iohannis baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in sacramento erraverunt. Quia jam introductum fuerat baptisma Domini, & exclusum fuerat servi. Iam enim terminum temporis fixerat Christus, dicendo; A diebus Ioannis usque in hodiernum. Post hodiernum jam non licebat, quod heri licuit. Quare nolite vobis blandiri de dicto Apostoli Pauli, qui non post personam operaris interrogabat, sed post rem. Cui res, non persona displicuit.*

a Pag. 149. & 150. edit. Commel.

XXVIII.

Partim cum Optato convenit, partim disconvenit scriptor commentariorum in epist. Pauli, qui Ambrosio tribuuntur. Is enim in cap. III. ad Gal. ita scribit: *Ioannes in remissionem peccatorum in adventu Iesu, non in suo baptizavit nomine: & ideo spiritum nesciebant; quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Ioannes baptizare solet, acceperant.* Nec multum abit Lombardus in IV Sent. dist. 2. quem sequitur Alensis. Autumant enim illi, spem eos posuisse in baptismo Ioannis, nec novisse Trinitatem: atque eò tanquam non ritè baptizatos, iterum fuisse baptizandos.

XXIX.

Tertia illorum est opinio, qui & ritè antea baptizatos, & postea nihilominus rebaptizatos, censent: quæ, si Optatum, & Ambrosianum illum interpretem, excipias, omnium antiquorum sententia est. Sed in eo hi quoque differunt, quòd plurimi aquâ tantùm baptizâsse Joannem putant: aliqui verò remissionem peccatorum à Joannis baptismate minimè separant. Priores si sequimur; satis liquet, baptizatos à Joanne, non solùm potuisse, sed etiam debuisse, iterum ab Apostolis baptizari: atque hoc Paulum apud Lucam dicere, veteres illi arbitrantur: quorum, ex ingenti numero, duos aut tres XXXIII adducam Thesi. Sed nihil hoc Anabaptistas juvabit; quia sic planè alius erit baptismus Joannis, quàm Christi: illi autem eundem baptismum posse repeti, contendunt.

XXX.

Longè igitur verisimiliùs sentiunt Patrum alii; qui statuunt, baptizatos à Joanne iterum baptizari potuisse ab Apostolis: non quia tantopere à priori differat horum baptismus, quasi is solus remissionem peccatorum obsignârit; sed quia sic quoque tantum inter eos discriminis sit, ut ratio commoda possit adferri, cur Deus vellet ab Joanne baptizatos rebaptizari ab Apostolis; baptizatis verò ab Apostolis baptisma repeti nollet. Ratio ea non solùm erit, quòd Apostolicum baptisma comitaretur spiritualium charismatum copia: sed etiam, tum quòd à Christo ἀμέσως esset promulgatum, & explicitè, aperteque, in ejus nomine fieret; tum quòd pro diversa fidelium ætate potuit sacramentum initiationis variare. Fidelium enim alii crediderunt in Christum venturum; alii in eum, qui veniret, & quasi in via esset; alii in eum, qui jam venisset. Primis instituta fuit circumcisio; alteris baptisma Joannis; tertiis baptismus Christi. Quemadmodum igitur, quòd circumcisi baptizarentur à Ioanne, nihil derogabat efficaciæ circumcisionis: ita neque, si à Ioanne baptizatis repetitus ab Apostolis baptismus fuerit; quicquam efficaciæ, quam Ioannis baptisma habuit, detrahetur.

XXXI.

Hanc sententiam sic adstruunt ex scopo B. Lucæ. Cùm, inquiunt, vers. I, dictum esset, quomodo Apostolus Paulus Ephesi reperisset discipulos, qui duodecim fuisse dicuntur vers. 5: subjiciuntur duo, sermo inter Paulum, ac discipulos; & factum geminum consecutum, baptismi, ac impositionis manuum. In sermone sunt ista quinque: rogatio Pauli prior, & responsum discipulorum: interrogatio altera Pauli, & alterum discipulorum responsum: ac plenior denique institutio eorundem facta à Paulo. Prima interrogatio erat, an accepissent Spiritum S. Responsum, ne quidem scire se, an esset Spiritus S. Iterum rogati, in cujus igitur nomine baptizati forent. Respondêre, Ioannis. Tum occasio data Paulo docendi discipulos illos, quanto inferiora essent omnia in Ioanne, quàm Christo; quandoquidem Ioannes baptizaret quidem, sed baptismate resipiscentiæ: ac doceret quidem, sed ut deduceret ad Christum post se venturum, cui credere oporteret. Nec dubium, quin, quod strictim dicit Lucas, fusiùs enarrârit Paulus: ut facile viderint discipuli, quanto esset augustior baptismus Christi, quàm Ioannis. Hinc baptizari petierunt baptismo Christi, & accipere illum Spiritum S. de quo dixerant, ne quidem se nosse, an is foret. De hoc duo refert Lucas. Prius est, ut discipuli illi fuerint baptizati baptismate Christi: non quidem à Paulo, qui vix illos baptizare solet; sed per diaconum, aliumve Christianum. Alterum est, quomodo sic baptizatis Paulus imposuerit manus, & acceperint Spiritum S. ita ut loquerentur linguis, & prophetarent.

Adversus hanc sententiam nihil æquè obstare videtur, quàm quòd, nisi vers. v. μὲν, & δὲ, pertineant ad verba Pauli, sermo ejus fuerit ἀνανταπόδοτον. Quasi non multa ejusmodi sint apud Apostolum: imò & alios, etiam Latinos. Nempe ex particulis μὲν, & δὲ, sive *quidem*, & *vero*, ac similibus, interdum altera reticetur: ut cùm apud Terentium est *tamen*; nec antecedit *licet*, aut *quidem*: sicut observat Donatus in Andr. v. III; ubi ἀνακόλουθον appellat.

XXXII.

Hanc qui sententiam sequuntur, ut scopum illorum Pauli verborum apud Lucam urgent: ita eo etiam pugnant argumento, quòd Marci I. 5, Matth. III. 5, & Luc. III. 12, scribitur: *Ibant ad Ioannem, ut baptizarentur, tota Hierusalem, omnis Iudaa, & omnes regiones vicina Iordani.* Quare rari eo tempore ex Iudæis erant, quos non baptizâsset Ioannes. Atqui post adscensionem Domini primo Pentecostes die, cùm Petrus prædicâsset baptismum Christi, baptizati sunt tria millia, & paullò pôst quinque millia. Hos inter non dubitant illi, fuisse etiam aliquos à Ioanne baptizatos priùs. Neque enim verisimile est; curiosè inquisisse Apostolos, utrùm in turba illa laterent aliqui, à Ioanne priùs baptizati, quos nefas esset iterum baptizare.

XXXIII. Mul-

XXXIII.

Multum quoque ponderis accedere huic sententiæ videtur ab antiquis. Nam sententia illa, quæ μὲν, & δὲ, ad Pauli sermonem refert; atque inde statuit, semel duntaxat fuisse baptizatos; admodum est novella: quippe nata me nato. Primùm enim auctorem babet nobilissimum, & raræ doctrinæ virum, Philippum Marnixium, S. Andelgondiæ Dominum; cujus funeri amplissimo, & quod præsentiâ suâ cohonestârit illustrissimus Arausionensium Princeps Mauritius Nassavius, me, in numero eorum, qui studiis tum temporis in Academia Leidensi operam darent, exsequias ire commemini. Ab eo se accepisse agnoscit a Reverendus, & Clarissimus Theodorus
a Annotationibus in Act. 19.
Beza. Illum secuti magno numero viri multi præclari. Sed enim ex sententia, quâ sermo statuitur ἀνανταπόδοτος, & particula μὲν ad Pauli, δὲ ad Lucæ sermonem refertur: tantum præcelluerit baptisma Christi illi Ioannis, ut à Ioanne solum baptizatis altero fuerit baptismate opus. De hoc discrimine sic sentit eruditus auctor
b Resp. 37.
libri quæstionum, & responsionum ad orthodoxos b, qui Iustinus Martyr perperam putatur; baptisma Ioannis neque fuisse secundùm legem, neque contra legem; sed supra legem. Nam, ut ait, Τὸ βάπτισμα Ἰωάννου προοίμιον ἦν τοῦ εὐαγγελίου τῆς χάριτος. At aliud præludium cantûs, sive προοίμιον, aliud οἶμος: uti aliud προαύλισμα, & προκιθάρισμα, aliud subsequens, & justus tibiæ, vel citharæ cantus. Audiamus etiam, quæ de discrimine baptismi Mosaici, Ioannis & Apostolici, apud Basilium leguntur, tractatu, Quomodo baptizetur aliquis baptismate, quod est in Euangelio Dom. N. J. C. Ac de Mosaico quidem lavacro sic scribit: Τὸ μὲν οὖν διὰ Μωσέως παραδοθὲν βάπτισμα πρῶτον μὲν ἐπεγίνωσκε διαφορὰν ἁμαρτημάτων. Οὐ γὰρ πάντα τὰ ἁμαρτήματα εἶχε τὴν χάριν τῆς ἀφέσεως. Ἔπειτα δὲ θυσίας ἐπεζήτει διαφόρους. Ἠκριβολογεῖτο περὶ ἁγνισμοῦ· ἀφώριζεν ἕως καιροῦ τὸν ἐν ἀκαθαρσίᾳ, καὶ μολυσμῷ· παρατήρησιν ἐποιεῖτο ἡμερῶν, καὶ ὡρῶν. καὶ τότε τὸ βάπτισμα ἐφ᾽ ὧν παρελαμβάνετο, ὥσπερ ἀποσφράγισμα τοῦ καθαρισμοῦ. *Baptismus itaque per Mosen traditus, primum peccatorum differentiam observavit. Non enim quævis peccata remissionis gratiam assequebantur. Deinde vero & differentia sacrificia exigebat. Purificationem studiosè petebat. Impurum, & maculatum, aliquamdiu à reliquis separabat. Dierum, & horarum observantiam statuebat. Et tunc baptismus illis, à quibus accipiebatur, quasi quadam purificationis erat obsignatio.* Exinde transit ad baptisma Ioannis. Verba jam antè adduximus thesi XVI. Denique de baptismate Dominico hæc subjungit: Τὸ δὲ τοῦ Κυρίου βάπτισμα λόγον μὲν ἔχει κρείττονα παντὸς ἀνθρωπίνου· δόξαν δὲ ἀνωτέραν πάσης ἐπιθυμίας, καὶ εὐχῆς ἀνθρωπίνης· ὑπερβολὴν δὲ χάριτος δυνάμεως πλείονα, ἢ ὅσον ἥλιος ἀστέρας ὑπερέχει. *Domini verò baptisma omnem humanam rationem superat; & gloriam habet, cuicunque humano desiderio, ac voto præcellentem; ac majore gratia, & virtutis supereminentiâ, reliqua superat, quàm Solis splendor cæteras stellas excellit.* Idem de hac ὑπεροχῇ Dominici baptismi supra illum
c Pag. 188. edit. Basil.
Ioannis sic scribit in Exhortatione ad Baptismum c: Ἰωάννης ἐκήρυσσε βάπτισμα μετανοίας, καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ Ἰουδαία· Κύριος κηρύσσει βάπτισμα υἱοθεσίας. Καὶ τίς τῶν εἰς αὐτὸν ἠλπικότων οὐχ ὑπακούσεται; Ἐκεῖνο εἰσαγωγικὸν τὸ βάπτισμα· τοῦτο, τελειωτικόν. ἐκεῖνο, ἁμαρτίας ἀναχώρησις· τοῦτο οἰκείωσις πρὸς Θεόν. *Ioannes, ad quem omnis accedebat Iudæa, pœnitentiæ baptismum prædicavit: Dominus autem adoptionis filiorum baptismum annunciat. Quis igitur eorum, quibus spes est in eo, non obediet? Ad initiandum erat Ioannis baptisma; istud verò ad perficiendum. A peccato illud avocabat: istud cum Deo conjungit, & familiarem reddit.* Unum etiam, alterumque, è Latinis addam. Hieronymus adver-
d Tom. 2. pag. 139. edit. Froben.
sus Luciferianos d: *Ioannis baptisma in tantum imperfectum fuit, ut constet, postea Christi baptismate baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati.* Augustinus lib. II contra literas Periliani cap. XXXVII: *Caussa, & ratio baptismi, sive ista sit, quam exposui; sive alia melior, certiorque reddatur; illud tamen manifestum est, alium fuisse baptismum Ioannis, alium Christi.*

XXXIV.

Cæterum sic quoque facilè occurritur Anabaptistis. Nam etsi uterque baptismus ratione οὐσίας rectè unum baptisma dicatur: tamen cùm etiam inter ea discrimen sit, ut antea ostendimus; satis liquet, non, si concedamus, à Joanne baptizatos iterum fuisse baptizandos ab Apostolis, eo sequi, Christi baptismate baptizatos iterum immergi oportere. Atque hæc de quæstione tertiâ, qua carere poteramus, si per Anabaptistas licuisset. Nam nihil periculi est, ne baptismum temere vel concedamus, vel negemus baptizatis à Joanne, postquam nemo illorum superest ab annis mille, & quingentis.

XXXV.

Superest quæstio tertia, cur etiam Christus baptizari voluerit baptismo Joannis. Illud convenit, noluisse mundari, qui totus esset mundus: imò ipsas potiùs aquas mundaret: ut loquuntur veteres. Optatus Milevitanus lib I a: *Christi caro ipso Iordane sanctior invenitur; ut magis aquam ipsa (leg. ipse) descensu suo mundaverit, quam ipsa mundata sit.* Ubi lege, *ipsâ mundatus sit.* a Pag. 10.
Hieronymus adversus Luciferianos b: *Dominus noster Iesus Christus non tam mundatus est in lavacro, quam lavacro suo universas aquas mundavit.* Veras igitur rationes exponam: quæ variæ sunt. Inter alias ista, quòd *baptismate suo baptisma Ioannis comprobavit*: ut ait Hieronymus in Matth. cap. III. b Tom. 2. edit. Froben pag. 138.
Sed illa inprimis nobilis, quam ipse adsert Christus his verbis: *Omitte nunc. Sic enim decet, ut compleamus omnem justitiam.* hoc est, obedientiam omnem Dei mandatis debitam. Unde superiùs inter alia ostendimus, Ioannem baptizandi mandatum habuisse divinitus. Nunc inde etiam colligimus, convenisse, ut ab eo baptizaretur Christus. Nempe quemadmodum circumcisionem suscepit, ut eo signo populo Iudæorum adscriberetur: ita etiam baptismum suscipere conveniebat, ut eo pacto jungeretur populo Christianorum. Quibus aliud videtur, non attendunt, ut circumcisio erat fœderis signum inter Deum, & Israelitas: sic baptismum esse signum fœderis inter Deum, & nos. Ratione hujus generalis finis etiam baptismus locum habuit in Christo.

XXXVI.

Nec obstare illud potuit, quòd ipse esset ab omni peccato immunis: Ioannes autem baptizaret baptismate pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Nam cùm Christus venisset, non quidem in carne peccati, sed tamen in similitudine carnis peccati: meritò non alienum ab se judicavit, si simile cum peccatoribus signum susciperet; atque ita nobis in omnibus similis fieret, excepto peccato: quemadmodum dicitur ad Hebr. cap. II. 17. Nempe hac etiam parte peccatorum esse similis voluit, qui expianda nostra in se peccata susceperat. Nec tamen iis assentimus, qui arbitrantur, Christo etiam convenisse specialem baptismi finem, quatenus fit in remissionem peccatorum: peccatorem enim censeri, qui peccatorum personam sustineret. Unde Paulus dicat II Corinth. v. 21: *Fecit ut qui non novit peccatum, pro nobis esset peccatum, ut fieremus Dei justitia in eo.* Sic ratiocinantes cogitare oportuit, bifariam hic *peccatum* sumi: posteriori loco capi propriè; unde opponitur ibidem justitiæ: priori autem loco usurpari μεταληπτικῶς; quia peccatum quidem ponitur pro pœna peccati, quæ est μετωνυμία caussæ efficientis pro effecto: per pœnam autem peccati intelligitur pœnæ obnoxius; quæ est μετωνυμία adjuncti pro subjecto. Videlicet quia, sponsor pro nobis factus, pertulit pœnas nostris debitas peccatis. Unde & I Petr. II, 24:

11. 24: *Qui peccata nostra suo pertulit corpore, ut peccatis mortui justitia viveremus.* Ubi, quin priori loco *peccata* sumantur pro peccati pœnis, non est dubitandum. Sic igitur colligimus, nusquam in Scripturis Christum dici *peccatorem*; sed *peccatum* vocari, ut obnoxium pœnis pro peccatis nostris. Eoque baptismum quidem ratione finis generalis convenisse Christo, tanquam fœderato; sed non ratione finis specialis, velut peccatori.

XXXVII.

Additur à nonnullis hæc ratio, oportuisse Christum baptizari, ut lavacrum nostrum sanctificaret in corpore suo: sicut loquitur Hilarius in Matth. can. 11. Sed enim hæc impropria locutio est. Nec enim sanctimonia nostri baptismi tam est à tinctione baptizati Christi, quàm à mandato eam nobis præcipientis Christi. Hoc interea utilitatis ex ejus baptismo ad nos redit, quòd facto suo baptismum nobis commendavit. Nam dum illud, quòd omnibus erat imperaturus, ipse facit prior; præit nobis humilitatis exemplo, ne gravemur nos servi accipere Domini baptisma, cùm ipse Dominus non sit dedignatus petere baptisma servi: ut est apud Augustinum *a*. Atque ex his etiam liquet, commodè capi oportere, quod de aquis, à Christo baptismo suo sanctificatis, paullò antè dicebamus ex antiquis. Nec enim, puto, ostensum iri quemquam, si negemus, utcunque Christus sanctissimum corpus suum abluerit Jordane, eò nunc aquas ejus sanctiores in se esse, quàm fuere ante baptismum Christi. Quod neque foret, si stagnantes ejus aquæ essent; nedum in flumine; ubi semper aqua est alia, atque alia. Qui verò baptizari in Jordane maluerunt, quàm in Tiberi; eò potuerunt attendere, quòd sanctimonia baptismi loco ipso, ubi baptizari voluit Christus, magis, & efficaciùs, & Christi, & baptismi ejus, memoriam ob oculos poneret.

a Tom. 9. tract. 5. in Evang. Joan.

FINIS.

DISPUTATIO NONA DE BAPTISMO;

Quæ inprimis est

DE MINISTRIS BAPTISMI A CHRISTO INSTITUTI.

THESIS I.

A BAPTISMO Joannis venio ad baptismum à Christo institutum. Ubi duo considerabimus: primùm, quando eum instituerit Christus: deinde, quibus eum commiserit: quorum prius ad caussam primariam, alterum ad instrumentalem pertinet. De priori multum disserunt Scholastici. Aliqui prædicant, Christum, cùm à Joanne voluit baptizari, sanctificâsse baptismum omnium nostri. Sic sanè loquuntur Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, atque alii. Ac eapropter institutionem baptismi ad hoc tempus referunt Lombardus lib. IV Sententiarum, distinct. III, literâ G; & Thomas Aquinas parte III, quæst. LXVI. Alii ab eo fonte malunt derivare, cùm Christus binos in singula oppida mitteret ad prædicandum. Alii originem accessunt ab eo tempore, quando eum post resurrectionem præcepit Apostolis: ut est Matth. cap. XXVIII, & Marc. cap. XVI. Alexander Alensis varios jubet attendere considerandi modos: quos adscribam, ut hominis ingenium videas. Sic igitur ille parte IV, de sacram. quæst. XII, quæ est de institutione baptismi, art. 1: *Multiplex fuit institutio baptismi.* MATERIALIS, *sive* POTENTIALIS, *quoniam Dominus baptizabatur à Joanne, Math.* III: *quoniam collata fuit virtus regenerativa aquis, unde Luc.* III: *Baptizato Jesu. Ibi glossa: Baptizatur Dominus non mundari indigens: scilicet tactu mundæ carnis aquas mundans, ut vim abluendi habeant.* FORMALIS *Matth. ult. ibi; Ite, docete omnes gentes, &c. Tunc enim fuit institutum formaliter in expressione forma baptizandi. Quantum ad* FINEM III. *Joan. Nisi quis renatus, &c. Finis enim baptismi est introductio, sive ingressus in paradisum. Quantum ad* EFFECTUM, *Marci ult. Qui crediderit, &c. Baptisma enim salvat à pœna, & culpa. Quantum ad* EFFICACIAM, & SIGNIFICATIONEM; *quoniam de latere Christi exivit sanguis, & aqua. Joan.* XIX. *Quantum ad* EFFICACIAM: *quod ex fluxu ille baptisma habet efficaciam, sive virtutem: unde Ezech.* XLVII; *Vide aquam egredientem de templo à latere dextro, &c. Quantum ad* SIGNIFICATIONEM; *quòd sanguis, & aqua, illa erant signa Baptismi, & Eucharistiæ.* OFFICIALITER; *quia misit Dominus binos, & binos, ad prædicandum, & baptizandum; ut dicit Magister. Tunc enim contulit illis officium baptizandi. Sic igitur diversa fuerunt baptismi institutiones; ut ex his patet.* Videmus septem considerandi modos; pro quibus de quæstione hac statuere jubet: quod profectò non dividere est, vel distinguere, sed in minutias concidere; ut bovem solent Molossi. Quanto, non dico subtiliùs, sed utiliùs, simpliciusque, tria tempora attendas; Christi baptizati; ejusdem, tempore ministerii, ablegantis discipulos ad docendum, & baptizandum; atque ejusdem mittentis eos à resurrectione! De primo tempore assentio Richardo in IV Sentent. distinct. III, quæst. V. art. I: ubi jure censet, institutionem baptismi, non ad passivum, sed activum Christi baptismum, pertinere. Ut duo solùm tempora supersint; prius ante passionem, cùm discipulos solùm mitteret ad perditas oves Israëlis; alterùm à resurrectione,

quando baptismum extendit ad omnes gentes, & modum ejus administrandi strictiùs præscripsit. Hæc tam aperta, certaque, mihi videntur; ut potiùs moraturus sim lectorem, verbum si addam. Venio igitur ad alterum minùs facilè expeditu: quibus jus sit baptizandi. Ac primùm dicam, quibus, in Scripturis, id jus datum legamus. Deinde, qui ad paucos nimis hoc restringant. Denique, qui ad multos nimis extendant. De primo nunc agere incipiam.

II.

Mandavit Christus baptismum, non Apostolis solùm; sed in his, & per eos, idem præcepit omnibus ordinariis verbi ministris. Est enim pars Ecclesiastici ministerii; ut cognoscimus ex Institutionis verbis; ubi prædicationi, ad finem usque mundi duraturæ, conjungitur administratio baptismatis. Etiam ministri Verbi vocantur dispensatores mysteriorum Dei, 1 Cor. IV. 1. Ad mysteria autem Dei etiam sacramenta pertinent: adeò ut, quod Latini *sacramenta*, hæc Græci μυστήρια appellent. Nec aliorum, qui baptizârint, exempla legimus in Scripturis, quàm quibus jus esset prædicandi Verbum: quales, præter Ioannem Baptistam, sunt illi: Petrus, Act. II. 41: Philippus baptizans Eunuchum, Act. VIII, 38: Ananias Paulum baptizans, Act. IX, 18, & XXII, 16: Paulus baptizans Crispum, Gajum, & Stephanæ familiam, 1 Cor. I. 14. 16; Lydiam, Act. XVI, 15; ac custodem carceris Philippensis, ibid. 33.

III.

Atque hinc dependet quæstio, utrùm solis episcopis, & presbyteris; an etiam diaconis liceat baptizare. Nam qui tantùm vocatus est ad hæc duo; tum mensæ sacræ ministerium; tum Ecclesiæ quæsturam, sive eleemosynarum collectionem, & pauperum curam; non is vindicare sibi tertium etiam debet; videlicet jus baptizandi; ut quod solùm Verbi administris conveniat. Nec tamen diffitendum, baptizandi munus interdum fuisse diaconis concessum. Sed illi ad hoc etiam fuerant vocati, ut opitularentur pastoribus in ministerio Verbi. Quibus verò locis non vocati etiam essent ad prædicandum populo, iis nec baptizare concedebatur. Hac de re ita Tertullianus lib. de baptismo cap. XVII. *Dandi baptismi habet jus summus sacerdos; qui est episcopus. Dehinc presbyteri, & diaconi; non tamen sine episcopi autoritate, propter Ecclesiæ honorem; quo salvo, salva pax est.* Ubi quòd Tertullianus etiam presbyteris jus baptizandi assignat, habet sibi consentientes hac parte veteres omnes. De eo, quòd idem presbyteros negat baptizare debere, nisi autoritate episcopi, ut ne ordo Ecclesiæ violetur; subscribit ei Ambrosius lib. III de Sacramentis cap. 1: *Audisti lectionem. Succinctus est sacerdos. Licet enim presbyteri fecerint; tamen exordium ministerii à summo est sacerdote.* Item Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, in persona orthodoxi *a*: *Inde venit, ut sine Episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus, jus habeant baptizandi.* Ubi Hieronymus hoc ampliùs dicit, quàm Ambrosius; quòd, (uti & Tertullianus) diaconis ait licitum baptizare, dummodo jubeat episcopus. Sed Ambrosio etiam favet Epiphanius hæresi LXXIX, quæ est Collyridianorum; ubi cùm dixisset, nulli feminæ, ne diaconissis quidem, baptizare licere; addit, ne ipsis quidem diaconis hoc concessum; sed solis episcopis, & presbyteris *b*: καὶ γὰρ οὔτε διακόνοις ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιτέτραπταί τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα. *Nam neque diaconis in Ecclesia concreditum est, ut aliquod mysterium celebrent; sed solum, ut administrent dum celebratur.* Eadem mens Clementis Romani; qui episcopos, & presbyteros solos, divinitus vocatos esse asserit, ut prædicent Euangelium, & baptizent: diaconorum verò munus esse ait, episcopis, & presbyteris ministrare: eóque, si ali baptizare præsumant, sive illi laici, sive clerici fuerint; manere eos pœnam Oziæ, & Coritarum. Sic enim inter alia scribit lib. III Constitut. cap. XI: Ἀλλ' οὔτε τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν· οἷον ἀναγνώσταις, ἢ ψάλταις, ἢ πυλωροῖς, ἢ ὑπηρέταις· ἀλλὰ μόνοις ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων. οἱ δὲ τολμῶντες τοῦτο, τὴν Κορειτῶν ὑπόσχωσι τὴν δίκην. *Sed neque reliquos clericos baptizare permittimus; veluti lectores, cantores, ostiarios, ministros: sed solos episcopos, & presbyteros, ministrantibus illis diaconis. Qui hoc ausi fuerint, Coritarum supplicium patientur.*

a Pag. 139. edit. Basil. a. 1553.

b Col. 447.

IV.

Hæc de primo. Proximè de iis me dicturum receperam, qui jus baptizandi nimium coarctant. Quales sunt, qui tres has conditiones in baptizaturo requirunt; vocationem legitimam, doctrinam rectam, & vitam puram. Singula expendam ordine.

V.

De primo sic censeo; non ab alio poscendum esse baptismum, quàm qui ad Verbi prædicationem ab Ecclesia sit vocatus: eum verò, de cujus vocatione legitima constet, illi præferri oportere, qui sit vitio creatus minister: cæterùm etiam pro legitimè baptizato haberi oportere, si quis baptizârit non omni ex parte legitimè vocatus. Ut si quis haut omnino injurià Simoniæ, sicut vocant, fuerit suspectus.

VI.

Quod ad alterum, videlicet fidem rectam, non dubito, quin sicuti nos illi aggregare debemus Ecclesiæ, in qua persuasi sumus veram sonare Euangelii doctrinam: ita quoque ab ejus Ecclesiæ ministro baptismus debeat postulari. Nec tamen illegitimus erit baptismus, sicubi minister devius sit à recta fide, dummodo servârit substantiam baptismi. Quæ non servatur, si quis pro aqua adspergatur luto; quia periit ἀναλογία inter signum, & signatum. Nec item ea permanet, si quis baptizetur non in nomine Dei, ac θεανθρώπου Jesu Christi; sed ψιλοῦ hominis: unde & à Paulianistis, sive Samosatenianis, venientes ad Catholicos, baptizari voluere, quia prior baptismus non foret verus baptismus: ut pleniùs exponam in historia Anabaptismi.

VII.

Plurimùm autem refert, num minister privatim, & occultè, faveat Paulianistis, vel hæresi simili infectis; an verò tota cum eo consentiat Ecclesia. Si enim recta est Ecclesiæ fides, vel saltem fundamenta retinet religionis Christianæ; neque mutat substantiam baptismi, sed aquâ baptizat in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: verus est baptismus, quia quis non in fide ministri, sed Ecclesiæ baptizatur: quæ, utcunque erret in aliis, retinet tamen substantiam baptismi; quia & aquam retinet, & in nomine Trinitatis tingit in remissionem peccatorum. Atque huic sententiæ non leve pondus addit, quòd Prophetæ Veteris Testamenti sæpe taxant idololatriam, & superstitionem, quæ obtineret. Christus quoque sacerdotum, Pharisæorum, & Scribarum fœdos exagitat errores. Nec tamen vel à Prophetis, vel Christo, circumcisio eorum damnatur: nempe quia in ὕλῃ ejus nihil peccaretur. Similiter igitur de baptismo statuendum.

VIII.

Nec tamen ista sic accipi debent, quasi etiam, ubi copia est ministri rectam retinentis doctrinam, ab alio liceat postulare baptismum. Sic enim videamur alieno subscribere errori; scandalóque erimus infirmis, contra Dominicum præceptum Matth. XVIII. 7: *Væ homini, per quem venerit scandalum.* Et Rom. XIV. 13: *Hoc magis judicate; ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Fraudabimur etiam precibus eorum, qui rectam teti-

retinent fidem, eamque profitentur. At dubium non est, quin talium preces sint Deo gratiores; quàm eorum, qui doctrinam sacram fœdis erroribus contaminarunt.

IX.

Ulteriùs quæritur, utrùm, si minister orthodoxus haberi non possit, satius sit ab alio, retinente interim fidei fundamentum, postulare baptismum; quàm petere à nemine, ac perpeti, ut quis citra baptismum de hac vita discedat. Pro priori sententia hæ stant rationes. Primùm, quòd nec errore ministri quicquam detrahatur de essentia baptismi, dummodo aquâ mundâ fiat in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Nec à scandalo sit periculum, si protestatio fiat. Nec planè fraudentur Ecclesiæ precibus, cùm & cœtibus hujuscemodi permisceantur bene sentientes. Favet præterea exemplum piorum in V. T. Quamquam enim non rarò gravis superstitio regnaret in populo Dei, quo nomine sæpe videas antistites acriter culpari: pii nihilominus cultum Mosaicum frequentabant in templo, suosque infantes offerebant sacerdotibus circumcidendos. Fuit præterea hæc sententia Veteris Ecclesiæ. Quod docemur à tot doctoribus antiquis. Quorum complures antea adduxi. Adhæc ita censent, tum Romanæ Ecclesiæ doctores: tum qui sequuntur Confessionem Augustanam: tum magni nominis viri in Ecclesiis Reformatis. Quorum verba attulimus disputatione septimâ, quæ est, de necessitate Baptismi.

X.

Vidimus de doctrinæ veritate. Altera, quam exigunt, conditio erat vitæ probitas. Nec dubium esse potest, quin tum presbyteri sit operam dare pietati, ac sanctimoniæ, ut
a Tit. 1. 7. b 1 Tim. 3. 2. sit ἀνέγκλητος a, καὶ ἀνεπίληπτος b: tum si flagitiosæ sit vitæ, dejiciendus sit de sacro munere, quo fungitur indignus. Verùm etiamsi Ecclesia, nimiâ quadam lenitate, tardiùs, quàm oportuit, officium exsequatur: virtuti tamen sacramenti nihil eo derogabitur, secundùm illud vulgare:

Vim sacramenti non mutat vita ministri.

Alioqui rebaptizari oportuisset, quos baptizâsset Judas: ut optimè monet Augustinus tractat. v in Joan. Etiam hoc pacto incredulitas hominum irritam faceret fidem, contra effatum Apostoli Rom. III. 3. Fides etiam nostra
c Circa medium. (ut rectè argumentatur Augustinus epist. CLXVI c) *non ex nostra voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratiâ; sed ex meritis sacerdotum, & clericorum qualitate, pendebit.* Quæ cùm absurda sint, rectè ibidem colligit ita Augustinus: *Semper est Dei illa gratia, & Dei Sacramentum; hominis autem solum ministerium: qui si bonus est, adhæret Deo, & operatur cum Deo. Si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam: ipse autem donat invisibilem gratiam.* Quibus abunde occurritur iis, quando ajunt, ministrum improbum non posse conferre Spiritum Sanctum; quandoquidem ipse eo destituitur. Siquidem hìc comparatum est, quemadmodum cum domino divite, ac liberali, eleemosynas suas dispensante per famulum egenum, & invidum. Nihil hic eleemosynis decedit; quia famulus solùm instrumenti vicem obit. At instrumentum, ut optimè dicitur à Thoma
d Part. 3. q. 64 art. 5. Aquinate d, *non agit secundum propriam formam; sed secundùm virtutem ejus, à quo movetur.*

XI.

Hoc ita esse, variis Scripturæ locis comprobatur. Ut 1 Cor. III. 5: *Quid est Apollo? quid Paulus? ministri sunt, per quos credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.* Et vers. 7: *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid; sed Deus, qui dat incrementum.* 1 Cor. IV. 1: *Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Cujusmodi loca universè loquuntur de universa dispensatione tum Verbi, tum Sacramentorum.

XII.

Idem confirmant testimonia, quibus docetur, Deum etiam esse efficacem, cùm improbi prædicant Verbum. Unde Christus Matth. XXIII. 3, jubet *audire Scribas, & Pharisæos, in cathedra Mosis sedentes.* Quàm fœda tamen vitia iis passim à Domino exprobrantur! Similiter Apostolus Philip. 1. 17: *Quidam ex contentione Christum annunciant non sincerè.* Et vers. 18: *Quid autem, dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur: & in hoc gaudeo.* Nimirum à quocunque annuncietur verbum, *potentia fit ad salutem omni credenti*; ut dicitur ad Rom. 1. 16. Quod si indignitas ministri non derogat virtuti Verbi; nec eadem detrahet efficaciæ Sacramenti.

XIII.

Hanc rem variis similitudinibus egregie illustrant antiqui Patres. Nazianzenus orat. de Baptis. a Σφραγὶς δὲ οὕτως· ἔσω χρυσοῦς, ἔσω σιδηροῦς. δάκτυλοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τὴν αὐτὴν ἐγκεχαραγμένοι εἰκόνα βασιλικήν, εἶτα κηρὸν ἐναποτυπούτωσαν. τί διοίσει σφραγὶς αὕτη τῆς σφραγῖδος ἐκείνης; οὐδέν. ἐπίγνωθι τὴν ὕλην ἐν τῷ κηρῷ, κἂν ᾖς σοφώτατος. εἰπὲ τί μὲν ἦν σιδήρου, τί δὲ τοῦ χρυσοῦ τὸ ἐναποσφραγιζόμενον. καὶ πῶς ἕν ἐστι; τὸ γὰρ ὕλης τὸ διάφορον, οὐ τοῦ χαρακτῆρος. οὕτως ἔσω σοι πᾶς βαπτιστής, κἂν τῇ πολιτείᾳ προέχῃ, ἀλλ' ἥ γε τοῦ βαπτίσματος δύναμις ἴση, καὶ τελειοποιός σοι πᾶς ὁμοίως ὁ τῇ αὐτῇ πίστει μεμορφωμένος. *Sint annuli duo; aureus hic, ferreus alius; uterque eâdem regiâ imagine sculptus. Cera ambo imprimantur. Quid inter signum hoc, & illud intererit? nihil. Discerne materiam in cera, etiamsi sapientissimus fueris. Dic, utrùm signorum ferro, atque utrùm auro, sit signatum. Sed quo pacto unum est? quia inter materiam, non characterem, diversitas est. Ita & tibi sit omnis baptizator: quorum etsi alius alium vita conditione excellat, æqualis tamen baptismatis vis est: ac unusquisque æqualis tibi sit initiator, qui fide eadem est formatus.* Augustinus epist. ad Hieronymum: *Per aristas portantur grana repurganda in area; & quamvis palea sint inutiles, attamen prosunt tritico: ita vitia ministrorum non sic obsunt Christi fidelibus, ut Sacramenta per illos administrata fiant inefficacia.* Lib. III. de baptis. cap. x: *Lumen Solis, vel etiam lampadum, non inquinatur, etiamsi per lutum transeat, & loca cœnosa.* Lib. III contra Cresc. cap. VIII: *Nihil refert ad efficaciam sementis, & plantationis, an lotis manibus, an sordidis id fiat; modò bonum sit semen, & terra fertilis; nec desit calor Solis, & pluvia de cælo.* Et in Joan. tract. v: *Qui superbus fuerit minister, cum diabolo computatur; sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit. Purum est, quod per illum transit: liquidum venit ad fertilem terram: puta quia ipse lapideus est, ex aqua fructum ferre non potest. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans; sed tamen hortis plurimum fructum adfert. Spiritualis enim virtus Sacramenti ita est, ut lux; & ab illuminandis pura excipitur; etsi per immundos transeat, non contaminatur.* Plura hujus argumenti qui volet, adeat septem Augustini libros contra Donatistas.

a Pag. Basil. edit. 245. sive Paris. Morell. 656.

FINIS.

DISPUTATIO DECIMA
DE
BAPTISMO;
sive prior Theologica
DE BAPTISMO LAICORUM, MULIERUM, PUERORUM, atque infidelium.

THESIS I.

HACTENUS actum nobis de iis baptismi ministris, quos Ecclesia vocavit ad docendum, & baptizandum. Ut sunt episcopi, presbyteri; quandoque & diaconi. Ostensumque, nimis eos baptizandi jus coarctare, qui illegitimum esse baptismum putant, si minister aliquo pacto sit vitio creatus; vel si non prorsus rectæ sit fidei; vel si vita possit culpari. Atque horum usus meliùs cognoscetur ex iis, quæ de Anabaptismo loco postremo disseremus. Nunc de iis erit dicendum, qui jus baptizandi nimis extendunt; ut qui illud etiam tribuunt, alii quidem laicis, ac mulieribus; alii tum pueris ludentibus, tum ipsis infidelibus, & non baptizatis. Priùs nobis sermo est futurus de laicis, & mulieribus: de quibus exponam, tum an, absente presbytero, iis liceat baptizare: tum an baptismus, per eos datus, verus sit baptismus; adeò ut per ministrum Euangelii repeti non debeat. Deque hisce priùs auctoritate Scripturæ, ac rationibus, agam: hinc historiam veterum Ecclesiæ temporum de eâ controversiâ explicabo.

II.

Nullum esse laicis, nedum mulieribus, jus baptizandi, colligimus inde, quòd ejusmodi baptismi, nec mandatum in Scripturis habeamus, nec exemplum: contrà verò & iis solis mandatum, atque ab iis solis administratum, legamus, quibus prædicandi Euangelii munus incumberet. Ita ait Christus, Matth. XXVIII. 19: *Profecti, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Præcursor etiam Christi Joannes, à quo baptismus cœpit, pœnitentiæ præco fuit. Clarum item de Apostolis, atque aliis Euangelii ministris; uti Philippo diacono. Atqui laici non debent prædicare Euangelium; ne cum pseudoprophetis, priusquam mittantur, dicantur *a* currere. Feminæ verò disertim interdicitur, *b* ne palàm in Ecclesia Dei loquatur. Et sanè ne illi quidem, qui hac parte dissentiunt à nobis, permittunt laicis, ut administrent Eucharistiæ sacramentum, si aliter haberi non possit. Atqui idem sacramenti utriusque auctor, par dignitas utriusque. Respondent, disparem esse utriusque mysterii rationem: quia baptismus initiationis sit sacramentum; nec aliud in pædobaptismo requiratur, quàm parentum fidelium voluntas: eucharistia verò sit sacramentum continuationis, ad quod requiratur etiam probatio sui ipsius: ut est 1 Corinth. XI. 28. Verùm quomodo ex hoc discrimine exsculpent, etiam ministro differre? Pro se stare ajunt veterum antiquitatem. Quatenus stet, postea meliùs expendemus. Nunc illud dixisse suffecerit, non esse hanc quæstionem ex illo genere, ut si recedatur aliquantum à veterum multis, eò rei possimus peragi contemtæ antiquitatis. Nec enim pertinet ad fundamentum fidei: eóque in hujusmodi dissensu una manet fides; ac, nisi steterit per homines imperitos, & turbulentos, conservari potest Ecclesiæ concordia.

a *Jer.* 14. 14
Rom. 10. 15.
b 1 *Cor.* 14. 34.
1 *Tim.* 2. 11.

III.

Vidimus, quo impulsi negemus, laicis, ac mulieribus, jus baptizandi competere. Nunc adferam, quæ in contrarium solent adduci. Ac primùm pugnant iis Scripturæ testimoniis, quibus adstrui videtur omnimoda baptismi necessitas. Sed his occurrimus disputatione de necessitate baptismi. Summa eò redit, nos quidem baptismo adstringi à Deo, si ritè haberi possit: at non à Deo sic gratiam suam adstringi sacramento, ut eam nolit conferre, quando baptismus ritè nequit obtineri.

IV.

Præterea se tuentur Tzipporæ facto, filium circumcidentis: ut est apud Mosem *a*. Atqui, ut optimè observant viri eruditi, nusquam in Veteri Testamento, atque adeò ne Philone quidem, aut Josepho, legitur, utrùm circumcisionem voluerit Deus fieri per patremfamilias, an sacerdotem; feminam, an marem: imò ne exemplo quidem cognoscitur, a quo soleat administrari. At de baptismo legimus, eum mandatum esse Apostolis: invenimus item, ut verbi præcones illum administrarint; qualis etiam fuit Philippus Diaconus, etsi id neget Bellarminus. Nam ex Act. VIII. 35. clarum est, non baptizâsse, nisi postquam suscepisset euangelizandi munus. Quod si circumcisio solis mandata sit sacerdotibus, ac Levitis; peccârit sanè Tzippora: nec factum ejus esse possit pro exemplo, sed lex sola. At, inquiunt, circumcisio Tzipporæ iram Domini avertit: quod si est, etiam baptismus mulierum Dei iram placabit. Verùm cogitare oportet, non eo desiisse Deum irasci, quia mulier circumcidisset; sed quia & illa, & Moses, (cujus fuerat non gerere morem uxori Madianiticæ, in circumcisionis à Deo mandatæ neglectu) tandem in viam redierunt, circumcidendo qualitercumque infantem. Quod si inde, quia circumcisione feminæ ira Dei sit placata, colligere aliquis volet, gratum Deo fuisse, quòd mulier circumciderit: eâdem operâ concludat licet, gratum Deo fuisse mendacium obstetricum; quæ cùm jussæ essent, Israeliticarum masculos occidere in puerperiis, nolentes parêre mandatis, mendacio regem deceperunt. Nam dicitur Deus benedixisse obstetricibus istis. Verùm, ut

a *Calv. lib.* 4. *Inst. c.* 15. §. 22.
Georg. Abb. qu. a qua est de bapt. & circumc.

a Contra mendacium. c. 15. ut optimè ait Augustinus *a*, *Non quia mentita sunt, benedixit Deus: sed quia in homines Dei misericordes fuerunt.* Et profectò, quid est, quòd optimi & doctissimi viri tantopere nitantur facto feminæ, irâ abreptæ? b Lib. 4. Instit. c. 16. §. 21. Nam, ut Calvini *b* verbis hanc rem exprimam, *nihil minùs Sephora fuit propositum, quam ut Deo ministerium præstaret. Filium periclitari videns, fremit, & obmurmurat; nec sine indignatione præputium in terram projicit: marito sic conviciatur, ut Deo quoque succenseat. Denique hoc totum ab animi impotentiâ profectum esse, palam est: quia Deo, & marito, obstrepit, quod filii sanguinem fundere cogitur. Adde, quod, si in aliis omnibus probè se gessisset, hac tamen est inexcusabilis temeritas; quòd, præsente marito, circumcidit filium; non privato quopiam homine, sed Mose, primario Dei prophetâ, quo nullus unquam major in Israel surrexit: quod nihilo magis ei licebat, quam hodie mulieribus sub episcopi oculis.* Postrema tamen verba minùs validè probant id, quod voluit summus vir. Nam morbo gravissimo, &, naturam si attendas, letali, decumbebat Moses: ut ipse sacrum hoc officium non quiverit præstare. Hoc significatur illis verbis Exod. IV. 25: *Occurrit Deus Mosi in via in diversorio, & voluit illum occidere.* Quodque idem Tzipporæ factum singulare ait, intelligendum de libris illis, quos canon Hebræus non agnoscit. Quippe legere est, I Macc. I. 63: *Feminæ, quæ circumciderant pueros suos, juxta Antiochi mandatum occidebantur.* Et II Macc. VI. 10: *Duæ mulieres adducebantur, propterea quòd filios suos circumciderant.* Nisi fortè *circumcidere* utrobique malis interpretari, *procurare, ut circumcidantur.*

V.

Adhæc argumento pugnant istiusmodi. Convenit administrationem baptismi esse sacerdotalis muneris partem. c Apocal. I. 6. Atqui omnes Christiani in Scripturis, nunc *sacerdotes* c d I Petr. II. 9. dicuntur, nunc *regale sacerdotium* d. Unde colligunt, promiscuè Christianis omnibus esse permissum baptizare. Sed, cùm sic ratiocinantur, videntur ludere ambiguitate vocis. Nam quis ignorat, *sacerdotis* vocabulum esse *πολύσημον*: aliterque tribui sacerdotibus, aliter quibusvis fidelibus? Non quibusvis fidelibus mandatum est, ut baptizarent; sed sacerdotibus, sive presbyteris: tum autem diaconorum illis, qui mitterentur ad prædicandum Evangelium. Nec obscura est ratio, cur non quibusvis fidelibus hoc juris dederit Christus. Voluit enim, ut omnia in Ecclesia fierent ordine: secundùm illud I Cor. XIV. 40: Πάντα εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω.

VI.

Insuper hoc telum intorquent. Jusserunt Apostoli, ut comitum aliqui baptizarent, quos fideles laicos fuisse credibile est. Huc referunt illud Act. X. 48: *jussitque* (Petrus) *eos baptizari.* Sermo autem est de iis, qui in domo Cornelii Spiritum S. accepissent. Item istud de Paulo I Cor. I. 17: ubi ait, se *non à Christo missum ad baptizandum; sed ad prædicandum Evangelium.* Sed unde adstruunt, Apostolos, cùm per alios baptizarent, laicorum in eo opera usos esse, ac non potiùs virorum Ecclesiasticorum: ut diaconorum, vel evangelistarum, qui eos comitarentur? Cùm verò Paulus negat, se missum esse ad baptizandum, non aliud vult, quàm potissimùm esse missum ad prædicandum: nam ibidem aliquos nominat, quos ipse baptizâsset.

VII.

Denique hunc arietem intorquent. Cùm, inquiunt, caussa instrumentalis non ingrediatur essentiam rei; consequitur, ut baptismus fiat ab Evangelii ministro, non pertinere ad esse sacramenti, (sic loquuntur) sed ad bene esse: hoc est, ordinem meliorem: cùmque ordo sit propter sacramentum, non sacramentum propter ordinem; ordinis quidem rationem habendam, ubi possumus; juxta Apostoli mandatum I Cor. XIV. 40. ubi verò non possumus (ut in pestilentiâ, obsidione, proscriptione, ejectione in insulam desertam, vel gentilem) extra ordinem esse agendum eo modo, quo quimus; & posse iccirco baptizare, qui minister Verbi non sit: imò hujusmodi tempore censent cuivis esse concessum prædicare Evangelium, qui præ cæteris idoneus videatur: atque ut de Verbo aliter esset, tamen de baptismo faciliùs esse assentiendum, cùm baptismus sit infra Verbum: unde Christum prædicâsse, non baptizâsse, legimus: Paulus etiam, sicut dictum, ad evangelizandum, non baptizandum, se missum esse ait I Cor. I. 17. Itaque rebus sic comparatis, ne mulieribus quidem baptizandi jus concedere verentur: quia *in Christo nec mas sit, nec femina*; teste Apostolo, ad Gal. III, 28.

VIII.

Sed omnis ejuscemodi oratio pro fundamento habet omnimodam baptismi necessitatem: quam disputatione VII refellebamus. Negamus igitur, infantes eò periclitari de salute, quia non possint ritè baptizari. Censemus etiam, potiùs quàm ad baptismum ejusmodi recurramus, cujus nec mandatum, nec exemplum habeamus in Scripturis; refugiendum esse ad sanctas preces: quibus piè creditur eam infanti gratiam posse à Deo extra ordinem impetrari; quam ordinariè conferre solet per baptismum.

IX.

De priori quæstione vidimus. Altera erat, an baptismus, à laicis, vel etiam mulieribus datus, utcunque in modo dandi vitium fuerit, quia à laico legitimè dari non possit; nihilominus, postquam datus est, is pro legitimo, etsi non legitimè dato, debeat haberi. Super hoc non exiguus est dissensus. Multorum sententia est, debere nos hoc totum metiri ex munere legatorum. Quibus comparantur ministri Evangelii: ut cùm Paulus ait II Cor. V. 20: Ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν· *nomine Christi legatione fungimur.* Atqui dicta, factave hominis privati, sese pro legato venditantis, pro nihilo habentur. Unde Clarissimus Theodorus Beza *a* colligit, *ψευδοπρεσβευτῶν fabulam non pluris faciendam esse; quàm id, quod Regis, vel Reip. nomine, privatus quispiam pro* a Part. 2. qq. quæst. 132. *libitu gereret; aut quam sigillum ad publici imitationem à privato quopiam effictum, & cuipiam instrumento appensum.*

X.

Alii contrà arbitrantur, quemadmodum, si aliquis curreret, priusquam ad prædicandum missus esset, atque interim purè annunciaret Evangelium; nemo eorum, qui ab eo hausisset salutarem doctrinam, necesse haberet eam dediscere: ita, si mulier, vel etiam laicus, ob absentiam presbyteri, in Trinitatis nomine administret baptismum, nihil opus fore eum repetere, tanquam prior ille non esset verus baptismus. Hanc Anglicanæ esse Ecclesiæ sententiam, docet Isaacus Casaubonus Respons. ad epistolam Cardinalis Perronii *b*: *Quod de nascente olim* b Pag. 24. *Ecclesiâ dixit Tertullianus, baptizare episcopum, presbyterum, diaconum; postremò etiam laicis jus esse, in extrema videlicet necessitatis casu; hoc ipsum in Ecclesia Anglicana, quod ad episcopos, presbyteros, & diaconos, hodieque servatur; sine ulla loci, vel temporis, rigidâ, & penitus inviolabili observatione. Laicorum verò baptismum, aut fœminarum, ut fieri legibus suis vetat; sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat; Baptismum esse pronuncians, etsi non legitimè administratum.*

XI.

Promiſeram, me aliquid etiam dicturum, tum de puerili per ludum, jocumque, baptiſmo; tum de illo infidelium. De priori occaſio quæſtioni data eſt ex facto Athanaſii pueri, pueros alios baptizantis: cujus baptiſmum præſul Alexandrinus comprobavit: ut in ſequenti diſputatione hiſtoricâ narrabitur. Quod pace tanti viri dixero; magis eò animus propendet, ſacra ludum fieri neutiquam oportere; &, ſi ſecus contingat, baptiſmum per ludum datum differre tantùm à vero, quantum hiſtrio à vero rege, quem repræſentat: quantum item pictus Socrates à vivo: qui ne nomine quidem conveniunt, niſi *ὁμωνύμως*.

XII.

Nec habeo pro baptiſmo Chriſtiano, qui præſtitus fuerit à Turca, gentili, vel ſimili. Siquidem iſti ne illâ quidem ratione communi ſacerdotes ſunt, quâ Chriſtia-
a 1 Pet. 2. 9. ni omnes *regale ſacerdotium* a nuncupantur: eoque, quicquid ſit de baptiſmo laicorum; ſaltem infidelibus nullo caſu convenit, quod ſacerdotalis eſſe muneris conſtat.

XIII.

Multò minùs verus ſit baptiſmus, qui ab infidelibus præſtitus ſit per ludum. Quod ſiquando etiam divina ſe efficacia in hujuſmodi baptiſmo exſeruerit; hoc totum eſt à miraculo, non ordinarium; eoque legem præſcribere neqoit. Exemplum de S. Geneſio adducunt: quod Ado Viennenſis narrat in Martyrologio ad xxv Auguſti.

XIV.

Video à Scholaſticis etiam quæſtionem moveri, utrùm, in ono baptizando, duo poſſint concurrere: ut ſi, in gravi perſecutione, (qualis illa Diocletiani, item Vandalica, & ſimiles,) duorum presbyterorum uni ſit evulſa lingua; alteri ſint amputata brachia: eoque, qui brachium habet, tingat ſilens; qui elinguis non eſt, formulam baptiſmi proferat. Negat Aureolus IV Sent. Diſtinct. v. Qu. 1. legitimum eſſe baptiſmum. Unde ei miniſter baptiſmi definitur hunc in modum: *Viator quilibet unus, perſonaliter diſtinctus, potens tingere, & verba proferre, intendens in habitu facere, quod facit Eccleſia; vel de quo præſumitur, quod intendat.* Sed diſſentit Paludanus diſtinctione eâdem: ubi pro vero baptiſmo agnoſcit. Equidem non dubito, quin, ubi aliis committi poſſit baptiſmus, ab iis potiùs ſit poſcendus: verùm, ſi tam atrox fuerit perſecutio, ut presbyterorum alii, vel ſint ſublati, vel fugati; dixero, non duorum hunc fore baptiſmum, ſed potiùs unius: quia is, qui loquitur linguâ ſuâ, manu tingit alienâ, ſed vicariâ; eoque duo illi unum repræſentant hominem, ſed integrum.

FINIS.

DISPUTATIO UNDECIMA DE BAPTISMO;

ſive poſterior, eaque Hiſtorica,

DE BAPTISMO LAICORUM, MULIERUM, PUERORUM PER ludum, & infidelium.

Thesis I.

Expoſui, quæ opinio ſit noſtra de controverſia hac; an laicis, imò mulieribus etiam, liceat baptizare. Oſtendi, ut ne reformatæ quidem Eccleſiæ doctoribus ſatis ſuper eo conveniat, utrùm hujuſmodi baptiſmus pro vero poſſit haberi; utcunque vitium fuerit in baptizante. Attigimus etiam quæſtiones duas, unam de pueri per ludum baptiſmo: de illo infidelium alteram. Narrabo nunc, quænam veterum, de horum ſingulis, fuerit opinio. Ac ſimiliter de laicis primùm loquar; hinc de mulieribus; tum de pueris per ludum baptizantibus; ac poſtremò de baptiſmo infidelium.

II.

Ordiar à Tertulliano: cujus de miniſtro baptiſmatis luculenta hæc verba legere eſt libro de baptiſmo cap. XVII: *Dandi baptiſmi habet jus ſummus ſacerdos; qui eſt epiſcopus. Dehinc presbyteri, & diaconi; non tamen ſine epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem; quo ſalvo, ſalva pax eſt. Alioquin etiam laicis jus eſt. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt; niſi epiſcopi jam, aut presbyteri, aut diaconi vocantur, diſcentes, Domini ſermo non debet abſcondi ab ullo. Proinde & baptiſmus æque Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt: ſed quantò magis laicis diſciplina verecundiæ, & modeſtiæ incumbit, cùm ea majoribus competat, ne ſibi adſumant dicatum epiſcopis officium epiſcopatus. Æmulatio, ſchiſmatum mater eſt. Omnia licere, dixit ſanctiſſimus Apoſtolus* a; *ſed non omnia expedire. Sufficiat ſcilicet,* a 1 Cor. 6. & 10. *in neceſſitatibus ut utaris; ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum viget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod liberè potuit.*

Hacte-

III.

Hactenus Tertullianus; qui duplicem tractat quæstionem: prior est, an præter episcopum, baptizare etiam liceat presbyteris, ac diaconis. Altera, an idem laicis sit concessum. De priori abunde actum disputatione eâ, quæ erat de ministro baptismi à Christo instituti. Nunc de altera loquar; cùmque Tertulliani verbis conferam aliorum Patrum opinionem. Assentit Tertulliano vetus scriptor sub Clementis nomine lib. III Constitutionum Apostolicarum cap. X: ἀλλ' οὔτε λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων. οἷον θυσίαν, ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν. οὐχ ἑαυτῷ γάρ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. διὰ γὰρ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη ἀξία. ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς ταύτην, ἀλλ' ἁρπάσας αὐτὴν ἑαυτῷ, τὴν τιμωρίαν τοῦ Ὀζία ὑποστήσεται. *Sed neque laicos concedimus aliquod sacerdotale munus exercere; veluti sacrificium, baptismum, manus impositionem, vel benedictionem magnam, sive parvam. Non enim sibi quis sumit honorem; sed qui vocatur à Deo. Qui vero ad eam promotus non est, Oziæ pœnam sustinebit.*

IV.

Concilium etiam Illiberitanum, quod Niceno ipso paullò est antiquius, penè idem sensit, quod Tertullianus: cujus rei meminit Walafridus Strabo lib. de divinis Officiis cap. XXVI: *Concilio quoque Eliberitano fidelibus plenum baptisma habentibus in necessitate baptizare permittitur.* Sed ipsum etiam Concilii canonem adscribamus: qui numero est XXXVIII: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet) nec sit bigamus, baptizare in necessitate, ita ut, si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Hoc solùm interest inter Tertullianum, & Patres hosce Hispanos: quòd ille laicis omnibus, dummodo sint baptizati, ubi non est copia presbyteri, vel diaconi, baptizare permittat: hi verò excipiant tum illos, qui non perceperint integrum baptisma, (ubi intelligi censeo, in morbo adspersos: de quibus etiam dubitatum fuit, utrùm fieri possent episcopi; ut ex Cypriano alibi diximus:) tum illos quoque, qui bigami forent; quos excipi, mirum sanè. ac miratur id similiter Petavius in Notis suis ad Epiphanium; *Ergóne*, inquit, *a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?*

V.

Tertulliano accedit Hieronymus dialogo adversus Luciferianos *a*: *Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptizare. Ut enim accipit quis, ita & dare potest.*

a P. 139.

VI.

Itidem casum necessitatis excipit Gelasius, epistolâ ad universos episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos: *Absque episcopo, vel presbytero, baptizare non præsumat diaconus; nisi, prædictis fortasse officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat: quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur.* Ubi duo observamus: tum quòd ne diaconis quidem baptizare permittat, nisi compellat extrema necessitas: tum quòd in eo casu laicis concedi ait, non semper quidem, sed PLERUMQUE. Utrumque horum etiam dicit Isidorus lib. II. de Offic. Eccles. cap. XXIV: *Quòd nec privatis, nec clericis sine gradu, baptizare liceat, nisi tantum sacerdotibus, in Evangelio legimus, Apostolis tantùm permissum, Iesu post resurrectionem dicente illis* b: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Et hoc cùm dixisset, insufflavit, & ait eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Et in alio loco* c, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Unde constat, baptisma solis sacerdotibus esse traditum; cujusque mysterium nec ipsis diaconibus explere est licitum absque episcopis, vel presbyteris: nisi, illis absentibus, ultima languoris cogat necessitas: quod & laicis fidelibus plerumque permittitur; ne quisquam sine remedio salutari de seculo evocetur.* Quæ etiam citat Gratianus Can. In Necessitate, De Consecrat. dist. IV. Quod si Gelasius, Isidorus, Gratianus, non aliud censent, quàm plerumque concedi posse: sanè à Tertulliano multum abeunt, qui imperari etiam laicis arbitratur, ut in necessitate extremâ positos baptizent.

b Ioan. 20. vers. 21. 22. 23.

c Marc. 16. 15.

VII.

Augustinus non videtur usque adeò certus fuisse, quid fieri conveniat: in vulgatiorem tamen sententiam magis inclinat. Sic enim scribit T. VII. contra epist. Parmeniani lib. II. cap. XIII: *Si laicus aliqua sacramenta* (sermo est de baptismo) *pereunti dederit, necessitate compulsus, quod cùm ipse acciperet, dandum esse, addidicit: nescio, an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nullâ enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale, delictum est.* Interim, quicquid sit de baptizante; baptizatum à laico, si non legitimè, legitimum tamen accepisse baptismum, atque ideirco minimè rebaptizandum, arbitratur: neque id tantùm in casu necessitatis, sed etiam extra eum, habere locum, existimat. Hæc enim ibidem subjungit: *Sed etsi nullâ necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur; quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum. Illicitam ergo usurpationem corrigit reminiscentis, & pœnitentis affectus. Quod si non correxerit; manebit ad pœnam usurpatoris, quod datum est, vel ejus qui illicitè dedit, vel ejus qui illicitè accepit: non tamen pro non dato habetur. Neque ullo modo per devotum militem, quod à privatis usurpatum est, signum regale violabitur. Si enim aliqui furtim, & extraordinariè, non in monetis publicis, aurum, vel argentum, sed æs percutiendo signaverint; cùm fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentiâ liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus congetur inferri?*

VIII.

Quid pluribus opus est? quando nec ejus opinionis antiquitatem diffitetur, sed fundamentum rejicit Jo. Calvinus lib. IV Instit. cap. XV. §. 20: *Quod multis abhinc seculis, adeoque* AB IPSO FERE ECCLESIÆ EXORDIO, USU RECEPTUM *video, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset; non video, quam firmâ ratione possit defendi.*

IX.

Quamquam verò ea de baptismo laicorum communior, receptiorque veterum fuerit Theologorum opinio: non tamen omnes in eâ convenisse, fidem fecerit S. Basilius in epistola ad Amphilochium can. I: ubi ait, omnes ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos; veterumque hoc fuisse judicium, baptismum eorum non majoris esse faciendum, quàm siquis baptizatus foret à laicis. Quomodo qui loquitur, satis indicat, se laicorum baptismum minime agnoscere pro vero. Basilii verba inter alia sunt ista: Διὸ ὡς ὑπὸ λαϊκῶν βαπτιζομένους τοὺς παρ' αὐτῶν ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν Ἐκκλησίαν τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς Ἐκκλησίας ἀνακαθαίρεσθαι. *Iccirco eos, velut à laicis baptizatos, cùm ad Ecclesiam venirent, jussere vero Ecclesiæ baptismo repurgari.* Atque eam, quam dixi, Basilii sententiam videri, agnoscit quoque doctissimus vir, Dionysius Petavius, animadvers. in Epiphanium *a*.

a Pag. 341.

X.

Exposui veterum de baptismo laicorum sententiam. Deinceps referam eorum judicium de baptismo mulierum. De hoc quoque agit Tertullianus lib. de baptismo cap. XVII: ubi, post verba de laicorum baptismo superius adlata,

a Mulieris: puta Quinctillæ.
b *Al.* Quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt, scriptum Teclæ &c.
c 1 *Cor.* 14. *vers.* 34. 35.

adlata, hæc continuò subjungit: *Petulantia autem mulierum* a, *quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet; nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ; ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat.* Quod b *si, quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi, tingendique, defendunt: sciant, in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum, atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi, & tinguendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit* c?

XI.

Hæresin hanc, de concesso mulieribus jure baptizandi, tuebantur Pepuziani: ut Epiphanius refert hæresi XLIX, & ex eo Augustinus lib. de hæresibus, cap. XXVII: *Pepuziani*, inquit, *à loco quodam nominati sunt, quam civitatem desertam dicit Epiphanius. Hanc autem isti, divinum aliquid arbitrantes, Hierusalem vocant; tantum dantes mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim, Quinctillæ, & Priscillæ, in eadem civitate Pepuzâ, Christum specie feminæ revelatum. Unde ab hac Quinctiliani etiam nuncupantur.* De Marcione quoque scribit Epiphanius hæresi XLII, *permittere* eum *mulieribus, ut baptizent.*

XII.

Abit ab his Tertullianus. Quamquam enim laicis in mortis periculo baptizare permittat: tamen mulieribus hoc penitùs interdicit, fundamento isto subnixus, quòd viri ad sacerdotale munus vocari possint; atque idcirco nihil habeat absurdi, si concedatur iis, in necessitatis casu, aliquos obire actus sacerdotales; mulieribus contrà non permittatur ab Apostolo loqui in Ecclesia Dei; eoque nulla possint incidere tempora, quibus committi iis possint propria sacerdotum. Hinc idem Tertullianus lib. de velandis Virginibus cap. IX: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui* d: *sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem, sibi vindicare.* Quod Pamelius excipit, etiam in sequentibus verba illa *in Ecclesia* ἀπὸ κοινοῦ repeti debere: hoc exigui videtur momenti. Nam ea mulieri interdicit, quæ virilis sunt officii. At sermo non minùs, quàm ratio, hominibus est omnibus concessus. Non igitur vetare potuit, ne mulieres loquerentur; sed ne in Ecclesia loquerentur. At sequentia simpliciter sunt muneris sacerdotalis, eoque virilis: prædicare inquam, Evangelium, baptizare, Eucharistiam administrare: quæ idcirco ἁπλῶς prohibentur.

d 1 *Cor.* 14. *vers.* 34. 35.

XIII.

Idem mulierum baptismum damnat lib. de Præscript. cap. XLI: *Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.*

XIV.

Eundem damnat Epiphanius hæresi LXXIX; ubi de Collyridianis loquens ait e: Ἀλλ' οὐδὲ βάπτισμα διδόναι πεπίστευται. ἐπεὶ ἠδύνατο ὁ Χριστὸς μᾶλλον παρ' αὐτῆς βαπτισθῆναι, ἤπερ ὑπὸ Ἰωάννου. *Sed neque baptisma dare concreditum est. Alioquin potuisset Christus ab ipsa* (Maria virgine) *baptizari potius, quàm à Ioanne.* Idcirco inquit paullo pòst, τὸ ἐκκλησιαστικὸν τάγμα οὐ πρεσβυτερίδας, ἢ ἱερείας προσέταξε: *Ecclesiasticus ordo nec presbyteras, nec sacrificulas, ordinavit.*

e P. 447. edit. Basil. sive Paris. Morell. an. 1059.

XV.

Item Concilium Carthagin. IV. can. C: *Mulier baptizare non præsumat.* Hoc posteriores negarunt ἁπλῶς intelligendum: quippe statuunt casum necessitatis excipi debere. Ita interpretatur Walafridus Strabo lib. de divinis officiis cap. XXVI a: *Victor etiam, XV Romanorum Pontifex, constituit; ut, necessitate faciente, liceat, ubi inventum fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, Christianæ credulitatis confessione clarificatâ, quicunque ex gentilitate veniens, baptizaretur. In hoc tamen, & similibus, non tribuitur quibuscunque baptizandi indiscreta licentia, cum concilio Carthaginensi mulieres prohibeantur baptizare: sed demonstratur per hæc, ubi inevitabilis necessitas poscit, melius baptizari ubicunque, & à quocunque, in nomine Trinitatis, quam periclitantem sine remedio deperire.* Hinc liquet, tempore Walafridi canonem illum Carthaginensis Concilii sic concipi solere, uti hodieque in Conciliorum Tomis legitur. Vixit autem Walafridus temporibus Ludovici Pii: hoc est circa annum IↃCCCL. At juniores, (Lombardus dico lib. IV sentent. & Gratianus de Consecr. Dist. III. c. Mulier.) hæc verba adjungunt, *nisi necessitate cogente.* Unde Pamelius ad Tertullianum libro de Baptismo cap. XVII jam olim sic lectum fuisse concludit. Sed cùm, uti dixi, nec Walafridus ea legerit verba; nec hodie ea lectio in ullis reperiatur Conciliorum libris: magis fit verisimile, Lombardum illa, ac Gratianum, adjecisse, tanquam canonis interpretamentum. Quamquam nec deesse scio, quibus malâ fide hæc canoni ab iis apposita esse videantur. Malo, de iis benigniùs sentire: ita tamen, ut interpretationem illam neutiquam probem. Nec obstat, quòd canon præcedens dicat, *Mulier, quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere non præsumat.* Unde Bellarminus lib. I. de baptismo cap. VII colligit, verba illa, *in conventu*, ἀπὸ κοινοῦ repetenda esse, cùm subjicitur, *Mulier baptizare non præsumat.* Nec enim par utrobique ratio est; quia baptizare est officii sacerdotalis proprium: docere non item, sed docere in conventu. Nam femina sancta, & docta, si maritum indoctum doceat, facit, quod Christianam decet uxorem; quæ etiam maximam apud Deum, & homines, gloriam reportabit, si ex gentili reddat Christianum. Sed hæc prioribus seculis fuere. Postea Concilio Florentino decretum fuit, ut etiam mulieri in necessitatis casu liceret baptizare. Verba ejus infra adducemus.

a Tom. 6. bibliothecæ Patrum edit. 2. col 702: sive Auctarii bibliotheca Tom. 1. col. 691.

XVI.

Hactenus egimus de baptismo laicorum, ac mulierum. Deinceps dicam de baptismo, quem pueri fideles ludendo administrarint. Hujusmodi exemplum habemus in Athanasio puero, Episcopum per ludum induente, puerosque baptizante. Quem baptismum pro legitimo habuit, nec iterandum putavit, Alexander, episcopus Alexandrinus. Narrat eam rem Sozomenus lib. II. Hist. Eccles. cap. XVI; & ex eo Petrus Damiani libro, qui appellatur Gratissimus, cap. XXX b his verbis: *Tempore quo apud Alexandriam, Petri martyris die, Alexander episcopus agebat; cùm post expleta solemnia conventuros ad convivium suum Clericos exspectaret; in loco mari vicino videt eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium episcopum (ut fieri solet) atque ea, quæ in Ecclesiis geri mos est. Sed cum intentu diutino pueros inspectaret; videt ab his geri quædam etiam secretiora, & mystica. Perturbatus illico vocari ad se clericos jubet, atque eis, quid eminus ipse videret, ostendit: tum abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumque adessent; quis eis ludus, & quid egissent, vel quomodo, percunctatur. Illi, ut talis habet ætas, pavidi negare primò, dein rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos a se esse quosdam catechumenos, confitentur, per Athanasium; qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille, diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint; simul ab eo, qui interrogaverat: ubi videt, secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum Concilio clericorum statuisse traditur; illis, quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat* infu-

b T. 3. bibl. SS. Patrum edit. 2. col 855.

infusa, iterari baptismum non debere; sed adimpleri ea, qua à sacerdotibus mos est. Athanasium vero, atque eos, quos ludus ille vel presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, convocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradidit Ecclesia nutriendos: & reliqua, quibus videlicet narratur Athanasius re vera Episcopus factus, sicut à puero fuerat simulatus. Meminit ejusdem rei Walafridus Strabo de Officiis divinis cap. XXVI. Ac puerili illo Athanasii ludo præsignificatum fuisse summum viri ordinem in Ecclesia Dei, ait etiam Antonius Muretus lib. XIII Var. Lect. cap. IX; quem non aliâ de caussâ adjungo, quàm, ut adeat, qui velit plura nôsse ludicra puerorum, quæ futuræ sortis, ac conditionis significationem continerent.

XVII.

Præterea, ut dixi, quæri solet, an infideles etiam, & non baptizati, in necessitate possint baptizare. Tertulliani sanè argumentum hîc cessat. Nam laicos eò inquit posse baptizare, quia quisque possit dare, quod accepit. At infideles non accepêre baptismum. Illiberitanum etiam Concilium, si bigamos excipit, quique baptismum suum non integrè acceperunt, ut superiùs vidimus; quanto magis excepisset infideles! Augustinus tamen de infidelibus hæret. Verba ejus sunt contra epistol. Parmen. lib. II. cap. XIII: *Et hac quidem alia quæstio est, utrum & ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari. Nec aliquid temere inde affirmandum est; sive auctoritate tanti Concilii, quantum tanta res sufficit. De iis verò, qui ab Ecclesia unitate separati sunt, nulla jam quæstio est.* Negat, de infidelium baptismo, ita uti de hæreticorum, statutum esse quicquam Concilio Nicæno: eoque neutram in partem aliquid hic affirmari oportere.

XVIII.

Postea verò etiam Nicolaus Papa definivit, verum esse baptismum, qui ab homine gentili confertur; dummodo retineatur forma, quæ in Ecclesia obtinet. Ita enim ad Bulgarorum consulta respondet: *A quodam Judæo (nescitis utrùm Christiano, an pagano) multos in patriâ vestrâ baptizatos asseritis; & quid de his sit agendum, consulitis. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe & idem est, ut sanctus Ambrosius exponit) constat, eos non esse denuo baptizandos.* Refert Gratianus c. à quodam, de Consecr. dist. 4. Idem statutum Eugenii, & Concilii Florentini decreto; cujus hæc verba: *Minister baptismi est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In caussa autem necessitatis non solùm sacerdos, vel diaconus; sed etiam laicus, vel mulier; imò etiam paganus, & hæreticus, baptizare potest; dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Ita, quod veteres negarunt, medii statuere ausi non sunt; hoc juniores primùm simpliciter affirmarunt; posteaque pro fidei dogmate habendum statuerunt: videlicet non tam crescente, quàm deficiente scientiâ; sed gliscente singula definiendi fiduciâ.

XIX.

Quòd si antiquiores non habuere pro baptismo, quem administrassent infideles, vel saltèm de eo dubitarunt: quanto minùs legitimum credidissent, qui non ab homine modò infideli, sed ab histrione per ludibrium fiat! Fatemur tamen, Deum per miraculum posse longè aliud operari, quàm talis facinoris reus sibi proposuerit. Exemplum narrant, quod Diocletiano, & Maximiano imperantibus, contigerit Heliopoli, urbe Ægyptiâ. Ubi quispiam à sociis, in solio tepidâ aquâ pleno baptizatus, atque albis mox vestibus indutus fuit. Hæc fiebant in scena ad ludibrium religionis Christianæ. At ei, qui sic baptizaretur, dignata est divina clementia ostendere majestatis suæ fulgorem. Clamare igitur mox cœpit, se baptismo factum Christianum, & talem moriturum. Propterea populus Heliopolitanus in scenam involavit, arripuit hominem, ac lapidibus obruit. Corporis reliquiæ extra urbem delatæ sunt, ac sepultæ. Narrat rem Chronicon Alexandrinum; quod Sigonius, & Onuphrius, *Fastos Siculos* appellant. Atque hoc argumento, quàm invictum animi robur indatur baptismo, comprobat Ioannes Filesacus lib. I. Selectorum cap. III.

F I N I S.

BENEVOLE LECTOR,

DIsputatione decimâ, thesi X, retuli verbis Isaaci Casauboni sententiam Ecclesiæ Anglicanæ. Eam verò fusiùs exponit, & variis antiquorum Theologorum testimoniis firmare est adnixus Georgius Abbas, Theologus Anglus a, prælectione de Circumcisione, & Baptismo. Disputationem eam, quia paucis hactenus visa est extra Britanniam, hoc loco universam subjunximus.

IN Ecclesiâ nostrâ, pro concesso, uti arbitror, doctores omnes, & Theologi, nunc habent; profanas, & sacrilegas, illos omnes, huic sacramento admovere manus; qui, cùm clavium potestatem non habuerint concreditam, id audeant attrectare. Verùm detur id, quod opus est, apud rudem plebeculam, & superstitiosos, dari; quòd nefario nimis ausu, aut iste, aut illa, infantulum baptizârit: quid ministro Euangelii in re isthâc faciendum est? si supervixerit puerulus, num pro jam initiato recensendus est? aut regerenda est aqua, & mysterium iterandum? Salebrosa verè quæstio, & quæ suas difficultates insignes habet. Nam persona ministrantis, ad rem ipsam Sacramenti, videtur facere; cùm pastoribus Ecclesiæ, iisque solis, eam provinciam imposuerit Dominus. Hincque non b defuerunt, qui feminæ manu datam talem

a Libro sex quæstionum, totidem ut loquuntur vulgò, prælectionibus in Schola Oxoniensi habitarum, anno 1597.

b T. Cartwright in defensione Admonitionis ad Parliamentum Angliæ.

talem ablutionem, nihil magis ad Baptismum facere, asseverârunt, quàm ordinariam aliam aliquam, & quotidianam lavationem. Veruntamen qui laboriosius considerarunt, & perpetuum, eâ in re, Christianorum antiquorum consensum expenderunt; ministrantis personam, non de Esse Sacramenti, sed de bene esse, judicarunt. Baptismi formam, ut loquuntur Scholæ, injectionem aquæ, in nomine Trinitatis, existimarunt. Piè igitur fit, si minister tangat solus; at fit etiam, si tangat alius. Quâ in re eandem personæ Sacerdotis rationem esse censent in Baptismo; quæ est consensus parentum, in matrimonio contrahendo. Piè facit, qui parenti auscultat suo; adeoque impiè, qui parentis pii consensum negligit, & repudiat. Sed si filius ita impiè contraxerit matrimonium: pro conjugio rato habendum est, quando reliquæ matrimonii circumstantiæ completæ fuerint. Malè igitur factum est, si laicus; pejus factum, si femina rem sacrosanctam hanc attigerit. Sed factum est; & quod factum est, infectum esse non potest. Habet locum in re isthâc illud Iuris Axioma: *Multa fieri non debent, quæ tamen facta valent.* Adspersit ergò lympham, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. benedixit, qui non debuit. Sufficere certè, ad admissionem in numerum fidelium, opinamur hucusque; nec ingeminandam esse aquam. Christi caussâ, cujus est, quod datur, & non hominis, est efficax hæc admissio. Et dum in ovilis ostium intromittatur anima, parùm refert, per quem, unum per furem, aut ipsum custodem januæ, intromittatur. Dedit modò nomen Christo, & pro milite est accensus. Si quis id, quod non oportuit, usurpaverit; id agenti, & non patienti, vertendum est vitio. Parùm scimus, num ad Tsipporam, sui nati circumcisio, ex instituto divino, possit spectare: sed cùm vel per fas, vel nefas, præputium abstulisset, non alium accessisse, qui rursus circumcideret, invenimus. Sicut, non secundò *a* circumcisum fuisse, qui à Samaritanis ad Iudæos transissent, dicit Augustinus, de Baptismo Hæreticorum disputans. Est una Circumcisio; sicut *b* unus Dominus, una fides, unum Baptisma.

a August. contra Crescon. Grammaticum lib. 4.
b *Ephes. 4. 5.*
c *Sozomen. lib. 2. cap. 16.*

XIII. Celeberrima est historia apud *c* Sozomenum, de Alexandro, Alexandriæ Episcopo, & Athanasio, qui posteà dictus est Magnus. Cùm Episcopus ille, convivas, qui pranderent secum, in litore deambulans, exspectaret: puerulorum vidit cœtum, in arenâ colludentium, quos, ex gestibus ipsorum, divini cultus ceremonias aliquot repræsentare perspexerat, à longè stans. Et quamdiu nihil, vel petulanter satis, vel audacter nimis, conspexisset transigi, delectatione aliquâ capiebatur. Sed cùm ad altiora videret pergere, arcessit è Clero aliquos, non procul degentes, quibus etiam juvenculorum ostendit lusus. Sed cùm tandem isti pueros advocâssent; ex ipsorum confessione hoc edidicerunt; Athanasium scilicet, jam puerum, Episcopi personam, inter jocandum, induentem, adolescentes alios, mysteriis Christianis non imbutos, baptizâsse. Et cùm formam actionis, & rei circumstantias, accuratè disquisiissent; pro Ecclesiæ ritu transacta ordine esse omnia, intellexerunt. Testante Sozomeno, Alexander iste, tam sanctus vir, & prudens, Baptismum Athanasii pro rato habuit, nec iterandum credidit: sed, in Catalogum fidelium, omnes libentissimè adscripsit, qui ab ipso puero tinctionem accepissent. Quæ istis contradicerent, & ex professo oppugnarent, rationes sanas, & solidas, exinde non reperio. In Augustino pervolvendo, celebria duo observavi loca, ad negotium præsens non mediocriter facientia. Est alter libro secundo contra Epistolam Parmeniani *d*: *Et si laicus Baptismum pereunti dederit, necessitate compulsus; quod cùm ipse acciperet, dandum esse addidicit: nescio an piè quisquam dixerit, repetendum esse. Nullâ etenim cogente necessitate, si fiat; alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat; aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nullâ necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.* Monet Augustinus, ut semper, cautè; *nescio an piè quisquam dixerit repetendum esse.* Sed cùm postea, *dari Baptismum*, asseveraverit; neque posse sacerdos quicquam dare amplius; & Sacerdotis Baptismus regerendus non sit: idem est, ac si assereret, repetendum non esse. Sed & obiter operæ precium est advertere, Baptismum licitum illicitè posse dari, affirmare; & laicalem adspersionem, licet necessitate factam, à delicto, licèt veniali, & leviori, non audere omnino, & absolutè, excusare. Quod id est, quod suprà ex Augustino, innuebam.

d *August. lib. 2 contra epistolam Parmeniani, cap. 13.*

XIV. At secundum Augustini testimonium est amplissimum *a*: *Si quis fortè me, in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versatur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret, ut dicerem, quid ipse sentirem: Si eo modo affectus essem, quo eram, cùm ista dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos Baptismum, qui ubicunque, & à quibuscunque, illud, verbis Evangelicis consecratum, sine suâ simulatione, & cum aliquâ fide accepissent: quanquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, quâ Catholicæ insererentur Ecclesiæ. Si enim habeam, inquit* b, *fidem, ut montes transferam; charitatem autem non habeam; nihil sum. Sicut jam præteritis Majorum statuit, non dubito, etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiunt, in Ecclesiâ tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab iis, in quorum societate id accipitur; de quibus dicitur* c, *Ex nobis exierunt.* Pergit adhuc: *Ubi autem, neque societas ulla esset ita credentium; neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet; sed totum ludicrè, & mimicè, & joculariter ageretur; utrùm approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium, per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus, implorandum esse censerem.* Hucusque Augustinus. In quibus profitetur, se non audere id pro Baptismo repudiare, quod à quovis sine fide, cuivis sine fide, idque ludicrè tantùm, & mimicè, & joculariter, tribueretur. Sed expressè affirmat, eos, ex illius sententiâ, Baptismum habere, qui ubicunque illud, & à quibuscunque, verbis Evangelicis consecratum, acceperunt. Ex illius igitur opinione sobriissimâ; nec post feminam *d*, nec post quemlibet, ablutio mystica seriò data, & verbis debitis, est redintegranda.

a *August. lib. 7. de Baptismo contra Donatistas.*
b *1 Cor. 13. 2.*
c *1 Ioa. 2. 19.*
d *Meliùs dixisset, nec à femina, nec alio quolibet.*

XV. Succedunt minoris ordinis succenturiati milites, & similia suffragia perhibentes, præsertim è Gratiano. Isidorus primò *e*: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat; sed spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi; licet Paganus sit, qui baptizat.* Secundò Nicolaus Papa, ad consulta Bulgarorum respondens: *A* ſ *quodam Iudæo, (nescitis, utrum Christiano, an Pagano,) multos in patriâ vestrâ baptizatos, asseritis; & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, baptizati sunt; quia non illorum, sed ejus est, rebaptizari non debent.* Et Gratianus ipse *g*: *Ecce quandoque ab Hæreticis Baptisma cum suâ virtute accipitur; cujus tam necessaria administratio est, ut nec etiam à Paganis datum, possit reiterari.* Quorum ego recenseo testimonia, non quòd ex eorum judicio dijudicandam esse litem arbitrer: (tanti etenim ipsos non facio) sed ut antiquorum, & recentiorum, & Pontificiorum consensum, in re isthâc, patefaciam. Cui etiam, & calculum suum nostra adjicit Ecclesia; quæ cùm, facilitate largâ (ita etenim appellare licet, si ad laicorum, & feminarum Baptismum extendatur; quod negari, suprà docui) propter cordis duritiam, aut plebis ignorantiam, privatam tinctionem ad tempus tolerâsset: tolerâsset inquam, (puto sanè, paulisper tantùm) quoad populus copiosiùs instrueretur; hanc tandem fert sententiam *h*: *Nec dubitet quisquam, quin infantulus eo modo baptizatus, & legitimè, & sufficienter baptizetur; neque debeat in templo rebaptizari.* Hæc eorum erat sanctorum virorum determinatio; qui (ut humana passa est infirmitas, & ferebant illa tempora) superstitioni Papisticæ

e *Gratian. parte 3. de Consecratione, Distinct. 4. 22.*
ſ *Ibid. 23.*
g *Gratian. part. 2. Causa. 1. Quæst. 1. 59.*
h *Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ in privato Baptismo.*

amo-

amovendæ, & divini cultus officiis propagandis, insudârunt; & quorum aliquot suo sanguine veritatem Christi postea consignarunt.

xvi. Nostra etiam tempora, quantum ego novi, ab eorum determinatione non discesserunt: sed tanquam depositum apud nos, & traditum, custodiunt. Adjectio etenim elementi, & invocatio Spiritus Sancti, ea est, quam potissimùm respiciunt, & non persona dantis: hoc autem, quoad Baptismi substantiam. Quà in re, uti ego existimo, sic se habet negotium, ut in generatione carnali: in regeneratione scilicet, ut in generatione. Baptizari etenim est, quasi in Ecclesiam generari. Et ut nil sæpius, quàm semel, generatur: ita decenter institutum fuit, ut nemo sæpius, quàm semel, baptizaretur. At ut in productione infantuli, & emissione in lucem, obstetriculæ opera censetur necessaria: cujus manu, & consilio, ex utero materno incolumis infantulus extrahatur: sic minister Euangelii ad manum oportet, & præsto sit, cùm ex labe originali, per aquam sanctificatam, extrahitur, qui Adami corruptelis involvitur, & irretitur. Euangelii minister obstetricis locum in renovatione, & regeneratione sacramentali supplet. Veruntamen ut nonnunquam id re ipsâ contingit, quod fictè, & simularè, obstetrices Israëliticæ Pharaoni renunciârunt, feminas nempe aliquot sic robustas esse, ut, priusquam accesserit obstetrix, pepererint: aut cùm præstò non fuerat, quæ debebat interesse, matrona alia vices supplet, & vicariam præstat operam: neque tamen non natum quisquam dixerit, qui jam in lucem prodierit; & pro stolido haberetur, qui infantulo in uterum maternum revertendum diceret, quia defuit, quæ adesset: sic si in Ecclesiam generatus quisquam fuerit per lavacrum regenerationis, licèt ejus id non sit factum, cujus debuisset, manu; imò licèt peccaverit, & Deo displicuerit, qui manus per præsumptionem, & ignorantiam, injecit; non redintegrandum tamen esse factum, & pietas, & ratio; & consensus Ecclesiæ, à quo temere recedendum non est, vehementer suadent. Et hoc nisi concedatur, incommoda infinita per universam fidelium congregationem exorientur. Si etenim non sit quisquam, Christianis imbutus mysteriis, nisi per Sacerdotem, omni viâ legitimum, & exceptione majorem, baptizaretur, quota hominum pars, piorum, & fidelium, Christianismi signaculo indigerent? aut quis sciret pro certo, se aquis lustralibus, ut debuisset, fuisse expiatum? Sacerdotis etenim personam induere potest, qui sacros nunquam est adeptus ordines. Sacros etiam ordines is potest recipere, qui nec ipse baptizatus, unquam extiterat. Sed & qui baptizatur, & qui ad gradum ministerii promovetur, ab Episcopo poterit consecrari, & ad Presbyteratum admitti, qui nec ipse legitimus fuerat episcopus, nec imponendi manus potestatem habuerat. Et hæc, hujusmodique, & posse, & solere contingere dubia, prudentia, & ratio, & experientia, contestantur; ut nominatim, in rescripto *a* Nicolai Papæ ad consulta Bulgarorum. Et Canonici non frivolè, aut ex suppositione, sed occasione datâ, hæc ipsa discutiunt; ut quæstionibus revera, & bonâ fide exorientibus, occurratur.

a Nicolaus Papa e Gratiano; ad suprà.

Hactenus Georgius Abbas.

Sed quòd antiquos omnes in ea fuisse sententiâ arbitratur, id de Basilio secus est; ut antea ostendimus. Fortasse autem in hoc dissensu non incommodè de laicorum, & mulierum baptismo dicatur, quod idem Basilius eâdem ad Amphilochium epistolâ de Catharorum baptismate scribit, *ὅτι δεῖ τῷ ἔθει τῷ καθ' ἑκάστην χώραν ἕπεσθαι διὰ τὸ διαφόρως ἐνδιενεχθῆναι αὐτῶν: oportere uniuscujusque regionis consuetudinem sequi, quòd varie de eorum baptismo traditum sit.*

FINIS.

DISPUTATIO DUODECIMA DE BAPTISMO;

Quæ universè agit

DE OBJECTO BAPTISMI, SIVE DE BAPTIZANDIS.

THESIS I.

POSTQUAM de caussa efficiente, sive ministro Baptismi, egimus; proximum est, ut de objecto videamus, sive qui debeant baptizari. Deque iis prius agemus, vel ut adultis, vel universè, non habitâ ratione ætatis. Deinde particulatim, restringendo controversiam ad infantes. In priori parte quatuor exponam. Primùm ostendam, baptismum non aliis competere, quàm hominibus, iisque vivis; & quidem, qui pro se, non pro mortuis, baptizentur; quique profiteantur religionem Christianam. Deinde non attendi, vel gentem, vel sexum, vel utrùm quis in connubio, an extra illud vivat. Tertio loco demonstrabo, licet, dum bene valemus, baptismus sit poscendus; in veteri tamen Ecclesia, ne in desperatâ quidem valetudine, solere baptismum denegari. Denique requiri, ut sint suæ mentis compotes, quò sponte velint baptizari; ut item baptizentur vigilantes. Ex quadripartita hac controversia, primo loco in considerationem venit, quod dicebamus; non aliis competere baptismum, quàm hominibus, atque his viventibus. Docemur hoc partim institutione Christi Matt. XXVIII. 19: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. *partim ea praxi Ioannis Baptistæ, & Apostolorum; quam ex variis*

novi Instrumenti locis discimus: partim ex fine baptismi, qui dicitur lavacrum regenerationis, & renovationis. Hæc enim non aliis convenit, quàm hominibus istis, qui etiamnum inter homines agunt: partim ex natura omnium sacramentorum, tam Veteris, quàm Novi fœderis: quæ omnia in viventibus tantum habuerunt locum. Damnamus igitur omnem inanimatorum baptismum, uti campanarum. Quem etsi prudentiores consecrationem *vocare malunt: tamen hoc ipsum, quòd tingentes nomen hominis rei imponunt inanimatæ, &, uti in hominis baptismo fieri solet, patrinos, & matrinos, tinctionis testes, adsciscant, satis ostendit, non posse hunc ritum administrari, sine depreciatione sacramenti à Christo instituti.*

Ambrosium minimè probaturum fuisse hunc ritum, ostendunt ista ejus verba lib. de iis, qui initiantur mysteriis cap. IV: *Iudæus urceos baptizat, & calices; quasi insensibilia vel culpam possint accipere, vel gratiam.* Interim baptismum istum non esse inventum recens; sed jam ante annos octingentos usurpatum à nonnullis, attamen ab eruditioribus damnatum; liquet ex hac Constitutione
a Pag. 266. edit. Moguntina an. 1602: quâ Constitutiones cum Hincmaro, & aliis, edi curavit Busæus.
Karoli Magni *a*: *Ut clocas non baptizent; nec chartas per perticas pendant propter grandinem.* Postea tamen, si Balæum audimus, hunc baptismum in Romana Ecclesia instituit Ioannes XIII: qui campanæ magnæ ad Ioannem Lateranensem de nomine suo nomen jussit imponi. Cujusmodi ritu hæc campanæ, seu tinctio, seu consecratio, soleat peragi; docebit Pontificale Romanum. Quantopere verò Maximilianus Imperator cum Statibus imperii Romani de perpero hoc more fuerit questus: videre est ex centum gravaminibus Germanicis anni CIↃ IↃXVIII, & sequentis. Vide & quæ de hoc scribit Wierus lib. I. de præstigiis dæmon. cap. IX, & ex eo
b Pag. 593.
Wolfius Memorabilium lect. centur. XVI. an. CIↃ IↃL *b*. Uti autem campanarum baptismus superstitiosus est: ita nec superstitione caret, quòd feminæ simpliciores coraliis, linteis, aliisque Baptismatis aquâ conspersis, vim tribuunt sanitatem restituendi. Nec enim hunc aquæ baptismatis finem docent uspiam Scripturæ. Sed ut hoc superstitiosum; ita illud summè est abominabile, quòd homines nefarii bufones ad veneficiorum usum baptizant. Cujus rei meminit Bodinus lib. II. Dæmonoman. cap. VIII.

THESIS II.

Damnamus etiam eos, qui vel mortuos baptizant, vel vivos pro mortuis tingunt. Nec enim baptismus vel proprius, vel vicarius, mortuis prodesse potest: quia post hanc vitam bene maleve operandi tempus non est: unde Ecclesiastæ cap. XI: Ad quamcunque partem lignum ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi manebit.

Cataphryges, ut Philastrius de iis scribit, mortuos baptizabant. Hos damnat Codex canonum Ecclesiæ Africanæ, can. XVIII: *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Scriptum est enim, Accipite, & edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Et ne jam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignavia.* Ubi in Græca tralatione est: καὶ ἵνα μὴ τοὺς ἤδη τελευτῶντας βαπτισθῆναι ποιήσῃ ἡ τῶν πρεσβυτέρων ἄγνοια. Fortè igitur pro *ignavia* Patres hi scripsere *ignorantia*. In Tomis Conciliorum neutrum legitur: sed pro eo est *infirmitas*. Sic enim habent extrema verba can. VI. Concilii Carthaginensis III, secundùm editionem Binnianam: *Cavendum est, ne, mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, cùm Eucharistiam mortuis non dari animadverterit.* Meminit hujus canonis etiam Walafridus Strabo lib. de reb. Eccles. cap. XXVI. Ad Cataphrygas hos alludit Nazianzenus orat. XL, quæ est in sacrum baptisma: ubi seres baptismum differentes sic compellat *a*: Ἢ καὶ σὺ μένεις νεκρὸς λουθῆναι, οὐ μᾶλλον ἐλεούμενος ἢ μισούμενος; *An tu* a P. 648. edit. Morell.
etiam expectas, dum mortuus abluaris, non jam misericordiam tui magis, quàm odium, movens? Alphonsus à Castro arbitratur, Cataphrygas non baptizâsse mortuos; verùm vivos pro mortuis. Sed multùm fallitur. Diversus enim ab isto est mos eorum, qui vivos pro mortuis baptizabant. Fecere hoc Cerinthiani, & Marcionitæ, hæretici antiquissimi. Nam Cerinthum Apostolorum vixisse temporibus, liquet ex Epiphanio, hæresi XXVIII: & imprimis ex iis, quæ de Ioanne, & Cerintho, memorat Irenæus lib. III, cap. III, Eusebius histor. Eccl. lib. III, cap. XXII, Hieronymus adversus Luciferianos, Theodoretus hæret. fabul. lib. II, Nicephorus lib. IV. c. XXII. Marcionem verò vixisse ætate Polycarpi, arguunt, quæ de utroque narrat Irenæus ibidem. Quod verò de Cerinthianorum more dicebamus, id Epiphanius hæres. XXVIII refert his verbis *b*: Καὶ τι παραδόσεως πρᾶγμα ἦλθεν εἰς b Pag. 54.
ἡμᾶς, ὡς τινῶν μὲν παρ' αὐτοῖς προφθανόντων τελευτῆσαι ἄνευ βαπτίσματος, ἄλλους δὲ ἀντ' αὐτῶν εἰς ὄνομα ἐκείνων βαπτίζεσθαι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐν τῇ ἀναστάσει ἀναστάντας αὐτοὺς δίκην δοῦναι τιμωρίας, βάπτισμα μὴ εἰληφότας, γίνεσθαι δὲ ὑποχειρίους τῆς τοῦ κοσμοποιοῦ ἐξουσίας. καὶ τούτου ἕνεκα ἡ παράδοσις ἡ ἐλθοῦσα εἰς ἡμᾶς, φησὶ τὸν ἅγιον Ἀπόστολον εἰρηκέναι, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν. *Ex traditione res quædam ad nos devênit, quòd quidam apud ipsos de vita decesserunt, morte præoccupati citra baptisma: alii verò pro ipsis in nomen ipsorum baptizentur; ut ne, ubi resurrexerint, illi in resurrectione pœnas dent; eò quòd non acceperunt baptisma, & subditi fiant potestati, quæ mundum fecit. Et hac de caussa traditio, quæ ad nos devênit, eundem sanctum Apostolum dixisse ait* c: c 1 Cor. 15. 29.
Si omnino mortui non resurgant, cur & baptizantur pro ipsis? De Marcionitis idem tradit Chrysostomus, in 1 Cor. XV. homil. XL, & ex eo Theophylactus ad eundem Apostoli locum. Quod addo propter Alphonsum à Castro, qui multum miratur, unde id hauserit Theophylactus. Verba Chrysostomi sunt *d*: Ἐπειδὰν γάρ τις κατηχούμενος d Tom 3. edit. Etonensis, sive Saviliana, pag. 513.
ἀπέλθῃ παρ' αὐτοῖς, τὸν ζῶντα ὑπὸ τὴν κλίνην τοῦ τελευτηκότος κρύψαντες, προσίασι τῷ νεκρῷ, καὶ διαλέγονται, καὶ πυνθάνονται, εἰ βούλοιτο λαβεῖν τὸ βάπτισμα. εἶτα ἐκείνου μηδὲν ἀποκρινομένου, ὁ κεκρυμμένος κάτωθεν ἀντ' ἐκείνου φησὶν ὅτι δὴ βούλοιτο βαπτισθῆναι. καὶ οὕτω βαπτίζουσιν αὐτὸν ἀντὶ τοῦ ἀπελθόντος. *Postquam Catechumenus quispiam apud eos excesserit, sub lecto mortui absconso aliquo, qui vivit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur, & rogant, velitne baptismum accipere. deinde illo nihil respondente, is, qui est absconsus inferius, pro illo dicit, se velle baptizari: & sic eum baptizant pro eo, qui excessit.* Tangit eam quoque consuetudinem Tertullianus lib. V adversus Marcionem cap. X: quod Chrysostomi de Marcionitis sententiam confirmat. Atque idem Afer lib. de Resurrectione Carnis cap. XLVIII. baptisma hujusmodi *vicarium* appellat. *Si, inquit, & baptizantur quidam pro mortuis; videbimus, an ratione. Certè illâ præsumtione hoc eos instituisse contendit, quâ alii* e *etiam carni vicarium baptisma pro-* e Κατὰ σαρκός.
futurum existimarent ad spem resurrectionis, quæ nisi corporalis, non aliàs sic baptismate corporali obligaretur. Et sanè etiam scriptor commentariorum in epist. Pauli, qui Ambrosii creduntur, censet, Apostolum hanc consuetudinem tangere. Sic enim scribit *f* ad superiorem A- f P. 288. edit. Bas. an. 1555.
postoli *g* locum: *Exemplum eorum subjicit, qui iam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis ba-* g 1 Cor. 15. 29.
ptizarentur, si quem fortè mors prævenisset, timentes ne aut malè, aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur. Item Walafridus Strabo lib. de rebus Eccles. cap. XXVI: *Primis prædicationis Evangelicæ temporibus tanti fervoris quidam in divinâ credulitate referuntur fuisse, ut pro quibusdam clarissimis, ante annunciationem veritatis, vel baptismi perceptionem, defunctis, baptizari studerent. Quod Apostolus Paulus ad adstruendam resurrectionis fidem commemorat. Quia nisi crederentur resurrecturi, stultum erat pro eis,*

qui

qui jam non existerent, laborare. Quamvis verò hodieque aliqui, & eos inter Justellus in eruditis notis ad codicem Canonum Ecclesiæ universæ, de perverso hoc more Apostolum loqui putat: mihi tamen id nullo modo fit verisimile. Quis enim credat, divinum illud vas ex errore sive hæreticorum, sive aliorum, quos hæretici postea sint secuti, confirmare voluisse dogma fidei Christianæ? Longè igitur magis probatur sententia, quam idem rejicit, ut de Clinicorum baptismate capiatur. Nam quamquam reprehensione digni erant, qui studio differrent baptismum: tamen si illi, nullâ culpâ suâ, lecto affixi demum fierent Christiani, aut inter Catechumenos hactenus constituti, in morbo desiderarent baptismum: nihil equidem video, quòd reprehensionem magis, quàm laudem, mereatur. Tales enim, mortem ante oculos habentes, non tam expetebant baptismum, ut is sibi prodesset in hac vita, quàm in altera. Nec iccirco illud *super mortuis* necesse habemus exponere, *tanquam moribundi*, vel *mortuis similes*: quod sanè est Apostoli verbis vim facere: sed *pro mortuis erit* pro *statu mortuorum*: hoc est, ut sibi post mortem sit bene. Quamquam hæc interpretatio non in Clinicis solùm; sed universè in baptizatis omnibus, habeat locum. Uti & illa Chrysostomi in hunc locum, & discipuli ejus Isidori Pelusiotæ lib. I. epist. CCXXI: qui ὑπὲρ νεκρῶν exponunt ὑπὲρ τῶν σωμάτων. nempe quia, ut Tertullianus ait, *dum sacramentum baptismi impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati.* Unde & *baptizandi*, quemadmodum ibidem ait Chrysostomus, *in fine jubentur dicere, Credo in resurrectionem mortuorum* (πιστεύω εἰς νεκρῶν ἀνάστασιν) *& in hac fide baptizantur.* Et sanè siquis non tam de Clinicorum quàm universè omnium Christianorum baptismo, loqui Apostolum putârit; nolim cum eo pedem struere. Quippe de verborum Apostolicorum mente, & veteres, & juniores, hactenus certant incerti. Itaque & aliam alibi *a* interpretationem adtuli: quam neque nunc damno. Uti nec illam, ut ὑπὲρ νεκρῶν, valeat mortuorum causâ; sive in spem, ac fidem resurrectionis communis; quæ sententia placuit Chrysostomo, & discipulo ejus Isidoro Pelusiotæ, quique Chrysostomi ferè vestigiis insistunt Theophylacto, ac Oecumenio; ut juniorum multos prætercam. Hic verò satis fore visum, si docerem, verisimiliùs saltem de Clinicorum baptismo, quàm illo vicario, intelligi Apostolum.

a *Disput. de Resurrectione thes.* 18.

THESIS III.

Nec tamen, absque ullo omnino delectu, & examine, omnes promiscuè baptizare licet: sed in adultis quidem (de quorum baptismo priùs diximus) requiritur, ut antea in religione Christianâ instituantur, eamque profiteantur. Hoc enim nos docet ipsa Baptismi institutio Matth. XXVIII. 19: Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos. *Marc.* XVI. 15: Ite in orbem universum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. *Et vers.* 16: Quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur. *Idem docemur praxi Joannis Baptistæ, & Apostolorum. Nam de Joanne legimus Matth.* III. 1. 2, *& Luc.* III. 3: In diebus illis venit Joannes Baptista, prædicans in deserto Judææ. Tunc exibat ad ipsum Hierosolyma, & omnis Judæa, &c. Et baptizabantur ab eo in Jordane. *Item Act.* II. 38, *dicitur Petrus pœnitentiam prædicâsse: postea que sequitur vers.* 4: Quotquot receperunt sermonem ejus, baptizati sunt.

Vide & Actor. VIII, 12. 13. 38; IX, 17; X, 44; XVI, 14. 15. 32; XVIII. 8. Et propterea ad Hebr. VI. 2, baptismatum doctrina proximè subjicitur pœnitentiæ, & fidei. Quemadmodum igitur diplomata, ac fœderum tabellæ, prius conscribi solent; posteaque appenduntur sigilla: ita de divinis promissis informandus est animus, antequam hæc iis sacramentorum usu obsignentur. Atque hæc de primo.

THESIS IV.

Dummodo autem quis Christianam religionem profiteatur; nihil refert, utrùm quis Judæus sit, an Græcus, sive gentilis; utrùm mas, an femina; utrùm conjux alicujus, an cælebs. Nam, ut ait Apostolus Gal. III. 27. 28: Quotquot baptizati estis, Christum induistis. Hic non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non masculus, neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. *Idem mandato Christi comprobatur, Matth.* XXVIII. 19, *& Marc.* XVI. 15. 16: *ubi jubet docere, & baptizare omnes gentes, omnesque creaturas; h. e. cunctos homines. Liquet idem ex Baptistæ, & Apostolorum exemplo, Matth.* III. 5, *Luc.* III. 7, *&* VII. 29: *item Actor.* II. 41, *&* VIII. 12: *ubi disertim dicitur*, viros, ac mulieres, *esse baptizatos. Et cap.* XVI. 14. 15: Lydia, quæ purpuram vendebat, ac domus ejus, baptizatur. *Et vers.* 33, Custos carceris, & omnis domus ejus. *Et cap.* XVIII. 18, Crispus, præfectus synagogæ, cum omni domo suâ, & multi Corinthiorum. Item I *Cor.* I. 16. Stephanæ familia.

Quæ per se satis sunt aperta, ut non egeant lucis. Attamen, siquis ulteriùs aliquid desideret; adeat, quæ doctissimi interpretes ad verba allata annotarunt.

THESIS V.

De duobus vidimus. Tertio loco de catechumenis extrema agentibus, ac gentilibus in morbo conversis; item qui baptismum in extremam vitam rejecissent; in controversiam vocatur; utrùm iis in valetudine desperatâ baptismus debeat conferri. Si veteris Ecclesiæ judicium quæritur; ea nulli istorum negâsset baptismum. Attamen graviter illorum reprehendere errorem solet, qui studio hoc egissent, ut baptismum differrent in extremum vitæ tempus.

Eos, qui in lecto ob morbum, ne sine baptismo morerentur, aquâ essent affusi, vel aspersi, *Clinicos* in veteri Ecclesia dixere; ut indicat Cyprianus epist. LXXVI, quæ est ad Magnum. De talium baptismo verba Cornelii; Urbis episcopi, habemus in literis ejus *a* ad Fabium, episcopum Antiochenum. Ea adducam disputat. de Anabaptismo. Etiam ita baptizatorum meminit codex Canonum Ecclesiæ Universæ can. LVII, & CLI: quorum ille duodecimus est Synodi Neocæsariensis: hic quadragesimus septimus est Concilii Laodicensis. Item mentionem invenias in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ can. XLV: qui in Tomis Conciliorum, ex editione Krabbii, est canon XLV Concilii Africani: sed XXXIV Concilii Carthaginensis in editione Severini Binnii *b*. Atque etiam citatur à Gratiano De Consecrat. Distinct. IV. can. Ægrotantes. De eodem sic ante annos octingentos Walafridus Strabo lib. de Divinis officiis cap. XXVI: *Synodus Carthaginensis baptizandos statuit ægrotos, qui jam loqui non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, aut ipsi aliquibus signis comprobare potuerint.*

a *Apud Euseb. lib.* 6. *Histor. Eccl. cap.* 35.

b *Tom.* 1. *pag.* 545.

Erant autem duo Clinicorum genera: unum tum catechumenorum, tum gentilium sese convertentium, qui in extremis constituti desiderarent baptismum. Epiphanius hæresi XXVIII, quæ est Cerinthianorum *c*; Οἱ μέλλοντες τελευτᾷν ἐὰν ὦσι κατηχούμενοι, ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι πρὸ τοῦ τελευτῆς λουτροῦ καταξιοῦνται. *Morti vicini si fuerint cate-*

c *Pag.* 54.

catechumeni, ob hanc (resurrectionis) *spem, ante obitum lavacro digni habentur.* Ita Arinthicus ab uxore redditus Christianus, in fine vitæ baptizatus fuit: ut Basilius scribit epist. v. in additionibus. Est verò hic is, qui cum Modesto consul Romæ fuit anno CCCLXXII; quique, in Orientem missus, ita adventu suo terruit Persas, ut Armeniam desinerent incursare; quæ alioquin perdidisset universa; quemadmodum testatur Ammianus Marcellinus lib. XXVII. Huc etiam pertinet canon Concilii Illiberitani XXXIX: *Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi; si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manus imponi, & fieri Christianos.* Quem canonem Burchardus, tanquam tertium Concilii Agathensis, malè citat lib. IV. Decretorum cap. XXX. Quamquam autem baptismi in eo apertè mentio non fiat: tamen, uti ad eum observat Ferdinandus Mendoza, ex eo, quòd de impositione manus dicitur, baptismus simul intelligitur; cùm hæc baptismum consequatur.

Alterum genus Clinicorum erat, qui Christianâ quidem religione instructi essent, sed studio baptismum distulissent, decepti malè intellecto loco divini scriptoris ad Hebræos cap. VI. 4: unde cum Novatianis colligebant, nullam iis esse spem veniæ, qui post baptismum deliquissent. Tales compellat Nazianzenus orat. XL, quæ est in sacrum baptisma: Ἀλλὰ φοβῇ μὴ διαφθείρῃς τὸ χάρισμα, καὶ διὰ τοῦτο ἀναβάλλῃ τὴν κάθαρσιν, ὡς δευτέραν οὐκ ἔχων. *At metuis, ne gratiam corrumpas, ac proinde purgationi moram producis; utpote nullam alteram jam ultrà habens.* Ita Constantinus Magnus extremo vitæ tempore baptizatus fuit: ut testantur Eusebius lib. IV. de vita ejus cap. XXIV, LXI, & LXII; Hieronymus in Chronico ad an. CCCXL, Socrates lib. II cap. XXVI, & XXXIX, Sozomenus lib. II cap. XXXIV, Theodoretus lib. I cap. XXXI, Freculphus lib. III cap. XX, Marianus in Chronicis, Nicephorus lib. VIII cap. LIV, atque alii. Quod pluribus probare testibus visum fuit propter eos, quibus parùm fit verisimile, Cæsarem, necdum baptizatum, præfuisse Synodis Ecclesiasticis, & divinis interfuisse mysteriis; quasi non plurimùm intersit, inter de plebe aliquem, & principem: item inter Cæsarem pium, solùmque errore aliquo de baptismi tempore involutum, & Cæsarem infidelem: uti Numerianum; quem Babylas Episcopus ab Ecclesia arcuit; sicut Nicephorus refert lib. VI cap. XXXVI, & lib. X cap. XXVIII. Etiam Constantini filius Constantius moriens voluit baptizari: Ἀποθνήσκων ἔδοξε βαπτίζεσθαι, ut est apud Athanasium de Synodis, Idem de Theodosio Magno testatur Ambrosius orat. de obitu ejus; quem & ipsum, priusquam foret baptizatus, tum Conciliis, tum mysteriis Christianorum, interfuisse convenit. Vehementer autem SSi Patres invehi solent in eam baptismi differendi consuetudinem. Uti

a Pag. 643. edit. Morell. Nazianzenus orat. XL, quæ est in sanctum baptisma *a*: Βαπτισθῶμεν σήμερον, ἵνα μὴ αὔριον βιασθῶμεν, καὶ μὴ ἀναβαλλώμεθα τὴν εὐεργεσίαν, ὡς ἀδικίαν· μηδὲ ἀναμείνωμεν πλείον γενέσθαι κακοὶ, ἵνα πλεῖον συγχωρηθῶμεν· μηδὲ γενώμεθα χριστοκάπηλοι, καὶ χριστέμποροι· μηδὲ φορτισθῶμεν πλέον ἢ δυνάμεθα φέρειν, ἵνα μὴ αὐτάνδρῳ τῇ νηῒ βαπτισθῶμεν, καὶ τὸ χάρισμα ναυαγήσωμεν, ἀνθ᾽ ὧν τὸ πλεῖον ἠλπίσαμεν, τὸ πᾶν ἀπολέσαντες. *Baptizemur hodie, ne cras vi aliquâ cogamur. Ne beneficium tanquam injuriam differamus; nec exspectemus, ut plura peccata congeramus, quo plura nobis condonentur. Nec Christo, cauponum, & negotiatorum ritu, abutamur; nec graviori sarcinâ oneremur, quàm vires nostra ferre queant; ne una cum ipsâ navi demergamur, ac gratiam naufragio amittamus; dumque plura spe, atque animo concipimus, omnia perdamus.* Eleganter verò Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. VI, eos, qui baptismum differrent, peccatis interim indulgentes, quæ in baptismo postea remittenda sperarent, *delinquendi commeatum facere sibi* ait: quoniam nempe uti militibus discedere ad tempus licet, acceptis literis dimissoriis (quas *commeatum* dixisse veteres ex Jurisconsultis, Festo item in *Remeare*, & Suida in κομμεᾶτον constat:) ita illi *sibi adulentur, quia inter Auditorum tyrocinia deputantur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat*: ut paullò post se interpretatur Tertullianus.

• Ingens verò est stupor viri eruditi, qui nuper de clinicorum baptismo interpretatus est verba illa Cypriani in præfat. libri de Exhortatione Martyrii ad Fortunatum: *Baptisma, quod nos, de mundo recedentes, Deo statim copulat.* Nam nihil apertius est, quàm loqui Cyprianum non de baptismo fluminis, sed sanguinis. Unde primum, & secundum baptismum, opponit: post illum nos peccare ait, post hunc non item: ut quod statim nos copulet Deo. Locus integer sic habet: *Nos tantum, qui, Domino permittente, primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes, & docentes, hoc esse baptisma, in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius; baptisma in quo angeli baptizant; baptisma, in quo Deus, & Christus ejus, exsultant; baptisma, quod fides nostra incrementa consummat; baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aqua baptismo accipitur peccatorum remissio: in sanguinis, corona virtutum.* Atque hæc de Clinicorum baptismo sufficiant.

THESIS VI.

Venio ad id, de quo postremo me loco dicturum promiseram. Etiam Scholastici disquirunt, utrùm baptizandi sint furiosi, inviti, dormientes. Et sunt, qui adfirment; sed contra Scripturas: quæ ab adultis requirunt, ut credant. Atqui nonnisi ex professione externâ judicium ferre possumus de fide alicujus. Necessum igitur est, ut, priusquam baptizetur aliquis, testetur pœnitentiam de vita anteacta; & significet, sibi propositum esse in posterum servire Salvatori Christo, ac propterea Deum precari serio, ut Spiritu suo illabi in se velit, quo vitam vivere possit dignam fœdere isto, quod Deus inire secum velit in baptismo. Quid horum ab iis exspectemus, qui vel sunt mente capti; vel promissionibus, aut minis, impelluntur ad suscipiendum baptismum; vel sacra hujus actionis tempore somno sunt sopiti? Adde, quòd Numen à nobis voluntarium exigat obsequium: quale non est furiosorum, invitorum, aut capientium somnum. Siquis tamen ante insaniam in religione Christianâ fuerit institutus; atque eidem dilucida fuerint intervalla; desiitque is furere, seriò desideret baptismum: non videtur ei denegandus baptismus: quia æstimare eum oportet ex tempore illo, quo est sanus.

Abimus igitur hac parte à Thoma Aquinate; qui furiosos putat baptizandos etiam insaniæ tempore, etsi ipsi contradicant; dummodo, cùm sui essent compotes, baptismum postulârint. Atque idem arbitratur etiam, in quibus nullus unquam rationis usus eluxit, tingi nihilominus in fide Ecclesiæ oportere; quia tales pro infantibus sint censendi. Vide eum Part. III, Quæst. LXVIII, Art. XII: item Bonaventuram in IV, Dist. III, Quæst. I. Posse aliquos baptizari invitos, judicium est Aureoli in IV Sent. distinct. IV, Quæst. I. Studet verò hoc emollire eo, quòd licet non sit consensus verus; sit tamen, ut loquitur, interpretativus. Bonaventura in IV, Sent. Dist. IV, art. II, Quæst. I, judicat, dandum iis baptismum, qui ad eum vel promissis fuerint inescati, vel minis adacti. Deque posteriori probat eo, quòd coacta etiam voluntas sit voluntas. In quo tamen eum deserit Landolphus Distinct. IV. Quæst. I: idque propterea, quòd displiceant Deo obsequia coacta. Dormientes posse baptizari, judicat Emanuel Sa in Apho-

Aphorismis, Aphor. x. Ac favere videtur B. Augustinus lib. IV Confess. cap. IV: ubi pro vero habet baptismo, si quis in desperata valetudine nesciens sit baptizatus. Thomas tamen in I Secund. Quæst. CXIII. art. I negat, qui dormientes baptizantur, consequi gratiam justificantem. Atque idem Part. III. Quæst. LXVIII, Art. XII. ait, *Baptismum non consuevisse dari dormientibus.* Addo ego, *nec dari oportere.* Cujus rei caussas apertas antea adduximus.

FINIS.

DISPUTATIO DECIMATERTIA DE

BAPTISMO;

sive prioris

DE PÆDOBAPTISMO PARS PRIOR.

THESIS I.

EGIMUS γενικῶς de baptizandis; nisi quòd quædam solos tangant adultos. Nunc εἰδικῶς videamus de baptismo parvulorum. Postea εἰδικωτέρως, καὶ περιστατικῶς, dicam de parvulis variè consideratis: ut monstrosis, spuriis, expositititis, vel aliâ conditione vestitis. Media disputatio, quam nunc aggredior, erit bipartita. Prior pars Scripturis insistet: altera, quæ sententia veterum fuerit Ecclesiæ doctorum, exquiret. In priori primùm illud in considerationem venit, utrùm pædobaptismus in Scripturis habeat fundamentum. Pontificii, uti in aliis non paucis, ita hac parte miram videntur prodere inconstantiam. Nam quando laborant, ut pædobaptismum adstruant, provocant ad sacras Literas. Ita Eccius *a* quatuor pro eo argumenta ex Scripturis promit. Etiam Bellarminus *b* ait, *hanc veritatem in Scriptura tribus argumentis probari.* Ac subjungit tandem *c*: *Licet enim non inveniamus expressè mandatum, ut baptizemus infantes: tamen id & colligitur* SATIS APERTE *ex Scripturis; ut suprà ostendimus.* Item: *Infantes posse baptizari, deducitur* EVIDENTER *ex Scripturis.* Nec dubitant illum ex iisdem demonstrare tum Franciscus Suarez *d*, tum Gregorius de Valentia *e*. Imò Romanorum ea Episcoporum sententia est. Ut de Innocentio tertio ex Decretalibus *f* liquet: ac de Pio quincto ex Catechismo *g*, qui juxta decretum Concilii Tridentini ad Parochos, Pontificis ejus jussu, editus fuit. At iidem, quasi, quod dextrâ ædificarunt, sinistrâ destructum ire velint, negant, pædobaptismum posse è Scripturis probari, cùm earum imperfectionem tuentur adversus Ecclesias Reformatas. Facit hoc Costerus *h*; qui cùm dixisset, *omnia fidei mysteria, cæteraque creditu, & scitu necessaria, in corde Ecclesiæ esse clarissime exarata: in membranis tam Novi, quam Veteris Testamenti, multa desiderari*: mox exemplis id ostensurus, ait, *à B. Augustino ad Apostolicam Traditionem extra Scripturam referri baptismum parvulorum.* Et Bellarminus ipse lib. IV. de Verbo Dei cap. IV: *Baptisma infantium, contra Anabaptistas, ex Scripturis Lutherani probare non possunt; Catholici non solent.* Et Gretzerus in defensione Bellarmini *a*, agens de parvulorum baptismo, & more non rebaptizandi eos, quos hæretici baptizarunt; *Seclusâ*, inquit, *traditione non scriptâ, neutrum unquam ex sacra Scriptura sectarii evincent: utut nihil intentatum relinquant.* Similiaque apud alios legere est.

a Enchirid. c. 30
b Lib. de baptismo c. 8. & 9
c Cap. 9. respons. ad argument 1, & 8.
d T. 4. in Thom. fol. 251.
e Lib. de baptismo c. 1. par. 3
f Decret. lib. 3. Tit. 42. cap 3. Majores.
g Cap. de baptis. sacramento pag. 167. edit. Lov. an. 1567
h In Enchir. Loc. de Sacra Scriptura p. 47. edit. Colon. an. 1612.

a Tit. 1. de verbi Dei defensione cap. 9. l. 4.

II.

Nos verò, ut Scripturarum perfectionem in dubium vocare nefas ducimus; ita, quin parvulorum baptismus solidè ex iis possit evinci, minimè ambigimus. Ut id sentiamus, his movemur argumentis.

III.

Primùm quia perpetua & constans est Dei voluntas, ut ne fœderatis negetur fœderis signum. At infantes etiam sunt in numero fœderatorum. Prius pronunciatum docemur verbis Dei Genes. XVII. 13: *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus perpetuum.* Ubi fœdus, hoc est, fœderis signum, ab omni posteritate Abrahæ, quicum singulare Deus pepigerat fœdus, in carne gestari jubet. Etiam vers. 14. hanc addit comminationem: *Masculus, cujus caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Idem probatur ex Matth. XXVIII. 19; ubi discipulis, ac fœderatis omnibus, baptismi signum jubet conferri.

IV.

Alterum verò pronunciatum, quo infantes quoque ad fœdus, & Ecclesiam Dei, pertinere dicebamus, demonstrabatur tum ex formula fœderis Genes. XVII. 7: *Ero Deus tuus, & seminis tui*: tum ex eo, quòd infantes non minùs, quàm adulti, circumcidebantur. Perabsurdum verò est, ut per Messiæ adventum imminutum sit fœdus; cumque in Veteri Testamento etiam se extenderit ad infantes, in Novo solos spectet adultos. Præterea si infantes etiam salvantur; quomodo non sunt Ecclesiæ membra, cùm extra eam non sit salus? Ecclesiæ enim proprium est, quòd eam Christus *dilexit, & se ipsum*

tra-

tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aqua in Verbo; ut ait Apost. Eph. v. 26. Idem ostendunt Ecclesiæ privilegia in Symbolo commemorata. Nam credimus primùm *Ecclesiam sanctam Catholicam*: deinde *communionem sanctorum, remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, & vitam æternam*. Ubi intelligi debet resurrectio gloriosa, quæ est ad vitam. Nam solius Ecclesiæ privilegia commemorantur: onde nec mortis æternæ mentio fit; quia reprobos ea manet, non electos Dei. Atqui quatuor ista Ecclesiæ privilegia infantibus etiam conveniunt. Sunt igitur membra Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

V.

Alterum argumentum est mandatum Christi; quod legimus Matth. XXVIII. 19. Universali autem mandato posito, pars ejus negari non debet. Nihil igitur obstat, quòd non dicatur, *etiam infantes baptizate*: quia nec dicitur, *tantum adultos baptizate*. Argumentum hoc planius fiet Christi verba consideranti, Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς, &c. *Profecti igitur discipulos facite* OMNES *gentes; baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* Ubi tria facit Christus; jubet discipulos colligi in scholam suam; jubet eos baptismi sigillo obsignari, tanquam federatos, & domesticos; jubet eos doceri cultum Domini, & officium suum. Et sanè, si Deus, cùm Abrahamo præcepit, ut federatos circumcisionis signo inauguraret; etiam comprehendit infantes: Christus quoque eos, federatos inter, complexus fuit; cùm Apostolis præciperet, ut baptismo fedus obsignarent. Eadem enim utriusque federis substantia est: ac, licet sacramenta tum signis varient, tum objecti amplitudine (quia illic soli Abrahæ filii secundùm carnem; hic universe omnes fideles obsignantur) tamen vetus mandatum de federatis, eosque inter infantibus inaugurandis, vim suam retinet. Nempe, etsi circumcisio est legis ceremonialis; tamen obsignatio federatorum est perpetuæ legis. Eaque ratio est, cur necesse non fuerit Christum nominatim de infantibus præcipere; quia frustra repetiisset, quod in Veteri Testamento jam traditum erat.

VI.

Tertium argumentum suppeditat Apostolus Petrus Actor. II. 39. 40: *Baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris, & omnibus, qui longe sunt; quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster.* Ubi ita argumentatur Apostolus: Quibus facta est promissio gratiæ, illi debent baptizari in remissionem peccatorum, ut accipiant Spiritum Sanctum. At vobis, & liberis vestris, facta est promissio. Fit autem mentio liberorum ἁπλῶς, sine discretione ætatis. Unde liquet, non minùs parvulos à Petro comprehendi, quàm cùm Deus diceret Abrahamo *a*, *Ut sim Deus tuus, & seminis tui.*

a Genes. 17. 7.

VII.

Quartum est argumentum: Qui per carnalem generationem à primo parente trahunt originale peccatum; nec tamen excluduntur regno cœlorum: in iis regeneratio locum habet in hac vita; ac proinde baptismate fraudari non debent, regenerationis signo, & sigillo. Atqui etiam fidelium infantes nascuntur cum originali peccato: quod nullus negat Catholicus. Eosdem verò ingredi regnum cœlorum, eoque Christi esse; nec illi diffitentur *b*, qui illorum baptismum negant. Nullum autem in cœleste regnum venire, vel Christi esse, nisi qui regeneratus fuerit per Spiritum Christi; apertè ait Salvator Ioa. III. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* Et Apostolus Rom. VIII. 9: *Qui spiritum Christi non habet, non est ejus.* Quare fidelium infantes non sunt excludendi à baptismo: ut qui regenerationem efficaciter obsignet; unde & *lavacrum regenerationis* appellatur Tit. III. 5.

b Testis Melanchthon in Locis Tit. de baptismo parvulorum.

VIII.

Quinctum argumentum petitur à facto, dictoque Christi, quod legimus Matt. XIX. 13: *Tunc oblati sunt ei parvuli* (τὰ παιδία) *ut manus eis imponeret, & oraret: discipuli autem increpabant eos. Iesus verò ait eis: Sinite parvulos; & nolite eos prohibere ad me venire: talium enim est regnum cælorum. Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde.* Quæ etiam repetuntur Mar. X. 14, & Luc. XVIII. 16: ubi additur; *Amen dico vobis; quisquis non receperit regnum Dei, ut parvulus, non intrabit in illud.* Qui verò apud Matthæum, & Marcum, dicuntur παιδία, hi Lucæ sunt βρέφη: quæ vox propriè notat τὸ ἄρτι γεγονὸς παιδίον τὸ τρεφόμενον ὑπὸ τιτθῆς, ut Eustathius *a* interpretatur: unde Act. VII. 19, tribuitur infanti in cunis vagienti: & 1 Per. II. 2, dicitur de infantibus Israeliticis recens editis, ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη. Imo Luc. I. 41, 42. dicitur de fœtu, qui utero conclusus. Atque ut in nomine βρέφους, ita in verbo προσφέρειν, retinenda proprietas, cùm dicitur προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη· ut ulnis gestati videantur. Sanè Syrus vertit מקרבין *fecerunt eis appropinquare.* Sed inprimis hoc indicat vox ἐναγκαλισάμενος *b*, quod Syrus transtulit, *sustulit eos in ulnas suas.* Ex his argumentum istiusmodi contexuimus. Quos Christus ad se jubet adduci, quos in ulnas accipit, quibus manus imponit, ac benedicit, qualium denique regnum cælorum esse pronunciat, isti non sunt arcendi à baptismo. At Christus infantes sibi adduci jubet, &c. Dicent, sermonem esse de infantulis, jam ante per circumcisionem in fœdus receptis. Non repugnamus: sed dicimus, cùm Iesus non minùs infantulis novi, quàm antiqui fœderis, prospexerit; similiter infantes nostros ad Christum adduci debere per baptismum, à Christo ipso ad hoc institutum, ut sit ordinarium initiationis sacramentum.

a Iliad. θ. pag. 727. edit. Rom.

b Mar. 9. 36. & 10. 16.

IX.

Sextum argumentum præbet illud Paulinum 1 Cor. VII. 14: *Maritus infidelis sanctificatus est in uxore, & uxor infidelis sanctificata est in viro: alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ubi si sancti dicantur ab ipso ortu, quia è fœderatis nascentes etiam in fœdere sunt: jam satis apertum est, jus ad baptismum habere, quia fœderatis fœderis signum competit. Sin ab ortu hoc solùm habebant, ut sanctitatis essent designati, quemadmodum loquitur Tertullianus *c*: per baptismum autem reapse fœderati, & sancti fiunt: sanè sic quoque baptizandos esse liquet, ut sanctificentur exemplo eorum, de quibus loquitur Apostolus.

c Lib. de anima cap. 39.

X.

Septimum argumentum est, quòd fidelium infantes non minùs in Novo, quàm Veteri Test. Ecclesiæ inseri, & ab infidelium liberis discerni debeant. Atqui per baptismum inserimur Ecclesiæ Dei. Actor. c. II. 41: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Nam quid est per baptismum apponi, quàm Ecclesiæ membrum fieri? Eodem verò sacramento, & Ecclesiæ inserimur, & ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, discernimur.

XI.

Octavum argumentum est, quòd baptismus successerit circumcisioni: unde Apostolus Col. II. 11. negat eos, qui è gentibus credidissent, ac baptizati essent, circumcidi debere; quia jam circumcisione non manu factâ circumcisi essent in baptismo. *In quo*, inquit, *& circumcisi estis circumcisione, non manu factâ, in exspoliatione corporis carnis; sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo.* Non dicit ἁπλῶς, circumcisos in spiritu respuere debere circumcisionem in carne (nam objici potuisset, Abrahamum fuisse in carne circumcisum,

cisum, postquam spiritualiter fuisset circumcisus:) sed restringit hoc ad Novum Testam. ubi baptismate Christi circumcidimur à peccatis, vetereque homine nostro quasi peccatis obruto, consepelimur Christo. Hoc argumento, etsi mysterium non intelligant, baptizari nihilominus posse, colligit Nazianzenus orat. XL *a*, quæ est in sacrum baptisma. Similiter Augustinus lib. IV. de baptismo contra Donatistas cap. XXIII: *Veraciter conjicere possumus, quid valeat in parvulis baptismi sacramentum, ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit.* Ubi veracem conjecturam opponit falsæ, & incertæ: quamquam in nonnullis libris est *veraciter continere*: quod magis probat doctissimus Joannes Serranus *b*. Hoc verò interpretatur, *cum priori populo, id est, veteri Ecclesia, tenere, & complecti.* Sed vulgata lectio magis placet.

a *Pag. 658. edit. Morell.*

b *Defensione pro Catholicæ Ecclesiæ autoritate prim. qu. part. 3. p. 788.*

XII.

Atque ex his satis constat, quemadmodum, Mose teste *c*, etiam infantes fuerunt in transitu maris Israelitici, quem typum baptismi fuisse Apostolus *d* docet: ita hac etiam parte typo antitypon respondere, quòd baptizari debeant infantes.

c *Exod. 12. 37.*

d *1 Cor. 10. 2.*

XIII.

Objiciunt adversarii, non esse consuetudinis Apostolicæ baptizare infantes. Sed quo argumento hoc probant? Non legitur, inquiunt. Quid? legiturne Apostolum ad Cœnam Apostolicam mulieres admisisse? Et tamen quis unquam hunc morem in dubium vocavit? Quid quòd Apostoli familias integras baptizâsse leguntur: ut Lydiæ purpurariæ, Act. XVI. 15, & commentariensis, ibid. 37, & Stephanæ, 1 Cor. 1. 16. Ut autem nullæ ex familiis istis habuerint infantes, hoc verò verisimile non est. Quòd si habuerunt; quin Apostoli baptizarint eos, dubitare non possumus. Nam *familiæ* nomine etiam infantes contineri, certum est. Et si mandatum est universale, quis dubitat, quin ei paruerint Apostoli?

XIV.

At, inquiunt, mandatum universale non est; sed ad solos pertinet adultos: quia jussit Christus, ut baptizandi priùs docerentur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. item ut priùs credant in Christum, quia dicitur: *Quicunque crediderit, & baptizatus fuerit,* &c. Non difficulter his occurrimus. Nam, ut mittam, quæ de voce μαθητεύσατε antea diximus; distinguere oportet inter Ecclesiam constituendam, & constitutam: in illâ adulti priùs docendi, &, ubi crediderint, tum ipsi, tum eorum liberi, sunt baptizandi: in hac verò infantes prius baptizandi, ac postea sunt docendi. Exemplum ejus rei ex circumcisione capere possumus. Nam cùm Abrahamus Gen. XVII. 10, omnes masculos familiæ suæ circumcidere jussus esset: non dubium est, quin adultos hac de cerimonia instituerit priùs. At, Isaaco sibi nato, non exspectat usque ad ætatem adultam; sed octavo eum die circumcidit; ut liquet ex Gen. XXI. 4.

XV.

Nec ullius est momenti, quod ajunt, incredulos non esse baptizandos. Nam bifariam aliquis *incredulus* dicitur; negativè, qui salutari quidem fidei habitu destituitur, non tamen contrario habitu est pollutus; positivè autem, qui & habitu fidei caret, & contrario ἀπιστίας malo laborat. Infantes duntaxat negativè sunt infideles; hoc est, nondum habentes fidem, cujus ne quidem capaces sunt per naturam. Tamen capaces sunt spiritûs fidei: per quem anima accipit esse spirituale, ac supernaturale; estque principium operationum spiritualium, suoque tempore est efficax; ac, cessantibus etiam actionibus in homine, manet. Unde Augustinus lib. de peccat. mer. & rem. cap. 12; *Dat sui Spiritus occultissimam gratiam: quam etiam latenter infundit & parvulis.* Absque hoc spiritu esset, parvuli non unirentur Christo, nec mystici ejus corporis membra forent: eóque nec participes essent privilegiorum Ecclesiæ, quæ in symbolo commemorantur. Etsi igitur infantes non credant actu: tamen non magis hoc eos à baptismo arcere debet, quàm cibus iis debet denegari; etsi ab Apostolo dictum sit *a*, *Qui non vult laborare, non manducet.* Hæc cùm priùs non satis perpenderet Zuingerus; verbis Christi, fidem, & baptismum, jungentis, in eam abreptus est opinionem, ut putaret, parvulos non esse baptizandos, quia fidem non haberent: ut ipse scribit lib. II de Baptismo *b*. Sed addit, utcunque in eo tum fuerit errore; nunquam tamen tam importune, & immodestè, erupisse, ac juniores, & imperitiores, quorum, inquit, verba; *Parvulorum baptismum à Papa, & diabolo auctoribus, institutum esse.* Addit eos, & *alia hujus generis dira, & atrocia, vociferari.* Porrò fatetur Zuingerus, se, dum huic esset errori implicitus, existimâsse; *satius esse, si tum demum baptizarentur parvuli, ubi ad justam ætatem pervenissent.* A qua sententia nec multùm abhorruisse videtur Erasmus, fragmento epistolæ inter eas, quas cum vita ejus primus Leidæ edidit Paullus Merula *c*. Non tamen Ecclesiæ consuetudinem rejicit; cùm clarè scribat: *De baptismo servetur, quod tot seculis servavit Ecclesia.* Sed continuò subjicit hæc; quæ ostendunt, quantum dissentientibus largiri sit paratus: *Posset tamen unicuique parenti liberum relinqui; utrum malit, statim tingi infantem suum; an differri usque ad adolescentiam: modo interim diligenter instituatur in dogmatibus orthodoxis, & sanctis moribus.* Malim ego hærere antiquorum illis, qui in adultis quidem istam institutionis diligentiam præmittebant; sed subjungebant justo tempore in parvulis: à qua consuetudine vix ab aliis recessum fuit, quàm Græcis; ut disputatione de necessitate Baptismi dicebamus.

a *2 Thess. 3. 10.*

b *Fol. 63. b.*

c *Anno 1607.*

XVI.

Nec ponderis quicquam habet, quod objiciunt de ætate Christi, cùm baptizaretur. Quo compulsus Michaël Servetus *d*, & Anabaptistarum aliqui, trigesimo demum ætatis anno baptizarunt; sed dissentientibus aliis, qui id facerent primis exserentis sese rationis annis. Utrosque cogitare oportebat, demum undetrigesimo Christi anno Joannem cœpisse baptizare; ut infantili ætate non potuerit Christus baptizari. Adhæc dispar est Christi ratio, & nostri; quia ille baptizari voluit, ut sanctificaret baptismum: nos baptizamur, ut remissio peccatorum, & insitio in Ecclesiam, efficaciter nobis obsignetur. Quod discrimen nos docet Nazianzenus orat. XL, quæ est in sanctum baptisma.

d *Teste Calvinus lib. 4 Institut. cap. 16. §. 29.*

XVII.

Facilè etiam est occurrere ei, quòd ajunt, non dari baptismum, nisi pœnitentiam agenti. Marc. 1. 4. & Actor. II. 37. 38. Nam pœnitentia exigitur ab iis, qui pœnitenda egerunt. At de infantibus dicitur ad Rom. IX. 11, *nihil eos fecisse boni, vel mali.* Originalis quidem delicti remissione opus habent; unde & eos opus baptizari: sed peccatum illud non est materia pœnitentiæ, quia naturâ trahitur, non propriâ committitur voluntate; eóque nec in nascentium est potestate.

XVIII.

Improbamus igitur eos, qui parvulos negant baptizandos. Quam sententiam etiam Pelagianis tribuit Josephus Vicecomes Observat. Ecclesiast. de baptismi ritibus lib. II. cap. I. Credo, movere eum hæc verba Pontificalis in Vita Innocentii I: *Hic invênit Pelagium, & Cælestium hæreticos, & damnavit eos: & hoc constituit, ut qui natus fuerit de Christiana, denuo nasci debeat per baptismum, hoc est, baptizari; quod Pelagius damnabat.* Sed Pelagius, epistolâ ad ipsum Innocentium

exaratâ, scripsit, opinionem hanc sibi per calumniam impingi. Testis Augustinus de Peccato Originis cap. XVIII: *Dicit*, inquit, *se ab hominibus infamari, quòd negaret parvulis baptismi sacramentum, & absque redemtione Christi aliquibus regna cælorum promittat.* Subjicit verò Augustinus: *Sed non sic illis hæc objiciuntur, ut posuit. Nam neque parvulis negant baptismi sacramentum; neque absque redemtione Christi aliquibus regna cælorum promittunt. Itaque unde se queritur infamari, eo modo proposuit, ut facilè possit crimini objecto, salvo suo dogmate, respondere. Objicitur autem illis, quòd non baptizatos parvulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios confiteri, & in eos transisse originale peccatum regeneratione purgandum.* Et sanè, opinionem, quam ajebam, falsò fuisse Pelagio affictam, etiam agnoscit lib. ... cap. XIX, & XXX: item libri de Gratia Christi contra Pelagium, & Cælest. cap. XX: adhæc epist. LXXXIX ad Hilarium. Pluraque, ad errorem hunc de Pelagio refellendum, adduximus Pelagianæ Historiæ lib. II, parte II, thes. IV. Idem Iosephus Vicecomes eumpse errorem errâsse ait Vincentium Victorem; teste Augustino lib. de Anima, & ejus orig. lib. III, cap. XIV. Sed æquè hoc vanum; ut parebit ei, cui grave non erit ipsum consulere Augustinum, suisque magis oculis credere, quàm alienis.

XIX.

At verè hanc damnamus sententiam in ministris Transsylvanis, qui *errores aliarum Ecclesiarum præcipuos censent, Trinitatem* (nam & hanc impiè rejiciunt) *& pædobaptismum: adeò ut siquis istos duos abjiciat, & in infantia baptizatos, baptizandos, postquam adoleverint, omnino esse dicat, eum, quod ad doctrinam attinet, pro Fratre habeant*: quemadmodum de iis testatur Faustus Socinus, epist. de Baptismo ad virum Nobilem *a*. Damnamus etiam, *a* Pag. 236.
etsi minùs spissè hic errantem, Socinum; cujus sententia est, *aqua baptismum non videri necessarium iis, qui ex Christianis, id est, Christum profitentibus, nascuntur, & in eâ professione parentes imitantur: atque ita nihil referre arbitrantur, utrùm isti, nec ne; & an potius adulti, quàm infantes, baptizentur: & propterea non diffitetur, se circa infantium baptismum haut difficilem futurum, si contingeret Ecclesiæ ædificationem sic postulare, illumque citra omne scandalum dari posse*: quemadmodum ipse alterâ de baptismo epistolâ *b* scribit. Nam infantibus baptismus conferri non solùm potest, quod Socinus agnoscit; sed etiam debet: neque in Ecclesiis Christianis scandalo est, si infantibus baptismus tribuatur, uti in Transsylvanis istis fieri ait; sed verò scandalo potiùs sit, si in ætatem adultam differatur. *b* Pag. 245.

FINIS.

DISPUTATIO XIV

DE

BAPTISMO;

sive altera

DE PÆDOBAPTISMO;

QUÆ EST HISTORICA.

Thesis I.

Postquam de Scripturis vidimus, ad Ecclesiæ historiam veniamus. Quæstio est, utrùm parvulorum baptismus antiquitus obtinuerit in Ecclesia Dei. Negat id Ludovicus Vives annot. in lib. I. August. de Civit. Dei. cap. XXVII: ubi ait, *olim neminem admotum fuisse sacro baptisterio, nisi adultâ jam ætate, & cùm idem ipse & sciret, quid sibi mystica illa aqua vellet, & se illâ ablui peteret, nec semel peteret.* Imò Walafridus Strabo, qui anno vixit octingentesimo quinquagesimo, idem scribere non veretur. Verba ejus sunt lib. de rebus Eccles. cap. XXVI: *Notandum deinde, primis temporibus, illis solummodo baptismi gratiam dari solitam; qui & corporis, & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire, & intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendum; quid confitendum, atque credendum; quid postremo in renatis in Christo esset servandum. Refert siquidem venerabilis pater Augustinus de se ipso, in libris Confessionum suarum, quòd penè usque ad XXV annorum ætatem catechumenus perduraverit; eâ videlicet intentione, ut, per hanc temporis moram, de singulis edoctus, ad eligendum quodlibet libero duceretur arbitrio.* Hactenus Walafridus. In cujus verbis pro annorum XXV (quomodo in excusis *a* legitur, & à doctis *b* hic locus citatur) legi debet annorum XXXV, vel uno minùs. Nam Augustinus, ut ex ejus Confessionum libris *c* liquet, anno demum trigesimo primo ætatis conversus fuit: biennium permansit catechumenus, quo tempore contra Academicos, item Soliloquia scripsit: at XXXIV Mediolani ab Ambrosio fuit baptizatus. Quæ etiam ostendunt, quàm imbecilli argumento pugnet Walafridus.

a Bibl. PP. T. 6. ed. 2.
b Ioseph. Vicecom. Observ. Eccles. l. 2. cap. 1 atque alii.
c Lib. 9. Confess. cap. 6.

II.

Et sanè parvulorum baptismum antiquis seculis ubique in Ecclesia obtinuisse, clarè docet Hieronymus epist. ad Lætam *d*, & sub finem lib. III contra Pelagianos; *d* Pag. 56. edit. Bas. an. 1553.
ubi eum Cypriani, & collegarum autoritate confirmat. Item Innocentius epist. XXVI ad Concilium Milevitanum, Augustinus epist. XXVIII, & de peccat. orig. cap. XL, & lib. II. de nuptiis, & concup. cap. XX, & lib. III. de

pecc.

aCol. 976. edit Bas. a. 1556. b Apud Surium Tom. 2. pag. 506.

pecc. mer. & remiss. cap. IX, & lib. II. cont. Jul. *a* & lib. IV. de bapt. contra Donat. cap. XXIV. Similiter Paulinus *b* in vita Ambrosii, Theodoretus epitome divinorum dogm. cap. de baptismo, Leo Magnus epist. LXXXIV. (aliis LXXXVI.) ad episcopum Aquileiensem, Scriptor de vocat. gent. lib. II. cap. VIII, Gennadius de Eccl. dogmat. cap. XXXI. Atque omnes isti seculo quincto vixere; hoc est, trecentis quinquaginta minimùm annis ante Walafridum. Juniorum verò numerum inire longum sit. Interim vide sis Bernardum epist. CCXL, & serm. LXVI. super Cantica, ubi Albios refutat; & inprimis ejus συγχρονον Petrum Abbatem Cluniacensem, libello, quem contra Petri de Bruis errorem scripsit.

III.

Nec solùm doctores singulares, sed integra etiam Concilia, parvulorum baptismum approbarunt. Ubi Carthaginense (vulgò Milevitanum vocant) quod anno habitum CCCCXVIII. Verba ejus sunt can. II: *Quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat: aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari; sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; anathema sit.* Concilium Gerundense (quod anno habitum IↃXVII.) can. V: *De parvulis, qui nuper è materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eâdem die, qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.* Concilium Bracarense II (quod celebratum anno IↃLXXII.) can. VII: *Placuit, ut unusquisque episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt,* &c. Denique Concilium Viennense generale idem statuit: ut legimus in Clementina I, de summa Trinitate, & fide Catholicâ.

IV.

Quæcunque hactenus adduximus, ea post ortum Pelagium scripta sunt. Antiquiores verò similiter sensisse, constanter asserimus, præeunte Augustino de Genesi ad literam lib. X. cap. XXIII: *Consuetudo*, inquit, *matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est; neque ullo modo superflua deputanda; nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Ubi, seu traditionem intelligit ἄγραφον, seu ἔγγραφον (pro quo est, quòd ipse eum adversus Donatistas ex Scripturis probat *c*) satis de eo, quod dicebamus, sententiam suam aperit. Idem lib. I. de pec. mer. & remiss. cap. XXVI: *Parvulos baptizandos esse* (Pelagiani) *concedunt: qui contra autoritatem* UNIVERSÆ *Ecclesiæ, procul dubio* PER DOMINUM, ET APOSTOLOS, TRADITAM, *venire non possunt.* Et serm. X. de verbis Apostoli, de pædobaptismo loquens, *Nemo*, inquit, *vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit: hoc à majorum fide accepit: hoc usque in finem perseveranter custodit.*

c Lib. 4. de baptismo cap. 24.

V.

Hæc verissimè ab Augustino dici, inde cognoscimus, quia nec Pelagiani negare illud audebant. Nam, ut scribit idem Augustinus lib. II. contra Cœlest. & Pelag. Cœlestius ipse in libello, quem Romæ edidit, fassus fuit, *Infantes baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam* UNIVERSALIS *Ecclesiæ, & secundum Evangelii sententiam.* De quo pluribus dixi disputationis superioris thesi XVIII.

VI.

Possumus hæc ipsa luculentis eorum testimoniis demonstrare, qui ante Pelagianam controversiam vixerunt. In quibus reponi à plurimis solet Dionysius, cognomento Areopagita, Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. ult. Τὸ δὲ καὶ παῖδας, οὔπω τὰ θεῖα συνιέναι δυναμένους, τῆς ἱερᾶς μετόχους γίνεσθαι θεογενεσίας, καὶ τῆς ἱερωτάτων τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας συμβόλων, δοκεῖ μὲν, ὡς φῂς, τοῖς ἀνιέροις ὀλίγου γέλωτος ἄξιον, εἰ τοὺς ἀκούειν μὴ δυναμένους ἐκδιδάσκουσιν οἱ ἱεράρχαι τὰ θεῖα, καὶ τοῖς μὴ νοοῦσιν εἰκῇ παραδιδόασι τὰς ἱερὰς παραδόσεις. καὶ τὸ ἔτι γελοιότερον, ὡς ὑπὲρ αὐτῶν ἕτεροι τὰς ἀποταξίας φασὶ καὶ τὰς ἱερὰς ὁμολογίας. *Pueros verò etiam, qui nondum divina mysteria intelligere possunt, divinæ ortus participes fieri, sanctissimorumque divinæ societatis signorum; videtur quidem, ut ais, non sanctis hominibus, & à religione nostrâ abhorrentibus, meritò risu dignissimum, si eos, qui audire non possunt, divina pontifices docent, & non intelligentibus frustra ea, quæ sanctè tradita acceperunt, tradunt: quodque magis ridiculum est, quasi pro se aliis abrenunciationes dicunt, sanctasque professiones.* Pòst ad ista respondet Dionysius; interque alia de abrenunciatione tractans; &, quâ mente sponsor pueri loco abrenunciet, ostendens, hæc se à divinis præceptoribus, illos autem à veteribus, accepisse ait: περὶ τούτου ταῦτά φαμεν, ἅπερ οἱ θεῖοι ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ, ἐκ τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως εἰς ἡμᾶς παρήγαγον: *Hac de re dicimus, quod divini nostri pontifices à veteribus acceptum nobis tradiderunt.* Cujusmodi inter alia ostendunt, non esse hunc Dionysium Apostolorum discipulum, sed alium juniorem. Nec sanè vixisse ante Pelagiana tempora, multis alibi indiciis planum fecimus. Etiam pro pædobaptismo adducunt Clementem Romanum Constitutionum Apostol. lib. VI. cap. XV, & Justinum Martyrem Quæst. & Resp. ad Orthodoxos. Sed nec isti libri eorum sunt, quibus tribuuntur vulgò. Sunt, qui pro pædobaptismo Hyginum adducant: qui anno CLIV. factus est Urbis episcopus. Imò volunt ab hoc parvulorum baptismum primùm esse sancitum. Sed non aliud statuit, quàm in necessitate sufficere, si unus sit, qui baptizandum de fonte suscipiat. Verba ejus habes apud Ivonem lib. I, & apud Gratianum De Consecrat. Distinct. IV: *In Catechismo, & in Baptismo, & in Confirmatione, unus patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana; sed per singulos singuli suscipiunt.* Ad nullum igitur horum provoco; sed eos potiùs testes adducam, qui apertè doceant parvulorum baptismum; & de quorum libris, quin genuini sint, dubium est nemini.

VII.

Talis est Irenæus, qui lib. II. cap XXXIX. ait: OMNEM ÆTATEM (Dominus) *sanctificat per illam, quæ ad ipsam erat, similitudinem:* OMNES, *inquam*, OMNES *venit per semet ipsum salvare: omnes, inquam,* QUI PER EUM RENASCUNTUR IN DEUM, INFANTES, ET PARVULOS, ET PUEROS, *& juvenes, & seniores. Ideo per omnem venit ætatem; & infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem.* Ubi per renascentiam baptismus designatur, usitatâ veteribus loquendi formâ: qui & similiter accipiunt, quod ad Tit. cap. III. 5. *Lavacrum renascentiæ*, seu regenerationis appellatur. Quamquam etiam si κυρίως caperemus; sanè quòd regenerationem habere ait in infantibus locum, id satis eorum sententiam refellit, qui hoc nixi argumento, quòd regeneratio locum non habeat in parvulis, nec regenerationis eos symbolo dignantur.

VIII.

Multa enim legere est apud Origenem: uti lib. V. *a* ad Rom. cap. VI: *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare baptismum. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum; quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam, & Spiritum, ablui deberent; propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati appellatur.* Similia habes apud eundem in Levit. lib. VIII. homil. VIII: qui commentarii etsi Cyrillo etiam tribuantur, tamen & Origenis phrasin sapiunt, & retinent errores. Gemina etiam legas in Lucam homil. XIV. Sed de Origene minùs laborabimus, quia, quæ citabamus, Græcè non exstant.

a Tom. 2. pag. 543. edit. Basil.

IX.

At testis omni exceptione major est B. Martyr Cyprianus in epist. ad Fidum lib. III. epist. VIII: *Quod ad caussam infantium pertinet, universi* (in concilio LXVI episcoporum) *judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam, denegandam.* Mox ait; *Esse apud omnes, sive infantes, sive majores natu, unam divini muneris æqualitatem.* Et post aliqua: *Nam Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem, cùm se omnibus, ad cælestis gratiæ consecutionem, æqualitate libratâ, præbeat parem.* Et post aliquammulta: *Si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multùm ante peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo, atque à gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd, secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiqua primâ nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittantur non propria, sed aliena peccata. Et idcirco, frater charissime, hæc fuit* IN CONCILIO *nostra sententia, à baptismo, atque à gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cùm circa universos observandum sit, atque retinendum; tum magis circa infantes ipsos, & recens natos, observandum putamus: qui hoc ipso de ope nostra, ac de divina misericordia, plus merentur, quòd in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes, ac flentes, nihil aliud faciunt, quàm deprecari.* Meminit hujus epistolæ etiam Augustinus epist. XXVIII, ad Hieronymum, & lib. IV. contra duas epist. Pelag. cap. VIII. Ac debet judicium hoc Cypriani eò majoris fieri, quia idem Concilio LXVI episcoporum decretum fuit. Imò ne adversarii quidem id negare ausi erant; sed tantùm dubitabant, (ut Augustini verbis a utar) *utrùm regenerationis lavacrum ante diem tradi deberet octavum.*

a Lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 3.

X.

Nec clarè minùs parvulorum baptismum adstruit Ambrosius de Abraham patriarcha lib. II. cap. XI: *Nec senex proselytus, nec infans vernaculus, excipitur; quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento idonea.* Et post aliqua: *Anima illa potuit salva fieri, si habuisset purgationem.* Et mox: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Utique nullum excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* Addatur etiam Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Mystag. I. Item Basilius exhortat. ad baptis. & Chrysostomus homil. ad Neophytos, &c.

XI.

Videtur & antiquitatem hujus ritus comprobare, quòd Christiani in Cranganore Indiæ reperti (qui, ab Apostolo Thoma fidem Christianam edocti, eam ad nostra usque tempora conservarunt) parvulos baptizant, dummodo dierum fuerint XL; imò ante etiam, si fuerit periculum mortis. Testis Osorius lib. III de rebus gestis Emanuelis: *Infantes*, inquit, *nullo modo ante quadragesimum diem, nisi periculum aliquod impendere ipsorum vitæ perspectum fuerit, sacris aquis expiantur.*

XII.

Videtur tamen Walafridi sententiæ favere etiam Tertullianus, lib. de baptismo cap. XVIII: *Itaque, pro cujusque personæ conditione, ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior est: præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt: veniant dum discunt, dum, quò veniant, docentur: fiant Christiani, cùm Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? cautius agetur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris.* Respondent aliqui, sermonem esse de infantibus infidelium. Nobis de fidelium liberis agi verisimilius est: sed contendimus, ex his ipsis verbis consequi, solere tum infantes baptismo offerri. Alioquin enim non hunc morem reprehenderet. Præterea cum putamus, non aliud, quàm necessitatem Baptismi negare extra periculum mortis. Hoc quippe volunt illa verba, *Quid enim necesse est, si non tam necesse* &c. Ac minimè negasse, infantes baptizari posse; imò censuisse, si periculum sit, ne postea possint baptizari, planè debere baptizari: non obscurè cognoscimus, ex iis, quæ scribit idem Tertullianus lib. de anima cap. XXXIX, & XL: *Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quàm ex institutionis disciplinâ. Cæterum (inquit) immundi nascerentur. Quasi designatos tamen sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, intelligi volens fidelium filios: ut hujus spei pignora matrimonii, quæ retinenda censuerat, patrocinarentur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis; Nisi quis nascatur ex aqua, & spiritu, non introibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus. Ita omnis anima eò usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu non recenseatur.*

XIII.

Idem verò, ac Tertullianus, sensit Gregorius Nazianz. orat. XL a, quæ est in sanctum Baptisma: Τ[illegible] περὶ τὴν πίστιν εἰσενεχθέντων [illegible], ὥστε μὴ διαμαρτεῖν τῆς κοινῆς χάριτος. ἔστω ταῦτα, φησί, περὶ τῶν ἐπιζητούντων τὸ βάπτισμα· τί δ' ἂν εἴποις περὶ τῶν ἔτι νηπίων, καὶ μήτε τῆς ζημίας ἐπαισθανομένων, μήτε τῆς χάριτος. ἦ καὶ ταῦτα βαπτίσομεν; πάνυ γε, εἴπερ τις ἐπείγοι κίνδυνος. κρεῖσσον γὰρ ἀναισθήτως ἁγιασθῆναι, ἢ ἀπελθεῖν ἀσφράγιστα καὶ ἀτέλεστα· καὶ τούτου λόγος ἡμῖν ἡ ὀκταήμερος περιτομή, τυπική τις οὖσα σφραγὶς, καὶ ἀλογίστοις ἔτι προσαγομένη. ὡς δὲ καὶ ἡ τῶν φλιῶν χρῖσις, διὰ τῶν ἀναισθήτων, φυλάττουσα τὰ πρωτότοκα. περὶ δὲ τῶν ἄλλων δίδωμι γνώμην τὴν τριετίαν ἀναμείναντας, ἢ μικρὸν ἐντὸς τούτου, ἢ ὑπὲρ τοῦτο, ἡνίκα καὶ ἀκοῦσαί τι μυστικὸν, καὶ ἀποκρίνασθαι δυνατόν· εἰ καὶ μὴ συνιέντα τελέως, ἀλλ' οὖν τυπούμενα, οὕτως ἁγιάζειν καὶ ψυχὰς καὶ σώματα τῷ μεγάλῳ μυστηρίῳ τῆς τελειώσεως. *Ac proinde omni curâ, & studio, nobis est providendum, ne communi hac gratiâ careamus. Sint sanè hæc, dixerit aliquis, quantum ad eos attinet, qui baptismum requirunt: quid autem de iis dices, qui adhuc tenerâ ætate sunt, nec aut damnum, aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quàm sine sigillo, & initiatione, abscedere. Atque hujus rei ratio nobis est Circumcisio, die octavo peragi solita; quæ Baptismi figuram quodammodo gerebat, atque iis, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur. Eodem quoque modo postium unctio; quæ, rebus sensu carentibus adhibita, primogenitis salutem afferebat. De reliquis ita censeo, ut, triennio exspectato, aut aliquantò breviori, vel longiori, temporis spatio, (nam tum & mystici quiddam audire, & respondere possunt; ac, si minùs plenè & exactè intelligunt; imbuuntur tamen, & informantur) ita demum per magni Baptismi sacramentum & animos, & corpora, sanctificent.*

a Pag. 658.

XIV.

Non igitur parvulorum baptismum Nazianzenus negat, quem, si periculum vitæ ingruat, etiam præcipit: sed sulùm non inutiliter in quartum annum differri posse arbitratur. Quæ singularis unius, alteriusque, doctoris, vel saltem perpaucorum, & in Græcia magis, quàm Occidente; non verò communis antiquæ Ecclesiæ sen-

tentia

tentia fuit. Quare hîc quodammodo locum habet illud Vincentii Lirinensis cap. XXXIX: *Quicquid* (unus, vel alter, Patrum) *quamvis ille sanctus & doctus, quamvis episcopus, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas, à communi, publica, ac generali sententiæ autoritate secretum sit: ne, juxta schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis veritate dimissâ, unius hominis novitium sectemur errorem.*

F I N I S.

DISPUTATIO XV
DE
BAPTISMO;
sive posterior
DE PÆDOBAPTISMO;
quæ est de variis super parvulorum baptismo problematis.

THESIS I.

VIDIMUS *de baptizandis, tum adultis, sed veram fidem professis; tum infantibus, sed fœderatorum: superest, agamus de infantibus aliâ conditione vestitis. Quæ conditio mihi triplex videtur. Alia pertinet ad modum vivendi, aut nascendi: ut si necdum nati, aut ex parte solùm in lucem editi, aut si partus monstrosi, aut si infantes spurii. Alia deducitur ex parentum vitio; ut si ii sint infideles, vel hæretici, vel excommunicati. Alia ex modo acquisitionis: ut si infantes reperti, velut expositilii: vel bello acquisiti, vel emti, vel donati, vel infidelibus erepti. De his omnibus ordine videamus. Ac primùm negamus, posse baptizari embryones: aquâ nempe utero mortua, vel moribunda matris affusâ. Nam quomodo dici possunt regenerari per baptismum, qui nondum sint geniti, sive nati?*

Ita Augustinus epist. LVII ad Dardan. Item Isidorus lib. 1. de summo bono cap. V: *Qui in maternis uteris sunt, ideo baptizari non possunt, quia, qui natus adhuc secundùm Adam non est, secundùm Christum non potest renasci: neque regeneratio dici potest, quam generatio non præcessit.* Similiterque Lombardus IV sent. dist. VI. §. 2: & apud Gratianum Dist. IV de Consecratione. Eadem quoque mens Lutheri *a*.

a *T. 12. edit. Witeberg p. 292. & in Colloqu. Mensal. p. 173.*

II.

Quòd si fœtus ex parte natus sit, aliqui partem ex utero prostantem censent baptizandam: aliqui id tum demum putant fieri debere, si pars sit principalis, puta caput: aliqui etiam tum baptismum negant locum habere: quorum nos judicio aggregamus.

Petrus Aureolus in IV Sent. Dist. V. qu. 1. censet, principalem partem debere tingi; aliam non item. Sed Landulphus *b* quamcunque partem jubet baptizari. Si tamen integer postea nascatur, iterum tingi jubet; sed cum istac conditione; *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Etiam Cardin. in Clem. fid. de Summ. Tri. quamcunque partem baptizari permittit: sed tum demum, si extrema urgeat necessitas. Summa Angelica, sive Angelus de Clavasio, in verbo *Baptism.* memb. 6. qu. 3: *Multiplex*, inquit, *est opinio doctorum in hac quæstione: sed tu tene opinionem Landulphi; quæ securior est, & valde pia; quam tenet Thomas, & Richardus.* Sed Gloss. in can. si ad matris, dist. 4. de consecrat. negat, baptismum administrandum, nisi in perfectè natis. Quomodo & posthumus in jure vocari nequit, nisi qui perfectè est natus L. 3. C. de posthum. hæred. instit.

b *In 4 Sentent. dist. 4. quæst. 2.*

III.

De monstrosis partubus ita statuimus; dispici debere, utrùm naturam retineant hominis, nec ne. De eo autem potissimùm fieri judicium debet ex capite; utpote supremâ, imò & dignissimâ, corporis parte, rationis domicilio, & in qua omnes vigeant sensus. Si formam hominis retineant, debent baptizari; utut membrum aliquod non principale vel deficiat, vel redundet. Sin longiùs ab hominis forma abeant, vel superiori corporis parte bestiam potiùs repræsentent, planè baptismo est abstinendum. Quòd si gemelli sibi invicem sint adnati; seorsum uterque est baptizandus: idque absolutè; non prior quidem absolutè, alter cum conditione istiusmodi, Si non es baptizatus, baptizo te: *quamquam aliud Scholastici quidam putârint.*

Eosque inter Landulphus; quem vide in IV Sentent. Dist. VI. qu. 2. Ac similiter Angelus de Clavasio, loco antè dicto.

IV.

De spuriis etiam controversia est. Qui iis baptismum negant, pro se adducunt, quòd Deuter. XXIII. 2. mamser, *hoc est, de scorto natus, prohibetur ingredi Ecclesiam Dei, etiam in decimâ generatione. Sed,* ingredi Ecclesiam, *non est sacrorum publicorum fieri participem; verùm publico in Ecclesia, vel Republica, officio fungi. Nam & Moabita, & Ammonita, prohibentur Ecclesiam ingredi in æternum,*

num. Et tamen Ruth Moabitis, quæ in genealogia Christi ponitur à Matthæo cap. 1. 5. in populo Dei habuit. Neque obstat, quòd Deus Deuter. XXVIII. *18. comminatur impiis, maledictum fore fructum ventris ipsorum. Nam certum est etiam pios ex impiis natos esse. Quales Abia à Ieroboamo, Hiskias ab Achabo, Iosias ab Ammonis filio. Quare verba illa nonnisi de pœnis temporalibus accipi debent: ut sunt sterilitatis opprobrium, vitaque ærumnabilis, ac misera. Item cum limitatione istac, si liberi parentum vestigiis insistant: quorum utrumque etiam locum habet in istis Dei verbis Ex.* XX. 5: Visitabo iniquitatem parentum in liberis, in tertia, & quarta generatione. *Etiam ex Apocrypho Sapientiæ libro producitur, quòd* III. 28. *nationis iniquæ diræ dicantur consummationes. Sed de temporalibus pœnis verba ejusce scriptoris accipi posse, Græcè eum legenti parebit. Vel, si ulteriùs ea extendere lubet ad illa etiam, quæ salutem spectant æternam: jam sententia erit; ut plurimùm liberos tales, propter impiam parentum educationem, impiam vitam ducere; & tristes, dirosque habere exitus. Quare caussa satis gravis non est, cur spurios, tanquam salutis extorres, à sacris publicis arceamus. Sed contrà, ut ad ea admittantur, impellere illud debet, quòd Deus illos manu suâ fingat, animamque illis viventem inspiret, ac sæpe eos præ genuinis ornet summis virtutibus:*

Νόθοι γε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.

Tum etiam, quòd tales quoque obstringantur præcepto de honorandis parentibus; eoque ad illos etiam pertineat promissio piis maioribus facta: Ero Deus tuus, & seminis tui. *Sed nihil manifestius est exemplo Iephthæ; qui, ut dicitur Iud.* XI. 1, *scorti filius erat: & tamen circumcisus fuit; quoniam* Spiritus Domini super eum factus. *Ibid. 29. Et seniores Gileaditarum eum ducem elegerunt. vers. 29 Etiam inter sanctos viros recensetur: Hebr.* XI. 32.

Vide epistolam Augustini LXXV, ad Auxilium consacerdotem; ubi docet, propter peccatum parentis non debere filium anathematizari; quia hoc esset innocentem punire pro scelere alieno. Quo Augustini testimonio etiam

a P. 672. Bucanus in Loc. Com. *a* probat, *natos ex adulterio, licet parentes non resipiscant, ad Baptismum tamen oblatos per alios, quàm per parentes, ab Ecclesia non rejici.*

V.

Sed num idcirco spurii, simulac offeruntur, sint baptizandi; an verò satius sit differre aliquantum baptismum, ut priùs parentes cum Ecclesia reconcilientur; id magis pertinet ad Locum de Ecclesiastica disciplina.

Interim, ut huic etiam quæstioni adluceamus facem, adscribere visum est judicium trium præstantissimorum Theologorum; Hieronymi Zanchii, Petri Boquini, &

b Lib. 1. epistolarum Hier. Zanchii, epist. 23. Immanuelis Tremellii; quod istiusmodi est *b*, *Baptismi dilatio, aut etiam privatio, non potest fraudi esse infantibus: sed propterea non eundum inficias, quin fraudi sit ipsi ministro, si, cum potest legitime baptizare, id vel ex negligentia, vel ex contemtu, non faciat.* Et mox: *Etsi spuriis simpliciter denegari baptismus non possit; non sunt tamen baptizandi, si a parentibus impœnitentibus præsententur. Neque etiam id honestum, aut utile esset in Ecclesia. Ac licet per alios pios viros tales spurii offerantur baptizandi; præstat tamen, ut differatur baptismus, usque dum parentes resipiscant, quàm ut statim baptizentur: modò tandem id fiat, antequam infantes moriantur; non propter illorum, sed propter pastorum salutem: ne scilicet præceptum de obsignandis, & consecrandis, Deo infantibus, contemsisse videantur.*

VI.

Atque hæc dicta sunto de conditione, ratione modi, quo quis vitâ fruitur, vel nascitur, aut genitus est. Venio ad conditionem alteram, ubi defectus est in parentibus: ut si infideles fuerint, vel hæretici, vel excommunicati. Infidelium liberos a baptismo excludi, ex iis liquere arbitror, quæ superiori disputatione de fœderatorum baptismo dicebamus. Nam, si baptismus est fœderis ejus signum, quo Deus pollicetur, velle se esse Deum nostrum, & seminis nostri: consequi videtur, non aliis aditum patere ad baptismum, quàm fœderatis, sive Christianis, vel inde natis. Christianorum autem nomine hoc loco intelligimus, non eos tantùm, qui præditi sunt verâ fide in Christum; sed quotquot per baptismum Ecclesiæ sunt inserti, & fidem Christianam in eâ profitentur: utcunque vitam sæpe vivant parùm dignam homine Christiano. Nec tantùm baptizari debent, qui nati sunt parentibus eo tempore Christianam religionem profitentibus, quo liberi ex iis nascerentur; sed etiam, qui postea sunt ad Christianismum conversi: ut liquet ex Apostolorum exemplo, qui integras familias *baptizâsse dicuntur. Act.* XVI. 15, & 33: *item* XVIII, 8: & 1 *Cor.* 1. 16. *Imò utrumque hoc locum etiam habet, ubi alteruter parens Christianam religionem profitetur. Ut paret ex 1 Cor.* VII. 12. 13. 14. Siquis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo; non dimittat eam. Et siqua mulier fidelis habet virum infidelem, & sic consentit habitare cum illo; non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioqui filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.

Ubi intelligitur mundities, & sanctimonia, non quidem civilis; quomodo vasa domestica sunt munda; & tribunitia potestas olim dicebatur sacrosancta: neque item spiritualis, qualis est effectum Spiritus Sancti, & propria est filiorum Dei: sed Ecclesiastica, quia Christianorum liberi nascuntur in gremio Ecclesiæ; eoque ab ortu ipso censentur, & sunt, candidati bonorum Ecclesiæ, quæ inter est baptismus, tum is, qui exteriùs confertur; tum qui intùs fit sanguine, & spiritu Christi. Cujusmodi mundities non absimilis est Leviticæ, quâ animalium alia præ aliis munda censebantur. Nam hæc quoque mundities propriè nec civilis, nec spiritualis erat; sed media inter utramque.

VII.

Quòd si nec utrinsque, nec alterutrius parentis ratione, sint mundi, sanctique: jam sine profanatione sacramenti ad sacramentum nequeunt admitti.

Nisi fortè eâ conditione, quâ admittere sustinuit Farellus. Is (quemadmodum ipse ad Calvinum scribit *a*) a Inter epist. Calvin pag. 128. edit. Santandreanæ.
cùm quidam *erronis filium voluit offerre intingendum, adigebat patrem erronem ad abnegandam omnem impietatem, in quâ vixerat; & stipulabatur, ut juxta Euangelium posthac viveret: & insuper urgebat levantes puerum, ut plenè provinciam ejus susciperent; patre consentiente, & filium permittente, si non viveret ex præscripto Euangelii.*

VIII.

Nec solùm excludimus liberos infidelium; sed eorum etiam, qui hæretici sunt aperti: qualibus baptismus negari debet, etiamsi à parentibus poscatur. Aliter si fiat

si fiat, res offendiculo erit infirmis: quia sacramenta symbolum sunt fidei, ac professionis Christianæ. Interea seriò videndum, ne pro hæreticis habeamus eos, qui (ut rarò, vel nunquam, aliquid in hac vita est vitiis omnibus exemtum) alicubi fortasse errent; interim, quia salvum est fundamentum, sunt Ecclesiæ Catholicæ filii, saltem quod ad doctrinam.

Qui verò talium liberis baptismum negant, nimium profectò sibi placent, dum solos se undique sapere arbitrantur; solos se Dei filios, Christi cohæredes: reliquos, tanquam umbras, circumvolitare, cœlestis gratiæ, & gloriæ exsortes. Tantum verò abest, ut existimem, baptismum talium liberis esse denegandum; ut potiùs censeam, si aliter consequi baptismum non possimus, rectè etiam nos cum liberis nostris poscere à pastoribus Ecclesiæ, nobiscum non sapientis per omnia, attamen consentientis in fundamento. Id verò nihil est, quod obtendunt, sic infantes nostros insertum iri Ecclesiæ alii, quàm Orthodoxæ. Nam de quibusdam etiam disputari inter Ecclesias videas, humano magis affectu; quàm quòd magno dissideant intervallo: & quamquam in doctoribus illa disputandi prurigo ferè scabiem aliquam affricat Ecclesiis: tamen & hæ, & illæ, dum verè retineant Iesum crucifixum, membra sunt Ecclesiæ Catholicæ. Atqui per baptismum non tam inserimur huic, vel illi, vel isti Ecclesiæ, puta Mediolanensi, Carthaginensi, vel Alexandrinæ; quàm Ecclesiæ Catholicæ, quam in Symbolo profitemur, unà cum suis privilegiis; communione sanctorum, remissione peccatorum, & resurrectione ad vitam.

IX.

De excommunicatorum liberis ita sentimus: etsi parentes ipsi actu non fruantur fœderis beneficiis, quamdiu in impœnitentiâ perseverant: nihilominus, cum ex parte Dei ratum maneat fœdus, ita ut per pœnitentiam semper ad illud pateat reditus, nec altero egeant baptismo: etiam liberos ipsorum hac prærogativâ gaudere, quòd baptismi exsortes non sint: contra quàm fit in liberis infidelium, qui penitùs sunt alieni à testamentis promissionis; ut dicitur Eph. II. 12.

Augustinus epist. LXXV. ad Auxilium: *Siquis nascatur ex parentibus excommunicatis: illum tamen hujusmodi excommunicationis participem esse non posse, cùm neque sit criminis. Proinde non esse à baptismo excludendum.*

X.

Restant ea, quæ dependent à conditione tertiâ, sive acquirendi modo. Ubi primò in considerationem venit de infantibus, quos quis invenerit, ac sustulerit, postquam essent expositi. Auget difficultatem, quòd de parentibus eorum non constet: & loca sunt, ubi infideles permiscentur Christianis. Complurium judicium est, cùm fortè sint Iudæorum, vel Turcarum liberi; satius esse exspectare ætatem adultam, donec educati in religione Christianâ pro se respondeant. Sed alii sufficere arbitrantur, quòd Christiani pro iis respondere sint parati. Saltem, ubi non vivitur, nisi inter Christianos; ibi nec caussa esse videtur, cur expositítios arceamus à baptismo. Contrà, ut potius baptizentur, urget, quod in Ecclesia nati fuerint.

Quomodo futurum, ut impietas, & ἀστοργία parentum, in illis exponendis, non sit fraudi: sed contrà prosit pietas, & στοργὴ communis matris, quæ est sancta Ecclesia.

XI.

Sed scrupulum alii injicere conantur, quòd expositítii fortean jam baptizati sint, eoque periculum sit, ne bis baptizentur. Unde negant, eos baptizandos, nisi sub conditione istâ, Si non es baptizatus, baptizo te. *Sed conditionalis istius baptismi, nec in Scripturis exemplum habemus; nec in Ecclesia veteri. Quare in casibus istiusmodi potiùs pro canone hoc esto:* Non potest in iterationis crimen venire, quod omnino nescitur esse factum.

Concilium Carthaginense V. can. III: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur; neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere; absque ullo scrupulo esse baptizandos: ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.* Leo I. epist. XXXVII. ad Leonem, episcopum Ravennatem, anno scripta CCCCLIII: *Non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo, quoties persona talis inciderit, sollicitâ primùm examinatione discutite, & longo tempore (nisi fortè supremus finis immineat) indagate, utrum nemo sit penitus, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis. Et cùm constiterit, hunc, qui baptismatis indiget sacramento, solâ inaniter suspicione prohiberi: accedat intrepidus ad consequendam gratiam; cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic salutis januam aperire; quam nunquam antè docetur ingressus.* Gregorius Magnus lib. III. epist. IV. ad Bonifacium, & exinde c. Parvulos, dist. IV. de Consecrat. *Parvulos, qui parentibus subtracti sunt, &, an baptizati sint, ignorant; hos ut baptizare debeas secundum Patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit.* Lombardus IV Sentent. dist. VI. sect. IV: *Sciendum, quòd illis, de quibus nulla exstant indicia inter propinquos, vel domesticos, vel vicinos, à quibus baptizati fuisse doceantur; agendum est, ut renascantur: ne pereant, in quibus, quod non creditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Conferendum eis esse videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit præsumtionis, ubi est diligentia pietatis.* Quæ ipsissima sunt verba Leonis Magni epist. XC, sive aliis XCII, ad Rusticum cap. XVI: & ex eo citantur Distinct. IV. de Consecrat. can. CXIII, & in Decret. Jo. lib. I. Sed aliter Canonistæ, ac Scholastici. Nam in Decretal. Gregor. lib. III. tit. XLII, cap. II, Papa Alexander III. ita inquit: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo: sed, si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* At quo Scripturarum præcepto, quo veteris Ecclesiæ exemplo, baptismum absolutum in conditionalem convertit? aut quæ ratio ad hoc faciendum urget? Nam, quod dixerit quispiam, periculum alioquin esse, nequis bis baptizetur: id assis non est; quando pro facto non habetur, quod à nullo factum creditur. Quare baptismum istum conditionalem graviter, & meritò damnat Lutherus a, eundemque prohibet Elector Saxon. art. gener. VI.

a T. 8. edit. Ienens. f. 50 & Witeberg. 12. pag. 193. in Colloquiis mens. pag. 279.

Quærat aliquis, quid facto opus sit, si expositítio chartula fuerit adfixa, quæ baptizatum esse testetur. Sanè multorum opinio est, in re tam gravi chartulæ uni, cujus scriptor ignoretur, non habendam esse fidem. Sed de hoc disquiri permittimus.

XII.

Sequitur videamus de iis, qui justo bello, emtione, donatione, aliâve legitimâ ratione, in Christianorum venerint potestatem. Qui illos baptizandos negant, eo nituntur; quia solis fidelium liberis facta est promissio; cæteri sint extra fœdus. At qui dissentiunt, satis esse dicunt, quòd divina providentia eos ad Chri-

Christianorum cœtum perduxerit: unde colligunt, velle Deum, ut ne priventur mediis salutaribus.

a Sive Pameliana editionis epist. 59.

Eò referunt illud Cypriani lib. III, epist. VIII, ad Fidum a: *Hac fuit in Concilio nostra sententia: à baptismo, atque à gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi.* Quæ Cyprianus scripsit non ex sententiâ suâ duntaxat; sed totius Concilii, h. e. LXVI coepiscoporum. Propriè tamen non agitur istic de emtis, vel donatis. Interim isti sententiæ favet praxis veteris Ecclesiæ. Augustinus de gratia, & lib. arb. cap. XXII: *Aliquando filiis infidelium præstatur hæc gratia, ut baptizentur; cùm occultâ Dei providentiâ in manus piorum quomodocunque perveniunt.* Vide & Prosperum, sive alium, lib. II de vocat. gent. cap. XXII. Sed hanc sententiam multi juniorum damnant. Ut Calvinus epistolâ ad Farellum b; nec non Beza non uno loco. Item Bucanus Loc. XLVII. Horum isthæc opinio est, Iudæorum, aut Turcarum liberos, non comprehendi tabulis fœdetis; eoque, si in Christianorum venerint potestatem, hoc tantummodo beneficii consequi, quòd piè, & in Christiana religione, educabuntur: at minimè hoc cum Christianorum liberis commune habere, quòd, antequam ipsi fidem suam profiteantur, possint baptizari.

b Pag. 129. edit. Sauandrianæ.

XIII.

Imò non desunt, qui Christianis fas esse putant, liberos infidelibus eripere; eosque baptizandos dare. Sed præterquam, quod hoc nec mandatum, nec exemplum habet in sacra Scriptura; etiam repugnat Legi naturæ, quæ parentibus (si mancipia, & vernas, exceperis) concedit jus suum in liberos. At Evangelium non tollit æquitatem civilem. Adhæc liberi infidelium eâ ratione conjiciuntur in præsentissimum Apostasiæ periculum. Nam post baptismum relicti infidelium potestati, in infidelitate educabuntur; postea que hujus facti ergò Christianam religionem magis blasphemabunt.

Canonistarum quorundam (uti Ioannis Andreæ, & aliorum, quos refert Simanca de Catholica Institut. tit. XXIX, num. LIII) hæc sententia est, parvulos Judæorum posse eripi parentibus, & baptizari iis invitis. Sic etiam censet Scotus Dist. v. Qu. IX: item Josephus Angles parte I Florilegii in IV Sentent. quæst. de recipientibus baptismum. Sed baptismus Ecclesiæ privilegium est: eoque usus ejus non debet extendi ad eos, in quos Ecclesia non habet jus: quales sunt infidelium liberi in parentum potestate constituti. Rectè igitur tales baptizandos negant Thomas 2. 2. qu. 10. art. 8. 12. item Richardus de Mediavilla dist. 6. qu. 3. art. 3, Durandus dist. 4. qu. 6, Bannes ad Thomæ locum, quem diximus.

FINIS.

DISPUTATIO XVI.

DE

BAPTISMO;

QUÆ EST

DE BAPTISMI LOCO, ET TEMPORE.

THESIS I.

De Objecto baptismi hactenus. Sequitur controversia de Loco ejus, ac Tempore. Locus, quo ordinariè baptizari debet, est publicus fidelium conventus. Nam, cùm sacramenta sint Evangelii sigilla, istic, ubi Evangelium prædicatur, etiam sacramenta administrari convenit. Etiam in conventu isto futurum est, ut reverentiùs, minusque perfunctoriè, sacramentum tractetur. Pluribus etiam memoria sui baptismi refricabitur; quod ad roborandam fidem utile est. Plures item baptismi testes erunt, pluresque preces sociabunt pro baptizando.

Hoc est, quod Tertullianus voluit, cùm ait: *Manu factâ, ambire gratiam pro baptizando fructuosius possumus.* Quare vetus Ecclesia, simulac baptisteria, ac templa, habuit, in iis, populo præsente, baptismum administravit; quod ex innumeris veterum locis constat. Imò in Concilio Constantinopolitano v. libellus, quem Monachi actione quartâ Mennæ Patriarchæ obtulerunt, ait; *Eos, qui per domum baptizant, ejiceforas.* Et apertissimus est canon LIX. synodi Constantinopolitanæ VI: *In æde Oratoriâ, quæ est intra domum, baptismus nequaquam peragatur: sed, qui ab omnibus sordibus alienâ illuminatione digni habendi sunt, ad catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Siquis autem, quæ à nobis constituta sunt, non servare convictus fuerit; si sit quidem clericus, deponatur: sin autem laicus, segregetur.* Similiter Ordo Romanus Tit. de sabbat. sanct. *Post tertiam*, inquit, *horam sabbathi procedant ad Ecclesiam, qui baptizandi sunt cum patrinis, & matrinis.* Hæc consuetudo arctè ita servabatur, ut Reges ipsi, eorumque liberi, in Ecclesia baptizarentur: quemadmodum de Theodosio Juniore constat ex Marci Gazensis epistola a; & de Ingomiro, Clodovæi regis filio, ipsoque Clodovæo, cognoscere est ex Hincmaro, Remensi Archiepiscopo, de vita S. Remigii. Sed postea hoc principibus datum, ut domi eos baptizare liceret. Ita Clemens v. T. XV. de baptismo, &

a Apud Baronium T. 6. annal. ad an. 401.

& ejus effectu. *Præsenti prohibemus edicto, nequis de cetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus; sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi regum, vel principum, quibus valeat hoc in casu deferri, liberi exstiterint) audeat baptizare.* Idem decretum Concilii Coloniensis can. xv: *Statuimus, neminem alibi, quam in Ecclesia, quocunque loco natus sit, debere baptizari, exceptis Regum filiis.* Quantopere verò Ecclesiæ ornari soleant, si reges baptizarentur; ostendit Gregorius Turonensis lib. II. Histor. Franc. ubi, de Clodovei Regis baptismo loquens, ait: *Nunciantur hæc antistiti; qui, gaudio magno repletus, jussit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant fragrantes odore ceræ, totumque templum baptisterii divino respergitur ab odore.* Et Hincmarus Rhemensis in vita S. Remigii, de ejusdem Clodovei baptismo agens, sic scribit: *Ecclesia componitur baptisterium; balsamo, & cæteris odoramentis, conspergitur.* Neque si alii sollemni tempore baptizarentur (quod erat pervigilium Paschæ, aut Pentecostes, ut postea dicemus) ornatu omni templum destituebatur: sed tunc etiam peristromatis, sive albentibus cortinis, ornabatur: quod nos docet Ordo Romanus Tit. de Sabb. S. *Sabbathi verò die sancto, primo mane ornetur Ecclesia cum omnibus utensilibus suis.* Et hæc de loco ordinario.

II.

Quæritur verò, si ob morbum infantis, aliamve caussam sonticam, publice haberi baptismus non possit: num, presbytero ad hoc advocato, privatim in præsentia parentum, ac familiæ, paucorumque piorum, qui baptismi testes sint, baptizare infantem extra ordinem liceat. De hoc video opinionibus dissentiri. Sunt, qui tanti Ecclesiæ ordinem faciant, ut potiùs, quàm infantes privatim baptizent, eos non baptizatos de vita decedere permittant. Fundamentum suæ sententiæ in eo ponunt, quòd nulla violandi ordinis caussa possit adferri, quàm quia vulgò sit persuasum, damnari infantem, si absque baptismo mori contingat. At Deum non alligâsse gratiam suam sacramento: eoque noxiam illam opinionem de absoluta baptismi necessitate à ministris foveri non debere per baptismum privatum. Sed, qui sequuntur sententiam alteram, durum putant, nolle omnem scrupulum eximere animis parentum in re per se ἀδιαφόρῳ: præsertim cùm negari non possit, pro adversa sententia magnos stare auctores: eoque & infantis tutius putent, & melius consuli parentum tranquillitati, si baptizati abeant de vita. Alii extra controversiam ponunt, & ab aliis poni volunt, non perire infantem, cui baptismus à ministro negatus fuit: multum tamen metuunt, ne ministri illi fiant rei sacramenti contemtі, qui, ubi publicus haberi baptismus non potest, baptizare privatim recusant. quamvis enim agnoscant, ordinem esse rem præclaram: censent tamen, eum cultui divino non debere dominari, sed inservire. Unde colligunt, ordinis bonum extra ordinem posthabendum esse majori bono baptismi: præsertim cùm ordo ille sit ab instituto humano: administratio baptismi mandatum habeat divinum. Et sanè cultum Dei in Novo Testamento non alligari certo loco, Scriptura ipsa testatur: ut Matt. XVIII. 20: Ubicunque duo, vel tres, congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Ioan.* IV. 21: Venit hora, quando nec in monte, nec in Hierosolyma, adorabitis Patrem. 1 *Tim.* II. 8: Volo, viros orare in omni loco. *Atque hæc quoque ratio est, cur Apostoli ubivis locorum baptizârint: ut sub dio, Act.* II. 41: *in via, Act.* VIII: 38. *in domibus, Act.* IX. 19. X. 47: *in carcere, Act.* XVI. 33. *Etiam Ioannes Baptista extra templum Hierosolymitanum, extra item synagogas, baptizavit in Iordane, & in aquis prope Salem, Matt.* III 6. *Ac vetus quoque Ecclesia hac parte Apostolico institit exemplo: uti innumeris testibus comprobatur.*

Concilium Triburiense can. XII: *Si validâ infirmitate occupati, & desperati, ad Ecclesiam provehi non possint: loco mundo perspecto, baptisma celebretur, & procuratione presbyteri caute observetur, & collocetur.* Imò in lectis etiam solere aliquos tingi, qui *Clinici* dicebantur; ex Cypriano, Eusebio, aliisque, superiùs ostensum fuit, cùm de baptismi objecto ageremus. Etiam Eusebius lib. VI. histor. cap. V, narrat, ut sancti primitivæ Ecclesiæ martyres in carcere sint baptizati. Beda lib. II. Hist. Angl. cap. XIV. scribit, ut Paulinus in fluvio Gleni, item fluvio Sualva, baptizârit; atque addit: *Nondum enim oratoria, vel baptisteria, in ipso exordio nascentis ibi ecclesiæ poterant ædificari.* Similiter Walafridus Strabo de rebus Eccles. cap. XXVI. *Sciendum primò simpliciter in fluviis, & fontibus, baptizatos credentes.* Idem dicit Honorius in Gemma animæ lib. III. cap. CVI. Quibus, sis, adde, quæ ex antiquis congessit Iosephus Vicecomes lib. I. de antiquis ritibus Baptismi cap. IV. V. VI. Reprehendi igitur meretur factum Constantini; qui in LXV ætatis annum distulit baptismum, quò in Iordane tingeretur, ubi baptizatus erat Christus. Quemadmodum Eusebius auctor est lib. IV de vita Constant. cap. LXI. Qui etiam tradit, libro de locis Hebraicis ab Hieronymo translato, multos eo in loco baptizari voluisse. Sed divinâ providentiâ est factum, ut Constantinus, ob morbum urgentem, desiderii sui non factus sit compos; verùm Nicomediæ sit baptizatus: ut præter Eusebium scribunt Theodoretus lib. I. Hist. Eccl. cap. XXXI, & Evagrius lib. III. cap. XLI. Sanè par aquæ omnis ratio est in Baptismo. Unde Ioannes non in Iordane solùm baptizavit; sed etiam in Ænon prope Salem. Ioan. III. 23. Discipuli etiam Christi nullum inter aquas discrimen posuere: ut liquet ex Act. VIII. 38. Unde Tertullianus lib. de Bapt. *Neque quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

III.

De loco diximus. De tempore videamus. Ubi duo in quæstionem veniunt; quando, & quoties aliquis sit baptizandus. In priori vel de hominis ætate, vel de anni tempore, quæritur. Ad ætatem pertinet, quoto die à natali suo infantes sint tingendi. Olim Fidus episcopus diem præstituebat octavum; quia eo fiebat circumcisio, in cujus locum baptismus est suffectus. Sed Levitica dierum discrimina cessant in Novo Testamento: eoque, licet baptismus hactenus successerit circumcisioni, quòd utrumque initiationis sit sacramentum: non propterea tamen quasi in circumcisionis [illegible] retineri necesse est. Alioquin, ut mares tantùm circumcidebantur; soli nunc etiam baptizarentur. Et, si Christus voluisset baptismum adstringere certa dies: id æquè significâsset, ac Deus de circumcisionis die mandatum dedit. Etiam in aperto est, cur diversa sit eorum ratio. Quia enim infantes à partu recentes circumcisionis dolores nequeunt sustinere: eò conduxit hoc sacramentum differri in diem octavum. A baptismo autem nullum infanti periculum est.

Quia baptismus in circumcisionis locum successit, eo non defuere olim, qui, exemplo circumcisionis nitentes, octavum ante diem infantes negarent posse baptizari. Adversus hos sub Cypriano anno CCLVII, synodus Africana habita est episcoporum LXVI: quorum

epistola synodalis ad Fidum presbyterum exstat apud Cyprianum lib. III. epist. VIII. In ea inter alia dicit Synodus: *Non aliud in nostro Concilio omnibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam, esse denegandam.* &c. Ac prope eadem verba ex Cypriano refert Augustinus epist. XXVIII.

IV.

Quemadmodum verò ratio nequit adferri idonea, cur non liceat baptizare ante diem octavum: ita neque gravis satis caussa est, cur ordinariè differamus in diem usque quadragesimum. Imò, ob varios hujus vitæ casus, atque eos sæpe improvisos, satius est, ut infantes, simulac se commoda offerat occasio, baptismate inserantur Ecclesiæ Dei, & discernantur à liberis infidelium.

Hoc præcipuè dixi propter Moscovitas; qui non ante diem quadragesimum baptizant, nisi vitæ immineat periculum: ut scribit Sigismundus Lib. Baro de rebus Moscov. cap. de Baptismo. Etiam Christiani in Cranganore Indiæ inventi (qui, ut superiori disputatione dicebamus, à Thoma Apostolo usque ad nostra tempora fidem propagatam habere creduntur) eundem morem observant;
a Fol. 108. edit. Colon. an. 1575. Osorio teste lib. III. de gestis Emanuelis *a*.

V.

Sed, si consultum non est, differre in diem quadragesimum: quantò minus in ultimum vitæ tempus! In veteri tamen Ecclesia fecere id multi. Sed legibus, non exemplis, est judicandum. Quamobrem, cùm certa omnes mors maneat; tempus verò ejus sit incertum: satius est, ut sanctissimum illud officium primâ exsequamur occasione; nec differamus eò usque, quo, an occasio id præstandi futura sit nobis, nescitur. Prævit nobis hac parte Ecclesia primitiva; in qua, simulac quisquam se profiteretur credere in Iesum Christum, baptizabatur ab Apostolis: sicut cognoscimus ex Act. II. 41, VIII. 12. 13. 37, IX. 19, X. 47. XVI. 15. 33. XVIII. 8.

Qui in mortis horam differrent baptismum, eo impulsi fuere, quòd sic consequerentur remissionem non solùm eorum, quæ, multò antè baptizari, multò etiam antè deliquissent: sed omnium omnino, quæ omni vitâ commisissent. Error ille inde profluxit, quòd nescirent, vel non satis cogitarent, eam esse baptismi indolem, ut non modò prodesset ad veniam jam commissis; sed etiam committendis: non quasi remittantur, priusquam committantur: sed quia in fœdere, quod, baptismi tempore, nobiscum init Deus, promittat hæc duo; remittere se commissa; & remissurum committenda ex infirmitate: imò etiam gravissima condonaturum delicta, dummodo verâ, & seriâ pœnitentiâ ad ipsum redeamus. Et hæc de tempore ætatis.

VI.

Quo anni tempore baptismus sit celebrandus, Scriptura non præfinit. Ecclesia vetus duo habuit tempora maximè sollemnia; Pascha, & Pentecosten: Pascha quidem, propter memoriam Dominicæ passionis, & resurrectionis; cujus virtute ad novam vitam resurgimus in baptismo: Pentecosten verò, ob memoriam effusi tunc Spiritus in Apostolos; quo Spiritu nos etiam baptizamur, cùm aquâ extrinsecus abluimur. Imò in quibusdam Ecclesiis etiam Epiphaniæ festo baptizare moris erat; sive in nativitatis, sive in baptismi Dominici memoriam. Sed consuetudo hæc sæpius ab Episcopis, & synodis, est interdicta.

Testatur Socrates Histor. Eccl. lib. V. cap. XXI, Thessalicas Ecclesias hoc in consuetudine habuisse, ut semel duntaxat in anno, idque Paschatis festo, baptizarent. *Ob quam caussam*, inquit, *paucis admodum exceptis, absque baptismo moriebantur.* Διὸ σφόδρα πλὴν ὀλίγων οἱ λοιποὶ, μὴ βαπτισθέντες, ἀποθνήσκουσιν. Etiam Basilius, Exhortatione ad Baptismum, omne quidem tempus ait *a* baptismo idoneum; nullum tamen accommodatius Paschate: caussam quoque adjungit: Τί δ' ἂν γένοιτο τῆς ἡμέρας τοῦ πάσχα συγγενέστερον πρὸς τὸ βάπτισμα; ἡ μὲν γὰρ ἡμέρα μνημόσυνόν ἐστιν ἀναστάσεως. Τὸ δὲ βάπτισμα δύναμίς ἐστι πρὸς τὴν ἀνάστασιν. Ἐν τοίνυν τῇ ἀναστασίμῳ [ἡμέρᾳ] τὴν τῆς ἀναστάσεως τὴν χάριν ὑποδεξώμεθα. *Quod autem tempus baptismo magis cognatum est, quàm Paschalis dies? quod ea lux resurrectionis monumentum quoddam sit: baptismus autem resurgendi facultas quædam. Resurrectionis igitur gratiam, resurrectionis die accipiamus.* Africana quoque Ecclesia in Paschate, & Pentecoste, solita est baptizare; Tertulliano teste lib. de Baptismo cap. XIX: *Diem Baptismo sollemniorem Pascha præstat; cùm & passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est. Exinde Pentecoste ordinandis lavacris lætissimum spatium est; quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa.* Excipe tamen necessitatis casum: ob quem quovis alio die baptizare consueverunt. Unde ibidem Tertullianus: *Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo. Si de sollemnitate interest; de gratia nihil refert.* De sollemnibus, quos dixi, diebus, Ecclesiæ Romanæ idem mos fuit; etsi aliàs petenti, si mortis periculum esset, non negaret. Leo I epist. LXII: *Baptizandi duo tantùm tempora, id est, Pascha, & Pentecoste, servabuntur. Sed sic ad has duas festivitates connexas sibimet, atque cognatas, incolumium, & in pacis securitate degentium, libera vota differimus; ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc vera salutis remedium cuiquam denegemus.* Concilium Antissiodorense (quod celebratum anno Iↄix) can. XVIII: *Non licet absque Pascha sollemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est; quos gravatarios* (leg. *grabatarios*) *dicunt. Quod si quis in alio pago, contumaciâ faciente, post interdictum hoc, infantes suos ad baptismum detulerit in Ecclesias nostras; non recipiantur. Et quicunque presbyter ipsos, extra nostrum permissum, recipere præsumserit, tribus mensibus à communione Ecclesiæ sequestratus sit.* Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. XXVI: *Tempora autem baptizandi legitima, Pascha, & Pentecoste, præfiguntur; secundum decreta Siricii, Leonis, vel Gelasii, Episcoporum: quamvis Concilio Gerundensi Natalis Domini, & Pascha ponantur. Alii quoque in Epiphania Domini baptizare voluerunt; quia eo tempore Dominum nostrum traditur baptizatum; quod & ipsum ab aliis prohibetur.* Ubi de Gerundensi Concilio planè fallitur Walafridus. Nam de natali Domini ne γρῦ quidem in eo invenias: sed contrà can. IV. disertim legas: *De catechumenis baptizandis id statutum est, ut in Pascha sollemnitate, vel Pentecostes, ad baptizandum veniant: cæteris sollemnitatibus infirmi tantùm debeant baptizari; quibus quocunque tempore conveniat non negari.* Nisi fortè Walafridi ætate aliter is locus legebatur: quod non parum sit nobis verisimile. Vix enim mihi persuadere possum, virum, tantopere in Ecclesiastica antiquitate versatum, id fuisse scripturum, nisi illud in Concilio eo invenisset. Et præterea constat, in plerisque Ecclesiis moris fuisse, ut Epiphaniæ festo non minùs, quàm Paschatis, baptismus administraretur: quemadmodum discimus

a Pag. 476. edit. Paris. an. 1618.

ex

ex Victore Uticensi lib. II de persecutione Vandalicâ; Damasceno in Jamb. Tetrast. de Epiphania; & Sophronio, sive Joanne Moscho, Prati spiritualis cap. CCXIV. Sed hæc consuetudo, ut dixi, sæpius est prohibita: atque id quoque liquet ex Concilio Tributiensi (quod anno habitum IↃCCCXCV) can. XII: *Sacrosanctum baptismi mysterium sciant omnes in Christo regenerati, non nisi præfixis, & legitimis, in anno celebrari temporibus; cùm hoc sibi privilegium (ut in epistola Siricii Papæ legitur cap. II) & apud nos, & omnes Ecclesias, specialiter cum Pentecoste suâ Dominicum Pascha defendit.* Addit deinde, pascha eligi, quia tunc resurrexit Christus: *Triduana autem immersio triduanam imitatur sepulturam; & ab aquis elevatio instar est resurgentis de sepulcro.* Pentecosten verò, quæ de Paschalis festi pendet die, eò eligi, quia tunc misit Christus Spiritum Sanctum; cujus donum in baptismo consequuntur. Post ista excipit necessitatem periclitantium. *Periculo*, inquit, *quocunque modo præoccupatis, & desperatis, omni tempore subveniendum, & baptismi sacramentum est tribuendum, quia necessitas vix habet legem.* De interdicto autem Epiphaniæ die, etiam apud
a Pag. 343 edit. Mogunt. a. 1600. Petrum Blesensem legas penè initio sermonis XIII a: *Fuerunt hæretici, qui dicerent, super illum locum,* ET JESU BAPTIZATO, ET ORANTE, *Iesum oràsse, ut hi tum acciperent Spiritum Sanctum, qui eâdem die baptizarentur, quo & Christus, ut eodem die jejunarent. Sed absit hoc à Patre misericordiarum, ut clementia ejus alicui certo tempori alligetur, ad faciendam misericordiam in filios adoptionis. Ad quod retundendum, instituit Ecclesia subsecutivo tempore esse jejunandum: & ut hæresin illam vehementius exstirparet, sub anathemate interdixit, ne aliquis die Epiphaniarum baptizet, si articulus necessitatis non intercidat.* Quibus ex verbis discere est, non solùm fuisse vetitum, ne Epiphaniæ die baptizaretur; sed etiam, cur id fuerit prohibitum. Itaque rara est Epiphaniæ mentio. Pascha solùm, & Pentecosten, etiam nominat Honorius in Gemma animæ lib. III. cap. CXVI: *Bis in anno canonicè baptizatur; in Pascha, & Pentecoste; quia in Pascha Christus moritur, in cujus morte baptizatur: in Pentecoste Spiritus S. datur, per quem remissio peccatorum donatur. Ideo autem in Sabbatho, quod requies dicitur, quia æterna requies per baptismum requiritur. Quia vero parvuli, si non regenerentur, à regno Dei alienantur: in necessitate ægritudinis, vel persecutionis, vel obsidionis, vel naufragii, omni tempore baptizantur. Et, si presbyter, vel quilibet de clero, non adest, à fideli laico in nomine Trinitatis in simplici aquâ baptizetur.*

Cæterùm cùm legimus apud antiquos, Paschate, & Pentecoste, baptizari solere; existimare aliquis posset, solum diem Dominicum designari; quod falsum. Nam hebdomade integrâ baptizandi jus erat: ut bene monet Rhenanus in Tertull. de Bapt. cap. XIX, & lib. de Corona mil. cap. XIX. Hinc Socrates lib. V Hist. cap. XXI: *Aliam præterea consuetudinem in Thessalia esse cognovi; nimirum ut diebus festi Paschatis tantùm baptizent.* Græcè est: Καὶ ἄλλο δὲ ἔθος οἶδα ἐν Θεσσαλίᾳ γινόμενον· ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα μόνον βαπτίζουσιν. Quæ etiam exscripsit Nicephorus lib. XII. cap. XXXIV. Nihil etiam apertius istis Victoris Papæ, epist. I. ad Theophilum Alexandrinum: *A quartadecima verò Lunâ primi mensis, usque ad vigesimum primum ejusdem mensis diem, eadem celebretur festivitas: eodem verò baptismus est celebrandus catholicus.* Et quàm clarè Synodus V. Constantinopolitana ad Menn. Patriarcham: *Nondum perfectis diebus his, quibus baptizabatur, postquam vidit perspicuè, quod rursus ad antiquum gentilis opinionis suæ vomitum reverti non poterat, per aliam viam ad id, quod studebat, pervênit.* Similiaque apud alios legas. At minimè audiri debet doctissimus, & multijugæ lectionis scriptor, Iosephus Vicecomes lib. I. de antiquis baptismi ritibus cap. XXIV: qui octodialia, pro aliquo eorum dierum, numerum nempe pluralivum pro singulo, positum arbitratur. Movet eum, quòd sabbatho sive vigiliâ Paschatis, & Pentecostes, baptizatum fuisse alii dicant. Ut Augustinus a homil. XLII. de commendatione Orationis Domini. *Quicunque vestrum*, inquit, *non bene symbolum reddiderunt, habent spatium, teneant; quia die Sabbathi, audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri estis* DIE SABBATHI *novissimo*, QUO DIE BAPTIZANDI ESTIS. Gregorius Magnus lib. VII. Epist. Indict. II. epist. V. ad Januarium episc. Caralit. *Iudæi de civitate vestrâ huc venientes, questi nobis sunt; quod synagogam eorum, quæ Caralis sita est, Petrus, qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum, Deo volente, perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est, Dominico, in ipsa festivitate Paschali, cum gravi scandalo, sine vestra occupaverit voluntate.* Cujusmodi plura idem Iosephus ex Chrysostomo, Paulino, scriptore gestorum à S. Remigio, Albino, Flacco, atque aliis, congessit. Sed hæc, ut evincunt in pervigilio Paschali, & Pentecostes, tingi solere: ita Paschali ipsâ festivitate, atque adeò totâ istâ hebdomade, nusquam, aut nunquam, baptizari solere, minimè demonstrant. Nempe in pervigilio Paschæ tingere incipiebant: & hoc fuisse maximè sollemne baptizandi tempus, fatemur. Etiam illud damus, plurimùm hoc pervigilio accepisse baptismum, quotquot eum petiissent; unde etiam fiebat, ut octavo die, hoc est, sabbatho post Pascha, & Pentecosten, deponere soleant albam vestem, & ceteum, qui baptizatis dabatur; sicut libro de baptismi ceremoniis ostendemus. Sed hæc non obstant, quò minùs, in plerisque saltem Ecclesiis, iis qui pervigilii tempore baptizari non potuissent, aliquo sequentium dierum baptismus daretur. Id enim fieri solere, apertissimè probant, quæ ex Socrate, & aliis, antea adduximus.

a Tom. 10. col. 516. edit. Basil. an. 1556. Nec aliter editio Antverpiensis an. 1576.

Cur Ecclesiæ plurimæ in sabbatho potiùs, quàm Dominico die, tingerent; rationem adfert Amalarius Fortunatus lib. IV. de Officiis Eccles. cap. XXIX: *Propter mysterium consepulturæ Christi, quæ recolitur in Sabbatho, baptizatur Christi corpus in Sabbatho; ut post hanc sepulturam in die Dominica resurgat. Initium enim resurrectionis à Dominica die debemus celebrare. Sit illa Dominica dies initium novi hominis, qui resurrexit à mortuis: & iterum sepultura ejus, quando anima transit in requiem sine corpore in sabbathi die.* Berno Augiensis lib. de rebus ad Missam pertinentibus, cap. III: *Rectissimè sancti Patres duo tantùm legitima tempora ad baptizandum, si nulla necessitas intervenit, constituerunt; sabbathum videlicet Paschæ, & sabbathum Pentecostes. Quæ utraque per octo dies celebrantur. Meritò consepeliuntur Christo baptizati in sabbatho, ut cum ipso valeant resurgere die Dominico. Sicut enim sabbathum requiem animarum; sic Dominicus dies, qui est primus, & octavus, significat resurrectionem corporum.* Ivo Carnotensis serm. de sacram. Neoph. *Usque in sabbathum Paschale baptismus eorum differtur, hoc attendente Ecclesiâ; quia qui ad agonem in præsenti vitâ vocantur, in spe futuræ quietis baptizantur.* Honorius in Gemma animæ lib. III. cap. CXVI: *Ideo in Sabbatho baptizatur, quod requies dicitur; quia æterna requies per baptismum requiritur.*

Nec verò quâvis sabbathi Paschalis horâ baptismus dabatur; sed nonâ. Cujus rei caussam adducit Amalarius Fortunatus de Ecclesiasticis officiis lib. IV. cap. XXVIII: *Notandum est, quòd eâ horâ dies nunc* (in sabbatho, sive in vigilia Pentecostes) *celebret sancta Ecclesia baptismum; quâ horâ Angelus Domini venit ad Cornelium, annuncians ei, quod orationes ejus, & eleemosynæ, adscenderant in memoriam in conspectu Dei; & ut mitteret ad Petrum, qui eum baptizaret. Eâdem horâ venit baptista Petrus ad eundem Cornelium baptizandum. Ita enim interrogavit Petrus Cornelium, ut in Actis Apostolorum scriptum est: Interrogo ergo, ob quam*

caussam arcessisti me? Et Cornelius ait, A nudiusquarta-na die, usque ad hanc horam, erans eram horâ nonâ in domo meâ; & reliqua. Quem continuò imbuit Petrus symbolo fidei; ut in memoratis Actis continetur; moxque cecidit Spiritus S. super omnes, qui audiebant verbum. Quo peracto, respondit Petrus, Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos in nomine Iesu Christi baptizari. Igitur eo in tempore, circa primitivam Ecclesiam, horâ nonâ baptismus celebratus est; ut & ipsa, & imitatrix ejus, quæ hodierna est, retineret in mente, quod in morte Christi, qui horâ nonâ emisit spiritum, oporteat eam baptizare. Hunc morem tenet nunc nostra Ecclesia in vigilia Pentecostes, quem præsignavit Cornelius; qui ut mereretur accipere baptismum, horâ nonâ erat orans, & jejunans, in domo suâ. Plura de præfinito hoc baptismi tempore suggerent Barnabas Brissonius lib. Observationum divini, & humani juris; & Iosephus Vicecomes Observationum de antiquis baptismi ritibus lib. 1. cap. XXI, XXII, XXIII, XXIV. XXV, XXVI.

VII.

Quamquam verò sollemnium horumce dierum in Ecclesia veteri observationem minime improbamus, ratione Catechumenorum, qui ex Hellenismo convertebantur ad Christum: in infantibus tamen tempus illud exspectari non debet: neque nunc in adultis ipsis consuetudini isti adstringimur; quia in istiusmodi, ubi nihil præfinit Scriptura, tuendi, & abrogandi Ecclesia habet libertatem. Quòd siqui necessitatem in talibus ponere statuerint; audiant Apostolum Galatis dicentem a: Observatis dies, & menses, & tempora, & annos. Vereor, ne frustra laboraverim in vobis. *Item Colossensibus* b: Nemo vos judicet in cibo, & potu, aut in parte diei, aut neomeniæ, aut sabbathorum.

a *Gal.* 4. 10. 11.

b *Coloss.* 2. 16.

Optimè Basilius exhortatione ad Baptismum c: Πᾶς χρόνος ἐπικαιρίας ἔχει πρὸς τὴν διὰ τοῦ βαπτίσματος σωτηρίαν, κἂν νὺξ εἴπῃς, κἂν ἡμέραν, κἂν ὥραν, κἂν στιγμὴν χρόνου, κἂν τι βραχύτατον. *Tempus aliud alii opportunum negotio: ad baptismi verò salutem quodlibet tempus accommodum est; sive dies sit, sive nox; sive hora, sive quodcunque temporis momentum, etiam minutissimum.* Itaque Chrysostomus homil. 1 in Acta, eos, qui baptismum in Quadragesimæ, sive Paschatis tempus, differrent, hunc in modum compellat: Ἀλλὰ σὺ τὸν καιρὸν ἀναμένεις τῆς τεσσαρακοστῆς. τίνος ἕνεκεν; μὴ γὰρ ἔχει τι πλέον ἐκεῖνος ὁ καιρός; Οἱ γοῦν Ἀπόστολοι οὐκ ἐν τῷ πάσχα κατηξιώθησαν τῆς χάριτος, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ καιρῷ· καὶ οἱ τρισχίλιοι, καὶ οἱ πεντακισχίλιοι, ὅτε ἐβαπτίζοντο, πάσχα οὐκ ἦν καιρός. *Sed tempus opportunum exspectas Quadragesima. Quamobrem verò? Numquid enim amplius habet illud tempus? Ipsi Apostoli non in Paschate donati sunt hac gratiâ; sed alio tempore. Præterea cùm baptizarentur tria millia, & quinque millia, non erat Pascha tempus.* Etiam Tertullianus, cùm libro de baptismo dixisset, Paschate, & Pentecoste, sollemniùs baptismum administrari, posteà subjungit: *Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo.* Sed illustre imprimis testimonium Hilarii diaconi, sive quisquis scriptor est commentariorum in epist. Pauli, qui inter Ambrosiana leguntur. En verba: *Postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constituta, & officia ordinata, aliter composita res est, quàm cœperat. Primùm enim omnes docebant, & omnes baptizabant,* QUIBUSCUNQUE DIEBUS, VEL TEMPORIBUS, *fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsivit, aut diem, quo Eunuchum baptizaret; neque jejunium interposuit. Neque Paulus, & Silas, tempus distulerunt, quo optionem carceris baptizarent, cum omnibus ejus. Neque Petrus diaconos habuit, aut diem quæsivit, quando Cornelium, cum omni domo ejus, baptizavit; nec ipse, sed jussit fratribus, qui cum illo erant ad Cornelium ab Ioppe. Adhuc enim, præter* VII *diaconos, nullus fuerat ordinatus. Ut ergo cresceret plebs, & multiplicaretur; omnibus inter initia concessum est, & evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare. Ubi autem omnia loca circumplexa est Ecclesia; conventicula constituta sunt, & rectores, & cætera officia in Ecclesia ordinata sunt, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret sibi non esse creditum; & cœpit alio ordine, & providentiâ, gubernari Ecclesia; quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res, & vilissima videretur. Hinc ergo est, unde nunc neque diaconi in populo prædicant; neque clerici, vel laici baptizant; neque* QUOCUNQUE DIE *credentes tinguntur, nisi ægri. Ideo non per omnia conveniunt scripta Apostoli, ordinationi, quæ nunc est in Ecclesia; quia hæc inter primordia sunt scripta.*

c *Tom.* 1. *pag.* 476. *edit. Paris. an.* 1618.

a *Saviliana, sive Etonensis editionis Tom.* 4. *pag.* 615.

F I N I S.

DISPU-

DISPUTATIO XVII.

DE

BAPTISMO;

SIVE PRIMA

DE ANABAPTISMO.

Thesis I.

Expendimus, de Baptismi tempore, partem priorem: quæ disquirit, quando quis baptizandus sit. Sequitur altera, de eo, quoties sit aliquis baptizandus. De quo nobis controversia est cum Anabaptistis. Hi enim iterant baptismum: quem iterandum non esse, semper Ecclesiæ judicium fuit. Interea, cur iterari non deberet, haut satis convênit inter doctores. Bellarminus quidem *a*, cur Eucharistia magis, quàm baptismus, repeti possit, aliam posse adserri caussam negat, quàm, quòd uti in circumcisione carni imprimebatur character: itidem in baptismo indelebilis character animæ imprimatur. Ac præit ei hac parte Concilium Tridentinum *b*; quando ait; *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima; hoc est, signum quoddam spiritale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

a Lib. 2. de sacram. cap. 22.

b Sess. 7. de sacramentis in genere can. 9.

II.

Imò etiam Augustinus ab charactere istiusmodi caussam arcessere videtur, lib. II. contra epist. Parmen. cap. XIII: ubi de privato agens, quem militari notâ signavit, sive desertor, sive qui nunquam militavit, in hunc modum scribit: *Si forte militiæ characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusâ, & impetratâ jam veniâ, militare cœperit: nunquid homine liberato, atque correcto, character ille repetitur, ac non potiùs agnitus approbatur? An forte minùs hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota; cum videamus, nec apostatas carere baptismate; quibus utique per pœnitentiam redeuntibus, non restituitur, & ideo omitti non posse, judicatur?* Postrema verba etiam citat Gratianus *c*. Sed nihil ea Pontificios juvant. Nec enim similitudo hæc ulteriùs extendi debet, quàm quòd, uti in desertore, jam olim signato notâ militari, si, veniâ ab Imperatore impetratâ, militare iterum sub veteri domino cœperit, non repetitur militiæ character: similiter nec repeti debeat baptismus; qui est character militiæ Christianæ. Unde minimè consequitur, reale aliquid imprimi animæ, quod etiam maneat in desertore: quandò, ut dici solet, figurativa non est argumentativa.

c De Consecr. dist. 4. cap. nullus autem.

III.

Idem Bellarminus, ad characterem hunc probandum, testes laudat Dionysium Areopagitam Hierarch. Eccles. cap. II, part. I, Cyrillum Hierosl. Catech. IV, & XVII, Basil. orat. XII, quæ est exhortat. ad bapt. Nazianzenum orat. in sanctum lavacrum, Ambrosium lib. I. de Spiritu Sancto, item de iis, qui initiantur mysteriis cap. VII, Epiphanium hæres. VIII, quæ est Epicureorum, Chrysostomum homil. II, & XIV. in epist. ad Eph. Augustinum lib. VI de baptismo cap. I, atque alibi. Sed Patres isti nihil aliud dicunt, quàm promissionem Euangelii in Sacramento nobis obsignari. Quod nostram magis caussam juvat, quàm adversarii: quippe qui neget sacramentis nobis gratiam obsignari; ac reformatæ Ecclesiæ doctores eo nomine damnet, quòd illa appellent sigilla; quasi id non faciant exemplo Pauli, qui *σημεῖον περιτομῆς* vocat *a σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως.* *a Rom. 4. 11.*

IV.

Et longè etiam minùs præsidii pro charactere idem invenit in Scripturis. Citat ille quidem Apostolicum illud II. Cor. I. 20, 21; *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et Ephes. I. 13. 14: *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto; qui est pignus hæreditatis.* Et Eph. IV. 30: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei; in quo signati estis in diem redemtionis.* Sed clarum est, loqui Apostolum, non de characteris commento; sed arrhabone Spiritus, quo velut sigillo obsignatur fides in spem gloriosæ resurrectionis, & hæreditatis cœlestis. Quod si internam hanc Christi gratiam *τῷ μεταφορικῷ characteris* nomine lubet insignire: non repugnamus; sed dicimus, hujusmodi characterem non tantùm in baptismo imprimi; sed etiam in cœna: quod de fictitio suo charactere negant Pontificii.

V.

Ex his liquet, Pontificios ficulno niti præsidio; quando ex characteris commento concludunt, baptismum iterari non debere. Deinceps videamus, quibus idem argumentis probent antiquiores, & juniorum plerique. Primùm illa adferemus, quæ, ut probabiliter aliquid concludant, nihil tamen solidè evincunt. Cujusmodi est, quòd baptizemur in Christi mortem: Christus autem semel tantùm sit mortuus. Pugnat eo argumento Basilius de Spiritu S. cap. XV: *Ἓν οἴδαμεν τὸ σωτήριον βάπτισμα, ἐπειδὰν εἷς ἐστιν ὁ ὑπὲρ τοῦ κόσμου θάνατος, καὶ μία ἡ ἐκ νεκρῶν ἐξανάστασις, ὧν τύπος ἐστὶ τὸ βάπτισμα. Unum novimus salutiferum baptisma; quandoquidem una est pro mundo mors, & una ex mortuis resurrectio; quarum figura est baptismus.* Augustinus, vel alius potiùs, de verâ & falsâ pœnit. cap. III: *Sicut semel Christus crucifixus est; sic baptismus iterandus non est. Unâ enim morte suâ omnes redemit, ut amplius mori non oporteat: quod videns Ecclesia, intellexit, non iterandum baptisma.* Isidorus lib. II. de offic. Eccles. cap. XXIV: *Semel autem nos oportet in Christo lavari; quia Christus semel pro nobis mortuus est. Si enim unus Deus, & fides una est; necessarium est, ut & unum baptisma sit: quia & Christi mors una pro nobis est; in cujus imagine mergimur, per* myste-

mysterium sacri fontis, ut consepeliamur Christo, morientes huic mundo, & ab iisdem aquis, quibus in forma resurrectionis ejus emergimus per mysterium, non reversuri ad corruptionem; sicut & ille minimè revertitur ad mortem. Damascenus lib. IV. Orthod. fid. cap. X: Ὥσπερ ἅπαξ ἐτελέσθη ὁ τοῦ Κυρίου θάνατος, οὕτως καὶ ἅπαξ δεῖ βαπτίζεσθαι. *Quemadmodum semel completa est Domini mors, sic semel oportet baptizari.* Unde & concludit, repetitionem baptismi, ritè collati, esse ἀνασταυροῦν Χριστόν.

VI.

Sed hæc ratio parum firma est, quia, quod semel factum est, potest sæpius repræsentari: quomodo sæpius repetitur sacramentum Eucharistiæ, quod fit in recordationem mortis Dominicæ *a*.

a 1 Cor. 11. 24. 25, 26.

VII.

Idem veteres probare conantur, ea verbis istis Christi *b*; *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus.* Unde ita colligunt; cùm per baptismum loti simus à peccatis; non opus esse, ut iterum per baptismum à peccatis abluamur: sed satis esse, si pedes laventur; hoc est, si à concupiscentia, & vitiosis affectibus mundemur. Optatus Milevitanus lib. IV *c*: *Christus dicit in Evangelio: Qui semel lotus est, non habet necessitatem lavandi. Tu rebaptizando iterum lavas. Non est* (hoc) *contemnere disciplinam?* Atque eodem modo argumentatur libro quinto *d*. Similiter quoque Augustinus lib. II. de baptismo contra Donatistas c. XIV: *Quid sit perniciosius, utrum omnino non baptizari, an rebaptizari, judicare difficile est. Invenio de utraque re Domini sententiam. Nam & Petro dixit; Qui lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi. Et Nicodemo; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* Similiter idem serm. XXVIII. ad fratres, & tractatu LVII. in Joan. Item Fulgentius de fide ad Petrum cap. XXXVI: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, Sacramentum baptismatis non solum intra Ecclesiam Catholicam; sed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, baptizantur, esse posse,* &c. *Ideo baptisma, etsi ab hæreticis fuerit administratum, modò in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. fuerit datum, venerabiliter agnoscendum; & ob hoc nullatenus iterandum esse. Salvator enim dicit: Qui semel lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Eopse modo Christi verba interpretantur, scriptor libri de cardinalibus Christi operibus Cypriano tributi, serm. de ablutione pedum, item de cœna; Pacianus epist. I. contra Novatianos, Ambrosius lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. VI, Gregorius lib. IX. registri cap. XXXIX, Beda in Joan. cap. XIII, & Bernardus serm. de cœna Domini.

b Joan. 13. 10.

c Pag. 110. edit. Commelin.

d Pag. 140. & 142. ejusdem editionis.

VIII.

Sed neque hæc ratio firma est; quia etiam multi, postquam baptismo sunt abluti, denuo se polluunt peccatis, iisque enormibus, inque iis permanent immersi: quales saltem prorsus esse immundos, fatendum; eòque, si pœnitentia seriâ ducantur, videri possint imperitis denuo baptizandi. Nam iterum immundos non esse iterum baptizandos, nullis fidiculis ex istis quidem Christi verbis extorquebitur. Et quid dicemus de liberis Christianorum post baptismum à Turcis, vel gentilibus, captis; inque fide illâ perfidâ eductis?

IX.

Adhæc pugnant veteres verbis divini scriptoris ad Hebr. VI. 4: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam.* Ubi, quod Græcè est φωτισθέντας, sive *illuminati*, hoc Syrus vertit *baptizati*. Et Justinus Martyr Apolog. II, atque alii, baptisma vocant φωτισμόν. Itaque omnes penè veteres hinc probant, baptismum non posse iterari. Ut Ambrosius lib. II. de pœnitentia cap. II. Epiphanius hæresi LIX, quæ est contra Catharos, Hieronymus lib. II. contra Jovinianum, Augustinus in inchoatione comment. in epist. ad Rom. Cyrillus lib. V. in Joan. cap. XVII. Damascenus lib. IV. de fide cap. X: item ad hunc locum, Chrysostomus, Theodoretus, Primasius, Sedulius, Haimo, Theophylactus, Oecumenius.

X.

Sed interpretatio ista huic loco non satis convenit. Rectiùs Anselmus, Lyranus, Hugo, alii; qui verba ista intelligunt de blasphemia in Spiritum S. quæ non remittetur in hoc seculo, neque in futuro; ut Christus ait Matth. XII, 32: sive de peccato ad mortem; pro quo rogari non vult Joannes prioris epist. cap. V, 16: sive de δυσφημίᾳ à tota religione Christianâ; quæ etsi non dicatur *blasphemia* in Spiritum S. est tamen *peccatum* in Spiritum S. ut pluribus ostensum nobis disputatione *de peccato in Spiritum S.*

XI.

Præterea dogma hoc probari censent eo, quòd Ephes. IV. dicitur *unum baptisma.* Est hæc sententia Cyrilli Hierosolymitani præfat. catechet. *a* nec non Leonis Papæ; ut liquet ex Grat. Decret. de Consecr. dist. IV. can. *Non licet.* Item Thomæ in IV. sent. dist. III. Communem autem fuisse hanc opinionem, indicat Venerabilis Hugo lib. II. de Sacramentis part. VI, cap XIII: *Apostolus dicit, Una fides, unum baptisma. Hac enim autoritate universi utuntur. Quod ergo unum est, geminari non potest. Quapropter valde rationabili definitione à sanctis Patribus institutum est, ut qui semel sacramentum baptismi percepisse cognoscitur, nullâ ratione illud iterato accipiat; sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam: hoc est, sive à Catholico, sive ab hæretico, fuerit baptizatus.* Clarè indicat, non videri sibi divinum, sed Sanctorum Patrum institutum; tale tamen, quod admodum probabiliter ex dictis Apostoli verbis elici possit.

a Pag. 8. & 9. edit. Morell. Græcolat.

XII.

Sed sanè argumentum hoc quoque planè est infirmum. Nam cùm *unum* baptisma dicitur, intelligitur unum non numero, sed specie: sive *unum* idem valet, quod commune omnibus: quia non respicitur unitas usurpationis; sed unitas partium substantialium; aquæ scilicet, & verbi. Adde quod etiam 1 Cor. X. 17. *unus panis* dicitur; nec inde tamen consequitur, Eucharistiæ sacramentum repeti non debere. Imò de unitate baptismi agens Apostolus ad Ephes. IV. addit, *una fides*: nec tamen hoc impedit, quò minùs repeti & possit, & debeat fidei confessio.

XIII.

Vera autem ratio, cur baptismus non sit iterandus, est voluntas divina; ut rectè docet Scotus *b*, & Gabriel Biel. Esse verò hanc Dei voluntatem, quadruplici indicio cognoscimus. Primùm, quia nec in loco proprio, ubi baptismus instituitur à Christo; nec alibi usquam, iterare baptismum jubemur. Quod de Cœna dici non potest; cùm de ea legamus 1 Cor. XI. 25: *Hoc facite,* QUOTIESCUNQUE *biberitis, in mei recordationem.* Respondet Bellarminus, *posse responderi, quod respondit Lutherus Carolostadio in lib. contra cælestes prophetas, de nomine sacramenti, non esse quidem scriptum, ut baptismus repetatur; sed neque esse scriptum, ut non repetatur. Et quod Augustinus lib. VII. de Trinit. cap. IV. dicit de nomine trium personarum: Dicimus in Deo tres personas, non quia Scriptura dicit; sed quia non contradicit.* At profectò nimium quantum inter hæc, & istud, interest. Nam etsi *sacramenti*, & *personarum*, vocabula, Scripturis non con-

b D. 6. q. 7.

contineantur; res tamen, quæ iis vocabulis signatur, sacris literis docetur. At hoc de iteratione baptismi dici non potest.

XIV.

Idem inde cognoscimus, quòd cùm tot baptizatorum exempla in Scripturis legamus (ut Actor. II, 38; VIII, 12, 13, 38; IX, 18; X, 48; XVI, 15; XVIII, 8; & I Cor. I, 14, 15, 16.) tamen nullum rebaptizatum fuisse legimus. Imò Corinthios, & Galatas lapsos, non iterum baptizatos, vel baptizandos, esse ait Apostolus; sed revocat eos ad promissionem, & consolationem baptismi priùs suscepti. I Cor. VI, 11; XII, 13; & Gal. III, 27. Idem facit Joannes in Apocalypsi. Quo argumento pugnat B. Hieronymus adversus Luciferianos *a*: ubi, cùm varios enumerâsset hæreticos, postea subjungit: *Quorum plurimi, vivente adhuc Joanne Apostolo, eruperunt: & tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.* Pluraque ibidem in hanc mentem invenias. Ubi illud: *Nunquid dixit Joannes, rebaptizentur, qui in Nicolaitarum fide baptizati sunt?* Objicit Bellarminus, quòd, Act. XIX, *Paulus jussit baptizari eos, qui fuerant à Joanne Baptistâ baptizati.* Quod etsi concederemus, caussam ejus non juvaret; quia Joannis, & Christi, baptismum non solùm differre dicit *b* significationis, & efficaciæ gradu; sed substantiâ ipsâ. Nunc autem de eo, quod sibi sumit, certant recentiores Theologi, & adhuc sub judice lis est: ut dictum fuit disputatione de Baptismo Joannis.

a Pag. 145. edit. Froben.

b Lib. I. de baptis. cap. 20.

XV.

Præterea argumento est, quòd circumcisio non repetebatur; sed Pascha: circumcisioni autem successit baptismus; uti paschalis agni esui Sacra Cœna. Nec obstat, quòd Circumcisionis ea sit natura, ut repeti non possit; Baptismus possit. Sufficere enim debet, quòd Dei fuerit voluntas, ut Judaicum initiationis Sacramentum nunquam repeteretur: quippe qui illud voluerit ejusmodi esse, ut neque natura hoc sineret iterari. Porrò in hac Circumcisionis, & Baptismi non iterandi similitudine, video convenisse olim Catholicos, & Donatistas. Sic enim scribit Optatus lib. I. *c*: *Quid magis dici pro nobis, & nostrum esse potest; quàm quod dixisti, in comparationem baptismatis semel factum esse diluvium? Et singularem circumcisionem salubriter profecisse populo Judæorum, magis pro nobis, quasi noster locutus es.* Unde liquet, etiam Donatistas (nam Donatistæ Parmeniani verba sunt, quæ citat Optatus) singularem baptismum docuisse: rebaptizâsse interim, quia baptismum Catholicorum non haberent pro Sacramento. Itaque mox subjicit Optatus *d*: *Audacter, &, quod contra leges est, iteratis: quamvis & vos ipsi non negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum est fieri.* Atque idem argumentum repetit initio libri quincti *e*.

c Pag. 6. edit. Commel. Ubi & Londinensis Casaubonianæ.

d Pag. 7.

e Pag. 133.

XVI.

Denique idem ostendit historia Ecclesiæ. Nam hoc ipsum docent, Cyprianus epist. LXXIII, Ambros. lib. II. de Pœnit. cap. II, Hieronymus ad Ephes. cap. IV, Augustinus lib. I. contra Cresconium cap. XXVIII, atque alii innûmeri. Imò nullus doctor Catholicus hactenus fuit, qui dixerit baptismum ritè baptizati, repeti debere.

XVII.

Neque nescimus, Hemerobaptistas putâsse, salvari neminem, nisi quotidie (unde & ἡμεροβαπτισταὶ dicebantur) baptizarentur, & ita à peccatis mundarentur. Sed isti de Judæorum sectâ erant; ut cognoscimus ex Epiphanio, de Judæorum hæresi septimadecimâ.

XVIII.

Marcionitarum verò, qui baptismum iterari, & tertiari, posse dicebant, non est quòd ratio habeatur; cùm ab Ecclesia semper in hæreticorum numerum sint relati. Afferam de his locum Epiphanii contra Marcionistas hæres. XLII *a*: Ἐπειδὰν φθείρας ἐν τῇ ἑαυτοῦ πόλει τὴν παρθένον, καὶ ἀποδράσας μὲν ἐν παραπτώματι μεγάλῳ εὑρέθη, ἐπενόησεν ὁ ἀγύρτης ἑαυτῷ δεύτερον λουτρὸν, φήσας ὅτι ἔξεστιν ἕως τριῶν λουτρῶν, τουτέστι τριῶν βαπτισμῶν, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν δίδοσθαι. ἵν' εἴ τις παραπέσοι εἰς τὸ πρῶτον, λάβῃ δεύτερον, μετανοήσας, καὶ τρίτον ὡσαύτως, ἐὰν ἐν παραπτώματι μετὰ τὸ δεύτερον γένηται. *Cùm* (Marcion) *corrupisset in civitate suâ virginem, & aufugisset; atque in magno delicto inventus esset: excogitavit præstigiator sibi ipsi secundum lavacrum, asserens, licere usque ad tria lavacra, hoc est, tres baptismos, dare in remissionem peccatorum. quò, siquis lapsus esset post primum, pœnitentiâ actâ, accipiat secundum; & tertium similiter, si in delicto post secundum comperiatur.* Quomodo verò hoc dogma suum probârit, ibidem Epiphanius subjungit. Nempe primum baptisma inde collegisse ait, quòd Christus baptizatus est à Joanne: alterum, tertiumque, exinde, quòd idem dixerit, βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ τί θέλω εἰ ἤδη τετέλεκα αὐτό. Item, ποτήριον ἔχω πιεῖν, καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη πληρώσω αὐτό. Uterque locus à Marcione è Pseudeuangelio videtur desumtus. Prior simile aliquid habet verbis Christi apud Luc. XII. 50: alter verbis ejus apud Matth. XX. 22, 23. Sed loquitur ibi Christus, non de aquæ baptismo; verùm sanguinis, hoc est, passione, & morte suâ.

a Pag. 304 edit. Paris. an. 1622.

XIX.

Solùm coloris aliquid habet; quòd Æthiopes, ut Osorius refert lib. IX de rebus Emanuelis, Epiphaniæ die annis singulis baptizentur. Sed neque ex eo colligere licet, illos initiationis sacramentum, sive regenerationis lavacrum, velle repetere. Neque enim arbitrantur, tum se iterare illud Sacramentum, quo semel Ecclesiæ sunt inserti: sed solùm celebrare ajunt μνημόσυνον baptismi; quo Christus eopse die baptizatus fuit. Quemadmodum & cùm circumcisionem conjungunt baptismo, ac utrumque tam in feminis, quàm maribus, usurpant (ut Damianus à Goez testatur) non id se facere profitentur necessitate circumcisionis: sed eam caussam prætexunt: quod notâ circumcisionis, tanquam per fidem Abrahæ filii, à nationibus incredulis discernantur.

XX.

Objiciunt aliqui, etiam Cyprianum, & coëpiscopos, anabaptismum defendisse. Sed falluntur. Nam omnes isti fassi fuere, neminem ritè baptizatum iterum baptizare fas esse. Solùm controversia fuit, de veritate, & efficaciâ, baptismi, quem hæretici contulissent. Nam quia isti sunt extra Ecclesiam; nec nisi in Ecclesia est remissio peccatorum, sanctificatio, & promissio vitæ æternæ: eò baptismum illorum pro nuda ceremonia; imò non tam pro sacramento, quàm pollutione sacramenti, habebant. De quo pleniùs in Historia ejus temporis disputatione proximâ dicetur.

XXI.

Abunde ex his liquet, Dei esse voluntatem, ut ne iteretur baptismus. Porrò voluntas Dei non potest esse irrationabilis: quod fateri etiam cogeremur, si rationem nescìremus. Nunc ea obscura non est; quod parebit considerantì proprium baptismi finem: qui est, ut signet & obsignet spiritualem nativitatem nostram; sive insitionem in Christum, & receptionem in familiam ejus. Hoc in altero sacramento, quod est S. Cœna, locum non habet; quia hæc est signum, ac sigillum, non

rege-

regenerationis; sed nutritionis, ac alimoniæ spiritualis; non fœderis initi, sed continuati. Nempe ut carnalis generatio semel fit; sed cibum sæpe necesse habemus sumere ad corpus nutriendum: ita semel per Baptismum renascimur; sed sæpe per Cœnam nutrimur. Utuntur hoc argumento, non solùm Thomas, & Scholastici; sed etiam Augustinus tract. XI. in Joan. *Rectè intellexit Nicodemus nativitatem carnis. Sic & tu intellige nativitatem spiritus*, &c. *Quomodo uterus non potest repeti; sic nec baptismus.* Et tract. XII. in Joan. *Regeneratio spiritualis una est; sicut generatio carnalis una est.*

XXII.

Utrùm verò hæc ratio sit necessaria ex natura rei, ita ut propter eam non potuerit Deus aliter velle, aut instituere; quod Scotus *a* putabat: an verò absolutè aliter potuerit; sed ratio ea congruenter applicetur ad institutum de non iterando baptismo; quod Gabriel, & alii, maluerunt: hoc, quia non pertinet ad Ecclesiæ dogmata, Scholasticis disceptandum relinquimus.

a D. 3. qu. unica art. 9.

XXIII.

Adversus ea, quæ diximus, objiciunt aliqui, si baptismus sigillum sit fœderis initi; saltem rebaptizari eos debere, qui, peccatis conscientiam vastantibus, Christo, & ejus fœderi, renunciârunt. Sed sponte hæc corruunt, si attendamus naturam fœderis, quod in baptismo obsignatur. Nam uti olim in circumcisione, ita nunc in baptismo, Deus quidem promittit gratiam, & vitam æternam; homo autem fidem, & obedientiam, pollicetur. Quòd si à pacto resiliat homo; amittit ille quidem jus postulandi vitam æternam: at, qui semper pacto stat, Deus, non perdit jus suum in hominem. Atqui baptismus additur fœderi ex parte Dei. Si igitur non ex parte Dei, sed hominis, rumpitur fœdus; nihil attinet repeti, quod ex parte Dei obsignabat: sed duntaxat opus est, ut homo per pœnitentiam redeat ad Deum; quò percipiat fœderis in baptismo initi fructum. Nempe hic res se habet, uti in matrimonio. Quemadmodum enim maritus, si uxorem adulteram retinere volet, non eam novo sibi copulat matrimonio; sed ad prius revocat fœdus: similiter Deus spiritualiter fornicantes, ad conjugii spiritualis semel initi fœdus redire iterum jubet.

XXIV.

Scrupulum etiam injicere de istis conantur, qui, fidem simulantes, baptismum perceperint. Nam quia baptismus talibus non fuit fœderis sigillum; eò existimare aliquis possit, baptizari iterum tales debere, ubi, hypocrisi exutâ, fideles esse cœperint. Sed hic etiam in considerationem venit, quòd defectus fuerit ex parte hominis, non Dei; qui nulli baptizato, non ponenti obicem per peccatum, gratiam negat salutarem. Quare de his ita statuimus; ubi, positâ hypocrisi, credere incipiunt, priorem baptismum, qui antea inanis erat ceremonia, atque adeò profanatio sacramenti, fieri sigillum ejus fœderis, quod Deus init cum credentibus.

XXV.

Quæcunque verò hactenus adversus iterationem baptismi, vel è Sacra Scriptura adduximus; vel rationibus Scripturæ consentaneis collegimus; ea ab antiquis etiam confirmari solent miraculo; quod contigit, cùm Judæus, pecuniæ corradendæ causâ, non ab Arrianis modò, sed etiam ab Attico Constantinopolitano, Episcopo Catholico, baptizatus, iterum se baptizandum offerret Paullo Constantinopolitano, Episcopo Novatiano, Chrysanthii successori. Nam, Judæo in baptisterii fontem deducto, aqua ad baptismum præparata subitò fuit absorpta. Quin idem & secundò contigit. Res nota è Socratis Histor. Eccles. lib. VII cap. XVII.

FINIS.

DISPUTATIO XVIII

DE

BAPTISMO;

SIVE SECUNDA

DE ANABAPTISMO;

Quæ Historica est

De Hæreticis rebaptizantibus Catholicos.

THESIS I.

Postquam vidimus, quid, Scripturâ duce, de anabaptismo sit censendum; animus est narrare historiam veteris Ecclesiæ hâc controversiâ vexata. Sunt, qui initia Anabaptismi arcessant à Judæis; non quidem ab Hemerobaptistis; de quibus disputatione XVI, thes. XVII, vidimus; sed iis, qui Cœlicolæ vocarentur. Pugnant verò argumento valide, ut censeo, infirmo. Eòque non altius originem repetam, quàm ab iis, qui Christiani vel erant, vel habebantur.

Aliud scio, visum doctissimo Parisiensi Theologo, Joanni Filesaco, lib. I Selectorum cap. XII. Prora, & puppis,

puppis, ei sunt verba hæc B. Augustini epist. CLXIII, quæ est ad Eleusium, & alios: *Jam enim miseramus ad Majorem Cælicolarum; quem audieramus novi apud eos* (Donatistas) *baptismi institutorem extitisse, & multos illo sacrilegio seduxisse.* Ubi Cælicolas esse Judæos, vel Samaritanos, colligit, partim ex titulo nonisque Codicis, *De Judæis, & Cælicolis*: partim ex his Juvenalis verbis sat. XIV:

Quidam sortiti metuentem sabbatha patrem,
Nil præter nubes, & cæli lumen, adorant.

Sic enim legi debere, ubi vulgò est *cæli numen*, observârunt Auratus, & Dura filius. Verùm non video, quomodo, qui Major, ac præses esset Judæorum, is Donatistis, qui Christiani erant, licet schismatici, potuerit accenseri; ac tantæ quidem fuerit auctoritatis, ut novum inter eos induceret baptismum. Quare, missis Cælicolis, quorum obscura est secta, nec alibi, quàm Augustino, & in Codice Theodosii, ac Justiniani, memorata, non altiùs, ut dixi, anabaptismi originem repetam, quàm ab iis, qui Christiani, vel fuere, vel haberi voluerunt.

De Marcionitis tamen nihil dicam; qui suos etiam secundò, tertióque, tingebant. Quam rem abunde exposui disputat. præcedenti, thesi XVIII.

II.

Solùm igitur loquar de hæreticis, & schismaticis; qui à Catholicis ad se venientes rebaptizarent. Deinde agam de tingentibus omnes promiscuè, ac, hæreticis desertis, se jungentibus Catholicis. Postremò narrabo de Catholicis; qui, hæreticorum facientes discrimen, alios eorum denuo baptizârint, alios non item.

Nam & Catholici, & hæretici, denuo baptizabant; & neutri tamen id agnoscebant. Cujus caussa erat, quòd utrique negarent verum esse baptismum extra Ecclesiam: ac ut Catholici hæreticos, sic hæretici Catholicos, pro hæreticis haberent: unde fiebat, ut neutri se rebaptizare faterentur, quia utrisque prior baptismus non fuerit baptismus. Hinc Cyrillus Hierosol. præfat. in Catech. a Μόνοι γὰρ οἱ αἱρετικοὶ ἀναβαπτίζονται, ἐπειδὴ τὸ πρότερον οὐκ ἦν βάπτισμα. *Nam soli hæretici rebaptizantur: siquidem prius illud non erat baptisma.* Nec aliter loquebantur hæretici, qui à Catholicis venientes tingerent. Ut propriè omnis in eo fuerit controversia, utrorum tinctio verus foret baptismus.

a Pag 8. & 9. edit. Morell. an. 1608.

III.

Ordior ab hæreticis, vel saltem schismaticis, quorum primi à Catholicis baptizatos iterum tinxere Novatiani.

Aliqui tamen Montanistas præivisse ad hunc errorem ajunt: ac Philastrium laudant auctorem. Sed non ille rebaptizare eos ait; verùm mortuos baptizare. Novatianis nomen est à Novatiano. Nempe ut ab ἀμφίβολος, & λόγος, esset ἀμφιβολολογία; sed quia vox ea foret ingrata auribus, extritâ syllabâ, dicta ἀμφιβολογία; similiter à *Novatianus* esset *Novatianianus*: sed quia nomen esset durum, nec aurium voluptati morigerum; eò dicimus *Novatianus*; sive, ut Cyprianus maluit, *Novatianensis*. At plerique Græcorum falluntur: qui, Novatum, & Novatianum, confundentes, Novatianos à Novato dictos arbitrantur: quamquam Novati etiam in Novatiano schismate non minimæ fuerint partes. Is Novatus erat presbyter Cypriani; sive, ut juniores aliqui malunt, episcopus Afer; homo schismaticus, multisque vitiis coopertus; imò usque adeò improbus, ut patrem etiam fineret inediâ mori, nec defunctum sepulturâ dignaretur; uxorisque quoque gravidæ uterum percussetit, &, abortione propetante, partum in parricidium expresserit. Propter hæc, aliaque id genus complura, urgebant fratres Afri, ut hoc propudium hominis presbyterio privaretur, atque etiam excommunicaretur. Et jam imminebat dies, quâ caussa Novati cognosceretur: cùm ecce Decianæ persecutionis, quam septimam vocant, sævissima oritur tempestas. Ita contigit, ut fratres non possent convenire; ac Novato daretur occasio, discessione voluntariâ præveniendi judicium sacerdotum. Romam igitur se contulit: ubi in Novatianum presbyterum incidit, malè jam antè, ambitione nimiâ, animatum erga Cornelium, Urbis episcopum; quem vehementiùs contra eum concitavit. Etiam fictis criminibus Confessorum animos abalienavit à Cornelio; inque cunctarum amore eos Novatiani accendit. Ac ejusmodi artibus effecit, ut à tribus episcopis, fraude seductis, adversus Cornelium Urbis episcopus, & quasi Antipapa, crearetur. Porrò idem Novatus in Africa etiam Felicissimum diaconum fecit. Qui & ipse magnas dedit turbas. Nec tamen idem Felicissimi, ac Novatiani, error fuit. Felicissimus omnes eos, qui, post lapsum, à martyribus, ac confessoribus (*martyres* etiam vocabantur, qui tormenta aspera pro veritate erant perpessi, utcunque sanguinem pro ea non fudissent) quotquot, inquam, ab iis è carcere impetrassent veniæ libellos; hos sine pœnitentiæ morâ continuò recipiendos ajebat: nec discrimen faciebat inter lapsos: utrùm libellatici forent; an verò sacrificati, thurificati, vel idololatræ: in quæ duo genera lapsi distinguebantur. Posterius hoc genus eorum fuit, qui sacrificâssent Diis, vel thus obtulissent, vel quomodocunque cultum præstitissent idolis. *Libellatici* verò, ne cogerentur idola publicè venerari, securitatis libellum à magistratu pretio sibi comparârant: sive libellus is tum demum dari solet, ubi quis, vel ipse, vel per alium, priùs abnegâsset Christum; quæ Baronii sententia est: sive, ut receptior fert opinio, nullâ fuerit abnegatione opus: sed solùm libello, quem pretio emebant à præfectis pecuniæ avidis: cujusmodi libellos quoque damnaverat Tertullianus; sed jam Montanista. Cæterum Felicissimo etiam hærebant quinque presbyteri: quorum unus, nomine Fortunatus, adversus Cyprianum Carthaginensis episcopus fuit constitutus. Hi varia in Cypriano culpabant. Primùm illud, quod non esset episcopus promulgatus à primate; qui tum erat Secundus Tegestarius: quasi non sufficeret, quòd à vicinis hoc factum esset episcopis. Præterea hoc ei vitio vertebant, quòd cùm se in Circo, & Amphitheatro, ad leonem sæpius omnium voce posci intelligeret, relictâ Ecclesiâ suâ, ad tempus se subduxerit. Ad hæc eo se offendi ajebant, quòd tam parvo loco haberet martyres, & confessores; ut lapsos, postquam ab iis veniæ libellum accepissent, non continuò ad sacra admitteret; sed priùs diceret eos esse Ecclesiæ reconciliandos; ac propterea hanc rem differret in id tempus, quo pax Ecclesiæ redderetur.

Ex quibus non obscurè cognoscimus, cujusmodi fuerit controversia inter Felicissimum, & Cyprianum. Nempe Felicissimus contendebat, lapsos continuò esse recipiendos, dummodo libellum à martyribus, & confessoribus, offerrent. Cyprianus autem ajebat, id adversari disciplinæ Ecclesiasticæ: quo non mediocriter offendit, tum Confessores; imprimis Lucianum: tum lapsos; qui iccirco Felicissimo adhærebant, cumque eo in monte communicabant: unde *Montenses* appellati.

Postquam ostendi, quæ controversia fuerit inter Felicissimum, & Cyprianum, nunc, in quo discordes fuerint Cyprianus, & Novatianus, exponam. Novatianus lapsos, non dico ad communionem, sed ne ad pœnitentiam quidem, recipiendos putabat. Cornelium verò, urbis episcopum, ac Catholicos omnes, ajebat esse immundos; quia cum lapsis communicarent. Suos contrà nuncupabat καθαρούς, sive mundos: ut qui neque lapsis, neque

neque communione cum lapsis, sese polluissent. Portò Novatiani eò usque se abripi sivere, ut Ecclesiam, à qua desciverant, non ultrà pro vera haberent Ecclesia; nec in ea baptizatos putarent verè baptizatos; ac propterea inde venientes denuo tingerent: in quo huic fundamento insistebant, ab Africanis Patribus recepto, Conciliis etiam postea firmato, baptismum extra Ecclesiam esse ceremoniam inanem, ac pollutionem potiùs Sacramenti, quàm verum Sacramentum; quemadmodum ex iis liquet, quæ superiùs adduximus. Quamquam verò Cyprianus, & Africani Patres, non minùs tingerent, qui à Novatiano ad se venirent; quàm Novatianus lavacrum iteraret in illis, qui à Cypriano deficerent: intervallo tamen non exiguo dissidebant. Siquidem Cyprianus à Catholicis illis, qui negarent, baptismum repeti debere, sic abibat; ut, quamquam eos crederet errare, errori tamen ignosceret; proque Ecclesiæ filiis agnosceret ab hæreticis baptizatos; ac propterea nollet se ab iis separare, quibus aliud videretur; sed fraternam cum iis coleret societatem. Itaque non ab Hieronymo duntaxat; sed Afro etiam Augustino, reprehendi quidem videas errorem Cypriani: sed sic, ut laudent concordiæ amorem, quo operiit peccatum. Novatianus verò refugiebat communionem cum iis, à quibus dissentiret; eoque, deficiendo ab Ecclesia, fiebat schismaticus. Vide Hieronymum contra Luciferianos, & Augustinum contra Donatistas. Atque hæc dicta sunto de schismate Novatiani.

IV.

Recrudnit postea hac quæstio schismate Donatistarum; qui & ipsi rebaptizabant.

Ut docet Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, hæresi LXIX: *Audent etiam* (Donatistæ) *rebaptizare Catholicos, ubi se amplius hæreticos esse firmârunt; cùm Ecclesiæ Catholicæ universæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere.* Ubi, quod de hæreticis ait, indefinitè, non universè, est intelligendum; quandò ex iis, quæ deinceps afferam, satis liquebit, excipi debere Samosatenianos, quos *Paulianistas* dixere.

Exortum verò Donatistarum schisma fuit anno Christi trecentesimo secundo; & seculo, ac ampliùs, duravit.

Occasio schismatis fuit hujuscemodi.

Anno Christi trecentesimo secundo, qui Diocletiani erat undevigesimus, ab Diocletiano, & Maximiano, imperatoribus, toto imperio sancitum hoc edicto fuit; ut Christiani adigerentur ad immolandum Diis, & tradendos Sacræ Scripturæ libros, iique flammis absumerentur. Nec unquam magis orbis Romanus sanguine perfusus fuit, quàm persecutione illâ omnium gravissimâ: quam decimam appellant. Sed neque pauci erant, qui, tormentorum metu, sacros traderent codices; unde vulgò appellati *traditores.* Hanc codicum traditionem XL annis post martyrium Cypriani contigisse, ait Augustinus lib. VII. de Baptism. cap. VII. Anno autem proximo, qui erat CCCIII, Cirtæ in Numidia convenerunt episcopi, ut, defuncto Cirtensi episcopo, alterum sufficerent: ubi & cognita eorum est caussa, qui, ex Imperatorum edicto, vel sacros tradidissent codices, vel turificassent. Sed eo in Concilio traditores, quales penè erant universi, sibi mutuò ignoverunt. Sequenti anno, hoc est CCCIV, Diocletianus quidem Nicomediæ, Maximianus verò Mediolani, se imperio abdicàrunt: ac Diocletiano in Oriente Galerius, hostis Christianorum infestissimus; Maximiano verò in Occidente successit Constantius Chlorus: sub quo persecutio in Occidentales non quidem penitùs cessavit, sed multùm tamen remisit. Anno proximo, sive CCCVI, Eboraci in Britannia mortuus est Constantius Chlorus, præsente filio Constantino; qui patri successit. Sed Maxentius, Maximiani gener, indignum ratus, præferri sibi Constantinum, cùm Romæ sciret ingentem esse Christianorum numerum, qui Constantino faverent, Christianum se simulavit; bene etiam de iis merebatur, quò faciliùs sic imperium occuparet. Ita (ut Optati verbis utar) *tempestas persecutionis peracta, & definita est, jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, libertas est restituta.* Quamquam Eusebius jam biennio antè Ecclesias Africanas à persecutione immunes fuisse ait, abdicatione Maximiani; cui, ut diximus, Constantius Chlorus successerat. Pace igitur Ecclesiis redditâ, anno hoc sexto supra trecentesimum, Carthaginem convenerunt Episcopi; ut in locum Mensurii defuncti constituerent episcopum Cæcilianum, diaconum antea Carthaginensem. Ea res pessimè habuit, partim Botrum, & Cælesium, qui episcopatum ambierant; partim Lucillam, præpotentem feminam, & mirè pecuniis affluentem: quæ, ante Eucharistiam, os martyris libare dicebatur; eoque nomine reprehensa à Cæciliano, castigationem ejus ferre non potuit. Male præterea illud habuit presbyteros, quòd ab iis reposceret Cæcilianus aurum, atque argentum, eorum fidei à Mensurio commissum: cujus indicem schedulam (*breve commonitorium* vocat Optatus) ab anicula, cui asservandam dederat Mensurius, acceperat Cæcilianus. Atque ita, (ut iterum Optati verba retineam) *schisma confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit.* Ab hisce confictum est crimen, quasi Cæcilianus foret vitio creatus. Scriptum igitur ad primatem Numidiæ Cæcilianum, ut Carthaginem Concilium indiceretur. Venit eò turba Traditorum; exceptaque non à Catholicis, sed qui partibus studerent adversis. Accusatus inde Cæcilianus, quòd vel Traditor foret, vel à Traditore esset constitutus: præterea quòd vetuisset diaconos cibum afferre martyribus carcere conclusis. Eo in Concilio Traditores, uti antè in Cirtensi Synodo, denuo sibi mutuò ignoscunt; ac Cæcilianum absentem, quasi accusasse foret satis, condemnare non verentur: alterumque adversus eum renunciant episcopum Majorinum, Lucillæ domesticum; qui in diaconio Cæciliani fuerat. Ita tum Carthagine altare contra altare est erectum. Ac *pars* ea *Majorini* dicta est: postea autem (teste Augustino epist. LXVIII.) eadem *Donatistarum* nomen accepit à Donato, qui Majorino successit; viro facundo, magnæque inter suos auctoritatis. Nisi potiùs id nomen fecit Donatus Numida à Casis Nigris, Lucillæ domesticus: quod postea scripsit Augustinus; atque, ut veriùs, etiam amplectitur Baronius. Mihi prior magis opinio probatur; partim quoniam ita sensit Optatus lib. III a; partim quia nec ostendi possit, Donatum à Casis Nigris fuisse ducem factionis. Est quidem ille adversatus Cæciliano: sed tanti habitum, ut ab eo nomen sumeret factio, id neque ex Optato intelligas, neque item Augustino, nec Actis Proconsularibus; quæ apud Baronium leguntur. At, inquit Baronius, parum est verisimile, priùs hanc factionem caruisse nomine; nec, nisi Majorino defuncto, à Donato accepisse nomen. Quæ bellè dicerentur, nisi, ante Donatum episcopum, vocata esset *pars Majorini.* Etiam pro se adducit Baronius verba illa Theodoreti lib. III. hæret. fabularum: *Lucilla adversus eum concitavit Donatum.* Verùm est ea ἀνιστορησία Theodoreti; qui absque dubio non illum à Casis Nigris, sed Carthaginensem intellexit Donatum: de altero autem fortasse nec inaudierat quicquam. Et hæc dicta sunto de occasione, & caussis Donatiani schismatis. Pleniùs horum temporum historiam nôsse si voles, adi libros VII Optati Milevitani de schismate Donatistarum; item Augustinum contra epistolam Parmeniani, & Donatistarum alios.

a Pag. 88. edit. Commel.

V. Pra-

V.

Præterea verò Arriani Catholicorum eos denuo tingebant, qui ad se deficerent.

Testis Augustinus de Hæres. ad Quodvultdeum hæresi a Tom. 1. epistol. Rom. Pontif. XLIX: *Rebaptizari quoque ab Arrianis Catholicos, novimus: utrum & non Catholicos, nescio.* Idem de iis tradit lib. V. de hæresib. cap. V. Etiam Vigilius (is qui anno DXXXVIII, expulso Silverio Papâ Romano, operâ Theodoræ in locum ejus est suffectus) scribit ad Eutherium *a* hoc pacto: *De his etiam, qui, baptismatis gratiâ salutaris accepta, apud Arrianos iterum baptizati, profundæ voraginis sunt morte demersi.* Idem cognoscimus ex eo, quòd Gensericus, rex Arrianus, ab Sebastiano Catholico poposcerit, ut rebaptizaretur. Ille autem argutâ eum similitudine refellebat. Ajebat, quemadmodum panis si conteratur, molliatur, atque bine recoquatur, non eo evadat melior: ita nec baptismum probari iteratum. Narrat eam rem Carolus Sigonius extremo libro XII. de Occidentali imperio ad annum CCCCXL. Sed malo verba adferre Victoris Uticensis, unde ea Sigonius se hausisse profitetur. Sic verò ille libro primo Vandalicæ persecutionis: *Cogitavit Rex, ut præsentibus episcopis, atque domesticis suis, Sebastianum taliter conveniret: Sebastiane, inquit, scio, quia fideliter nobis adhæsisse jurâsti; cujus veritatem sacramenti, labores tui, vigilantiaque, demonstrant. Sed, ut nobis connexa semper, jugisque maneat amicitia tua; hoc placuit, præsentibus sacerdotibus nostris, ut ejus efficiaris cultor religionis, quam & nos, & noster populus, veneratur. Cui Sebastianus, rem inveniens miram, multisque necessariam, pro tempore acutè respondit: Quæso, domine Rex, ut nunc unus panis mundissimus, ac similaceus, adferatur. Qui, cùm ignorâsset Gensericus Sebastiani victoriam, illico jussit adferri. Apprehendens itaque Sebastianus mundissimum panem, ita effatus est. Hic enim panis, ut ad tantum decorem splendoris venisset, & mensa Regia necessarius haberetur, discussâ spuriâ furfuris ex massa similaginis conspersus, per aquam transivit, & ignem, ideireo & adspectu clarus, & esu suavis habetur: ita & ego, molâ Catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis, ut simila munda purgatus, rigatus sum aquâ baptismatis, & in igne Sancti Spiritus coctus. Et, ut hic panis de furno; ita & ego per officia sacramentorum divinorum, artifice Deo, de fonte mundus adscendi. Sed fiat, si velis, ut ipse propono. Iste panis confringatur in frusta, madidetur aquâ, & iterum conspergatur, mittatur in furnum: si melior exierit; faciam, quæ hortaris.*

Hæc de Arrianis. Guido Carmelita, & ex eo Alphonsus Castrensis, narrant, etiam ab Armeniis rebaptizari Catholicos: de quo penes eos fides esto. De Balthassare, qui avorum ætate eandem opinionem ab Orco revocavit; & Anabaptisticæ sectæ, longè maximis erroribus immersæ, fons caputque fuit; tam multa legere est in proximi seculi annalibus, ac Theologorum monumentis, ut insistere eis prorsus pigeat.

VI.

Adhuc Catholicos ipsos denuo tingebant Aëtiani.

De quibus ita Epiphanius hæresi LXXVI, quæ est Anomæorum *a*. Ὁ τούτων διάδοχος Εὐνόμιός τις ψευδωνύμως καλούμενος, ἔτι καὶ δεῦρο περιὼν τῷ βίῳ, μέγα κακὸν τόλμημα, ἀναβαπτίζει τοὺς ἤδη βαπτισθέντας, οὐ μόνον τοὺς ἀπὸ ὀρθοδόξων πρὸς αὐτὸν ἐρχομένους, καὶ αἱρέσεων, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀπ' αὐτῶν τῶν Ἀρειανῶν. *Horum* (Aëtianorum) *successor Eunomius, falso nomine vocatus, qui adhuc superest in vita, magnum, & temerarium flagitium, rebaptizat jam baptizatos; non solùm eos, qui ab orthodoxis, & sectis ad ipsum veniunt; sed etiam eos, qui ab ipsis Arrianis.* a Pag. 419.

VII.

Olim verò & graves pœnæ à piis Imperatoribus sancitæ fuerunt adversus eos, qui denuo tingerent à Catholicis baptizatos.

Honorius, & Theodosius, lib. I. tit. VI. C. Ne sanct. baptism. iter. *Siquis rebaptizare quempiam de ministris Catholicæ sectæ fuerit detectus; una cum eo, qui piaculare crimen commisit, (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur.*

FINIS.

DISPUTATIO XIX
DE
BAPTISMO;
SIVE TERTIA
DE ANABAPTISMO;
Quæ est
De Catholicis promiscuè iterum tingentibus; qui ab hæreticis, vel schismaticis, forent baptizati.

THESIS I.

DIximus de hæreticis, ac schismaticis, qui Catholicos ad se deficientes rebaptizarent. Venio ad alteram Historiæ hujus partem, quæ est de Catholicis rebaptizantibus. Ac initio quidem sermo nobis erit de iis, qui promiscuè omnes tingerent ab hæreticis, ac schismaticis, baptizatos. Primi Catholicorum hanc viam institêre Agrippinus, Carthaginensis episcopus, & Tertullianus, ejusdem loci presbyter. Utrùm verò Tertullianus ab Agrippino, an hic ab illo, sententiam hauserit, incertum est; cùm iisdem temporibus vixiße constet.

Tertullianum quidem ita sensisse, ostendunt ista verba lib. de Baptismo, cap. XV: *Sanè retexam, quod suprà omisi; ne imminentes sensus videar intercidere. Unus omnino baptismus est nobis; tam ex Domini Evangelio, quàm ex Apostoli literis: quoniam unus Dominus, & unum baptisma, & una Ecclesia in cœlis. Sed circa hæreticos sanè quid custodiendum sit, dignè quis retractet? ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ; quos extraneos utique testatur ipsa ademtio communicationis. Non debeo in illis cognoscere, quod mihi est præceptum: quia non idem Deus est nobis, & illis; nec unus Christus, id est, idem: ideoque nec baptismus unus, quia non idem: quem cùm ritè non habeant, sine dubio non habent: nec capit numerari, quod non habetur: ita nec possunt accipere, quia non habent. Sed de isto plenius jam nobis in Græco digestum est* a. Cæterùm ex verbis istis, *Ad nos enim editum est* (quorum de obscuritate conqueruntur Baronius b, & Pamelius c) colligi non potest, Tertullianum hoc dogma ab Agrippino accepisse; quod Baronius conjectabat; sed sententia est: *Ad Catholicorum disciplinam pertinet baptismus.* Sive, *nobis Catholicis is est præceptus; non hæreticis.* Cujus hanc rationem subjungit: *Hæretici enim nullum habent consortium nostræ disciplinæ.* Et mox: *Mihi est præceptus.* Atque ut daremus, Agrippinum illud dogma hausisse à Tertulliano, non eo consequitur, haustum fuisse à spiritu Montani; uti à nonnullis colligi video: qui, quodcunque de baptismi ritibus antiquis, vel siquid aliud istiusmodi ex eo volumine promitur, id continuò è Montani schola profectum videri volunt. Nam scripsit illum librum Tertullianus etiamnum Catholicus: quippe quem ediderit adversus Quinctillam; ut constat ex cap. I. At Prisca, Maximilla, & Quinctilla, (unde Quinctillianis nomen) Montani ipsius erant prophetissæ: ut ex Epiphanio docet Augustinus hæresi XXVI; quæ est Pepuzianorum.

a *Hinc videmus, Tertullianum etiam Græce de baptismo scripsisse.*
b *T. 2. ad an. 217. pag. 330.*
c *Notis in Tertull. locum citatum.*

II.

Nec solus ita sensit Agrippinus, aut cum eo Tertullianus: sed universum Africæ, ac Numidiæ Episcoporum Concilium, eandem sententiam comprobavit.

Ostendunt hoc verba Cypriani epist. LXXI. ad Quinctum: *Quod quidem & Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris coëpiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa, & Numidia, Ecclesiam Dei gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit; quorum sententiam & religiosam, & legitimam, & salutarem, fidei, & Ecclesiæ Catholicæ congruentem, nos etiam secuti sumus.* Ejusdem Concilii meminit epistolâ ad Jubajanum: *Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam pervenerint; cùm* MULTI JAM ANNI SINT, ET LONGA ÆTAS, *ex quo sub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerunt.* Quod verò multos annos, longamque ætatem, vocat Cyprianus, hoc paucos annos appellat Augustinus lib. IV. de baptism. cap. VI. Hanc consuetudinem, inquit, *tam robustam Cyprianus invênit, ut cùm ejus mutandæ causa auctoritatem, quam sequeretur, vir, tantâ scientiâ præditus, quæreret, non nisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini Concilium reperiret.* Nempe, ut omnes nôrunt, breve, & longum, magnum, & parvum, sunt ex iis, quæ comparatione varient. Fuit autem spatium annorum XL. Nam cùm ante annum CCXVII Christianorum conventus edicto Imperatorum, & Senatus-consultorum, fuerint prohibiti; eo autem anno pax sit reddita orbi Christiano: verisimilis est Baronii sententia, qui, eopse anno Concilium illud Agrippini habitum putavit.

III.

Videtur autem hoc Concilium omnium eorum, quæ post Apostolorum tempora fuere celebrata (ea, si exceperimus, quæ in causa Quartadecimanorum habita sunt) fuisse antiquissimum. Quanquam verò Agrippini Concilium damnari videatur à multis Patrum, qui postea consecuti sunt: arbitror tamen, si caußam

ipsam

ipsam spectemus, nullum, vel exiguum, inter eos fuisse dissensum. Nam Concilium Agrippini, cùm baptizandos decrevit eos, qui ab hæreticis essent baptizati; sine dubio hæreticos illos intellexit; adversus quos tum temporis pugnaret Ecclesia, atque inprimis in Africa. Erant isti Hermogeniani, Praxeani, Cataphryges, Quintillianistæ, & similes; qui monstrosas planè opiniones de Deo, & Christo, spargebant: nec, ut loquuntur, vel explicitè, vel implicitè, baptizare poterant in nomen Trinitatis, cùm eam non crediderint: ut ex iis, quæ Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, alii, de iis tradunt, manifestissimè cognoscitur.

De talibus igitur verissimum est, quod Tertullianus lib. de Præscript. ait: *Apud illos omnia extranea, & contraria nostræ veritati.* Et illud paullò antè adlatum è lib. de Baptis. *Non idem Deus est nobis, & illis; nec idem Christus. Ideo nec baptismus unus, quia non idem.*

IV.

De Agrippini Concilio hæc dicta sunto. Eadem verò controversia agitari denuo cœpit, temporibus Stephani Papæ; Eusebio a teste: nempe anno CCLVIII; *quo Cyprianus post Donatum decessorem, & Agrippinum prædecessorem, Carthaginensi præerat Ecclesiæ. Occasio certaminis erat ab Novatiano: quem Novatus, episcopus Afer, Romam profectus, e Romana Ecclesiæ presbytero adversus Cornelium curârat Urbis episcopum creari. Hic Novatianus iis, qui post baptismum, persecutionis metu, fidem abnegâssent; quales thurificati, ac libellatici; pœnitentiam denegabat; seque tuebatur cap.* VI *ad Hebræos: idem Catholicos ad se deficientes rebaptizabat. Ea res Catholicis metum injiciebat; ne, nisi & ipsi rebaptizarent eos, qui ad se, desertis Novatianensibus, venirent, Catholicorum baptismus ipsis Catholicis minoris virtutis, quàm ille Novatiani, videretur. Præterea multa Scripturæ loca Catholicorum animis obversabantur; unde colligerent, quò res forent sacratiores, eò majori esse exsecrationi Deo, si fierent ab hominibus impiis, Deoque invisis. Adhæc non videbatur quicquam agendum, adversus sententiam Concilii; quod Agrippini tempore in Africa habitum erat. Istis impulsus Cyprianus, ipse etiam rebaptizandos eos contendebat; qui ab hæreticis ad Ecclesiam accederent.*

a Hist. Eccl. l. 7. c. 2.

Illustria de eo sunt verba Cypriani; cùm alibi, tum epistolâ II ad Jubajanum. Quæ jam antè adduximus Thesi II. Ubi vidimus, ut inter alia dicat, multos jam esse annos, & longam ætatem, ex quo sub Agrippino ita fuerit constitutum. Hinc continuò subjungit: *Atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum, in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, non aspernati sint, neque cunctati, imò & rationabiliter, & libenter, amplexi sint, ut lavacri vitalis, & salutaris, gratiam consequerentur.*

V.

Nec solus in Africa Cyprianus erat, qui sic sentiret; sed, cùm episcopi Numidiæ Synodi Carthaginensis judicium exquisivissent, ea, quod olim ab Agrippino definitum erat, comprobavit.

Ostendunt hoc Synodicæ literæ ad Januarium, & cæteros Numidiæ episcopos. Ubi quæstionem illam definiunt his verbis *b*: *Cùm simul in Concilio essemus, fratres carissimi, legimus literas vestras; quas ad nos fecistis de iis, qui apud hæreticos, & schismaticos, baptizari videntur: an ad Ecclesiam Catholicam, quæ una est, venientes baptizari debeant. De quâ re, quamquam & ipsi illic veritatem, & firmitatem Catholicæ regulæ teneatis; tamen, quoniam consulendos nos, pro communi dilectione existimâstis, sententiam nostram non novam ponimus; sed jampridem ab antecessoribus nostris statutam, & a nobis observatam, vobiscum pari consensione conjungimus: censentes scilicet, & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse; cùm sit baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum; & scriptum sit, Domino a dicente: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & effoderunt sibi lacus detritos; qui non possunt aquam portare.*

b Cypr. epist. 70.

a Hier. 2.

VI.

Postea etiam altera Synodus convocata est episcoporum septuaginta, & unius; partim ex Africa, partim ex Numidia.

Ostendunt id hæc verba Cypriani epist. LXXIII ad Jubajanum: *Exemplum earundem literarum tibi misi; quid in Concilio, cùm plures adessemus, decreverimus: quid item postea Quinto, collegæ nostro, de eadem re quærenti, rescripserimus; & nunc quoque, cùm in unum convenissemus, tam provinciæ Africæ, quàm Numidiæ, episcopi, numero septuaginta, & unus, hoc item denuo sententiâ nostrâ firmavimus.* Ex hocce Concilio Synodica, ad Stephanum Papam, epistola *b* perscripta fuit; in qua hæc leguntur: *Ad quædam disponenda, & consilii communis examinatione limanda, necesse habuimus, frater charissime, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus, cogere, & celebrare Concilium.* Et mox hac Synodo statutum fuisse, subjungit: *Eos, qui sint foris extra Ecclesiam tincti, & apud hæreticos, & schismaticos, profana aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizare oportere; eò quòd parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum S. nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum.*

b Cypr. epist. 72.

VII.

Paullò post tertia etiam Synodus Carthagine convocata est, superioribus major: ut quæ episcopis constaret octoginta septem, ex Africa propriè dicta, Numidia, & Mauritania collectis.

Acta ejus inter Cypriani scripta hodieque leguntur: uti & apud Augustinum lib. VI, & VII, de baptismo contra Donatistas: ubi Africanorum Patrum sententiis singulis respondet.

VIII.

Nec in Africa solùm; sed etiam Iconii, Synadis, & aliis Asiæ urbibus, eadem obtinuit sententia.

Hac de re duos adducam testes locupletes; Firmilianum in Asia, & Dionysium, Alexandrinum episcopum. Firmiliani sunt ista, epistolâ ad Cyprianum *c*: *Quod totum jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum, convenientibus, & Galatiâ, & Ciliciâ, & cæteris proximis regionibus, confirmavimus, tenendum contra hæreticos firmiter, & vindicandum, cùm a quibusdam de istâ re dubitaretur.* Dionysii verba adfert Euseb. lib. VII hist. Eccl. c. VI. in fine: Μεμάθηκα δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνοι τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν Ἰκονίῳ, καὶ Συνάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν· ὧν τὰς βουλὰς ἀνατρέπων, εἰς ἔριν, καὶ φιλονεικίαν, αὐτοὺς ἐμβαλεῖν οὐχ ὑπομένω. Οὐ γὰρ μετακινήσεις, φησίν, ὅρια τοῦ πλησίον σου, ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες σου. *Hoc tamen didici, quòd non episcopi in Africa solum istud invexerunt; verùm etiam multò antè, episcoporum memoriâ, qui antegressi sunt, in Ecclesiis maximâ hominum frequentiâ celebratis,*

c Epist. 75. apud Cyprianum.

lebratis, & synodis fratrum tum Iconii, tum Synadis, tum aliis multis in locis, convocatis; quorum judicia, & sententias condemnare, illosque in contentionem, ac rixam, conjicere non audeo. Terminos, ut est apud Salomonem a, *ac fines proximi tui, non commutabis, quos Patres tui præstituerunt.* Quæ ostendunt, etiam Dionysium fuisse in iis, qui ab hæreticis antea tinctos baptizarent.

a Proverb. 22. 28.

IX.

Sanè magna erant nomina; Cyprianus in Africa, in Asia Firmilianus (quem in Menologio suo Græci inter eos retulerunt, quorum anniversarium diem venerantur) in Ægypto autem Dionysius Alexandrinus. Præterea cogitemus, idem statuisse, tum quatuor Synodos Africanas; tum Iconiensem, Synadicam, & alias Asiæ multas. Omnibus tamen istis opposuit se Stephanus, episcopus Romanus. Ac Firmilianum quidem, & coëpiscopos, communione suâ indignos judicavit.

Quod hæc Dionysii Alexandrini verba ostendunt *b* epist. ad Xystum: Ἐπεστάλκει μὲν οὖν πρότερον, καὶ περὶ Ἑλένου, καὶ περὶ Φιρμιλιανοῦ, καὶ πάντων τῶν τε ἀπὸ τῆς Κιλικίας, καὶ Καππαδοκίας, καὶ δηλονότι Γαλατίας, καὶ πάντων τῶν ἑξῆς ὁμορούντων ἐθνῶν, ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν, ἐπειδὴ τοὺς αἱρετικούς, φησίν, ἀναβαπτίζουσι. Stephanus *antea scripserat epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus episcopis, qui erant ex Cilicia, & Cappadociâ, & Galatiâ, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ; quòd neque cum illis quidem ob eam caussam omnino communicare vellet. Nam illi, inquit, hæreticos rebaptizant.*

b Apud Euseb. lib. 7 hist. Eccles. cap. 4.

X.

Dionysius hoc Stephani judicium indignè tulit, atque iccirco epistolam ad eum scripsit; quâ eum rogavit, ne adversus Firmilianum, & coepiscopos, atrocem adeò sententiam ferret: nec enim esse hanc paucorum, & vulgarium hominum sententiam; sed idem in maximis episcoporum Conciliis fuisse decretum. Etiam, cum Stephanus obiisset, ad successorem ejus Xystum de eadem re literas misit; eumque monuit, ut quæstionem omnem accuratè perpenderet.

Verba Dionysii hæc sunt; quæ superioribus proximè subjungit: καὶ σκόπει τὸ μέγεθος τοῦ πράγματος. ὄντως γὰρ δόγματα γέγονεν ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν ἐπισκόπων συνόδοις, ὡς πυνθάνομαι, ὥστε τοὺς προσιόντας ἀπὸ αἱρέσεως, προκατηχηθέντας εἶτα ἀπολούεσθαι, καὶ ἀνακαθαίρεσθαι τὸν τῆς παλαιᾶς, καὶ ἀκαθάρτου ζύμης ῥύπον. καὶ περὶ τούτων αὐτοῦ πάντων δεόμενος, ἐπέστειλα. *Rei igitur magnitudinem* (Xystum alloquitur) *attentâ cogitatione complectere. Decreta enim in maximis episcoporum Conciliis, sicuti audio, facta fuerunt; ut, qui ab hæresis impietate recedunt, debeant primum in fide institui; deinde veteris, & impuri fermenti eluvie, ac sordibus, ablui, purgarique. Atque ut pro his omnibus illum* (Stephanum, decessorem tuum) *deprecarer, epistolam scripsi.*

XI.

Quò verò Stephanum Papam ad amorem Firmiliani, & coepiscoporum, vehementius incitaret; de illo etiam indicium faciendum putavit; utcunque antea de Novatiani dogmate aliqua inter eos controversia fuisset; nunc tamen illos pariter, repudiatâ ejus hæresi, inter se coaluisse.

Colligit inde Cæsar Baronius, Firmilianum, & coëpiscopos, à priori descivisse sententiâ. Sed multum fallitur: quod quivis intelliget, si inter ea, quæ propria erant Novatiani, & quæ cum Catholicis multis communia haberet, distinguamus. Novatiani proprium hoc dogma erat, quòd lapsos diceret Deo uni committendos, facturo de iis, quod vellet: neutiquam verò recipiendos esse in Ecclesiam; quæ ignoscendi illis non haberet potestatem. Iccirco sectatores ejus sese καθαρὺς h. e. *puros*, vocabant: ut qui non tantum lapsu se minimè polluissent; sed ne communicando quidem cum lapsis, ut cæteri fecerant. Ac novenis pòst seculis idem Catharorum nomen datum fuit Albigentibus, atque aliis, ad purum Dei Verbum provocantibus, vitam etiam puram exigentibus. Ac videtur ab illo nomine *Cathari* profluxisse, quòd hæreticus quivis Germanis, ac Belgis, Ketter appellatur. Cum multis verò Catholicorum hoc commune ei fuit, quòd ab hæreticis baptizatos iterum baptizandos putaret. Itaque hoc solùm vult Dionysius, Firmilianum, & coëpiscopos, non debere propterea excommunicari à Stephano; quòd postquam Novatianus, & Cornelius, de sua uterque sententiâ Orientales episcopos fecisset certiores; alii Cornelio, vero Urbis episcopo, alii Novatiano antipapæ, adhæsissent. Quamvis enim priùs assenserint aliqui Novatiano, etiam de dogmate non recipiendi lapsos, nec cum iis communicandi: nunc tamen universos hanc sententiam detestari, inque Catholica veritate prorsus convenire: ita ut in non alio abeant à Stephano, cleroque Romano; quàm quòd, maximarum synodorum judicium sequentes, non possent in animum inducere, verum esse baptismum, qui extra Ecclesiam usurparetur. Idem Baronius, Firmilianum mutâsse sententiam, colligit ex eo; quòd in Græcorum Menologiis Firmiliani memoria die anniversariâ celebretur. Ac similiter arbitratur, Cyprianum (qui *correxisse sententiam non invenitur*; ut Augustinus ait epist. XLVIII) tandem pedibus isse in sententiam Stephani; quia & illius nomen sit in diptychis Sanctorum, tum Orientis, tum Occidentis. Quæ profectò quàm levia sint, quivis intelligit, qui sciat, temporibus antiquissimis, ut etiam Æneas Sylvius agnoscit, non ita magnum fuisse respectum, sive auctoritatem Ecclesiæ Romanæ. Ut quòd Cyprianus, & Firmilianus, in Synodorum suarum judicio perstiterint, haut caussa videatur gravis satis, cur non potuerint ab Ecclesiis in Sanctorum diptycha referri: præsertim cùm Cyprianus sanctimoniâ tantopere effulserit, ac veritatem Euangelii etiam sanguine suo obsignârit. Neque hic stitit Baronius. Nam idem censet, Dionysium etiam deseruisse priorem opinionem. Quod eo adstruere laborat, quia postea consuluerit Xystum; utrùm esset rebaptizandus, qui baptizatus quidem foret ab hæreticis; sed exinde vixisset inter Catholicos, cumque iis particeps fuisset mensæ Dominicæ: ut apud Eusebium legere est Hist. Eccl. lib. VII cap. VIII. Sed vehementer hallucinari Baronium, nulli dubium erit, qui attenderit, de quo Dionysius consulendum esse Xystum putârit. Erat quispiam non more Christiano baptizatus; sed impiis quibusdam ceremoniis initiatus. Id tamen ipse verum primitus credidit baptismum. Et ab omnibus, qui, quo pacto esset tinctus, nescirent, habitus est pro eo, qui jam Ecclesiæ foret insitus per baptismum. Cumque vitam duceret piam, & honestam, etiam dignus est habitus Eucharistiæ sacramento. Iamque annos ita vixerat triginta, cùm aperuit scrupulum, qui assiduè animum pungeret. Negabat enim, se baptizatum in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. Si iste ab hæreticis recens advenisset, non dubitâsset Dionysius eum baptizare. Sed hærebat eò, quòd jamdiu esset admissus ad Sacram mensam. Imò hoc tanti est ei visum, ut rebaptizandum non putaret. Interea, nequid sub ancipiti hæreret, rectè, atque ordine, se facturum existimavit, si exquireret, quid Romano de hoc videretur episcopo. Sciebat, eum statuere, non esse iterum baptizandos, qui ab hæreticis tincti forent. Sed hic quæstio fuit, an qui non esset baptizatus, & tamen per errorem ad Cœnam Domini admissus,

missus, postquam jam censebatur inter perfectos, revocari debeat ad initiandos. Fons, caputque erroris fuit Baronio interpres Christophorsonus; qui verba ejus transtulit in hunc modum: *Frater quidam ex nostro conventu, communioneque, fidelis judicatus, ætate admodum provectus, & priusquam ego eram creatus episcopus, &, ut arbitror, antequam beatus Heraclas in episcopatus gradu collocatus fuerat, conventûs, communionisque particeps factus; cum forte baptismo eorum, qui nuper apud nos baptizarentur, adesset, & rogata, responsaque audiret, venit ad me lugens, &, graviter suam vicem deplorans, se ad pedes meos adjecit; ex animo confitetur, & sanctè dejerat, baptisma, quo erat apud hæreticos tinctus, non hujus generis esse (illud namque plenum esse impietatis, plenumque blasphemiæ) neque ullam omnino cum isto nostro habere similitudinem: affirmatque, animum suum propterea acerbis dolorum stimulis compunctum: & quoniam nefario, ac profano cum verborum, tum factorum scelere pollutus erat, nec libere suos oculos ad Deum posset elevare: & propterea obtestatus est, ut hâc purissimâ lavacri purgatione, verâ susceptione in Ecclesiam, & divina in eo sacramento oblatâ gratiâ potiretur: quod plane ego non audebam præstare: sed diuturnam illam communionem, quâ fuerat cum fidelibus sociatus, satis habere virium ad ejus animum purgandum, affirmabam. Nam, qui gratiarum actiones audivisset, qui Amen una pronunciavisset, qui adstitisset mensæ, qui manus ad sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps; ejus baptisma non audebam de integro renovare: sed bono animo esse jubebam, & solidâ, ac constanti fide, conscientiâque purâ, sincerâque, ad sanctorum mysteriorum perceptionem accedere. Iste tamen lamentis, & mærore, se conficere non destitit, ad mensam accedere præ metu exhorruit, & vix, oratus, precibus interesse sustinuit.* Hactenus interpres. Qui in eo primùm fallitur, quòd senem illum dicit fuisse *nefario, ac profano cum verborum, tum factorum scelere, pollutum*: quod de baptismo, quo baptizatus fuerat, optimus senex dixerat. Sic enim habent Græca: ἐξομολογούμενος, καὶ ἐξομνύμενος τὸ βάπτισμα, ᾧ παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς βεβάπτιστο, μὴ τοῦτο εἶναι, μὴ δὲ ὅλως ἔχειν τινὰ πρὸς τοῦτο κοινωνίαν. ἀσεβείας γὰρ ἐκεῖνο, καὶ βλασφημιῶν πεπληρῶσθαι. λέγων δὲ πάνυ τὴν ψυχὴν κατανενύχθαι, καὶ μὴ δὲ παῤῥησίαν ἔχειν ἐπᾶραι τοὺς ὀφθαλμοὺς πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν ἀνοσίων ἐκείνων ῥημάτων, καὶ πραγμάτων ὡρμημένος. Quæ ad verbum sonant: *Confitebatur, & jurabat, quo apud hæreticos baptizatus esset, non esse hoc* (nostrum baptisma,) *planeque non habere ullam cum hoc communionem: impietate enim, & blasphemiis, illud esse plenum. Dicebat etiam, valde animum pungi, neque libere oculos attollere ad Deum: quòd impiis illis* (baptismi, quo initiatus erat) *verbis, factisque, consecraretur.* Hæc docent, baptisma illud, quo senex ille fuerat consecratus, non fuisse in Trinitatem; neque habuisse stipulationem bonæ conscientiæ coram Deo: ut quod nihil omnino commune habuerit cum baptismo Ecclesiæ: eoque ne Romanum quidem episcopum dubitaturum fuisse, an talis esset baptizandus, si recens ab hæreticis venisset: sed omnem scrupulum inde esse ortum, quòd tot jam annos cum Catholicis piè, sanctèque vixisset, sacræ etiam συνάξεως particeps. Alter interpretis error est, quòd quæsisse Dionysium putavit, an talis esset rebaptizandus. Atqui Græca habent: τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανοῦ χρόνου, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι. Hoc est: *Cum corporis, & sanguinis, Domini nostri Iesu Christi longo jam tempore particeps fuisset, ab initio rursum struere non audebam.* Ait igitur, etsi pro certo haberet, senem illum habendum fuisse pro non baptizato: non tamen ausum esse lavacro tingere; quia hoc foret novam domum, priori dirutâ, molientis, vel recto fundamentum superstruentis: cùm baptismo quidem initiemur Ecclesiæ; Eucharistia verò sit quasi τελετὴ *a* Christianorum. Quæ omnia satis ostendunt, malè ex consultatione Dionysii colligere Baronium, eum sententiam mutâsse. Imò penè adducar, ut credam, literas hasce scriptas λόγῳ ἐσχηματισμένῳ *b*, ut callidè significet, eum, qui putaret ab hæreticis baptizatos nunquam rebaptizari oportere, hic videre, baptismum hæreticorum quandoque esse adeò impium, ut cum illo Catholicorum nihil habeat commune; eoque non soletur ita baptizatum; sed perpetuò mordeat, ac pungat: uti sibi usu venire, senex ille retulerat Dionysio.

a Perfectio.

b Sermone figurato: quo latenter innuimus, quod apertè dicere non audemus.

Vidimus de iis, qui baptismum hæreticum pro irrito haberent. Quibus argumentis nixi fuerint, ostendit epistola B. Cypriani LXX, LXXI, LXXII, LXXIII, LXXIV, & LXXVI: item epist. Firmiliani, Cæsariensis episcopi; quæ apud Cyprianum est LXXV; & synodus LXXXVI Episcoporum Africæ; quam item inter Cypriani opera legi diximus.

XII.

His omnibus Stephanus, Urbis episcopus, obducebat antiquam consuetudinem: quæ cùm ante Agrippinum, nec non Iconiensem, ceterasque Orientis Synodos, ubique per orbem obtinuerit, eam traditionem esse Apostolicam colligebat. Præterea iniquum aiebat, cum hæretici non rebaptizent, qui ad se veniunt à Catholicis, Catholicos denuo eos tingere, qui accedant ab hæreticis.

De posteriori ita Stephanus Papa epistolâ ad Cyprianum *c*: *Siquis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est; ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cum ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent; sed communicent tantùm.* Ubi cum Pamelio malim legere, *hæretici propè, alterutros ad se ven.* Planè etiam puto Stephanum loqui non de universis hæreticis; sed compluribus. Nec enim poterat ignorare, & antea rebaptizari solere Catholicos à Montanistis, & suo id tempore facere Novatianos.

c Citat hæc verba Stephani Cyprianus epist. 74. ad Pompeium Sabratensem.

XIII.

Cyprianus valde culpabat in Stephano, quòd juberet nos exemplum capere ab hæreticis. Aiebat, id verè esse hæreticis patrocinari. Sed melius ne erat, quod diceret Cyprianus, si hæretici non haberent pro legitimo Catholicorum baptismum; nec debere Catholicos hoc honore dignari illum hæreticorum, ut pro legitimo agnoscant, ac proinde non iterando? Potior eorum opinio est, qui negant, ex unius baptismo judicium esse ferendum de alterius baptismo: sed quis legitimus, quis illegitimus sit, dispiciendum esse ex natura baptismi, & canonibus antiquis.

Optimè Basilius epistolâ canonicâ ad Amphilochium, canone I *d*: Εἰ δὲ ἐκεῖνοι φυλάσσουσι τὸ ἡμέτερον βάπτισμα, τοῦτο ἡμᾶς μὴ δυσωπείτω· οὐ γὰρ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς ὀφείλομεν χάριν ἐσμὲν, ἀλλὰ δουλεύειν ἀκριβείᾳ κανόνων. *Sin illi baptismum nostrum servant, hoc ne nobis ægre sit: neque tenemur iccirco eandem iisdem gratiam reddere; sed servire exactæ canonum observationi.*

d Tom. 2. pag. 759. edit. Paris. an. 1618.

XIV.

Præterea illud Cyprianus in Stephano reprehendit, quòd Scripturis, quibus sententiam suam niti docerent Patres Africani, obduceret traditionem: atque idem traditionis *nomine pravam venditaret consuetudi-*

cudinem, quæ non esset ab Apostolis; sed postea irrepsisset. Sed deinde in ipsa Africâ juniores à Cypriano abierunt. Planè enim acquievere in argumento Stephani; qui contendebat, ante Agrippinum nusquam in Ecclesia iterari baptismum solere.

Hæc ita esse, veterum testimonia evincunt. Eusebius histor. Ecclesf. lib. VII. cap. II: Τούτῳ δὴ Στεφάνῳ πρώτην ὁ Διονύσιος τῶν περὶ βαπτίσματος ἐπιστολῶν διαχαράττει, ζητήματος οὐ σμικροῦ τηνικάδε ἀνακινηθέντος, εἰ δέοι τοὺς ἐξ οἱασοῦν αἱρέσεως ἐπιστρέφοντας διὰ λουτροῦ καθαίρειν· παλαιοῦ γέ τοι κεκρατηκότος ἔθους ἐπὶ τῶν τοιούτων μόνῃ χρῆσθαι τῇ διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως εὐχῇ. *Ad hunc Stephanum primam ex illis epistolis, quæ de baptismate sunt, scripsit; eo quod tum temporis non exigua quæstio mota esset; utrum oporteret eos, qui à quacunque hæresi convertuntur, per lavacrum purgare; cùm ex antiquis temporibus obtinere mos soleat, ut solis precibus cum manuum impositione in talibus uterentur.* Idem proximo capite cùm dixisset, Cyprianum primum rebaptizandos putâsse, qui ab hæreticis venirent (in quo eum decipi, ostendunt, quæ de Agrippino suprà diximus) subjungit hæc de Stephano: Ἀλλ' ὅγε Στέφανος μὴ δεῖν νεώτερόν τι παρὰ τὴν κρατήσασαν ἀρχῆθεν παράδοσιν ἐπικαινοτομεῖν οἰόμενος, ἐπὶ τούτῳ διηγανάκτει. *Stephanus nihil novi, aut alieni à traditione ex antiquo obtinente, moliendum arbitratus, animo ob hanc caussam indignabatur.* Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. V. cap. XXIII: *Sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumsisse credenda est: sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia: & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Vincentius Lirinensis Commonitorii sui cap. IX: *Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus, Carthaginensis episcopus, primus omnium mortalium, contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem, ac instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumtio tantum mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii; sed etiam quibusdam Catholicis, occasionem præbuerit erroris. Cùm ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent; atque omnes quaquaversum sacerdotes, pro suo quisque studio, renitterentur: tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris, restitit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in Epistola* [a], *quæ tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit*: NIHIL NOVANDUM: NISI QUOD TRADITUM EST. Ac denique subjungit: *Retenta est igitur Antiquitas, explosa Novitas.*

[a] *Apud Cyprianum Pamelianæ editionis epist 74: at in edit. Erasmi tom. 2. opusculo 3. cuius inscriptio est,* Ad Pompeium, contra epistolam Stephani.

XV.

Vidimus sententiam, hinc Cypriani, & Conciliorum Africæ, Asiæque; inde autem Stephani, Urbis Episcopi. Post eorum κρίσιν puto operæ fore, subjungere ἐπίκρισιν: præsertim quando ea posteriore Patres habet fautores, atque etiam generalibus nititur Conciliis. Primò videamus, ubi uterque verum tetigerit: deinde, in quo ex parte viderit, ex parte falsus sit. Rectè in eo, & Cyprianus, & Stephanus, consensere; quod, qui à Catholicis priùs baptizati forent; licet ab hæreticis postea essent tincti; ab iis tamen redeuntes ad Ecclesiam, non iterum essent immergendi.

Ac de Stephano quidem id probato non est opus; quandoquidem omnium ille hæreticorum baptismum, quales quales forent, pro legitimo habebat; ut mox liquebit. De Cypriano autem cognoscere est ex hisce ejus verbis ad Jubajanum; cujus in Epistolæ fine sic scribit: *Qui ex quacunque hæresi, ad Ecclesiam convertuntur, unico, & legitimo baptismate baptizentur;* EXCEPTIS, *qui baptizati prius fuerunt, & sic ad hæreticos transierunt.* Itidem in epistola ejus ad Quinctinum legas: *Si autem, qui ab hæreticis venit, baptizatus in Ecclesia prius non fuit; alienus in totum, & profanus, venit.* Etiam in Concilio Carthaginensi sic inquit Crescens à Cirtâ: *Exceptis his sane, qui in Ecclesia Catholica fuerint antè baptizati.*

Solùm igitur de iis controversia fuit, qui tantummodo ab hæreticis forent baptizati. Quorum baptismum esse nullum censebat Cyprianus; quia hæretici sint extra Ecclesiam: in quâ una est fides, & gratia baptismi. Nam cùm Apostolus dicat Ephes. IV. 5, *unum esse Dominum, unam fidem, unum baptisma*: non esse baptisma unum, ubi non est unus Dominus, & una fides. Hoc operæ est attendere; quia quidam putant, sensisse Cyprianum, omnino omnes ab hæreticis tinctos iterum esse immergendos.

XVI.

Exposui, ubi uterque viderit verum: sequitur, ubi neuter satis fuerit perspicax. Ac in duobus quidem peccatum à Cypriano fuit: primùm, quòd non distingueret inter hæreticos, qui in fundamento ipso peccarent, quique in structura duntaxat. Nam universè & hos, & illos, iterum tingendos arbitrabatur. Magis etiam in eo modum excessit, quòd ne schismaticorum quidem, quales Novatiani fuere, baptismum agnosceret.

Utrosque enim Cyprianus, & Africani Patres, conjungunt. Cyprianus epist. ad Quinctinum: *Qui apud hæreticos, & schismaticos, baptizati videntur.* Idem epist. ad Magnum: *Dicimus omnes hæreticos, & schismaticos, nihil habere potestatis, ac juris.* Patres Concilii Carthagin. apud eundem: *Hæreticos, & schismaticos, ad Ecclesiam venientes; qui pseudobaptizati videntur.* In eodem Nemesianus à Thubunis dixit: *Baptisma, quod dant hæretici, & schismatici, non esse verum, ubique in Scripturis S. declaratum est.* Quosvis verò hæreticos intellexisse; etiam eos, qui non peccarent in fundamento, sed structurâ solùm: arguunt verba illa Cypriani in fine epistolæ, ad Pompejum: *Omnes, qui ex* QUACUNQUE *hæresi ad Ecclesiam convertuntur, unico, & legitimo baptismate convertuntur.* Non oportuerat dicere, ex QUACUNQUE hæresi; sed fundamentum fidei convellente: quales illæ, quas nominat epistolâ ad Jubajanum: *Si*, inquit, *eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum S. eandem Ecclesiam, confitentur nobiscum Patripassiani, Anthropiani, Valentiniani, Apelletiani, Ophitæ, Marcionitæ; & cæteræ hæreticorum pestes, & gladiis, ac venenis subvertentes veritatem: potest illic & baptisma unum esse, si est & fides una.* In hujuscemodi hæreticis si substitisset: nihil esset, quòd culpâssent, qui post Cypriani tempora vixerunt.

XVII.

At in illo exorbitat Stephanus; quòd, non dico schismaticorum, in quo rectè sensit; sed omnium omnino hæreticorum baptismum, etiam Marcionitarum, Patripassianorum, & similium non agnoscentium Trinitatem, imò Patrem, Filiumque blasphemantium, pro vero, ac legitimo baptismo haberet.

Atque hoc rectè ei exprobrat Cyprianus, epist. contra Stephanum ad Pompejum: *Nam, inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria,*

ria, quæ imperitè, atque improvidè, scripsit; etiam illud adjunxit, ut diceret: Siquis ergo à QUACUNQUE *hæresi venerit ad nos, nihil innovetur* a. Ac postea particulatim magis: *Cur in tantum Stephani, fratris nostri, obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini, & Apellis, & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem, contendat, filios nasci? & illic in nomine Iesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, & Dominum Deum Christum?*

a Plenius hunc locum jam antea adduximus. Vide thesi 12.

XVIII.

Etsi verò contrariam in viam deflectant, Cyprianus, omnium hæreticorum baptismum pro illegitimo habens; & Stephanus, omnium pro legitimo agnoscens: utrique tamen erroris unum, idemque, fons & caput fuit: videlicet, quòd non distingueret inter hæreticos, qui fundamentum fidei evertunt; & illos, qui solum in eo aberrant, quod fundamento huic superstruitur.

Quod discrimen in aliis etiam controversiis attendunt pauci: ac multis quidem id video, non pessimo ab animo provenire. Videlicet arbitrantur, si in hoc tristi Ecclesiæ Catholicæ schismate, candidè judicium fiat, qui fratrum loco habendi sint, qui non item; multos non tanto cum zelo illi adhæsuros cœtui, cujus ipsi pars sint: sed, humanis ductos rationibus, vel in minus rectè sapiente Ecclesiâ perstituros; vel facilè tali se juncturos, dum in ejusmodi quoque opinione, vel cœtu, salvari se posse intelligunt. Verùm & horum imbecillitati poterant prudentiùs consulere; & tamen non tam odiosè fratres insectari, quia secum non sapiant per omnia.

XIX.

Nobis igitur nec Cypriani sententia penitùs est reiicienda; nec illa Stephani penitùs comprobanda. Cypriani enim opinio in iis est recta, ubi non idem est baptismus; quia non idem est Deus, nec unus Christus; ut Tertullianus loquitur libro de baptismo. Stephani verò opinio est proba, quando idem est Deus, unus Christus. Quod meliùs utroque attendêre Sancti Patres, qui postea sunt consecuti: ut qui interfuere Concilio Niceno, atque alii: quemadmodum disputatione sequenti demonstrabitur.

Atque hinc etiam colligere licet, utrùm antiqui agnoverint *ἀνυπευθυνίαν* Pontificis Romani.

XX.

Ex hypothesi autem veterum, qui tantam statuerunt necessitatem baptismi, ut sine eo homines perire existimarent: tutior videtur error Cypriani, promiscuè omnes, ab hæreticis solùm tinctos, iterum baptizantis; quàm Stephani, promiscuè omnes, ab iis solis immersos, sine baptismo in Ecclesiam recipientis. Præsertim quando vix aliud pro se adferre posset Stephanus, quàm consuetudinem Ecclesiæ, minimùm Romanæ: Cyprianus autem, & Patres tam Asiatici, quàm Africani, rationabiliter, ut loquitur Cyprianus, ex Scripturis disputarent.

Ac tale etiam aliquid insinuare videtur Erasmus præfatione in Cyprianum: *Quod si res ab argumentis humanis penderet, & nisi concordia favorem ubique mereretur: potiùs haberi poterat, quod sequitur Cyprianus, quàm quod est receptum.*

XXI.

Sed utercunque minùs aberrârit; saltem apertum est, in hoc dissensu, longe magis in Cypriano, quàm in Stephano, eluxisse spiritum modestiæ, fraternæque concordiæ. Cyprianus enim non ulterius progressus fuit, quàm ut diceret, se consuetudinem, quam accepisset à decessoribus suis; quam etiam in Conciliis non modò Africanis; sed etiam Asiaticis, à doctissimis, & sanctissimis viris, approbatam videret; quam denique solam Scripturis judicaret esse consentaneam; eam se non posse deserere; sed velle hanc servare in Ecclesia, cui esset præfectus à Christo: nihil interim se præjudicare aliarum Ecclesiarum episcopis; quando per se liceret, ut illi in Ecclesiis suis hoc agerent, quod rectius putarent: sic quoque se eos pro fratribus agnoscere; solùm rogare, ne dominari vellent fratribus suis, atque Ecclesiis universis. At Stephanus, sive zelo nimio, sive quia primæ esset sedis episcopus, typho inflatus, omnia superbè agere, atque etiam communione suô indignos censere, episcopos Asiaticos: ac quamquam nondum eadem auderet in Africanos; quomodo tamen animatus erga eos foret, clarè ostendere tanto Africanos erga legatos fastu suo,

Modestiam Cypriani, & fratrum, demonstrant hæc verba ab eo, nomine suo, & cæterorum, perscripta ad Stephanum *fratrem* a, sive *sacerdotem* b, (sic enim, vel *collegam*, nunquam *papam*, vel *patrem sanctissimum*, vel *pontificem max.* solet eum nominare) *Hæc ad conscientiam tuam, frater charissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione, pertulimus; credentes etiam tibi pro religionis tua, & fidei veritate, placere, quæ & religiosa pariter, & vera sunt. Cæterum scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere; nec propositum suum facile mutare; sed* SALVO INTER COLLEGAS PACIS, ET CONCORDIÆ VINCULO, *quædam propria, quæ apud se semel sunt usurpata, retinere. Quâ in re* NEC NOS *vim cuiquam facimus, aut* LEGEM DAMUS; *cum* HABEAT *in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ* ARBITRIUM LIBERUM UNUSQUISQUE PRÆPOSITUS, *rationem actûs sui Domino redditurus.* Idem Cyprianus sic ad Jubaianum scribit: *Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater charissime, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quo minus unusquisque episcoporum, quod putaverit, faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis, & coëpiscopis nostris, non contendimus; cum quibus divinam, & dominicam pacem, tenemus.* Quantam hæc modestiam spirant! Nec soli sic sapuere Africani episcopi: sed etiam Asiatici. At non Stephanus. Quæ, ut liqueant, audiamus Firmilianum, Cæsariensem in Cappadocia episcopum, epistolâ inter illas Cypriani LXXV: quæ, credo, quia Stephanum satis acriter perstringit; eò, more illaudato, omissa est in editione Manutianâ. Sed habes in Morellianâ, Pamelianâ, & illâ Goulartii. Sic igitur ad Cyprianum scribit: *Per illius* (Stephani) *inhumanitatem, nunc effectum, ut fidei, & sapientiæ vestræ, experimentum caperemus. Sed non si propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus; statim Stephanus beneficio, & gratiâ digna commisit. Neque enim, & Iudas perfidiâ suâ, & proditione, quâ sceleratè circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi caussam bonorum tantorum ipse præstiterit, ut per illum mundus, & gentium populus, liberaretur.* Postea valde culpat Stephanum, quòd ob ea, ubi dissentire inter se Ecclesiis licet, rumpat charitatem. *Eos*, inquit, *qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem*

a Epist. ad Quintinum.
b Epist. ad Pompeium.

prætendere ; scire quis etiam inde potest ; quòd circa celebrandos dies Pascha, & circa multa alia, divinæ rei sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates ; nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis, multa pro locorum, & nominum, diversitate, variantur ; nec tamen propter hoc ab Ecclesia Catholica pace, atque unitate, aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam SEMPER *antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo, custodierunt.* Satis hæc ostendunt, non Firmilianum minùs, quàm Cyprianum, judicâsse, propter controversiam de rebaptizandis illis, qui ab hæreticis venirent, non debere Ecclesiam scindi. Quod concordiæ studium utinam omnes hodie in similibus imitarentur. Plerique enim Stephanum malunt æmulari. Postea etiam eum accusat *cæcitatis apertæ, & manifestæ stultitiæ, & imperitiæ.* Et, quòd fratres suos præsumeret excommunicare, sic eum compellat : *Peccatum quam magnum tibi exaggerâsti, quando te à tot gregibus scidisti ? Excidisti enim te ipsum. Nolite fallere. Siquidem ille est vere schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas, omnes à te abstinere posse ; solum te ab omnibus abstinuisti.* Quæ verba vellem animis suis inscriberent tam ad excommunicandum parati ob aliquem dissensum, sæpe interim sese retinentiores fidei Catholicæ. Postea etiam accusat, quòd præ superbia peccet, & contra præceptum Apostoli Ephes. IV. 1. 2. nolit humili spiritu servare unitatem. *Hæc*, inquit, *Apostoli mandata, & monita salutaria, quàm diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensûs, & lenitatem primo in loco servans ! Quid enim humilius, aut lenius, quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem ; modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus ; modo vobiscum, qui in meridie estis ? A quibus legatos Episcopos patienter satis, & leniter, suscepit ; ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret : adhuc insuper, dilectionis, & charitatis, memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet ; ut venientibus non solum pax, & commune ; sed & tectum, & hospitium, negaretur.* Quæ sanè ostendunt nimium Stephani zelum ; exiguum autem Ecclesiasticæ concordiæ amorem. Itaque continuò subdit Firmilianus: *Hoc est servâsse unitatem Spiritûs in conjunctione pacis, abscindere se à charitatis unitate, & alienum se per omnia fratribus facere ; & contra sacramentum, & fidem, contumaciæ furore discordiæ rebellare.* Quàm fœdum etiam istoc, quòd, ut postea subdit, *non puduit Stephanum, Cyprianum Pseudochristum, & Pseudoapostolum, & dolosum operarium, dicere !* Agnoscit quoque Baronius *a*, Stephanum Papam perstringi ab ipsis Patribus Concilii Carthaginensis : *Superest, ut de hac ipsa re, quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit : quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit ; cùm nec ipse possit alterum judicare, sed exspectemus universi judicium Domini nostri Iesu Christi ; qui* UNUS, *&* SOLUS, *habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesia sua gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Atque ex his, & similibus, (quod fusè alibi commonstramus) satis cognoscimus, Africanos, & Asiaticos episcopos, ita censuisse, primæ sedis episcopum non esse episcopum universalem : potestatem Urbici episcopi more, & traditione veteri, esse in Urbe, & provinciâ Romanâ ; quæ Latium vetus, & Novum, ac Valeriam, partem Thusciæ, & Piceni, complectebatur : neutiquam verò jus ei esse præscribendi episcopis totius Imperii Romani ; longeque minùs orbis universi. Antiquâ igitur consuetudine, de qua loquitur Concilium Nicenum can. VI. non habere jus in Italiam reliquam, nedum in totum Occidentem, ac Meridiem, etsi hoc Græci, tempore schismatis, facilè illi largirentur, de alieno liberales, non suo ; quandoquidem nullam illi ἐξουσίαν in Orientis Ecclesias concederent. Nempe verissimum est, quod Cyprianus ait libro de Unitate Ecclesiæ : *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.*

a Tom. 2. Annalium ad an. 252. num. 42.

FINIS.

DISPU-

DISPUTATIO XX.

DE

BAPTISMO;

SIVE QUARTA

DE ANABAPTISMO;

Quæ Historica est

De Catholicis, discrimen facientibus in hæreticis; quorum alios denuo tingerent, alios non item.

THESIS I.

EXplicui priorem historiæ partem de Catholicis rebaptizantibus: quæ præcipue fuit de sententia Synodorum, tum Africæ, tempore Agrippini, & Cypriani; tum Asiæ, tempore Firmiliani. Sequitur nunc altera de tribus Synodis consecutis; duabus generalibus, Nicenâ, & Constantinopolitanâ; ac particulari intermediâ, videlicet Laodicenâ. Auspicabimur à Concilio Niceno. Quod rebaptizari jussit Paulianistas, sive Samosatenianos: at Catharos, sive Novatianenses, non item.

De Catharis enim statuit hoc Concilium can. VIII, in clero eos permanere, postquam manus iis fuerint impositæ. Caussam ad eum Canonem adducit Balsamo; quia non erant σφάλλοντες περὶ τὴν πίστιν, ἀλλ' ὡς μισάδελφοι καταγινωσκόμενοι· *non circa fidem errantes, sed ob odium erga fratres condemnati.* De Paulianistis ita loquitur can. XIX: περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξ ἅπαντος. *De Paulianistis, ad Ecclesiam Catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut iterum baptizentur omnimodis.* Arabica translatio habet: *Siquis ex hæresi Pauli Samosatensis redierit ad fidem Ecclesiæ, debet iterum baptizari.* In Collectione Isidori Mercatoris est: *Siquis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis & Cataphrygis, statutum est, rebaptizari eos debere.* Meminit & ejus canonis Rufinus hist. Eccl. lib. 1. cap. VI: ubi Concilii ejus canonem XXI. facit: *Ut Paulianistæ, qui sunt Photiniani, rebaptizentur.* Et Augustinus de hæresibus ad Quodvultdeum hæres. XLIV: *Pauliani*, inquit, *à Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt; sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant. Istos sane Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholicâ, Niceno Concilio constitutum est. Unde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere; quam secum multi hæretici, cùm de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.* Ubi addit Augustinus, eò Paulianorum baptismum pro illegitimo haberi; quia non baptizarent in nomine Trinitatis: quippe quam negarent; unde & *secundi Iudæi* vo-
a P. 608. edit. Paris. an. 1622. cabantur. Epiphanius hæresi LXV a: Οὗτοι δὲ τὸν Ἰουδαϊσμὸν παραφθείροντες, οὐδὲν πλεονέκτημα τῶν Ἰουδαίων κεκτημένοι, δεύτεροι Ἰουδαῖοι κληθήσονται, καὶ Σαμοσατῖται. *Hi verò Judaismum corrumpentes, nihil amplius Judæis habentes, secundi Iudæi vocabuntur, & Samosateniani.* Nempe hoc vult, Paulum Samosatensem agnovisse Filium, & Spiritum S. sed non aliter, quàm in homine est ὁ ἴδιος λόγος: ut ibidem Epiphanius ait: eoque, dum mediam inter Christianos, & Judæos, insistit viam, corrumpere eum pariter, & Iudaismum, & Christianismum: ut qui hoc habeat cum Christianis commune, quòd Patrem, Filium, & Spiritum S. fateatur verum esse Deum: hoc verò cum Iudæis, quòd unam tantùm agnoscat in Deitate personam. Quid eum ad hanc sententiam impulerit, aperit Nicetas in Orthodoxæ fidei Thesauro lib. IV. Hæresi XXXII: *Zenobiæ, Syriam, Phœniciamque regenti, cùm Paulus obsequi vellet; ut quæ Iudaismum profiteretur; ipse quoque unum esse Deum docuit, qui Pater, & Filius, & Spiritus S. unus, idemque, diceretur. Unus enim, inquit, Deus est, & Filius ejus in eo; quemadmodum in homine ὁ λόγος, seu sermo.* Ab hoc igitur Paulo Samosateno *Paulianistæ* vocabantur: uti ab altero Paulo Samosateno Pauliciani, qui Manichæi erant: etsi Balsamo confundat. Sed diversos esse, constat ex Cedreno, Matthæo Blastare in Συνόψει, historiâ miscellâ in Nicephoro, & Michaële Imperat. Verba eorum non adfero; quia actum illud Iustello, Notis in Codicem canonum Ecclesiæ universæ, ad Can. XIX.

II.

Fecit & discrimen Concilium Laodicenum: sed hoc Phryges quidem, sive Montanistas, baptizari jubet: at sine baptismo admittit Novatianos, & Quartadecimanos: imò, quod mirum, etiam Photinianos.

Nam can. VII. jubet, Novatianos, Photinianos, & Quartadecimanos, ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα, χρισθέντας δὲ τῷ ἁγίῳ χρίσματι, οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ ἁγίῳ· *discentes fidei symbola, & inunctos sacro oleo, sic participes fieri sanctis mysteriis.* At canone proximo præcipit, Montanistas, sive Phrygas, μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατηχεῖσθαί τε, καὶ βαπτίζεσθαι· *omni industriâ instrui, & baptizari.* Synodus hæc Laodiceæ celebrata est in Phrygia Pacatianâ an. CCCLXIV. Aliqui tamen habitam censent ante Concilium Nicenum. Qui iccirco

de Photinianis delere jubent. Sed pro opinione priori est Codex Canonum Ecclesiæ universæ; quem Iustinianus Imperator confirmavit. In hoc enim Laodicenum Concilium proximè subjicitur Antiocheno; quod habitum anno Chr. CCCXLI. Interim vix sustinet animus credere, Photinianos non oportere rebaptizari, qui Christum putarent ψιλὸν ἄνθρωπον a.

a Merum hominem.

III.

Etiam inter hæreticos discrimen facit Concilium Constantinopolitanum primum, seu generale secundum. Quod baptismum eum prohibet iterari in Arrianis, Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, sive Catharis, Tetradiritis, sive Quartadecimanis, & Apollinaristis. At denuo baptizari mandat Cataphrygas, seu Montanistas; nec non Sabellianos, & similes.

Vide ejus Concilii can. VII b; ubi de priori ordine ait: Si libellum dederint, & hæresin suam fuerint exsecrati, sufficere, ut oleo inungantur ad obsignationem Spiritûs S. Posteriores verò priùs jubet Catechumenos fieri; exinde in faciem eorum, & aures, ter insufflari; ac demum, ubi abunde fuerint exercitati in sacris elementis, ad sacrum baptisma admitti.

b Sive can. 170. universi canonum corporis editi à Iustello.

IV.

Meritò autem aliquis miretur, non denuo baptizatos, qui venirent ab Arrianis. Quomodo enim hi in nomine Trinitatis baptizârint, qui & Filium, & Spiritum S. meras putarent creaturas? Verùm ne rebaptizarent, eò impulsi fuere Patres, quòd Arriani in baptizando formulam Catholicam retinerent: & in ipsis Catholicis innumeri baptizarentur, qui, cùm tingerentur, non caperent tam grande mysterium de trinitate hypostaseon in una essentia.

Favet huic sententiæ Concilium Arelatense I; quod de Arrianis ita loquitur: *Ex iis, qui propria lege suâ utuntur, denuo baptizentur. Quòd si in Patre, & Filio, & Spiritu S. baptizati fuerint; manus tantum eis imponantur, ut accipiant Spiritum Sanctum.* Etiam eandem rationem nobis adducit Augustinus lib. III. de Bapt. contra Donatistas cap. XV; *Quamobrem si Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Marcion baptismum consecrabat; integrum erat Sacramentum: quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra; sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. non solùm Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius; sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ, de quibus dicebat Apostolus; Non potui loqui vobis, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines, numerarentur.* Similiter quoque sensit Walafridus Strabo de divinis officiis cap. XXVI: *Celebratur ipsum baptisma; verum non nisi in nomine summæ Trinitatis; quod & Dominus ipse ostendit, & canones Apostolorum docent. Unde quicunque vel ab hæreticis in Trinitate baptizantibus, vel ab alio quolibet homine, sub appellatione legitimâ ejusdem sanctæ Trinitatis, fuerit baptizatus, rebaptizari non debet,* NE INVOCATIO *summæ divinitatis adnullari videatur.* Imò indefinitè adversus omnes, qui baptismum repeterent, facere videtur lex Valentiniani, Valentis, & Gratiani, lib. I. tit. VI. C. ne sanctum baptisma iteretur: *Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicitâ usurpatione geminaverit, sacerdotio indignum censemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui, Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis sacramenta sortitos, alio rursus baptismate, non purificant, sed inceſtant, lavacri nomine polluentes.* Vide & Cod. Theodos. lib. XVI. Tit. V. de Hæreticis Leg. V.

V.

Interim & Catholicorum nonnullis alia mens erat: qui cùm attenderent, non ad captum baptizatorum, sed mentem baptizantium; Arrianorum baptismum pro illegitimo, & irrito, haberent.

Videri possit in iis fuisse Athanasius: cujus hæc sunt verba orat. III. contra Arrianos a: Οὐ γὰρ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, διδόασιν οἱ Ἀρειανοὶ, ἀλλ' εἰς κτίστην, καὶ κτίσμα, καὶ εἰς ποίημα, καὶ ποιητήν. *Non enim in Patre, & Filio, tribuunt baptisma Arriani; sed in creatore, & creaturâ; in factura, & factore.* Ubi non hoc vult Athanasius, Arrianos istac usos esse formulâ (quamquam sic persuasum esse video hominibus etiam doctissimis) sed formulam ex eorum dogmate ita exponi debere; eoque, qui apud eos baptizantur, etsi in Patris, & Filii nomine, baptizari videantur; non tamen baptizari revera; quia aliter formulæ verba intelligant, quàm Catholici. Hæc enim continuò subjungit Athanasius: *Sicuti creatura diversum quid est à Filio: ita diversum quiddam à vero baptismate est, quod ab illis existimatur dari: tametsi nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis vident, simulent sese nominare. Non enim, qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum baptismum; sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet. Ideoque Salvator non quovis modo baptizandum præcepit: sed primum dixit, Docete; ac deinde, Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide baptismatis integra initiatio perficeretur. Certè aliæ etiam hæreses, eaque numero non pauca, dicunt nomina illa; sed non rectè sentientes, ut dictum est, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam, quam impertiunt: adeo ut, qui ab illis adsperguntur, sordescant potius pravâ religione, quàm redimantur. Ita quoque & Ethnici, quamquam Deum in ore habent, impietatis crimini subjiciuntur, eo quod verum Deum non agnoscant, Patrem Domini nostri Jesu Christi. Itidem quoque Manichæi, & Phryges, ac discipuli Samosatensis, nomina ipsa pronunciantes, nihil ob id sunt minus hæretici. Ita quoque deinceps, & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illuduntque iis, qui ab ipsis baptisma accipiunt.* Memorabilis hujus loci, quem, brevitatis caussa, Latinè solùm adscripsimus, sententia est hujusmodi: in baptismo non tam attendi oportere, quæ dicuntur, quàm quæ creduntur: atque iccirco Arrianos, Samosatenianos, & similes, non verè baptizare: quia etsi, si verba illorum consideres, baptizent in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti: tamen, si fidem eorum cogites, liqueat, minimè id agere, quod dicunt: quippe qui Filium non credant esse Deum, eoque in meræ creaturæ nomine baptizent: quod fini baptismi repugnat; ut quo homo nimis veri Dei religioni, & cultui, initietur, ac consecretur. Nec solius ea Athanasii opinio fuit; sed etiam Basilii, epistolâ canonicâ ad Amphilochium canone I b: ubi clarè ait, hæreticos omnes iterum esse baptizandos. Censet autem inter tria hæc distingui oportere: inter hæresin, schisma, & παρασυναγωγήν. Hæresin statuit in omnibus κατ' αὐτὴν τὴν πίστιν ἀπηλλοτριωμένοις c: hoc est, qui errorem tuentur fidei ipsi repugnantem. Schisma appellat, quando dissident inter se ob controversias ecclesiasticas, &, ut ibidem loquitur, ζητήματα ἰάσιμα d. Παρασυναγωγὰς vocat τὰς συνάξεις τὰς παρὰ τῶν ἀνυποτάκτων πρεσβυτέρων, ἢ ἐπισκόπων, καὶ παρὰ τῶν ἀπαιδεύτων λαῶν e, γινομένας. *Conventus à contumacibus presbyteris, aut episcopis, vel populis indoctis, habitos.* Ac singula hæc exemplis ibidem illustrat. Postea ait, Pepuzenos apertè esse hæreticos; quia Montano, & Priscillæ, paracletum attribuunt; eoque non in Patrem, Filium, & Spiritum S. sed Patrem, Filium, Montanum, & Priscillam, baptizent: ut apertè in Spiritum Sanctum injurii sint. Hinc colligit, eos non verè baptizare: ac caussam addit: οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ εἰς τὰ μὴ παραδεδομένα ἡμῖν βαπτισθέντες· *non enim baptizati sunt, qui non*

in

a Tom. I. pag. 219. edit. Commel.

b Edit. Paris. 1618. Tom. 2. p. 758.

c In ipsa fide abalienatis.

d Quæstiones medicabiles.

e Fort. λαϊκῶν.

in nobis tradita baptizati sunt. Imò addere non vetetur *a*, magnum illum Dionysium, Corinthiorum episcopum, hac parte non esse audiendum, cùm sententia ejus omnium judicio, qui vel paullùm rationis habeant, apertè falsa sit. Postea tradit *b*, Cyprianum, & ex Asiaticis Firmilianum, negasse verum esse baptismum, quem traderent Cathari, & Encratitæ, & Hydroparastatæ, & Apotactitæ. Porrò principio quidem tantùm fuisse schisma; ac proinde initio schismatis, verè baptizâsse, propter legitimam ordinationem sui; vereque per manùs impositionem, spiritualem gratiam contulisse. Verùm eos, qui illis successere, cùm non nisi à schismaticis sint constituti, non magis ait potestatem baptizandi habere, quàm si Laici forent. Cumque hujus se sententiæ esse, non obscurè indicet: non tamen abnuit *c*, quo minùs ab his baptizati sine iteratione baptismi admittantur; non quia verè sint baptizati; sed quia multorum præstantium virorum sententia sit, vere eos esse baptizatos, ac proinde in talibus paci, & concordiæ Ecclesiæ, aliquid dandum sit.

a P. 755. & impressis duabus sequentibus.
b P. 759.
c Ibid.

VI.

Non dubium verò, quin qui Arrianorum baptismum pro illegitimo haberent, iidem de illo Macedonianorum simile tulerint judicium.

Hinc B Hieronymus in Joëlis cap. II *d*: *Et quicunque credere se dicit in Christum, non credens in Spiritum, perfecta fidei oculos non habebit. Unde & in Actibus Apostolorum, qui baptizati erant baptismate Ioannis in eum, qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Iesu: quia responderunt Paullo interroganti; Sed ne si sit quidem Spiritus Sanctus novimus; iterum baptizantur; imò veram baptisma accipiunt: quia sine Spiritu Sancto, & mysterio Trinitatis, quicquid in unam, & alteram personam accipitur, imperfectum est.*

d Col. 66. edit. Froben an. 1553.

VII.

Distinctius verò de omni hoc negotio locati sunt, qui tria fecere genera ad Catholicam Ecclesiam accedentium. Primum illorum fuit, qui baptizarentur: alterum, qui non baptizarentur quidem, attamen ungerentur: tertium, qui nec baptizarentur, nec ungerentur; sed postquam anathema dixissent errori, ac schismati priori, à Catholica reciperentur Ecclesia.

Fusè hanc rem explicuit Timotheus, dum esset magnæ Ecclesiæ, sive Constantinopolitanæ, presbyter, & insuper custos vasorum sanctæ Deiparæ in Calchopratiis. Qui postea patriarcha fuit Constantinopolitanus, numero quadragesimus septimus: ut videre est ex Nicephori Chronicis. Hoc fuit circa annum Christi quingentesimum, sub Anastasio Imperatore. Judicium illud Timothei apud Balsamonem habes *a*. Uti etiam in Bibliotheca Patrum editionis secundæ *b*. Ac quia commemorat tres ordines, inque his varias hæreticorum appellationes; non abs re erit adire, quæ ad breve hoc Timothei scriptum addita sunt in Possevini Apparatu sacro, voce *Timotheus Presbyter.* Etiam in tres hosce ordines distinxit Theodorus Studites, sic dictus, quia antistes esset Monasterii, quod *Studium* appellabatur. Claruit anno ɔcccxvii; quando in Oriente Leo Armenius, in Occidente Ludovicus Pius, imperabat. Ex hujus epistola ad Naucratium, apud Balsamonem *c*, inque bibliotheca Patrum editionis secundæ *d*, verba Studitæ adponam: Τὸ δὲ τῶν βαπτισμάτων συντομώτερον ἀποκριθήσομαι. Τριχῇ διῄρηται τὸ θεώρημα. Βαπτίζονται μὲν γὰρ Μαρκιωνισταί, Τασκοδρούγγοι *e*, Μανιχαῖοι, καὶ οἱ σύστοιχοι αὐτῶν ὁμοῦ, ἕως τῶν Μελχισεδεκιτῶν, αἱρέσεις εἴκοσι πέντε. Χρίονται δὲ τῷ ἁγίῳ μύρῳ Τεσσαρεσκαιδεκατῖται, Ναυατιανοί, Ἀρειανοί, Μακεδονιανοί, Ἀπολλιναρισταί, ὁμοῦ πέντε. Οἱ δὲ μήτε βαπτιζόμενοι, μήτε χριόμενοι, ἀλλὰ μόνον ἀναθεματίζοντες τὴν ἰδίαν καὶ πᾶσαν ἄλλην αἵρεσιν, Μιλετιανοί, Νεστοριανοί, Εὐτυχιανισταί, καὶ οἱ τούτων ὁμόστοιχοι, μέχρι τῆς δεῦρο αἱρέσεως τῷ ἀριθμῷ οὐχ ὑποβαλλόμενοι μοι νῦν, τὸ παρὸν διὰ τὸ πολυσχιδὲς τῶν ἀκεφάλων. *De baptismis autem breviter tibi respondebo. Contemplatio trifariam dividitur. Baptizantur autem Marcionistæ, Tascodrugi, Manichæi, & qui sunt ejusdem ordinis, usque ad Melchisedechitas, xxv hæreses f. Inunguntur autem sacro chrismate Tessareskædecatitæ,* (sive Quattadecimani) *Novatiani, Arriani, Macedoniani, Apollinaristæ; simul quinque. Hi verò nec baptizantur, nec unguntur; sed solam propriam, & omnem aliam hæresin, anathematizant: Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, & qui sunt ejusdem ordinis, usque ad hæresin, quæ hic est à me in præsentia non numerata, eo quod acephali sint multiplices.* Ex quibus simul videmus, quàm laxè *hæreseos* vocabulo utantur veteres. Atque hoc ipse postea exponit Theodorus Studita. Quærit enim, quomodo Cathari, sive Novatiani, dicantur hæretici, cùm solùm sint schismatici. Ac respondet, quosdam hæreticos dici κυρίως *g*: idque διὰ τὸ εἰς αὐτὸ τὸ καίριον τῆς τελειωτικῆς ἡμῶν πίστεως ἀσεβῆσαι· *quia in præcipuis nostræ fidei, Trinitate videlicet, impie sentiunt.* Aliud verò hæreticorum genus eorum esse, qui sic appellentur κατὰ κατάχρησιν *h*: ut qui in Trinitatem credant, & in nomine ejus baptizent: sed in quopiam alio hæreticum quiddam sapiant; quod minoris tamen momenti præ Trinitatis dogmate, videatur. Tertii autem generis esse ait, siquis non sit κακόδοξος *i*; interim crimen commiserit, atque ejus convictus, & munere privatus, nolit cedere canonibus Ecclesiasticis. Quales fuisse ait à Miletio schismatico seductos.

a P. 1098. edit. Parisina anni 1620. Tom. 6. Col 619. 620.
b Tom. 6. Col 619. 620.
c P. 1099. edit. an. 1620.
d Tom. 6. col. 619. & 620.
e Epiphanius Tascodrugitas. Caussam ejus nominis adfert hæresi 48.
f Nempe enumerata apud Epiphanium: cujus mentio antecesserat.
g Propriè.
h Per abusionem.
i Male de fide sentiens.

FINIS.

DISPUTATIONUM DE BAPTISMO LEMMATA,

sive argumenta.

FINIS.

I N-

I N D E X

eorum, quæ hoc opere de

B A P T I S M O

CONTINENTUR.

Aqua.

D.

E.

F.

G.

H.

I

K.

L.

Sacra-

T.

V.

F I N I S.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

THESES THEOLOGICÆ ET HISTORICÆ

De Variis Doctrinæ Christianæ Capitibus,
Quas olim disputandas proposuit

IN

ACADEMIA LEIDENSI.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Prostant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS.
MDCCI.

SYLLABUS

ET

ORDO DISPUTATIONUM.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

THESES THEOLOGICÆ.

DISPUTATIONIS PRIMÆ DE CREATIONE, PARS PRIOR.

Thesis I.

Creatio nunc activè sumitur, ut est volitio divina, sive per se ipsam, sive per potentiam executivam res creans: nunc passivè, ut est ortus rei cum relatione quam ad creantem habet, ut effectus ad caussam, quod passivam creationem vocant καταχρηστικῶς, cùm, ubi subjectum est nullum, hoc nec pati aliquid propriè dicatur. Priori eam modo nunc consideramus: & cùm sic quoque diversimodè sumi possit, propter varias adeò notiones, quas id verbum in scripturis, Patribus, externisque scriptoribus habet: hoc loco intelligimus, actionem Dei externam, quâ vel è nihilo substantiam producit, vel materiæ à se productæ formam essentialem aliudve immediatâ virtutis suæ operatione inducit.

Creari dicitur tum quod secundum οὐσίαν totam virtute supernaturali producitur, uti res minimè obnoxiæ corruptioni, velut Angeli ac materia prima: tum quod aliquid sui εἴδους accipit à virtute divinâ, quomodo elementa creata sunt è materiâ primâ: quomodo item cor *a* novum in homine creatur, quando per vires supernaturales ad vitam novam gratiosè instauratur: tum quod ab agente particulari secundùm legem naturæ propagatur: ut in illo Tullii *b*, *Patria antiquior est parens, quam is, qui, ut aiunt, creaverit*: cùmque ait Maro *c*, *Sulmone creatos Quatuor hic juvenes*: à quâ notione est *procreare*: tum quod nobili artificis operâ conditur ac constituitur: unde idem Tullius ait *d*, *censuisse Zenonem artis maximè proprium esse creare & gignere*: & Ennius in Euhemero: *Dicitur Vesta hanc urbem creavisse*: tum quod ad præclari aliquid destinatur, uti consules, duces, magistratus apud Cic. Cæs. Liv. ac denique quo alii vel commodamus vel incommodamus, ut *voluptas*, *error*, *fastidium*, *periculum*, *lites*, aliaque apud classicos scriptores. Ex quibus variis adeò notionibus (quas etiam observavit Augustinus *a*) plerique eam quam primo posuimus loco, maximè hujus verbi propriam arbitrantur, inde autem ad aliam translatam. At hoc si esset, eam in linguâ suâ novissent prisci illi Romuli nepotes. Nunc vero constat, persuasum his fuisse: *De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti* b, Neque ex originatione ejuscemodi significatio erui potest, seu cum Sipontino nugari lubeat esse id verbi à κρέας, seu magis placeat esse ab antiquo κρέω seu κρείω, quod aliud notare Hesychius docebit: seu κατὰ συγκοπὴν factum sit ex antiquo cereo, ut rectè judicio nostro censet Varro *c* lib. v. de L. L. cujus verbi proles est cerus: quod etsi fortassis & sanctum significat, ut inde sit ceremoniis nomen, quâ formâ sanctimonia, matrimonium, aliaque à primigenio sunt deflexa: tamen repudiandum non est, quod Festus *d* in Saliari carmine *cerus manus* exponat *creator bonus*. Unde & Cererem hinc vocatam credere possemus (præsertim Servio *e* à creandis frugibus deducente, nisi ea & Græcis vocaretur γῆρος, Hesychio teste, & Hebræis בר notaret spicam virentem. Nos igitur minimè putamus creare primò proprieque de iis dici, quæ è nihilo producuntur: sed opinamur tam latè id verbum naturâ suâ patere quam vel Græcum κτίζειν, vel Hæbræum ברא: quod generatim notat magnificè aliquid efficere, &, ut significanter dicam, patrare, quod etiam monuêre Mercerus *f* ac Junius *g*, & inter alia comprobatur Num. XVI. 30. ubi ad verbum est, *Si creationem creaverit Deus, &c.* Agit autem Moses de pœnâ Koracho & asseclis ejus à Deo irrogatâ, quos vivos terra absorpsit. Et nihil manifestiùs ipsâ creationis historiâ, ubi verbum id, priusquam de quiete Dei agatur, bis & trigesies invenitur, (quod Hebræi, more suo, mysticè ad signandas triginta duas sapientiæ vias factum arbitrantur) nihil, inquam, manifestius quam in ea vocem ברא non de primi tantum diei opere dici, sed etiam iis quæ è materiâ deinceps producta sunt. Ut nihil dicam de eo quod eopse utitur Scriptura, tum de spirituali regeneratione, uti Psalm. LI. 12. accipi diximus: tum de rerum naturalium quasi è mortuis resuscitatione, ut

a Psal. 51. 12.
b Lib. de Republ. apud Non. in Antiquum.
c 10. Æn.
d Lib. 2. de Nat. Deor.

a T. 1. libri 2. contra adversarium legis & Prophetarum. cap. 23.
b Pers. sat. 3.
c Locus is in Aldinâ Romanâque editione corruptè editus est: sed emendationem sequor Jos. Scalig. cui ad eam video præisse veterem editionem Mediolanensem anni 1500.
d In Matrem Matutam.
e Georg. 1.
f In Gen. 1. 1.
g In πραεντιι. ad Gen. 1. 1. & loc. commun. c. 3.

ut Psal. CIV. 30. Imò ab Hebræo ברא sunt *parare*, *parere*, & Belg. Baren / quod idem cum *parere*. Quod verò verbum creandi, cùm sit laxæ adeo notionis, pressè tamen pro creatione è nihilo à Theologis accipi soleat, mirandum non est, cùm nobilissimus creationis sit modus omnimoda è nihilo productio. Itaque si communem nunc usum spectemus, minimè negamus creationem esse ex iis, quæ Scholasticis analoga, Aristoteli πρὸς ἓν dicuntur, ἢ πρὸς μίαν φύσιν, ac primò de ea dici, quæ rei dat esse simpliciter: secundò quæ rei dat hoc esse: quod cum naturâ & artis operatione habet commune. Sed hoc differt quod natura & ars caussæ sunt particulares, in creatione verò caussa universalis immediatè dat hoc esse, sive sola id præstat, ut in primâ naturæ constitutione factum: sive particulari caussâ cum universali ad eundem numero effectum concurrente, ut in naturæ administratione nunc fieri inferius ostendemus. Ac quia de creandi voce ipsâ hactenus egimus, illud obiter quoque inquiremus, an etiam id verbum in Scripturis de generatione divinâ usurpetur. Sanè LXXII. interpretes Prov. VIII. 21. voce κτίζειν utuntur de generatione τοῦ λόγου, ut quidem *a* Didymus & veterum alii eum locum interpretantur. Imo Chaldæus quoque paraphrastes hic ברא usurpat. Verum in Hebræo est, קנה, quod Aquila rectè vertit ἐκτήσατο i. possedit sive acquisivit. Itaque & quidem apud LXX. pro ἔκτισε corrigunt ἔκτησε, quod Græcum non est, & ab Complutensi, Romanâ, & optimâ quaque editione exulat. Nempe vel à LXX ad Hebræa provocandum: vel dicendum hic κτίζειν esse generare, quomodo creandi vocem Tullium & Maronem usos vidimus. Hac ratione non abibit sententia ab Hebræo, quia possidere sive acquirere per μετάληψιν antecedentis accipitur pro gignere aut parere: ut in Hevæ serm. Gen. IV. 1. Fortasse etiam vox eadem in Hebræo cap. 1. & XXIV. Ecclesiastici, ubi Sapientia itidem creata dicitur. Hebraicè enim ab avo sententias istas primitus esse scriptas, à nepote verò Græcè versas: ex interprete ipso Siracide didicimus. Sed de creandi voce satis. Addimus aliquid de voce ποιητοῦ καὶ δημιουργοῦ. Nam Philoponum *b* si audimus, iccirco Aristoteles neget τὸν θεὸν ποιητὴν εἶναι, ἢ ποιητικὸν αἴτιον τοῦ κόσμου, quia propriè ποιεῖν sit τὸ κατὰ ποιότητα μεταβάλλειν, quod Deo non convenit, quia non indigeat tempore, sed subitaneâ perfectione res producat, unde idem inibi colligit Deum rectiùs dici δημιουργὸν καὶ παραγωγὸν τοῦ κόσμου. Et sanè sic interdum loqui amant Patres: ut Justinus *c* cùm adversus Marcionem scripsit: ὅτι αὐτῷ τῷ θεῷ οὐκ ἂν ἐπείσθην ἄλλον θεὸν παρεισάγοντι παρὰ τὸν δημιουργόν. Verum non tantùm δημιουργὸν aut κτίστην, sed etiam quia nobilissimus est faciendi modus, cùm quis ποιεῖ τὸ ποιούμενον δημιουργῶν, icirco a strictâ illa Peripateticorum notione recedentes, vel maximè accommodatam Deo censent τοῦ ποιητοῦ appellationem: qua etiam utitur symbolum cùm Nicænum, tum quod Apostolicum vocatur. Imò Athanasius *d* lib. de Filii Dei incarnat. ait, πῶς ἔτι ποιητὴς καὶ δημιουργὸς ἂν λεχθείη ἐξ ἑτέρου τὸ ποιεῖν ἰσχύων; ἔσται δὲ, εἰ οὕτως ἔχει, ὁ Θεὸς τεχνίτης μόνον καὶ οὐ κτίστης.

a In cat. patrum Græc. in Proverb.

b Lib. 1. de generat. Gr. fol. 35. edit. Ald. Lat. translat. fol. 24 edit. Ven. 1549.

c Apud Eusebium hist. Eccl. lib. 4 cap. 17.

d Pag. 38. edit. Commel.

II.

Primaria creationis caussa est Deus Pater cum Filio per Spiritum sanctum.

Spissus igitur error Stratonis Lampsaceni, qui mundum putabat suâpte vi ab æterno fuisse.

Creationem omnium Deo acceptam fert cùm Moses in κοσμοποιΐας historia, tum Propheta Psal. XCV. 5. Isa. XLV. 12. Hier. X. 11. scriptor divinæ epistolæ ad Hebr. cap. III. 4. Ioh. Apoc. IV. 11. Ac perquam verisimile idem vidisse Anaxagoram, cùm νοῦν esse dixit principium mundi. Cùm verò opera Dei, quæ vulgò ad extra appellant, indivisa sint indistinctaque, erit ea personarum omnium communis, quod aliqui Hebræorum mysticè significari putant per duas primas voces Geneseos: ut nempe in ברא, &, בראשית prima consona Filium, altera Spiritum, tertia Patrem notat: quia inde hæ voces incipiunt apud Hebræos; cujusmodi curiosa magis sunt quam solida. Cæterum sic creatio Trinitati tribuenda est, ut interea servetur ordo ac modus in operando. Nam Pater creat à se per Filium & Spiritum S. Filius à Patre per Spiritum S. at Spiritus à Patre & Filio immediatè creat. Hoc voluit Basilius *a* lib. de Spiritu Sancto cap. XVI. προκαταρκτικὴ αἰτία τῶν γινομένων ὁ πατὴρ, ἡ δημιουργικὴ ὁ υἱὸς, ἡ τελειωτικὴ τὸ πνεῦμα. Unde liquet in symbolo ac Scripturis passim Patri creationem tribui non oppositè sed distinctè. Quanquam non solùm attendi videtur, quod Pater sit principium Deitatis, sed etiam quod creatio sit principium rerum. Convenientissimè enim principium rerum tribuitur principio Deitatis.

a P. 261. Basil. 1551.

III.

Instrumentalis verò creationis caussa nulla est. Siquidem solo nutu Deus mundum condidit, nullis adhibitis ministeriis vel machinis.

Non convenienter solùm, sed necessariò etiam creatio unius Dei opus esse dicitur. Nam creatura nulla ad rei etiam minimæ creationem, sive ut principalis, sive ut instrumentalis caussa possit concurrere. Docemur hoc experientiâ ipsâ. Siquidem videre est nullam naturalium caussarum agere sine subjecto: unde colligimus nec agere posse sine subjecto: quandoquidem nulla rebus potentia attributa est frustra. Sed an creatio secundum absolutam Dei potentiam communicabilis sit creaturæ, id verò subtilioris est disquisitionis. Putabat Longobardus *b* nihil impedire, quo minus Deus vim creandi conferre possit creaturæ, non quidem ut agenti principali, sed ut administro & tanquam instrumento suo. At pleraque omnis Scholasticorum natio dissentit, cùm alias ob caussas, tum quod videre se neget, quomodo instrumentis relinquatur locus, nisi vim ubi habent ad productionem effectus, quem principale agens intendit: hoc autem in creatione non fit, quoniam nihil est in quo occupari instrumentum possit. Durandus tamen negat ἀντιλογίαν involvere, acutè etiam eorum occurrit argumentis, qui dissentiunt. Posterius isthoc etiam facit Gregorius *c* de Valentia, & ferè est ut Durando subscribat: sed tandem assensum sufflaminat solâ SS. Patrum auctoritate compulsus. Propter quam ait persuasum se habere, *per nullam potentiam posse creatura convenire, ut aliquid producat ex nihilo*: & tamen propter argumentorum, quam ostenderat, invalentiam, agnoscit *rationem hujus repugnantiæ a priori nondum se habere compertam.* Quanquam verò omnis hæc quæstio videatur infructuosè curiosa, tamen utilitate omni non caret. Si enim creatio fuerit operatio Dei incommunicabilis, penetrantissimum hinc telum jaculari licebit, tum in Simonianos, Gnosticos, atque alios, qui Creationem Deo indignam judicantes, Angelis eam, vel æonibus, fictitiisve aliis potestatibus tribuere maluerunt: tum Arrianos ac Dulianos, qui *d* mundum à Christo factum ajunt, ut Patris instrumento. Nihilominus nos quæstione eâ superseisâ quod de absolutâ potentiâ dicunt quidam, contenti sumus negare de lege naturæ ordinariâ: de quâ etiam intelligi possunt Irenæus, Athanasius *e*, Epiphanius *f*, Augustinus *g* ipse, cum ait, *Creare naturam tam nullus potest Angelus, quam nec seipsum.* Porro ex his refelluntur Simo Magus, Arrius & alii, qui putarunt à DEO creatum Filium, à Filio Spiritum S. à Spiritu S. Angelos, ab Angelis mundum. Errant item Manichæi & Priscillianistæ, qui statuebant duo principia; unum bonum, quod condiderit Spiritus; alterum malum, quod condiderit corpora.

b Lib. 4. dist. 5.

c Tom. 1. quæst. 3. de generat. disp. 3. qu. 2.

d Iren lib. 1. cap. 20. 21. 22. 23. 24. Tertull. lib. de præscript. cap. 46. 47. 48. 49. Epiphan. hær. 27. Aug. de Hær. hæresi 3. 4. 5. 7. 8. 11. 20. 46. 70. 81.

e Athanas. serm. 3. contra Arrianos.

August. hæresi 49.

f Locis superius citatis.

g De Genesi ad literam lib 9. cap. 15.

Impel-

IV.

Impellens creationis caussa est bonitas Dei, quâ affectas fuit ad bonitatem suam communicandam: ordinatrix est sapientia, secundum cujus præscriptum Deus egit: executrix est potentia qua libere est usus.

De impulsiva sic Psaltes Ps. CXLV. 9. *Bonus JEHOVA universis, & misericordia ejus super omnia opera ipsius.* Vide universum Psalm. CXXXVI. hinc Nazianzenus *a* orat. in Nativitatem Christi, οὐκ ἤρκει τῇ ἀγαθότητι τὸ κινεῖσθαι μόνον τῇ ἑαυτῆς θεωρίᾳ, ἀλλὰ ἔδει χεθῆναι τὸ ἀγαθὸν, καὶ ὁδεῦσαι ὡς πλεῖστα εἶναι τὰ εὐεργετούμενα. Et Augustinus Enchir. cap. IX. *Satis est Christiano rerum creatarum caussam, non nisi bonitatem credere creatoris.* Fusè hoc de argumento Dionysius lib. de Divinis nominibus cap. IV. part. I. Imò, ut observat quoque Irenæus lib. III. cap. ult. vidit hoc ipsum Plato. Ejus in Timæo verba Tullius sic expressit. lib. de Universitate: *Quæramus igitur caussam quæ impulerit eum qui hæc machinatus sit, ut originem rerum & molitionem novam quæreret. Bonus erat. Bonus autem invidet nemini.* Platonis *b* verba sunt: Λέγωμεν δὴ δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος.

a P. 617. edit. Morell.

b T. 2. pag. 29. edit. Henr. Steph.

V.

Materia ex quâ omnia producta & in quam ultimò possunt relabi est Nihilum, non privativè, sed negative sumptum, quod ab intellectu humano per ἀφαίρεσιν omnis entitatis consideratur, primæque Dei communicationis est capax. Materies vero creationis ut res corporea dat esse particulare, alia est prima, alia inde orta. Prima fuit rudis indigestaque moles, ex qua omnia secundum formas suas distincta, & secundum partes, ordinem situmque convenientem disposita sunt c. Orta seu secunda materies vel simplex est ut elementa: vel composita ex elementis. Ita costa Adæ d materies fuit matris omnium viventium: at Adæ ipsius, uti & terrestrium animalium ac plantarum, terra materies fuit: aqua e autem piscium & volacrium.

c Gen. 1. 2.

d Gen. 3. 22.

e Gen. 1. 20.

De materia prima intelligendus Moses Genes. 1. 1. cùm Deum in principio creasse ait cœlum & terram, quibus verbis, ut interpretum bona pars agnoscit, & versu secundo comprobatur, significat materiem informem & quasi seminarium cœli terræque: vel saltem confusam congeriem cœlorum & elementorum, viribus ac qualitatibus aliis destitutorum, nec convenientem ordinem habentium ratione universi. Nec aliter accipi deberet, si pro שמים i. cœli legi deberet מים i. aquæ, ut in quibusdam Hebræorum codicibus legitur. Nempe ut versu primo non minùs quam secundo utriusque elementi meminerit Moses. Nos tamen receptam lectionem retinemus ob codd. longe plurium auctoritatem & Latinarum Græcarumque tralationum consensum. Quod verò Moses materiem eam vocat תהו ובהו, id Aquila vertit κένωμα καὶ οὐδὲν, Symmachus ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον, Theodotio κενὸν καὶ οὐθὲν, LXX quos vocant, ἀόρατον καὶ ἀκατασκεύαστον: nos Mercerum sequuti, priori vocabulo informitatem, altero ἀταξίαν significari putamus: ut aptè omnino ab Ovidio *f* dicatur *rudis indigestaque moles.* Cæterum cùm hanc ipsam materiem (chaos vocat Hesiodus *g* & post eum alii) à Deo in initio creatam testetur Moses, meritò damnamus Marcionem *a*, Hermogenem *b*, Manichæos *c*, Hermianos & Seleucianos *d*, hæreticos materiarios, ut tales Tertullianus *e* vocat, ut qui mundum quidem à Deo factum agnoscant, sed ex præexistente materia: quin etiam Sabellium similiter sensisse tradunt Baronius *f*, Pamelius *g*, alii: pro qua sententia non aliud invenio quam quod Philastrius, & ex eo August. Sabellianos etiam Hermogenianos ab Hermogene *h* dictos tradunt: tum autem quod, (uti ex Eusebio *i* discere est) Dionysius quibus libris adversus Sabellium scripsit, hunc quoque Hermogenianorum errorem refellit: quod argumentum non satis validè id adstruit quod volunt. Porrò ante hæreticos istos idem senserunt Pythagoras & Plato: de illo Tertullianus *k*, de hoc auctores nobis cùm Apuleius *l*, & Laërtius *m*, tum Tertullianus *n* & Ambrosius *o*: item Stoici, ut præter Ciceronem testis Tertullianus *p*, & Lactantius *q*, imò fortasse Thales *r*, cui duo principia Mens & Aqua. Atque adeò (ut cæteros Philosophos mittamus, quorum sententiam refert Censorinus *s*) antiquissimi omnium Hesiodus & Homerus: quorum illius de chao opinio nota ex Theogonia: hunc vero Odyss. δ. per Proteum primam & principem caussam, ut vox ipsa indicio est: per Eidotheam, materiam quæ varias suscipit formas, intellexisse censet Sext. Empiricus adversus Mathem. Quanquam Augustinus Steuchus *t* Hesiodum & alios veterum excusat, quasi per chaos (quod fuisse docent *Ante mare & terras & quod tegit omnia cælum* u) haud aliud intellexerint quam vacuitatem rerum & densissimas rerum non existentium tenebras, h. e. sempiternum nihil, quo refert quod Aquila & Theodotio *x* תהו interpretantur οὐδέν. Sed subtilius quam verius, cùm satis ex Aristotele & aliis pateat, quid veteres de chao senserint. Cæterum hanc materiariorum sententiam refellit Tertullianus lib. adversus Hermogenem, Athanasius initio lib. de incarnatione verbi, Lactantius lib. II. cap. IX. Eusebius *x* lib. VII. de præparat. verbi cap. VIII. Nyssenus cap. XXIV. Epiphanius hæres. LXVI. Augustinus pluribus locis, Elias Cretensis in orat. I. Nazianzeni *y*. Ut veteres illos mittam, quorum scripta adversus eum errorem deperierunt, de quibus Euseb. passim histor. Eccles. lib. IV. & seqq. Mirum verò è gentilibus unum Senecam non ausum dicere materiam esse æternam, sed de eo dubitasse. Sic enim scribit in natural. quæstion. præfat. *Quam utile existimas ista cognoscere, & rebus terminos ponere: quantum Deus possit? materiam ipse sibi formet; an data utatur?*

VI.

Forma creationis est ipse divinæ actionis modus, quod non per caussam particularem, sed immediate; nec difficultate aliqua, sed nutu ac arbitrio soloque omnipotente verbo omnia produxit. Unde Psalm. XXXIII. 9. Dixit & facta, mandavit & creata sunt omnia. *Et Genes.* 1. Dixit Deus, sit lux, & fuit lux. *Item*: dixit Deus, sit expansio in medio aquarum & dividat aquas ab aquis: & fuit ita, *&c.*

Plerisque creationis forma est substantiæ ex nihilo productio. Nempe ut Augustini verbis dicunt: *Ideo Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est.* Etiam non nemo *z* Damasceno se tuetur, qui immediatè creati dicat, quæ ex nihilo facta sunt: mediatè quæ inde facta sunt. Sed paraphrasis librorum Damasceni de fide orthodoxa, in qua ea immediatæ mediatæque creationis distinctio legitur *a*, non est Damasceni, verum cujusdam qui avorum nostro-

s Cap. 4. quod explicat Lips. phil. Stoic. l. 3. dissert. 5. t In Gen. p. 34. u Ovid. 1 Metam x. P. 196 & seqq. edit. Rob. Steph. y Col. 73. edit. Morel. comm. de Creat. a Lib. 2. cap. 5.

a Tertull. lib. 5. adversus Marcionem. c. 19. b Idem lib. contra Valentinum cap. 16. & contra Hermogenem cap. 1. & de præscript. cap. 33. & Theodoret. hæret. fab. lib. 1. de Hermogen. c Epiph. hæres. 66. pag. 271. Gregor. Nyssenus de opificio hominis c. 23. & August. de hæres. cap. 46. d Philastrius de hæresi & August. hæres. 59. e Adversus Hermog. cap. 25. f T. m. 2. Annal. ad annum 270. g In suo annot. in Tertull. lib. contra Hermog. h Philast. & Aug. cap. de Sabell. sed Philastrius ex Augustino hac parte supplendus. i Libr. 7. præparat. Evang. cap. 8. k Advers. Valentinum c. 15. l De dogm. Plat. m In Plat. n Advers. Valent. cap. 15. o Lib. 1. hexaem. cap. 1. p Lib. de præscript. cap. 7. & lib. 5. adversus Marc. cap. ant. penul. adversus Hermog. cap. ult. q L. 7 c. 3. r Laert. in Thal. x Baca loc.

nostrorum memoria vixit, Jod. Clichthovæi. Præterea suprà ostendimus, creata etiam dici animantia, plantas, aliaque quæ intra sextum diem ex materia Deus produxit: neque id tantum respectu materiæ antea ex nihilo productæ, sed etiam ratione formæ, quam non particulare agens, uti in generatione & artificialibus fit, sed caussa universalis, idque nutu solo in materiam induxit. Imò inferius probabimus etiam ea quæ hodieque generantur, creari à Deo, quatenus cum particulari caussa, quæ sola non sufficeret, divina volitio ut universalis caussa immediatè ad formæ productionem concurrit.

VII.

Minimè verò infinita Dei sapientia, quæ sola omnium formas finxit, adjuta in creando fuit formis ullis separatis. Nam ut Esaias cap. XL. 13. *ait*, Quis adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?

Cùm exemplar rectè referatur ad formam, (ut quæ sit caussa formalis, sed separata & extrinseca, cujus intuitu artifex producit effectum) quæritur hoc loco an Deus quoque in efficiendo respexerit exemplaria quædam operis sui extra se constituta: uti Platonem voluisse Aristoteles tradit lib. 11. Metaph. cont. 2. & alibi. Sed meritò separatas istas ideas rejiciunt Justinus orat. parænet. ad Gentes *a*, Nazianzenus 1. de Theolog. *b* Ambrosius lib. 1. Hexaëm. cap. 11. ubi disertim ait: *Dei Filium esse creatorem mundi, non ideâ quadam duce imitatorem materia, ex quâ non ad arbitrium suum, sed ad speciem propositam sua opera formaret.* Similiter Augustinus *c* *Non Deus extra se quicquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat. Nam hoc opinari sacrilegum est.* Rectè sanè. Nam derogat hæc opinio plurimum infinitæ Dei sapientiæ, quæ nullius extrinseci indiga sola sibi sufficit ad excogitandas singulorum formas, eoque ipsa est unicum omnium rerum exemplar. Sed de ideis in mente divina, longè aliter idem statuit. Mox enim subjungit: *Quod si hæ rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divinâ mente continentur: neque in divinâ mente quicquam nisi æternum atque incommutabile potest esse: atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato: non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, & ejusmodi atque incommutabiles manent: quarum participatione fit, ut sit quicquid est, quoquo modo est.* Nempe etiam quæ Platonis fuerit sententia ambigit: & meritò, quandoquidem eum ideas intellexisse, non extra, sed intra intellectum Dei subsistentes, non solum Ficinus, Steuchus & juniorum alii existimarunt; sed idem clarè testantur Seneca epist. LVIII. & LXV. & Plutarchus lib. 1. de placitis philosophorum cap. III. *a* cujusmodi ideas etiam agnovit Severinus Boëthius: item duo ἀντιβολιμαῖοι scriptores, sed Platonis studiosissimi, Hermes Trismegistus & Dionysius Areopagita, ut cæteros mittam. Boëthii quidem sunt ista *b*, sanè quam venusta:

—— in cuncta superno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Nempe virtualiter, ut loquuntur, ideas in divina mente locarunt, non formaliter, quia non sunt formæ naturæ divinæ inhærentes, ut in luto vel cera: qua de re plura Gabr. Buratellus lib. de Ideis.

a Pag 5. edit. Commel.
b P. 535. edit. Morell.
c T. 4. lib. 83. quæstionum qu. 46.
a P. 1618. edition. H. Steph.
b Lib. 3 de consolat. carm. 9.

VIII.

Finis creationis vel proximus est vel remotus. Ille est finis ᾧ sive operantis: hic est finis οὗ sive operis. Finis ᾧ, est bonum creaturæ & imprimis hominis: finis οὗ est demonstratio bonitatis, sapientiæ & potentiæ divinæ: bonitatis quidem, communicando se iis, quæ non erant: sapientiæ, disponendo omnia pulchritudine ordine ac varietate admirabili: potentiæ, tam multa, tam magna, tam varia ex nihilo condendo.

Non tamen hic finis propriè movit Deum, quandoquidem is est αὐταρκής: *Cui esse sibi sufficit, efficitque cuncta*: ut eleganter ea de re cecinit vir ævi nostri incomparabilis. *c*. Verum finis hic ex actu creationis resultat; imò ἐνυπάρχει in eo continetur. Nempe uti si herus in famuli gratiam præster quicquam, non eum sui, sed famuli ob finem agere censemus: itidem cùm Deum ad communicandam creaturæ bonitatem suam agere dicimus, hoc ipso indicamus non agere illum ob bonitatem sui, ut bonum suum, sed ut bonum creaturæ. Quod igitur Proverb. XVI. 4. dicitur, *Universa propter seipsum operatus est Dominus*: non sic intelligi debet quasi operatus sit propter se ut finem sui, sed ut finem universi. Hominis verò gratiâ conditum esse hoc universum, etiam saniores gentilium agnoverunt. Fusè enim id probat Tullius lib. II. de Nat. Deorum *d*. Eandemque sententiam Stoicis tribuit Lactantius lib. de Ira Dei cap. XIII. & firmat idem Seneca lib. VI. de benef. cap. XXIII. Alibi tamen sic *e* scripsit: *Non nos caussa mundo sumus, hiemem æstatemque referendi: suas ista leges habent, quibus divina exercentur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.* Sed, uti ante nos viri docti observarunt, non aliud voluit, quam non nostri solùm, sed etiam Deorum gratia fabricatum esse hoc universum. Quod & Tullius *f* asserit lib. de Nat. Deorum.

c Jul. Scal. Epidorp. lib. 7. carm. 1.
d Pag 57. & segq. edit. Ald.
e Lib 2 de Ira, cap. 27.
f Loco ante indicato

DISPUTATIONIS PRIMÆ DE CREATIONE, PARS ALTERA.

Thesis IX.

Effectum creationis est universus mundus, hoc est, σύστημα illud, quod in scriptura nunc à περιφερείᾳ centro, cæli & terra; nunc à partibus globi inferioris, terra & maris nominibus appellatur: ac præter cælum & terram, omnem eorum, ut scriptura loquitur a, *exercitum comprehendit. Cujus compagis perfectionem non tantùm singulorum arguit absolutio, sed etiam tum ingens naturarum varietas ac distinctio, tum insignis partium ordo ac connexio. Estque hujus ordinis beneficium, quod in tantâ rerum dissimilium multitudine mundus nihilominus non nisi unus existimetur.*

a Gen. 2. 1.

Nempe uti sermonem non solùm ἰσόκωλα, πάρισα aut ὁμοιοκατάληκτα, sed etiam ἀντίθετα exornant: itidem pulchritudo ac perfectio universi non tantùm in singulorum perfectione, sed eorundem inter se dissimilitudine ac contrarietate consistit. Quod ipsum significat his verbis Augustinus lib. XI. de C.D. cap. XVIII. *Sicut contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum, sed rerum eloquentiâ, contrariorum oppositione seculi pulchritudo componitur.* Sed in hac tamen dissimilitudine & contrarietate rerum admirabili omnia inter se ordine connectuntur: haut aliter ac partes humani corporis & inter se & totum ex partibus consurgens ordinem habent, quo sine nec mundus foret mundus: unde optimè philosophi ajunt, ordinem esse formam universi, pulchritudinis parentem, mutuæ rerum amicitiæ indissolubile vinculum, catenam auream, sine quâ neque in unitate foret multitudo, neque in multitudine unitas, sed in turbatam illico omnia congeriem dissolverentur.

X.

Nec tantùm earum rerum creationem tribuimus Deo, quas primis sex diebus ἀμέσως fecit, sed omnino omnium quæ sunt, fuerunt, erunt. Nam caussæ particulares dependent à prima, nec sine concursu ejus obtinent effectus suos: sed utraque caussa eopse tempore suâ utraque operatione opus idem producit.

Durandus *b* asserebat effectus particulares propriè esse à caussis secundis, non verò à Deo, nisi mediatè: contra Gabriel negabat effectus esse à caussâ particulari, solùmque concedebat agere Deum præsenti caussâ particulari: alii denique regiam sectantes viam, sic statuerunt: res neque à solo Deo immediatè produci, neque duntaxat à caussis secundis, sed primam secundamque caussam ad idem effectum ἀμέσως concurrere. Gabrieli obducimus locum Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem & facientem semen juxta genus suum*: & similia. Unde Augustinus lib. VII. de C.D. c. XXX. *Sic Deus administrat omnia quæ creavit, ut etiam proprios exercere & agere motus sinat.* Durandus verò refellitur, quoties Deus in scripturis non tantum cœlum terramque, sed quæcunque in ussum, fecisse traditur, ut Psal. CXLVI. 6. & Actor. XIV. 15. & imprimis cum hodieque creare omnia ac conservare dicitur, modo etiam exertè apposito quo id faciat: ut Iob. X. 8. & seqq. & Psal. CXLV. 16. & Joh. V. 17. Vide omnino illustrem hac de re Augustini locum epist. CXLV. ad Consentium: ubi aliis quoque script. testimoniis hoc confirmat.

b Lib. 2. sent. qu. 5. dist. 1. num. 11. & seqq.

XI.

Cur verò mundos plures aut esse, aut fuisse, aut fore unquam credamus, ratio nulla vel credere vel opinari compellit: contra ut unum unicum statuamus, Scriptura jubet, quæ cum curatè visibilia Dei opera recenseat, nusquam tamen plurium meminit: adhæc semper mundi unici unicum Servatorem tradit.

Damnamus igitur Anaximandrum, Anaximenem, Archelaum, Xenophanem, Diogenem, Leucippum, Democritum, Epicurum, ejusque discipulum Metrodorum, quos innumerabiles statuisse mundos Plutarchus *a*, Stobæus *b*, & alii prodiderunt: nempe ut Elias Cretensis testatur *c*, metuebant ne alioqui divina potentia Deique bonitas infinita in angustias redigeretur. Ac Metrodorus *d* id ipsum icone istiusmodi firmabat, *Absurdum esse ut una spica in magno campo produceretur, & ut unus in infinito mundus.* Ἄτοπον εἶναι ἐν μεγάλῳ πεδίῳ ἕνα ἄσταχυν γενηθῆναι, καὶ ἕνα κόσμον ἐν τῷ ἀπείρῳ. Opheos hæreticos similiter desipuisse docet Augustinus *e*. Imò Origenes quoque, etsi unum uno tempore esse mundum credebat, putavit tamen & ante hunc fuisse alios, & post hunc alterum fore, & illi semper successurum alium atque alium: eoque & Christum sæpius passurum: ut quod profuit semel, semper prosit adsumtum: quemadmodum ex secundo tertioque περὶ ἀρχῶν ostendit Hieronymus epist. ad Avitum, quâ propositum docere quid cavendum sit in istis Origenis libris. Idem tamen Hieronymus *f* alibi quærit, cum Apostolus dicat *secundum seculum hujus mundi, utrumnam & aliud seculum sit quod non pertineat ad mundum istum, sed ad mundos alios: de quibus Clemens in epistola sua scribit: Oceanus & mundi qui trans ipsum sunt.* Sed Apostoli mentem ipse post aperit: Clementem verò intellexisse putamus terras ultra Occidentalem & Australem Oceanum: quas istoc ævo non quidem propriè notant, nec enim oculis viderant: sed tamen ut ex Platonis Atlantide *g* constare potest, auditione acceperant, & ut ex iis patet, quæ de antipodibus tradunt, ratione esse colligebant. Hos vero mundos alios vocat, quomodo Britannicas insulas à poëtis alterum orbem dici, Servius *h* scripsit (novos sanè orbes vocat Seneca *i* in gratiam Claudii Britannicam expeditionem primi post Iulium cogitantis *k*.) quomodo item Ammianus *l* refert in obeliscis Ægyptiis *sculpta conspici volucrium ferarumque, etiam alieni mundi genera multa.* Quo modo denique Avitus apud M. Senecam *m* pro figmento habet quod diceretur, *Fertiles in Oceano jacere terras, ultraque Oceanum rursus alia litora, alium nasci orbem.*

a Lib. 2. collect. physic. dogm. apud Cyrill. lib. 2. adversus Iulianum.
b Eclog. phys. l. 1. cap. 21. pag. 52.
c Col. 73. edit. Morell.
d Apud Stobæum loco paullo ante citato.
e Hæres. 77. & indice hæres. qui in præfat. Augustini legitur.
f Comm. in Eph. 2. 2.
g Plat. in Timæo p. 24. & 25. edit. H. St.
h Ad illud eccl. 1. & penitus toto divisos orbe Britannos.
i Medea vers. 378.
k Sueton. in Claudio cap. 17.
l Lib. 17. initio propius quam medio.
m Suas. 1. initio eorum quæ extant.

XII.

Quæcunque autem Deus condidit, optima condidit: optima inquam cum qualitatis ratione, tum relatione ad rerum creatarum inter se commoditatem. Utrumque enim significatur Gen. I. 31. Viditque Deus quicquid fecerat, ecce autem bonum erat valde. *&* 1 *Tim.* IV. 4. omnis creatura Dei bona est.

Quod verò Es. XLV. 5. 7. legimus: *Ego Dominus & non alius, formans lucem & tenebras: faciens pacem & creans malum*: id de afflictione intelligi debet: uti & quod est Amosi III. 6. *Non est malum in civitate, quod Deus non fecerit.* Pœnale malum vulgò appellant. Sic dies, quibus fors premit adversa, mali dicuntur: unde illud Christi Matt. VI. 43. *Sufficit diei malitia sua*, i. ærumna. Nam κακία idem ac κακὸν, quomodo & κακότητος voce usus Hesiod. ἐν ἔργ. Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. Damnamus igitur Manichæos, qui putabant naturas quasdam esse simpliciter malas: ut ignem quendam, aquam, fumum, ventum: unde & ea non à bono sed malo Deo condita dicebant. Qua de re Augustinum vide hæres. XLVI. & imprimis lib. de natura boni, quem adversus Manichæos scripsit.

XIII.

Mundum non fuisse ab æterno, sed in tempore creatum esse à Deo, clarè discimus ex Proverb. VIII. 22. *& seqq. Ioh.* XVII 5. *Eph.* I. 4. *idemque Moses ostendit, cum in ipso historiæ suæ ingressu scripsit,* In principio Deus creavit cœlum & terram.

Cum juniorum aliqui, ut Augustinus Steuchus *a*, tum etiam veterum *b*, ut de iis Hieronymus *c* & Augustinus *d* prodiderunt, per principium intellexerunt Filium Dei, eo quod Apostolo teste *e*, in eo condita sunt universa. Estque hæc sententia quoque consona Thalmud Hierosolymitano, quod *in principio* interpretatur in sapientia. Melius tamen Basilius, Nyssenus, Ambrosius, in suis hexaëmeron libris, & ante eos Athanasius, *f* de principio temporis interpretantur: melius item Philo *g*, qui non quidem intelligit ἀρχὴν τὴν κατὰ χρόνον, sed censet τὸ ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ἴσον εἶναι τῷ πρῶτον ἐποίησε τὸν οὐρανόν. Ut & Aben-hezra, qui principium creandi intelligit. Quæ interpretatio simplicissima est. Neque soli scripturarum mystæ mundi incunabula agnovere, sed plerique gentium philosophi idem statuerunt: quemadmodum testatur Peripateticorum princeps *h*, qui tamen ipse *i* cum Ocello Lucano *k* quem in multis sequi amat, ἀγένητον τε καὶ ἄφθαρτον εἶναι ἀπεφαίνετο μόνος, ἀϊδιον δὲ κατεσκεύαζε τὸν κόσμον: ut & Peripateticus Critolaus *l* postea fecit, & Abenroës: & è Platonicis Proclus *m* Lycius. Quanquam Albertus magnus & eo major discipulus Thomas Aquinas persuasum nobis cupiverunt, non tam propositum Aristoteli fuisse, æternitatem mundi ἀποδεικτικῶς ac invictis rationibus comprobare: quam illud solum ostendere, mundum non esse genitum: hoc est, non incepisse per motum: quæ Philosophorum priorum sententia erat. Eamque sententiam eo firmatum eunt, quod hoc solum, non item æternitatem exquisitissimæ etiam Aristotelis rationes evincant: tum autem quod inter problemata Dialectica *n*, de quibus in utramque partem disputari possit, referre non dubitavit, utrum mundus sit æternus. Cæterum licet non eamus inficias solum Dei spiritum in scripturis loquentem creationem mundi firmiter persuadere: tamen ex naturâ quoque ipsâ erui rationes possunt, quæ sententiam de æternitate mundi convellant, seculorumque primordia quasi digito ostendant. Nam si interibit mundus, cœpit quoque: interiturum verò ex senio ejus cognoscimus: de senio autem inde liquet, quod mundus nondum effœtus omnia majora, vel (quando non desunt qui istoc in controversiam vocant) meliora saltem ediderit: quorum alterum, (plerique etiam utrumque) agnoscunt ex Hebræis apocryphus Esdras *a* & Philo *b*: ex Christianis Cyprianus, qui fusè hoc de argumento agit epist. ad Demetrianum: item scriptores externi, uti ex Græcis Homerus *c*, ex Latinis Lucretius *d* Maro *e*, Tremellius apud Columellam *f*, Seneca *g*, Plinius Veronensis *h*, atque alii. Etsi mundus semper fuit, unde esse dicemus, quod nulla antiquiorum temporum monumenta habemus? cujus argumenti evidentiâ compulsus Epicureus Lucretius, mundum cœpisse fateri cogitur lib. v.

—— Si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cæli, semperque æterna fuere:
Cur supra bellum Trojanum & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere poetæ?

Et Macrobius *i*: *Quis*, inquit, *non hinc æstimet mundum quandoque cepisse, nec longam retro ejus ætatem, cum abhinc ultra duo retro annorum millia de excellenti rerum gestarum memoria ne Græca quidem extet historia?* Plura ibi Lucretius & Macrobius in hanc mentem. Ac ne quis fortasse ab historia Græca, cujus solius Macrobius meminit, provocet ad barbaram, scite convenit, neminem τῶν ἔξωθεν scriptorum antiquiora narrare Beroso Chaldæo: sed tamen is non altius quàm à Noachico diluvio orsus fuit: ut locuples testis est Iosephus lib. I contra Appionem. At tam gentilium quàm sacrorum scriptorum vetustissimus est Moses: ut præter eundem Iosephum scribunt Iustinus *k*, Tertullianus *l*, Clemens Alexand. *m* Eusebius *n*, Augustinus *o*, alii. Atqui ab Adamo ad annum hunc Christi ∞. Iↄ CXVIII. (qui æra Dionysica est ∞. Iↄ CXVI.) tantum anni fluxere LXV. supra quinquies mille & quingentos juxta exactissimum computum Josephi Scaligeri. Hæc cui non sufficiunt, adeat eruditè & eleganter hoc de argumento dissertantem Plessæum lib. de veritate relig. Christianæ cap. VIII. ac imprimis Augustinum Steuchum integro lib. VII. perennis philosophiæ: quo & creationem multis probat, & priscis fuisse temporibus notissimam clarè ostendit, & Aristotelis, Procli, Simplicii, aliorumque argumentis solidè respondet.

a In Gen. 1. 1.
b Basil. Hexaëm. homil. 1. quem & Ambrosius sequitur & Augustinus l. 1. de Genes. cap. 1.
c T. 3. initio Hebr. quæst. in Genes.
d Lib. 12. confess. cap. 28.
e Coloss. 1. 16
f Orat. in illud, omnia mihi tradita sunt à patre meo. T. 1. pag. 326. edit. Commel.
g Lib. de creatione mundi p. 4. edit. Turneb.
h Lib. 1. de cæl. cap. 10. text. 102.
i Lib. 8. de natur. ausc. & alibi.
k Lib. de univers. cap. 1. & apud Philonem de mundo non interituro.
l Apud Philonem eodem libro.
m Apud Philopon.
n Top. l. 1. cap. 9.

a Lib. 4. cap. 5. v. 54. 55.
b Lib. de opificio mundi. pag. 22. edit Turn.
c Il. μ. v. 383. & apud Varronem & ex eo Gellium l. 3. c 10.
d Lib. 2. v. 1150. & lib. 5. v. 798.
e 12. Æn. v. 900.
f Lib. 7. cap. 1.
g Sub finem epist. 90.
h Lib. 7. cap. 16.
i In somnium Scip. lib. 2. cap. 10.
k Paræneſ. ad Græcos pag. 7. & 25. edit. Commel. & apolog. 2. p. 56. 63 70. & 72.
l Apolog. cap. 19.
m Lib. 1. Strom. p. 138. & seqq. edit. Commel.
n Præfat. Chron. & de præpar. Evang. lib. 10. cap. 3.
o Lib. 18. de Civit. Dei 1. 37.

XIV.

Hanc etiam quæstionem movent plurimi, utrum mundus per absolutam Dei potentiam creari potuerit ab æterno. Super quo ingens Scholasticorum est dissensus. Nos etsi eos qui id asserunt, difficulter refelli putemus, iis tamen aggregare nos malumus qui absque principali tempore condi aliquid potuisse negant.

Ariminensis quidem, Gabriel, Occam & alii eorum quos nominales vocant, contenderunt quascunque orbis partes potuisse Deo esse coæternas. Durandus verò credidit, hoc iis solum mundi partibus competere, quæ, ut loquimur, habent esse permanens: uti cælum, Angelum, hominem. At Thomas, Hervæus, Capreolus, Soncinas, Cajetanus, Sotus hoc privilegium restringunt ad ea quæ non inducant actualem infinitatem, uti cælum & elementa: adimunt cæteris, uti generationi humanæ consideratæ qualiter hactenus fluxit: sic enim nunc temporis animæ forent actu infinitæ. Albertus verò, Henricus Gandavensis, Marsilius & Toletus negant ἁπλῶς creaturam ullam ab æterno produci potuisse. In tanto dissensu maluit Scotus *p* προβληματικῶς pro utraque sententiâ disputare, quam certi aliquid definire. Cujus nos modestiam sic sequimur, ut magis interim propendeamus in sententiam Alberti: non quidem solo argumentorum pondere compulsi, (quando nec destituuntur alii iis quæ verisimiliter obducant) sed quia in re adeo controversâ obscuraque caussam non videmus cur recedere oporteat à patribus antiquis, quos sibi Albertus assentientes habet. Audiamus augustum doctorem lib. XII. de Civ. Dei cap. XV. *Quomodo (Angeli) creati dicendi*

p 2. dist. 1. qu. 3.

di sunt, si semper fuisse intelliguntur? Similiterque Damascenus lib. 1. orth. Fid. cap. VIII. ἡ κτίσις ἐκ τῆς θελήσεως ἔργον οὖσα, οὐ συναΐδιός ἐστι τῷ θεῷ. Ubi cur aliquid Deo vel coæternum vel non coæternum sit, caussam hanc adfert, quod vel à natura vel à voluntate Dei emanarit. Nimirum quæ prioris sunt generis ab æterno sunt, exactamque divinæ naturæ similitudinem habent: unde & Athanasius orat. II. contra Arrianos eo mundi æternitatem impugnat, quod diversæ sit naturæ à creatore suo. Adi & Basil. lib. II. contra Eunomium. Ambrosium lib. 1. Hexaëmer. cap. III. Neque nescimus nunquam defuisse Deo vires ad creandum mundum: ac momentum nullum concipi à nobis posse, quo non mundus creari potuerit. Verum dicimus ex parte rei creatæ vel modi quo res creantur ἀντιλογίαν esse, si externus ullus divinus voluntatis effectus credatur esse ab æterno. Attamen solidam istius ἀντιλογίας caussam adsignare, hoc opus, hic labor est. Interea, ut Gregorius quoque Valentinianus *a* concludit, *putandum est hujus impossibilitatis subesse aliquam rationem, licet ea nondum satis comperta videatur.*

a *Tom. 1. com. Theolog. disp. 3. quæst. 3. punct. 2.*

XV.

Est verò mundus à Deo conditus non necessitate naturæ; quæ mens Aristotelis, (nec enim vel obligatus erat ulli, vel indigebat mundo) sed liberè: eoque & condere eum prius, & serius, & omnino etiam non condere potuit: ac qualem nunc creavit, tales quoque alios facere tunc quivit, & potuit æternum. Errat igitur & Epicurus qui putabat mundum fortuito atomorum concursu factum.

Quod igitur Aristoteles *b* mundum esse unum inde colligi posse putavit, quod materia prima sic formis omnibus expleta sit, ut nihil fabricandis aliis supersit, errorem erravit mutæna Tartessia grandiorem. Nullis enim limitibus potentia Dei circumscribitur, eoque is & novam creare materiam & alium inde architectari mundum, quoties lubeat, possit.

b *Lib. 1. de cæl. c. 9. com. 93. 94. & seqq.*

XVI.

Facilè verò eorum retunditur curiositas, qui quærere sustinent, si Deus condere semper mundum potuit, cur tam condiderit serò, & anne otiosus fuerit antequam mundus esset. Nam prioris quæstionis vanitatem arguit, quod si vel millies milleuorum seculorum myriadibus ante condidisset, eadem tamen quæstio superesset. De posteriori autem res plana est, quia ad Dei beatitudinem nihil ex orbe condito accessit, cum sua sibi perfectio fuerit ac regnum. Nec otiosus fuisse dicendus est, qui quæ sunt, fuerunt, erunt, mente contemplatus fuit, ac, ut Apostolus testatur a, elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta.

a *Eph. 1. 3.*

Hinc Claudius Marius Victor initio lib. 1. com. in Genesin:

Regnabatque potens in majestate creandi,
Iam res & caussas rerum casusque futuros,
Et facienda videns, gignendaque mente capaci
Secula dispiciens: & quicquid tempora volvunt
Præsens semper habens. Immensum mole beata
Regnum erat ipse suum: regni nec teste carebat
Virtus trina Deus.

Nempe quod Deo suo usu venire ajunt Stoici post mundi conflagrationem aut diluvium (quæ cum Heraclito putabant fieri κατά τινας περιόδους ἐναλλὰξ καὶ ἀποκαταστάσεις *b*) hoc accommodari possit Deo Israëlis. Eorum verò sententiam nemo clarius expressit Senecâ epist. IX. cum ait: *Iupiter resoluto mundo & diis in unum confusis* (stellas omnes, terram, mare Deos esse *c* credebant, eosque in unum Jovem i. ignem converti) *paulisper cessante naturâ acquiescit sibi cogitationibus suis traditus.* Quod ipsum apud Diogenem Laertiensem Zeno voluit, cum dicit τὸν θεὸν κατ' ἀρχὰς καθ' αὐτὸν ὄντα, *Deum cum in principio apud se esset.*

b *Laert. in Heraclito. Numenius apud Euseb. Cic. 2. de Nat. Deor pag. 49. edit. Ald.*
c *Cic. 4. Acad. p. 30. edit. Ald. Plutarch. de com. notion. pag 1956. Gr. edit. H. Steph.*

XVII.

Omnia porrò Deus in instanti creasse est dicendus, si singula seorsum & in se spectemus: sed si eadem consideremus, ut intervallo certo aliorum aliis creatio successit, sex diebus Deus creationem continuavit: septimo demum ab novarum specierum productione quievit: quo iccirco, sua quietis exemplo, homines quiescere jussit.

Singula singulorum dierum opera, & quæ in Mosaicâ historiâ considerari conveniat, hac tabellâ complexi sumus:

Narrat Moses
- κτίσιν
  - cœli
    - beatarum animarum
    - ætherei
  - terræ h. e. materiæ quatuor elementorum communis. } primæ
- μίξιν
  - elementorum ordinationem
    - ignis cujus effectum Lux.
    - aeris qui intelligendus nomine Expansi. } secundæ
    - aquæ & terræ separatio.
  - corporum sensus expertium in terra cœloque propter animalia generatio
    - plantarum in terra } tertiæ
    - solis, lunæ siderumque in cœlo } quartæ
  - animalium ipsorum
    - piscium,
    - avium,
    - terrestrium bestiarum } quintæ
- πλάσιν
  - hominum
    - maris & feminæ } sextæ

} diei opus.

Puta-

Putarunt quidam Deum uno omnia die creasse: sed opera in sex dies distingui, ut melius distinctiusque ab humanis mentibus considerentur. Hoc Siracidæ *a* illo adstrui posse censent: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Sed præterquam quod apocrypha canonicis opponi non debent, Græcè est non ἅμα, sed κοινῆ, hoc est pariter: ut sententia sit, omnia unum agnoscere creatorem sive *communiter*, ut in Complutensi transfertur, hoc est, *communi lege*, ut Iunius vertit, & accipi debere sequentia inibi ostendunt. Quod si vidisset Augustinus, non tantopere se in eo loco torsisset, lib. V. de Genes. ad litteram. cap. III. & lib. VI. c. V. & seqq.

a Eccl. 18. 1.

XVIII.

Usus doctrinæ de creatione multiplex est. Nam præterquam quod scripturarum perfectionem docet, quibus solis hoc fidei caput plene & perspicue traditum est: simul hinc discimus bonitatem, sapientiam, potentiam Dei: ad discrimen inter Deum Israelis & Deos gentium: unde Deus apud Ierem. cap. x. Dii qui non fecerunt cœlum & terram pereant de terra. *Etiam hinc cognoscimus jus Dei in omnes creaturas: ut qui creationis beneficio consequatur potestatem præscribendi nobis quod velis: & immorigeros gravissimis cùm animi tum corporis suppliciis & hic & post hanc vitam puniendi: atque adeo (si jus illud in se & citra promissionee spectemus) etiam obedientes non remunerandi, imò in nihilum eos redigendi.*

Quin si Macarium Ægyptium, item incertum scriptorem libri de prædestinatione & gratiâ, Augustino falsò tributi, & pauculos alios sequamur: Deus ratione prædita, hoc ipso quod ejus sunt opificia, ut ut nihil peccent, æternis possit pœnis addicere. Verùm nos hoc omnino ab justitiâ Dei alienum putamus: in quo sequimur reliquum & multis partibus majorem Sanctorum Patrum chorum. Imò eos ipsos, qui dissentire videntur, intelligendos putamus de potestate absolutâ citra justitiam considerata; quæ nihil aliud est nisi Chimæra.

XIX.

Quia autem ex creatione cognoscimus Deum & jus ejus in creaturas: ac prius omnino est ut Deum cognoscamus, quam ut venerari eum possimus: (unde David Salomoni a, Cognosce, *inquit*, Deum Patris tui & cole eum:) *hinc meritò divinus legislator volumina sua à creationis historia auspicatus fuit. Et hacpropter, quamquam sciamus Hebræos veteres non aliis quam qui ad ætatis ἀκμὴν pervenissent, ejusce historiæ lectionem permisisse: minime tamen dubitamus, quin utiliter etiam pueris & adolescentibus proponatur, atque ab iis legatur.*

a Paralip. 28. 9.

Hos qui mysterium creationis nossent, celare illud jubent plerique Rabbinorum: & eos inter (ut Mercerus *b* quoque observat) Moses Ben-Nahman, quem Ramban vocant per Nun in fine, qui & Moses Gerunensis, cum Rambam per Mem finale sit R. Moses Ben-Maimon sive Moses Ægyptius. Plenius verò hanc consuetudinem narrant Orig. in Cantica, & Hier. in prolog. galeato *c*, & in Ezechielem præfat. ad Eustochium. Uterque verò auctor est nobis, quatuor omnino fuisse, ob quorum profunditatem seu difficultatem Hebræorum magistri lectione eorum his interdicerent, qui nondum pervenissent ad annum sacerdotalem, h.e. ætatis trigesimum. Ea erant primordia mundi, quæ tribus primis Genes. capitibus traduntur: initium & finis Ezechielis, quorum illo de Cherubim & majestate divinâ; hoc de templi tertii structura agitur: ac canticum canticorum, in quo quæ de autore divino intelligi debent, facilè juvenili affectu aliovorsum rapiantur. Aliqui etiam totius Genesios lectione prohibuisse adolescentes putant: ut Prosper lib. III. de vitâ contemplativâ cap. 6; *Propter hoc fortè ab antiquis fuit decretum, ne qui adolescentium legerent Genesios librum, ac partem pariter Ezechielis prophetæ, vel Canticum canticorum, & cætera talia, in quibus generationes & actus & nomina quarundam scripta sunt mulierum. Quas licet secundum historiam fuisse credamus, earum tamen nominibus virtutes figuratas accipimus.* Quanquam verò quò Hebræi illi spectârint, vel hinc obscurum non est, tamen non dico adolescentiæ sed pueritiæ etiam adeo utili πρωτοπλαστίας lectione interdicere religio sit. Tantùm moneatur, ut hanc reverenter legat, nec affectu eo quo gentilium historiæ legi solent.

b Proleg. in Genes.

c Ubi de Ezechiele.

DISPUTATIO SECUNDA

DE

PECCATO PRIMO ADAMI.

PEccatum Adami (quod Apostolus generatim ἁμαρτίαν, παράβασιν, παράπτωμα, & παρακοὴν *a* nominat) bifariam consideratur: ut est Adami proprium, & ut totius est humani generis commune. Nos iis in præsentia omissis, quæ ad peccatum illud pertinent, quatenus posteritati omni imputatur, nunc de eo tractabimus, quatenus est personale. Ac ne quidem omnia illa adferre animus est, de quibus disputari in scholis solet; sed ea tantummodo, in quibus veteres hæretici ab Ecclesiæ doctrina recesserunt. Cujusmodi sunt hæc quinque:

a Rom. 5. vers. 12. 14. 15. 19.

I. Utrum Adam liberè peccârit.
II. An, ut peccaret, à diabolo per serpentem fuerit persuasus.
III. An peccando sit factus mortalis.
IV. An per peccatum amiserit vires piè vivendi.
V. An per semen mulieris peccati sui veniam sit consecutus.

De singulis horum ordine deinceps agemus.

DE PRIMA QUÆSTIONE.

Thesis I.

PEccatum Adamus & evitare potuit, & facilè potuit. Quod etiam verba indicant Dei dicentis *b*: DE OMNI *arbore horti comedendo comedes: at de arbore scientiæ boni & mali non comedes.* Nam sententia esse videtur, ex tot arborum numero unius duntaxat fructibus interdico, ut videas, quàm facilè præceptum hoc observare possis, etiam sine dispendio voluptatis.

a Gen. 2. vers. 16. 17.

Thesis II.

Et sanè semper sic sensit Latina Græcaque Ecclesia, & ante utramque, populus Hebræus: de quo fidem nobis fecerit Siracides cap. xv. *b* cùm ait: *Deus ab initio fecit hominem & reliquit illum in manu consilii sui: adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te, & fidem facere beneplacitam in perpetuum. Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem est vita & mors, bonum & malum, & quod voluerit, dabitur illi.*

b Vers. 14. 15. 16. 17. 18.

Sic quoque Origenes cap. 24. in Matth. *Quantum ad se, homines non ad perditionem creavit, sed ad vitam & gaudium.* *c* Athenagoras serm. de Regeneratione, ubi ait: Ὁ τοῦδε τοῦ παντὸς δημιουργὸς ἐποίησεν ἄνθρωπον ἐπὶ τῷ ζωῆς ἔμφρονος μετασχεῖν, καὶ γενόμενον θεατὴν τῆς τε μεγαλοπρεπείας αὐτοῦ καὶ τῆς ἐπὶ πᾶσι σοφίας, τῇ τούτων συνδιαμένειν ἀεὶ θεωρίᾳ, κατὰ τὴν ἐκείνου γνώμην, καὶ καθ' ἣν εἴληχε φύσιν. *Universitatis opifex hominem fecit, ut prudentia in agendo uteretur, & ut factus spectator magnificentiæ suæ, una cum horum contemplatione semper permaneret idque secundum propositum & voluntatem ipsius, naturamque quam illi ingeneravit.* Athanasius de Incarnatione verbi *d*: Εἰδὼς δὲ πάλιν τὴν ἀνθρώπων εἰς ἀμφότερα νεῦσαι δυναμένην προαίρεσιν, προλαβὼν ἠσφαλίζετο νόμῳ καὶ τόπῳ τὴν δοθεῖσαν αὐτοῖς χάριν. εἰς τὸν ἑαυτοῦ γὰρ παράδεισον αὐτοὺς εἰσαγαγὼν, ἔδωκεν αὐτοῖς νόμον. ἵνα εἰ μὲν φυλάξαιεν τὴν χάριν, καὶ μένοιεν καλοὶ, ἔχωσι τὴν ἐν παραδείσῳ ἄλυπον καὶ ἀνώδυνον καὶ ἀμέριμνον ζωὴν, πρὸς τὸ καὶ τὴν ἐν οὐρανοῖς ἀφθαρσίας αὐτοὺς τὴν ἐπαγγελίαν ἔχειν. εἰ δὲ παραβαῖεν καὶ στραφέντες γένοιντο φαῦλοι, γινώσκοιεν ἑαυτοὺς τὴν ἐν θανάτῳ κατὰ φύσιν φθορὰν ὑπομένειν καὶ μηκέτι μὲν ἐν παραδείσῳ ζῆν, ἔξω δὲ τούτου λοιπὸν ἀποθνήσκοντας, μένειν ἐν τῷ θανάτῳ καὶ ἐν τῇ φθορᾷ. *Animadvertens rursum arbitrium defectumque hominis utroque vergere, mature hanc gratiam quam ipsis dederat, legis & loci, præsidio communitam voluit. Introduxit igitur eos in suum ipsius paradisum, edictumque præscripsit, ut si gratiam illam conservarent probique permanerent, fruerentur, in paradiso sine mærore, sine anxietate hilarissimâ vitâ, præter etiam id, quòd ipsis in cælo immortalitas destinata erat. Sin autem prævaricationem facerent, & ad improbitatem averterentur, cognoscerent se per mortem pro ipsorum naturâ corruptionem subituros, neque victuros in paradiso, sed extra paradisum postmodum morituros, & in morte corruptioneque permansuros esse.* Et inferius eodem libro: *e* Τῆς ἰδίας εἰκόνος αὐτοῖς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεταδίδωσι, καὶ ποιεῖ τούτους κατὰ τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν· ἵνα διὰ τῆς τοιαύτης χάριτος τὴν εἰκόνα νοοῦντες, λέγω δὴ τὸν τοῦ πατρὸς λόγον, δυνηθῶσιν ἔννοιαν δι' αὐτοῦ τοῦ πατρὸς λαβεῖν, καὶ γινώσκοντες τὸν ποιητὴν, ζῶσι τὸν εὐδαίμονα καὶ μακάριον ὄντως βίον. *Suam imaginem Dominum nostrum Iesum Christum illis (hominibus) impertitus est, creavitque illos secundum suam ipsius imaginem, ut nimirum Patris rationem agnoscentes etiam ad Patris intelligentiam contenderent, quo ita cognito suo creatore, verè beatam & felicem viverent vitam.*

c Pag. 61.
d Tom. 1. pag. 39.
e Tom. 1. pag. 45.

Thesis III.

Ratio quoque idem evincit. Nam si Adam necessariò peccavit, aut necessitas illa erit à natura, aut à Diabolo, aut à Deo. A naturâ non fuit, quia homo conditus est liberi arbitrii. Aliter si esset, non dissimulasset Adamus, cùm de excusatione sui laboraret *a*. Atqui, ut scitè Tertullianus *b* ait, *nunquam figulo suo dixit, non prudenter desinxisti me: confessus est seductionem, non occultavit seductricem: rudis admodum hæreticus fuit: non obaudiit, non tamen blasphemavit creatorem, quem à primordio sui bonum & optimum invenerat.*

a Gen. 3. 12.
b Lib. 2. adversus Marcion.

Thesis IV.

Nec necessitas illa à diabolo fuit, quia consilium dare is potuit, cogere non potuit. Quod igitur suasit, à diabolo est: quod persuasit ab homine est. Nec enim *diabolus hominem cepisset, nisi jam ille sibi placere cœpisset*: ut optimè ait Augustinus *c*.

c Lib. 14. de C. D. cap. 13.

Thesis V.

Longè minus necessitas à Deo erat: quia seu qualitates consideremus in creatione inditas, fecit eum bonum & ad imaginem sui *d*: seu finem creationis spectemus, condidit eum ad agnitionem & cultum creatoris sui.

d Genes. 1. 27. & 5. 1.

Thesis VI.

Nec dici potest Deum Adamo dona subtraxisse, quæ contulerat prius. Nam lapsus desertionis, non desertio lapsus caussa fuit.

Thesis VII.

Permisit quidem Deus: sed permissio ea nihil est aliud, quàm suspensio efficientiæ, qua Deus per potentiam suam actu impediret peccatum. Sane impedimentum tale attulit peccato Deus, quale impedire illud & debuit, & potuit. Nam hominem condidit bonum ac secundùm imaginem suam: esu arboris interdixit: pœnam gravissimam est interminatus, quæ hominem maneret, si peccaret. Sed impedimentum, quod efficax vocant, pati eum noluit: cujus rationes etsi multæ latere possint in thesauro sapientiæ divinæ, tamen duæ satis sunt apertæ.

Thesis VIII.

Una earum est à priori, quia destruere noluit opus suum, voluntatem scilicet, aut auferre, quam semel permiserat, arbitrii libertatem: Unde Tertullianus lib. 11. adversus Marcionem cap. VII. *Si semel homini permiserat arbitrii libertatem, & potestatem, & dignè permiserat, utique fruendas eas ex ipsa institutionis auctoritate permiserat: fruendas autem, quantum in ipso, secundum ipsum, id est, secundum Deum, id est, in bonum. quis n. adversus se permittet aliquid? quantum verò in homine, secundum motus libertatis ipsius.*

Thesis IX.

Alteram rationem, quæ à posteriori est, ponit Augustinus lib. de corr. & grat. cap. IX. *Deus permisit hominem tentari, sciebat esse casurum, quia simul videbat eo casu se uti posse ad misericordiam & justitiam declarandam, dum ex massâ damnatâ alios justè*

juste puniet, alios misericorditer liberabit. Et cap. seq. *Qui creavit omnia valde bona, & mala ex bonis exoritura præscivit esse, scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere.*

Adam & Evam nunquam habuisse, unde stare possent in statu innocentiæ; docuit, seculo nostro, Georgius Pauli, Cracoviensis minister: quemadmodum de eo scribunt Joannes Wigandus libro de Deo contra novos Arrianos, & Gabriel Prateolus lib. XVIII. Elenchi hæreseon. Ac jam olim, Gnosticorum, Manichæorum & Priscillianistarum hæresis fuit, neque nobis esse, neque fuisse Adamo arbitrii libertatem, sed peccata omnia obtingere necessario. De Gnosticis, pater ex Valentinianis, de quibus sic Augustinus lib. de hæresibus: *De tricesimo seculo dicit Diabolum genitum, & a Diabolo alios natos, qui fecerint hunc mundum. Et ideo malitiam non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi.* Idem ostendit Valentiniana hominum divisio in πνευματικοὺς, ψυχικοὺς, & σαρκικοὺς sive ὑλικοὺς seu χοϊκοὺς: de qua vide Irenæum lib. I. cap. I. Tertullianum adversus Valent. cap. XXIV. & seqq. imprimis XXIX. Clementem Alexandrinum Epitome sive Excerptis ex Theodoto *a* (quæ fragmentum esse videntur octo librorum τῶν Ὑποτυπώσεων) ac denique Epiphanium hæresi XXXI. *b* Idem liquet ex Marcione, Hermogene, Bardesane, & Colarbaso; teste Augustino de hæresibus: ut nunc Eusebium, Epiphanium, Theodoretum, atque alios mittam.

a P. 346. edit. Florent. Græc.
b Pag. 89. Bas. Gr.

Etiam Manichæi crediderunt, peccatum omne esse à necessitate naturæ, quia Deus coagmentarit hominem ex bona malaque substantia: unde & hominem à concupiscentia liberari ajebant, non per sanationem vitiosi accidentis, sed per separationem malæ substantiæ: qua de re fuse Epiphanius hæresi LXVI. & Augustinus contra Faustum Manichæum, & de hæresi cap. XLVI. Denique Priscillianistæ similiter siderum potestati actus hominis adscripsere: de quibus Augustinus de hæres. cap. LXX. B Prosper in Chronicis ad annum CCCLXXXII *c*. Sulpitius Severus lib. II. Leo Magnus epist. XCIII, ad Turibium Asturiensem Episcopum, Gregorius M. diversarum in Euangel. prælect. homil. X. Isidorus Hispalensis lib. VIII. Origin. cap. V. Sigebertus ad annum CCCLXXXVI.

c In vulg. cod. sed juxta Sial. Prosper. 380.

Contrà Ecclesia Catholica semper statuit, peccatum non esse à Deo malo, vel naturæ necessitate, sed arbitrii libertate: Unde de Adamo passim testantur Patres potuisse eum persistere, si voluisset. Tertullianus adversus Marc. lib. II. cap. VIII. *Igitur sicut Deus hominis vitæ statum induxit; ita homo sibi mortis statum attraxit. Et hoc non per infirmitatem, sicut nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur.* Athanasius de incarnat. Verbi Dei *d*: κατὰ τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα ἐποίησεν αὐτοὺς, μεταδοὺς αὐτοῖς καὶ τῆς τοῦ ἰδίου λόγου δυνάμεως. ἵνα ὥσπερ σκιάς τινας ἔχοντες τοῦ λόγου, καὶ γενόμενοι λογικοὶ, διαμένειν ἐν μακαριότητι δυνηθῶσι, ζῶντες τὸν ἀληθινὸν καὶ ὄντως τῶν ἁγίων ἐν παραδείσῳ βίον. *Ad suam ipsius imaginem illos ac lineamenta effiguravit, dedique illis sua rationis dotem, ut veluti umbras quasdam rationis possidentes, rationalesque effecti, perseverare possent in beatitudine, viventes veram, & revera sanctorum in paradiso vitam.* Similiter Basilius orat. Quod Deus non est autor peccati; *e* ubi ait, Hominem & Angelum simili esse conditione creatos. Mox verò scribit, libertatem angelicam ejusmodi fuisse, ut Gabriel, qui perstitit, potuerit peccare: & Satan, qui peccavit, mandatum potuerit præstare. Γαβριὴλ ἄγγελος, καὶ παρέστηκεν τῷ θεῷ διηνεκῶς. ὁ σατανᾶς ἄγγελος, καὶ ἐξέπεσε τῆς οἰκείας τάξεως παντελῶς. κἀκεῖνον ἡ προαίρεσις ἐφύλαξε ἐν τοῖς ἄνω. καὶ τοῦτον κατέῤῥιψε τῆς γνώμης τὸ αὐτεξούσιον. ἐδύνατο γὰρ κἀκεῖνος ἀποστατῆσαι, καὶ οὗτος μὴ ἐκπεσεῖν. Parem verò & hominis & angeli conditionem fuisse, ostenderat antea his verbis: Πόθεν πονηρὸς ὁ ἄνθρωπος; ἐκ τῆς οἰκείας αὐτοῦ προαιρέσεως. πόθεν κακὸς ὁ διάβολος; ἐκ τῆς αὐτῆς αἰτίας, αὐθαίρετον ἔχων καὶ αὐτὸς τὴν ζωὴν, καὶ ἐπ' αὐτῷ κειμένην τὴν ἐξουσίαν, ἢ προσμένειν τῷ θεῷ, ἢ ἀλλοτριωθῆναι τοῦ ἀγαθοῦ. Chrysostomus in Genes. III. cap. homil. XV *a*. *Nusquam necessitas, nusquam violentia, sed electio & voluntas. Dedit solum* (mulier Adamo fructum) *& non coegit, nec vim attulit.* Et homil. de interdictione arboris ad Adam *b*: *Manifestum est, Deum noluisse Adam peccare, qui voluit eum ante delictum præstruere, quia & Adam potuit serpentem contemnere, qui Deo noluit obedire. Potuit Adam & Deo parere, quod noluit, qui consentire diabolo maluit. Utrumque enim in sua habuit potestate, & Deo parere, quod noluit, & diabolo non consentire, quod voluit. Unde & vitæ gloriam perdidit, & mortis periculum acquisivit.* Eadem mens Augustini lib. I. Retract. cap. XV: *Cur ergo,* inquiunt, *parvuli tenentur rei? Respondetur, quia ex ejus origine tenentur, qui non fecit, quod facere potuit, divinum scilicet servare mandatum.* Lib. de corrupt. & grat. cap. XI. *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam.* Et ibidem: *Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem. In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset.* Item scriptor Hypognosticon lib. III. pene initio. *Per velle malum* (Adam) *perdidit posse bonum, quia per posse bonum potuit vincere velle malum.* Idem, cùm Siracidæ locum citasset, quem superius adduximus, ista subjungit: *Quid est autem, Et reliquit in manu consilii sui, nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrii sui? In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, quâ stare potuisset, si servare mandata Domini voluisset.* Prosper lib. contra Collatorem cap. XVIII. *Dubitare fas non est, eum tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseverare, quæ vellet, & merito voluntaria perseverantia in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset.* Fulgentius de incarnatione & gratia cap. VI. *Credimus bonum & sine ulla carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adam, magnaque præditum libertate, ita ut & bonum facere in propria facultate haberet, & malum, si vellet, posset admittere.*

d Tom. I. pag. 39. edit. Commel.
e P. 164 & 165. edit. Bas. 1551. Gr.
a Tom. I. col. 44. edition. Biller.
b Col. 209.

Quæritur an Adam potuerit perseverare. Negant multi eo argumento, quod ad hoc indiguerit speciali gratia, quam Deus absolute Adamo noluerit conferre. Verum tota antiquitas censet Adamum vel per vires solas quas habebat potuisse tentationi resistere, vel (quod nobis quoque verisimilius fit) eas saltem habuisse vires, quibus, si uti voluisset, certo consecutus fuerit specialem illam gratiam, quá ad resistendum tentationi indigebat. Nempe ut se in Adamo ratio habuerit quemadmodum in nobis, qui ideo tentationi nonnunquam occumbimus, quia non postulamus à Deo vires resistendi: ad quas petendas gratiose nobis Deus contulerat potestatem. Qui autem ad eam poscendum gratiam vires à Deo accepit, merito quoque dicitur habuisse divinitus potentiam ad resistendum tentationi: quia hoc habebat, per quod à divina bonitate, nullo merito suo consequi poterat, ut vinceret tentationem.

DE QUÆSTIONE SECUNDA

Thesis I.

Altera quæstio erat, utrùm primi parentes decepti fuerint à diabolo, ferpentis formam induto. Sinè in eo quidem est dissensus aliquis inter Catholicos, utrùm diabolus specie tantùm ferpentis apparuerit, ut Cyrillus putabat lib. III. contra Julianum *a* (cui etiam Steuchus in Cosmopœia accessit:) an potius verum & naturalem ferpentem sit ingressus: quod Chrysostomus, Augustinus, Procopius, & prope omnes Patres volunt, idque scripturâ præeunte, quæ ferpentem non angelis, sed animalibus cunctis callidiorem *b* fuisse dicit: quemadmodum in verum etiam ferpentem maledictionis sententiam prolatam *c* fuisse narrat.

a Col. 551. edit. Par. 1571.
b Gen. 3. 1.
c Gen. 3. 14.

Thesis II.

Sed ut in hoc sententiis variatum fuit, ita in eo semper conspiravit Ecclesia Dei, quod qui per verum aut apparentem ferpentem loquebatur, non sapientia Dei fuerit, sed diabolus: unde & Christus Joh. VIII. 44. ait, diabolum homicidam fuisse ab initio, & in veritate non stetisse. Et Johannes Apoc. XX. 2. diabolum propterea vocat antiquum ferpentem. Hebræorumque veterum eandem fuisse sententiam, cognoscimus ex Sap cap. II. 23. Ubi dicitur Deus creasse hominem rectum, sed invidia diaboli mortem introiisse in orbem terrarum.

Nec alia mens Cypriani ferm. de zelo & livore; Epiphanii in hæresi Ophitarum, Basilii in orat. quod Deus non sit auctor peccati, Ambrosii lib. de paradiso, Cyrilli lib. III. in Julianum *d*: ut mittam Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, Theodoretum *e*, Eucherium, Bedam, Rubertum, cæterosque, qui in Genesin scripserunt. Damnarunt igitur eos, qui ferpentem illum dicebant fuisse sapientiam Dei, à qua oculi primis parentibus essent aperti, ut Manichæi sensere, juxta Augustinum de hæres. cap. XLVI. & ante hos Ophitæ: teste Irenæo lib. I. de hæres. cap. XXXIV. Tertull. lib. de præscript. cap. XLVII. Clemente Alexandr. lib. VII. Hieronymo dialog. adversus Luciferianos: præter Epiphanium, Philastrium, Augustinum, Theodoretum, Isidorum, Honorium, & alios, qui de hæresibus tractarunt. Sed neque audiendus Josephus qui lib. I. antiquit. Eccles. cap. 3. nihil aliud intelligit quàm ferpentem naturalem, cui in pœnam vocem ademtam & venenum additum ait. Nec magis audiendus Philo libro περὶ κοσμοποιΐας. Item libro ἀλληγοριῶν, vel qui eum secutus Origenes homil. XIII. in Exodum; quorum uterque per ferpentem ἀλληγορικῶς intelligit delectationem, quæ prius quidem Evam, hoc est sensum; mox autem Adamum, hoc est rationem titillârit. Eamque opinionem, suppressis Philonis & Origenis nominibus, proponit quoque Ambrosius libro de Paradiso, cap. 2.

d Col. 552. edit. antea citatæ.
e Quæst. 32. in Genesin.

DE TERTIA QUÆSTIONE.

Thesis.

Tertia quæstio erat, utrum Adam fuerit moriturus, si non peccasset. Negat id Ecclesia Catholica, quæ peccando morti factum esse obnoxium, colligit ex comminatione Dei, Genes. cap. II. 17. *Quacunque die comederis, morte morieris.* Et Rom. cap. V. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Item cap. VI. 23. *Stipendium peccati mors.* Et cap. VIII. 10. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum &c.* Quibus consentit illud Sapient. cap. I. 13. *Deus mortem non fecit.* Et cap. II. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem; invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

Erravit hac parte Socinus; ut liquet ex initio prælectionum. Nam dicit quidem cum Augustino, Adamum mortalitati prius fuisse obnoxium, non morti aut moriendi necessitati: verùm liquet eum sub mortalitate complecti mortalitatis effectum, sive actualem animæ à corpore separationem: ac per mortem, seu moriendi necessitatem, non intelligere simpliciter separationem animæ à corpore, sed simul mortis perpetuitatem: quia nempe qui resuscitantur, dormire, non mortui esse, dicuntur in Scripturis. Idem jam olim docuit Pelagius, cùm dixit, Adamum fuisse moriturum, etiamsi non peccasset, quum mors sit de necessitate naturæ. Testis Augustinus epist. CVI. ad Paullinum, lib. I. de peccat. mer. & remiss. cap. II. De gestis Palæstinis cap. XI. & XXXIII. lib. I. contra poster. respons. Jul. cap. LXV. *a* Orosius apol. de arbitr. libert. Primasius in cap. V. ad Rom. scriptor Hypognost. in prolog. atque alii passim. Catholicis verò inter alia obducentibus locum è Gen. II. 17. respondebat, eum intelligi debere de animæ morte: ut testatur Augustinus lib. I. de Peccati mer. & remiss. cap. II. quomodo & eum interpretatus è Judæis Hellenistis Philo sub finem primi Allegoriarum; è Christianis antiquis, Eucherius sive alius lib. I. in Genesin, Gregorius M. lib. V. registri epist. XIV. & lib. VI. epist. XXXI. ac denique è junioribus Augustinus Steuchus annotat. in cap. II. Genes. Sed (uti postea etiam Steuchus *b* animadvertit) non solam animæ mortem intelligi, rectè probat Augustinus ex verbis illis Gen. III. 19. *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Ubi Dominus pœnam Adamo imponit, quam antea fuerat comminatus. Erat quidem in homine etiam ante lapsum mortis caussa, cùm fluat ea à naturâ ex contrariis principiis compositâ; verum in naturâ integrâ immortalitas à principiis naturæ integræ fluebat, quia anima recta & immortalis vitam perennem in corpus inspirabat; rectitudo naturalis amice componebat illum contrariatum qualitatum conflictum, atque ita sistebat mortem; nec tantùm mortem perfectam, sed etiam inchoatam, morbos inquam ac cruciatus, qui ad mortem ducunt. Postquam verò homo peccavit, qui ante poterat non mori, nec moriturus erat, si perseveraret in bono: is non potuit non mori, imò mori statim cœpit: ut omnino mortalitas non naturæ, sed peccati effectus dici mereatur. Nempe peccatum fugavit gratiam, quâ sine, nec anima perennem in corpus vitam potuit inspirare, nec ligno vitæ licuit ulterius vesci: hinc verò deficiente rectitudine in animâ, defecit quoque ac soluta est elementorum humorumque in corpore ἁρμονία, ac præcipiti gradu ad mortem decursum fuit. Mortalitas igitur à Deo est, quia à natura est; à natura autem est, quia talis erat corporis natura, ut constaret humoribus ac elementis contrariis; ut item generabile esset, quale quod est, corruptibile quoque est; ut denique cibis egeret, qui cum corruptioni sint obnoxii, corpus quoque hujusmodi reddant necesse est. At mortis necessitas à DEO non est, quia etsi consecutura erat per naturam; tamen tollebatur per gratiam. Qui enim conditione materiæ mortalis erat: idem beneficio creatoris erat immortalis; peccato verò est mortuus: hoc enim removit gratiam vitæ conservatricem. Nec tamen carentia gratiæ totalis est mortis caussa, sed partialis. Nam entis positivi etiam positiva caussa esse debet. Verùm totalis caussa est peccatum unà cum conditione materiæ: ab hac erat potentia moriendi: illud deduxit potentiam in actum.

a Pag. 89.
b In Cosmopœia.

Mortis autem nomine etiam intelligere convenit ærumnas

rumnas ac cruciatus omnes, ut paullò antè dicebamus: Nempe ut ait ille, *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.* Huc pertinet etiam illustris ille Cypriani locus libro de Bono patientiæ, ubi omnes ait hujus vitæ calamitates originem ducere à peccato primo *a*: *Dei sententia cogitetur, quam in origine statim mundi & generis humani Adam, præcepti immemor, & datæ legis transgressor, accepit: tunc sciemus, quàm patientes esse in isto seculo debeamus, qui sic nascimur, ut pressuris istic & conflictationibus laboremus. Quia audisti, inquit, vocem mulieris tuæ, & manducasti ex illâ arbore, de quâ solâ præceperam tibi ne tangeres, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis &c. Unde unusquisque nostrum, cum nascitur, & hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit à lachrymis: & quamvis adhuc omnium nescius & ignarus, nihil aliud novit in illâ ipsâ primâ nativitate, quàm flere: providentiâ naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi, quas ingreditur in exordio statim suo, ploratu & gemitu rudis anima testatur. Sudatur enim quamdiu istic vivitur & laboratur.*

a Parag. 6.

Mortem verò esse pœnam, atque, ut Apostolus loquitur, stipendium peccati, etiam Hebræorum judicium fuit. Hinc Rabbi Josue Galilæus in codice apud Hebræos dicto Ziphiat. *Adam, quia transgressus fuit, sibi & omni suo generi, hoc est omnibus ab eo descendentibus, usque ad finem seculi mortem causavit.* Quæ verba & ante nos adduxit Finus Hadrianus Ferrariensis in flagello Judæorum lib. IV. cap. VIII. conclus. III. (fol. 157. d.) Idem de Hebræis testatus jam olim Nemesius de naturâ hominis cap. I *b*. Ἑβραῖοι τὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀρχῆς οὔτε θνητὸν ὁμολογουμένως, οὔτε ἀθάνατον γεγενῆσθαι φασίν. ἀλλ' ἐν μεθορίοις ἑκατέρας φύσεως, ἵνα ἂν μὲν τοῖς σωματικοῖς ἀκολουθήσῃ πάθεσιν, περιπέσῃ καὶ ταῖς σωματικαῖς μεταβολαῖς· ἐὰν δὲ τὰ τῆς ψυχῆς προτιμήσῃ καλά, τῆς ἀθανασίας ἀξιωθῇ. *Hebræi hominem ab initio neque planè mortalem, neque planè immortalem genitum esse ajunt: sed veluti in confinio caducæ & sempiternæ naturæ esse positum: sic ut si corporis affectionibus se dederet, sub corporis mutatione subjiceretur; sin animi bona anteponeret, ad immortalitatem traduceretur.* Post illa, cur homo nec mortalis, nec immortalis ἁπλῶς dici possit, exponit. Verba ejus, brevitatis caussa, Latinè tantùm apponemus: *Nam si hominem a primo ortu Deus mortalem procreasset, profectò non, postquam se peccato obstrinxerat, mortis eum condemnasset. Nam mortalem quidem quis mortalitatis condemnat? Contra, si immortalem, neque alimenti egentem fecisset. Nihil enim quod immortale est, corporeum alimentum desiderat: neque ita facilè pœnitentiâ ductus eum, qui creatus esset immortalis, continuo mortalem effecisset. Neque enim in angelis, qui peccarunt, hoc fecit, sed ut ab initio naturâ immortales sunt creati, ita manserunt; neque peccatorum suorum pœnam mortem, sed aliud supplicii genus exspectant. Quare vel hæc probanda sententia est: vel dicendum, mortalem quidem factum esse hominem, sed qui ad perfectionem procedere ac immortalitatem tandem consequi posset: quod hanc habet sententiam, potestate esse hominem immortalem procreatum.* Quam verò Hebræorum fuisse sententiam dicit Nemesius, eadem etiam Christianæ Ecclesiæ sententia erat. Justinus Martyr *c* Dial. cum Tryphone: Παρθένος γὰρ οὖσα Εὔα καὶ ἄφθορος, τὸν λόγον τὸν ἀπὸ τοῦ ὄφεως συλλαβοῦσα, παρακοὴν καὶ θάνατον ἔτεκε. *Eva, cùm virgo esset & incorrupta, serpentis verbo concepto, inobedientiam & mortem peperit.* Item alibi eopse dialogo *d*, τὸ γένος τὸ τῶν ἀνθρώπων, ὃ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ὑπὸ θάνατον καὶ πλάνην τὴν τοῦ ὄφεως ἐπεπτώκει. *Humanum genus, quod per Adam in mortem & fraudem seductionemque serpentis inciderat.* Tatianus orat. contra gentes, ubi ait *e*, hominem postquam à serpente delusus est, χωρισθέντος ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πνεύματος τοῦ δυνατωτέρου, θνητὸν γεγενῆσθαι, *separato ab eo spiritu potentiore, mortalem factum.* Et aliquanto post *f*, οὐκ ἐγεννήθημεν πρὸς τὸ ἀποθνήσκειν. ἀποθνήσκομεν δὲ δι' ἑαυτούς. ἀπώλεσεν ἡμᾶς τὸ αὐτεξούσιον. *Non nati sumus, ut moreremur, morimur autem nostra culpa. Perdidit nos libera voluntas.* Tertullianus lib. I. adversus Marcionem, cap. 22; *Homo damnatur in mortem ob unius arbusculæ delibationem, & exinde proficiunt delicta cum pœnis, & pereunt jam omnes qui paradisi nullum cespitem norunt.* Scriptor libri de vocat. gentium, lib. I. cap. 7; *Inde* (ex peccato primi hominis) *tracta mortalitas, inde multiplex corporis animique corruptio.*

b Pag. 65.

c P. 256 edition. Commel.

d P. 246.

e P. 194. in Orthodoxogr. edit. an. 1555.

f P. 197.

Similiter Macarius homil. II. *a* & XI. *b* Athanasius *c* de incarnatione Verbi, ubi ait, homines à Deo accepisse vitam, ut secundùm Deum viverent: verùm, inquit, εἰς τὰ τῆς φθορᾶς ἐπιστραφέντες ἑαυτοῖς αἴτιοι τῆς ἐν τῷ θανάτῳ φθορᾶς γεγόνασιν. Ibidem inquit, ὄντες μὲν κατὰ φύσιν, ὡς προείρηται, φθαρτοί· χάριτι δὲ τῆς τοῦ λόγου μετουσίας τοῦ κατὰ φύσιν ἐκφυγόντες, εἰ μεμενήκεισαν καλοί. Διὰ γὰρ τὸν συνόντα τούτοις λόγον, καὶ ἡ κατὰ φύσιν φθορὰ τούτων οὐκ ἤγγιζε. καθὼς καὶ ἡ σοφία φησίν, ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἀϊδιότητος. φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον. τούτου δὲ γενομένου οἱ μὲν ἄνθρωποι ἀπέθνησκον. ἡ δὲ φθορὰ λοιπὸν κατ' αὐτῶν ἤκμαζεν. *Quamquam* (homines) *essent (ut dixi) secundum naturam corruptibiles, gratiâ tamen participata rationis vitium illud naturæ elapsuri fuissent, si modo probi mansissent. Propter enim ipsis cohærentem conjunctamque rationem, naturalis illa corruptio ad illos accessum non habuisset, sicut scriptura dicit: Deus hominem condidit ad immortalitatem, & ad imaginem æternitatis suæ. Verum invidiâ diaboli factum est, ut mors orbem terrarum invaserit: quâ veniente jam homines mori cœperunt. Corruptio vero deinceps contra eos invaluit.* Vide eundem in dictum *d*, *Omnia tradita sunt mihi.* Scriptor 20. Quæstionum e Athanasio tributarum. Ὁ δὲ ἄνθρωπος ἤκουσε τῆς συμβουλῆς τοῦ διαβόλου, καὶ παρήκουσε τοῦ θεοῦ, καὶ ἐκ τότε ἐδέξατο τὸν θάνατον τῆς ἁμαρτίας, ὁμοίως καὶ πάντες, οἱ ἐξ ἐκείνου γενόμενοι ἄνθρωποι, ὡς ἐκ προγόνων τὴν ἁμαρτίαν λαβόντες, ἐνοχήθησαν ταύτῃ, καὶ ἴσχυσεν ἡ ἁμαρτία κατὰ τῶν ἀνθρώπων. *Homo obedivit consilio Diaboli, & adversatus est Deo, & ex illo morti expositus fuit peccati: perinde etiam omnes ex ipso nati homines velut ex majoribus peccatum in se derivantes obnoxii ei fuere. Et prævaluit peccatum contra homines.* Similiterque Chrysostomus Matth. homil. LXXI. in hunc locum *f*: *Quemadmodum Adam, quamvis viveret, postea quam de vetito ligno comedit, sententiâ tamen prolatâ mortuus erat: sic profectò isti, etsi mortui erant, pollicitatione tamen resurrectionis vivebant. Quomodo igitur alibi dicit, Ut & mortuis & vivis dominetur: Non est hoc illi contrarium. Mortui namque hic illi, qui victuri sunt, appellantur.* Similiaque habent imitatores Chrysostomi, Euthymius & Theophylactus. Prudentius in Ἀποθεώσει *g*:

a Pag. 21. & seqq.

b P. 129. & seq.

c Pag. 40. edit. Commel.

d P. 326.

e Tom. 2. pag. 362.

f P. 647. edit. Bell.

g P. 649. edit. tom. Plant.

—— *Quid mors homini sine crimine posset?*
Nimirum cassis conatibus & sine nervis
Concideret sterilis peccati fomite nullo.
Mors alitur culpâ: culpam qui non habet, ipso
Pastus defectu mortem consumit inanem.

Vidimus, quæ tum Hebræorum, tum veterum Christianorum, hoc est eorum, qui ante Pelagium fuerunt, sententia fuerit. Eadem verò illorum mens, qui cum Pelagio, vel post eum vixere. Imò Concilium Carthaginense, quod vulgò Milevitanum vocatur, can. I. anathema dicit Pelagianis docentibus, *Hominem de corpore exire, non peccati merito, sed necessitate naturæ.* Et Arausicanum II. can. II. anathematizat eos, *qui negant mortem corporis esse pœnam peccati.* Ac Imperator quoque Honorius Pelagium Cœlestiumque sanctione suâ damnavit, *g* quod *Deo tam trucem inclementiam assignarent, ut dicerent, mortem non insidiis vetiti fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilis constituti.* Hanc Catholicorum sententiam multis explicat Augustinus lib. I. de peccator. mer. & remiss. c. II. & III. *Proinde si non peccasset Adam,*

h Apud Baron. T. 5. p. 422. edit. Mor. an. 1602.

non

non erat exspoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate, & incorruptione, ut absorberetur mortale à vitâ, id est, ab animali in spiritale transiret. Neque enim metuendum fuit, ne dum fortè diutius hic viveret in corpore animali, senectute gravaretur, & paulatim veterascendo perveniret ad mortem. Si enim Deus Israelitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita; quid mirum, si obedienti homini ejusdem potentiâ præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore, quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem sine mediâ morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideò non est vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur: sic illa ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse, ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos jam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortaßè nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt; sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyris de panis, sine cibis vixit: aut si & his sustentaculis opus est, ita fortaße in paradiso pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim, quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem, contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem, contra vetustatem.

Non igitur Patres simpliciter negarunt, Adam creatum mortalem; sed ita mortalem factum negabant, ut, nisi peccasset, actu esset moriturus. Itaque cum Julianus objiceret Augustino, quod aliquando idem scripsisset: sic ei respondit magnus Doctor *a*: *Scis in libris, quos ad Marcellinum edidi, vehementer me egisse contra incipientem surgere tunc hæresin vestram, ne crederetur Adam, etiamsi si non peccasset, fuisse moriturum. Sed mortalem hactenus dixi, quia poterat mori; poterat namque peccare. Tu eis, qui libros illos non legerunt, nec fortaßè lecturi sunt, fuco insidioso, si hæc tua legerent, subripi voluisti, quasi ego ita dixerim, Adam mortalem factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus posset* (leg. esset.) *Hoc enim vobiscum agitur, hinc tota de hac re inter nos & vos vertitur quæstio, quod nos dicimus, Adam, si non peccasset, ne corporis mortem fuisse passurum: vos autem sive peccasset, sive non peccasset* (hæc tria verba inserenda) *corpore fuisse moriturum.* Idem aliquanto post *b*, *O quam multum erras! qui ex ista, quæ nunc est, corruptibilitate atque infirmitate naturæ, sanctas paradisi delicias atque illam beatitudinem cognoscis. Alia erat illa immortalitas, ubi homo poterat non mori. Alia est ista mortalitas, ubi homo non potest nisi mori. Alia erit summa immortalitas, ubi homo non poterit mori.* Egregius quoque est locus Augustini lib. VI. de Genes. ad lit. c. XXIV. *Illud* (corpus Adami) *ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam caussam dici poterat. Id est mortale, quia poterat mori, & immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ,* NON DE CONSTITUTIONE NATURÆ. *A quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem, beneficio Conditoris.* Eadem habes lib. XIII. de C. D. c. XXIII. Leo Magnus serm. IV. in natalem Domini: *Quam naturæ speciosissimam dignitatem si* (primus homo) *per observantiam legis datæ perseveranter excoleret; ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cælestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Johannes Maxentius in fidei professione: *Igitur confitemur rectum in omnibus à Deo creatum Adamum, non mortalem, nec immortalem, sed utriusque capacem, habentem in propriis facultate arbitrii & velle & posse ad omnia, hoc est & ad bonum & ad malum.* Ubi, uti & Nemesius, disertim ait, Adamum nec mortalem conditum, nec immortalem, nempe ἁπλῶς: quomodo loquendo, neutrum erat. Unde Moses Barcepha de Paradiso cap. XXVIII. non tam immortalitatem ei collatam, quàm in creatione promissam, dicere *a* voluit. Quemadmodum autem simpliciter neutrum erat, ita potestate erat utrumque; quia utrumque erat in ejus potestate. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratiâ cap. VI: *Erat mors & immortalitas in ejus posita quodammodo arbitrii libertate. Capax enim erat utriusque rei, ut si servaret præceptum, sine experientiâ mortis fieret immortalis: si verò contemneret, mors continuò sequeretur.* Et Gregorius Magnus lib. IV. in Job. cap. XXX. *Sic est immortalis conditus, ut tamen, si peccaret, & mori posset; & sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam non mori posset, atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in quâ vel peccare, vel mori non posset.* Beda ad cap. II. Genes. *Mortalis erat conditione corporis animalis: immortalis, beneficio conditoris.* Anselmus lib. II. cur Deus homo cap. II. *Quod talis factus sit, ut necessitate non moreretur, hoc facile probatur, quia sapientiæ & justitiæ Dei repugnat, ut cogeret mortem pati sine culpâ, quem justum fecerat ad æternam beatitudinem. Sequitur ergo, quia si nunquam peccasset, nunquam moreretur.* Eadem Magistri sententiarum & Scholastic. mens. Petr. Lombardus lib. II. dist. XIX. art. 4. *Primus homo secundum naturam corporis terreni & immortalis fuit quodammodo, secundum aliquid, quia potuit non mori, & mortalis quodammodo, quia potuit mori. In illo namque primo statu habuit posse mori, & non posse mori. Et hæc fuit prima corporis humani immortalitas; scilicet posse non mori. In secundo verò statu post peccatum, habuit posse mori: quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori, & non posse mori; quia ad illum statum pertinet moriendi impossibilitas: quod ex gratiâ erit, non ex naturâ. In primo statu fuit corpus hominis animale, id est, egens alimoniis ciborum. Unde & homo dicitur factus in animam viventem, non spiritualem, id est, in animam corpus sensificantem, quod adhuc erat animale, non spirituale, quod egebat cibis, ut per animam viveret. Factus est ergo in animam viventem, id est vitam corpori dantem; tamen per sustentamenta ciborum: & tunc erat corpus immortale, & mortale: quia poterat mori & poterat non mori. Post peccatum vero factum est mortuum.* Quæ etiam approbat Thomas Argentinensis in hunc locum: *Si*, inquit, *homo mansisset in statu innocentiæ, in quo à Deo fuit productus, tum aliquo modo fuisset immortalis. Nam, ut patet per magistrum, homo in statu innocentiæ habuit posse non mori: & in statu miseriæ, puta post peccatum, habuit non posse non mori: sed in statu gloriæ habebit non posse mori.* Similiaque legas apud cæteros Scholasticos.

Hæc testimonia satis docent, Patres ac Scholasticos, nunc dicere Adamum fuisse neutrum, nec mortalem, nec immortalem: nunc utrumque, & mortalem & immortalem: quæ quomodo conciliari debeant, abunde ex ipsorum verbis cognoscere fuit. Cæterùm cum ἁπλῶς loqui volunt, eum immortalem quam mortalem conditum dicere malunt: idque quia conditus est in perfectâ justitiâ & sanctitate: quâ salvâ non poterat mori. Ex Scholasticis contenti erimus afferre Durandum, lib. II. dist. XIX. quæst. I. *Adamum*, inquit, *fuisse immortalem, convincitur auctoritate sacræ Scripturæ & probabili persuasione. Auctoritate sacræ Scripturæ, per hoc, quod dicit Apostolus ad Rom. v. quod per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. Ergo ante peccatum erat homo immortalis. Unde & Dominus pœnam mortis commi-*

a Lib. I. resp. poster. cap. 65. p. 91.

b Cap. 68. pag. 105.

a Pag. 85. edition. Plantin.

natus est primo homini Genes. 11. *dicens, Quacunque die ex eo comederis, morte morieris: id est necessitati moriendi addictus eris &c.* De Patribus unum producemus, Claudium Marium Victorem lib. 1. comment. in Genes.

Tali lege data, ratio docet optima, quod non
Mortalem Deus in primævo tempore fecit
Primum hominem: quin ille sibi mortem attulit ultro.

Plura qui è veteribus volet, adeat omnino Michaëlem Glycam parte primâ annalium pag. 119. & seqq. ubi hominem non mortalem, sed immortalem conditum probat testimoniis Anastasii Sinaitæ, Andreæ Cretensis, Chrysostomi, Cyrilli, Basilii, Barlaami.

Diximus de morte corporea: Videamus de morte spirituali: de quâ major est concertatio.

DE QUÆSTIONE IV.

THESIS I.

Quarta quæstio erat, Utrum Adamus peccando exstinxerit Spiritum S. adeò ut qui, hoc præsente, idoneus erat non tantum ad facile agendum bonum morale, sed etiam ad volendum agendumque bonum supernaturale: is contrà hoc amisso, tardior difficiliorque factus sit ad agenda bona moralia, imò nec bona illa bene velle potuerit: ad supernaturalia verò planè redditus sit ineptus. Quin hujusmodi fuerit conditio Adami post lapsum, planè dubitandum non est. Nihil enim tam est de peccati natura, quam ut gratiam Dei expellat: Unde David post adulterium cum Betsabea & Uriæ cædem, Psal. LI. 17. *Spiritum firmum renova intra me.* Et 13. *Spiritum Sanctum ne auferas à me.* Et Adamum, non minùs quam nos, indiguisse gratiâ Christi (quæ non solum consistit in delendis peccatis, sed etiam in adjuvando, ne peccetur) argumento est vox ista consolationis plenissima, quam statim à lapsu audivit Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.*

THESIS II.

Quamquam igitur Adamus peccando non hoc sibi proposuerit, ut gratiam Dei abjiceret, non magis sanè, quam ut Deum offenderet, vel se perditum iret: non eo minùs tamen dicendus est gratiam suapte culpâ amisisse, quia satis est, ut hoc ex peccato, quacunque de causâ suscepto, consequatur. Atque id est, quod nonnulli dicunt, etsi homo, cum peccat, non habeat intentionem amittendæ gratiæ actualem, habere tamen intentionem ejus rei virtualem.

THESIS III.

Hanc verò divinæ gratiæ amissionem consecuta est imaginis divinæ depravatio: de quâ sic Augustinus lib. II. Retractat. cap. XXIV: *Quod dixi, Adam imaginem Dei, secundum quam factus est, perdidisse peccato, non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet.*

Communis hæc antiquissimorum Patrum sententia est. Irenæus enim lib. III. cap. XXXVII. inducit Adamum confitentem, *habuisse se à spiritu sanctitatis stolam, sed amisisse.* Tertullianus lib. de patientiâ cap. V: *Innocens,* inquit, *erat Adam, & Deo proximus amicus & paradisi colonus. At ubi semel succidit impatientia, desivit Deo sapere, desivit cælestia sustinere posse.* Cyprianus serm. de bono patientiæ, tmemate 3. ait, *Adam peccato similitudinem divinam perdidisse:* & tmemate 11, dicit, *Adamum accepisse divinitus gratiam, sed haud custode patientiâ servâsse.* Macarius initio homil. XII: Ὁ Ἀδὰμ τὴν ἐντολὴν παραβὰς κατὰ δύο τρόπους ἀπώλετο· ἕνα μὲν ὅτι ἀπώλεσε τὸ κτῆμα τὸ καθαρὸν τῆς φύσεως αὐτοῦ, τὸ ὡραῖον, τὸ κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ· ἕτερον δὲ, ὅτι ἀπώλεσεν αὐτὴν τὴν εἰκόνα, ἐν ᾗ ἀπέκειτο αὐτῷ κατ' ἐπαγγελίαν ἡ ἐπουράνιος πᾶσα κληρονομία. *Adam transgressus mandatum, duobus modis periit, priore quidem modo, quia perdidit puram & speciosam illam possessionem naturæ suæ, quæ creata erat ad imaginem & similitudinem Dei: altero modo, quoniam imaginem illam amisit, per quam promissionem acceperat totius hæreditatis cælestis.* Basilius homil. in Psalm. XLVIII: ait Adamum ἀποβαλόντα τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου ἀναλαβεῖν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, *abjecta imagine cælestis, induisse imaginem hominis terreni.* Ambrosius Comment. lib. VII. in Lucæ cap. X. de parabola Samaritani agens, scribit Adamum *indumenta gratiæ spiritualis accepisse,* ac indutum fuisse *fidei vestimento,* sed postea *exutum.* Idem lib. de Helia & jejunio cap. IV. *opertus erat Adam virtutum velamine, priusquam prævaricaretur, sed tanquam exutus prævaricatione, vidit se esse nudum, quia indumentum, quod habebat, amiserat.* Idem lib. VI. Hexaëmeron cap. VII. de imagine Dei in Adamo disputans, ait fuisse *plenam sapientiæ, plenam pietatis atque justitiæ:* item *habuisse in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis, splendorem paternæ gloriæ, & paternæ imaginem substantiæ;* sed *ante peccatum.* Gaudentius Brixiens. de lectione Euangelii tractatu primo, qui est in ordine quartus: *Ostendam tibi, dilectissime, & ipsum protoplastum Adam divinæ familiaritati fuisse conjunctum, perceptis ab ipso sponse imaginis divinæ insignibus, sapientiæ & intellectus, vitæque perpetuæ ornamentis. Sed postquam, lenocinante diabolo, fides est adulterata mandati, immortalitas pariter cum libertate divini amoris ablata est.* Chrysostomus homil. XVI. in Genes. ait habuisse *vestem admirabilem gloriæ ac supernæ benevolentiæ,* sed esse hac *per mandati prævaricationem spoliatum.* Atque hi omnes vixerunt ante exortos Pelagianos, quorum sententia fuit naturam humanam peccando minimè infirmari, sed solâ delictorum remissione indigere. Quâ de re Julianum ipsum audi in dissertatione (altercationem Gennadius vocat) cum Augustino lib. I. contra secundam Juliani responsionem cap. XCIV *a*. *Nos dicimus peccato hominis non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem: id est & in peccante hanc esse liberi arbitrii naturam, per quam potest à peccato desinere, quæ fuit in eo, ut posset à justitiâ deviare.* Sed & antea cap. LXXXIX. idem dixerat *b*: *Peccantes non arbitrii libertatem; sed conscientiam justitiæ perdiderunt: liberum autem arbitrium & post peccata tam plenum est, quàm fuit ante peccata.*

a P. 141.
b P. 131.

Nunc audiamus Patres eos, qui vel Pelagii tempore, vel post eum vixerunt. Augustinus lib. XIV. de Civitate Dei cap. XV: *In paradiso, etiamsi non omnia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat, & ideo poterat omnia, quæ volebat.* Et Tom. 7. de peccatorum meritis & remiss. lib. 1. cap XVI. *Gratiam perdidit, quâ* (corpus) *ejus animæ omni ex parte obediebat.* Idem Tom. eodem contra duas Pelagianorum epist. lib. 1. cap. II. *Libertas in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Idem Tom. 10. de verbis Dom. serm. XLIII. *Non in paradiso caro concupiscebat adversus spiritum, aut erat ibi ista pugna, ubi pax erat sola.* Prosper contra Collatorem cap. XXI. *Justitiam* (Adami) *iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem; nec potuit illic ulla portio residere virtutum, quò tanta irruperat turma vitiorum.* Et verbis, quæ proximè antecedunt: *Postquam autem se,*

hoc

hoc est, imaginem & templum Dei, deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiam, quia perdidit bonam conscientiam, Hilarius Carm. in Genesin.

Postquam primus homo vetito se pascere ligno
Non timuit, cupidisque dolis se præbuit angui:
Stat reus & nudus dejecto lumine vestem
Implorans, Dominumque fugit, vultumque recondit.
Culpa comes sequitur, peccato obnoxia virtus
Debilitat vires. Cœlo venientia dona
Æthere demissus paulatim deficit ignis,
Frigore peccati torpentia corda rigescunt,
Cura cibi ventrisque subibat, cura tegendi
Corporis, & sacrum subeunt mortalia pectus.

Fulgentius de incarnatione & gratiâ cap. XIII. *Peccans itaque ille, qui sine peccandi necessitate creatus est, animæ sanitatem perdidit & exspoliatus est vestimento fidei.*

a Col. 644. edit. Paris. 1572.
b Pag. 42. edit. Tigur.

Cyrillus lib. II. in Joh. cap. III. a ait *gratium creatoris Spiritu Sancto inhabitasse* in Adamo, sed Adamum eam *non servasse*. Similiter Procopius Gazæus ad cap. I. Gen. b *Ab initio creationis virtus, quæ vitam ministrat, simul cum Spiritu Sancto ingressa erat in hominem, ut hac creatura foret secundum imaginem Dei, quasi unus reciperet utrumque. Nam impossibile est, ut intellectus noster gestet imaginem Dei, si non fuerit illuminatus à Spiritu Sancto. Nam, ut habet scriptura, si quis Spiritu Sancto caret, is nec ejus est. Igitur anima à primordio suæ creationis vitalem vim & Spiritum Sanctum pariter nacta est. Siquidem continuò vaticinata, quod proprium est Spiritus Sancti, & cum eo conversata est.* Et ad II

c Pag. 57.

Genes. c *Adamus non sine singulari prudentiâ & solertiâ, quam à Deo acceperat, nomina dat creaturis, quæ ipsarum substantias, quasi in speculo, repræsentent.* Et in illud,

d Pag. 58

Hoc nunc os ex ossibus meis d: *Adamus ista omnia prolocutus est divino & prophetico inspiratus spiritu. Nec enim propriis viribus, ex quâ materiâ, & in quem finem mulier condita fuerit, cognoscere quivisset.* Anastasius Synaïtes extremo lib. X. Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron: *Quare, quis cum esset Adam, quid factus est post transgressionem. Erat enim totus lucidus & deiformis, & imago quædam, ut ita dicam, Deo similis. Post inobedientiam autem factus est tenebrosus & inornatus, atrum peccatum omnino indutus.* Damascenus lib. II. orthod. fid. cap. XII. scribit, Adamum non modò ἄκακον, h. e. *simplicem ac pravitatis expertem* esse creatum, verùm etiam ἐν πάσῃ ἀρετῇ καταγλαϊσμένον, καὶ πᾶσιν ἀγαθοῖς κοσμηθέντα: *omni virtute fulgentem, omnibusque ornatum bonis.* Giselbertus Præpositus Monasterii Westmonasteriensis, discipulus Anselmi Cantuariensis, libro qui inscribitur Altercatio synagogæ & Ecclesiæ cap.

e Fol. 6. edit. Col. 1540.

I. e *Imago Dei, ad quam homo conditus fuit, hominem ad hoc provocabat, ut cognosceret ac diligeret, in notitiâ sibi copularet sapientiam, in dilectione præmii materiam. Culpâ suâ dejectus ab utroque, perdidit utrumque, tantum ad exteriora effusus, quantum superiorum oblitus.* Similia sunt apud Bernonem Augiensem sermone de resurrectione Domini, Guirmundum de sanctâ Trinitate, Hildegardim in solutione quæst. VI. atque alios, quos enumerare sit longum. Nec aliter Scholastici. Multorum instar erunt Thomas Aquinas & Ægidius Romanus. Thomas in summâ Theologiæ I. part. quæst. XCV. art. I. sic scribit: *Quod fuerit* (primus homo) *conditus in gratiâ, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in quâ Deus hominem fecit; secundum illud Eccl.* VII. *Deus fecit hominem rectum. Erat enim rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus.* Et post pauca: *Ex quo datur intelligi, si, deserente gratiâ, soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in animâ existentem, inferiora ei subdebantur.* Ægidius Romanus tractatu de originali peccato cap. II. *Adam est rectus creatus, quia in eo omnia inferiora superioribus erant subjecta. Caro enim subjecta erat animæ: quia nullus morbus, nulla passio, nulla indispositio poterat insurgere in carne, quæ animæ repugnaret. Rursus vires inferiores subjectæ erant superioribus, ut concupiscibilis & irascibilis sic erant subditæ menti & rationi, ut nihil in eis insurgeret, nisi secundùm ordinem & ductum rationis.*

DE QUÆSTIONE V.

THESIS I.

Quincta quæstio erat, utrum Adamus propter peccatum luat pœnas æternas. Sanè certum est, non tantum temporalem mortem meritum esse, sed etiam vitæ æternæ & regni cœlestis privationem: cujus rei, ejectio è paradiso typus fuit: nec tantum privationem tanti boni, verum etiam gehennæ cruciatus. Quæ omnia Dominus complexus fuit comminatione illa Gen. II. 17. *Quacunque die comederis, morte morieris.*

THESIS II.

Nec tamen Adamus idcirco æternis suppliciis damnatus fuit, qui Tatiani error erat: sed, ut communis scriptorum Ecclesiasticorum sententia est, sanatus est passione secundi Adami, Jesu Christi.

Distinctissimæ sunt quæstiones istæ, Quid Adamus peccando sit promeritus, & num pœnas istas, quàs merebatur, fuerit perpessus. Meritum esse pœnas æternas, liquet ex comminatione. Nam cùm mortem Deus minaretur, etiam æternam intellexit. Unde Augustinus lib. XIII. de Civitate Dei cap. XII. *Cùm requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, utrum animæ, an corporis, an totius corporis, an illam quæ secunda dicitur, respondendum est, omnes: quoniam prima constat ex duabus; una animæ, altera corporis: ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo, & sine corpore ad tempus pœnas luit: secunda vero, ubi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito, Quacunque die ederitis, morte moriemini, non tantum primam mortem, puta priorem, ubi anima privatur Deo: nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur animâ: nec solum ipsam solam primam, ubi anima à Deo & corpore separata punitur: sed quicquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & quâ est nulla posterior, comminatio illa completa est.* Sed quæritur, an quia Adamus omnes hasce mortes merebatur, eò & omnibus fuerit affectus. Hanc Tatiano sententiam tribuit Philastrius de hæres. Epiphanius hæres. XLVI, Augustinus de hæres. ad Quod vult Deum cap. XXXV. & ante hos Tatiani σύγχρονος Irenæus lib. I. advers. hæres. c. XXXI. cujus verba exscripsere Eusebius lib. IV. histor. Eccl. cap. XXVII. & Nicephorus lib. IV. c. IV. Sed à Tatiano dissentiunt Ecclesiastici doctores omnes. Vide Irenæum lib. III. à cap. XXXIV. usque ad XL. Tertullianum lib. de Præscrip. cap. LII. & lib. de Pœnitent. cap. ult. Epiphanium & Eusebium locis ante citatis, Gregorium M. lib. VI. regist. epist. XXXI. Extabat olim etiam liber de pœnitentiâ Adæ: sed eum inter Apocryphos retulit Gelasius decreto in Romano consilio cum LXX. episcopis facto. Plerique etiam veterum tradunt, Adamum sepultum esse in monte Calvariæ, in quo Christus postea crucifixus & sepultus fuit, ut primus virtutem sanguinis Christi sentiret, qui primus fuerat auctor peccati. Ita Origenes tract. in Matth. XXXV a, scriptor libri de cardinalibus Christi operibus Cypriano tributi, serm. de Resurrect. §. 4. Athanasius in lib. de passione Domini b, Eusebius loco ante citato. Ambrosius lib. V. epist. XIX. Chrysostomus in Joh. homil. LXXXIII. Augustinus

a P. 228. edit. Bas. an. 1536.
b P. 791. edit. Commel.

serm.

serm. LXXI. de Tempore, item Theophylactus, Euthymius, alii. Hieronymus tamen comm. in Matth. cap. XXVII, item Epitaphio Paullæ matris *a*, Adamum sepultum fuisse in Hebron & Arbee putat, idque impulsus loco Jos. XIV. 15. Idemque *b* in antiquis Rabbinorum commentariis legi, docuit me doctissimus Masius. Sed ut de loco sepulturæ controversia fuit, ita salvatum fuisse Adamum satis consentiunt antiqui. Nazianzenus orat. XXXI. quæ est in dictum Euangel. Matth XIX. Εἰ τὰ χείρω σκοπῇς, ἥμαρτεν ἡ γυνή, τοῦτο καὶ ὁ Ἀδάμ. ἀμφοτέρους ὁ ὄφις ἠπάτησεν. ἀλλὰ τὰ βελτίω λογίζῃ. ἀμφοτέρους σώζει Χριστὸς τοῖς πάθεσιν. ὑπὲρ ἀνδρὸς σὰρξ ἐγένετο; τοῦτο καὶ ὑπὲρ γυναικός. ὑπὲρ ἀνδρὸς ἀποθνήσκει; καὶ ἡ γυνὴ τῷ θανάτῳ σώζεται. *Si deteriora expendis, peccavit mulier: eodem quoque modo Adam peccavit. Utrumque serpens decepit. At meliora consideras? Utrumque Christus passione sua salute donavit. Pro viro caro factus est? pro muliere item. Pro viro mortem subiit? ipsius item morte mulieri salus parta est.* Idem docet orat. XVIII. quæ in laudem est Cypriani *c*. Sed imprimis illustris est locus Augustini lib. de natura & gratia cap. XXI. *Nisi quod commendat Ecclesia & ipsum* (Adamum) *Domini Christi misericordia liberatum.* Et clarius T. 2. epist. XCIX. ad Euodium: *De primo homine, patre generis humani, quod eum* (Christus) *apud inferos solverit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inaniter credidisse, credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur autoritas: quamquam illud, quod in libro Sapientiæ a scriptum est: Hæc illum, qui primus factus est, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia: magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videatur.* Rupertus tamen Tuitiensis lib. III. Comment. in Genes. cap. XXXI. Tatiani sententiam amplexus fuit: ad testimonium verò ex libro Sapientiæ respondet, Canonicum non esse. De libro rectè: de re verò assentimus Augustino, ut & Anselmo, cujus hæc verba, Cur Deus homo lib. II. cap. XVI. *Adam & Evam ad illam pertinuisse redemtionem, dubitandum non est, quamvis autoritas divina apertè non pronunciet.*

a Tom I. pag. 173. edit Bas. 1553.
b Comm. in Jos 14. 15.
c Pag. 276. edit. Morell.
a Sap. 10. vers. 1. 2.

DISPUTATIO TERTIA

DE

BONIS OPERIBUS.

OPERA renatorum moraliter bona tres has conditiones habent: ut ex verâ fide proficiscantur, secundùm legem Dei exigantur, & ad divinam gloriam dirigantur. Quinque verò inprimis quæri de iis solent: an necessaria sint, perfectane sint, ecqua sint supererogatoria, num meritoria, ac denique an sint satisfactoria. Ex quibus duo postrema à prioribus dependent. Nec n. si imperfecta sunt, æternam vitam merebuntur. Neque si supererogationes tollas, humanæ erunt satisfactiones pro reatu ac pœnâ, sive temporali, sive æternâ. Ad pleniorem tamen cujusque controversiæ disquisitionem, de tribus prioribus nunc tantummodo agemus: de cæteris commodiùs, alio tempore, Deo volente, dissertabimus.

DE QUÆSTIONE PRIMA

THESIS I.

B*Ona opera triplici nomine necessaria sunt homini Christiano. Primò ratione Dei, non quasi exinde aliquid accedat Deo, sed quia, teste Paullo* a, hæc est voluntas Dei sanctificatio nostra: ut nempe, *quemadmodum apud Lucam* b *Zacharias dicit*, liberati serviremus ipsi in justitiâ & sanctitate, omnibus diebus vitæ nostræ. *Et æquum est, ut Christum, cujus pretio emti sumus, & Patrem, qui eum redemtorem nobis dedit, & Spiritum Sanctum cujus templa sumus, operibus nostris glorificemus. Unde Apostolus* c: Glorificate igitur Deum in corpore vestro & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. *Vide Matth. v. 6.*

a 1 Thess. 4. 3.
b Luc. 1. 75.
c 1 Cor. 6. 20.

THESIS II.

Deinde necessaria sunt bona opera propter nos, quia, ut Apostolus ait a, Pietas ad omnia est utilis, habens promissionem hujus & futuræ vitæ. *Contra, eodem teste* b, *per bonorum operum neglectum amittitur bona conscientia: hac amissâ homo fidei* c *naufragium facit: naufragus verò æternum perit: nisi (Tertulliani* d *ut verbis utar)* ut naufragus alicujus tabulæ fidem, ita pœnitentiam amplexans in portum divinæ clementiæ protelletur.

a 1 Tim. 4. 8.
b 1 Tim. 1. 5. 6.
c 1 Tim 1. 19.
d Lib. de Pœnit. c. 4.

THESIS III.

Denique necessaria sunt bona opera propter proximum, ut eum charitatis officiis sublevemus e, *nec scandalo illi simus* f, *sed potius inculpata vita exemplo Christo lucrifaciamus* g.

e Rom. 12. 10.
f 2 Cor. 6. 3.
g 1 Petr. 3. 1.

Quamquam annis mille quingentis sanus nemo dubitaris, quin opera bona ad salutem sint necessaria: non defuere tamen seculo nostro, quorum alii ea perniciosa dicerent ad salutem, alii licet non perniciosa putarent, nostræ tamen relicta libertati, eoque minimè necessaria esse contenderent: alii denique necessaria, at non ad salutem, verùm alias ob caussas judicarent. *En quo discordia cives Perduxit miseros.* Originem autem hæc controversia cepit occasione libri INTERIM dicti, quo Imperator Carolus, confecto bello Smalcaldico, quod anno fuit ∞ IↃ XLVII. inter religionis formam in Ecclesias Germanicas inducere conabatur: qui liber & caussam postea præbuit colloquio Altenburgensi, An. ∞ IↃLXVIII. Eo autem inter alia tradebatur, OPERA BONA NECESSARIA ESSE AD SALUTEM. Hic Ph. Melanchthon & Witebergenses assentire: ut etiam

etiam liquet ex diatribâ *a* de justificatione scriptâ à Melanchthone cæterisque Theologis in Misena urbe congregatis an. ∞ Ɔ XLVIII. Contra dissentire in eo ipso, inque varias partes abire Jenenses, quos à duce factionis Flaccio Illyrico Flaccianos dicebant: qui & multa incommodius à B. Luthero dicta ad patrocinium sententiæ suæ advocabant. Qualia sunt pleraque istæc quæ ei objicit Gregorius de Valentia lib. de differentiâ veteris & novæ legis *b* & Alphonsus de Herrera lib. de merito & satisfactione *c*. Atqui si perniciosa sunt opera bona, satius fuerit iis abstinere. Si item iis obligamur necessitate præcepti, quomodo ea necessaria esse ἁπλῶς negatur? Si denique in adultis omnibus (saltem habentibus facultatem occasionemque bona opera faciendi, quod addo propter eos qui in agone resipiscunt) ut ad beatitudinem non habent relationem caussæ, ubi fides, quæ caussa organica est justificationis nostræ; tamen relationem habent viæ, medii, conditionis, caussæ sine qua non, sive antecedentis necessarii, quomodo ad salutem necessaria non erunt? Etiam hac de controversiâ judicium suum promunt scriptores famigerati CONCORDIÆ libri *d*: ac tum primum, tum alterum loquendi genus in Flaccianis damnant: tertium ipsi sequuntur. Et sanè fatemur modum loquendi, quem Witebergenses admittunt, à malignis mentibus aliovorsum trahi posse quàm oportebat. Sed hoc non impedit, quo minus hac nos parte Witebergensibus sociemus. Siquidem satis illi mentem suam explicant, cum dicunt sic necessitatem se operum ad salutem concedere, ut minimè loquantur de necessitate veræ efficientiæ, quasi valeant ad salutem per se gignendam & promerendam, sed de necessitate præsentiæ, quâ opus ad salutem non impediendam. Quomodo capere etiam oportet certissima illa effata Hieronymi Zanchii in Miscellaneis sic scribentis, *Nemo adultus potest salvari sine charitate in Deum & proximum.* Item: *Nemo potest salvari, nisi, si per ætatem licet, bonis operibus studeat, inque illis ambulet.* At nimium partium studio abripitur is, qui *e* in nupero Calvinianæ, ut vocat, ματαιολογίας examine hanc Zanchianam eandemque Catholicam sententiam novem argumentorum agmine proterere sese studet tanquam errorem manifestarium: ubi & hanc ejus αὐτοψίαν inveniet, qui volet: *Cum justificatio mere gratuita nobis in scripturis proponatur, utique fieri non potest, ut possint bona opera* QUOCUNQUE *modo ad salutem necessaria esse.* Dicere autem voluit, nullum planè esse considerandi modum, juxta quem opera ad salutem necessaria dici possint. Quamquam autem istius farinæ scriptores sequiùs de nobis mereantur, minimè tamen par pari damus hostimentum: sed ingenuè fatemur, unit pleraque, non dico παράδοξα, sed ἄδοξα planè sint, quæ ex eorum libris Canisius *f*, ex Canisio item congessit Bellarminus *g*: nihilominus nos putare plerosque omnes eorum rectiùs sentire, quàm loqui: nec tam oppugnatum ire operam, quàm fiduciam in bonis operibus collocatam: neque tam eorum necessitatem ad salutem, quàm salutis meritum condemnare: neque tam impugnare individuum eorum nexum cum fide justificante, quàm coram justitiæ divinæ throno ad actum justificationis negare concursum. Quæ si ita sunt, quamquam injuriâ Ecclesias nostras incessant, ac in sermone periculosâ admodum ὑπερβολῇ & illaudabili κακοζηλίᾳ utantur; tamen vetus & acerba istæc inter partes velitatio magnam partem vera fuerit λογομαχία.

a Cap. de bonis operibus. Vide eam diatribam à Witebergensibus insertam synodicis cæterisque actis de libro Interim dicto, fol. R. k 3 b.
b Part post c. 2.
c Fol. 10. edit. Parif. an. 1547.
d P. 666. & seqq.
e Petr. Hinkelmannus disp. 13 quæ est de bonis operibus edit. Rostoch. an. 1610.
f Lib. 1 de corrupt. verb. Dei cap. 10.
g Lib. 4. de Iustif. cap. 1.

DE QUÆSTIONE II.

THESIS I.

Bona sanctorum opera, quamquam placeant Deo in misericordiæ foro, ubi quod eis deest, contegitur obedientiâ Christi: imperfecta tamen sunt, tum divinæ justitia comparata, tum illi quæ in vita erit altera, tum etiam si in foro justitiæ exigantur ad divinæ legis obrussam.

II.

Estque ea imperfectio in nobis frequentissimè ratione partium, semper verò graduum ratione. Partium quidem, quoties vel omittimus facienda, vel committimus omittenda. Graduum verò, quia etiam cum facimus facienda, semper tamen abest illa charitatis perfectio, quam legis ἀκρίβεια requirit.

III.

Qui verò contendunt sanctos in hac vitâ perfectè implere legem Dei, hi non tantùm refelluntur tristissimis sanctorum lapsibus, quos nobis ob oculos ponit scriptura: sed conscientiâ etiam & confessione Prophetarum & Apostolorum: ut Iacobi a *illo:* In multis labimur omnes. *Et Salomonis* b *hoc:* Non est homo, qui non peccet. *Item* c. Profectò non est quisquam justus in terrâ, qui faciat bonum & non peccet. *Atqui, ut Apostolus ait* d, Qui in uno delinquit, factus est omnium reus. *Ideo David* e *clamat:* Ne ingrediaris Domine in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens. *Et quid pluribus opus? cum Dominus ipse non veraciter minùs quàm humiliter, (etsi aliter olim Pelagianis visum) quotidie nos jusserit precari:* Dimitte nobis debita nostra.

a Iacob. 3. 2.
b 1 Reg 8. 46.
c Ecclesiastæ 7. 20.
d Iacob. 2. 10.
e Ps. 143. 2.

Hinc Cyprianus *f*: *Opus est nobis quotidianâ sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assiduâ repurgemus.* Et quomodo nostra justitia sit perfecta, si possit hic augeri? Augustinus *g*. *Charitas quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet,* IN VITIO EST. Idem *h* sic παραφράζει, quæ ante attulimus, Davidis verba: *Noli intrare in judicium Domine, Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & pravus invenior.* Et quæ illa regula, nisi lex divina? ad quam nihil rectum adeò exigitur in hac vitâ, quin etiam cum nos Aquilino aut Epidaurii serpentis obtutu nihil cernimus vitii vel defectus, divinus tamen oculus videat, quod nos non cernimus. Hinc Gregorius *i* in illud, *Verebar omnia opera mea: Ac si,* inquit, *humili confessione diceretur, quæ apertè egerim video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro.* Et aliquamto ante *k*: *Si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subigimus, ipsa etiam in nobis bene gesta timeamus.* Itaque nec idem *l* scribere dubitat: *Si remotâ tunc pietate discutitur, in illo examine etiam justorum vita succumbit.* Quod planè idem est illi Augustiniano *m*: *Væ etiam laudabili vitæ, si remotâ misericordiâ discutias eam.* Nam quod Augustino est remotâ misericordiâ, id Gregorio est, *remotâ pietate*: quia pietatis voce pro clementiâ usi posterioris ævi scriptores: ut Claudianus *n* & alii: ac ab eâ hujusce vocabuli notione Antoninum Imperatorem Pii cognomentum indeptum esse scimus ex Capitolino *o*, Volcatio Gallicano *p* & Eutropio *q*. Similiterque capiendum cum idem Gregorius alibi ait *r*: *Prece justitia indiget, ut quæ succumbere discussa poterat, ex solâ judicis pietate convalescat.*

Obduxere his tum Pelagiani olim, tum seculo nostro Pontificii varia & Scripturæ & Patrum antiquorum testimonia, quibus perfecta legis præstatio hominibus tribui videtur. Respondebimus cumpse ferè in modum ac Augustinus olim libello de justitiâ Christi contra Cælestium. Nempe adhortationes, quibus perfecti esse jubemur, non tam quales simus, quam quales esse debeamus, ostendunt.

f In exposit. orat. domin. sermon. 9.
g Epist. 29. ad Hieron.
h In Psal. 142.
i Lib. 9. Moral. cap. 26. edit. Parif. 1542.
k Cap. 25. ejusd. lib.
l Cap. 11. ejusd. lib.
m Confess. lib. 9. cap. 13.
n Lib. 4. consul. Honor. vers. 276.
o In Antonino.
p In Avidio Cassio.
q Lib. 8.
r Cap. 14. ejusdem edition.

dunt. Quod ad loca alia, quibus reapse aliqui perfecti dicuntur, loquuntur ea non de perfectione ὁλικῇ, sed inchoatâ: neque de perfecto pietatis effectu, sed ad perfectam pietatem affectu. Nempe uti domus quoque vocari solet, quæ etiamnum exstruitur: sic scripturarum & patrum mos est, perfectos dicere, qui studio sincero & ἀνυποκρίτῳ non secundùm aliqua tantùm, sed omnia Dei mandata vivere incipiunt, atque ad illum exactissimum perfectionis gradum contendunt. Deinde intelligi ea loca debent, non absolutè sed κατὰ συγκρίσεως λόγον sive comparatè. Quemadmodum enim cum Apostolus *a* doctrinæ ratione ait, *Quicumque perfecti sumus*, id relatè ad Catechumenos capi debet, ne pugnet illi, quod alibi *b* ait, *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus*: similiter cum Noachus *c*, David *d*, Aza *e*, Zacharias *f*, atque alii perfecti vocantur, & ex toto corde Deum quæsisse, inque ejus mandatis ambulasse dicuntur: id non absolutè intelligendum, quasi etiam caruerint peccatis quotidianæ incursionis, ut ea Tertullianus vocat, sed relatè ad reliquorum hominum vitam, quia non viverent in peccatis iis, quæ κατ' ἐξοχὴν mortalia appellantur. Denique non capienda νομικῶς, sed Euangelicè, sive non nudè, sed cum velamine gratiæ. Nam quas reliquas habent maculas ac defectus vi passionis ac mortis Christi obteguntur. Atqui, ut optimè Augustinus *g* ait, *omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur.* Concludimus igitur verbis ejusdem Augustini *h*: *Virtutem, quæ nunc est in homine justo,* PERFECTAM HACTENUS NOMINARI, *ut ad ejus perfectionem pertineat, etiam ipsius* IMPERFECTIONIS *&* IN VERITATE COGNITIO, *& in humilitate confessio.*

a Phil. 3. 15.
b 1 Cor. 13. 9.
c Genes. 6. 9.
d Ps. 119. 10.
e 2 Par. 15. 17.
f Luc. 1. 6.
g Lib. 1. Retract. cap. 19.
h Lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 7.

DE QUÆST. III.

Thesis I.

Cum nemo in hac infirmitate vitæ præstet ea quæ debet, impia est eorum sententia, qui plus ajunt præstare quam debet.

II.

Refellit hos etiam Christus apud Lucam XVII. 9. 10. *ubi non dubitat eum servum inutilem vocare, qui etiam cum quod debuit fecit, & hactenus inutilis non fuit, tamen nihil ultra id quod debuit fecit, eoque cui gratiæ agantur dignus non est.*

III.

Quin ἀντιλογίαν continet, ut cum jubeamur Deum diligere ac colere quantum possumus, nos etiam plus facere credamus quàm jubemur.

Rectè Augustinus *a* vocem TOTIUS urget in verbis Christi Matth. XXII. *Non, inquit, plus esse potest quàm ex toto corde, ex totâ anima, ex totâ mente: neque enim restat in nobis aliquid quod addi possit: quia si restabit aliquid, illud non erit totum.* Similis est ratio ejus, quod continuò sequitur apud Euangelistam: EX OMNIBUS VIRIBUS TUIS. Nam ultra vires omnes, non sunt vires aliæ, quibus plus possimus quam lex jubet. Concinit his generale illud Apostoli præceptum ad Philipp. IV. 8 9. *Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* Cujus tantum acumen, ut pervideat, quod superaddi possit? Quam impiè igitur Bellarminus *b*: *Qui diligit ex toto corde Deum, non tenetur facere omnia, quæ Deus consulit.* Humana enim consilia negligere licet, quia ob imprudentiam vel improbitatem consulentis, suspecta aliquando esse possunt: divina consilia non item. Fons hujus erroris est, partim quod vulgatus interpres non uno loco *c*, ubi apud Paullum est γνώμην, consilium transtulit, quasi βουλὴν scriptum esset: partim quia putavit consilium omne nostræ relinqui libertati, sic ut neglexisse illud culpæ non sit, fecisse sit laudis: quia aliquid tum supererogetur. Sic enim loqui amant, parabolâ nixi Luc. x. 35. Atqui multimodis falluntur, cum credunt consilia Dei arbitraria esse: ut sanè nunc consilii vocem retineamus cum Optato *d* & veterum aliis. Quamquam enim Bellarminus *e*, mandatum & consilium, materiâ, formâ, & fine distinguat: pro comperto tamen habemus, consilia non ἁπλῶς opponi mandato, sed mandato communi; ut quæ nihil aliud sint, quàm mandata singularia, quibus etiamsi non obligentur omnes, illi tamen obstringantur, quibus fiant. Unde & B. Augustinus *f* non dubitat præcepti nomine vocare consilium, quod Dominus juveni opulento dat Matt. 19. 21. Quid mirum? cùm Domino consulente nefas fuerit non sequi. Quod adeò verum est, ut si eam bonorum venditionem, inque pauperes distributionem in aliquâ Ecclesiæ necessitate, conscientiæ ac piorum prudentiumque judicium dictaverit nobis, sine piaculo eam omittere non possimus. Peccatum enim est, nolle Deum magis colere cum possis. Itaque & qui donum habuerit continentiæ, & se in cœlibatu cursum Euangelii magis promoturum sciat, peccabit, si uxorem duxerit. Qui item stipendii postulatione abalienaturus à sese sit animos eorum, quos cæteroquin Ecclesiæ sit aggregaturus, is si aliter honestè se possit sustentare, gratis, Paulli *g* exemplo, Euangelium debet prædicare. Corruunt igitur consilia perfectionis, quæ vel arbitraria vel supererogatoria à Pontificiis creduntur. Contra rectè Anselmus *h*. *Nullus potest reddere, quantum debet*: SOLUS CHRISTUS REDDIDIT *pro omnibus qui salvantur* PLUS QUAM DEBETUR.

a Lib. de Spiritu & litera cap. 36.
b Lib. 2 de Monach. cap. 9. col. 455. edition. Ingolst. 1601.
c 1 Cor. 7. 25. & 40. & 2 Cor. 8. 10.
d Lib. 6. contra Parmen.
e Eod. cap.
f Epist. 79 quæst. 4.
g 1 Cor. 9. vers. 14. 15. & seqq.
h De concept. Virg. cap. 21.

DISPU-

DISPUTATIO QUARTA DE BONORUM OPERUM MERITIS.

TERTIA de bonis operibus controversia erat, utrum mereantur vitam æternam. Asserunt id Pontificii: qui tamen in potissimo capite, Bellarmino *a* etiam teste, tres in sectas dispescuntur. Siquidem alii cum Thoma Waldensi *b* & Paulo Burgensi *c* mereri ea salutem ajunt, sed ex merâ Dei liberalitate. Alii cum Durando *d* & Gregorio Ariminensi *e* etiam ex condigno mereri fatentur: sed largo modo: quod aliter dici possit ex congruo, quia ex gratiæ viribus operantes ad gloriam disponantur. Atque hi non videntur meritum agnoscere, nisi impropriè dictum. At Bellarminus *f* adversus hos docet, ea simpliciter mereri ex condigno, quam & communiorem Theologorum sententiam esse dicit. Eadem mens Lindani, Andradii, Petri à Soto, Costeri, *g* qui disertim docet, non ex promissione solùm salutem propter ea deberi, sed etiam ex justitia tum distributiva tum commutativa, hoc est, ob dignitatem tum operantis tum operis, quod meritum est propriè dictum. Nos merendi vocabulum non in totum quidem damnare ausumus, ut quo tum veterum plurimi utantur, tum ecclesiæ reformatæ usæ sunt in confessionibus suis; Augustana dico & Wittebergensis *h*: nihilominus potius cum scripturis loquendum putamus: præsertim cum meriti vox ambigua sit, ac nostro imprimis seculo, superbiæ nomine periculosa. De re vero ipsâ, sic statuimus, quicquid de aliis sit, qui bona opera verè proprieque non ex promissione solùm, sed etiam justitiæ debito propter æqualitatem operis & mercedis, vitæ æternæ meritoria esse censent: (quomodo plerique omnes Pontificiorum loqui amant:) hos non falsò solùm, sed impiè etiam sentire ac loqui: neque solùm τ̃ ἁγίαις κ̀ θεοπνεύστοις γραφαῖς (quas Athanasius *i* benè ait esse αὐτάρκεις πρὸς τὴν τ̃ ἀληθείας ἀπαγγελίαν) sed etiam illi ipsi, quâ jactare se tantopere solent, antiquitati piæ repugnare. Singula horum solidè deinceps comprobamus.

a Lib. 5. de Iustific. cap. 16.
b T. 3. de sacram. cap. 7.
c Addit. Lyra in Psal. 35.
d In lib. 2. distin. 27. qu. 1.
e In lib. 1. dist. 17. qu. 1. art. 2.
f Lib. 5. de Iustif. cap. 16
g Enchirid. cap. de bon oper. merit.
h Vide Harmon. confession. sect. 9.
i Initio lib. contra gentes.

Thesis I.

UT bona hominum opera mereri possint vitam æternam, quatuor requiruntur conditiones: quarum prima est, ut sint undiquaque perfecta, tam graduum quàm partium ratione. Nam ut est Deuteron. XXVII. 26. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. *Et ut est apud Iacobum* II. 10. Qui in uno offenderit, omnium factus est reus. *Atqui nullus perfectè legem Dei servat, ut antecedenti disputatione demonstratum fuit. Meritò igitur negamus opera nostra meritorum nomen mereri.*

Augustinus *k* benè: *multum in hac vita ille profecit, qui quam longè sit à perfectione justitiæ, proficiendo cognovit.* Atqui, ut verè Hieronymus ad Ctesiphontem *l* ait: *Si inutilis est qui fecit omnia, quid de illo dicendum est, qui explere non potuit?* Eo ipse argumento justificationem ex operibus impugnat Petrus Chrysologus Serm. XCI. ac concludit nos esse justos apud Deum, NON LABORE SED GRATIA. At si operibus ob eorum imperfectionem non justificamur, multò minus iis meremur vitam æternam. Vidit idem è Pontificiis Joh. Ferus in Act. cap. XV. *Apostoli*, inquit, *concludunt, quod fides justificat, non opera neque lex. Cur fides? quia* INNITITUR *gratia & misericordia Dei, promissis Dei,* MERITIS CHRISTI. *Cur non justificat lex? quia nemo eam servavit. Cur non* OPERA? *quia* IMPERFECTA SUNT. *Hæc quidem summa totius concilii Apostolici.* Itaque idem Ferus Merita rejicit plusculis locis: sed quæ Hispanici censores in Complutensi edit. mutârint, ac in aliis jubeant furcillari: etiam superiorem locum cancellaturi, si ejus in Acta comment. legissent.

k De spiritu & lit. cap 36.
l Tom. 2. pag. 254. edit Bas. 1553.

II.

Altera meritorii operis conditio est, ut indebitum sit. Nec enim ad quæ ipsi obstringimur, ea sub meritum cadere possunt. At superiori quoque disputatione probatum est, debere nos Deum in tantum diligere ac colere quantum possumus.

Attulimus tunc locum Christi Luc. XVII. 9. Ubi, ut Augustinus ait, inutilis servus vocatur, qui omnia fecit, quia nihil fecit ultra id quod debuit. Quicum consentit Theophylactus ad hunc locum: *Servus*, inquit, *si non operabitur, dignus est multis plagis: cum autem operatus fuerit, contentus sit quod plagas effugerit.* Et sanè quod Philemoni ait Paulus *a*, *Te ipsum mihi debes*: id longè justiùs Deus, cuicunque creaturæ dicere potest. Nam ut alibi ait Apostolus *b*, *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi?* Vide sis B. Bernardi serm. de quadruplici debito: ubi docet sic opera nostra Deo deberi, ut ea etiam citra præmii spem exigere à nobis posset.

a Philem. 19.
b Rom. 11. 35.

III.

Tertia conditio est, ut opus planè vel imprimis nostrum sit, non ejus à quo mercedem exspectemus. At verò opera bona, quanquam è nobis tanquam à voluntario instrumento proficiscantur, tamen non tam nostra censeri debent, quàm Dei illa in nobis operantis. Unde 1 *Cor.* XV. 10. Amplius quàm omnes illi laboravi, non ego, sed gratia ejus quæ est mecum. *Vide & ejusdem epist.* IV. 7. *& Philip.* II. 13. *& ad Heb.* XIII. 2.

Etiam ex Ioh. XV. 5. & imprimis Ephes. II. 8. idem multis probat Augustinus lib. de gratiâ & liber. arbit. cap. 8. ubi his verbis disputationem concludit: *Itaque vita bona nihil aliud est quàm Dei gratia.* Similiaque legas Enchir. cap. 107. & in Euangel. Ioh. tract. 3. Et quid pervulgatius illo ejusdem, Deum non coronare merita nostra, sed opera sua? Quod habes epist. ad Sixtum, ac compluribus in Psalmos locis. Cujusmodi satis ostendunt Hipponensem illum antistitem juxta nobiscum sensisse.

Etiam

IV.

Etiam quartâ conditione opus est, proportione videlicet inter opera ac mercedem. Iam autem certum est opera nostra esse finita, æternam autem Vitam infinitam. Ac proinde inter hæc analogia non erit, quandoquidem finiti ad infinitum nulla est proportio.

Consentiens illa Thomæ, aliorumque Scholasticorum sententia est, mereri esse actum justitiæ: hanc verò esse æqualitatem quandam. Opera verò nostra ac vitæ æternæ merces inæqualia sunt: quod tum Athanasius in vitâ S. Antonii, *a* Eusebius Emissenus homil. 3. ad Monachos, *b* & Bernardus serm. 1. de annunciatione *c* apertissimè testantur: atque ipse non obscurè Apostolus indicat ad Rom. 8. 18. *Non sunt*, inquit, *condigna passiones hujus seculi, futurâ gloriâ in nobis revelanda.* Siquidem est difficilius mala perpeti, quàm bona agere: eoque si passiones gloriâ Dei condignæ non sunt, longè minus condigna erunt bona opera. Hinc Gregorius sive alius in 7. Psalm. pœnitent. *d. Vita beata in quâ cum Deo & de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cum Apostolus dicat, Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, &c.* Mirum vero hic κακόφυγετον Aquinatis: quem præter Scholasticos secuti Andradius, Costerus, Bellarminus *e*, alii. Somniant autem quandam operum nostrorum divinitatem, quatenus à Spiritu S. fiunt. Eoque respectu esse aliquam operum, ac mercedis æqualitatem contendunt. Sed benè est, quod in spissis illis tenebris vigilantior Angelico illo, ut vocant, doctore erat Durandus, qui rectè respondet *f*, *Agens non perficere passum secundùm se ipsum, sed secundum aliquid immissum, formaliter existens in actu vel in potentiâ elicitivâ actus.*

a T. 2. Col. 450. edit. Commel.
b Fol. 167. b. edition. Lovan. 1560.
c P. 113. edit. Kerrbergii.
d In vers. 8. fol. 151. col 3. edit. Paris.
e 1. 2. qu. 114. Art. 3. in conclus.
f Lib. 2. dist. 28. qu. 1. Sect. 9.

Atque hæc dicta sunt de quatuor intrinsecis meritorum conditionibus. His, qui volet, addat quintam, sed extrinsecam, quæque non tam hoc efficiat, ut opus naturâ suâ mereri idoneum sit, quàm ut de personâ certâ actu mereatur, eamque ad persolvendum mercedem obstringat. Ea est, ut ille cujus gratiâ opus præstatur, honore vel emolumento quopiam mactus fiat. Atqui Deo, cum sit αὐταρκής, nihil ex operibus nostris accedere potest, ut cognuscimus ex Job. xxxv. 7. & xli. 2. & Rom. xi. 35. & aliis locis. Cùm igitur de Deo benè mereri non possimus, nec mercedis quicquam mereri ab eo possumus.

Illæ vero septem Bellarminianæ meriti conditiones, ut meritum sit. 1. opus bonum. 2. liberum. 3. in obsequium Dei. 4. ad promissionem ejus. 5. à viatore. 6. & amico Dei. 7. ex charitate profectum: non propriæ sed duntaxat communes sunt notæ. Nec enim soli conveniunt merito, eoque non quicquid illa habet, meritorium vitæ æternæ dici potest. Quid quod, ut ipse agnoscit Bellarminus, de tribus solùm conditionibus convenit inter Pontificios: de cæteris vero dissentiunt. Nec enim Rob. Holkot, ut sit opus liberum, necessarium putabat: nec ut in statu gratiæ fiat, requiri existimabat is, cujus nomini parcere Bellarminus voluit, Michael Bajus: nec idem Bajus agnoscebat necessitatem pacti ac promissionis, in quo etiam Becanus fatetur dissentire Scholasticos: affirmare Scotum, Marsilium, Vegam: negare Cajetanum & plerosque Thomæ sectatores. Denique nec opus esse ut ex caritate proficiscatur, quæ opinio erat Guilielmi Antisiodorensis. Ita homines isti in re clarâ certâque tanquam in spissis tenebris Andabatarum more certant incerti.

V.

Et hæ quidem meriti cujusque conditiones, nulla esse nostra salutis æterna merita ostendunt. Quod ipsum clarè ostendit Apostolus ad Rom. 6. 23. Ubi cum dixisset stipendium peccati esse mortem, quanquam, ut benè Augustinus observat, dicere similiter poterat, bonorum operum stipendium esse vitam æternam (nempe quâ ratione ea bonorum operum merces vocatur) tamen ne hoc de stipendio promerito aut debito intelligeretur, dicere maluit eam esse donum Dei, χάρισμα τοῦ Θεοῦ.

Adeundus inprimis Augustinus Epist. 105. & lib. de gratiâ & lib. arb. cap. 9. Item in Psal. lxii. Ac similiter Fulgentius lib. 1. ad Monimum *a*. Præclarè etiam è Græcis Magnus Basilius in Psal. cxiv *b*. Ἐπίστρεψον (ψυχή μου) εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου, ὅτι κύριος εὐηργέτησέ σε. Πρόκειται γὰρ ἀνάπαυσις αἰωνία τοῖς ἐν ταῦτα διαθλήκασι βίον οὐ κατ᾽ ὀφείλημα τῶν ἔργων ἀποδιδομένη, ἀλλὰ κατὰ τοῦ μεγαλοδώρου (supple εὐεργεσίαν ἢ χάριν) τοῖς εἰς αὐτὸν ἠλπικόσι παρεχομένη. i. *Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Proposita est enim requies æterna legitime hanc vitam decertantibus, NON SECUNDUM DEBITUM OPERUM reddenda, sed secundum beneficentissimi Dei (gratiam) illis, qui in ipsum spem collocaverint, exhibenda.*

a Pag. 12. & 23. edit. Bas. 1566.
b P. 126. edit. Bas. 1551.

VI.

Nec adversaria doctrina tantummodo falsa, verùm impia quoque ac sacrilega est: ut quæ divinæ misericordiæ gratiam evacuet: Deumque perinde homini obstringat, ac si aliunde quàm ex divinâ gratiâ salus ei constaret.

Nam, ut Augustinus *c* ait, *Gratia evacuatur, si non gratis donatur, sed meritis redditur.* Quin idem nec dicere alibi *d* dubitat: *Non Dei gratia erit ULLO modo, nisi gratuita fuerit OMNI modo.* Nempe ex Dei gratia salus nostra gratis inchoatur, gratis continuatur, gratis perficitur. Contraria verò doctrina Deum homini debitorem facit: quod plusquam absurdum esse negaverit nemo; qui cogitarit, quis propriè debitor dicatur. Nam, ut Modestinus *e* ait *Debitor intelligitur is, à quo invito exigi pecunia potest.* At quis non probet illud Bernardi serm. 1. de annunc. Mar. *f*. *Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna* DEBEATUR EX JURE, *aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Nec enim quia Deus homini beneficium contulit, eo obstringitur ad plura majoraque conferenda: sed (ut benè etiam Durandus *g* ait) interrumpente illo beneficiorum cursum, dicere cum Jobo *h* deberemus: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Loquor autem de debito propriè dicto: quale statuunt illi, qui docent opera mereri ex condigno: hoc est non ex promissione solùm, sed etiam propter operum in seipsis dignitatem. Alioqui etiam qui se liberali promissione obliget, debitor hoc sensu dici possit. Quomodo (ut Ioan. Pastoli in Mag. sent. similitudine utar) *si alicui promitteretur regnum pro eo si festucam levaret, levanti festucam deberetur regnum, non ex condignitate actus levandi festucam, sed ex promissione promittentis.* Similiter si princeps mancipio spondeat, velle se ei donare ingentem pecuniæ vim, sed si ipse in aulam venerit eam postulatum: ratione promissi dici possit pecuniam debere, quam tamen ex purâ putâ liberalitate decreverit donare. Sed hæc valde impropria locutio est: Quod cum Thomas, aliique Scholastici viderent, dixere Deum promissis suis non debitorem effici nobis, sed sibi h. e. decreto voluntatis suæ, quatenus ut promissis stet, ejus convenit veritati. Non dubitarunt tamen Patres aliquando hoc pacto loqui, etiam tres nobiles Africæ episcopi, Cyprianus, Augustinus, Fulgentius. Cypriani est epistola *i* de opera & Eleemosynis (sic Augustinus *k* vocat libellum hunc) *Verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus præfert gratiam* spiri-

c Epist. 105. ad compresbyterum Sixtum.
d Cont. Pelag. & Celest. lib. 2. cap. 24.
e D. lib. 108. de verb. signif.
f Col. 123. edit. Kerrberg.
g Lib. 2. dist. 28. qu. 1. parag. 14.
h Cap. 1. 21.
i In Epilog.
k Lib. 4. ad Bonifac. cont. duas epist. Pelag. c. 8.

ſpiritalem, promeretur Chriſtum judicem, Deum computat debitorem. Ubi ut promerendi vox ſumatur, poſtea dicemus. Auguſtinus in Pſal. 109. *a. Fidelis dominus, qui ſe nobis debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed omnia promittendo.* Similiter ſemel & iterum loquitur in Pſal. 32. *b.* Ut & Fulgentius prolog. lib. ad Monimum: *Se ipſum ſuâ largitate dignatus eſt facere debitorem.* Item Paullinus epiſt. ad Victricium: *Tuarum tibi præmia ſe debere virtutum juſtus judex agnoſcet.* Imo in ipſo concilio Arauſicano 2, quod adverſus gratiæ inimicos celebratum fuit, Can. 18. legas: *Debetur merces bonis operibus: ſed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Ubi quod ſequitur, *Neminem niſi Deo miſerante ſalvari*: non clauſula eſt hujus Canonis quod vir eruditus *c* putabat, ſed lemma ac argumentum canonis ſequentis. His verò conſentit illud Bernardi *d*: *Promiſſum quidem ex miſericordiâ, ſed jam ex juſtitiâ perſolvendum eſt.* Cujuſmodi Pontificiorum cauſſam parum juvant, quando veteres ſolùm reſpiciunt veritatem promiſſionis: Pontificii verò, hac non contenti, dignitatem operis ut plurimum ſuperaddunt. Ut plurimum inquam: Nam aliter Durandus, Waldenſis, alii, ut ſupra dicebamus. Durandus quidem diſertim *e* ait: *Si decedenti in gratiam Deus non daret gloriam, nihil injuſtum faceret: & ſi habenti gloriam auferret eam, non eſſet injuſtus*: ac rationem addit, *quia ex dono gratiæ nullus obligatur ad dandum amplius, ſed potius recipiens magis obligatur danti.* Nec dubitat addere, *Et ſentire ſeu dicere oppoſitum, eſt* TEMERARIUM SEU BLASPHEMUM. Quod verò objicitur, ſi non operis, ſaltem promiſſionis ratione fieri Deum debitorem: id duabus de cauſis negandum ait. Una eſt, quia *Promiſſio divina in ſcripturis ſanctis non ſonat aliquam obligationem, ſed inſinuat meram diſpoſitionem liberalitatis divinæ.* Altera, quia *quod redditur non ex debito præcedentis operis, ſed ex promiſſione præcedente, non quidem redditur ex merito operis de condigno, ſed ſolùm, vel principaliter ex promiſſo. Et ita ibi non eſt illud debitum de quo loquimur.* Addamus & locum inſignem Thomæ Waldenſis, qui & ipſe merita ἁπλῶς negat, tanquam derogantia gratiæ divinæ. *Ille*, inquit *f*, *eſt* SENIOR THEOLOGUS, *fidelior Catholicus, & ſacris ſcripturis magis conſentiens, qui merita* SIMPLICITER *abnegat, & cum modificatione Apoſtoli & ſcripturarum agnoſcit, quod ſimpliciter nemo meretur regnum cœlorum, ſed ex gratiâ* DEI, *& voluntate largitoris.* Etiam auro magis aureum illud Feri dictum in Matth. lib. 3. cap. 20. v. 8. *g. Gratis promiſit, gratis reddit. Si igitur Dei gratiam & favorem conſervare vis, nullam meritorum tuorum mentionem fac. Ex miſericordiâ enim cuncta donare vult, nec tamen ob id ſegnius operandum, imo eo ferventius, ut qui tam benignum nacti ſimus dominum.* Quæ verba expungi jubent Cenſores Hiſpanici, manifeſtarii divinæ gratiæ inimici. Gemina quædam ejuſdem, ſed magis Chriſti meritum reſpicientia, ad theſin proximam adducemus.

a Col. 1272. edit. Baſ. 1556.
b Col. 2. 11. & 212.
c Animad. Bellarm. de Iuſtif. l. 5. c. 6.
d Extremo libro de grat. & liber. arbitr.
e Lib. 2. diſt. 28. qu. 2. Parag. 13. 14. 15.
f Vega Opuſc. de meritis 4. pag. 782. & ex eo Morthon. Apol. Cathol. c. 72.
g P. 230.

Thesis VII.

Etiam doctrina iſta imminuit vim & efficaciam paſſionis ac mortis IESU *Chriſti. Nam ut ſolus ſe Chriſtus ἀντίλυτρον dedit pro mundi peccatis: ita idem ſolius obedientia vim habet merendi tum gratiam tum gloriam.*

Audiatur Proſper, ſive alius lib. 1. de vocat. Gent. cap. 17. *h Nulla poſſunt tam præclara opera exiſtere, quibus hoc quod* GRATIS *tribuitur, per retributionis judicium* DEBEATUR. VILESCERET *enim* REDEMTIO SANGUINIS CHRISTI. Sed Sophiſtæ, (qui Sophiſtæ jam non eſſent, niſi ſemper haberent, quo in re clarâ pulverem ob oculos ſpargere imperitis poſſent) hæc ſic ſatis ſpecioſè incruſtant. Nempe ajunt *a*, quod merendi vim operibus tribuant ſuis, id non inſufficientiæ meritorum Chriſti, ſed ſummæ eorum efficaciæ tribui debere. Nam ex mero merito Redemtoris fluere vim eam ut homo ſalvetur nobiliſſimo maximeque honorato modo: qui, quis alius, inquiunt, ſit, quam ut ille non ἁπλῶς gratis, ſed etiam per propria merita ſalvetur? Nempe is eſt humani ſpiritus faſtus, ut non ſatis ducat gratis ſalvari, ſed modum ſalutis præoptet magis honori ſuo conducibilem: qualem eſſe autumat, ſi & ipſe ex parte in ſocietatem veniat gloriæ uni Chriſto in ſcripturis tributæ. Hæc, ut omnia, prævidit divinus ſpiritus, qui iccirco ad Rom. IV. 4. docuit, eò velle nos Deum non ex labore ſed ex gratiâ ſalvare, ut omnis homini gloriatio adimatur, quæ nequaquam penitus excluditur, ſi vim promerendi ſalutem inter nos & Chriſtum quomodocunque partiamur. Etiam agnovit hoc è Pontificiis Ferus, *b* quando ait: *Qui docet in operâ confidere, is negat meritum Chriſti ſufficere.* Et in Eccleſiaſten cap. 4. *Sic ſummum malum eſt in operibus noſtris & meritis confidere. Hoc enim eſt meritum Chriſti blaſphemare.* Quæ ſi placuiſſent Pontificiis Cenſoribus, num illa expungi *c* juſſiſſent. Similiterque delendum ajunt memorabilem planè locum libri *d*, cujus ἐπιγραφή: Ordo baptizatorum cum modo viſitandi. Verba hæc ſunt: *Credis non propriis meritis, ſed paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute ac merito ad gloriam pervenire? Credis quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro noſtrâ ſalute mortuus ſit, & quod ex propriis meritis vel alio modo nullus poſſit ſalvari, niſi in merito paſſionis ipſius? Non erit deſperandum vel dubitandum de ſalute illius, qui ſupra poſitas petitiones corde crediderit & ore confeſſus fuerit.* At nos & improbos dicimus Doctores, qui de vitâ migraturis adeò ſalutaris doctrinæ viaticum denegant, & infelices ducimus diſcipulos, quibus denegatur.

h In Proſp. Sed in Ambroſ. (cui tribui ſolet) c. 5.
a Bellarm. lib. 5. de Iuſtific. cap. 5.
b In Act. cap. 15.
c In Ind. Exp.
d Venet. editum. an. 1576.

Thesis VIII.

Nec obſtat quod ſcriptura & dignitatem operum prædicat & mercedem agnoſcit. Nam alibi viciſſim & Operum agnoſcit indignitatem, & vitam æternam doni nomine appellat. Quocirca non loquitur ſcriptura de dignitate operum in ſe, ſed eâ quam obtinent dignatione divinâ: nec mercedem intelligit debitam, ſed illam, quam Hilarius e *vocat gratuita mercedis donum.*

Quid propriè merces, quid ἄξιον hoc eſt dignum dicatur, ex origine vocabulorum cognoſci poteſt. Nam Varro 4. de LL. auctor eſt, à merendo mercedem eſſe appellatam. Et Etymologus, quem Muſurus edidit, ait eſſe ab ἄγω ἄξω ἄξιον ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἴσην ῥοπὴν ἐχόντων: ita ut ex ejus ſententia ἄξιον propriè ſit ἰσόρροπον. Ac Pontificii contendunt ex Varronianâ illâ vocabuli proprietate mercedem intelligi Gen. 15. 1. & 2 Paral. 15. 7. Prov. 11. 18. Sap. 5. 16. Jeſ. 40. 10. Matt. 5. 12. & 1 Cor. 3. 14. & Apoc. 22. 12. Ac ἄξιον ſive ἀξιοῦσθαι ſecundùm illam Etymologi originationem ἰσότητα ſignificare cenſent Luc. 20. 35. & 2 Theſ. 1. 5. & Apoc. 3. 4. Sed quo minus hac parte ipſis ſubſcribamus facit, quod vita æterna alibi *f* appellatur χάρισμα τοῦ Θεοῦ: & paſſiones *g* noſtræ negantur condignæ gloriâ revelandâ in filiis Dei. Quocirca, cum pugnare ſecum ſcriptura non poſſit, concludimus per illam ſeu operis, ſeu operantis (de quâ propriè loquuntur loca adducta) dignitatem, non eam intelligi debere, quæ ex propriâ ſeu perſonæ ſeu rei dignitate fluit: ſed illam quæ eſt acceptatione & dignatione divinâ. Similiterque colligimus non loqui ſacras literas de mercede, qualis ob dignitatem mercedi ἀναλόγως jure mercenario debetur, ſed eâ

e In Matt. 1. 20.
f Rom. 6. 23.
g Rom. 8. 18.

quæ non segnibus, verùm laborantibus ex ὀφειλῆς, ac gratuitæ promissionis jure confertur: unde & hæreditas alibi nominatur. Nec hæreditatis appellatio obstare censenda est, quo minus mercedis nomen mereatur. Siquidem & filio adoptivo, qui morem adoptanti sedulò gesserit, & multa illius caussa sit perpessus, sic hæreditas jure venit filiali, ut tamen ea ratione operum, quæ is præstitit, & ratione afflictionum, quas is subiit, merces possit appellari.

Thesis IX.

Meriti autem vocem scriptura nesciunt: caterùm Patres non dignitatis tantum vel mercedis, sed etiam meriti vocabulum frequentant: verum καταχρηστικῶς: cum non aliud dicere velint, quàm opera bona dignatione divina gratuitam consequi mercedem.

Meriti vocabulum scripturis quidem ignoratur. Sed tamen tum apud apocryphi Syracidæ interpretem invenitur, qui κατὰ τὰ ἔργα *secundum operum suorum meritum* vertit: tum in translatione veteri epist. ad Hebr. XIII. 16. ubi εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς transfertur, *Deus promeretur*, passivè nempe sumto merendi verbo pro conciliatur, pacatur. Ac hæc quidem, ut nihil Pontificios juvent, satis liquet. Nec iidem habent, quod multum se de antiquis Patribus jactent. Nam crebra quidem merendi vox apud eos: sed longè alia notione: quemadmodum rectè monet Cassander in illa hymni a verba: *Mereamur aulam ingredi cœli*: ubi scribit: *Mereri apud Ecclesiasticos scriptores fere idem valere quod consequi seu aptum idoneumque fieri ad consequendum: quod inter catera vel ex uno Cypriani loco apparet. Nam quod Paullus inquit 1 Tim. 1. ἀλλ᾽ ἠλεήθην, quod vulgo legitur Misericordiam consecutus sum, vel ut Erasmus vertit, Misericordiam adeptus sum, id Cyprianus ad Iubajanum legit Misericordiam merui. Et multa loca sunt in Ecclesiasticis officiis & precibus, ubi vocabulum hoc intellectu accipi debeat: qua vocis notio si retineatur, multa qua durius dici videntur, mitiora & commodiora apparitura.* Quæ verba, more suo, deleri jusserunt Hispanici Censores. At nihil certius est quam verbum hoc primò quidem proprieque dici de opere indebito, cui ob dignitatem sui præmium debetur: deinde verò καταχρηστικῶς usurpatum esse de opere debito, quod alter præmio dignatur. Priori notioni accommodata est definitio Thomæ Aquinatis, cui meritum est *actio quâ efficitur, ut ei qui agit, sit justum & debitum aliquid dari, tum ex parte recipientis tum ex parte dantis.* Et Thomæ de Argentinâ, cui definitur *opus indebitum, pramium de indebito faciens debitum, vel de minus debito magis debitum, vel de uno modo debito, alio modo debitum.* At latè communiterque accipit Gabriel Biel, cui meritum est *opus imputabile ad laudem.* Sive imputabile ad præmium. Nempe vel debitum vel gratuitum. Quin interdum meriti & merendi voces laxe adeò sumuntur, ut nec dignitas propria, nec dignatio aliena spectetur: vel sanè admodum obscurè: adeò ut vix aliud significare videatur quàm Græcum τυγχάνειν, hoc est obtinere vel consequi. Agnovit quoque hoc tum Vega tum Stapletonus: ut observat Morthonus b. Vegæ c verba sunt: *Non me fugit usurpari apud patres nomen meriti, ubi nulla est ratio meriti, neque de congruo, neque de condigno.* Stapletonus verò d, *quod si*, inquit, *aliquis veterum vocabulo promerendi usus est, non aliter intellexit quam consecutionem de facto.* Nec diffiteri idem potuit Genebrardus lib. III. de Trinit. pag. 310. Possemus adferre ingentem locorum sylvam, quibus Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, alii, meriti & merendi verbis impropriè *usi* sunt: sed fecere hoc jamdiu alii, eosque inter Nob. Plessæus lib. III. de sacrific. Missæ cap. 21. Frustra verò est eruditus Bellarminianarum Castigationum scriptor e, qui, ut antiquorum monumentis, laudabili sanè studio, facularn ministret, tergeminam procudit significationem, ac nunc POSSE, nunc VELLE, nunc EXIGERE exponendum ait. Ac Posse interpretatur in illo Ambrosii, sive alius in 1 Cor. 11. a. *Cœna est memoria redemtionis nostra, ut redemtoris memores majora ab eo consequi mereamur.* Atqui *consequi mereamur*, nihil aliud est quàm dignatione divinâ censeamur ad consequendum non inepti nec indigni. Similiter exponendum in Augustini b loco quem adducit. Imò, ut putamus, in illo quoque Augustini ad Hieronymum c: *Utrum epistola in manus tuas pervenire meruerit, adhuc nescio.* Nam sententia est, utrum hunc honorem ac quasi dignitatis gradum feliciter consecuta sit, ut à tanto viro legi posset. Vel si ἁπλῶς *consequi* interpretari malis, non repugnem. Saltem *meruit* aliquid plus significare quam *potuit*, puto satis esse manifestum ex iis quæ diximus. Nihilo rectius VELLE exponit in illo Hieronymi d epist. 64. ad Dardanum. *Sed si non fecero qua pracepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me, qui promissa accipere non merui.* Nam sententia est, Vitio voluntatis non respondentis vocationi promissis fui indignus. Adfert & illud Ambrosii Serm. 6: *Volui enim vos ipsum hoc intelligere, quàm graviter peccaveritis, qui divina eloquia audire non meruistis.* Sed hic omnino propriè accipi nemo negaturus est, qui locum inspexerit. Clarè enim se explicat ibidem Ambrosius, cum ait, se domo profecturum, quadam sacerdotali vindictâ populum objurgare contentum, noluisse ei pandere Evangelicæ refectionis eloquia, ne cælestium literarum sacramenta panderet indignis. Denique nec EXIGERE, quod idem præstantissimus vir putabat, significat in κυδωνείῳ istoc Gregorii Magni dicto: *O felix culpa, qua talem meruisti habere redemtorem.* Nam sententia est, quæ consecuta es talem redemtorem. Vel si hic quoque dignitatis aut dignationis aliquam rationem habitam putes, eò respexerit Gregorius, quod aliquam felicitatis habeat imaginem, (umbratilem licet & sublestam) quod cum Deus punire in nobis culpam posset, eam hoc quasi honore est dignatus, ut amore humani generis expiaret illam per unigenitum filium suum. Atque hæc satis ostendunt, quæ mens fuerit Patrum, cum opera bona Meritorum nomine appellant. Sanè etiam Bernardi temporibus impropriè Meritorum & merendi vocem intellexisse, neminem ignorare sinit illustris ille ejusce scriptoris locus, quo claudit librum de gratiâ & libero arbitrio: ALIOQUIN SI PROPRIE APPELLENTUR EA, QUÆ DICIMUS NOSTRA MERITA, *spes quadam sunt seminaria, charitatis incentiva, occulta pradestinationis judicia, futura felicitatis prasagia*, VIA REGNI, NON CAUSA REGNANDI. *Denique quos justificavit, non quos justos invenit, hos & magnificat.*

a Hymn. cujus initium, Nocte surgentes.

b Apolog. Cathol. T. 2. cap. 72.
c Opusc. de Meritis quæst. 4. pag. 782.
d In promt. Fer. 3 post pass. dom.
e Advers. sus Bellarm. de Iustif. pralect. 313.

a P. 275. edit. Basil. 1555.
b De catechizandis rudibus cap. 25.
c Epist. 19.
d Pag. 69. edit Basil. 1553.

Thesis X.

Quaritur an merces operibus promittatur ut fidei signis. Nos & nimium dicere putamus, qui eam operibus promitti censent ut caussa meritoria: nec satis dicere judicamus, qui tantummodo ut signis fidei promissionem factam arbitrantur. Siquidem multa sunt scriptura loca, quibus planum fiat, opera nostra in salutis negotio spectari ut caussam sine quâ non, sive ut conditionem pracedaneam, qua pramium vita aterna individuo secum nexu trahat.

Ita Matth. xxv. 34. *Possidete regnum calorum. Esurivi enim & dedistis manducare.* Et ibidem, juxta quidem vulgatum interpretem: *Quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Similem de passionibus, sed nec solis, nec primariò, locum habes Apocal. VII. 14. *Hi sunt qui venerunt ex magnâ tribulatione, &c.*

Ideò

Ideò sunt ante thronum Dei. Idem docemur 2 Cor. 4. 17. *Momentanea levitas oppressionis nostræ, excellenter æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Gal. vi. 8. *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Philip. ii. 12. *Cum timore & tremore operamini salutem vestram.*

Thesis XI.

Ex hac verò quæstione facilè solvitur altera, utrum rectè liceat operari intuitu mercedis. Negare id nos negamus: quamquam sic videri velint Pontificii. Tantùm enim dicimus, non operari nos intuitu mercedis debere tanquam debitæ; quippe quæ gratis conferatur: imò nec solius mercedis intuitu, sed amore ipsius divinæ gloriæ virtutem esse colendam: quando prius illud non filios deceat, sed mercenarios, à quibus citra mercedis spem nihil consequaris.

Non amore Dei, sed sui solius caussâ, meliori vitæ animum applicantes, hoc dicto castigabat Antigonus Sochæus, Simeonis Justi successor: ut est in Aboth. cap. 1. *Ne estote servi, qui ministrant domino, ut præmium ab eo accipiant, sed estote sicut servi, qui ministrant domino suo hac conditione, ne accipiant præmium, & sit Dei timor super vos.* Quo ex dicto perperam intellecto discipulos ejus Sadocum, Saducæorum principem, & Baithum negandæ vitæ futuræ cepisse occasionem, cum ibidem, tum in lexico Thalmudico atque aliis Judæorum commentariis legere est: ut alibi *a* quoque diximus.

a Disput. 1. de Resurrect.

Thesis XII.

Tertia etiam quæstio est, utrum sine peccato quisquam possit fiduciam suam in operibus reponere. Nos id contra Pontificios negamus. In solius enim Dei misericordiâ, ac Salvatoris nostri merito omnem nos fiduciam scriptura jubet collocare.

Feri Pontificios hac parte damnantis, & vicissim à Pontificiis damnati sententiam supra vidimus. Ejusdem illud, *b* (quod & ipsum Censores isti furcillari jubent) *Verè nullum hominum genus est, quod minus moveatur verbo Dei, quam hi, qui in suâ justitiâ confidunt.* Benè autem se habet, quod etiam Bellarminus, postquam fusè conatus probare, posse etiam nos operibus nostris confidere, præclaras has voces expromit *c*: *Propter incertitudinem propriæ justitiæ* (quamquam melius dixisse potuit, propter certitudinem propriæ injustitiæ) *& periculum inanis gloriæ, tutissimum est fiduciam totam in solâ Dei misericordiâ & benignitate reponere.* Nam quis profectò suæ salutis sitiens incertâ ac lubricâ viatum quàm tutissimâ insistere malit?

b In 1. c. Evang. Ioh.

c Lib. 5. de Iustif. cap 7. Parag. Sit tertia propositio.

DISPUTATIO QUINTA

SIVE

THEOREMATA SACRA

DE

STATU ANIMÆ A CORPORE SEPARATÆ.

Lucas cap. xvi. 22. 23.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, & asportaretur ab angelis in sinum Abrahæ: mortuus est verò etiam dives ille, ac sepultus est.

Et apud inferos sublatis oculis suis, cùm esset in tormentis, vidit Abraham procul & Lazarum in sinu ejus, &c.

CUM non quæcunque ex historiâ, eadem ex singulis parabolæ partibus rectè eruantur: primo loco, utrum narratio hæc de divite prodigo & Lazaro, historia sit an parabola, disquirendum videtur. Posterius hoc censet Theophylactus *a*, à quo & *ἀνόητοι b* vocantur, qui secus sentiunt. Caussam verò eandem adfert quam scriptor antiquus responsionum ad Orthodoxos falsò Justino Martyri tributarum, quæst. lx. ubi historiam esse negat, quia περὶ τῆς ἀναστάσεως τῶν δικαίων βεβαιουμένων ἢ ἀνταποδόσεως ἐν γενέσει *c*. Quanquam hoc ἁπλῶς verum non est, ut inferiùs parebit. Parabolam quoque appellat Theophilus Antiochenus *a*, lib. iv. allegoriarum. Eucherius quæst. in Lucam. Chrysostomus quatuor homiliis de Lazaro, ac, ut observat etiam Molanus *b*, multæ Ecclesiæ, illasque inter Romana, præmittunt huic Evangelio, *In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc.* Contrà pro historiâ habent Irenæus lib. ii. cap. 62. Tertullianus lib. de animâ, cap. 7. Ambrosius comment. lib. viii. in Luc. xvi. Chrysostomus ipse Tom. 2. homil. in Lucam de divite, & sequente homil. 1. de Lazaro, & homil. 6. in 2. Epist. ad Corinth. (ubi Lazarum inter ἀρχαίους ἄνδρας reponit) item homil. de eo quod scriptum est in Psalm. xxv. 11. *Redime me & miserere mei.* Augustinus lib. xxi. de Civit. Dei, cap. 10. & Epist. 99. ad Evodium. Gregorius homil. 40. & Epist. 77: item Euthymius atque alii in Luc. cap. xvi. Iuvat hanc sententiam, quòd Parabola sit ὁ λόγος ὁμοιότητα περιέχων τοῦ γενομένου πράγματος πρὸς τὸ ἐσόμενον *e*: isthæc verò ὁμοιότης sumi soleat ab iis quæ in oculos incurrunt, non illis quæ in alterâ geruntur vitâ:

a Ad Luc. 16.
b Insipientes.
c Haut ante resurrectionem vitæ retributio contingit.

a Tom. 1. bibl. PP. col. 889.
b Lib. iv. de imag. histor. cap. 23.
c Viros antiquos.
d Scriptor respons. ad orth. Iustino adscriptarum.
e Oratio rei præteritæ cum ea quæ futura est similitudinem continens.

cujus-

cujusmodi cùm minùs nota sint, plurimùm rei tenebras magis afferant quàm lucem. Magis etiam hæc firmat, quod Ambrosius urget, & post eum alii, & ante omnes Tertullianus lib. de animâ cap. 7. *Quid*, inquit, *illic Lazari nomen, si non in veritate res est?* Nam Lazari nomen hic retinet, pro quo Hebræum Eleazar (unde Syrum illud Lazar contractum) in vet. cod. legas lib. de Idololatr. cap. 9. quomodo & vocat Prudent. hymno 10. Cathemerinωn. Quod verò divitem Judæum non nominat Christus (Herodem signari putabat Tertullianus *a*: quempiam nomine Nineusum intelligi, ex Hebræorum seu historiis seu fabulis, tradidit Euthymius) id Chrysostomus, Gregorius, Beda, aliique eò factum putant, quod Deus humiles nôrit ac probet, superbos verò ignoret. Sed non minus verisimile est, prudentiæ Christi hoc tribui debere, quòd quem laudare vellet, nominaret, at quem vituperaret ejus nomen omitteret; ne & illum, quem damnatum diceret, injuriâ adficere videretur, & citra necessitatem sibi invidiam conflaret. Ac fortean hoc ipsum quoque argumento fuerit historiam esse. Si enim rem fictam, non factam narraret Christus, nihil retulisset utrùm nominasset divitem, nec ne. Hisce argumentis illud addunt Romanensis Ecclesiæ Theologi, quòd Lazarus pingatur cum scuto & coronâ sanctorum, quæ non aliis appingi soleat, quàm quos Ecclesia ea habeat pro sanctis: tum autem quod etiam imagini ejus addatur, *Sancte Lazare ora pro nobis*: quemadmodum Molanus *b* agnoscit: qui & illa laudat Ambrosii Catharini verba adversus Cajetanum *c*: *ipse Lazarus tanquam Domini voce canonizatus, ubique terrarum ut sanctus Dei celebratur atque colitur: qua veritas etiam sacellis & Ecclesiasticis picturis ad pauperum solatium commendatur orbi toto.* Similiterque Maldonatus ad Luc. XVI. *Ea totius Ecclesia* (Romanæ puta) *sententia est, qua duos facit Lazaros, & utrique cultum exhibet, ac dedicat templa.* Sed nos quidem ut historiam dicamus, non pictis Romanensium tabellis compellimur, nec cultu quem Lazaro exhibent iidem (quippe quorum doctrina hac in parte & aliis multis magis etiam ulceribus cooperta est, quàm in eorum tabellis videmus rubere his Lazari corpus) verùm potiùs movet, cùm tot illustrium Patrum autoritas, tum earum rationum pondus, quas adduximus. Nec tamen iccirco ἁπλῶς historiam esse putamus; sed sic potius statuimus, ut inter Comœdiam & Tragœdiam est quam Tragicocomœdiam vocat Plautus: ita hanc narrationem esse quasi parabolistoriam, h. e. historiam parabolicè prolatam: quod & scriptor quæstionum ad Orthodoxos, itemque Chrysostomus senserunt: quorum ille quæst. 60. dicit, ὅτι παραβολὴν εἶναι, ὅτι ἱστορίαν *d*: hic homil. 1. de Lazaro, & quidem eapse penè periodo (ne fortè id oblivioni aut inconstantiæ attribuatur) nunc historiam, nunc parabolam appellat. Nempe non parabola sed historia est, quatenus Lazarum & divitem fuisse dicit, ac illum post mortem delatum narrat in Abrahæ sinum, & refrigerium hic consequi; hunc in inferno sepultum, atque inibi torqueri: at non historia, verum parabola est, quatenus dicitur dives oculos levasse, & cum Abrahamo locutus, & ab eo postulasse, ut aquæ guttâ linguam suam refrigeraret: quæ omnia, ut Theophylus Antiochenus *e* optime ait, *secundum eos affectus loquitur* Christus, *quos anima aliquando pro necessitate corporis gesserat.* Sed Tertullianus, dum hæc ὑπερβολικῶς enuntiari non videt, in eum delabitur errorem, ut dicat *f*, *corporalitatem animæ in ipso Euangelio relucere.* Ac nequis cum Augustino *g* (qui tamen hanc opinionem *Tertulliani deliramentum* alibi *h* vocat) aliquod hic σοφὸν φάρμακον quærat, Tertullianus eopse libro *i* clarè eos laudat philosophos, qui animam docerent esse corporalem: Critolaum & Peripateticos è contrario improbat, qui eam esse quinctam essentiam dicerent; nisi fortè hanc quoque corpus esse faterentur. Sed & animam tum effigiatam & corporalibus lineis inscriptam *k*, tum aëreo & lucido colore præditam *a* dicere non formidat. Contrà alii quibus omnia isthæc parabolam saperent, ne quidem ex ea narratione consequi vident animarum, ut ita dicam, παννυχισμὸν seu pervigilationem, quam nunc ψυχοπαννυχίαν novè vocant. Errorem hunc errârunt Arabici, qui dixerunt *animas cum corporibus mori atque dissolvi, & in fine seculi utrumque resurgere*: ut ex sexto Eusebii scribit Augustinus lib. de hæret. cap. 83. Nec immunis ab hoc fuit Romanus Episcopus Johannes XXII. uti Gerson docet in Sermone Paschali T. 4. & Adrianus VI. ad 4. Sent. atque ex eo Alphonsus de Castro lib. III. de beat. hæres. 6. Eundemque seculo nostro resuscitârunt Catabaptistæ, ut qui thesi decimâ earum, quas Cracoviæ anno 1568. impressas per Poloniam vulgarunt, hunc in modum scribant: *Negamus aliquam animam post mortem manere: sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo ad stabiliendam suam culinam per fictum purgatorium, & invocationem sanctorum.* Ut verò monstrosæ istiusmodi opiniones meliùs diluantur, priùs quidem certas disputationis hujus hypotheses constituemus; exinde ipsius disputationis capita theorematibus aliquot complectemur. Ac hæc quidem esto

a Lib. IV. adversus Marcionem, c. 34.
b Lib. IV. de hist. imag. cap. 23.
c P. 342. edition. Colon.
d Neque parabolam esse, neque historiam.
e Lib. IV. alleg.
f Lib. de anima cap. 7.
g Lib. de hær. c. 86
h Lib. II. de anima & ejus origine, cap. 50.
i Lib. de anima, cap. 5.
k Lib. de anima, cap. 9.
a Ibidem.

HYPOTHESIS PRIMA.

Anima rationalis est.

Cùm apud omnes hoc in confesso est, tum ex operationibus animæ in nobis experimur omnes. Intelligimus enim nos ex notis in ignotorum notitiam pervenire: quod est ratiocinari. Est igitur in nobis principium aliquod, à quo operatio istæc fluat. Id verò principium est anima, quam à nobili istoc effectu rationalem appellamus.

HYPOTHESIS II.

Anima rationalis est vera hominis forma.

Formam cùm dico, non accidentalem intelligo, qualis foret continuata ac perennis motio, quam ἐντελεχείας nomine ab Aristotele signari Cicero *b* sentit: qualis item esset primarum qualitatum crasis, quam hominis formam esse, cùm impii hæretici, Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Cajani & Antitactæ, Theodoreto teste *c*, sensérunt: tum non uno loco docuit Galenus *d*. Sed neque placet magis esse formam assistentem, quamquam Averroës *e* putarit unicam esse omnium animam intellectivam, re ab omnibus separatam, nec nisi per imagines phantasiæ insidentes singulis conjunctam. Verùm dicimus animam esse formam informantem ἢ εἰδοποιόν, h. e. quæ corpus informet, & cum eo hominem in certâ constituat specie.

HYPOTHESIS III.

Est forma ea spiritualis natura.

Ostendunt hoc tum animæ operationes, utpote nobiliores quàm ut ab re corporeâ proficisci possint, tum omnia ea scripturæ loca, in quibus anima spiritus vocatur: ut Ecclesiastæ XII. 7. Es. XXVI. 9. Matth. XXVII. 50. Luc. XXIII. 46. Ioh. XIX. 30. Act. VII. 60. priori ad Corinth. II. 11. & VI. 20. & post. ad Cor. VII. 1. & ad Hebr. XII. 9. Neutiquam verò audiendus Joannes Thessalonicensis Episcopus, qui in pseudo-synodo Nicænâ *f* ad cultum imaginum adstruendum dicere non veretur, Catholicam Ecclesiam credere omnem animam esse corpoream. Nos scimus sic sensisse multos cum Stoicæ, tum Italicæ sectæ philosophos, item Tertullianum, quemadmodum diximus, & Apollinarem quendam Alexandrinum, de quo historia Tripartita lib. V, cap. 44. & juxta nonnullos Luciferiani, ut indicat Augustinus lib. de

b 1. Tusc. quæst.
c Lib. V. de Divinis decretis, cap. de homine.
d Libro, Quod mores animi sequantur temp. corporis, cap. 3. & 4. & lib. VI. Epid. item lib. III. de locis affectis.
e Lib. III. de anima comment. 5.
f Initio actionis quintæ.

de hæreſ. cap. 81. At meliùs ſanctiuſque tertium concilium Conſtantinopolitanum, ſeu Oecumenicum ſextum, actione undecima, ubi hæc verba, *Naſcitur Deus humano corpore ſimiliterque & habitu animam rationalem &* INCORPOREAM *habens.*

HYPOTHESIS IV.

Forma hæc eſt ſeparabilis à materiâ.

Experientia enim oſtendit omnes mori. Mors verò nihil aliud eſt quàm animæ à corpore ſeparatio. Hiſce ſic conſtitutis, ad ea veniamus, quæ propria erunt hujus diſputationis.

THEOREMA PRIMUM.

Anima à corpore ſeparatio juſto Dei judicio manet omnes Adæ poſteros, tam divites, quàm pauperes; tam pietate conſpicuos, quàm impios.

Exemplum hic habemus in divite prodigo, & paupere, ſed pio, Lazaro. Nempe ex quo primi parentes (quibus à Deo dictum erat, *Quocunque die comederis de fructu hoc, morte morieris*) mandatum Dei tranſilierunt, non ſibi tantum moriendi neceſſitatem attraxerunt, ſed etiam poſteris univerſis: quemadmodum teſtatur Apoſtolus ad Rom. v. 12. & vi. 23. & 1 Cor. xv. 22. & 56. Quibus gemina Sap. 1. 13. & 11. 24. Itaque Concilium Milevitanum Can. 1. anathema dicit Pelagianis dicentibus, *hominem de corpore exire non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ.* & Arauſicanum II. Can. 2, anathematizat eos *qui negant mortem corporis eſſe pœnam peccati.*

THEOREMA II.

Anima ſeparata non exſtinguitur, ſed permanet.

Hoc θεώρημα ex Chriſti narratione educit Irenæus lib. 11. adverſus hæreſes, cap. 62. *Pleniſſime*, inquit, *docuit Dominus perſeverare animas in ea enarratione, quæ ſcribitur de divite & de Lazaro eo qui refrigerabatur in ſinu Abrahæ.* Validum etiam eſt illud Dei: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob.* Quodque
a Matth. xxii. 32. Marc. xii. 26. & 27. addit Chriſtus *a*, *Non eſt mortuorum Deus, ſed viventium.* Item quod Matth. x. 28, & Luc. xii. 4. hortatur ſuos *ne timeant eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt: ſed eum timeant, qui cum occiderit corpus, animam poteſt mittere in Gehennam.* Nam hinc liquet aliam poſt obitum eſſe carnis, aliam animæ conditionem, ac carnem, non animam exſtingui; illam, non hanc viviſicari. Unde Tertullianus de reſurrectione carnis cap. 28. *Caro eſt quæ occiditur per mortem: caro itaque & viviſicabitur per reſurrectionem.*
b Luc. xxiii. 43. Item quod Chriſtus dicit *b*, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ubi τὸ *hodie* propriè accipi debere, agnoſcit etiam Auguſtinus epiſt. 57. ad Dardanum. Stephanus etiam
c Act. vii. v. 6. moriens dicit *c*, *Domine Jeſu, accipe ſpiritum meum.* Si animus moriturus eſſet, cauſſæ nihil foret, cur animam potiùs quàm corpus Deo commendaret. Etiam 2 ad Cor. v. 1. dicit Apoſtolus: *Scimus quod ſi terrena domus hujus tabernaculi diſſoluta fuerit, ædificium ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.* Clarum eſt loqui Apoſtolum, non de ſtatu animæ poſt reſurrectionem, quia tunc corpus quoque in cœlos recipietur: ſed eo, qui eſt ſimul ac corporis hujus tabernaculum, eſt diſſolutum. Item eapſe epiſtolâ xii. 3. dicit, *An in corpore, an extra corpus, neſcio.* Senſit igitur utrumque fieri poſſe, ut inquam anima tam extra quàm intra corpus ſubſiſtat. Idem ad Philipp. 1, 23. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Sanè diſſolvi ait, non *exſtingui*: nec *eſſe* negandus, qui *eſſe* dicitur *cum Chriſto.*

THEOREMA III.

Anima ſeparata non dormit, ſed & eorum meminit, quæ egit in hac vitâ, & quæ ſors ſe poſt Judicium maneat, novit, & vel felicitatis ſuæ cogitatione gaudet, vel terribilis ſupplicii exſpectatione torquetur.

Hoc θεώρημα ibidem elicit Irenæus: *Pleniſſimè*, inquit, *Dominus docuit, non ſolùm perſeverare animas, ſed & meminiſſe operum quæ egerunt hic, & à quibus ceſſaverunt, in eâ enarratione quæ inſcribitur de Divite & Lazaro, in qua ait Divitem cognoſcere Lazarum poſt mortem, & Abraham ſimiliter, &c.* Et cap. proximo: *Ut etiam animæ cognoſcuntur & meminerint eorum quæ hic ſunt, & Propheticum* (τὸ προφητικὸν) *quoque adeſſe Abrahæ, & dignam habitationem unamquamque gentem percipere,* ETIAM ANTE JUDICIUM. Clarè etiam hanc rem confirmat, quod Martyres, Apocal. vi. 10. voce magnâ ſub altari clamant, *Uſquequo Domine non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra!* Et quod ſequitur: *Tum data ſunt ſingulis ſtola alba, & dictum eſt eis ut requieſcerent adhuc paululum temporis, &c.* Nam ſtolis albis, quæ gloriæ & feſtivitatis indices ſunt, non dormientes, ſed vigiles induuntur. Quare non dubium, quin ſignificetur principium gloriæ, quod Deus ante Judicium Martyribus impertit. Neque dormire dicendi, qui *ſequuntur Agnum quocunque ierit*, ut eſt Apocal. xiv, 4. Varios quoque adfectus animabus ſeparatis tribuit Cyprianus elegantiſſimo ſermone de mortalitate, qui quin genuinus ſit, dubium non eſt: *Magnus illic nos charorum numerus exſpectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt! qualis illic cæleſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? quam ſumma & perpetua felicitas!* &c. Affectus igitur ſeparatis quoque animis conveniunt. Quæ vero in gaudio, quæ in dolore ſint, ſequenti Theoremate indicamus.

THEOREMA IV.

Animæ piorum, cùm de ſeculo exierunt, gaudium habent; impiorum, tormenta.

Hoc quoque ſuperiori narratione probat idem Irenæus, cùm inde concludit, DIGNAM *habitationem* UNAMQUAMQUE *gentem* (piorum nempe & impiorum) *percipere etiam ante Judicium*: Sed diſtinctiùs hac de re idem lib. 1. cap. 2. ubi duos mortuorum ordines faciens, dicit *impios & blaſphemos in æternum ignem mitti, juſtis & æquis vitam donari, & claritatem æternam circumdari.* Tertullianus quoque idem hinc colligit lib. de Idololatriâ, cap. 13. *Si cum ſeculo gaudemus, verendum eſt ne cum ſeculo hinc lugeamus. Seculo autem gaudente lugeamus, & ſeculo poſt ea lugente gaudebimus. Sic & Lazarus in ſinu Abrahæ refrigerium conſecutus, contra dives in tormento ignis conſtitutus alternas malorum & bonorum vices æmulâ retributione compenſat.* Item Auguſtinus lib. 11. de origine animæ, cap. 4. *Nam illud quod rectè & valdè ſalubriter credit, judicari animas cum de corporibus exierunt, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari, atque in ipsâ quâ hic vixerint carne, torqueri ſive gloriari, itane tandem neſciebas? Quis adverſus Evangelium tantâ obſtinatione mentis obſurduit, ut in illo paupere qui poſt mortem ablatus eſt in ſinum Abra-*

ha, & in illo divite cujus æternus cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat? Nempe non sine judicio Dei factum, quòd Lazarus in sinum Abrahæ deferretur, dives in inferno sepeliretur. Sed hoc judicium particulare erat & occultum. At illud consequetur judicium universale & palam orbe toto exercendum, quod κατ᾽ ἐξοχὴν judicium appellatur ad Hebr. IX, 27. ubi dicitur, *statutum est hominibus ut semel moriantur, postea verò judicium*: h.e. postquam resurgent, non iterum morientur, sed statim judicium sequetur; ut benè exponit Thomas.

THEOREMA V.

Præter hosce duos non est tertius defunctorum status.

Duplicem tantùm statum, uti vidimus, ex narratione Christi colligit Irenæus, unum gaudii, alterum pœnæ. Nec aliter Fulgentius ad Venantium de Pœnitentiâ cap. 7. ubi sic ait: *ut noverimus illos qui gaudiis temporalibus oblectantur, & jussa divina contemnunt, æternis ignibus concremandos; illos verò qui mala temporalia cum timore Dei patienter tolerant, æternâ quiete potituros: attendamus divitem purpuratum, & pauperem Lazarum: illum post epulas flammis perennibus traditum, istum post ærumnas in æternâ sinus Abrahæ quiete securum.* Possunt alia quoque multa pro hac sententiâ adduci, ut quòd Matth. XXV. aliis dicitur, *venite benedicti*: aliis, *ite maledicti in ignem æternum.* Item, quod Marci ult. dicitur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur: qui non crediderit, condemnabitur.* & Joh. III. 18. *Qui credit, non judicatur; qui non credit, jam judicatus est.* Ex ejusmodi locis consequitur, duos tantummodo animæ status esse post mortem, salvandorum unum, alterum maledictorum. Nec est quod dicatur, ea post quidem resurrectionem habere locum, ante eam non item: nam, ut benè Olympiodorus ait in Eccles. XI. 3. *In quocunque loco deprehendatur homo cum moritur, in eo gradu atque ordine* PERMANET IN ÆTERNUM. *Nam vel requiescit in lumine felicitatis æternæ cum justis & Christo Domino, vel in tenebris cruciatur cum iniquis, & principe mundi hujus Diabolo.* Et Augustin. epist. 80. ad Hesychium: *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* & serm. de Tempore, 232. *Nemo se decipiat fratres. Duo enim loca sunt, & tertius non est ullus. Qui cum Christo regnare non meruerit,* (h. e. obtinuerit) *cum Diabolo absque dubitatione ullâ peribit.* Clarè etiam scriptor Hypognosticῶν lib. v. ultra medium: *Primum locum fides Catholicorum divinâ auctoritate regnum credit esse cælorum: secundum Gehennam, ubi omnis apostata vel a Christi fide alienus æterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis invenimus.*

THEOREMA VI.

Nec piorum gaudia, nec impiorum tormenta finem sortiuntur, sed utrorumque status idem permanet inde à morte, usque in diem judicii.

Verba Christi vers. 26. hæc sunt, *Inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut ii qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque istinc huc transire.* Ex quibus verbis superius consectarium eruit Epiphanius, hæresi 59. contra Catharos, & Chrysost. homil. 2. de Lazaro, & scriptor quæst. & resp. ad Orthodoxos, qui quæst. 60. sic scribit: Ἔστι δὲ τὸ περὶ τοῦ Λαζάρου καὶ τοῦ πλουσίου διήγημα, ὑποτύπωσις λόγου διδασκαλίαν ἔχοντος τοῦ μὴ δύνασθαι μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον τῆς ψυχῆς κατὰ πρόνοιάν τινα ἢ σπουδὴν ὠφελείας τινὸς τυχεῖν τοὺς ἀνθρώπους. *Est vero hæc de Lazaro & divite narratio, evidens & illustris repræsentatio, doctrinam illam habens, post exitum animæ ex corpore non posse homines quicquam emolumenti percipere ullo hominum providentiâ ac studio.* Similiter Cyprianus tractatu 1. ad Demetrianum; num. 22. *Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.* & Ambros. lib. de bono mortis, cap. 2. *Qui hic non acceperit remissionem peccatorum, illic* (in sanctorum patriâ) *non erit.* Et Gregorius Nazianzenus carm. de rebus suis: Ἐνθάδ᾽ ἄκος μερόπεσσι, τὰ δ᾽ ὕστερα δεσμὰ πάντα. *Hic hominibus medela, post hanc vitam omnia sunt vinculis adamantinis ligata.* Estque similium locorum ingens apud veteres sylva. Quare quod Damascenus, sive alius scriptor orationis de iis, qui cum fide ex hac vitâ excesserunt, animam Falconillæ, quamquam sine lavacro & fide mortuæ, precibus tamen Theclæ dicit fuisse servatam: id, ut scriptuatum, ita primævæ antiquitatis judicio, dicimus repugnare. Idemque de similibus ejusdem ac Metaphrastæ fabellis judicium esto.

THEOREMA VII.

Nullâ magicâ virtute datur animæ, inde quo semel fuerit delata, regressus in terras.

Concludit hoc ex istac Christi narratione Tertullianus lib. de animâ, cap. 57: *Satis*, inquit, *Dominus in argumento illo pauperis requiescentis & divitis ingemiscentis ex personâ Abrahæ sanxit, non posse relegari renuntiatorem dispositionis infernæ: quod vel tunc licere potuisset ut Moysi & Prophetis crederetur. Sed etsi quasdam revocavit in corpora Dei virtus, in documenta juris sui, non idcirco communicabitur fidei & audaciæ Magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ poetarum. Atquin in resurrectionis exemplis, cum Dei virtus, sive per Prophetas, sive per Christum, sive per Apostolos in corpora animas repræsentat, solidâ & contrectabili & satiatâ veritate, præjudicatum est hanc esse formam veritatis, ut omnem mortuorum exhibitionem incorporalem præstigias judices.* Hæc Tertullianus; cujus si verbis fidem habuisset Ecclesia Romanensis, non Purgatorium suum fabulis & vanissimis spectrorum allocutionibus superstruxisset.

COROLLARIUM.

Scholasticorum & Romanensis Ecclesiæ Purgatorium, ut Propheticis & Apostolicis scripturis subnixum non est, ita neque Judaicæ (ne Machabæorum quidem tempore) neque veteri Christianorum Ecclesiæ cognitum fuit. Sane ex iis quæ de satisfactionibus, vel etiam oblationibus aut orationibus pro defunctis apud Tertullianum, Cyprianum, & suppares legimus, tale nihil colligi potest. Quamquam autem Origenis ætate adhuc ignorabatur, tamen ex illis mortales omnes purgantibus Origenis flammis, cujus errorem propter viri ingenium & eruditionem ac zelum magnam fuisse Ecclesiæ tentationem meritò scribit Vincentius Lirinensis adversus hæreses, cap. 23.) paullatim fluxisse à vero non abludit.

Calvi-

Calvinus in Psychopannychiâ.

Hanc igitur fidem, omnibus Prophetiis, Euangelicâ veritate, Christo ipso subnixam teneamus: Spiritum imaginem esse Dei, instar cujus vigeat, intelligat, aternus sit. Quamdiu in corpore est, virtutes suas exercere: cum ex illo ergastulo egreditur, ad Deum migrare, cujus sensu interim fruitur, dum in spe beatæ resurrectionis requiescit. Hanc requiem, illi esse Paradisum. Spiritum verò reprobi hominis, dum terribile judicium in se exspectat, torqueri illâ exspectatione, quam Apostolus ob id φοβερὰν*, i. e. formidabilem vocavit. Ultra inquirere, se immergere est in abyssum mysteriorum Dei; cum satis sit didicisse, quod satis habuit docuisse Spiritus, optimus magister: cujus verbum est: Audite me, & vivet anima vestra.* Et mox: *Hic finis est nostræ sapientia, quæ ut sobria est & Deo subjecta, ita novit eos qui supra se nituntur, semper corruere.*

DISPUTATIO SEXTA

sive THESES

HISTORICO-ECCLESIASTICÆ

DE

STATU ANIMÆ SEPARATÆ.

SUPERIORI *disputatione generalia quadam Theoremata scripturarum autoritate, cumprimis ex Luc. XVI. comprobavimus: veterum etiam testimoniis plusculis illustravimus. Deinceps disputatione geminâ, historici magis quàm Theologici munere fungentes, partim ad lucem antiquitati fœnerandam, partim ad novitatem Purgatorii Pontificii arguendam, quæ veterum fuerit sententia, super quatuor istis capitibus, distinctè ac particulatim considerabimus.*

QUÆST. I.

Quæ piarum animarum statim ab excessu suo conditio fuerit ante mortem Christi.

II.

Cujusmodi post mortem Christi status sit animarum fidelium, simul ac ex vitâ hac excesserint.

III.

Quando in Ecclesiam Dei invehi cœperit ignis, quo animæ separatæ purgentur.

IV.

Quorsum in veteri Ecclesiâ orationes & oblationes habitæ sint pro animis defunctorum.

Ac nunc quidem de tribus prioribus differemus: de quartâ, σὺν θεῷ, proximâ agemus disputatione.

DE PRIMA QUÆSTIONE.

Passiva receptaque veterum ad nostrum usque seculum sententia fuit animas fidelium Veteris Testamenti, non prius in Paradisum fuisse receptas, quàm cum morte suâ reserâsset Christus, primusque illum cum latrone esset ingressus.

Theophilus Antiochenus lib. 4. alleg. *In hoc quoque quod apud infernum, Abrahamum videt, hic subesse à quibusdam ratio putatur, quod omnes sancti ante adventum Domini Jesu Christi etiam ad inferna,* LICET IN REFRIGERII LOCUM, *descendisse dicuntur.* a Scriptor commentatiorum in epist. Paul. Ambrosio, vel etiam Athanasio tributorum (Gelasii, Episcopi Cæsa- a P. 164. edit Bas. an. 1555.
nensis, aut Hilarii urbis Romæ Diaconi eos esse arbitrantur) in cap. v. ad Rom. *Boni in inferno erant, sed superiori, quasi in liberâ (morte) quia ad cælos ascendere non poterant: sententiâ enim tenebantur datâ in Adam, quod chirographum in decretis morte Christi deletum est. Sententia enim decreti fuit, ut unius hominis corpus solveretur super terram, anima vero vinculis inferni detenta exitia pateretur.* Joh. Chrysostomus homil. IV. in Marcum: *Ante adventum Salvatoris, & Euangelii charitatem, antequam Christus aperiret Paradisi januam cum latrone: omnes sanctorum animæ ad inferos deducebantur.* Hieronymus ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani: *Ante Christum Abraham apud inferos, post Christum latro in Paradiso.* Similia habet ad Paullam super obitu Blesillæ filiæ, & ad Ecclesiastæ cap. III. & IX. August. lib. XX. de Civit. D. cap. XV. *Si enim* NON ABSURDE *credi videtur, antiquos etiam sanctos qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse donec eos inde sanguis Christi & ad ea loca descensus erueret: profectò deinceps boni fideles, effuso illo pretio jam redempti, prorsus inferos nesciunt, donec etiam receptis corporibus bona recipiant, quæ merentur.* Idem epist.

epist. JC. ad Euodium: *Vel si causa quaeritur cur voluerit venire in infernum, ubi dolores illi essent, quibus teneri omnino non poterat, quia erat, ut scriptum est, inter mortuos liber &c. Et de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod eum ibidem solverit, Ecclesia* FERE TOTA *consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas* Concilium Toletanum sub Honorio anno DCXXXIII. habitum cap. I. *Descendit ad inferos, ut sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret.* Eandem sententiam clarè asserunt Irenæus lib. v. cap. XXXI. edit. Feuard. Tertullianus lib. de anima cap. LV. & Carm. lib. II. adversus Marc. cap. IV. & lib. IV. adversus eundem cap. VI. & lib. v. cap. x. Origenes homil. xv. in Genes. & in Epist. ad Rom. cap. v. Gregorius Neocæsariensis, cognomento Thaumaturgus, serm. in Theophan. *a*. Eusebius lib. 4. Demonstrationis Euangelicæ cap. XIS. & apud eum, ex Syrorum fide, Thaddæus, lib. I. Historiæ Eccles. cap. ult. Marius Hierosolymitanus in actis Concilii Nicæni *b*. Basilius in illud Psal. XLVIII. *Deus redimet animam meam de manu inferni.* Athanasius de incarnatione Christi *c*. Epiphanius hæres. XLVI *d*, & LXIX *e*, & LXXXVIII *f*. Cyrillus Catech. IV *g*, & XIV *h*. Ambrosius de dominicæ incarnat. sacram. cap. v. & de mysterio Paschæ cap. IV. Rufinus in expositione symboli, tmem. XXVII. Synesius hymn. VISI. & innumeri alii, quos omnes per μετωνυμίαν temporis velle exponere (ut nempe destructio inferni ante mortem Christi facta dicatur, quia non absque illius morte destruebatur, quomodo hæc loca interpretatur vir eruditus) hoc verò (bonâ ejus pace dixerim) insulsum planeque totium arbitror. Omnino igitur seu patres illi Christi ad inferos descensum personalem, ac per præsentiam essentiæ, seu tantùm virtualem, ac per præsentiam virtutis effectusque esse voluerint: in eo saltem conspirarunt, quod justos, ante Christum & scissum templi velum, sanctuarium cœli ingressos negent. Eaque pro sententiâ advocant loca ad Hebr. VI. 20. & IX. 2. 3. 8. 12. 24. & x. 19. 20. & XI. 39. 40. Imò etiam è junioribus Zuinglius sic scribit, ad verba isthæc ultimi, quem signavimus, loci, *Non acceperunt promissionem; id est, Christum in humanis exhibitum, atque adeò nec etiam vitam æternam. Non enim ii omnes post mortem statim vitam ingressi sunt illam plenam & absolutam æternam, sed in sinu Abrahæ Christum liberatorem præstolabantur.* Et ad illa verba: *Quod Deus de nobis melius quiddam providerat. Causam reddit cur hoc ita factum sit à Deo. Nostro, inquit, bono; noluit enim illos antè gloriâ frui Deus, quàm per Christum suum ex utrisque unum fecisset populum, & in unam conglutinasset Ecclesiam Judæos & Gentes, quemadmodum in Ephesiis cap. 2. videre est.* Quanquam alteram quoque eorum verborum interpretationem ibidem adfert Zuinglius. Habet autem his similia Calvinus in psychopannychiâ, quo loco agit de verbis Petri I Epist. cap. III. 19. Item Bullingerus ad Luc. XVI. 23. & Hebr. IX 18. & I Petr. III. 19. & Martyr 2 Reg. II. 13. Similiter verò hodieque de veterum patrum animabus sentiunt Orientales & Africana Ecclesia: ut patet ex confessionibus fidei Zagæ Zabo Æthiopis, Siud Sulakæ patriarchæ Nestorianorum, Gabrielis patriarchæ Constantinopolitani: item Mose Mardeno Assyrio in tabulâ lectionum Novi Testam. & Johanne Basilio Magno duce Moscoviæ responsione ad Johannem Rohitam cap. XII. quorum verba suggeret Thesaurus Coccii. Est verò hæc quæstio inter eas, ob quas (ut verissimè scribit Calvinus lib. IV. institut. cap. I. tmem. 12.) minimè turbari vel scindi debeat Ecclesia Dei; præsertim quando in eo pariter consentiunt, animas Patrum veterum statim ab excessu beatitudine ac beneficâ Dei præsentiâ potitas. Unde & Ambrosius de bono mortis cap. 51. *Festinavit sanctus David de hoc loco peregrinationis exire. Et ideo tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat &c.*

a P. III. edition. Mogun.
b Tom. I. concil. p. 340. edit. Binnianæ
c P. 488. edit. Commel.
d P. 434. Græci textus.
e P. 337.
f P. 434.
g Pag. 74. edition. an. 1608.
h P. 345.

DE QUÆSTIONE II.

THESIS I.

Patres qui vixêre ante annum Christi quadringentesimum judicarunt animas fidelium postquam Christus Paradisum aperuisset, statim ab excessu recipi in Paradisum.

II.

Sed in loquendi ratione multum differre videntur, quia alii eas dicunt confestim in cœlum recipi, alii volunt ad extremum usque diem apud inferos detineri.

III.

Quanquam autem nihil magis diversum à cœlo videatur, quàm inferi: tamen (si patrum istorum mentem potius quàm verba ponderemus) non inter hac tantam comperiemus ἀντιλογίαν, quàm videtur. Nam ᾅδην seu inferorum nomine non intelligunt tormentorum locum; sed vel communionem (sic vocant animarum separatarum statum) vel locum invisibilem à Deo definitum, quem alii statuunt infra, alii intra terram, alii extra mundum, alii etiam ignotum hominibus putant.

IV.

In eo verò conveniunt omnes, quod animæ in hocce statu, de gloria consummatione certa, beatam resurrectionem cum gaudio exspectent.

V.

Nec rectè facturi videmur, si patribus illis, vel aliis, qui hactenus consentiunt, eo nomine tanquam malè Catholicis, controversiam moveamus.

ᾍδης seu inferorum nomen apud veteres ambiguum est, quia, nunc accipitur ut solis convenit damnatis, quomodo Hieronymus in Epitaphio Nepotiani ait, *Quid simile infernus & regna cœlorum.* Nunc ut est animarum omnium usque ad resurrectionem: quomodo Nicetas Nazianzeni interpres ᾅδην definit, quo mortuorum animæ vel inferuntur, vel extrahuntur. Porrò etiam ut animarum omnium est communis, duplicem habet notionem, quia vel locum physicum, seu receptaculum animarum, vel communem mortuorum conditionem notat. Ambiguitas isthæc (quam ex recentioribus agnovere Zuinglius, Martyr, Bucerus, Fagius, Junius, Tilenus, alii) quæstionem olim peperit magnam, ut Augustinus appellat quæstione in Genes. CXXVI. Tom. 4. *Solet*, inquit, *esse magna quæstio, quomodo intelligatur infernus. Utrum illuc mali tantum, an etiam boni mortui descendere soleant.* Tam pios quam impios εἰς ᾅδην descendere, aperte dicunt & fusè docent Irenæus lib. v. cap. ult. sive cap. XXXI. edition. Feuard. ac Tertullianus lib. de animâ cap. LV. Eandemque sententiam sequuntur Origenes non uno loco. Novatianus de Trinitate cap. I. & Lactantius lib. VII. cap. XXI. qui sic ait: *Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus judicari. Omnes in unâ communique custodiâ detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen.* Ubi verò custodia istæc sit, minimè consentiunt. Prima eorum est opinio, qui vel infra terram in inferiori hemisphærio animas collocarent: uti ab iis factum, qui nec sphæricam cœli terræque figuram, neque Antipodas ullos agnoscerent: vel intra terram sive in concavo terræ: ut crediderunt, quibus Antipodas esse persuasum foret. Infra terram esse & quidem incipere

cipere ad occidentem, ſenſit inter alios Tertullianus, vel quiſquis poëmatis iſtius ſcriptor de judicio Domini, cap. IX. Icciroo & Chriſtum, cujus ſolem noſtrum ſymbolum putabant, ad occaſum deſcendiſſe dicebant, reſurrexiſſe verò ad orientem: uti cognoſcere eſt ex Origene, ſive is alius, qui in Jobum ſcripſit: item Zenone Veronenſe ſerm. III. de Nativit. & ſerm. II. de Paſcha. Eodemque & Hilarius reſpexit in Pſal. LXVII. ubi de morte Chriſti ait: *Super occaſum deſcendit, & exitu mortis egreditur*: de reſurrectione vero addit: *ut regreſſus eò, unde deſcenderat, Oriens noſceretur.* Hinc mos ille veteris Eccleſiæ, quem ſignat Hieronymus in Amoſi cap. VI. ubi cum verba illa Pſalmi citaſſet. *Pſallite Domino, qui aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem*: *In myſteriis*, inquit, *primum renunciamus ei, qui in occidente eſt, nobiſque moritur cum peccatis: ſic verſi ad orientem, pactum inimus cum ſole juſtitiæ, & ei ſervituros nos eſſe promittimus.* Habet & quædam, quæ ad iſtunc inferorum locum pertineant: Hilarius in Pſal. II. ubi de Abyſſi loco ſcribit, deque ejus non intra, ſed infra terras incolatu tractat. Meminit quoque ejuſce opinionis Nyſſenus, ut inferius parebit. Diſpliciuiſſe verò ei, ſatis arguit, quod inferius hemiſphærium noſtro ſimile eſſe pertendit. Intra terram inferos perhiberi, auctor eſt Hieronymus in Jon. II. Quin in epiſt. ad Epheſ. cap. IV. non ambiguè ait: *Infernum ſub terrâ eſſe, nemo jam ambigit.* Nec dubito, quin eadem mens fuerit Tertulliani, cum lib. de animâ cap. LV. in hunc modum ſcribit: *Nobis inferi non nuda cavoſitas, nec ſubdivalis aliqua mundi ſentina creduntur, ſed in foſſâ terræ & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus ejus abſtruſa profunditas. Siquidem Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt, in receſſu intimo & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam cavato, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo.* Quidam vero infernum etiam extra hunc mundum ſtatuere, idque eo impulſi argumento, quod per exteriores tenebras, apud Matthæum deſcribatur. Auctor hujuſce rei B. Chryſoſtomus in Matth. cap. XXIV. In hocce diſſenſu tutiſſimum pleriſque viſum, ſi quæſtionem *an ſit*, ab illâ, *ubi ſit* diſcriminarent: illud compertiſſimum, hoc ignotum mortalibus dicerent: in quâ ſententia fuit Greg. Nyſſenus, ut qui libro

a Col. 41. edit. Par. an. 1573. de animâ & reſurrectione *a* diſertim neget, velle ſe, vel patrocinari, vel eorum adverſari ſententiæ, qui infeiis locum aſſignarent, modò primariam teneant doctrinam de piarum animarum felici, impiarum infelici conditione: ac apertè ibidem ſcribit, ex eo quod Apoſtolus cœleſtium, terreſtrium, ac ſubterraneorum meminerit: non tam triplicem locum, quam triplicem ſtatum colligi poſſe; nempe quia per ſubterraneos mortui univerſi poſſint intelligi. Alios quoque in eadem ſententiâ fuiſſe oſtendit Theophylactus, cum in Luc. XVI. multos ait putare τὸν ᾅδην, nihil aliud eſſe quàm τὴν ἀπὸ τοῦ ἐμφανοῦς εἰς τὸ ἀφανὲς καὶ ἀειδὲς μετάστασιν τῆς ψυχῆς. Speciatim etiam de loco ſinus Abrahæ, quem infernum ſuperiorem plerique Patres vocant, certi nihil habuiſſe videtur Gregorius Nazianzenus: ut qui oratione funebri

b P. 170. Morell. in laudem Cæſarii fratris, *b* cùm κόλπους Ἀβραάμ *c* nominâſſet, ſubdat, οἵτινες δή ποτε εἰσιν *d*. Atque hæc

c Abrahæ ſinum. de iis qui animas omnes apud inferos ſeu definito, ſeu in-

d Quicunque vero ille eſt. definito loco collocarent. At vero nec defuere alii, qui animas fidelium ſtatim ab hominis morte cœlis recipi contenderent. Patet hoc ex Irenæo lib. V. adverſus hæreſes cap. ult. ſive XXXI. edit. Feuardent. ubi ſic ſenſiſſe ait, eorum *quoſdam qui putantur rectè credidiſſe.* Nec obſtat quod hi, ut Irenæus dicit, *ſupergrediantur ordinem promotionis juſtorum, & modos meditationis ad incorruptelam ignorant, hæreticos ſenſus in ſe habentes.* Nec enim hoc pater ille vult, hæreticam iſtanc eſſe ſententiam, ſed in aliquo cum hæreticis, Gnoſticis puta, conſpirare. Nam hæretici iſti, ut ibidem dicitur, uti *univerſam reprobant reſurrectionem, & quantum in ipſis eſt, auferunt eam de medio*: ita etiam dicebant, *ſimulatque mortui fuerint, ſe ſupergredi cælos & demiurgum, & ire ad matrem, vel ad eum, qui ab ipſis effingitur, patrem.* Tale nihil quidem illi, qui, ut Irenæus de iis teſtatur, rectè putantur crediſſe. Poteſt quoque ea ſententia comprobari ex Tertulliani lib. de animâ, quem jam Montaniſtam adverſus Orthodoxos ſcripſiſſe conſtat. Ejuſce enim libri cap. LV. cùm ex eo quod Chriſtus deſcenderit in inferiora terrarum, probaſſet eodem ituras fidelium animas, adducit hæc, quæ ab aliis (citra dubium Orthodoxis, quos ille Pſychicos vocat) objicerentur: *Sed in hoc, inquiunt, Chriſtus inferos adiit, ne nos adiremus. Cæterùm quod diſcrimen Ethnicorum & Chriſtianorum, ſi carcer mortuis idem?* Cyprianus verò multò apertiſſimè fidelium animas ſtatim ab exceſſu in cœlis collocat. Nam ſermone de mortalitate tmem. 3. 4. 13. 15. 16. 18. ait *fideles ad Chriſtum ſubvenientem properare: feſtinare ad gaudium, quod eſſe non poſſit, niſi cum viderimus Chriſtum: ad lætitiam ſalutis æternæ, Chriſto vocante proficiſci: ad conſpectum Domini proficiſci & ab eo præmiis cæleſtibus honorari, regnaturos cum Chriſto, ad cæleſtis gratiæ dignitatem venire, ad Chriſti ſedem, regnorum cæleſtem claritatem: paradiſo reſtitui, & regno cæleſti, venire in cæleſtium regionum voluptatem, ſummam & perpetuam felicitatem, ubi Apoſtolorum glorioſus chorus, Prophetarum exultantium numerus, Martyrum innumerabilis populus &c.* Etiam Ambroſius ſimiliter de bono mortis cap. XII. *His igitur freti intrepide pergamus ad redemptorem noſtrum Jeſum, intrepide ad Patriarcharum concilium, intrepide ad Patrem noſtrum Abraham, cùm dies advenerit, proficiſcamur &c. Ibimus u. ubi ſinum ſuum Abraham ſanctus expandit* &c. *Ibimus ad eos, qui recumbunt in regno Dei cum Abraham, Iſaac, & Jacob* &c. *Ubi paradiſus eſt jucunditatis* &c, *ubi & latro ipſe regni cæleſtis conſortio gratulatur, ubi nulla nubes, nulla tonitrua* &c. *ſed ſola Dei fulgebit claritas: Dominus enim erit lux omnium* &c. *Ibimus eo, ubi ſervulis ſuis Dominus Jeſus manſiones parabit, ut ubi ille eſt, & nos ſimus* &c. *Locus apud patrem eſt, via Chriſtus ſicut ipſe ait* &c. Cujuſmodi ut cum Purgatorio conſpirent, viderint Pontificii. Similiterque Gregorius Nazianzenus oratione X. in laudem Cæſarii fratris pag. 173. edit. Morell. πείθομαι σοφῶν λόγοις &c. *Sapientum verbis adducor ut credam pulchram omnem animam, Deoque charam, poſteaquam corporis vinculis ſoluta hinc exceſſerit, protinus bonum quod eam manet, perſentientem & contemplantem, mirabili quadam voluptate affici, & exultare, atque hac vitâ, velut gravi quodam ergaſtulo, fugâ relictâ, compedibuſque illis, quibus mentis alæ deprimebantur, ſolutam, cum hilaritate ad Dominum ſuum tendere.*

Porrò Patres illi qui fidelium animas ſtatim ab hominis morte in Paradiſum, aut cœlos recipi dicunt, minimè cum illis pugnant, qui eas ad inferos dicunt deſcendere. Nam ſi ᾅδης eis nihil aliud eſt, quàm mortuorum ſtatus, certè hic omnium ſeparatarum animarum eſt communis: eòque nihil prohibet, quo minùs tam pii quàm impii εἰς ᾅδην dicantur deſcendere. Sin ᾅδης iis receptaculum, ac quaſi phyſicum animarum locum notat, ne ſic quidem animæ piorum infelices erunt, quia non in tormentorum locum cum impiis abjiciuntur: ſed quieſcere dicuntur loco inviſibili, in quo apud Deum, qui ubique eſt, vivant, æternaque gaudia deguſtent. Non fugit hæc conciliatur ratio Sapientem illum Hiſpanum, Vivem dico, comment. in Auguſt. de Civ. D. lib. XII. cap. IX. ubi cùm Auguſtinus in ſecretis receptaculis quietem animarum poſt exceſſum ſuum collocaſſet, ſcribit in eum ad hunc modum. *Non dubitat de earum gloriâ etiam ante judicium, ſed de loco gloriæ: Nam ubique poſſunt beatæ eſſe, cum ubique ſit Deus, cujus fruitione ſunt beatæ.* Nec abit illud Bernardi ſerm. parv. XLVIII. *Duo loca ſunt animæ rationalis: inferior, quem regit; & ſuperior, in quo requieſcit. Inferior*

quem regit, corpus: superior, in quo quiescit, Deus. Cui geminum illud Urbani Papæ, qui anno vixit 1260. *O Deus, qui es maximus spiritus, maxima regio beatorum spirituum, in quo sanctorum animæ requiescunt.* Imò Bellarminus lib. I. de beatitudine sanctorum cap VI. ait: *Dico Christi animam ante resurrectionem corporis sui non ascendisse quidem ad cœlum corporeum, tamen fuisse in paradiso cœlesti formaliter, id est, fuisse beatam & gloriosam. Quod si hoc tribuere vellem adversariis animabus sanctorum, non essemus multùm sollicitì de cœlo illo corporeo.* Magnus quoque Calvinus Christianæ institutionis lib. IV. cap. XXV. commate VI. (cujus loci & ante memini) scribit in hunc modum: *Quæ cum ob hoc unum Ecclesiæ dissideam, si altera citra contentionis libidinem, citra pervicaciam asserendi, animas à corporibus demigrantes in cœlum convolare putet, altera nihil ausit definire de loco, cæterùm vivere tamen Domino certò statuat?* Sane Tertullianus, quanquam animas piorum inferis includeret, tamen Domino illas vivere certò statuit, gaudioque eas frui, sed imperfectò, & post resurrectionem complendo clarè agnoscit. Nec aliò referri debent hæc verba lib. de animâ cap. LVI. *Ita dicimus omnem animam quaquâ ætate decesserit, in eâ stare ad eum diem, usque quo* PERFECTUM *illud repromittitur ad angelica* PLENITUDINIS *mensuram temperatum.* Quare istiusmodi patres non multò aliud dicere voluerunt, quàm qui asserunt fideles hic habere spem vitæ æternæ: post excessum, habere jus: post resurrectionem possessionem sive hæreditatem ipsam. Item nondum nos hic videre Deum: post mortem eminus eum videre: post resurrectionem cominus. Hic nos esse in viâ: post excessum fore in atrio cœli, sive ante fores aulæ cœlestis: post resurrectionem fore in ipsa domo Dei. Hic esse quasi pugnatores: in morte & post eam dici vincentes, ac victores, & quasi ad triumphum se parantes: post resurrectionem verò triumphantes. Nempe non multùm absimili ratione ac Christi in cruce non nisi meritorius triumphus fuit, at statim à morte actualis triumphus in paradiso fuit inchoatus, qui post resurrectionem & in cœlos ascensum penitùs fuit consummatus. Sanè gemina his idem Calvinus scripsit lib. quem *παννυχίαν* inscripsit.

DE QUÆSTIONE III.

THESIS I.

Origenes fundamenta jaciens Pontificii Purgatorii ex dogmate Platonis, à Virgilio quoque VI. Æneid. expresso, primus in Ecclesiam invexit ignem, quo animæ post hanc vitam à peccatis purgarentur.

II.

Origenem in hac re secuti Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Ruffinus.

III.

Interea Origenicum hoc purgatorium trifariam discrepat à Pontificio. Differt enim ratione personarum, quia juxta Pontificios duntaxat igni purgantur, quorum animæ alicujus temporalis pœnæ reatu obstrictæ, vel cum aliquibus peccatis venialibus migrant de hac vitâ: at juxta Origenem & alios, qui Augustinum præcesserunt, mortales omnes, uno Christo excepto, ignem hunc subibunt. Præterea discrepat ratione temporis, quia Pontificii animas statim ab excessu, veteres illi non nisi extremo judicii die igni hoc purgandas docent. Denique quod caput est, Pontificii censent tolli vel mitigari posse pœnas purgatoriales per orationes & oblationes vivorum, quale nihil sensit aut dixit Origenes, vel quos eum secutos dicebamus.

IV.

Purgatorium igitur quale tradunt Pontificii, ante Augustini tempora IGNOTUM *fuit. At Augustino illud* DUBIUM *visum: ab Gregorii verò ætate in Romanâ Ecclesiâ ex mendacibus revelationibus ac visionibus habitum est* CERTUM.

V.

Græca autem Ecclesia nec hodie id agnoscit.

Romanæ Ecclesiæ, hæc sententia est, esse ignem, in quo venialis culpa expietur, mortalis non item: si quis tamen post commissum, sed remissum mortale peccatum cum reatu solius pœnæ temporalis de hac vitâ decesserit, posse pro eâ quoque in purgatorio satis fieri, partim ipsorum, qui purgantur, tormentis, partim vivorum suffragiis, hoc est orationibus, & oblationibus, quæ hic fiant ad animarum in purgatorio expiationem. Purgatorium tale vel non multùm absimile in Ecclesiam primitùs irrepere cœpit tempore B. Augustini. Ejusce doctoris, an alius culpâ, non satis certum. Interim ipse dubiè de hoc loqui amat. Ut cùm lib. XXI. de C. D. cap. XXV. de eo ait: *Non redarguo, quia* FORSITAN *verum est.* Item in Enchiridio cap. LXIX. TALE ALIQUID *post hanc vitam fieri* INCREDIBILE NON EST, *& utrum ita sit,* QUÆRI POTEST. Et de octo quæstionibus Dulcitii, quæst. III. eadem verba repetit: & cùm hanc, tum alias ab ea dependentes quæstiones his verbis concludit: *Cum iis quæ descripsimus, ita nostra vel aliorum exerceatur vel erudiatur infirmitas, ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur autoritas.* Etiam quæstione primâ dixerat idem: *Sive in hac tantùm vitâ ista homines patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur,* NON ABHORRET, QUANTUM ARBITROR, *à ratione veritatis iste intellectus hujus sententiæ.* Quæ ipsa verba repetuntur lib. de fide & operibus cap. XVI. Sunt verò hæc certa argumenta mentis incertæ. Obducunt istis Pontificii hunc locum ex lib. XXI. de C. D. cap. XXIV. *Nam pro defunctis quibusdam, vel, ut dicitur, pro mortuis, vel Ecclesiæ, vel quorundam piorum exaudiri orationem ejus, licet qui in Christo renati non adeò malè vixerint, ut tali misericordiâ habeantur indigni, nec iidem sic benè, ut inveniantur tali misericordiâ non egere. Tales etiam* CONSTAT *ante judicii diem, per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus, æterni ignis suppliciis non tradendos.* Ita citat hæc verba Torrensis Jesuita in confessione Augustinianâ. Item Gregorius de Valentia lib. de Purgatorio: ubi & vocem illam CONSTAT mirè urget. Miretur fortasse aliquis loci tam illustris non meminisse Bellarminum. Sed mirari desinet, qui sciat locum hunc longè aliter exstare apud Augustinum. Sic sanè legitur apud eum (editionem Basilæensem anni 1556. Lugdunensem Juntæ anni 1560. & aliquot alias consuluimus) *Nam pro defunctis quibusdam vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeò vita in corpore malè gesta est, ut tali misericordiâ judicentur digni non esse, nec usque adeò benè, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Sicut etiam factâ resurrectione, non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum.* Imò ne hæc quidem in antiquis codicibus legi, viderique ex scholio quodam in textum irrepsisse, observavit Lud. Vives.

Sed sive semper προβληματικῶς, sive alicubi ἀφοριστικῶς καὶ δογματικῶς loquatur Augustinus, illud pro comperto habemus, ante eum tale purgatorium tradidisse nemi-

neminem: si qua in contrarium adferuntur, ea vel sunt è scriptis nothis ac spuriis: vel loquuntur de purgatione hujus seculi quæ fit per tribulationis ignem, ut Augustinus *a* vocat: vel de universali per ignem purgatione, quæ fiat in adventu Christi secundo. Ad Origenem provocant, qui sententiam suam hausit ex Platone, ut patet ex ejus Phædone Tomo 1. pag. 113. edit. H. ST. & Eusebio eumpse locum citante, de præparatione Euang. lib. xi. cap. ult. Præterea certum est eum præter pœnalem hujus vitæ purgationem non aliam agnovisse, quàm per ignem talem, quem extremo judicii die subituri sint Apostoli ipsi omnesque mortales, uno Christo excepto. Vide varia ejus loca *b* apud Sixtum Senensem biblioth. Sanct. lib. v. Annot. clxx. Quin si aliis potiùs quàm Origeni de sese scribenti *c* credimus, nec alias agnoscit pœnas quàm purgatorias, ac impios omnes, ipsosque diabolos post diuturna supplicia tandem ex illis cruciatibus eruendos, sanctisque putavit angelis sociandos. Cujus erroris meminit Augustinus lib. de Hæres. cap. xliii. & de C. D. lib. xxi. cap. xvii. Ac meritò addit ab Ecclesiâ hæc non immeritò reprobari. Sanè ob ea & ejus farinæ alia visio profertur à Nicænâ secundâ, quâ inter Hæresiarchas conspectus perhibetur. Nec multo meliori jure iidem ad partes eos advocant patres qui inter Origenem vixere & Augustinum; Ambrosium dico, Hilarium, alios. Nam & hi quoties ignis purgatorii meminerunt, vel de tribulatione hujus vitæ loquuntur, vel non alium intelligunt ignem, quàm quem extremo judicii die ipsi etiam Apostoli ac B. Virgo ingrediantur. Vide Ambrosium Psal. xxxvi. & in Psal. cxviii. serm. iii. & xx. & Hilarium in Psal. cxviii. lit. x. & in Matth. can. ii. Ruffinum in Psal. vi. Hieronymum in Amos ad illa verba, *Hæc ostendit mihi Dominus DEUS* &c. & in Ezech. cap. xlvi. Cujusmodi loca Origenicum magis quàm scholasticum sapere purgatorium, non obscurè agnoscit Sixtus Senensis lib. v. Biblioth. Sanct. Annot. clxxi.

a Lib. 21. de C. D. cap. 26.

b *Ex hom. 3. in Psal. 36. & lib. 8. in Epist. ad Rom. in fine. & Homil. 13. in Hierem* c *Epist. Alexandriam missa apud Ruffinum in Apolog. Orig.*

Nulli vero purgatorium Papale plus debet, quàm Gregorio Papæ, qui in dialogis (nam eos ut legitimum Gregorii fœtum recipimus, etsi de iis aliter visum aliquot viris eruditis) magno conamine agit, ut probet purgatorium ex spirituum apparitionibus. Cum tamen mortuos nequaquam consulendos esse præcipiat Deus Deut. xviii. 11. & Jes. viii, 19. Ita ex Platonicâ Origenis speculatione, perperâ Augustini dubitatione, audaci superstitiosi Gregorii assertione paulatim irrepsit Papale purgatorium in Ecclesias Occidentis. Quadringentis verò ab Gregorio annis Johannes xviii. sive aliis xix, quo pro animabus in purgatorio oraretur, festum instituit, severeque id coli præcepit. Tandem quoque purgatorium à Synodo Florentinâ inter capita fidei relatum fuit, anno 1439. Sed dissentientibus in eâ Græcis, qui purgatorii rem planè negarunt, etsi de vocabulo, cum omnia ad discessum pararentur, contendere noluerunt.

COROLLARIA THEOLOGICA.

I.

Res spirituales & futura vita per terrestres hujus vitæ imagines adumbrantur, quia aliter de iis edoceri non possumus in hac vitâ. Itaque quæ in scripturis legimus de piarum animarum Paradiso, clamore, stolis albis, vel impiarum gehennâ, verme, igne, abysso, aut similibus: ea omnia licet verissime, figurate tamen enunciantur ad significandum felicem vel infelicem animarum statum post hanc vitam.

II.

Quamquam Regnum cælorum, quæ futuræ vitæ conditionem notat, & spiritualis Paradisus, item spiritualis gehenna in Testamento veteri non nominentur disertim, ac multorum judicio, nec aperta ἀϖερειοί exprimantur: longissimè tamen abesse debemus ab impiâ illorum sententiâ, qui hinc colligunt Judæos ad felicitatem tantummodo terrenam à Deo fuisse saginatos. Sufficit enim quod Paradisi, terræ promissæ, mortis, descensus ad inferos, aliisque communibus vocabulis, & loquendi formis doctrina hæc implicitè, occultiusque enuncietur, typis etiam res ipsa adumbretur. Neque dubium est quin Judæi explicatius, apertiusque, quantum pro illius fœderis conditione ac tempore necessum erat, vivâ de his voce à Prophetis & Sacerdotibus fuerint edocti. Cui rei firmandæ inter alia multa facit, tum quod latro à Christo petierit, ut regnum ingressus, sui memor esse vellet, tum quod vocem illam à Salvatore audierit, hodie mecum eris in Paradiso, quàm probè ab latrone intellectam esse negare nemo ausit. Etiam hæc confirmant, quæ aperte adeò Josephus & antiquissimi Rabbini tradunt de piorum felicitate, & perennibus impiorum pœnis post hanc vitam.

DISPUTATIO SEPTIMA

DE

INVOCATIONE SANCTORUM.

Cum doctrina de statu animarum post mortem, de quâ hactenus actum est, conjuncta est controversia, an Sancti pro nobis apud Deum intercedant, atque hoc nomine invocari à nobis vel debeant, vel etiam possint. De quâ nunc, σὺν θεῷ, συζήτησιν instituemus.

THESIS I.

SANCTORUM nomine non jam Angelos comprehendo, sed solas intelligo animas eorum qui in Domino obdormierunt.

II.

Invocationem autem appello, actum hominis poscentis à Sanctis, sive intercessionem apud Deum pro gratiâ temporali aut Spirituali, quam vel ut amici Dei, vel meritorum suorum vi impetrent: sive ipsius gratiæ collationem, cujus potestatem vi eorundem meritorum à Deo sint consecuti.

III.

Hujusmodi invocationis necessitatem quamquam vulgo maximè persuasum Pontificii optent; apertè tamen defendere hodie via audent. Plurima interim apud eos invenias, quæ ab hac sententiâ non abhorreant. Uti, quum Concilium ipsum Tridentinum *a* decernit *impie illos sentire qui negant sanctos invocandos esse.* Et cum Bellarminus lemma capitis facit *b*, *Sanctos esse invocandos*; quamquam is apertè etiam necessitatem ejus agnoscere videri possit, cùm ad istam Augustanæ Confess. objectionem, quod invocatio sanctorum nullo nitatur mandato Dei, respondet *c*, *nullum mandatum requiri, quando ipsa nos impellit necessitas.*

a Sess. 25. can. 2.
b Lib. 1. de beatit. sanct. cap. 19.
c Cap. 20. ejusdem lib.

IV.

Sed si non semper, plurimùm sanè iis sufficit dicere, utilem eam esse: quomodo & Concilium Trident. ibidem statuit, *bonum & utile esse suppliciter sanctos invocare.* Et ipse Bellarm. lemmate quo diai constituto, contentus est *d* scribere, *sanctos piè & utiliter à viventibus invocari.*

d Initio cap. 19.

V.

Multi verò non arctè adeò Pontificiis hærentes, nec necessariam, nec utilem dicere sustinent, licitam tamen esse negare non audent. Ac censet Bellarm. *e* non alienum ab hac sententiâ fuisse Wiclefum: ut qui, teste Thoma Waldensi *f*, illud tantummodo docuerit, frustra ad turbidos recurri rivos, si fons pateat; aut ad servos, si Dominus audite sit paratissimus.

e Lib. 1. de Beat. sanct. cap. 15.
f Tom. 3. Tom. 12. col. 108. & seqq.

VI.

Porro alii nec licitam fatentur; nec tamen usque adeò spissum, sed tolerabilem hunc errorem putant: quâ etiam in sententiâ magnus aliquando Desiderius fuit. Ejus hæc verba in Epistolæ cujusdam fragmento *g*. *Quibus persuasum est, sanctos nihil agere apud Christum; invocent bona fide Patrem, Filium & Spiritum S. Divos colant ac venerentur imitando: ne obstrepant (his) qui pio affectu colunt & invocant eos. SUPERSTITIO reprehendatur, affectus probetur, quem puto Christo non esse ingratum, etiamsi sit ERRONEUS. NON SENTIUNT SANCTI VOTA NOSTRA: at Christus sentit, ac pro illis donat quod petimus.*

g Epist. primitus excusse Lugd. Bat. 1607 pag. 113.

VII.

Denique alii invocationem Sanctorum (saltem eam quæ hodie obtinet in Papatu) nec necessariam, nec utilem, nec licitam, nec tolerabilem: sed & frustraneam, & noxiam, & impiam, & sacrilegam esse arbitrantur. Atque horum judicio nos subscribimus, non quia, malo quorundam more, extremas quasque sententias lubentiùs sectemur: sed quia hac in causâ (ut & in aliis quibusdam) aliter facere non possimus, nisi negare velimus apertum scripturarum sensum, & reformatæ Ecclesiæ cum primævâ antiquitate consensum.

VIII.

Ac de veteris quidem Ecclesiæ sententiâ separatim agemus: nunc singula horum probabimus, partim liquidis scripturæ testimoniis, partim rationibus, quæ & ipsæ de puro S. literarum fonte deriventur.

IX.

Necessariam haut esse invocationem Sanctorum inde cognoscimus, quòd necessitas, si qua sit, ea futura sit, vel officii ratione, quasi is honos sanctis debeatur: vel respectu finis, quia tanquam medium necessarium ad impetrationem divinæ gratiæ requiratur.

X.

At *officii* ratione necessitas nulla incumbit. Siquidem hæc à mandato ac promissione ac imprimis à comminatione fluit. Sed horum nullo sancitur sanctorum invocatio: quin neque aliquod ejus exemplum suppetit in scripturis: quod minimè foret, si divinitùs præciperetur.

XI.

Objicit quidem Bellarm. *a* quod Jobi cap. ult. dicat Deus: *Ite ad servum meum*; ubi mandatum est. Addat deinde, *& orabit pro vobis*; quod exempli est: subjiciat denique, *& ego suscipiam faciem ejus, ut non vobis imputetur stultitia*, quæ promissio est. Sed vivorum invocatio humana est, quam inhumanum sit tollere, cùm qui eam tollat, naturam ipsam tollat. Defunctorum verò ratio est dispar: ut quorum invocatio sit religiosa, vel potiùs irreligiosa: neque ullo stabiliminetur seu Vet. seu Nov. Testamenti mandato: nec item promissione, vel comminatione, vel idoneo exemplo.

a Lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 20.

XII. Nec

XII.

Nec ratione *finis* major invocationis hujus necessitas prætexi potest; cùm Christi intercessio sit undiquaque perfecta. Vivos quidem singulariter intercedere pro nobis non imus infieias: sed quod illi in communione sanctorum nos pro modulo suo & vocatione quam obtinent, juvare precibus suis possint; hoc ipsum dignatione Christi habent; eoque nihil hoc impedit, quo minùs totum opus mediationis propriè, per se, & perfectè uni conveniat Christo.

XIII.

Et profectò, cùm, ut Grammaticorum filii non ineptè argutantur, necessarium inde dicatur, quod absque eo res *nec esse* possit: quid magis hujusmodi religiolæ sanctorum invocationis necessitatem convellit; quàm quod eo nec uti potuerit, qui sanctorum primus cœlo receptus fuit? Præsertim quando si primicerius cœlitum cœlis hoc nomine fuisset exclusus, consequatur mortalium nemini hactenus aditum patuisse in cœlos, quia ubi hac propter nemo esse potuit primus, ibi sanctorum nemine cœlos priùs ingresso, nec esse quisquam secundus potuit aut tertius.

XIV.

Itidem nec invocatio hæc pia vel utilis dici potest. Nam pietatis quidem nomen nil meretur, nisi quod hoc ipso, quia divinitùs sit mandatum, Deo gratum esse constet. At nullam ἐθελοθρησκείαν Deo esse acceptam, ostendunt verba illa Dei apud prophetam *a*: *Quis postulavit hæc à manibus vestris?* Porrò nec utilem eam esse, ostendit hoc Dei apud eundem prophetam *b*, & Christi ex eo apud Euangelist. *c*. *Frustra me colunt mandatis hominum.*

a *Jes.* 1. 12.
b *Jes.* 29. 13.
c *Matth.* 15. 9.

XV.

Ratio idem multiplex solidè evincit. Ut enim defuncti utiliter à viventibus invocentur, necesse est, ut tribus his sint ornati, eosque instructos illis esse viventes sciant: scientiâ dico rerum nostrarum, item eas curandi voluntate, ac viribus naturæ, quibus curare eas possint. At nec hujusmodi scientia, nec voluntas, nec potentia convenit defunctis.

XVI.

Nesciunt enim quid singulatim vel patiantur, vel petant sancti in terris. Esa. LXIII. 16. *Tu es enim pater noster, & Abraham nescit nos, & Israel ignoravit nos.* Quæ verba de cognitione propriè dicta, non illa approbationis tantum, accipit etiam August. lib. de curâ pro mortuis cap. XIII. nec rejicere eam interpretationem audet Bellarm. *d* 1 Reg. VIII. 39. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* 2 Reg. XXII. 20. *Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum.*

d *Cap.* 20. *libri sapientiæ* [?] *ætatis.*

XVII.

Et sanè si sancti singulatim sciant actiones, eventus, postulata nostra: vel per se, vel per revelationem sciant necesse est. At nec hoc, nec illo modo scire possunt. Non per se, quia ad hoc requiritur, ut vel οὐσία, vel δύναμις καὶ ἐνέργεια sint præsentes. Atqui non aures habent in terras usque demissas, non oculos terrarum orbem penetrantes: sed tum essentiâ finiti sunt, tum virtutem habent cancellis suis circumscriptam. Quare (ut verbis concludam Augustini *e*) *Defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.*

e *Lib. de cura pro mortuis cap.* 16.

XVIII.

Nec magis per revelationem aliquam hæc cognoscunt. Siquidem ea vel ab animabus fiat humanis, vel ab Angelis, vel à Deo. Prima ratio Hieronymo placuit, ut qui Vigilantio respondeat, animas mirâ quadam celeritate esse ubique, & per se supplicantium preces audire. Item Augustino *a*, ex quo Canon iste descriptus: *Fatendum est nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed dum hic agitur; postea vero audire ab iis, qui hinc ad eos moriendo pergunt: non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, opus audire.*

a *Lib. de cura pro mortuis cap.* 15.

XIX.

Per Angelos etiam posse cognoscere, qui nunc adscendunt in cœlos, nunc inde ad nos descendunt, continuo ibidem subjicit Augustinus *b*.

b *Lib. de cura pro mortuis cap.* 15.

XX.

Sed meritò utramque repudiat Bellarm. *c* his verbis: *Neque Angeli, neque anima beata, etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus. Et præterea ad cognoscendas preces, quæ eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimus.*

c *Cap. ult. lib.* 1. *de Beat. mort.*

XXI.

Adhæc animæ sanctorum de corporibus migrantes non tam aliena quàm propria curant. Imò ut res amicorum vicinorumque sciant, quid hoc ad actiones, eventus, preces in locis dissitis? quid item ad res multo post earum abitum eventuras? præterea cùm hinc discesserint, non jam amplius eos tristis & anxia humanarum rerum cura sollicitat, sed à laboribus, beati conquiescunt. Angeli verò λειτουργικὰ quidem πνεύματα dicuntur à divino scriptore Epist. ad Hebr. *d* attamen Dei sunt nuncii ad homines, non hominum ad Deum. Nec per Angelos, sed per se nos ad Deum venire docet Christus *e*. Et quale quæso hoc commentum, ut ex nobis cognoscant Angeli, hinc ad cælos adscendant, atque revelent sanctis, illi deinde pro nobis supplicent Deo? Quorsum istæ ambages, cum rectà ire liceat ad Deum?

d *Cap.* 1. *v.* 14.
e *Ioh.* 14. 6.

XXII.

Tertia ratio erat, ut sanctis revelet Deus, illi deinde quasi datatim remittant Deo. Sed manifestum est hujusmodi οἰκονομίαν non minus divinæ sapientiæ adversari quàm priores istas. Interim ad illam quoque præiit ibid. August. sed modestè: ut qui tantùm dicat: *posse etiam spiritus mortuorum, aliqua quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, non solùm præterita, vel præsentia, verùm etiam futura revelante Spiritu Dei cognoscere: sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hic viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis essent revelanda.* At non item modum hunc retinet Gregorius in Iobum: *Anima*, inquit, *quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.* Quod sapientius restringit hoc pacto Bellarm. *f*. *omnia in Deo videre, quæ nimirum ad nos pertinent.* Alioqui enim objici posse videbat, Angelos etsi videant faciem Dei Patris in cœlis *g*, extremi tamen judicii diem ignorare.

f *Lib.* 1. *cap.* 20.
g *Matth.* 18. 10. *Matth.* 24. 36.

XXIII.

Ex quo etiam patet falsum esse illud calcatum, Qui omnia videntem videt, quid non videt? Item quod nugantur de Speculo S. Trinitatis, in quo preces nostras videant sancti. Nec enim qui Deum increatamque illam sapientiam & omniscientiam cernunt, in ea per communicationem naturalem, velut in speculo fit, res vident; sed per communicationem voluntariam, tanquam in principio libero cuilibet gratiam admetiente prout vult.

XXIV.

Adde quod si per speculum illud essentiam Dei intelligunt, nihil agunt, quia hæc est simplicissima, ac quæ pro varietate rerum minimè variet: sin lucem sic appellent, ne sic quidem quod volunt efficiunt, quia non qui lucem videt solarem, hic quicquid in sole est, videt. Atque hæc quidem clarè probant, nescire sanctos ea quæ ad singulares personas, actiones, eventa & preces pertinent.

XXV.

Nec probatu difficile est, uti destituuntur scientiâ eventorum singularium; itidem nec voluntatem habere hos vel illos singulatim juvandi. Nam de voluntate eorum ex vocatione, quæ illis obtigit, judicium fieri debet. De vocatione autem ex mandato & promissione judicandum. At ubi vel Propheta vel Apostolus docuit unquam, res nostras singulatim ab iis curari ex mandato Dei & conscientiâ promissionis? Agnoscimus quidem quòd Moses & Elias *a* Christo in monte adstiterunt, hoc factum esse ad firmandam discipulorum qui aderant fidem: sed ex eo quod extra ordinem factum fuit, de ordinariâ illorum vocatione statui nihil potest. Quanquam igitur sancti generatim hominibus, ac imprimis fidelibus benè velint, cumque sanctis Angelis *b* pacem illis, & *εὐδοκίαν* optent; non tamen, ordinariè quidem, huic vel illi bona optant aut cogitant: quia hoc particularis est vocationis: illi autem à rebus ex particulari vocatione volendis præstandisque requiescunt.

a *Matth.* 17. 3.

b *Luc.* 2. 14.

XXVI.

Denique nec potestatem eam beatæ animæ habent, ut ad tam varia, tam multa, aliter quàm successivè possint attendere: quin nec creaturarum ulla est, quæ tantum præstare possit: solius enim est virtutis divinæ, ut uno intuitu tam dissita, tam dissidentia & capiat, & curet.

XXVII.

Cum igitur sancti in cœlis nec res nostras singulares ordinariè sciant; nec curare eas velint, quia id fit præter vocationem ipsorum; nec curare etiam possint, quoniam vires id superet creatas: colligimus hinc non posse eos utiliter à nobis invocari.

XXVIII.

Sequitur eorum sententia, qui frustraneam esse negare non audent: attamen talem arbitrantur, ex quâ si nihil commodi, nihil etiam damni percipere quisquam possit. Quod si illis daremus, tamen sic quoque satius eam foret omittere quàm præstare, eo quod probari non possit, placere illam Deo. Siquando enim in conscientiâ persuasi non simus, nos rem facturos Deo gratam acceptamque, omnino melius eâ supersedemus, cum actiones istiusmodi disertim damnentur Apostolico *c* hoc pronunciato; *Quicquid fit sine fide, peccatum est.*

c *Rom.* 14. 23.

XXIX.

Jam verò non tantùm frustranea, sed etiam erronea ac superstitiosa, eoque illicita credi debet. Repugnat enim hoc veritati naturæ tum mortuorum, tum superstitum, ut mortui eoque absentes, à superstitibus (unde & superstitioni nomen) invocentur tanquam præsentes: atque ita, quamquam nihil hujusmodi Christianâ religione jubente, cultu nihilominus religioso colantur.

XXX.

Adde quod disertim jubet Christus *d*, ut oratio nostra instituatur juxta formam quam ipse nobis præscripsit; quodque huic orationi dominicæ conformes sunt precationes omnes, quæ in veteri aut Nov. Testamento continentur. *Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis*: ut Tertullianus inquit lib. de orat. cap. 9.

d *Matth.* 6. 9. *Luc.* 11. 2.

XXXI.

Nec audiendos hac parte putamus, qui istud superstitiosi erroris ulcus vident; sed interim ἀδιάφορον illud vestientes, quibus in Ecclesiis obtinet, à piis doctoribus dissimulari tolerarique posse arbitrantur, tanquam nec pietati adversans, nec multùm ingratum Deo aut Christo.

XXXII.

Quippe & plurimum pietati incommodat, & multis nominibus insignem Deo Christoque injuriam facit. Neque hoc crimine eximimus invocationem illam, quam aut Petrus Gnapheus in Orientis, aut Gregorius Magnus in Occidentis Ecclesias primus publicè induxit: sed imprimis tamen verum putamus de eâ quæ mille à Christo exactis annis, solutoque Satanâ, magis magisque obtinuit in Papatu.

XXXIII.

Hoc ut planius fiat, tria in Romanensis Ecclesiæ sententiâ distinctè considerari oportet: amicam intercessionem, promeritam impetrationem, & gratiosam dationem. Nam invocationem sanctorum, partim eo tuentur Pontificii, quia sancti tanquam amici Dei, jamque in cœlis degentes liberiorem habeant accessum ad Deum, eoque facilius exaudiantur; partim quia operibus supererogationis hoc promeriti sint, ut quæ pro nobis poscunt, impetrent: partim quia tanquam administratores divinorum donorum conferant ipsi quod postulatur.

XXXIV.

Jam verò pietati & sanctimoniæ per invocationem hujusmodi multum derogari, argumento illud erit, quod dum sub prætextu humilitatis & reverentiæ summo numini debitæ per conservos nostros preces Deo malumus offerre; hoc ipso fiat, ut minimè Deum humiliter revereamur, reverenterque nos coram eo humiliemus: quòd item dum cogitamus nescire sanctos quæque animi nostri penita, illicita petendi subit licentia: quòd dum sanctorum in hac vitâ infirmitatis in mentem venit, minùs propriæ ratio habetur indignitatis: quòd dum aliena cogitantur merita, de propriis facilè vana irrepit fiducia: quòd dum penes sanctos esse creditur divina dona conferendi auctoritas, non supra humanam sortem divina satis sustollitur majestas.

XXXV.

Adhæc invocatio istiusmodi multimodis Deo injuriam infert. Deus enim sacro scripturarum instrumento perfectissimè nos instruere voluit de voluntate suâ: qui verò invocant sanctos, religiosum quærunt cultum extra hoc voluntatis divinæ instrumentum: hoc autem in injuriam Dei redundare tum inde cognoscimus, quòd instrumenti imperfectio vel sapientiæ vel amori deroget Dei instruentis: tum quòd soleat Deus de ἐθελοθρησκείᾳ omni tanquam de atroci injuriâ cum homine expostulare: quò pertinet illud jam antea adductum, *Quis postulavit ea de manibus vestris?*

XXXVI.

Insuper honos Dei, quem se alteri dare velle negat, *a* contra expressum ejus mandatum communicatur creaturis. Quæ divini honoris violatio non in eo αἰτήσει consistit, quòd à sanctis petimus, ut precari pro nobis velint: nam idem si à viventibus postuletur, nulla Deo injuria fiat, quia invocatio hujusmodi consentanea

a *Esa.* 42. 8. & 48. 11.

nea

nea est naturæ tum sanctorum, tum nostræ, atque in scripturis mandatum, promissionem & exemplum habet: sed quia hoc, repugnante scripturâ, ab iis postulatur, qui nec per essentiam sint præsentes, nec per virtutem ac mediantem significationem: eoque invocatione tali tum mandatum Dei violetur, tum etiam omnipræsentia & omniscientia, quæ Dei unius sunt propria, temere ac falsò illis arrogentur.

XXXVII.

Est hac de honoris divini violatione illustris locus apud antiquum scriptorem comment. in Epist. Paulinas *a*, qui Ambrosio vulgo tribuuntur: *Solent Pudorem passi neglecti Dei miserâ uti excusatione, dicentes, Per istos posse iri ad Deum, sicut per comites pervenitur ad Regem. Age numquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vindicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis? & isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus quod reservetur Deo. Nam & ideo ad regem per tribunos aut comites itur, quia homo utique est rex, & nescit quibus debeat Remp. credere.* AD DEUM *autem (quem utique nihil latet, omnium enim merita novit)* PROMERENDUM, SUFFRAGATORE NON OPUS EST, *sed mente devotâ.* Hæc ille, cujus rationes ut communes sunt, ita communiter tum ad Gentiles, tum ad Christianos pertinent.

a Cap. 2.

XXXVIII.

Præterea invocatio hæc eo nomine gloriam Dei offuscat, quod cum ille pro immensâ bonitate suâ noctes diesque, quasi brachia propter nos expandat, rectaque ad se confugere ac preces ἀμέσως dirigere jubeat, homo nihilominus alios precibus sollicitare malit, sive quia Deo illos amiciores credat, sive quia vel solam impetrationem, vel etiam collationem postulati cujusque commeritos arbitretur. Quâ ratione quin divinæ bonitati paternoque ejus affectui gravissima fiat injuria, ac proinde etiam honori divino detrahatur plurimùm, dubitabit nemo, cui rationem rectam inveteratæ, sed perperæ tamen consuetudini, præferre fuerit decretum.

XXXIX.

Eâdem verò ratione comprobantur, eos qui sanctos pro se intercedere in cœlis poscunt, immane quantum detrahere benevolo affectui, & propensissimæ misericordiæ summi Pontificis ac Servatoris nostri Iesu Christi.

XL.

Atque hoc ab illis quoque fit, qui sanctos tantummodo considerant tanquam familiares & amicos Dei, citra ullius meriti virtutem. Cujusmodi videri possint sanctos Christo subordinare: quod à multis veterum factum fuisse agnoscimus.

XLI.

At longè gravius injurii sunt Christo, qui sanctos invocant cum respectu meritorum, quorum vi consequantur, ut intercedentes pro nobis exaudiantur, vel etiam divina ipsi dona administrent ac conferant. Vim enim meriti cum sanctis communicando, utut verbis illud negent, reapse tamen eos Christo faciunt collaterales: quod impium planè esse ac sacrilegum, quis non videt?

XLII.

b Esa. 63. 3.

Nam ut Propheta *b* indicat, solus Christus torcular pro nobis calcavit. Atque ut ait Apostolus 1 Tim. II. 5. 6. *Nunc mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus.* Et 1 Joh. II. 5, 6. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et Rom. VIII. 34. *Qui mortuus est & qui resurrexit, qui est ad dextram Patris, qui etiam interpellat pro nobis.* Quibus in locis clarè indicatur, solum Christum esse mediatorem & advocatum nostrum, & ideò solum, quia redemtionem nostri promeritus est solus. Hæc enim ratio ab ipso Spiritu S. attexitur, uti vidimus.

XLIII.

Nihil igitur sibi vel aliis mereri sancti potuerunt, sed etiam cum omnia fecissent, non verè minus quàm humiliter necesse habuerunt dicere, servos *a* se inutiles esse: peccatorum etiam remissionem quotidie petere debuerunt, ne Deus intraret in judicium cum servis suis *b*.

a Luc. 17. 10.
b Psal. 143. 2.

XLIV.

Quamquam autem hæc de promeritâ exauditione impia sit sententia, tamen geminatur impietas, cum sanctos insuper commeritos volunt, ut ipsi largiantur ac præstent quæ poscimus. Ut cum Ecclesia Romana in hymno ad semper-Virginem canit,

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege, Et horâ mortis suscipe.

Et Apostolorum hymno:

Quorum præcepto subditur Salus & languor omnium,
Sanate ægros moribus, Nos reddentes virtutibus.

Quæ ita apertè blasphema sunt, ut nec aliter ea defendere potuerit Bellarminus *c* quàm si recurreret ad mirificam ἀκυρολογίαν. Nam *da mihi sanitatem*, exponit, *intercede pro me, ut Deus mihi det eam.* Et tamen longè plurima in papalibus scriptis invenire est, quæ figuram hanc penitùs aspernentur; ut suo loco ostendemus.

c Cap. 17. ejusdem lib.

XLV.

Atque hæc satis ostendunt, invocationem sanctorum & Dei & Christi honori plurimùm derogare. Quare cum eam negamus, non debitum sanctis honorem adimimus, sed honoris excessum. Verus enim honos eorum non in religiosâ invocatione vel adoratione consistit, quæ totum hominem totumque hominis soli Deo vindicat: quamque nemo sanctus vel in terris, vel ab abitu suo concupivit: sed partim in eo situs est, quod Deum in illis laudamus; partim quod ipsos tanquam servos, amicos, filios Dei amamus, extollimus, imitamur.

XLVI.

Hujusmodi honorem Augustinus lib. XX. contra Faustum Manichæum cap. XXI. *Cultum dilectionis & societatis* appellat. Sanè cultus religiosus aut servitutis (quod etiam Peresius *d* vidit) minimè dici debet, cum tantum sit cultus humanus ac civilis.

d De tradit. part. 3. considerat. 7.

XLVII.

Ridicula quidem Bellarmino hæc appellatio videtur, sed immeritò, quia & sancti illi homines fuerunt, & unà cum Angelis nostri sunt συμπολῖται, teste Apostolo *e*, qui eos docet commune nobiscum πολίτευμα habere.

e Ephes. 2. 19.

XLVIII.

Sed confundit Bellarminus civitatem secularem & Ecclesiasticam, quarum illa naturæ, hæc gratiæ est. Nam non minùs quam illius ratione cives unius civitatis, una

Resp.

Resp. unus populus dicimur. Pars quidem in patriâ est; pars à patriâ peregrinatur, ut Apostolus *a* loquitur, sed quamquam illi à nobis, nos ab illis absumus, tamen & illi inter se & nos inter nos præsentes sumus, & utrisque præsens Deus in Filio per Spiritum Sanctum.

a 2 Cor. 5. 6.

XLIX.

Quare cùm nihil obstet, quo minùs unius civitatis cives dicantur, nec caussæ quicquam erit, quò minùs æquè civilis honos dicatur qui civibus cælestibus exhibetur, quàm qui civibus terrenis: nam gradu quidem honores isti differunt, sed uterque tamen est ὁμογενής.

DISPUTATIO OCTAVA

DE

INVOCATIONE SANCTORUM.

Postquam in medium protulimus illa, per quæ everti tur Sanctorum invocatio: sequitur videamus, cujusmodi argumentis Pontificii eam defendant: item κενοφωνίαις ac distinctiunculas, quis eandem incrustant. Ex argumentis ipsorum primo loco expendemus ea, quibus probare conantur, invocationem sanctorum non destitui Scripturæ exemplis.

THESIS I.

PRIMUM in aciem producunt verba Iacobi Gen. XLVIII. 16. ubi de nepotibus suis, Iosephi liberis, loquens, *Invocetur*, inquit, *super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham, Isaac.* Bellarminus *a* contentus est hinc probare, *nomen invocationis hominibus convenire.* Atque idem facit Gregorius de Valentia *b*. Sed Eckius *c* eo pugnabat ad ipsum dogma adstruendum. Uti & Hosius in Confessione Petricoviensi cap. LVIII. & ante hos Thomas Aquinas postilla in Genesin, sive potius Thomas Angliens, doctor Eboracensis, quem eam postillam scripsisse, docent Antoninus, & Sixtus Senensis *d*. *Nota*, inquit, e *quod Iacob adhuc vivens præsentiebat in Spiritu, quod nomen suum, tanquam nomen sancti, erat invocandum super populo suo.* Atqui nihil certius est, quàm verba ista, *Invocetur super eos nomen*, esse Hebraismum, & significare, *vocentur de nomine meo*, hoc est, non Iosephi, sed mei filii censeantur, quoniam eos adopto. Sic Esa. IV. 1. in Hebr. ac vulg. dicuntur septem mulieres ob rantatem virorum dicturæ viro uni, *Invocetur nomen tuum super nos*, hoc est, vocemur de nomine tuo, ut Vatablus & Iunius transtulere, id est dicamur uxores tuæ, ut iidem interpretantur. Nec aliter de hoc Genesios loco censent Hugo Cardinalis, Lyranus, Cajetanus, Fonseca, Arias Muntanus, & Hector Pintus, in hunc locum: item Franciscus Ribera in Hamos IX. *f*.

a Lib. 1. de beat. sanct cap. 20. paragr. Ad primum.
b Lib. 3. de idololatr c. 7. paragr Iam orationem.
c Enchirid loc. de venerat. Sanct.
d Lib. 4. biblioth. Sanct
e Thomas postilla in Gen. c 48.
f Num. 42.

II.

Alter locus, ab Aquinate, Lyrano, Bellarmino *g* etiam pro sanctorum invocatione adductus, legitur Iobi cap. V. 1. *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere.* Sed non satis convenit, utrùm de hominibus sanctis, an de angelis hic sermo sit. Prius si placet, hic sensus erit: Obversentur animo tuo sancti, quoscumque noris, ac vide, eccujus te patrocinio tueri possis: vel numquem invenire possis, quem præter culpam suam tanta ac te pressetit calamitas. Sin de Angelis agitur, sententia fuerit talis: Angelos voca, ac vide, ecquis eorum responso suo dignari te velit. Quod sanè argumento tibi esse debet, quantillus sis, ut qui, non dico ad divinam, sed ne ad angelicam quidem excellentiam ullo modo assurgas. Hoc pacto fuerit Ironia. Sanè angelos hic intelligunt, non modo Vatablus & Mercerus: sed etiam LXX. cum vertunt, εἴ τινα ἀγγέλων ἁγίων ὄψῃ. Quos Augustinus sequitur annotat. in Iobum. Et pro his est, quod scriptor libri hujus, cùm loquitur de hominibus sanctis, eos *justos* potius, aliove nomine solet appellare.

g Loco superius citato.

III.

Tertius est locus è Iobi cap. XXXIII. 23. *Si fuerit pro eo angelus loquens unus de millibus, ut nunciet hominis æquitatem, miserebitur ejus, & dicet, Libera eum.* Ubi, cum Mercero, hanc esse sententiam putamus: Si homini usque adeò afflicto de mille unus obtingat angelus interpres, ad exponendum & annunciandum Deo rectitudinem, sive fidem & resipiscentiam ejus: tum eum miserabitur Deus, atque angelo illi interpreti dicet: Redime eum à morte, quia mihi resipiscentiâ ejus satisfactum est. Ita nihil aliud ex hoc loco colligi possit, quàm Deum ad hoc angelorum ministerio uti, ut hominum preces ac negotia ad se perferant: quod (quemadmodum ex plurimis Scripturarum locis manifestum est) passiva ac vulgaris in populo Dei opinio fuit. Aliis angelus non naturæ hic nomen est, sed officii: per Prophetam verò intelligunt nuncium & interpretem divinæ voluntatis: hunc unum de mille dici volunt, tanquam rarissimum: per rectitudinem autem signari putant æquitatem Dei, quam homini annunciat Propheta. Quibus commodè subjicitur summa orationis, quam Propheta ad Deum habet pro afflictis. Ita Iunius.

IV.

Quartus est locus à Cochlæo allatus è Psal. XXXI. 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus.* Sed loquitur Psaltes de sanctis in terrâ petentibus remissionem peccatorum: quò ipse refert Apostolus Paulus ad Rom. IV. 6. 7. 8. Itaque & Chaldæus paraphrastes transtulit; *Propterea orabit omnis pius ad te.* Imò similiter intelligunt Hieronymus, Theodoretus, Haimo, Remigius, Euthymius: atque adeò è Scholasticis, ac Pontificiis ipsis, Lombardus, Hugo Cardinalis, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Augustinus, Eugubinus, Baptista

Fo-

Folengius, Genebrardus, Bellarminus, Antonius Agellius &c.

V.

Quinctus est locus, quem idem, ac Bellarminus *a* etiam, adducunt è Psal. CXXI. 1, *b Levavi oculos meos ad montes*: ubi per montes intelligunt Sanctos: ut & Augustinus: sed hic, contrà quàm Pontificii, respicit Sanctorum doctrinam, quemadmodum & Hieronymus, qui montes interpretatur excelsa propheticorum librorum ac legis: similiaque habent etiam aliquot alii Patres. Simplicissimum autem fuerit, montes propriè accipere: ut intelligantur montes, in quibus Sion, & templum sita erant, quò oraturi se convertebant, ut est Dan. VI. 11. Vel cum Junio, verba Psaltæ per interrogationem efferemus. Ut sententia sit, Quorsum oculos meos in montosâ hac Cananæâ circumquaque per montes circumferam, quasi ab hominibus auxilium mihi sit exspectandum, ac non potiùs uni Deo confidendum?

a De beat. anim. Lib. 1. cap. 17. *b Al. 122.*

VI.

Sextus est locus, quem idem Cochlæus adfert, è Psalmo CXXXV. 14. *Iudicabit Dominus populum suum, & in servis suis deprecabitur.* Verùm sententia est, pœnitentiâ ducetur malorum, quibus servos suos hic in terrâ affligit, cumque iis conciliabitur, quomodo & vett. & recentiores ferè omnes interpretantur. Eadem mente transtulit Junius: *Si judicat Jehova populum suum, mox de servis suis pœnitet ipsum.*

VII.

Septimus est ille à Cochlæo *c*, ac Bellarmino *d* etiam productus ex Jerem. XV. 1. *Si steterint Moses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Atqui hinc potiùs contrarium sequitur: puta Mosem & Samuelem mortuos non stetisse coram Deo, nec pro populo orasse. Sententia autem est, si vel Moses & Samuel etiamnum superstites essent, & de more suo pro populo intercederent, non exauditem eos, rogantes pro tam horrendâ populi idololatriâ. Hanc loci interpretationem probat Hieronymus, & ex eo Glossa interlinearis, atque ex his Thomas. Præterea, ex hypothetico Jeremiæ pronunciato non magis colligi potest, Mosem & Samuelem interdum pro populo precari, quàm ex dicto Abrahæ Luc. XVI. 31. sequitur interdum homines resurgere ad vivos in fide instruendos, aut ex loco Pauli Gal. 1. 8. sequitur, Angelos è cælo descendere nonnunquam ad aliud Evangelium annunciandum, quàm prædicarat Paulus.

c Respons. ad epistolam Lutherani cap. 3. *d Lib. 1. de beat. anim. cap. 18. Similiter Clingius lib 4. cap. 44. Peresius Aiala de Tradit. cap. de cultu sanctorum & Pontific. prope omnes.*

VIII.

Adhæc quia invocatio (ut Bellarminus ait) eximium est adorationis genus, eo etiam ad invocationem adstruendam, pugnare iis locis solent, quibus in veteri instrumento adoratio tribuitur creaturis. Ita, ut alios mittam, Carol. Scribanus *e*, rectè Sanctos adorari, omnibusque seculis frequentatam eorum adorationem, inde probat, quòd Abraham filios Heth dicitur adorasse, Genes. XXIII. 7. 12. Iacob Esavum, cap. XXXIII. 3. Iosephus partem Iacobum, cap. XLVIII. 12. David Ionathanem, 1 Sam. XX. 41. Idem Saulem 1 Sam. XXIV. 9. Nathan Davidem, 1 Reg. 1. 32. Salomon Bathsabeham, 1 Reg. 11. 19. Achior Iuditham, Iudith. XIV. 6. Atqui nihil clarius est, quàm adorationem hic intelligi civilem, quæ vivis, adeóque etiam improbis, uti Esavo à Iacobo, Sauli à Davide, præstita fuit. At longè alia ratio est adorationis religiosæ, quæ est opus fidei, ac præcipua divini cultus pars, eóque soli Deo præstabilis; unde Christus Matth. IV. 10. ait, *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.*

e Lib. de Sanctor. Invocat.

IX.

Præterea Bellarminus *a*, & alii *b*, se iis tuentur Veteris Testamenti locis, quibus in invocatione Dei fit mentio Patriarcharum: ut Gen. XXXII. 9. *Deus patris mei Abraham, & Isaac, erue me.* Deut. IX. 27. *Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, & Jacob.* Etiam Catech. Austriaca adfert locum Genes. XXVI. 24. Exod. XXXII. 13. 2 Reg. XIX. 34. Sed planum est in his, & in similibus, non poscere sanctos, ut exaudiantur a Deo propter merita Patriarcharum, verùm propter pactum Dei cum illis. Nam juramentum tantùm, ac promissiones Dei allegantur, quæ clarè pertinent ad rationem fœderis initi cum Patriarchis. Ita Genes. XXVI. 3. *Tibi, & semini tuo dabo universas terras, regiones has, complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo.* Exod. XXXII. 13. *Recordare Abraham, & Isaac, & Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli.* Similiter Salomon 1 Reg. VIII. 25. *Nunc Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David, patri meo, quæ locutus es ei.* Et vers. 26. *Et nunc Domine Deus Israel, firmentur verba tua, quæ locutus es servo tuo David, patri meo.* Et Psal. LXXXIX. 4. *Disposui Testamentum electis meis, juravi David servo meo.* 2 Chron. XXI. 7. *Noluit Dominus disperdere domum David, propter pactum, quod inierat cum eo.*

a Loco sæpius citato. *b Clingius Lib. 4. cap. 4. 3. Renatus Benedictus, panoplia sua fol. 9. a. 206. b. Peresius Aiala de Tradit. &c.*

X.

At, inquit Bellarminus, *solutio non satisfacit, nam & pactum Dei, & justitia sanctorum simul commemorantur, ut patet ex* Psal. CXXXI. 1 *c*. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Quæ verba Salomonis sunt orantis Deum per merita patris sui Davidis jam defuncti.* Verùm non uno nomine hoc argumentum peccat. Nec enim sic verba habent in Hebræo, sed, *Et omnis afflictionis ejus.* Neç verba sunt Salomonis, sed Davidis ipsius, qui (ut ex octo primis versibus conjicere est) Psalmum hunc scripsit, cùm arca Domini è domo Hobed Edomi deducenda esset Hierosolymam: de quo 2 Chron. XV. legere est.

c Al. 132.

XI.

Etiam eo se toentur, quod Angeli pro nobis orent: & propterea soleant invocari. De priori hæc verba sunt Bellarm. *d Angeli orant pro nobis, & curam nostri gerunt, etiam in speciali*: Psal. XC. Zach. 1. Dan. X. &c. *Ergo multò magis id spiritus hominum beatorum faciunt. Nam in primis nihil eis deest eorum quæ Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cum sint præditi intelligentiâ & voluntate, & adsint semper Deo, & nos vehementer diligant, ac deinde sint æquales angelis, ut dicitur* Luc. 20. *deinde aliquid habent præ angelis, quod sint membra corporis Ecclesiæ nobis magis conjuncta, quàm sint angeli, & experti sunt miserias, & pericula nostra, quæ angeli non sunt experti.* Sed enumeratio hæc est imperfecta. Nam deest animabus defunctorum mandatum, & vocatio, quàm angeli habent.

d Lib. 1. de beat. sanctor. cap. 18 Similiterque Peresius Aiala de Traditionibus Ecclesiast. parte tertia cap. De cultu sanctorum.

XII.

Alterum verò, hoc est invocationem Angelorum, probare plurimi *e* solent his Iacobi verbis Genes. XLVIII. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Quo de loco ita Bellarm. *f* 1 *Hic* APERTE *sanctus Iacob Angelum invocavit.* Verùm Angelus nomen est, non naturæ, sed officii: neque hic de angelo finito creatóque agitur, cum pariter oretur ac Deus, eique liberatio è miseriis, divinum planè opus, tribuatur. Adhæc alibi à Iacobo ipso angelus ille vocatur Deus fortis. Quare intelligendus omnino Iesus

e Renatus Benedictus, Doct. Parisiensis, Panoplia sua fol. 9. *f Lib. 1. de sanctorum Beatitudine cap. 19.*

Christus, angelus fœderis, ut appellatur Mal. III. 1. Ita locum hunc intellexere Novatianus de Trinit. cap. XV. Athanasius contra Arrianos serm. 4. Hilarius in Psal. CXXXII. Basilius contra Eunom. lib. II. Chrysostomus in Gen. cap. XLVIII. homil. LXVI. super illud, *Angelus, qui liberavit me.* Cyrillus Alexandr. lib. III. Thesauri *a*, Procopius Gazæus in Gen. cap. XLVIII.

a Tom 2. fol. 53.

XIII.

At, inquit Pererius *b*, NUNQUAM *filius Dei præcisè angelus dicitur: sed aliquid adjicitur, ut Angelus Testamenti, Angelus Domini, & similia.* Sed hac parte dissentientes habet, non Patres solùm, quos dixi, sed ipsum Riberam, & Viegam. Ribera *c* enim, cùm enarrasset illud Zach. cap. 1. *Angelus clamabat, Domine exercituum, miseraberis Ierusalem: In hoc angelo,* inquit, *Christum significari, docent veteres patres, Hieronymus, Ambrosius, Origenes.* Et expressius Viega, comm. in Apocalypf. cap. VIII. *d* ubi interpretans verba illa. *De manu Angeli*, sic scribit, *id est Christi. Nec rectè quidam e recentioribus* (Pererium sine dubio signat) *dicunt, Christum nusquam angelum absolutè dici: satis est ex consequentibus Christum esse colligere.*

b In cap. 32. Gen.
c Comm. in Heb 7. num 81.
d Sect 2. pag 343.
e Clingius Lib 4. cap. 42. & 44. Institutio concilii provincialis Moguntini an. 1549. cap. de Sanct. Invocat. Andradius Orthodox. Explicat. lib. 9 p 717. Pererius Ai:la de Traditionib. part. 3. cap. de cultu Sanctorum fol. 101. Bellarm lib de beatit. sanct. cap. 18. Renatus Benedictus panopliæ fol 36. 45. 205. Castrus in Enchirid. c. 21. paragr. Præterea.
f Cochlæus respons ad epist cujusdam Lutherani cap. 3 Andradius Orthodox. Explicat. lib 9. pag. 717 Antididagma Colonien's fol. 43. Wicelius de arbore bona & intercessione sanctorum. Clingius lib 4 cap. 42 & 44. Alanus Copus dial. 3 fol 239 Bellarminus lib. 1. de beatit. sanct. cap. 18.

XIV.

Canonicis dejectis, ad Apocrypha confugiunt: ut illud Baruch. III. 4. *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc in orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te.* Sed nihil certius, quàm per mortuos hyperbolicos intelligi quasi mortuos, h. e. in præsentissimo mortis periculo constitutos, & velut moribundos, quomodo & vers. 3. ait, *Quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in ævum.* & vers. 11. *Coinquinatus es cum mortuis, & deputatus es cum descendentibus in infernum.* Quanquam nec, si de viventibus acciperetur, negotium confectum haberent: quemadmodum ostendit illa Lyrani interpretatio: *Audi nunc orationem mortuorum Israel, id est, Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, qui viventes oraverunt ad te pro bono statu posterorum.*

XV.

Similiter auxilium petunt *e* ex II Machab. XV. 12. ubi Onias & Ieremias dicuntur pro populo orantes apparuisse in somnis Iudæ Machabæo. Sed somnium aut visio hic narratur, non res gesta: nec si illi orânnt, ideo & ipsi orandi. Sanè hoc ipso loco, nec Iudas, nec milites, Oniam, vel Ieremiam idcirco invocasse leguntur.

XVI.

Et ista quidem sunt, quæ de veteri promunt instrumento. Sequuntur illa, quæ ex novo adferunt. Sunt hæc duûm generum. Alii conantur probare, Iudæis fuisse moris, ut mortuos invocarent: alii putant evinci, etiam Christianos id facere consuevisse. Ad prius commonstrandum, advocant illud Iohann. V. 45. *Nolite putare, quia accusaturus sum vos apud patrem: est qui accusat vos Moses, in quo vos speratis.* Unde colligunt, Mosen, ut accusandi, sic defendendi apud Deum accepisse potestatem. Verùm non hic intelligitur Moses in carne aut spiritu, sed in lege ac doctrinâ. Itaque simile est isti, Lucæ XVI. 19. *Habent Mosem, & Prophetas.*

XVII.

Præterea duplex adferunt exemplum, unum ex historiâ de Lazaro & divite *f*, ubi dives dicitur poposcisse Abrahamum in tormentis, ut Lazarum ad se mittere vellet, quò digitum in aquam intingens, linguam suam refrigeraret: alterum petitur ab hostibus Christi, qui clamante Servatore, *Eli Eli lamma sabachthani,* dixere, *Heliam vocat, videamus an veniat Helias, liberaturus eum*: unde colligunt, usitatam fuisse Iudæis invocationem Heliæ, aliorumque Sanctorum. Sed ex priori exemplo, colligi nihil potest, quod ea parabolicæ historiæ pars, ex quâ argumentantur, non historica sit, sed parabolica: ut ostendit, quod mortui nec digitum, nec linguam habent: eoque nec aliud his verbis significatur, quàm tanta fuisse divitis tormenta, ut si & Lazarum vidisset, & alloqui eum potuisset, tali, aut simili sermone magnitudinem tormentorum fuerit indicaturus. At alterum exemplum, quo pugnant Alanus Copus dial. III. & Antididagma Coloniense, etiam longè infirmius est. Quid enim insulsius, quàm ex infensissimorum Christi hostium horribili verborum Salvatoris nostri perversione, concludere velle, invocationem Sanctorum in populo Iudaico obtinuisse? Adhæc, & istæc exempla, & quicquid horsum adferri potest, eo satis refellitur, quod cùm Invocationis sanctorum fundamentum faciunt Dei visionem: tamen Patres V. T. Deum vidisse demum arbitrentur, cùm passione suâ cœlum iis reserasset Christus, eosque ab inferis in cœlestia gaudia traduxisset.

XVIII.

Ac his quidem Scripturæ testimoniis probare conantur, à Iudæis Sanctos invocari solere. At candidè magis Eccius in Enchiridio, & quidam alii, *a* qui ingenuè confitentur, non posse hoc expresso Scripturæ loco ostendi. Vel saltem nullum inveniri ejus rei mandatum. Sed quod nihil de hoc in iis præceptum legatur, id factum putant, partim quia populus Iudaicus lubricus esset ad idololatriam, partim quia Patriarchæ & Prophetæ Vet. Testamenti nondum fruerentur beatâ Dei visione. Quod ad prius, non repugnamus dicentibus, per invocationem Sanctorum lubricam reddi viam ad idololatriam. Verùm cogitare hic oportebat, non populum Iudaicum duntaxat, sed etiam Christianum, ad eam nimium quantum propensum esse: quòd quàm verè à nobis dicatur, tristis experientia comprobavit.

a Alanus Copus dial. 3.

XIX.

Cur verò lubrica adeò via sit, hanc ipsi caussam afferunt, quod respectu exteriorum actuum tanta inter honorem, qui sanctis præstatur, quique Deo debetur, convenientia sit, ut discrimen eorum nec eruditissimis satis pareat, nedum imperitis. Atque hoc etiam non obscurè agnoscit Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine, cap. 11. En verba: *Omnes fere actus exteriores communes sunt omni adorationi, excepto sacrificio, & quæ ad illud referuntur, templis, altaribus, & sacerdotibus. Ex aliis actibus exterioribus, qui sunt communes cultus Dei, & cultus creaturæ, non potest evidenter colligi, an aliquis cultum Deo debitum tribuat creaturæ, nec ne. Nam Abraham eodem actu incurvationis usque ad terram adoravit Deum,* Gen. XVII. *& Angelos,* Gen. XVIII. *& homines,* Gen. XXIII. Verùm sanè si tanta similitudo est cultus utriusque, ejus, inquam, qui sanctis, quique Deo præstatur: quis non videt, etiamsi ejusmodi Sanctorum cultus non expressis Scripturæ ceremoniis prohiberetur, satiùs tamen fore, ut eo supersedeamus, quando facilè adeò per eum in idololatriam incidant, saltem imperitiores?

XX.

Nec difficulter diluitur, quod negant *b* Patriarchas & Prophetas invocatos esse, quia nondum fruerentur beatificâ Dei visione. Nam hoc ut esset (quid de eo sentiamus *c*, alibi exposuimus) at Angeli saltem invocati fuissent, præsertim familiariter adeò cum hominibus versantes, ac quibus familiæ, gentesque essent commissæ.

b Pighius controv. 13. fol. 194. 6. alanus Copus dial. 3. fol. 239.
c Disp. 2. de statu animæ separatæ.

Quo

XXI.

Quo verò stupore conscientiæ hanc caussam agant Pontificii, argumento est quod Bellarm. ipse Sanctorum invocationem probatum it illo Genes. XLVIII. *Invocetur nomen meum super pueros hos, &c.* qui tamen cap. XIX. lib. I. de Beat. Sanct. scribere non dubitavit. *Ante Christi adventum, Sancti qui moriebantur, non intrabant in cælum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinariè preces supplicantium. Ideò non fuit consuetum in Test. Veteri, ut diceretur, Sancte Abraham ora pro me: sed solùm orabant homines ejus temporis Deum.* Idem dicit cap. XX. & in controversiæ totius distributione, quam tractatui præmittit.

DISPUTATIO NONA

DE

INVOCATIONE

SANCTORUM.

Thesis I.

EXPENDIMUS ea, quæ de utroque instrumento adferri à Pontificiis solent, ut ostendant, Sanctos etiam à populo Iudaico fuisse invocatos. Accedimus nunc ad ista novi Testamenti loca, quibus idem probare conantur, invocationis honorem deberi Christianis, quos beatum in cœlis agere ævum constiterit Ecclesiæ. Ac primùm adducunt illud Matt. XXIV. 46. *Beatus ille servus, quem Dominus, cum venerit, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, super omnia constituet eum.* Hic Bellarm. *a*, & Costetus *b*, per bona Domini Ecclesiam intelligi ajunt: eoque cum Dominus dicitur servum bonis suis præfecturus, concludunt, servum ante resurrectionem accepturum potestatem regendi Ecclesiam, & eam continuâ protectione conservandi: quod & Papa Pelagius *c* docet. Sed quanto aliter (ad quem tamen hic Bellarminus provocat) B. Hilarius *d*. Verba ejus sunt: *Qui* (servus) *si dicto audiens, & praeceptis obediens erit, atque hæc agens his immorans, deprehendatur: gloriam à Domino, tanquam dispensator fidelis, & villicus utilis consequetur, & super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloriâ collocabitur, quia nihil sit ultra, quod melius sit.* Similiter Emanuel Sa in Matth. XXIV *e*. *Super omnia bona, id est, conregnabit cum Christo (inquit Origenes) cui Pater omnia tradidit.* Et Stella in Lucam *f*: *Quicunque ad vitam æternam transfertur, constituitur super omnia bona Domini, quia essentiâ divinâ fruitur.* Similia habet Toletus in Luc. *g* item Maldonatus in Matt. XXV. ubi interpretatur istoc Luc. XIX. 17. *Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* Verba sunt Maldonati, sed variè apud eum dispersa: *Nec enim sensus est, fore, ut in cælo homines, aut civitatibus, aut ulli omnino officio præficiantur; sed quia de rege loquebatur, & regum est consuetudo, benè meritos viros gubernandis præficere civitatibus, docet præmia meritis majora se laturum.*

a Lib. 1. de beatitud. sanct. cap. 18. paragraph Idem colligitur.
b Enchirid. c. 22. paragr. Quando.
c In epist. 4. decretali.
d In cap. 25. Matt. vers. 31.
e Citante Mortene ex edit. pre Sed in Moguntina an 1610. hæc sunt omissa.
f Cap. 12. vers 43.
g In Luc. cap. 12. comm. post eAnnotat. 73. pag. 798.

II.

Etiam Andradius *h*, Bellarminus *i*, Costetus *k*, alii, adducunt ex 2 Petr. 1. 14. 15. *Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus significavit me mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Verùm argumentum hoc parùm solidum esse, non obscurè agnoscit etiam Bellarminus: *Quamvis*, inquit, *non sit evidens argumentum, tamen est probabile.* Nec eum juvat Oecumenius, cùm ait esse, qui de Petri post obitum curâ erga fideles hunc locum intelligant. His enim verbis alienam Scholiastes sententiam recitat; ipse verò nobiscum agnoscit, mentem Petri esse, velle se adhuc superstitem sedulò operam dare, ut post mortem suam meminerint eorum, quæ ad perfectionem salutaris doctrinæ requiruntur. Et sanè non dicit, Μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον σπουδάσω, *Post meum obitum dabo operam*: sed, Σπουδάσω δὲ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον. *i. dabo operam, ut post obitum meum vos horum memoriam faciatis.* Ac plerique etiam Pontificii nostram sequuntur interpretationem: ut Thomas, Hugo Cardinalis, Glossa, Dionysius Carthusianus, & Cajetanus, omnes ad hunc locum. Cajetani hæc verba sunt: *Dabo a. operam & frequenter, pro, & semper, hoc est, indefessè, quamdiu vixero, &c. ut horum omnium memoriam faciatis. Et est sensus: quod dabo semper operam, ut habeatis tractatus seu libros, quibus possitis semper memoriam horum facere.*

h Orthodox. Explicat. L. 9 p. 725.
i Lib. 1. de beatit. sanctor. cap. 18.
k Enchir. cap. 22. paragr. Præterea.

III.

Præterea ex Apocalypsi loca aliquot advocant ad partes: uti cap. II. 26. *Et qui vicerit, & qui custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virgâ ferreâ.* Nam de spiritibus mortuorum, ut inquit Bellarm. *a*, loquitur Johannes, & de tempore ante resurrectionem. Quare si spiritus illi gentes regant, etiam gentium preces ad eos dirigendas arbitratur. Sed loci ejus mentem non perspexit. Nam non tam interpretatio est verborum Davidis, quæ sunt Psal. II. quàm allusio ad ea. Præterea pertinent ea verba, tum ad gloriam & majestatem sanctorum in cœlis, tum ad judiciariam potestatem: sed utrumque habituri sunt sancti in Christo communione personæ, non officii, & procurationis sive administrationis illius. Sententia igitur est, eos qui in fide perseverabunt, regnaturos in & cum Christo, ac judicaturos mundum, secundùm illud Christi

a Lib. 1. de beat. sanct. cap. 18. Similiter Coster. Enchirid. cap. 22. paragr. Quarta.

apud Matth. xix. 28. *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Et illud Pauli de universis sanctis, 1 Corinth. vi. 2. 3. *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Nescitis quoniam Angelos judicabimus?*

IV.

Tuetur etiam se Bellarminus *a* illo Apocal v. 8. *Quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, prociderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Atqui non intelligendæ hic sunt preces αἰτητικαί, sed εὐχαριστικαί, uti liquet ex vers. 9. & 13. ubi dicuntur egisse gratias pro redemtione & suâ & Ecclesiæ totius in terris militantis. Nullis igitur fidiculis elicias aliud, quàm signari generalem τὴν εἰς θεὸν δοξολογίαν, ut habet Græcus Scholiastes.

a Lib. 1. de beatit. sanct. cap. 18. Similiter Costerus in Enchirid. cap. 12. paragr. Deinde.

V.

A Bellarmino *b* quoque, ac Costero *c* adducitur locus ille Apoc. vi. 10. *Et clamabant voce magnâ, dicentes, usquequo Domine, sanctus & verus non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Verùm clamor iste animarum, non ratione ipsarum, sed ratione rei; sive, non ratione actus, sed ratione effectus intelligi debet: quomodo & Genes. iv. 10. sanguis clamare dicitur ob injuriam nondum vindicatam. Vel dicendum, per clamorem magnum intelligi magnum desiderium, quo animæ extremum judicium desiderant, ut ultor gladius in impios, & Ecclesiæ persecutores, distringatur; quod partim propter se optant, quò pleno gaudio perfruantur; partim propter Ecclesiam, ut persecutionis ea miseriis liberetur.

b Lib. 1. de beatit. sanctor. cap. 18.
c Enchirid. cap. 21. paragr. Quarto.

VI.

Quemadmodum verò de veteri Testamento factum vidimus: ita etiam è Novo, priùs quidem adstruunt Angelorum invocationem, exinde autem *d* sanctos, ut qui ἰσάγγελοι dicantur *e* in Scripturis, invocandos esse concludunt De Angelis quod dicunt, probare conantur ex Apocal. viii. 3. 4. *Alius angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum, de orationibus Sanctorum de manu angeli coram Deo.* Quo loco etiam pugnat Peresius Aiala *f*. Atque addit, *Hic locus est tam clarus, ut expositione alia non indigeat.* Atqui non aliud hinc colligi potest, quàm orationes nostras ab angelis offerri Deo, atque ab iisdem exauditionis nuncium interdum afferri: quod etiam docemur Dan. ix. 22. & x. 12. Tob. xii. 15. Luc. i. 13. Act. x. 4. Quamquam & in hoc Apocalypseos loco, cum Primasio, & aliis, per Angelum possumus intelligere Christum, qui vultui Dei pro nobis apparet, ac per quem Deo sacrificia laudis offerimus, ut est Hebr. xiii. 15.

d Alanus Copus dialogo 3 fol. 139
e Luc 20. 36.
f De Tradit. part. 3. cap. de cultu sanctor. fol. 101.

VII.

Sed plus fortasse coloris habet, quando idem conantur comprobare exemplo Johannis Evangelistæ; qui ut est Apoc. xix. 10. cecidit adoraturus Angelum. Quærit itaque Bellarminus, meliusne nos Iohanne sciamus, an Angeli sint invocandi: quomodo & olim Angelicos fuisse argumentatos verisimile est. Sed similiter quærant Christum abnegantes, an melius nos Apostolo Petro sciamus, num Christus sit abnegandus. Nam uti illud Petri à Christo, ita & Iohannis factum ab Angelo improbatur. Quare rectius à Bellarmino quæramus, meliusne, an invocandi sint Angeli, ipso sciant Angelo, qui vetuit, ne Iohannes hoc faceret; & rationem addit, *Conservus enim tuus sum.* Nec quia postea, cap. nempe xxii. 8. invocasse Angelum dicitur Iohannes, ideò audiendus Bellarminus, cùm dicit, & Ioannem, & Angelum rectè fecisse; illum offerendo honorem convenientem, hunc negando: illud officii fuisse, hoc modestiæ. Nec enim idem, sed alius Angelus fuit. Ideoque quemadmodum primò Angelum adorare voluit Iohannes, eò quòd Angelum hunc non creatum Angelum, sed Christum ipsum esse arbitraretur: ita secundò quoque potuit judicare, quia etsi primus Angelus creatus erat, secundus tamen increatus esse poterat. Deinde, ut hoc non esset, quid prohibet dicere, secundò etiam infirmitate peccasse? Quemadmodum enim sæpiùs Christum abnegavit Petrus, ita & secundò Angelum creatum invocare potuit Iohannes. Et sanè honorem eum non deberi Sanctis, qui à Iohanne præbebatur Angelo, eum enim detulisse honorem soli Deo debitum, disertim agnoscit Catechismus Tridentinus *a*: eademque sententia Baronii Tom. 1. Annal. ad annum lx *b*, ubi de Angelicorum hæresi tractat: & Gregorii de Valentiâ, lib. 1. de idololatriâ, c. iv. multorumque aliorum *c*, uti & è Scholasticis, Thomæ Aquin. secunda secundæ, Quæst. lxxxiv. & è veteribus Augustini de Religione cap. lv. & lib. xx. contra Faustum Manichæum cap. xxi. Sed de veterum testimoniis videbimus separatim.

a In explicat. præcept. 1.
b P. 601. ed. Mor. an 1612.
c Institutionis Christianæ jussu concilii Moguntini provincialis edita ann. 1549. Item Costeri Enchirid. cap. 21. solut. object. 7.

VIII.

Atque hæc non obscurè docent, non minùs Pontificios frustra esse, cùm ex novo instrumento probare conantur, à Christianis rectè invocari sanctos, quam cùm iidem ex veteri aut Novo Testamento factum id probant à populo Iudaico. Nec desunt è Pontificiis, qui hac parte non multum nobis repugnent. Sed uti de populo Iudaico, ita etiam effugium quærunt de Christiano. Nam cur de eo nihil scribant Apostoli & Evangelistæ, hanc rationem adserunt, quòd ob proclivem lapsum in idololatriam metuerent gentibus, quibus Evangelium annunciari oportebat. *Sub Evangelio,* inquit Eccius *d*, *non fuit præcepta, ne gentiles conversi crederent, se iterum induci ad cultum terrigenarum, ac pro veteri more sanctos, non ut patronos, sed ut Deos adorarent, sicut Lycaonici Paulo & Barnabæ sacrificare volebant*, Actor. xiv. Similiter Alanus Copus dial. iii. *e*. *Nec desunt caussæ, cur Scriptura disertam mentionem hujus Invocationis non faciant, aut saltem expressis verbis eam non præcipiant: veteris quidem testamenti, quia adhuc Beatorum animæ non erant in cœlum receptæ: novi vero, quia nondum erat tempus in ipsius fidei exordiis, cum mundo doctrinam divulgandi, ne gentiles arbitrarentur plures nos Deos colere.* Sed quam nullius hæc momenti sint, docere potest, quod non solum gentibus convertendis, verùm etiam jam conversis, ab invocatione Sanctorum periculum fuit: uti apertissima Romanæ Ecclesiæ superstitio ostendit, de qua nonnulli etiam Pontificiorum conqueruntur. Uti Lud. Vives notis in August. de Civ. Dei lib. viii. cap. ult. *Multi Christiani Divos, divasque non aliter venerantur, quàm Deum, nec video in multis, quod sit discrimen inter illorum opinionem de Sanctis, & id quod gentiles putabant de Diis suis.* Etiam subindicat Sadoletus lib. iv. epist. 11. ad Erasmum: *Quod nimium est, subaccusari posse videtur, cujusmodi est quorundam Sanctorum veneratio, & picturarum crebritas.* Apertiùs Wicelius commentariolo *f* pro intercessione Sanctorum: *Utinam vulgus fidelium errore liberaretur, quo hactenus præsidio Sanctorum plus fisus est, quam Deo suo.*

d In Enchir. Loc. Comm. in ed. 1. Alexandri Weissenhorn. Sed edit. Colon. Heronis Alopecii verba & hic & infra citandis variat, mentem tamen retinet.
e Fol. 139.
f Adversus homilias Wicelii Lipsiæ editas an. 1538.

Alte-

IX.

Alteram etiam rationem idem Eccius *a* adjungit. *Si, inquit, Apostoli & Evangelistæ docuissent, sanctos venerandos, arrogantiæ iis datum fuisset, ac si ipsi post mortem gloriam illam quæsivissent. Noluit ergo Spiritus Sanctus expressis Scripturis docere venerationem Sanctorum.* Eandemque rationem adducit Alanus Copus dialog. III *b*. At caussam longe aliam adfert Augustinus contra epist. Parmeniani lib. II. cap. VIII. *Si vero ita diceret, Hoc scripsi vobis ut non peccetis, & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud patrem, ego exoro pro peccatis vestris. Sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum: quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur?* Adhæc si nemo superstitum de se hoc voluit monere, saltem monuissent de defunctis: siquidem Stephanus, Jacobus, alii, statim ab obitu Domini fuerunt interempti: quos nec Apostoli invocant usquam, nec invocandos monent. Saltem etiam de Virgine Mariâ monuisset Johannes, qui ei diutissimè supervixit: si non fusè hac de re agere voluisset, saltem verbo attigisset, ne tam pia, uti vocant, devotio periret.

a Loco supr. ibid. citato.
b Fol. 239.

X.

Hactenus commonstravimus, quàm densis, sed parùm fortibus armis, decertare soleant Pontificii, ut expugnent argumentum illud invictissimum, quod invocatio sanctorum nullo Scripturæ mandato, vel promissione, vel exemplo, ac ne comminatione quidem, si omittatur, vel etiam comminationis exemplo comprobetur. Nunc videamus, ut in aciem progrediantur, quò argumenta cætera debellent. Sunt verò arma, quæ expediunt, triplicia. Et aliis quidem probare contendunt, scire sanctos in cœlis, singulares hominum casus in terris; ac proinde vel intercessione, vel etiam gratiæ collatione, juvare eos velle, & posse: aliis, ut ostendant, nihil per eam divinæ gloriæ derogari: aliis denique, ut evincant, non esse eam injuriam officio Christi mediatoris.

XI.

Ordiemur à primis illis, quibus refellere conantur, quod diximus, sanctos in cœlis nescire particulares hominum casus, eòque utiliter invocari minimè posse. Duo autem sunt, quæ potissimùm obducunt *c*: unum, de Angelis; alterum, de Sanctis in terris; unde sanctorum in cœlis parem esse rationem conjectant. Ac de prioribus quidem ita disserunt. Angelus, de quo legimus Act. X. 4. nôrat eleemosynas & orationes Cornelii: & Zach. I. 12. scit Angelus, annum adesse septuagesimum: ac Lucæ XV. 7. gaudere dicitur Angelos in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente. Jam verò, inquiunt, Luc. XX. 36. dicuntur beati fore *ἰσάγγελοι*. Unde colligunt, non minùs animas beatas, quàm Angelos, scire, quæ gerantur in terris. Verùm quod de nostri atque Angelorum similitudine post hanc vitam dicitur, id virtutum, non officii ratione intelligi debet. Nôsse autem, quæ singulatim homines, vel agant, vel patiantur, non pertinet ad officium beatarum animarum, quæ à laboribus suis requiescunt, inque solo Deo laudando occupantur: sed munus spectat Angelorum, qui administratorii spiritus à divino ad Hebræos *d* scriptore dicuntur, eo quòd ad ministrandum fidelibus mittantur: de quibus etiam illud Psalm. XCI. 11. legitur, *Angelis suis mandabit de te, &c.* Et sanè beatos in cœlo res hominum nescire, etiam Augustinus *e* probat ex Esaiæ. LX. 3. 16. & 2 Reg. XXII. 20.

c Clingius lib. 4. cap. 44.
d Cap. 1. 7.
e Lib. de curâ pro mortuis cap. 13.

XII.

Alterum argumentum peti dicebamus à Sanctis in terris, uti *a* quòd 2 Reg. V. 26. Elisæus cognoscit, quid Gehasi dixerit, atque egerit: quòd idem, ut legimus cap. seq. *b* sciverit omnia, quæ Rex Syriæ secretò in conclavi suo consultâsset: quòd item Daniel, cap. II. 30. prophetiæ suæ, noverit visionem Nabuchodonosori, quæ ipsi exciderat: nec desunt, qui validè hoc comprobari putent è Lucæ XVI. 29. ubi Abraham nominat Mosen & Prophetas. Sed postremum hoc ab eâ narrationis parte est, quà parabolica est: nec si ab historiâ esset, inde consequeretur, cognitum ab Abrahamo fuisse Mosem, aut Prophetas, cùm adhuc in terris essent. Quod verò ad Elisæum ac Danielem, hoc extraordinariæ erat vocationis. Sancti verò in cœlis nec ordinariam, nec extraordinariam istiusmodi vocationem habent. Non quidem negamus, posse Deum etiam particulares hujusmodi mortalium actus beatis animabus revelare: sed non ex potentiâ, verùm Dei voluntate, de eventis judicari debet. Nam ut est Psalm. CXXXV. 6. *Deus facit, quæcunque vult, in cœlo, & in terrâ, in mari, & omnibus abyssis.* Potentia igitur voluntate Dei limitatur: voluntas autem Dei ex Verbo cognosci debet: at Verbum nusquam docet, Deum Sanctis necessitates, & preces nostras indicare. Imò contrarium ex eo potiùs ostendi potest, ut antea vidimus.

a Facultas Theol. Coloniensis adversus Monhem. dialog. 6. Renatus Benedictus panopliæ fol. 36. Costerus in Enchir. cap. 22. paragr. Secunda propositio.
b Vers. 12.

XIII.

Deinceps gradum capessamus ad Pontificiorum *κρησφύγετα*, ac distinctiunculas, quibus probare conantur, invocatione Sanctorum nullam fieri injuriam Deo. Respondet enim Canisii Catechesis, *invocari Sanctos, non ut Deum creatorem, sed ut dilectissimos Dei amicos.* sive, ut Catechesis Austriaca habet, *non uti Deos, Ethnicorum more, neque perinde ac Deum sanctum sanctorum; sed longe inferiore modo ac gradu, velut amicos Dei, &c.* Verùm cautio hæc parùm est cauta; quia protestatio facto est contraria. Nam hoc ipso, quòd invocant Sanctos, tanquam qui sciant cogitationes humanas, semperque gemitus veros à simulatis possint discernere, ostendunt se sanctos ex parte invocare, tanquam qui creaturæ sortem excedant, gloriamque eam participent, quàm se Deus homini ulli dare velle negat *c*.

c Esa. 42. 8.

XIV.

Neque ignoro, ut scripserit Guilielmus Fabricius, Pontificius & Archiducalis librorum censor *d*: *Deum, quod sibi divinitatis & omnipotentiæ jure est proprium, non modo Deiparæ & sanctis; verum etiam, quod mirabilius est, eorum imaginibus communicare dignatum esse.* Verùm hæc pro planè impiis ducimus. Sanè invocatio, qualem dixi, planè Dei propria est, ac prorsus incommunicabilis, eòque gloriæ divinæ derogat, si secundùm ullum, vel modum, vel gradum, communicetur sanctis.

d In approbatione Divæ virginis Hallensis à Justo Lipsio scriptæ.

XV.

Nempe uti in conjugio concubitus, ita invocatio religiosa in divino se cultu habet. At mulier, si cum alieno marito concumbens, eo se tueatur, quod non consuescat cum illo, tanquam cum marito; sed adfectu quodam inferiore, puta ut cum amico mariti; non eo culpam detergat, sed impudicitiæ addat crimen impudentiæ. Nihilò igitur magis spiritualis scortationis culpam tollit, quòd Pontificii Sanctis religiosam se invocationem præstare dicunt, sed non ut Deo, verùm tanquam Dei amicis.

XVI.

Tamen ſententiæ iſti ſuæ patrocinium ex Scripturis ipſis quærit Bellarminus lib. 1. de invocat. Sanct. cap. XVII. ubi cum dixiſſet, bifariam invocari ſanctos, vel ut Deum, vel ut amicos Dei, ac prius tantùm literis ſacris adverſari, mox mantelo ejuſmodi dogma iſtoc palliat. Quemadmodum nos in Deum tantummodo credendum, eóque hunc ſolum invocandum probamus ex illo ad Rom. x. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* ita ille in Sanctos quoque credendum, eóque ſecundùm gradum quendam, hos etiam invocandos, probat ex illo ad Philem. verſ. 5. *Audiens tuam charitatem & fidem, quam habes ad Dominum Jeſum, & in omnes Sanctos.* Similiter diſſertaverat Hoſius in Confeſſione Petricovienſi *a*, Sed non videt uterque charitatem & fidem, κατ' ὑστέρωσιν, Hebræorum more, referri hoc ad Chriſtum, illud ad Sanctos, nempe Chriſtianos egenos & afflictos. Sanè tantum abeſt, ut probemus fidem in ſingulos Sanctos, ut cum Auguſtino *b* credendum negemus in Eccleſiam ipſam: quippe quæ, ut rectè ibidem dicitur, Dei quidem ſit domus, Deus verò non ſit.

a Fol 110. edit. oper. Antverp. an 1571.

b Tom. 10. ſerm. 131. quæ eſt de expoſitione ſymboli.

XVII.

Atque ex his etiam planum fit, quid judicii ferri debeat, de ſimili commento: iſto nempe. Triplicem faciunt excellentiam, divinam, civilem, ac mediam: & exinde colligunt, triplicem eſſe adorationem: quarum primam vocant Latriam, quæ debeatur Deo ob perfectionem divinam: alteram Civilem, quæ principibus, præceptoribus, viriſque præſtantibus, ſive ob naturalem excellentiam, ſive ob terrenam dignitatem, exhibeatur: tertiam, Duliam, quæ ſanctis præſtetur ob gratiam ſupernaturalem, aut gloriam. Præterea Duliam dividunt in Duliam propriè dictam, & Hyperduliam: hanc Virgini Mariæ, illam reliquis tribuunt Sanctis. Sed eo peccat hæc diſtinctio, quod cultum Regi, ac beatis animabus præſtandum, ſpecie ſtatuat differre, cùm non differat niſi gradu; quemadmodum nec honos, qui Mariæ, quique cæteris Sanctis præſtatur, aliter quàm gradu, diſcriminantur.

XVIII.

De vocibus verò nolumus cum Pontificiis rixari. Diſcrimen quidem vocabulorum λατρείας, & δουλείας, quo illa uni Deo: hæc creaturis etiam dicitur convenire, nec in Scripturis ſanctis, nec in ſcriptoribus claſſicis obſervatur, ut etiam Valla *c*, Vives *d*, aliique agnoſcunt. Imò δουλείας vox, niſi eam μετὰ διορισμοῦ ſumamus, ſanctis minus, quàm Deo competit, quia ratione cultus religioſi non creaturæ, ſed Dei δοῦλοι ſumus: quemadmodum ex Pontificiis Pereſius *e* agnovit, fruſtra id culpante Bellarmino *f*. Nihilominus tamen eos, qui diſtinctionem hanc probant, minimè improbamus, partim quia vitanda eſt viro prudenti omnis λογομαχία: partim quia nec inutile videtur, ſi cultibus toto genere differentibus, qualis eſt Dei & creaturæ, ad ὁμωνυμίαν vitandam diverſa imponantur nomina: partim denique, quia nec ab ea abhorruit Auguſtinus *g*: ne quis Damaſcenum, Bedam, vel eos, qui Concilio Nicæno ſecundo interfuerunt, hanc diſtinctionem primos fabricaſſe putet. Nec idcirco prævaricamur, vel Pontificiorum cauſſam juvamus quicquam, quia, (ut Calvinus *h* hac de diſtinctione agens agnoſcit) *de re, non de voce quæſtio eſt.* Nempe hoc eſt, quod in Pontificiis damnamus, quod cultum ſuum Deo illibatum non ſervant; ſed divinum honorem magnâ parte transſcribunt ſanctis, eóque idololatræ ſunt, cùm non δουλείαν, ſed λατρείαν preſsè ſic dictam, exhibeant ſanctis. Quippe qui eos invocent,

c Annot. in Matth. cap 4.
d In Auguſtin. lib. 10. de Civ. Dei cap. 1.
e De tradit. part. 3. conſiderat 7.
f Lib. 1. de beatit. ſanctor. cap. 12.
g Lib. 1. ſuper Geneſin qu. 61. & in Exod. lib. 2 quæſt. 94. & in Levit. lib. 3 quæſt. 66. & lib. 10. de C Dei cap. 1. & lib. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 21.
h Lib. 1. cap 12. paragr. 2.

tanquam qui uno momento tam multas, tam diſſitas, tam diſſentientes preces percipiant, & ita percipiant, ut veras à ſimulatis ubique & ſemper exquiſitè diſcernant.

XIX.

Poſtremò conantur Pontificii *a* oſtendere, invocationem Sanctorum nihil derogare gloriæ Chriſti mediatoris. Cùm enim duæ ſint mediatorii officii partes, meritum ſive propitiatio, & deprecatio ſive interceſſio: prius quidem fatentur ſolius eſſe Chriſti; alterum verò cum Sanctis commune ei eſſe volunt. Verùm Scripturæ uni Chriſto tribuunt officium Mediatoris atque advocati: ut Tim. II. 5. Rom. VIII. 24. & 1 Joh. II. 1.

a Clingius Lib. 4. cap. 42. Inſtitutio Concilii provincialis Moguntini cap. de Invocat. ſanct. Alanus Copus dialog. 3. pag. 239.

XX.

Ictum hunc exire ſe Pontificii poſſe arbitrantur, ſi dicant, unum ſe agnoſcere interceſſorem, qui ἀμέσως preces noſtras offert Deo Patri: ſed plures ſtatuere, qui apud Chriſtum pro nobis intercedant: quales cùm Chriſto ſubordinentur, neutiquam poſſint gloriæ Chriſti derogare. Sed ſic quoque gloriam Chriſti imminuunt erunt. Nam plurimum detrahunt benevolo ejus affectui erga nos: quem nobis deſcribit ſcriptor ad Hebr. IV. 15. *Non habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia juxta ſimilitudinem abſque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut accipiamus miſericordiam, & gratiam inveniamus in auxilium opportunum.*

XXI.

Præterea interceſſio iſtæc, contrà quàm videri volunt, non ſubordinata, ſed collateralis eo ipſo ſtatuitur, quòd credant, ſanctos eſſe promeritos, ut exaudirentur: tum item quòd non exauditionem ſolum meruiſſe arbitrentur, ſed etiam ea quæ petimus, conferendi poteſtatem. Itaque quicquid in Pſalmis, vel Deo aſſignatur, vel Chriſto, id in pſalterio Virginis Mariæ τῇ Θεοτόκῳ Virgini tribuere veritus non eſt Bonaventura. Illud quoque æqualitatem indicat, quod (quemadmodum etiam ex picturâ in Sylvæ-ducenſi templo ab Epiſcopo Maſio conſtitutâ apparet) dubitare ſe profiteantur, utrùm ad ubera Virginis Mariæ, an ad ſanguinem Chriſti ſit recurrendum. Quid quod etiam Sanctos Chriſtu ac Deo Patri præferant interdum? ut cum in Cantico Romanæ Eccleſiæ dicitur, *O felix puerpera, Noſtra pians ſcelera, Jure matris impera Redemtori.* Item cùm dicunt, Deum, ſic diſtribuiſſe regnum ſuum, ut Mariæ tribuerit miſericordiam, juſtitia ſibi reſervatâ: item cùm docent, à foro juſtitiæ Patris ad forum gratiæ Mariæ eſſe provocandum: quemadmodum ſcribunt Gabriel Biel in Can. Miſſæ. lect. LXXX *b*. & Bernardinus de Buſtis in Mariali ſuo ſerm. III. Multaque ejuſdem monetæ legere eſt apud alios quamplurimos: etiam eos, qui quotidie prodeunt in lucem. Uti quod nuper ſcripſit Jo. Wilkinſonus, in Teſtimonio de ſpicâ Miraculosâ, apud Andream Eudæmona, Apologiâ pro Garneto *c*: *Quo tempore contigit, ut P. Hollando, Societatis Jeſu ſacerdoti, quocum per id tempus fortè verſabar, de rebus piis, beatique patris Garneti morte, diſſerenti, omnino ſtatuerim, Beatiſſima Deipara Virginis opem ac preces (quas P. Garnetus, fugiente jam ſpiritu, ſuppliciter imploravit)* ARTEM *eſſe* UNICAM, *ad Numen, humano ſcelere graviter commotum, dicto citius tranquillandum.* Cui geminum illud aliquanto antiquioris monetæ in Hortulo animæ: *Ad te hodie, ô* UNICA *ſpes miſerorum confugio &c.*

b Fol. 233. col. 1.

c Fol. 357. edit. Colon. 1610.

XXII.

Illo quoque argumento pugnat cum aliis Bellarminus *d*, quòd Jacob. V. 16. legamus. *Orate pro vobis invicem,*

d Ejuſdem Lib. cap. 19. & alibi.

tem, ut salvemini. Multùm enim valet deprecatio justi efficax. Et apud Paulum Rom. xv. 30. *Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus ad Deum.* Sic Eph. vi. 18, 19. & 1 Thess. v. 25. & 2 Thess. iii. 3. & Coloss. iv. 3. & 1 Tim. ii. 1. & Hebr. xiii. 18. Ac possunt similia depromi de veteri instrumento. Ut quòd Abraham pro Sodomitis, Gen. xviii. 25. Moses pro Israelitis intercessit, Psal. cvi. 23. Clarè etiam scriptum Gen. xx. 7. *Orabit pro te, est enim propheta, & vives.* Et Job. xlii. 8. *Ite ad servum meum Iob, & orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia.* Et 1 Sam. vii. 8. filii Israel dicunt Samueli: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Et Ezech. xxii. 30. Deus inquit: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terrâ, ne dissiparem eam & non inveni.* Quæ loca indicant, Deum ipsum velle, ut Sancti pro aliis intercedant. Nec vel Bellarminus, vel alii, non vident, loqui hæc testimonia de vivorum oratione in hac vitâ: sed respondent, colligi hinc posse, si compellatio vivorum non deroget quicquam gloriæ Christi mediatoris, nec illi detrahi aliquid alloquio beatarum animarum, quia non alio ad eas animo orationem promant, quàm facerent, si præstò forent. Sed argumentum hoc multifariam extra orbitam currit. Nam interpellatione vivorum poscimus aliquid a casuum nostrorum gnaris: qui verò mortuos interpellant, petunt aliquid à rerum nostratum ignatis: qui præsentes orant, nihil illis tribuunt aliud, quàm quod audire eos possint, quibus coram adsunt; qui beatas invocant animas, largiuntur eis vim absentes exaudiendi, & quidem eodem momento penè infinitos, ac tum locorum intervallo longissimè dissitos, tum votorum naturâ maximè dissidentes, quod nulli convenit creaturæ. Præterea præsentes invocantur, ut conservi; sancti in cœlis tanquam medii inter Deum & homines. Denique si vel eos compellarent, quomodo præsentes orandos putant: sic quoque gloriæ Christi derogaretur, quia ab iis rogantur, tanquam qui promeriti sint exauditionem, quod uni convenit Christo.

XXIII.

Vidimus quam infirma sint, quæcunque à Pontificiis afferri solent, ad infringendam vim argumentorum, quibus Sanctorum invocatio oppugnatur. Nunc mantissæ loco adjiciemus ratiunculas quasdam Pontificiorum, quibus Sanctorum adstruere invocationem conantur. Ac primò inquiunt; quemadmodum in Regum aulis, non rectâ ad Principem itur; sed adeundi sunt primùm, qui apud Principem sunt in auctoritate: itidem non rectâ nobis adeundum Deum, sed per Sanctos ei preces nostras offerendas. Verùm ex humanis moribus de moribus divinis colligi nihil potest: juxta illud Hos. xi. 9. *Deus sum, & non homo*, & Es. lv. 8. 9. *Non enim cogitationes meæ sunt cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Sed quemadmodum cœli terrâ sublimiores sunt, ita excedunt viæ meæ vias vestras, & cogitationes meæ cogitationes vestras.* Ajunt & 2 Sam. xiv. Absolonem patri reconciliatum, non statim admissum esse in ejus conspectum; sed biennio integro se domi continuisse, nec vidisse faciem Regis, nisi beneficio Joabi intercedentis. Addunt item, Adoniam, quo Abisagen à Salomone impetraret, usum Bathsebæ intercessione apud Regem, atque hanc à Rege ad dexteram collocatam. Verùm non ex ratione sæculi, sed verbo Dei, de voluntate divinâ debet judicari.

XXIV.

Ficulno æquè argumento pudendum hunc errorem tegere conantur *a*, cum ex unione mystici corporis Christi colligunt Sanctorum in cœlis sollicitudinem pro Sanctis in terris, indeque & illorum pro his intercessionem, & eorundem ab his invocationem probant. Nam præsentes quidem, & singularium malorum gnari eorum sensu afficiuntur singulariter, &, ut afficiuntur, ita Deum orant: at absentes & singularium casuum ignari, ut non tanguntur sensu malorum singulari, sed tantummodo naturæ consensu communi, ita nec pro afflictione singulatim, sed tantùm communiter Deum orant.

a Antididagma Coloniense fol. 38. Bellarminus lib. 1. de beatit. Sanct. cap. 18.

XXV.

Conantur quoque Pontificii probare, gratam acceptamque Deo esse invocationem Sanctorum, quia id miraculis *b* ad Sanctorum memorias sæpè sit testatus. Ita Bellarm. lib. 1. de Beatit. Sanct. cap. xx. ait, *certum esse, ex tot miraculis, non frustra invocari Sanctos, etiamsi daret eos non audire, neque cognoscere nostras preces. Nam aliquem eorum vice fungi &c.* Nempe censet Bellarminus, valere idem apud nos debere miracula, quod expressum Dei mandatum: sed multum fallitur. Nam quicquid miraculorum factum fuit ad invocationem Sanctorum confirmandam, id seu libris perscriptum, seu fama perlatum, seu sensu compertum, omninò istiusmodi est, ut fidei nostræ fulcimentum esse non possit: partim quia istiusmodi relationes falsò, vel scriptis, vel famâ proditæ videri possint (omnis enim homo mendax) partim quia præmoniti sumus à Spiritu Sancto, adventum Antichristi fore secundùm operationem Satanæ, cum omni potentiâ, & signis, ac prodigiis mendacibus, 2 Thess. ii. 9. 10. Nec iccirco statuimus, miracula omnia, quæ veteres ad martyrum memorias facta dicunt, vel mendacia, vel præstigias fuisse: sed ex variis, quæ narrantur, illa solùm pro veris habemus, quæ ad Evangelium Christi confirmandum, Ecclesiamque ejus ædificandam, conducunt. Hunc enim verum esse miraculorum finem, discimus ex Marc. ult. & Joh. xx. Atque ex his Pontificiorum κενοφωνίαις, distinctiunculis, argumentis, liquet, quæ ad propugnandam Sanctorum invocationem ab iis dicuntur, nihil aliud esse, quàm funiculos ex arenâ contextos; ut de hæreticorum argumentis loquitur Irenæus *c*.

b Institut. Christ. Concil. provinc. Mogunt. an. 1549. cap. de invocat. sanct.

c Lib. 1. cap. 1. pag. 33. edition. Feuard.

DISPU-

DISPUTATIO UNDECIMA
SIVE
THESES HISTORICÆ
DE
INVOCATIONE SANCTORUM.

Thesis I.

Ut Apostolicis temporibus, ita etiam seu quiseculo post, hoc est ad Origenis usque & Cypriani ætatem, non religiosa alius invocatio nota erat, quàm solius Dei: non singularis alius intercessio in cœlis, quàm unius Christi.

Testes nobis Ignatius, Justinus, Athenagoras, Tatianus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & ii quorum fragmenta, tanquam reliquias quasdam aurei generis, Eusebius nobis conservavit. Universi enim Deum in Christo invocandum docent, nec reperias in iis quicquam, quod huic sententiæ obsit, imò nihil, quod non prosit. Verùm quia à præsentis instituti naturâ alienum est, ut vacemus tot testibus audiendis: nunc potiùs testimonium adducam, non singularis doctoris, sed multorum fratrum Smyrnensium, qui nomine Ecclesiæ suæ scriberent: & quidem Ecclesiæ ejus quæ hactenus audîsset B. Polycarpum Martyrem, ipsum B. Johannis discipulum, & quem huic Ecclesiæ Johannes præfecisset *a*. Sic igitur illi in literis, quibus ad Ponti Ecclesias doctoris sui Polycarpi martyrium fideliter describunt: uti apud Eusebium lib. IV. Hist Eccles. cap. XIV. *b* videre est: *Certi homines Nicetem commonebant, ut præsidem exoraret, ne corpus Polycarpi cuiquam daret, ne Christiani, inquiebant, crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant. At illud quidem miseri penitus ignorabant, non posse nos aliquando in animum inducere, ut vel deseramus Christum, qui passus pro omnibus toto orbe salvandis, vel alium quempiam colamus.* (ὅτε ἕτερόν τινα σέβειν) *Illum enim, qui Dei filius est, adoramus,* (προσκυνοῦμεν) *martyres autem, ut discipulos & imitatores Domini meritò diligimus,* (ἀγαπῶμεν ἀξίως) *propter incredibilem eorum benevolentiam erga proprium regem & magistrum, quorum utinam & nos consortes & discipuli fiamus.* (ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ μαθητὰς γενέσθαι) Paullò etiam pòst clariùs explicant, cujusmodi honorem habere soleant sanctis defunctis. *Postea,* inquiunt, *ossa ejus potiora lapillis pretiosis, auroque puriora collecta a nobis istic loci reposuimus, ubi consentaneum erat. Ubi sane nobis aliquando in unum coactis, Dominus præstabit, ut celebrem ejus martyrii natalem cum exultatione & gaudio, quantum fieri potest, maximo recolamus: idque cum ad athletarum istorum memoriam, tum ad eorum exercitationem & præparationem, qui postea certamen hujusmodi sunt subituri.* εἴς τε τὴν τῶν προηθληκότων μνήμην καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν. Ex priori illâ περικοπῇ discimus, primævam illam simplicem antiquitatem solere martyres ἀγαπᾶν, quomodo & societatis ac dilectionis cultum iis tribuit Augustinus: *a* non verò προσκυνεῖν, sive adorare, non σέβειν sive *colere*, ut benè Rufinus hic loci vertit, pro quo *colere ut Deum* maluit Christophorsonus, interpres & hic & alibi passim infidus: ut de eo quoque in animadversionibus Eusebianis censet Jos. Scal. Altera verò περικοπῇ docet nos, honorem quem Apostolorum discipuli, vel qui hos audissent, præstare martyribus soleant, in eo fuisse situm, quod corpora illorum cineresve terrâ conderent, ac natali, hoc est, mortuali illorum die, ibidem loci (cœmiteria enim præcipua veterum Christianorum templa erant: ut Onuphrius *b* quoque observat) certamina ipsorum panegyri celebrarent: nempe quo præsentes hac ratione ossibus ac cineribus ipsis ad imitationem eorum vehementiùs inflammarentur.

Adversus hæc Pamelius *c* obtendit, Anacleti decretalem tertiam: quasi non etiam Nicolai Cusani Cardinalis *d* Antonii Contii JC. *e*, aliorumque confessione epistolas ejus suppositias esse jam diu constaret. Dionysius Pontificios nil juvat: & quid de eo sentiendum sit, etiam ex Vallâ *f*, Cajetano *g*, Erasmo *h*, Rhodigino *i*, aliis, disci potest. De Justino, quem angelorum cultum agnovisse dicunt, fefellit eos interpretatio Perionii. Verba ejus hæc sunt Apol. 2. *k* τὸν πατέρα καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν. Locus memorabilis pro invocatione S. Trinitatis. Sed de angelis istic nihil, nisi quod (quæ verba brevitatis causa non apposuimus) in filii elogio παρενθετικῶς addit, ut nos, ita angelorum instruxisse exercitum. Verum si Justinus idcirco angelos credidisset invocandos, saltem extremo memorasset loco, non inter patrem & filium medios collocasset. Quocirca Bellarminus *l* provocare maluit ad Irenæum, quia is lib. v. cap. XVI. *m* (quo in loco mirè se torquet Gallasius *n*) Mariam dicat fuisse Evæ advocatam. At cui verisimile fiat hoc Irenæum unquam scripsisse, eâ saltem mente, qua vult Bellarminus? quippe seu Eva statim post obitum, sive, ut Patres censent, demum cum Christo in cœlum translata fuit, sanè multo ante Mariam in cœlum fuerit translata. Sed sine dubio παράκλητον scripserat Irenæus, quæ vox cum consolatricem hic significaret (solatium enim Evæ post peccatum, promissumque Salvatorem in Mariâ Virgine fuisse dici potest; non quidem καθ' αὑτὴν, sed κατὰ μετωνυμίαν ἢ συνεκδοχὴν, quà salutaris ἐνανθρωπήσεως organum futura erat) vetus interpres advocatam vertit: quomodo & Tertullianus *o* ac Novatianus aliquoties *p* Christum dicunt apud Joannem *q*, discipulis promittere alium advocatum, cum advocati appellatio magis conveniat Christo, consolatoris autem Spiritui Sancto.

a Irenæus Lib. 3. c. 3.
b Lat. fol Gr. 15. fol. 39. edit. R. St.

a Lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21.
b De cœmiteriis cap. 11.
c In epist. Cypr. 17.
d De concord. Catho. l. 2. cap. 34. p. 771.
e 6. q. 1. c. Beatus.
f In Act. 17.
g Ibid.
h Præfat. paraphr. in 1 Cor. & Schol. in Hieron. de Eccles. script. & declarat. ad Cens. Paris. tit. 31. declarat. 91.
i Lib. 2. ant. lect. cap. 3.
k P. 43. edition. Commel.
l Lib. 1. de beatit. sanct. cap. 19.
m Ex vulgari distinct. sed Feuardentiana ed. cap. 19.
n Annot. in Iren.
o Adversus Praxeam c. 9.
p De Trinit. cap. 28. & 29.
q 14. 16.

II. Tem-

II.

Tempore verò Origenis & Cypriani, hoc est circa annum Domini CCL. particularis intercessionis dogma in Ecclesiam invehi cœpit. Atque is primus erroris gradus fuit.

Cùm antea non alias mortuorum preces pro vivis sciret Ecclesia Dei, quàm quæ communiter fierent pro Ecclesiæ corpore; circa annum Domini CCXL. opinio quorundam fuit, orantibus nobis sanctos in cœlis preces suas sociare nostris. Quodque meritò suspectum esse debet, primus apud quem hoc legere sit, Origenes est, bonus scripturarum interpres, malus dogmatistes: ut rectè de eo judicabat Hieronymus *a*. Prælustrem ejus locum adferam è lib. VIII. adversus Celsum *b*. Οἱ ἄγγελοι καὶ ψυχαὶ, καὶ πνεύματα συναισθάνονται τῶν ἀξίων τῆς τοῦ Θεοῦ εὐμενείας &c. *ANGELI c, ANIMÆ ET SPIRITUS SENTIUNT qui sint digni favore cœlestis numinis: quibus non solum ipsi bene volunt, verùm etiam dant operam, ut Deum eis servire volentibus concilient, & UNA NOBISCUM PRECANTUR* (συνεύχονται) &c. Sed rectè facit Origenes, quod dogma hoc, cum è scripturis firmare non posset, à seniore quodam se didicisse ingenuè fatetur in Iol. homil. XVI. Illud item quo loco haberi debeat, ostendit, quod in epist. ad Rom. lib. II. cap. II. utrum animæ ad angelorum similitudinem laborent, refert non inter fidei capita, sed dogmata ἀπόῤῥητα, atque ut ipse loquitur, *inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria*. Atque hæc quidem Origenis sententia fuit. Nec multo alia mens Cypriani erat, ut ostendunt hæc ejus verba lib. de Mortalitate: *Frequens nos illic turba desiderat, de suâ immortalitate secura, & adhuc de nostrâ incolumitate sollicita.* Quin idem etiam ulterius progressus fuit: ut qui nec sanctos, sed tamen non alios quam superstites, orare dubitarit, ut si priores ex hac vitâ vocarentur, vivorum apud Dominum memores esse vellent: quemadmodum & sese, si prior discederet, facturum ultro recipiebat. Sic enim ille epist. LVII. quæ ad Cornelium Papam: *Si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Atque hæc opinio propiùs etiam ad sanctorum invocationem muniit viam.

a *Penè initio epist. ad Pammachium & Oceanum: item apolog. adversus Ruffinum ultra medium.*
b P. 432. & 433.
c P. 427. *Lat. translat. edition. August.*

III.

Non tamen vel horum alter, vel quisquam his ætate par vel etiam ætati horum suppar, aut sanctorum quenquam invocat ipse, aut invocandum tradit, aut invocatum narrat: sed in universi orbis Ecclesiis solus adhuc in Christo invocabatur Deus; etiam in Ecclesiâ ipsâ Romanâ.

Optimè Origenes lib. v. adversus Celsum *d*: *Omnia vota, omnes interpellationes, deprecationes & gratiarum actiones destinanda sunt ad Deum rerum omnium Dominum, per majorem omnibus angelis summum Pontificem, vivum verbum & Deum.* Sed Pontificii adversùs hunc Origenis, & similia Cypriani loca obducunt Origenis & Cypriani pœnitentiam: quasi non utramque esse apocrypham, jam olim judicavit Gelasius *e*. Objiciunt item Commentarios in Jobum, quos esse recentioris cujusdam, & quidem Arriani, non solùm Erasmus *f* vidit, sed etiam Sixtus Senensis *g*, & Genebrardus *h*. Provocant item ad Cypriani homil. de stella & magis: quæ est in tractatu de operibus Christi cardinalibus: sed hunc quoque commentariolum genuinum non esse agnoscunt, Bellarminus *i*, Possevinus *k*, Joh. Hessels *l*, ac Pamelius *m*. Adversus verò id quod de Romanâ Ecclesiâ dicebamus, afferunt Cornelii Papæ decretalem II. Sed eam quoque suppositititiam esse cum alia, tum falsa consulum

d P. 239. *Græc. at Lat.* 13. *edit. Aug.*
e *In Decret. D.* 15. *Can. Sancta Romana.*
f *Prolegom. in Origen.*
g *Lib.* 4. *verbo Origenes*
h *Collect. de vita Origenis.*
i *Respons. ad apolog. Jacob. M. Brit. R.*
k *Præfat. apparatus sacri.*
l *De communione sub unâ specie.*
m *In notis ad Cypr.*

nomina ostendunt: nec diffitetur Baronius *a* T. 2. An. CCXXII. Sanè quæ horum temporibus sententia fuerit Ecclesiæ Romanæ, quis melius nos docebit Novatiano, qui Cypriani ætate ejus Ecclesiæ presbyter fuit? Is enim lib. de Trinitate, quem ante schisma scripsisse, etiam Pamelius *b* arbitratur, τὴν θεότητα Christi inde adstruit, quòd doceamur eum invocare: invocari autem debeat nemo, nisi qui cuncta impleat οὐσίᾳ, & cuncta capiat scientiâ, & cui tutò innitatur spes nostra. *Cùm*, inquit, *c nullius sit, nisi Dei cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis.* Item *d*: *Si homo tantummodo Christus, quomodo adest ubique invocatus, cùm hæc hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit? Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus mediator invocatur, cum invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur? Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur, cum spes in homine maledicta referatur?*

a P. 338. *edit. ult. Mor.*
b *In argumento libri.*
c Cap. 13.
d Cap. 14.

IV.

Et sanè cum beatifica Dei visio credatur esse fundamentum intercessionis & invocationis mortuorum: ac primis aliquot seculis ab omnibus propè fuerit judicatum, animas ab excessu suo sic esse semper-felices, ut tamen non ante judicium ultimum fruantur visione Dei: vel hoc ipsum clarè docet, uti ante Origenis ac Cypriani tempora, ita etiam tempore inter hos & Concilium Nicænum interjecto, non sine contradictione potuisse à defunctis intercessionem postulari.

Cypriani sententia erat animas statim ab excessu recipi in cœlos, divinaque visione frui: quemadmodum ex lib. de Mortalitate *e* patet. Et tamen sic mortuorum intercessionem agnoscit, ut non ab aliis eam petat quam vivis. At qui in hypothesi istac à Cypriano dissentirent, hi nec sine ἀντιλογίᾳ intercessionem eam à defunctis poposcissent. Nam à visione Dei dependere dicitur scientia particularis eorum, quæ geruntur in terris: hac autem nititur intercessio particularis sanctorum in cœlis: illa autem fundamentum dicitur invocationis ejus, quæ mortuorum est. Atqui, ut verissimè ait Perkinsus, *f VETERES COMMUNITER asserunt, defunctos omnes fideles manere extra cœlum in occultis quibusdam receptaculis sine visione Dei usque ad ultimum judicium*: quod deinde non paucis probat veterum testimoniis: pleniusque à nobis ostensum ac declaratum fuit, thesibus historicis de statu animæ separatæ. Quamobrem sic concludimus, qui receptam hanc sententiam sequerentur, non sine ἀντιλογίᾳ orare potuisse defunctos, ut pro se intercedere vellent apud Deum.

e *Tuum.* 3. 4. 13. 15. 16. 18.
f *In demonstratione problematis cap. de intercess. sanct.*

V.

Minimè tamen propterea opinionem eam de particulari intercessione sanctorum in cœlis, cum Origene ac Cypriano fuisse intermortuam, sed ipso Concilii Nicæni tempore & postea placuisse viris eruditis, indicio illud erit, quod eam sequantur Athanasius, Eusebius, Hilarius.

De Athanasio inde liquet, quòd libro de interpretatione *g* Psalmorum disertim dicat sanctos psaltas, si sacra cantica citra immutationem simpliciterque, ut scripta sunt, recitemus, COMPRECARI NOBISCUM. Eusebius verò mentem suam clarè aperit, cum lib. VIII. Hist. Eccl. cap. XVII. in narratione de Theodosiâ virgine, quæ vinctos martyres accedebat, hoc ab ea factum conjectat, ut se quidem hic martyribus commendaret, ipsi verò postea cœlo recepti, virginem Domino commendarent. Idem indicant quæ scribit lib. VI. Hist. Eccl. cap. IV. *h* & lib. XII. præparat. Euangel. cap. II *i*.

g P. 758. *edit. Commel.*
h *Lat. at Gr.* 5 *pag.* 49. *edit. R. S.*
i *Trapezunt. translat. pag.* 338. *edit Gr. Rob. St.*

Ubi sententiam hanc Platonis autoritate defendit. De Hilario verò nemo negabit, qui legerit eum in Psal. CXXIV. & CXXIX.

VI.

Nec difficile fuerit conjectatione caussas assequi, quæ veteres in illam de particulari defunctorum intercessione sententiam, vel primitùs impulerint, vel semel impulsos detinuerint. Nam cum Platonicorum simile fuerit dogma, inde à plerisque hanc sententiam haustam esse per est verisimile. Aliquos etiam somnio Judæ in scripturâ apocryphâ narrato, vel primitùs fuisse inductos, vel magis postea confirmatos, à vero non abludit. Postea etiam ad ejus defensionem opinionis trahi cœperunt miracula, quæ à Domino fierent ad martyrum memorias. Nec leve visum argumentum, seu vera seu falso jactatæ animarum apparitiones, quæ de suâ apud Deum intercessione homines facerent certiores.

Inter caussas, quæ genuerunt opinionem de intercessione defunctorum, facilè principem obtinet locum philosophia Platonica, cujus dogma est, animas pias post excessum ex hac vitâ dæmonas effici terrestres, optimos, mali averruncos, & custodes generis humani; uti cognoscere est, ex Platonis πολιτείας. Ab hoc verò fonte illud dogma manasse indicio est, quòd illud sequuntur, tum inter Judæos Philo Alexandrinus, de quo calcatum

a Hieron. de script. Eccl.

illud, *a* ἢ Πλάτων φιλωνίζει ἢ Φίλων πλατωνίζει; tum inter Christianos Platonicis impensè addictus Origenes; qui Christianorum primus opinionem eam in Ecclesiam invexit: tum qui seculo propemodum post vixit, Eusebius Cæsariensis, qui Platonicum id esse dogma, sed σύμφωνον ἡμετέροις δόγμασι scribit lib. XI. præpar Euang.

b P. 338. edit R. St.

cap. 1. *b* tum qui seculo post Eusebium fuit Theodoretus Cyrensis, modò germanus is scriptor Ἑλληνικῶν θεραπευτικῆς παθημάτων: cujus operis libro octavo *c* ex

c P. 119. edit. Commel.

Platonis undecimo de Legg. (addere potuit locum ex ejus ad Dionysium epistola *d*) ostenditur, ὅτι ἐπιμελοῦνται τῶν ἀνθρωπίνων δυνάμει τινὶ πραγμάτων αἱ τῶν ὁσίων ψυχαὶ καὶ τοῦ σώματος ἐκτὸς γενόμεναι. Operæ verò etiam

d Tom 3. pag. 315. edit H St

est considerare quæ fecerint, ut Platonicum hoc dogma non alienum à Christianâ religione putaretur. Hoc enim

e Lib. 12. pr. eu cap. 1. p. 338. ed R. St.

de eo Eusebium *e* affirmare diximus. Inter ea autem est quod lib. II. Mach. cap. XV. 12. legamus Oniam & Jeremiam in somnio apparuisse Judæ orantes pro populo Judaico: quo argumento Eusebius ibidem pugnat. Sed majoris id ponderis foret, nisi è Scripturâ peteretur apocryphâ, & quidem à somnio: tum etiam nisi post somnium illud Judas ipse atque exercitus nihilominus non Oniam aut Jeremiam, sed solum invocasse Deum ab ipso

f Ejusdem cap. v. 21. & segq.

τῶν μακκαβαϊκῶν *f* scriptore dicerentur. Insuper verò opinionem eam inter Christianos aluêre plurimum maximi ac frequentes concursus ad memorias martyrum, preces ad easdem, ac imprimis miraculosa multa, quæ cum fierent à Deo ad veritatem doctrinæ martyrum testandam, malè trahebantur aliovorsum, quasi nempe hæc adstruerent particularem martyrum erga superstites curam. Miraculorum ejuscemodi catalogum recenset Augustinus lib. XXII. de Civit. D. cap. VIII. Denique multum etiam hanc opinionem firmârunt animarum sive spectrorum apparitiones, quæ, sive κατ' ὄναρ, sive καθ' ὕπαρ, divinam se superstitibus gratiam intercessione suâ conciliasse nunciabant. Cujusmodi apparitionis exemplum in Potamiæna martyre apud Eusebium habemus, lib. VI. hist. Eccl. cap. IV. Vide & Palladium in Lausiacis cap. LII. ubi ab Apolline visum ait fratrem defunctum orantem & exorantem Deum, ut ipse etiam citò de hac vitâ transferretur.

VII.

Sed quantocunque in loco argumenta habeant Pontificii: sane Concilii saltem Nicæni tempore, atque adeò etiam proximis quinque ac viginti annis impellere neminem potuerunt ad invocandos defunctos, tametsi particularem eorum intercessionem aliqui faterentur. Vel si qui forte ex eremicolis eo in errore jam tum versabantur, (quod verisimiliter dici potest) saltem ab illo immunes erant, qui populum in urbibus erudirent.

Non jam contentionis funem cum quoquam ducam, utrum Antonii Magni ad Arsenoitas epistolæ, aut B. Ephrem homiliæ genuinæ sint an spuriæ: item num bonâ an malâ fide illæ ex Ægyptiaco, hæ ex Syriaco sermone in Græcum, indeque in Latinum translatæ videantur: quod difficile dictu est: sed istis missis, contentus ero nominasse eos, qui monachorum vitas scripserunt: quales sunt Euagrius Ponticus, (cujus pleræque sunt vitæ, quæ Hieronymo tribuuntur) Hieronymus ipse (nam quædam vitæ genuinæ) Palladius, (qui quin genuinus sit, minime dubitamus) atque alii, qui suspicionem injiciunt non levem, quasi monachi speculationi Origenicæ de singulari defunctorum intercessione accuderint alteram de iisdem invocandis. Nempe, ut primò quidem orârint Deum, ut se propter sanctorum intercessionem exaudire vellet: cujus generis preces sæpiùs apud medii ævi scriptores reperias: postea verò eas direxerint ad sanctos ipsos. Quamquam non omnes speculationis vanitas, sed multos etiam decepit imprudentia zeli, imprimis erga monachos pietate ac miraculis insignes: quo pertinet quod Constantia, femina Cypria, (cujus generum ac filiam Hilarion de morte liberârat olei unctione) *Erat solita pervigiles in sepulchro ejus noctes ducere, & quasi cum præsente, AD ADJUVANDAS ORATIONES SUAS, sermocinari*: ut Hieronymus scribit in extremâ Hilarionis vitâ. Ex quo etiam liquet, contigisse id proximis decem mensibus ab obitu Hilarionis, qui incidit in annum CCCLXXII. Verùm ut ante etiam atque adeò circa an. CCCL. hujusmodi quid in monachorum solitudine obtinuisse fateremur: illud tamen concedere non possumus, eam hoc ipso tempore, nedum antea, fuisse in urbes inductam. Obducunt Eusebium Alexandrinum homil de sanctis colendis, Constantini Imp. edictum de donat. Athanas. de Deiparâ Virgine, Dorothei Tyrii episcopi Synopsin. Sed cum ea planè supposititia esse invictis probari possit argumentis; omnia hæc uno spiritu diflamus, sicut ventus farfari folia. Etiam Horantius Hispanus *a* objicit factum Constantiæ, Constantini M. filiæ, Agnetem invocantis. Verùm ad tumulum quidem Agnetis at non Agnetem, orasse scriptor is dicit: sed neque Ambrosii is sermo est, ut Baronius *b* agnoscit, & validè probat Bellarm. *c* Nihilo plus ponderis iis inest, quæ à Bellarmino adferuntur ex Trapezuntianâ Eusebii translatione προπαρασκευῆς εὐαγγ. lib. XIII. cap. VII. Nam Græce est τὰς εὐχὰς παρὰ ταῖς θήκαις ποιεῖσθαι, quod notat *preces apud monumenta facere*: non, ut Trapezuntius transtulit, *vota illis facimus tanquam viris sanctis.* Item, τιμᾶν τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχάς, simpliciter verti debet, *beatas eorum animas honorare*: ubi hæc verba improbè addit Cappadox iste, *quorum intercessione ad Deum non parum nos juvari profitemur.* Nempe hujusmodi interpretibus fideliter aliquid vertendum des, si quid rectè translatum velis. Pari fide alibi in eopse argumento (ut cætera mittam) præterit, si quid non placet: ut προπαρασκ. lib. IV. cap. V. *e*, *nos solum omnium Deum religiosè colere edocti sumus.* Item cap. X *f*. *Solum venerantes, solum piè colentes.* Quibus in locis illud μόνον sive solùm, ab Eusebio toties inculcatum, nusquam invenias in editione quæ

a Loc. commun. lib. 3. c. 18.

b Tom. 3. anno Ch. 324. pag. 260. edit. ult. Mo.

c In script. Eccles.

d P. 318. edit. Rob. St.

e Pag. 88. vers. ult. edit. R. St.

f P. 101. vers. antepenultimum præcedente.

unius

unius Trapezuntii est, nec ab aliis interpolata. Miseros illos, qui linguæ Græcæ ignari, talis viri oculis videre coguntur. At, ὦ φιλαληθεῖς νέοι,

—— Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.

APPENDIX

GRAMMATICO-THEOLOGICA.

Distinctio λατρείας & δουλείας inutilis non est: sed Pontificii eâ idololatriæ crimen non evadunt.

Discrimen vocabulorum λατρείας & δουλείας, quo illa uni Deo, hæc creaturis etiam dicitur convenire, nec in scripturis sanctis, nec in scriptoribus classicis observatur, ut etiam Valla *a*, Vives *b*, aliique agnoscunt. Imò δουλείας vox, nisi eam μεταφορικῶς sumamus, sanctis minùs quàm Deo competit, quia ratione cultus religiosi non creaturæ, sed Dei δοῦλοι sumus: quemadmodum ex Pontificiis Peresius *a* agnovit, frustra id improbante Bellarmino *b*. Nihilominus eos, qui distinctionem hanc probant, minimè improbamus, partim quia vitanda est viro prudenti omnis λογομαχία: partim quia nec inutile videtur, si cultibus toto genere differentibus, qualis est Dei & creaturæ, ad ὁμωνυμίαν vitandam diversa imponantur nomina: partim denique quia nec ab ea abhorruit Augustinus *c*: ne quis Damascenum, Bedam, vel eos qui Concilio Nicæno secundo interfuerunt, hanc distinctionem primos fabricâsse putet. Nec idcirco prævaricamur, vel Pontificiorum causam juvamus quicquam, quia, (ut Calvinus *d* hac de distinctione agens agnoscit) *de re, non de voce quæstio est.* Nempe hoc est, quòd in Pontificiis damnamus, quòd cultum suum Deo illibatum non servant; sed divinum honorem magnâ parte transcribunt sanctis, eóque idololatræ sunt, cùm non δουλείαν, sed λατρείαν presè sic dictam exhibeant sanctis.

a Annotat. in Matth. cap 4.
b in Aug. lib. 10. de C. D. c. 1.

a De tradit. part. 3. consider. 7.
b Lib 1. de beatit. sanctor. cap. 12.
c Lib. 1. super Genesin qu. 61 & in Exod. lib. 1. quæst. 94. & in Levit. lib. 2. quæst. 66. & lib. 10. de C. D. c. 1.
d Lib. 1. cap. 12. paragr. 2.

DISPUTATIO UNDECIMA

SIVE

HISTORICA ALTERA,

DE

INVOCATIONE SANCTORUM.

Thesis I.

DEMUM circa annum Christi trecentesimum septuagesimum ad mortuorum invocationem publicè præire his populo cœperunt, quibus cura ejus instituendi commissa erat. Ac in Græcia quidem primi vel è primis hanc funem duxerunt, Basilius, Nyssenus, Nazianzenus: *in Occidente verò eopse tempore consuetudinem eandem secutus fuit sedulus Græcorum lector & imitator* Ambrosius Mediolanensis.

De *Basilio* quod diximus, manifestum fit ex orat. ejus in XL. Martyres *a*: cujus tamen verba perperam citat *Bellarminus* b. Nec enim dicendum erat; *Qui aliqua premitur angustiâ, ad hos confugiat; qui rursum lætatur, hos oret*, sive *ad hos recurrat*, sed *confugit, & recurrit*, quia Græcè est ὑποφεύγει, ἢ ὑποτρέχει: multum verò distat inter verba præcipientis & narrantis, inter ecclesiasticæ doctrinæ normam, & zelum populi enormem. Interea fatemur zelum hunc non improbari Basilio. Hoc enim satis docet ἐπιφώνησις ad Martyres, quam subdit. *Nazianzenus* etiam oratione ea qua Cyprianum laudat (non eum, cujus scripta extant sole clariora, ut *Hieronymus* de iis loquitur *d*, quamquam cum hoc confundat Nazianzenus, eum & civem & episcopum Carthaginensem vocans: sed alium patriâ Antiochenum ac martyrem Nicomediensem, cujus festum cives Nazianzeni celebrabant (ea, inquam, oratione narrat, ut Nicomediensis ille martyr, cum etiamnum gentilis esset, & quod amplius, magicis artibus uteretur, Justinam virginem ad stuprum sollicitârit, illa verò præsens periculum evitârit Mariam invocando, sive, ut Theologi *a* verbis utar, τὴν παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ. Extremâ quoque oratione hac Cyprianum invocat Nazianzenus *b*. Idem orat. xx. quæ est in Basilii laudem, non tantùm optat, ut res suæ meliùs procedant τῇ ἐκείνου πρεσβείᾳ *c*, sed etiam oratione summâ *d* orat, ut se à cœlo respicere, precibus se juvare, vitam suam dirigere, & post hanc vitam in æterna se tabernacula recipere velit. Longè etiam plura extremâ orat. xxi. *e* ab defuncto Athanasio poscit, in cujus ea laudem oratio scripta est. At hoc ipso illustrior est apud *Nyssenum* locus, orat. in B. Theodorum martyrem *f*: sed longior pro instituti nostri ratione, quàm ut adscribi possit. Nyssenum verò sic sensisse minùs mirandum, cum admirator & sectator fuerit fratris Basilii. Nec de Basilio aut ejus à primis studiis amico Nazianzeno, multum miramur, quando monachorum *g* (apud quos cur privatim paullò prius opinionem hanc cœpisse verisimile nobis videatur antea ostendimus *h*) amatores fuere summi: quos & Basilius, ut ex Nazianzeno *i* discimus ex Syria Ægyptoque per Orientis urbes primus diffudit:

a P. 200. edit Nutiana.
b Lib. 1. de sanct. beat c. 19.
c P. 211. edit. Basil. an. 1551.
d In catal. script. eccles.

a P. 179. edit. Morell.
b P. 286.
c P. 339.
d P. 373.
e P. 197.
f Col 954. ed. Paris. an. 1573.
g Rufin. lib. 2. c. 9.
h Super. disputat. thes 7.
i Orat. funebri in Basil. pag. 358. & 359. edit. Morell.

quem-

quemadmodum in Occidente circa eadem tempora primus præstitit Eusebius Vercellensis, teste *Ambrosio* a. Imò Chrysostomus quoque licet in genuinis quidem scriptis, nec sanctus ipse invocet, nec doceat invocandos, seculo tamen suo invocatos esse narrat. Quo pertinet locus insignis de Imperatore ad sepulchra martyrum sanctos orante, homil. 26. in epist. 2. ad Corinth. *b* & homil. LXVI. ad pop. Antioch. *c*. Similiaque de Theodosio scribit Sozomenus lib. VII, cap. XXIV *d*. Etiam horum exemplo Ambrosius, qui plurimùm Græcos imitari, sæpè etiam exscribere solet, fratrem defunctum invocat, orat. in obitum Satyri *e*. Sed imprimis illustris est ejusdem locus libro de viduis *f*. Suntque hæc tam evidentia, ut viri etiam eruditione & ingenio florentissimi vix aliud potuerint mantelum huic sententiæ invenire, quàm si dicerent, sanctis tribui intercessionem οὐ διὰ ἰδιοπάθειαν, sive ex proprio & particulari sensu rerum nostrarum, sed διὰ συμπάθειαν, ex consensu partium inter se: nec invocari sanctos in se ipsis, sed διὰ μετωνυμίαν, ἢ συνεκδοχὴν Christum in sanctis appellari, quia vivant in Christo perfectâ communione, & Christus in ipsis. A quâ sententiâ non multum abit, quòd Alexander Ales *g* disputat, solum Deum ἁπλῶς esse invocandum: sanctos autem magis se habere ex parte orantium quasi adjuvantes, quam illius qui oratur: uti ex eo etiam observavit Cassander in Consult. artic. XXI. Quamquam verò eorum, qui hoc, aut simili σοφῷ φαρμάκῳ Patrum dicta leniunt, amorem erga veteres amo: nihilominus tanquam probabiliùs sentientis Buceri magis candorem probo: cujus hæc verba in defensione Reform. Christ. cap. 47 *h*. Verum est *temporibus Basilii & Chrysostomi cœptum fuisse, ut sancti ipsi invocarentur &c. Prudentius poeta in hymnis suis de martyribus ferme omnia à sanctis orat, quæ à solo Deo petenda sunt &c.* Item Ioachimi Camerarii, libro de piis, Catholicis, atque orthodoxis precibus: (cujus etiam & verba adducit, & sententiam probat Georgius Fabricius *i*.) *Nimis profecto poeta fuit in his Prudentius, & à simplice veritate, sequens amœnitatem musicam, recessit. Quid enim differant ab illis falsorum numinum Græcorum, aliarumque gentium invocatione, tales preces, præterquam quod nomina mutantur,* NON VIDEO. Item Christophori Pezelii in refutatione Catechesios Iesuiticæ *k*: *Horum aliqua etsi per Rhetorica schemata excusari possint, quibus orationes panegyricas tanquam flosculis quibusdam exornarunt Basilius, Nyssenus, Nazianzenus: tamen* FATEAMUR QUOD RES EST, JAMTUM *illis temporibus in Ecclesiâ invaluisse opiniones de comprecationibus & auxiliis sanctorum, qui sint velut urbium custodes, & locorum præsides, quorum interventu & precibus divina munera homines consequantur.*

a Lib. 10 epist. 82. pag. 203. edit. Bas. 1555.
b In Moralis circa finem pag 929. edit. Commel.
c P. 169. edit. Baller.
d P. 102. edit. R. St.
e Circa finem. vide T. 3. p. 23. edit Bas. 1555.
f Circa medium. nempe T. 1. p. 146. edition. ejusdem.
g Qu. 92 memb. 1. art. 4.
h P. 151.
i Comm. in poetas Christ. pag. 119.
k P. 175.

II.

Utile verò est & occasionem ac caussas considerare, quibus error hic originem & incrementum imprimis debet. Ac primo quidem hic etiam habent locum ea. ob quæ creditam esse sanctorum intercessionem antea diximus.

Nempe propter quæ verisimile putabatur sanctos orare pro nobis, paullatim æquum visum fuit, orari eosdem à nobis.

III.

Sed tamen propriæ etiam hic inciderunt caussæ, ob quas dogmati de intercessione sanctorum, dogma accuderint alterum de invocatione eorundem. Eas inter princeps locus debetur reliquiis Hellenismi in vulgo, quia qui per Deos, imos, medioxumos, Consentes ipsos consuêrant preces suas offerre Jovi tanquam divum & hominum regi: iidem posteaquam religionem Christianam sunt amplexi, cum viderent quanto martyres in honore haberentur apud Christianos, facile in eam opinionem devenerunt, quemadmodum quem prius honorem tribuissent Jovi, hunc prædarent nunc Deo Israelis: sic quo ante coluissent Deos minores, hunc jam angelis & martyribus esse exhibendum.

Nimirum non semel & simul Hellenismum rudis populus exuebat, sed æstum & imperitiam miscens, Græcanicæ superstitionis cœno liquidos Christianæ religionis fontes in multis polluebat. Ut satis ostendunt tot gentiles ritus in Christianam Ecclesiam invecti: de quibus infra etiam se offeret dicendi locus.

IV.

Vix autem dici potest, quantopere hanc opinionem confirmârit in vulgo, mos iste Christianorum poetarum, quo angelos & martyres invocarent, divinaque dona vel ab iis conferri, vel eorum in cœlis intercessione impetrari docerent.

Primus poëtarum, qui hac parte peccârint, est Damasus, ut ostendunt ejus hymni, in Agnetem, Andream & Agatham, modò genuini sunt. Hinc Georg. Fabricius comm. in Christ. poet. *a* non dubitat fateri, *Damasum sanctorum invocationem suis temporibus stabilivisse, & scriptis multis cumulasse.* Factum id circa annum CCCLXX. Eum viginti circiter annis post secutus Prudentius: de quo antea etiam dictum. Vide eum περὶ στεφ. hym. I. De Hemiterio & Chelidonio Calagurritanis *b*, Hym. II. de Laurentio *c*, hym. III. de Eulalia *d*, hym. V. de Vincentio *e*, hym. VI. de Fructuoso, Augurio, & Eulogio *f*, hym. IX. de Cassiano *g*, hym. X. de Romano *h*, hym. XIV. de Agnete *i*. Circa verò annum CCCLXX. Prudentium imitatus est Pontius Paulinus, episcopus Nolanus, natali III. VI. & VIII. in Felicem, & lib. 2. de vitâ B. Martini *k*. Hos secuti alii, atque alii, eosque inter is, qui ejusdem Martini vitam sesquiseculo post ac itidem carmine scripsit, Venantius Fortunatus lib. II. *l* & III *m*, atque in aliis poematis passim. Factum vero id à poëtis vel jam vulgi errore imbutis, vel quadam gentilium poëtarum κακοζηλίᾳ impulsis, eò quòd ποιητικώτεροι se poëtatturos arbitrarentur, si quemadmodum οἱ ἔξωθεν Deos precarentur, ita ipsi martyres invocarent, ac uti illi, ex Petroniano præcepto, per ambages Deorumque ministeria, ita hi per ministeria sanctorum, tanquam divinæ gratiæ distributorum, liberum præcipitarent spiritum.

a Pag. 43.
b Vers. 20. & seq.
c Quinque ultimis tetrastichis.
d Ult. trib. vers.
e Octo ult. tetrastichis.
f Sexto à fine tetrastropho
g Dist. 3. & seqq. & sex ult. dist.
h Pentastropho 1.
i Vers 4 & seq & 10. ult. vers.
k Vers. 9.
l Circa finem.
m In præfat.

V.

Etiam oratorum non levis hic se culpa offert, non tantum, quia plerique eorum sanctos invocarent, sed etiam, quia floridam ac luxuriantem secuti dictionem seculi sui oratorum, modificata ac figurata mortuorum laudationi tantopere indulgerent. Nam non rarò inter hyperbolicas laudationes & nugas prolatas, non satis distinguebat imperitum vulgus: item apostrophas ad sanctos κατὰ προσωποποιΐαν institutas, quæ votum tantummodo Ecclesiastæ erant, pro seriâ invocatione ducebat.

Optimè Sixtus Senensis lib. VI. biblioth. S. Annot. CLII. *Meminisse oportet, quod & alibi sæpè monuimus, non esse concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt. Multa enim declamatores per hyperbolem crebrò enunciant, vel occasione locorum, temporum, ac personarum adducti, vel affectuum impetu & orationis cursu rapti.* Quæ Sixti verba, si uspiam, sanè in martyrum laudationibus habent lo-

locum. Exemplo esto Nazianzenus in monodiâ sive funebri oratione Basilii, quem in pleri sque propè æquiparat Apostolis, ac Prophetis: atque adeò quodammodo præfert: uti cum ait *a*: *Non ab Hierosolymâ tantum usque ad Illyricum*, (velut Paulus) *sed majorem circulum Evangelio complexum.* Tantùm distat inter δημιουργικὰ καὶ διδακτικά. Προσωποποιΐας exemplum habemus apud Cyrillum in actis synodi Ephesinæ *b*, ubi cum B. Ioannem rogâsset, ut sibi mysteria reserare vellet, sic porro loquitur: *Exhibe nobis fontem tuum. An non dicentem audivimus, In principio erat verbum, &c. Adde nobis & reliquum Evangelista: & verbum caro factum est.* Quo loco immeritò se Pontificii jactant. Quid mirum enim si hoc pacto Apostolos affentur, qui subinde inanima sic compellent? Ut Nazianzenus extremâ oratione II. in Pascha *c*: *Pascha magnum & sacrosanctum, totiusque mundi piaculum. Te enim quasi vitâ præditum* (ὡς ἐμψύχῳ) *alloquar.*

a P. 359. edit. Morell. ac pag. 97. edit. Basil. Gr.
b Exegesi pronunciato die Ioanni sacrap. 116. ed. Græc. pag. 388. translat. edit. Commel.
c 695. ed. Morell.

VI.

His accessit quòd non par ubique Episcoporum omnium vel zelus, vel eruditio, vel prudentia fuit. Aliqui etiam de superstitione irrepente solliciti hoc minùs erant, partim quòd abunde se consecutos arbitrarentur, modò gentiles à dæmonibus ad angelos, ab heroibus ad martyres traducere possent, quasi angelorum sanctorumque nomine obtento, gentilitiæ superstitionis officia sanctificarentur: partim quod cum hæreticis de Trinitate ac Christi personâ perpetuò esset conflictandum: uti tot synodi & antisynodi ostendunt.

Vix magis incommodè dici aliquid posset illis elegantissimi scriptoris Sulpitii Severi verbis epist. II. de B. Martino, ubi ait, SPES SUPERAT ILLA SOLA, ILLA POSTREMA, *ut quod per nos obtinere non possumus, pro nobis orante Martino mereamur.* Cujusmodi si Episcopo huic, sive mœrore ob defunctum B. Martinum, sive alio affectu abrepto, exciderint, quid vulgo contigisse putabimus? Possunt autem & alia id genus ex aliis ejusce ordinis & seculi adferri. Nempe ad Episcopale fastigium etiam tum evehebantur subinde, qui probitate & eruditione quidem præstabiles forent, (ac utinam tales semper) attamen rerum sacrarum peritiâ quadantenus imbuti magis dici possent, quàm penitùs tincti. Præterea cogitandum patres sub primis Christianorum Cæsarum, integro & amplius seculo multum desudâsse, partim in conversione gentium, partim in hæreticorum impugnatione. De priori illud docet, quod postquam libertas semel ab imperatoribus Christianæ religioni concessa fuit, sic Evangelii lux, intra lustra non ita multa, spissas Romani cæterique orbis tenebras discussit, ut vix ulli in civitatibus gentiles superessent: unde & qui priùs nationum, gentium, vel gentilium nomine venirent, postea contemptim dicti sunt Pagani, Prudentio etiam *pago dediti d* vel *implicati e* appellantur. De hæreticis verò argumento illud erit, quod propter solam controversiam de tribus personis in unâ Deitatis naturâ, & duabus naturis in unâ Christi personâ, intra annos CXXVI, sub Constantino Magno, Theodosiis, & Marciano celebrata sunt quatuor prima œcumenica concilia, ut de particularibus tot conciliis, quæ super iisdem controversiis celebrata fuere, nihil dicam. Nemo igitur mirabitur, si putemus in tanto fervore ingentes quotidie catervas ex gentilium vel hæreticorum cœtibus agglomerandi Ecclesiæ Christianæ, aliquod frigus vel teporem invasisse multos in iis curandis morbis, quorum parva adhuc initia erant, eoque parvi etiam momenti credebantur. Præsertim cùm non deessent plurimi, qui, eò quòd persuasum haberent, tantò faciliùs gentiles aggregari posse Christianis, quantò minus inter gentilem & Christianam religionem interesset, laudabiliter putabant, plerosque omnes gentilium ritus, sive in perpetuum, sive pro tempore retineri, modò non amplius ad dæmonum aut heroum sed potius veri Dei, verorumque ejus amicorum cultum transferrentur: qua ratione eos censet Baronius *a gentilitia superstitionis officia sanctificâsse.* Vide omnino quæ hoc de patrum consilio scribit Isaacus Casaubonus exercit. XVI. num. XLIII. *b*. Sic igitur concludimus, patrum quidem aliis hoc ipsum agentibus, ut gentilitii ritus in Christianam religionem inducerentur, aliis verò, si initia mali viderent, tamen negligentibus, sive quia majoribus distinerentur, sive quod progressu temporis meliùs hæc corrigi posse arbitrarentur: in optimâ Ecclesiasticæ doctrinæ segete, quædam succrevisse zizania; quæ tamen postquam semel adolevere, nec ipsi illi patres, nec posteri eorum evellere unquam satis potuerunt. Nempe uti febris, quam hecticam dicunt, initio est observatu difficilis, facilis curatu: postea autem facilis observatu, curatu difficilis: ita superstitio quoque sensim & sine sensu irrepit, ac malè semel introducta, diutissimè postea toleratur à viris non malis, usque dum fœditas ejus latere amplius bono nemini possit, sed altè adeò insideat corpori toti, ut propè omnem respuat medicinam. Ita hic quoque non vanum esse monitum comparet illud poëtæ cæteroquin nimis vani; *Principiis obsta.*

d in p. ... hymn. 10. in Romanum pag. 186. v. 11. edit. Plant.
e Lib. 2. contra Symm. p. 300. v. 31. ejusd. ed.
a Tom. 2. Ann. Eccles.
b P. 542. & 543.

VII.

Quamquam verò concedimus post annum trecentesimum & septuagesimum, sanctorum invocationem publicè fuisse notam: multò tamen maxima testimoniorum pars, quæ à Pontificiis adduci solet, vel è libris est nothis, vel è locis perperam versis, aut malâ fide adductis, vel tantummodo agentibus de singulari sanctorum intercessione, quam multi etiam crediderunt, qui invocationem sanctorum ignorarent.

Exemplis hæc aliquot confirmabimus. Citat gemino loco Bellarminus *c* ex Chrysostomi serm. de sanctis Juventio & Maximo *d*. *Tumulos invisamus, tumulos adoremus.* Sed fœdè imponit lectori, cùm ex *adornemus* literulâ ejectâ *adoremus* facit. Citat item Coccius *e* Nazianzeni locum ex epist. CCIV. ad Eusebium Samosatensem Episcopum *f*: sed quod addit de martyrum intercessione, id apud Nazianzenum non invenitur. Adducunt & locum ex Augustini T. 10 serm. 2. de Ascens. Verùm is sermo est Fulberti Carnotensis: cujus & nomine eundem locum citat Garetius Canonicus. Notum etiam nec Augustini esse meditationum libros, ex quibus aliqua promunt. Philonem Carpathium in Cantica nil moramur, quando tam multa in eo inveniunt ex Gregorio Magno descripta. Adferunt & locum ex Theodoreti serm. VIII. de curandis Græcorum affectionibus *g*, ubi scriptor is ostendit a Christianis hoc honoris deferri martyribus, quod à gentibus exhibitum erat Diis suis. Verùm si libri isti Theodoreti Cyrensis essent, meminisset eorum vel Nicephorus *h* in Catalogo librorum Theodoreti, vel Photius inter ea quæ legerat Theodoreti. Et sanè repugnant hæc iis, quæ Cyrensis ille episcopus alibi *i* docet. Imprimis verò se Pontificii jactant epistolâ quatuor Europæorum episcoporum *k*, qui ab imperatore Leone rogati erant, ut judicium suum de decretis concilii Chalcedonensis (cui non interfuerant) perscribere vellent. Ex eâ enim tanquam conciliis ipsius verba adducunt: *Sanctissimum quidem Proterium in ordine & choro sanctorum martyrum ponimus, & ejus intercessione misericordem & propitium Deum nobis fieri postulamus.* Atqui hic de intercessione quidem, non item de invocatione sanctorum sermo est. Nec amplius elici potest ex verbis illis concilii ipsius Actor. XI. *l*. *Flaviano æterna memoria. Ecce ultio, ecce veritas. Flavianus post mortem vivit. Martyr pro nobis oret.* Simile judicium esto de verbis B. Ephrem de compunctione cordis, nec non serm. I. de po-

c Lib. de reliq. cap. 3 & 4.
d Tom. 3. pag. ult. edit. Bellertana. at pag. 941. edit. Basil. an. 1547.
e Thes. T. 2. p. 468.
f P. 900. edit. Morell.
g P. 121. & 122. ed. Comm.
h Lib. 14. cap. 54.
i In ep. ad Colos. 2.
k Tom. 2. concil. gener. p. 153. edit. Col. 1606.
l Ibidem p. 118 b.

pœnitentiâ, item Orat. de laudibus Dei genetricis, item Nazianzeni orat. XIX. in laudem patris *a*. & XXIV. quæ in Ægyptiorum adventum *b*: Pseudo-Epiphanii in vitâ Esaiæ, Gregorii Nysseni orat. funebri in Meletium Episcopum *c*: Chrysostomi extremâ laudatione S. Pelagiæ *d*, & serm. de Juventino & Maxim. martyribus *e* &c.

a P. 288. edit. Morel. b P. 415. c Col. 910 vers. 12. edit. Paris. 1573. d Tom. 6. col. 110 ed. Beller. e Tom 3. pag. ult.

VIII.

Praterea de ἐνεργείᾳ eorum, qua vel ex scriptis genuinis & bona adducunt fide, quaque non de intercessione tantummodo, sed ipsâ loquuntur invocatione, plurimum illud deterit, quod subinde hanc vel similem hypothesin addere consueverint patres: SI QUIS EST MORTUIS RERUM NOSTRARUM SENSUS. *Nec enim immerito opinari hinc aliquis possit, etiam quando conditionem eam non exprimerent, tacite tamen intellexisse.*

Multorum instar, qui disertim hanc conditionem apponunt, Nazianzenus esto, qui orat. 1. in Julianum, cum ordinis cujusvis homines, etiam cœlum, terram, angelos compellasset, in hæc tandem verba erumpit *f*: *Quin hæc quoque audiat Constantini Magni anima, si quis mortuis sensus est*, (εἴ τις αἴσθησις) *omnesque eorum, qui ante eum imperium tenuerunt.* Nec multum abit illud orat. in laudem Basilii *g*: *Et nunc ille quidem in cælis est, illic sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens, ut opinor.* Gr. ὡς οἶμαι h. e. ni fallor, prout vertit Billius. Item in laudem Gorgoniæ *h*. *Si qua tibi nostrorum sit cura*, (εἰ δέ τις σοὶ καὶ τῶν ἡμετέρων ἐστὶ λόγος) *atque hoc præmii sit sanctis animis à Deo concessum, ut ista sentiant, suscipe quoque orationem nostram.* Et in funebri patris oratione *i* similiter addit: *Nisi sit nimis audacis hos dicere*: εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν. Hujusmodi dubitanter adeò prolata, à fide profecta videri minime possunt. Atqui, ut Apostolus *k* ait: *Quicquid fit sine fide, peccatum est.*

f Pag. 50. ed. Morel. g P. 372. h P. 190. i P. 288. k Rom. 14. 24.

IX.

Illud etiam plurimum imminuit pondus eorum locorum, quibus vel sancti invocantur, vel invocatio ea propugnatur: quod ex illorum ipsorum, qui ea scripserunt, principiis, dogma istud solide destrui potest.

Tale principium est illud Basilii in Ethicis Reg. LXXX. cap. XXI. *l* πᾶν τὸ ἐκτὸς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς οὐκ ἐκ πίστεως ὄν, ἁμαρτία ἐστιν: *Cum quicquid extra scripturam est, ex fide non sit, id peccatum est.* Item (quòd propius etiam hanc invocationis materiam tangit) hoc ejusdem apud Nazianzenum orat. in Basilium *m*: *Creaturam non sustineo ullam adorare*, (προσκυνεῖν) *creatura Dei cum sim.* Scitè etiam Nazianzenus orat. de Spiritu S. *n* εἰ προσκυνητόν, πῶς οὐ σεπτόν; εἰ δὲ σεπτόν, πῶς οὐ θεός; *Si adorandus* (Spiritus) *quomodo non & religiose colendus, & si religiose colendus, quomodo non Deus?* Quæ duo cohærere mutuò, & salutarem efficere catenam, mox adfirmat. Adhæc ipsi fatentur patres, nescire sanctos quæ fiant in terris: uti de Nazianzeno supra vidimus. Ac similiter Ambr. *o* quamquam fratrem Satyrum roget, ut se adjuvare velit, nihilominus dicit: *Si nunc urgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantum ingemisceres?* Ac Hieronymus, quanquam alias acerbè adeo Vigilantium impugnet, ipse tamen similiter pænè initio Epitaphii Nepotiani *p*: *Quicquid dixero, quia ille non audit, mutum videtur.* Eandem epistolam sic claudit: *Et cum quo loqui non possumus, de eo loqui nunquam desinamus.* Ac non multò antè dixerat idem: *Felix Nepotianus, qui hæc* (barbarorum nempe devastationes) *non videt, felix qui hæc non audit.* Atqui hac ipsa epistolâ de Nepotiano, aliquanto ante locum proximè citatum, dixerat idem: *Scimus Nepotianum nostrum esse cum Christo, & sanctorum mixtum choris.*

l P. 437. Gr. Bas. 1551. m P. 294. edit. Morell. n P. 609. ejusdem edit. o Tom 3. de obitu fratris Satyri ante medium. p 17 ed. Bas. 1565. p Ad Heliodorum, epist. 3.

X.

Atque hac quidem de iis, qui sanctos invocarunt. Nunc illud quanti momenti sit cogitemus, quod licet privatim plurimi deflexissent à formâ τῶν ὑγιαινόντων λόγων, tamen plurimi item in eâdem persistebant, & invalescenti se errori opponebant: qui tantum consequi non poterant, ut ubique pristinam restituerent doctrinæ puritatem, tamen multis in locis eam conservabant: in cæteris verò impediebant saltem, quo minus error iste tantas subitò caperet vires, ut in ipsas reciperetur liturgias. Factum autem hoc ab iis duplici modo, partim conciliis, in quibus solius Dei invocationem & adorationem sanciverunt: partim homiliis & scriptis, quibus sanam doctrinam propagârunt. De conciliis liquet, non ex Laodiceno tantum, sed etiam Carthaginensi tertio & quinto.

Capite enim XXXV. concilii Laodiceni (quod anno CCCLXIV. celebratum fuit) damnatus est vulgi error angelos adorantis. Sed pro *Angelos* à Bartholomæo Caranza malè *angulos* editum est *a*. Nam Græcus canon disertim vetat οὐ ἀγγέλους ὀνομάζειν: & rationem addit, quia hoc qui facit, τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἐγκατέλιπε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. Etiam similiter Fulgentius Ferrandus & Crisconius in Breviario canonum *b*, ac Dionysius Exiguus in canonum titulis, legerunt: item Balsamo in comment. *c* & antiquior his omnibus Theodoretus, cujus perquam memorabilem adversus Pontificios locum, vide ad Coloss. c. 11. Concilii verò Carthaginensis vulgo dicti tertii (cui & interfuit B. Augustinus) hæc verba can. XXIII. habemus: *Cum ad altare assistitur, semper ad patrem dirigatur oratio. Et quascumque sibi preces aliquis describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit.* Ubi cum disertim dicatur, preces ad Deum patrem dirigi debere, mirum quâ fronte Horantius Hispanus *d* dicat, probari his verbis preces ad martyres directas. Concilii etiam Carthaginensis V. (ut vulgo quidem vocatur, quod ordine temporis tertium sit) can. XIV. altaria ea destrui jubentur, quæ martyrum memoriæ, prætextu apparitionum, citra ullum martyris corpus exstruerentur: sed, quod invaluisse jam tum furorem istum indicat, adjectis his verbis: SI FIERI POTEST. Item: *Si autem hoc* PROPTER TUMULTUS POPULARES NON SINITUR, *plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent.* Cujusmodi ostendunt, quàm multa patres in hoc religioso negotio ferre coacti sint, quæ emendare non valerent.

a Can. 184. b Can. 190. c Ad can. 35 hujus concilii. d Lib 3. loc communium. cap. 19. p 123. a.

XI.

Privatim etiam multos & homiliis & scriptis se invalescenti opposuisse errori, non paucis docemur exemplis: quorum aliqua eorum sunt, qui aperte eum impugnarent, alia aliorum, qui idem obliquè tentarent. Præter cæteros verò in multorum oscitantiâ minime dormitandum sibi ratus, vigilantissimus Vigilantius, presbyter Barcinonensis, animose eum in Hispaniis oppugnabat, anno Christi CCCCIV. *cui & hac parte favebant sanctus Galliæ Episcopus, ac episcopi alii. Quin Vigilantius, ut difficile est regiam tenere viam, si ex adversarii quidem scriptis judicium ferri debet, dum luxuriantem illum sanctorum honorem intra modum coërcere studet, infra modum ipse subsidens, non satis honori consuluit sanctorum: aliqua etiam, quæ licet capita fidei non erant, probabiliter tamen poterant credi, vehementi nimis studio impugnat: quemadmodum & contra Hieronymus*

mus festinantissime in chartam conjiciens, quicquid os nocte unâ, non semper zelus secundum scientiam, sed etiam splendida dictaverat bilis, nunc quidem negat fieri, ina quanquam non ab omnibus, vulgo tamen fieri constaret: nunc etiam eo usque prolabitur, ut ad relquiarum cultum & intercessionem sanctorum defendndam dicere sustineat, beatas animas tumulis suis adesse, & angelorum in modum celerrime per loca maxime dissita vagari, eventusque ac postulata homnum ibidem cognoscere: quod nec Pontificii tueri hodie sustinent.

a Epist. 1. ad Severum.

b Tom. 5. pag. 25. edit. ult. Mor.

Vigilantium vrum fuisse honestum ac pium docemur epistolis familiari ejus B. Paullini *a*, à quo etiam ante hanc controversium B. Hieronymo fuerat commendatus. Ipsi etiam Hieronymo gratus acceptusque fuit, ac Sancti elogio ab eoden decoratur epist. XIII. ad Paullinum. Etiam agnoscit Bronius *b magnâ ubique polluisse opinione sanctitatis.* Atque id fuisse ait in caussa, cur Hieronymus, etsi biennio anteiovisset ejus sententiam, tanto tamen post ad eum refutandm accesserit. Nec solus Vigilantius fuit, qui vulgati se oponeret errori, sed faverunt ei Episcopi non pauci: iique tales, qui cum passim viderent impuros cœlibum clericorum amores, autores erant, ut, quia in munere Ecclesiasico uxorem ducere prohiberentur, eam ducerent ante odinationem: quam rem invidiosè satis Hieronymus narrat. Quantâ autem vehementiâ hæc caussa utrimque acta r, ignorare neminem sinit Hieronymi liber, quo eum npugnat, tum etiam quæ scribit in Esa. c. LXV. & alibi. Sepinplex verò inter eos controversia erat. 1. de largitione bonorum, quæ simul semelque fieret. 2. de cereis a lampadibus diurno tempore in templo accensis. 3. de vigilus dominicam, præterquam paschalem, præcedentius. 4. de cultu teliquiarum. 5. de miraculis circa martyum memoriam factis. 6. de orationibus pro mortuis. 7. de intercessione beatarum animarum pro vivis: à quâ invocatio sanctorum dependet. Nempe Vigilantii theis, Hieronymo teste *c* erat, *Dum vivimus mutuo pr nobis orare posse. Postquam autem mortui fuerimus, ullius pro alio exaudienda oratio. Præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverit.* Idem paullò ante hæc Vigilantii verba adfert: *Vel i sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei, & animæ Apostolorum & martyrum consederunt, nec possint suis tumulis, & ubi voluerint adesse præsente.* Ad quæ verba exclamat Hieronymus: *Tu Deo leges pones? tu Apostolis vincula injicies?* quasi nempe à diviâ potentiâ liceat argumentari ad ejus voluntatem & effectum. Addit mox, *Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse, credendi sunt.* Cui simile illud Maximi Taurinensis *d*: *Universi*, inquit, *sanctorum ubique sunt, & omnibus prosunt, & semper nobiscum sun, nobiscum morantur, &c.* Cui simile quod Sulpitiu Severus epist. II. *e* de B. Martino ait: *Non deerit nobi, ille, mihi crede, non deerit: intererit de se sermocinantibus, adstabit orantibus.* Cum verò ubique beatas animas esse dicunt, non aliud dicere volunt, quam eas passim sensibiliber esse. Quod tamen μάλαγμα culpam minuit verius quam tollit. Atque id tam manifestum est, ut hac arte Hieronymus, etiam à Bellarmino & Pontificiorum aliis deferatur, qui in cæteris Hieronymi patrocinium suscipientes, Vigilantianos quos vocant, in hæreticorum numerum reponunt.

c Tom. 3. pag 122. edition. Bas. 1553.

d In Natali SS. Martyrum Taurinorum.

e P. 230. ed. Plant.

XII.

Fuere & alii, circ. eadem ferè tempora, viri præstantes, qui mentibus errore imbutis mederi studerent: sed seu sanctarum seu turbulentarum personarum metu, obliquo id magis artificio tentarent: quales inter alios in Græciâ Epiphanius, ac in Africâ Augustinus erant.

De Epiphanio quod diximus, cognosci potest ex iis, quæ scribit hæresi LXXIX *a*, ubi mulierculas Mariam invocantes, eique κολλυρίδα (panis id genus, à quo Collyridianis nomen) offerentes, scripturis & rationibus solidis oppugnat: sed ita ut ab hypothesi ad thesin ascendat, omnemque simul religiosum sanctorum cultum condemnet. Nemini verò obscurum esse potest, cur adeò breviter hanc historiam perstringat, fusissime alioquin etiam minutias persequens, Cæsar Baronius ad annum CCCLXXIII *b*: qui locus ejus rei proprius erat: cur item quod hic tacet, alibi *c* persuadere conetur, Collyridianos putasse B. Virginem Deam esse humanæ expertem naturæ. *Epiphanius*, inquit, *agens adversus Collyridianos hæreticos, qui Dei genetricem Mariam humana natura prorsus expertem, ac divina tantùm participem fuisse dicebant.* Quod nunquam ex Epiphanio vel quoquam scriptore probari possit. Nempe uti hodieque Pontificii, itidem Collyridiani olim, quanquam Mariam colerent ut Deam, non tamen eam credebant Deam: quod optimè adversus Baronium observat ac probat If. Casaubonus Exercit. I. Tm. XVIII. *d*. Eum adi ac imprimis illum, quem dixi Epiphanii locum: qui dignissimus erat, ut integer adscriberetur, (nihil enim eo contra Pontificios vel verbis clarius, vel sententiâ præclarius) sed prolixior est, quam ut eum referri huc totum hujusce instituti nostri ratio patiatur. Etiam nundinas in martyrum honorem institutas (quæ & ipsæ ad luxuriantem illum martyrum honorem pertinent) apertè cap. XL. damnat *e* scriptor ἀσκητικῶν Basilio tributorum, qui putatur Eustathius, is qui, Sozomeno *f* teste, apud Armenios monasticam instituit vitam. Augustinus similiter, cum præsumtionibus omnia impleri videret, multaque schismatis metu apertè damnare non auderet, fundamenta irrumpentis erroris evertere contentus, sic intercessionem Sanctorum agnoscit, interea ut unum Deum & invocandum & adorandum doceat passim: sanctis verò non alium tribuendum putet, quam societatis ac dilectionis cultum. Hinc T. I. lib. de verâ religione c. LV. *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum.* Et mox: *Honorandi igitur sunt propter imitationem,* NON ADORANDI *propter religionem.* Et de Civ. Dei lib. XXII. cap. X. *Ad sacrificium* (martyres) *sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, NON TAMEN à sacerdote, qui sacrificat, INVOCANTUR.* Et quàm apertè irrepentem improbat consuetudinem T. I. lib. I. de moribus Catholicæ Ecclesiæ cap. XXXIV. ubi ait: *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsâ verâ religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo. Novi MULTOS esse sepulchrorum & picturarum adoratores.* Ubi mox quoque subjicit: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie, tanquam malos filios, corrigere studet.* Et de Civit. Dei lib. X. cap. IV. *Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimiâ, sive adulatione pestiferâ. ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autem eis multum additur, & adorandi.* Quod postremum de adoratione civili intelligendum, ne secum pugnet Augustinus. Nec in sanctorum solum immodico honore, sed in aliis similiter seculi sui morbum deplorat Augustinus: uti ad Ianuarium Epist. CXIX. *Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur, & tam MULTIS PRÆSUMTIONIBUS SIC PLENA SUNT OMNIA, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit.* Sed imprimis memorabile est quod proximè antecedit: *Quod instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi MULTA HUIUSMODI PRO-*

a P. 446. Gr.

b P. 359. edit. ult. Moreti.

c Apparatu in annales Num. 43. pag. 15.

d P. 107. edition. Angl.

e P. 467. Gr. Bas. 1551.

f Lat. lib. 3. c. 13. at Gr. c. 12. fol. 42. edit. Rob. St.

PROPTER NONNULLARUM VEL SANCTARUM, VEL TURBULENTARUM PERSONARUM SCANDALA DEVITANDA LIBERIUS IMPROBARE NON AUDEO. Si tantæ vir autoritatis, in negotio Dei liberè loqui non auderet, quid mirum si alii errore invalescente tanquam torrente quodam se abripi passi sunt? Atque hæc satis ostendunt, quantùm eos fugiat ratio, qui invocationem sanctorum in Ecclesiâ Dei etiam quarto quinctoque seculo, & toto, & nusquam non obtinuisse arbitrantur.

APPENDIX I.

Vel ingens est Pontificiorum stupor, vel malâ conscientiâ causam suam agunt, cum dicunt prophetas & patriarchas in V. T. non esse invocatos, quia nondum fruerentur beatificâ Dei visione, eoque nescirent quid fieret in terris: & nihilominus è V. T. libris Invocationem sanctorum adstruere conantur.

II.

Nullus scripturarum locus à Pontificiis adfertur pro Invocatione sanctorum, quem non & antiquissimi omnes, & mediæ antiquitatis plerique omnes, & ex Pontificiis ipsis aliqui doctorum sanius interpretentur.

III.

Quod Pontificii dicunt se non redemtionem, sed solam intercessionem sanctis facere communem cum Christo: & quidem his duntaxat tribuere intercessionem subordinatam: id nec verum est, nec si verum esset, eo negari debeat illos derogare mediatorio muneri Iesu Christi.

DISPUTATIO DUODECIMA

DE

RESURRECTIONE CARNIS.

Thesis I.

CUM Latinis Resurrectio quasi iterata erectio, & Græcis ἀνάστασις quasi δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις a nuncupetur: homo verò ratione corporis & surgere & ἱστᾶσθαι sive stare dicatur: (corpus enim est quod cecidit, unde & à cadendo Latinis cadaver, ac Græcis similiter πτῶμα appellatur) colligimus Resurrectionem non significare primariò animæ cum corpore conjunctionem: sed, ut cum Tertulliano b loquar, carnis recidivatum: sive ut distinctius dicam, primò signare præparationem materiæ ad corpus organicum potestate habens vitam æternam: secundò verò innuere ac comprehendere animæ cum corpore sic aptato præparatoque iteratam unionem: tertiò verò ac principaliter respicere manantem ex ea unione activam corporis potentiam; quâ quod in mortem cecidit, inque ea jacuit, hoc animæ vi surgere ac stare occipit.

a Damascen. lib. 4 orthod. fid. c. 28.

b Lib. de Resurr. carn. 6. 18.

II.

Hæc in Symbolo vocatur resurrectio carnis: præter quam etiam est resurrectio spiritualis, quæ fit a morte peccati. Loquitur de câ scriptura Rom. VI. 5. Coloss. III. 1. & Apocal XX. 6. ubi hæc prima resurrectio nominatur, cujus respectu resurrectio carnis secunda resurrectio vocatur. Eaque, ut videtur, vocabuli ambiguitate fallebant & fallebantur Hymenæus & Philetus, qui *circa veritatem aberrarunt à scopo, dicentes resurrectionem jam esse factam, & subverterunt quorundam fidem*; teste Apostolo 2 Tim. II. 18.

III.

Nobis tantùm sermo est de resurrectione secundâ, quam è ψιλῶν δαιμόνων Christianis præter Hymenæum & Philetum negarunt Simoniani, Carpocratiтæ, Valentiniani, Marcionitæ, Cerdoniani, Cajani, Severiani, Archontici, Hierachitæ, Augustin a teste: ac præter hos Basilides, Saturnius, Colarasus, Cerdon & Apelles: ut Tertullianus b refert; item Seleuciani & Procliniatæ, ut est apud Philastrium c. è Iudæis verò ante hos omnes Sadducæi, sive Caraim, quos eosdem esse ac Sadducæos præter pseudo-Gorionidem testantur R. Abraham Zakuth, Autor Chronicorum templi secundi, Benjamin Tudelensis, atque alii jam aliis d laudati. Nostrorum tamen temporum Caræi, solâ δευτερώσεων rejectione à Iudæis cæteris differentes, resurrectionem & vitam pœnasque æternas agnoscunt e.

a De hæres.

b De præscript. advers. hæret.

c De hæres.

d Serar. Minerval. lib. 3. cap. 11.

e Script. præfat. in R. Abraham Zachuth, Scaliger Elench. Trihæres. cap. 2. Serrarius Minerval. loco ante citato.

IV.

Quâ occasione verò in hunc errorem Sadducæi sint delapsi, docere nos poiest in cabala sua historicâ R. Abraham Davidis F. & ex eo juniores f. Refert is, ut cum Antigono Sochæo, qui Alexandri M. tempore vixit, in ore crebrò esset, *Ne sitis tanquam servi, qui ideo domino serviunt, ut ὀψώνιον, hoc est demensum accipiant*: discipulus ejus Sadoc à quo Sadducæis postea nomen, & unà alter discipulus Baithus, pio adeò dicto in sententiam impiam detorto, opinionem conceperint, non esse ἀντίδοσιν ἔργων, hoc est operum aliquam mercedem aut fructum, atque ideo resurrectionem ac futurum seculum abnegarint.

f Ios. Scal. Elench. Trihæres. cap. 15. & Drusius de tribus Iudæorum sectis l. 3. cap. 3.

V.

Hunc Sadducæorum errorem, (qui Iudæis cæteris solâ etiam temporis præscriptione potest refelli) argumento istiusmodi solidè diluit Salvator noster, ex Exodi III. 15. Deus non est Deus mortuorum, sed viventium: Deus est Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Ergo Abraham, Isaac, & Iacob vivunt. Quæ probatio etsi solùm de animæ immortalitate concludere videatur; tamen cum Deus totius hominis sit Deus, etiam ad mortuorum corpora se extendit: non quasi ea actu vivant,

vant, sed quia Deus, cui omnia sunt præsentia, illa animabus tempore suo sociare firmissimè decrevit. Vivunt igitur Deo, utut hominibus sint mortua. Atque inde est, quod nec Christus dubitabat dicere, filiam archisynagogi dormire *a*, quam tanquam è somno suscitaturus esset. Ita argumentationem eam Christi cepit quoq; Irenæus lib. IV. c. XI. *Si*, inquit, *Deus mortuorum non est, sed vivorum, hic autem dormientium patrum Deus dictus est, indubitatè vivunt Deo, & non perierunt, cum sint filii resurrectionis.* Et Tertull. de Resurrect. carnis, cap. XXXVI. *Resurrectionem* MORTUORUM APUD DEUM VIVORUM *talem* (Christus) *confirmabat esse, qualis negabatur: utriusque scilicet substantia humana.* Et Chrysostomus *b* in hunc locum: *Quemadmodum Adam quamvis viveret, posteaquam de vetito ligno comedit, sententiâ tamen prolatâ mortuus erat: sic profectò isti etsi mortui erant, pollicitatione tamen resurrectionis vivebant. Quomodo igitur alibi dicit, ut & mortuis & vivis dominetur? Non est hoc illi contrarium. Mortui namque hic illi qui victuri sunt appellantur.* Similiaque habent imitatores Chrysostomi, Euthymius & Theophylactus.

a Matth. 9. 24.

b Matth. homil. 71.

VI.

Cùm verò testimonium Mosaicum à Christo prolatum, non apertè, sed ex consequenti probet resurrectionem mortuorum; quæri posset cur non claro aliquo loco pugnare maluerit Christus. Nimirum in causa erat, quod in Mose nusquam vel resurrectio nominetur, vel vita æterna, sed communibus semper vitæ ac mortis, præmii ac pœnæ vocabulis contineatur. Quid mirum? quando Mosi per rerum externarum velum ad considerationem rerum æternarum deducere populum Iudaïcum propositum fuit; quam rem plenius exponunt Hebræi interpretes ut Levit. XXVI.

VII.

At dicat aliquis, potuisse saltem luculentum magis testimonium proferri ex prophetico instrumento. Verùm Sadducæi, quamquam fortasse Prophetarum libros tanquam præstantium virorum scripta legerent, ac in templo audirent (nempe non absimili ratione ac jam antiquitus Ecclesia Christiana Siracidem, Machabæorum libros, ac similes legere ac commendare solet) non tamen pro θεοπνεύστοις καὶ κανονικοῖς eos habebant: sed solos Mosis libros hoc honore dignabantur, ut è Iodæis innuere videntur Flavius Iosephus lib. XIII. cap. XVIII. & Josephus Pseudo-Gorionides lib. IV. Histor. cap. VI. *c* è Christianis verò disertim scribit Tertullianus adv. Hæret. cap. XLV. Origenes in Matth. tractatu XXII. circa finem: Hieronymus in hunc locum: Isidorus lib. VIII. Orig. cap. IV. Beda, Zacharias Chrysopolitanus, alii: tum è junioribus Nicolaus Lyranus in Actor. cap. XXIII. & Sixtus Senensis lib. II. Biblioth. voce *Traditiones.* A quibus tamen omnibus dissensit Jos. Scaliger *d* argumentis compulsus, ut nos quidem putamus, haut satis firmis.

c Edit. Basil. sed c 29 edit. Cracov. & Venet.

d Elench. Trihæres. cap. 16.

VIII.

Præterea verisimile est, solere Sadducæos etiam aperta testimonia eludere: uti & hodie hæretici solent. Quod eo credibilius est, quandoquidem perrara ejus dogmatis testimonia in prophetis exstent. Nempe his quoque res cælestes & æternas sub terrenorum beneficiorum appellatione, pœnas item æternas sub ignis, sulphuris, tophet, & similium pœnarum nomine comprehendere moris fuit.

IX.

Locus ille Iobi XIX. 26. si minùs eos moverit, mirandum non est: quando veteres Hebræi omnes, & è nostris doctissimus interpres Mercerus sic eum locum transferunt & explicant, ut nihil faciat ad resurrectionem. Nec multò aliter judicandum de loco Jes. XXVI. 19. & Ezechielis XXXVII. 12. quæ doctissimi Theologi hodieque de insperatâ liberatione accipiunt: ut nempe mortui κτ̀ μεταφορὰν vocentur, qui ob summas calamitates quasi mortui reputantur: reviviscere item dicantur, qui præter spem omni miseriâ à Deo liberantur. Quamquam hæc minimè prohibent, quo minùs illâ resurgentium ossium imagine simul *annuncietur spes recorporandarum & redanimandarum reliquiarum & de sepulchris resuscitandorum mortuorum*: Ut Tertullianus *a* rectè monet. Imò ut tantùm parabola esset, sic quoque ex resurrectione figuratâ rectè colligeretur vera. Scitè idem Tertullianus *b*, *Hoc ipso quod recidivatus Iudaici status de recorporatione & readunatione ossium figuratur: id quoque eventurum ossibus probatur. Non enim posset de ossibus figura compons, si non id ipsum & ossibus eventurum esset. Nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui, necesse est esse prius sibi, quo alii configuretur. De vacuo similitudo non competit: de nullo parabola non convenit. Ita oportebit ossium quoque credi revisceratıonem & respirationem qualis dicitur, de quâ possit exprimi Iudaicarum reformatio qualis affingitur.* Similiterque Hieronymus *c*, *perspicuum est non nos resurrectionem negare, sed hac non scripta de resurrectione contendere & per resurrectionis parabolam, de restitutione Israël prophetari; qui eo tempore captivus erat in Babylone. Nec statim hæreticis occasionem dabimus, si hac de resurrectione communi intelligi denegemus. Nunquam enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat.*

a De resurrect. carnis. cap. 31.

b Ibidem, cap. 30.

c In c. 37. Ezech.

X.

Locus ille Dan. XII. 2. 3. mirè illustris est: sed non putamus Sadducæos fuisse modestiores impietatis suæ socienno Porphyrio, qui eum ingeniosè satis interpretabatur de liberatione ab tyrannide Antiochi: ut ex Hieronymi commentariis discere possumus. Et tamen non si concedamus κτ̀ μεταφορὰν statum populi Iudaici post Antiochi tempora designari, hoc mortuorum resurrectionem convellet, sed potius constituet, quia alioqui ab eo parabola non duceretur.

XI.

Egregiè verò Augustinus lib. XX. de Civ. D. cap. XXIII. observat locum hunc Danielis geminum esse sententiæ Christi apud Joh. cap. V. 28. 29. Nam quod angelus apud Danielem ait: *qui in pulvere terræ dormiunt*; hoc Christo est, *qui in monumentis sunt*: quod angelo, *evigilabunt*, sive expergiscentur; hoc Christo, *audient vocem filii & procedent*: quod angelo. *hi ad vitam æternam, illi ad opprobrium & contemtum æternum*; hoc Christo, *qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.*

XII.

Unum dissimile aliquis putet, quod angelus *MULTOS* resurrecturos dicat, Christus *OMNES.* Ac fortassè patrocinium hinc aliquis quærat eorum errori, qui non omnes, sed solos justos resurrecturos dicunt: quos inter R. David Kimchi in Ps. I. Sed refellitur hæc sententia ipsis Angeli verbis, ut qui disertim addat, alios resurrecturos ad vitam, alios ad opprobrium. Unde liquet *multos* idem valere quod *omnes*: quomodo aliàs etiam accipi probat ibidem Augustinus ex collatione loci Genes. XVII. 4. & XXII. 18. item Theodoretus ex epist. ad Rom. V. 18. & 19.

XIII.

Sed imprimis clarè carnis resurrectionem docemur Novi fœderis libris: ut liquet cum ex iis quæ jam diximus,

tum è Luc. xiv. 14. Joh. Euangel. xi. 24. & Apoc. xx. 12. & seq. Paul. 1. ad Thess. iv. 14. & seq. & imprimis luculento illo loco cap. xv. prioris epist. ad Corinth. ubi variis resurrectionem probat argumentis. Ac puto non abs re fuerit, si hic eorum singula subjiciamus.

XIV.

Primùm igitur nos resurrecturos colligit Apostolus, eò quòd resurrexit Christus, qui tum exemplum, tum initium est resurrectionis nostræ: ut in quo tum cognoscatur, & ordinetur resurrectio nostra, tum etiam inchoetur, quia ille est caput mysticum Ecclesiæ, nos ejus membra sumus: absurdum verò est membra non aliquando capiti esse jungenda: ille item primitiæ morientium, ut eum Apost. vocat; nos massa ac fructus cæteri: at hæc fortè non discrepant, quod indicat illud Paullinum *a*, *Si primitiæ sancta, etiam massa sancta.*

[a Rom. xi. 16.]

XV.

Alterum Apostoli argumentum petitur à fine redemtionis per Christum: quia si non superest spes resurrectionis & melioris vitæ (utrumque enim hoc Apostoli animo obversabatur, quia qui olim alterutrum horum negarent, etiam alterum tollerent) Christiani profectò mortalium omnium miserrimi forent; quod ἄτοπον.

XVI.

Tertium sumitur à consilio divino, quo decretum fuit, ut quemadmodum per Adamum primum mors venit in mundum, sic per Adamum alterum vita veniret in mundum. Atqui (ut Tertulliani verbis *b* utar) *si sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: carne vivificabuntur in Christo, sicut in Adam carne moriuntur.*

[b De resurrect. carnis. cap. 48.]

XVII.

Quartum argumentum est à duratione regni Christi in hoc mundo. Nec enim Christus quà mediator priùs in medio hostium desinet regnare, quàm aboleverit universos humanæ naturæ hostes; Satanam nempe, qui ad peccandum sollicitat: peccatum, quod ex Satanæ suggestu à liberâ hominis voluntate proficiscitur; & mortem, quæ stipendium est peccati. Primus horumce hostium à Christo victus est in cruce; alter per Christi gratiam vincitur à Sanctis in hac vitâ: tertius demum vincetur in resurrectione secundâ, unde & ἔσχατος ἐχθρὸς ab Apostolo appellatur.

XVIII.

Quinctum est ab iis, qui Apostoli tempore ἐβαπτίζοντο ὑπὲρ τῶν νεκρῶν: quo loco, quamquam minimè eorum sententiam damnamus, qui τὸ βαπτίζεσθαι (ut interdum *c* sumitur) de afflictione intelligunt, ac τὸ ὑπὲρ (ut interdum accipi Eustathius docet) ἕνεκα vel ὑπὲρ exponunt: ut nempe intelligantur, qui eo persecutionem patiantur, quòd obdormientes in Christo resurrecturos æternumque beatè doceant victuros: tamen cum τὸ βαπτίζεσθαι obscuriori hac notione tarò admodum usurpetur in scripturis, ac tom, unico Lucæ loco excepto, additam habeat ἐξήγησιν; magis placet hoc verbum propriè accipi, ac τὸ ὑπὲρ ut sæpe fit, *super* seu *supra*, quod & inde descendit, significare: ut nempe sententia sit, qui baptismi aquâ tingi amant super cadavera, h. e. super sepulchra. Quæ interpretatio eo confirmatur, quòd non Hieronymi tantùm vel Augustini ævo ad memoriam martyrum convenirent, quod nemo in dubium vocat: sed jam ætate eorum, qui Iohannem Euangelistam audire potuissent: ut fratrum Smyrnensium litteris ab Eusebio recitatis ostendimus thesibus historicis de Invocatione Sanctorum. Ut igitur jam antiquissimis Ecclesiæ temporibus Christiani instituere amabant conventus sacros in martyrum cœmiteriis, quò fideles hoc pacto ad eorum sequendum exemplum magis inflammarentur: ita iisdem temporibus, ipsoque, ut videtur, Apostolorum ævo, gaudebant multi super martyrum aliorumque fidelium sepulchra baptizari, quò ita tum peccato se mori, tum & suam & eorum, super quibus baptizarentur, resurrectionem se credere hoc signo testarentur.

[c Matth. xx. 22. 23. Marc. x. 38. 39. Luc. xii. 50.]

XIX.

Sextum Apostoli argumentum est, quòd frustra alioqui tot pericula subirent Euangelii præcones, ac ipse etiam hujus Epistolæ scriptor; ut qui Ephesi coactus esset cum bestiis pugnare; quam rem fusè narrat Niceph. lib. 11. Histor. cap. xxv. Fabulosè fortasse, (nec enim semper dignus scriptor ille, qui cum in tenebris mices) sed tamen propriè quoque Apostoli verba ceperunt, Ambrosius, Theodoretus, & veterum alii. Fateor Lucam rei adeò memorabilis mentionem facere nullam: sed alia quoque plurima maximi momenti præterit idem: ut vel cognoscimus ex illo 2 Cor. xi. 25. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.*

XX.

Septimum ultimumque Apostoli argumentum est, quòd alioqui habiturum sit locum illud de Epicuri scholâ: (Laconicum fuisse proverbium Valla *a* monet) *Edamus, bibamus, cras enim moriemur*: quod etiam apud Esaiam est cap. xxii. 13. Atque hæc quidem tum scripturarum testimonia, tum Apostolica argumenta validè probant resurrectionem carnis.

[a Annot. in hunc Apost. locum.]

XXI.

Sed non tantùm scripturarum ignoratione, verùm, quod meritò Saducæis exprobrat Christus, *b* etiam ignorantiâ potentiæ divinæ resurrectionem negarunt multi. Atqui, utut humanam hoc opus excedat rationem, minimè tamen ei repugnat. Imò ratio ipsa docet, illum qui compositum ex nihilo produxit, eundem dissolutis, sed remanentibus principiis essentialibus, (æternitatem enim tum materiæ, tum animarum etiam Aristoteles agnoscit) facilè hæc unire, atque eorum coalitu compositum restituere posse.

[b Matth. 22. 29.]

XXII.

Nec obstat quod corpora in cineres vertantur, inque elementa resolvantur, quandoquidem Deo mundus hic multis partibus est minor quàm minima homullo officina: qui tamen quantumvis madidâ sæpè memoriâ sit, ubi quidque recondat, probè norit, indeque tempori ad usum depromit. Tertullianus *c* bene: *Non sola anima seponitur: habet & caro suos sinus interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, & bestiis. Cum in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cùm de illis quoque effluxeris, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illâ repræsentetur.*

[c Lib. de resurrect. carn. cap. 63.]

XXIII.

Divinæ hujus potestatis documentum habemus Apocalyps. xx. 13. *Et reddidit mare mortuos. Sed ἐμφαντικώτερος* locus iste tanquam è scripturis à Tertulliano citatus: *Et mandabo piscibus maris & eructabunt ossa, quæ sunt comesta, & faciam compaginem ad compaginem & os ad os.* Ubi ut idem *d* monet, *nominantur bestiæ & pisces in redhibitione carnis & sanguinis, quo magis exprimatur resurrectio etiam devoratorum corporum, cum de ipsis devoratoribus*

[d Ibid. cap. 32.]

exactio

exactio edicitur. Quamquam verò frustra locum istum quæras in canonicis scripturis: quin sententia tamen sancta sit minimè dubitandum.

XXIV.

Sed magis fortassè moveat aliquem, quod de ἀνθρωπο-φάγοις speciosè adeò objici solet. Atqui longè facillimum est Deo, quod ex alienâ carne hominivoro accessit, hoc injusto ereptum possessori restituere priori, aliundeque posteriori supplere. Et hæc de quæstione, An resurrectio sit, dicta sunto. Quæ vel ad caussas vel affectiones Resurrectionis pertinent, separatâ disputatione prosequemur.

DISPUTATIO DECIMATERTIA

DE

RESURRECTIONE CARNIS.

THESIS I.

EXCUSSA quæstione, An futura sit Resurrectio carnis, nunc naturam ejus explicabimus. Hæc verò in eo consistit, quod corpus humanum, potentiâ ac jussu Dei, restituatur animæ suæ, ut homo idem judici Deo sistatur, vel saluti ordinandus, vel supplicio destinandus. Ubi cum breviter caussas Resurrectionis omnes complexi simus, ordine deinceps de singulis fusiùs dicemus.

II.

Materia Resurrectionis non alius est quam homo: σῶμα γὰρ τοῦτο μόνον θνητῶν ἐν ἀπαθανατίζεται, ut Nemesius ait *a*. Ac ratio est, quod animantium solus animam habeat immortalem, eoque solus post mortem sisti possit judicio Dei, quod finis est Resurrectionis. Explodendus igitur Muhammedes, qui, ut de eo etiam Claudius Alberius *b* scripsit, Alpharcam xx. & in libro Teschere Elimam, bestiarum Resurrectionem fidei caput facit.

a *De natura hominis cap. 1. p. 19.*

b *Orat. apodict. de Resurrect.*

III.

An omnes sint resurrecturi, inferius videbimus: nunc hoc dicere contenti sumus, pietatem hac parte nullum facere discrimen: uti cognoscimus ex Dan. XII. 2. Joh. v. 28. Act. XXIV. 15. Apoc. XX. 13. Errant igitur Iudæorum recentiores, qui impiorum Resurrectionem negant, ut R. David Kimchi in Ps. I. & Es. cap. XXVI. R. Saadias in Dan. cap. XII. atque alii, sed dissentiente de impiis Iudæis R. Bechai *c*.

c *Vide sis Jo. Buxtorf. Syn. Iuda. c. 1.*

IV.

Quamquam verò totus homo resurgat, non tamen κυρίως totum hominis resurgit: quippe anima non resurgit, nisi per accidens: propriè verò & per se resurgit corpus organicum quà tale. Nempe idem numero corpus. Unde Aquilejensis Ecclesia (non Africana, uti vir eruditus *d* scripsit) in Symbolo dicebat, *Credo Resurrectionem carnis* HUJUS; teste Rufino in Symb. Ac concilium Toletanum XI. quod anno IV. Wambæ regis, Christi autem IƆCLXXV. celebratum fuit, can. VII. optime ait: *Exemplo capitis nostri confitemur verâ fide Resurrectionem carnis omnium mortuorum: nec in aëre vel qualibet aliâ carne (ut quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in* ISTA, *quâ vivimus, consistimus & movemur.*

d *Z. Ursin. in Cat.*

V.

Per delirantes istos Concilium intelligit eos, qui Originistæ inde dicebantur, quod ad errorem his Origenes præisse putaretur. Sanè in libris, Origenis nomine divulgatis, ac nominatim comment. in Psal. I. (ut ex Epiphanio constat) non carneum, sed aereum aliudve corpus aëre & vento subtilius resurrecturum tradebatur. Sed eos libros hac parte & aliis fuisse corruptos ab hæreticis, probant Eusebius in apolog. pro Orig. *a* & Rufinus *b* præfat. in Origenis libros περὶ ἀρχῶν. Origeni tamen hunc errorem impingit Methodius sermone de Resurr. & ex Methodio Epiphanius hær. LXIV. ex Epiphanio Nicetas Choniates lib. IV. Orth. Fid. cap. XXXI. Atque hinc commodè interpretandum, quod Augustinus hæres. XLIII. ἁπλῶς scribit, negasse Origenem Resurrectionem carnis. Nempe non nisi epitomen Epiphanii viderat Augustinus: quam iccirco *c* libellum vocat magnitudine cum libro suo minimè comparandum. Origenistarum errorem penè ad obitum usque secutus fuit Eutychius, patriarcha Constantinopolitanus, quicum hoc de dogmate coram Tiberio Augusto Imp. disputavit Gregorius, tum temporis Romanæ Ecclesiæ diaconus apocrisiarius: ut ipse testatur lib. XIV. Moral. cap. XXIX. in verba hæc Iobi, *Et circumdabor pelle meâ*, & Beda lib. VI. in Lucam cap. XXIV. Ado Viennensis in Chron. anno IƆLXXV. & Sigebertus in Chr. a. IƆLXXX. Etiam eo infectus fuit Stephanus Tritheita, cognomento Gobarus: ut tradit Photius in bibliotheca sua *d*.

a *Tom. 4. Hieron pag. 188. & 189. edit. Basil. 1553.*

b *Ibidem pag. 198.*

c *In præf. lib. de hæres.*

d *P. 471 edit. Aug.*

VI.

Optimè verò Tertullianus *e*, *Quamquam*, inquit, *Resurrecturam carnem probantes, hoc ipso non aliam resurrecturam probemus, quam de quâ agitur: tamen singula quæstiones & caussæ earum proprios quoque flagitant congressus, licet aliunde jam cæsæ.* Nos quoque monitum hoc secuti, separatim deinceps illam Origenistarum opinionem, septemplici veritatis clypeo muniti, septuplici argumento impugnabimus & expugnabimus.

e *Lib. de Resurr. cap. 55.*

VII.

Aciem ducat ipsa Resurrectionis appellatio. Nam ut Ambrosius *f* ait, *Hæc est Resurrectio, sicut verbi ipsius sono exprimitur, ut quod excidit hoc resurgat: quod mortuum*

f *Orat. 2. de Resurr.*

 fuerit,

fuerit, revivifcat. Quo argumento etiam pugnant Tertull. lib. v. contra Marcionem cap. IX. Epiphanius hæresi LXIV. Greg. Nyssen. de Resurr. orat. III. *a* Chrysost. de Resurr. orat. III. *b* Cyrillus Alexandr. in Ioh. lib. XII. cap. LIII. Gennadius Massiliensis de Eccles. dogm. cap. VI. Damasc. de orthod. Fid. lib. IV. cap. XXVIII. Idem ostendit usitatissimum in scripturis *c* obdormiendi verbum: unde & cœmeterus nomen. Eo enim corpora tanquam è somno suscitatum iri significatur.

a Col. 736. edit. Par. 1573.
b Col. 355. edit. Biller.
c Deuter. 31. 61. & 1 Reg. 2. 10. & 14. 31. & 15. 24. & 10. 29.

VIII.

Alterum argumentum suppeditant loca, quibus apertè huic carni promittitur immortalitas: ut Rom. VIII. XI. Philipp. III. 21. & 1 Cor. XV. 53. Ubi provocabulum meritò urget Tertullianus lib. de Resurr. cap. LI. *Ut*, inquit, *de carne dictum intelligas, dicit* ISTUD *corruptivum, &* ISTUD *mortale, cutem ipsam tenens dicit.* Sic lib. v. adversus Marcion. cap. x. *Corruptivum* HOC, *tenens utique carnem suam dicebat Apostolus.* His adde loca alia non minus illustria. Ut Christi illud apud Joh. v. 28. *Qui in monumentis audient vocem ejus.* Ubi, ut idem Tertull. ait *d*, *nemo jam poterit aliud mortuos interpretari, qui sint in monumentis, nisi corpora & carnem, quia nec ipsa monumenta aliud quàm cadaverum stabula.* Etiam quod Actor. XVII. 32. Epicurei ac Stoici in Areopago ἐχλεύαζον Resurrectionem à Paullo prædicatam, cujusmodi ea fuerit prædicatio clarè ostendit. Quo & argumento idem Tertull. *e* usus est.

d Lib. de Resurr. c. 37.
e Ibid. cap. 39.

IX.

A pari quoque hoc ostendit idem lib. v. adversus Marc. cap. IX: *Si sic in Christo vivificamur omnes, sicut mortificamur in Adam f quando in Adam corpore mortificamur, sic necesse est & in Christo corpore vivificemur. Cæterum similitudo non constat, si non in eadem substantiâ mortificationis in Adam, vivificatio concurrat in Christo.*

f 1 Cor. 15. 22.

X.

Quartum argumentum petitur à justitiâ divinâ: quâ Resurrectionem nui docet Christus Matth. x. 28. & Apostolus 2 Cor. v. 10. Hinc Ambrosius de Fide Resurr. *Hac est series & causa justitia, ut quoniam corporis animaque communis est actus, qua animus cogitavit, corpus effecit; utrumque in judicium veniat, utrumque aut pœna dedatur, aut gloria reservetur.*

XI.

Quinctum sumitur ab exemplo Christi, unde & Resurrectionem nostri Apostolus probat 1 Cor XV. 12. 13. & 1 Thess. IV. 14. Sanè Christus non tantùm carnem & ossa se habuisse post resurrectionem testatur Luc. XXIV. 39. & manus ac pedes suos ostendit Thomæ apud Joh. XX. 27. sed, (quod illustre imprimis pristini corporis τεκμήριον est) jubet Thomam immittere digitum lateri suo, ut vulneris vestigia cognoscat.

XII.

Sextum sunto aliorum exempla, nec non resurrectionis typi. Ac novem quidem particularis, præter illam Christi, resurrectionis exempla habemus in scripturis: nempe 1 Reg. XVII. 22. & 2 Reg. IV. 34. & XIII. 21. Matth. IX. 25. & cap XXVII. 52. 53. Luc. VII. 15. Ioh. 11. 41. & seq. Actor. IX. 40. & c. XX. 10. Etiam quos novissimus dies vivos offendet, non morientur, sed duntaxat immutabuntur: ut inferius ostendemus. Atqui verisimile non est, hos eandem, alios alienam, vel aliam saltem habituros carnem. Nec parvum ejusdem carnis resurrectioni testimonium fidei signat, quòd *Ionas devoratus à belaâ maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo post incolumis exspuitur: quod hodie Enoch & Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec forte functi, tamen de orbe translati, & hoc ipso jam æternitatis candidati*: ut verbis utar Tertulliani lib. de Resurr. cap. 58. Similiterque Chrysost. hom. 1. de Resurr. *a*. *Propterea Enoch transtulit & Eliam rapuit, docens per eos resurrectionis materiem.*

a Col. 356. edition. Biller.

XIII.

Agmen claudat argumentum à duplici ritu. Prior est baptismatis, quod significat tum factam animæ resurrectionem à peccatis, teste Apostolo Coloss. II. 12. tum futuram corporis resurrectionem è sepulchro: unde & erant qui in hujus rei testimonium super sepulchris baptizarentur: ut colligitur ex 2 Cor. XV. 29. Alter ritus est sepulturæ: quippe qui non à superstitione sit, sed in resurrectionis futuræ spem divinitùs sit institutus: unde Prudentius hymn. x. ad defunctorum exequias.

Quæ pigra cadavera pridem Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepultis Impenditur: hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus Et funeris ambitus ornat.

XIV.

Hæc abunde eos refellunt, qui aliis potiùs, quàm hisce corporibus nos induendos arbitrantur. Qui error quàm facilè surrepat incautis argumento est summus ævi nostri vir, quem primitùs non alienum fuisse ab hac sententiâ, Farelli ad eum epistolâ clarè comprobatur. Ingens verò est impudentia Francisci Feuardentii ad Irenæi lib. v. cap. II. ubi Farello insultat, quia mirari se scribat, quod resurrectio carnis videatur ei ἐκ τῶν ἀδυνάτων: atque adeò nec dubitat hinc concludere, abire eum in castra Simonianorum & Marcionitarum, negantium Resurrectionem carnis. Atqui Farellus non nesciebat, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia esse apud Deum *b*, cui non erit impossibile ullum verbum *c*: verum hoc tantùm voluit, humano eam judicio impossibilem videri. Imò quid penè aliud totâ istac epistolâ agit vir præstantissimus, quàm ut confertissimis & solidis probet argumentis, non ἄλλου corporis, sed carnis ejus, qua nunc induimur, resurrectionem à nobis credi debere? Quod verò aqua hic aliquando hæserit Calvino (ad hunc enim eam quam dixi epistolam scripsit Farellus) id indignum plane est, quod Pontificii objectent: quando dies diem docet, eoque sufficit, quod sive argumentis Farelli compulsus, sive aliunde veritatem persuasus, prodigiosum hunc errorem (sic ipse appellat) solide refellit lib. 3. Inst. Christ. cap. 25. union. 7. quin & fatetur um. 8. nullius doctrinæ clariorem vel certiorem desiderari posse probationem. Ac de materiâ resurrectionis satis. Videamus de FORMA.

b Luc. 18. 27.
c Luc. 1. 37.

XV.

Hæc aliter se habet ratione eorum, qui ante novissimum diem fuerint defuncti: aliter respectu illorum, quos viventes offendet Dominicus adventus. In illis tria comprehendit: nempe tum cinerum pulverumque dissipatorum collectionem; tum corporis ex hisce coagmentationem; tum ejusdem animationem. Eamque perpetuam & indissolubilem: quo resurrectio universalis à particulari Lazari & aliorum resurrectione differt. Ex his tamen primum secundumque vix habere locum possunt in illis, quorum obitum mox excipit novissimus dies; nisi in his forte, qui igne fuerint absumti: at tertium universale est. Ac respondet ultimum hoc casui compositi, qui in separatione corporis ab anima con-

consistit. Medium ἀντίστροφον putamus casui corporis, quod in elementa dispescitur. Primum velut è regione sui respicit casum materiæ, cui obnoxium est corpus jam in elementa resolutum.

XVI.

Dispar verò eorum ratio est, qui supererunt novissimo die: propter quos est, quod Christus Act. x, 42. non mortuorum tantummodo, sed etiam vivorum judex à Deo dicitur constitutus: quodque in Symbolo creditur venturus ad judicandum vivos & mortuos. Siquidem viventes isti (quod unus nos & quidem tanquam mysterium docuit Apostolus Paullus 1 Cor. xv. 51.) non morientur: sed ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ h. e. in temporis puncto, in oculi ictu, vel, ut Valla apud vulgatum interpretem legere maluit, in oculi nictu, immutabuntur, exutaque naturâ mortali immortales fient, boni in gloriâ, mali in supplicio.

XVII.

Neque obstat, quòd apud divinum scriptorem epist. ad Hebr. cap. ix. 27. legimus: *Statutum est hominibus, ut semel moriantur.* quia id ex hoc loco restringi debet ad mortalitatis conditionem, quæ vel mortem inducit, vel ejus vicariam immutationem. Unde Tertullianus lib. de Resurr. cap. 41. *Hujus gratia privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichristi merebuntur COMPENDIO MORTIS PER DEMUTATIONEM EXPUNCTÆ concurrere cum resurgentibus.*

XVIII.

Istæc eorum locorum conciliatura fugit illos, qui jam ante Hieronymi ac Augustini ætatem Latinos codices corruperunt, legentes apud Apostolum: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes mutabimur.* Vel, *Omnes quidem dormiemus, non omnes immutabimur*: cùm legi debeat, *Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes immutabimur*: prout in codd. aliquibus inveniri testatur scriptor scholiorum in epist. Pauli Hieronymo tributorum *a*, Augustinus lib. 20. de Civ. D. cap. 20. ac Thomas Aquinas in comm. *b* prout item ante hos legit Tertullianus de Resurrect. cap. 42. (ubi sic, ut diximus, locum librarii vitio corruptum, corrigi debere paret ex iis quæ cap. 41. præmittit) è Græcis item Origenes lib. 11. contra Celsum, Theodorus Heracleotes, & Apollinaris apud Hieronymum epist. ad Minerium & Alexandrum, item Chrysostomus, Theodoretus, & Theophylactus: quomodo item propè ad unum omnes Græcanici codices hodie habent: quos impiè esse corruptos impudenter in suo anidoti egentissimo antidoto scribit Stapletonus.

a In 1 Cor. 15. 51.
b In eundem locum.

XIX.

Interim sive residuos illos subitò morituros & revicturos dicamus, sive non morituros, sed tantummodo immutandos putemus; non violatur resurrectionis fides. Quia utrinque stant viri æquè catholici & eruditi: ut Gennadius Massiliensis scripsit lib. de dogmat. Eccles. cap. 7. ubi & addit, *quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus. Sufficit enim in ecclesia lego, carnis resurrectionem credere futuram de morte.* Hæc de formâ.

XX.

AUCTOR resurrectionis non alius statui potest quàm DEUS naturæ auctor. Longissime enim exsuperat omnem naturæ virtutem: unde Dionysius lib. de divinis nominibus cap. 6. ait τῇ πλεονεκτικῇ μὲν ἴσως παρὰ φύσιν δοκεῖν, αὐτῇ δὲ καὶ τῇ ἀληθείᾳ καὶ θεῖον ὑπὲρ φύσιν.

XXI.

Rejicimus igitur errorem Richardi, eumque sequentis Scoti in 4. Sent. dist. 43. quæst. 3. quorum uterque putavit naturam Resurrectionis caussam esse posse. Usi argumento de igni solis radiis accenso, inque aërem paullatim converso, posteaque denuò solis radiis accenso, & in ignem commutato. Sed quamquam hic materia eadem, idemque numero agens, forma tamen non nisi specie est eadem: ut ostendit Aristot. lib. 11. de Gener. & Inter. cap. ult. inque eum locum Aben-Roes.

XXII.

Etsi autem S. Trinitas communiter Resurrectionis caussa sit: ut cognoscimus ex Joh. v. 21. & Rom. viii. 11. singulariter tamen Christus ait Joh. vi. 54. *Ego suscitabo eum in novissimo die.* Nam resurrectio Christi caussa est exemplaris resurrectionis nostræ: unde aptè Gregor. Mag. lib. 16. Moral. tm. 94. *Resurrectio quam in se ostendit, nobis promisit, quia sui capitis gloriam sequuntur membra.* Præterea excitabimur ad potentissimam Christi vocem, quæ caussa erit instrumentalis Resurrectionis nostræ: ut cognoscimus ex Joh. v. 25. & 28. Quam rem non malè explicat Thomas quæst. 75. art. II. ad 2. *Quemadmodum vox naturalis dormientem excitat, sic Christi vox mortuos excitabit.* Et Nyssenus de hominis opif. cap. 25. *a* ait: *Nam & Apostolus memoria prodidit, dominum ipsum quasi cum militari conclamatione mortuos ad conditionem interitus expertem suscitaturum: quomodo Lazarus tumulo conditus ad vocem imperiumque domini mortem instar somni excussit.*

a Col. 94. edit. Par. an. 1573.

XXIII.

Atque hinc verisimile fit, vocem illam realem & articulatam fore: nempe quæ hanc vel similem sententiam sonet: SURGITE MORTUI, VENITE AD JUDICIUM. Sanè Hieronymus hoc documentum fertur tradidisse, ut sive edamus sive bibamus, sive vigilemus sive dormiamus, tuba istæc nobis verba perpetuò insonet. Verùm frustra hoc in Hieronymo quæri puto: quamquam tale quid reperitur T. 4. in regulis Monachorum *b*. Sed hæc non Hieronymi sunt, verum à Lupo de Oliveto generali eremitarum ordinis ex Hieronymi scriptis sunt collectæ, posteaque à Martino V. approbatæ; cujus & literæ regulis præmittuntur.

b Cap. de timore ultimi judicii.

XXIV.

Porrò non piorum tantùm sed impiorum quoque resurrectio à Christi fluit resurrectione: ut ostendit illud Paullinum 1 Cor. xv. 22. *Quoniam enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificantur.* Cùm enim non de spirituali vitâ ac morte Apostolus loquatur: sed eâ quæ hominum omnium est communis: liquet eum etiam reproborum resurrectionem effectum facere resurrectionis Christi. Nempe etsi Christus, si consideretur ut caput est fidelium, non alios quàm fideles à morte reducit ad vitam: tamen si idem consideretur, qua mortuorum vivorumque judex à Deo est constitutus, *c* ac pater omne judicium dedit filio; *d* universos homines resurrectione suâ ad vitam trahet: sed fideles quidem, ut promissum his præmium conferatur: in-

c Act. 10. 41.
d Joh. 5. 22.

a Tom. 3. pag. 35. & 36. edit. Froben. an. 1555.

fideles autem, ut promerita illis pœna infligatur. Estque in hac etiam sententiâ Ambrosius lib. de Resurrect. cap. xxi. *a* ac apertius idem docet Cyrillus lib. iv. in Joh. xii.

XXV.

Angeli minimè veniunt in societatem caussæ efficientis. Nec enim ullo scripturarum fundamento nititur, quod à Scholasticis traditum est, Deum operâ eorum usurum in ossibus ac pulveribus colligendis. Nec obstat, quod, ut Gregorius M. lib. iv. Moral. cap. v. ait, Deus in corporalibus uti soleat ministerio Angelorum. Nam erunt quidem ministri Resurrectionis, sed non quando fiet, verùm ubi facta erit. Siquidem Deus mortuos ad potentissimam Christi vocem suscitatos, angelico ministerio, quod per clangorem tubæ significatur, coget à quatuor ventis à cœlorum extremo ad eorum extremum: ut testatur Christus Matth. xxiv. 31. & xxv. 32.

XXVI.

Finis Resurrectionis proximus est *κρίσις* sive judicium: quod iccirco de Resurrectione, tanquam effectus de caussâ suâ, enunciatur *καθ' αὑτὴν*. Nam ideò Deus homines suscitabit à mortuis, ut judicet de universis, grana à palea, oves ab hœdis, pios ab impiis discernat. Ut ostenditur Joh. v. 29. Quam rem pleniùs prosequitur Christus Matth. xxv. 32. & seq. Atque hæc de Resurrectionis caussis.

XXVII.

Tempus Resurrectionis indicare non est nostrum: quando Christus apud Matth. xxiv. 36 ait: *De die autem illo & hora nemo scit, ne Angeli quidem cœlorum, sed Pater meus solus.* Novissimo autem eam die futuram cognoscimus ex sermone Marthæ de Lazaro Joh. xi. 24. Brevissimo tempore absolvendam, indicat Apost. 1 Cor. xv. 52. ubi ait eam futuram *ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ*, sive, ut in aliis codd. jam olim legere fuit, *ἐν ῥοπῇ*, unde *in momentaneo oculi motu* transtulit Tertull. lib. v. advers. Marc. cap. x. Quæri hinc solet, an in instanti sit futura. Negat id Durandus in iv. Sent. dist. xliii. quæst. iv. Nam pulveres, inquit, dispersæque corporum partes angelorum operâ colligi debent per motum localem; qui fit successivè. Nos quoque Apostolum non tam instans quàm tempus brevissimum & quasi *ἀκατάληπτον* indicare velle agnoscimus: sed quod de pulveribus per angelos colligendis addit cum aliis Durandus, id jam superius rejectum à nobis fuit.

XXVIII.

Rectè verò Thomas Aquinas *a* hinc diluit errorem Lactantii, qui lib. vii. divin. Inst. cap. xxvi. & epitomes cap. viii. priùs justos resurrecturos ait, ac mille cum Christo annis regnaturos in terrâ: postea que resurrecturos impios. Quæ etiam Stephani Gobari sententia fuit: ut testatur Photius in bibliothecâ suâ. *b* Rectè verò Gennadius Massiliensis de Eccles. dogmat. cap. vi. *Erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed una insimul & semel. Non prima justorum & secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum, sed una omnium.*

a Comm. in hunc Apost. locum.

b P. 471. edition. August.

XXIX.

Usus doctrinæ de Resurrectione non tantùm maximus est, sed penitus necessarius. Nam *Fiducia Christianorum, Resurrectio mortuorum*: à quâ eleganti *γνώμῃ* eruditissimum librum de Resurrectione auspicatur Tertullianus. Nempe non tantùm nos consolatur adversus amicorum mortes, sed etiam quibuscumque in calamitatibus ac imprimis horâ novissimâ efficit, ne fatiscamus, animumque despondeamus: sed, ut præcipit Christus Luc. xxi. 28. erigamus & attollamus capita nostra, quoniam appropinquat redemtio nostra. Atque hoc de ejus doctrinæ usu fusissimè tractat Chrysostomus serm. L. de Resurrect. Adhæc eâ tanquam freno à peccato retrahimur, quoties cogitamus, hunc in finem Resurrectionem fore, ut, quemadmodum Apostolus ait 2 Cor. v. 10. *unusquisque reportet per corpus, secundùm quæ gessit, bonum sive malum.*

DISPUTATIO DECIMA QUARTA

DE

JUDICIO

EXTREMO

PARS PRIOR.

JUdicium Dei de hominum statu ac conditione post mortem duplex est. Nam, ut benè observat Durandus *a*, quia homo est persona quædam singularis, ideò est judicium particulare, quod in die mortis fit, sed occultè: & quia idem est pars universitatis, ideò est judicium universale, quod novissimo die exercebitur, idque palam omnibus creaturis. De universali hoc judicio quatuor exponemus.

a In 4. Sent. dist. 47. qu. 1.

Ac primum videbimus, An sit futurum.

Deinde caussas ejus adferemus.

Hinc circumstantias spectabimus.

Denique, quid fructus ex cognitione ejus redeat ad nos, considerabimus.

Thesis

THESIS I.

FORE judicium extremum, symbolo Apostolico profitemur: idque praeeuntibus Scripturis. Vis illo Actor. XVII. 31. Diem statuit Deus quo justè judicaturus est orbem terrarum cum justitia, per eum virum, quem definiit, fide palam factâ omnibus, illo ex mortuis excitato. *Sed omnium apertissimè de hoc agitur Matth.* XVII. 31. *& deinceps, ac Apoc.* XX. 11. *& seq. Item etiam ratione ipsâ comprobatur. Nec enim patitur justitia Dei, ut bonis semper sit malè, malis semper benè, quod in hac vita plurimum contingit 2 Thess.* 1. 4. Tolerantia vestra & fides in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis, documentum (est) justi judicii Dei in hoc, ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Siquidem justum est apud Deum reddere iis, qui adfligunt vos, afflictionem, & vobis, qui affligimini, relaxationem nobiscum, cum revelabitur Dominus Jesus de cælo cum Angelis potentiæ suæ &c. *Luc.* XVI. 25. Fili memento quod receperis bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris.

Quare detestandum errorem errant Borboriani, Floriani, Manichæi & Procliniatæ, qui omnes (si Philastrium audimus: nam Augustinus quidem non meminit ejus erroris) ullum fore post hanc vitam judicium negabant.

Melius multi è gentilibus: quos aliquam habuisse cognitionem judicii extremi, testatur Justinus initio orationis ad gentiles, & libro de Monarchiâ *a*, Theophilus Antiochenus lib. II. ad Autolycum, Athenagoras legatione pro Christianis, Lactantius lib. VII. Divin. Instit. cap. XX. XXI. XXII. ac Eusebius de præparat. Euang. lib. XI. cap XX *b*. Probant verò illud ex iis, quæ vel Plato atque alii philosophi docuerunt, vel poetæ sub involucro fabularum de Elysiis campis, Rhadamanto & infernalibus pœnis prodiderunt. Videsis, quæ de hac τῆς θύραζε Theologiâ scribit Augustinus Steuchus lib. IX. de perenni philosophiâ cap. XIX. & novem sequentibus.

a 81. Edit. Commel.

b P. 333. edition. Rob. St.

Potuêre autem illud cognoscere naturâ duce. Quia si Deus justus est, natura ejus exigit, ut bonis benè, malis malè sit: quod cùm in hac vitâ non fiat, alteram superesse consequitur, in quâ probi afficiantur præmiis, mali pœnis addicantur. Verisimile tamen est Græcos sive gentiles non tam ratiocinando illud collegisse, quàm ex traditione hausisse: sive Noachi liberi illud per posteritatem de manu in manum transmiserint, quod multimodis postea fuerit obscuratum: sive Plato in Ægypto, alii in Chaldæâ, atque aliis in locis illud ex disciplinâ sacerdotum, qui à populo Israelitico didicissent, acceperint.

THESIS II.

Judex erit Deus per Christum: Deus quidem futurus est judex tum ratione authoritatis in sententia dictione, tum ratione potestatis in sententia exsecutione: at Christus judex erit ratione exercitii, quia illi omnis potestas & omne judicium datum est a Patre. Matth. XXVIII. 18. Data est mihi omnis potestas (*sive auctoritas*, ἐξουσία) in cælo & in terrâ. *Joh.* V. 22. Neque enim Pater judicat quemquam, sed *OMNE JUDICIUM* dedit Filio. *Et vers.* 27. Et potestatem dedit ei judicandi, quia filius hominis est. *Et* Act. XVII. 31. Eo, quo statuit, die justè judicaturus est orbem terrarum, per eum virum, quem definiit, fide palam factâ omnibus, illo à mortuis excitato.

Trinitatem in judicio affore ait Cyrillus Hierosl. Catech. XV *a*: Πάρεστι τοίνυν ἐν τῇ κρίσει τότε ὁ θεὸς ὁ πάντων πατὴρ, συγκαθεζομένου Χριστοῦ καὶ συμπαρόντος ἁγίου πνεύματος. *Aderit tunc in judicio omnium pater, assidente Christo, & præsente Spiritu Sancto.* Judicabit igitur Trinitas: sed solus Filius judicium feret formâ visibili & occultâ: quo sensu intelligi debet, quòd Christus Joh. V. 22. ait, *Non enim Pater judicabit quemquam: sed omne judicium dedit Filio.* Scio à plerisque locum hunc intelligi de generatione æternâ, quâ Pater Filio largitus est omnia: quomodo interpretantur Tertullianus lib. contra Praxean cap. XV. Ambrosius lib. II. de Fide cap. IV. & Chrysostomus homil. XXXVIII. in Johannem. Sed obstat, quod dicat Christus, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου, hoc est διὰ καὶ κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. Optimè hoc perspexit Cyrillus lib. II. in Joh. cap. CXLIV. *Caussam*, inquit, *quare* Christus *hæc sibi data à patre dixerit, illico subjecit, dicens: Quia filius hominis est. Ut intelligamus, omnia ei data fuisse ut homini, qui, cùm creatura sit, nihil habet à se ipso.* Atque idem dixerat cap. CXL. Rectè igitur Augustinus ait, judicium Christo tribui, quia judicabit solus secundùm adspectabilem formam. Verba ejus sunt tract. XXI. in Joh. quæ & à Lombardo *b* citantur: *Hoc dictum est, quia hominibus in judicio non apparebit nisi filius: pater occultus erit, filius manifestus. In quo erit filius manifestus? in formâ, quâ adscendit. Nam in formâ Dei cum Patre occultus est; in formâ servi hominibus manifestus. Non ergo pater judicat quemquam, sed in manifesto omne judicium dedit Filio.* Consentit ei Prosper in sententiis, sent. CCCXXXVII. *Quamvis nunquam recedat à filio Pater; ad judicandos tamen vivos & mortuos non ipse dicitur, sed Filius affuturus: quia ibi nec Patris, nec Filii Deitas, sed illa forma videbitur Filii, quam sibi per sacramentum incarnationis univit. Ipsa ergo erit judex, quæ sub judice stetit. Ipsa judicabit, quæ judicata est, ut videant impii ejus gloriam, in cujus mansuetudinem sævierunt.* Similiter Beda in Joh. cap. V. & Albinus sive Alcuinus Flaccus lib. III. de Trinit. cap. XVIII.

a P. 386. edition. Morell. an. 1608.

b Lib. 4. sent. dist. 48.

Filio autem potestatem Pater dedit, ut Cyrillus Hierosolymitanus ait Catech. XV. οὐκ ἀποστερῶν ἑαυτὸν τῆς ἐξουσίας, ἀλλὰ διὰ τοῦ υἱοῦ κρίνων. νεύματι τοίνυν πατρὸς κρίνει ὁ υἱός· οὐ γὰρ ἄλλα πατρὸς καὶ ἄλλα υἱοῦ τὰ θελήματα, ἀλλ' ἓν καὶ τὸ αὐτό. *Non privans se ipsum potestate, sed per filium judicans. Nutu itaque Patris judicat Filius: non enim alia Patris, & alia sunt Filii nutus, sed unus & idem.*

Nec quo minus judicet Filius, obstat quod Christus dicat *c* se non venisse ad judicandum. Nam loquitur ibi de adventu primo.

c Joh. 12. 47.

Quamquam verò Christus futurus est judex, non tamen judex erit delegatus, à quali judice est provocatio; sed potestatem habens αὐτοκρατορικήν: sic tamen, ut eam humana habeat natura non à se ipsâ, sed per gratiam. De quâ supremâ Christi in judicando potestate, & quàm rigidè eam sit exerciturus, vide Augustinum serm. LXVII. de tempore, Gregorium homil. super Euang. hom. I. & XII. & Bernardum in Cant. serm. LV.

THESIS III.

Solus verò Christus judicium feret, non item Patriarchæ, aut Prophetæ, aut Apostoli, aut B. Virgo: nisi quatenus in & cum Christo, tanquam corporis ejus membra, sententiam ferent: quà item sententiam Christi approbabunt; quà denique comparatione vitæ eorum cum vitâ injustorum, justitia judicis magis manifestabitur.

Quomodo Scripturæ judicium tribuant Apostolis ac sanctis omnibus, minimè convenit inter doctores. Scholastici trifariam eos judicium participare arbitrantur: damnan-

damnando eos vitæ melioris exemplo, Christi judicium approbando, & aliis ejus indicando sententiam. Dicam de singulis fusiùs. Primus modus consistit in comparatione injustorum cum justis, quorum facto redarguuntur injusti, quia justorum instar non fecerint quod debebant. Atque ita Regina Austri & Niniviitæ damnabunt Judæos, ut dicitur Matth. XII. 41. 42. Ac Hieronymus & alii similiter interpretantur illud Matth. XIX. 28. & Luc. XXII. 30. *Sedebitis judicantes duodecim tribus Israel.* Nempe quia, credentibus Apostolis, Judæorum alii credere noluerunt: atque illis piè viventibus, hi securè salutis viam neglexerunt. Quo pertinet illud Prosperi de vitâ contempl. lib. III. cap. XII. *An fortè aliquos ibi* (in ultimo judicio) *fragilitas corporis excusabit? Sed excusantem eorum reclamabunt omnium sanctorum exempla.*

Alter judicandi modus affertur ab Ambrosio in cap. XXII. Lucæ, ubi Apostolos ait judicaturos, quia judicium Christi laudabunt, & quasi cum Davide *a* dicent, *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.*

a Ps. 119. 137

Tertium modum adjungit Thomas *b*, quia judicium Christi manifestabunt illis, qui judicabuntur. Quæ etiam sententia est Josephi Angles in floribus Theologicis, atque aliorum.

b Dist. 47. art. 2. quæst. 1.

Sed de istiusmodi manifestatione altum in Scripturis silentium est. Quapropter in locum modi istius substituimus istum, quod judicabunt in & cum Christo utpote membra ejus. Quòd cum commune sit omnium sanctorum, omnes sanctos judicaturos concludimus. Quemadmodum & iisdem hoc convenit tum ratione assensus, quia Christi judicium approbabunt, tum ratione comparationis cum impiis, qui damnabuntur.

Non desunt tamen qui privilegio quodam Apostolis concessam putant judicandi cum Christo potestatem. Uti Richardus de S. Victore libro de potestate judiciaria, nisi quòd Apostolis eos adjungit, qui vitam Apostolicam vixerint. Quales solùm esse existimat, qui sunt corde puro; & ad contemplationem rerum divinarum elevato. Sed Abulensis in cap. XX. Matth. ulteriùs requirit, ut etiam alios hoc docuerint exemplo suo: secundùm illud Christi Matth. V. 19. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Dei.* Thomas *c* atque alii eos hunc honorem participaturos ajunt, qui voluntariam susceperint paupertatem, quò expeditius serviant Christo: atque hoc inde concludunt, quia cùm Petrus dixisset, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondeat iis Christus, *Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim.* Anselmus in Elucidation. honorem hunc manere ait Martyres, Confessores, Virgines, omnesque eos, qui virtutis fuerint præcellentis. Nobis placet sententia B. Augustini lib. XX. de Civ. Dei cap. V. & Bedæ homil. de S. Benedicto, qui judicaturos ajunt omnes sanctos, eò quòd legamus apud Apostolum 1 Cor. VI. 2. *An ignoratis sanctos mundum judicaturos?* Nec interim negamus, judicandi honorem eminentiori modo Apostolis competere, tamquam iis, per quos Evangelium primitùs sit promulgatum. Sed in quo ἐξοχὴ illa consistat, cum Scripturæ taceant, nec dicere nos possumus. Scholastici in eo constituunt, quod loco sint sessuri eminentiori: item quod judicium Christi sint aliis significaturi. Sed hæc quàm incerta sint, abunde ex iis liquet, quæ jam diximus.

c In 4. Sent. dist. 47. qu. 1. art. 2.

THESIS IV.

Materia judicii novissimi erunt omnes omnium bonorum malorumque hominum actus, tum boni, tum mali. Docet hoc nos Salomonis effatum, quo Ecclesiasten suum claudit, Omne opus Deus adducet in judicium, *quod erit* super omni occulto, sive bonum, sive malum. *Quamquam nec desint, qui loqui eum malint de judicio in hac vita, quo per invidentiam aliterve commissa, tandem à Deo deteguntur. At non aliter, quàm de novissimo judicio accipi possunt, quæ legimus Matth. XXV. 31. & seq. Uti nec illud Rom.* XIV. 10. Omnes stabimus ante tribunal Christi. *Et vers.* 12. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. *Et 2 Cor. V. 10. OMNES* nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter *ad id quod fecerit, vel bonum, vel malum.*

Judicabit Christus vivos & mortuos, ut nos credere in Symbolo profitemur, hoc est, qui vel in Domini adventu in corpore erunt, vel à mortuis tum resurgent: ut explicat scriptor vetus respon. ad Orthodoxos apud Justinum respons. CIX. item Petrus Chrysologus serm. LIX. & Gennadius de Eccles. dogmat. cap. VIII. Ubi etiam legas, Diodorum Tarsensem putâsse, per vivos designari, justos: per mortuos autem, peccatores. Quam interpretationem meritò rejicit Gennadius. Tamen non hanc minùs, quam superiorem adfert Augustinus Enchirid. ad Laurent. cap. LV. Sunt etiam qui per vivos animam, per mortuos intelligant corpus: ut Isidorus Pelusiota epist. CCXXII. & Venantius Fortunatus in expositione symboli. Sed prima interpretatio ut simplicissima, ita absque dubio verissima est.

Non omnes tamen judicandos esse, veterum quorundam sententia fuit: eosque inter Lactantii: cujus hæc verba lib. VII. cap. XX. *Nec tamen universi tunc à Deo judicabuntur, sed ii tantùm, qui sunt in Dei religione versati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati damnatique sunt, sanctis literis contestantibus, non resurrecturos impios in judicium. Judicabuntur ergo, qui Deum scierunt: & facinora eorum, id est mala opera cum bonis collata ponderabuntur: ut si plura & gravia fuerint bona justaque, dentur ad vitam: si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.* Hieronymus lib. I. comm. in Mich. cap. IV. *Nos, quasi peccatores, juxta operum nostrorum mensuram judicabit: illos verò, ut impios & negatores, non judicabit, sed arguet condemnatos.* Augustinus serm. XXXVIII. de Sanctis, qui primus est in commemoratione fidelium animarum: *Ad judicium non veniunt nec pagani, nec heretici, nec Judæi, quia de ipsis scriptum est, Qui non credit, jam judicatus est.* Idem clarius explicat Gregorius Magnus lib. XXVI. Moralium cap. XX. *Duæ sunt partes, electorum scilicet atque reproborum. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii namque judicantur, & pereunt: alii non judicantur & pereunt. Alii judicantur, & regnant: alii non judicantur, & regnant. Judicantur, & pereunt, quibus Dominicâ voce in damnatione dicitur: Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c. Alii vero in extremo judicio non judicantur, & pereunt, de quibus Propheta ait: Non resurgunt impii in judicio: & de quibus Dominus dicit, Qui autem non credit, jam judicatus est: & de quibus Paulus ait. Qui sine lege peccaverint, sine lege peribunt. Resurgent ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium. Non enim eorum tunc causa* DISCUTITUR: *quia ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur, ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extremâ examinatione non audiunt: quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus, quem despexerant, invectione redargui non merentur. Illi saltem judicis verba audiunt, quia ejus fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione suâ æterni judicis nec verba percipiunt: quia ejus reverentiam nec verbo tenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt: isti in perditione suâ de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt.* Eadem paucis complexus Isidorus Hispalensis senten-

sententiarum, sive (ut ab initio librorum eos vocant) de summo bono lib. 1. cap. XXVII. *a* *Duæ sunt differentiæ vel ordines hominum in judicio, id est electorum & reproborum: qui tamen dividuntur in quatuor. Perfectorum ordo unus est, qui cum Domino judicat, & alius, qui judicatur: utrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus: dum hi, qui intra Ecclesiam sunt, mali, judicandi sunt, & damnandi: qui vero extra Ecclesiam inveniendi sunt, non sunt judicandi, sed tantum damnandi.*

a Edit. Parif. an. 1601. sed cap. 30 in edit. Par. an. 1538.

Et hæc quidem Patrum istorum mens fuit: in quâ duo expendemus, quod dicunt de non judicandis infidelibus: tum autem quod docent de perfectis non judicandis. De utrisque maximè nituntur illo Ioh. III. 18. *Qui credit in eum, non judicatur: qui verò non credit, jam judicatus est, quia non credit in Filium Dei.* Scholastici respondent loqui Johannem, non de judicio approbationis aut reprobationis, quod pertineat ad omnes, sed judicio discussionis: ut sententia sit, quorundam tam bonam esse caussam, aut tam malam, ut de eâ disceptari opus non sit: quia in perfectis nihil objici possit, quod damnationem mereatur: & infideles jam sint αὐτοκατάκριτοι: ut loquitur Apostolus *b*. Ac favet huic sententiæ, quod Gregorium paullo antè dicentem audivimus: *Non eorum tum caussa* DISCUTITUR. Alii distinguunt inter privationem vitæ æternæ, & pœnam gehennæ: atque ajunt, satis quidem evidens esse, cur, qui fuerint infideles, non recipiantur in cælum, ut ibi regnent cum Christo, in quem non crediderunt: attamen non esse omnibus manifestum, cur addicantur pœnæ: & hac propter vitæ examine ac discussione opus fore. Nobis & simplicissima & verissima responsio videtur, quod apud Johannem sit κρίνεται. Id Beza vertit condemnatur. Nempe κρίσις nunc generatim notat judicii actum: nunc συνεκδοχικῶς accipitur pro solâ condemnatione; ut hoc loco. Præterea agit Christus de sententiâ interlocutoriâ, ut Jurisconsulti loquuntur, non definitivâ. Sive sermo est de ordinatione decretoque divino, ac merito condemnationis.

b Ad Tit. 3. 11.

Nihilò firmius est, quod è Psal. 1. pro se adducebat Gregorius. Nam cum dicit David, *Iccirco non exsurgent improbi in judicio*: sententia est, vultum cogentur demittere, nec hiscere audebunt, quia nihil habebunt, quod judici respondeant.

Videamus nunc de perfectis: quos inter familiam ducere ajunt Mariam, ut quæ nunquam peccârit, & captopter, approbationis duntaxat, non item discussionis judicio debeat judicari. Sed de Mariâ quod sibi sumunt, id & Scripturis & antiquitatis primævæ judicio repugnat: quemadmodum alias ostendimus. Quod si in Maria eos fugit, quantò magis decipiuntur in cæteris?

Inter eos, qui non judicabuntur, Scholastici etiam referunt infantes. Sanè Albertus in 4. sentent. ne eos quidem, qui absque baptismo fato funguntur, comparituros in judicio arbitratur. Sed discipulus ejus Thomas affore censet, verùm duntaxat, ut gloriam judicis videant: atque addit, non intellecturos, cur electi præmio ornentur, vel ipsi, qui nihil boni aut mali egerint, eâ sem priventur. Vide eum quæst. v. de malo, art. III. item in IV. sent. dist. XLVII. quæst. I, art. III. Alii dicunt, non esse examinandos judicio discussionis, quia nihil egerint: esse verò judicandos, alios quidem judicio approbationis, qui statim à baptismate discesserint: alios verò judicio condemnationis, qui obierint non baptizati: nempe quia istis originale peccatum imputetur ad injustitiam. Ita Bonaventura in IV. sent. dist. XLVII. qu. III. art. I. & Soto qu. I. art. III.

Nos & contra Albertum statuimus, infantulos judicio interfore: & contra Thomam judicamus, eos intellecturos æquitatem judicii divini. Quale verò eos, qui ex infidelibus nascuntur, judicium maneat, scrutari non audemus, eò quod taceant de hoc Scripturæ.

Egimus de illis, in quibus judicium discussionis non habere locum arbitrantur Scholastici: nunc de iis videamus, in quibus hujusmodi judicium communiter agnoscunt. Tales sunt tum reprobi, qui aliqua bona egerint, tum electi, qui aliqua egerint mala. Sane etiam justorum peccata revelanda ac dimetienda esse, satis docet Scriptura, cum dicit, Matth. XII. 36. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* & 1 Cor. IV. 5. *Ne ante tempus quicquam judicate usque dum venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium.* Et Apocal. XX. 12. *Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu Dei, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: judicatique sunt mortui, ex iis, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.*

Etiam indiscriminatim de omnibus omnino peccatis in judicio revelandis loquuntur Ephræm. lib. de extremo judicio cap. 1. & lib. de pœnitentia cap. IV. Ambrosius in Psal. XLIII. *a* ubi adducit illud Matth. X *Nihil est opertum, quod non revelabitur.* Et Hieronymus in Dan. cap. VII. cujus verba ante adduximus. Item Augustinus lib. Meditationum cap. IV. *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum.* Similiter Olympiodorus in cap. XII. Ecclesiastæ: *Deus*, inquit, *adducet omne opus humanum in judicium, rationem à nobis exigens eorum, quæ gesserimus in vitâ, quæque etiam facere omiserimus, sive illa bona sint, sive etiam mala.* Similiter Thomas in IV sent. dist. XLIII. art. ult. Bonaventura art. II. quæst. II. & III. Dominicus Soto dist. XLVII. quæst. XII. art. III. & alii multi.

a Tom 4 pag. 568. edit. Bas. 155.

Neque desunt tamen, qui justorum peccata in judicium ventura negent: uti Petrus Lombardus lib. IV. dist. XLIII. & Sonnius de extremo judicio cap. VI. Movet eos, quod Scripturæ passim dicant, justorum peccata à Deo remitti, operiri, & oblivione oblitterari. Ut Mich. VII. 19 *Deus ponet iniquitates nostras, & projicict in profundum maris omnia peccata nostra.* Etiam objectant, quod videatur justis dolori ac ignominiæ fore, si occulta etiam delicta eorum manifestentur coram mundo. Sed non cogitant, dolorem in iis non habiturum tunc locum, multumque eos gavisuros, quod ex peccatorum remissione tanta appareat divinæ clementiæ magnitudo.

THESIS V.

Nec homines solùm, sed etiam angeli mali à Christo, & in ac cum eo à sanctis novissimo die damnabuntur. Quod ad consolationem piorum pertinet, quia etsi nunc à satanâ & angelis ejus vexentur, tamen tempus veniet, cum à sanctis ipsis damnabuntur.

Quæstio est, an Angeli quoque debeant judicari. Solvit eam Petrus I. II. 2. ubi ait *dæmonia in judicium reservari.* Unde angelos malos judicandos esse judicio condemnationis, rectè colligit Bonaventura in IV. sent. dist. XLVII. art. I. quæst. VI. Judicabit autem eos Christus: quamquam & de sanctis legimus 1 Cor. VI. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Nempe quia in & cum Christo capite judicabimus, & Christi judicium approbabimus, ut superius ea verba interpretabamur. Rectius sane quàm Origenes in Num. homil. XI. ubi hoc velle Apostolum putat, novissimo die cum Angelicâ vitâ humanam esse conferendam, & fortasse Pauli, vel alius vitam Angelicæ esse præferendam.

DISPUTATIO DECIMAQUINTA

DE

JUDICIO EXTREMO

PARS ALTERA.

Thesis I.

FORMA judicii novissimi in tribus consistit, caussa cognitione, sententiæ dictione, & ejusdem executione. Caussa cognitio sita est in revelatione omnium, quæ quisque per vitam universam fecerit, dixerit, cogitârit.

Atque id est, quod κατὰ μεταφορὰν de aperiendis libris dicitur Apoc. xx. 12. Non quidem Deus libris indiget, quibus consulat memoriæ suæ: sed quod de Deo dicitur ἀνθρωποπαθῶς, intelligi debet θεοπρεπῶς. Nempe per apertionem librorum significatur, ut unicuique conscientia sua (nec enim opus erit testibus externis) suggestura sit omnem suam vitam. Ita optimè ea verba interpretatur Hieronymus in illud Dan. vii. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt: Conscientia*, inquit, *& opera singulorum in utramque partem, vel bona, vel mala, omnibus revelantur.* Similiter Augustinus lib. xx. de Civ. Dei, cap. xiv: *Quandam vim esse intelligendam divinam, qua fiet, ut cuique opera sua, bona, vel mala, cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur.* Quæ etiam legas apud Hugonem Victorinum lib. i. de animâ cap. ii. Necesse igitur non erit, ut manifestatio fiat voce sensibili ac humanâ; sed satis erit, si menti repræsentetur, quod manifestatur. Unde idem Augustinus serm. lxvii. de Tempore: *Cum adstante testimonio conscientia singulorum, rationem vitæ cœperit postulare.* Et Scriptor libri de malis doctoribus & operibus fidei, qui falsò creditur Sixtus iii. *Cum universorum cordium secreta revelanda, cum uniuscujusque actus conscientia magis, quàm sermo testabitur.* Bonaventura in tract. septimæ partis Breviloquii cap. i. *In hoc judicio fiet apertio librorum, scilicet conscientiarum, quibus merita & demerita universorum sibi ipsis & cæteris innotescent, faciente hoc virtute illius libri vitæ, Verbi scilicet incarnati.* Vide Thomam in iv. Sentent. dist. xliii. quæst. lxxxvii. art. III.

Quæltio à Durando, atque aliis movetur, utrùm omnes omnia omnium, an singuli sua tantùm delicta sint cogituri. De hoc quid imprimis probabile videatur, ex iis cognoscetur, quæ paullò post de sententiæ dictione dicemus.

Thesis II.

Hanc omnium revelationem comitatur separatio, quæ Matth. xxv. 32. & 33. comparatur separationi pastoris segregantis oves ab hædis, & illas constituentis ad dextram, hos ad sinistram.

Nempe uti oves, dum de die pascuntur, miscentur hœdis; sed vesperi à pastore seorsim recluduntur: ita in hoc mundo fideles atque infideles pariter sole & solo fruuntur: sed cùm advenerit mundi vespera, pastor summus separabit hos ab illis, & alium his, alium illis assignabit locum. Per oves verò capere oportet justos, qui ovibus comparantur, quia mansueti sunt & simplices, ovium instar: sinistri verò per hœdos significantur, quia referunt animalis illius immunditiem ac fœtorem: atque etiam lasciviam & libidinem, ut Hieronymus opinatur.

Thesis III.

Separationem hanc excipit sententia dictio: de qua Christus apud Matth. xxv. 34. & 41. ubi dicitur, pios audituros hanc vocem: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi. *Impiis verò dictum iri:* Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & ang:lis ejus.

In hac sententiæ dictione est ἀντίθεσις tergemina. Nam justis dicitur, *Venite*, injustis, *discedite a me.* Illi vocantur, *benedicti*: hi, *maledicti*. Illi jubentur *possidere regnum* cæleste: hi *ire in ignem æternum.* In duobus verò, quemadmodum Origenes & Chrysostomus observant, non servat Christus ἀντίθεσιν. Nam illi audiunt, *benedicti Patris mei*: hi non item, *maledicti Patris mei*: sed ἁπλῶς, *maledicti*: nempe quia benedictionis quidem auctor est Deus, maledictionis non item, sed eam impius sibi peccaris arcessit. Præterea justis dicit, *regnum paratum à jactis mundi fundamentis*: sed non similiter dicit, *ignem æternum paratum injustis*; verùm, *paratum diabolo & angelis ejus*: nimirum quia Deus neminem creat ad perniciem, sed homo consortium cum diabolo meretur, cui se sponte subjecit. Adde quod magis beneficentiam Dei ob oculos ponit, quod ait Christus, hominibus ipsis paratum esse regnum, quàm si dixisset, paratum angelis bonis: quod item non tam atrocitatem pœnæ comprehendimus animo, si audiamus, infideles subituros pœnas ipsis decretas, quàm si dicatur, pœnas eos manere diabolis ipsis constitutas.

Quæritur à Scholasticis, utrùm una generali sententiâ, & electi recipiendi sint in cælum, & reprobi conjiciendi in gehennam. Sanè sic videtur, quia non nisi generalis à Matthæo sententia adfertur. Tamen dixerit aliquis, opus esse, ut sua singulis sententia dicatur, quia & præmiorum & pœnarum certi erunt gradus. Ad hoc plerique respondent, sensibili quidem voce pronuntiatum iri sententiam generalem: sed eam, qua particulatim omnes sciant, quantum præmium, quantave pœna maneat

neat ipsos, id cujusque menti esse repræsentandum, ita ut ejusce manifestationis non minùs aperta aliis futura sint indicia, quàm si singulis singulatim sua diceretur sententia. Quam conjecturam improbare non audemus, quia ad perfectionem judicii universalis videtur pertinere. ut justitia ejus, etiam quod ad gradus præmiorum & pœnarum, omnibus innotescat. Unum tamen hoc obstare ei videtur, quod ἀκατάληπτος est, quomodo vel uno intuitu, vel brevi adeò temporis spatio ac judicium peragendum creditur, peccata omnia omnium ab omnibus, etiam malis, possint cognosci. Itaque, judicio nostro, de isto satius fuerit ἐπέχειν.

Thesis IV.

Sententiæ dictionem confestim (quod efficaciam ejus ostendet) executio consequetur: quam Christus proponit ibidem vers. 46. sive ultimo, his verbis: Et abibunt isti in ignem æternum, justi verò in vitam æternam.

Quod non ita capiendum, quasi tum demum beati aut miseri esse incipiant, (nam ut de statu amborum ante resurrectionem nihil nunc dicam, beatitudinis erit, quod justi resurgent cum corpore glorioso, quale non erit injustorum) sed hæc verborum istorum sententia est, jam cum publicâ & solemni denuntiatione animo corporeque, illos in cælum recipi, ubi sint semper felices: hos in gehennam detrudi, ubi sint semper miseri.

Thesis V.

Finis judicii hujus duplex est: unus ultimus, alter subordinatus. Subordinatus est electorum salus, & pœna infidelium: juxta illud 2 Cor. v. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. *Summus finis est gloria Dei relucens in manifestatione misericordiæ & bonitatis erga fideles, & veritatis ac justitiæ erga impios. Nam vel imprimis in judicio extremo habet locum, quod de judicio in terris legimus Apocal* XV. 4. Omnes gentes venient, & adorabunt coram te: nam judicia tua patefacta sunt. *Singulariter verò ratione Christi, finis est consummatio & abdicatio officii ac regni, quod Christus in hoc seculo exercet: de quo 1 Cor.* XV. 24. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri.

Quibus verbis significatur, Christum, cùm mundus consummabitur, electorum cœtum, fidei ac custodiæ suæ à Patre commissum, traditurum Patri: atque ita finem simul fore & seculi, & dispensationis istius, quâ Christus curam gessit Ecclesiæ suæ. Atque hæc de caussis judicii extremi. Nunc de tempore ac loco ejus videamus.

Thesis VI.

Tempus futuri judicii ignotum est hominibus universis. Marc. XIII. 32. De die illo & hora nemo scit, ne angeli quidem, qui in cælo sunt, nec ipse Filius, sed solus Pater.

Ubi quod Filius dicitur nescire, intelligi debet secundùm scientiam habitualem, quæ est humanæ naturæ, secundùm quam indies crevisse dicitur. Nempe non pertinebat ad officium Mediatoris revelare nobis diem illum, eóque nec attinebat Christum secundùm habitualem scientiam scire illum: etsi, quin secundùm divinam istoc scierit, dubitare omnino est nefas, imò quin nunc quoque secundùm humanam sciat, minimè ambigamus. Quamquam etiam Christum demum eam cogniturum, cum à Patre ei revelabitur, existimet vir eruditus Matthæus Cotterius Expositione Apocalypsios in cap. XIV. a a P. 389.

Sunt autem qui etsi fateantur & annum, & diem ignorari, horam tamen incertæ diei sciri adfirmant. Uti Rabanus Maurus lib. V. de Universo cap. VIII. *Christus eâdem horâ, quâ resurrexit, ad judicandum venturus est.* Ac videtur idem velle Lactantius lib. VII. divin. Instit. cap. XIX. Sed non video, cur magis probabile sit, de cælo descensurum quâ horâ resurrexit, quàm quâ adscendit in cælos, aut quâ ab hominibus judicatus fuit.

Thesis VII.

Etiam, quamdiu duraturus sit judicii actus, est incertum: sed brevissimo temporis spatio judicium esse peragendum imprimis probabile est.

Origenes tractatu VII. in Matth. *Hæc non sic dici putamus, quasi opus habentia multo tempore, ut ponatur nobis ratio de omnibus actibus vitæ nostræ.* Et mox: *Volens Deus ventilare omnium mentes, ut unusquisque sentiat proprios actus bonos vel malos, citò omnia ab omnibus omni tempore gesta singulis quibusque faciet in mente ineffabiliter quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes in mente facere alicui ea, quæ fecit, opus habemus tempore sufficienti ad consummationem eorum, quæ dicuntur a nobis, in memoriam rediguntur: sic & Deus opus habet tempus, volens nobis in mente facere omnia, quæ gessimus in vitâ, ut cognoscentes universa quæ fecimus, intelligamus propter quæ aut punimur, aut honoramur. Si quis autem celeritati divinæ veritatis circa hæc omnia consummanda non credit, hic nondum intellexit Deum, qui omnia fecit.* Et postea: *Tempus futuri judicii non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento, in ictu oculi, sic puto & judicium fore.*

Quomodo autem in tantâ judicandorum multitudine, tantâ delictorum varietate, judicium brevi tempore fieri possit: his verbis docere conatur Durandus in IV. Sent. dist. XLVII. quæst. 1. *Sicut nunc in judicio particulari fertur sententia mentaliter vel spiritualiter contra animas exutas corporibus, quæ in sic sunt merè spiritus: ita in judicio generali debet ferri contra animas resumtis corporibus partim spiritualiter, partim corporaliter: quod fiet si discussio meritorum sit mentaliter (sicut omnino est probabile, quia si esset vocalis requireret longissimum tempus) prolatio verò sententiæ sit vocalis, quæ poterit ferri valde modico tempore.* Tertullianus lib. de spectaculis cap. XXX. *ultimum & perpetuum judicii diem* vocat: verùm perpetuitas illa non factum judicantis, sed executionem judicii respicit.

Thesis VIII.

Locus, unde venturus est Christus, sunt cæli: ad quem venturus, sunt nubes: utrùm verò supra vallem Josaphati, an alium locum sit appariturus, planè est incertum.

Christum in aëre judicaturum, colligunt omnes exinde, quia 1 Thess. IV. 17. dicitur, eos qui resuscitabuntur, rapiendos esse in occursum Domini. Etiam thronum Christi collocandum esse supra vallem Josaphati, quæ est inter Hierosolyma & vallem Oliveti, à plerisque veterum traditum est. Uti ab Haimone lib. II. in Esaiam: *Multi autumantes dicunt, quod Dominus super montem Oliveti sedebit, ex quo adscendit ad cælos. Dominus non descendet in terram ad judicium, sed in aëre sedebit in nube contra montem Oliveti, constipatus agminibus & virtutibus cælorum.* Sequuntur verò hanc sententiam Guilhelmus Alvernus primæ partis de universo part. II.

cap.

cap. XLVII. Guido de monte Rocherii in Manipuli Curatorum parte III. cap. 8. & Ludolphus Saxo Carthusianus vitæ Christi part. II. cap. LXXXVII. item Scholastici, idque nixi prophetiâ Joëlis cap. III. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis.* Et post aliqua: *Consurgant & adscendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Etiam caussas adferunt, cur eo potius loco, quàm alio, thronum suum Christus ponere velit. Nimirum, quia & gaudium majus adferet piis, & magis confundet impios conspectus Hierosolymorum & vicini loci, ut in quibus docuerit Christus, tot miracula egerit, etiam crucifixus sit: item montis Oliveti, unde in cælos adscendit.

Atque hæc satis verisimiliter dicerentur, si judicium istic loci fore è Scripturis constaret: nunc absque caussâ ejus caussa quæritur, quod an futurum ibi sit, ignoratur. Nec Joëlis verba sententiam istam juvant, quia anagogicè accipi debent. Nam sententia est, Quemadmodum vallis Josaphat erat in conspectu Israëlis: ita in conspectu Ecclesiæ (cujus typus erat Israel) judicium à Christo exercebitur.

Quemadmodum autem frustra ejus quæritur ratio, quod an futurum sit nescitur: ita nihil prohibet caussam ejus indagare, quod fore nos docent Scripturæ. Cujusmodi est quòd cum, etiam permanens in cælis, judicium exercere possit in terris, tamen humanâ & visibili formâ malit in terras descendere. Nempe convenit, ut ubi pugnavit, ibi etiam victorem se ostendat, & ubi injustè est damnatus, ibi alios justè condemnet. *Sedebit judex, qui stetit sub judice: damnabit veros reos, qui factus est falsus reus*: ut Augustinus ait serm. LXIV. de verbis Domini. Adde quod præsentia majestatis ejus, & piis maximum adferet gaudium, & impiis incutiet horrorem, cum in tanto horrore videbunt Dominum gloriæ, quem crucifixerunt. De piis est illud Bernardi serm. LXIII. in Cantica: *Vult pater misericordiarum per hominem homines judicari, quò in tantâ trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo.* De impiis verò est istud Othonis Frisingensis lib. VIII. Chronicorum cap. XVI. *Veniet in eâ formâ judicaturus, in quâ prius venerat judicandus, ut aquâ lance mundus eum severum districtorem inveniat, quem in carne humiliter venientem elata prius mente contemserat. Unde est illud Propheticum,* a Videbunt in quem transfixerunt. *Pater enim in personâ suâ non judicans, omne judicium Filio dedit, ut quem diversis opprobriis, crucique innocentem exposuerat, hunc cælestium, terrestrium, & infernorum Dominum constituens, judicem vivorum & mortuorum faciat.* Superest videamus, quem fructum percipiamus ex cognitione doctrinæ de judicio extremo.

a Zach. 12.

Thesis IX.

Voluit Christus nos de judicio extremo certos esse: de tempore verò ejus incertos. Certos quidem de judicio, ad consolationem nostri in adversis. Incertos autem de tempore, ad excutiendam securitatem carnalem. Juxta illud Christi Luc. XII. 39. Si sciret paterfamilias, quâ horâ fur venturus esset, vigilaret: *& Matth.* XXIV. 42. Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.

Quare saluberrima, & multum necessaria est futuri judicii recordatio: ut Eusebius Emissenus, vel potius Eucherius Lugdunensis ait serm. v. ad Monachos. Cui consentit Petrus Damianus epist. II. cap. v. *His addendus est etiam terror judicii, ut illius amaritudine valeat mundi falsa dulcedo contemni. Ad evadendas namque diabolicæ pugnæ molestias valenter assurgimus, si necessitatis ultimæ periculum providè pertractamus. Nam si repentinus atque terribilis adventus Christi dignè perpenditur, quid erit in mundo, ubi mens humana vel desipiens delectetur?* Rectè igitur B. Ephræm. parænetico de secundo adventu Domini: *Sive operi, sive orationi intentus sis: sive ambules, sive sedeas; sive comedas, sive jejunes: sive in cubili tuo vigil jaceas, sive quid aliud agas: non desistat mens tua cogitare, & os tuum loqui de judicio.* Etiam Hieronymus hoc documentum fertur tradidisse: *Sive bibas, sive comedas, sive vigiles, sive dormias, hæc tibi tuba insonet, SURGITE MORTUI, VENITE AD JUDICIUM.* Quod quidam non ineptè his versiculis complexus fuit:

Seu vigilo intentus studiis, seu dormio, semper
Judicii extremi nostras tuba personat aures.

Hodie non legitur ea sententia in operibus Hieronymi: sed simile quid invenitur in regulâ Monachorum, quæ extat T. IV. operum Hieronymi. Verum ea regula Hieronymi non est: sed collegit eam ex operibus ejus superior ordinis Hieronymiani, posteaque eandem Martinus V. Pontifex comprobavit.

DISPU-

DISPUTATIO DECIMASEXTA
DE
ADVENTU CHRISTI ULTIMO.

DUPLEX est Christi adventus: prior in carnem, ad patiendum pro nobis: de quo Zach. IX. 9. *Exulta valde filia Sion, ecce Rex tuus veniet tibi mitis*: alter in carne, ad judicandum de nobis: de quo Apostolus 1 Cor. 1. 8. *Deus confirmabit vos in diem adventus Domini nostri Iesu Christi.* De utroque
a P. 208. edit. Commel. ita Iustinus Martyr dialogo cum Tryphone Iudæo *a*: Δύο παρουσίας τοῦ Χριστοῦ προπεφητευκότων γενήσεσθαι, μίαν μὲν ἐν ᾗ παθητὸς, καὶ ἄτιμος, καὶ ἀειδὴς φανήσεται· ἡ δὲ ἑτέρα, ἐν ᾗ καὶ ἔνδοξος, καὶ κριτὴς ἁπάντων ἐλεύσεται. Irenæus lib. IV. cap. LVI. *Non cognoscentes* (Iudæi) *neque intelligere volentes, quoniam duos adventus ejus omnes annunciaverunt prophetæ: unum quidem, in quo homo in plaga factus est, sciens ferre imbecillitatem, in pullo asinæ sedens, & reprobatus lapis ædificantibus, & sicut ovis ad victimam adductus, & per extensionem manuum dissolvens quidem Amalech, congregans autem dispersos filios à terminis terræ, in ovile Patris, & recommemoratus mortuorum suorum, qui ante dormierant, & descendens ad eos, uti erueret eos, & salvaret eos. Secundum autem, in quo super nubes veniet, superducens diem, quæ est sicut clibanus ardens, & percutiens terram verbo oris sui, & Spiritu per labia sua interficiens impios, & ventilabrum in manu habens, & emundans aream suam; & triticum quidem in horreum colligens, comburens autem paleas in igne inexstinguibili.* Estque similis locus
b Tom. 1. pag. 81. edit. Commel. apud Athanasium de Incarnatione verbi *b*, Cyrillum Hierosolymit. initio Catech. XV. Hieronymum Epist. CLI. ad Algasiam quæst. XI, Theophylactum in Marci cap. VIII. Ioannem Cantacuzenum apol. II. & alios. Est etiam adventus Christi, nec primus, nec ultimus: quando, ut Augustinus ait lib. XX. de Civ. Dei cap. V. *in Ecclesia suâ venit, hoc est in membris suis, particulatim atque paullatim.* Sive, ut loquitur idem epist. LXXX. *c. adventus*
c Col. 358. & 359. edit. Basil. an. 1556. *Christi per Ecclesiam, sive in corpore suo, quod est Ecclesia: in quâ usque ad finem venire non cessat. In suis enim veniens agnoscitur, dum ejus quotidie membra nascuntur.* Hoc de adventu loquitur Christus apud Iohannem XIV. 23. *Qui diligit me, & mandata mea servat, veniemus ad ipsum, ego, & pater meus, & mansionem apud ipsum faciemus.* Hoc loco de adventu Christi ultimo, quo veniet ad judicandum vivos & mortuos, agere, σὺν Θεῷ, constituimus. De quo quinque ista expendemus:

Primùm, an sit Christus rediturus.
Deinde, unde, quo, & quomodo sit venturus.
Postea, quando sit venturus.
Tum, quæ signa sint hujus adventus.
Denique, qui ejus effectus.

THESIS I.

CHRISTUM esse reversurum ad nos, credere nos profitemur in symbolo, cum dicimus, eum è cælis, ubi sedet ad dexteram Patris, rediturum esse ad judicandum vivos & mortuos. Præeunt verò ad hoc Scriptura, Matth. XXIV. 30. XXV. 31. *Mar.* XIII. 26. *& 1 Cor.* XV. 23. *item 1 Thess.* V. 23. *& 2 Thess.* I. 7. 10. *&* II. 1. *In ejusdem tempus reditus vocatur dies Domini 1 Cor.* 1 8. ἀποκάλυψις *sive revelatio 1 Cor.* 1. 7. παρουσία *sive præsentia 1 Thess.* III. 13. *&* IV. 15. *&* V. 23. *& 2 Thess.* II. 1. *&* 8. *item Iac.* V. 7. *&* 8. *&* ἐπιφάνεια *sive apparitio. 1 Tim.* IV. 8. *& ad Tit.* II. 13.

Damnamus igitur ἐμπαίκτας istos, quorum voces expressit Petrus 2. III. 4. *Ubi est promissio adventus ejus? nam ex quo patres dormierunt, omnia sic permanent ab initio Creationis.* Cui geminum illud Manilii lib. I.

Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Adspicient.

Argumento verò isti ibidem ab Apostolo occurritur: quâ de re pluribus dicemus Disp. de Fine mundi.

THESIS II.

Exspectamus Christum non aliunde, quàm è cælis, ubi sedet ad dexteram Patris. Philipp. III. 20. Nostra conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem exspectamus, Dominum Iesum Christum. *2 Thess.* I. 7. Cùm revelabitur Dominus Iesus de Cœlo, cum angelis potentiæ suæ. *Inde verò descendet in nubes. Matt.* XXVI. 64. Ab hoc tempore videbitis filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli. *Ac quomodo adspicientibus discipulis adscendit, ita etiam visibiliter descendet. Act.* I. 11. Hic Iesus qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *Non tamen descendet, qualis hic vixit, humilis puta & infirmus, sed in gloriâ & majestate summâ, etiam Angelis stipatus. Unde Matt.* XVI. 27 *legimus*: Filius hominis veniet cum gloria patris sui, & angelis suis. *Et Matth.* XXIV. 30. *ac Marc.* XIII. 26. *& Luc.* XXI. 27. Et videbunt Filium hominis, venientem in nubibus cœli, cum virtute & gloriâ multâ. *Et Matt.* XXV. 31. Cùm autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo.

Cùm Christus ab Evangelistâ dicitur adventurus *cum virtute & gloriâ multâ*: distinguitur hic adventus ejus à priori. Nam etsi tunc quoque magnam habuit potentiam, quam miraculis ostendit; atque etiam aliqua ejus majestas in transfiguratione visa est: tamen status iste præ altero humilis fuit & infirmus: unde non ἁπλῶς *cum virtute & gloriâ* venturus dicitur, sed *cum virtute & gloriâ multâ*. Ac virtutis quidem erit, quod ad ejus imperium resurgent mortui, & momento ad ipsum cogentur, omnesque ei cælestes, terrestres, & inferi honorem exhibebunt, omnes ab eo judicabuntur, & pro factis, vel mercedem auferent, vel pœnam. Ad gloriam verò refertur,

tum relucens in corpore claritas ac majestas, tum quod stipatus veniet cum multis millibus angelorum: qui adetunt, partim honoris ergò, partim ut justissimi judicii testes, partim ministerii caussâ. Nam subjungitur apud eundem Euangelistam, *Et congregabuntur* (nempe Angelorum ministerio) *ante eum omnes gentes*: pura jam resuscitatæ. Ad gloriosam etiam apparitionem pertinet, quod ibidem dicitur, *tunc sedebit super thronum gloriæ suæ*. Ubi κατ' ἀνθρωποπάθειαν thronus tribuitur Christo, quia judicis *a* est sedere. Nihil ergo disquisito opus est, quæ illa sedes futura sit, quam multi *b* artificiosum thronum ex splendidâ nube confectum fore conjectant, quia in nubibus veniet Christus: alii *c* censent angelos fore, quia, ex plurimorum quidem interpretatione, angeli peculiariter throni appellentur ad Coloss. I. 16. ac Deus super Cherubim sedere dicatur Psal. LXXIX. *d* 2. & XCVIII. *e* 1. Ubi tamen Vatablus mavult, *inter Cherubim*.

a *Vide Franciscum Polletum in histor. Fori Romani Lib. 1. cap. 5.*
b *Greg. Valent. Disp. 11. qu. 4. de judic. extr. punct. 1. Pinellus de altera vita l. 2. c. 21. &c.*
c *Iansen. in concord. Euang. cap. 127.*
d *Al. 80.*
e *Al. 99.*

THESIS III.

Quando adventurus sit Christus, determinatè nemo homo novit.

Triplex tamen caussa est, ob quam homines malè curiosi certum ejus tempus definiant. Primum est, πνεῦμα, sive secretior spiritus revelatio, quam vel dictat spiritus mendax, vel homines sibi fingunt. Alterum Propheticæ, vel Apostolicæ autoritatis prætextus. Tertia est ratiocinatio. Primum secundumque modum damnat Apostolus 2 Thess. II. 2. *Ne citò dimoveamini à mente, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam nobis autoribus, quasi instet dies Christi.* Gr. μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι' ἐπιστολῆς. Ubi etiam tertii modi fecerit mentionem, si cum nonnullis λόγον interpretere ratiocinationem. Sed magis placet, Apostolicum sermonem intelligi. Primi modi exempla multa habuit hoc seculum in Anabaptistis. Alterius exemplum capere est, quando multi subnixi dicto quodam, quod ex Eliæ Thisbitæ scholâ profectum ajunt, statuunt, mundum hunc duraturum esse sex annorum millibus. Quam sententiam expendemus disp. De fine mundi. Huic est simile Brigidæ de adventus tempore vaticinium quod jactant. Tertii generis est, cùm ita colligunt aliqui *f* verba illa *Adventus Domini*, si numerum literis indicatum attendamus, dare nobis cIↃ cIↃ XII. sed subtrahi debere IↃXVII. qui numerus sit in istis, *Dies abbreviabuntur*: rursum addi oportere CL. qui contineatur istis, *Propter electos*. Atque ita haberi annum cIↃ IↃCXLV. quo adventurus sit Christus. Cæterùm fuere olim multi, nec hodie desunt, qui etsi fateantur, tempus ignorari, quo adventurus est Christus: illud tamen ex Scripturis colligi posse putent, de nocte eum affore. Quod probant, partim ex Lucâ dicente cap. XVII. 34. *In illâ nocte erunt duo in lecto*: partim ex parabolâ de decem virginibus, ubi dicitur *g*, *Mediâ nocte clamor factus est.* Ad quem locum hæc annotat Hieronymus: *Dicamus aliquid, quod forsitan lectori utile sit. Traditio Iudæorum est, Christum mediâ nocte venturum in similitudinem Ægypti temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Unde reor, & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum paschæ, ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi: & postquam illud tempus transierit, securitate præsumtâ, festum omnibus agentibus diem. Unde & Psalmista* h *dicebat, Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.* Etiam Cassiodorus ad verba illa hujus Psalmi, ab Hieronymo proximè citata *i*, *Mediâ nocte surgebam: Scit*, inquit, *hoc tempore primogenita Ægyptiorum fuisse percussa, scit quoque sponsum mediâ nocte esse venturum, ideoque eodem tempore surgit ad laudes.*

f *Apud Aretium loc. 183. qui est de adventu Christi.*
g *Matth. 25. 6.*
h *Ps. 118. (al. 119.) vers. 62.*
i *Ex ps. 118. liter. Cheth.*

Sed parùm hæc firma sunt. Quod verò Lucas & Matthæus, ubi de Christi adventu agunt, noctis meminerunt; id pertinet, partim ad inopinatum Christi adventum, quia veniet sicut fur in nocte: partim ad tristem rerum faciem, quia cœli luminaria obscurabuntur: de quorum utroque mox dicemus. Alii arbitrantur, Christum non nocte mediâ, sed in aurorâ venturum. Atque id colligunt, tum quia Christus resurrexerit in aurorâ, tum quòd apud Lucam legamus cap. XII. 38. *Et si venerit in tertiâ vigiliâ, & invenerit ita, beati sunt servi illi.* Sed ibidem antecedit, *Et si venerit in secundâ vigiliâ.* Nec ex parabolico ejusmodi sermone certi quid concludi potest: ut diximus. Placuit tamen ea sententia Lactantio quoque lib. VII. cap. X. XI. Nec certius quicquam de mense habemus, quàm de horâ, etsi mense Martio, quia eo creatus sit mundus, plerique adventurum dicant ad judicandum: ut scholastici quidam, &, qui hos secutus, Consalvus Durantus Notis ad Revelationes Brigittæ. cap. LVI.

THESIS IV.

Adventum Christi subitum, & hominibus inexspectatum fore, indicat Apostolus 1 Thess. V. 2. 3. Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus; sicut dolor in utero habenti; & non effugient. *Securitatem verò istam describit nobis Matt.* XXIV. 37. Sicut in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis. *Hinc Christus apud Lucam*, XXI. 34. Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

Nec adversus id, quod de pace ac securitate ait Apostolus, obduci potest, quod dicitur à Luca XXI. 25. fore *pressuram gentium, arescentibus hominibus præ timore & exspectatione, eorum quæ supervenient universo orbi.* Nam ista consternatio, quam Lucas describit, orietur ex horrendis signis appropinquantis judicii. Ante verò pressuram istam fiet, ut homines carnis deliciis intenti, *Pax* dicant, *& securitas.*

THESIS V.

Signa prævia adventus Christi duûm sunt generum: alia αὐτὸν eum appropinquare significant: alia ἅμα cum adventu ejus sunt conjuncta. Prioris generis est conversio Iudæorum: de qua est illustris ille locus Apostoli ad Rom. XI. 25. Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, (ut ne sitis apud vosmet ipsos elati animo) quod excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium intraverit: & sic totus Israel salvus erit.

Ubi tria ab Apostolo dicuntur: Israëlem ex parte esse excæcatum: duraturam hanc excæcationem, donec prædicatione Euangelii Ecclesia ex omnibus gentibus fuerit collecta: tum verò Israëlem sive Iudæos, qui hactenus fuerant excæcati, catervatim esse accessuros ad fidem, atque unà cum gentibus esse salvandos. Vide, si's, quæ hac de Iudæorum conversione scribit Finus Hadrianus in Iudæorum flagello lib. VII. cap. XXVIII.

Etiam

THESIS VI.

Etiam prædicationem Euangelii per universum orbem, appropinquantis Christi adventus indicium fore, plurimorum, & juniorum, & veterum sententia est.

Imò August. epist. LXXX. ad Hesychium: *Nescio*, inquit, *utrum inveniri aliquid certius in hac quæstione possemus; si ullâ ratione seu facultate possemus; quam illud, quando Euangelio mundus universus impleatur.* Eademque est sententia Hieronymi in Matt. cap. XXIV. Movent eos illa Christi verba Matt. cap. XXIV. 14. *Prædicabitur istud Euangelium regni in universa terra, ut sit testimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis.* Ubi mundi finem intelligunt. Unde Origenes tractatu XXVIII. in Matt. *Siquis temerè dicere vult, prædicatum jam esse Euangelium in toto orbe, in testimonium omnibus gentibus, consequenter dicere poterit, & quod ait, Tunc erit finis, jam finem venisse.* Similiter Prosper Respons. ad IV. cap. Gallorum: *Nutat, quod dici nefas est, fides Verbi, si ante quadringentos annos Euangelio impletus est mundus, & adhuc Domini differtur adventus.* Similiter idem ad Rufinum *a*. Item, præter istos, Ambrosius lib. X. in Lucam *b* scriptor operis imperfecti homil. XLVIII. in Matt. Damascenus lib. IV. de fide Orthod. cap. XXVII. &c. item è recentioribus Liranus, Cajetanus & Maldonatus in cap. XXIV. Matt. Soto in IV. sent. Dist. XLVI. qu. II. art. I. *c* Bellarminus lib. III. de Rom. Pont. cap. IV. Suarez disp. LVI. Tom. II. sect. I. &c. Aliter tamen è junioribus Iansenius in Matth. cap. XXIV. *d* & Baronius Tom. I. an. LXXII. *e* item ex antiquis, Eusebius lib. III. histor. cap. VII. & Chrysostomus *f*, Euthymius, ac Theophylactus in Matt. cap. XXIV. Ex quorum sententiâ loquitur Christus de consummatione, non mundi, sed Hierosolymorum. Quod non minùs placet. Continuò enim apud Matthæum sequitur: *Cùm ergo videritis abominationem illam vastatricem*: quæ de vastatione Hierosolymorum planè intelligi debent. Favent etiam huic sententiæ verba Marci, qui cap. XIII. discipulos de templo, & Hierosolymis quæsisse dicit, quando istorum futura esset consummatio: respondisse autem Christum, *Primùm apud omnes gentes Euangelium prædicari oportere.* Ubi τὸ πέρας pro συντελείας ponitur, planeque ad templi, & Hierosolymorum finem refertur. Objectant, quod Euangelium non fuerit ubique prædicatum ante Urbis excidium: præterea Origenem *g*, Rufinum *h*, Augustinum *i*, Prosperumque *k*, atque adeò Bernardum *l*, ipsum, testari, ne suâ quidem ætate id impletum fuisse: denique vix seculum esse, quod detecta sit America, & pars Magellanicæ, quæ Christum planè ignorabant: imò hodieque gentes inveniri, ad quas non pervenerit prædicatio Euangelii. Sed responderi potest, verba Christi simili συνεκδοχικῶς debere intelligi, ac Pauli ad Rom. X. 16. ubi Judæos negat ullum habere suæ infidelitatis prætextum, quasi vocati non fuerint, cùm jam Davidis illud *m* impletum sit, *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et ad Coloss. cap. I. ubi semel iterumque Euangelium in universo orbe prædicatum dicit *n*, *Per sermonem veritatis, id est Euangelii: Quod pervenit ad vos, sicut & in TOTUM MUNDUM, & fructum profert.* Et ibidem *o*. *Nec dimovemini à spe Euangelii, quod audistis prædicari omni creaturæ, quæ sub cælo est.* Veruntamen, ut sanè concederemus, sermonem esse Christo de ultimo suo adventu, & mundi consummatione, ejusque signum statuere prædicationem in omni gente: non tamen ex signi hujus impletione, determinatè scietur finis seculi. Quod etiam fatetur Augustinus epist. LXXVIII. ad Hesychium *p*: *Si jam nobis*, inquit, *nuntiatum fuisset, in omnibus gentibus Euangelium prædicari, nec sic possemus dicere, quantum temporis remaneret usque ad finem, sed magis magisque jam propinquare meritò diceremus.* Tale etiam signum est Iudæorum conversio, de quâ antè dicebamus.

a Fol. 126. b. edit. Duac. *b* P. 148. edit. Bas. 1555. *c* P. 861. b edit. Duac. 1613. *d* C. 129. concordiæ Euangelicæ. *e* Fol. 691. edit. Mor. an. 1612. *f* Homil. 76. in Matt.

g In Matt. Tract. 18. *h* Lib. 1. hist. cap. 9. *i* Epist. 80. ad Hesych. col. 367. edit. Bas. an. 1556. *k* Ad capitula Gallorum c. 4. *l* Lib. 3. de Consideratione cap. 1. *m* Psal. 18. (al. 19.) 5. *n* Vers. 6. *o* Vers. 23.

p Col. 315.

THESIS VII.

*Alterum signorum genus est eorum, quæ ipsum adventum Christi antecedunt. Hæc respiciunt mundi machinam: in quâ tum cælum spectatur, tum terra marisque globus. De priori tum generatim dicitur, fore, ut cælorum δυνάμεις concutiantur: tum speciatim, solem lunamque obscuratum iri, ita ut lucem non edant: stellas item è cælo casuras. De posteriori addit Lucas, fore in terris pressuram gentium præ fremitu fluctuum marinorum. Sed quomodo vel solis lunæque obscuratio, vel iste stellarum casus intelligi debeat, non satis convenit. Hieronymus & Chrysostomus arbitrantur, non absolutè obscurationem hanc intelligi debere, sed comparatè, quia præ claritate veri solis, IESU Christi, ipsum solare corpus videbitur tenebricosum. Huic sententiæ obstat, quod de tempestatibus marinorum fluctuum diximus. Cùm enim signum hoc comparatè accipi non possit, nec prius illud sic intelligendum putamus. Sed porrò quæritur, si absolutè verba ista capere oportet, propriène sumenda sint, an potius figuratè. Nempe ut sententia sit, tantam fore hominum consternationem, quanta, si omnia ista propriè contingerent, oboriretur. Sic enim loquitur Ies. XIII. 10. ubi vindictam de Babylone sumendam prædicit, & Ezechiel XXXII. 7. de ultione Pharaonis agens: item Ieremias XV 9 gravitatem vindictæ de Iudæis capiendæ describens: ac similiter Amos VIII. 9. Sophon I 15. Ioel II. 2. 32. & III. 15. Unde colligimus, morem esse propheticum, ut dicant, solem, lunam, stellas, lumine suo destitutum iri, quando significare volunt, tantam fore hominum perturbationem, quasi universa mundi machina conturbaretur, ac cuncta cæli δυνάμεις concuterentur, non quia id reverâ fiat, sed quia homines præ animi angore fieri hæc credant, vel tantopere externentur, quasi nihil non illorum propriè contingeret. Quamquam vero similiter Christi verba apud Euangelistas interpretari possemus: eorum tamen sententiam sequi malumus, qui propriè solem, lunamque obscuratum iri putant; stellas item, vel revera casuras, vel saltem sic lumine suo defecturas, ut non appareant, eoque de cælo cecidisse existimari possint. In caussa est, quòd propheticus mos sit, summam consternationem κατὰ μεταφορὰν ὑπερβολικὴν describere petitâ translatione ab iis, quæ efficiunt consternationem in adventu Christi, quo veniet ad judicandum mundum. Nempe ut apud Ezechielem XXXVII. 12. resurrectio quidem κατὰ μεταφορὰν intelligitur: sed alluditur ad resurrectionem novissimo die futuram, atque ab eâ petitur figura, quemadmodum etiam Tertullianus a, & Hieronymus b observarunt: similiter prophetæ, particulare Dei judicium describentes, cælestium luminum obscurationem κατὰ μεταφορὰν intelligunt, sed modum hunc loquendi ab universalis judicii tempore petunt, ubi hæc propriè magis habebit locum. Et sanè signa ista fore sensibilia, non spiritualia, etiam argumento esse videtur, quod Lucas c docet, visis signis istis, fore, ut homines exa*nimentur præ timore & exspectatione eorum, quæ supervenient universo orbi. *Nam spiritualia sanè signa non tantum incutere metum, sed contemni à plurimis mortalium solent.*

Lucis aliquid his adferent verba Ioa. Driedonis lib. III. de Scripturis Ecclesiast. & dogmat. Tractat. III. *d*. *Locutio-*

a De resurrect. carn. cap. 30. b In Ezech. c. 37. c Cap. 21. vers. 26. d Pene initio tractatus tertii, sive fol. 159.

cutionibus hyperbolicis etiam utitur Scriptura, prænuncians grandia quadam futura per alium temporalem regem. Unde quod dicitur Ioel. II *A facie ejus contremuit terra, & moti sunt cœli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum; ad literam exponendum est, non de primo adventu, neque de secundo, sed de aliâ quadam devastatione anteriori per impetum Chaldæorum, tunc futurâ tanquam figurâ adventus Domini, à facie ejus sc. Babylonis populi multi & fortis, terra contremuit, cœli moti sunt, luna obtenebrata est, &c. quæ omnia (ut inquit Hieronymus) hyperbolicè dicuntur, pro eo, quod Iudæis à populo isto adversa patientibus, & in miserabilem captivitatem deductis, cœlum ruere, & terra fluctuare videatur, & non esse ullum solatium ex splendore stellarum. Denique, quod ob multitudinem locustarum inter cœlum & terram, lumen lunæ & solis non dabit Iudæis ipsis captivis solatium. Unde ex his, quæ in superioribus de metaphoris diximus, patet, locutiones illas, quibus à facie alicujus regis dicitur terra contremere, cœlum moveri, sol & luna obtenebrari, bifariam secundum literalem sensum posse interpretari. Uno quidem modo secundum metaphoram, nominibus videl. translatè acceptis, ut terra intelligatur populus communis; sol, pontifex, qui lucere debet populo; cœli, sacerdotes; rex, luna; stella, propheta. Unde à facie castrorum hostilium populus timore concutitur, sacerdotium conturbatur, prophetia silet, majestas regia deperit, cultus justitiæ evanuit. Quod autem hujuscemodi nomina; terra, cœlum, sol, luna, & stella, interdum in Scripturis ad talia referantur, patet ex commentariis Hieronymi. Unde & Esa.* XIV. *ubi secundum literalem sensum rex Babylonis lucifer appellatur, qui manè velut stella oriens, prænunciatur lapsurus esse de cælo, id est, de altitudine & sublimitate gloriæ suæ. Unde & Hieronymus, imitatus suorum prædecessorum sententias, docet reges tales hujuscemodi nominibus metaphoricè acceptis esse significatas. Secundo, sensus literalis hujuscemodi nominibus expressus, accipi potest secundum hyperbolen, seu locutionem hyperbolicam, ut talia sic dicantur augendi gratiâ, & res in cælestibus illis corporibus designata, intimentur esse grandes: non quod à præsentiâ illius exercitus temporalis regis elementa & cælestia corpora hujus mundi contremiscant, aut moveantur; sed quod præ magnitudine potestatis illius, cœlum & terra tremere videantur. Ex quibus patet, Scripturas secundum hujuscemodi locutiones expressas, non semper esse intelligendas de novissimo Christi adventu, in quo cœlum & terra, cæteraque hujus mundi elementa, non metaphoricè, sed propriè intellecta, realiter mutabuntur.*

THESIS VIII.

Quod Iudæi enumerant signa quindecim, & earum durationi tribuunt dies totidem, & singulis signis suum præfiniunt diem, id neque è Scripturarum fonte haustum, neque à sermone ullius Prophetæ profectum, sed commentum planè humanum esse putamus.

Iudæi tradunt quindecim signa, quæ quindecim diebus præcessura sint diem novissimam. Ea ex Hieronymo recenset his verbis Thomas in IV. sent. dist. XLVIII. qu. I. art. IV. *Hieronymus ponit quindecim signa præcedentia judicium, dicens, quod primo die maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis super montes. Secundo omnia æquora prosternentur in profundum, ita ut vix videri possint. Tertio redigentur in antiquum statum. Quarto belluæ omnes, & alia, quæ moventur in aquis, congregabuntur, & levabuntur super pelagus more contentionis invicem mugientes. Quinto omnia volatilia cœli congregabuntur in campis invicem plorantia, non gustantia, neque bibentia. Sexto flumina ignea surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti usque ad ortum corruentia. Septimo omnia sidera errantia, & fixa, spargent ex se igneas comas sicut cometæ. Octavo erit magnus terræ motus, & omnia animalia prosternentur. Nono omnes lapides, tam magni, quam parvi dividentur in quatuor partes, unaquaque aliam collidente. Decimo omnes plantæ sanguineum fluent rorem. Undecimo omnes montes, & colles, & ædificia, in pulverem redigentur. Duodecimo omnia animalia venient ad campos de silvis, & montibus, rugientia, & nihil gustantia. Tertiodecimo omnia sepulchra, ab ortu solis usque ad occasum, patebunt cadaveribus ad resurgendum. Quartodecimo omnes homines de habitaculis suis recedent, non intelligentes, neque loquentes, sed discurrentes. Quintodecimo omnes morientur, & resurgent cum mortuis longe ante defunctis;* Aliqua etiam istorum ponit, simulque judicium suum apponit, scriptor homiliarum à Stelsio editarum sub nomine Eusebii Emiseni. Sic enim ille, homiliâ in Dominicam secundam adventus Domini: *His convenire videntur quædam, quæ in annalibus Iudæorum scripta referuntur. In quibus mare super omnes montes quindecim cubitos altius exaltari narratur, stantibus aquis, & in nullam partem fluentibus. Et deinde tantum in abyssum demergetur, ut vix ab inspicientibus videri valeat. Postmodum verò revertetur in locum suum, & tunc fortasse illa confusio sonitus maris & fluctuum fiet, de quâ hîc modò loquitur: Neque enim tanta maris fluctuumque commotio sine magnâ confusione & sonitu fieri potuit. Terra quoque sua signa dabit, quia terræ motus tam magni fient, ut penè omnia manufacta ruant, omnesque lapides, etiam parvi, conscindantur. Et feræ de montibus descendentes inter homines manebunt, nullique nocebunt: ipsi quoque homines, quasi amentes, & præ timore arescentes, huc illuc discurrentes tabescent. Et his quidem Evangelii verba convenire videntur, quibus Dominus ait: Arescentibus hominibus præ timore, & exspectatione, quæ supervenient universo orbi. Horum autem signorum, & aliorum, quæ hîc non dicuntur unumquodque uno die, & non amplius, fieri narratur. Nos tamen his quidem autoritatem non damus: quod ideò certè scripsimus, quod Evangelii verbis convenire videntur.* Hactenus scriptor iste. Qui meritò Hebræorum nos autoritate stare hac parte posse negat. Nam etsi pleraque omnia eorum signorum inveniuntur in Scripturis, & quæ Scripturis non continentur, tamen nec repugnent (nisi forte quinctumdecimum signum, quo etiam morituri dicuntur, qui novissimo die vivent) tamen quod quindecim signis quindecim assignantur dies, & singulis proprius, id Rabbinicum aliquid veriùs, quam Propheticum sapere videtur.

THESIS IX.

Etiam ad signa adventus referunt, quod apparebit in cælo signum crucis. Quod colligunt ex Christi verbis apud Matt. XXIV. 30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. *Sed nobis hæc sententia nihil aliud, quàm conjectura quædam, videtur. Imò, ut simpliciùs, ita veriùs putamus, si signum filii hominis ipse intelligatur Filius hominis: cujus conspectus certissimum erit signum consummationis mundi, & judicii extremi. Nec multum ab hoc loquendi genere abludit, quod ad Rom.* IV. II. Abraham *dicitur* accepisse signum circumcisionis. *hoc est circumcisionem, quæ fœderis erat signum.*

Interim fatemur, priorem interpretationem habere, & multos, & magnos auctores. Sanè Remaclus de Faulx, Theologiæ in Florinensi Monasterio professor, in Harpocrate divino, sive de consummatione mundi parte II. ait a: *Hoc signo crucem Christi significari, tam* a P. 339.

Græci,

Græci, quàm Latini, CONSENTIENTIBUS animis asseverant. Et Societatis Iesu Theologus, Lucas Pinellus, de alterâ vitâ, & animarum in ea statu lib. II. cap. xx. *Per hoc signum filii hominis crucem significari, OMNES affirmant interpretes, tam Græci, quàm Latini.* Et sanè negare non possumus, sentire hoc modo, non tantum oracula, quæ vulgo Sibyllarum *a* nomine circumferuntur, supposititium Hippolytum de consummatione seculi, aut dubiæ fidei scriptorem Ephræm serm. de apparitione crucis tempore judicii, item serm. in pretiosam & vivificam crucem Domini, & Cyrillum sive Iohannem Hierosolym. catech. xv. *b*: Verùm etiam Chrysostomum homil. LXXVII. in Matth. & homil. de cruce ac latrone: Augustinum sive alium serm. cxxx. de Tempore *c* Iulianum Toletanum lib. III. Prognosticôn cap. v. item Bedam, Euthymium, Theophylactum, alios, in Matth. cap. xxiv. Imò in Romanæ etiam Ecclesiæ canticis est, *Hoc signum crucis erit, cùm Dominus ad judicandum venerit.* Attamen quod Remaclus, & Pinellus omnes ita censere arbitrantur, refellit eos alter Societatis Iesu Theologus, Maldonatus, in cap. xxiv. Matt. ubi ait: *Quod signum filii hominis vocet, auctoribus inter se non convenit. Origenes virtutem & gloriam, quam sibi Christus in cruce comparavit, signum filii hominis vocari putat, quasi sensus sit, omnes visuros esse Christum tantâ cum gloriâ atque majestate venientem, ut dubitare non possint, eum verum esse judicem. Ad eundem ferè modum Hieronymus, Beda, victoriæ Christi vexillum intelligi posse putant. Auctor verò imperfecti* operis in Matth. (Chrysostomo tributi) *passionis signa, ut flagellorum vibices, clavorum cicatrices, signum filii hominis vocari dicit.*

a Extremis tribus versibus lib. 6.

b P. 383. edit. Morell. an. 1608.

c T. 10. col. 865.

De hac cruce quæri solet, cujus materiæ futura sit. Sunt qui eam ipse fore arbitrentur, de qua pependit Salvator. Nam omnes ejus particulas, per orbem dispersas, esse colligendas & compingendas. Est hæc sententia Waldensis Tom. 3. de sacramentalibus tit. xx. cap. CLVIII, ac pro se adducit hæc B. Chrysostomi verba *d*: *Crucem solam non reliquit in terrâ, sed secum eam levavit ad cœlum, & ideò cum ipsâ veniet.* Quæ etiam verba adducit Ionas Aurelianensis lib. II. de cultu Imaginum *e*. Sed aliorum judicium est, ex aëre luculentissimo crucem esse formandam, eamque tantæ quidem magnitudinis, & splendoris, ut præsentiâ suâ Solem Lunamque obscuret.

d Homil. de cruce & latrone.

e In initio.

Ita Anselmus in Elucidario suo *a*, item Abulensis, atque alii, in xxiv. cap. Matth.

Appariturum verò hoc signum dicunt, tum in fidelium consolationem, qui crediderint in Christum crucifixum, tum in condemnationem infidelium, qui crucifixum rejecerunt. Hac de re illustrem locum citari video à doctis *b* ex Ephremi homil. de verâ pœnitentiâ: *Sancta*, inquit, *crux in consummatione seculi, cum secundus illuxerit Domini Salvatoris adventus, primò cum gloria ingenti, & Angelorum exercituum infinitâ multitudine, apparebit in cælo: inimicos quidem terrens, ac vexans; fideles autem illuminans, atque lætificans, adventumque cælestis imperatoris annuncians.* Augustinus serm. de Tempore cxxx. *Quare crux apparebit tunc, & quam ob caussam in ejus prælatu Dominus adveniet, ratio perspicua est ut agnoscant concilium iniquitatis suæ, qui Dominum majestatis crucifixerunt. Per hoc enim signum, impudens Iudæorum redarguitur impietas: & quomodo propter hoc ipsum habens crucem veniet, audi ipsum in Evangelio protestantem: Quia tunc plangent omnes tribus terræ, videntes accusatorem suum, id est ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscent peccatum suum serò, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris, si crucem adferens veniet, ubi & ipsa vulnera ostendet?*

a P. 245. col. 1. edit. Colon. 1612.

b Citant Gretserus de cruce Christi T. 1. lib. 1. cap. 92. & Remaclus in Harpocrate divino fol. 540. Sed in nulla homiliarum ejus de pœnitentia potui invenire.

X.

De signis vidimus. Effecta adventus, tum reprobos, tum electos respiciunt. Nam reprobi videntes eum, quem perfoderunt, plangent super eo, Apocal. I. 7. atque exanimati præ timore illorum, quæ vident & exspectant, latibula quærent, in quibus sese ab irâ agni abscondant. Luc. XXI. 27. Apoc. VI. 15. 16. 17. Electi verò summo cum gaudio redemtionem plenam exspectantes, capita attollent, & erigent. Luc XXI. 28. Itaque etiam, quem adventum horrescunt impii, hunc exoptant fideles. Apoc. XXII. 17. Et Spiritus & Sponsa dicunt, Veni. Et qui audit dicat, Veni. *& vers. 20.* Etiam veni Domine Iesu.

Quæ Apocalypsios verba de ultimo Christi adventu etiam interpretatur Arethas, sive Andræas Cæsariensis.

DISPUTATIO DECIMASEPTIMA

DE

CORPORE GLORIOSO.

THESIS I.

QUemadmodum Apostolus I ad Cor. xv. postquam docuit carnem hanc resurrecturam esse, quales resurrecturi simus aperit: similiterque quoque nos, quia antea probavimus resurrectionem fore, deinceps quali simus corpore resurrecturi, ostendemus.

II.

Optimè verò hoc declarat ibidem *a* Apostolus similitudine grani: quam eleganter expressit Paullinus panegyrico in obitum Celsi *a*, & Zeno Veronensis sive alius serm. de Resurr. *b* & ante utrumque Tertullianus de Resurr. cap. LII. *Seritur*, inquit, *solummodo granum sine folliculi veste, sine fundamento spica, sine munimento arista, sine superbiâ culmi: exsurgit autem copiâ fæneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultum, munitum & usquequaque vestitum. Hæc sunt ei corpus à Deo aliud, in quod non abolitione, sed ampliatione mutatur.* Nempe similem in modum Deus mortuis, & putredine absumtis carnem largietur, (ut Gregorius *c* scribit)

a Vers. 36. & seq. & 42. ac seq.

a In Post. pet. thes. col. 823. v. 15. & seq.

b Tom. 3. bibl. Patr. edit. 2. col. 331. Sed apud eum pro caput omnis virentibus redonitum legendum comis virentibus.

c Lib. 14. in Iob. cap. 33. edit. Paris. sive 106. edit. Ven. 1480.

& eandem & diversam: eandem per naturam, diversam per gloriam: eandem per veritatem, diversam per potentiam: in quibus duobus, carnis inquam veritate, & gloriæ augmento, resurrectionis mysterium consistit: quemadmodum Hieronymus ait epist. ad Pammachium *a*.

a Tom. 2 pag. 176. edit Bas. 1553. quam & deinceps citavimus. b P. 446. edit. Mor.

III.

Hæc de corporis gloriâ sic scribit Macarius Ægyptius: homil. 34. *b* Ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν σωμάτων, ὧν προανέστησαν καὶ προεδοξάσθησαν αἱ ψυχαί, τότε καὶ τὰ σώματα συνδοξάζονται, καὶ φωτίζονται τῇ ἀπὸ τοῦ νῦν πεφωτισμένῃ καὶ δεδοξασμένῃ ψυχῇ. ἔστι γὰρ αὐτῶν οἶκος καὶ σκηνὴ καὶ πόλις ὁ κύριος. τὸ οἰκητήριον δὲ τὸ ἐξ οὐρανοῦ τὸ ἀχειροποίητον περιβάλλονται δόξαν φωτὸς θεϊκοῦ, ὡς τέκνα φωτὸς γενόμενοι.

Sed quod generatim à Beato Macario dicitur, id distinctè explicat Apostolus per quadruplicem antithesin corporis ejus quod sepelitur, & illius quod excitabitur. Prima *c* est ratione durationis: quia corpus seminatur corruptioni obnoxium, suscitabitur incorruptum. Unde Ambrosius *d*: *Flos resurrectionis immortalitas est: flos resurrectionis incorruptio est.*

c Vers. 42. d De fide resurr. q. 30 edit. Bas. 1555.

IV.

e Vers. 43.

Altera *e* antithesis est ratione decoris: quia seminatur ignominiosum, hoc est desorme fœdumque adspectu, excitatur pulchrum & divino quasi lumine amictum. Cujus specimen datum in vultu Mosis candicante *f*. Unde idem Macarius Homil. v. *g* Μωϋσῆς ὁ μακάριος ὑπέδειξε τὸν τύπον διὰ τῆς δόξης τῆς ἐπὶ τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἐπικειμένης τοῦ πνεύματος δόξης, εἰς ἣν οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀτενίσαι ἠδύνατο, πῶς ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων δοξασθήσονται τὰ σώματα τῶν ἀξίων *h*. Item in Christo coram tribus discipulis transfigurato, cujus membra solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos præstringebant. Atqui, ut Hieronymus *i* ait, *Qualis futurus est tempore judicandi, talis apparet Apostolis.* Et mox: *Transformatus est dominus in eam gloriam quâ venturus postea est in regno suo.* Hinc vero futuram corporum nostrorum gloriam optimè comprobamus: quia similiter Christus, ut Apostolus *k* ait, *transformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso.* Vide omnino quæ de pulchritudine gloriosorum corporum elegantissimè scribit Augustinus lib. XXII. de Civ. Dei cap. XIX. Ubi illud inter alia: *Claritas in Christi corpore cum resurrexit ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adspectus, quando ille ita à suis deberet attendi, ut posset cognosci.*

f Exod. 34. v. 29. 30. g Pag. 86. h Mat. 2. 17. i Comm. in hunc locum: ubi obiter observa, per transformationis vocem ab Hieronymo usurpari, quam in Calvino ac Beza fugillat Maldonatus. k Phil. 3. vers. 21.

V.

l Vers. 43.

Tertia antithesis apud Paullum *l* est ratione potentiæ & motus: quia quod in vita fuerit cibi, potus, somni, vestitus indigum, pondereque suo gravatum, excitabitur agile, nullique infirmitati aut defectui obnoxium. Hâc agilitatis dote (quamquam principaliter divinâ virtute) rapiemur in aëra, in Domini occursum, ut est 1 Thess. IV. 17. Unde idem Macarius (ut eum Latinè loquentem inducamus) homil. v. *m*. *Quam gloriam in animâ suâ nunc possident sancti, hac tum teget & operiet corpora nuda, & ad cælos rapiet. Cum enim Deus conderet Adam, non aptavit ei corporeas alas, sicut & volatilibus: nempe præparans ei alas sancti spiritus, quas videlicet donaturus erat illi in resurrectione, quæ ipsum allevarent & raperent, quo spiritui bonum videretur. Quas quidem alas etiam nunc animæ sanctorum obtinent* (κατηξίωνται ἔχειν) *quâ mente evolant ad cogitationes cælestes.* August. lib. XXII. de C. D. cap. XXX. *Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere nec corpus.*

m P. 88. edit. Mor.

VI.

n Ibidem vers. 44.

Quarta antithesis, apud Apostolum *n* superiorum est omnium fundamentum, triplicemque antè allatam differentiam comprehendit. Dicitur enim seminari corpus animale, excitari spirituale. Quamquam verba hæc non uno omnes ceperunt modo. Nam præter eos qui putarent corpus spirituale dici quia in spiritum verteretur (quorum sententiam satis refutavimus sup. disp.) fuere hodieque sunt multi, qui spirituale dici contendant, quia spiritus instar sit subtile. Itaque & facultatem ei tribuunt per clausa loca & densos obices permeandi. Eoque etiam advocant quod Christus dicatur ad discipulos ingressus τῶν θυρῶν κεκλεισμένων *a*. Atqui nihil opus iccirco statuere corporum penetrationem: sed satis est si dicatur, sive Angelico ministerio, sive solo domini jussu ostium subitò fuisse apertum ac clausum. Vel cui hoc magnum satis miraculum non videtur, statuat licet ostium fuisse rarefactum, ingressoque Christo coaluisse. Saltem hoc ἀντιλογίαν non habet, ac tam hoc quàm illo modo *creatura cesserit creatori*: quod hic factum esse Hieronymus scribit epist. ad Pammach. *b*. Nihilo verisimilius dicunt, Christum per sepulchri lapidem transiisse. Siquidem testantur scripturæ *c*, ab angelo fuisse à sepulchro revolutum. Neque eò id tantummodo factum, ut resurrexisse Christum indicium fieret, quod Beda putavit, verùm insimul, ut egresso Christo janua panderetur.

a Ioan. 20. 19. b P. 178. c Matt. 28. 2.

VII.

Nostra verò sententia est, corpus tum animale tum spirituale dici ratione partim principii sui, partim affectionum. Principium utriusque corporis est unum idemque anima nempe sive spiritus, sed quia, ut Aquinate *d* rectè est observatum, anima vocatur, quà curat bonum corporis, quod informat: spiritus dicitur, quà spiritui Domini subjicitur, ac spirituale bonum curat: hinc & corpus vel animale dicitur, quia animæ paret: vel spirituale, quia à spiritu gubernatur. Nec obstat, quod etiam in hac vitâ corpus spiritui serviat. Nam hic imperfectè id facit. Quam rem sic declarat Tertullianus lib. de Resurr. cap. LIII. *Quid ergo dicimus? nonne & nunc habet caro spiritum ex fide? ut quærendum sit, quomodo corpus animale dicatur seminari. Planè accepit & hic spiritum caro, sed arrabonem: animæ autem non arrabonem, sed plenitudinem. Itaque etiam propterea majoris substantiæ nomine animale corpus nuncupata est, in quâ seminatur; futura proinde per plenitudinem spiritus insuper spirituale, in quâ resuscitatur. Quid mirum? si magis inde vocitata est, unde conferta est, quàm unde respersa est?*

d Comm. in 1. ad Cor.

VIII.

Præterea operationum ratione corpus vel animale, vel spirituale vocari dicebamus. Sunt verò operationes istæ triplices. Nam quia, ut Athenagoras lib. de Resurr. *e* ait, ἄνθρωπος δεῖται τροφῆς διὰ τὴν ζωήν, δεῖται δὲ διαδοχῆς διὰ τὴν τοῦ γένους διαμονήν: hinc est quod anima in hac vitâ operationes per organa corporea ad corporis bonum exerceat. Cujusmodi sunt nutritio, augmentatio, generatio: illa quidem duo ad conservationem & perfectionem individui, hæc verò tertia ad conservationem speciei. Suntque operationes istæ merè animales, seu organa, seu objectum, finemque consideres. Sunt præterea operationes, quæ per organa quidem corporea, non tamen semper ad corporis, sed sæpè ad animæ bonum exerceantur. Atque hæ inter animales & spirituales operationes medium obtinent locum: quia corporales sunt ratione organi, Spirituales ratione objecti & finis: a quibus potiùs quàm ab organo sumenda est denominatio. Denique sunt operationes, quæ citra corporis organa fiunt ac ad perfectionem animæ simpliciter diriguntur. Cujusmodi tum organi, tum objecti & finis ratione sunt spirituales.

e Pag. 68. edition. H. St.

Anima

IX.

Anima post resurrectionem tantùm spiritualibus vacabit: nempe partim iis, quæ corporis organum requirunt, ad bonum tamen animæ pertinent; cujusmodi est beatifica visio, quà corporeis oculis fit: partim illis, quæ corporis organo non indigent; qualis est beatifica visio quatenus solo fit intellectu. At à primo operationum genere tunc penitùs erit immunis: ut nos Christus docet Matth. XXII. 30. & Marc. XII. 25. & apertissimè apud Lucam XX. 35. 36. *Qui*, inquit, *digni habiti fuerint, qui ævum illud consequantur & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nubunt amplius: neque enim mori possunt amplius: pares enim angelis sunt, & filii sunt Dei cùm filii sint resurrectionis.*

X.

Sanè si non aliunde vel ex uno hoc loco cognosci posset, cur & corpora gloriosa dicantur spiritualia, & his prædicti ἰσάγγελοι nominentur. Nempe non ratione spiritualis substantiæ, quia nec oculis videri, nec manibus tangi possint: quod Io. Hierosolymitanus putabat, & aliquando sensit Augustinus *a*: sed neque ἰσάγγελοι vocantur ratione ἀναμαρτησίας h. e. impeccantiæ, ut Hieronymus *b* vertit (quamquam verissimè dicat Bernardus *c*, impletum iri rationale nostrum luce sapientiæ, concupiscibile nostrum fonte justitiæ, irascibile nostrum, perfectâ tranquillitate:) sed quia angelorum instar neque nutrimento indigebunt ad conservationem individui: neque generatione ad conservationem speciei: prout rectè adversus Io. Hierosolymitanum interpretatur B. Hieronymus & Augustinus, abjectâ priori sententiâ, docuit lib. I. Retract. cap. XVII. & lib. ult. de Civ. Dei cap. V. & XXI. & ante utrumque Tertullianus lib. de resurr. cap. LXII. Ubi sic scribit: *Erunt tanquam angeli. Si non nubendo, quia nec moriendo, uti que nec ulli simili necessitati succidendo corporalis conditionis.* Plura ibidem vide. Similiterque Victor Antiochenus, Theophylactus, atque alii ad Marci cap. XII.

a Tom. 3. lib. de fide & symbolo cap. 10.
b Proœmio in quartum comment. Hierem.
c Serm 4. in festiv. omnium sanct. col. 294 edit. Antverp.

XI.

Ex his verò simul lucem capit, quod ibidem *d* Apostolus dicit, nos in hac vitâ gestare imaginem primi Adami: h. e. conformes esse primo parenti, qui tales in nos qualitates diffudit, qualibus ipse præditus fuit: ac post vitam hanc gestaturos imaginem secundi Adami, hoc est corpora habituros conformia corpori Christi, quod est immortale, pulchrum, agile & ut uno verbo cum Apostolo dicam, spirituale.

d 1 Cor. 15. 49.

XII.

Atque hæc quidem de quadruplici illâ animalis & spiritualis corporis antithesi universè dicta sunto. Deinceps, quia occasione eorum, quæ vel sup. disp. de carnis veritate, vel hac ipsâ de gloriæ augmento à nobis dicta sunt, varia particulatim quæri solent, quorum alia ad integritatem, alia ad ætatem ac staturam, alia ad sexum, aliamve qualitatem pertinent: iccirco nostram de his quoque sententiam tamquam mantissam & hujus & superiorum de Resurrectione disputationum, appendere hoc loco visum fuit.

XIII.

De integritate quidem nemo pius ambigit, quin quos membro aliquo destitutos produxit parens natura, hi eo donandi sint in resurrectione. Siquidem hoc ad gloriosi corporis beatitudinem facit: nec verisimile est corpora nostra in vitâ æternâ deteriori fore conditione, quam erant in πρωτοπλασίᾳ. Vide Tertull. de Resurr. cap. LVII. Augustin. Enchirid. cap. LXXXVII. Prudentium in ἀποθεώσει circa finem, Iulianum Toletanum lib. III. πρoγνωσ. cap. XXX.

XIV.

Unde verò mutilis membra isthæc sint restituenda, curiosâ indagine opus non est. Tantùm dicimus verisimile esse vel è nihilo ea creatum iri: vel supplenda esse ex iis, quæ à calore nativo, vitâ durante, fuere depasta absumtaque, ac postea per cibum & potum instaurata. Ut enim ex Physicis notum est, sunt corpora nostra in perpetuo fluxu: nec ut corpora hæc resurgant, omnia resurgere opus est, quæ aliquando fuerunt, sed quantum satis est, ut corpus sit absolutum.

XV.

Utrumque etiam de ἀνθρωποφάγοις dici potest. Nempe caro absumta, etiamsi absumentis pars facta sit, priori tamen adjudicabitur possessori: posteriori vero supplebitur eo modo quo dicebamus. Si tamen suppleri opus sit. Nam cum nulli solis vescantur carnibus humanis, nec quicquid in cibum assumitur, cedat in nutrimentum, in dubium vocari possit, an natura in digerendis & agglutinandis homini carnibus humanis itidem consueta peragat munia, uti facit in cibis divinitùs concessis. Vide argumentum hoc fusè tractantem Athenagoram lib. de Resurr. *a*.

a Pag 49. 50. 51. & seq. Gr. edit. H St.

XVI.

Quamquam verò & alvi gurges, & intestinorum perplexa proceritas, & conceptuum conceptacula, & uberum fontes ab officiis pristinis liberabuntur: non tamen impedit hoc, quò minus cum his quoque corpora resurgant. Siquidem pertinent ea ad perfectionem naturæ humanæ, haut secus ac, quemadmodum Tertullianus *b* ait, *& carina & prora & puppis, omnisque compago pristina necessaria est soli navis saluti, licet vacatura.* Præterea æquum est, ut quibus quis membris benè maleve usus est in hac vitâ, eadem vel præmium vel pœnam reportent in vitâ alterâ. Quo argumento idem adstruunt Athenagoras de Resurr. *c*. Cyprianus *d* de eadem. Lactantius lib. 7. c. 21. Augustinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 13.

b Lib. de Resurr. cap. 60.
c Pag. 74. edit. Gr. H. St.
d Tract. 11.

XVII.

Nec ullam gloriosi corporis imperfectionem arguit illud Paullinum *e* ab Origenistis *f* quoque, sed paullò alium in finem, objectum: *Esca ventri & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet.* Nam Lucæ ult. legimus, Christum resuscitatum comedisse, eoque Apostolus de escis quà ventris, deque ventre quà escarum, & quidem de appetentia cibi, non de possibilitate comedendi intelligi debet, quemadmodum ostendit Augustinus lib. XIII. de C. D. cap. 22. & Iulianus Toletanus lib. III. πρoγνωσ. cap. XXV.

e 1 Cor. 6. 13.
f Apud Hieron. epist ad Pammach. pag. 171.

XVIII.

Nec honestatis ratio reparationi partium ullarum obstabit, quando, ubi perfecta puritas & innocentia obtinebit, ibi nec ulla earum partium fœditas comparebit: eoque, ut Macarius *g* quoque scribit, ἐκεῖ ἀνεπαισχύντως λαλήσει εἰρήνην ἀδελφὸς ἀδελφῷ. Hujusce rei documentum habemus in primis parentibus, ut qui demum post peccatum sibi è foliis ficulnis subligaria pararint. Hæc nisi certissima forent, verisimiliter satis responderetur, fulgido nos amictu esse induendos: quasi nempe se conspiciendos hominibus angeli obtulerunt in terris. Interim vide sis, quæ ex Iuliano Pomerio ac præceptore suo Eugenio de amictu beatorum scribit Iulianus Toletanus cap. prox.

g Homil. 34. pag. 446. & 447. edit. Morell.

XIX.

De humoribus quoque aliquis est dissensus: quam quæstionem movet Augustinus epist. 140. ad Consentium. Ut verò utramque in partem de eâ possit disputari, ante sesquiseculum circiter ostendit Dominicus Dominicenus Venetus Episc. Torcellinus & Brixianus tractatu de sanguine Christi. Interim extra controversiam est, hu-

mores excrementitios, quique nutritioni ac generationi inserviunt, uti lac & semen, spirituali corpori minimè convenire.

XX.

Nec cum pili ad ornamentum corporis pertineant, quâ de re orationem scripsit Dio Chrysostomus, resurrectionem eorum impedit, quod ex humoribus excrementitiis producantur. Idem de unguibus judicium esto. Unde Prudentius extremâ Ὕμνων *a*.

a *Carm. de Resurrect.*

—— Nec me vel dente, vel ungue
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulchri.

Nec obstat originis fœditas: quæ si spectetur, parili jure etiam corporum ipsorum resurrectio in dubium vocetur. Nec hacpropter necesse esse, ut quicquid vel per tonsuram vel sectionem detractum est, redintegretur, satis ex Augustino docet idem Julianus Toletanus cap. XXXI. ejusdem libri.

XXI.

De ætate etiam sive staturâ corporis gloriosi disceptatio est. Nos non adultos duntaxat, sed etiam pueros perfectâ in ætate resurrecturos putamus: eademque est sententia Ambrosii sive alius in fragmento *b* de Resurrect. B. Hieronymi ad Pammachium adversus Io. Hierosolym. *c* & B. August. lib. XXII. de Civ. Dei cap. 16. *Resurgent*, inquit, *omnes tam magni corpore quam vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate.* Similiterque Iulianus Pomerius apud Iulianum Toletanum lib. III. προγν. cap. XX. Pro puerili tamen puerorum ætate advocare aliquis possit illud Apocal. XX. *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, &c.* Verùm non eo indicatur quanti, sed qui resurrecturi. Nempe etiam qui in ætate primâ discessissent. Confirmat hanc rem Augustinus cap. 14. ejusdem libri. Ubi ait omnes in conceptione ac nativitate habere perfectionis modum: at habere non in mole, sed in ratione, quomodo & membra omnia latenter sunt in semine. Quod verò illis tardius erat accessurum in tempore, hoc recepturos celerrimo & miro Dei opere. Quæ sententia etiam ex πρωτοπλάστων analogiâ comprobatur. Nec enim deteriori, sed meliori potius conditione corpora nostra erunt, quàm primorum hominum in paradiso erant: ut idem tradit lib. I. Retract. cap. XI. & XIII. & lib. XIII. de C. D. cap. XX. Interea verum putamus illud ejusdem lib. XXII. de C.D. cap. XVI. *Nihil oberit etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma: ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla manebit infirmitas. Unde etiam siquis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemque contendit, non est cum illo laboriosâ contradictione pugnandum.* Et hoc Iuliani Pomerii apud cognominem sibi Toletanum loco paullò ante citato: *Si hoc magis congruit illi seculo beato, in quo omnes sancti sine ullo beatitudinis suæ defectu victuri sunt, ut aliqua ætatum differentia ibi futura sit: sic erit ibi, ut impedimento aut dedecori sine fine regnantibus non sit.* Et mox: *Quod de ætate diximus, idem de staturâ licet intelligi.*

b *Circa medium fragmenti.*
c *P. 175. circa finem. edit. Bas. [illegible] citata.*

XXII.

At non satis Apostoli mentem intelligunt, qui, ut Augustinus innuit lib. XXII. de Civ. Dei cap. XV. & ex eo Iulianus Toletanus lib. III. προγνως. cap. XX. ac Longobardus lib. IV. Dist. XLIV. adultam omnium ætatem comprobant istoc Apostoli Eph. IV. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi.* Nam cum viro perfecto continuò opponat parvulum fluctuantem & in fide instabilem, cognoscere hinc est, virum perfectum nunc appellari eum, qui in fide sit perfectus: ut interpretantur ex Lat. Ambrosius & Hieronymus: ex Græcis, Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius. Meritò autem numero singulo *virum perfectum* dicit: quomodo & Syrus vertit, *Donec omnes fiamus unus homo perfectus.* Nec n. loquitur de singulis singulatim, sed de mystico Christi corpore; quod adolescet in Christo usque dum perventum erit ad perfectionem ac quasi virilem ætatem, quod demum futurum in resurrectione universali.

XXIII.

Nihilo magis istæc Apostoli verba pro iis faciunt, qui hinc probant omnes virili in sexu resurrecturos: ut scribit Augustinus lib. XXII. de Civ. Dei cap. XVII. & seq. Quo etiam trahi possit, quod Macarius homil. XXXIV. ait, *οὐκ ἔστιν ἐκεῖ ἄρσεν καὶ θῆλυ, εἰς θεϊκὴν γὰρ φύσιν πάντες μεταβαίνοντες.* Ac simile quid habet Hilarius in illud Matth. cap. XXIV. *In resurrectione neque nubent, neque ducent uxores.* Quamquam & hos de sexus usu, non de affectione ipsâ intelligere possis. Sed Scotus in II. Sent. dist. XX. de affectione ipsâ negat, nisi quod solam hinc excipiat B. Virginem. Etiam Guido Carmelita hunc errorem tribuit Armeniis, quos compulsos ait istis Apostoli verbis ad Rom. VIII. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii Dei.* Quo loco non de sexu, sed de conformitate cum Christo, primùm in cruce, deinde in gloriâ, Apostolus loquitur.

XXIV.

Sanè si idem numero corpus resurget, etiam affectiones ejus non derogantes gloriæ remanebunt: è quarum præcipuis est sexus. Quamobrem rectius abolitionem hujusce sexus negant Tertullianus de Resurr. cap. LX. Ambrosius in fragmento de eadem *a*, Hieronymus epist. ad Pammach. August. lib. XXII. de Civ. Dei cap. XVII. Iulianus Toletanus lib. III. προγνως. cap. XXIV. qui & verba illa laudat præceptoris sui Eugenii, Toletanæ sedis antistitis: *Erit tanta ac talis corporis* (feminei) *pulchritudo, ut oblectet intuitum & cor nullatenus inflectat ad vitium.* Idem communiter docent Scholastici omnes in IV. Dist. XLIV.

a *Ante medium.*

XXV.

Nec obstat, quod nunc femineus sexus indignior sit virili: quia hoc est ratione subjectionis & imbecillitatis, non ipsius sexus, qui cum etiam in innocentiæ statu habuerit locum, inter ea esse nequit, quæ pœnalis fuerint conditio mortalium: qualia in statu vel integritatis vel præmii locum habere non possunt.

XXVI.

Cum verò negamus deformitatis loco haberi debere, quod non sit pœna peccati, etiam inde in martyribus eximimus vulnerum vestigia. Sanè Christus post resurrectionem vulnerum suorum ostendit cicatrices: quod illi non dehonestamento, sed ornamento fuit, quia hæ pugnæ semel peractæ signa sunt perennia. Quocirca & similiter fortasse martyres post resurrectionem circumferent vulnerum suorum cicatrices, tanquam heroïcæ virtutis indicia. Hanc in sententiam inclinat Augustinus, lib. XXII. de C.D. cap. XX. &, qui eum sequitur, Iulianus Toletanus lib. III. προγνως. cap. XXII.

XXVII.

Contra pœnalis deformitatis loco habemus vitia omnia in fœtibus monstrosis. Itaque ea non relictum sed sublatum iri statuimus cum Augustino & Iuliano Pomerio, quorum verba citat Iul. Toletanus *b*. Quod tamen intelligendum de monstris istis, quæ hominis habuerint naturam. De hoc verò imprimis statuendum ex capite, utpote rationis domicilio: unde & caput antiquitùs sacrum habebatur, teste Athenæo lib. II. dissertantium in convivio. Quæ igitur corpore toto ab humanâ formâ longiùs declinaverint, vel superiori ejus parte bestiam planè repræsentant, hæc non corrigentur, quia non resurgent: non resurgent autem, quia etsi homine

b *Lib. 3. προγν. cap. 18.*

nata

nata sint, homo tamen non sint: unde & sacri baptismatis aquâ ablui non debent: imò in ortu ipso impune suffocantur, ut Jurisconsulti docent. Vide quos hâc de re scripsisse scribit Ludovicus Carerius Tract. de Homicidio num. XXIII.

XXVIII.

Extremo hoc loco addamus, eum vel mutilos vel deformes tum annatis tum adventitiis defectibus ac vitiis liberandos dicimus, de solis hoc electis intelligi nos velle. Nec enim displicet sententia Durandi, qui *a* reprobos censet iisdem cum defectibus ac vitiis resurrecturos, quæ habuerunt in hac vitâ: ut quæ non disconveniant eorum conditioni. Contra scio sensisse Thomam in illud Apostoli *b*. *Et mortui resurgent incorrupti.* Sed Hieronymus rectiùs Apostoli verba interpretatur de immortalitatis statu, quia ἄφθαρτοι, quod in Græco est, incorruptibiles sonat. Præterea ratio pro Durando est, quia cum defectus eorum pertineant ad miseriæ augmentum, ratio idonea nequit adferri, cur defectus in his debeant auferri. Contra verisimile est, quemadmodum qui Spiritus Sancti templa fuerunt, corpora habebunt splendentia ac decora, ita qui dæmonis fuere templa, corpora habituros tetra ac deformia. Atque id quoque censuit B. Ephrem. serm. de Resurr. *Istorum*, inquit, *corpora septuplum supra solis fulgebunt radios: peccatorum verò tenebrosa invenientur & fœtore plena.* Interim, ut optimè Augustinus ait, Enchir. cap. XCII. & apud Julianum Toletanum lib. III. προγνως. cap. XXXII. *Fatigare nos inquirendo non debet incerta eorum habitudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio.* Quod & Albinus Flaccus Alcuinus iisdem propè verbis scripsit lib. III. de Trinit. cap. XX.

a In 4. sent. dist. 44. Art. 6.
b 1 Cor. 15.

DISPUTATIO DECIMAOCTAVA

DE

MUNDI FINE.

De fine mundi hæc considerabimus: An, quomodo, quatenus, & quando sit interiturus. Item, num doctrina hæc nota fuerit poëtis ac philosophis antiquis.

Thesis I.

Mundum, uti initium habuit, ita habiturum esse finem, non uno Scripturarum loco docemur; apertissimè autem id praedicitur Apocal. XXI. 1. Deinde vidi cœlum novum, & terram novam: primum enim cœlum, & prima terra abierat: & mare non erat amplius. *Item 2 Petr.* III. 3. 4. *ubi præmonet Apostolus, irrisores esse extremis venturos temporibus, qui mundum hunc semper permansurum eundem, vanamque esse promissionem de adventu Christi, concludant; idque exinde, quia tot jam seculis eadem orbis facies perstet. Adversus tales primùm opponit Apostolus creationem mundi: quia qui verbo mundum potuit creare, eundem verbo poterit destruere. Deinde, non omnia ita permansisse, uti ab initio creationis erant, probat a ex diluvio, quo mundus hic corruptus fuit. Ab isthoc exemplo ad futurum mundi interitum accedit, ac cælum terramque destructum iri pronunciat b die illo, qui impiorum exitio est destinatus.* Quamobrem, *inquit*, qui tunc erat mundus, aqua inundatus periit: qui verò nunc sunt cœli, & terra, eodem sermone repositi, servantur igni in diem damnationis, & exitii impiorum hominum.

a Vers. 6.
b Vers. 7.

Minimè verò audiendus est Didymus *c*, enarratione in epistolas Canonicas, ubi observat, triplicis hic mundi mentionem fieri, antiqui seu præteriti, vers. 6. cùm dicitur, *Ille tunc mundus*: præsentis, vers. 7. *Cæli qui nunc sunt*: futuri post hunc, vers. 13. *Sed cælos novos, ac terram novam, secundùm promissum ejus exspectamus.* Quæ huic epistolæ adspersa Didymus putat ab hæreticis, plures mundorum creationes, & periodos, somniantibus. *Multis*, inquit, *mirum est, & ex istis verbis significari mundanas revolutiones, atque mutationes.* Et postea: *Non est igitur ignorandum, præsentem epistolam esse falsatam, qua licet publicetur, non tamen in canone est.* Sed valde Didymum ea conjectura fefellit. Nam quod Petrus diluvio periisse mundum dicit, satis indicat, non loqui eum de tribus mundis τῇ οὐσίᾳ diversis; uti Origenistæ putarunt: sed illud solùm velle, quemadmodum mundus hic semel cœpit, & aquâ corruptus fuit; ita eundem aliquando periturum igne.

c In bibl. pp. edit. 2. Tom. 9. col. 528. 529.

Ad interitum hunc mundi probandum, afferri etiam vulgò solent verba Esa. 51. 6. *Cæli ut fumus peribunt, & terra, ut vestis veterascet.* Sed aliam hujus loci sententiam esse, putavit etiam Calvinus, ut ex istis ejus verbis cognoscimus: *Adjungit, quamvis ad interitum vergant cælum & terra, fieri non posse, ut Ecclesia labefiat, cujus stabilitas in Deo fundata est; ac si dixisset, Centies misceri contingit cælum terra potius, quàm effluat promissio, cui salus vestra innititur.* Similiter Hector Pintus: *Potest hic locus Esaiæ ita explicari: Prius cælum & terra vastabuntur, quam ut ego non præbeam mundo salutem, & promissa mea non adimpleam.*

Præterea adducere solent illud Psal. CII. 27. *Ista* (terra & cœlum) *peritura sunt, omnia ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur.* Sed aliorum alia sententia est: quia (ut Calvinus ad hunc locum monet) *secundùm quosdam interpretes subaudienda est conditio, Si Deo ita placuerit.* Idem Bucerus indicârat his verbis: *Istud PERIBUNT de immutatione orbis intelligendum est: de qua 2 Petr. III. 7. aut certè secundùm Kimhi subaudiendum est, Si voles. Nam ut Sancti æternùm vivunt, ita stabit quoque in sempiternum hæc machina orbis. Ut tamen Deus omnia condidit ex nihilo, ita in manu ejus est, si velit, cuncta rursus in nihilum redigere.*

Itidem adferunt, quod dicitur Matth. V. 18. *Usque dum præterierit cælum & terra.* Et Matth. XXIV. 35. Marc. XIII. 32. & Luc. XXI. 33. *Cælum & terra præteribunt: sermones autem mei nequaquam præteribunt.* Sed horum

etiam verborum aliam esse sententiam, autumat idem Calvinus, qui in Matth. v. 35. *Hoc*, inquit, *tenere sufficiat, rupturum potius esse cælum, totamque mundi machinam miscendam esse, quam vacillet Legis stabilitas.* Idem in Matth. xxiv. 35. *Hanc loquendi formam varie exponunt interpretes. Quidam cæli & terra transitum ad ultimum diem referunt, quo abolebitur caduca eorum conditio. Alii autem sic resolvunt, potius totam mundi fabricam esse perituram, quàm ut evanescat vaticinium, quod audivimus. Sed quia non dubium est, quin Christus suorum mentes supra mundi intuitum attollere datâ operâ voluerit, mihi videtur notare assiduas inclinationes, qua in mundo cernuntur, ac si negaret, æstimanda esse dicta sua ab instabili, & quasi æstuosa mundi varietate.* Multis etiam de hoc Piscator in Matth. v. 18. *Syntaxis est, Ne unicum quidem jota, aut apex præteribit, usque dum prateriit cælum & terra. Id est, Nullum jota, aut apex præteribit. Sicut nimirum cælum & terra nunquam præteribit, id est, nunquam interibit. Etenim verbum* παρελθεῖν *pro interire, atque in nihilum redigi, accipitur in simili huic sententia* Luc. xvi. 17. *ubi dicitur, Facilius est cælum & terram præterire* (παρελθεῖν) *quàm legis unum apicem excidere: quibus verbis innuitur, fieri non posse, (nempe per decretum Dei) ut cælum & terra intereant, seu in nihilum redigantur. Similis huic phrasis est in illo Psal.* xxvii. 7. *Florebit temporibus ejus (nempe Christi regnantis) justus: & amplitudo pacis erit, donec non sit Luna. Quibus verbis significat David, felicitatem piorum in regno Christi fore æternam, sicut Luna in æternum duratura sit: quasi dicat, Pax erit tamdiu, donec non sit Luna. At Luna nunquam non erit, hoc est semper erit, ac proinde etiam pax illa semper durabit. Quod autem Christus infrà cap.* xxiv. 35. *dicit, cælum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt; id non accipiendum est simpliciter, sed per collationem imparium, quasi diceret: Cælum & terra præteribunt citius, quam ut verba mea prætereant: seu, facilius est cælum & terram præterire, quàm &c. sicut loquitur Luc.* xv. 17. *Quo genere loquendi utitur Virgil. Ecl.* 1. *ubi ait,*

> *Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,*
> *Quam nostro illius labatur pectore vultus.*

Hæc Piscator. Quod siquis, interpretes istos secutus, ex Esaiæ, Psaltæ, triumque Euangelistarum verbis allatis, mundi interitum solidè concludi neget: non idcirco est, quod dogma ipsum in dubium vocet. Nam illo Petri, & altero Apocalyps. loco, quos antea citabamus, nihil clarius est apertiusque. Et sanè semper hoc dogma in confesso apud Christianos fuit: quos idcirco deridet Porphyrius, teste Augustino *a*. Nempe Porphyrius Platonem sequebatur, qui in Timæo tradit, mundum cœpisse, at non interiturum. Alii etiam longiùs recesserunt, ut Xenophanes, qui nec cœpisse, nec desiturum mundum putabat, ut auctor est Plutarchus *b*. Vixit autem Xenophanes iste longè ante Platonem: puta circa *c* Olympiadem LX. hoc est Cyri & Tarquinii Superbi temporibus. Hanc Xenophanis sententiam magno molimine defendit Aristoteles: ut ex ejus octavo τῆς φυσ. ἀκροάσ. & libb. de cœlo sciunt omnes. Aristotelem itidem summo studio tueri adnixus Averroës Disp. 1. quæ est de æternitate mundi: ubi Algazelis solutionibus respondet.

a Lib. 20. de Civ. D. cap. 24.

b De plac. philos. lib. 2. cap. 4.

c Laert. in Xenoph. & Euseb. in Chron.

THESIS II.

Quomodo interiturus sit mundus, idem nos Petrus docet, cum ibidem ait d, cælum terramque servari igni: & paullo post e, Cœli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque, & quæ in ea sunt opera, exurentur. *Et mox f:* Properantes ad adventum diei Dei, in quo cœli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent.

d Vers. 7.

e Vers. 9.

f Vers. 12.

Ignem hic κατὰ μεταφορὰν pro irâ ac judicio divino accipi, putabat Franciscus Puccius Filidinus: quemadmodum de eo scribit Nicolaus Serrarius *a*. Sed propriè igni, argumento est, quòd dicatur, ut aquâ prius interiit, ita in illo die igni periturum. Quare, ut aquâ verâ periit, ita vero igne peribit. Hinc Ephræm. Tract. de Judicio & retribut. *b Ignis inextinguibilis ubique ante Christi conspectum præcurret, operietque universa, ut aqua diluvii.* Et Augustinus lib. xx. de Civit. Dei cap. xvi. *Tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit: sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvii.* Ubi videmus, ut mundanum vocet ignem, quem divinum appellare mavult Filidinus *c*. *Divino*, inquit, *igne magni hujus judicii excoquetur, & defæcabitur mundus.* Augustino similiter Patres alii, quos infrà laudabimus. Quis verò ignis ille sit futurus, unde item venturus, disputat Hieronymus Magius lib. III. de exustione mundi. Nos Augustini modestiam amamus: qui neminem, quod ipse sciat, novisse hæc arbitratur *d*.

a Contra Puccium lib. 1. c. 2. & lib. 2. cap. 2.

b Fol. 231. ed. Colon.

c Lib. de Christi efficacitate fol. 98.

d Lib. 20. de Civ. D. cap. 16.

THESIS III.

Tertia quæstio est, quatenus mundus sit interiturus. Nempe utrùm κατ' οὐσίαν, ἢ κατὰ ποιότητα. Communior sententia est, non ἁπλῶς periturum, sed esse renovandum. Impenseque hanc suadet locus ad Rom. viii. *ubi Apostolus κατὰ προσωποποιΐαν dicit, cælum terramque, atque adeo creaturam omnem, avide exspectare tempus illud, quo Filii Dei gloriâ donabuntur, ut & ipsæ suam recipiant gloriam, quæ in renovatione ac perfectione consistit: nunc enim eas, propter hominis peccatum, contra naturalem propensionem, multimodæ corruptioni, & vanis hominum usibus, subjici: sub quo onere quasi ingemiscunt, & ut parturientes optant cessare dolorem, ita illæ ad liberationem à miseriâ istac suâ spe maximâ anhelant. Verba Apostoli ipsius sunt ista e:* Etenim res creatæ, quasi exserto capite observantes, exspectant revelationem filiorum Dei. Nam vanitati res creatæ subjectæ sunt, non sua sponte, sed propter eum, qui subjecit: sub spe, quòd & ipsæ vindicabuntur ex servitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim omnes res creatas unà suspirare, & unà parturire ad hoc usque tempus. *Præterea pro hac sententiâ adduci solet, quòd cæli novi, terraque novæ, in Scripturis sæpius fiat mentio. Sed istis non deest fortasse, quod obducere possis. Nam locus ille ad Rom. aliter a multis veterum, & juniorum, exponitur: nempe ut per creaturas intelligantur, vel angeli, vel homines soli. Quodque ad cælum novum & terram, cùm in iis dicatur habitaturos electos, electi autem non sint habitaturi in terrâ propriè dictâ: non minus verisimile videtur, per cælum novum, terramque novam, designari spiritualem, atque æternam instaurationem Ecclesiæ. Cui etiam sententiæ favet, quod disertim Apocal.* xxi. 1. *dicitur,* mare non fore amplius. *Quocirca nec eorum sententiam præfractè rejicere audemus, qui mundum secundùm substantiam periturum esse arbitrantur: præsertim cùm nihil de eo antiquitùs synodo ullâ sit definitum, quidam, præstantes sanè viri, de eo dissentiant.*

e Cap. 8. vers. 19. 20. 21. 22.

Interim priorem magis sententiam probamus: idque compulsi auctoritate veterum; quorum, si sententias quasi per satiram exquirere animus fuerit, comperiemus omnes putasse, mundum hunc non penitus interiturum, sed esse renovandum. Hæc sententia fuit Irenæi lib. iv. cap. vi. cujus eandem autoritate defendit Andreas Cæsariensis ad cap. vi. *f* Apocal. Idem sensit, qui sub Justini Martyris nomine se venditat, Resp. v. ad Græcos, &

f Sive apud Arethum cap. 18.

Resp.

Resp. XCIII. XCIV. XCV. ad orthodoxos. Item, qui clarè imprimis fuseque de hoc scribit, Proclus apud Epiphanium hær. LXIV. Nec aliter Eusebius de Præpar. Euangel. lib. XI. cap. XVII *a*. Item Philastrius in catalogo *b*, Cyrillus Hierosol. Catech. XV *c*. Basil. lib. I. Hexaëm. *d* Chrysost. homil. XIV. in cap. VIII. ad Rom. *e* & homil. X. ad Antiochenos, Cyrillus Alexandrinus ad illud Esa. LI. 6. *Quia cœli, sicut fumus, liquescent.* Theodoretus in epist. ad Rom. VIII 20. Æneas Gazæus in Theoph. *f*. Elias Cretensis *g* in orat. X. Gregorii Nazianz. Basilius Imp. Constant. ad Leonem filium cap. IV. Oecumenius in 2 Petr. III. 7. ὁ παντελῶς ἐν πρὸς φθορὰν ὁ κόσμος χωρεῖν, εἶναι πρὸς ἀφανισμόν. Item Euthymius in Psalm. CI. 27. &c. Ex Latinis idem sentiunt Hilarius in Ps. CXVIII. in Lamed, & clarè imprimis, fuseque Hieronymus in Esa. *i* cap. LXV. Quinctus item Julius Hilarion de mundi duratione *k*, Augustinus de Civ. D. lib. XX. cap. XVI. Julianus Toletanus lib. III. Prognost. cap. XLVI. Beda ad illud 2 Petr. III. *Elementa autem solventur*, & ad cap. XX. Apoc. Alcuinus ad Psal. CI. Ambrosius Ansbertus lib. IX. in Apocal. in cap. XXI. I. Olympiodorus in cap. XII. Ecclesiastæ *l*: Haimo, itemque Anselmus, sive Hervæus Brito, uterque ad cap. VII. 31. pr. ad Corinth. Petrus Lombardus lib. IV. dist. XLII. d. Otto Frisingensis lib. VIII. Chron. cap. IX. Hugo Ætherianus de regressu animarum ab inferis cap. XXVI. Hildegardus lib. III. vis. XII. cap. II. Vincentius Burgundus in speculo natural. lib. XXXII. cap. CIV. Nicolaus Lyranus ad cap. I. epist. ad Hebr. & in cap. III. post epist. Petri, & cap. XXI. Apocal. Ludolphus Saxo Carthusian. vitæ Christi part. II. cap. LXXXVII. &c.

a P. 328. edition Rob. St.
b Cap. 31. quod inscribitur? De mundo heresis.
c P. 362. edit. Mor. an. 1608.
d Pag. 6. edit. Par. 1618.
e P. 161. 162. edit. Commel.
f Pag 38 edit. Græco-lat. Gesn. an. 1559.
g Col. 584. edit. Mor.
h P. 182. edit. Veronens.
i P. 248. edit. Basil. 1553.
k Biblioth. PP Tom. 7. edit. 2. col. 974.
l T. I. bibl. PP. col. 619. edit. 2.

Ab omnibus istis aliqui juniorum dissentiunt. Contentus ero ex his nominare Joannem Chassanionem, Theologum Gallum, Loc. Com. lib. III. c. XXII. Verba ista apponam, ut argumenta ejus sententiæ meliùs ponderemus: *Quod desiturus sit mundus, indicat Apost. 2 Petr. III. 13. cum de cœlis novis & terra nova promissionem adducit ex Esai.* LXV. 17. *quibus verbis summa & perfecta Ecclesiæ instauratio in regno Dei Patris allegoricè significatur, prout spiritualia & æterna rebus corporeis & affectabilibus sæpius in Scripturâ figurantur. Ita mundus longè præstantior isto visibili nobis proponitur, ne mundi hujus casum & finem doleamus. Cujus rei ratio subjicitur, cum in illis cœlis novis, & terrâ novâ, justitia inhabitare dicitur. Etenim in illo novo mundo & beatissimo Dei regno, nullus erit iniquitati, nec fraudi, nec rapinæ, locus: neque ullus in eo audietur clamor & ejulatus, Apoc.* XXI. 4. *Ibi namque omnia erunt pacatissima & tranquillissima. Hinc liquidò apparet, de novo aliquo cœlo & terrâ non propriè hîc agi, ne quis existimet, ut nonnulli censent, hunc mundum renovatum iri ipsâ ejusque mundi substantiam non perituram esse, sed ejus qualitatem, quatenus vitiosa & corruptioni per hominis lapsum obnoxia est. Non renovabitur igitur nec mutabitur mundus, sed planè desinet, & interibit: quod etiam innuere videtur Ioannes Apoc.* XXI. I. *ubi se vidisse testatur cœlum novum, & terram novam: quoniam primum cœlum, & prima terra abierat: & mare non amplius exstabat. Quibus verbis haut dubiè significat, tandem mundum interiturum esse. Cui quæso usui foret mundus, nullis hominibus in eo amplius exstantibus? Siquid aliud ex Dei verbo hac de re adferri potest, obviis ulnis amplectar.*

Adversus hanc sententiam præcipuè objici solet locus Pauli ad Rom. VIII. 19. & seq. sed de eo dissentiunt veterum non pauci. Scriptor brevium scholiorum in epistolas Pauli apud Hieronymum, per creaturam omnem vanitati subjectam, intelligit *angelos, & justos, qui post Adam, & Evam fuerunt usque ad tempus Christi.* Ad verba item illa, *Non solum illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes*, scribit in hunc modum: *Non solum angeli, qui benigniores sunt, de hujusmodi dolent: sed etiam nos, qui jam spiritum sanctum habemus, de talibus ingemiscimus.* Et mox: *Dicens, Non solùm illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes: manifestè edocuit, quia non de irrationali, vel insensibili creaturâ, sermonem fecerit, quæ non participat Spiritum Sanctum, sed de sanctis.* Augustinus etiam de hominibus interpretatur: sed in eo à scriptore isto differt, quòd ille ἀντίθεσιν à Paulo fieri putet inter justos Veteris Testamenti, & justos Novi fœderis, qui uberiùs Spiritus Sancti gratiam acceperunt: Augustinus verò lib. octoginta trium quæstionum, quæst. LXVII. injustos atque infideles primitias spiritus habentibus, hoc est justis, censet opponi. Itaque per omnem creaturam omnem omnino hominem intelligit. Neque quomodo sumitur Marci cap. ult. ubi Apostoli Euangelium annunciare jubentur omni creaturæ: nisi quis Assisiatis Francisci commentum probet, etiam piscibus, avibus, & quadrupedibus Euangelium prædicantis. Ac eam Augustini interpretationem sequuntur etiam Gregorius Magnus Moral. lib. IV. cap. XLI. ac Primasius, qui longam Augustini hac de re dissertationem ad verbum exscripsit: item Haimo, Anselmus sive Hervæus, & Longobardus, uterque in hunc locum: è junioribus Cajetanus, & Catharinus in eundem locum, & Andreas Masius in Jos. cap. VI. 15. Interim non uno modo interpretationem hanc aptant verbis Paulinis: sed ne longiores simus, hanc apud ipsos legi malumus, eo magis, quia simpliciorem verioremque eorum esse interpretationem putamus, qui cum Chrysostomo, aliisque veterum προσωποποιΐαν hic agnoscunt.

THESIS IV.

Nec de eo solùm aliquis dissensus est, utrùm mundus secundùm substantiam an solùm materiæ conditione periturus sit: sed etiam inter eos, qui posteriorem sententiam sequuntur, non convenit, utrum cùm elementa innovabuntur etiam cœlum, quoad qualitates certas, sit expurgandum. Antiquissimi id affirmant. Negat Augustinus, & cum eo juniores. Sed antiquiorum nos potius sententiæ aggregantes, etiam sidereum cœlum, non quidem κατ' οὐσίαν, attamen κατὰ ποιότητα, periturum arbitramur: idque iis compulsi Scripturarum locis, quibus mundum hunc periturum esse, superius a ostendimus.

a Thes. I.

Augustinus lib. XX. de Civ. Dei cap. XXIV. in eam propendet sententiam, ut exustionem aërei quidem, non autem siderei cœli, fore credat. Idem in Psal. CI. dubiè de hac re loquitur. *Sunt* inquit, *& cœli cœlorum superiores in firmamento. Sed utrùm & ipsi perituri sint igni, an hi soli cœli, qui etiam diluvio perierunt, disceptatio est aliquantò scrupulosior inter doctos; nec facilè, maximè in angustiam temporis, explicari potest.*

Quàm multi verò huic Augustini sequantur sententiam, & res docet, & Sixtus Senensis ostendit lib. VI. bibl. S. Annotat. CCXLVI. ubi cum contrariam Chrisostomi sententiam proposuisset, sic scribit: *Hujus sententiæ omnis recentium Theologorum schola adversatur, præsertim verò in his quæ ad corpora cœlestia. Hæc enim iccirco perpetua, & incorruptibilia esse ostendunt, quoniam substantiam habent à quatuor elementorum substantiâ diversam, omnisque peregrinæ impressionis expertem: & quia tot seculorum lapsibus ita permanserint incorruptibilia, ut nullum senescentiæ præbuerint indicium, nihilque de eorum magnitudine, aut pulchritudine, temporis injuriâ consumserint.* Eademque habet Feuardentius in Irenæi lib. IV. cap. VI. *Huic*, inquit, *reclamant omnes, tam philosophorum, quam Theologorum schola, fortissimisque argumentis contendunt, corpora cœlestia pro sui esse incorruptibilia, & in sempiternum mansura.* Verùm Augustini sententia Scripturis apertè repugnat: quod satis ea ostendunt testimonia, quæ de cœlorum terræque interitu superius citabamus. Itaque tum Patribus Græcis universis; tum Latinis, qui ante Augustinum quidem vixerint improbata semper fuit. Vide Justinum Mart. sive alium in confutat. dogm.

Aristo-

Aristotelis lib. II. de Cœlo negantis, cœlos posse corrumpi: item quæst. orthod. XCIV. & XCV. & Irenæum lib. IV. cap. VI. ubi quod de præteritione cœli dicitur in Scripturis, apertè cœlo sidereo accommodat. E Latinis adi fusè de hoc disputantem Ambrosium lib 1. Hexaëmer. cap. VI. ac è junioribus acriter contra Scholasticos pugnantem Augustinum Eugubinum, comm. in 2 Petr. III. & si ipsi credimus, non tam *a* ex animi sui sententiâ, quàm disserendi gratia, hanc rem fusissimè tractantem, Hieronymum Magium lib. II. de Exustione mundi cap. V. & VII.

a Lib. 2. de mundi exust. cap. 5. circa finem.

Thesis V.

Quarta quæstio erat. Quando hæc mundi conflagratio sit futura. Mathematici quidem & philosophi dicunt, fore eam anno magno, intra quam sol, luna, & sidera cuncta ad eundem cœli locum, unde profecta sunt, remeant. Spatium vero ejus millenorum aliquot annorum, plurium alii, alii pauciorum definiunt. Sed si stellæ erraticæ ac fixæ, quatuor tantum gradibus orientem versus procedant, posteaque gradibus totidem regrediantur; neque hac parte cœli motus variet unquam: (quæ doctissimorum Astrologorum sententia est) satis liquet, annum hunc maximum constitui non oportere.

Ut pateat, quantus super hoc commento veterum fuerit dissensus, adferam verba Censorini de die natali c. XVIII. *Est præterea annus, quem Aristoteles maximum totius, quam magnum, appellat, quem solis, & lunæ, vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, unà referuntur: cujus anni hiems summa est cataclysmus, quam nostri diluvionem vocant, æstas autem ecpyrosis, quod est mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus, tum exignescere, tum exaquescere, videtur. Hunc Aristarchus putavit esse annorum vertentium duûm millium quadringentorum octoginta quatuor: Aretes Dyrrachinus, quinque millium quingentorum quinquaginta duorum: Heraclitus & Linus, decem millium octingentorum: Dion, decem* (al. tredecim *b*) *millium octingentorum octuaginta quatuor: Orpheus, centum millium viginti: Cassandrus tricies sexiescentum millium: alii verò infinitum esse, nec unquam in se reverti, existimarunt.*

b Ita est in edit. El. Vineti.

Thesis VI.

Judæorum verò, & quorundam Patrum, opinio fuit, mundum duraturum sex annorum millibus: duobus ante legem, duobus sub lege, duobus post legem sub Messiâ. At putant prophetiam hanc, (ita enim appellant) autorem habere Eliam Thisbitem, vel Jonam Prophetam. Sed totum hoc incertis subnixum est conjecturis. Quare quod præsentibus Apostolis dixit Christus id nobis etiam dictum putemus: Non est vestrum nosse tempora, quæ Pater in sua posuit potestate.

Rabbi Jacob, filius Salomonis, ait. *Docet domus*, hoc est schola sectave *Eliæ*, *Sex mille annis erit mundus: duobus mille inanitas, duobus mille lex, duobus mille dies Christi. At propter iniquitates nostras, quæ multiplicatæ sunt, elapsi sunt hi, quos præteriisse cernimus.* Esse hoc dictum Eliæ Thisbitæ, non à Judæis solùm, sed etiam Christianorum multis creditum est: uti Stratonico, Cumano episcopo *c*, quemadmodum ex Collectaneis ejus probat Sixtus Senensis *d*, qui & ipse ejus sententiæ fuisse videtur, atque etiam Ludovicus Vives *e*. Nos Eliæ quidem esse fatemur, at non Thisbitæ, verùm Rabbini Cabbalici, cujus hoc commentum, ut Genebrardus observavit, legitur in Thalmud, tractatu Sanhedrin cap. Helec. & in tractatu de Idololatria Libne: & in tractatu de Sabbatho. Nihilo magis movemur alio aliorum commento, qui traditionem istam profluxisse ajunt à filio viduæ Sareptanæ, quem postquam Elias à mortuis excitavit, lateri prophetæ semper adhæsisse, magnumque evasisse prophetam, ac ipsum esse Jonam, prodiderunt. Quæ omnia non alio tibicine sunt subnixa, quàm Thalmudis, operis multa scitu non indigna continentis, sed mendis mendaciisque ita cooperti, ut si uspiam, hic sanè Epicharmeum illud habeat locum, μέμνησο ἀπιστεῖν.

c Lib. 2. bibl. in Helias.
d In lib. 20. de Civ. D. cap 7.
e In ito Chronographia.

Nec ponderis quicquam habent rationes istæ, quibus veritatem illius dicti propugnant Rabbini. Ut cùm maximi nominis Rabbi Isaac in Genes. cap. 1. firmamentum ejus ponit in quatuor istis. Primùm, quia primus Geneseos versus sexies continet א, quo millenarius denotatur. Deinde quia sex diebus fecit Deus cælum & terram, ac septimo quievit: mille verò anni coram Deo sint, sicut dies una. Præterea quia Deus, tam in diebus, quàm annis, senario quidem laboris, septenario autem indicat quietis tempus. Nam sex diebus operari, septimo autem ab omni opere vacare nos jussit: idem etiam sexennium indulsit agriculturæ, septimo verò anno tam agro, quàm cultori, requiem indixit. Denique quia sex primi satores generis humani mortui sunt: nempe Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalcel, Jared: Enoch autem, qui septimus est, in locum Deo cognitum feliciter translatus, adhuc vivit. Etiam Patrum aliqui mundum non nisi sex annorum millibus duraturum esse, crediderunt: idque secundo inprimis impulsi argumento. Vide Lactantium lib. VII. cap. XIV. Hieronymum explanatione in cap. IV. Micheæ, & Junilium Afric. in cap. 1. Genes. *a*

a Paullo ante finem.

Alias etiam rationes adferunt aliqui juniorum. Primùm quia corrupto genere humano, dixerit Deus *b*: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Ubi primò intelligunt tempus pœnitentiæ concessum ante diluvium: quod fuit CXX. annorum *c* nostrorum, sive civilium. Præterea mysticè dicunt signari totidem annos magnos, sive Mosaicos, quorum singuli annos continent quinquagenos: annos verò centum & viginti si quinquagies sumas, resultat numerus sex millium: quot annos iccirco generali pœnitentiæ assignavit.

b Gen. 6. 3.
c Gen. 6. 3.

Etiam ex ætate Mosis idem colligunt. Nam vixit annos CXX *d*: ac quadraginta quidem annos in aula Pharaonis *e*, quibus significantur bis mille anni ante legem: item quadraginta annos in exilio apud Jethronem *f*, quibus adumbrantur bis mille anni sub lege: item quadraginta annos *g* populum Israëliticum in deserto rexit, quibus significantur bis mille anni sub imperio Messiæ.

His addunt, quòd arca Noë requievit mense septimo *h*. quòd Moses sex diebus fuit in nube, septimoque vocatus est à Domino: quòd cùm Israëlitæ, ex præcepto Domini, sex diebus circumiissent Iericho, septimâ die *i* muri ejus corruerunt; atque id contigit, cùm populus, desertum egressus, jam terram promissionis occupare inciperet, item quòd angelus prædixit *k* Esdræ, seculum fore septem dierum: præterea quòd septem tubæ *l*, septemque phialæ *m* commemorentur in Apocalypsi: & quædam alia ejus generis.

d Deut. 34. 7.
e Act. 7. 23.
f Exod. 7. 7.
g Exod. 16. 32. Num. 10. 33. & 32. 13. Deut 2. 7.
h Gen. 8. 4.
i Jos. 6. 16.
k 2 Esd. 7. 30. 31.
l Apoc. 8. 2.
m Apoc. 15. 7.

Sed pleraque omnia istorum corruunt, eò quòd vulgò dicimus, theologiam mysticam non esse argumentativam. Imò amplius profari non veremur: istiusmodi meta esse commenta, quibus malignus ille detinet ingenia humana. Nos verò audiamus Augustinum dicentem *n*, *Importunè omnino illud quæri.* Atque illud addentem: *Si hoc nobis nosse prodesset, a quo melius quàm ab ipso Deo magistro, interrogantibus discipulis, diceretur? Non enim siluerunt inde apud eum, sed à præsente quæsierunt, dicentes, Domine si hoc in tempore repræsentabis regnum Israël. At ille, Non est, inquit, vestrum nosse tempora, quæ Pater in suâ posuit potestate. Non utique illi de die, vel horâ, vel anno, sed de tempore interrogaverant, quando illud accepere respon-*

n Lib. 18. de Civ. D. cap 53.

responsum. Similiter Anastasius Sinaïtes in Hexaëmeron lib. VII. *a Verum exitum, & finem seculi, solus scit creator temporum, & universorum.* Et Vincentius Burgundus in speculo Natur. lib. XXXII. cap. CII. *Quantum temporis usque ad finem seculi supersit, certum est, neminem mortalem esse, qui noverit; nisi forsitan Dominus alieni speciali gratiâ revelaverit. Omnium namque de hac re calculantium dignos, requiescere jubet, qui ait: Non est vestrum nosse &c.*

a Tom. 1. bibl. PP. edit. 2. col. 252.

Thesis VII.

Nec unius assis est perfugium aliud, quod itidem interitum mundi portendere aiunt: nempe quando tanta erit siccitas, ut annis plurimis non conspiciatur iris in cœlis.

Petrus presbyter Trecensis, cognomento Comestor, conditor historiæ Scholasticæ, Genes. cap. XXXIII. *Tradunt Sancti, quod quadraginta annis ante judicium non videbitur arcus: quod etiam naturaliter ostendet per desiccationem aëris jam inceptam.* Nempe hujus sententiæ fundamentum fuit, quod conflagratio mundi non fieri, nisi præcedente diutina aëris siccitate, & siccarum exhalationum copiâ qualis non nisi totis quadraginta annis coacervari posse, sanctis illis (ut Trecensis vocat) visum fuit. Sed sunt hæc humani cerebri commenta. Necenim conflagratio mundi à caussa erit naturali, sed opus erit supernaturale omnipotentiæ divinæ. Neque caussa est, cur cùm brevissimo tempore collecta fuerit materies diluvii, quadraginta annos requiri putemus ad generationem incendii. Denique repugnat ista sententia his Christi verbis apud Matth. *b Sicut erant dies Noe, ita erit & adventus Filii hominis.* Et his Pauli *c*, *Cum dicent, Pax & tuta omnia, tunc repentinum eis imminet exitium.* Necenim in tantâ siccitate pax, & læta hominum conditio esse posset.

b Cap. 24. 37.
c 1 Thess. 5. 3.

Thesis VIII.

Postremò in quæstionem venit, An τοῖς ἔξωθεν σοφοῖς notum fuerit Ecclesiæ dogma de exustione mundi. Multis ita videtur. Sed non cogitant, gentiles statuere exustionem periodicam, cùm Christiani contra, si Origenistas excipias, unam duntaxat conflagrationem mundi sciant.

Non desunt viri eruditi *d*, quibus persuasum sit, etiam gentiles in hoc dogmate cum Christianis consentire. Adferunt autem cùm alia tum Lucani illud lib. V. 1. *e*

Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus.

Et hoc Ovidii 1 Met.

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Verùm hi exustionem quidem, & renovationem mundi, agnoscunt, sed periodicam, sive per vices semper succedentem. Nempe censent, hyeme summa anni cujusque magni, seu maximi (ut ex Censorino superiùs dicebamus) κατακλυσμὸν seu diluvionem orbis fieri: ac summa ejusdem æstate fieri mundi ἐκπύρωσιν, sive incendium: atque ita alternis temporibus mundum ἐξαυχμοῦσθαι καὶ ἐξυδατοῦσθαι, ut Stoici apud Laertium *a* loquuntur, hoc est exignescere, vel exardescere, ut vertit Censorinus *b*, qui & (si vulgatis codicibus fides habenda) hanc Aristoteli sententiam tribuit, sed ipsissimo nimis errore: quando is diluvia quidem, & exustiones, agnovit; sed partium terræ: ea verò ad universum hoc extendere velle, ridiculum putat lib. 1. Μετεωρολογ. cap. ult. Γελοῖον διὰ μικρὰς, καὶ ἀκαρεαίας μεταβολὰς, κινεῖν τὸ πᾶν. Quare vel fatendum, non benè intellectam esse mentem Aristotelis à Censorino: vel potiùs apud eum cum viro summo *c* pro *Aristoteles* legemus *Aristocles*: quando is libro septimo de Philosophiâ, Eusebio teste *d*. docuit κατὰ τινὰς εἱμαρμένους καὶ ὡρισμένους χρόνους ἐκπυροῦσθαι τὸν σύμπαντα κόσμον. *Per statuta quadam & definita tempora mundum exardere.* Eadem Heracliti sententia fuit, ut Aristoteles *e* innuit, aperteque scribit Laertius *f*. item plerorumque Stoicorum. Nam ex Tullio *g*, ac Stobæo *h*, & imprimis Philone Judæo *i*, ac Numenio *k*. discimus, Posidonium, Panætium, aliosque juniorum, statuisse mundi æternitatem: Zenonem verò Citticum, Cleanthem, & antiquiorum alios ἀποκατάστασιν, sive redintegrationem, potiùs credidisse. Vide & Senecam epist. IX. & consolat. ad Marc. cap. ult. & III. Quæst. cap. XXIX. item Tatianum Orat. adversus gentes *l*. Quid quod Epicureorum etiam (quibus malè Aristoteleam sententiam præstantes quidam Theologi tribuunt) idem judicium fuit; ut tum Epicureus Lucretius ostendit, qui ex professo hoc docet lib. V. tum Minutius Felix in Octavio *m*, cum ait: *Stoicis constans opinio est, quod consumto humore mundus hic omnis ignescat. Et Epicureis de Elementorum conflagratione, & mundi ruinâ, eadem ipsa sententia est.* Christianorum verò unus hanc sententiam secutus est Origenes, cui eam tribuit Hieron. epist. ad Avitum *n*, his verbis: *In secundo*, inquit, (περὶ ἀρχῶν) *libro mundos asserit innumerabiles non juxta Epicurum uno tempore plurimos & sui similes, sed post alterius mundi finem alterius esse principium. Et ante hunc nostrum mundum, alium fuisse mundum, & post hunc alium esse futurum, & post illum alium: rursumque cæteros post cæteros.* Quin & post aliquammulta *o* ipsa adfert Origenis verba. Sunt autem istiusmodi *p*: *Nobis autem placet, & ante hunc mundum alium fuisse mundum & post istum alium futurum. Vis discere, quod post corruptionem hujus mundi alius sit futurus? Audi Esaiam loquentem q. Erit cœlum novum, & terra nova, quæ ego facio permanere in conspectu meo. Vis nosse, quod ante fabricam istius mundi alii mundi in præterito fuerint? Ausculta Ecclesiasten r: Quid est quod fuit? ipsum quod erit. Et quid est, quod factum est? ipsum quod futurum est. Et non est omne novum sub sole, quod loquatur, & dicat: Ecce, hoc novum est, jam enim fuit in seculis pristinis, quæ fuerunt ante nos. Quod testimonium non solum fuisse, sed futuros mundos esse testatur, non quod simul, & pariter omnes fiunt, sed alius post alium.* Tatianus vero hoc antiquior, utpote B. Irenæi discipulus, apertè eam sententiam improbat orat. adversus gentes *s*. Σῶμά τε εἶναι λέγει Θεὸν, ἐγὼ δὲ ἀσώματον ἄλυ τὸν εἶναι τὸν κόσμον, ἐγὼ λυόμενον, ἐκπυροῦσθαι ἀποβαίνειν κατὰ καιρὸς, ἐγὼ δὲ εἰσάπαξ. *Corpus aliquis Deum statuit, ego incorporeum: aliquis incorruptibilem mundum: ego corruptibilem: aliquis exustionem per tempora advenire, ego semel duntaxat.* Ac cum Tatiano hac parte conspirant cæteri Patres.

d Glassanio loc. com. lib. 3. cap. 22.
e Vers. 8. 4. vide & lib. 1. vers. 72. & seqq.

a In Zenone. p. 524. edit. H. Ste. an. 1594.
b Cap. 18.
c Justo Lipsio physiologia Stoicorum lib. 2. dissert. 21.
d Lib. 15. de præparat. Ev. c. 13. sive pag. 477. edit. Rob. St.
e Lib. 1. de cœl. cap. 10.
f In Heraclito.
g Lib. 2. de nat. Deor. pag. 49. edit. Ald.
h In Physicis. c.
i Libro de mundi incorruptibilitate pag. 650. edit. Turnebiana.
k Apud Eus. lib. 15 de præparat. Evang. cap. 17. sive pag. 479. edit. Rob. St.
l P. 193. in orthod. edit. Bas. an. 1555.
m P. 370. edit. Paris. a. 1605.
n Tom. 2. pag. 150. edit. Basil. a. 1553.
o P. 152.
p Apud Origenem ea habes lib. 3. de principiis cap. 5.
q Cap. 65. 17.
r Cap. 1. 9.
s P. 209. in Orthodoxogr. edit. Bas. an. 1555. Estque similis locus pag. 193.

DISPUTATIO DECIMANONA
DE
SACRIS COENÆ
DOMINICÆ SYMBOLIS.

UT materia Cœnæ Dominicæ plenè planeque intelligatur, distinctè de partibus ejus integrantibus agemus. Sunt istæ tum panis, ejusque benedictio, fractio, distributio, acceptio, manducatio: tum vinum, ejusque sanctificatio, sumtio, & haustio. De pane primùm videamus.

THESIS I.

QUe in cibis pane utimur vulgò, eodem, si substantiam spectes, vescimur in Cœnâ Domini. Atque id tum ob Christi facinm exemplum, quem pane vulgari usum esse nemo negaverit: tum quia eo pacto magis retinetur ἀναλογία inter signum & signatum. Nam uti pane cibario nutritur corpus ad vitam terrenam ita anima nutritur corpore Christi ad vitam æternam Minutias verò farinaceas, quas vulgò hostias & oblatas vocant, eò minùs probamus, quia iis non usus est Christus, cujus actio nostra est instructio: tum autem, quia hîc inter signum & signatum analogia vel nulla est, vel obscura.

Qui in Scripturis panis Domini dicitur, is scriptoribus Ecclesiasticis hostia etiam, vel oblata nuncupatur: indeque fit, ut tenuissimæ & levissimæ illæ formulæ, quibus Ecclesia Romana loco panis Dominici utitur, hostiæ oblatæque nominibus etiam vulgo appellentur. Ac hostiæ quidem nomen inde est quod panis benedictus sit Dominici corporis figura, quod Servator noster pro peccatis nostris hostiam obtulit in ara crucis. Nam hostia est θῦμα ἱερῶν ut exponitur in glossis vett. ab H. Stephano primùm divulgatis. Oblatæ verò nomen eidem pani inde impositum fuit, quòd populus olim farinam, vel etiam panem offerret, cujus in Cœna Dominica usus esset. Hæc vetus hostiæ oblatæque appellatio etiam remansit, postquam pro pane minutiæ nummariæ sunt inductæ. Id quando factum sit, postea dicemus. Nunc videamus, an minutiæ istæ rectè in Dominica Cœna usurpentur. Nobis quidem non videtur. Nam cùm vulgari pane Christum esse usum constet, temerè ab ejus exemplo receditur, ubi vulgaris haberi potest. Præsertim quando non satis liquet, quomodo inter minutias istas, & corpus Christi, servetur sacramentalis ἀναλογία. Quod ut magis pateat, age proprietates veri panis consideremus. Eas optimè expressit philosophus & medicus præstantissimus, Franciscus Vallesius lib. de Sacrâ Philosophiâ cap. XXVII. *Inter omnia,* inquit, *quibus vescuntur homines, panis & vinum tenent primas, quia alii omnes cibi dati sunt hominibus ad delicias, & ad abundantiam: hi vero ad necessitatem & sufficientiam & his maxime utuntur homines. Nullis cum majori male carere potest, & nullis magis contenta est natura, quia sunt omnium optime parabiles, mortalibus omnibus maxime communes, optime omnium nutrientes: non tamen panis & vinum eodem modo, neque eisdem de causis: sed panis, quia substantiam habet bene crassam boni succi, & cum substantiâ nostrâ bene agglutinatur, habetque tanto plus alimenti, quanto medicamenti minus: cum sit moderatum quiddam, neque calidum, neque frigidum, neque humidum, neque siccum, neque facultate ullâ medicamentosâ, ut expurgandi, aut sistendi, aut laxandi, aut aliud ejusmodi faciendi: sed siquid tantillum, inclinat in calidum, quo natura gaudet & fruitur. Itaque est panis pro omnibus cibis, quia mediocritatem tenet omnium, & tenuium, & crassorum, & facultatum medicamentosarum maximè expers, ut sit mere alimentum. Has ob caussas symbolum est omnis esca, ac totius nutritionis, petentesque hæc corpori necessaria alimenta, solum panem jubemur petere, quem quotidianum vocamus, quia corpora indigent quotidiana refectione.* Hactenus Vallesius, secundùm cujus descriptionem, hostiolæ nullo pacto pro vero pane possunt haberi, cùm non teneant primas inter cibos hominibus datos, nec iis ad necessitatem & sufficientiam maximè utantur, sed carere iis possint absque damno, nec sint facillimè parabiles, vel maximè communes, nec optimè nutriant, nec substantiam habeant benè crassam & boni succi, nec carni nostræ benè agglutinentur, nec sint pro omnibus cibis, nec symbolum sint omnis escæ ac totius nutritionis, eoque nec à Deo poscantur tanquam alimentum necessarium & quotidianum.

Quibus hostias verum esse panem placet, hi sufficere ajunt, quod ex farinâ & aquâ confiant. Sed quis non videt præterea requiri justam materiæ quantitatem, elaborationis modum ad certum finem, ac proprietates certas, quæ in talibus obtinent formæ vicem? In hostiis verò Pontificiis ista desideramus. Nec enim ea est farinæ & aquæ quantitas, quâ ad panem conficiendum opus est: unde nec habent partes panis integrantes, puta inferiorem sive basim, quæ quadratum olim præbebat vicem (mensas appellat Maro a) interiorem sive medullam, & superiorem sive crustam. Nec subiguntur & coquuntur probè panis in modum, eumve in finem, cujus gratiâ panes pinsuntur: sed ut iis ceræ loco obsignentur literæ: vel ut cataporiorum, quas pilulas appellant, fiant involucra: vel ut pani saccharitæ (quem vulgo Martium vocant) substernantur, similesve in usus. Adhæc nec saporem odoremque gratum ac salubrem spirant, neque corpus nutriunt ac roborant, uti panis verus: unde nec in oppidis à pistoribus vendi passim, nec cum oleribus, carnibus, aut piscibus apponi in mensis solent. Hæc, judicio nostro, ostendunt, neutiquam leves esse caussas, cur an minutiæ istæ panis mereantur nomen, in dubium vocemus. Martinus tamen Bucerus in censurâ libri Anglicani eas prorsus rejicere ausus non est: interim non obscurè præfert Ecclesiarum nostrarum morem. *Non video,* inquit, *b quid possit in descriptione hujus panis reprehendi: nisi forsitan requirant aliqui spissiorem, ut veri panis speciem, plenius obtineat.*

a 7. Æn. 116.

b Cap. 3.

THESIS

THESIS II.

Eo verò minus minutias istas probamus, quia mille annis, vel præterpropter, Ecclesia eas ignoravit. Imò ne tum quidem, cum receptæ essent vulgo, ab oculatioribus omnibus probabantur.

Qua occasione oblatarum minutiæ nummulariæ in Ecclesiam fuerint inductæ, operæ fore puto, si exponam. Fuit ea autem istiusmodi. Cùm laici in communicando fierent negligentiores, sacerdotibus visum fuit minuere panis Dominici mensuram. Magis verò magisque de ea detrahendo, tandem eousque deventum, ut nihil aliud nisi nummulariæ istæ minutiæ relinquerentur: Docet hoc nos Honorius Augustodunensis *a* verbis istis: *Fertur quod olim Sacerdotes e singulis domibus vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci servant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuerunt. Postquam autem Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur: propter carnales statutum est, ut qui possent singulis Dominicis, vel tertiâ Dominicâ, vel summis festivitatibus, vel ter in anno communicarent. Et quia, populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est, eum in modum denarii formari vel fieri.* Hæc vera est caussa, cur hostia denarii habeat formam; sed arguti homines mysterium, ubi nullum erat, more suo quæsiverunt: unde mox ibidem subjungit: *& ut populus, pro oblatione farinæ, denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognosceret.* Eadem habet cap XXXV. & ex eo Durandus in Rationali lib. IV. cap. XLI. ubi ait, *In modum denarii formatur, tum quia panis vita pro denariis traditus est, tum quia idem denarius in vineâ laborantibus in præmium dandus est.* Interim antiquitùs alium fuisse ritum, agnoscit idem lib. ejusdem. cap. LIII. *Offerebant*, inquit, *magnum panem, & omnibus sufficientem: quod adhuc Græci servare dicuntur.*

a In Gemma animæ cap. 66.

Postquam verò minutiæ inductæ, non defuisse tamen qui consuetudinem hanc improbarent, testis nobis Bernoldus, presbyter Constantiensis, qui circa annum vixit millesimum sexagesimum. Ejus verba sunt, *b Si nihil omnino debet fieri intra vel extra templum Domini absque mensurâ & ratione: videntur OBLATARUM MINUTIÆ ad Christum & Ecclesiam nihil pertinere, quia sunt absque mensurâ & ratione.* Quæ verba etiam adducit Cassander in Liturg. cap. XXVII. Postea ista subjungit: *Plura ab eodem autore, alioqui prudenti, pio, & Ecclesiasticarum traditionum studiosissimo, in eam sententiam dicuntur; qui indignissime tulisse videtur, ætate suâ in quibusdam Ecclesiis oblatas panis, quæ priscâ Ecclesiæ consuetudine ad usum sacrificii ad mensam Domini a populo fideli offerebantur, ad imaginem NUMMORUM, & ad tenuissimam quandam & levissimam formam A VERI PANIS SPECIE ALIENAM fuisse redactas. Quare per contemtum MINUTIAS NUMULARIARUM OBLATARUM appellat, imaginariam & umbratilem levitatem illis tribuens, & INDIGNAS esse PANIS VOCABULO pro suâ tenuitate, ac propter eas officium atque religionem Ecclesiastici officii multum per omnem modum confundi asserit, pluribusque & ACERBIORIBUS DICTIS EAS INSECTATUR &c.* Hæc Cassander. Et sane non temere ita sensit Bernoldus, quando multa adeò sunt, propter quæ meritò in controversiam vocari possit, an minutiæ illæ panis nomen mereantur, ut suprà ostendimus.

b Lib. de Ordine Romano, quem ab eo scriptum esse testis est Trithemius & ex eo Gesnerus ac Possevinus.

Non desunt tamen viri longè doctissimi, *c* qui, nescio quo partium studio abrepti, persuadere aliis nitantur, jam Epiphanii, Episcopi Cyprii ætate, qui ante annum Christi quadringentesimum vixit, istas oblatarum minutias obtinuisse: ut qui eis appellet ἄρτον στρογγυλοειδῆ, ἢ ἀναίσθητον, hoc est, ut illi interpretantur, figuræ circularis, adeoque exiguum, ut sensibus percipi vix possit. Sed in suspandâ Epiphanii sententiâ planè alucinantur. Quippe quæstio erat, quo pacto dicatur homo ad imaginem Dei conditus, cum is corporeus, Deus autem spiritus sit. Negat igitur Epiphanius, obstare quicquam, quo minùs homo sit figura Dei, utcumque sit corporeus. Nam & panem Dominicum esse Domini figuram, & tamen esse ἀναίσθητον, utpote inanimum quid: cum Christus contrà non solùm sensu præditus sit, sed verò totus sensus; utpote non modò homo verus, sed etiam verus Deus, semper movens, semper operans. Nec στρογγύλον, vel στρογγυλοειδὲς notat illud, quod circularis est figuræ, sed sphæricæ & rotundæ, vel potiùs teretis, hoc est, oblongæ & rotundæ. Mirus verò hominum stupor, cum pro sententiâ suâ adducere non vereantur patrem Græcum: cùm nihil certius sit, quàm Græcos ab aliquot retro seculis ad hæc usque tempora urgere necessitatem panis fermentati: quales sane hostiolarum minutiæ non sunt.

c Durantus de ritibus Eccles. lib. 2. cap 38. par. 6. Hamnus de cænâ Dom. cap. 14. pag. 326. edit. Francof. a. 1590. &c

Epiphanii loco dejecti, confugiunt ad Gregorium Magnum, qui lib. IV. dial. cap. LV. Eucharisticum panem appellat *sacras oblationum coronas.* Sed ut sane liber iste sit ejus scriptoris (quod multi negant) tamen nihil eos hic locus juvet: quia coronæ istæ solidæ erant & cibariæ. Omitto, quem aliqui *a* adducunt, Chrysostomi locum in Matth. XXVI. homil. LXXXIII. ubi *pertractare coronam* legitur in editione Venetâ. Nam in Græco nihil istiusmodi invenitur: ut hodie illi, *b* qui minutias istas tuentur, ipsi agnoscunt. Atque hæc de primâ quæstione dicta sunto.

a Durantus de ritibus Eccles. Cathol. lib. 2. cap. 38. paragr. 6.
b Christ. Pelargus disp. de fractione panis.

THESIS III.

Altera de pane Dominico quæstio est, utrùm is azymus, an fermentatus esse debeat. Jam seculis aliquot de eo disceptant Latini & Græci, utrisque provocantibus ad Christi exemplum. Latini contendunt, Christum azymo usum esse, quia festum paschale, quo agnus comedebatur, erat primus azymorum. At Christum statim ab agno comesto cœnam suam instituisse, docens Euangelista. Quare, inquiunt, nisi legem Mosaicam violare Christus voluisset, non alio, quàm azymo pane, uti potuit in cœnâ. Græci verò obducunt, quod pridie quàm Judæi pascha agerent, paschalem jam agnum Christus comedisset. Unde colligunt, nondum advenisse dies azymorum, cum Christus celebraret pascha. Et sanè alio Christum, alio die Judæos pascha comedisse, apertè ex Euangelistis comprobatur: ut hac quidem parte Græcorum magis, quàm Latinorum, sententiam probemus.

Ut Eucharistia pane azymo celebretur, ab Alexandro I. (qui urbis episcopus est factus anno CXXI) institutum esse dicunt Platina in ejus vitâ, Sabellicus Enneade VII. lib. IV. Polydorus Virgil. de inventor. lib. V. cap. X. Apud Anastasium tamen, & antiquiores, nihil de hoc invenio. Ritum verò hunc probant Latini exemplo Christi: quem in azymis consecrasse, inde colligunt, quia Exod. XII. 19. sub capitis pœnâ interdicitur, nequis septem azymorum diebus fermentum aut fermentatum haberet domi: Christum autem pascha celebrasse primo azymorum die, quo ipso cœnam instituit, iidem docent verbis Matthæi cap. XXVI. 17. *Primâ die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes, Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* Similiter Marcus cap. XIV. 12. *Primâ autem die azymorum, quando pascha immolabant.* Et Luc. cap. XXII. 7. *Venit dies azymorum, in quâ necesse erat occidi pascha.*

Apud Græcos verò uti & Abassinos, contrarius mos obtinet. Nam Abassinos fermentatum, eumque die eodem confectum panem usurpare in sacris, auctor est Nicolaus Godignus de Abassinorum rebus lib. I. cap. XXXV. De Græcis verò res notior est, quàm ut testes ullos laudare sit opus. Ab iisdem Latinos, quia azymis utantur, azymitas appellari, refert Rupertus Tuitiensis *c*. Eosdem dicunt Judaizare, quia cum Judæis azymo quàm cùm

c De divinis officiis lib. 2. cap. 22.

Christo pane fermentato uti malint. Christum verò azymis non esse usum, inde probant, quia antequam esset festum azymorum, comederit agnum paschalem, cœnamque instituerit. In quo valde eos ratio fugit, ut mox ostendam. Interim pro hac sententia asserunt, quòd Judæi paschalem agnum ederint postridie quam illum Christus cum discipulis edisset. Quod etsi Latini negant, tamen verissimum est. Nam Ioannes XIX. 14. de tempore loquens, quo Christus crucifigeretur, apertè ait, Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. Ubi totam feriam sextam παρασκευὴν appellat συνεκδοχικῶς. Nam propriè παρασκευὴ incipiebat ab horâ nonâ, quod est tempus oblationis vespertinæ: terminabatur autem solis occasu, quod erat initium sequentis diei civilis. Intra hoc tempus agnum paschalem mactari & præparari oportebat. Sed vesperâ, quæ initium dabat diei paschali (hæc ea vespera erat, quæ παρασκευὴν continuò sequebatur) manducabant agnum paschalem. Dicitur autem Christus cruci esse affixus eo die, quo Judæi præparabant agnum paschalem. Non igitur eodem die Christus comedit agnum, quo Judæi, sed cùm Iudæis esset dies parasceves. Idem probatur verbis istis Ioh. XVIII. 28. *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Respondent aliqui, per pascha hic intelligi panes azymos, vel alios cibos paschales. Sed ita in Scripturis uspiam pascha accipi, nunquam probabunt. Adde quod etiam immundis (uti monet Burgensis) pane azymo vesci licebat: adeò ut caussæ fuerit nihil, cur Iudæi hoc nomine à prætorii ingressu abstinerent. Satis igitur apertum est ex Evangelistis, aliâ Christum, aliâ die Iudæos pascha celebrasse. Et profectò nunquam Iudæi supplicium sumsissent de Christo, quo die paschale festum agerent. Ut omnino pertinacia sit, negare Christum anticipasse tempus, quo à Iudæis pascha celebraretur.

THESIS IV.

Græcorum igitur sententiam hactenus sequimur, quòd Christum dicant ante Judæos pascha egisse: sed in eo adstipulari iis non possumus, quod agno comesto aiunt Christum redisse ad panem fermentatum. Decepit eos, quod Christum anticipasse credant festum, ut dominum legis: cùm ille festum celebrârit die à Mose præfinito: ac Judæi contrà à lege recesserint, humana instituta divinis præferentes, paschaque festum, quod eo anno in diem sextum hebdomadis incidebat, in sequentem diem rejicientes, ne duo dies festi continui essent.

Exinde, quod Christus anticipatit tempus quo Iudæi pascha celebrabant, concludere Græci solent eum Lunâ XIII. mensis Nisan, Iudæos verò Lunâ XIV. paschalem agnum comedisse. Inque eo non exiguum ponunt caussæ suæ firmamentum, quia etsi lege præcipiente, ut pascha cum azymis edatur, etiam Christum similiter edisse, negare non possint: tamen pro certo habent, Cœnam in fermentato pane instituisse, quia agno comesto, ut ajunt, uti iterum cœperit fermentato, eo quòd azymorum dies nondum advenissent, neque lex diebus octo, sed septem tantùm abstinere jubeat à fermento. Ita Euthymius in comm. cap. XXVI. Matth. & Nicephorus lib. I. Hist. cap. XXVIII. Sed profectò ut certum est, Christum ante Iudæos pascha celebrasse: ita credibile non est, anticipasse tempus lege præfinitum: quia hoc si esset, Iudas illud significasset principibus sacerdotum, pharisæis & scribis: atque hi illud inter præcipua accusationis capita retulissent: quod cum factum non sit, jure concludimus, Christum, non Iudæos, tempore à lege præstituto pascha comedisse. Confirmat etiam hanc sententiam, quod Paulus, Burgensis episcopus, Hebraicarum antiquitatum scientissimus (ut qui ex Rabbino sit factus Christianus) refert *a* ex libro Sedar Olam: videlicet ut Hebræi à captivitate Babylonicâ, quandocumque paschalis festivitas (quam Lunâ XIV. mensis Nisan Deus jusserat celebrari *b*) incideret in feriam sextam, ea ex ordinatione R. Eliezeris, ne populus biduum ab opere cogeretur cessare, in sequentem sabbathi diem transferretur. Atque hæc caussa esse videtur, cur Lucas XXII. 7. dicat: ᾗ ἔδει θύειν. Nempe Iudæi quidem postridie ἔθυον, sed non ea die, ᾗ ἔδει θύειν. Nam quia pascha inciderat eo anno in feriam sextam (quod ex Hebræorum computo probat vir doctissimus Ioannes Moltherus *c*) eo rejecerunt illud in diem XV. mensis Nisan: quod adversabatur legi Mosaicæ. Ita divina providentia factum fuit, ut vero paschatis typici tempore verus agnus paschalis mactaretur pro mundi peccatis. Ut item eodem hebdomadis die, quo primus Adam ob peccatum paradiso expulsus fuit, etiam passione suâ cælestem paradisum secundus Adam reseraret.

a Addit. ad Lyr. in Matth. cap. 26.
b Exod. 12. 6.
c Disp. de diverso esu agni paschalis.

Nec te trivillirio emtitem, quæ contra hanc sententiam objicit Bellarminus *d*. Communiscitur Iudæis fuisse duplicem calculum, Astronomicum unum, alterum vulgarem, secundùm quem, ut ait, dies XIV. nunquam incideret in feriam sextam: quæ nihil sunt nisi ægri somnia. Nam Judæi solùm sequebantur calculum Astronomicum, hoc est, motum Lunarem à Calippo præscriptum: omnia etiam, uti hodie in Turciâ fit, ad Lunæ motum peragebant: nec plenilunii tempus (quo paschæ celebrare lex jussit) post Calippicam præscriptionem ignorare poterant sacerdotes, quod apud nos, ubi nec in Rep. neque in Ecclesia Lunaris motus ratio habetur, etiam agricolæ & nautæ sciunt, aliique homines plebeii, & sæpe ἀναλφάβητοι.

d De sacram. Euchar. lib. 4. cap. 7.

THESIS V.

Nihil igitur præsidii in eo inveniunt Græci, quod Christus anticiparit festum Judaicum. Nam si die à lege præstituto, hoc est decimo quinto mensis Nisan, qui primus erat azymorum, pascha suum comedit: consequitur, quemadmodum dum agno vesceretur, ita etiam cum cœnam institueret, fermento abstinuisse.

Quare assentio Thomæ Aquinati, *e* qui, quocunque tempore Christus pascha celebrârit, existimat posse convinci, eum cum cœnam suam institueret, azymo pane usum esse.

e In 4. sent. dist. 11. qu. 2. art. 2.

THESIS VI.

Nec tamen inde consequitur, nos quoque, Christi exemplo, azymo pane in cœnâ uti oportere. Nam cum ea res nihil pertineat ad οὐσίαν sacramenti, ἀδιάφορον ac liberum est, seu hoc, seu illo pane utamur. Ut & miremur & doleamus, de re tantulâ Latinos & Græcos, annos jam quingentos & amplius rixari.

Nam controversia hæc circa annum cœpit CIↃLIII. ut testatur Leo IX. epist. ad Michaëlem, episcopum Constantinopolitanum. Eam verò hodieque durare, liquet ex censura Hieremiæ, Constantinopolitani patriarchæ, de Confess. Augustana cap. X. quod est de cœnâ: ubi inter alia eo pugnat argumento, quod panis azymus non sit verus panis: id autem inde probat, quia ἄρτος dicitur ab αἴρω τὸ κουφίζω ut est apud Etymologum: farina autem non attollatur, nisi per fermentum. Quasi non verisimilius ibidem, itemque ab Eustathio deducatur ab αἴρω significante προσφέρω, quomodo usus Homerus Iliad. ζ. *f* Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα, πότνια μῆτερ. Unde & προσφόρημα dicitur ἡ τῷ σώματι προσφυὴς τροφή, eodem Eusta-

f Vers. 264.

a P. 641. Eustathio *a* teste. Adde quod etiam in tralatione LXXII. interpretum, Exodi XXIX. 2. & Iud. VI, 20. non minùs panis vocatur, qui azymus est, quàm qui fermentatus. Videtur autem iste Græcorum error satis esse antiquus. Nam etiam Theodoretus in cap. X Danielis, infestæ eos arguit, qui panem azymum panis nomen mereri negant.

a *sat. Rom.*

vers. 4.

Quanquam verò ἀδιάφορον est, utrùm pane utamur azymo, an fermentato, & utrobique mysterium possit inveniri: tamen neutiquam repugnemus, siquis azymum præferat; quando apertius hic mysterium est. Nam, ut secundùm Apostolum *b* ait Walafridus Strabo *c*, oportet *epulari non in fermento veritatis, sed in azymis syncerıtatis & veritatis*: Et ut Ivo Carnotensis *d* inquit, *nos moraliter Deo munus offerimus panes azymos, dum non in fermento malitia, sed in azymis syncerıtatis & veritatis ambulamus.* Idemque legas apud Rupertum Tuitiensem lib. II. de officiis divinis cap. XXII.

b 1 *Cor.* 5.
c *De rebus Eccles. cap.* 18.
d *Sermone de convenientiâ veteris & novi sacrificii.*

THESIS VII.

De controversiâ, utrùm fermentato, an azymo pane uti conveniat, satis dictum. Nunc de illo videamus, an quibus regionibus triticei panis usus non est, istis liceat usurpare, quod panis implet vicem. Nobis quidem sic videtur. Nam cùm Christo propositum fuerit, symbolis eorum, quibus corpus nutritur, repræsentare alimoniam spiritualem: nihil vel à Christi scopo, vel fidei ἀναλογίᾳ aberrat, qui non divina institutionis neglectu, sed necessitate compulsus, materiem panis usurpat regionibus quibus vivit usitatam.

Quæstio est, an in triticei panis penuriâ, uti eo liceat, quod panis loco usurpatur. Quomodo ex lotometræ semine, quod milio simile est, aquâ vel lacte subacto panes faciebant Ægyptii: de quibus Plinium vide lib. XXII. cap. XXI. Quomodo item ex loto, palmâ, asphodelo, rapis, cucurbitâ, multisque aliis panes fiunt: qua de re vide, quæ ex veteribus & novellis referunt Hieronymus Cardanus de subtilitate lib. XII. Ioannes Baptista Porta magiæ naturalis lib. IV. cap. XVI. XVII. XVIII. Georgius Bertinus de alimentis lib. IX. cap. III. Hieronymus Osorius de rebus Emanuelis lib. II. Franciscus Vallesius de sacrâ Philosophia cap. XXVII. &c.

Quanquam verò juris canonici *a* doctores negent, panem dici posse, nisi qui è frumento fiat: minimè tamen dubitamus, quin ubi alius panis obtinet, ibi rectè is in Cœnâ Dominica usurpetur. Nam cùm eo corpus nutriatur & roboretur, permanet ἀναλογία inter signum & signatum. Idem est judicium Clarissimi Theologi, Theodori Bezæ, epist. II. ad Thomam Tilium, ubi sic scribit: *Ubi aut vini vel nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, si quod panis aut vini vicem vel ex usu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hac enim mens fuit Christi, cùm panem ac vinum ad hæc mysteria deligeret, ut propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem velut ob oculos repræsentaret. Itaque à Christi sententiâ nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio pro pane & vino substituat, qua etsi non parem, similem tamen alimonia analogiam habeant.*

a *Gloss. in decret.* 3. *part. dist.* 2: *ad can. Sic in Sanctificando.*

DISPUTATIO VIGESIMA

QUÆ EST SECUNDA

DE

SACRIS COENÆ

DOMINICÆ SYMBOLIS.

THESIS I.

HACTENUS de pane ipso vidimus. Nunc accedamus ad ritus pani annexos. Quorum primus est sanctificatio seu consecratio, prout eam Ecclesiastici scriptores appellant, qua in Scripturis nunc εὐλογία vocatur, ut Matt. XXVI. 26. Mar. XIV. 22. & 1 Cor. X. 16. nunc εὐχαριστία, ut Luc. XXII. 19. & 1 Cor. XI. 24

Quamquam enim gratiæ quidem aguntur creatori, benedicitur autem creaturæ, puta pani & vino: tamen pro eodem duo hæc usurpantur in sacris literis. Cujus caussa est, quòd in synaxi gratias Deo agentes, benedicimus pani & vino, eaque sanctificamus, hoc est, à communi usu ad sacrum & sacramentalem præparamus. Hæc etiam Oecumenii sententia fuit, qui Pauli illud 1 Cor. X. 16. ὃ εὐλογοῦμεν, interpretatur, ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν. Imò & LXX. interpretes in descriptione rerum Leviticarum passim τὸ εὐλογεῖν usurpant pro ἁγιάζειν καὶ καθαιρεῖν.

THESIS II.

At Pontificii aliud per consecrationem intelligunt. Nempe arcanorum verborum super pane & vino recitationem factam à sacerdote, quâ natura eorum in corpus & sanguinem Christi realiter & substantialiter transmutetur, partim quidem propter occultam verborum vim qua dicuntur, partim autem ob peculiarem virtutem ordinis sacerdotalis. In qua Pontificiorum sententia tria damnamus. Primùm, quòd consecrationem non aliis verbis fieri putant, quàm istis, Hoc est corpus meum: & Hic est sanguis meus. *Neque enim solis Domini verbis consecratio fit, sed etiam*

etiam precibus, quibus panis & vinum ad sacrum usum praeparantur, atque adeo actione totâ, quatenus ea, cum à ministro, tum a communicantibus fit secundum institutionem Christi.

Hæc etiam veterum sententia fuit. Passim enim dicunt prece atque invocatione panem & vinum consecrari. Ut Iustinus Martyr apolog. II. *a*. Irenæus lib. IV. cap. XXXIV. Cyrillus Hierosol. catech. III. Mystag. *b*. Eucherius in homiliis Eusebio Emisseno tributis, serm. V. de paschate *c*, atque alii. Sanè etiam de Christo Innocentius III. scribere non dubitat *d*: *Dici potest, quod Christus virtute divinâ confecit: & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent.* Itaque, ex Innocentii sententia, antequam verba illa proferetur Christus, jam corpus suum consecrarat per prævium benedictionem. An verò non idem in sacerdotibus habeat locum, disputat Scotus super quartum sententiarum. *e*.

a Pag. 76. & 77. edition. Commel. b P. 525. edit. Mor. an. 1608. c Fol. 84. b. edit. Lovan. an. 1560. d Lib. 4. de myster. altaris cap. 6. e Dist. 8. quæst. 2. art. 2.

THESIS III.

Alter error est, quod verba illa, Hoc est corpus meum: & Hic est sanguis meus *(quibus consecrationem fieri contendunt) pani admurmurant & vino: cum, ut ea Christus dixit Apostolis, ita nunc dicenda sint populo, eoque clarâ debeant voce pronunciari, ut ab omnibus possint intelligi.*

Verba Domini, quibus panem & vinum corpus & sanguinem suum vocat, arcana nominant Pontificii. Ut catechesis Canisii quando ait, *Christum verum Deum ac hominem vere ac integre in sacramento contineri, ubi sacerdos rite ordinatus panem & vinum verbis illis arcanis & à Christo traditis consecraverit.* Arcana autem verba appellant, non quia ignorentur, sed quia sic pani dicantur & vino, ut sonus eorum ad aures populi non pertingat. Quem sanè morem probare non possumus. Nam cùm Christus in cœnâ adsit, non ut pani, sed ut homini se jungat: non pani, rei inanimæ, sed homini pane utenti verba istæc dici debent. Eoque etiam clara voce ea exprimi oportet, ut à populo intelligi possint. Sanè in veteri Ecclesia ita fiebat: quando & populus, auditis consecrationis verbis, *Amen* dicebat: ut Pontificii ipsi agnoscunt, convicti apertis locis Clementis Constitutionum lib. VIII. cap. XX. Ambrosii de iis qui mysteriis initiantur cap. IX. Leonis serm. VI. de jejunio septimi mensis, &c. Imò hodie etiam in Ecclesiis Orientalibus ac Græcis, ut Cardinalis Bellario scribit, mos iste obtinet. Verba ejus sunt *f*: *Sacerdote verba illa altâ voce, ut vos Græci soletis, pronunciante, assistens populus in utraque parte respondet, Amen, quasi dicat, vere ita est, ut tu dicis.* Cur verò mos ille abrogatus fuerit in Ecclesiâ Romana, has ab eâ caussas video adferri. Primùm, *Ne sacrosancta verba vilescerent.* Quam rationem adducit Innocentius de sacro altaris mysterio lib. III. cap. I. Mirifica sanè ratio ad conciliandam reverentiam sacramentis: si non potius talis, quæ superstitionem inducat. Neque enim homines sacramentis, sed sacramenta hominibus inservire oportet. Et si talibus modis reverentia paratur, cur non æque hoc agitur, ut ne Eucharistiam videant homines: quando non solùm auditus, sed etiam conspectus frequens contemptum parit? Idem Innocentius *g* strictim, alique fusius, firmandæ suæ sententiæ talem narrant fabellam. Ajunt aliquando rusticos verba consecrationis crebrâ auditione edoctos, ea in agro pani dixisse, ac illum sub tò in carnem esse commutatum: Deum verò irâ accensum demisisse de cœlo ignem, qui ad unum omnes absumserit, adeò ut neque tantæ cladis nuncius aliquis superesset. Quæ sanè si vera sunt, mirum quàm fide dignis auctoribus acceperint, cujus rei nullum relictum esse nuncium agnoscunt. Sed cautè hoc docere nos neglexerunt: uti & ubi terrarum, & quibus temporibus hæc contigerint. Mirum verò tam sui esse oblitos, ut nunc vim eam etiam laicis tribuant, qui aliàs ordini sacerdotali, & intentioni consecrandi hanc proprium faciunt potestatem. Præter istas hanc etiam caussam adducit Thomas *a*, quia oblatio & consecratio ad solum pertineant sacerdotem. *Quadam*, inquit, *dicit publice scilicet, qua pertinent & ad sacerdotem, & populum: sicut sunt orationes communes: quadam vero pertinent ad solum sacerdotem, sicut oblatio & consecratio: & ideo, qua circa hoc sunt dicenda, occulte a sacerdote dicuntur.* Sed cogitare debuerat vir acutissimus, cùm non unius sacerdotis, sed totius Ecclesiæ caussâ consecratio fiat, atque omnes fideles in ea gratias Deo agere debeant (unde & εὐχαριστία appellatur) etiam, quæcunque in hoc mysterio dicuntur, a fidelibus cunctis audiri oportere: quemadmodum optime colligit Imperator Iustinianus Constitutione CXXIII. *b*: *Iubemus, ut omnes episcopi pariter & presbyteri, NON TACITO MODO, SED CLARA VOCE, quæ a fideli populo exaudiatur, SACRAM OBLATIONEM, & preces in sancto baptismate adhibitas celebrent: QUO MAIORE EXINDE DEVOTIONE in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi efferantur. Ita enim & divus Apostolus docet, dicens in primâ ad Corinthios epistolâ: Enimvero si solummodo benedicas spiritu, quomodo is, qui privati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo ipsum Amen: quandoquidem quid dicas, non videt?* Quæ verba, uti alia in eâ editione multa, in Scrimgeriano codice non reperit Franciscus Duarenus: sed non neglexit illa codex, quem è Græco transtulit Gregorius Haloander.

f De sacr. Eucharist. in Liturgiis Patrum pag. 184. vers. ult. edit. Morell. an. 1560.

g Lib. 3. de altaris myst. cap. 1.

a Part. 3. qu. 83. resp. ad 6.

b p. 322. edition. Plantin. an. 1567.

THESIS IV.

Tertium error est, quòd tum consecrationis verbis, tum ordini sacerdotali, hanc efficaciam tribuunt, quod panem & vinum convertant in substantiam corporis & sanguinis Christi.

Hunc spissum errorem diluemus disputatione eâ, quâ seorsum de μετουσίᾳ Pontificiâ dissertabimus.

THESIS V.

Vidimus de benedictione seu consecratione. Alter ritus est fractio panis: de quâ ita statuimus, divina institutioni magis convenire, ut panis fractus, quam ut integer exhibeatur. Nam disertim scribitur ab Apostolo c: Accepit (*Christus*) panem, & postquam gratias egisset, fregit ac dixit, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. *Tres etiam Evangelistæ fractionis panis meminerunt. Et Ecclesia Apostolica ab hoc ritu administrationem Cœnæ vocavit κλάσιν τοῦ ἄρτου, fractionem panis. Nec ritus hic mysterio caret. Signat enim passionis dolores ex laceratione corporis, & separationem corporis ab animâ. Ergo ceremoniâ hac admonentur fideles, corpus Christi non minus certo pro se in cruce oblatum ac fractum esse, quàm oculis cernunt panem Domini sibi frangi. Quo pertinent verba Apostoli antea commemorata. Praeterea significat κοινωνίαν multorum cum uno corpore. Unde idem Apostolus 1 Cor. x. 16.* Panis, quem frangimus, nonne est communio Christi? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Nam omnes unius panis participes sumus.

c 1 Cor. 11. 24.

Triplex hac de quæstione sententia est. Sunt enim, qui existiment, fractionem panis esse partem ἐπουσιώδη sacramenti, eoque ἀπλῶς necessariam: unde & damnatum eunt Ecclesias istas, quæ ritum hunc non usurpant.

Con-

Contrà alii censent, esse ritum ἀδιάφορον ac liberum, eoque nec male usurpari, nec malè omitti. Itaque & eos vehementer culpant, qui hoc nomine magistratibus molestiam facessunt, ut quibus locis ceremonia hæc non obtinet, illis in Ecclesiam inducatur. Media inter hos eorum opinio est, qui fractionem esse necessariam arbitrantur, non quidem ut partem sacramenti essentialem, imò neque ut integrantem præcipuam, quales in homine sunt cor & caput: sed ejusmodi tamen, quæ ad rei integritatem pertineat: ut sunt oculus, auris, brachium, pes. Ex horum mente non sine culpâ fractio omittitur (ut sine quá cœna fiat mutila) non tamen vitium hoc ejusmodi est, ut οὐσίαν sacramenti tollat, ac caritati Christianæ non possit, vel non debeat condonari. Horum nos sententiæ subscribimus. Nam quò minùs ἀδιάφορον esse ceremoniam hanc dicamus, vetamur tum facto Christi, de quo scriptum est, *Gratias egit, fregit, dedit*: tum mandato ejus dicentis, *Hoc facite*: tum mysterio fractionis quod duplex est. Primum enim per fractionem mors Christi significatur: quam rem Wolph. Musculus expressit verbis istis in 1 Cor. XI. *Quod vobis frangitur; Referunt aliqui verbum FRANGENDI ad panem Cœnæ Dominicæ, q. d. hic panis meum corpus est, quod pro vobis jam frangitur. Verum panis ille frangitur quidem: at non illius, sed corporis sui fracturam, id est mortem, quam in Iohanne templi destructionem vocavit, tanquam mysterium fide amplectendum commendat, cùm dicit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Poterat dicere, quod vobis tradetur & occidetur. Verùm, ut accommodaret se sacramentali fractioni panis, dixit, quod pro vobis frangitur. Ut enim panis dum frangitur, pro illis frangitur, quibus ad edendum distribuitur, quod nisi frangatur, distribui & edi nequit: sic corpus Domini, panis vivus de cælo missus, ut cibus noster fieret, in cruce pro nobis est fractum, id est occisum, &c. Hactenus ergo fractum pro nobis est in cruce corpus Domini, quatenus pro nobis est morti datum, &c.* Alterum mysterium in eo consistit, quod ut multa sunt panis frusta, sic multi κοινωνίας habeant cum uno corpore. Sed objectant unitatem hanc aliunde intelligi: nempe quia, ut ex multis granis unus panis conficitur, & ex multis acinis vinum confluit: ita ex multis fidelibus Ecclesiæ corpus constat. Quomodo exponunt unitatem hanc Chrysostomus, Augustinus, Beda, alii: è junioribus Calvinus, & Musculus ipse. Sed fatemur non inviti, etiam hoc pacto ἑνότητα adumbrari: tantùm dicimus, etiam aliter significari, nempe unitate panis in partes multas divisi, multisque distributi: quò imprimis respexit Apostolus.

Præter ista etiam, panem esse frangendum, Apostolicæ Ecclesiæ exemplo docemur. Nam nihil apertius istis

a 1 Cor. 10. 16. Pauli *a* verbis, *Panis, quem frangimus*: imò Eucharistiæ sacramentum ab hoc ritu *fractio panis* dicebatur: uti Act. 11. 42. ubi Syrus vertit, *Communicabant in oratione, & in fractione Eucharistiæ.* Idem interpres de eadem intellexit vers. 46. Vertit enim, *Frangebant munus benedictum, capiebantque cibum exultantes.* Atque ita etiam cepit Walafridus Strabo lib. de ritibus Eccles. cap. XX. Sed Nicolao Lyrano locus is ancipitis esse sententiæ videtur. Nam sic scribit: *Communicatione fractionis panis, tum quòd quotidie communicabant, tum quòd communes cibos, sicut & cætera, sumebant.* Ac Chrysostomus etiam per fractionem indicari censet temperantiam & victus tenuitatem. Similiter Theophylactus: τὸ κλῶντες ἄρτον τὴν πολλὴν αὐτῶν ἐγκράτειαν καὶ λιτότητα δηλοῖ τῆς τροφῆς. Quæ parum solida videntur. Porrò Syrus etiam de fractione sacri panis capit verba Act. XX. 7. ubi vertit: *Cùm convenissemus unâ sabbathorum ad frangendam Eucharistiam.* Sed de corporali refectione interpretatur idem Lyranus: uti & Petrus Comestor in historiâ Scholasticâ *b*. Saltem Actor.

b Histor. Actor. Apost. cap. 99.

XXVII. 35. ita accipi, non solùm Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Oecumenius, aliique interpretes testantur: sed res ipsa clamat, quia cum nautis & militibus gentilibus Eucharistia non potuit celebrari.

Quamquam verò, quæ de fractione panis hactenus diximus, clarissimis nitantur Scripturarum locis: tamen viri eruditi, in quorum Ecclesiis ea fractio non obtinet, vim omnium eorum eludere se posse sperant, eò quòd apud ipsos massa discerpatur in multas oblatarum minutias. Quasi hæc massæ fractio sit mystica, ac non coquinaria; quasi item in templo, ac non in culinâ; quasi denique in actu sacramentali, ac non ante sacramentum fiat: Etiam illo iidem se tuentur, quòd Hebræa frangendi verba, nempe פרס, & שבר, passim accipiantur pro distribuere: ut Es. LVIII. 7. *Frango esurienti panem tuum.* Hoc est, partem ejus singulis pauperum divide: ut interpretatur Augustinus *a*. Similiter Thren. IV. 4. *Parvuli* a Tom 4. Lib. de sal. document. cap. 5. & serm. 61. de

petebant panem, & non erat, qui frangeret eis. Sed corruunt hæc, si dicatur, quod res est, frangere his Veteris Test. locis κατὰ μετάληψιν accipi pro eâ distributione, quæ fractionem consequitur: ita ut *frange* tantundem sit ac, frange ac divide. At in Cœnæ verbis ne locum quidem hæc μετάληψις habet: ut ubi de Christo distinctè dicatur, ἔκλασε καὶ ἔδωκε. Denique probandum ipsis erat, Christum & Apostolos, qui non Hebræo, sed Syro usi sunt sermone, vocem usurpasse, quæ non minùs dividere quàm frangere significet. Sanè verbum קצץ, quod est apud Syrum interpretem, non dividere, sed frangere κυρίως notat.

THESIS VI.

Atque hac de scripturarum fonte. Præter quæ fractionis ritum confirmat perpetua Ecclesiæ πρᾶξις, usque ad ea tempora, quibus nummularia minutia in Ecclesiam sunt inducta.

Augustinus epist. LIX. ad Paulinum: *OMNIS, VEL PENE OMNIS frequentat ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod in Domini mensâ est, benedici incipiat: orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad DISTRIBUENDUM COMMINUITUR, &c.* Idem in sententiis Prosperi: *Cùm frangitur hostia dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio significatur?* Quem locum frustra hodie apud Prosperum quæras: sed ex sententiis Augustini citat eum Gratianus Dist. 2. de Consecrat. C. cùm frangitur. Similiter fractionis hujus meminere, Ignatius, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Chrysostomus, Theophilus Alexandrinus, Dionysius Areopagita, Cyrillus Alexandrinus, Euagrius Scholasticus, Beda, Paschasius, Theophylactus, Anselmus: quorum testimonia quia jam ab aliis *b* adducta, iis hìc reponendis operam non insumam.

b Hospinian. de re sacram. lib 2. pag. 30. Paræo lib. de symbolis sacram. &c.

THESIS VII.

Quamquam verò fractio Scripturis præcipiatur, inque veteri Ecclesia obtinuerit: tamen cum ejus omissio non adversetur primario Christi instituto, omnino, siquibus in Ecclesiis, ubi panis non frangitur, vivamus, satius sanè est, ut vel sic panem sumamus, quàm ut eo nos in totum fraudemus, & neglectu sacramenti infirmiorum conscientias perviciaciter turbemus.

Quæ etiam Clarissimi Bezæ sententia est. Verba ejus sunt lib. Quæst. & Resp. quæst. CXCIV. *Sentio ejus* (fractionis) *præteritionem, quoniam non ad ipsam sacramenti confectionem, sed tantum ad veri & prorsus legitimi*

ejus

ejus usus formam pertinet, actum ipsum non vitiare: sicut nævus in facie formosi venustatem quidem lædit, sed formam tamen ipsam non abolet. Similem locum ex epistolâ ejus ad Titium infra *a* adferemus. Eamque Bezæ sententiam probat etiam Hospinianus lib. II. de re sacramentariâ *b*.

a Disp. tertia de cœnæ symbolis.
b Pag. 35.

THESIS VIII.

Longè etiam minùs, ubi fractio observatur, de fractionis modo est contendendum.

Nec enim satis constat, utrùm fractas partes fregerit in minores, deque manu in manum singulis tribuerit Christus: an, quod Hospinianus *c* verisimilius putat, *in duas partes panem confregerit, earumque alteram dederit illi, qui proximus ei ad dexteram accumbebat; alteram vero illi, qui ad sinistram, ut isti deinceps proxime accumbentibus porrigerent, donec singuli particulam sibi decerpsissent.*

b Parte I. de re Sacram. pag. 31.

Neque etiam referre putamus, utrùm digitis frangatur panis, an scindatur. Prius Christum fecisse verisimile est ex more Judæorum, qui utebantur pane lato, at non admodum spisso, ac præterea sulcis quibusdam decussatim inciso, ut commodè in quadratas quasdam buccellas manu frangeretur. Sanè etiam Baronius scribit ad annum LVIII. *d*, *ex Rabbino rerum Iudaicarum antiquarum perito accepisse se, eos incisionibus in particulas plures signatos coquere solitos panes, ut sic ad esum non esset opus illas incidere, sed solum frangere.* Quomodo incisos panes Græci βλωμιαίους vocabant, ut scribit Athenæus lib. III. nempe à βλωμὸς, quod Hesychio teste, notat ἰσχνὸν ψωμὸν, *tenuem seu exiguam buccellam.* Panem istiusmodi describit eruditus, sed incertus poëta in Moreto.

d P. 541. edit. Antverp. an. 1612.

—— —— Iamque subactum
Format opus, palmis que suum dilatat in orbem,
Et notat impressis æquo discrimine quadris.

Et Martialis lib. IX. epig. XC.

Libetur tibi candidas ad aras
Sectâ plurima quadra de placentâ.

Ubi per quadram non intelligitur quarta pars panis, etsi id Baronius *e* & multi viri docti existiment, (neque enim in placenta plurimæ sunt partes quartæ: neque cùm placenta sit figuræ circularis, quartis ejus partibus quadrarum nomen, quod quadratum quid sonat, conveniret) sed quadræ sunt ψωμοὶ sive buccellæ: unde & panis militaris ac nauticus, quia itidem sulcis altius impressis in buccellas varias distingueretur, buccellatum dicebatur: ut discimus ex L. VI. C. Theodos. de erogat. milit. ann. item Ammiani libro XVII. Vulcatio Gallicano in Avidio Cassio, Spartiano in Pescennio, Paullino & Therasia epist. XXXVI. inter Augustinianas, & è Græcis posterioris ævi, Mauricio in Tacticis, ubi ait: Χρὴ ἐν ἡμέραις παλαιμ, ἐν ἧ εἰσάγει ἀποφέρεσθαι ἕκαστον στρατιώτην ὕδωρ καὶ βουκέλατον. Atque hæc quidem ad illustrandam fractionem Judaicam dicta sunto. Orientales verò panem Eucharisticum non frangebant, sed instrumento scindebant: ut testatur Nicolaus Cabasilas in exposit. Liturg. cap. X. Imò jam Damasceni ætate ita fieri solere, docebit Germanus Constantinopolitanus verbis istis *a*: Τὸ κυριακὸν σῶμα ὡς ἐκ τινὸς κοιλίας, καὶ σαρκὸς τοῦ παρθενικοῦ σώματος, τοῦ ὅλου ἄρτου, φημὶ, τῆς εὐλογίας, καὶ τῆς προσφορᾶς τοῦ διακόνου (ὡς ἡ μεγάλη ἐκκλησία παρέλαβε) διατέμνεται σιδήρῳ τινὶ, ὅπερ καὶ λόγχην λέγουσι. *Dominicum corpus, tanquam ex quodam utero & carne corporis virginalis, toto pane inquam, benedictionis & oblationis à diacono, ut magna Ecclesia à majoribus accepit, dissecatur ferro quodam, quod & lanceam appellant.* Eundem morem apud Æthiopes obtinere, apud varios *b* legimus.

e Ibidem pag. 542.

a In mystica contemplatione p. g. 152. edit. Morell.

b Gasp. Sanctius in Act 2. 42. atque alios.

THESIS IX.

De numero partium, in quas panis dividitur ita statuimus, pro communicantium vel copiâ, vel paucitate, multiplicari eum, vel imminui.

Hoc monere operæ pretium non erat, nisi Ecclesia Romana statuisset, ut tres in partes hostia frangeretur: cujus rei mysterium adfert Micrologus c. XVII. Vixit is ante annos amplius quingentos, tempore Gregorii VII. & Anselmi Lucensis, quorum eo ipse capite meminit. Fusius verò idem postea docuit Durandus Rationalis sui lib. IV. cap. LI. *Decimo-octavo; Quare sunt tres partes? Ad quod dicendum est, quod frangitur in tres partes; Primò in memoriam trinitatis. Secundo in memoriam triplicis status Christi. Primus fuit in hominibus manens. Secundus fuit in sepulchro jacens. ç. Tertius est immortalis, in cœlo existens. Tertio vero, in memoriam & signum, quod Christus passus fuit in triplici parte sui. Id est in pedibus, in manibus, & in latere. Quartò, in signum, quod tres sunt partes mystici corporis: prima est in cœlo, sive in patriâ, sc. ecclesia triumphans, secunda est in terrâ, sc. ecclesia militans: tertia est in purgatorio, & hæc dicitur purgans. Quintò in typum trium personarum euntium in Emaus, scilicet Christi, & Cleophæ, &, ut quidam dicunt, Lucæ.* Hæc Durandus. Apud Græcos verò non eundem numerum servari, vel Chrysostomi liturgia ostendit: in quâ panis frangitur in partes quatuor in modum crucis, unaque earum in calicem immittitur, cum certâ recitatione verborum. Idem docent hæc verba Humberti dispur. adversus Græcos de azymo *d*: *Græci habeant lanceam ferream, quâ scindunt in modum crucis ipsam oblationem.* Ubi lanceam vocare, Græcorum exemplo, liquet ex verbis Germani Constantinopolitani antea allatis.

c Vide ipsum Durandum.

d P. 694. in appendice Tomi undecimi Baron.

DISPU-

DISPUTATIO VIGESIMASECUNDA

DE

SACRIS COENÆ

DOMINICÆ SYMBOLIS.

Thesis I.

D*IXIMUS de fractione. Tertius verò ritus eſt diſtributio ad manducandum: qua parte à Pontificiis graviter peccatur. Nam in privatis, ut vocant, miſſis, non diſtribuitur fidelibus panis, ſed cæteris ſpectantibus, ſacerdos eum manducat ſolus. Quale ſpectaculum repugnat inſtituto Chriſti. Tantum enim abeſt, ut Euangeliſta vel Paulus pronuncient, Chriſtum ediſſe ſolum; ut ne quidem, an ederit, narrent. Contenti enim ſunt referre, ut diſcipulis dixerit* a, Accipite, comedite, hoc facite in mei recordationem, mortem Domini annunciantes, donec venerit. *Etiam refellere eſt Pontificios ex conſuetudine Apoſtolica Eccleſiæ quam cognoſcimus ex verbis hiſce Paulinis* b, Unus panis, unum corpus multi ſumus, quia omnes unius panis participes ſumus.

a Mat. 26. 26. Mar. 14. 22. Luc. 22. 19. Paul. 1 Cor. 11. 23.
b 1 Cor. 10. 16. 17.

Reſpondet concilium Tridentinum *c*, *illas quoque miſſas, in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat, vere communes cenſeri debere: partim quod in eis populus ſpiritualiter communicet, partim verò quod ab Eccleſiæ miniſtro, non pro ſe tantum ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.* Sed hæc cum ſynodus ea dicit, doctorum noſtrorum ſententiam magis circumludit, quàm eludit aut tangit. Nec enim inficiantur illi, etiam extra cœnam à fidelibus manducari carnem, & bibi ſanguinem Chriſti: ſed de nihilo eſſe negant, quod præcipiatur cunctis ſpiritualiter Chriſtum manducantibus, ut eum etiam ſacramentaliter ſumant. Atque ſanè temerarium eſſet hoc Chriſti mandatum, ſi fructus omnis, qui ex ſacramentali eſu ad fideles redundat, etiam rediret ad eos, qui ſacerdotis μονοφάγου ſpectatores ſolùm fiant. Quod verò concilium addit de miniſtro publico pro ſalute totius Eccleſiæ offerente, id, volente Deo, meliùs expendemus, cùm de Miſſæ ſacrificio diſſertabimus.

c Seſſ. 22. cap. 8.

Thesis II.

Etiam hæc Pontificiorum conſuetudo antiquæ Eccleſiæ iudicio repugnat. Imò ad hæc uſque tempora panis fidelibus diſtribuitur in Liturgiâ Græcâ, atque adeo etiam Syrâ, Armenicâ, Æthiopicâ. Ac, niſi valde nos ratio fugit, ſola eſt Eccleſia Latina, quæ ab hoc veteris Eccleſiæ ritu diſceſſerit.

De hoc nos dubitare non patiuntur veteres Liturgiæ: quæ cum multæ ſint, & nullo negotio ab omnibus conſuli poſſint, verba earum adſcribere hoc loco parcemus: potiuſque ex canonibus veteribus, & Patrum vel homiliis, vel tractatibus, aliqua horſum pertinentia adducemus. Cujuſmodi eſt Canon decimus eorum, qui dicuntur Apoſtolici: *Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, non autem perſeverant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari.* Expreſſimus verſionem veterem: quæ non ſolum in Petri Crabbii vetere conciliorum editione, ſed etiam apud Iſidorum Hiſpalenſem, ſeu Mercatorem potiùs, in conciliorum volumine invenitur. Et ſi ſententiam magis, quàm verba ponderes, eandem retinuit tum doctiſſimus Kemnitius in examine concilii Tridentini *a*, tum Cardinalis Bellarminus *b*, dum Kemnitium refutat. Græca tamen aliam etiam ſententiam admittunt: ut quæ ſic ſonent: Πάντας οὖν εἰσιόντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. Vertebat Haloander: *Quicunque fideles Eccleſiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque apud preces & ſanctam communionem permanent, eos tanquam qui ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, à communione arceri oportet.* Itaque ſententia canonis erit, non ut quiſque, quoties adeſt, communicet, ſed ne, necdum peractâ communione, diſcedat. Nempe etiam illi, qui non communicant ipſi, remanere jubentur, uſquedum alii non clerici tantùm, ſed etiam laici perceperint panem ſanctum. Nam, ut ad canonem iſtum Zonaras annotavit, Οἱ λαϊκοὶ συνεχῶς τότε μεταλαμβάνειν ἀπῃτοῦντο. *Laici pro tempore ipſo tempore communicare volebant.* Imò (ut ibidem addit Zonaras) etiam hoc præcipitur concilii Antiocheni can. II. Iubet enim πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας. Videmus ut ex iis, qui Eccleſiam frequentant, Verbumque audiunt, non quidem omnes pro tempore aliquo communione abſtinentes, ſed ſoli communionem penitùs averſantes, eoque ordinem Eccleſiæ turbantes, ejici Eccleſiâ jubeantur. Interim hæc docent, aliquam ſaltem populi partem communicare cum clericis ſolere. Cum verò hac etiam parte populus fieret negligentior, non deſuere officio ſuo ſanctiſſimi Patres; uti alios inter Chryſoſtomus; quem non communicaſſe ſine Presbyteris & Diaconis, ſatis ex Liturgiâ ejus conſtat. Sed quia aliquando vel duo vel nemo, ut dici ſolet, è populo accederet: eò idem graviſſimè populum increpans ait *c*: Εἰκῆ θυσία καθημερινὴ, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων. *Fruſtra eſt quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus altari; nemo eſt qui participet.* Quæ planè adverſantur

a Cap. de privatis miſſis.
b Lib. 2. de miſſa cap. 100.
c In cap. 1. ad Eph. homil. 3.

fantur concilio Tridentino. Nam illo sancitur, prodesse etiamsi non participes, dummodo adstes, & cum devotione spectes. At quanto aliter Chrysostomus: qui & paullò post subjungit: Πᾶς ὁ μὴ μετέχων τῶν μυστηρίων, ἀναισχυντῶν καὶ ἰταμῶς ἑστηκώς. *Quicunque est, qui mysteriorum non est particeps, is impudenter stat, & nimis audacter.* Denique quid ἀναισχυντότερον ἢ ἰταμώτερον verbis istis? Εἰπέ μοι, εἴ τις εἰς ἑστίασιν κληθείς, τὰς χεῖρας νίψαιτο καὶ κατακλιθείη, καὶ ἕτοιμος γένοιτο πρὸς τὴν τράπεζαν, εἶτα μὴ μετέχοι, οὐχ ὑβρίζει τὸν καλέσαντα; οὐ βέλτιον ἦν τὸν τοιοῦτον μηδὲ παραγενέσθαι; *Dic mihi, siquis ad convivium invitatus manus laverit, & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit, deinde non fuerit ejus particeps, annon contumeliâ eum afficit, qui invitavit? Annon esset melius, eum ne adfuisse quidem?* Ad quæ aliud quod respondeat non habet Bellarminus *a*, quàm ea καθ' ὑπερβολὴν dicta esse. Imò etiam, cùm consuetudo passim obtineret, ut cum sacerdote communicaret nemo, multi hanc imperfectam atque illegitimam esse missam judicabant. Nam Walafridus lib. de rebus Ecclesiasticis cap. XXII. *b*. *Quamvis*, inquit, *cum soli Sacerdotes missas celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus sacerdos exsequitur: tamen fatendum est, illam esse legitimam missam, cui intersunt sacerdos, respondens, offerens, atque communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Etiam Humbertus, episcopus Sylvæ Candidæ, responsione *c* ad Nicetam cognomento Pectoratum *d*: *Quodlibet horum trium sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione & distributione perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.* Atque ex his satis liquere puto, cùm Scripturis, tum antiquitati eos repugnare, qui panem distribuunt, sed non frangunt: longeque magis recedere eos à Christi instituto, qui quomodocunque retinent fractionem, sed non distribuunt id, quod frangunt.

a Lib. 2. de missa cap. 10.

b Circa finem.

c Extat libellus iste in appendice Tom. 11. Baronian.

d P. 718.

Thesis III.

Origo verò missæ privatæ est talis. Primum quidem, dum Christiani & numero erant pauciores, & zelo ferventiores, quotidie populus Eucharistiam percipiebat. Postea numero eorum glíscente, at pietate decrescente, clerici cum sacerdote suo quotidie communicabant, populus non item: sed contentus is erat, singulis communicare diebus Dominicis. Sed neque hic res stetit. Nam aliquanto pòst satis visum fuit, si tertiâ saltem die Dominica Eucharistia sumeretur. Tandem denique sufficere indicatum, si summis id fieret anni festis, præcipuè feriis paschalibus. Clerici etiam paullatim studium remisere: ita ut tandem, nullo clericorum præsente, sacerdos sacris operaretur. Ergo tunc alicubi quidem preces, cæterique ritus ad synaxin pertinentes fiebant, consecratione & manducatione excepta: alibi verò solus sacerdos edebat panem sanctum. Sed posterius hoc magis altero ex re sacerdotum esse visum fuit, quia alioqui futurum erat, ut populus etiam offerre cessaret. Ne igitur oblationibus istis fraudarentur sacerdotes, privatim celebrarunt missam, & quò uberiores essent populi oblationes, multa ad eum dicere cœperunt de efficaciâ salutari, quæ ex actione sacerdotis etiam ad non communicantes rediret. Hac ubi opinio semel recepta est in vulgus, ingens plerisque omnibus studium fuit sibi & suis cauponandi missas privatas: ut quas persuasum haberent valere ad remissionem peccatorum pro vivis & mortuis consequendam.

Consilium est Basilii ad Cæsariam Patriciam *a*: Καὶ τὸ κοινωνεῖν δὲ καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν, καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελές. *Singulis certè diebus communicare, & participare sancti corporis & sanguinis Christi, bonum & fructuosum est.* Etiam Walafridus Strabo lib. de Ecclesiast. reb. cap. XX. *Cum* CHRISTIANIS, *& maxime clericis, omnes dies in ferias deputentur, videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies sacris occupemur officiis, & quando mentis vel corporis graviores maculæ non obsistunt, panem & sanguinem Dominicum, quibus sine vivere non possumus, jugiter ambiamus, imitantes primitivæ Ecclesiæ studium salutare, de quo in Actibus Apostolorum ita scriptum est: Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et infra: Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis laudantes Deum.* Quibus verbis non solùm, quid facere conveniat, sed etiam quid antiquitus fieri soleat, indicatur. Posterius hoc etiam Durandus nos docet Rationalis sui lib. IV, cap. LIII. *In primitivâ Ecclesiâ omnes, qui celebrationi Missarum intererant, singulis diebus communicare solebant, eò quod Apostoli omnes de calice biberunt, Domino dicente: Bibite ex hoc omnes. De consecrat. D. 2. C. Non iste. Offerebant enim magnum panem, & omnibus sufficientem, quod adhuc Græci servare dicuntur.* Quod verò isti scriptores de ætate Apostolicâ, & primitivâ Ecclesia scribunt: idem Cypriani etiamnum ætate obtinuisse certum est. Nam epist. LVI. ad Thibaritanos ita scribit: *Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorruptâ & virtute robustâ parare se debent milites Christi, considerantes, idcirco se* QUOTIDIE *calicem sanguinis bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Alloquitur tam laicos, quàm clericos. Universos quippe fideles adhortatur ad martyrii constantiam; quod etiam laici, mulieres subibant. Nec tamen ex his colligere audemus, primis aliquot seculis eandem ubique consuetudinem fuisse: sed fatemur non inviti, etiam primis illis temporibus hac parte variasse Ecclesias. Sanè quanta in talibus olim in diversis Ecclesiis rituum fuerit diversitas, id nos egregiè docet Socrates lib. V. cap. XXI. Ubi & cum multa de varietate ista attulisset, postea subjungit: Αἴτιον, ὡς ἡγοῦμαι, τῆς τοιαύτης διαφωνίας οἱ κατὰ καιρὸν τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες, οἱ δὲ ταῦτα παραλαβόντες, ὡς νόμον τοῖς ἐπιγινομένοις παρέγραψαν. *Caussa hujusmodi discrepantiæ fuerunt episcopi, qui variis temporibus Ecclesiæ præerant. Qui autem istos ritus acceperunt, eos tanquam legem ad posteros transmiserunt.* Ab hac igitur caussa fuit, quod etsi antiquitùs plerisque in locis quotidie Eucharistia perciperetur: aliis tamen id tantùm vel bis in hebdomade fieret, puta sabbathi & Dominica die; ut Augustinus indicat epist. CXVIII. ad Ianuarium: vel ter, nempe feria prima, quarta, sexta, ut Epiphanius in compendiaria forma fidei catholicæ ab Apostolis fuisse constitutum tradit: vel quater, puta ab iis, qui sabbathi diem tribus istis adjungerent; ut fecisse aliquos testatur Basilius epist. ad Cæsariam Patriciam. Imò Socrates *b* & Nicephorus *c* scribunt, *omnes ubique totius orbis Ecclesias diebus sabbathi, singulis hebdomadibus vertentibus, mysteria celebrare: Romanos solos & Alexandrinos id ex antiquâ quadam traditione facere detrectare.* Græcè est, Τῶν πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐκκλησιῶν, ἐν ἡμέρᾳ σαββάτων, κατὰ πᾶσαν ἑβδομάδος περίοδον ἐπιτελουσῶν μυστήρια, οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ οἱ ἐν Ῥώμῃ, ἔκ τινος ἀρχαίας παραδόσεως τοῦτο ποιεῖν παρῃτήσαντο. Ut omnino fallatur diligentissimus & doctissimus historiæ sacramentariæ conditor, cum lib. II. *d* sententiam esse putat, unâ sabbathorum sive hebdomadis die, nempe Dominicâ, omnes ubique Ecclesias mysteria celebrasse,

a Epist. 289.

b Lib. 5. cap. 21.

c Lib. 12. cap. 34.

d Pag. 56.

btasse, Romanâ solùm & Alexandrinâ exceptis, ubi die quidem profestâ communicetur, at Dominicâ ipsâ nunquam. Quod de utraque harum nobilium Ecclesiarum persuadere sibi posse, id verò non fit hominis sani: imò ne de ullâ quidem orbis ecclesiâ verum putamus. At uti alia infinita, ita rectè illud monet idem, locis nonnullis solo fuisse die Dominico communicatum: optimeque probat illud ex Augustini epist. CXVIII. ad Januarium, item ex synodica Alexandrini concilii epistolâ, ubi Macarium non confregisse calicem ostenditur, quia non fuerit Dominica dies, cum fracta est: item ex concilii Toletani IV. can. IX. ubi dicitur, *Nonnullos sacerdotum in Hispaniâ reperiri, qui Dominicam orationem, non quotidie, sed tantum die Dominicâ dicant.* Nam si communio non fiat sine oratione Dominicâ, consequitur, solis diebus Dominicis mysteria fuisse celebrata. Cæterùm quod plerisque tantùm in locis recenti adhuc ecclesia fiebat, id cùm labentibus seculis res in oblivionem venisset, totius fuisse ecclesiæ consuetudinem creditum est. Unde scriptor libri vetusti de divinis officiis disertim scribit *a*. *In diebus nascentis Ecclesiæ in Dominicis tantum & festis diebus, qui secularibus solent occupari negotiis, conveniebant ad audienda solemnia.* Nam ex iis, quæ antea diximus, constat, plurimis Ecclesiæ primitivæ locis quotidie cœtus publicos habitos esse. Sed hæc, ut dixi, prius fuere. Postea enim istis etiam locis, frigescente populi pietate, satis ei visum fuit, si Dominicis diebus sacris interesset: ut tergemino testimonio antea ostendimus. Cùm verò populus nullum incuriæ modum sciret, synodo Sardicensi, item Trullanâ, prætereaque Antiochenâ statutum fuit, ut siquis ne tertiâ quidem quaque die Dominicâ Eucharistiam sumeret, is ab Ecclesiâ separaretur. Auctor Zonaras ad can. IX. eorum, qui Apostolici vocantur. Verùm cùm omnia juris repagula negligentia humana transiliret; nec par legum severitas ubique obtineret: tandem eò usque processum est, ut vix aliis quàm festis maximè sollemnibus, ac imprimis paschatis feriis, à populo communicaretur. Quem in morem acriter invehitur B. Chrysostomus in cap. ad Eph. homil. III *b*. Populo attamen, occupationum prætextu, Dominicis solùm diebus, aut præcipuis anni festis Eucharistiam sumente, clerici nihilominus quotidie communicabant. Micrologus cap. XLVI. *Ad quotidiana missarum sollemnia, non generaliter ab omnibus, sed religiosis convenitur, qui plus spiritualibus negotiis, quam secularibus invigilant, qui reliqua, dum licet, officia quotidie frequentant.* Similiter Walafridus Strabo cap. XX. cujus verba superiùs citavimus. Etiam antea commemoratus scriptor libri vetusti de officiis divinis, hunc antiquioris ecclesiæ morem indicat *c*. *In Dominicis tantum & festis diebus, fideles, qui secularibus solent occupari negotiis, conveniebant ad audienda sollemnia: in diebus vero profestis ministri & votis adstricti intererant missæ.* Item Regino lib. I. de Ecclesiast. disciplinis: *Ut Presbyter, vel Diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castella, aut vici, aut villæ, ad Ecclesiam ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus non emendaverit.* Missæ istæ, quæ solis clericis præsentibus fiebant, *solitariæ* dicebantur. Odo Cameracensis in Canonem: *Cum primitus Missæ sine collectâ non fierent, postea mos inolevit Ecclesiæ, solitarias, & maxime in cœnobiis, fieri missas.* Ubi collectam appellat collectionem, quæ ad oblationem & communicationem in publico cœtu fiebat. Contrà missæ, quæ in populi peragerentur conventu, *publicæ* vocantur à Gregorio *d* ad Castorium, episcopum Ariminensem. Sed cessante etiam quotidianâ clericorum communione, aliquibus in locis sacerdotes quidem preces, lectiones, atque alios synaxios ritus frequentabant, mysteriis verò celebrandis supersedebant: quod ipsum Alexandrinam Ecclesiam, sed tantum feriâ quartâ, & eâ, quæ parasceve dicitur, facere solere, testatur Socrates Ecclesiast. histor. lib. V. cap. XXI. *a*. Hujusmodi à Gulielmo Durando *missa sicca* vocatur lib. IV. Divinorum offic. cap. I. *b*. *Potest*, inquit, *sacerdos unam missam cum sacrificio, & aliam siccam celebrare.* Idemque rationem missæ siccæ pluribus postea explicat. Etiam dicta hæc est *missa nautica*: ut constat ex libello ordinis missæ Romanæ. Puta quia sacra ejusmodi etiam in navigiis obire licet, ubi ob locum fluctuantem plena missa administrari nequit. Meminit ejus etiam Thomas Waldensis lib. VI. Tit. IV. cap. XXXV. At non ubique, ob communicantium absentiam, quotidianam oblationem intermittere visum fuit: sed plurimis in locis, etsi quibus dispensaretur, nulli adessent, sacramentum nihilominus celebrandum putârunt. Nempe metuebant sacerdotes, ne alioqui oblationibus populi fraudarentur. Quæ quo uberiores essent, etiam elogiis mirificis missarum hujusmodi virtus cœpit prædicari: ut quibus, quicquid cœna Dominica promittit, absque indignæ manducationis periculo consequi valeremus. Ea opinio multiplicationem missæ privatæ ubivis accendit & fovit: eodem nempe igni incalescentibus, & missis privatis, & sacerdotum culinis.

a Apud Cassandrum Liturg. c. 33.

b Pag. 1050. & 1051. ed. Commel.

c Apud Cassandrum Liturg. c. 33.

d Lib. 4. registri indict. 13. cap. 87.

a Al. cap. 22. Edit. Rob. St. fol 249.

b Versu antepenult.

c Parag. 23.

Thesis IV.

Præterea de distributione quæritur, utrùm panis in manus præberi à ministro, an ori ingeri debeat. Nos prius à Christo factum putamus. Nec enim quicquam ab Euangelistis, vel Apostolo dicitur, unde suspicio oboriatur, à communi eum & usitatâ sumendi cibi ratione discessisse. Nec qui cum tam multis discumberet, facere id potuisse videtur, nisi de loco surgens ire ad singulos vellet. Quod satis intelligunt, qui nôrunt veterum discumbendi morem, ab eruditis philologis expressum in iis, quæ de Triclinio scripsere. Imò idem quoque habuerit locum, si medium inter discipulos assedisse mensæ fingamus, uti credit pictorum vulgus. His adde, quod etiam in veteri Ecclesiâ diutissimè obtinuit mos iste, ut manibus sumeretur sanctus hic cibus.

Apertissimè hoc nos docet Dionysius Alexandrinus ad Xystum, Episcopum Romanum *d*, ubi de quodam tractat, qui eo quod ab hæreticis aliter, quàm Catholici tingerent, baptizatus esset; etsi jam annos multos ad mensam Domini accessisset, rebaptizari nihilominus volebat. Verba Dionysii inter alia sunt ista: Εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ Ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι. *Eum qui gratiarum actiones audivisset, qui Amen unà pronunciavisset, qui adstitisset mensæ, qui manus ad sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis & sanguinis Domini particeps, ejus baptisma non audebam de integro renovare.* Idem Dionysius hæc scripsit de Novato *e*: Ποιήσας τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος, καὶ ἐπιδιδοὺς τοῦτο, ὀμνύειν ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει, κατέχων ἀμφοτέραις χερσὶ τὰς τοῦ λαβόντος, καὶ μὴ ἀφιεὶς ἕως τ' ἂν ὀμνύοντες εἴπωσι ταῦτα, (τοῖς γὰρ ἐκείνου χρήσομαι λόγοις,) ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλιπεῖν, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον. *Cum fecisset oblationes, & singulis partem sacramenti distribuisset, porrexissetque, miseros homines & infelices pro benedictione & gratiarum actione jusjurandum dare coegit. Atque suis utrisque manibus manus accipientis prehendens non prius dimi-*

d Apud Euseb. lib. 7. cap. 8.

e Apud Euseb. lib. 6. cap. 35.

dimisit, quàm hoc jurejurando eum obstrinxisset: (*illius enim verbis utar*) *Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* Cyprianus sermone de
a Para. 21. Lapsis: *a. Alius, qui & ipse maculatus, sacrificio a sacerdote celebrato, partem cum caeteris ausus est latenter accipere; sanctum Domini edere & contrectare non potuit: cinerem se ferre apertis manibus invenit.* Idem ser-
b Para. 13. mone eodem *b*: *A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, Domini corpus invadunt: & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negaverunt.* Nazianzenus etiam Iulianum exagitat, quòd ut quicquid sanctitatis in baptismo accepisset, elueret, victimarum se sanguine pollueret: & ut quid sanctitatis manibus inesset, quibus Eucharistiam accepisset, eas sacrificiis contamina-
c Pag. 90. ed. Morel. ret. Audiamus ipsum orat. in Iulianum *c*: Αἵματι οὐχ ὁσίῳ τὸ λουτρὸν ἀπορρύπτεται, τῇ καθ' ἡμᾶς τελειώσει τὴν τελείωσιν τὴν μύσους ἀντιθεὶς· καὶ τὰς χεῖρας ἀφαγνίζεται τῆς ἀναιμάκτου θυσίας ἀποκαθαίρων, δι' ἧς ἡμεῖς Χριστῷ κοινωνοῦμεν, καὶ τῶν παθημάτων, καὶ τῆς θεότητος. *Nefario sanguine lavacrum exterget, initiationi nostra execrabilem initiationem opponens: manusque suas profanat, ut nimirum eas ab incruento sacrificio, per quod nos Christo, ipsiusque passionibus & divinitati communicamus, elueret ac repurgaret.* Idem Nazianzenus Orat. fune-
d P. 187. edit. ejusdem. bri in laudem Gorgoniae, ubi de ea inquit, *d* Εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύριζεν. *Sicubi quippiam signorum pretiosi corporis aut sanguinis manus condiderat.* Cyrillus Hierosolymitanus
e P. 545. edit. Morel. an. 1608. Catech. Mystag. v. *e* Προσιὼν οὖν, μὴ τεταμένοις τοῖς τῶν χειρῶν καρποῖς προσέρχου, μηδὲ διῃρημένοις τοῖς δακτύλοις· ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι· καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ ἐπιλέγων τό, Ἀμήν. *Accedamus ad communionem, non expansis manuum volis accede: neque cum disjunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quandam, subjicias dextera, qua tantum regem susceptura est, & concavâ manu suscipe corpus Christi,*
f In Act. Apost. cap. 2. ver 44. *dicens, Amen.* Quo ex loco colligit Gaspar Sanctius *f*, Complutensis Theologus, antiquitus *fideles acceptam Eucharistiam non sacerdotis manu, sed suâ in os intulisse, atque solemne fuisse, ut de accipiendâ a sacerdote Eucharistia mos fuerit fidelibus praescriptus.* Ambrosius etiam
g In Histo. Tripart. l 9. cap. 30. apud Theodoretum *g* sic compellat Theodosium post caedem Thessalonicae patratam: *Quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat injustus? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus?* Chrysostomus homil. III. in cap. 1. ad Ephes. Πῶς παραστήσῃ τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, μιαραῖς χερσὶ καὶ χείλεσι κατατολμῶν αὐτοῦ τοῦ σώματος; Εἰπέ μοι, ἆρα ἂν εἵλου χερσὶν ἀνίπτοις τῇ θυσίᾳ προσελθεῖν; οὐκ ἔγωγε οἶμαι. ἀλλ' ἠθέλησας ἂν μηδὲ ὅλως προσελθεῖν, ἢ ῥυπώσαις χερσίν. εἶτα ἐν τῷ μικρῷ οὕτως ὢν εὐλαβής, ψυχὴν ἔχων ῥυπαρὰν προσέρχῃ καὶ ἅψασθαι τολμᾷς, καίτοι ἐκεῖ μὲν τῶν χειρῶν πρὸς καιρὸν κατέχεται, εἰς δὲ ἐκείνην ὁλόκληρος ἀναλύεται. *Quomodo stabis ad tribunal Christi, qui pollutis manibus & labris ad id audeas accedere? Dic mihi, velles ne illotis ad sacrificium accedere? Non opinor, sed malles potius omnino, non accedere, quam sordidis manibus. Et cùm inre parvâ sis adeo religiosus, sordidam & immundam habens animam, accedis & audes tangere? Atqui ad tempus quidem tenetur manibus: in illam autem totus & integer resolvitur.* Augustinus contra epistol. Petiliani lib. II. cap. XXIII. *Ego illum commemoro, cui pacis osculum inter sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis.* Quae satis ostendunt, verissimum esse quod scribit Beatus Rhenanus Annot. in Tertull. lib. De Corona Militis: *Satis liquere ex antiquorum lectione, Eucharistiam manibus laicorum olim attactam fuisse.* Imò & Ruardus Tapperus cogitur agnoscere, ex Cypriano & Ambrosio idem colligi posse.

Sic n. scribit T. 2. Art. XV. *a Praeterea historiam de Satyro fratre B. Ambrosii, quem corpus Domini secum in navi habuisse, testatur idem Ambrosius: ex quo simul, & ex sermone Cypriani de Lapsis, videtur, quod illis temporibus sanguinem Domini ex calice omnes bibebant, & quod* CORPUS DOMINI IIS IN MANUS DABATUR, *ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibique sumerent: ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent.* a P. 328.

THESIS V.

Et sanè consuetudo altera ingerendi panem in os, circa annum sexcentesimum demum, coepisse videtur, neque id aliunde quàm à superstitiosâ veneratione signorum, quae in εἰδωλολατρείαν *tandem evasit.*

Videri tamen possit jam Augustini aetate mos iste, plerisque saltem in locis, obtinuisse, ut ne mulier manu Eucharistiam attrectaret. Nam sermone CCLII. de Tempore haec legimus: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus. & omnes mulieres exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Sed sermones de Tempore magnam partem spurios esse, notissimum est. Sanè etiam Gaspar Sanctius in Actor. II. 44. verba ista à Baronio ait ex Maximo citari. qui tamen ea, non ut Maximi, sed ut Augustini adduxerat. Adde quod nec satis constat, ea Maximi illius Taurinensis esse. Verùm utcumque est de Augustini aetate; saltem diffiteri non possumus, ita fieri solere circa tempora Gregorii Magni. Nam de eo dubitare non patitur Canon XXXVI Concilii Antisiodorensis: *Non licet mulieri nudâ manu suâ Eucharistiam sumere.* Nempe videtur Concilium illud velle, ut feminae Eucharistiam in mundo linteo acciperent: quod linteum esse vocatum *Dominicale*, colligunt viri eruditi ex sequentibus Canonis XLII verbis: *Unaquaque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat. Quod si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Nec multò post tempora Gregorii ab aliquibus accipi in vasculis solet. Quae res coëgit patres Concilii, quod Constantinopoli in Trullo habitum est, adversus hanc superstitionem decernere Can. CI. *Siquis voluerit synaxis tempore communicare purissimo Christi corpore, is, antequam participet, manus in formam crucis figurans, sic adeat, & suscipiat gratiae communionem. Eos enim, qui* PRO MANU VASCULA *quaedam aurea, vel ex alia materia construunt ad susceptionem divini doni, & per illa immaculatam communionem recipiunt, nullo modo admittimus, ut praeferentes materiam inanimem, hominique obnoxiam, Dei imagini. Siquis sacerdos participes fecerit communionis hujusmodi vascula admoventes, excommunicetur & ipse, & qui haec infert.* Quando verò primùm publico decreto sancitum sit, ut nec à laicis manu acciperetur, quaeritur à doctis. Hospinianus *b* quidem primum id Conci- b Lib. 2. de re sacrament. pag. 33.
lio Rhotomagensi factum censet: è cujus cap. II. ista adducit: *Nulli laico, aut feminae Eucharistiam in manus ponendam, sed tantùm in os ejus.*

THESIS VI.

Si tamen in Ecclesiâ consuetudo obtinet, ut absque manuum ministerio cibus sumatur ore; dum absque superstitione fiat, tanti haec res non erit, ut eò circo Ecclesia turbari debeat: cum ἀναλογία, *sacramenti non in sumendi modo consistat, sed in sumptione ipsâ, quae permanet, seu manibus prehendas, seu ore percipias à ministro.*

Eadem

Eadem Clariss. Betæ sententia est: ut liquet ex epist. II. ad Tilium. Verba ejus eo libentius adferam, quia non de modo fractionis tantùm, sed de ipsâ etiam fractione loquuntur. Sic enim scribit: *Sentio gravissime, & in semet ipsos, & in fratres reliquos peccare, qui navn istis, aut etiam, si mavis, corruptelis istis & suas & aliorum conscientias non leviter perturbant, perinde ac si de Christianismo semel sublato ageretur.* Et mox: *Esto, vitiose hoc vel illud à nonnullis fiat, aut prætermittatur, an propterea Christiani non sunt, nec pro fratribus habendi? Nam certè* FRATRES NON *ducimus*, QUIBUSCUM *sacram communionem habere nobis nefas esse ducimus. At enim, inquiunt, sic videmur illorum peccatis communicare. Imò falsissima est hæc consecutio. Nec enim, ut ritè ad Cœnam accedam, scrutandum est mihi, quâ quisque conscientiâ ad eam mecum accedat, sed de meâ ipsius conscientiâ mihi laborandum est. Itaque & cum adulteris, & cum homicidis, & cum sceleratissimis quibusvis, modo nullâ meâ culpâ tales sint, si ad Cœnam castus & sceleris purus accessero, nihil illorum impuritas mihi nocuerit. Et quod de moribus dico, etiam de doctrinâ dico: quam interdum nec pastores satis purè tradunt; nec auditores satis rectè percipiunt.* Et post aliqua: *Verùm, inquient, ut non inquinemur eorum peccato, attamen fovere eorum errorem sic videbimur. Imò ne hoc quidem satis rectè dicitur. Quid enim absurdius est, quàm eum accusare tanquam alieni vitii fautorem, qui ut fratrem lucretur, ejus infirmitatem tolerat? Tibi non frangitur panis, sed integer datur; tibi in os, non in manus præbetur, nullâ tamen vel superstitione, vel impietate probabili. Laudari fateor id non potest, nec debet: at tu certè id peccatum non committis, quod in te potiùs committitur. Condemna igitur apud te, atque etiam, prout sese occasio offeret, reprehende, id, quo in te delinquit infirmus frater. Interim sedulo cave, ne quasi de Christianismi summa agatur, offensus resilias, & præposterâ tuâ severitate, illum quidem perdas & destruas; te ipsum autem oblato illo beneficio prives. Etsi enim non fractus, sed integer; non in manus, sed in os tibi panis ille non rectè datur: panis ille tamen, quem tibi datum recusas, & qui non satis rectè datur, Christi corpus est; & vinum quod oblatum refugis, Christi sanguis est, sacramentaliter videlicet: ut jam duplicis peccati, nempe & contristati infirmi fratris, & neglecti tanti boni crimine tenearis.*

THESIS VII.

Finis distributionis est usus sacramenti, qui in manducatione consistit. Ergo fine sacramenti excidunt, qui hostiam sive oblatam sumunt, ut in pyxide honorificè asservent.

Ex parte hoc etiam vidit Gabriel Biel in Can. lect.
a Lit. F. fol. 83. XXXVI a. *Remissio peccatorum plus fit per usum hujus sacramenti, quam per ipsum in se. Non enim tantum prodest in pyxide conservatum, sicut oblatum & sumptum in vera fide & devotione.* Caussam deinde subjicit, quia *Manducatio & potus hujus sacramenti est usus.* Quibus continuo subjungit: *Hinc & volens discipulos suos Christus fructus hujus sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione. Neque dedit discipulis, ut ipsum honorificè conservaret, sed dedit in suum usum, dicens, Accipite & manducate.* Et mox: *Ex his satis patet, quod consecratio ad usum, qui est ejus manducatio, tanquam ad finem quodammodo proximum ordinatur. Quia Christus, postquam accepit panem, benedixit, dedit discipulis suis, ut manducarent.*
b Fol. 90. Idem lectione XXXVIII. b *Ipsa enim consecratio non est simpliciter finis consecrantis, sed potiùs usus fidelium. Ad hoc enim consecratur corpus & sanguis, ut fideles eo utantur manducando, & manducantes capiti & membris fortius uniantur.*

THESIS VIII.

Interim non negamus, in veteri etiam Ecclesia obtinuisse reservationem Eucharistiæ, tum privatam, tum publicam: uti & delationem ad absentes, atque infirmos. Sed hæc delatio multum differt ab circumgestatione eâ, quæ ad ostentationem ac pompam in Romanâ Ecclesiâ fieri solet.

Concilium Tridentinum, cùm reservationis & circumgestationis morem è Scripturis probare non posset, solùm obtendit, quod consuetudo ea sit vetus. Verba ejus sunt ista a: *Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eu-* a Sess. 13. c. 6.
charistiam adeo antiqua est, ut eam seculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porrò deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & in hunc usum in Ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Videmus, ut à Tridentino Concilio ad Concilium Nicænum provocetur. Nempe propter ista canonis decimiquarti, vel ut alii numerant, decimioctavi verba: *Accipiant* (diaconi) *secundùm ordinem post presbyteros ab Episcopo, vel à presbytero, sacram communionem. Quod si non fuerit in præsenti vel episcopus, vel presbyter, tunc ipsi proferant, & edant.* Hinc colligunt, Eucharistiam antea ab Episcopo, vel presbytero, fuisse consecratam, & reservatam, ut in eorum absentiâ à diaconis proferri, & manducari posset. Sed posteriora hæc canonis verba, quibus efficeretur quod volunt, etsi legantur etiam in collectione Isidori Mercatoris; nec multum abeat Rufinus lib. I. cap. VI: tamen in nullis Græcis editt. inveniuntur, non illâ Tilii vel Justelli, non in Romanâ, vel aliâ ullâ. Etiam omisit ea Codex Romanus Moguntiæ editus anno CIↃ IↃXXV. & Gratianus dist. XCIII. cap. Pervenit. Quæ ostendunt, jure nobis verba ista suspectæ fidei videri. Interim negare nolumus, suppetere alia testimonia, quibus Eucharistiæ reservatio, atque ad absentes, vel infirmos delatio solidiùs probetur. Nam sub gentilibus imperatoribus, quia ob persecutionis periculum quotidie sacerdos haberi non posset, partem quidem Eucharistiæ præsentes manducabant, partem verò domum auferebant. Meminit ejusce moris Tertullianus lib. II. ad uxorem. Item Cyprianus serm. de Lapsis b. *Cùm quadam* b Paragr. 21.
(mulier lapsa) *arcam suam, in quâ Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire: igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Quod verò ob persecutiones primitùs concedebatur, id etiam temporibus pacatis, ob inveteratam consuetudinem, permissum fuit. Docet hoc nos illustris iste locus Basilii Magni epist. CCLXXXIX. quæ est ad Cæsariam Patriciam: Τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς ἀναγκάζεσθαί τινα μὴ παρόντος ἱερέως ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, μηδαμῶς εἶναι βαρὺ περιττόν ἐστι ἀποδεικνύναι, διὰ τὸ τὴν μακρὰν συνήθειαν τοῦτο δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων πιστώσασθαι. *Quoniam per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessariò, sacerdote vel ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum ut demonstrem, illam ipsam rem non esse graviter & inique ferendam, eo quòd inveterata consuetudo hoc ipsum reipsa confirmatum dederit.* Ubi ex eo, quod Basilius id graviter ferendum neget, non malè nobis colligere posse videmur, fuisse tum temporis qui graviter id ferrent, planeque putarent, cessante jam persecutione, etiam morem istum cessare oportere. Nec habet Basilius multùm quod opponat, præter consuetudinem longam. Nisi aliquid est, quod in Eremitis aliter fieri non possit. Continuò enim subjungit: Πάντες γὰρ οἱ κατὰ τοῖς ἐρήμοις μονάζοντες,

ζῶντες, ὅπου μὴ ἔστιν ἱερεὺς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν. *Nam & illi omnes, qui per eremum vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit sacerdotis, cum habeant domi communionem, de suis illam manibus percipiunt.* Exinde ait, eam etiam consuetudinem obtinere Alexandriæ, atque per Ægyptum: Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Ubi videmus, ut in Ægypto, non aliquos, sed unumquemque de plebe; nec aliquando, sed ut plurimùm ita facere dicat. Nec contentus est Basilius dicere, antiquum esse eum morem, ac passim obtinere, sed etiam addit, ratione optimâ esse subnixum. Nam sic ibidem scribit: Ἅπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος καὶ δεδωκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν ὡς ὅλην ὁμοῦ, καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων, καὶ ἀπαρεγχύτως πιστεύειν ὀφείλει. καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. ταὐτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. *Nam cum semel sacerdos sacrificium peragat & distribuat, qui susceperit illud integrum simul, & quotidie de illa sumserit, quam à dante acceperat sacerdote, credere debet & tenetur, nec injuriâ, se eandem suscipere & percipere. Nam & in Ecclesia ipsa sacerdos partem aliquam in manus tradit, & illam apprehendit, qui percipit, cum omni liberâ potestate, atque ita suis propriis manibus eandem suo ori admotam ingerit. Idem igitur, quoad potestatem est, sive quis de manu sacerdotis partem unam aliquam percipiat, sive partes simul quàm plurimas.* De Basilio satis: cujus verba etiam exscripsit
a T. 1. bibl. PP. edit. 2. col. 149 Anastasius Nicænus quæst. & resp. in scripturam XCIIII a. Basilio comitem addamus Nazianzenum, qui de Gorgoniâ, sorore suâ, testatur, ut ea manu recondiderit antitypa pretiosi corporis ac sanguinis Christi b, b P. 187. edit. Morell. Εἴ πού τι, inquit, τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν. Etiam ex Ambrosii oratione funebri de obitu fratris discimus, ut frater Satyrus in naufragii periculo perfectus sacramentum fidelium, ipse necdum initiatus, poposcerit, eoque accepto, illud orario illigarit, orariumque collo involverit, cumque hâc fiducia in mare se dejecisset, salvus evaserit. Quæ sanè argumento sunt, ut fideles sacramentum Eucharistiæ domum deferre, atque in periculoso itinere gestare secum soleant. Meminit etiam sacramenti domi manducati Hieronymus apologiâ
c P. 128. eme. Basil. an. 1553. pro libris adversus Jovinianum. Verba ejus sunt c: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo. Unusquisque enim in suo sensu abundat. Sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant, &, juxta Persium, noctem flumine purgant, quare ad martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est, & tenebræ quoque lucent apud Deum.*

d P. 143. edit Basil an. 1536. Cæterum, quàm mos iste non ab omnibus probaretur, indicare videtur locus ille Origenis in Levit. cap. VII d. *Dominus panem, quem discipulis dabat, cùm dicebat, Accipite, & manducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum.* Apertissimè verò idem ostendit Concilium Cæsaraugustanum: quod malè in Hormisdæ tempora refertur, cùm ætate Damasi habitum sit, puta anno CCCLXXXI. Eo in Hispaniis morem istum esse abrogatum, ostendit canon III: *Eucharistiæ gratiam siquis probatur acceptam non consumsisse, anathema sit in perpetuum.* Idem repetitum Concilio Toletano I. quod anno habitum quadringentesimo. Verba canonis XIV. sunt: *Si quis acceptam Eucharistiam non sumserit, velut sacrilegus propellatur.* Ex quibus falli liquet Gasparem Sanctium, Theologum Hispanum, cùm Hormisdæ demum
e Comment. in Act. Apost. c. 2. tempore, h. e. circa annum DXX. morem istum damnatum fuisse arbitratur e. Atque hæc de privatâ asservatione.

Præterea moris erat, ut Eucharistia publicè à sacerdote custodiretur, quò ad ægrotum extra ordinem deferretur. Docet hoc historia de Serapione lapso, sed pœnitente, qui cum sine Eucharistia mori non posset, eâ à Dionysio Alexandrino episcopo, per puerum transmissâ, inque fauces admissa, confestim spiritum Domino reddidit. Eusebium vide lib. VI. hist. Eccl. cap. XXXVI. Etiam Gratianus a tan- a De Consecr. dist. 2. cap 94.
quam ex Concilio Arelatensi citat hunc canonem: *Qui non benè custodierit sacrificium, & mus vel aliud aliquod animal illud comederit, XL. dies pœniteat: qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars ejus ceciderit, nec inventa fuerit, XXX. dies pœniteat.* Quanquam cùm verba ista in nullo Arelatensium conciliorum hodie legantur, ac ne quidem sapiant ætatem illam, quâ vetera illa quæ extant Arelatensia habita sunt: sanè non est, quod istis æquè, ac illo Serapionis exemplo, urgere quemquam possimus. Cæterùm morem istum, etsi propter ea, quæ de Serapione diximus, veterem sanè esse, negari non possit: tamen non antiquus æquè, ac privata asservatio esse videtur. Nam cùm quotidie facta fieret Synaxis, nihil attinebat Eucharistiam reponi, sed poterat ea, quo tempore Cœna publice administrabatur, ad ægrotos, atque alios qui adesse non possent, mitti per diaconum. Id Justini Martyris tempore fieri solere, docet ipse Apologiâ II. pro Christianis b: Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, b Pag. 76. edit. Commel.
διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. Et post pauca c, Καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ c Pag. 77.
τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. At dicat aliquis, saltem reliquias cœnæ fuisse adservandas. Sanè non negamus: sed reliquias istas ad ægrotos jam tum missas fuisse, ostendi non potest. Potiùs credimus, postridie iis usos esse, cum cœnam iterum celebrarent. Posteriori verò ætate, cùm quotidiana communio locum non haberet, vel igni tradi, vel à pueris absumi solent. Concilio enim Matisconensi II. (quod anno habitum DLXXXVIII.) can. VI. statuitur in hunc modum: *Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam missam in sacrario superséderint, quartâ vel sextâ feriâ innocentes ab illo, cujus interest, ad ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Hesychius, qui circa annum sexcentesimum vixit (planè enim falluntur, qui Nazianzeni discipulum faciunt) in Levit. cap. VIII. d *Hoc, quod* d Fol. 46. l.
reliquum est de carnibus & panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in ecclesiâ fieri, ignique tradi, quæcunque remanere contigerit inconsumta. Ejusdem ætatis scriptor Euagrius Scholasticus lib. IV. cap. XXXV: *Vetus consuetudo imperialis urbis* (Constantinopoli) *fuit, ut siquando multa admodum particula puri & immaculati corporis Christi, Dei nostri, superessent, pueri investes* (παῖδες ἄφθοροι) *qui scholas frequentabant, arcesserentur, eaque manducarent.* Quem ritum, uti & quæ deinceps de puero Judæo narrantur, more suo exscripsit Nicephorus lib. XVII. cap. XXV.

Ex his, quæ de privatâ & publicâ asservatione diximus, non obscurè cognoscimus, quàm parum ritus ille antiquus Pontificios juvet. Nam didicimus ex Basilio, ut privata asservatio ob persecutiones fuerit concessa. Quæ cùm nunc cesset, nec asservatio ea locum habere debet. Præterea si non levibus de caussis prius fuerit permissa, sanè Cæsaraugustano & Toletano Concilio non minores ob caussas fuit abrogata, ut itidem videmus. Quod verò ad publicam asservationem ac delationem attinet, ut de eo nihil dicam, quod nec ubique, nec semper obtinuerit, sanè quibus locis vigebat, iis saltem pro more libero habebatur, non necessario: contrà quàm facit synodus Tridentina. Cujus hæc verba sunt e: *Quare sancta hac Synodus retinendum omnino salutarem hunc, & NECESSARIUM* e Sess. 13. cap. 6.
MOREM statuit. Denique in Ecclesiâ veteri reservabatur quidem Eucharistia, & ad ægrotum deferebatur: sed utrumque fiebat, ut sumeretur & manducaretur. At

in Romanâ Ecclesiâ circumgestatio fit ad ostentationem & pompam, aut ad incendia, tempestates, aliaque mala averruncanda: etiam in adoratione ejus peculiaris cultus est institutus: quæ commenta veteris Ecclesiæ sapientiam fugerunt. Nam quod Andradius ex Irenæi ad Victorem epistolâ probare conatur, Eucharistiam Româ in Asiam usque fuisse missam, quod non sine pompa factum esse arbitratur: id ex Irenæi verbis nullâ arte exsculpi potest. Ut qui tantùm dicat, Episcopos Urbis, qui ante Victorem fuissent, etsi ab Asiaticis in celebratione paschatis dissentirent, concordiam tamen cum his coluisse, atque ad ejus testationem non minùs dissentientibus Asiaticis, si Romam venirent, quàm præfectis Ecclesiarum, quæ cum Romanis consentirent, Eucharistiam transmisisse. Quid enim clarius istis Irenæi verbis? Ἐξέπεμπον τοῖς αὐτὴν ἐπιτηροῦσιν εὐχαριστίαν. Cum Asiaticis igitur Romæ agentibus, non in Asiâ permanentibus, communicatum esse dicit Irenæus, & ex eo Eusebius: quem videsis, lib. v. cap. XXIV.

DISPUTATIO VIGESIMASECUNDA

QUÆ EST QUARTA

DE

SACRIS COENÆ DOMINICÆ SYMBOLIS.

THESIS I.

De pane Domini, & ejus benedictione, fractione, distributione, ac manducatione satis dictum. Venio nunc ad alterum symbolum, quod vinum esse, inde cognoscimus, quia illud γέννημα τῆς ἀμπέλου disertim appellet Christus Matth. XXVI. 29. *& Luc.* XXII. 18.

a Paragr. 6. Hoc ipso argumento idem probant Cyprianus epist. LXIII. ad Cæcilium *a*, Chrysost. in Matth. homil. LXXXIII. & ex eo Concilium Trullanum can. XXXII. similiterque Gennadius de dogm. Eccl. cap. LXXXV. atque alii. Mirum verò in re adeò liquidâ aquam hærere Bellarmino. Sic enim scribit lib. IV. de Eucharistia cap. X. *Quid in calice fuerit ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aquâ mixtum, an sicera, AN AQUA SOLA, ex solâ Scripturâ expresse non habetur: sed necessariò recurrendum est ad eorum traditionem, qui ab Apostolis, & eorum discipulis, hæc mysteria didicerunt.*

THESIS II.

Damnamus igitur Tatianos sive Encratitas, & Hydroparastatas sive Aquarios: qui temperantiæ prætextu vinum refugiebant, ac loco ejus aquam solam in hoc sacramento usurpabant.

Vide Epiphanium hær. XLVI. Philastr. hæres. LXXVII. Augustinum hæres. LXIV. Theodoretum lib. I. hæret. fab. cap. de Tatiano, Nicetam Choniatem lib. IV. Thesauri Ort. Fid. cap. XIV. ubi Marcionistis eundem tribuit errorem. Etiam Concilio Trullano can. XXXII. legas, τῆς

b Fol. 18. juris Græco-Roma. πηγῆς τῆς ὑδροπαραστατῶν αἱρέσεως παλαιᾶς. Et in Epitome S. Canonum Sect. II. Tit. II. *b* Εἴ τις ὕδωρ μόνον, ὡς οἱ ὑδροπαραστάται, ἢ οἶνον, ὡς οἱ Ἀρμένιοι, ἀλλὰ μὴ οἴνῳ ὕδωρ μιγνὺς, ὅτε τὴν ἄχραντον προσάγει θυσίαν, καθαιρείσθω. Sed de Armeniis dicemus Thesi VII.

THESIS III.

Quæritur autem, an quibus locis vini usus non est, his, quod vini illic loco bibi solet, pro symbolo Dominici sanguinis possit usurpari. Quamquam verò non ignari simus, quantopere, hoc qui dicere sustinent, exagitentur à multis, tamen, quia veritatis quàm hominum istorum potior haberi ratio debet, ingenue profitemur, nos planè in eam sententiam inclinare. In hoc verò latus nos ea propellunt, quæ de panis materie superius diximus.

Ut alios mittam, Jacobus Gaulterius, Societatis Jesu Theologus, lib. I. Tabulæ Chronologicæ *a*, scribere non a Pag. 18.
veretur, *doctrinam hanc habere cognationem cum diabolicis materiæ Eucharisticæ mutationibus, quas olim invexere Gnostici, Montanistæ, Artotyritæ, Aquarii à Deo & Ecclesiâ reprobati.* Quam cognationem videre non possumus; quippe qui fateamur, symbola vulgaria retineri debere, si haberi possint, contra quàm Aquarii, & similes existimarunt. Quare planè propendemus in eam sententiam, quam amplexi fuerunt Theologi Genevenses. Hanc Bezæ verbis referre non dubitavit Gaulterius, ut eam rideret. Nos contrà adducemus, quia non indignam putamus, quæ etiam hic legatur. Locus est apud Bezam epist. XXV. *Rogatus piæ memoriæ vir D. Calvinus à Fratribus, qui tum in Americâ erant, ubi nullus est vini usus, liceretne pro vino, uti in Cœnâ Domini, vel aqua simplici, qua plerumque illic utuntur, vel alio illic non inusitato potionis genere: respondit, fuisse in hoc instituendo sacramento consilium, ut spiritualis alimonia, id est sui ipsius κοινωνίαν, nobis sub communis cibi ac potus symbolis repræsentaret: ac proinde, si non fuisset tum in Iudæa communis vini usus, proculdubio alia vulgari potione usurum fuisse,*

fuisse, quod ex ipsius scopo ac consilio liqueat. Itaque nihil a Christi consilio ac voluntate alienum facere videri, qui non contemtu, neque temeritate, sed ipsâ NECESSITATE ADACTI, *pro vino aliud in iis regionibus usitatæ potionis genus usurparent. Hoc D. Calvini responsum, ut optima ratione nixum, & Christi consilio consentaneum, noster cœtus adeo comprobavit, ut eos superstitiose facere censuerit, qui à vini symbolo usque adeò penderent, ut alteram Cœnæ partem omittere mallent, quàm ἀνάλογον aliud symbolum, ita* COGENTE NECESSITATE *usurpare.* Deinde, quia objici poterat, aquæ in simili potione non inesse ἀναλογίαν illam, ut ex multis acinis confiat, ad mutuam conjunctionem testandam: ad hoc respondet, *Non esse quidem negligendam, at non tamen adeo præcise urgendam analogiam panis ex multis granis, & vini ex multis acinis confecti: sed ad illam mutuam conjunctionem testificandam sufficere, quod iisdem in genere symbolis, nempe cibo & potu, utamur, eandemque fidem testificemur.* Posthæc ad quæstionem propositam de abstemiis, qui nec absque animi deliquio odorem vini ferre possent, ita respondet: *In hac quæstione eandem valere rationem arbitramur, si modò is, de quo agitur vel minimam vini degustationem ferre nequit: ut videlicet, potiùs quàm integram cœnam non peragat, vel aqua, vel alia sibi familiari potione utatur: neque dubitet, tam sibi sub hoc potu, quàm sub vino sanguinem Christi communicari, cum promissio sit generalis, & ad omnes fideles spectet. Tantum addimus & illud, commonefaciendum esse cœtum rei istius, ne quis infirmus offendatur.* Similiter verò sensit Philippus Melanchton, qui libro de usu integri sacramenti scribit, Ruthenos ob vini inopiam rectè facturos, si pro eo usurparent τὸ ὑδρόμελι, hoc est aquam mellitam seu medonem. Hic tamen Bellarminus *a*, *Sed quis, inquit, dedit Philippo auctoritatem mutandi sacramentorum materiam?* Quasi Christus non universè utilitatem potus, sed particulatim vini proprietatem in institutione Cœnæ respexerit. Mox idem Bellarminus subjungit: *Quanto sapientius Ecclesia* (Romana) *non mutat sacramentorum materias: sed incommodo illi medetur, unam speciem tantum populis ministrando!* Atqui divisionem sacramenti, quam Bellarminus vocat sapientiam, hanc Gelasius Papa, qui circa annum vixit quingentesimum, grande sacrilegium appellat: ut inferius ostendemus.

a Lib. 4. de Eu bar. cap. 24.

Thesis IV.

Præterea quæstio est, an vinum aquâ dilui sit necesse. De quo triplex est sententia. Una Romana Ecclesia, altera Armeniaca, tertia Reformata. In Pontificiorum sententia tria spectantur. Nam est in quo conveniant, & inter se, & cum nostris. Est in quo conveniant inter se, sed non cum nostris. Est in quo etiam differant inter se. Conveniunt nobiscum in eo, quod vinum aquâ dilui non sit necessarium necessitate sacramenti: Et illos, & nos movet, quia nisi etiam citra dilutionem verum foret sacramentum, omnino aquæ mentionem fecissent Euangelistæ.

B. Bernardus Clarævallensis epist. LXIX. ad Guidonem Abbatem, tum alterius cujusdam, tum suam etiam sententiam exponit, his verbis: *Ajunt tamen nescio quem alium fuisse scriptorem, non posse videlicet absque tribus, id est pane, vino, & aquâ, hoc sacrificium esse, ita ut si quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de hujusmodi quisque in suo sensu abundet.* Et post aliqua: *Nec nego panem & vinum aquâ quidem mixtum simul debere apponi: quin potius assero, haud aliter debere fieri. Sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, est, quod caussamur, non benè quicquam fieri, & aliud quod mentimur nec fieri.* Similiter Lombardus in IV. Sentent. Dist. XI. *Siquis non intendens hæresin introducere, oblivione vel ignorantiâ aquam prætermiserit: non videtur esse irritum sacramentum; sed ille est graviter corripiendus.* Vide & quæ ibi Scholastici notarunt: item Thomam in 1 Cor. XI. ubi ait, *Potest vinum consecrari absque aquâ, licet peccet, qui sic consecrat, non servans ritum Ecclesiæ.*

Thesis V.

Conveniunt inter se, & differunt à nostris in eo quòd dicunt, dilutionem esse necessariam necessitate præcepti, saltem Ecclesiastici.

Ita Thomas, & Scholasticorum alii, locis, quos antè indicavi. Probant autem sententiam suam, quia ita statuerit Alexander Papa, uti præter Gratianum testatur Concilium Triburiense cap. XIX. & Micrologus cap. X. atque alii: item quia variis conciliis ita sit decretum: uti synodo Carthaginensi III. (cui & Augustinus interfuit) can. XXIV. & Oecumenicâ VI. can. XXXII. Trullano, quo & Jacobus in Liturgiâ ita fecisse, & Concilium Carthaginense jam dictum idem statuisse dicitur. Item Concilio Bracarensi III. cap. I. Wormatiensi can. IV. & Triburiensi can. XIX. ut de Florentino & Tridentino nihil dicam, nec item de canonibus multis, qui leguntur apud Gratianum de consecrat. dist. II. Etiam Patrum multos laudant, non tantum ψευδολογουμένους, ut Clementem Romanum lib. VIII. Constitut. cap. XVII. sed etiam genuinos; quorum plusculos inferiùs adducemus.

Thesis VI.

Dissentiunt verò in eo, non tantùm à nobis, sed etiam à se ipsis, quod quia Christus, ut putatur, vinum diluit, & in sacramenti institutione dixit, Hoc facite: *eò aliqui eorum dilutionem hanc esse velint præcepti divini.*

Christum ipsum præcepisse, ut aqua vino misceatur, sensit Cyprianus epist. LXIII. ad Cæcilium *a*: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo* DOMINICA TRADITIO *servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Videntur idem voluisse Patres Concilii Carthaginensis III. can. XXIV. *Ut in sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum.* Hanc sententiam esse magis probabilem, quàm illa, ut solùm Ecclesiastici sit præcepti, censet Gregorius Valentin. Disputat. VI. Quæst. II. de Eucharistiæ materiâ Punct. I. qui & addit: similiter sentire Hosium in Confessione Polonicâ cap. XIV. & Alanum lib. I. de Eucharist. cap. XIII. idemque insinuare Scotum in IV. dist. XI. quæst. VII. & Scotum dist. IX. quæst. I. art. VI. etsi ab aliis pro contrariâ sententiâ citari solent.

a Parogr. 2.

Fundamentum hi sententiæ suæ ponunt exemplum Christi, quem diluisse vinum tradunt Justinus, Irenæus, & alii veterum, quos inferius adducemus. Constat autem Christum dixisse, *hoc facite.* Unde colligunt, præcepisse eum, ut similiter nos vinum diluamus. Interim Concilium Tridentinum *b* contentum est dicere, Ecclesiam hoc præcepisse. Nempe quia certum non est, an etiam sit præcepti divini. Sanè Ecclesiastici tantùm præcepti esse, probabilius videtur etiam Durando in IV. Sent. dist. XI. quæst. V. *Dicendum*, inquit, *est, quod aqua miscenda est vino. Ejus tamen mistio non est de necessitate sacramenti, sed de congruitate.* Et post aliqua:

b Sess. 22. can. 7.

Con-

Congruitas fortè est ex solâ institutione Ecclesiæ. Similia apud alios legas.

THESIS VII.

Atque hæc dicta sunto de sententia Ecclesiæ Romanæ Contrà Armenii arbitrantur, Cœnam esse mero vino administrandam.

Apparet hoc non tantùm ex concilio Florentino: sed etiam Oecumenicæ Synodi VI. can. XXXII. Trulla-
a Fol. 567. no, & Theophylacto in Ioan. cap. XIX. *a* ubi ait, Αἰχμαλωτίσωσιν Ἀρμένιοι, οἱ μὴ παραμιγνῦντες ὕδωρ τῷ οἴνῳ ἐν τοῖς μυστηρίοις. Eandemque Græcis sententiam tribuit Innocentius III. lib. IV. de myst. cap. XXXII. Uti & Guido Carmel in Catal. Hæret. Scotus in IV. dist. XI. Durantus Mimatensis Rationalis sui lib. IV. cap. XLII. paragr. 9. Durandus de S. Porciano IV. dist. XI. quæst. V. atque alii. At neque Græcorum veteres, neque juniores ejus fuisse sententiæ, rectè monet Ca-
b In 4. sent. dist. 11. art. 6. jetanus *b*. Sanè Bellarminus ipse Innocentium III. haut aliter potuit excusare, quàm si ab eo per Græcos intelligi diceret Orientales, quos inter sunt Armenii. Deceptus verò est Innocentius a Lombardo, qui lib. IV. sent. Dist. XI. scripserat: *Græcorum Ecclesias non apponere aquam dicitur.*

THESIS VIII.

Nunc cum istis conferamus, quid Ecclesiis reformatis, quas sequimur, verius videatur. Ac de eo quidem litem Pontificiis non intendimus, quòd Christum aiunt miscuisse vinum. Nam satis illud verisimile est, cùm Orientis vina generosa sint, & calida. Illud etiam non diffitemur, Ecclesiam veterem usam esse vino mixto. Nempe quia post Cœnam eodem vino celebrarent Agapas suas, ansam dare gentibus noluerunt, quasi mero ad ebrietatem uterentur. Præterea agnoscimus, ritum hunc à patribus exponi ἀλληγορικῶς, quasi per aquam populus, per vinum Christus, per amborum mistionem unio populi cum Christo significetur. Vel quasi per vinum & aquam significentur sanguis & aqua, quæ ex Christi latere profluxerunt. Nihilominus negamus, certò constare, an Christus miscuerit vinum. Addimus illud, ut verum sit, quod verisimile esse concessimus: non tamen consequi, adhibuisse aquam, ut rem ad sacramentum necessariam, ac proinde nec posse ostendi, Christum exemplo suo præscribere quicquam voluisse: præsertim populis illis, quibus non sint vina adeo fortia, ut misturâ ullâ in communi vita sit opus. Quodque ad ἀλληγορικὰ veterum interpretamenta attinet, putamus illa non ineleganter, sed tamen parum solidè dici. Nec veteris Ecclesiæ consuetudinem præscribere his temporibus arbitramur. Est enim res in se ἀδιάφορος, eoque Ecclesiæ hodie non tantum jus illud habent, ut mero illis uti in Eucharistia liceat. sed verò, postquam ritus miscendi necessarius haberi cœpit, prudenter merum præferunt, ut suam in talibus libertatem ostendant. Quemadmodum & si meraci necessitas statui cœperit, melius fortasse ad mixturam redeatur. Vel, quod non minus probemus, his quidem locis merum, aliis mixtum præferatur, ut liqueat omnibus, Ecclesiam ejusmodi ritibus minimè alligari.

Quàm mos sit vetus aquam vino miscendi, docere nos potest Iustinus Martyr, Apolog. II. ubi in Cœnæ descriptione meminit apertè τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος. Atque ab eadem caussa est, quòd Irenæus, lib. IV. cap. LVII. vocat *temperamentum calicis*: quòd item lib. V. cap. II. scribat, *Quando* MISTUS CALIX, *& fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* Etiam fusè de hoc Cyprianus epist. LXIII. ex quâ superius quædam adduximus. His adde Iulium, urbis Episcopum, apud Gratianum *a*, Basilium in Liturgia *b*, Gregorium Nyssenum Orat. Catecheticâ cap. XXXVII, Ambrosium lib. V. de Sacramentis cap. I. Chrysostomum in Liturgiâ *c*, Incertum sub Hieronymi nomine in Marcum cap. XIV. 18. Augustinum lib. IV. de doctrinâ Christianâ cap. XXI. Proclum de tradit. divinæ Liturgiæ *d*, Theodoretum Dialog. I. *e*, Cæsarium Arelatensem sive Eucherium Sermon. V. in Pascha *f*, Martinum Bracarensem in Collect. Can. Orientalium cap. IV *g*, Bedam in Luc. lib. VI. cap. XXII. Damascenum lib. IV. cap. XIV. Rabanum Maurum de Instiut. Cler. lib. I. cap. XXXIII. Paschasium de Sacram. Euchar. cap. XI. Micrologum Eccles. Observat. cap. X. Algerum de eodem lib. II. cap. IV. Nicephorum Callistum lib. XVIII. cap. LIII. ut Lombardum mittam, & Scholasticos qui ad eum scripserunt.

a D. Consecrat D. 2. C. Cum omne.
b In Liturgiis Patrum Gr. Mor. edit. a. 1560 p. 57.
c In iisdem edit. Lat. pag. 73.
d In iisdem Gr. pag 1.
e Fol. 8. a. ed. Ro. Gr.
f In homiliis Eusebio Emisseno tributis fol. 82. edit. Lovan. a. 1560.
g Tom. 2. Concil. post conc. Bracarense 2.

Non desunt tamen viri docti, qui morem hunc improbatum fuisse censeant concilio Aurelianensi IV. quod circa annum DXLV. habitum esse, rectè colligunt Baronius *h*, Binnius *i*, & Sausejus *k*. Ejus canon quartus sic legitur in editionibus antiquis: *Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod fructu vineæ speratur, & hoc sine aquâ mixtum offerre præsumat, quia sacrilegium judicatur, aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Sed quid est offerre vinum, mixtum quidem, at sine aquâ? Num fortè canon is jubet sicerâ aut zytho miscere? nugæ. Mihi planè corruptus is locus videtur. Aliquando conjectavi, Patres scripsisse alterutrum: vel sic, *Et hoc sine aquâ offerre præsumat*, ut deleatur vox *mixtum*: vel hoc pacto. *Et hoc aquâ mixtum offerre præsumat*; ut deleatur præverbium *sine*. Posteriores conciliorum editores reposuerunt ἁπλῶς, *aquâ mixtum offerre præsumat*, inductis istis, *& hoc sine*: nec omissionis istius verbo nos admonent, ac ne veterem quidem lectionem ad oram apponunt. in quo jure candorem eorum requiro. Nec magis probare possum fidem Caranzæ, qui quartum canonem planè præterit, eumque qui quinctus est facit quartum. Sanè hæc res majorem etiam suspicionem injicere possit, quasi antiquitùs scriptum fuerit, *Et hoc sine aquâ offerre præsumat*: librarius autem, cùm receptæ id consuetudini, & canonibus multis sciret repugnare, reposuerit contrarium *Et hoc aquâ mixtum offerre præsumat*: unde inscitiâ aliorum postea utraque lectio, non sine ἀντιλογίᾳ, in unum sit conflata, ita uti Quentelii editio expressit. Sanè ita dici debet, si placet, Aurelianenses Patres statuisse, ut sine aquâ vinum offeretur. Sed quando cogito, quàm antiqua, & ut ubique recepta hæc consuetudo fuerit miscendi vinum, non possum in animum inducere, ut contrarium statuerint Aurelianenses. Præsertim cùm nemo veterum ejus rei meminerit. Quare planè existimo, aliter huic loco medicinam fieri debere: & de hoc cogitanti non infeliciter sub manu emendatio processit: nempe si pro *sine* legendum dicamus *nisi*: ubi facilè peccari potuit, partim quia vix aliud quàm literularum duarum trajectio est, partim quia *nisi* alterutrum antecesserat, quod non debere repeti putavit librarius. Nec enim usquam sæpius peccari solet, quàm ubi vox eadem reponitur, ut norunt, qui codd. MSSos tractarunt. Vera igitur lectio talis erit: *Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc nisi aquâ mixtum offerre præsumat.* Quod si in mentem venisset conciliorum editoribus, puto, non ad artes eas se convertissent, quibus suspectos se reddant viris bonis. Nam quid hic opus? cùm nihil eo canone statuatur, vel consuetudini Ecclesiæ Romanæ, vel veteribus canonibus repugnans.

h Eccl. An. ad an. 545.
i Tom. 2. Con.
k Aurelianens. Annal. ad a. 545.
l Ut Quenteliana an. 1538.

Nihilo magis mos iste (quamquam aliter quibusdam video esse persuasum) sacris adversatur Scripturis: quippe in quibus mixto, an immixto usus sit Christus, nusquam indicatur. Quare non damnamus morem veterem: sed eorum improbamus sententiam; qui irritum esse sacramentum arbitrantur, si merum bibitur. Quam Julii Papæ *a* sententiam fuisse, ait Kemnitius *b* propter hæc ejus verba: *Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur.* Ratio verò antecesserat ista: *Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Quibus gemina apud Cyprianum legas epist. ad Cæcil. Sed videntur Cyprianus & Julius, cùm dicunt, si aqua absit, populum incipere esse sine Christo, non intelligere hoc de reali conjunctione, quæ fit per Spiritum Sanct., sed tantùm de mystica significatione, quam censent perire, nisi aqua vino addatur. Quare quod uterque dicit, *non posse* esse calicem Domini sine aquâ, videtur hoc exponi debere de potestate juris, quomodo & accepit Lombardus *c*. *Quod*, inquit, *supra dictum est, non posse vinum solum offerri, determinari oportet. Recipit enim exceptionem, Non potest, nisi simpliciter, vel ignoranter fiat: vel, Non potest, id est, non debet.* Continuò verò subjungit, *Quibusdam tamen videtur hoc generaliter verum.* Unde liquet, fuisse alios, qui absque aquâ putarent non esse sacramentum. Quod etiam liquet ex Bernardi *d* verbis superiùs adductis. Interim idem judicat Bernardus ac Lombardus. Cui etiam favet Durandus de S. Porciano *e*: *Quod*, inquit, *dicit Cyprianus, quod calix Domini non potest esse, nisi utrumque misceatur, glossandum est, sicut Magister glossat in literâ, Non potest, i.e. non debet.*

a *Apud Gratianum de Consecrat. dist. 2. Can. cum omne.*
b *Exam. Conc. Trid.*
c *4. Sent. Dist. 11.*
d *Epist 69 ad Guidonem.*
e *In 4. Sent. Dist. 11. qu. 5.*

Cur vero non debeat calix sine aquâ bibi, triplicem rationem adducit Concilium Tridentinum. Verba ejus sunt: *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesiâ sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aqua in Apocalypsi Beati Johannis, populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* Ubi prima ratio est, quia Christus Dominus aquam vino miscuisse credatur. Sanè cum in Oriente vina sint generosa, verisimile est, quod homines temperantes facere solent, qui vinum miscent, unde & pincernis nomen (ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν τὸ οἶνον) id etiam Christum fecisse. Sed tamen hoc è Scripturis probari non posse, agnoscit etiam Bellarminus lib. IV. de Eucharist. cap. x. Operæ etiam est audire, ut huic argumento occurrat Durandus de S. Porciano: *a Prima congruitas non est multum apta, quia si Christus apposuit aquam vino propter vini fortitudinem, sicut cæteri sobrii homines, non convincit propter hoc, quod illi qui celebrant de vino debili ponant aquam nec bibendo, nec celebrando. Item si Christus aquam posuit, illa appositio multum differt ab appositione, quâ utitur Ecclesia. Quia quantumcumque esset in vino prius aqua apposita, sive in dolio, sive in vase alio, cum in illâ parte vini, quæ ponitur in calice, semper ponitur aliquid modicum aquæ: quod autem Christus sic apposuerit aquam, satis est incertum, imò forte toti vino à principio Cœnæ fuit aqua apposita more quorundam hominum & quarundam regionum, in quibus non venditur vinum purum, sed aquâ mistum, vel temperatur antequam in mensâ ponatur: unde congruitas secunda videtur aptior, quàm prima: & forte est ex sola institutione Ecclesiæ.*

a *In 4. dist. 11. qu. 5.*

Altera synodi Tridentinæ ratio est, quia è latere Christi non sanguis tantùm, cujus vinum symbolum est, profluxerit: sed etiam aqua. Verùm non quicquid in passione Domini cernere erat, hoc aliquid in sacramento habet, per quod significetur. Adde quod vetustiores concinnius putarunt aquâ baptismum, Eucharistiam sanguine denotari. Interea fatemur, eodem argumento niti Cyprianum. Quem secuti Walafridus, Micrologus, Paschasius: item Concilium Wormatiense, & Tiburiense, locis quibus antè diximus: & si Gratiano *b* credimus, ante hos omnes Alexander Papa, his verbis: *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum offeratur, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legimus.* Ubi cum utrumque dicit è latere fluxisse, intelligendus est κατὰ μετωνυμίαν signi, quæ in sacramentis usitata est. Unde glossa ibidem, *Utrumque, id est utriusque significatum.*

b *De Consecrat. dist. 2. Can. In Sacramentorum.*

Tertia Tridentini Concilii ratio est, quia aquæ unione cum vino significetur populi unio cum Christo: quod etiam legitur apud eundem Gratianum *c*. Sed etsi per aquas interdum populum significari fateamur ob apertissimum locum Apocal. cap. XVII. 15. negamus tamen id satis esse ad ritum aliquem inde exstruendum: quando, ut dici solet, symbolica Theologia non est argumentativa. Tamen diffiteri non possumus, ficulnâ hac machæra pugnare veterum non paucos, ut Cæsarium sive Eucherium, Rabanum, Paschasium, alios, etiam Græcorum, ut ex cap. LV. collectionis canonum à Martino Dumiensi sive Bracarensi facta videre est.

c *Ibidem Can. Cum omne.*

DISPU-

DISPUTATIO VIGESIMATERTIA
QUÆ EST QUINCTA
DE
SACRIS COENÆ DOMINICÆ SYMBOLIS.

THESIS I.

TERTIA de altero Dominica Cœna symbolo quæstio est, an cummunio sub utraque specie necessaria sit. De hoc ita statuimus, fidelium nullos ab usu calicis debere secludi. Atque ut ita sentiamus, compellit institutio Christi, qui, quos jusserat manducare, eos bibere omnes jussit. Bibite, *ait*, ex hoc omnes.

At, inquiunt *a*, dixit quidem Christus, *Bibite omnes*: sed illud OMNES restringi debet ad Apostolos, quos alloquitur solos. Quod sanè non dicerent, si cogitarent, Apostolos istic Ecclesiam totam repræsentare. Nam hinc consequitur, *τὸ omnes* universè ad omnes fideles pertinere: quemadmodum veteres uno ore docent. Etiam Paschasius: *b Accipite*, inquit, *& bibite ex hoc omnes, tam ministri, quàm & reliqui credentes. Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti.* At frustra est Johannes à Lovanio, & qui eum sequitur Bellarminus *c* quando pro *bibite* reponunt *edite*. Nam ratio, quæ de calice additur, reclamat. Urgent, quod de pane proximè antecesserit, *Hic solus est, qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens.* Sed quid dicent, si unam dicamus voculam excidisse? Nempe ut legatur *Accipite, edite, & bibite*. Sic sanè scribendum putamus, & speramus, hanc emendationem nostram probaturos, qui quàm sic aptè cohæreant omnia, cogitabunt.

a Ruardus T. 2. pag. 359. & 361. Costerus in Enchir. cap. 14.
b Lib. de corpore & sanguine Domini cap. 15.
c Lib. 4. de Euchar. cap. 26. ad 16.

Nulli igitur dubium esse debet, quin quamvis soli essent præsentes Apostoli, tamen finis fuerit Christi, præscribere Ecclesiæ rationem administrandi Cœnam, quam servari vellet, usque dum venerit ad judicandum. Quod nisi nobiscum fateri Pontificii volent; unde quæso comprobabunt, priorem Cœnæ partem, hoc est, manducationem panis, ad laicos pertinere? præsertim cùm in eâ non disertim legatur signum universale OMNES, quod in calicis præcepto fit. Quare aut infirmum esse illud responsum suum agnoscant, aut frontem perfricent, & dicant, non pro laicis, sed clericis tantummodo Cœnam esse institutam.

Aliter etiam apertissima Christi verba eludere conatur Consilium Constantiense. Cogitare jubet, ut etsi Christus post cœnam instituerit hoc sacramentum: Ecclesia tamen mandarit, & rectè mandarit, ut à jejunis sumeretur, Unde ita colligit, etsi Christus sub utraque specie sacramentum administrarit, Ecclesiam tamen jus habere præcipiendi, ut laicis sub altera tantùm specie præbeatur. Mirum verò non vidisse istos, disparem valde horum rationem esse. Nam Christus, ut calix bibatur, mandavit, cùm dixit, *a Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* b *Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem.* At non dixit similiter, *Hoc facite post cœnam.* Nam si (ut Augustini *c* utar verbis) *hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper sumeretur, credo quod eum morem nemo variasset.*

a Matth. 26. 27. 28.
b 1 Cor. 11. 25.
c Ep. 118. ad Januar.

Nec meliorem ex iis succum exprimas, quibus nonnulli probare student, Christum aliquando sub una panis specie sacramentum celebrasse. Cleophæ *d* inquiunt, & alteri discipulo, (sive is Nathanael fuerit, ut Epiphanius *e* censet: sive Lucas potius, ut Lyranus arbitratur) solùm præbuit panem: ut qui ex fractione ejus agnovisse Christum dicantur Luc. XXIV. 30. 31. 35. Verùm unde boni illi viri colligunt, fuisse hanc manducationem sacramentalem, cùm minimè istic dicatur, Christum corpus suum edendum, aut sanguinem bibendum illis dedisse? Nobis quidem, quin ea vulgaris fuerit cœna, dubium non est, in quâ quod Christus ex fractione panis agnitus esse dicitur *f* (si modò hoc dicitur, ac verba illa, ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, non potiùs tempus, quàm caussam significent) hoc fieri potuit, quia Christus fortasse preces conceperit formulâ non vulgari, sed sibi peculiari, eaque discipulis notâ: vel quia proprium habuerit ritum frangendi panem. Atque ut ea sacramentalis cœna fuisset, jam sequeretur, etiam sacerdotibus solum posse panem præberi. Nam duo isti discipuli, ut Pontificii agnoscunt, ex LXX. illis fuerunt, quos Christus miserat in Judæam ad Euangelium prædicandum.

d Ruardus T. 2. pag. 317. 353. 354. 358. 359. 364. Costerus in Enchir. cap. 14.
e Hæres. 23.
f In Luc. cap. 24.

Scripturis dejecti ex apocryphis exemplum petunt. Nam Roffensis *g* citat ex Euangelio secundùm Hebræos, ut Christus à resurrectione suâ Jacobo Justo sub panis solius specie Eucharistiam porrexerit. Item ex legendis refert, ut Christus Dionysio sub solâ hac specie Eucharistiam ministrarit. Sed quid nobis cum apocryphorum commentis, qui Scripturarum habemus veritatem? aut quid cum legendis istis, titulo tenus aureis, ab homine cordis plumbei, oris ferrei scriptis: ut etiam Vives *h* agnovit. Adeò, *Hic immensa cavi spirant mendacia folles. i* Et hæc de institutione ac facto Christi.

g Assert. confess. Luther. art. 16.
h Lib. 2. de caussis corrup. art. sub finem.
i Juvenal. sat. 7.

THESIS II.

Deinde idem comprobatur ex Apostolo Paulo, qui, ut Corinthiacam Ecclesiam, longè maximam partem ex laicis collectam, ab idololatriâ dehortetur, sic eam affatur k: Dilecti mei fugite ab simulachro-

k 1 Cor. 10. 14.

a Verf. 15. & 16. rum cultu. *Rationem verò talem adjungit* a, Ut prudentibus loquor, judicate vos, quod dico. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis
b Verf. 21. Christi est? *Postea etiam similiter argumentatur* b: Non potestis poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. *Idem ex cap. XI. clarè ostenditur. Nam Cœnam descripturus*
c 1 Cor. 11. 23. *apertè ait* c: Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. *Sequitur autem:* Quotiescunque etiam manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciate, donec veniat. *Etiam postea universè, & sine discrimine*
d 1 Cor. 1. 2. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi* d, *dicit* e, Itaque
e 1 Cor. 11. 27. & 28. quicunque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.

Quis Christi mentem rectiùs nos docebit Apostolo Paulo? Eum autem Christi exemplum esse secutum, agnoscere cogitur Bellarminus, compulsus illo 1 Cor. x. 21. *Non potestis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum.* Idemque aliis ejusdem Apostoli locis clarissimè liquet, quæ antea adduximus. Unde Lyranus in 1 ad Cor. XI. *Fit hic mentio de duplici specie. Nam in primitivâ Ecclesiâ sic dabatur fidelibus: sed propter periculum effusionis sanguinis modo datur tantum sub specie panis.* Atque idem ad eum locum annotat Dionysius Carthusia-
f Tom. 2. pag. 134. nus. Similiterque Ruardus Tapperus. f *Longissima*, inquit, *consuetudo per Ecclesiam latè sparsa communicandi laicos sub utraque specie observata est in Ecclesiis etiam Apostolicis, Apostolo Paulo in Ecclesiâ Corinthiorum approbante. Ait enim, Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

g De sacr. Euch. p. 34. edit. Basil. an. 1562. Similiterque Ruardus T. 2. pag. 354. 358. 359. 361. 364 Verùm, inquit Hosius g, quicquid sit de Paulo, saltem Jacobus, item Apostolus, sub una tantùm specie administravit Cœnam: atque hoc liquere ait ex Act. 11. 46. ubi in descriptione eorum, quibus Hierosolymorum Ecclesia exercebatur, etiam fractio panis commemoratur. Poteram Hosium remittere ad Jacobi Liturgiam, quæ eum aliud doceret. Nam in eâ h, à Jacobo ipso (si inscriptioni, & Pontificiorum assertioni credimus) utraque species fidelibus cunctis distribuitur. Sed nolo cum urgere
h Pag. 26. 36 37. ed. Morel. an. 1560. auctoritate suppositirii scriptoris. Ad locum verò Actorum quod attinet, quis non videt, istic sub fractione panis etiam poculi distributionem signari τῇ συνεκδοχῇ? Nam quid pervulgatius, quàm ut Scripturæ, sub panis nomine, intelligant universam hominis alimoniam, quæ in cibo & potu consistit? Quare nec veterum quisquam fuit, qui exinde colligeret, Jacobum, vel Hierosolymitanam Ecclesiam, sub unâ tantùm specie communicasse. Et sane ne Constantiense quidem concilium tam oculatum fuit, ut hoc videret. Etsi enim communionem sub alterutrâ specie tanto studio defendat: tamen agnoscit, consuetudinem contrariam Christi & Apostolicæ seu primitivæ Ecclesiæ exemplo subnixam. Verba ejus sunt can. sessionis XIII. LICET *Christus suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini: tamen* HOC NON OBSTANTE, *&c.* Et mox: *Hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod* LICET *in primitivâ Ecclesiâ hujusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, postea à conficientibus sub utraque, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur.*

THESIS III.

Institutioni Christi & Apostolico exemplo rationem solidam addimus, quæ idem evincat. Ea est communio bonorum Ecclesiæ, quam in symbolo Apostolico profitemur, cùm sanctorum nos communionem credere dicimus: quamque Apostolus apertè nos docet, cùm ad Ephes. cap. IV. 4. ait, Unum corpus, & unus spiritus, quemadmodum & vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus, & pater noster. *Et 1 Cor.* x. 17. Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane omnes participamus, *& 1 Cor.* XII. 13. Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci, sivi servi, sive liberi, & omnes unum spiritum hausimus. *Et Gal.* III. 28. In Christo non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non masculus, neque femina. Omnes enim vos unus estis in Christo Jesu. *Apostolum igitur secuti dicimus, etsi in mysteriis Ecclesiæ dispensandis discrimen occurrat maximum inter quemvis de populo, atque Ecclesiæ ministrum: tamen in Christo, ac communione bonorum Ecclesiæ, inter quæ etiam sunt sacramenta, nec clericum, nec laicum esse, sed ea bona esse indivisa secundum unitatem corporis, cujus caput est Christus; eoque planè sacrilegum esse, si quis populum fidelem arcere velit à κοινωνίᾳ sanguinis Christi, quæ in sacramento Cœnæ percipitur.*

Pertinent huc verba illa Chrysostomi in II ad Corinth.
cap. VIII. Homil. XVIII. a Ἔστι δὲ ὅπου οὐδὲ διέστηκεν ὁ ἱε- **a P. 873.**
ρεὺς τοῦ ἀρχομένου, οἷον ὅταν ἀπολαύειν δέῃ τῶν φρικτῶν **ed. Commel.**
μυστηρίων. ὁμοίως γὰρ πάντες ἀξιούμεθα τῶν αὐτῶν. *Interdum nec quicquam quidem inter sacerdotem interest & eos, quibus præest: velut cum tremenda mysteria percipienda sunt. Æquè enim omnes ad ea admittuntur.* Quibus verbis docemur non tantùm quid Chrysostomi ætate fieri solet, sed etiam causam, cur laici à calice arceri non debeant. Nempe quia, quantum ad communionem corporis & sanguinis Christi, nihil inter clericum & laicum intersit. Hoc argumentum non aliter Pontificii eludere possunt, quàm per figmentum concomitantiæ, ut vocant. Ajunt, non arcere se laicos à communione sanguinis Christi, quando (ut Concilii
Constantiensis b verbis utar) *integrum Christi corpus,* **b Conc. sess. 13.**
tam sub specie panis, quàm sub specie vini, veraciter continetur. Unde colligunt, posse tolli calicem, si panis detur: ac proinde non fraudari laicos alterutro, quia alterum edant. Est argumento huic Transubstantiatio pro fundamento. Sed cùm hoc debile & putridum sit prorsus, etiam quicquid ei superstruitur, corruit.

Atque ut concederetur concomitantia: tamen sic quoque plus gratiæ conferretur sub utraque specie, quam sub unâ, ut etiam agnovit Ruardus Tapperus Art. XV. qui & superiori argumento in hunc modum respondet:
c *Non est sufficiens responsio, si dicatur, sub utraque spe-* **c Tom. 1.**
cie totus esse Christus, & ideo eundem operari effectum: **p. 338.**
quia in hoc sacramento solum per concomitantiam, non ex virtute consecrationis totus est Christus: & ideo secundariò, & quasi per accidens. Et quamvis sub utraque specie totus sit, operatur tamen secundum earum significationem: & utitur sub unâ, corpore tanquam instrumento; sub alterâ sanguine. Et cum sacramenta conferant gratiam, quam significant, quando completior & perfectior est significatio, pleniorem oportet esse effectum.

Ut hæc planiora fiant, considerare oportet, ut (quod etiam

a Durandus Mimatensis Rational. lib. 4. cap. 54.

etiam è Scholasticis aliqui *a* viderunt) materia sacramenti repræsentans debeat esse perfecta hominis refectio. At ea est partim cibus, partim potus: quæ effectu differunt, quia cibus famem sedat, potus sitim pellit. Utrumque igitur concurrere oportet ad significandum perfectam refectionem; panem quidem, ut significet corpus sub ratione cibi, non potus; calicem verò, ut significet sanguinem sub ratione potus, non cibi. Aliter si esset, bis sacerdotes corpus Domini in sacramento perciperent, bis item sanguinem. Quod proposito Christi adversatur; quippe qui sub distinctis symbolis corpus & sanguinem suum voluerit nobis dispensare. Hæc enim vera est caussa, cur, licet Christi corpus à sanguine ejus non divellatur, Eucharistia tamen non sub unâ, sed geminâ specie instituatur. Quare nec minùs efficax est Christus sub specie vini, quàm sub specie panis. Nam nisi post panem sumtum ex calice aliquid fructus accedat, quid attinebat Christum jam moriturum fœderatis suis non solum panem legare, tanquam signum corporis sui; sed etiam superaddere calicem, ut symbolum sanguinis, quo nos redemit? Hanc profectò non frustraneam, nec insipientem testatoris Christi benignitatem, nullos fœderatos aspernari oportet: sed grato animo post panem acceptum etiam calicem sibi legatum exposcere debent, nisi a κοινωνίᾳ sanguinis, qui calice signatur, videri volunt alieni.

THESIS IV.

Quartum his argumentum adjungo, constans judicium antiquitatis. Nam annis amplius mille ducentis obtinuit consuetudo, ut non panis solum, sed etiam calix laicis daretur. Quin Leonis Magni tempore, si qui calicem non poscerent, Manichæi esse eo signo deprehendebantur. Etiam postquam contrarius mos in Ecclesiam est inductus, in plerisque tamen Ecclesiis vetus obtinuit consuetudo, usque ad annum cIↄccccxv, *quo in concilio Constantiensi omnibus ubique laicis communio sub utraque specie erepta est.*

b Pag. 65. Vid. & cap. 23. pag. 74.
c Pag. 87.
d P. 158.

Verba sunt Buceri Resp. II. ad Latomum lib. I. cap. XVIII *b*. *Ecclesia* UNIVERSA *hoc Domini* (de calice) *præceptum ultra mille annos religiosè observavit.* Amplius etiam dicit cap. XXIX. *c* *Observavit hoc universa Ecclesia, quam latè orbis patet, ultra mille ducentos annos.* Similiter Plessæus lib. I. de missâ & partibus ejus cap. XII. *d*. *Vidimus annis mille ducentis, & eo amplius, sacram Cœnam, toto orbe Christiano, non aliter quam sub utraque specie, administratam fuisse. Et quando aliter fieri cœptum, à tolerantiâ, non à lege factum esse, ad Constantiense concilium usque.* Quod si Pontificiorum confessionem audire malumus: en ipsissima verba Ruardi Tapperi *e*: *Longissima consuetudine hunc* (sub utraque specie communicandi) *morem in Ecclesiis Apostolicis fuisse observatum in Africâ, in Asiâ, & Romæ, testantur Dionysius Areopagita, Tertull. Cypr. Hieron. Ambros. & Augustinus.* Etiam amplius dicit Alphonsus à Castro *f*: *Argumentum*, inquit, *hoc illi negotio deservit, ut credamus, non esse contra Evangelicam institutionem, Eucharistiam sub utraque specie aliis, etiam laicis, porrigere: quod firmissimè fatemur: Nam* OLIM PER MULTA SECULA *sic apud* OMNES *Catholicos usurpatum esse, ex multorum sanctorum scriptis didicimus.* Apertiùs etiam Lindanus Panopl. lib. IV. cap. LVI. *g*. *Utraque species passim per Occidentem communicabatur diu postea in annum usque millesimum ducentesimum.* Et post aliquammulta *h*. *In ætatem usque D. Thomæ, id est, anno Domini* cIↄcCLX. *utriusque speciei communio fere ubique fuit laicis administrata.* Cassander *i* de sacra comm. sub utraque specie: *Ecclesia Orientalis quidem in hunc usque diem: Occidentalis verò, sive Romana, mille amplius annis continuis, non aliter quàm sub duplici specie in conventu Ecclesiæ sacramentum Dominici corporis & sanguinis administrasse legitur: idque in pane & vino, atque adeo separatim.* Et post aliquammulta *a*. *Non puto demonstrari posse, totis mille amplius annis, in ulla Catholica Ecclesiæ parte, sacrosanctum hoc Eucharistiæ sacramentum aliter in sacra Synaxi è mensa Dominica fideli populo, quàm sub utroque panis vinique symbolo, administratum fuisse.* Idem eodem libro *b* de communione hac, sub utraque specie agens: *Cur non in eum ritum potius convenimus, quem Christus instituit, Apostolus tradidit, Ecclesia universa tot seculis tenuit, Orientalis verò universa, atque imprimis insignis illa Æthiopica Ecclesia, in hunc usque diem constanter retinet?*

e Tom. 2. pag. 328. Similiaque habet pag. 334.
f Tit. Eucharistia. hæresi 13.
g Fol. 341. a. ed. Paris. 1564.
h Fol. 342. a.
i Pag. 1025. edit. Paris. a. 1616.
a Pag. 1027.
b Pag. 1039.

Imò tantum abest, ut antiquitus Catholici soleant calice laicos fraudare, ut qui Leonis magni tempore solum panem acciperent, pro Manichæis haberentur. Nam quia illi vinum aversabantur, tanquam fel draconis, ut Epiphanius & Augustinus testantur, eo nec communicare volebant nisi sub una panis specie. Docet hoc nos Leo serm. IV. de Quadragesima: *Cùm ad tegendam infidelitatem suam* (Manichæi) *nostris audeant interesse mysteriis: ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemtionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut nobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indiciis: & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, sacerdotali auctoritate pellantur.* Clarè hinc liquet, Leonis ævo communicasse populum sub utraque specie. Nam aliter si esset, quomodo ex eo, quod solum aliquis panem sumeret, Manichæus esse deprehenderetur? Nolim tamen diffiteri, annis quinquaginta pòst etiam Christianos aliquos cœpisse solum panem sumere, superstitione nescio quà compulsos. Quos iccirco graviter increpuit Gelasius Papa ad Majoricum & Joannem episcopos scribens *c*. *Comperimus*, inquit, *quod quidam, sumta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant, quod procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi, aut* INTEGRA SACRAMENTA *percipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine* GRANDI SACRILEGIO *non potest provenire.* Ubi cùm superstitionem, non hæresin nominet, de Christianis, non de Manichæis loqui verisimile est: nisi fortè isti semi-Manichæi erant, sive Manichæorum quædam reliquiæ. Sed utcunque illud est, apertè negat Gelasius, integra percipere sacramenta, qui calicem non sumant: nec dubitat hanc symbolorum separationem grande sacrilegium appellare. Scio Glossographum verba ejus canonis interpretari de solis conficientibus sacramenta: quod etiam facit Tapperus *d* sed, ut verissimè scripsit Cassander *e*, *ab aliis eruditione præstantibus, qui temporum circumstantias, & dictorum caussas diligentius observarunt, apertè refelluntur.* Multa ejus generis Pontificiis obducere possemus. Abundant enim veterum scripta testimoniis, quibus probetur, in Oriente quidem & Ecclesiâ Græcâ, ad hæc usque tempora; in Latinâ verò, annis circiter mille ducentis calicem populo dari solere. Sed iis citandis otio nostro non abutar, quando nobilissimus Plessæus hoc fecit ante nos, atque ipsi Pontificii plurima pro hoc more apud veteres extare minimè diffitentur (nam in re adeò apertâ qui possint?) sed, ut in commentis suis palliandis ingeniosi sunt, eo effugium se invenire posse sperant, si antiquioribus quidem seculis usitatum hoc admodum fuisse dicant, sed vel ruditati antiquorum id temporum tribuant, vel Christianorum paucitati. Nam Bartholomæus Latomus, regius Lutetiæ professor, adversus Bucerum scribens, *Prima*, inquit, *Ecclesia cùm rudis adhuc esset, ritum à Christo acceptum religiosè tenuit, donec à Patribus docta, intelligeret utramque speciem convenire sacerdotibus: laicos solo pane contentos esse posse.* Quasi non laudabilis ruditas, & docta sit ignorantia, nolle plus sapere Christo & Apostolis. Bellarmini autem verba sunt *f*. *Ministrasse sub* du-

c Apud Gratian. de Consec. D. 2. C. Comperimus.
d Art. 15. p. 353 & 359. & 364.
e De com. sub utraque specie fol. 126. similiaque habet circa finem libelli fol. 1043. edit. Paris. an. 1616.
f Lib. 4. de Euchar. cap. 24.

duplici specie veterem Ecclesiam, quando Christiani erant pauci: crescente autem multitudine, magis ac magis imparuisse incommodum, & sic paullatim desiisse usum sub utraque. Ubi quod de paucitate Christianorum dicit, refellitur à Tertulliano Apolog. cap. XXXVII. & Arnobio lib. I. *a.* & II. atque aliis. Aliud etiam καινοφωνίαν invenerunt. Ajunt enim, contrariam etiam consuetudinem latè olim patuisse, adeoque esse antiquam, ut origo ejus non possit inveniri. Hoc probare conatur ex Ignatio, qui epist. ad Ephesios fractionem panis appellat: quasi non hæc συνεκδοχὴ sit Scripturis sanctis usitata: unde idem epistolâ ad Philadelphenses utrumque conjungit: *Unus,* inquit, *panis est omnibus confractus, & unum poculum omnibus distributum.* Objicit Bellarminus *b*, legi vulgò apud Ignatium: *Unus calix totius Ecclesiæ.* Sed vel interpretis istius, vel librarii fidem desideramus. Nam Græcè est, Εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη. Idem Bellarminus *c* pro se magis quàm nobis facere putat Tertulliani illud lib. de resurrectione. *Caro corpore Christi & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* Ubi ait, *Tertullianum dixisse, nos sanguine vesci, non bibere sanguinem: vescimur autem sanguine, cum eum sumimus per modum cibi sub specie panis.* Sed fallitur Bellarminus ignorantiâ Latinitatis. Nam etsi vesci sæpius de cibo dicitur, tamen generatim omnibus convenit, quibus corpus nutritur. Festus: *Vescor, pascor.* Cicero lib. II. de nat. Deorum *d*: *Dii nec escis, nec potionibus vescuntur.* Et ibidem *e*: *Est enim omne, quo vescuntur homines, penus.* Hinc apud poetas, *aura etherea*, vel *vitalibus auris vesci*: ubi non magis cibi, quam potus similitudo est. Etiam ex Nicæni concilii can. XIV. locum adferunt: qui si genuinus est, eandem habet συνεκδοχὴν ac in Ignatio vidimus: sed eò minùs, de hoc solliciti sumus, quia nec Græcè, nec apud Rufinum, neque in decretis eo modo legitur. Quin etiam ad Ephesinum decretum provocat Hosius: nempe quasi in eo dicatur Nestorium fuisse damnatum, uti ob alia, ita etiam propter illud, quia panem Dominicum vocasset corpus exsangue. Quale nihil in conciliorum actis invenias, vel apud veterum quemquam. Iis quæ de communione laicâ, peregrinâ, atque aliis objiciunt, seorsum postea respondebitur.

a Lib. I. p. 12. 13. & 41. & lib. 2. pag. 56. edit. Par. 1605.

b De Euchar. l. 4. cap. 26.

c Ibidem.

d Pag. 37. edit. Ald.

e Pag. 39.

Quamquam verò non multò post annum millesimum ducentesimum, atque adeò, ut plerique putant, ipsius Innocentii III. tempore, calix laicis ob effusionis periculum à plerisque cœpit auferri: tamen ne subitâ mutatione animi offenderentur, (Durandi Mimiatensis *f* verba sunt) *in quibusdam locis post sumtionem corporis, & sanguinis Christi aliquid de ipso sanguine reservabatur in calice, & superinfundebatur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumerent.* Similiter liber Ecclesiæ Nemausensis; *Præcipimus, ut sacerdotes vinum purum habeant paratum in Ecclesiâ, ut statim tribuant populo illud, postquam receperunt corpus Christi: prohibendo communicantibus, ne a præsentia ipsorum sacerdotum recedant, donec de vino aliquantulum biberint, & diligenter abluant ora sua.* Nec tamen ubique omnes, calicem laicis auferri, æquo animo ferebant. Nam Alexander Ales, Scholasticorum antiquissimus (vixit is tempore Innocentii IV. ac Thomæ Aquinatis præceptor fuit) auctor est, *g* suâ ætate, *quosdam religiosos petiisse, & instituisse, ut sub utraque specie sumeretur sacramentum.* Nec item is mos ubique obtinebat: imò (ut Ruardus *h* fatetur) *communicandi* sub utraque specie *consuetudo in quibusdam Ecclesiis duravit usque ad tempora B. Thomæ, qui dicit i. Proinde in* QUIBUSDAM ECCLESIIS *observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur.* Idem Ruardus *k* hoc ipsum ii probatum istis Thomæ verbis in Ioannem: *Secundum antiquam in Ecclesia consuetudinem omnes sicut communicabant corpori, ita communicabant & sanguini: quod etiam adhuc in* QUIBUSDAM *Ecclesiis servatur: ubi etiam ministri altaris continue & corpore & sanguine communicant, sed propter periculum effusionis in* ALIQUIBUS *Ecclesiis servatur, ut solus sacerdos communicet sanguine, reliqui vero corpore.* Floruit autem Thomas circa annum CIↃCCLX. Etiam de suâ ætate idem testatur Petrus de Palude *a* qui paullò post annum millesimum trecentesimum vixit. Item Guilhelmus de Montelauduno *b*, cujus hæc sunt verba. *Qui recipit corpus, totam veritatem ejus recipit, licet non totum sacramentum est, & ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, id est cum toto sacramento.* Anno millesimo quadringentesimo, quòd prius in Ecclesiâ fuerat toleratum, jam consuetudo erat in plerisque omnibus Occidentis Ecclesiis. Anno verò CIↃCCCCXV abiit in rem judicatam, auctoritate Concilii Constantiensis. In eo procuratores Henricus de Piro, & Ioannes de Scribanis controversiam proposuere his verbis. *Quia in nonnullis partibus* PERVERSUS MOS (ita primitivæ Ecclesiæ consuetudinem appellant) *pullulare incepit, ut sacerdotes, Laicos sub utraque specie, panis videlicet & vini communicare non cessent, contra Romanæ & universalis Ecclesiæ consuetudinem approbatam, unde scandala & hæreses verisimiliter oriri suspicantur: petimus nos promotores, & procuratores hujus sanctæ synodi, &c.* Vides ut in promotorum, quod vocant, requisitorio, nulla fiat mentio de administratione sacramenti post cœnam: tamen callide in decreto ejus quoque meminerit, quò rectiùs damnent Christi, & Apostolicæ Ecclesiæ morem. Sic enim canonis verba sonant. *Hinc est quod præsens concilium* ADVERSUS HUNC ERROREM *decernit, quod* LICET CHRISTUS *post cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile sacramentum: tamen hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure vel Ecclesia concesso, aut admisso. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod* LICET *in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, postea à conficientibus sub utraque specie, & à laicis tantum sub specie panis recipiatur.* Ubi sedulò attendere oportet, particulas illas LICET & TAMEN, quæ cum ejusdem naturæ sint, nemo sapiens non videt, nemo candidus diffitebitur, non tantùm administrationem mysterii post cœnam, sed illam etiam, quæ est sub duabus speciebus, prohiberi. Atque ita etiam intellexere decretorum editores. Nam summa decreti *c* sic habet: *Quod nullus presbyter, sub pœnâ excommunicet populum sub utraque specie panis & vini.* Quæ etiam, tanquam canonis verba, in summâ suâ adducit Caranza, solùm verbo illo *Præcipimus*, istis, quæ proximè citavimus, præmisso. Hoc eò magis considerationem meretur, quia Lindanus Panopliæ l. IV. c. LVI. *d* & alii aliquot, in eo toti sunt, ut persuadeant nobis, non damnari à concilio communionem sub utraque specie, sed tantum communionem sub alterutra defendi. Quamquam verò concilii Constantiensis tempore, sub una specie communicari vulgò soleret: tamen (verbis Tapperi *e* utar) *Venerabilis pater Thomas Waldensis, qui scripsit tempore concilii Constantiensis, & annis aliquot præcedentibus & sequentibus, dicit, quod illo tempore Romæ ministri altaris adhuc sub utraque specie communicabant.* Etiam hujus rei meminit Nicolaus Cusanus, epistola, quam post concilium Basileense, hoc est anno CIↃCCCCLV. ad Clerum & literatos Bohemiæ scripsit. *Solus,* inquit, *Pontifex Romanus usque ad proxima tempora in festo Paschæ laicos, quibus ipse sua manu corpus Domini tradidit, permisit accedere ad susceptionem sanguinis de manu diaconi.* Qua verò occasione morem istum intermiserit, refert his verbis Henricus Kalteisen, Archiepiscopus Nidrosiensis & Cæsariensis, Disputat. contra Bohemos *f*. *Sic audivi felicissima memoria Divum Martinum Papam fecisse,*

f Rationalis lib. 4. c. 42. par. 1.

g Summa. Theol. par. 4. Q. 53. memb. 1.

h T. 2. p. 329.

i Part. 3. qu. 80 art. 12.

k P. 342.

a In 4. sen. D. 11. qu. 2.

b In 4 sen. D. 11. qu. 2.

c Ed. Col. an. 1538. pag 505.

d Fol. 342. ed Paris. an. 1564.

e Tom. 2. pag. 341.

f Extat apud Canisium Antiq. Lect. T. 4. part. 2.

cisse, quod, sicut & alii Pontifices, consuevit in festo Paschæ communicare laicos sub utraque specie. Accidit ut quidam Bohemus Baccalaureus in Medicinis inter alios accederet, & sub utraque specie communicaret, qui de hoc mirabiliter gloriabatur, quod Communio utriusque speciei facta esset per summum Pontificem. Sed tandem in Viennâ captus, & submersus est. Quod percipiens Papa Martinus sic sibi illusum, ex tunc subtraxit calicis communionem laicis: nec unquam aliquem communicavit, nisi sub specie panis, in detestationem hæresis Bohemorum, & factæ sibi illusionis.

Quamquam verò post concilium Constantiense in Occidente cessavit mos communicandi sub utraque specie: tamen Orientales universæ, imò & quædam Ecclesiæ Occidentis in hunc usque diem veterem retinent morem. Quod non Cassander solùm, cujus verba superius adduximus, sed & Lindanus fatetur Panopliæ lib. IV. cap. LVI. *a Hoc*, inquit, *Constantiensi decreto nihil in Græcanica, aut Orientali, aut Indiana, imò Septentrionali adeo immutatum fuit Ecclesiâ: ubi antiquo viget more in hunc usque diem.* Et mox: *Ecclesia illa Orientales, &c., uti audio, Dalmatiana, & quædam Septentrionales, nunquam utriusque speciei communionem intermisere.*

a Fol. 241. b ed. Paris. 1564.

THESIS V.

Objiciunt Pontificii communionem laicam, peregrinam, domesticam, & eam quæ est ex præsanctificatis. In quibus sub unâ specie communicatum esse contendunt. Sed in singulis harum etiam vinum sumebatur. Atque ut de aliquâ communione istarum secus esset, nihil id præsenti instituto adversetur, quia de publicâ, solemni, & ordinariâ communione sermo est nobis.

Ut etiam antiquioribus seculis sub unâ specie communicatum esse doceant, Ruardus *b*, Bellarminus *c*, alii, objiciunt communionem laicam *d*: cujus si apud veteres mentio fiat, eam intelligunt, quâ, uti hodie in Romanâ Ecclesiâ fit, solum panem sumerent laici. Sed vehementer falluntur: quando, ut etiam Lindanus, *e* Wicelius, *f* Pamelius, *g* atque alii è Pontificiis ipsis agnoscunt, communio laica dicebatur, quando clerici ob delictum aliquod, non cum clero, sed inter laicos extra cancellos communicabant. Nam, ut jubet concilium Toletanum I. *Sacerdotes & Levita ante altare communicabant, in choro clerus, extra chorum populus.* Sed si è clero quisquam grave crimen admisisset, is clericatus ordine movebatur, & pœnitentiæ causâ, uti dixi, inter laicos communicabat: quod concilium Neocæsariense can. I. vocat *ad pœnitentiam inter laicos redigi.* Hujus pœnæ meminit Cyprianus epist. LXXII. *h* ad Stephanum Papam, & LII. ad Antonianum *i*, & LXVIII. ad Clerum & plebem in Hispaniâ consistentes *k*. Crebra etiam mentio in Pontificum literis: uti Cornelii Papæ epist. ad Fabium Antiochenum cap. V. *l*. Siricium epist. I. ad Himerium Tarraconensem cap. XI. Innocentium I. epist. XXII. ad Episcopos Macedoniæ cap. V. Gregorii Magni lib. IV. Indict. XIII. epist. XVII. cap. LXI. Nicolai I. apud Gratianum causâ XI. quæst. III. can. Theugualdum. Et Felicis Papæ III. epist. VII. ad universos episcopos, sive, ut alii inscribunt ad universos Africæ episcopos cap. II. Similiter conciliа antiquiora, ut Illiberitanum can. LXXVI. Sardicense can. I. & II. Agathense can. I. & IV. & Ilerdense can. V. Sed objicit Ferdinandus de Mendoza *m*, & ante eum Rob. Bellarminus *n*, *Felicem Papam III.* epist. I. cap. II. (uti & Ilerdense concil. can. V.) *jubere ob delicta quædam Clericis non dari, nisi in morte, communionem laicam. Et concilium Sardicense cap. II. ne in morte quidem, laicam communionem dari permittere ob crimina quædam graviora.* Atqui inquiunt, *in morte cum detur communio soli ægroto, idque in privato cubiculo, nulla distinctio notari potest loci, aut temporis, inter clericos & laicos.* Unde uterque concludit, communionem laicam, non solùm loco, sed etiam materiâ discrepare. Nos id sequi negamus. Triplex enim clericorum pœna præcipuè erat. In delictis gravibus, inter laicos communicabant. In gravioribus, non nisi moribundis communicare licebat. In gravissimis, etiam extrema agentibus communio negabatur. Primi illi non clerici quidem, sed Ecclesiæ tamen membra censebantur. Medii ab Ecclesiæ corpore abscissi erant, usque dum extrema agerent, quo tempore panis & vinum iis proviatico (sic vocabant) dabatur, atque hoc pacto eos Ecclesiæ reconciliatos esse significabatur: etsi interea nomina eorum non rescriberentur in clericorum matriculâ, sed tanquam fideles laici de hac vitâ discederent. Tertii abibant Ecclesiasticâ censurâ ligati, eoque ne quidem pro Ecclesiæ membris agnoscebantur, sed divino relinquebantur judicio. Unde satis liquet, exclericorum ægrotorum communionem rectè vocari laicam, quia Eucharistia iis dabatur, sed ut laicis, quoniam nomina eorum non referrentur iterum in numeros clericorum. Quod si in aliquo ægroti exclerici communio à clerici communione discrepabat, hoc in eo consistet, quod fortassè exclerico intincta, clerico panis & vinum seorsum dabatur: quodque illi per laicum ministretur, huic non nisi à clerico daretur. Sanè per puerum Serapioni moribundo intinctam esse missam, non semel ex Eusebio diximus. At laicis, aut electis in laicorum ordinem redactis, solum panem dari solere, id neque ex Felicis, aut concilii Sardicensis verbis, neque aliunde exsculpi potest.

b Tom. 2. pag. 318.
c Lib 4. de Euch. cap. 24.
d Communionis laicæ meminit concilium Ancyranum can. X. Sed secundum translationem veterem, non tamen Dionysii Exigui, sed alteram. Nec tale quid in Græco textu.
e Panopl. lib. 4. cap. 58.
f Typo Ecclesiæ prioris.
g In Cypr. epist. 52. ad Antonianum.
h Para. 2.
i Para. 6.
k Para. 7.
l Apud Eusebium lib. 6. Hist. cap 35.
m De confirmando concilio Illiberitano lib. 3. cap. 76. pag. 222.
n Lib. 4. de Euchar. cap. 24.

Nec magis Pontificios juvat communio peregrina: ut qua propriè significetur oblatio, quæ præter statos dies peregrinantium causâ fiebat: uti ex Ambrosio, sive alio sub Ambrosii nomine, qui in Paulinas epistolas scripsit, probat Cassander *a*. Hinc peregrinâ communione communicare dicebantur; qui inter peregrinos communicabant. Eam verò etiam inter clericorum pœnas fuisse, clarissimè liquet ex canone hoc primo concilii Agathensis: *Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur, & si qui, prioris gradus elati superbiâ, communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint: peregrina eis communio tribuatur, ita ut cum eos* POENITENTIA CORREXERIT, *rescripti in matriculâ gradum suum dignitatemque recipiant.* Sic can. IV. *Si quis clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Quod si quis cum Lindano *b* malit, peregrinam communionem esse dictam, quæ quis cum peregrinis ad orationes publicas, non ad sacramentum eucharistiæ admitteretur: satis liquet nec hanc sententiam nobis adversari.

a Lib. de communione sub utraque specie pag. 1019. ed. Paris. an. 1616.

b Panopl. l. 4. c. 58.

Etiam objectant *c* communionem domesticam & privatam. Nam, inquiunt, Tertullianus de ea loquens ad uxorem, panem tantùm nominat: ac Hieronymus similiter, apologiâ pro libris adversus Jovinianum, solius corporis meminit. Similiterque Sophronius, sive Ioannes Moschus Prati Spiritualis cap. LXXIX. Sed sciant esse nobis controversiam de conventibus publicis: in quibus illos ipsos, qui solùm panem domum auferebant, etiam calicem accepisse, agnoscit quoque Ruardus Tapperus, qui de exemplo Satyri, fratris Ambrosii, tractans, sic inter alia scribit *d*. *Videtur ex eo, & simul sermone V. de lapsis apud Cyprianum, quod illis temporibus sanguinem Domini ex calice omnes bibebant, & quod corpus Domini iis in manus dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibique sumerent, ita ut per intervalla temporum biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent.* Imò, quod Ruardus monere neglexit, interdum etiam vinum auferebant domum. Quod satis liquet ex Nazianzeni *e* loco de sorore Gorgoniâ, quam corporis & sanguinis Dominici antitypa reponere solere, non obscurè testatur, ut alibi diximus. Ambrosii etiam verba de Satyro fratre utrumque complectuntur, cum ait,

c Bellarm. lib 4. de Euch. cap. 24. Costerus in Enchiridio cap 14.

d Tom. 2. pag. 353.

e Orat. funeb. in laudem Gorgoniæ. pag. 187. ed. Morel.

ait *a*, *Quantum arbitrabatur, si ore sumeret* (panem puta) *& toto pectoris* HAURIRET *arcano*: nempe vinum. Quo & pertinent verba ista: *Quam majus putabat* FUSUM *in viscera*. Atque ut hæc non essent, consuetudo ea auferendi panem postea concilio Cæsaraugustano *b*: iterumque Toletano primo *c* fuit abrogata.

Nec magis est, quod obtendant *d*, absentibus & ægris panem solum mitti consuevisse, eò quòd si vinum detulissent, periculum ei fuisset ab effusione. Nam Iustinus apol. II. *e*, apertè docet, utramque speciem delatam, utramque datam esse. Atque id manifestum etiam fiet ex iis, quæ de intincta postea dicemus.

Adversus hæc objicit Bellarminus Paulini locum in vita Ambrosii *f*: *Honoratus autem sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiori domo se ad quietem composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi, Surge, festina, Basilius modo est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus. Quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum bonum viaticum secum ferens.* Ubi ad oram etiam Surius annotavit, *Habes hic communionem unius speciei.* Etiam ad ista Amphilochii verba in vitâ Basilii *g* provocat idem Bellarminus: *Tertiam illam communionis portionem a Domino ipsi datam, cum quâ sepultura tradi voluit, assumens, & in lecto recumbens, prolixe gratias egit pro suâ e corpore migratione.* Sed non est, quod vel ille Paulini, vel hic Amphilochii locus, nos moveat multùm. Nam de Paulino audiamus Erasmum *h*: *Si quis me roget, quid de hoc historico sentiam, dicam paucis. Idem est artifex, qui tam multa contaminavit in scriptis Hieronymianis & Augustinianis, natus ad hunc ludum.* De Amphilochio verò ita Baronius ad annum CCCLXIII *i*. *Commentarius de rebus gestis Basilii, qui extat nomine Basilii, scatet mendaciis.* Alibi *k* etiam *indignum* ait, *qui doctorum auribus ingeratur.* Etiam spurium esse fatetur Possevinus *l*, imò & Bellarminus ipse in scriptoribus Ecclesiasticis, ubi variis etiam hanc sententiam argumentis probat.

Pergit Bellarminus ibidem, *Amalarius m*, inquit, *& Micrologus n testantur, ex antiquâ consuetudine in missa tres partes hostiæ consecratæ fieri solere, ut una cum sanguine misceretur, altera sumeretur a sacerdote ante sanguinis sumtionem, tertia servaretur pro ægrotis, quæ viaticum morientium dicebatur.* Verum hæc panem fuisse reservatum docent: vinum autem asservari non solere, minimè evincunt. At illud quoque asservatum fuisse, docet locus iste Chrysostomi in epistolâ ad Innocentium, ubi describens militum grassationem in Ecclesiâ, ait: *Neque hactenus stetere clades: sed ubi sancta condita servabantur, ingressi milites, ex quibus, ut postea didicimus, quidam necdum initiati erant, omnia spectabant intus recondita, sanctissimusque Christi sanguis in tanto tumultu in militum vestimenta fusus est.* Quem locum etiam Baronius citavit *o*, atque ista adjunxit: *Considera hic lector, quam procul abhorreant a Patrum traditione, usuque Catholicæ Ecclesiæ, qui nostro tempore negant, asservandam esse sacratissimam Eucharistiam quam videmus, non sub specie panis tantùm, sed etiam sub specie vini, olim consuevisse recondi. Habes id quoque probatum auctoritate S. Gregorii Romani Pontificis, dum ait p, in navi portasse navigantes Christi corpus & sanguinem.*

Denique etiam scrupulum injicere conatur Bellarminus communione præsanctificatorum: cujus usus apud Græcos erat in tota Quadragesimâ, excepto die Dominico & Sabbathi. Vide concilium Laodicenum cap. XLIX. & Trullanum can. LII. In Latinâ verò Ecclesiâ usus ejus fuit, atque etiamnum est die Parasceves: quo pane pridie sanctificato & reservato absque vino consecrato sacerdos communicare dicitur. Vide Innocentium I. epist. I. cap. IV. librum sacramentorum B. Gregorii in officio Parasceves *q*, Ordinem Romanum antiquum in officio ejus diei *r*, Rabanum Maurum lib. II. de Instit. Cler. cap. XXXVII. & Micrologum lib. de Eccl. observat. cap. XIX. Huic verò objectioni istum in modum respondet Cassander

a T. 3. p. 19. Bas. 1555.
b Can. 3.
c Can. 14.
d Bellar. lib. 4. de Eu.b. c. 24.
e Pag. 76. edit. Commel.
f Apud Surium Tom. 2 pag. 506.
g Apud eundem Surium T. 1. p. 19.
h In Censura T. 1. Ambrosiani.
i Num. 55
k Ad an. 378. n. 10.
l In Appar. sacro, verbo, Amphilochius: item verbo, Sixtus Senensis.
m Lib. 3. de offi. Eccl. c. 35.
n De rebus Eccl. c. 17.
o T. 5 ad an. 404 p. 194 edit. Morel.
p Lib. 3 dialog. cap. 36.
q Liturgicorum Pamelii T. 2 pag. 257.
r Auctarii bibl. PP. Tom. 1. col. 75.

a *Graviores auctores, qui ante aliquot secula de Ecclesiasticis officiis scripserunt, Ordinis Romani auctoritatem, ad comprobandam plenam populi communionem, ex hoc ipso ritu adducunt. In quo ordine jubetur, ut in Parasceve vinum non consecratum cum Dominicâ oratione & Dominici corporis immissione consecretur, ut populus plene possit communicare: sive, ut alius quidam in ordinario Romano legi affirmat, ut contactu Dominici corporis integra fiat communio. Idem censendum de Liturgiâ* προηγιασμένων, *id est, præsanctificatorum, sive imperfectâ, quæ apud Græcos per Quadragesimam celebrabatur quinque illis diebus hebdomadæ (qui sunt præter sabbathum & Dominicum) quibus oblatio & consecratio non fiebat, sed sola ex præsanctificatis distributio. Nam & illic vinum & aqua in calicem mittitur, & in precibus ante communionem corpus & sanguis Domini commemoratur.* Atque ut solo pane tum Eucharistia celebraretur: non tamen hoc nostro adversaretur instituto, quando sermo est nobis de communione ordinariâ: in qua ipsa Pontificii ἀδιάφορον fuisse censent, utrùm sub unâ, an duabus speciebus sacramentum perciperetur: illa vero è præsanctificatis communio extraordinaria erat: ut rectè Cassander ibidem docet his verbis: *Sicut omnino videatur, nullam in hac actione Dominici sanguinis dispensationem fuisse: cogitet hanc ipsam Dominici corporis communionem fuisse extraordinariam, hoc est præter legitimam, & ordinariam Dominici panis & calicis consecrationem & oblationem: eosque, qui his diebus de reliquiis Dominici corporis communicabant, antea in legitimâ & perfectâ mysteriorum celebratione de calice Domini participasse.*

THESIS VI.

Afferunt Pontificii incommoda quædam, quæ consequantur, si calix populo detur. Sed num incommoda hæc ignoravit Christus, qui aliter instituit? vel ubi prudentia veteris Ecclesiæ, quæ sub utraque specie sacramenta dispensabat?

Incommoda hujusmodi adducit Gerson *b*, qui biennio post concilium Constantiense scripsit. Sed tam inepta sunt, ut si operosè ea refellere velimus, verè dicendi simus otio nostro abuti. Quare levi tantum brachio hoc negotio defungemur. Pleraque autem eorum subnixa sunt falso μετουσίας dogmate. Ut quod periculum esse ait, ne sanguis effundatur. Imò etsi μετουσία haberet locum, tamen posset cautè ita communicari, ut nihil effundatur, quemadmodum in Ecclesiis nostris fieri videmus. Etiam aliter periculo occurri posset: ut si laici per fistulas biberent, quemadmodum proximis ante calicem ablatum seculis in quibusdam Ecclesiis factitabant: uti B. Rhenanus *c* probat ex libellis Ordinis Romani, ubi canaliculi isti etiam pugillares appellantur. Item Lindanus in Panoplia lib. IV, cap. LVI. *d* ubi & narrat, visa sibi aliquot pocilla ejusmodi vetera, quibus canna esset ferruminata, affabreque inserta, ad sanguinem Christi sugendum. Eundemque morem nos Cassander docet ex libro, qui inscribitur: Exordium Collegii Cisterciensis. Imò & Hierosolymis Maronitæ dicuntur hunc ritum observare. Præterea periculum esse dicit Gerson, ob longas laicorum barbas. Quæ sanè si obstant, potius eas radere jubeantur, ne calicis sacramento priventur. Sed quid de etiamnum imberbibus, quid item de mulieribus prætexent? quid respondebunt ad illud, quod, si Nicephorum *e* audire volunt, Petro ipsi barba fuit crispa & densa? Addunt metuere se, ne si vinum pro multitudine consecretur, quod residuum est, congeletur, vel acescat, vel insecta etiam producat. Mirum verò, quod corrumpi posse censent sanguinem Christi, quem τῶν φθαρτῶν numero disertim eximit Apostolus Petrus *f*. Sunt, inquiunt, qui

a Pag. 1027.
b In tractatu contra hæresim de communione Laicorum sub utraque specie.
c Ad Tertull. de corona milit.
d Fol. 341. b. ed. Par. an. 1564.
e Lib. 2. cap. 37.
f 1 Pet. 1. 18. 19.

qui vinum non bibant. Quid? num propter pauculos abstemios myriadibus multis calix negabitur? At sunt etiam, qui cum aliis bibere horrent. Horreant sane isti. Eone innumeris etiam, qui id facere non formidant, calice carendum erit? Præterea delicatuli illi, si veteris Ecclesiæ exemplum cogitent, & viri boni esse volent, facile ad officium revocabuntur. Dicent justam interdum formidinem eorum esse, ut qui alieni oris metuant infectionem. Sed sanè, si qui morbo istiusmodi laborent, unde valetudini aliorum periculum esse possit, tales seorsum bibere æquum est. De sumtibus etiam caussantur, cum sumtus non desint ad vina transportanda conviviorum caussa. Nec graves hic impensæ esse possunt, cum & panis & vini pusillum tantùm sumatur: uti & antiquitùs fieri solere, indicat Gelasius Cyzicenus in Actis concilii Nicæni cap. XXX. Διὰ τοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν *a*. *Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus, quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus.* Quò pertinet etiam illud Eucherii *b* serm. v. de Pascha: *Eucharistia sacra perceptio non in quantitate, sed in virtute consistit. Quod corpus sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto.* Ajunt etiam nullum esse vas capacitatis tantæ, ut sufficere possit multitudini, quæ in urbe magna paschalibus feriis communicat. Quasi non plura vasa sumere liceat, pluribus item in templis Eucharistia eodem tempore possit celebrari. Et nonne olim ingens communicantium multitudo erat, quando eam nec ingentes caperent basilicæ, ut Leo testatur epist. LXXXI. ad Dioscorum *c*. Quid etiam queruntur, quasi laici non mereantur de calice bibere: cum etiam sanguinem suum pro iis fuderit Christus; & regale eos sacerdotium vocet Apostolus? *d* Ut mittam, quod multi ex iis pietate non rarò clericos exsuperant. Tandem ad ea accedunt, quæ maxime eos urunt. Ajunt metuere se, ne si occipiant calicem iis dare, jam sacerdotes ad ita faciendum credant obstrictos: ac innumeri doctores, qui aliter docuere, atque adeo ipsum concilium Constantiense, & Romana Ecclesia, errasse videatur: denique timere se, ne schisma in Ecclesia fiat. Sed si Ecclesia Romana Christum & veritatem amat; decreta eam sua posthabere divinis æquum est. Quòd si quibus id tentantibus schisma oboriatur, solari eam debet, quòd non penes alios schismatis caussa erit, quàm falsi dogmatis patronos. Nam omnes sanè si parati sunt ejurare errorem, periculum à schismate erit nullum.

a P. 789. edit. Rom. et Commel. 43.
b In homil. Emis. sermo tribu. in fol. 81. ed Lovan an. 1560.
c Cap. 2.
d 1 Petr. 2. 9.

Thesis VII.

Satis igitur apertum est, laicos etiam sub geminâ specie communicare oportere. Sed porrò quæritur, utrum necesse sit, panem & vinum seorsum sumi: an verò sufficiat intincta, quam Cypriani jam ætate parvulis & infirmis dabant, ac circa annum Christi trecentesimum quadragesimum in publicâ etiam & ordinariâ synaxi quibusdam locis usurpabant. Nostra hæc sententia est, sequendum esse judicium Christi, & Apostolorum exemplum, qui seorsum & separatim panem & vinum dabant. Ratio quoque gravis, cur ita facerent, erat. Nam cum in intinctâ vinum non bibatur, sed edatur; integra autem hominis refectio atque alimonia esu & potu perficiatur: omnino symbola panis & vini seorsum sumi attinebat, ut ita melius repræsentaretur integra refectio spiritualis. Atque idem Julii Papæ circa annum trecentesimum quadragesimum judicium fuit, cujus auctoritate mos intingendi, qui invehi cœperat, aliquamdiu repressus fuit. Postea tamen repullulavit: imprimis circa annum nongentesimum, quo tempore, quia jam tum μετουσίας dogma in Ecclesiam irrepserat, intinctam aliqui reducere cœperunt, ad effusionis, ut ajebant, periculum evitandum.

Cum quæstione superiori de calice laicis dando conjuncta est ista, an ut utrumque aliquis symbolum accepisse dicatur, sufficiat intincta, hoc est panis tinctus in vino, quem utriusque symboli locum obtinere posse, aliqui veterum putarunt. De hac probamus sententiam Julii, qui eopse anno factus est Urbis episcopus, quo naturæ concessit magnus Constantinus. Verba Julii ad Ægypti episcopos hæc sunt, apud Gratianum *a*: *Audivimus quosdam schismaticâ ambitione detentos, contra divinos ordines, & Apostolicas institutiones, intinctam Eucharistiam populis, pro complemento communionis, porrigere: quod quam sit Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt.* Et paullò pòst: *Quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis: nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi Apostolis corpus suum commendavit & sanguinem. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret.* Idem iisdem verbis reperitur concilio Bracarensi III. cap. I. Videtur autem hæc consuetudo primùm cœpisse ab ægris, qui panem siccum deglutire non possunt. Unde, ut Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *b* refert, Serapioni seni extrema agenti portio Eucharistiæ madefactæ data est. Ac puella à diabolo vexata, quæ (ut Prosper Aquitanicus *c* narrat) *dies jejunarat octoginta duos, brevem particulam corporis Domini tinctam à sacerdote percepit.* Sed apertè imprimis, quod diximus, confirmatur concilii Toletani XI. can. XI. cujus hæc verba: *Solet humana naturæ infirmitas in ipso mortis exitu prægravata tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed vix tandem illati delectetur poculi gratiâ sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi à sacerdote Eucharistiam rejecerunt. Non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Non ergo hujusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt.* Propter hanc caussam concilii Turonensis patres *d* statuerunt, *Ut Eucharistia, quæ in viaticum à vitâ excedentium reservatur, intincta sit in sanguinem Domini, ut presbyter possit veraciter dicere, Corpus & sanguis prosit in vitam æternam.* Ubi τὸ *veraciter* satis indicat, non veraciter sanguinis symbolum præberi, nisi vel calix seorsum, vel saltem intincta præbeatur.

a Decreti part. 3. de consec. dist. 2 can. Cum omne.
b Histor. E. l. 6. cap. 36.
c De promiss. & prædict. Dei dimid. temporis c. 6.
d Apud Ivonem, Reginonem, & Burchardum, citante Cassandro.

Circa annum verò nongentesimum mos iste etiam in sanis cœpit frequentari. Ac primùm in monasteriis. Docent hoc Instituta Cluniacensium lib. II. cap. XXXV. de Sacerdote hebdomadario: *Quamvis ipsum corpus sacerdos dederit, singulis sanguini intingit: quanquam sit CONTRA USUM ALIARUM ECCLESIARUM, quia quidam, maxime novitii nostri, adeò sunt rudes, ut si sanguinem ita separatum accipiant, quandam negligentiam incurrerent.* Ubi in considerationem venit, tum quod fateantur, id se facere contra morem Ecclesiarum aliarum: tum quod caussam adferant, ne negligentiâ quadam peccetur, hoc est, ob effusionis periculum. Postea verò etiam in parœciis consuetudo ea recepta est. Unde Ivo Carnotensis de divinis Officiis: *Non juxta concilii Toletani definitionem intincto pane, sed seorsum corpore, seorsum sanguine communicet. Excepto populo, quem intincto pane, non autoritate, sed summâ necessitate, timoris sanguinis Christi effusionis, permittitur communicare.* Ubi videmus, ut clero panis & vinum seorsum, populo intincta daretur; idque eadem de caussa, ob quam postea calix populo est ereptus. Non tamen ea consuetudo omnibus probabatur: quod ostendit Ioannes Micrologus (qui Gregorii VII. & Anselmi Lucensis *e* temporibus vixit) c. XIX. *Non est authenticum, quod quidam*

e Vide cap. 17. Micrologi.

corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis POPULO *distribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Parasceve vinum non consecratum, cum Dominicâ oratione & Dominici corporis immissione jubet consecrare,* UT POPULUS PLENE POSSIT COMMUNICARE. *Quod utique superfluè praciperet si intinctum Dominicum a priori die corpus servaretur, & ita intinctum* POPULO *ad communicandum* SUFFICERE *videretur. Iulius quoque Papa, in ordine trigesimus sextus, Episcopis Ægypti scribens, hujusmodi intinctionem penitus prohibet, & seorsum panem, & seorsum calicem, juxta Dominicam institutionem, sumenda docet. Unde & B. Gelasius Papa in ordine* LI. a *scribens quibusdam episcopis, excommunicari illos pracepit, quicunque sumto corpore Dominico, à calicis participatione se abstinerent. Nam & ipse in eodem decreto asserit: Hujusmodi sacramentorum divisio sine grandi sacrilegio provenire non poterit.* Etiam acriter hunc morem improbabat Hildebertus Cœnomanensis epist. LXIV: *Hoc ideo tibi frater exaravi, ut excitatus evigiles, ut videas quoniam traditioni Sacramentorum altaris, qua in vestro celebris est monasterio, nec Evangelia consonant, nec decreta concordant. In eo enim consuetudinis est, Eucharistiam nulli intinctam dari: quod nec ex Dominica institutione, nec ex sanctionibus authenticis reperitur assumtum.* Item: *Si Matthaeum consulis, si Marcum, si Lucam, seorsum panem traditum invenies, seorsum vinum. Nam intinctum panem aliis prabuisse Christum non legimus, excepto tantummodo illo discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderit, non quod hujus sacramenti institutionem signaret. Et sic Papa Iulius ait, &c.* Etiam Lombardus lib. IV. D. II. lit. F. *Eucharistia intincta non debet dari populo pro supplemento communionis: quia non legitur Christus alicui discipulorum prabuisse panem intinctum, nisi Iuda.*

a Ast. XLIX.

Thesis VIII.

Ex iis verò, qua de intincta diximus, etiam liquet, quid statuere oporteat de Gracorum pane, quem interebant vino, atque exinde cochleari sumebant.

Hunc morem Græcorum quorundam refert simul & damnat Humbertus, episcopus Sylvæ candidæ disputatione de azymo adversus Græcos a: *Deinde quod sanctum panem vita aterna in calice intritum cum cochleari sumere consuestis, quid opponitis? neque enim ipse Dominus panem in calice vini intrivit, & sic Apostolis dedit, dicens: Accipite & cum cochleari comedite. hoc est enim corpus meum. Sed sicut sancta Romana Ecclesia usque nunc observat, panem integrum benedixit, & fractum singulis particulatim distribuit, dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Quibus postquam cœnatum est, calicem porrexit, dicens: Bibite ex eo omnes.* Interea quin mos iste præstabilior sit, quam ut in totum calix auferatur, dubium non est. Nam, ut optimè Bucerus ait resp. II. ad Latomum b, *si vinum infusum contrito pani, quem morem veterum aliqui introduxerunt, exhibeatur, modus dispensandi mutatur, non autem symbolum totum tollitur, una cum sacratissimis verbis quibus Dominicum symbolum hoc sanctificat, & sanguinem suum prabere instituit. Nunc autem sustulerunt Romana Ecclesia sacrificii omnem sanguinis Dominici dispensationem, & signo, & verbis.*

a Disputatio ea Humberti legitur in appendice Tomi undecimi Baronii: verba citata habes pag. 694.

b Lib. I. cap. 12.

DISPUTATIO VIGESIMAQUARTA

DE

DIVISIONE DECALOGI.

In decalogi distributione primùm ea spectabimus, quæ hodie extra controversiam sunt: deinde illa in medium adferemus, & cum curâ examinabimus, de quibus neque olim, neque hodie inter Theologos convenit.

Thesis I.

PRIMUM istud in confesso est, quamvis quatuordecim inveniantur sententia in decalogo, quibus aliquid pracipiatur; tamen decem duntaxat esse primarias ac principes: cateras secundarias, & aliarum quasi appendices. Unde & Moses decem verba, & Graci δεκάλογον appellant.

Quatuordecim decalogi sententiæ sunt istæ. I. Non habebis Deos alienos in conspectu meo. II. Ne sculpas tibi simulachrum. III. Ne incurves te simulachris, neque colas ea. IV. Ne usurpes nomen Domini Dei tui temerè. V. Memento ut diem sabbathi sanctifices. VI. Sex diebus operaberis. VII. Septimo die non facies ullum opus VIII. Honora patrem tuum & matrem tuam. IX. Non occides. X. Non committes adulterium. XI. Non furaberis. XII. Non dices falsum testimonium. XIII. Non concupisces domum proximi tui. XIV. Non concupisces uxorem proximi tui. Non tamen quatuordecim, sed decem præcepta, sive Græcâ voce decalogon dicimus, quia decem ex illis sunt primaria: reliqua appendices priorum. Hujusce appellationis fundamentum habemus apud Mosem, qui vocat עשרת הדברים, hoc est decem verba: ut Exodi XXXIV. 28. *Scripsit Deus in tabulis verba fœderis decem.* Et Deuter. IV. 13. *Ostendit vobis pactum suum, & decem verba, qua scripsit duabus tabulis lapideis.* Similiter cap. 10. 4. Scriptor quæst. Vet. Test. (qui falsè creditur Augustinus) monet resp. ad quæst. VII. verbum hisce locis pro sententiâ poni: quomodo Christus dicit Matt. XXI. 24. *Interrogabo vos unum verbum.* Addimus nos, non simpliciter pro sententiâ accipi; sed pro sententiâ præcipiente. Ut Esth. I. 12. *Et renuit regina Vasthi venire in verbo* (sive secundùm verbum) *Regis* id est, juxta mandatum regium.

Thesis II.

Praterea in eo omnes conspiramus, non fore plenam distri-

distributionem, si ex decalogo surcillent Christiani sententias de sabbatho præcipientes: quippe quod repugnaret verbis Dei Deuter. XII. 32. ubi vetat, ne præceptis suis, vel addamus, vel demamus quidquam.

Solus hac parte adversatur Hesychius, presbyter Hierosolymitanus, qui putabat, præceptum de observando sabbatho non pertinere ad Christianos, eoque rectius ab iis omitti: cæterum ne sic decalogus nomen suum perderet, posse eos ajebat præceptum primum distribuere in duo, quorum prius sit, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis*: alterum, *Non habebis Deos alienos in conspectu meo.* Hanc Hesychio sententiam tribuit Alexander Alensis *a*, item Thomas Aquinas *b*. Et sanè apud Hesychium ipsum lib. VII. commentariorum in Leviticum *c* hæc verba invenimus: *Decem mandatorum litera clara est, digna ad custodiendum atque operandum. Nec contrarium est sabbathi mandatum, quia etsi decem mandatis insertum est, non tamen ex eis est. Si ergo mandatum speciale ponamus, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis: perfectum decem mandatorum numerum invenimus.* Nempe fefellit Hesychium, quod putaret, præceptum de observatione sabbathi esse planè ceremoniale, cum illud partim sit ceremoniale, partim morale; ac quà prioris generis est, sit abrogatum; quà posterioris, sit æternum. Errant vero Trithemius in Ecclesiasticis scriptoribus, Gesnerus T. 1. bibl. & Daniel Cramerus lib. de distributione decalogi semel iterumque, qui Hesychium hunc circa annum vixisse quadringentesimum, ac Nazianzeni fuisse discipulum arbitrantur. Nam utitur translatione Hieronymi: quæ multò pòst Hieronymi excessum in usu esse cœpit: maximæque fuit auctoritatis tempore Gregorii Magni, cujus etiam ad Hesychium epistola exstat lib. IX. registri epist. XL. Unde eum circa annum sexcentesimum vixisse, nempe annis post Nazianzenum ducentis, satis liquet.

a *In summa. 3. part. quæ. 24. art. 4.*
b *In prima secunda qu. 10. art. 4.*
c *Fol. 1*[illegible]*8. edit. Bas. a. 1527.*

THESIS III.

Insuper de eo convenit inter omnes, dividi decalogum in tabulas duas: quod à Mose clarè traditur Deut. IV. 13. & alibi. Etiam consentiunt Christiani, priori tabula præcipi, quem cultum debeamus Deo: posteriori autem, quæ officia proximo debeamus. Unde consequitur, præceptum de observatione sabbathi, postremum esse tabulæ prioris, & præceptum de honorandis parentibus primum esse tabulæ posterioris.

Nec desunt ex antiquis *d*, qui præceptum hoc iccirco *primum cum promissione* vocari putent ab Apostolo ad Eph. c. VI. 2. Nempe quia alioqui opponi Apostolo possit, quod etiam præceptum de non adorandis sculptilibus additam habeat promissionem. Nunc optimè conciliari hæc autumant, si dicamus, non ἁπλῶς intelligi primum cum promissione, sed primum tabulæ posterioris. Sed durior planè hæc sit restrictio, eoque magis placet, loqui Apostolum de promissione particularis observationis. Nam præcepto de non adorandis simulachris additur quidem promissio hæc, Deum *misericordia uti in millesimam progeniem eorum, qui diligunt ipsum, & observant præcepta* ejus. Sed est ista universalis obedientiæ generalis item promissio: præceptum verò de parentibus honorandis specialis obedientiæ specialem item promissionem annexam habet. Quo solo sensu verum est, quod Aben-Esra scribit in expositione præcepti de non assumendo nomen Domini in vanum *e*: *In summa, non invenimus in decem verbis, quod in eis explicetur aliqua remuneratio, nisi de honorando parentes.* Istud igitur argumentum veterum parùm firmum est.

d *Ambrosianus interpres in hunc locum. item (nisi id in ejusce operis parens) scriptor quæst. ex Vet. Test. apud August. T. 4. item Beda, atque alii.*
e P. 319.

At illud validius & munitius, quod Christus Matt. XXII. duo legis faciat mandata, quorum primum maximumque præcipiat dilectionem Dei: secundum verò, quod huic simile esse dicitur, dilectionem mandet proximi. Ubi pro duabus tabulis duo statui præcepta, satis evidens est. Ac propterea à Christianorum nemine distributio hæc in dubium vocatur. Solùm Judæorum alia sententia est. Qui cum viderent, nusquam in Veteris Testamenti libris doceri, quot præcepta prior, quot posterior tabula contineret: in eam opinionem venerunt, ut utraque quinario absolvatur. Ita Philo in exposit. decalogi *a*, & Josephus Antiquit. Iudaic. lib. III. cap. IV. & VIII. Neque non viderunt, præcepta prioris tabulæ, Deum; posterioris tabulæ, hominem respicere: sed putarunt, quia parentum beneficio sumus, eò hos ab hominibus aliis sequestratos cum Deo rectè conjungi. Quod & R. Abraham Aben-Esra in expositione decalogi *b* scripsit. *Etiam*, inquit, *in dicto quincto describitur Deus: quia parentes quodammodo communicant cum eo in suâ formatione. Unde qui eos non honorat, perinde est, ac si Deum non honoraret.* Sed si posteriori tabula præcipitur, ut ea omnibus faciamus, quæ nobis fieri velimus: eâdem profectò docemur, illa parentibus præstare, quæ à liberis nostris expectamus.

a P. 573. *edit. Turneb.*
b P. 309. *edit. Bas. quæ anno 1559. prodiit cum Iosipo Hebræo-Latino.*

Idem Josephus, quia tabulæ fuerunt opistographæ (nam tam aversâ quàm adversâ facie fuisse perscriptas, clarè dicitur Exod. XXXII. 15.) eò credebat, utrimque in utraque tabulâ fuisse exarata præcepta duo cum dimidio. Unde consequeretur, posterioris tabulæ prius latus habuisse solùm hæc verba quinque, *Non occides, Non mæchaberis, Non*: verbum autem *Furaberis* in alterum fuisse latus conjectum. Cujusmodi profectò adeò brevis præcepti sectione cur Moses uti vellet, (præsertim cum ad præscribendum mandatum integrum, spatii abunde suppeteret) nec verisimilis ratio adferri potest. Et ista sunt, super quibus probè nunc convenit Christianis. Accedamus ad ea, quæ in controversiam vocantur.

THESIS IV.

Primum super eo aliquis est dissensus, utrùm verba illa, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis, *debeant accenseri sententiis præcipientibus: & ita quidem ut per se constituant præceptum primum: secundum verò mandatum istis contineatur,* Non habebis deos alienos in conspectu meo: ne sculpas tibi simulachrum, &c. *tertium verò præceptum sit, de non temere usurpando nomen Dei: & ita deinceps, usque ad præceptum decimum, quod sit de non concupiscenda vel uxore, vel domo aliena.*

Ita existimant juniores Hebræi: ut R. Abraham Aben-Esra, & R. Moses Fil. Nahaman Gerundensis: quemadmodum de utroque testatur Paulus Burgensis: cujus verba mox apponam. Vixit autem Aben-Esra circa annum Christi millesimum centesimum quinquagesimum: ut qui in decalogi expositione *c* dicat, prope quinque millia annorum transacta esse à creatione: & librum bilancis linguæ Hebraicæ, in carmine quo eum claudit, edere se profiteatur anno mundi quater millesimo sexto, qui Christi est CIↃCXLVI. Philonis autoritate moveri potuisse Aben-Esram, scribit Daniel Cramerus *d*. Sed aliâ in sententiâ Philonem fuisse, postea ostendemus. Quid vero Aben-Esram moverit, non aliunde melius, quam ex ipso discemus. Nam cum *primum dictum*, hoc est præceptum, vocasset *e*, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de domo Ægypti, de domo servorum*: ac dixisset *f*, eo fidem exigi in Deum Israëlis: postea accedit ad hæc verba, *Non erit tibi Deus alius coram facie meâ*: ad quæ hæc annotat *g*: *Iam explicavi, quomodo dictum primum sit fundamentum, super quo nititur tota structura præceptorum: & post ipsum ultra scribitur, Non erit tibi. Hinc liquet peccatum illius, qui non credit in Deum, majus esse idololatriâ, quia sunt multi, qui credunt in Deum, sacrificantes interim & suffumigantes cultui extraneo, sive idolis.* Sensit igitur Aben-Esra, cum frustra Deus obedientiam requirat, nisi promissionibus & minis ejus habeamus fidem:

c *Pag. 30. 1. edit. ejusdem.*
d *De distinguendo decal. cap. 4. p. 90. & cap. 5. p. 123.*
e P. 292.
f P. 298.
g P. 370.

fidem: primo præcepto hoc ipsum religionis fundamentum exigi, puta, ut credamus Deo: at quæ ad structuram religionis pertinent, tradi sequentibus novem: quæ inter principem obtineat locum de non colendis diis alienis aut sculptilibus: quod illi unum præceptum est, idque secundum: ut ultimum sit de concupiscentia uxoris vel domus alienæ: nam utramque concupiscentiam decimo præcepto comprehendit. Cùm enim præceptum quinctum de parentibus honorandis inter ea retulisset, in quibus Dei vel explicitè vel implicitè mentio fiat (nempe, uti dicebamus, quia Deus & parentes generent hominem, eoque parentes sint quasi Deus quidam terrestris, ut qui hos honore suo spoliet, Deum ipsum fraudet honore) de

a P. 309. præceptis sequentibus ista subjungit *a*: *Quinque residua verba habent respectum ad hominem. Primum grave est, quo scilicet separatur anima à corpore. Hoc sequitur violatio corporis: & post ipsum, non furaberis rem temporalem: & deinde de linguâ: atque ultimo de concupiscentiâ.* Eadem distributio servatur adnexo commen-

b P. 334. tariolo decalogi, *b* quo præceptum primum de gloriâ Dei comparatur unitati denarii: novem sequentia cum novem orbibus conferuntur. Sed ut plenius hæc Hebræorum sententia intelligatur, imprimis operæ fuerit afferre verba Burgensis. Nam & rationes Hebræorum clarè fuseque proponit, & cum sectâ prius fuerit Judæus, ac vir fuerit doctissimus, Hebræorum mentem optimè nôrat. Sic igitur ille in additionibus ad Lyranum, quas

c Additione prima Exodi cap. 20. ante annos prope ducentos ad Alphonsum filium scripsit *c*: *Motiva*, inquit, *seu rationes, quibus* (Hebræi) *nituntur mutare sententiam prædictorum verborum* (Ego sum Dominus Deus, &c.:) *quæ est plane denunciativa, in sententiam præceptivam, sunt duo. Unum est, quod ad omnia præcepta divina observanda oportet præsupponere, ut dicunt, & rationabiliter, ut videtur, quod credatur absque dubietate, quod ille, qui loquebatur, seu præcipiebat, erat Deus suus, qui eos eduxerat, &c. quæ quidem credulitas, seu fides erat potissima ratio obligandi eos ad observanda ejus præcepta. Unde cùm dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, &c. præcipitur secundum eos affirmative, ut dicunt, quod hoc firmiter credatur, scilicet, quod ille qui loquebatur seu præcipiebat, erat Deus, qui eduxerat, &c. quam quidem rationem ponit Aben-Esra in suâ glossâ: & videtur habere fundamentum, juxta illud Apostoli ad Hebræos cap* XI. *Accedentem ad Deum oportet credere, quod sit &c. Alii autem dicunt, quod id quod dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, præcipit affirmativè, quod ille Deus, qui loquebatur, id est, qui eos eduxit de servitute Ægypti, haberetur ab eis in Deum, ita ut mandata ejus tenerentur observare. quod quidem præceptum dicunt debere necessariò præcedere omnia alia præcepta. Ad quod ponunt tale exemplum. Ponatur quod aliquis rex de novo veniat ad aliquam provinciam, indecens esset, quod in eâ faceret leges & constitutiones, antequam in regem reciperetur. Unde dicunt, quod cum dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, &c. præcipitur, quod recipiatur ab eis jugum regis cælestis: scilicet obedientia divinorum mandatorum. quod est præceptum primum ad omnia mandata divina. & hæc est ratio aliquorum Thalmudistarum, prout late R. Moyses Gerundensis recolligit ex dictis eorum in suâ glossa super Exodum.*

Huic Hebræorum sententiæ favet etiam B. Irenæus lib. II. cap. XLII. *In quinque libris legem populo Moyses tradidit. Unaquæque tabula, quam accepit à Deo, præcepta habebat quinque.* Hieronymus verò, etsi præceptum de honorandis parentibus ad tabulam secundam referret: tamen in eo aliquando cum Hebræis facit, quod præceptum de non faciendis simulachris secundum appellet. Ut in Oseæ cap. X. ad verba illa, *Cum corripientur super duas iniquitates suas*: ubi citat illud Hieremiæ: *Duo pessima fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi lacus contritos, qui non possunt aquas continere.* Ac continuò subjungit: *Hæ duæ iniquitates contra duo decalogi erupere præcepta in quibus dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus: non erunt tibi dii alii absque me.*

Etiam Julianus Apostata similiter divisit, non contradicente Cyrillo, quod argumento est, tum Iuliani ætate sic, à quibusdam saltem, dividi solere: tum distributionem eam improbatam non fuisse tempore Cyrilli. Verba Iuliani sunt ista apud Cyrillum lib. V. contra Iulianum: *Scribantur autem suis verbis singula mandata, quæ ab ipso Deo conscripta* (Moyses) *dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terrâ Ægypti. Secundum post hoc: Non erunt tibi dii alii præter me, non facies tibi simulachrum. Et caussam ponit, Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, reddens peccata patrum in filios usque in tertiam generationem. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Memento dies sabbathorum. Honora patrem ac matrem: non mœchaberis, non occides,* (non furtum facies) *non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui.* Ubi verba ista adjecimus, *non furtum facies*: quæ in Cyrillo *a* præ- a Edit. Paris. 1572. Tom. 2. col. 582.
tereuntur. Secutus verò est Iulianus ordinem, qui olim in tralatione LXXII. interpretum servabatur: de quo postea dicam.

Ex recentioribus unus, quod sciam, Petrus Martyr superiorem Hieronymi distributionem probat, in epist. ad Rom. cap. VII. 7. *Miror*, inquit, *quosdam, inter quos etiam est Augustinus, ex uno mandato duo facere voluisse, quasi in altero prohibeatur adulterium, cum dicitur. Non concupisces uxorem proximi tui: in altero prohibeatur, ne agrum, domum, bovem, servum, ancillam alterius appetamus. At si ad numerum earum rerum, quas concupiscimus, multiplicanda sint præcepta, ex uno infinita quodammodo faciemus. Potest enim fieri, ut honores proximi, dignitates, vasa, pecunias, vestes, & infinita id genus alia appetamus. ALII verò, ut in præceptis denarium numerum conservarent, præceptum istud, Non concupisces, indistinctum reliquerunt: primum autem in duas partes diviserunt: ut in priori ponerent, Non habebis Deos alienos: in altera, Non facies tibi sculptile, &c. EGO VERO utrumque puto ad idem præceptum pertinere. Primum autem mandatum esse arbitror, quod quasi proœmii loco cæteris proponitur. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti. Nam his verbis sancitur, ut illum pro vero Deo habeamus. Ne autem eum putaremus unà cum aliis Diis colendum esse, statim adjectum est secundum præceptum, quo Deos alienos, & sculptilia, & imagines colere prohibemur.*

THESIS V.

Huic verò sententiæ obstat, quòd præceptum omne sit oratio non enunciativa: uti & sententia optantes. item quod præceptum omne actum ponat, quem fieri vel mandet, vel vetet. At verba isthæc, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis, *sunt oratio enunciativa, quâ verum significatur: neque in iis actûs mentio fit, ad quem homo obligetur. Quare verba ista non sunt præceptum, sed potius præfatio in decalogum universum, quâ rationes adferuntur, ob quas ad parendum præcipienti obligemur, vel si magis placet verba illa connectere cum præcepto isto:* Non habebis Deos alienos in conspectu meo, *continebitur iis ratio ejusce præcepti. Nempe ut hæc sit sententia: Cum ego sim Iehova, hoc est is qui à se ipso est, & à quo est quicquid est: cum ego item singulariter sim vester Deus propter fœdus, quod pepigi vobiscum: cum item mihi obligati sitis beneficio maximo, quia vos eduxi ex Ægypto, domo servitutis: me, me inquam*

quam, non alienos Deos in conspectu meo, colere debetis. Et sane par verborum horumce ratio est ac istorum, Ego sum Deus tuus fortis, zelotes, &c. *Atqui nemo inventus est hactenus, qui ista pro mandato haberet. Quare nec priora illa praeceptum per se constituere possunt.*

Paulus Burgensis, cujus supra memini, hanc sententiam probat in additionibus suis ad Lyranum, & simul Hebræorum argumentis, quæ antea posuimus, respondet. Verba ejus sunt ista *a*: *Attendenda sunt duo. Primum est, quod planus sensus literæ concordat manifestè opinioni doctorum nostrorum. Secundum, quod motiva Hebræorum contrarium asserentium non valent. Primum probatur. Nam in hoc, quod dicitur, Ego sum Dominus Deus, &c. nullum verbum præceptivum seu imperativum ponitur, sed solum sunt quædam dicta denunciativa, quibus Deus denunciat populo, quod ipse, qui loquitur, est Deus, qui eos eduxit de captivitate, nihil in hoc eis præcipiendo: ut est manifestum intuenti. In cæteris verò de decalogi præceptis manifestè ponuntur verba mandativa: ut in negativis, cum dicitur, Non habebis Deos alienos: non adorabis ea, neque coles: non occides: non mœchaberis, &c. in affirmativis verò, cùm dicitur, Memento, ut diem sabbathi sanctifices: honora patrem tuum, &c. In hoc autem, quod dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, nihil horum ponitur: unde illa verba non sunt præceptiva, nec imperativa, sed solùm denunciativa: unde non debent inter præcepta numerari.* Post illa subjungit Burgensis duo Hebræorum argumenta, quibus impulsi contendunt, verba illa, *Ego sum Dominus, &c.* etsi sententiæ videantur enunciativæ, tamen revera esse imperantes. Argumenta isthæc erant, quod *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.* tantundem sit ac si dicatur, volo, jubeo, ut credatis me esse Dominum Deum vestrum, qui vos ex Ægypto eduxit. Item, Scitote, cum Deus vester sim, qui vos ex Ægypto liberarit, obstringi vos mihi ad præstandum omnia, quæ præcepero. Ad ea verò sic respondet Burgensis: *Hæ rationes licet, quantum ad aliquid, obtineant veritatem, non tamen intentum in proposito concludunt. Nam filii Israël, antequam ad recipiendam legem devenirent, crediderunt in Deum, ut litera multis in locis testatur. Dicit enim in Exod. cap.* IV. *Credidit populus, &c. Similiter Exod.* XIV. *post transitionem maris de ipsis legitur, Crediderunt Domino, & Moysi servo ejus. Ex quibus patet, quod fidem habebant, antequam ad recipiendam legem accessissent. Nec ad hoc, quod est credere Deum, seu Deo, requirebatur, ut eis daretur aliud præceptum expressum, præsertim hoc cùm præsupponatur ad præcepta decalogi, tanquam per se notum ei, qui habet fidem, & ideo non indiget aliâ promulgatione, nisi infusione fidei: ut in prima & secunda q. e. art. 4. respons. ad primum argumentum. Et de hoc intelligitur illud Apostoli ad Hebræos* XI. *Accedentem ad Deum oportet credere. Et sic cessat prima ratio. Similiter dicendum est ad secundam. nam jugum obedientiæ divinæ manifestè acceperunt filii Israël Exod.* XIX. *cum Moysi proponenti ex parte Dei, si audieritis vocem meam, &c. sequitur: Responditque populus similiter, Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Non ergo requirebatur alia receptio generalis ad obedientiam præceptorum. Unde manifestum est, quod in hoc quod dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, nihil eis præcipitur, nisi solum, quod intimatur eis, quis esset ille, qui loquebatur, scilicet quod erat Dominus Deus suus, qui eos eduxerat, prout verba planè sonant.*

a Addit. 1. in Exod. cap. 20.

THESIS VI.

Non dubitamus itaque, quin præceptum de non habendis diis alienis sit ordine primum: contrà quàm Thalmudistæ putarunt. Præter hanc verò est altera, ac major controversia: eaque istiusmodi. Constat decalogi præcipientes sententias numero esse quatuordecim: ac satis convenit, tertiam de non adorandis sculptilibus cum secundâ de non habendis simulachris conjungi debere. Constat item sextam, quâ jubemur, sex dies operari, & septimam, quâ vetamur septimo die facere ullum opus, unum idemque præceptum constituere cum sententiâ quintâ, quæ jubet meminisse diei sabbathi, ut eum sanctificemus. Sed si hic sistamus, erunt præcepta undecim. Quare, ne denarium excedamus, alii porrò jubent sententiam secundam de non faciendis simulachris adnectere sententiæ primæ de non habendis imaginibus, ut conjunctæ primum constituant præceptum: alii malunt, decimam quartam sententiam, de non concupiscenda domo aliena, conjungere cum decima tertia, de non concupiscenda aliena uxore, ut duæ istæ constituant præceptum decimum.

Quæstionem hanc istis verbis proponit Augustinus super Exodum qu. LXXI: *Quæritur, decem præcepta legis quomodo dividenda sint: utrum quatuor sint usque ad præceptum de sabbatho, quæ ad ipsum Deum pertinent: sex autem reliqua, quorum primum, Honora patrem & matrem, quæ ad hominem pertinent: an potius illa tria sint, & ista septem. Qui enim dicunt, illa quatuor esse, separant quod dictum est, Non erunt tibi Dii alii præter me, ut aliud præceptum sit, Non facies tibi idolum, & cætera, ubi figmenta colenda prohibentur. Unum autem volunt esse, Non concupisces uxorem proximi tui. Et, Non concupisces domum proximi tui, & omnia usque in finem. Qui verò illa tria esse dicunt, & ista septem, unum volunt esse, quicquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur. Hæc autem extrema præcepta in duo dividunt, ut aliud sit præceptum, Non concupisces uxorem proximi tui: & aliud, Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæcunque illius sunt. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura testatur.*

THESIS VII.

Augustino ea placuit sententia, ut tres quidem prioris, septem verò posterioris tabulæ sint præcepta. Argumenta quæ pro eâ, partim ab Augustino, partim ab aliis adferuntur, duplicia sunt. Aliis enim probare conantur, sententiam de non habendis Diis alienis, deque non faciendis sculptilibus, unum constituere præceptum: aliis verò ostendunt, sententias de non concupiscendâ vel uxore, vel domo aliena, efficere præcepta diversa. Prius illud eo confirmant, quia sententia de non faciendis vel colendis idolis, sub præcedente comprehenditur tanquam species sub genere, tantumque explicandi caussa adjungitur: unde &, juxta eos, una eademque idololatria utrobique prohibetur, nempe ne colamus Deos alienos: una item eademque affirmativa utrique negativæ enunciationi respondet, nimirum, Soli Deo servies. Sed hac parte adstipulari iis non possumus. Nam prius docetur, quis sit colendus: nempe verus Deus, non dii alieni: deinde, quomodo sit colendus: videlicet in spiritu & veritate, non per simulachra. Unde liquet, distincta prohiberi idololatriæ genera, prius illud, quod crassius est, cùm in objecto erratur: ut cum non colitur verus Deus, vel non colitur solus: alterum subtilius, quod est ratione modi, cum non colitur divinè, hoc est, prout in verbo præcepit.

Duo verò esse præcepta de concupiscentia, eo adstruunt

iidem, quia alia est ratio boni delectabilis, alia boni utilis: quorum quia utrumque concupiscimus, utrumque distinctè prohibendum fuit, ad concupiscentiam melius reprimendam. Præterea, inquiunt, si distincta sunt præcepta, Non mœchaberis, &c. Non furaberis; cur non item distinguantur, Non concupisces uxorem, &c. Non concupisces domum alienam? Etiam considerant, quod non dicatur, Non concupisces alienam uxorem, vel domum, vel servum: sed repetito verbo, Non concupisces uxorem alienam, Non concupisces domum, &c. Quod si, aiunt, malit quis præcedere inhibitionem de non concupiscendâ domo alienâ, uti Exod. xx. fit, jam prius prohibebitur concupiscentia universè: deinde partes ejus, sive quæ domo continentur, ut uxor, servus, jumentum, res. Sed judicio nostro, non magis objectorum diversitas diversum hic præceptum facit, quam in secundo, ubi post generalem imaginum prohibitionem adjungitur, Non earum rerum, quæ sunt supra in cœlo, aut infra in terrâ, aut in aquis sub terrâ, *vel in quarto præcepto, ubi cum universè dictum esset,* Non facies ullum opus, *mox additur,* Neque tu, neque filius tuus, &c.

Denique non parum præsidii in eo collocant juniores, quod in prohibitione concupiscentiæ Hebræa veritas cap. v. Deuter. non eandem repetat vocem, sed aliam usurpet. Nam cum prius dixisset חמד, *postea ait* התאוה. *Unde ipsis placet, prius prohiberi ἐπιθυμίαν ἐξελκῦσαν καὶ δελεάζουσαν, ut Iacobus cap. 1. 14 vocat: posteriori vero, quam idem appellat ἐπιθυμίαν συλλαβοῦσαν. Nos contrà subtilius hæc, quam verius dici, eo probamus, quod in Exodo unum utrobique verbum* חמד *usurpetur, uti & ab Apostolo Paulo ad Rom. vii. 7.* Non scivissem concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces. Οὐκ ἐπιθυμήσεις. *Quare non magis hic concupiscentia modo distinguitur, quam objectis.*

At longè minus solidi quicquam crepant, qui adferunt, ut divisioni suæ mystica plurimum subesse ostendant. Quale est, quod tribus prioris tabulæ præceptis vel Dei unitatem, veritatem, voluntatem; vel ipsam Trinitatem dicunt insinuari: tertiumque agere de sanctificando die septimo, ut repræsentetur septiformis gratia Spiritus sancti: septem verò esse mandata tabulæ posterioris, quia numerus iste ternario & quaternario constat, ac ternarius congruat animæ, quæ est ἐπιθυμητικῇ, θυμικῇ, λογικῇ: quaternarius verò respondeat corpori. Quæ omnia etsi à magnis viris prodita sint, tamen aptiora sunt ad mentes quibusdam velut πρετίσμασιν oblectandas, quàm argumentis solidis formandas & firmandas.

Augustini eam fuisse, quam diximus, sententiam, satis hæc verba ostendunt epist. cxix. ad Januarium cap. xi: *In tribus præceptis decalogi, quæ ad Deum pertinent (cætera enim septem ad proximum pertinent, id est ad hominem, quia in duobus praeceptis tota lex pendet) tertium ibi de observatione sabbathi positum est &c.* Item serm. cxlviii de Tempore: *Scitis in lege præcipuum commemorari decalogum, id est decem præcepta legis. Quorum est unum præceptum, de colendo uno Deo: secundum, ne accipias nomen Domini Dei tui in vanum: tertium, de observatione sabbathi. Ista tria præcepta ad Deum pertinent, reliqua septem ad homines. Quæ sunt septem pertinentia ad hominem? Honora patrem tuum & matrem, non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dixeris, non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces rem proximi tui.* Passim etiam Augustinus decalogum comparat Psalterio decem chordarum, imò & librum, quo de decalogo tractat, de decem chordis inscripsit. Eo inter alia inquit: *Ad duo præcepta, id est ad dilectionem Dei & proximi, pertinet decalogus. Ad primum praeceptum tres chordæ pertinent, quia Deus Trinitas. Ad alterum vero praeceptum, id est ad dilectionem proximi septem chordæ: quomodo vivatur inter homines. Nam ipso numerus septenarius, tanquam septem chordarum, incipit ab honore parentum.* Similia habet lib. iii. Confess. cap. viii. lib. xv. contra Faustum Manichæum cap. iv. lib. de convenientia decem præceptorum & decem plagarum, & serm. xcv. de Tempore, atque alibi. Quibus verò rationibus impulsus hanc prætulerit sententiam, ostendit quæstionibus in Exodum, quæst. lxxi. ubi cum dixisset, alios quatuor prioris & sex posterioris, alios tria prioris & septem posterioris tabulæ facere præcepta (qua de re supra Augustini verba adduximus) continuò subjungit: *Mihi videntur congruentius accipi tria illa & ista septem, quoniam Trinitatem videntur illa, quæ ad Deum pertinent, insinuare diligentius intuentibus. Et reverà, quod dictum est: Non erunt tibi Dii alii præter me, hoc ipsum perfectius explicatur, cùm prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porro uxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ, tantum in peccando differunt, ut illi, quod dictum est, Non concupisces domum proximi tui, adjuncta sint & alia, dicente Scriptura, Neque agrum ejus, neque servum ejus &c. Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ à concupiscentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque sic cepit, Non concupisces uxorem proximi tui: &, non concupisces domum proximi tui: & huic cœpit cætera adjungere. Non autem cum dixisset, Non concupisces uxorem proximi tui, huic connexuit alia dicens, Neque domum ejus, neque agrum ejus: sed omnino apparent hæc esse conjuncta, quæ in uno præcepto videatur contineri, & discreta ab illo, ubi uxor nominata est.*

Est tamen cùm Augustinus etiam præceptum de non faciendis idolis separare videtur à mandato de non habendis diis alienis. Ut lib. iii. contra duas Pelagianorum epistolas cap. iv: *Si enim Christus noster abstulit illud gravissimum multarum observationum jugum, ne carnaliter circumcidamur, ne pecorum victimas immolemus, ne sabbatho septimo dierum volumine redeunte ab operibus etiam necessariis quiescamus, & cætera hujusmodi: numquid propterea dicturi sumus, non ad nos pertinere decalogum, exceptâ sabbathi observatione carnali, quæ spiritualem sanctificationem quietemque significat? Quis enim dicat, non debere observare Christianos, ut uni Deo religionis obsequio serviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiscatur aliena?* Quibus in Augustini verbis tria observamus. Primùm, ut licet fastigia tantùm mandatorum carpat, tamen disertim commemoret interdictum de idolis: quod vulgò facere non solent; quia illud contineatur, ut ajunt, sub præcepto de non habendis diis alienis. Eo verò illud dignius est consideratione, quòd hoc opus post illos in Exodum commentarios ediderit: tum item, quia ea quæ adversus Pelagianos scripsit, majori curâ elaborârit. Præterea videmus, ut Augustinus hoc loco non alius sabbathi, quam spiritualis (quod est à peccatis) à Christianis observationem requirat. Quod favere videtur sententiæ Hesychii, præceptum de sabbatho prætereuntis, uti antea ostensum. Adhæc cernimus, ut quemadmodum in loco antè adducto ex serm. cxlviii. de Temp. ita hic etiam præceptum de cæde postponat mandato de adulterio: quod eum facere exemplo lxx. interpretum, liquebit ex iis, quæ de ordine præceptorum extremo loco dicemus.

THESIS

Thesis VIII.

Cæterum disputatur, utrùm etiam ante Augustinum quisquam hanc opinionem sit amplexus. Nos quidem ejusce sententia laudare neminem possumus. Sed tamen aliquid est, quod Origenes alicubi ita dicat sentire nonnullos, quorum nominibus parcit. Quare nisi vel inscriptio libri, vel interpretis fides fuerit suspecta: etiam ante Augustinum eam quorundam fuisse opinionem, fateamur necesse est.

Jam ante Augustinum fuisse aliquos, qui præceptum de non habendis Diis alienis, deque non faciendis simulachris, pro uno haberent: testis est Origenes homil. VIII. in Exodum, ubi hac ipsâ de re tractans, *Hæc*, inquit, *omnia simul NONNULLI putant unum esse mandatum.* Ubi per nonnullos potissimum designare præceptorem suum Clementem, quorundam opinio est: sed quàm infirmo tibicine nitantur, ea ostendent, quæ de Clementis sententiâ mox adferemus ex sexto Στρωματέων. Imò neque satis apertum est, ecqui ita senserint Origenis ætate. Nam ut iste in Exodum commentarius Origenis sit, tamen, cùm Græce non exstet, difficile dictu est, utrùm ipse Origenes ita scripserit, an Rufinus interpres adjecerit de suo. Rufini enim libertatem, vel licentiam potiùs in transferendo, nemo ignorat.

Sed utcumque est de temporibus ante Augustinum, sanè post eum complures ita sensisse, certum est. Eos inter est scriptor commentariorum in Psalmos, qui Hieronymo tribuuntur, in Psal. XXXII. *In Psalterio decem chordarum, id est decem verba legis. Tria mandata in unâ tabulâ, quæ ad fidem Trinitatis pertinent, hæc sunt. Primum, Audi Israël, Dominus Deus tuus unus est. Secundum, Non habebis nomen Dei tui in vanum. Tertium, Observa diem sabbathi. Septem in alterâ tabulâ ad dilectionem proximi pertinent.* Citat hæc etiam verba Daniel Cramerus, ut ostendat Hieronymum aliquando assentire Augustino. Addit item, nescire se, cur Bruno Amarbachius commentarios istos γνησίους esse neget. Sed cùm interpres iste passim ab Hieronymo dissentiat, multaque habeat Hieronymo indigna, nec, quod Hieronymus facere solet, Græcam, Hebraicamque eruditionem admisceat, nec editiones varias conferat, & historico sensu prætetito in allegoricis & tropologicis versetur; adhæc Eucherium citet: planum est rectè sentire Amarbachium: cui quoque assentiunt Erasmus, Sixtus Senensis, Melchior Canus, Wilhelmus Lindanus, Rob. Bellarminus, Andreas Rivetus, & Robertus Cocus.

Etiam Augustini sententiam probat scriptor commentariorum in libros Regum Eucherio tributorum. Nam lib. III. cap. XXIV. ait, *Decalogi legis tria sunt mandata, quæ nos ad cultum divini amoris excitant: septem, quæ dilectionem proximi commendant.* Hunc scriptorem quinquennio post Augustinum vixisse, idem Cramerus ait: ne quis fortè unius Augustini eam opinionem diu fuisse credat. Nos minimùm ducentis circiter post Augustinum annis vixisse scimus: ut qui non Cassiodorum tantum in Psalmorum expositione citet, sed etiam Gregorii Magni Moralia commendet: imò & lib. III. cap. XXII. de eodem scribat in hunc modum: *Nostris nuper temporibus beatus Gregorius Papa Euangelicis roboratus eloquiis Romanam rexit Ecclesiam, & reverendissimi Patres, Augustinus, Paulus, & alii socii eorum, jubente illo, venerunt in Britanniam.* Habet quoque eam divisionem Beda exposit. in Exodum cap. XX. & Præfat. in Psalterium, item in epist. ad Ephes. cap. VI. & alibi, Bernardus serm. IV. super *Salve Regina*, Giselbertus lib. Altercat. cap. IX. item Petrus Lombardus lib. III. dist. XXXVII. quem cùm Scholastici, tum Nicolaus Lyranus, aliique glossographi sunt secuti. Daniel Cramerus etiam laudat Anselmum Cantuariensem in epist. ad Ephes. cap. VI. Sed commentarii isti sunt Hervei Natalis Britonis, qui ducentis quinquaginta annis post Anselmum vixit, æqualis Durandi, adversus quem ea defendit, in quibus à Thomâ Aquinate Meldensis hic episcopus discesserat.

Thesis IX.

De Augustini opinione satis dictum. Alii verò ex præcepto, quod Augustino est primum, faciunt duo, & ex iis, quæ Augustino sunt nonum decimumque faciunt unum. Quæ sententia, seu ratione de Scripturis haustâ, seu autoritate veterum pugnemus, priorem facile exsuperat. Nam ut primum rationibus agamus, sanè Moses Exodi XX. *sic scribit:* Ne concupiscito domum proximi tui, ne concupiscito uxorem proximi tui, aut servum ejus aut ancillam ejus, aut bovem ejus, aut asinum ejus, denique quicquid est proximi tui. *At Deuteronomii cap.* V. *sic repetit:* Neque concupiscas uxorem proximi tui, neque expetas domum proximi tui, agrum ejus, aut servum ejus &c. *Videmus ut trajecerit Moses verba de uxore, deque domo alienâ concupiscendâ: quod minimè fecisset, si præceptis integris distinguerentur. Secus qui sentit ἀταξίας insimulat prophetam.*

Etiam eo argumento pugnant Hyperius, Ursinus, aliique viri eruditi, quòd præceptum de non habendis diis alienis, deque non faciendis simulachris, versibus à Mose distinguantur: ac uno contrà versu comprehendantur præceptum de non concupiscendâ uxore alienâ, & domo alienâ. Sed firmius hæc concluderent, si ea versuum distinctio à Mose esset, ac non à Masoritis, quod nos veriùs putamus.

Thesis X.

Quod si auctoritate etiam antiquitatis stare volumus: hanc sententiam sequuntur vetustiores Hebræi, eo solo excepto, quod ut utraque tabula quinque præceptis constaret, præceptum de parentibus honorandis ad priorem tabulam retulerunt. At examussim, hoc est, ne eo quidem excepto, quod præceptum quintum referant ad tabulam posteriorem, sequuntur illam, vel omnes, vel prope omnes Græci Latinique Patres, quotquot ante Augustinum vixerunt; multi etiam eorum, è Græcis maximè, qui post Augustinum floruerunt.

Inter veteres Hebræos familiam ducat is, qui Apostolorum temporibus vixit, Philo Judæus, sive Alexandrinus. Nam secundum de decalogo librum, qui est de legibus specialibus, sic orditur, Ἐν μὲν τῇ περὶ ταύτης βίβλῳ, δύο κεφάλαια ἠκριβώσαμεν τῆς δέκα, τό, τε περὶ τοῦ μὴ νομίζειν θεοὺς αὐτοκρατεῖς ἑτέρους, καὶ περὶ τοῦ μηδὲν θεοπλαστεῖν χειρόκμητον. *In libro, qui hunc præcedit proximus, accuratè introspeximus duo capita, quæ in decem præceptis prima numerantur, de non colendis aliis Diis præter unum, cujus imperio parent omnia, & de non fingendis simulachris.* Sed imprimis hoc docemur eo, quem hic signat, libro. Nam priore de decalogo libro sic inter alia scribit: Ἡ μὲν οὖν ἀμείνων πεντὰς τοιάδε ἦν· περὶ μοναρχίας, ᾗ μοναρχεῖται ὁ κόσμος· περὶ ξοάνων καὶ ἀγαλμάτων, καὶ συνόλως ἀφιδρυμάτων χειροκμήτων· περὶ τοῦ μὴ λαμβάνειν ἐπὶ ματαίῳ πρόσρησιν θεοῦ· περὶ τοῦ τὴν ἱερὰν ἑβδόμην ἄγειν ἱεροπρεπῶς· περὶ γονέων τιμῆς, καὶ ἰδίᾳ ἑκατέρου, καὶ ἀμφοτέρων κοινῇ· ὡς εἶναι τὸ μὲν μιᾶς γραφῆς τὴν ἀρχὴν θεόν, καὶ πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦ παντός, τὸ δὲ τέλος, γονεῖς, οἳ μιμούμενοι τὴν ἐκείνου φύσιν γεννῶσι τοὺς ἐπὶ μέρους. Ἡ δ' ἑτέρα πεντὰς τὰς πάσας ἀπαγορεύ-

σεις

σεις περιέχει, μοιχειῶν, φόνου, κλοπῆς, ψευδομαρτυριῶν, ἐπιθυμιῶν. *Ille potior quinarius de monarchia loquitur, qua mundus regitur, de statuis simulachrisque, & id genus manufactis operibus, de non assumendo in vanum Dei nomine, de observatione religiosâ diei septimæ, de honorandis parentibus & ambobus & singulis. Itaque una hac tabula incipit à Deo patre conditoreque rerum omnium: desinit in parentes, qui ad illius imitationem gignunt particulariter. Alter quinarius ex interdictis constat, vetans adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, concupiscentiam.* Spissus verò est error eorum, *a* qui Philoni eam placuisse sententiam arbitrantur, quam Aben-Esram & Mosen Gerundensem secutos esse antea diximus. Opinionem suam probatum eunt ex Philonis antiquitatibus biblicis: quasi non certo certius sit, librum hunc esse planè suppositiuium.

a Danielis Crameri lib. de distinguendo decalogo cap. 3. & Joannes Gerards Loc. comm. Tom. 3. pag. 55.

Philonis, sed genuini, sententiam etiam Josephus amplexus fuit: qui lib. III. Antiq. Judaic. præcepta hoc ordine recenset:

> Διδάσκει μὲν οὖν ἡμᾶς ὁ πρῶτος λόγος, ὅτι Θεός ἐστιν εἷς, καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον.
> Ὁ δὲ δεύτερος κελεύει, μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιήσαντας προσκυνεῖν.
> Ὁ τρίτος δέ, ἐπὶ μηδενὶ φαύλῳ τὸν Θεὸν ὀμνύναι.
> Ὁ δὲ τέταρτος, παρατηρεῖν τὰς ἑβδομάδας ἀναπαυομένους ἀπὸ παντὸς ἔργου.
> Ὁ δὲ πέμπτος, γονεῖς τιμᾶν.
> Ὁ δὲ ἕκτος, ἀπέχεσθαι φόνου.
> Ὁ δὲ ἕβδομος, μὴ μοιχεύειν.
> Ὁ δὲ ὄγδοος, μὴ κλοπὴν δρᾶν.
> Ὁ δὲ ἔνατος, μὴ ψευδομαρτυρεῖν.
> Ὁ δὲ δέκατος, μηδενὸς ἀλλοτρίου ἐπιθυμίαν λαμβάνειν.

Atque hæc, quæ veterum fuerit Hebræorum sententia, ostendunt. Malè verò eam cum Aben-Esræ, juniorumque Hebræorum ac Thalmudistarum opinione confundit doctissimus Andreas Hyperius *b*: Nam etsi in eo conveniunt, quod tertium præceptum sit de non temerè usurpando Dei nomen, & decimum de concupiscentia agat universè: tamen dissident de primo secundoque, quia Aben-Esra cum Augustino pro uno habet, & ut denarium impleat, pro distincto præcepto habet præfationem decalogi: ut antea vidimus.

b In opusc. Theol. Loc. de decalogi digest.

Philonis ac Josephi sententiam secuti sunt Græci Latinique Patres ante Augustinum.

De Clemente tamen incertum. Nam lib. VI. Στρωματέων *c* primo præcepto ait mandari cultum unius veri Dei, ac vetari idololatriam: altero prohiberi, ne nomen Domini in vanum assumamus: tertio præcipi, ut sanctificemus sabbathum. Hæc sanè multum à Josephi sententiâ abeunt. Itaque Clementem pro vulgari opinione adducunt Rob. Bellarminus lib. II. de reliquiis, & imaginibus sanctorum cap. VII. & Cornelius à Lapide in Deuter. cap. XX. atque alii. Sed metuo, ne quis impostor locum hunc Clementis corruperit. Nam post aliqua sequitur *d*: ὁ δὲ πέμπτος ἑξῆς ἐστι λόγος, περὶ τιμῆς πατρὸς καὶ μητρός. Præceptum de honorandis parentibus disertim *quinctum* vocat. Hinc alia præcepta commemorat: sed præterito illo, quod est de falso testimonio. Postremò ait *e*, Δέκατος δέ ἐστιν ὁ περὶ ἐπιθυμιῶν ἁπασῶν λόγος. *Decima est oratio de OMNIBUS cupiditatibus.* Pro quo in eâ Gentiani tralatione, quæ Parisiis prodiit anno CIↃ IↃLXXII. legitur, *doctrina est oratio &c.* Ubi similiter metuo, ne fraude magis, quàm incuriâ peccatum sit. Nempe offendebat, quod decimo præcepto non ἁπασῶν concupiscentia, sed quævis concupiscentia vetati diceretur. Quod vulgari distributioni repugnabat. Sed de Clemente utcunque est, discipulum ejus Origenem, nisi quis scrupulum ex iis, quæ superiùs adferebamus, injicere volet, Josepho assentiri planum est. Nam homil. VIII. in Exodum sic scribit: *Primum mandatum est, Non erunt tibi Dii alii præter me. Et post hoc sequitur, Non facias tibi idolum &c. Hæc simul nonnulli putant unum esse mandatum. Quod si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum. Et ubi jam erit decalogi veritas? Sed si eo modo dirimatur, quo & nos in superiori pronunciatione distinximus, integer decem mandatorum numerus apparebit. Est ergo primum mandatum, Non erunt tibi dii alii præter me. Secundum verò, Non facies tibi idolum, neque ullam similitudinem &c.*

c P. 290. edit. Commelin. an. 1592. vers. 2. & seq.
d P. 291. vers. ult.
e P. 292. vers. 26.

Eadem est sententia Athanasii, si is scriptor est συνόψεως sacræ Scripturæ, lib. II. ubi facit πρώτην ἐντολήν· Ἐγώ εἰμι κύριος ὁ Θεός σου· δευτέραν, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα· τρίτην, οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ· τετάρτην, μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων· πέμπτην, τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα σου· ἕκτην, οὐ φονεύσεις· ἑβδόμην, οὐ μοιχεύσεις· ὀγδόην, οὐ κλέψεις· ἐνάτην, οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ· δεκάτην, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου, οὐδ' ὅσα τοῦ πλησίον σού ἐστιν. Daniel Cramerus *a* ait Athanasium hic non Josephi, sed Aben-Esræ sententiam amplecti: ut qui primum præceptum esse dicat, *Ego sum Dominus Deus tuus &c.* Λῆροι. Nam si credidisset, alterum præceptum esse, *Non habebis Deos alienos*, non dixisset secundum esse, *Non facies tibi imaginem &c.* Primis enim verbis mandatum solet designari. Quæ & caussa est, cur primum appellet præceptum, *Ego sum Dominus Deus tuus*: minimè verò, quasi ista, &, *Non habebis Deos alienos* pro duobus habuisset mandatis. Quare cogitare oportuerat, quod ipse alibi adducit ex Richardo de media Villa *b*, qui similem rationem esse ait ac in illo Matth. *Nemo potest duobus Dominis servire. Ejusdem*, inquit, *rationis est, quod homo serviat uni Domino, tanquam principali: & quod non serviat alii, tanquam principali. Et ideò ad idem præceptum pertinet, quod dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, &, Non habebis Deos alienos coram me.* Similiter Gregorius Nazianzenus *c* Carm. XXXV:

a De distrib. decal. cap. 3.
b Lib. 3. sentent. dist. 37. quæst 4.
c Ald. edit. Gr. fol. 7. 8.

> Οὐ γνώσῃ θεὸν ἄλλον, ἐπεὶ σέβας οἷον ἑνός γε.
> Οὐ στήσεις ἴνδαλμα κενόν, καὶ ἄπνοον εἰκώ.
> Οὔποτε μαψιδίως μνήσῃ μεγάλοιο θεοῖο.
> Σάββατα πάντα φύλασσε μετήορα καὶ σκιόεντα.
> Ὄλβιος ἦν τοκέεσσι φέρῃς χάριν, ἣν ἐπέοικε.
> Φεύγειν ἀνδροφόνον παλάμης ἄγος, ἀλλοτρίης τε
> Εὐνῆς, κλεπτοσύνην τε κακόφρονα, μαρτυρίαν τε
> Ψευδῆ, ἀλλοτρίων τε πόθον, στυγερὰ μόροιο.

Item Scriptor commentariorum in epist. Pauli, qui tribuuntur Ambrosio, in cap. VI. ad Ephes. *Quomodo hoc* (de honorandis parentibus) *primum mandatum dixit? cùm constet primum mandatum ita contineri, Non sint Dii tibi alii præter me. Deinde, Non facies tibi similitudinem ullam, quæ sunt in cœlo sursum, & in terra deorsum. Tertium, Non sumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartum, Observabis*, inquit, *sabbatha mea. Quinctum autem, Honora patrem & matrem &c. Sed quia prima quatuor mandata ad Deum pertinent, hæc in primâ tabulâ contineri subintelliguntur. Cætera ad hominem, ut honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, neque quicquam proximi sui concupiscat. Hæc sex mandata in secundâ tabulâ videntur scripta, quorum primum est, Honora patrem & matrem. Hac caussa ergo dixit, Quod est mandatum primum in promissione, ut discerneret inter mandata, quæ ad Deum, & ea, quæ ad hominem pertinent.*

Eadem mens scriptoris quæst. ex Vet. Testam. qui legitur T. IV. operum Augustini: sed Augustinum non esse, certissimis indiciis Erasmus & alii comprobarunt. Videtur autem esse idem ac commentator iste, de quo proximè diximus: quod pluribus probare hujus loci non est. Saltem utriusque libri scriptor Augustino antiquior est, cum ille *d* se Damasi ætate vixisse dicat, hic *e* ab exscidio Hierosolymorum annos numeret trecentos.

d 2 ad Tim. 2.
e Qu. 44.

Verba

Verba ejus de Decalogo sunt ista resp. ad quæst. VII. *Denique dicit, Non sint tibi dii alii præter me: primum verbum hoc est. Et subjecit secundum, Non facies tibi ullam similitudinem &c. Deinde adjecit tertium, Non sumes nomen Dei tui in vanum. Dehinc quarto loco dicit, Sabbathum Domini Dei tui servabis &c.* Atque ita deinceps.

Nec aliter scriptor imperfecti operis in Matth. perperam tributi Chrysostomo homil. XLIX: *Videamus, quomodo Deo formetur in utero Ecclesiæ hominem. Legis justitia prima & salutaris decem habet mandata, quasi decem menses. Primum, cognoscere unum Deum. Secundum, abstinere ab idolis. Tertium, non pejerare. Quartum, colere sabbathum spirituale. Quintum, honorare patrem & matrem. Sextum, non occidere. Septimum, non adulterari. Octavum, non furtum facere. Nonum, non falsum testimonium dicere. Decimum, nullam rem proximi concupiscere.* Quem locum etiam Hyperius *a* adducit, atque addit, opus hoc vel Chrysostomi ipsius esse, vel saltem scriptoris excellentis & pervetusti, ac digni sanè, qui cum Chrysostomo conferatur. Quod inconsideratè ei excidit. Est enim commentarius iste hominis Arriani. Esse tamen eruditi scriptoris fatemur, & qui ætatis suæ sententiam de quæstione hac optimè habuerit perspectam.

a Opusc. Theol. p. 661.

Nec prætereundus nobis magnus Hieronymus: quamquam is in Oseâ cap. X. favere videtur sententiæ recentium Hebræorum: ut supra ostendimus. Hyperius, *b* qui eum locum pro Josephi sententiâ adducit, planè frustra est. Rectius laudasset hæc Hieronymi verba in epist. ad Ephes. cap. VI. 2. *Quærendum, quare nunc dixerit, quod est mandatum primum, cum PRIMUM mandatum sit, Non erunt tibi Dii alii præter me. Quamobrem nonnulli ita legunt, Quod est mandatum primum in promissione, quasi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta sunt, non habeant promissiones: & in hoc seculo pollicitatio feratur adjuncta: ut benè sit tibi, & sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Sed videntur mihi non observasse subtilius, & in SECUNDO mandato repromissionem esse sociatam.* Et post aliqua: *Observa enim, quod verba sint sponsionis, Faciens misericordiam in millibus, qui diligunt me, & custodiunt mandata mea.*

b Ibidem p. 662.

Eandemque amplexus est sententiam scriptor scholiorum brevium in epist. Pauli, quæ etsi Hieronymi in easdem commentariis subjunguntur, vel Pelagii tamen, vel saltem Pelagiani sunt scriptoris. Is ad eadem Apostoli verba, quibus præceptum de honorandis parentibus primum appellat, hæc annotat: *In secunda tabula primum, quæ ad humanitatem pertinentia præcepta sex numero continebat.*

Similiter Sulpitius Severus Nitiobrix (qui Hieronymi & Augustini temporibus vixit) lib. I. historiæ sacræ: *Si quis curiosior, fontem ipsum adeat: nos legem breviter perstringimus. Non erunt,* inquit, *tibi Dii alieni præter me: non facies tibi idolum: non sumes nomen Dei tui in vanum: sabbatho nullum opus facies: honorifica patrem tuum & matrem tuam: non occides: non mœchaberis: non furtum facies: non falsum testimonium dices adversus proximum tuum: non concupisces quicquam proximi tui.*

Item Procopius Gazæus in cap. II. Exod. *c Non erunt dii præter me. Hoc primum est præceptum, secundo sermocinante de idolis & imaginibus. Nisi enim in hunc modum quis leges distinguat, non poterit in ordinem certum redigere decalogum.* Nec aliter Rupertus ad idem caput.

c Pag. 273. edit. Tigur.

Zonaras etiam annal. T. I. *d* Ὁ μὲν πρῶτος λόγος ἕνα Θεὸν εἶναί φησι, καὶ τοῦτον μόνον σέβεσθαι δεῖν. ὁ δεύτερος δὲ μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιεῖν, μηδὲ προσκυνεῖν &c. Ὁ ἔνατος, μὴ ψευδομαρτυρεῖν. ὁ δέκατος μηδενὸς ἀλλοτρίου ἐπιθυμεῖν.

d Pag. 14.

Thesis XI.

Quamquam verò isthæc sententia maximè nobis placet, non tamen odiosè de eâ certare cum quoquam volumus: longeque minus Ecclesias pacatas quæstione hac turbandas putamus. Quanto enim satius est de servandis, quàm de numerandis præceptis solliciti simus! Eoque antiqui etiam nulli dicam propterea scribebant, sed per eos suo cuique frui judicio licebat. Quod hodieque fieri oportere, multorum gravium Theologorum sententia est.

De veteribus quidem satis hoc docent, quæ antea ex iis adduximus. Imò Beda ipse, quamquam studiosissimus Augustini exscriptor, tamen cùm ad Exod. cap. XX. ejusce Patris sententiam attulisset, mox adjungit, *Posse etiam aliter præcepta distingui, ut sit primum, Non habebis Deos alienos: secundum, Non facies tibi sculptile.* Ex junioribus verò ante omnes audiamus maximum Calvinum: qui lib. II. Instit. cap. VIII. sect. XII. ait: *In divisionem præceptorum noscendam non malè studium intenditur, modo ejus generis rem esse memineris, in quâ liberum cuique judicium esse debeat, ob quam non sit contentiosè cum dissentiente pugnandum.* Similiter Wolfgangus Musculus Loc. Com. Tit. de divisione decalogi: *Scio parum ad pietatis studium facere, si præcepta Dei rectè quidem numeres, malè vero custodias: nec improbarim, si populo absque divisione, modò integre, omni mutilatione rejectâ, proponantur.* Andreas Hyperius in opusc. Theolog. Loc. de decal. distribut. *Partiatur sanè quis præcepta, quoquo modo visum fuerit, modo ne aliquid prætermittat, quod ad summam doctrinæ de voluntate divinâ pertinet.* Zacharias Ursinus in Explic. Catech. *Observandum, si modò doctrina & sententia decalogi de vero Deo, & vero cultu Dei integra retineatur, de verborum numeratione non esse odiose pugnandum.* Quod vero aliqui præstantes Theologi acrius interdum vulgarem distributionem reprehendunt, hoc inde esse credimus, quòd secundum præceptum, eo prætextu, quia primi tantùm explicatio sit, à multis planè videant omitti: atque hac ratione fiat, ut plebs, quæ ad imaginum cultum prona est, divinam voluntatem eâ parte non intelligat. Sanè quin eo præcipuo fine, ut populo simplici faciliùs fucus fieret, præceptum hoc jam ab aliquot retro seculis in Ecclesiâ Romanâ soleat omitti, minimè dubitamus.

Thesis XII.

Atque hæc de distributione decalogi dicta sunto. Nunc de ordine præceptorum aliquid addamus. Qui controversus non est, nisi de præcepto sexto, septimoque. Nam veterum nonnulli hac serie recensent, Non mœchaberis, non occides, non facies furtum. Quibus non est quod eo nomine litem moveamus, quando nec ordinem vulgatum vel Marcus, vel Lucas, vel Paulus servant. Id verò (si conjecturæ propriæ locus est) eò factum suspicamur, quia Exodi cap. XX. *in* LXXII. *interpretum tralatione prohibitio mœchationis ante interdictum de cæde antiquitus collocaretur.*

Ab Evangelistis tribus narratur historia de adolescente rogante Christum, quid facto opus esset, ut vitam consequeretur æternam: cui Christus respondisse dicitur, Οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις. Hoc enim ordine ea mandata recensentur Matth. XIX. 18. Sed Marci X. 19, & Luc. XVIII. 20. hac serie referuntur: Μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς. Eumpse ordinem retinet

Apostolus Paulus Rom. XIII. 9. ubi & nonum præceptum adjungit, μὴ ἐπιθυμήσεις. Quamquam verò non ignoro, haut ita multum referre, quo ordine commemorentur præcepta (nam sanè videmus apud tres istos Euangelistas præceptis de cæde, adulterio, furtu, mandatum de honorandis parentibus subjungi) tamen quod duo Euangelistæ in eapse historiâ alium, quàm Matthæus, ordinem servant: quod item Paulus Marci, & Lucæ seriem sequatur, id non temerè nobis, sed consilio certo factum videtur. Nam planè putamus, in editione LXXII. interpretum, quæ Alexandriæ est procurata à Ptolomæo Lagida, vel potius Philadelpho, præcepta ista Exodi cap. XX. eo ordine fuisse collocata, quo à Marco, Luca, & Paulo recitantur. A quo ordine recedit Matthæus: sive quia seriem in Deuteronomio servatam retinere vellet: sive potiùs, quia Hebraicam sequi veritatem animus esset: ut quem Judæis potissimùm, idque patrio, hoc est Hebræo sermone scripsisse ab Irenæo, Eusebio, Hieronymo, aliisque proditum sit. At Marcus, quem Alexandrinæ præfuisse Ecclesiæ constat, quid mirum, si Alexandrinam translationem sequeretur? Nec mirandum magis de Lucâ, vel Paulo. Nam cum Græcè scriberent, eos codices sequi voluerunt, quibus Hellenistæ uterentur. Quanquam verò in tralatione Græcâ, qua hodie utimur, plurimi codices, etiam Complutensis editio, ordinem Hebræum servent: tamen hoc de sententiâ movere non debet: quia olim aliter legi solere, multa docent. Primùm enim in editione Romanâ Exodi XX. legitur, οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ φονεύσεις. Atque ita in vv. LL. reperiri, in eadem annotatur. Quod argumento est, olim variatum fuisse in serie præceptorum. Ac de mœchatione quidem rectè codices isti: sed planè fit verisimile præceptum de cæde ante illud de furto poni solere. Movent me imprimis Philo Alexandrinus, & Clemens Alexandrinus, quos Alexandrinâ tralatione uti solere, dubium non est. Et sanè cùm Philo Apostolorum ætate vixerit, (quo tempore, quin integrior haberetur editio septuaginta interpretum, nemo ambigit) hoc majorem meretur fidem. Atqui is etiam præceptum, quo mœchatio prohibetur, ei præmittit, quod est de cæde: utrique verò mandatum, quo furta prohibentur, subjungit: ut cùm lib. de decalogo ait, a Ἡ δ' ἑτέρα πεντὰς τὰς ἀπαγορεύσεις περιέχει, μοιχειῶν, φόνου, κλοπῆς, ψευδομαρτυριῶν, ἐπιθυμιῶν. Eopse libro etiam à Mose hoc ordine ait recenseri: quod non dixisset, nisi ita in LXXII. interpretibus legisset. Etiam ordinem hunc eo defendit, quia primo loco mœchatio poni debuerit ob fœditatem, & summa mala, quæ dat generi humano. Verba ejus sunt b: τὴν δ' ἑτέραν (πεντάδα) ἀναγραφόμενος περιέχουσαν ἀπαγορεύσεις τὰς πρὸς ἀνθρώπους ἀπὸ μοιχείας ἄρχεται, μέγιστον ἀδικημάτων τοῦτ' εἶναι ὑπολαβών. πρῶτον μὲν γὰρ, πηγὴν ἔχει φιληδονίαν, ἣ καὶ τὰ σώματα θρύπτει τῶν ἐχόντων, καὶ τοὺς τῆς ψυχῆς ἐκλύει τόνους, καὶ τὰς οὐσίας διαφθείρει &c. Et post aliqua: Τοιαύτας συμφορὰς ἀπεργαζομένης τῆς ἐκνόμου μίξεως, εἰκότως συγγενοῦς καὶ θεομισοῦς πράγματος, μοιχεία πρῶτον ἀδικημάτων ἀνεγράφη. Δεύτερον δὲ πρόσταγμα, μὴ ἀνδροφονεῖν. Et aliquibus interjectis: Τρίτον δ' ἐστὶ τῆς δευτέρας πεντάδος πρόσταγμα, μὴ κλέπτειν &c. Similiter Clemens Alexandrinus lib. VI. Stromatum c: ὁ δὲ πέμπτος ἑξῆς ἐστι λόγος, περὶ τιμῆς πατρὸς καὶ μητρός. ἕπεται τούτῳ ὁ περὶ μοιχείας λόγος, ἐπεὶ τὰ ὁ περὶ φόνου λόγος ἐπαγγελθείς. μετὰ δὲ τοῦτον, ὁ περὶ κλοπῆς ἐστι λόγος. His adde, quod Julianus desertor (quem ordinem mandatorum nemo dicet ignorasse, qui etiam Lectoris munus publicè in Ecclesia aliquamdiu obiisse sciat) eopse ordine hæc præcepta referat: ut antea vidimus. Neque Cyrillus, Alexandrinus episcopus, hoc eum nomine reprehendit: ut liquet ex initio lib. v. adversus Julianum. Alios etiam veterum advocare possem: sed vel hæc sola, an non aperte ostendant, in LXX. interpretum tralatione Exodi cap. XX. præceptum de mœchatione ante mandatum de cæde poni olim solere, penes antiquitatis intelligentes arbitratus esto.

a P. 580. edit. Græco-Lat.

b P. 187.

c Edit. Commel. pag. 201. 202.

DISPUTATIO VIGESIMAQUINTA

DE

ORATIONIBUS

ET

OBLATIONIBUS PRO DEFUNCTIS.

THESIS I.

IN Canonicis Veteris Testamenti libris, nullum vel præceptum, vel exemplum habemus precum vel oblationum pro mortuis.

Nihil hic, quod ullo cum colore obducant, Pontificii habent, præter factum Iudæ, quod narratur 2 Machab. cap. XII. Hoc quam nihil nobis adversetur, deinceps exponimus.

THESIS II.

In Machabæorum libris quidem legimus, ut Judas bis mille argenti drachmas miserit Hierosolymam, quò offerretur sacrificium pro iis, qui bello occubuissent: sed cum libri illi non sint auctoritatis divinæ, imò liber secundus, quo historia hæc narratur, nunquam Hebraicè extiterit, humanique scripti humanum sit compendium, & quidem tale quod cum scripturis canonicis, cum veritate historia, cum priore libro, & secum pugnet, cujus etiam scriptor veniam deprecetur:

tur : certò statuimus, nec aliud inde dogma elici posse, quàm auctoritatis humanæ.

Judæis quidem (à quorum canone in Veteris Testamenti libris Christianorum canon diversus esse non potest) hosce libros canonicos non esse: tum ex Iosepho liquet lib. 1. contra Appionem *a*, & apud Eusebium lib. III. Histor. Eccl. cap. x. *b*, tum de secundo tertioque inde paret, quod Græcè tantùm scripti sint. Nam primum (qui, etsi non divinæ, quod Gelasius putabat, melioris tamen multò notæ est) Hebraicè se vidisse scribit Hieronymus in prologo galeato. De secundo verò tertioque, quòd Hebræis notum scribit Origenes, planè is à Iudæis deceptus videtur, quâ de re vide, quæ Ios. Scal. notat ad Eusebii annum MMCCCXXXIX *c*. A Patribus quoque antiquissimis, hoc est, iis qui ante vel circa annum quadringentesimum vixerunt, Machabæorum libros pro ἀκανονίστοις habitos esse, liquet ex Synodi Laodicenæ cap. LIX. Melitone Sardensi Episcopo (qui M. Aurelii ævo vixit) apud Eusebium lib. IV. Histor. Eccl. cap. XXV. Origene apud eundem lib. VI. cap. XIX. Eusebio Chron. can. ad annum MDCCVI. Athanasio in Synopsi scripturæ. Cyrillo sive Iohanne Hierosolymitano, lib. 4. *d* κατηχῆς, Hilario prologo in Psalmos, Epiphanio hæres. VIII. quæ Epicureorum, item lib. de mensuris & ponderibus *e*, Hieronymo in prologo Galeato, & alii passim: Ruffino in Symbolo, tnem. XXXVI. Augustino Tom. 7. contra secundam Gaudentii Epistolam lib. II. cap. XXIII. item illo ipso loco, ad quem tantopere provocant Pontificii, lib. XVIII. de Civ. D. cap. XXXVI. &c.

a Pag. 919. edit. Gr. Bas. b Gr. cont. Latina vero translat. cap. IX.

c P. 129.

d Pag. 100. edit. Morel. anno 1608. e P. 133. & 534. Gr. lat.

Quod ad Gelasium attinet, cùm is vixerit anno quingentesimo, & Gregorius Magnus, qui anno vixit sexcentesimo, Moral. 1. cap. neget esse Canonicos, verisimile est falsum esse de Gelasio quod dicunt. Et sanè Antoninus in Summâ summarum part. 3. lib. 18. cap. 6. art. 2. dicit, *librum Machabæorum non esse satis efficacem ad probanda ea qua ad fidem pertinent.* Et de hoc inquit habetur distinct. 15. cap. *Sancta Romana in Palea.* Illud caput complectitur verba Gelasii quæ citat Bellarminus. Non habentur quidem illa verba hodie in *Palea* (signans non res leves paleæ instar, sed vel *πι πάλαιά*, vel virum magni nominis, Cardinalem fuisse dicunt aliqui) sed cùm olim lecta sint, verisimile est etiam apud Gelasium olim eadem extitisse.

Ne in Concilio quidem Florentino Machabæorum libri relati inter Canonicos. Nam canon ille in summâ Caranzæ, qui videtur aliud docere, est suppositiitus, ut liquet ex omnibus editionibus Conciliorum, sive illa, sive Surii, sive Nicolini, sive Binnii. Vetus autem est dictum, si rubrica contradicat nigro, nigro potius standum quàm rubricæ.

Quod ad Concilium Carthaginense III. cujus canone 47. Machabæi inter Canonicos commemorantur, non habentur ea verba in Græcis codicibus, vel Latinâ Basileensi, aut Parisinâ Tilii. Deinde ex eo quod subjicitur de Bonifacio episcopo Rom. liquet hoc Concilium esse vitiatum, quia tertium Concilium tempore Siricii Papæ fuit celebratum. Bonifacius verò multò post vixit: ut ad eum locum agnoscit editio Binniana & quædam antecedentes. Quare si illic interpolatum agnoscant quidam, & hic idem factum putemus, cum verba ea in Græcis & quibusdam Latinis non legantur.

Horantius Hispanus dicit omnes doctores omnis ætatis & omnis gentis retulisse Machabæorum libros inter Canonicos. Vide eum lib. III. loc. comm. cap. 22. pag. 128. At repugnat Coquæus examine præfationis regiæ, pag. 198. ubi fatetur Ruffini tempore eos libros nondum habitos pro Canonicis. Etiam hoc addo, Carolum Sigonium plus tribuisse Iustino quàm libris Machabæorum; ut est apud Possevinum bibliothecæ lib. IV. cap. 13.

Imperator cùm promulgasset edictum adversus Donatistas, & Dulcitium tribunum ad ejus executionem misisset, isque ad Gaudentium scripsisset, cederet Ecclesia suâ, respondit Gaudentius, se concrematurum cum Ecclesia suâ. Nempe Circumcelliones & Donatistæ putabant pium esse martyrium semet interficere, seque defendebant facto Rhaziæ. Augustinus ei respondet *a*, *Laudatum Rhaziam*, sed quomodo historiæ gentium suos laudant, non ut martyrem Christi, sed ut virum fortem hujus seculi. Postea in eo non acquiescens responso, ad minuendam ejus libri authoritatem sic scribit, *Et hanc quidem scripturam qua appellatur Machabæorum, non habent Judæi sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis, dicens, Oportebat impleri omnia qua scripta sunt in lege & Prophetis & in Psalmis de me : sed recepta est ab Ecclesiâ non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur*, &c. Ubi libros Machabæorum probat non esse canonicos, partim testimonio Ecclesiæ Iudaicæ, partim authoritate Christi, & ex parte etiam Ecclesiæ Christianæ, quæ eos secundùm quid tantùm recepit. Nempe quia non inutiliter putat legi, si sobriè fiat. *Sobriè*, 1. si ea quæ leguntur, cum scripturis conferantur & bona retineantur, ut se interpretatur epistolâ LXI. ad Dulcitium. Non ita frigidè locutus esset Augustinus, si voluisset eum librum receptum ut parem divinis, ut diceret RECEPTUM NON INUTILITER, sed si SOBRIE legatur. Respondet Bellarminus etiam Geneseos librum debere sobriè legi, quia illic narratur Iudæ incestus. R. Dissimilem esse rationem. Hic Raziæ factum laudatur; illic incestum vituperatur, quia Iudas ipse socrum Thamaram flammis judicabat dignam ob solum concubitum : multò igitur magis idem sensisset ob incestum, nisi se caussam esse incestus esse cognovisset, eoque se magis supplicium illud commeritum scilicet quàm socrum. Sanè Petrus à Soto ex loco illo Augustini colligit Augustini tempore fuisse dubitatum de libris Machabæorum. Vide eum de institut. sacerdotum lect. 1. de purgat. In contrarium obducuntur Canones Apostolici : sed illos esse apocryphos agnovit Isidorus & ex eo Gratianus. Et sanè quis ferat Clementis constitutiones inter Canonicos N. T. libros in iis recenseri? quis hoc veterum aut recentium unquam sensit? Etiam Canonicos esse hos libros probare conatur Bellarminus ex Cypriani libro ad Fortunatum de exhortatione Martyrii : sed eum librum non Cypriani esse, sed Hilarii, cum ex styli vicinitate, tum Hieronymi authoritate probat Marianus Victorinus annot. in Tom. 2. Hieron. scholiisque in apologiam ad Pammachium. Etiam Serrarius provocat ad Victorinum in Apocalypsin. Sed non esse Victorini agnoscit Malvenda, & inde liquet quod Victorinus, Hieronymo teste, fuerit Chiliasta; hic verò scriptor Chiliastarum errorem refutet. Idem Serrarius provocat ad Prosperi libros de Promissionibus & Prædictionibus: sed eos non esse Prosperi cùm stylus arguit, tum quòd Gennadius hujus operis non meminit, ac Prospero quoque abjudicat Olivarius.

a Lib. 2. contra secundam Gaudentii epist.

Sanè apud Iudæos hanc obtinuisse consuetudinem probati non potest. Obducit Bellarminus Iosephum Gorionidem; quem Munsterus eundem ac antiquitatum scriptorem, Genebrardus in Chronolog. æqualem saltem fuisse censet : sed falluntur uterque, cùm eum post Hieronymi ætatem vixisse inde colligatur, quòd meminerit Gothorum Hispanias, Francorum Gallias inundantium & occupantium : quod nisi ætate Hieronymi : ut paullò post scribi potuerit. Adde quòd alterius Iosephi Hieronymus sæpè meminit; hujus nunquam, ne quidem in scriptoribus Ecclesiasticis, neque vetustiorum quisquam. Itaque Ribera ipse Obadinum. 110. post Hieronymum eum vixisse cogitur agnoscere. Ac suppostitium esse dicunt Baronius & Possevinus : Fabulosissimum vocat Maldonatus. Vide Censuram Cuenii.

Thesis III.

Etiam dubitari possit, an Judas voluerit sacrificium fieri, quo mortui ipsi expiarentur: ac non potiùs (quod scriptor ille non animadverterit) offerri jusserit pro Ecclesia totius peccato, ne ob defunctorum crimen ira Dei in superstites quoque exardesceret.

Sanè in humani scriptoris humano exscriptore & epitomario (qualem se scriptor ipse profitetur *a*, unde & librum ipsum τῶν Μακκαβαϊκῶν ἐπιτομὴν vocat Clemens Alexandrinus *b*) non minùs ex charitate judicium ferri videtur, si præsumentes non dicta, Judam pium existimamus crimini maximo, quam si dictis credentes, ambos, & Judam facti non pii, & scriptorem non piæ laudationis agamus reos.

a 2 *Mach.* 2. v 24. 27. 29.
b *Lib.* 5. *Stromat. pag.* 254 *edit. Commel.*

Thesis IV.

Et tamen, ut concedamus Judam pro mortuis hoc egisse, non eo Pontificiorum sententia comprobatur. Nam censent Pontificii pro veniali tantummodo peccato orari & offerri debere. Hic verò, pro quibus ex Judæ præscripto oratum oblatumque fuisse arbitrantur, mortalis peccati erant rei: ut qui de anathemate, hoc est de rebus, quæ idolis Jamniæ sacrata erant, suffurati essent, contra legem, quæ habetur Deuter. XIII. 17. *& comminationem quæ est Jos* VII. 12. *&c.*

Quod Bellarminus, ejusque ὑπερασπιστὴς Gretzerus, & alii dicunt, fortean aliquos eorum ditescendi cupiditate anathemata esse suffuratos, atque ita ex mortali peccato futurum fuisse veniale; id ex jure ipso Pontificio refellitur, in quo disertim negatur, ob finem hujuscemodi culpam fieri venialem. Vide decretum Gratiani *dist.* XXV. *C. unum §. qua autem.* Nec majoris ponderis est, quod ex Lyrano addunt, fortasse morientes facti pœnitudine ductos: juxta illud Psalm. LXXVII. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum.* Neque enim sacrificium pro tanti criminis reis fieri debuit, de quorum pœnitentiâ haud certò constaret. Adhæc eam conjectutam incertam minimeque verisimilem reddit, quod morientes non abjecerint anathemata, sed ea sub tunicâ adservarint: ut patet ex vers. 40. Et hæc de temporibus Veteris Testamenti.

Thesis V.

Sed neque in Novi Testamenti libris ullum talium orationum aut oblationum, vel Christi Apostolorumve mandatum, vel cujusquam exemplum legere est.

Non-necessitas orationum oblationumque pro mortuis inde evincitur, quod reticentur in scripturis: in quibus ut nihil falsi scribitur, ita nihil veri non scribitur, quod sciri quidem salutis nostræ intersit.

Thesis VI.

Verissimum interim est, orationes & oblationes non in funeratione solum, sed anniversariâ etiam die jam à nato Christo, tertio quartoque minimùm seculo fuisse usurpatissimas.

In funeratione moris fuisse, ut non tantùm pro mortuis preces conciperentur, sed etiam nominarentur sancti ante defuncti; autor est scriptor antiquus, Dionysius cognomento Areopagita, quem ut Apostolis haut ὁμήλικα esse certissimum est: ita tertioquartove potiùs seculo vixisse non uno nomine fit verisimile. Hic cap. ult. Ecclesiasticæ Hierarchiæ in istum modum describit ritus, qui in funeratione usurpari solent: uti ex eo etiam observavit Desiderius Heraldus ad IV Arnob.

I. Defunctus à propinquis ad Episcopum deferebatur, ut sacras pro eo preces conciperet, fortemque athletam coronâ donaret.

II. Propinqui hi decantabant Deo hymnos, quibus & Deo gratias agerent, & sibi similem requiem optarent.

III. Postea Episcopus etiam concipiebat εὐχὴν εὐχαριστικὴν, quòd defunctus in cognitione Dei & militiâ Christianâ ad mortem usque perseverasset.

IV. Recitabantur promissiones, quæ in scripturis de promissione exstant, & hymni eodem pertinentes decantabantur. Atque hæc quidem præsentibus Catechumenis fiebant.

V. Dimissis verò Catechumenis, antistes sanctus antè defunctos commemorabat, & quasi victores clarâ voce pronunciabat, parique laudatione eum prædicabat dignum, qui paullò antè excesserat è vitâ, hortabaturque omnes, ut ejus imitatione beatum quisque finem sibi in Christo exposcerent.

VI. Deum precabatur, ut (verbis Dionysii Latinè expressis utor) *omnia peccata, quæ humana imbecillitate admissa sunt, ei qui excessit è vita, remitteret, & eum in lucem ac regionem viventium, in sinus Abrahæ, Isaac & Iacob deduceret, in locum, a quo fugit dolor, tristitia & gemitus.* Atque addit Dionysius, antistitem hujusmodi oratione animam quasi comitari ac prosequi: & quid animæ futurum sit, enunciare: eoque divinæ voluntatis precatione suâ esse quasi interpretem.

VII. Osculo pacis salutabat defunctum antistes, & post eum alii idem agebant, qui adessent.

Porrò etiam in quaque Ecclesiâ quotannis stata die solitos in mysteriis commemorari, qui in Christo obdormiissent, autores sunt nobis (ut eos solùm nominemus, qui tertio seculo vixerunt) Tertullianus lib. de Monogamiâ cap. X. & exhortatione ad castitatem cap. XI. Cyprianus epist. LXVI. ad Clerum & plebem Furnitanorum, Arnobius lib. IV. adversus nationes pag. 191. edit. Par. &c. Quamquam autem pleræque oblationes tam ad sacras synaxes, quàm ad eleëmosynas pauperibus erogandas, ex legatione defunctorum aut amicorum liberalitate fiebant: (unde etiam, sacra synaxis δῶρον seu doni nomine appellabatur, ut accuratius docet Casaubonus adversus Baronium *a*,) non idcirco tamen orationibus & oblationibus caruisse, qui opibus & amicis destituti naturæ concessissent, clarè indicant hæc verba Augustini T. 4. de curâ pro mortuis cap. IV. *Supplicationes faciendas pro omnibus in Christianâ & Catholicâ societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab unâ eis exhibeantur piâ matre communi.*

a *Exercit.* 16. *cap.* 51.

Thesis VII.

Imò si eos audimus, qui circa annum quadringentesimum vixere: jam tum per universam hic mos obtinebat Ecclesiam.

Liquet hoc ex August. T. 4. de curâ pro mortuis gerendâ cap. 1. Nam cùm Paullinus scripsisset, *vacare non posse, quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit*: confirmat illud Augustinus his verbis: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium. Sed & si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et Tom. 10. de verbis Apostoli serm. XXXII. *Hoc à patribus traditum, universa obser-*

observat Ecclesia, ut pro iis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemeretur.

Thesis VIII.

Fuere autem orationes & oblationes primitùs institutæ, partim ad agendas Deo gratias, eumque glorificandum in servis suis: partim ad promeritam laudem eorum, qui in Domino obdormissent: partim quò excitarentur alii hoc pacto ad imitationem defunctorum: partim ad fidem, spem, charitatem, ordinemque publicè testandum. Fidem quidem, quia vitâ licet functos vivere vitam beatam crederent: spem, quia eodem adspirarent: charitatem, quia dulcem eorum memoriam retinerent: ordinem, quia judicarent in Domino mortuos, eminentiori forte, infra Christum tamen esse constitutos.

Orationes pro mortuis antiquitùs erant ἐυχαριστικαὶ καὶ ἐγκωμιαστικαί: ut eædem in his causæ habeant locum, ob quas acta martyrum describi, & referri solere auctor est Basilius orat. pro Gordio Martyre, ubi sic ait: Δοξάζομεν πρῶτον τὸν δεσπότην a, &c. GLORIFICAMUS *cum primis dominum per servos suos, deinde justos per testimonium eorum quæ scimus* LAUDAMUS: *& populum per honestè factorum narrationem exhilaramus. Nam* EXHORTATIO *ad temperantiam est vita Joseph, & ad fortitudinem vita ipsius Sampsonis.* Sed imprimis clarè, cur nomina defunctorum ad mensam Domini recitarentur, aperit Epiphanius hæres. LXXV. Ἔπειτα δὲ περὶ τοῦ ὀνόματα λέγειν τῶν τελευτησάντων, &c. *Deinde verò de eo quod nomina dicuntur defunctorum, quid hoc instituto fuerit præstabilius? quid hoc opportunius & admirabilius? tum quod qui adsunt* CREDUNT *defunctos vivere, neque esse in ἀνυπαρξίᾳ, hoc est conditione eorum, qui esse desierunt: sed eos esse & vivere apud Dominum, & (ut maximè veneranda prædicatio declarat)* SPEM *esse iis, qui orant pro fratribus, ac si in peregrinatione essent.* Et paullò post: *Sed & mentionem facimus pro justis, & Patribus, & Patriarchis, & Prophetis, & Apostolis, & Evangelistis, & Martyribus, & Confessoribus, Episcopis & Anachoretis & ordine universo, ut Dominum Iesum* SEPAREMUS AB *aliorum hominum* ORDINE, *propter honorem qui debetur ipsi, & ut gloriam reddamus ipsi, &c.* Possemus quoque, nisi brevitati studeremus, confirmare hanc rem ex veteribus liturgiis: quamquam pleræque earum suppositititiæ, aliquæ genuinæ quidem eorum quibus adscribuntur, sed multimodis à posteris interpolatæ. Unde est quod Basilii Liturgiæ vetus translatio tantum dissidet à novâ ac Græco contextu, & ab utraque translatione tantùm differt ea quâ Syri utuntur sub nomine Basilii. Itidem quòd Chrysostomiana Missa Morellii plurimum differt à versione veteri Leonis Thusci: & ab utraque discrepat ea quam Erasmus in gratiam Episcopi Roffensis fecisse creditur vulgo, sed parum verisimiliter, cùm ea biennio post Roffensis, anno post Erasmi mortem prodierit in lucem. Ac nihil mirandum fit si post obitum quædam sub Erasmi nomine, ad majorem scriptis comparandam authoritatem, edita sint, cùm se etiamnum vivo factum id conqueratur à Dominicano Parisinæ civitatis, ubi Erasmica translatio Missæ primùm vulgata est.

a Gr. text. pag. 240. edit. Bas. a. 1551.

Thesis IX.

Et hos quidem publica Ecclesiæ actio habuit fines. Ab eâ verò privatas quorundam Patrum opiniones distingui oportet. Nam negari non potest, nonnullos eorum existimasse, orationes & oblationes ipsis mortuis esse utiles: idque ratione status ejus in quo essent animæ separatæ. Nempe arbitrabantur animas ad resurrectionis usque diem in pœnâ damni (quæ in carentiâ unionis personalis cum corpore, & privatione divinæ visionis consisteret) per preces oblationesque vivorum levari tædio istius moræ, quo resurrectionem, plenamque Dei visionem exspectarent. Præterea preces addebant, quæ resurrectionem & judicium extremum spectarent. Sed nec de istis idem omnes sentiebant. Epiphanius quidem, Augustinus, & aliquot alii (quorum iccirco sententiam ut privatam opinionem, non ut judicium Ecclesiæ accipi oportet) preces oblationesque pro defunctis ad omnes tam malos quàm bonos Christianos extendebant, damnationemque malorum, licet mutari non posset, levari tamen posse, fide dubiâ crediderunt. Verùm cùm unusquisque prout hic vixerit, aut vitam sortiatur æternam, aut gehennæ pœnis afficiatur: liquet orationes istiusmodi significasse quidem in viventibus animi affectum, at minimè probasse veritatem ejusque effectum, quem illi animo non malo malè imaginarentur. At alii, quorum institutum magis probari debet, tantummodo postulabant à Deo, ut, qui in fide obdormissent, juxta divinam promissionem, inter eos, qui ad gloriam resurgerent, conspici possent: utque in severo illo judicio Dei, quo etiam otiosi cujusque dicti rationem singulos reddere oporteret, eorum, quæ hic deliquissent, memor esse nollet, propter meritum filii sui, in quem credidissent.

Quia ut Augustinus a ait, *vita carnis anima est, vita animæ Deus*: ac in statu animæ separatæ nec caro unita est animæ, nec anima plenè fruitur Deo: hinc veteres colligebant, tempore eo, quod inter hominis mortem & resurrectionem ejus interpositum est, gaudere quidem piorum animas, sed sic tamen, ut hæreant quodammodo in plenioris gaudii exspectatione. Hinc idem Augustinus de civ. D. lib. XIII. *Resurrectionem corporum, in quibus multa dura perpessi sunt, nihil in eis ulterius tale sensuri, desiderabiliter & patienter exspectant.* Non poterat clariùs indicare, vivere quidem animas & sibi & corpori separato: veruntamen adfectionem quandam retinere erga corpus peccato divulsum, quod ex promissione divina uniri sibi desiderent. Et quid manifestius est illis Ambrosii verbis in fine orationis de obitu Valentiniani. *Te quæso summe Deus, ut charissimos juvenes* MATURA *resurrectione suscites & resuscites, & immaturum hunc vitæ istius cursum* MATURA *resurrectione compenses.* Quemadmodum autem hoc loco optat Ambrosius, malum immaturi obitus pensari bono maturæ resurrectionis: ita è contrario sit Tertullianus, malum culpæ pensari etiam malo damni, hoc est, peccata hujus vitæ pensari mora resurrectionis. Sic enim scribit lib. de anima cap. ult. *In summâ cum carcerem illum, quod Evangelium demonstrat, inferos intelligimus; & novissimum quadrantem, modicum quoque* DELICTUM MORA RESURRECTIONIS *illic* LUENDUM *interpretamur: nemo dubitabit animam aliquid* PENSARE *penes inferos, salvâ resurrectionis plenitudine* PER CARNEM *quoque.* Quo ex loco *mora damnum* appellare possumus, quod scholastici vocant pœnam damni, ac eo à pœnâ sensus distinguunt, quod hæc sit afflictiva, illa in solâ boni privatione consistat: nempe tum in eo, quòd corpora jaceant animis destituta, & animæ careant personali cum corporibus conjunctione; tum istoc, quòd nondum desideratissimâ fruantur voluptate divinæ visionis. Atque hæc de statu animæ separatæ.

a Tom. 9. Tract. 47. in Ioh.

Præterea iidem cogitabant formidabile in se fore judicium divinum: quippe in quo ex Evangelio didicissent, otiosi etiam verbi reddendam quibusque rationem. Hac propter Deum rogabant, ut piè defunctis extremi judicii

die, juxta promissionem in Christo factam, peccata sua non imputaret: non quasi peccata aliqua, quæ hic remissa non sunt, istic sint remittenda: sed quia quod semel remittit, remittat semper, completamque extremo habiturum sit remissionem. Sanè Christus cùm Matt. XII. 32. dicit peccatum in Spiritum Sanctum neque in hoc seculo remitti, neque in futuro, non quidem indicat aliqua peccata in futuro seculo remitti quæ hic non remittantur; significat tamen etiam in futuro seculo remissionem habere locum; nempe eorum peccatorum, seu mortalium seu venialium, quæ hic remissa fuerint prius, & ad quæ sola se misericordia Dei extendit post hanc vitam. Eoque Hier. Zanchius de attributis Dei lib. IV. cap. 4. quæst. 5. hanc quæstionem tractans, An locus sit misericordiæ post hanc vitam, eam sic definit argumento nono, *Nemini post hanc vitam remitti peccata, quæ non prius fuerint hic remissa.* Quod si quando ἁπλῶς videantur Theologi nostri dicere non esse divinæ misericordiæ locum post hanc vitam, est oratio ἐπεσταλμένη, ac sic limitari debet, nisi prius peccata fuerint remissa: quomodo & istiusmodi orationem restringi debere monet Rainoldus T. 2. de Apocryphis, prælect. 174. col. 725. Nempe duplex est judicium: unum particulare singulorum in horâ mortis, alterum universale in die novissimo. Sed qui in priori absolvuntur aut condemnantur, etiam absolvuntur aut condemnantur in postremo.

Interea & errant, qui per orationes oblationesque non quidem peccata in totum tolli, sed tamen eorum remissionem impetrari facilius opinarentur: eoque etiam pertinere arbitror verba illa Epiphanii adversùm Aërium differtantis: ὠφελεῖ δὲ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη δέησις, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτει, &c. *Oratio facta pro illis prodest, etsi omnino criminibus non abrumpit, saltem ut quia dum in mundo sumus sæpe voluntarie & involuntarie labimur, significetur status perfectior. Etenim pro justis mentionem facimus & pro peccatoribus. At pro peccatoribus quidem recurrunt* (θεώμενοι, recurrentes, nisi malis θεώμενοι, respicientes) *ad misericordiam Dei. Pro justis verò, &c.* Nec multùm repugno, si quis huc quoque referat verba Dionysii cognomento Areopagitæ (qui Epiphanii circiter ævo vixisse videtur) Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. VII. part. 3. ubi cùm quæstionem istiusmodi movisset. Cur precemur pro defunctis, cùm sciamus unumquemque simul ac hinc excesserit, secundùm eam, quam hic vixerit vitam, aut præmia consequi, aut pœnas: respondet ei quæstioni in hunc modum: *Justorum bonorumque preces etiam in hac vitâ, nedum post mortem, iis tantùm prodesse, qui digni sunt sanctis precibus.* Cui geminum illud August. Tom. 10. de verbis Apostoli serm. XXXII. *Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possent eis hæc utilia esse post mortem.* Sed Tertulliani aut Cypriani ævo hoc ullos sensisse, probari minimè potest. Nec Epiphanii ætate ea omnium mens fuit. Eoque privatam quorundam opinionem distinguere oportet ab judicio Ecclesiæ: quæ universa, ut Augustinus testatur, nomina defunctorum ad dominicam mensam recitabat: verùm longè alios ob fines, quos ante indicavimus.

Ex iis quæ hactenus diximus, planum fit, quibus de causis veteres defunctis optarint refrigerium, pacem, lucem: ac quâ mente primitus in Canone Missæ, commemoratione pro defunctis dici soleat: *Ipsis, Domine, & OMNIBUS in Christo quiescentibus, locum REFRIGERII LUCIS, & PACIS ut indulgeas deprecamur.* Nempe respicientes statum animæ separatæ, refrigerium postulabant propter æstum desiderii, quo ad resurrectionem & gloriæ plenitudinem animæ anhelarent: lucem item iis optabant, hoc est lumen beatæ visionis: item pacem, hoc est ab omni etiam damni malo immunitatem. Quanquam, nec multum adversari velim, si quis vel omnia vel aliqua horum referre malit ad resurrectionem & judicium extremum. Nam cùm anima corpori unita erit, plenè restinguetur æstus animæ ad plenitudinem gloriæ anhelantis: unde Act. III. 19. ἀναψύξεως sive refrigerium cum Christi jungitur adventu. Nec dubium est, quin veteres inde vocem hauserint refrigerii, quam in hujus loci citatione etiam retinuit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. XXIII. & Irenæi interpres lib. III. cap. XII. Nec minus commodè lux refertur ad statum animæ jam corpori redunitæ: quia post resurrectionem anima corporeque pervenimus ad lucem illam inaccessam quam inhabitat Deus: antea verò temporis corpora *in obscuro collocantur*: ut de iis loquitur David Psal. CXLIII. 3. & Ierem. Thren. cap. III. 6. Denique pacis etiam vocabulum videri queat acceptum ab Ecclesiæ consuetudine, qua lapsis, quos absolveret, pacem se dare dicebat. Sic enim loquitur Cyprianus ad Antonianum Epist. LII. & ad Fidum Epist. LIX. & serm. de lapsis tm. 13. Quemadmodum autem refrigerium, lucem, pacem: ita etiam in prima resurrectione consortium, aut veniam peccatorum precabantur. De priori liquet ex illo Tertull. de Monogamia cap. X. *Enimvero &* (uxor) *pro anima ejus orat, & REFRIGERIUM interim adpostulat ei, & IN PRIMA RESURRECTIONE CONSORTIUM.* Quo loco refrigerium plane referri debet ad statum animæ separatæ: ad statum vero sequentem pertinet, quod postulari ait resurrectionem ad gloriam. Cui simile votum in vulgaribus Missalibus in postcommunione: ubi oratur, ut *mortuus partem in beatâ resurrectione obtineat, & resuscitatus inter sanctos & beatos respiret.* Veniam verò peccatorum postulasse indicat Arnobius lib. IV. adversus gentes, cum ait: *In quibus* (conventiculis Christianorum) *summus oratur Deus, PAX CUNCTIS ET VENIA postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, ADHUC VIVENTIBUS, ET RESOLUTIS CORPORUM VINCTIONE.* Atque hæc satis ostendunt, veteres etsi scirent omnes in Christo mortuos resurrecturos ad gloriam, nec peccata iis, sed fidei justitiam extremo judicio imputatum iri: utrumque nihilominus à divina misericordia postulasse. At orasse eos ad animas à purgatorii flammis liberandas, nullis fidiculis ex superioribus, vel aliis Veterum locis extorqueri potest.

THESIS X.

Et sanè citra purgatorium caussas esse potuisse, propter quas preces oblationesque fierent pro mortuis: invicto illud argumento est, quod etiam orârint & obtulerint Veteres pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, Martyribus & Confessoribus: quos minime à morte flammis purgantibus torqueri, sed confestim in cælos recipi, cumque Christo beatam agere vitam, ipsi agnoscunt Pontificii.

Fuisse veteribus alios orandi & offerendi fines propositos, quàm ut animas è purgatorio liberarent, vel eorum tormenta lenirent: clarissimè præter cæteros testantur Dionysius Eccl. Hier. cap. VII. part. 3. & Epiphan. adversus Aërium hæres. LXXV. quibus locis uterque de caussis supplicationum & oblationum pro defunctis, fusè, & ex professo tractant: sed de istac liberatione è purgatorio ne mu quidem Lucillianum apud eos invenias. Præterea cum adversarii fateantur, multorum animas non subire purgatorium, hinc quoque discrimen maximum apparet, quando varia jam veterum loca adduximus, quibus clarè testantur, preces, oblationesque pro universis in fide defunctis fieri solere. Ac speciatim de Martyribus idem ostendit Tertullianus libro de coronâ militis cap. III. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.* Ubi per natalitia non τὰς γενεθλίους ἡμέρας cum Rhenano & aliis intelligere debemus, sed passionis dies, quibus martyres secundum

vi-

vitam animalem ac temporatiam orbi denascentes, vitam spiritualem ac æternam vivere cœperunt. Sic enim & concilii Laodicensis cap. LI. & LII. prohibitum legimus, ne vel nuptiæ, vel Martyrum natalina in Quadragesimâ celebrentur. Nempe quia luctus tempori festiva illa solemnia minimè convenirent. Ac Origenes quoque sive potius antiquus quispiam sed Latinus *a*, isque Arrianus scriptor in lib. III. Iobi disertè testatur, veteres Christianos non natalem diem celebrasse, utpote ærumnarum exordium, sed mortualem, utpote earundem finem atque gaudii exordium. Atque addit *b*, *Propterea & memorias sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.* Origenis quoque συγχρονος Cyprianus Epist. XXXIV. ad Clerum & plebem: *Sacrificia*, inquit, *pro eis semper, ut meminitis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemorationo celebramus.* Et Epist. XXXVII. ad Clerum: *Denique & dies eorum quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster pro catera sollicitudine & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, (qui nec illic circa curam corporum deest,) scripserit ac scribat ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosa mortis exitu transeunt, ut celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum, Domino protegente, celebrabimus.* Est & similis locus apud Clementem lib. VIII. Apostolic. constit. cap. XVIII. ubi constitutionem Jacobi fratris Johannis recensens, de oblatione sic ait: *Etiam*, inquit, *offerimus tibi pro omnibus qui à seculo placuerunt tibi, sanctis Patriarchis, Prophetis, Iustis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, &c.* Ex quibus locis planissimum fit, orationes & oblationes, non pro aliis solùm, sed ipsis etiam Prophetis, Apostolis & Martyribus fieri solere. Objici adversus hæc solet illud Augustini serm. XVII. de verbis Apostoli: *Injuria est pro Martyre orare.* Sed (ut loca istiusmodi præter alios conciliat Ferdinandus de Mendoza lib. III. de confirmat. concilii Illiberitani *c*) loquitur Augustinus de oratione ad expiationem peccatorum: at Cyprianus & Clemens (verus an ἀποστολιμαῖος nunc non moror) agunt de oratione ad gratiarum actionem ob constantiam & animi firmitatem Martyribus concessam. Porro eandem pro Patriarchis & Martyribus orationem habent ψιλὰ διηγήματα missæ S. Marci, col. 22. & S. Jacobi.

a Vide censuram Roberti Coci.

b P. 500. edit. Bas. a. 1536.

c P. 148.

Thesis XI.

Mos verò eum in finem pro defunctis orandi ut cessent vel imminuantur tormenta purgatoria, quibus animæ alioqui vel diutius vel durius cruciarentur: non antequam inventum esset papale purgatorium, locum habere potuit: hoc est non nisi circa aut post annum Christi quadringentesimum.

Nempe, uti disputatione superiori ad quæstionem tertiam ostendimus, ante Augustini tempora ignotum veteribus fuit papale purgatorium: unde consequitur, nec antea temporis eos opinatos fuisse, animas suffragiis vivorum è tormentis purgatorii liberari. Fuere quidem etiam ante tempora Augustini orationes pro defunctis αἰτητικαὶ: sed quæ ab illis papalibus distarent, *Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano*, ut poëta loquitur. Nempe ut ex iis quæ antea commemoravimus, liquet, & disertim scribit Franciscus Iunius adversus Bellarminum de purgatorio lib. I. cap. X. *Cùm juvari animas cœperunt credere, intellexere de adjumento in bonum: postea verò, invalescente errore purgatorii, intellexere de adjumento ad liberationem illius. Priorem sententiam TOLERAMVS; posteriorem PERNEGAMVS, quia adversatur gratiæ & veritati Christi salvatoris nostri.* Sanè posterior doctrina tum correctioni, tum consolationi hominis adversatur. Correctioni, quia significat posse homines, si in peccatis vivant usque ad mortem, tamen ab illis absolvi; unde sequitur carnalis securitas. Consolationi, quòd dicat fideles, postquam ex hac vita excesserint, graviores multò pœnas in purgatorii flammis luere debere, quàm hic pertulerint in terris.

Sanè si ob posteriorem illam opinionem florentissimis tot Ecclesiis se opposuisset Aerius: laudem pietatis ac zeli etiam meruisset maximam. Nunc verò elogio istoc indignus videtur, quandoquidem tam ob prioris quàm posterioris generis orationes se ab Ecclesiâ Dei separabat. Nec tamen eo nomine summùm plusquam schismaticus putari debet. Quippe à veteribus hæreticus quidem dicitur, sed eò quòd, ut testantur, Epiphanius *a* & Augustinus *b*, Arrianum dogma amplecteretur: cui & hoc quod diximus, & alia de suo accudit, ut probabiliùs & hæresim tueretur & schisma.

a Hær. 75.

b Lib. de hæres. c. 53.

DISPU-

DISPUTATIO VIGESIMASEXTA
DE
VIRTUTIBUS GENTILIUM.

Ne in ferenda sententia de Nationum virtutibus & præclarè factis, vel rosam cum anemone conferamus, vel ex cloaca faciamus arcem, quorum utrumque vetamur proverbio: sedulò considerare oportet, quæ sint boni operis conditiones; & an hæ conveniant illis, propter quæ homines à Christo alieni, monumentis virorum præstantium, perennitatem honesti nominis sunt consecuti.

THESIS I.

PRima boni operis conditio est, ut fiat secundum legem Dei. Nam Dei mandatum est Ezech. cap. XX. 19, In præceptis Meis ambulatote. *Bonum igitur esse negamus, non tantùm, quod disertim prohibetur lege divinâ: ut furtum, adulterium, aliaque id genus: sed verò etiam cultum divinum arbitratu humano institutum: quem* ἐθελοθρησκείαν *Apostolus vocat Coloss.* II. 23. *Nam damnat illum Christus Matt.* XV. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. *Vide & Ies.* XXIX. 13. *&* LXVI. 3. 4.

Cum in actu quocunque duo spectantur, quid fiat, & quomodo fiat; utrumque etiam in operibus pietatis considerari debet. Primùm igitur requiritur, ut in se bonum sit opus. Eoque necesse est, ut conveniat legi divinæ. Solus enim Deus, utpote sapientissimus & potentissimus, & cui hoc ipsum debeamus, quod sumus, jus habet præscribendi normam cultus sui, à qua quod aberrat, peccatum est, teste Iohanne. I. III. 4. Deinde opus est, ut, quod est in se bonum, fiat SICUT OPORTET: quomodo loquitur concilium Arausicanum II. can. VI. & XXV. De priori conditione, cum res plana sit, non est quod plura dicamus. Videamus igitur quæ præstent, ut bonum bene fiat.

THESIS II.

Altera boni operis conditio est, ut fiat ad gloriam Dei; juxta illud Apostoli 1 Cor. X. 13. Omnia ad Dei gloriam facite. *Adi etiam Matth.* V. 16. *Philipp.* I. 11. *&* I *Pet.* IV. 11.

Conditio hæc petitur à fine: de quo sic Augustinus lib. IV. cont. Iulian. cap. IV. *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Et aliquanto ante: *Cum non ad suum referuntur auctorem* (virtutes quæ sunt) *dona Dei, hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti.* Duobus verò modis referri aliquid ad Dei gloriam dicitur. Primum formaliter & explicite, quando aliquis cogitat cum animo suo, eò hoc sibi agendum esse quia nomini divino sit gloriosum. Deinde virtualiter & implicitè, cum quis divinæ studens gloriæ, eoque nihil facere decernens, nisi quod legi congruat; & ad hoc gratiam Dei quotidie exposcens, boni quippiam facit, de universali fine actu non cogitans; sed solum particularis finis bonum intendens. Nam talis quoque actio ad gloriam Dei fieri censetur, quia quod honeste agit, hoc provenit ex proposito nihil agendi, nisi quod conscientia voluntati divinæ congruere dictàrit. Hujusmodi autem propositum oritur ex voluntate omnem vitam suam ad Dei gloriam componendi. At qui tale propositum planè non habet, is etiam cum particulare bonum intendit, tamen ad Dei gloriam nec formaliter, nec virtualiter agere censetur.

THESIS III.

Quia verò opus bonum ad Dei gloriam fieri debet, eò requiritur, ut charitate illius fiat, qui præcepit, ut fiat. Quæ idcirco tertia boni operis conditio est. Hinc B. Paulus ad Rom. XIII. 10. Plenitudo legis est dilectio.

Apostolicum hoc elogium trifariam convenit dilectioni divinæ. Primum REDUCTIVE, quia charitatis mandato omnia legis & Prophetarum præcepta comprehenduntur; teste Christo apud Matthæum XXII. 37. & seqq. Deinde AFFACTIVE, quia qui Deum amat, ita comparatus est, ut obedire ei velit, unde charitas rectè Augustino dicitur radix, ex qua omnes pullulant virtutes. *August. l. de grat. Christi cap. 18. & 10* Quod de plerisque ostendit Apostolus 1 Cor. XIII. & ex eo Gregorius lib. X. moral. cap. VI. VII. & VIII. Denique FORMALITER, quia cum in moralibus finis habeat rationem formæ, ne quidem actiones per se honestæ, veræ erunt virtutis opus, nisi referantur ad Dei gloriam, quod disertim exigit Apostolus, ut antea vidimus. Hinc Augustinus lib. IV. contra Iul. extremo cap. III. *Amor fruendi quibuscunque creaturis sine amore creatoris, non est à Deo. Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo Patre per Iesum Christum cum Spiritu S. Per hunc amorem creatoris, bene quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore creatoris, nullus quisquam bene utitur creaturis.* Quod vero superius dicebamus de fine, idem hic locum habet: quia amore etiam Dei fit, quod ab amante Dei fit propter finem à Deo constitutum: utut cogitatio de Deo actualis animo non obversetur. Unde continuo subjicit Augustinus: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit, & pudicitia conjugalis, ut sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluptate propagationis. Si autem vicerit, & propter seipsam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorserit voluntas: & veniale peccatum sit, propter nuptias Christianas.*

THE-

Thesis IV.

Quod si ex charitate Dei proficiscitur omne opus bonum, etiam ex fide oriatur necesse est; quæ per charitatem est efficax. Estque hæc quarta operis boni conditio. Sane absque fide impossibile est Deo placere: *ut ait divinus scriptor ad Heb.* XI. 6. *Nec pura esse opera sine fide possunt: quia* fide purificantur corda, *ut est Act.* XV. 9. At pollutis & infidelibus nihil est purum: *ne cibus quidem: ut ait Apostolus Tit.* I. 15.

Si ex charitate operandum est, ex fide operandum est, quæ charitatis est radix. Nam *Ignoti nulla cupido*: bonum verò cognitum & poscitur, & impetratur. Unde Augustinus Epistol. CCXLIV. ad Anastasium: *Lex adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit spiritus charitatem, implet charitas legem.* Et paulo post: *Ne litera sine spiritu occidat, spiritus vivificans credentibus & invocantibus datur, charitas verò Dei diffunditur in cordibus nostris per Sp. S. qui datus est nobis, ut fiat quod idem Apostolus dicit, plenitudo legis est charitas.* Augustinus lib. IV. contra Iul. cap. III. *Absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem, ut sit justus vere nisi vivat ex fide, Iustus enim ex fide vivet. Quis porro eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum?* Et ibidem, *An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet Ergo Deo. Neque enim bono potest non placere quod bonum est. Et ubi erit quod scriptum est, sine fide impossibile est Deo placere? An respondebis, non in quantum infidelis est, sed in quantum homo est arbor bona? Per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum est, quod non possit facere fructus bonos. Quis infidelis ita infideliter sapiat? Non itaque in quantum homo est, quod est opus Dei; sed in quantum malæ voluntatis est, quisque arbor mala est, & bonos fructus facere non potest. Vide itaque, utrum infidelem voluntatem, audeas bonam dicere voluntatem.*

Thesis V.

Et ista quidem sunt bonorum operum conditiones, ratione honestatis & justitiæ, quam habent, si in se ipsis considerentur. At si de bono utili loquamur, jam ut verè bona dicantur, requiretur, ut promiserit Deus remunerari se ea velle vitâ æterna.

Veræ justitiæ proprietas est, ut promissionem habeat regni cœlestis. Augustinus lib. IV. contra Jul. cap. III. *Per quod vera justitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus, cùm & ipsum ejus regnum sit justitia: quemadmodum scriptum*
Rom. 14. *est, Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax*
Col. 1030. *& gaudium.* Et post aliqua: *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt homini virtu-*
Col. 1038. *tes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Idem ibidem: *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum potest homo ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines aliquid habere laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato? quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis, atque impia, non est bona.*

Thesis VI.

Nunc videamus an conditiones istæ, gentilium operibus conveniant. Ac de fide quidem, planum est eos hoc non habere, ut ex fide operentur. Nec enim nôrunt gentes verum Deum, etsi aliquid norunt veri Dei: quod τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ vocat Apostolus ad Roman. I. 19.

Nempe fides est donum Dei, ut ait idem Apostolus ad Rom. I. 8. Intellige autem non donum naturæ, sed gratiæ viribus obtingens. Quam rem plenius alibi explicamus.

Thesis VII.

Quod si gentiles destituuntur vera veri Dei cognitione, sane nec charitatem habere possunt: quæ est fidei fructus. Præterea Apostolus ad Rom. V. 5. *clare testatur, charitatem non esse naturæ donum, sed à Spiritu S. diffundi in cordibus nostris. Non igitur gentiles charitate Dei operantur, sed rerum creatarum.*

Cùm negamus gentiles amore Dei tangi, non loquimur de actu conditionato dilectionis divinæ, quam velleitatem vocant, sed de actu absoluto: neque de dilectione Dei, ut est bonum commune, à quo omne bonum particulare in esse dependet: cujusmodi amorem imperfectum omni creaturæ inesse docet Thomas 1. 2. qu. 109. art. 3. etiam dæmonibus, ut ait idem 1. p. 60. art. 5. ad 5. sed de dilectione Dei super omnia simpliciter negat. Quæ etsi non sistat in eo, ut quis totâ vitâ compleat Dei mandata, tamen semper est efficax pro tempore, quo actus ille dilectionis durat. Nam diligere Deum super omnia, est eum præferre omnibus nullo excepto: eoque essentialiter includit propositum absolutum non amplius peccandi, sed se suaque omnia componendi ad placitum divinum. Hujusmodi dilectionem intelligit Concilium Arausicanum II. cum can. XXV. à gratiâ esse ait *Diligere Deum* SICUT OPORTET. Nec obstat, quod communiter docetur, naturæ lumine cognosci, Deum esse summè bonum, summè amabilem, peccatum summè detestabile. Nam talis cognitio, cum sit extrinseca voluntati, solum repræsentat ei objectum & convenientiam ipsius: vires autem minimè ad hoc præbet, ut voluntas elicere actum possit dilectionis super omnia: quod omnino requirebatur. Cùm enim peccatum in voluntatis consensu perficiatur, magis voluntas per peccatum vulnerata est, quam intellectus: ut rectè Thomas docet 1. p. qu. 109. art. 2, ad 3. Atque inde est, quod etsi homo, universali judicio, utcumque videt Deum ob naturæ præstantiam & beneficiorum erga nos copiam super omnia diligi debere, judicio tamen particulari secus statuat: nempe quia dura asperaque lex videatur dirigendi potius omnia ad Dei voluntatem, quàm ad propriam voluptatem. Ex priori judicio oritur voluntas imperfecta, quam aliqui velleitatem vocant: sed ex posteriori provenit voluntas simplex, perfecta & completa: quæ propriè voluntatis nomen meretur. Nec duo illa judicia contradictoria sunt, quia aliud est judicare, quid honestas dictet; aliud quid hic, & nunc sit agendum. Sic libidinosus universali judicio statuit, se Deum diligere plus debere quam scortum, sed tamen idem cogitat, suave esse fœminis misceri: eoque, per voluptatem impulsus, posthabita honestate, Deum offendere mavult, quam scorto non pollui. Habemus hujus duplicis judicii exemplum in illo Paulino Rom. VII. 15. *Non quod volo hoc ago,* Pag. 122.
sed quod odi hoc facio. Et isto Medeæ apud Nasonem: *Video meliora proboque Deteriora sequor.* Hæc satis ostendunt, utut gentiles aliquid veri Dei cognitum habuerint, non tamen eum amasse, aut amore ipsius esse rectè operatos. Augustinus contra poster. resp. Juliani lib. I. cap. LXXXI. *Hoc est utique quod ait hæresis vestra. Ad hoc*

enim additis ET GENTILES; *ne pia fortitudinis opus, Dei gratiâ Christiani facere potuisse aut fecisse credantur, quæ Christianis est propria, non Christianis gentilibusque communis. Audite ergo & intelligite: fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit; quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est à nobis, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Idem docet Fulgentius lib. de incarnatione & gratia Christi cap. XXVI. cujus verba infra adducam. Item Gregorius homil. XXVII. in Euangelia, tractans illud: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem &c. Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis. Quibus tamen, in hac dilectione, sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ; aliud, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientia.*

THESIS VIII.

Denique fide & charitate destituti, vel operantur sine malo: vel si bono aliquando, sane non nisi ob bonum particulare: non item propter Deum.

Multa laudari solent gentilium bona, quæ ne naturâ quidem suâ referri ad Dei gloriam possint: ut quæ fecere ad cultum idolorum, vel ambitione ducti: cujusmodi quin peccata sint, dubitat nemo. Unde Augustinus lib. IV. in Iul. cap. III. *An & istis, qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babyloniecam dilectionem, & virtute civili, non verâ, sed verisimili* DÆMONIBUS VEL HUMANÆ GLORIÆ SERVIERUNT, *Fabiis videlicet, & Regulis, & Fabriciis, & Scipionibus, & Camillis, cæterisque talibus, provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque cælorum?* Theophylactus quoque existimat, gentiles vanæ gloriæ studio fecisse, quæ fecerunt. Vide eum in Joh. III. 19. Ubi ait, laudatissima gentilium opera fieri ob finem aliquem culpabilem. Quomodo verisimile est, quod Alexander, Dario victo, puellas regias remiserit intactas *a*: quod item Scipio virginem bello captam Allucio sponso suo restituerit *b*: id non virtutis amore factum esse, sed duntaxat ad aucupandum populi favorem, & inanem gloriam comparandam. Quod si est, continentia eorum non magis vera erit virtus, quàm prudentia avarorum, cùm varia excogitant lucelli genera; aut eorum justitia, cùm alienis abstinent, gravioris damni metu: aut fortitudo, quâ, ut Venusinus ille ait, *Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes.* Nam hujusmodi, simulatæ sunt virtutes, non veræ: eoque ne quidem naturâ suâ ad finem ultimum possunt ordinari. Verùm minimè dubitamus, quin plerique gentiles aliqua faciant sine bono: quod & Augustinus agnovisse videtur lib. de spiritu & litera cap. XXVII. *Etiam impiorum, nec Deum veraciter colentium, quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò rectèque laudamus: quanquam si discutiatur, quo fine fiant,* VIX *inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Cùm enim Augustinus ait VIX inveniri, quæ non fiant sine malo: aliqua inveniri innuit, quæ fiant sine bono. Ut si infidelis naturali affectu eleemosynas largiatur pauperi: aut conscientiâ ductus depositum reddat, aut succurrat innocenti, quia sibi id fieri velit. Sed hujusmodi & si fiant sine bono particulari, non tamen fiunt propter Deum, qui finis est universalis. Unde auctor operis imperfecti Hom. XXVI. in Matth. *Infideles*, inquit, *naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum.* Et August. lib. IV. contra Jul. cap. III. *Hoc peccarunt, quod homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt.*

a *Plutar. in Alex.*
b *Liv. extremo l. 26.*

THESIS IX.

Denique nec Deus in verbo operibus gentilium promittit mercedem vitæ æternæ: quam tamen habent opera pietatis: uti vidimus.

Augustinus lib. IV. contra Iul. cap. III. *Quomodo est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuemus, nihil erit causa, cur eos non ad illud regnum pervenire dicamus, de quo scriptum est: Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum. Ac per hoc Christus gratis mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad justitiam veram, ad sapientiam veram, quacunque re alia, quacunque ratione perveniunt. Prorsus sicut de lege verissime ait Apostolus, si per naturam voluntatemque sit justitia, ergo Christus gratis mortuus est: si per doctrinas hominum qualiscunque justitia, ergo Christus gratis mortuus est.*

THESIS X.

His ita constitutis, non difficile est judicare, quid de virtutibus & operibus gentilium sit sentiendum. Nam cùm aliqua faciant, quæ à Deo præcipiantur; fatendum est, eos bona aliqua operari, quatenus quidem opera illa consideramus materialiter, & nude, sive non habita ratione modi, quo fiunt. Præterea bona sunt ratione effectus, quia hujusmodi quoque honestant vitam præsentem; & à Deo consequuntur mercedem temporalem. Etiam supplicii gravitatem imminuunt, quod eos manet post mortem.

Posse hominem sine Spiritu Dei operari aliquid boni in rebus vitæ præsentis, ait Hypognosticon lib. III. non ita longè ab initio: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certe peragere; sed tantum* IN OPERIBUS VITÆ PRÆSENTIS, TAM BONIS, QUAM ETIAM MALIS. *Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle quicquid boni ad præsentem pertinet vitam.* Augustinus verò non posse tantum ait, sed idem facere testatur T. 3. de Spir. & lit. cap. XXVII. *Impiorum, neque Deum verum veraciter pieque colentium, quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus.* Et cap. prox. *Sine aliquibus bonis operibus difficile vita cujuslibet pessimi invenitur.* Idem virtutes gentilium Dei dona vocat T. 2. Epist. CXXX. ad Ctesiphontem: *Polemo ergo, si* EX LUXURIOSO CONTINENS FACTUS, *ita sciret cujus esset* HOC DONUM, *ut eum abjectis superstitionibus gentium pie coleret, non solum continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret: quod et non* TANTUM AD PRÆSENTIS VITÆ HONESTATEM, *verum & ad futuram immortalitatem valeret.* Similiter Tom. 4. de Bono patientiæ, (quem librum Augustino quidem abjudicat Erasmus: sed obstat, quod ejus in indiculo meminit Possidius.) Verba Augustini sunt ista cap. XXVII. *Si quis absque charitate, solo timore gehennæ, Christum in tormentis confiteatur; negandum,* inquit, *non est, hoc etiam esse donum Dei.* Hieronymus verò etiam sanctimoniam quandam gentilium operibus tribuit. Sic enim scribit in Epist. ad Galatas cap. I. ad verba illa, *Cum autem placuit illi, qui me segregavit, &c. Ex quo perspicuum fit, naturâ omnibus inesse Dei notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque*

fide

fide & Evangelio Christi, vel sapienter FACIUNT ALIQUA, VEL SANCTE, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant. Hujusmodi virtutes valere ad præsentis vitæ honestatem, ait Augustinus Tom. 2. Epist. cxxx. ad Circenses & Epist. v. ad Marcellinum circa finem. Item Prosper lib. contra Collat. cap. xxii. & cap. xxvi. Et scriptor de vocatione gentium lib. 1. cap.
a Sed apud Ambros. cap 3. vii. a. Et Fulgentius lib. de Incarn. & grat. cap. xxvi. Etiam temporalem reportare mercedem, indicat Chrysostomus homil. lxvii. ad populum Antiochenum: Non potest malus omnino malus esse, sed evenit, ut habeat aliquid boni: neque bonus esse omnino bonus, sed & nonnulla solet habere peccata. Cum itaque malus prosperis utitur rebus, ad capitis sui perniciem utitur: ut enim paucorum illorum BONORUM RETRIBUTIONEM HIC CAPIENS, illic deinde puniatur, hac de causa recipit. Scriptor operis imperfecti homil. xxvi. in Matthæum. Sed audi mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit, si fidelis fecerit opus bonum, & hic ei prodest, liberans eum a malis, & in illo sæculo ad percipiendum regnum cæleste: magis autem ibi, quam hic. Si autem infidelis fecerit opus bonum, HIC EI PRODEST opus ipsius, & hic ei reddit Deus bona pro opere suo. IN ILLO autem sæculo NIHIL EI PRODERIT opus ipsius. Nec enim collocatur inter cæteros fideles propter opus suum, & juste: quia NATURALI BONO MOTUS FECIT BONUM, NON PROPTER DEUM. Hieronymus commentario in Ezech. cap. xxix. sic scribit. Ex eo, quod Nebuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, NON ABSQUE MERCEDE Dei judicio præteriri. Augustinus Tom. 4. exposit. Epist. ad Gal. cap. iii. Est ista quædam in operibus legis justitia, quando sine suo præmio relicta non est: ut qui fecerit ea vivat in eis. Unde & ad Romanos dicit: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Aliud est ergo non justificari, aliud non justificari apud Deum. Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur, quia temporalem inde expectat visibilemque mercedem. Sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia. Nam & ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela. Idem Tom. 2. Epist. v. ad Marcellinum circa finem: Remp. primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ augendæ conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles, etiam sine vera religione virtutes, ut intelligeretur, hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas. Etiam ad hoc valent civiles virtutes, ut infideles qui eas habent, levius post hanc vitam puniantur. Et hanc, & superiorem utilitatem earum agnoscit scriptor incertus quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio falsò tribuuntur, cùm in iis non modò Athanasius ipse, sed etiam Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Chrysostomus, atque alii his multo recentiores citentur: scriptor inquam iste quæstione centesima rogat, ἐπειδή τινες καὶ Ἰουδαῖοι καὶ Ἕλληνες πολλάκις εὐποιίας ἐργάζονται, ἆρα διὰ τοῦτο εἰς βασιλείαν οὐρανῶν εἰσέρχονται; ac respondet, quod Nicodemo Dominus dicebat, Neminem in regnum cœlorum ingredi posse, nisi qui ex spiritu & aqua fuerit renatus: deinde subjungit ista: τοῦτο δὲ καὶ περὶ ἀπίστων ἀγαθοποιῶν λογίζεσθαι. ἢ ὅτι διὰ τῆς ἐνταῦθα αὐτῶν εὐημερίας τὸν ἴδιον μισθὸν λαμβάνουσι. ἢ ὅτι ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἐλαφροτέρως κολάζονται παρὰ τοὺς λοιποὺς ἀπίστους, τοὺς μηδὲν ἀγαθὸν πεποιηκότας. Hoc vero de infidelibus bona opera facientibus sentire oportet, quod vel hic prosperitate vitæ mercedem suam accipiant: vel in futuro seculo levius puniantur reliquis infidelibus, qui nihil fecerunt boni. Similiter sensit B. Augustinus lib. iv. contra Iul. cap. iii. Ad hoc eos in die judicii cogitationes suæ defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter, quæ legis sunt, utcunque fecerunt. Et mox: Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus: & minus impius, quam Catilina, Fabricius; non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando. Idem statuit de falsis Christianis Tom. 4. lib. de patientiâ cap. xxvi. Si quis non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem Spiritus & vinculum pacis, quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, flammas vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum & ignis æterni: nullo modo ista culpanda sunt, imo vero & hæc laudanda patientia est. Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo: sed existimandum, fortasse tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando, cuncta illa vitaret: ut illud quod ait Apostolus: Si tradidero cor- 1 Cor. 13.
pus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: nihil prodesse intelligatur ad regnum cælorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius supplicium subeundum.

Thesis XI.

Contra etiam laudatissima gentilium opera nomen bonorum operum amittunt, si per bonum intelligatur, quod est utile ad bonum æternum.

Infidelium opera non conducere ad beatitudinem æternam, ait Petrus apud Clementem, citante Origene in Matth. cap. xxvi. tract. xxxv. Opera bona, quæ fiunt ab infidelibus, in hoc seculo iis prosunt, non & in illo ad consequendam vitam æternam. Incertus scriptor Fol. 110. edit. Basil. 1536.
quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio tribuuntur vulgo, idem respondet ad quæstionem centesimam: ut vidimus paulo antè, Augustinus Tom. 3. de Spir. & lit. cap. xxviii. Sicut non impediunt a vitâ æternâ justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic AD SALUTEM ÆTERNAM NIHIL PROSUNT IMPIO ALIQUA BONA OPERA, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. Idem docet Tom. 2. epist. cxxx. ad Circenses, ubi de Polemonis continentia loquens: Si, inquit, veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, hoc donum ei non TANTUM AD PRÆSENTIS VITÆ NECESSITATEM, verum & ad futuram immortalitatem valeret. Quod ipsum etiam de Cornelio scribit Tom. 7. de Baptismo contra Donatistas lib. 1. cap. viii. Quicquid boni, inquit, Cornelius in orationibus & eleemosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum Christianæ societatis & pacis incorporaretur Ecclesiæ. Et lib. iv. cap. xxiii. Justitia Cornelii si sufficeret ad capessendum regnum cælorum, non, ut ad Petrum mitteret, moneretur. Vide eundem in Psal. xxxi. & cxvii. Similiter Prosp. lib. contra collatorem cap. xxii. quæ verba infra adducemus. Idem cap. xxvi. Natura quippe humana, cujus Creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus & ratio, cæteraque corporis atque animi bona, quæ etiam malis vitiosisque non desunt.

desunt. Sed non in illis veri boni perceptio est, qua MORTALEM VITAM HONESTARE POSSUNT, ÆTERNAM CONFERRE NON POSSUNT. Scriptor de vocatione Gent. lib. I. cap. VII. a *Etsi fuit, qui naturali intellectu conatus sit vitiis reluctari, hujus tantum temporis vitam steriliter ornavit: ad veras autem virtutes,* ÆTERNAMQUE BEATITUDINEM *non profecit.* S. Fulgentius in libro de incarnatione & gratia Christi cap. XXVI. *Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem: quomodo hi potuerunt justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei charitatisque non referant? aliqua quidem bona, quæ ad* AD SOCIETATIS HUMANÆ *pertinent.* ÆQUITATEM, *inesse possunt; sed quia* NON CHARITATE DEI FIUNT, PRODESSE NON POSSUNT.

a *Apud Prosp. sed apud Ambros. c. 3.*

Hæc ostendunt, quo sensu Patres opera gentilium bona esse negent, nempe quâ bonum sumitur pro utili ad vitam æternam. Nam sic eos bonum intelligere, docet August. lib. IV. contra Jul. cap. III. *Scito nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod potest homo ad æternam Dei domum regnumque perduci.*

His aliqua ex Epiphanio & Chrysostomo obduci non ignoramus: ac imprimis Iustinum Martyrem in utraque apologia, & Clementem Alexandrinum στρωματέων lib. V. VI. VII. qui probatiores gentilium, uti Socratem & huic similes, cœlo receptos censent. Quemadmodum præter alios ostendit Isaacus Casaubonus initio Exercitationis primæ adversus Baronium. Atque huic eorum opinioni ex junioribus accessere Desiderius Erasmus Coll. conviv. rel. & epist. dedicat. IV. Tuscul. Quæst. Ludovicus Vives in Augustin. lib. XVIII. de Civ. Dei cap. XLVII. & alius maximi nominis exposit fidei Christianæ ad regem Galliæ. Sed hæc sententia & à cæteris Patribus olim, Augustini imprimis ætate, damnabatur, & hodie communi Theologorum judicio improbatur. Quod si quibus forte patrocinium istorum suscipere visum est: distinguunt inter gratiam & cognitionem Christi: inter cognitionem implicitam & explicitam, inter explicitam ex parte, & in totum. Nam si qui adultorum, qui non nossent Christum, fuerint salvati, non per meritum naturæ, sed Christi passione salvatos arbitrantur; ut in eis illud habeat locum, quod de infantibus Ecclesia docet. Imo nec omni cognitione Christi destitutos fuisse, dicunt nonnulli. Quod ut verisimile faciant, ajunt eos per divinam misericordiam, speciali quadam gratia per congrua media (sive illa fuerint Sibyllina oracula, sive conversatio cum Iudæis, aut conversis à Iudæis sive quæcunque tandem) ad aliquam gratiæ salutaris mensuram, & ipsius Christi notitiam perduci potuisse. Nam absque omni fide salvatos fuisse, nec Clemens audet dicere, qui lib. II. Στρωματέων fidem vocat πρώτην σωτηρίας νεῦσιν: *primam salutis inclinationem.* Sed ille ex male intellectis verbis I Petr. IV. 6. ubi mortuis dicitur Euangelium esse prædicatum, ut viverent secundum Deum, colligit sexto Στρωματέων b, Christum apud inferos Euangelium prædicasse; ut quotquot illic credere ac pœnitentiam agere vellent, salvarentur. Quam præceptoris sui sententiam etiam amplexus fuit Origenes lib. II. contra Celsum c. Similiaque habet Origenis studiosus lector, Hilarius in Psal. CXVIII. d. Sed dicere, impios ullos, Christo prædicante, conversos salvatosque esse, inter hæreses reponitur à Philastrio e, Augustino f, & Isidoro g: & Augustinus commentum hoc clare refellit epist. XCIX ad Evodium. Ac propter istiusmodi, Clemens ab Gelasio in Concilio LXX. episcoporum inter scriptores apocryphos relatus merito fuit. Interea hæc ostendunt, ne illum quidem æstimasse, salvari quemquam absque Christi cognitione: quanquam hanc illi opinionem tribuat, vir maximus, Isaacus Casaubonus a. Nec obstat, quod lib. primo Στρωματέων ait: καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας, *Philosophia quondam per se Græcos justificabat.* Neque enim, uti puto, hoc vult Clemens, philosophiam Græcis sufficisse ad salutem: sed cum, ex ejus mente, justitia alia sit secundum legem naturæ, alia secundum legem Mosis, alia secundum Christum: primam secundamque ad Christum ducere censet, veluti gradibus quibusdam. Integer enim locus sic habet: Καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας, οὐκ εἰς τὴν καθόλου δὲ δικαιοσύνην, εἰς ἣν εὑρίσκεται συνεργός, καθάπερ καὶ ὁ πρῶτος καὶ ὁ δεύτερος βαθμὸς τῷ εἰς ὑπερῷον ἀνιόντι, καὶ ὁ γραμματιστὴς τῷ φιλοσοφήσοντι. *Per se quoque aliquando Græcos justificabat philosophia, sed non ad universam ac generalem justitiam, ad quam cooperatrix & adjutrix invenitur, sicut primus & secundus gradus ei, qui adscendet in cœnaculum, & Grammaticus ei, qui est philosophaturus.* Et apertius etiam idem eodem libro ait, quemadmodum Iudæis lex fuit pædagogus ad Christum, teste Apostolo ad Galat. cap. IV. similiter philosophiam docuisse duxisseque Græcos ad Christum, pædagogi in modum. Verba ejus sunt: Ἐπαιδαγώγει γὰρ καὶ αὐτὴ ἡ φιλοσοφία τὸ Ἑλληνικόν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους εἰς Χριστόν. Qui volet, hac de controversia quædam legat apud Sixtum Senensem lib. VI. biblioth. annotat. LI. & Iulium Sirenium lib. I. de Prædest. cap. XXXI. Sed imprimis adeat pro doctore suo fuse adlaborantem Rod. Gualtherum, apologia operibus ejus præfixa, & pro antiquis desudantem Andradium, Orthodoxarum explicat. lib. III. respons. ad axioma VI. Nos eorum litem nostram facere nolumus: sed ea solum tuemur, in quibus non obscure prælucet fax scripturarum, & doctorum conspirat authoritas.

b *P. 275. edit. Commel.*
c *Pag. 87. edit. Aug. Vindel.*
d *Lit. Caph.*
e *Lib. de hæres. haer. de descensu Christi ad inferos*
f *Lib. de hæres. cap. 79.*
g *Lib. 8. Originum cap. 5.*

a *Exercitat. I. ad Baron.*

Thesis XII.

Præterea infidelium opera, bona dici non poterunt, si consideremus illa cum modo, quo fieri debent; hoc est quatenus nec ex fide proficiscuntur, nec charitate animantur, nec ad gloriam Dei diriguntur. Nam, hoc respectu, fatemur illa in vitio esse, eoque bona non esse, unde & illorum virtutes falsæ dicuntur virtutes: & opera eorum non vitiosa tantum, sed etiam peccata appellantur. Nempe non ἁπλῶς, sed κατά τι, sive ratione istius defectus, quem diximus.

Quando opera gentilium bona esse negantur, considerantur formaliter, & ratione modi, omniumque circumstantiarum. Quippe quæ nec ex fide proficiscuntur, aut charitate, neque ad Dei gloriam referuntur. Quæ etiam Græcorum sententia est. Multorum instar fuerit unus Theophylactus, qui negat ullum inveniri bonum gentilem. Nam in Iohan. III. 19. ait, τὸ μὲν γὰρ εἶναι φαύλους Χριστιανούς, καὶ αὐτός φημι, τὸ δὲ Ἕλληνας ἀγαθοὺς εὑρεθῆναι, οὐκ ἄν ποτε φαίην. Rationem adfert, quia gloriæ studio omnia egere, εἰ δέ τινες ἔδοξαν ἀγαθοί, ἀλλὰ πρὸς δόξαν πάντα ἐποίουν. Bonos vero non esse, qui solo ignominiæ metu non peccant, aut gloriæ studio boni aliquid agunt: eo probat, quod tales, simulac malum fore occultum sperant, mox ad deteriora animum adjungunt. Nam, inquit, si nec Christianos gehennæ metus, aut tot sanctorum exempla in officio semper continent, quid magni sperabimus de gentilium nugis? εἰ παρ' ἡμῖν, καὶ γεέννης ἀπειλή, καὶ ἄλλη πᾶσα ἐπιμέλεια, καὶ βίοι ἀναριθμήτων ἁγίων, μόλις κατέχουσι τοὺς ἀνθρώπους ἐν ἀρετῇ σχολῇ γε. αἱ παρ' Ἕλλησι φλυαρίαι, καὶ μιαρίαι τοὺς παρ' ἐκείνοις ἐν τῷ καλῷ καθέξουσι; μέγα μὲν οὖν, εἰ καὶ μὴ παγκάκως εἰργάσαντο. Similiter Latini: etiam Cyprianus, qui virtutes eorum non veras virtutes putat, sed falsas; nempe veras quidem qua verum opponitur ficto & simulato; at falsas, qua verum opponitur perfecto. Sic enim scribit tmem. I. lib. de bono patientiæ:

Hanc

Hanc sectari Philosophi quoque profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quam falsa sapientia est. Unde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec potentiam Dei novit; quando ipse de iis, qui sibi sapere in mundo videntur, moneat & dicat, Perdam sapientiam sapientium, prudentiam prudentium reprobabo. Mens eadem Hieronymi in cap. III. ad Gal. *Sine Christo omnis virtus in vitio est.* Speciatim vero pudicitiam gentilium esse veram virtutem, negat Augustinus lib. IV. contra Jul. cap. III. *Cum virtus sit pudicitia, cujus vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent, quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur?* Et aliquibus interjectis, *Absit, ut sit in aliquo virtus, nisi fuerit justus verè, nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivit.* Imò etiam naturales actiones rectè instituere negat lib. XXXI. contra Faustum cap. IV. *Infidelis sive abstineat, sive comedat, non sancte vel juste comedit, vel abstinet, quia prava opinione utrumque facit.* Respicit autem locum Pauli Tit. I. 15. Prosper lib. de Nat. & grat. ad Rufinum: *Gratia Dei quoscunque justificat, non ex bonis meliores, sed* EX MALIS *bonos fecit, postea per profectum ex bonis factura meliores, non adempto libero arbitrio, sed liberato. Quod donec sine Deo solum fuit, mortuum fuit justitia, vixitque peccato.* Idem carm. de Ingratis cap. XVI.

Et licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet:
Cæca tamen FINEM AD MORTIS, *per devia currit,*
Nec VITÆ ÆTERNÆ *veros acquirere fructus,*
DE FALSA VIRTUTE POTEST.

Idem contra collatorem cap. XXII. *Si (quod magis vult hic disputator intelligi) de illis ista dicuntur, qui alieni à gratia Christiana quadam ad similitudinem legalium mandatorum proprio judicio sanciebant, intelligentes mores civitatum concordiamque populorum, non posse aliter contineri, nisi ut rectè factis præmia, & peccatis pœna decernerentur: quis ambigat hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex natura à Deo condita superesse reliquias? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura. Quæ tamen etiamsi excellentissimis artibus & cunctis mortalium eruditionum polleat disciplinis, justificari ex se non potest, quia* BONIS SUIS MALE UTITUR, *in quibus sine cultu veri Dei, impietatis immunditiaque convincitur, & unde se defendi existimat, accusatur.* Hoc indefinite dictum restringit Prosper. Negat hominem viribus naturæ, posse ea, quæ legi vere congruant: fatetur autem operari aliqua *ad similitudinem mandatorum legalium*: Nempe quomodo & Augustinus lib. IV. in Jul. cap. III. vocat gentilium virtutes *civiles, non veras, sed verisimiles.* Præterea negat Prosper, posse quicquam, quod ad salutem conducat, sive quo *justificetur*: fatetur posse multa ad *mores civitatum, concordiamque populorum*, sive *ad temporalis vitæ societatem.* Nimirum quomodo Augustinus, Epist. CCCIII. de Polemonis continentia ait, valere *solum ad præsentis vitæ honestatem, non etiam ad meritum æternæ.* Scriptor de vocat. Gent. lib. I. cap. VII. a *Etsi naturali intellectu conatus sit vitiis reluctari, hujus tantum temporis vitam steriliter ornavit: ad* VERAS VIRTUTES, *æternamque beatitudinem non profecit.* Et cap. VIII. b *Si Deus non operatur in nobis, nullius possumus participes esse virtutis. Sine hoc quippe bono, nihil est bonum: sine hac luce nihil est lucidum, sine hac sapientia nihil sanum, sine hac justitia nihil rectum.* Beda Presbyter lib. I. in Cant. *Quod ergo* (Julianus dicit) *multos philosophorum patientiam, castitatem, modestiam, aliasque de natura bono habere virtutes, constat, quia, quicunque philosophorum Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem, nec ullam veram sapientiam habere potuerunt. In quantum vero vel gustum aliquem sapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum hoc desuper acceperunt: non solum munere primæ conditionis, verum etiam quotidiana ejus gratia, qua creaturam ejus nec se deserentem deserens,* (sic interpungendus is locus) *dona sua, prout ipse judicaverit, hominibus, & magna magnis, & parva largitur parvulis.* Denique Augustinus opera omnia gentilium peccata vocat, quia semper conjuncta sunt cum peccato. Ut contra Julian. lib. IV. cap. III. *Si gentilis nudum operierit, numquid, quia non est ex fide, peccatum? Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est: non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Idem de gestis Palæstinis cap. XIV. *Quantumlibet opera infidelium prædicentur: Apostoli sententiam veram novimus, Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Similiter hunc Pauli locum explicat lib. de gratia Christi cap. XXVI. & epist. CV. Nec obstat, quod Chrysostomus, Ambros. Theophyl Oecum. atque alii, per fidem hic conscientiæ dictamen intelligunt. Nam potuit dicere Augustinus, loqui Apostolum de isto dictamine conscientiæ, quod ex Christiana fide proficiscitur: nempe ut mens Apostoli sit, quicquid non provenit ex fide Christiana per conscientiam ad opus applicata, illud peccatum censetur. Augustinianam interpretationem sequitur quoque Leo serm. II. de jejunio Pentecostes, ubi de Christianorum & Paganorum jejunio tractans, *Aliud*, inquit, *agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides justificat, etiam manducantem: unde quia extra Ecclesiam Catholicam* NIHIL EST INTEGRUM, NIHIL CASTUM, *dicente Apostolo, omne, quod non est ex fide, peccatum est; cum divisis ab unitate corporis Christi nullâ similitudine comparamur, nullâ communione miscemur. Ad virtutem enim continentiæ nihil prius pertinet, quàm ab erroribus abstinere, quia tum demum bene ambulatur, cum per viam veritatis inceditur.* Nec aliter Prosper. lib. III. de vita contempl. lib. I. *Dicendo, Omne quod non est ex fide, peccatum est, declaravit quod omnia bona, aut ex fide gesta, virtutes sunt, quæ profectò justificant: aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia.* Et ex Augustino, sententia CVI. *Omnis infidelium vita peccatum est: & nihil est bonum sine summo bono. Ubi deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis,* FALSA VIRTUS *etiam est in optimis moribus.* Et Epist. ad ad Rufinum, *Omne*, ait, *quod ex fide non est, peccatum est. Ut scilicet intelligat justitiam infidelium non esse justitiam, quia sordet natura sine gratia.* Vide & adversus Collat. cap. XXII. & carm. de Ingratis cap. XVI. Eadem mens scriptoris de vocat. Gent. cap. VII. a *Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus esse videtur, peccatum est.* Et Gregorius M. in lib. II. Moral. cap. XV. *Si non prius in corde nostro fides gignitur, reliqua quoque esse bona non possunt, licet esse videantur.* Adi & Bernardum lib. de præcept. & discipl.

Atque ex his satis liquet, quomodo infidelium opera, quæ nunc bona dicuntur, laudanda dicuntur, sancta & Dei dona dicuntur: eadem dicantur falsa bona, vitiosa opera, & immunda, atque adeo peccata. Quæ tam manifesta sunt, ut Bellarminus lib. V. de gratia & libero arbitrio cap. XI. fateatur opera gentilium, etiam quæ conferuntur ad bonum finem particularem, ab Augustino & aliis vocari *peccatum largo modo, quia non habent omnem perfectionem, quam habere possent.* In quo vel acutior, vel candidior fuit Cornelio Cornelii à Lapide, qui ad locum Pauli Rom. XIV. 13. scribit; *Augustinum cum suis* τὸ QUOD NON EST EX FIDE *per μείωσιν sic accipere, quasi dicat Apostolus: Quod est ex infidelitate, vel quod est contra fidem, quodque fit ad cultum idoli, hoc peccatum esse: & quia S. Augustinus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum,*

a *Apud Prosp. sed Ambros. cap 3.*
b *Apud Prosperum in supplem. Cod. Cambronensis.*

a *Apud Prosp. sed apud Ambros. c. 3.*

idolum, hinc consequenter pleraque opera putasse esse peccata. Nec enim de plerisque tantum operibus loquitur Augustinus, sed de universis: quem & è Scholasticis, secuti hac parte Gregorius Ariminensis, Capreolus Catharinus. Et quid mirum, sic Augustinum sensisse de operibus irregenitorum, qui non tantùm omnimodum charitatis defectum, sed etiam imperfectionem ejus, quæ est in renatis ipsis, vitium & peccatum nominet? Ut Epist. XXIX. ad Hieronymum: *Plenissima charitas, qua tam non possit augeri, quam diu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est, quam debet, ex vitio est; ex quo vitio non est, qui faciat bonum, & non peccet.* Et lib. de perfectione justitiæ cap. XV. *Peccatum est, cùm vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est quam debet.* Unde & Bellarminus. lib. IV. de justificatione cap. XXI. fatetur, etiam in renatis, à B. Augustino *appellari vitium & largo modo peccatum, imperfectionem, & defectum illum, qui est in nobis ratione concupiscentiæ.* Similiter Augustino loquuntur aliqui reformatarum Ecclesiarum doctores: sed dici vix potest, quantopere hoc nomine, ab Ecclesiæ Romanæ scriptoribus vapulent. Quod si eâdem illi æquitate in nostris, quâ in Augustino, uterentur: candorem suum magis probarent omnibus bonis, & quod argueremus eos προσωποληψίας, minus tunc haberemus.

DISPUTATIO VIGESIMASEPTIMA

DE

HÆRESI PELAGII.

Complectens collationem doctrinæ Catholicæ & Pelagianæ

DE

PECCATO ORIGINALI.

Controversia quæ Catholicis cum Pelagianis fuit, partim hominem, partim decretum Dei circa hominem respicit. In homine spectatur tum ortus conditio sive peccatum originale, tum vita ipsa. In peccato originali considerantur hæc tria; peccati primi imputatio, contracta inde naturæ vitiositas, & supplicium mortis temporalis ac æternæ. De his tribus quid Pelagiani senserint, quid Catholici crediderint, nunc videbimus: deinceps de cæteris ambotum mentem aperiemus.

Thesis I.

a Ad Rom. 5. 12.

NEgabant Pelagiani, Adami peccatum imputari posteritati, & Catholicis obducentibus verba Apostoli a ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον*, ea ad imitationis exemplum restringebant.*

b Apud August. lib. de natur. & grat. c. 9. c Ibid. c. 30. d Apud Aug. lib. 3. de peccat. mer. & remiss. c. 2. & 3.

Pelagius lib. de natura: *b In Adamo peccasse omnes non propter peccatum nascendi origine attractum, sed propter imitationem dictum est.* Item: *c Quomodo Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognoverit? Suum enim non est, si necessarium est. Aut suum si est, voluntarium est. Et si voluntarium est, vitari potest.* Et libro expositionum in epist. Pauli ad Romanos *d: Hi qui contra traducem peccati sunt, ita illum impugnare nituntur: Si Adæ peccatum, inquiunt, etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia, etiam non credentibus prodest, quia similiter imo & magis dicit per unum salvari, quam per unum ante perierunt. Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: non enim potuerunt ad posteros transmittere quod ipsi minimè habuerunt. Illud quoque accedit, quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur, injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam nulla ratione concedi, ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Hæc Pelagius adhuc sub aliena disputans persona, cùm suam apertè sententiam proponere non auderet. Similiter Cœlestius, ut inferius patebit. Juliani quoque hæc sunt lib. I. ultimi operis contra August. *a: Apud quem impollutam innocentiam scelus gravavit externum?* Idem Augustino ut falsissimum hoc objicit: *b Nullo peccato parvuli premuntur suo, sed alieno.* Idem ait: *c Quicunque reus est, moribus, non exordiis accusatur.* Et lib. II. cap. XVI. hanc prioris libri ἀνακεφαλαίωσιν facit *d: Conclusum est nos Deum æquissimum in Trinitate venerari, & irrefutabiliter apparuit, non posse ab eo peccatum alienum parvulis imputari.* Et aliquanto post *e: Ex quibus necessario conficitur, nos rectissime defendere, neminem cum peccato nasci, & Deum reos non posse judicare nascentes.* Et cap. XLII. *f Naturam generantium constat germina communicare non culpam:* unde mox colligit: *filios in quantum filii, id est antequam aliquid per voluntatem propriam operantur, reos esse non posse.* Et quia communicati reatus causa est conjunctio naturalis, unde nos in Adamo peccasse ait Apostolus, passim hoc argumentum eludere conatur. Ut lib. II. ejusdem operis cap. LIII. *g Si proprie nunquam hominem homo judicaretur imitari, & Apostolus per Adam omnes peccasse dixisset, ego liberè præscriberem, usu Scripturarum esse Apostolum vindicandum: ut quomodo Dominus diabolum dixerat patrem, qui substantia generare non poterat, ita Apo-*

a Apud August. operis imperfecti contra Julianum lib. I. p. 43. b Ibid. c Ibid. p. 176. d P. 223. e P. 225. f P. 249. g P. 261.

Apostolus hominem scripsisset imitabilem, ne quid docuisse contra rationem perspicuam crederetur. Et mox: *a Apostolus Paulus nullam errori occasionem præbuit, quia nihil dixit improprium, si pronunciavit peccatorem primum hominem, sequentibus exemplum fuisse.* Et cap. LVI. *b Per unum hominem peccatum in hunc mundum transiit. Hic autem unus præbenda imitationi sufficit, generationi implenda non sufficit.* Et cap. LXI. *c Unum inculcavit, ut doceret imitatione transisse, non generatione peccatum.* Et cap. LXVII. *d Quæ prævaricatio licet non sit facta naturalis, fuit tamen forma peccati, atque ab hoc licet non aggravet nascentes, tamen accusat imitantes.* Similiter cap. LXX. *e* & CVII. *f*

a P. 261. b P. 262. c P. 270. d P. 275. e P. 278. f P. 313.

ANTITHESIS I.

Catholicorum contra sententia fuit, peccatum primorum parentum imputari omnibus, ac reatu tenere totam posteritatem. Idque idcircò, quod peccante Adamo omnes in lumbis ejus fuimus.

August. lib. XVI. de Civit. Dei cap. XXVII. *Etiam parvuli* NON SECUNDUM VITÆ SUÆ PROPRIETATEM, SED SECUNDUM COMMUNEM GENERIS HUMANI ORIGINEM, *omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt.* Et ejusdem operis lib. XIII. cap. XIV. *Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupit.* Et Retract. lib. I. cap. X. *Possunt sanè Pelagiani ad suum dogma trahere istam sententiam, & ideo parvulis aliena non nocuisse peccata, quia dixi nulli natura nocere peccata, nisi sua, non intuentes ideo parvulos, qui utique pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum, quia in primis hominibus, natura humana peccavit, ac per hoc natura humana nulla nocuere peccata nisi sua.* Orosius apologet. de arbitrii libert. *g Omnes peccaverunt sive in Adam sive in se ipsis, & egent gloriâ Dei. Universa igitur massa pœnas debet. Et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè procul dubio redderetur.* Similiter scriptor Hypognosticon lib. II. *Adæ peccatum verè tunc soli nocuit, cùm solus esset ipse, & Eva mulier ejus. Sed in illis unis omnes eramus, quia natura humani generis erant, sicut in nobis omnibus illi unum sunt, quia natura eorum sumus.* Et B. Prosper libro de Ingratis cap. XXVII.

g P. 579. edit. Col. an. 1582.

Inviolata Dei quondam & sublimis imago
In primo cunctis fuimus Patre, dum nemore alto
Degit, & edicto parens, cavet arbore ab una.
Ast postquam rupta mandati lege, superbum
Consilium mixtum invidia de fonte recepit,
Corruit, & cuncti simul in genitore cadente
Corruimus.

Hactenus de imputatione primi peccati: nunc de contracto inde naturæ languore ac vitio videamus.

THESIS II.

Præterea Pelagiani putabant, peccato Adami præter Adamum læsum esse neminem: ac proinde nullum esse originalem naturæ defectum, sed in ea perfectione unumquemque procreari, in qua Adam fuit ante lapsum: hoc uno excepto, quod ille perfectæ creatus sit ætate, nos ea gignamur, qua ratione necdum uti sciat.

Pelagius in exposit. epist. Pauli ad Romanos *h*: *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo Christi justitia etiam non credentibus prodest.* Et lib. de natura *i*. *Adæ posteri non solum inferiores non sunt, sed etiam plura impleverunt præcepta, cùm ille unum implere neglexerit.* Et eodem *a*: *Non debuit hæc ægritudo contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata.* Et eodem *b*: *Primum de eo disputandum est: quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto, quid sit peccatum, substantia aliqua, an substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur. Credo ita est, & si ita est, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantia caret?* Et lib. I. pro libero arbitrio *c*: *Omne bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis. Capaces enim utriusque, non pleni nascimur. Et ut sine virtute, ita sine vitio nascimur. Atque ante actionem propriæ voluntatis id solum in homine est, quod Deus condidit.*

h Apud Aug. lib. de peccato Origin. c. 21. & operis imperfecti in Iulianum l. 1. p. 65.
i Apud eundem.
a Apud Aug. lib. de natur. & gratia cap. 21.
b Ibid. c. 19.
c Apud Aug. l. 2. contra Pelag. quæ est de peccato origin. cap. 13.

Eadem Cœlestii doctrina fuit. Augustinus de gestis Palæstinis cap. XI. *In doctrina Cœlestis, discipuli ejus, refertur inventum: Quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum: & infantes in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Idem habes cap. XXXIII. Et Epist. Alipii ac Augustini ad Paulinum *d*: In Concilio tamen Carthaginensi, non tam videri voluit negare traducem peccati, quam de eo dubitare: & tamen si negare volet, habiturum ajebat magnos autores, eosque inter Rufinum, Aquileiensem Presbyterum, cum adversus quem B. Hieronimus scripsit. Vide quæ hac de re ex actis Carthaginensibus adducit Augustinus lib. de peccato originali cap. III.

d Ep. 106.

Sed magnis imprimis conatibus Pelagianorum causam egit Julianus: qui peccati traducem statuentes *Traducianos* vocare *e* solet: ipsumque Augustinum *Traducianæ rationis Primatem*: qui ad hæc respondet *f*: *Non est mirum, quod novi hæretici Catholicis, à quibus exeunt, novum nomen imponant.* Idem Julianus lib. I. ultimi operis *g*: *Nullum est de naturæ conditione peccatum, sed liberum arbitrium in natura hominum perseverat.* Et lib. II. cap. XVI. *h Ex quibus necessario conficitur, neminem cum peccato nasci, ac tam integrum esse liberum arbitrium, quam ante voluntatis propriæ usum innoxiam in unoquoque naturam.* Et quid mirum, si negarint Pelagiani, peccato Adami vitiatam esse posteritatis naturam, cum nec in ipsis peccantibus crediderint peccando debilitari naturam? Docemur hoc ipsius Juliani verbis lib. I. ejusdem operis *i*: *Ubi dixit Dominus, si vos filius liberaverit, vere liberi eritis, promisit indulgentiam reis, qui peccantes non arbitrii libertatem, sed conscientiam justitiæ perdiderunt: liberum autem arbitrium & post peccatum tam plenum est, quam fuit ante peccata.* *k* Idem cap. XCIV: *l Nos dicimus peccato hominis non naturæ statum mutari, sed meriti qualitatem, id est, & in peccante hanc esse liberi arbitrii naturam, per quam potest à peccato desinere quæ fuit in eo, ut posset à justitia deviare.* Quæ quantopere prioribus Patribus adversentur, ostendimus disp. de peccato primo.

e Apud Aug. altercationis sive imperfecti operis contra Julian. l. 1. p. 8. 26. & l. 2. p. 221. 233 270. 330. 346. 458.
f Ibid. p. 79.
g Ibid. p. 26.
h Ibid. p. 138.
i P. 125.
k Apud August. ibid. l. 1. sup 89. p. 131.
l P. 141.

ANTITHESIS II.

Contra Catholica doctrina est, omnes Adæ posteros originali justitia, qua Adam præditus fuit, naturâ destitui, atque inde provenire in omnibus inordinatam potentiarum animæ dispositionem, quæ fomes peccati, lex membrorum, concupiscentia carnis, aliisque nominibus appellatur.

Augustinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. III. *Pro magnitudine culpæ illius naturam damnatio mutavit in pœnis, ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus, hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris.* Et ibidem lib. XIV. cap. 12. *Natura humana duorum primorum hominum prævaricatione mutata est, ut tacita corruptioni quantum videmus atque sentimus, & per hanc subjaceret morti, ac tot & tantis, tamque inter se* con-

contrariis perturbaretur & fluctuaret affectibus, qualis in paradiso ante peccatum, licet in corpore esset animali, usque non fuit. Et lib. XXII. ejusdem operis cap. XXII. *Quid aliud indicat horrenda quadam profunditas ignorantia, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari, sine labore, dolore, timore non possit?* Et postea cum multa vitiorum genera enumerasset, hæc subjungit: *Hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris & perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adæ nascitur.* Similiter Prosper ad articulos sibi falso impositos. Act. I. *Vulnere originalis peccati in Adam omnium hominum corrupta & morbificata est natura, unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit.* Vidimus de vitiositate naturæ: Proximum est ut de promerito mortis supplicio agamus.

Thesis III.

Item Pelagianorum dogma erat, mortem temporalem esse ex necessitate natura, nec propter peccatum primorum parentum redundasse in genus humanum: sed Adamum ipsum moriturum fuisse, etsi non peccasset. Multo vero minus agnoscebant, nos peccato Adami promeritos esse mortem aeternam.

Augustinus lib. de gestis Palæstinis cap. XI. & XXXIII. Ubi Pelagio ex Cœlestii doctrina objectum, ait, *Quod neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.* Idem testantur Alipius ac Augustinus Epist. ad Paulinum *a*: Paulo aliter Julianus lib. II. operis ultimi contra Augustinum *b*: *Mors*, inquit, *transiit ad posteros, ob imitationem scilicet, non generationem.* Interim in eo cum Cœlestio convenit, quod mortem primi peccati pœnam esse negat. Cur vero hoc inficias iverint Pelagiani, docet Augustinus lib. I. operis inchoati contra Julian. cap. LXVI *c*: *Mortem non vis ex peccato fecisse in omnes originaliter transitum, ne cogaris fateri, simul etiam originaliter transisse peccatum. Sentit quippe quam iniquum sit sine merito transisse peccatum. Sentit quippe quam iniquum sit sine merito transisse supplicium.* Idem non contenti negare mortem nostram ex primo peccato provenire, ne de Adamo quidem hoc fateri sustinebant. Scriptor Hypognosticon in prologo: *Adam, inquiunt, sive peccasset, sive non peccasset, moriturum fuisse.* Quam sententiam idem dilhit lib. I. Nempe Augustinus indicat lib. I. de peccat. mer. & remiss. cap. II. *Adam dicunt sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur non pœna culpæ, sed necessitate naturæ.* Eandemque sententiam tribuit iis Epist. ad Paulinum & alibi passim. Ac patet illud ex Juliani verbis, & Augustini responso lib. I. ultimi operis contra Jul. c. LXV. Cæterum Pelagium istud in Concilio Palæstino, sed non veraci corde, damnasse, non uno loco ait Augustinus. Ut ejusdem lib. cap. LXV. *d* *Hoc sapis quod Pelagius in judicio Palæstino ficto corde damnavit, Adam scilicet mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Et lib. II. cap. CXIII. *e* *Adhuc quidem dicitis Adam sic fuisse factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: sed ista dicentes jam vos magister vester in Episcopali judicio Palæstino, nec sine seipso, quia non se correxit, Pelagius ipse damnavit.* Vide Commentariolum Augustini de gestis Palæstinis cap. XI. Ubi cum hoc dogma Pelagio esset objectum, de eo, & aliis quibusdam respondisse dicitur, *Reliqua a me dicta non sunt: sed tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi, anathematizo illos, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.* Qui verò nec mortem corpoream ex primi peccati reatu esse fatebantur, quanto eos minus de morte secunda hoc credidisse credi debet? Sed tamen si cui hac quoque parte, nempe mero meridie, facula opus est, ei hanc clare adlucebunt, quæ Thesi. IV. dicemus.

a Epist. 106.
b Apud Aug. lib. 2. operis inchoati contra Iul. cap. 172. pag. 384.
c P. 275.
d Pag. 89.
e P. 293.

Antithesis III.

Contra Catholicorum dogma fuit, mortem cum temporalem, tum aternam, una cum omnibus morbis & cruciatibus, qui ad corporis mortem ducunt, à primo peccato profluxisse: eoque Adamum non fuisse moriturum, nisi peccasset.

Augustinus T. 7. de peccat. mer. & remiss. lib. I. cap. II. *Quamvis secundum corpus terra esset, & corpus in quo creatus est animale gestaret, tamen si non peccasset, in corpus fuerat spirituale mutandus, & in illam incorruptionem, qua fidelibus sanctis promittitur*, a *sine mortis periculo transiturus.* Et cap. II. *Proinde si non peccasset Adam, non erat exspoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate & incorruptione, ut absorberetur mortale à vita, id est, ab animali in spirituale transiret.* Et paulo post: *Habebat enim, quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vita stabilitatem contra vetustatem.* Idem libro XIV. de Civ. Dei cap. I. *A duobus primis admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati, & mortis necessitate transmissa.* Mortis autem regnum in homines usque adeo dominatum est, *ut omnes in secundam quoque mortem, cujus nullus est finis, pœna debita præcipites ageret, nisi inde quosdam indebita Dei gratia liberaret.*

a 1 Cor. 15.

Thesis IV.

Ex superioribus quæstio profluxit, cur baptizari debeant infantes, & qua conditione esse mereantur, qui sine baptismo discesserint. Pelagius ne fateretur obstringi originali peccato, & nasci aeterna mortis reos, negabat eos per baptismum accipere remissionem originalis delicti, vel de potestate tenebrarum in regnum Dei transferri.

Quia Pelagiani originalem culpam negabant, hinc multi colligebant, eosdem non credere, infantes redimi à Christo, vel baptizandos esse in remissionem peccatorum. Hanc iis mentem tribuit liber Pontificalis in vita Innocentii, sed vel malitiose vel imperitè hæc sibi affingi Pelagius conquerebatur, ut liquet ex Augustini lib. de gratia Christi contra Pelagium & Cœl. cap. XXX. Item de peccato originali cap. XVII. Ac ejusdem libri cap. XIX. hæc Pelagii ipsius verba adducit ex libello ejusdem ad Innocentium I. *Quis ille tam impius est, qui cuiuslibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemptionem?* Et sane Concilium quum Carthaginense agnoscit Cœlestium quoque agnovisse redemptionem infantium. Sic enim Patres illi epist. ad Innocentium: *Per Baptismum Christi etiam parvulorum fieri redemptionem libello suo Cœlestius in Carthaginensi Ecclesia jam confessus est.* Meminit & Augustinus lib. de peccato originali cap. XIX. Item epist. LXXXIX. ad Hilar. ubi inter alia ait: *Coactus est confiteri propter baptizandos parvulos, quod & ipsis redemptio sit necessaria. Ubi quamquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine non parum sibi præscripsit. Unde enim redimendi sunt, nisi è Diaboli potestate, in qua esse non possent, nisi originalis obligatione peccati? aut quo pretio redimuntur, nisi Christi sanguine, de quo apertissime scriptum est, quod in remissionem effusus sit peccatorum?* Verum cujusmodi redemptionem Pelagiani intellexerint, inferiùs patebit. Nec ambiguitas ejus vocabuli fugit Augustinum: qui lib. de peccato originali, cap. XIX. cum superiora Pelagii de parvulorum redemptione verba posuisset, hæc subjungit: *Et hoc ambiguum est, qualem dicat redemptionem, utrum ex malo ad bonum, an ex bono ad*

ma-

malum. Cæterum Augustinus, etsi imperiti vel malevoli aliqui istam Pelagio sententiam tribuerent, id tamen à se vel Africanis patribus fieri negat. Nam cap. XVII ejusce libri sic Pelagio respondet: *Sed non illis hæc sic objiciuntur, ut posuit. Nam neque parvulis negant baptismi sacramentum, neque absque redemptione Christi; aliquibus regnum cælorum promittunt. Itaque unde se queritur infamari eo modo proposuit, ut facile possit crimini objecto salvo suo dogmate respondere. Objicitur autem illis, quod non baptizatos parvulos nolint damnationi primi hominis obnoxios confiteri, & in eos transisse originale peccatum regeneratione purgandum.* Similiter statum controversiæ proponit tam Hilarius ad August. quam August. ad Hilarium. [a Epist. 88. apud Aug.] Hilarius enim his verbis mentem eorum exprimit *a*: *Infantem non baptizatum morte præventum NON POSSE* [b Epist. 44.] *MERITO PERIRE, quoniam sine peccato nascitur.* Augustinus vero istis *b*: *Nec parvulos indigere gratia salvatoris, qua per ejus baptismum à perditione liberantur, eo quod nullum ex Adam contagium damnationis contraxerint.* Similiter T. 7. lib. II. de nuptiis & concupisc. cap. III. & de gestis Palæstinis cap. ult. & Hypognosticon scriptor in prologo. Operæ verò est considerare, ut Pelagiani, quamquam infantes peccatum habere negarent, formulam tamen Ecclesiæ retinerent, qua in remissionem peccatorum baptizabantur. Pelagii verba sunt libello fidei suæ: *Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Citat Augustinus lib. de peccato orig cap. XXI. & præcedenti libro, qui est de gratia Christi cap. XXXII: Ubi & hæc subjungit: *Sed quid prodest, quod eisdem verbis in parvulis, quibus etiam in majoribus, celebrari dicit baptismi sacramentum, cum res à nobis, non sola verba quærantur?* Cur verò, quos non habere peccatum credebant, baptizandos nihilominus dicerent, gemina causa erat: una ratione hujus vitæ, quod per baptismum in filiorum numerum adoptarentur: altera ratione alterius, quod per illum promissionem accipiant regni cælestis. Nempe Pelagius inter gehennam & regnum cæleste statum medium fingebat, quo digni sint, qui utroque sint indigni: neque hunc statum possibilem solum, sed actu esse statuebat. Hinc illud Pelagii de infantibus sine baptismo mortuis: *Quo non eant scio, quo eant nescio.* Et Augustinus lib II. imperfecti operis contra Jul *Facitis duas æternas fælicitates: unam quæ sit in regno Dei, alteram quæ sit extra regnum Dei.* Et Hypognosticon scriptor lib. V. *Finge, Pelagiane, locum ex officina dogmatis tui, ubi alieni à Christi gratia vitam requiei & gloriæ possidere parvuli possint,* &c. Itaque per baptismum dicebant infantes è statu medio in summum transferri: hoc est, è non filiis & hæredibus (attamen nec iræ filiis) filios Dei fieri & cohæredes Christi. Augustinus lib. IV. contra duas Pelagiani epistolas cap. II. *Omnibus ætatibus dicunt esse baptismum necessarium, ut scilicet illa creatura in Dei filios ADOPTETUR, non quod aliquid ex parentibus trahat, quod sit lavacro regenerationis expiandum.* Et ejusdem operis lib. I. cap. XXII. *Secundum Pelagium hæreticum dicitis, parvulis baptismum necessarium, non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo PROPTER REGNUM COELORUM. Datis enim eis extra regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati.* Et sanè ipsius Cœlestii verba sunt libello quem Romæ edidit: *Infantes debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ, & secundum Evangelii sententiam confitemur, quia Dominus statuit regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri, quod quia vires naturæ non habent, conferre necesse est pro gratiæ libertatem.* Deinde addit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe à Catholico sensu alienum est.* Et paullo post: *Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur: & hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem ad creatoris injuriam, malum antequam fiat, ab homine tradi dicatur homini per naturam.* Similiter Julianus apud August. lib. I. operis imperfecti contra Jul. cap. LI: *Nos in tantum gratiam baptismatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos, qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate, sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus.* Et mox: *Sed hæc gratia non adversatur justitiæ, quæ maculas eluit iniquitatis. Nec facit peccata, sed purgat, quæ absolvit reos, non calumniatur innocuos. Christus enim, qui est sui operis redemptor, auget circa imaginem suam continua largitate beneficia: & quos fuerat* (l. fecerat) *condendo bonos, facit innovando ADOPTANDOQUE meliores.* Vide & plura ibidem in hanc mentem. Item cap. LII *a*: & LVIII *b*. [a Pag. 62.] Etiam Pelagianorum hæc de re verba, quæ aliquoties se ex [b Pag. 70.] iis audisse ait, citat eruditus Hypognosticon scriptor lib. V. *c*: [c Fol. 124.] *Et nos inquies, (sicut aliquoties à vobis audivimus) in re-* [& 125.] *missionem peccatorum tam majores ætate quam parvulos* [edit. Ven.] *baptizamus. Et cum vobis ita contradictum fuerit à nobis,* [1545.] *Ergo est peccatum in parvulis, quod eis in sacro baptismate remittatur, respondetis, Nullum: tantum in adoptionem filiorum baptizantur. Habet enim in eis gratia quod ADOPTET, non habet unde quod diluat. Propter solam vero symboli formulam, ut tradita consuetudo servetur, tinguntur in remissionem peccatorum. Majores autem propterea quod usu liberi arbitrii peccata contrahere potuerunt, in remissionem peccatorum baptizantur.*

ANTITHESIS IV.

Sed hæc quoque in re longè alia Catholicorum mens fuit. Quamquam enim à plurimis disputari solet, cujusmodi pœna æternitas originali peccato debeatur, damni solum an insuper sensus: (de quo nec antiqui, nec novi, nec medioxumi idem semper statuunt) tamen in eo magnus eorum est consensus, quod infantes propter originale peccatum nascantur iræ filii, & æternæ pœnæ obnoxii, eoque veraciter baptizentur in remissionem peccatorum, perque baptismum vitæ ac fælicitatis æternæ participes fiant.

Augustinus lib. V. contra Jul. c. VIII. *Ego non dico parvulos sine baptismo Christi morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret: cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim quod de Sodomo ait, & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur, quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, quam ut ibi essent potius expediret.* Et lib. I. de peccat. meritis & remiss. cap. XVI. *Potest proinde rectè dici parvulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem & fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, judicium ex uno delicto in condemnationem: Et, per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Et ejusdem lib. c. XXIII. *Nulla ex nostro arbitrio præter baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit scriptura humanis omnibus ingeniis præferenda.* Et lib. III. de orig. animæ c. IX *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et T. 10. de verbis Apostoli, Serm. XIV. *Baptizandos esse parvulos nemo dubitet, quando nec illi hinc dubitant, qui ex parte aliqua contradicunt. Sed nos eos dicimus aliter salutem, & vitam æternam non habituros, nisi baptizentur in Christo. Illi autem dicunt, non propter salutem, non propter vitam æternam, sed propter regnum*

cælorum. Vide & epist. XLVII. quæ ad Valentinum, atque alibi. Similiter scriptor Hypognosticon lib. V. ad finem: *Verba Dei sunt symboli verba. Non fefellit Deus tradens per Apostolos suos Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ, credentes in remissionem peccatorum baptizari. Ad quid enim jussit in remissionem peccatorum, si non facit vere remissionem? Imo ideo jussit, quia facit. Est enim Deus verax, omnis homo mendax. Omnino in remissionem peccatorum baptizantur & parvuli. Alioqui non habebunt in regno Cælorum vitam.* Paulinus *a* libello ad Zosimum, post Pelagium Cœlestiumque damnatos: *Contra Apostolicam sententiam venire nititur* (Cœlestius) *negando originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit, & usque ad finem mundi tenet hereditatem Adæ illius, qui primus peccavit: quod in infantibus nisi per sacramentum baptismi dimittitur, vitam æternam, & regnum Cælorum habere non possunt.* Orosius Apologetico de Arbitrii libertate *b*: *Qui non per illam gratiam liberantur, sive qui audire nondum potuerunt, sive etiam eum per ætatem audire non possunt, lavacrum regenerationis quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, juste utique damnantur: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt, sive in Adam, sive in seipsis, & egent gloria Dei.* Similiter Prosper contra Collatorem cap. XIX. Justus Orgelitanus in Cantica *a*, Arator lib. II. histor. Apostol. *b*. Cassiodorus in Psal. L. Isidorus Hisp. de Ecclesiasticis officiis lib. II. cap. XXIV. Eucherius Gallus lib. IV. Reg. cap. XX. Hildephonsus Toletanus de Mariæ virginitate & parturitione *c*, Beda lib. quæstionum, quæst. XV. & in Psalm. LXXVII. Alcuinus lib. II. in Johan. cap. III. Remigius Antisiodorensis in Psalm. LXXVII. &c. E Græcis item Isidorus Pelusiota lib. III. epist. CXCV. & Diadochus de perfectione spirituali cap. LXXVIII. etiam è novissima Græciæ antiquitate Manuel Palæologus in præceptis educationis regiæ cap. XXVII. &c.

a *Apud Baron. T. 5. p. 420. edit. ult. Antu.*

b *P. 759. edit. Col. 1582.*

a *T. 1. bibl. Pat. ed. 2. Col. 749.*

b *Ib. T. 8. Col. 582. v. penult.*

c *Ibid. T. 9. Col. 690.*

DISPUTATIO VIGESIMAOCTAVA

DE

HÆRESI PELAGII

DE

PECCATO ORIGINALI,

PARS ALTERA.

THESIS I.

Et ista quidem præcipuè de peccato originali in controversia erant. Sed quæstio hæc quinque alias secum traxit. Quarum prima erat de Natura & hominis opificio. Nam quia Catholici dicerent, naturam esse corruptam, hinc colligebant Pelagiani sapere illos cum Manichæis, qui malam putant esse naturam, nec hominem Dei opus esse confitentur.

Quæ ad ipsum ζήτημα de originali peccato pertinent, hactenus exposuimus. Deinceps proponemus κεφάλαια εἰδικά, quomodo vocari solent, quæ instituuntur ad muniendam primariam quæstionem. Quinque enim absurdis gravidum esse peccati originalis dogma Pelagiani calumniabantur: quæ sparsim quidem Augustinus alibi indicat, sed uno quasi fasce complectitur initio lib. II. contra Iulianum: *Dicitis*, inquit, *nos asserendo originale peccatum diabolum dicere hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptismo dimitti universa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere. Hæc quippe omnia consequentia esse concluditis, si credamus nasci parvulos peccato primo obligatos.* Et paulo post: *Ista sunt quinque argumenta vestra, ex quibus cuncta connectitis, quæ in hac quæstione adversus Catholicam fidem multipliciter disputatis.* De his quinque quid Pelagiani objecerint, quid Catholici responderint, proxime considerabimus. De primo sic ibidem. *Diabolus erat, dicitis, si ex hoc vulnere creatur, quod diabolus naturæ, quæ primum condita est, inflixit humanæ.* Et passim quidem talia habet Julianus. Nec id tantum in prioribus adversus Augustinum libris: sed, etiam postquam ei argumento jam ad ravim ab Augustino responsum erat. Ut lib. I. eorum, quos sex Augustini libris opposuit, cap. LXII *a*, LXIV *b*, LXV *c*, LXXI *d*. Hinc illa Juliani querimonia, quam ex priorum librorum præfatione reponit lib. I. ultimi operis *e*: *Siquis aut liberum in hominibus arbitrium aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur.* Operæ vero est considerare vafrum Pelagianorum consilium, qui ut aureo Babylonis calice sententiarum suarum virus propinarent incautis, dogmata gratiæ inimica quinque præstabilium rerum laudatione occultabant; naturæ, nuptiarum, legis, liberi arbitrii, & sanctorum: quemadmodum scribit Augustinus lib. IV. contra duas Pelagianorum Epist. c. I. Nempe ut addit cap. proximo: *Quicquid dicunt de laude creaturæ, atque nuptiarum, ad hoc referre conantur ut non sit originale peccatum: quicquid de laude legis, & liberi arbitrii, ad hoc ut gratia non adjuvet nisi meritum, ac sic gratia jam non sit gratia: Quicquid de laude sanctorum, ad hoc ut vita mortalis in sanctis videatur non habere peccatum, nec sit eis necessarium pro dimittendis debitis suis precari Deum.* Quæ omnia fusius deinceps prosequitur. Ac tandem cap. VII. totam disputationem concludit his verbis: *Quæ cum ita sint, desinant Pelagiani quinque ista-*

a *Pag. 74.*

b *Pag. 79.*

c *Pag. 82.*

d *P. 110.*

e *Apud Augustinum ibid. cap. 71. pag. 110.*

istarum rerum invidiosissimis laudibus, id est, laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum, quasi Manichæorum tendiculis, fingere se homines tollo struere, ut possint eos suis retibus implicare: id est, ut negent originale peccatum, & parvulis invideant Christi medici auxilium: & ut dicant gratiam Dei secundum merita nostra dari, ac sic gratia Dei jam non sit gratia, & ut dicant sanctos in hac vita non habuisse peccatum: ac sic evacuetur oratio, quam sanctis tradidit, qui non habebat peccatum, & per quem sanctis orationibus dimittitur omne peccatum. Ad hæc tria mala, homines incautos & ineruditos quinque illorum bonorum fraudulenta laude seducunt. Ex istis quinque trium postremorum laudatio, nempe liberi arbitrii, legis, & sanctorum ad sequentes pertinet disputationes; reliquorum duorum laus, naturæ inquam, & nuptiarum, præsentem controversiam spectat. Ut pro naturæ patronis se venditarint Pelagiani, non aliter ac si, qualis nunc est, talem à Deo conditam Catholici dicerent: etiam testis nobis est Orosius *a*, his verbis. *In eadem epistola* (ad Demetriadem) *indigestis sermonibus eructasti, quid plerique nostrorum dicerent, Deum malam hominibus condidisse naturam. Quod etiam ille Phinees tuus Cælestius, pedetentim nobis tentavit intendere.* Imo & librum de natura Pelagius scripsit, cujus argumentum his verbis refert Augustinus *b*, *Vidi hominem ardentissimo zelo accensum adversus eos, qui cum in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potius accusantes hominum, per illam se excusare conantur. Nimis exarsit adversus hanc pestilentiam, quam etiam librorum secularium auctores graviter arguerunt, exclamantes, Falso queritur de natura sua genus humanum. Hanc enim prorsus iste sententiam quantis potuit viribus aggeravit.* Nec Juliano quicquam insolens minus, quam ut Augustinum, & qui cum eo naturam esse corruptam sentirent, Manichæorum idcirco nomine appellaret. Fecit hoc Epist. ad Zosimum *c*: ut constat ex lib. 1. Augustini ad Bonif. cap. VI. Fecit rursus lib. IV. de Nupt. & concup ut videre est ex August. lib. 1. priorum contra Jul. c. II. Fecit denique lib. VIII. contra responsionem Aug ut cognoscimus ex Augustino ultimi operis contra Jul. tmemate. I. II. VIII. XXII. XXIII. XXX. XLVII. L. LXII. LXXI. XCV. *d*

a *Apolog. contra Pelagium de arbitrii libertate.*

b *Lib. 1. de Natura & gratia cap. 1.*

c *Salust. initio belli Jugurth. & ex eo Vindicianus epist. ad Valentin. Imp. præmissa Marcel. Emp.*

d Pag. 34. 9. 23. 24. 27. 43. 49. 5. 74. 75. 130. 144.

ANTITHESIS I.

Ut huic Pelagianorum calumniæ obviam irent Catholici, à natura, quæ Dei opus est, vitium ejus distinguebant, quod primi hominis peccato est contractum: ac propter naturam laudabant creatorem, propter vitium necessarium docebant salvatorem.

Cum Augustinus à Timasio, & Iacobo (qui deserto Pelagio, magistro veteri, Catholicos sequebantur) librum Pelagii de Natura accepisset, rescripsit adolescentibus istu eleganti opusculo de natura, & gratia: cujus cap. XXXIV. Pelagianorum calumniæ hunc in modum respondet: *Non ergo sic debemus laudare creatorem, ut cogamur dicere, imo verè convincamur dicere superfluum salvatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, easque laudes ad creatoris gloriam referamus. Sed quia nos creavit, ita simus grati, ut non simus, quia sanat, ingrati. Vitia sane quæ sanat, non divino operi, sed humanæ voluntati, justaque illius vindictæ tribuamus.* Item XLII. *Melius itaque Dei causa agitur, quam se istic agendo dicit defensare naturam, cum & creator & salvator agnoscitur, quam cum defensa velut sana, viribusque integris creatura opitulatio salvatoris interimitur.* Eos qui sic sentirent, longe satis recedere à Manichæis docet idem lib. II. de Nupt. & concup. cap. III. Quod ipsum argumentum fuse tractat. lib. IV. ad Bonifa. cap. V. Paucis idem indicat cap III. ejusce libri: *Utrosque*, inquit, *damnat, atque devitat, quisquis secundum regulam Catholicæ fidei sic in hominibus nascentibus de bona creatura, carnis & animæ glorificat creatorem, quod non vult Manichæus, ut tamen propter vitium, quod in eos per peccatum primi hominis pertransiit, fateatur & parvulis necessarium salvatorem, quod non vult Pelagius.*

THESIS II.

Altera quæstio est, utrum qui originale peccatum docent, nuptias damnent, eoque hac etiam parte novi antiquam Manichæi hæresin revocent. Utrumque hoc crimen Pelagiani Catholicis impingebant.

Sententiam Pelagianorum his verbis concipit Augustinus initio lib. II. contra Julianum: *Damnantur nuptiæ, si aliquid, unde damnabiles generantur, habere credantur.* Et pugnat hoc argumento Iulianus cum alibi, tum ultimi contra Augustin. operis lib. 2. cap. LIX *a*. & lib. II. cap. XXIV. *b*. Sed imprimis frontem perfricat, in libris prioribus *c*, quibus August. libro de Nupt. respondit: *Dicunt*, inquit, *istas quæ modo aguntur nuptias, a Deo institutas non fuisse: quod in libro Augustini legitur, contra quem ego modo quatuor libris respondi. Cujus Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt.*

a Pag. 70.

b P. 229.

c *Apud August. lib. 1. ad Bonifacium contra duas Pelagii Epist. c. 5.*

ANTITHESIS II.

Catholici vero hunc Pelagianorum ictum exibant distinguendo, inter nuptias, quas divini esse instituti fatebantur, & libidinem, quæ est concupiscentiæ excessus.

Augustinus, spargentibus Pelagianis assertores peccati originalis *damnare nuptias, & opus Dei quod ex illis nascitur opus diaboli dicere* d, scripsit de nuptiis & concupiscentia libellum ad Valerium Comitem, cujus argumentum ipse initio operis *e* ponit: *Intentio*, inquit, *hujus libri hæc est, ut quantum nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus à bonitate naturæ.* Et lib. 1. contra Iulianum cap. II. *Nempe inter nos quantum attinet ad intentionem libri mei, cui te respondisse quatuor tuis jactas, ista vertitur quæstio, quod ego dico sic nuptias esse laudandas, ut nullo modo ad earum culpam vituperationemque pertineat, quod omnes homines primorum illorum hominum peccato nascantur obnoxii. Hoc enim qui negat, ipsa fidei Christianæ subvertere firmamenta conatur. Hinc quippe factum est, ut de nuptiis, & concupiscentia librum scriberem: nuptiarum scilicet bonum discernens ab eo malo, unde trahitur originale peccatum. Tu autem dicis, nuptias sine dubitatione damnari, nisi quod ex eis nascitur, ab omni sit liberum obligatione peccati.* Omnis igitur disputatio Augustini eo redit, quod, ut ipse inquit initio lib. 1. ejusdem operis: *Quantulacunque (sit) immunditia naturarum, nullum crimen est nuptiarum: bonum quippe discernitur proprium nuptiarum à quolibet vitio naturarum.* Cum vero Iulianus Augustini libro de Nupt. & concup. quatuor libris respondisset: (quod etiam indicant verba August. paulo ante adducta) Hipponensis antistes sex iis opposuit libros. Sed Pelagianus iste quasi de librorum numero, non argumentorum pondere concertatio foret adversus eos, emisit octo suos. His quoque dum respondere divinus senex parat: præclaro operi in obsidione Hipponensis civitatis immoritur, hodieque ex cygnea illa cantione duo solum libri supersunt, qui ipsi egregio Claudii Menardi beneficio anno demum superiori in lucem prodierunt, ad cujusmodi autem velitationes importunitate Iuliani Augustinus subinde sit protractus, liquet imprimis ex disputatione hac de Nupt. & concupiscentia. Verba sunt Iuliani ad Zosimum: *Motum genitalium, id est, ipsam virilitatem, sine qua non potest esse commixtio, à Deo dicimus*

d *Lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 1.*

e *Cap. 1.*

mus institutam. Ad quæ B. Augustinus respondet; *Deus sic instituit, ut nihil haberet pudendum. Non enim fas fuit, ut ejus erubesceret creatura de suo opere creatoris, sed inobedientia membrorum, supplicio justo primis hominibus inobedientibus reddita est, de qua erubuerunt, quando foliis ficulneis pudenda texerunt, quæ prius pudenda non fuerunt.* Plura hac de re ibidem, item cap. XVI. & XVII. Hinc etiam Hypognosticon scriptor in prologo, tertium Pelagianorum errorem esse ait, quod dicerent, *libidinem naturale esse bonum, nec in ea esse quod pudeat.* Quem errorem diluit libro IV. Loqui autem se ait de libidine quatenus opponitur voluptati: ut hæc sit in bono: illa, quam postea turpem libidinis pruritum, & voluptuosam libidinem vocat, semper sit in malo: unde & librum his verbis concludit: *Si igitur in vobis ullus est pudor, si honestas aliqua, si castitatis intentio, tantam mali necessitatem, id est, concupiscentiam carnis sordibus libidinis mixtam, bonam dicere & laudare desinite: cujus auctorem non Deum, sed diabolum esse credite, præcedente protoplasti peccato, & quod eam voluntas humana in turpissimis motibus refrenare non valeat, nisi singularis gratia per Christum Dominum nostrum subvenerit Salvatoris.* Porro adversus illud quod Pelagiani Manichæismum Catholicis objectarent passim ostendit Augustinus, etiam hac parte opinionem Catholicam à Manichaica plurimum discrepare. Ut lib. IV. ad Bonifac. cap. III. *Sic Catholicus discernit malum pudenda concupiscentiæ à bonitate nuptiarum, ut neque Manichæis similis unde nascimur, culpet: neque Pelagianis similis unde confundimur, laudet.* Vide & eundem ibidem cap. V. Item operis imperfecti contra Julianum lib. I. cap. LIX. LX. & alibi.

THESIS III.

Quæstio tertia fuit, utrum baptismi virtus integre ab iis agnoscatur, qui concupiscentiam carnis, non virtutem naturæ, sed vitium esse putant: ac nihilominus eam post baptismum credant remanere. Pelagiani ex adversariorum suorum sententia colligebant, per baptismi gratiam crimina non auferri, sed radi: nec plenam peccatorum remissionem impetrari.

De hoc sic August. initio lib. II. priorum contra Julianum: *Nec omnia, dicitis, peccata dimittuntur in baptismo, si aliquod in baptizatis conjugibus remanet, ex quo regenerantur mali.* Et lib. I. ad Bonifac. cap. XXII. hæc Juliani citat verba ex epist. ad Zosimum: *Etiam eos qui dicunt baptismum non omnia peccata delere condemnamus, quia scimus plenam purgationem per ipsa mysteria conferri.*

ANTITHESIS III.

Catholicorum autem sententia erat, concupiscentiam carnis remanere in renatis, quo in ea erudiantur, & exerceantur proficientes in agone justitiæ. Quanquam vero nec in regenitis malum vocare dubitarunt, originale tamen peccatum illis amplius inesse negabant, quia reatus omnis per baptismum sit sublatus. Interim concedebant eam peccatum dici posse μετωνυμικῶς, quia primi sit peccati effectus, & propriorum fiat delictorum causa, si ei non resistatur.

Concupiscentiam per baptismum minimè tolli, sed ad fidei certamen, & exercitationem justorum relinqui, non uno loco Augustinus ait. Ut de peccatorum meritis, & remissione lib. I. cap. XXXIX. *Evacuatur per baptismum caro peccati, non ut in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa, & innata repente absumatur & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superat, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Et paulo post: *Ipsa* (concupiscentia) *soluto reatus vinculo, quo illam diabolus animam retinebat, & interclusione destructa, quæ hominem à suo creatore separabat, manet in certamine, quo corpus nostrum castigamus, & servituti subjicimus, vel ad usus licitos, & necessarios relaxanda, vel continentia cohibenda.* Et ejusdem operis lib. II. cap. IV. *Soluto reatu, quo vinctus detinebatur, ad agonem manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura.* Vide & ibidem cap. XXXIII. & XXXIV. item de Civit. Dei lib. XIII. cap. IV. & lib. XXII. cap. XXIII. & pene initio lib. II. priorum contra Julianum librorum. & T. X. de verbis Apost. serm. V. VI. & XII. Porro fatetur August. concupiscentiam etiam in renatis mali nomen mereri: negat tamen in illis proprium peccatum dici posse, eo quod reatus originalis peccati per baptismum tollatur. Hinc T. 7. de Nupt. & concupisc. lib. I. cap. V. *Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo: non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Et cap. XXIII. *Concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et cap. XXVI. *In eis ergo qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum non imputetur. Nam sicuti eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit, sic illius concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.* Itidem lib. VI. contra Julian. cap. VIII. Quæstionem hanc movet, *utrum sicut verum est, quod reata maneant peccata quæ præterierunt actu, ita sit verum, quod concupiscentia maneat actu & prætereat reatu.* Quod ita esse deinceps contra Julianum probat: similemque sententiam habet lib. II. de peccatorum meritis, & remiss. cap. XXVIII. Etiam ejusdem contra Julianum operis lib. VI. c. V. ait. *Tu autem qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis.* Quanquam vero August. neget concupiscentiam in regenitis esse peccatum proprie dictum; agnoscit tamen ei hoc nomen competere κατὰ μετωνυμίαν, lib. I. de Nupt. & concupiscentia cap. XXIII. *Nam ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et mox: *Sed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta est, & peccati si vicerit, facit reum.* Et contra Julian. lib. VI. cap. XI. *Peccati nomine quod in illo habitabat, ipsam Apostol. Rom. VII. nuncupabat concupiscentiam, quia peccato facta est, & si consentientem traxerit, atque illexerit, concipit, paritque peccatum.* Et lib. I. contra duas Pelagii Epist. cap. XIII. *vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.*

THESIS IV.

Quarta erat quæstio, utrum dicentes primum peccatum parvulis imputari, Deum iniquitatis arguant, qui remittat propria, imputet aliena. Pelagiani existimarunt, omnino iniquitatem eo pacto adscribi Deo.

Hoc nos docet August. pene in ingressu lib. II. contra Julian. *Quemadmodum non est iniquus Deus, qui cum baptizatis dimittat peccata propria, parvulum damnat*

(sic

(sic legendum, non clamat) *quia cum ab illo crearetur nesciens, nec volens, etiam ex illis parentibus, quibus remissa fuerant, traxit aliena.* Et Pelagii ipsius verba sunt lib. Exposit. in Epistolam Pauli ad Rom. *a Dicunt etiam nulla ratione concedi, ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Ubi τὸ *dicunt* quam *dicimus* maluit, quia, ut superiori etiam disputatione *b* monebamus, ista scribens sub aliena persona, suam occulte sententiam seminaret. Similiter Iulianus lib. I. ultimi contra August. operis cap. XVI. *c Apud quem impollutam innocentiam scelus gravavit externum?* & cap. LV. *d Non capit rerum natura, ut uno tempore, & adeo sit misericors Deus, ut propria unicuique confitenti peccata condonet; & adeo crudelis ut innocenti impingat aliena. Horum prorsus cum alterum dederis, alterum sustulisti. Si donat veniam reis, non calumniatur innoxiis; si calumniatur innocuis, nunquam parcit obnoxiis.*

a Apud August. lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 3.
b Thes. 1.
c Apud August. lib. 1. imperfecti operis contra Iulianum p. 54.
d Ibidem p. 65.

ANTITHESIS IV.

Catholici vero iudicarunt, propter arctissimam coniunctionem nostri & Adami, primum peccatum non Adami solius esse, sed omnium nostri, eoque juste nobis à Deo imputari; quemadmodum & credentibus imputat obedientiam Filii sui, quæ nec ipsa personaliter est nostra.

Augustinus pene initio lib. II. contra Iulianum. *Nec iniquus est Deus, cum peccatis sive originalibus sive propriis digna retribuit, magisque iniquus, aut infirmus ostenditur, si jugum grave super filios Adam à die, sicut scriptum est, nativitatis eorum usque in diem sepulturæ, in matre omnium, sub quo jugo imago ejus atteritur, aut ipso nullo vel originali, vel proprio præcedente peccato, aut quilibet alius ipso imponit invito.* Et lib. I. imperfecti operis contra eundem cap. LV. *e Tu potius facis injustum Deum, cum tibi videtur injustum peccata patrum reddere in filios, quod se ille facere in verbis sæpe testatur, & factis ostendit. Tu inquam facis injustum Deum, sub cujus omnipotentis cura cum videas gravi jugo miseriæ parvulos premi, nullum eos peccatum habere contendis, simul accusans & Deum & Ecclesiam: Deum quidem, si gravantur, & affliguntur immeriti: Ecclesiam vero si exsufflantur à jure diabolicæ potestatis alieni.* Et mox: *Sic autem, aliena sunt originalia peccata propter nullum in eis nostræ voluntatis arbitrium, ut tamen propter originis contagium esse inveniantur & nostra. Quid est ergo quod clamas, & dicis non posse Deum dimittere peccata majoribus (f propter) propria, & imputare parvulis aliena? nec vis attendere, quod non nisi in Christo renatis utraque; non renatis autem in Christo neutra dimittantur.* Etiam cap. XLVI. *g* ejusdem lib. illa verba sua Augustino objicit Julianus, quod aliquando scripsisset: *Nullo peccato parvuli premuntur suo, sed premuntur alieno.* Ad quæ ita respondit August. *h Peccatis*, inquis, *alienis non utique perire debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt, ac per hoc jure seminationis, atque germinationis, & nostra sunt.*

Eccles. 40. 1.
e Pag. 65.
f τὸ propter delendum.
g Pag. 43.
h Pag. 48.

ANTITHESIS V.

Denique litem Catholicis Pelagiani movebant, quasi statuendo originale peccatum, perfectionis desperationem gignant; cum naturam mutare in neminis sit potestate.

Quintum quod Catholicis objicerent Pelagiani, de perfectionis desperatione fuit. Verba eorum apud August. hæc sunt *i*: *Nec virtus cui vitiositas intelligitur esse contraria, posse creditur perfici, quia ingenerata vitia incredibile est posse consumi.* Et Iulianus aperte lib. I. contra quos VI. libris Augustini opposuit cap. LXI. *a Originale peccatum si generatione primæ nativitatis attrahitur, nuptias quidem à Deo institutas damnare potest: cæterum a parvulis auferri non potest: quoniam quod innascitur usque ad finem ejus, cui a principiorum causis inhæserit, perseverat.*

i Pene initio lib. 2. contra Iulianum.
a Pag. 70. & 71.

ANTITHESIS VI.

Catholici contra negabant doctrinam de corruptione naturæ efficere, ut de perfectione desperantes in pietatis cursu segnescamus. Nam, inquiebant, quod non habemus per naturam, hoc partim in hac vita, partim in altera per gratiam consequemur.

Augustinus initio libri secundi priorum adversus Iulianum. *Nec perfectio est desperanda virtutis per ejus gratiam, qui ex origine vitiatam mutare potest, & sanare naturam.* Sed pluribus de hoc dicendum erit, cum Catholicam, & Pelagianam περὶ ἀναμαρτησίας sententiam conferemus.

Præter hæc aliam quoque controversiam Pelagiani ex peccati originalis dogmate deducebant: videlicet de origine animæ. Nam, inquiebant, si creatur à Deo, quomodo et recens productæ antiquum adeo peccatum imputatur? sin à parentibus propagari dicamus, quomodo non manifestè Ecclesiasticis dogmatibus adversamur? Sed de priori dilemmatis parte thesi & antithesi quarta dictum fuit. De altero, quanquam putarit Augustinus peccatum originale facilius posse defendi, si animarum propagatio agnoscatur; nihil tamen asseverabat, nec de eo controversari cum quoquam volebat. Quod satis hæc ejus verba ostendunt lib. III. contra duas Pelagianorum epistol. cap. ult. *Addunt sane ad latebrarum suarum nebulas Pelagiani de origine animæ non necessariam quæstionem, ad hoc ut res manifestas aliarum rerum obscuritate turbando, moliantur latendi locum. Ajunt enim nos animarum traducem cum peccati traduce consuere. Quod ubi, & quando in eorum, qui defendunt adversus istos Catholicam fidem, vel sermonibus audierint, vel literis legerint, nescio.* Et mox: *Tam manifestum est secundum scripturas sanctas originale peccatum, ut quicquid de animæ origine cuiuslibet inquisitione vel affirmatione disseritur, si contra hoc sit, verum esse non possit.* Imo & similiter in Synodica epist. scribunt Episcopi Africani in Sardinia exules *b*: *Quæstionem vero animarum aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quæ sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum scripturarum auctoritas non manifeste pronunciat, cum cautela debet inquiri: maxime quod sine fidei detrimento potest à fidelibus ignorari.* Eadem mens Gregorii lib. VII. Epist. LIII. ad Secundum: *De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est: sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit. Eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?*

b Quæ Fulgentii præfigitur lib. tribus de Prædestinatione excusis Parisiis 1612.

Videmus ut Pelagium eo quod peccatum originale negaret, votis variorum Ecclesiarum antistites damnarint, ac princeps omnium Hipponensis præsul B. August. quo nemo gratiam animosius, & fortius defendit. Sed ut plenius intelligamus, quid Ecclesia tum temporis de hoc dogmate judicarit, operæ fuerit, si post Augustini, & aliquot aliorum κρίσιν, audiamus ἐπικρίσιν tum Conciliorum, quæ super hac re diversis orbis partibus habita sunt, tum Romanorum Episcoporum cum clero urbis, tum etiam imperatoris.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ I.

Pelagianam de peccato originali sententiam damnarunt Concilia: ut Carthaginense I, Diospolitanum, Carthaginense alterum, Milevitanum, Carthaginense tertium, Arausicanum II. & alia: sed ex his acta aliquorum deperierunt.

Concilium Carthaginense I. in Cœlestio damnabat: *Quod peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano. Quod infantes qui nascuntur in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem.* Auctor August. de peccato originali contra Pelag. & Cœlest. cap. III. & IV. Concilium Palæstinum, seu Diospolitanum, hæc damnavit in Cœlestio, ac Pelagium ipsum ad ea compulit damnanda: *Adam mortalem esse factum qui sive peccaret, sive non peccaret esset moriturus, quod peccatum ejus solum ipsum læserit, & non genus humanum. Quod infantes nuper nati in illo statu sint, quo fuit Adam ante prævaricationem. Quod non per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. Infantes, etiamsi non baptizantur, habere vitam æternam.* Auctores Alipius & Aug. epist. ad Paulinum, & Augustinus libro de peccato originali cap. XI. & de gestis Palæstinis cap. XI. & XXXIII. Provocat ad hoc Concilium

a P. 305. idem lib. II. posteriorum contra Iulianum cap. CII. a *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est in Episcopali judicio Palæstino, ubi Pelagius vestri auctor erroris, procul dubio damnatus esset nisi ista, quæ tu defendis, dogmata damnasset.* Similiter Concilii Carthaginensis

b Apud August. Epist. 90 II. Epist. ad Innocentium b. *Quicunque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Item Concilii Milevitani Patres epist. ad Innocent. I. *Pueros quoque parvulos, si nullis inveniantur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, neque præsumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apost.*

c Rom. 5. c *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c.* Et mox: *His duobus totum quod Christiani sumus nituntur evertere, non esse rogandum Deum ut contra peccati malum atque ad operandam justitiam, sit noster adjutor, & non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ sacramentum.* Item Concilium Carthaginense III, (quod Milevitanum II. falso putari solet) Can. I. *Placuit ut quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret moreretur, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Can. II. *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

d Quæ præmittitur lib. 3. Fulgentii de Prædestinat. nunc primum editis Parisiis an. 1612. Episcopi Africæ in Sardinia exules in epistola Synodica d: *De parvulis indubitanter tenenda Catholicæ regula veritatis: Quia parvulus qui baptizatur gratuita Dei bonitate salvatur; qui vero sine baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque justificationis gratia mortuus, est impiorum consortio deputatus: à qua impietate sive parvulus, sive majoris ætatis, solo quisque remedio eripitur, si Christi sanguine redimatur.* Item; *Illud observandum & tenendum parvulorum animas nexu originalis peccati obstrictas: omnibusque necessarium esse sancti baptismatis sacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum, & amissa in primo homine, per secundum hominem recipitur, adoptio filiorum.* Concilium Arausicanum II. Can. I. *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur scripturæ dicenti, Anima quæ peccavit ipsa morietur.* Ezech. 18. 20. *Et, Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis cui obeditis.* Rom. 6. 16. *Et, A quo quis superatur, ei & servus addicitur?* 2 Petr. 2. 19. Et Can. II. *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non etiam ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5. Similiter Concilium Toletanum VI. (quod anno Dom. IↃCXXXVIII. ex Hispaniæ, & Galliæ episcopis coactum fuit) cap. I. *Ex tribus divinitatis personis solum filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda à secreto patris arcanoque prodiisse.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ II.

Etiam Episcopi Romani, Innocentius, Zosimus, Cœlestinus una cum clero Urbis hoc Africanorum Patrum judicium probarunt. Bonifacius quoque, Xistus, Leo, Gelasius (ut solum nominemus eos, qui quinto sextoque sæculo vixerunt) summa ope studuerunt, ut Pelagianum hoc dogma radicitus evellerent ex orbe Christiano.

Ad hoc Romanæ sedis judicium provocat August. lib. II. post. contra Julian. cap. CII a. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam sedem?* a P. 305. Intelligit autem judicium Innocentii, & Zosimi: quorum ille rogatus à patribus Concilii Milevitani (quod & à Carthaginensi Concilio factum fuit) ut etiam Romanæ, atque, ut ipsi loquuntur, Apostolicæ sedis auctoritatem Concilii statutis addere vellet: in hunc iis modum de infantium baptismo, & ejus virtute in tollendo peccati originalis reatu, rescripsit: *Parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est.* Et mox: *Qui vitam eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum.* Quæ verba etiam August. citat lib. II. contra duas Pelagianorum epist. cap. IV. Zosimus epist. ad Episcopos totius orbis: *Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione & remissione vera peccatorum in omni sexu, ætatis conditione generis humani, eandem plenitudinem tenet. Nullus enim nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est; si vos Filius liberavit, vere liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, atque transmissæ universæ animæ illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.*

Citat

Citat Angust. Epist. CLVII. ad Optatum. Cœlestinus Epist. ad Galliæ Episcopos cap. IV. *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdiderunt.* Et cap. XII. *Illud quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem & dat dona hominibus.* Extat & Cœlestini epistola ad Nestorium qua eum laudat, quod de Originis vitio rectè senserit, neque naturam culpa negarit obstrictam.

Xistus III. in versibus quos super baptisterium Constantini inscribi jussit:

Cœlorum regnum sperate hoc fonte renati,
Non recipit felix vita semel genitos.

Quanquam hoc quoque Pelagiani utcunque fatebantur: at omnino iis repugnat quod post pauca subjicit:

Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine seu proprio.

Nam per crimen patrium originale intelligit.

Leo Magnus epist. LXXXVI. ad Nicetam Aquiliensem: *Sed ab istis ideo naturalem industriam dicitur prævenire, ut quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata. Ideo etiam parvulos dicunt, si sine baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccata Adæ teneri, sed ad regnum Dei vel ad vitam æternam sine ulla cunctatione venire, cum Apost. dicat: Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, propter quod & ipsi parvuli baptizantur.* Item serm. IV. in natalem Domini negat moriturum fuisse Adamum, si non peccasset. *Quam,* inquit, *natura sua speciosissimam dignitatem si* (primus homo) *per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Idem serm. VI. in nativitatem Domini cap. IV. *Quicquid hominum in quacunque mundi parte credentium regeneratur in Christo, intercisо originalis tramite vetustatis, transit in novum hominem renascendo, nec jam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine salvatoris.* Gelasius Epist. ad Piceni Episcopos cùm tria Pelagianæ sententiæ capita fecisset, (quæ ordine deinceps refellit) secundum eorum esse ait, quod dicerent; *Parvulos sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari.* Vide & Gregor. M. epist. LIII. lib. VII. ad Secundinum, & lib. IV. Moralium cap. II.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ III.

Nec tantum decretis Ecclesiasticis, sed etiam lege imperiali iste Pelagii error est condemnatus.

Honorius imperator lege adversus Pelagianos. *Hujus impiæ commentationis auctores Pelagium, Cælestiumque percrebuit exstitisse. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipueque semper majestati, & ter omnipotenti ultra omne principium transeunti, tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignant, ut cum formandi mundi opificem curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profunda spiritus conceptione libraret, fundati muneris fidei* a *anteferret exordium* b *& mortem præmitteret nascituro, non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilis constituti: ad declinandum lethi exitiales incursum nihil prodesse abstinentiam delinquendi, cujus ita vis putatur astricta, ut non possit aboleri, deinceps primitivi hominis errorem, in quem capta mentis, inops rationis cæcitas irruisset, dilapsum ad posteros non fuisse; tantumque apud eum, quem male suadæ gratia infelix rapuisset illecebra, transgressionem interdicti extitisse, & discriminis: cùm evidens Catholicæ legis omnifaria testetur auctoritas, illum interitus omnium fuisse vestibulum, quem divinæ præceptionis sedulum liqueat corrupisse mandatum.* Ubi quod dicitur trucem fore inclementiam Dei, si quemadmodum Pelagiani volunt, finem exordio, mortem nativitati præmittat, id propriè eo respicit, quod Adamum fuisse moriturum dicerent, licet non peccasset. Interea agnoscimus, si de temporali hoc morte absurdum adeo imperatori visum est, ut lege adversus eum errorem cautum vellet, multo minus probaturum fuisse, si Deum ad æternam mortem prædestinare quemquam diceretur, quem non considerant tanquam peccatorem.

a L. finem.
b Leg. exordio.

Hæc de peccato originali dicta sunto: ex quibus clare satis eluxit, tum Catholicorum sensus, tum Pelagianorum dissensus. Ut singula quæ hoc de peccato quæri solent explicaremus, instituti ratio non sivit: nempe satis visum, si hac parte Pelagianismum à Catholicismo probe discerneremus. Quæ ad pleniorem ejus peccati intelligentiam pertinent, è limpido Scripturarum fonte, & divite antiquitatis penu, alias depromemus, cùm seorsim de eo agendum erit: ac quia nunc contenti fuimus eos de vetustate nominare qui post exortam Pelagii hæresin scripserunt, tunc simul ostendemus, illos etiam qui ante Pelagium Ecclesiæ doctores floruerunt, hoc in dogmate semper conspirasse, eoque omnino audiendos non esse, qui doctrinam originalis peccati, Augustini esse commentum putant, idemque aliis persuasum volunt.

DISPUTATIO VIGESIMANONA

DE

PELAGIANISMO

Quæ eſt de

NECESSITATE GRATIÆ.

PARS PRIMA.

POSTQUAM opinionem Pelagianorum de ortus noſtri conditione contulimus cum ſententia Catholicorum: proximum eſt, ut componamus amborum doctrinam de vita hominis ſpirituali. Hæc partim cunctos, partim aliquos reſpicit. In cunctis ſpectatur gratiæ neceſſitas; de qua tria in conſiderationem veniunt:

I. Quos pietatis actus hominem vi naturæ præſtare Pelagius putarit.
II. Ut in ſententia iſtac fluctuans primum hoc, mox aliud, hinc item aliud atque aliud dixerit, & propius propiuſque ad Catholicos ſemper acceſſerit.
III. Super quibus nunquam inter Pelagium & Catholicos convenerit.

De primo non tam quærendum videtur, quid nos virtute naturæ in ſalutis negotio poſſe Pelagius exiſtimarit, quam ecquid per eam non poſſe nos crediderit. Ut enim Manichæi libertati arbitrii nihil relinquebant; ita hic nihil non eidem largiebatur. Nec difficile eſt videre, quid eum in fœdum adeo errorem præcipitem dederit: hominem alioqui & ingenioſum, & pietatis nomine carum multis. Nempe ſeſquiſeculo propemodum, quod Pelagium proxime præceſſit, multum laborarunt egregii Eccleſiarum doctores in tuenda arbitrii libertate adverſus Manichæos, quod dum faciunt ſedulo, iidem de gratia, quia de hac controverſiam moviſſet nemo, parcius loqui amant, fere contenti dicere quid homo pro arbitrii libertate poſſit: nec diſtinguentes, quid per naturam, quid per gratiam polleet. Sed quanquam rarius, tamen ſubinde etiam hac parte optime mentem ſuam explicant. Quod dum non attendit Pelagius, ſic Manichæis cœpit adverſari, ut & ipſe, ſed in diverſum, extra orbitas currens hæreſin contrariam procuderit. Nec dubium quin præterea eum offenderint quædam Catholicorum dicta, quæ illi Manichaicum aliquid ſonare videbantur. Ut alia inter, quod Auguſtinus in Confeſſionum libris ſcripſiſſet, *Da quod jubes, & jube quod vis.* Unde magnus ille doctor, lib. II. de bono perſeverantiæ cap. XX. *In eis* (libris confeſſionum) *certe dixi Deo noſtro, & ſæpe dixi; Da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre coepiſcopo meo fuiſſent eo præſente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotius, pene cum eo qui illa commemoraverat, litigavit.* Nempe hujuſmodi concoquere non potuit, quod arbitrii libertatem tollere videntur. Hic enim Pelagianorum erat Achilles; ut Auguſtinus quoque indicat, epiſt. CV. ad Sixtum, *Putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem, ſine adjutorio Dei, hominem habere conſenſerint.* Hieronymus item epiſt. ad Creſiphontem: *Dicit*, inquit, *Pelagii diſcipulus, deſtruitur voluntas, quæ alterius ope indiget, quod alter liberum non erit, niſi fecero quod voluero.* Et quid multis opus, cùm ipſa habeamos Cœleſtii verba definitionum ſuarum cap. X *a.* *Non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere.* Tali jacto fundamento, duplicem docebant voluntati vim ineſſe à natura; unam, ut ſine gratiæ auxilio fugere malum poſſit; alteram, ut ſuapte vi ſeſe applicet ad virtutem. De priori ſic Pelagius ipſe libro de natura: *Deus tam bonus quam juſtus, tales homines fecit, ut peccati malo carere ſufficiant, ſi velint.* De altero ſic idem lib. I. pro libero arbitrio *b.* *Habemus poſſibilitatem utriuſque partis à Deo inſitam, velut quandam, ut ita dicam, radicem fructiferam, atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diverſa gignat & pariat, & quæ poſſit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum.* Etiam Iulianus ſimiliter *c* lib. I. adverſus ſex libb. Aug. *Hæc voluntas, quæ alternatur, originem poſſibilitatis in libero accepit arbitrio: ipſius vero operis exiſtentiam à ſe accipit.* Cujuſmodi ab iis intellecta fuiſſe, abſque gratiæ adjutorio, oſtendunt Cœleſtii verba, quæ antea citavimus. Nec tamen eos putamus negaſſe idcirco generalem Dei influxum, aut crediſſe cauſam primam agere ſine ſecunda, ſed hoc ſolum ſignificaſſe, hominum vires ſine ſpeciali Dei ope ſufficere ſibi ad comparandam beatitudinem æternam. Quomodo etiam capere oportet, quod de iis Gelaſius *d* ſcripſit epiſt. ad Piceni epiſcopos: *Dicunt* (Pelagiani) *quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit, ac perdidit, bono ſuffragante natura beatus efficiatur.* Sed ut hæc planiora fiant, diſtincte deinceps conſiderabimus. Primum univerſe, an homo vi naturæ perfectam obedientiam præſtare poſſit. Deinde ſpeciatim, utrum ſaltem boni aliquid per ſe poſſit. Prius illud tripartitam habet controverſiam. Quæritur enim utrum homo virtute naturali Deum perfecte diligere, eoque legem integre præſtare, ac graviſſimis etiam tentationibus reſiſtere poſſit. Etſi autem horum unum ex altero fluat, tamen diſtincte primum de amore Dei, hinc de legis præſtatione, denique de victoria in tentationibus dicemus.

a Apud Aug. ep. 106. ad Paull. & lib. de geſtis Palæſt. cap. 18.

b Apud Auguſt. lib. I. de gratia Chriſti contra Pelag. & Cœl. c. 10.

c Apud Auguſt. lib. I. imperfecti operis contra Iul. cap. 45. pag 38.

d Epiſt. 7.

THE-

Thesis I.

Princeps quæstio est, utrum homo vi naturæ diligere Deum possit. Asserebat id Pelagius. Et quod amplius, cum Deus diligatur, tum ut naturæ auctor, tum ut largitor donorum supernaturalium, per quæ ad æternam beatitudinem deducimur, Pelagius dilectionem Dei simpliciter tribuebat virtuti naturæ.

Est hic quintus Pelagii error. Apud Augustinum hæresi LXXXVIII. *Charitatem*, inquit, *dari negant, qua pie vivitur, ut scilicet, cum sit Dei donum scientia, quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ, ut scientia non inflet, ædificat.*

ANTITHESIS I.

Catholicorum autem sententia erat, verum Dei amorem, quo omnia in illum tanquam finem ultimum referimus, & quæ ejus dilectioni adversantur, exosa habemus, donum est Spiritus Sancti juxta illud ad Rom. v. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. *Et Eph.* VI. 23. Pax fratribus & charitas cum fide a Deo Patre *ad Gal.* v. 22 Fructus Spiritus est charitas. 1 *Ioh.* IV. 7. Charitas ex Deo est.

Hoc postremo loco egregie pugnat B. Augustinus lib. de gratia, & lib arb. cap. XVIII. *Unde*, inquit, *est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non est ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex Apostolus Iohannes & dicat nobis: Charissimi diligamus invicem. In his verbis Iohannis, cum se illi extollere cœperint, & dicere, ut quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus, ut invicem diligamus: sequitur continuo idem Iohannes confundens eos ac dicens: quia dilectio ex Deo est. Non itaque ex nobis, sed ex Deo est. Cur ergo dictum est, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est, nisi quia præcepto admonitum est, liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum?* Idem epist. CVII. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum gravitate primi peccati perdidimus.* Vide & lib. de gratia & arbitrio cap. XVI. & XVII. & lib. IV. priorum in Iulianum cap. III.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ I.

Hæc sententia approbatur Concilio Carthaginensi, Sardiniano, Arausicano; item Cœlestini decreto.

Concilium Carthaginense III. (quod Milevitanum male vocari inferius ostendemus) sic hac de re statuit cap. IV. *Cum dicat Apostolus, scientia inflat, charitas vero ædificat, valde impium est, ut credamus ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi: ad eam quæ ædificat non habere, cum sit utrumque donum Dei, & scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus: ut ædificante charitate scientia non possit inflare: sicut autem de Deo scriptum est* a, *qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, charitas ex Deo est.* Episcopi Afri in Sardinia exules in epist. Synodica b: *In homine agit gratia divinitus data, ut animus dono fidei charitatisque percepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat.* Arausicanum II. can. ult. *Prorsus donum Dei est diligere Deum, diffundit enim charitatem in cordibus nostris spiritus Patris ac Filii, quem cum Patre amamus & Filio.* Et mox: *Per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuit liberum arbitrium, ut nullus diligere Deum sicut oportuit, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Similiter Episcopi clerusque Romanus. Alios inter Cœlestinus epist. ad Gal. episcop. cap. XI. *Legem credendi lex statuit supplicandi. Atqui*, inquit, *sanctarum legum præsules apud divinam clementiam tota secum Ecclesia ingemiscente postulant, ut schismatici spiritum rediviva charitatis accipiant.* Unde divini esse operis charitatem colligit.

a *Psal.* 63.

b *Quæ præmittitur Fulgentii lib. de Prædestinat. Parisiis excusis a. Chr.* 1612.

Thesis II.

Cumque Pelagiani naturæ viribus tribuerint dilectionem Dei, quid mirum si crediderint, nos ejusdem virtute legem implere divinam? Nam ut Christus ait Ioh. XIV. 23. Si quis diligit me sermonem meum servabit. *Et, ut est* 1 *Ioh.* V. 3. Hæc est dilectio Dei, ut ejus mandata custodiamus.

Hilarius ad Augustinum a: *Cœlestii & asseclarum dogma fuit, posse esse hominem sine peccato, & mandata Dei facile custodire, si velit.* Idem docet Augustinus epist. CC. ad Asellicum episcopum: *Pelagiani cum profiteantur se esse Christianos, ipsi gratiæ Christi sic adversantur, ut se humanis meritis divina existiment implere mandata.* Item hæresi LXXXVIII. *Hi* (Pelagiani) *Dei gratiæ in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem facere omnia divina mandata credant.* Vide & lib. II. de nuptiis, & concupisc. cap. III. Idemque Cassianus docet lib. I. de Incarnatione adversus Nestorium: *Peculiare*, inquit, *ac proprium supradictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit, quod dicentes quidam, solitarium hominem Iesum Christum sine ullius peccati contagione vixisse, eo progressi sunt, ut assererent, homines si velint sine peccato esse posse.* Et post aliqua: *Advertit idem se omnino dicere, quod Pelagiani ista ante dixerunt, & consequens errori suo esse, ut qui utique sine peccato solitarium hominem Iesum Christum vixisse asserit, omnes quoque per se homines sine peccato posse esse blasphemet: nec necessariam quoque, exemplo illius, dicant, redemptionem Domini fuisse, cum ad cœleste regnum suo tantum homines nisu (ut ajunt) valeant pervenire.*

a *Epist.* 88. *inter Aug.*

ANTITHESIS II.

Catholici vero eadem de causa, ut dilectionem Dei, ita legis impletionem negarunt esse virtutis naturalis.

Augustinus epist. LXXXIX. quæst. 2. ad Hilar. *Illud vero quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratia & Spiritus Sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, a gratia Dei penitus alieni sunt: qui ignorantes Dei justitiam, sicut de Iudæis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Plenitudo quippe legis non est nisi charitas: & ubique charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, nec viribus propriæ voluntatis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Valet itaque liberum arbitrium ad bona opera si divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo & faciendo.* Ibidem Pelagianos eleganter comparat phreneticis. *Qui cum sint insani, adeo se sanos putant, ut nec medicum quærant, & tanquam importunum insuper cædant: sicut isti Christum insana superbia quodammodo cædunt: cujus gratiæ tam benignum adjutorium ad faciendam justitiam dato legis præcepto necessarium non esse contendunt.* Idem de Catechizandis rudibus cap. ult. fine: *Non solum dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ, quam non implet,*

implet, nisi qui dominum acceperit Spiritum sanctum Patri & Filio utique aequalem. Et lib. II. post. contra Jul. cap. CLVI. a *Qui praecepta legis implere se putat per arbitrium propria voluntatis, sine Spiritu gratia, suam justitiam vult constituere, non justitiam Dei sumere. Nam unde dicit idem Apostolus? Ut inveniar in illo non habens meam justitiam qua ex lege est, sed justitiam, qua ex fide, justitiam ex Deo.* Vide eundem epist. XCV. CV. CVI. CXX. CXLV. CC. Item lib. II. de peccatorum meritis & remiss. cap. V. & libro de Perfectione justitiae, & lib. de Spiritu & litera, imprimis cap. XIV. & XIX.

a P. 367.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ II.

Idem judicium fuit Synodi Carthaginensis II. Milevitana, Carthaginensis III. Item Innocentii, Zosimi, Caelestini, Gelasii.

Patres Concilii Carthaginensis in causa Pelagiana secundi epist. ad Innocentium: *Persuadere non cessant ad operandam perficiendamque justitiam & Dei mandata complenda solam sibi humanam posse sufficere naturam, non attendentes quod scriptum est* b, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Et c, *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Quibus & alia Scripturarum loca subjungunt. Tandem vero sic concludunt: *Quicunque dogmatizat & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, & eo modo gratia Dei, qua sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur; anathema sit.* Patres Concilii Milevitani ad Innocentium: *Nova quippe haeresis & inimicorum perniciosa tempestas surgere nimirum gratia Christi cupit, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Isti dicunt posse hominem in hac vita praeceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitia sine adjutorio gratia salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra.* Concilium Carthaginense, in Pelagiana causa III. cap. III. *Item placuit, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, qua justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem valere peccatorum, qua jam commissa sunt, non etiam in adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Et capitulo IV. *Item quisquis dixerit, gratiam Dei per ipsum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum; quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit.* Et cap. V. *Item quisquis dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficilius potestis facere; sed ait, sine me nihil potestis facere.* Episcopi Africani in Sardinia exules Epistola Synodica: *Ad implenda praecepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi divinitus adjuvetur.* Concilium Arausicanum II. Cap. ultim. *Secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) qua ad salutem pertinent, possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere.* Ubi eum legem per gratiam impleri dicitur, simul eam citra gratiam non impleri innuitur. Unde & ante eopse canone dictum fuit: *Nullus operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum & divina misericordia praevenerit.* Similiaque habes in ea Synodo passim. Concilium Valentinum Galliae cap. VI a. *De gratia per quam salvantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Dom. Iesu fidelibus ejus redintegrato & sanato, id ipsum constantissime & fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolica sedis Catholica fide tenuerunt.* Ubi per Africanam Synodum intelligitur Carthaginensis Tertia, quam plenarium totius Africae Concilium vocat Augustinus epist. XLVII. ad Valentinum. Milevitanae Synodi non meminit hoc Concilium, quia quae istac, uti & prima secundaque Carthaginensi, in causa Pelagiana fuerant decreta, haec postea Carthaginensi tertia sunt recensita, & illo totius Africae Concilio approbata. Atque inde est quod Canones Carthaginensis primae aut secundae vel Milevitanae Synodi nulli legantur in ipso codice Canonum Ecclesiae Africanae; quem ante biennium Graeco-latinum edidit V. Cl. Christianus Justellus. Quid enim illis opus, cum nihil Synodi istae decreverint, quod non item Carthaginensi III. sit sancitum; & quidem tum plenius, tum majori cum auctoritate, quando ad eam praeter Milevitanos Patres etiam reliquae Africae, hoc est ea Proconsulari, Byzacensi, Tripolitana & Mauritaniarum provinciis, Ecclesiarum venerant legati? Unde liquet errare eos, qui Canones Concilii Milevitani, aut alterutrius Carthaginensis injuria temporum intercidisse putant. Quemadmodum & illi falluntur, quibus persuasum Milevitani esse Concilii Canones, qui illi vulgo in Conciliorum tomis tribuuntur, & ejusce Concilii nomine à doctis hactenus citari solent. Nam tertii esse Carthaginensis (tertii inquam in Pelagiana causa, sed septimi decimi eorum, quae tempore Aurelii episcopi Carthagine habita sunt) tum ea vetustissimo M^to Gandavensi, cujus meminit Justellus b, cognosci potest: tum ut ad editos solum provocemus, ea eo quem diximus codice Canonum veteris Ecclesiae Africanae cap. CVIII. c. Item Codice Canonum veteris Ecclesiae Romanae, cap. LXXVI *. Concilii Africani, item Coelestino epist. ad Gall. cap. X †. Hadriano I. in epitome Canonum quam Carolo M. Romae obtulit, & Photio μυριοβίβλῳ cap. LIII. Quod vero doctissimus hujusce scriptoris interpres & scholiastes Andreas Schottus monet, intelligi à Photio Carthaginense illud, cujus Epist. Synodica inter Augustinianas extat, abunde eo refellitur, quod istud celebratum ab episcopis LXVII. At Photius dicit se loqui de Carthaginensi, quod Episcoporum fuit CCXIV. Intelligit igitur Carthaginense tertium, sive universale Africae Concilium, quod ab episcopis CCXIV. habitum esse dicit Prosper adversus collatorem cap. X. Errarunt igitur duceni quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistola, quam suis constitutionibus protulerunt, ita Apostolicae sedis Antistitem B. Zosimum sunt allocuti, &c. *Quod vero Photius denario auctiorem episcoporum numerum facit, id inde esse arbitror, quod in codicem inciderit, ubi pro CCXIV. scriptum esset CCXXIV. Omnino enim Romano librario culpam hic tribuere malim, quam cum doctissimo Iustello, Photii exscriptori; quasi nempe is pro εκ scripserit κδ. qui error minus est proclivis, quam iste alter. Denique etiam hoc de Concilio imprimis intelligimus versus Prosperi lib. de ingratis cap. II.*

> *Condita sunt & scripta manent, qua de cataractis*
> *Aeterni fontis fluxere undante meatu;*
> *Et tercentenis procerum sunt edita linguis.*

Baronius d, eumque secutus Claudius Menardus e de Carthaginensi II. & Milevitano loqui putant, eo quod non multo ante gemini senum coetus meminerit Prosper.

b Rom. 8. 26.
c Rom. 9. 16.
a Tom. 3. Concil. p. 652. Col. 1606.
b Notis ad cod. can. Afric. Eccl. pag. 115.
c P. 289.
* P. 260. ed. Paris. 1609. excusur. juxta exemplar Moguntinum an. 1525.
† T. 3 concil. p. 290. edit. Col. 1606.
d Tom. 5. p. 392. ed. Mo. 1602.
e Notis ad August. adversum Iulians libb. duos poster. pag. 467.

Prosper. Sed obstat, quod Carthaginensi isti solum interfuerint episcopi LXVII. Milevitano autem LIX: quemadmodum ex nominibus eorum paret, quæ habemus in utriusque Concilii literis ad Innocentium. Quare verius est, quod Baronius addit, posse etiam intelligi utrumque Carthaginense. Nos non dubitamus quin vel solum, vel imprimis respiciat Carthaginense III. quod à trecentis & amplius fuisse celebratum paulo ante ex Prospero, optimo sui interprete, vidimus. Sed à semita redeamus in viam: ac quia de Conciliis satis dixisse videmur, nunc de Episcoporum & cleri Urbis judicio agamus.

Innocentius I. Epist. ad Patres Concilii Carthaginensis: *Numquid nos post hac rectum de eorum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur: qui sine illo tantum assequi se posse confidunt?* Et post aliquammulta: *Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens, in prævaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset, invenit; suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruinæ jacuisset oppressus, nisi eum post Christi, per suam gratiam, relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro purgavit, & ejus confirmans statum, quo rectius constabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non denegavit. Nam quamvis hominem redemisset à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quomodo posset illum & post illa corrigere, multa servavit, quotidiana illi præstans remedia: quibus nisi freti confisique nitamur*, &c. Mox ita concludit: *Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quæ dicat, adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se Catholicæ fidei, & Dei beneficiis profitetur ingratum. Nam nec nostrâ communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt.* Idem epist. ad Patres Concil. Milevit. *Merito in istos dixit hymnidicus: Ecce homines qui non posuerunt Deum adjutorem sibi.* Subjicit deinde: *Negantes ergo auxilium Dei inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, quâ privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum AD OMNIA VITÆ PERFICIENDA MANDATA sola tantummodo libertate contendit. O pravissimarum mentium perversa doctrina, advertat id tandem, quod primum hominem ita libertas ista decepit, ut dum indulgentius frenis utitur ejus, in prævaricationem præsumptione conciderit. Neque ex hac potuit erui, nisi providentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus.* Zosimus epist ad totius orbis Episcopos *a*: *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.* Quem sermonem sincerissimæ veritatis luce radiantem, quanto cum honore honorati sint Afri Episcopi, eorum verba ostendunt, apud Cœlestium Epist. ad Gal. cap. VIII. Idem Zosimus *b* ex ipsa epistola: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, moribus adjutor & protector orandus est.* Cœlestinus Epist. ad Galliæ Episc. cap. IV. ait: *Neminem de profundo ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit*: cap. V. *Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus*: cap. VII. *Quod nemo nisi per gratiam libero bene utatur arbitrio*, cap. VIII. *Quod omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gratiam laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit* cap. IX. *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illud aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Quæ omnia Innocentii & Zosimi testimonio confirmat. Verba ipsorum omittimus, quia partim ea jam citavimus, partim θέσει sequenti adducemus. Idem Cœlestinus ibidem cap. X. *Illud etiam quod intra Carthaginensis Synodi decreta constitutum, quasi proprium Apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, ut quicunque dixerit gratiam Dei*, &c. Adfert deinceps capitulum ejus Synodi tertium, quartum, quintum, eopse ordine, verbis iisdem, quibus hodieque leguntur in Concilio, quod vulgo Milevitanum vocatur. Quare hoc quoque argumento superius pugnavimus ad probandum, canones, qui vulgo Milevitano Concilio tribuuntur, Concilii esse Carthaginensis: quippe cui disertim eos tribuat Cœlestinus. Gelasius I. epist. V. *Quis autem audeat dicere Christianos aliquid habere sine gratia, quando magister gentium a clamat, Gratia Dei sum id quod sum. Et iterum: Plus omnibus laboravi, sed non ego, sed gratia Dei mecum.*

a Apud Cœlestinum epist ad Gallos cap. 8.

b Apud eundem cap. 9.

a 1 Cor. 15. 10.

THESIS III.

Nec Pelagio satis erat dicere; posse hominem viribus suis aliquamdiu & extra tentationes legi obedire, verùm contendebat etiam gravissimis tentationibus posse resistere.

Testis August. cùm alibi, tum libro de Hæres. cap. LXXXVIII: Sane Pelagii verba sunt ad Demetriadem: *Divinam mereamur gratiam ut nequam facilius spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus.* Ubi FACILIUS dixit, quòd etiam ea absque nos resistere; ut observat Augustinus lib. de grat. Christi contra Pel. & Cœl. cap. XXVII. qui & eadem verba citat lib. de gratia cap. XXII. Sed apertius Cœlestius, qui ut gratiæ adjutorium tolleret, hoc argumento pugnabat definitionum suarum cap. III. *Si per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur sed Dei gratia, quæ voluit nos omnino adjuvare, & non potuit.* Et eodem cap. *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata, ergo ipsa est culpa, quando à peccato vincimur, quia omnino custodire nos aut non potuit aut noluit.* Quæ Cœlestii verba, cum Pelagio essent objecta, damnare ea est coactus, ne ipse damnaretur: ut apparet ex cap. XIV. August. de gestis Palæstinis. Idem epist CVI. ad Paulin. & de gestis Palæstin. cap. XVIII. Cœlestium defin. cap X. scripsisse ait: *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio*: atque id inferre dictis his verbis: *Nostra est victoria, quoniam propriâ voluntate arma suscipimus: sicut è contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus.*

ANTITHESIS III.

Augustinus verò & cæteri, qui se Pelagio opponerent, solius gratiæ beneficio tentationes vinci posse dicebant.

S. Hieronymus lib. II. adversus Pelagianos citat illa verba Domini Matth. XXVI. *Surgite, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et continuo subjungit: *debuisset dicere, juxta vos, surgite & resistite. Liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.* Idem initio lib. III. *Nostra*, inquit, *victoria & corona victoriæ illius protectione & clypeo paratur.* Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. IV. *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Ergo & victoria quâ peccatum vincitur, nihil aliud est, quam Donum Dei, in isto examine adjuvantis liberum arbitrium. Propter quod dicit*

& cælestis magister: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem, id est, ne sit ab illa abstractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humana, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur, accipitur? Si enim dixisset Salvator noster: Vigilate, ne intretis in tentationem: admonuisse videretur tantummodo hominis voluntatem: cum verò addit, & orate, ostendit Deum adjuvare, ne intretis in tentationem. Dictum est libero arbitrio: Fili noli deficere à disciplina Domini: & Dominus dicit: Ego rogavi pro te Petre ne deficeret fides tua. Homo ergo gratiâ juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur. Idem lib. de perfectione justitiæ extremo. *Quisquis negat nos orare debere ne intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratia Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed solâ lege acceptâ humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.* Similiter lib. de gratia Christi cap. XXVII.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ III.

Eademque sententia comprobatur auctoritate Concilii Diospolitani, Carthaginensis secundi: Milevitani: Item Innocentii, Zosimi, Cælestini cum Clero urbis.

Synodus Palæstina: *Fateatur unumquemque fidelem tenere confiteri, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus liberam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Citat Augustinus epist. ad Paull. *a* Vide & cum de gestis Palæst. cap. XIV. Ubi legimus ut damnarit Cœlestii verba superius allata. Synodus Carthaginensis epist. ad Innoc. I. *b* *Istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem. Quod dominus & discipulos monuit, & posuit in oratione quam docuit. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate est constitutum, quis non videat à Domino inaniter peti, cum orando poscuntur, qua natura jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur. Nec debuisse dicere Dominum Iesum, vigilate & orate, sed tantummodo, vigilate ne intretis in tentationem.* Synodus Milevitana epist. *a* ad Innocentium: *Illud, ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum dicunt* (Pelagiani) *tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati incidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis.* Imo Paulo ex duobus Pelagii dogmatibus maximè impiis hoc alterum esse ait. Verba Synodi sunt: *Ut alia omittamus, hæc duo totum quod Christiani sumus evertunt: Non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum atque ad operandam justitiam sit noster adjutor: &, non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam Christiana gratia sacramentum.* Innocentius I. epist. ad Concil. Carthag. *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam terrena labis & mundani corporis vincere conamur errores, cùm pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et post aliquammulta: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vicimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Idem Epist. ad Patres Concil. Milevitani: *Negantes auxilium Dei inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratiâ hunc egere divinâ, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat. O pravissimarum mentium perversa doctrina!* Et post pauca: *Ergo Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restituta nobis status pristini libertate quæramus. Quippe nec alias diaboli machinas, nisi eadem possumus juvante vitare.* Zosimus epist. ad totius orbis Episcopos *b*, postquam dixerat omnem cogitationem bonam, bonæque voluntatis motum esse à Deo, subjicit hæc: *Superbum est ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo, non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Cœlestinus epist. ad Gall. Episc. VI. *Nemo*, inquit, *etiam baptismatis gratia renovatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

a Epist. 106.

b Apud August. epist. 90.

a Apud August. epist. 92.

b Apud Cælestinum epist. ad Gall. I. 9.

DISPU-

DISPUTATIO TRIGESIMA

DE

PELAGIANISMO

Quæ eſt de

NECESSITATE GRATIÆ.

PARS ALTERA.

Abunde hactenus oſtenſum fuit, quod Hieronymus a ſcripſit, *Perfectionem hominis non ex natura, ſed ex gratia provenire*, hoc communem Catholicorum ſententiam fuiſſe. Verùm, non ſi abſque gratia ad perfectionis bonum fruſtra adſpiremus, eo conſequitur, ſine illa aliquo tenus prodire poſſe neminem. Quare nunc de altero hoc capite agendum nobis erit. De quo primum videbimus abſolutè, Ecce quid boni poſſimus abſque auxilio Dei ſpeciali: deinde cum reſpectu ad ſalutem: Num ſine illo quiſquam vel inchoare vel conſervare ſalutem ſuam poſſit.

a Lib. 2. Dial. cont. Pel p. 283. edit. Baſil. 1553. quam & ante citamus.

THESIS I.

PElagianorum opinio erat, neutiquam ad ſingulos actus bonos auxilium Dei requiri; ac Catholicis, quia ſecus ſtatuerent, hanc querelam occinebant, tolli ab illis arbitrii libertatem.

Cœleſtii verba ſunt Definit. cap. III. b *Gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrina.* Et Critobulus in Pelagii perſona ſic loquitur apud Hieronymum: c *Si in ſingulis rebus, quas gerimus, Dei utendum eſt adjutorio; ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare literis, tacere, loqui, flere, ridere, & cætera hujuſmodi, niſi Deus juverit, non poterimus.* Apud eundem epiſt. ad Creſiphontem iidem quærere non dubitant: d *Si voluero curvare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, relevare alvum, urinam degerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit?* Ex quibus cognoſcere eſt, Pelagio initio non tantum de operibus pietatis, ſed etiam de actibus naturalibus ac civilibus controverſiam cum Catholicis fuiſſe. Nec idcirco generale auxilium negaſſe putamus quod Bellarminus ſcripſit, ſed aſſentimus potius Caſpari Caſelio Conimbricenſi e, Didaco Alvarez, f atque aliis; quibus parum fit veriſimile, eum ſtulte adeo ſapuiſſe, eoque perſuaſum potius habent, negaſſe duntaxat, voluntates noſtras à Deo regi, ac ut in vitæ ac virium conſervatione, ita etiam in agendo à Deo dependere. Quorum opinio ex ipſis Hieronymi dialogis comprobatur. Nam Pelagianorum in illis verba ſunt; *Quid rurſum te ingeris, ut nihil poſſim facere, niſi tua in me dona compleveris?* Etiam Hieronymus ibidem ait, *Ita gratiam ponunt, ut non per ſingula opera ejus nitamur & REGAMUR auxilio.* Et rurſum: *Injuriam tibi fieri putas, & deſtrui arbitrii libertatem, ſi* EX ILLIUS PENDEAS VOLUNTATE. *Unde & audes lingua proferre temeraria*, UNUMQUEMQUE ARBITRIO SUO REGI. Negabat igitur Pelagius, pendere hominis voluntatem à directione & gubernatione Dei. Sed non omnes hoc uno interpretantur modo. Didacus Alvarez a hinc colligit, litem moviſſe Catholicis de voluntatis dependentia à motione Dei prævia, per quam (ut Thomas b ait) *Deus movet res ad operandum, quaſi applicando formas & virtutes rerum ad operationes, ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum.* Nempe ex ſententia Thomæ, Deus ante ſimultaneum concurſum operatur in natura & hominis voluntate trifariam. Modos illos enumerat in II. ſentent. c. *Primus*, inquit, *eſt quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere poſſint. Secundus, in quantum conſervat virtutem naturalem in eſſe. Tertius, in quantum movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis activa, ſed applicatio virtutis ad actionem, ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo, quod applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipſum.* Cujus ſententiæ fundamentum ſubjungit his verbis: *Quia natura inferior agens non agit niſi mota, eo quod hujuſmodi corpora inferiora ſunt alterantia alterata, cœlum autem eſt alterans, non alteratum, & tamen non eſt movens niſi motum, & hoc non ceſſat quouſque perveniatur ad Deum; ſequitur de neceſſitate quod Deus ſit cauſa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans ad virtutem.* Voluit igitur Thomas, cùm ſecundæ cauſæ operentur motæ à prima, Deum motione ſua actuali prius immediate influere in ipſam cauſam ſecundam, quam influat cum cauſa ſecunda in effectum. Ac ſequuntur hac parte Thomam Capreolus, Ægidius, Cardinalis Cajetanus, Ferrarienſis, Soncinas, atque alii, ſuamque ſententiam muniunt ſcripturarum locis, rationibus variis, Patrum teſtimoniis, imprimis Hieronymi, Auguſtini, Proſperi, & Gregorii. Ponam verba unius Gregorii è lib. XVI. Moral. cap. XVI. *Omnia, quæ creata ſunt, per ſe nec ſubſiſtere pervalent, nec moveri; ſed in tantum ſubſiſtunt, in quantum, ut eſſe debeant acceperunt: in tantum moventur, in quantum occulto inſtinctu diſponuntur.* Verùm non pauci hodiè de prævia iſthac motione diſſentiunt: planeque præter dependentiam eſſentiæ & conſervationis in naturalibus & civilibus concurſum Dei ſimultaneum ſufficere putant. Utri melius ſentiant, diſputari hujus loci non eſt. Nam quis credat, tam ſubtiliter inter Pelagianos aut Catholicos eſſe diſceptatum? Nihil iſtiuſmodi quidem ex ſcriptis, quæ ad nos pervenerunt, cognoſcere potuimus. Quare etſi Pelagius fortaſſe non ſtatuerit vel hunc vel illum concurſum, ſimultaneum inquam aut prævium inſimul; tamen nec negaſſe arbitramur. Quid ergo, inquiat aliquis, in controverſia fuit?

b Apud August. in geſtis Palæſtin. cap. 14.
c Lib. 1. Dialogorum adverſus Pelag. pag. 262.
d Circa medium epiſt.
e Lib. 5. de gratia & lib. arbitr. cap. 31.
f Lib. 1. de quadruplici justitia 1. 36.
g De auxiliis gratiæ diſp. 1. l. parag. 21.

a Loco ante citato.
b 1 P. q. 105.
c Diſt. 37. q. 3. de potent. art. 7.

fuit? Nempe illud, credebat Pelagius voluntatem nostram vel solis viribus suis eligere bonum posse, quod vellet; vel si divino auxilio indigeret, putabat illud ex lege, quam Deus semel sibi & naturæ statuisset, omnibus omni tempore æqualiter esse paratum, ita ut divinus ille concursus penitus in nostra sit potestate: eoque non divina, sed propria regamur voluntate; nec in electione boni à Deo, sed à nobis solis pendeamus: & hoc nisi fateamur, tolli aiebat arbitrii libertatem. Qua de sententia quid Catholici judicarint, age videamus.

ANTITHESIS I.

Catholici contra considerabant, ut non tantum consiliorum nostrorum successus sint incerti: sed etiam tanta sit mentium nostrarum caligo, ut multa in naturalibus ac civilibus, (quantò magis in spiritualibus?) nesciamus, atque etiam cùm scimus quid rectum sit, tamen in tantâ negotiorum diversitate, non semper illud animis nostris obversetur. Adhæc cogitabant, ut communis ille humani generis hostis varia semper objicere studeat impedimenta; propter quæ ajebant nos in omnibus & singulis actibus divinâ protectione indigere. Atque inde concludebant, orandum esse Deum, ut non tantum vitam & vires conservet nobis, sed etiam voluntatem nostram dirigat, nec id modo in negotio salutis, quamquam in hoc imprimis, sed illis quoque, quæ ad præsentem vitam pertinent. Hac providentia Dei singulari tolli negabant arbitrii libertatem, & qui secus statuerent, illos dicebant, dum se probare volunt liberos, ostendere se sacrilegos.

a *In illa Prophetæ verba, scio Domine quod non est hominis via ejus.*

Hieronymus lib. II. super Hierem. cap. x. a *Erubescant novi prædicatores,* (Pelagianos signat) *qui ajunt unumquemque suo arbitrio regi, cùm & hic Propheta dicat, Non est hominis via ejus, & David in Lyrico canat carmine, A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet nimis.* Idem Pelagii hoc dogma sacrilegum vocat epist. ad Ctesiphontem b. *Quæso audite* SACRILEGUM. *Si,* inquit, *voluero curvare digitum, &c. semper mihi auxilium Dei necessarium erit?* & aliquanto post c: *Ipsum liberum, ut diximus, arbitrium Dei innititur auxilio illiusque* PER SINGULA *ope indiget,* QUOD VOS NON VULTIS, *sed id vultis, ut, qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat.* Quibus verbis tum suam, tum Pelagianorum sententiam complectitur. Idem eadem epist. *Putas destrui arbitrii libertatem, si ex illius pendeas voluntate, & dicas, Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Unde & audes lingua proferre temeraria, unumquemque arbitrio suo regi. Et si suo arbitrio regitur, ubi est auxilium Dei? si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Hieremias, Non est in homine via ejus, & à Domino gressus hominis diriguntur?* Et lib. I. Dialogorum adversus Pelag. d *Non sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum.* Et mox: *Scilicet nunc mihi scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula Dei à sanctis flagitetur auxilium; & in singulis operibus suis illo adjutore & protectore uti desiderent. Lege totum Psalterium, omnes sanctorum voces, nihil erit, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio. Ex quo perspicue ostenditur, te aut Dei negare gratiam, quam tollis in partibus; aut si in partibus dederis, quod nequaquam te velle manifestum est, in nostram sententiam transire; qui sic liberum homini servamus arbitrium, ut Dei per singula adjutorium non negemus.* Et lib. II. e *Dedignamur per singula auxilium Dei, & ad illius nutum cuncta gerere negligimus, cùm legamus sanctos viros etiam hominum indiguisse præsidio?* Et lib. III. f *Hoc longâ dissertatione conclusum est, ut gratia sua Dominus quæ a nobis concessit liberum arbitrium, in singulis operibus juvet atque sustentet.* Ac post multa dicente Critobulo, tolli à se quidem necessitatem gratiæ ad singulos actus, sed non deesse è suis, qui eam faterentur, respondet Hieronymus, hanc quisquis agnoscit, à Pelagianis desciscere, inque Catholicorum castra concedere. Verba Critobuli sunt: *Ego simpliciter dixeram, non in singulis operibus nostris, sed in gratia conditionis ac legis sentiri auxilium Dei,* b NE LIBERUM FRANGERETUR ARBITRIUM. *Cæterum sunt* PLERIQUE NOSTRORUM, *qui omnia quæ agimus dicunt fieri præsidio Dei.* Resp. Atticus: *Qui hoc dicit,* VESTER ESSE CESSABIT. *Aut ergo & tu ista dic, ut noster esse incipias; aut si non dicis, alienus eris cum his, qui nostra non dicunt.* Hæc & Pelagii & Hieronymi sententiam satis ostendunt, quia in Dialogo isto Critobulus Pelagii; Atticus Catholici personam sustinet. Nempe quia Pelagius jam in Cœlestio erat Synodo Carthaginensi condemnatus, & Conciliis aliis porro condemnandus erat: hinc eum Critobolum vocavit à κρι-νω & βυλή; ut benè conjectat magnus Desiderius c: sed quod idem d suspicatur, Catholico Attici nomen imponi, quia Dialogo hoc imitetur Hieronymus Atticum dicendi genus, id verum non arbitror. Sed in mentem venit, datum id honori Attici Episcopi Constantinopolitani, fortissimi eodem tempore gratiæ patroni. Unde Prosper, e cum Hieronymum miris prædicasset laudibus, tanquam

b P. 254.
c P. 256.
d P. 262.
e P. 295.
f P. 299.

a P. quod.
b P. 302.
c *Initio scholiorum in 1. Dial. Hier. contra Pelag.*
d *Ibid.*
e *Carm. de Ingratis.*

Hebræo simul & Grajo Latioque venustum
Eloquio, morum exemplum, mundique magistrum:
Et, quod,
Dissecuit libris valde excellentibus hostem:
continuo hæc subjicit:
Quid loquar & curam, magna quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide, de qua tunc impia corda,
Quamvis se obducta tegerent velamine forma
Judicii, & tacita tulerant tormenta repulsa.

Etiam Cœlestinus epist. ad Nestorium. f *Sanctæ,* inquit, *memoriæ Atticus egregius sane orthodoxæ fidei doctor, verusque in ea re beati Iohannis* (Chrysostomi) *successor, ita eos* (Pelagium, Cœlestiumque) *communi omnium Regis causa est insectatus, ut ne consistendi quidem spatium eo in loco reliquum illis faceret.* Et eadem epist. *Ignoras forsitan ab Attico Catholico per id tempus Episcopo commentarios de illorum condemnatione inde ad nos fuisse transmissos?* Ac pertinet eodem, quod Augustinus scribit lib. III. contra Julianum cap. I. *Christi exercitus debellavit apud Carthaginem Cœlestium, quando illic ipse non eram; & rursus Constantinopoli, tam longè à regionibus Africanis.* Quanquam verò Hieronymus in Dialogis istis auxilii divini necessitatem etiam in naturalibus & civilibus jure defendit: tamen (ut doctissimi Kemnitii verbis utar) g *refutationes quas instituit contra Pelagium ideo languidiores sunt quia promiscuè sine distinctione disputat de externis actionibus, & de spiritualibus motibus: nec satis disertè discernit inter actionem Dei generalem & specialem.* Interea mirum non est, si istis Pelagiani certaminis initiis, præsertim Pelagianis indistinctè & hos & illos actus sine auxilio Dei nos posse dicentibus, etiam Catholicorum nonnulli promiscuè de istis loqui ament. Qui verò postea scripserunt, accuratius supernaturales actus à cæteris discernunt: non quia non in omnibus & singulis auxilio Dei egeamus: sed quia in naturalibus hoc est iis quæ pertinent ad vitam præsentem, solum illo opus est Dei concursu, per quem naturalis potentia in actu secundo adjuvetur, sive concursus ille sit simultaneus tantum, sive prævius insimul: at verò in supernaturalibus h. e. illis, quibus ad æternam grassamur vitam, requiritur præterea auxilium Dei speciale, per quod potentiæ animæ eleventur, & auctæ novâ virtute,

f *In actis Concil. Ephes. T. 5. cap. 17.*
g *Loc. comm. de libero arbitrio pag. 183. & 184. edit. Wit. 1610.*

tute constituantur in ratione principii actuum pietatis habentium remunerationem vitæ æternæ. Hoc negasse Pelagianos, constat ex verbis illis Iuliani apud Augustinum *a*. [a Lib. 1. contra duas Pelag. epist. cap. 18.] *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentia, vel in malum vel in bonum, invitum aliquem cogi, sed propriâ voluntate aut bonum facere aut malum: in bono vero opere a Dei gratia semper adjuvari, in malum verò diaboli suggestionibus excitari.* Ad quod ita respondet Augustinus: *Vos in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eum credatis operari; quod satis ipsa tua verba declarant. Cur non dixisti hominem Dei gratia in bonum excitari, sicut dixisti, in malum diaboli suggestionibus excitari. Sed dixisti in bono opere semper à Dei gratia adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur.* Idem Augustinus ejusdem operis lib. IV. cap. IX. *Numquid* (Cyprianus) *sicut isti* (Pelagiani) *Spiritus S. adjutorium ita credit esse virtutis, ut tanquam ipsa virtus, quæ ad hoc adjuvatur, oriatur ex nobis?* Quid clarius quam hoc eum velle, auxilium Dei in supernaturalibus se non tantum habere per modum concursus, quod commune eis est cum actibus, qui ex principio naturæ fluunt: sed etiam per modum principii propter virtutem novam, quam potentiæ animæ accipiunt à Spiritu S. Absque nova hac virtute, & stupentis voluntatis excitatione nihil posse hominem, passim docet August. ut lib. de gratia Christi contra Pelag. cap. XXVI. *Gratiam Dei qua Charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino NIHIL BONI SINE ILLA QUOD AD PIETATEM PERTINET, VERAMQUE IUSTITIAM, fieri non dubitet.* Vide & cap. XLVII. Idem lib. de gratia & libero arbitrio, cap. XXVII. *Sine illo operante ut velimus, & cooperante cum volumus, AD BONA PIETATIS OPERA NIHIL valemus.* Et epist. CVI. ad Paulinum: *Gratia Dei nisi adjuvet, NIHIL pietatis atque justitiæ, sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possumus.* [b Phil. 2.] *Deus b quippe operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* Vide eundem Tom. VII. de Prædestinatione Sanctorum cap. II. & contra duas epist. Pelag. lib. II. cap. V. Similiter Hypognosticon scriptor lib. III. *c*. [c Fol. 83. b. edit. Venet.] *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, QUÆ AD DEUM PERTINENT sine Deo aut inchoare, aut certè peragere: sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: quæ non sine gubernaculo divino subsistunt, &c.* Et paulo post *d*: [d Fol. 85. b.] *Vitiato ergo libero arbitrio, totus homo est vitiatus, per quod absque adjutorio gratiæ, QUOD DEO PLACEAT nec valet incipere, nec perficere sufficit.* Prosper ad Demetriadem *e*: [e Fol. 352. edit. Dua. 1577.] *Gratia Dei tota repellitur, nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est à numero fidelium & à sorte sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit; ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur: quasi homo auxilio Dei in quadam actionum suarum parte egeat, in quadam autem parte non egeat; sitque ullum tempus, ullumve momentum, quo perniciosum illi esse non possit; si ab eo Spiritus S. defuerit.* Et mox: *Gratiam Dei insanissimè utilem putat, qui in iis, quæ rectè gesserit, se magis quam Deum gaudet operatum*, & ibidem: *Si quis est, qui aliqua se habere existimat bona, quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi auctor existat, manifestum est hunc non Dei Spiritum habere, sed mundi.* Similiter Fulgentius lib. de Incarnatione & Gratia Christi cap. XIII. Atque etiam scriptor de Ecclesiasticis dogmatibus, qui non Augustinus est, sed Gennadius Massiliensis. Ejus hæc verba lib. III. c. XLIV. *Si quis per naturæ vigorem BONUM ALIQUOD QUOD AD SALUTEM PERTINET VITÆ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus S. qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & in credendo veritatem, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere.* a *Et illud Apostoli*, [a Ioh. 15.] b *Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* [b 2 Cor. 3. 5.]

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ I.

Ad singulos pietatis actus requiri auxilium Dei, & absque eo nos nihil omnino posse, constitutum est Concilio Palæstino, Carthaginensi III, Africano, Sardiniensi, Arausicano II. Romanamque Ecclesiam super hoc consensisse, ex Innocentii, Zosimi, & Cælestini decretis cognoscere est.

Concilium Palæstinum, assentiente ipso Pelagio, definivit, *Gratiam ad singulos actus dari.* Damnavit contra, quod Cœlestius dixerat, *non esse liberum, si Dei indigeret auxilio.* Testis August. epist. CVI. & de gestis Palæst. cap. XIV. Concilium Carthaginense CCXIV. sacerdotum Epistola Synodica ad Zosimum *c* statuit; [c Apud Prosp. adversus Col. c. 10. Et Resp. ad capitulum 8. Gallorum] *Gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum non solum ad cognoscendum, verum etiam ad faciendum justitiam nos per actus SINGULOS adjuvare, ita ut sine gratia NIHIL veræ, sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Episcopi Africani in Sardinia exules in epist Synodica: *Domino se sciat semper OMNE bonum debere quod vult ac facit, quem teste Apostolo*, cognoscat operari in homine & velle & perficere.* [* Philip. 2.] Ibidem: *Hoc in homine agit gratia divinitus data, ut animus dono fidei caritatisque percepto & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat. Quod fidelibus divinitus dari, beatus & ostendit, & poposcit Apostolus dicens, Ipse autem Dominus &c.* d *A Deo itaque nobis est omnis gratia boni sermonis & operis, à quo nobis etiam ipsius cogitationis bonæ manifestum est sufficientiam tribui: ut discat homo non in se, sed in Domino gloriari.* [d 2 Thess. 2.] Concilium Arausicanum II. can. VII. *Si quis per naturæ vigorem BONUM ALIQUOD, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat, hæretico fallitur spiritu.* Innocentius *e* epist. ad Concil. Carthagin. [e Apud Aug. ep. 91.] *Adjutorio QUOTIDIANO nos egere, negare non possumus.* Et inferius: *Quemadmodum Pelagius Cælestiusque suasores se aliquibus esse confidunt, nos adjutorium Dei non debere quærere, nec egere, cum omnes sancti NIHIL se sine hoc agere posse testentur?* Item epist. ad Concil. Milevit. *f In omnibus divinis paginis voluntati liberæ adjutorium Dei legimus esse nectendum, eamque NIHIL POSSE cælestibus auxiliis destitutam.* [f August. epist. 93.] Zosimus epist. ad omnes Episcopos orbis: *g Quod tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? IN OMNIBUS igitur ACTIBUS, causis, cogitationibus, adjutor orandus est.* [g Apud Cæl. epist. ad Episcopos Gall. cap. 9.] Cœlestinus epist. ad Episc. Gal. cap. VIII. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ SINGULIS motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

THESIS II.

Iis, quæ Catholici dicebant de gratia necessitate ad perfectionem & singulos pietatis actus, obducebat Pelagius tum laudatos inter gentiles viros, quos veras perfectasque habuisse virtutes credebat: tum quos ab Adamo usque ad Mosen justitia claruisse narrat scriptura: quos ipsos solius naturæ bono tales fuisse contendebat.

Nempe quidquid possumus, hoc naturæ beneficio nos posse

posse Pelagius arbitrabatur. Quod indicant hæc ejus verba epist. ad Demetriad. *a Proferenda semper in notitiam ea res est, cujus usus desideratur, & explicandum est, quidquid boni natura potest, cum quidquid posse probatur implendum est. Hac igitur prima sancta ac spiritualis vita fundamenta jaciantur, ut vires suas virgo agnoscat, quas demum bene exercere poterit, cum eas se habere didicerit.*

a Pag. 12. T. 4. Hieron. Bas. 1553.

b Pag. 13. Et aliquanto post *b*: *Volens namque Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere & liberi arbitrii potestate donare: utriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium ejus fecit esse quod velit: ut boni ac mali capax naturaliter utrumque posset, & ad alterutrum voluntatem deflecteret. Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum, nisi aque etiam malum habere potuisset.* Quale vero de operibus non renatorum judicium

c Pag. 13. tulerit, hæc ejus verba ibidem ostendunt *c*: *Natura bonum ita generaliter cunctis institutum est, ut in gentilibus quoque hominibus qui sine ullo cultu Dei sunt, se nonnunquam ostendat, ac proferat. Quam multos enim philosophorum & audivimus & legimus & ipsi vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, & honores mundi simul & delicias respuentes, & AMATORES JUSTITIÆ NON MINUS QUAM SCIENTIÆ! Unde quæso hominibus alienis a Deo ista, quæ DEO PLACENT? Unde illis bona, nisi DE NATURÆ BONO? Et cum ista, quæ dixi, vel OMNIA IN UNO, vel singula in singulis haberi videamus, cum omnium natura una sit, exemplo suo invicem sibi ostendunt OMNIA IN OMNIBUS esse posse, quæ vel omnia in omnibus, vel singula in singulis inveniuntur. Quod si etiam sine Deo homines OSTENDUNT QUALES A DEO FACTI SINT, vide quid Christiani facere possint, quorum in melius per Christum natura & vita instructa est, & qui divina quoque gratiæ juvantur auxilio.* Ubi cujusmodi gratiam intelligat, antea vidimus. Mox etiam, qui inter Adamum & Mosen justitiâ claruerunt, naturæ bono tales evasisse ait: *Eorum tibi*, inquit, *aliqui proponendi sunt, ut facile intelligas, quantum sit naturæ bonum.* Addit deinde, *Abel hanc magistram secutus Dominum promeruit.* Eodem bono ait, *Enochum ita placuisse Deo, ut eum e medio mortalium raperet.* Etiam Abraham, Isaac, Jacob censet *perfecte implevisse Domini voluntatem.* Similia de aliis habet. De Jobo verò exclamantem audiamus: *O virum ante Evangelium Evangelicum, & Apostolicum ante Apostolica præcepta discipulum Apostolorum, qui aperiens OCCULTAS DIVITIAS NATURÆ, & in medium proferens, EX SE quid OMNES possimus, ostendit, docuitque quantus sit ille thesaurus animæ, quem nos sine usu possidemus, & quod proferre nolumus, nec habere nos credimus.* Post hæc addit: *Sanctorum exemplis naturæ bonum probavimus.* Et quia improborum exempla poterant obduci, respondet, *Scripturarum testimonia, peccantes utique crimine voluntatis gravant, non necessitate naturæ.* Atque ita, ut damnet necessitatem naturæ ad peccandum, simul necessitatem gratiæ ad bene agendum negat. Tandem ita concludit: *Hæc de naturæ bono cursim quasi in alio opere dicta sunt. Quod ideo a nobis faciendum fuit, ut tibi planiorem viam ad perfectam justitiam sterneremus, quam eo facilius currere possis, quo in ea nihil asperum, nihil inaccessibile esse cognoveris. Nam si etiam ante legem, ut diximus, & multo ante Domini nostri Salvatoris adventum juste quidam vixisse, & sancte referuntur, quanto magis post illustrationem adventus ejus, nos id posse credendum est, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus; qui sanguine ejus expiati atque mundati, illiusque exemplo ad perfectam justitiam incitati meliores illis esse debemus, qui ante legem fuerunt; meliores etiam quam fuerunt sub lege.* Ex his omnibus colligimus, Pelagium non solum veras virtutes gentilibus tribuisse, sed etiam statuisse, eos, qui ante Christum vixissent (ac verisimile est, idem sensisse de illis, si quibus tempore Novi Testam. nondum fuerit annunciatum Evangelium) salvatos esse obediendo legi seu naturali, seu Mosaicæ, ac si deliquissent, remissionem peccatorum suppliciter à Deo postulando, inque posterum se corrigendo; quod omne naturæ viribus eos posse putabat. Quocirca nullam Pelagianis injuriam facit Augustinus, quum sic de iis scribit lib. 1. contra duas Pel. Epist. cap. XXI. *Distribuitis tempora secundum Pelagium, in cujus libris hoc legitur, & ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum.* Item lib. de peccato originali contra Pel. & Cœl. cap. XXVI. *Non sicut Pelagius & ejus discipuli tempora dividamus, dicentes primum vixisse justos homines ex natura, deinde sub lege, tertio sub gratia. Ex natura scilicet ab tam longa ætate, qua lex nondum erat data. Tunc enim, ajunt, duce ratione cognoscebatur creator, & quemadmodum esset vivendum, scriptum gerebatur in cordibus, non lege literæ, sed naturæ. Verum, vitiatis moribus, inquiunt, ubi cœpit non sufficere natura jam decolor, lex ei addita est, qua velut Luna fulgore pristino, detrita rubigine, videretur. Sed posteaquam nimia, sicut disputat, peccandi consuetudo prævaluit, cui sananda lex parum valet, Christus advenit, & tanquam morbo desperatissimo non per discipulos, sed per seipsum medicus ipse subvenit.* Item lib. II. poster. contra Julianum cap.

CXLV *a*: *Et quasi vigilanter addidit, POST INCARNATIONEM tamen ejus. Propter antiquos videlicet, quos sine gratia ejus fuisse dicitis justos eo quod non habuerint ejus exemplum, &c.* Idem ejusdem operis cap. a P. 351.

CLXXXVII. *b Agnoscimus hæresin vestram. Definivit enim Pelagius, quod non ex fide incarnationis Christi antiqui vixerunt justi, quia videlicet nondum in carne venerat Christus.* Hinc illa Juliani objectio epist. ad Zosi- b P. 401.

mum *c*: *Dicunt sanctos in Vet. Test. caruisse peccatis.* Etiam Juliani verba sunt *d*: *Dicunt Sanctos Vet. Test. perfecta hinc justitia transisse ad vitam æternam, id est, studio virtutis ab omnibus recessisse peccatis, quia & illi quos legimus aliquid peccasse, postea tamen eos emendasse cognovimus?* Idem Julian. apud August. imperfecti operis contra Julianum lib. II. cap. CLVIII *e*. *Nunc confiteamini prævaricatores in lege non esse benedictionis hæredes, quia talibus lex iram operatur.* Plura ibidem vide. Cæterum cùm dixerit Pelagius, multos ante adventum Christi per legem fuisse salvatos sine gratia Christi; satis hinc liquere puto, qua mente in libello suo scripserit: *Regnum cælorum etiam in Veteri Testamento promissum.* Hierony- c Apud Aug. lib. 1. contra epist. Pel. cap. 7. d Ibidem cap. 21. e P. 369.

mus lib. 1. Dial. contra Pelagianos *f*. *Addis præterea regnum cælorum etiam in Testamento Veteri repromitti: ponisque testimonia de apocryphis, cum perspicuum sit regnum cælorum PRIMUM in Evangelio prædicari per Iohannem Baptistam, & Dominum Salvatorem & Apostolos.* Exinde hoc probat ex Matth. III. 2. & IV. 17. & 23. & X. 7. Postea adjungit: *Tu autem nos Manichæos vocas, cum legi Evangelium præferentes, in illa umbram, in hoc veritatem esse dicamus: & non intelligis stultitiam tuam impudentia copulatam. Aliud est damnare legem, quod Manichæus facit: aliud legi præferre Evangelium, quæ Apostolica doctrina est.* Cumque paucis utriusque Test. discrimen indicasset: *Hoc posuimus*, inquit, *ut egregii præceptoris doctrina monstraretur.* Cæterum cùm in Concilio Diospolitano objectum esset Pelagio, quod dixisset, etiam in Vet. Testamento promissum fuisse regnum cœlorum: hoc se pacto defendit: *Ego vero Scripturarum auctoritatem secutus dixi, quoniam in Propheta Daniele scriptum est: Et accipient sancti regnum altissimi.* Eo audito Synodus respondit: *Neque hoc alienum est à fide Ecclesiastica.* Non frustra tamen hoc Pelagio objectum fuisse censet Augustinus, cujus hæc verba cap. V. de gestis Palæstinis: *Nunquid nam ergo fratres nostros, ut etiam hoc inter cætera objicerent, sine causa verba illa moverunt? Non utique; sed Veteris Testamenti nomen duobus modis dici solet. Uno modo secundum divinarum scripturarum authoritatem; altero secundum lo-* f P. 274.

quendi

quendi vulgatissimam consuetudinem. Post illa docet fratribus dici Testamentum vetus, quod in monte Sinai pepigit Deus cum populo carnali, & promissiones terrenas habet: Novum vocari, quod per Euangelium est prædicatum, ac promissiones habet spirituales. Mox agnoscit, etsi Testamentum Vetus apertè promittat terrena, tamen symbolice promittere cœlestia. *Atque idcirco (verbis ipsius utar)* *ETIAM* illo tempore *PER DEI GRATIAM* intelligentes *NOVI TESTAMENTI HÆREDES IN OCCULTO DEI CONSILIO DEPUTATI SUNT:* Quod & alibi non semel docet. Post longam vero dissertationem de publici istac Veteris Test. notione, ita tandem concludit: *Non esse hoc alienum à fide Catholica, merito judicatum est non secundum illam distinctionem, qua in monte Sinai promissa terrena ad Vet. Test. propriè pertinere monstrantur. Nec tamen improbe secundum hanc loquendi consuetudinem, qua universa scriptura canonica ante incarnationem Domini ministrante Veteris Testamenti appellatione censetur.* Quibus significat, metuisse fratres, ne cum multi terrenæ tantum felicitatis causa obtemperatum legi, eos quoque Pelagius cœlorum parte dignaretur: cæterum minime eos dubitasse, quin quicunque ante Christi adventum justi & fideles vixissent, regni cœlestis participes forent. Sed hæc quamvis vera sunt, tamen ἰδίως ὡς ἔπος, si vera est conjectura nostra. Nam planè putamus, cum Pelagius docuit, *regnum cælorum etiam in Veteri Testam. fuisse promissum*, idem voluisse ac Cœlestius, cum dixit: *legem sic mittere ad regnum quemadmodum Euangelium.* Nec obstat, quod Pelagius, Augustino a teste, hoc Cœlesti dogma percusserit anathemate. Nam subdolè ἐμφανῶς statum in similitudinis particula. Nempe Pelagii sententia erat: legem ÆQUE mittere ad regnum, attamen non SICUT Euangelium mittere ad regnum: eo quod Euangelii tempore salvemur Christi doctrina & exemplo. Nec quod ancipiti voce Catholicos sic ludificabatur, mirum in Pelagio videri debet, quando in eadem Synodo similem fraudem est fraudem, cum anathematizavit, qui dicerent, peccatum primi hominis posteris non nocuisse; vel infantes tales nunc nasci, qualis Adam fuit ante lapsum. Nam cum utrumque istorum animose postea defenderet, docuit suos, se idcirco illa damnasse, quia peccatum primi hominis nocuit posteris exemplo, non propagatione. Item quia infantes, etsi non teneantur reatu primi peccati, tamen cum destituantur usu liberi arbitrii, & præcepti capaces non sint, dispari conditione nascuntur, quam Adam conditus fuit. Vide sis August. lib. de pecc. orig. cap. xv.

a De gest. Palæst. c. 11. & 35.

ANTITHESIS III.

Ex Catholicorum verò sententia isti qui sub natura lege vixerunt, non per legem salvantur, sed per gratiam Christi: quia consistit in remissione peccatorum propter sanguinem Christi, & virtute Spiritus Sancti adjuvante ne peccemus. Gentiles autem & quotquot Dei Spiritu destituuntur, hi, si examinentur juxta legem perfectionis istius, quæ inscripturis promissionem habet vitæ æternæ; nec veras virtutes habent, nec quod boni faciunt, faciunt bene.

Justi, qui ante incarnationem Christi vixerunt, eodem Spiritu regebantur, quo Sancti Novi Testamenti. Augustinus contra duas Pelag. epistolas lib. III. cap. IV. *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant Pelagiani, Spiritum Sanctum adjutorem in Veteri Testamento non fuisse?* Et mox: *An vero illum ad Testamentum Novum negabimus pertinere, qui dicit* b, *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis? Aut illum, qui dicit* a, *Posuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro?* Et post pauca. *Sive igitur Abraham, sive ante illum justi, sive post eum usque ad ipsum Mosen, sive cæteri Prophetæ post eum, & sancti homines Dei usque ad Iohannem Baptistam, filii sunt promissionis & gratiæ secundum Isaac filium non ex lege sed ex promissione, hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim ut Noe justum, & prioris temporis justos, & quicunque ab illo usque ad Abraham justi esse potuerunt, vel conspicui vel occulti, negemus ad supernam Hierusalem, quæ mater nostra est, pertinere.* Et post aliquammulta: *Tempore igitur Veteris Testamenti Spiritum Sanctum in eis, qui etiam tunc secundum Isaac* b *promissionis filii erant, non solum adjutorem, quod isti* (Pelagiani) *suo dogmati sufficere existimant, verum etiam largitorem dicimus fuisse virtutis.* Idem lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. IX. *Regnum mortis sola in QUOLIBET HOMINE gratia destruit salvatoris, quæ operata est etiam in ANTIQUIS SANCTIS, QUICUNQUE antequam in carne Christus venerit, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis literam, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in Vet. Testamento pro temporum dispensatione justissima, quod nunc revelatur in Novo.* Nec existimandum, non similiter sapuisse ante Pelagium exortum. Nam in prolixo opere octoginta trium quæstionum (quod ante episcopatum scripsisse autor ipse est lib. 1. Retract. cap. XXVI.) hoc ipsum quæst. LXII. comprobat partim Davidis testimonio Spiritus S. gratiam à Domino postulantis Psalm. L. partim quod Elizabetha, Zacharias, Anna & Simeon Spir. Sanct. impleti, illa quæ in Euangelio legimus, dixisse dicuntur: post quæ hæc subjungit: *Quomodo ipse Dominus secum habebat utique Spiritum in ipso homine, quem gerebat, quando, ut baptizaretur, venit ad Johannem, & tamen, postquam baptizatus est, descendere in eum Spiritus Sanctus visus est in columba specie: sic intelligendum est, & ante manifestum & visibilem adventum Spiritus Sancti* QUOSCUNQUE HOMINES SANCTOS EUM LATENTER HABERE. Quemadmodum vero eundem Spiritum habuisse dicebant; ita etiam docebant eadem fide justificatos, ejusdem salvatoris sanguine expiatos & salvatos, August. Tom. 7. de peccato originali cap. XXVI. *A gratia mediatoris justos excludere conantur antiquos, tanquam Dei & illorum hominum non fuerit mediator homo Christus Iesus, quia homo nondum fuit, quando illi justi fuerunt. Quod si ita esset, nequaquam Apostolus diceret:* c *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificantur, quandoquidem si illi antiqui justi secundum illorum vaniloquia sibi sufficiente natura, nec mediatore homine Christo indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo, nec in eo vivificabuntur, ad cujus corpus & membra, secundum id, quod propter homines homo factus est, non pertinere monstrantur.* Idem lib. 1. contra duas Pelagianorum epistol. cap. XXI. *Quamlibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.* Et paulo post: *Hoc vos non vultis inimici gratiæ Christi, ut eadem gratia Jesu Christi salvi credantur antiqui: sed distribuitis tempora secundum Pelagium, quasi hominibus, duorum superiorum temporum, ante legem scilicet & in lege sanguis Christi non fuerit necessarius, evacuantes quod dictum est;* d *Unus enim Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Idem Augustinus lib. II. post. contra Julianum cap. CLXXXVII. e *Agnoscimus hæresin vestram. Definivit enim Pelagius, quod non ex fide incarnationis Christi antiqui vixerunt justi, quia videlicet nondum in carne venerat Christus; cum profecto id futurum non pronunciaf-*

b Psal. 50.
a Psal. 39.
b Rom. 9. Gal. 4.
c 1 Cor. 15.
d 1 Tim. 2.
e P. 401.

nunciassent, nisi priores utique credidissent. Sed in hanc absurditatem cecidistis, dum defenditis, esse potuisse per naturam legem atque justitiam. Utrumlibet autem si verum est, ergo Christus gratis mortuus est. Et ibidem cap. CXCVIII a: *Audes (hoc) dicere cum dicat Apostolus, Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est: cum dicat Apostolus, Quia in lege nemo justificatur: cum dicat Apostolus, Lex subintravit ut abundaret delictum: cum dicat Apostolus, Si data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Vide & Augustinum lib. IV. contra duas Pelag. epist. cap. V. imprimis lib. de Natura & gratia cap. XLIV. & epist. LXXXIX. ad Hilarium, item Hypognosticon scriptorem, lib. III. ubi de fide differit antiquorum. Quod si ex Catholicorum sententia, ante Christi adventum servabatur nemo obtemperando legi naturæ: multo minus iidem putarunt, Evangelii tempore per eam salvari quemquam. Augustinus lib. de Nat. & Grat. cap. II. *Sed dico*, inquit, *Nunquid non audierunt? In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique usque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipsa perveniat, quoniam non desunt adhuc ultimæ gentes, licet, ut perhibetur, paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum, quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audivit hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum, qui fecit cœlum & terram, a quo & se factam naturaliter sentit, & recte vivendo ejus impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi & resurrectionis imbuta? quod si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Iudæorum, quanto justius dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum: Si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est: si autem non gratis mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, vindicta nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Et cap. VII. *Evacuatur crux Christi, si aliquo modo præter illius sacramentum ad justitiam vitamque æternam perveniri posse dicatur.* Sed neque si ad notitiam legis naturalis accederent sanctorum exempla, hæc sufficere ullis credebant ad justificationem sui consequendam. August. lib. II. post. comm. contra Iul. cap. CXLV b: *Antiquos sine gratia ejus fuisse dicitis justos, eo quod non habuerint ejus exemplum. Quid si ergo & post incarnationem Christi, nondum audito Evangelio, proposuerint sibi aliqui homines superiorum exempla justorum, justeque vixerint, quid agitis, ubi vos videtis? Itane vero isti virtutis præmia non merentur? Si ergo ex justorum imitatione justitia, Christus gratis mortuus est, quia fuerunt justi & ante ipsum, quos imitari possent, qui justi esse voluissent.* Nec tantum negabant Catholici posse ullum salvari vel per se obtemperando legi naturæ, vel sanctos imitando; sed nec fateri volebant quæ sine fide Christi, lege naturæ fiunt, ea ἁπλῶς bona dici posse. Nimirum quia seu de bono honesto, seu de bono utili loquamur, maxima utrobique imperfectio conspiciatur. Quantumvis enim ad civilis vitæ societatem multum conducant, non tamen iis remuneratio gratiæ spiritualis aut vitæ æternæ in scripturis promittitur, uti operibus pietatis: & licet honestatis partem habent, cum lege divina præcipiantur, tamen hactenus in vitio sunt, quatenus non explent conditiones omnes, quas Deus in verbo requirit. Non enim proficiscuntur ex fide per charitatem efficaci, ac vix unquam, si modò unquam, ad Dei gloriam referuntur. Nihil prodesse ad vitam æternam, etiam Iulianus fatebatur, qui hac parte, uti etiam aliis nonnullis, Pelagii sententiam paulùm corrigebat. Indicant hoc illa August. contra Iulianum lib. IV. cap. III. *Sed responsurus es Juliane, Quid nisi vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona, quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam.* Et ibidem: *Certe saltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere.* Nihilominus inter Julianum & Catholicos magnum remanebat discrimen. Nam fatebatur quidem sola fidelium opera promissionem habere vitæ æternæ: interea tamen credebat tam fidelium opera quam infidelium eâdem ex radice promanare, veræque justitiæ nomen promereri. Unde colligebant Catholici, eum sentire, posse aliquem justum esse sine gratia Christi, nec gratiam Dei ad singulos pietatis actus requiri. August. lib. IV. contra Iul. cap. III. *Unde & illi quos commemorare voluisti, de quibus ait Apostolus a: Gentes legem non habentes sibi sunt lex, qui habent opus legis scriptum in cordibus suis, quid te adjuveat, omnino non video. Per hos enim probare conatus es, etiam alienos à fide Christi, veram posse habere justitiam, eo quod isti, teste Apostolo, naturaliter quæ legis sunt, faciunt. Ubi quidem dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Jesum Christum Dominum nostrum qui tollit peccatum mundi, evidentius expressisti, introducens hominum genus, quod placere Deo possit sine Christi fide, lege naturæ. Hoc est unde vos maxime Christiana detestatur Ecclesia.* Catholici contra omnia beatitudine vera metientes, virtutes gentilium pro falsis habebant; atque eorum etiam quæ maximè prædicantur, in vitio esse dicebant; interdum quoque peccata appellabant: non quatenus materialiter congruunt legi divinæ, quo sensu bona & laude digna esse fatebantur: sed ratione modi, quia non fiunt ex fide & charitate, aut propter Deum. August. ibidem: *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines aliquid habere laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato; quod ad me attinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atque impia non est bona.* Sed hæc manifestiora fient ex disputatione separata, quam de VIRTUTIBUS GENTILIUM scripsimus & inscripsimus. Nunc synodicam auctoritatem allegare erimus contenti.

Margin notes: a Pag. 409. Gal. 2. Gal. 3 Rom. 3. Gal. 3. — b P. 351. — a Rom. 2.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ II.

Etiam Arausicana Synodus II. *maximam in operibus infidelium imperfectionem agnoscit, cum ea ex charitate Dei, aut propter Deum fieri negat.*

Can. XVII. *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit.* Et can. ult. *Nullus operari* PROPTER DEUM *quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.*

DISPUTATIO TRIGESIMAPRIMA

DE

PELAGIANISMO

QUÆ EST DE

NECESSITATE GRATIÆ.

PARS TERTIA.

Hactenus ostendimus, ut Pelagius omnes pietatis actus tribuerit viribus naturæ: deinceps demonstrabimus, ut non eodem semper locutus sit modo: & quid primum, quid deinde dixerit, & quousque gratiam tandem sit confessus: quod alterum ex tribus caput erat, quæ de necessitate gratiæ in considerationem venire dixeramus.

THESIS I.

PElagius nec idem de gratia semper sensit, nec dixit. Primitus omnia naturæ tribuebat. Postea objurgatus, quod gratiam Dei non agnosceret, eam quoque nominare cœpit: sententiam tamen non mutavit. Nam per gratiam intellexit possibilitatem naturæ à Deo conditæ, hoc est, rationalem voluntatem. Et cùm clarè ostenderent Patres, scripturam non de naturali gratia loqui, sed ea, quæ excederet vires naturæ: quasi singulari equo bigas jam præferens, cum naturali gratia pariter currere jussit supernaturalem; sed solam externam, quam in doctrina legis collocabat. Ut hanc opinionem suam facilius animis instillaret, sub laudatione liberi arbitrii & legis divinæ, eam plurimum proponebat: illos qui contra sentirent, liberum negare arbitrium, & cum Manichæis sentire dicebat.

Rectè Henricus Benedictinus Antissiodorensis in vita S. Germani, quam carmine ante annos scripsit septingentos, eum esse Pelagii errorem ait.

Quod satis ad propriam possit conferre salutem
Arbitra libertas, etiamsi gratia desit.

Nam idem passim dicit Augustinus, Hieronymus, Prosper, alii. Nec obstat quod gratiam nominarit Pelagius: nam cum primùm solum negaret liberum arbitrium, postea quidem ad invidiam declinandam, gratiæ appellatione uti cœpit: sed per eam non aliud intellexit, quàm quod nos Deus creavit liberi arbitrii, inque eodem conservat. Critobulus apud Hieronymum lib. I. dialogorum adver-
a P. 261. edit. Basil. 1553. sus Pelagianos *a*. *Non tollitur Dei adjutorium, cum creatura ex semel dati liberi arbitrii gratia conservatur.*
b P. 293. Hinc Hieronymus ejusdem operis lib. II. *b* *Liberi arbitrii potestate subnixus, despicit auxilium conditoris, & in sua voluntate securus est.* Item lib. III. sic loquitur Critobulus *a*: *Non tollo Dei auxilium: quippe per cujus gratiam possumus omne quod possumus; sed utrumque suis finibus terminamus, ut & Dei sit gratia, quod dedit liberi arbitrii potestatem, & nostræ voluntatis facere quid vel non facere.* Idem docent quinque Episcopi Africani Epistola ad Innocentium I. *b* *Sibi objectâ quæstione, quod gratiam Dei negaret, ita respondit, ut eam esse* NON *diceret* NISI NATURAM, *in qua nos condidit Deus.* Item Augustinus cap. X. de Gestis Palæstinis. *Quia in eo jam plurimos offenderat, quod adversus Dei gratiam loqueretur; apertissimè expressit, hanc se dicere Dei gratiam, quod possibilitatem non peccandi natura nostra cum conderetur accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio.* Ibidem hæc Pelagii verba commemorantur: *Dixi quidem proprio labore & Dei gratia, posse hominem esse sine peccato: sed quam dicam gratiam optimè nostis, & legendo recolere potestis, sic* (leg. sit) *quæ ea in quod creati sumus à Deo cum libero arbitrio.* Nempe intellexit gratiam creantem; ut eam vocat Bernardus lib. de Grat. & lib. arbit. *Velle*, inquit, *simpliciter ipsum est, quod vel proficit, vel deficit. Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit. Ut proficiat salvans gratia facit.* Cùm autem animadverteret Pelagius, sic quoque offendi animos piorum, eo quòd gratiam omnem in natura constitueret: nec commode respondere posset tot scripturarum locis, quibus gratia opponitur naturæ: etiam ipse supernaturalem gratiam sociavit naturali: sed illam tantum, quæ in hac mentium nostrarum caligine indicaret, quid facere debeamus. Sunt enim Cœlestii ipsius verba definit. c. III. *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina.* Quæ verba Pelagio objecta fuere in Concilio Palæstino, ubi & damnare ea coactus est, ne damnaretur ipse. Ut cognoscimus ex Alipii & Augustini Epistol. ad Paulinum, & Augustini libro de Gestis Palæstinis cap. XIV. Etiam hanc Pelagianorum sententiam esse, dicit Hieronymus ad Ctesiphontem *c*. ubi sic scribit: *Ita Dei gratiam ponunt, ut non per singula opera ejus nitamur & regamur auxilio, sed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepto legis, ponentes illud Isaiæ: Legem enim Deus in adjutorium posuit, ut in eo Deo referenda sint gratiæ, quod tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possimus & eligere bona & vitare mala: & non intelligunt ista dicentes, quod per eos eorum intolerabilem blasphemiam diabolus sibilet.* Orosius Apol. de arbitrii libertate: *d* *Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur; verumetiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem*

a P. 299.
b Apud August. epist. 95.
c P. 253.
d P. 723.

sui aternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo suo Cælestio (cui jam apud Africanam Synodum illa impiorum dogmatum natura, contusa est) IN SOLO NATURALI BONO ET IN LIBERO ARBITRIO *generaliter universis unam gratiam contributam, sed speciatim quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atomos & cunctis & singulis ministrare.* Idem aperte docet Augustinus lib. I. de gratia Christi contra Pelag. & Cœlest. cap. III. Item Hæresi LXXXVIII. *Illam gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis nostris præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura,* AD HOC TANTUM IPSO ADJUVANTE, UT DISCAMUS QUÆ FACERE ET SPERARE DEBEAMUS. Disertim ait solam requisisse gratiam doctrinæ: hoc est, ut Hieronymus dixit, legis præcepta. Per quæ tamen verba etiam intelligimus adhortationes, minas, similiaque. Nam, ut Augustinus ait cap. X. lib. de gratia contra Pelag. & Cœlest. *Ad doctrinam pertinet, etiam quod sapientia revelatur: ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne, quod bonum est. Etsi inter docere & suadere vel potius exhortari, distare aliquid videtur etiam, hoc tamen doctrina generalitate concluditur, qua quibuscunque sermonibus vel literis continetur. Nam & Sacra Scriptura docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.* Ubi duplicem doctrinæ modum adfert, unum è libris per lectionem, alterum è sermone per hominis operationem. Uterque *ἐυσεκδοχικῶς* ab Augustino intelligi solet, cùm doctrinam forinsecus sonantem opponit doctrinæ internæ & occultæ: quod facit cap. XXIV. ejusdem libri: *Legant,* inquit, *& intelligant, intueantur, & fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et epist. CXLIII. ad Anastasium: *Nimium arrogant humanæ voluntati, quam lege datô putant ad eam implendam sibi posse sufficere, nulla super doctrinam legis gratiô sancta inspirationis adjutam.* Hunc errorem suum ut plausibilius tuerentur, eum sub laudatione legis, & liberi arbitrii proponebant. De lege sunt illa Juliani lib. II. comment. in Cantica: *Asserebat nullum fere ad justitiam, quid dico ratione, sed ne sacra quidem legis institutione perduci.* Citat Beda præfat. seu lib. I. in Cantica. Nempe, ut Augustinus lib. II. contra duas Pelagianorum epist. cap. II. ait: *In laude legis dicunt, veterem legem secundum Apostolum justam & sanctam, & bonam custodientibus mandata sua, ac per fidem juste viventibus, sicut Prophetis & Patriarchis omnibusque sanctis vitam potuisse conferre perpetuam.* De libero arbitrio sic ibidem Augustinus: *De laude liberi arbitrii dicunt, liberum arbitrium non periisse, cùm loquatur Dominus per Prophetam: Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ edetis, si nolueritis, & non audieritis, gladius vos comedet. Ac per hoc & gratiam uniuscujusque bonum propositum adjuvare, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.* Et Hieronymus epistola ad Ctesiphontem unum discipulorum Pelagii, imò jam magistrum & totius ductorem exercitus, sic philosophatum ait a: [a P. 253.] *Si nihil ago absque Dei auxilio & per singula opera, ejus est omne quod gessero: ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustraque dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc, aut utor semel potestate quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium: aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur.* [b Lib. I. contra secundam Juliani responsionem cap. 71. p. 110.] Cœlestium autem ab Hieronymo designari planum est. Hinc illa Juliani querela apud Augustinum b. *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestinus & Pelagianus vocatur.* Sed & Pelagius, ut ex Augustino constat, quatuor pro libero arbitrio libros scripsit, quasi hoc à Catholicis negaretur. Eosdem hoc nomine Manichaicam amplecti doctrinam calumniabatur. Quam cramben nec in ultimis adversus Augustinum libris reponere dubitavit Julianus. Sic enim loquitur apud Augustinum lib. I. contra poster. respons. cap. LXXXIII. a [a P. 123.] *Aut dic nobiscum liberum esse arbitrium, aut sicut in his libris, quos nunc per Alipium ad Augustinum misisti, dic captivum esse arbitrium, & desine te negare Manichæum.* Et cap. CIV. b [b P. 128.] *Liberum arbitrium in natura hominis perseverat, quod ut tu cum Manichæis negas, ita nos cum Apostolis & omnibus Catholicis confitemur.*

ANTITHESIS L.

Catholicorum contra judicium fuit, non sufficere arbitrii libertatem & doctrinam legis: sed divinam insuper requiri gratiam: neque gratia ista liberum tolli arbitrium, sed perfici: neque doctrinam hanc esse Manichaicam, sed tutissimam insistere viam inter duo præcipitia, Manichæorum unum, Pelagianorum alterum.

Gratiæ necessitatem ad salutem clare prædicat Hieronymus lib. I. c Dial. adversus Pelagium: [c P. 262. edit. Basil. 1553.] *Sic liberum hominis servamus arbitrium, ut Dei per singula adjutorium non negemus,* Et lib. II. d [d P. 285.] *Ex quo intelligimus, non nostræ solum esse potestatis facere quod velimus, sed & Dei clementiæ, si nostram adjuvet voluntatem.* Item: e [e P. 285.] *Non liberi arbitrii potestate, sed Dei clementiô conservamur.* Et lib. III. f [f P. 302.] *Totus sermo sanctorum ad Deum oratio est: tota oratio & deprecatio exterquet clementiam creatoris, ut qui nostris viribus & studio salvari non possumus, illius misericordia conservemur.* Augustinus epist. XLVII. ad Valentinum & fratres: *In fide sana Catholicâ perseverent, quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat.* Et lib. de gratia Christi contra Pelag. cap. XIV. *Quis non videat & venire quenquam* (ad Christum) *& non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest nisi adjutum esse, si venit. Et sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit, sciat: sed quod scierit, etiam faciat.* Similia passim copiose libro habes, & libris contra duas Pelagianorum epistolas, atque alibi. Etiam scriptor Hypognosticon, lib. III. g [g Ultra medium.] cum liberum arbitrium jumento; gratiam, qua liberum arbitrium dirigitur & gubernatur, sessori, multis comparasset: sic tandem concludit: *Itaque nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam: nec liberum arbitrium sine gratia.* Prosper ad Demetriadem, h [h P. 354. edit. Duac. 1577.] *Videant cujus se haberi filios velint, qui definierint* OMNES HOMINES PROPRIA VOLUNTATE REGI; i [i Verba sunt Pelagii epist. ad Demetriadem quæ & reprehendit Hieronymus lib. adversus Pelag.] *cum idem Apostolus protestetur: Qui spiritum Christi non habet, non est ejus.* Gelasius quoque epistola VII. quæ est ad Episcopos Piceni: *Dicunt* (Pelagiani) *quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit, ac perdidit, bono suffragante natura beatus efficiatur.* Quam postea sententiam refellens, inter alia hoc utitur argumento, quod neque in statu innocentiæ tanta ejus fuerit perfectio. *Ecce*, inquit, SINE DIVINO SUFFRAGIO, *quod, in illa beatitudine* (paradisi) *positus, nunquam legitur expertisse, non solum homini naturale bonum prodesse non potuit, sed cum hoc solo confidit, atque ad ejus non revertitur largitorem, & beatitudinem potius amisit, & malorum omnium sumpsit exordium.* Atque ex his satis liquet, sensisse patres, liberum arbitrium & gratiam ita conspirare, ut per hanc illud perficiatur, non vero destruatur; quæ Pelagianorum calumnia erat, & à gratiæ patronis passim refellitur. Hieronymus ad Ctesiphontem. k [k P. 254.] *Quod autem sursum deorsum jactitant libe-*

liberum à nobis arbitrium destrui, audiant è contrario, eos arbitrii destruere libertatem, qui male eo abutuntur adversus beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? ille qui semper Deo agit gratias: & quodcunque in suo rivulo fluit ad fontem refert? an qui dicit: Recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium: dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam quod voluero: quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris? Idem ibidem a. Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrii libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate: & dicas, Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Unde & audis lingua proferre temeraria: Unumquemque arbitrio suo regi. Si arbitrio suo regitur, ubi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Hieremias, Non est in homine via ejus & à Domino gressus hominis diriguntur? Et aliquanto post. b Frustra blasphemas & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. DAMNETUR ILLE QUI DAMNAT. Et T. 7. contra duas epist. Pelag. lib. IV. cap. IX. Nunquid (S. Cyprianus) tam memorabilis Ecclesiarum in verbo veritatis instructor, liberum arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod recte vivimus? Nunquid sub nomine gratiæ fatum asserit, quamvis dicat in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit? Item lib. de Spiritu & litera cap. XXX. Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Prosper ad Demetriadem: c Quis sine auxilio gratiæ fructum potest adferre justitiæ? aut quis audet dicere, se à Christo non dividi, qui Christum in se diffitetur operari? An forte verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur. Operante enim Spiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur: & hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis: sed per opera miserentis medici curata revalescat, & gaudeat se non interrogantem edoctam, & non quærentem esse quæsitam. Ad laudationem legis quid Catholici responderint, ostendit Beda præfat. seu lib. I. in Cant. Cum enim hæc Juliani verba citâsset: Asserit nullum ferè ad justitiam, quid dico ratione, sed ne sacra quidem legis institutione perduci: ad hoc respondet Beda: Quinimò fatemur & ratione & doctrina sanctæ legis, ad justitiam nos, auxiliante Domino perduci: absque gratia verò illius nec per naturalis subsidia rationis, nec per divina legis scita, nos posse justificari, Apostolo teste, d Quia litera occidit, spiritus autem vivificat. Id est litera præcipiens occidit, si non adsit spiritus, qui præcepta literæ donet impleri. Et spiritus vivificat, donando ut perfici litera possit. Idem docuerat Augustinus lib. de gratia Christi cap. XX. & XXV. epist. XCV. ad Innocentium Papam & lib. II. contra adversar. Legis & Prophetarum cap. VII. & contra duas epist. Pelag. lib. III. cap. IV. Objicientibus verò Pelagianis, doctrinâ hac de spiritus necessitate Manichæismum induci, ostendit Augustinus passim, Catholicos ingredi medios inter Manichæos & Pelagianos. Imprimis hoc facit cap. V. & VI. lib. IV. contra duas Pelagianorum epistolas. Breviter autem cap. III. his verbis: Sic Legem per Mosen sanctam & justam & bonam à Deo sancto & justo & bono datam esse defendit (Catholicus,) quod contra Apostolum negat Manichæus, ut eam dicat, & peccatum ostendere, non tamen tollere, & justitiam jubere, non tamen dare; quod rursus contra Apostolum negat Pelagius. Sic asserit (Catholicus) liberum arbitrium, ut non ex naturâ nescio quâ semper mala, quæ nulla est, sed ex ipso arbitrio cœpisse dicat & angeli & hominis malum; quod evertit hæresin Manichæam: nec ideo tamen posse captivam voluntatem, nisi Dei gratia, respirare in salubrem libertatem; quod evertit hæresin Pelagianam. Similiaque Hieronymus lib. I. dialog. adversus Pelag. Breviter calumniatoribus respondemus, Manichæorum esse hominum damnare naturam & liberum auferre arbitrium: rursumque hoc hominem dicere, quod Deus est. Et sic ingrediendum viâ regiâ, ut nec ad sinistram, nec ad dextram declinemus, appetitumque propriæ voluntatis Dei semper credamus auxilio gubernari.

a P. 254.

b P. 255.

c P. 354. edit Duac. an. 1577.

d 2 Cor. 3.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ I.

Non sufficere sibi arbitrii libertatem, ne quidem legis doctrinâ adjutam, cum Romanorum Episcoporum, tum Conciliorum variorum judicium fuit.

Verba eorum citabamus, cum tractaremus de gratiæ necessitate ad diligendum Deum, implendam legem, superandas tentationes, ac denique singulos actus bonos. Quæ nunc non repetam, ne rem actam agam, quod vetamur proverbio.

THESIS II.

Mox Pelagius trigam gratiarum fecit. Nam naturali & externæ gratiæ tertiam, qua peccata ignoscuntur, tanquam equum παρήορον ac funalem, adjunxit. Non tamen hanc omnibus necessariam putabat, quia non omnes delinquerent, aut saltem absque delicto transigere hanc vitam possent. Præterea eos qui deliquissent, naturæ viribus pœnitentiam agere, naturamque suam instaurare posse dicebat. Unde liquet, sic quoque exclusisse interiorem gratiam Spiritus Sancti.

Triplicem hanc gratiam statuisse Pelagianos, docet clarè Augustinus lib. de gestis Palæstinis cap. XXXV. Dicunt, inquit, ut non peccemus, impleamusque justitiam, posse sufficere NATURAM HUMANAM quæ condita est cum libero arbitrio, eamque esse Dei gratiam, quia sic conditi sumus, ut hoc voluntate possimus, & quod ADJUTORIUM LEGIS mandatorumque suorum dedit, & quod ad se conversis PECCATA PRÆTERITA IGNOSCIT: IN HIS SOLIS ESSE DEI GRATIAM DEPUTANDAM, NON IN ADJUTORIO NOSTRORUM ACTUUM SINGULORUM. Idem Augustinus epist. XCIV. ad Hilar. Solum ad DEI GRATIAM pertinere contendunt, quod cum LIBERO ARBITRIO non peccandi possibilitate creati sumus, & DEI MANDATA, quæ à nobis implerentur, accepimus. Cæterum ad eadem mandata servanda & implenda, nullo divino adjutorio nos egere. Necessariam verò nobis esse REMISSIONEM PECCATORUM, quia ea, quæ à nobis in præteritum malefacta sunt, infecta facere non valeamus: cavendis autem futuris vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis, sine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei, naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem.

ANTITHESIS II.

Patrum autem judicium fuit, non tantum gratiam requiri,

quiri, quæ ignoscat peccata, sed etiam quæ adjuvet ad non peccandum.

a P. 756. Orosius de arbit. lib. *a Oratio Dominica utrumque petendum esse commonet: & ut dimittantur nobis debita nostra, & ut non inducamur in tentationem. Illud, ut præterita expientur; hoc, ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit: tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit. Ideo pro hac re nec superflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quàm orare ut facias, quod in potestate habeas?* Augustinus lib.
b P. 450. II. contra Poster. Jul. resp. *b Tu (Juliane) vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam, nisi in dimissione peccatorum, ut jam de cætero per liberum arbitrium ipse homo seipsum fabricet justum. Sed non hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota, quod didicit a magistro bono. Ne nos inferas in tentationem. Non hoc dicit, qui dicit: Oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali. Non hoc dicit, qui dicit, Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fi-*
c Matt. 26. 2 Cor. 13. Luc. 22. *des tua c. Isto enim modo gratia ut non peccemus facit, non quæ peccavimus diluit. Utroque enim modo adjuvat gratia, & dimittendo, quæ male fecimus, & opitulando, ut declinemus a malis & bona faciamus.* Etiam alibi diluit passim
d P. 123. eisdem in libris: ut lib. I. *d Utroque modo liberat Christus, quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem.* Item
e P. 159. *e. Ut non obsit peccandi necessitas, donat duobus modis, & præteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando, ne intremus in tentationem.*
f P. 288. Et lib. II. *f Ille de quo dictum est, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Tollit autem & dimittendo quæ facta sunt (ubi & originale comprehenditur) & adjuvando ne fiant, & perducendo ad vitam, ubi fieri omnino non possint.* T. 2. epist. CVI. ad Paullinum, prope initium: *Gratia Dei per Jesum Christum à morte primi hominis ad vitam secundi hominis transfert, non solùm peccata delendo, verum etiam ad non peccandum adjuvando.* Beda Pres-
g byter præfat. seu lib. I. in Cantica: *Quod (Julianus) Christianorum naturam melius dicit instauratam esse per Christum, & eos divina gratia juvari auxilio: si de his solummodo, quæ in remissione peccatorum per baptisma nobis donata sunt, vult intelligi, hæreticum est; si autem & de quotidiana ejus gratia, qua nos in mente & corpore instaurare, & juvare non cessat, Catholicum est.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ II.

Gratiam Dei non solum peccata dimittere, sed etiam adjuvare, ne committantur: statuit Synodus Carthaginensis Can. III.

Verba Canonis sunt: *Item placuit, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam adjutorium, ut non committantur, anathema sit.*

THESIS III.

Exinde etiam ex triga gratiarum quadrigam fecit Pelagius: nempe sociando tribus illis gratiam Christi: sed quanto aliter de ea quam Catholici senserit, præter illa, quæ postmodo dicemus, argumento illud erit, quod hanc constituebat in solâ doctrinâ & exemplo Christi.

Docebat Pelagius hanc esse gratiam Christi, quod quemadmodum Adamus primus obfuit nobis exemplo malo; ita Christus Adamus secundus, profuit nobis exemplo bono Unde August. lib. de gratia Christi contra Pelagium & Cælest. cap. II. *Solent* (Pelagiani) *dicere nobis in ea Christum ad non peccandum præbuisse adjutorium, quia juste ipse vivendo, justeque docendo reliquit exemplum.* Et cap. XL: *Gratiam Christi constituit* (Pelagius) *non in virtutis ejus auxilio, sed imitationis exemplo.*

ANTITHESIS III.

Catholici verò dicebant gratiam Salvatoris nostri non in eo solum consistere, quod doctrina & exemplo ejus ad hoc adjuvemur, ne peccemus: sed etiam quod nobis Spiritum Sanctum donet, qui intellectum illuminet, & voluntatis vires conferat ad non peccandum.

Augustinus lib. II. contra poster. resp. Juliani cap. CXLV. a *Hoc est* OCCULTUM ET HORRENDUM a P. 305.
VIRUS *hæresis vestræ, ut velitis gratiam Christi in exemplo ejus esse, non in dono ejus, dicentes, quia per ejus imitationem fiunt justi, non per subministrationem Spiritus Sancti.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ III.

Non sufficere Christi doctrinam vel exemplum, sed necessariam esse inspirationem Spiritus S. statutum fuit Carthaginensis Synodi Can V.

Verba ea Carthaginensis, sive, ut vulgo appellatur, Milevitanæ Synodi ἐπικρίσει proximâ adducemus.

THESIS IV.

Post hac Pelagius fateri utcunque cœpit virtutis divinæ auxilium intus per Spiritum S. in homine operantis. Sed illud in sola illuminatione intellectus collocabat: non item fatebatur voluntati gratiam præberi, vel actualem, quæ eam adjuvet, vel habitualem, quâ homo sit castus, temperans, pius, sanctus.

Non defuere, qui Pelagium putarent exteriorem solum gratiam confessum esse, idque propter ea, quæ superiùs citavimus ex Augustino de hæresi LXXXVIII. Sed disputando tandem eo processisse, ut interiorem quoque gratiam fateri cogeretur, clarè docent hæc Pelagii verba: *Hic nos* IMPERITISSIMI HOMINUM *putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem, quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperaverit, & non illis, quibus etiam* GRATIÆ SUÆ AUXILIUM SUBMINISTRAT, *ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Et explicaturus Pelagius, quam gratiam intelligat, hæc subjungit: *Quam nos* NON, *ut tu putas,* IN LEGE TANTUM, SED ET IN DEI ESSE ADJUTORIO *confitemur.* Quale vero significet adjutorium deinceps addit. ADJUVAT *nos Deus* PER *doctrinam &* REVELATIONEM *suam,* DUM CORDIS NOSTRI OCULOS APERIT, *dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi* ET INEFFABILI DONO GRATIÆ COELESTIS ILLUMINAT. Denique sic concludit: *Qui hæc dicit gratiam tibi videtur negare? an & liberum hominis arbitrium & Dei gratiam confitetur?* Hæc Pelagius citante Aug. lib. I. de gratia Christi contra Pelagium & Cœl. cap. VII. Quæ clarè ostendunt, eum adjutorii nomine non ἁπλῶς intellexisse exteriorem verbi prædicationem aut lectionem, sed quæ conjunctam haberet interiorem Spiritus S. per verbum illuminationem & suasionem. Itaque & idem Pelagius, explicans illa Pauli verba, *Deus operatur in nobis velle & perficere. Operatur,* inquit, *in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo*

tummodo præsentia diligentes, futura gloria magnitudine & præmiorum pollicitatione accendit: dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem: dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est. Quæ Pelagii verba Augustinus citat cap. seq. Falsò autem exprobrat Augustino, quòd negarit Deum suadere bonum, cùm non hoc inficias iverit, sed dixerit, non solum suadere & moraliter operari in nobis, verumetiam vires conferre, ut quod suadet impleamus. Idem August. lib. de spiritu & litera cap. II. *Ajunt ideo sine ope divina non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta, ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum, & IN EO utique ADJUVAT, QUOD DOCENDO AUFERT IGNORANTIAM, ut sciat homo in operibus suis, quid evitare & quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter & juste & pie vivendo, ad beatam æternamque vitam pervenire mereatur.* Sed quid multis opus? quando Augustinus cap. XLI. ejusdem lib. clare agnoscit ex Pelagii sententia *nobis doctrinam ETIAM DIVINA REVELATIONE APERIRI:* & postea ceple quoque cap. ait: *Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur ETIAM SANCTO SPIRITU REVELARI, propter quod & adorandum esse concedit.* Sententia enim est: Homo quidem vel angelus exterius operando hominem docet, & voluntatem ejus instruit: at Spiritus S. hoc peculiare habet, quod interius in animos hominum influat; cumque id creatura nulla possit, fatetur Pelagius hinc consequi, eum esse verum Deum, eoque cum Patre & Filio invocari debere. Ex his satis liquet, Pelagium etiam agnovisse auxilium Spiritus Sancti internum: sed illud collocasse in sola revelatione mysteriorum fidei.

Non desunt tamen viri eruditi, quibus videatur Pelagius etiam agnovisse auxilium supernaturale, per quod voluntas sufficientes accipiat vires ad actus quolvis salutares. Hoc inde probant, quia tria hæc distinguat POSSE, VELLE, AGERE, ac disertim dicat, POSSE voluntatis divinitus adjuvari. Hæc enim sunt ipsius verba
a Apud August. lib. I. contra Pelag. & Cælest. de grat. Christ. cap. 4. lib. III. pro libero arbitrio: a *Nos sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur: primo loco posse statuimus: secundo velle: tertio esse: Posse in natura, velle in arbitrio, esse in affectu locamus. Primum illud, id est posse ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo vero reliqua, hoc est velle & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est, imo & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit,* IPSAM POSSIBILITATEM GRATIÆ SUÆ ADJUVAT SEMPER AUXILIO. *Quod verò homo potest velle bonum atque perficere, solius Dei est. Potest itaque illud unum esse, etiamsi duo ista non fuerint: ista vero sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni: inest mihi etiam si noluero, nec otium sui aliquando in illo natura recipit. Quem nobis sensum exempla aliqua faciant clariorem. Quod possumus videre oculis, nostrum non est, quod vero bene aut male videmus, hoc nostrum est. Et, ut generaliter universa complectar, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat. Quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus. Unde, quod propter calumniam nostram sæpe repetendum est, cùm dicimus, hominem posse esse sine peccato, & confessione possibilitatis accepta laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est, nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo, quod potest esse disseritur.* Hactenus Pelagius: ubi imprimis consideranda hæc verba, IPSAM *possibilitatem gratia sua adjuvat semper auxilio.* Ad quæ respiciens Augustin. lib. de gratia Christi contra Pelag. & Cœlest. cap. V. ait, *Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam* UT MODO DICERE COEPIT, *in gratia.* Quibus verbis non tantùm quid Pelagius dicat, sed eadem non semper ita locutum docet. Cæterum quisquis attentè superiura Pelagii verba cum aliis ejusdem συντομαῖς contulerit, facile videbit, non aliud Pelagium velle, quam possibilitatem naturæ per gratiam Dei adjuvari, quando (ut ipse se Pelagius interpretatur a.) *Futura ne præsentibus occupemur demonstrat, diaboli pandit insidias, ineffabili dono gratiæ nos cælestis illuminat, terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animantium tantummodo præsentia diligentes, futura gloria magnitudine & præmiorum pollicitatione accendit, revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, & suadet omne quod bonum est.* At nihil hic Pelagius dicit, quod non pertineat ad revelationem doctrinæ: melius sine dubio se purgaturus, nisi putasset, illustrato intellectu, voluntatem nullo indigere auxilio, sed vocationi divinæ posse respondere per seipsam præcisè. Similiter capere oportet verba August. lib. de gratia contra Pelag. & Cœl. cap. V. *Quandocunque legimus vel audimus, eum divina gratia adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, sive in lege atque doctrina, sive ubilibet constituat; sciamus quod loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quam sentit. Scire quippe debemus, quod nec* VOLUNTATEM NOSTRAM, NEC ACTIONEM *divino* ADJUVARI *credit auxilio, sed solum* POSSIBILITATEM VOLUNTATIS ATQUE OPERIS, *quam* SOLAM *in his tribus nos habere confirmat* EX DEO, TANQUAM HOC SIT INFIRMUM QUOD IPSE DEUS POSUIT IN NATURA: *cætera vero duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio.* Voluit nempe Pelagius, voluntatem quidem esse indifferentem ad volendum bonum ac malum: quo respectu *venire ad Christum posse in natura ponebat*: Augustino teste: sed, ut idem ait, *postea in gratia etiam ponere cœpit*, quia actu bonum velle non possumus, nisi prius cognoverimus bonum: eoque requiritur doctrina, ut possimus bonum velle. Præter hoc adjutorium possibilitatis, supernaturale nihil requirebat Pelagius. Contra Catholici statuebant, insuper opus esse, ut adjuvemur in volendo & operando bona. Hoc fieri aiebant per subministrationem virtutis, charitatem in nobis operantis, quæ omnium est bonorum operum radix. Ne verò ulli hic amplius aqua hæreat, apertissima aliquot Augustini hac de re loca in medium afferemus. Sic igitur ille hæresi LXXXVIII. *Dicunt ad hoc* TANTUM *adjuvare per suam legem atque doctrinam, ut discamus, quæ facere, & quæ sperare debeamus. Nos autem ad hoc per donum Spiritus S. ut quæ didicerimus, esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur; charitatem autem dari negant, qua pie vivitur: ut scilicet cum sit Dei donum scientia, quæ sine charitate inflat: non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat.* Idem lib. I. de gratia Christi cap. II. ait Pelagium voluisse salvari nos *adjutos non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propria voluntatis.* Et Epist. XCV. quæ est quinque Episcoporum ad Innocentium I. *Sive enim gratiam dixerit esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum:* NIHIL EORUM *dicit, quod per subministrationem Spiritus S. pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas.* Augustinus & Alipius epist. ad Julianum, matrem Demetriadis virginis, cui Pelagius suam de virginitate epistolam scripserat: *Nec sane parvus est error illorum, qui putant ex nobis ipsis nos habere, si quid justitiæ, continentiæ, pietatis, castitatis in nobis est; eo quod ita nos condiderit Deus, ut ultra, præter quod nobis revelet scientiam, nihil nos adjuvet, ut ea quæ facienda discendo novimus, etiam*

dili-

a Apud August. l. de grat. Christi contra Pelag. & Cælest. c. 7. & 8.

diligendo faciamus; naturam scilicet atque doctrinam definientes tantummodo esse Dei gratiam & adjutorium, ut recte justeque vivamus. Ad habendam vero voluntatem bonam, uti est hoc ipsum, quod juste vivimus, & ipsa charitas, quæ in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta sit, quæ una adimpletur in nobis, si quid divinæ legis & admonitionis implemus, nolunt nos divinitus adjuvari, sed nos ipsos dicunt arbitrio proprio nobis ad ista sufficere. Ibidem apertè testatur uterque, aliud se nihil ex Pelagii ad Demetriadem epistola colligere potuisse, quam solum ab eo agnosci gratiam, partim naturæ, partim doctrinæ (nempe non solùm extrinsecus, sed etiam intus sonantis) partim remissionis peccatorum. Sic enim scribunt: *Si autem diligentius inspexeris, etiam illa, quæ ibi videntur velut pro gratia sive adjutorio Dei dicere, sic invenietis ambigua, ut possint referri, vel ad naturam, vel ad doctrinam, vel ad remissionem peccatorum. Nam & quod confiteri coguntur, orare nos debere, ne intremus in tentationem, possunt ad hoc referre, ut hactenus nos ad id respondeant adjuvari, quatenus, orantibus atque pulsantibus nobis, aperiatur intelligentia veritatis: ut discamus quid facere debeamus, non ut vires accipiat voluntas nostra, quibus id quod discimus, faciamus. Et quod nobis in gratia, vel adjutorio Dei dicunt, Dominum Christum bene vivendi propositum exemplum, ad eandem doctrinam revocant, quia scilicet in ejus exemplo discimus, quemadmodum vivere debeamus. Non autem volunt, ad hoc nos juvari, ut quod discendo cognoscimus, etiam diligendo faciamus. Aut certe in eodem libro invenito aliquid, si potestis, ubi excepta natura, excepto quod ad eandem naturam pertinet arbitrio voluntatis, excepta remissione peccatorum & revelatione doctrinæ, tale Dei adjutorium confitetur, quale confitetur ille qui dixit,* a *Cum* a Sap. 8.
scirem, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det, si inquam aliquid tale illic invenire potueritis, uberrimas gratias agemus, si rescribendo insinuare dignemini. Qui igitur arbitrantur, eo tandem Pelagium pervenisse, ut præter revelationem requiri quicquam putaret: hi Pelagianæ sententiæ vim necdum satis perspexerunt. Sed quid mirum si hodie aliquos Pelagius fallat, quando jam olim ambigua gratiæ confessione penè ipsi imposuerit Augustino, qui nemo Pelagium & Pelagianos vel magis legebat, vel melius intelligebat? Sic enim scribit ipse lib. de gratia Christi contra Pelagium & Cœlestium cap. XXXVII. *Mihi penè persuaserat; hanc illum gratiam, de qua quæstio est, confiteri, quamvis in multis ejus opusculis locis* SIBI IPSI CONTRADICERE *videretur. Sed cum in manus meas & alia venissent, quæ posterius latiusque conscripsit, vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare* SUB AMBIGUA GENERALITATE, QUID SENTIRET, ABSCONDENS, *gratiæ tamen vocabulo frangens invidiam offensionemque declinans.*

ANTITHESIS IV.

Catholici verò credebant, non solum opus esse, ut quid facere oporteat sciamus, sed etiam Spiritus Sancti auxilium implorari debere, ut, quod facto opus est, facere diligamus & valeamus.

Augustinus lib. de gratia Christi contra Pelag. & Cœl. cap. XXIV. *Legant ergo & intelligant, intueantur & fateantur, non lege atque doctrinâ sonante forinsecus, sed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Ubi duo in Pelagio requirit, quorum ille utrumque negârit. Prius est, ut fateatur non solùm necessitatem doctrinæ, quæ percipitur prædicando aut legendo, sed etiam operationis Dei internæ, sine qua scripturas vel non intelligimus, vel intellectas non credimus. Alterum est, ut agnoscat, non solùm intellectui revelari à Deo, quid facere debeamus, sed etiam virtutem invisibilem & occultam voluntati intus subministrari, sine qua bonum nec velimus, nec agamus. Hinc idem sic adversus Pelagium disputat epist. ad Vitalem: *Si ergo ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta, sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum, proculdubio eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ IV.

Idem statutum Concilii Carthaginensis Can. V.

Verba ejus sunt: *Item quisquis dixerit eandem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus* a*: Scientia inflat, charitas verò ædificat:* a 1 Cor. 8.
valde impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam: ad eam quæ ædificat non habere: cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus: ut ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de eo scriptum est, b *Qui docet hominem scientiam: ita etiam scri-* b Psal. 93.
ptum est, c *Charitas ex Deo est.* c 1 Ioan. 4.

F I N I S.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DISSERTATIONES TRES

DE TRIBUS SYMBOLIS, APOSTOLICO, ATHANASIANO, ET CONSTANTINOPOLITANO.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEU,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS.
MDCCI.

MAGNO PRINCIPI

GUILIELMO,

CELSISSIMI

FREDERICI HENRICI,

Maximi Invictissimique

ARAUSIONENSIUM PRINCIPIS

FILIO;

Augustissimi Britanniarum

MONARCHÆ,

CAROLI,

FIDEI DEFENSORIS,

ET

HENRICÆ MARIÆ,

Christianissimi Regis Galliarum

HENRICI MAGNI,

FILIÆ,

GENERO FELICISSIMO,

Minutum hoc maximi ac devotissimi animi monumentum offert dicatque

GERARDUS JOANNES VOSSIUS.

CELSISSIME PRINCEPS,

Læta, ac diu multumque exoptata affulsit dies, qua civitas hæc Amstelodamensis conspicit serenum, placidumque vultum Augustæ Socrus, HENRICÆ MARIÆ, Galliarum Regis Henrici Magni filiæ, Magnæ Britanniæ Regi Carolo nuptæ. Eoque lætior hæc dies, quòd unà videamus auream tantæ Reginæ prolem, Serenissimam Principem MARIAM,

 formâ

formâ eximiam, animi dotibus pulchriorem, Patris & Avitarum laudum hæredem, pluresque in suo stemmate Reges numerantem, quàm altera hodie Regalis familia possit. Ut hanc sacris penatibus introducenti Celsitudini Tuæ verè illud conveniat Poëtæ Veronensis: *Vidit quis Venerem auspicatiorem?*

Comitantes etiam cernimus Divûm liberos; Serenissimi heu quondam Bohemorum Regis Frederici, ex maximi Magnæ Britanniæ Regis Jacobi I. filia Elisabetha, Celsiss. Filios: cordatissimum, & fortissimum RUPERTUM PALATINUM, famâ ad sidera notum: & summæ exspectationis fratrem, MAURITIUM, grandi hoc nomine gaudentem à sponsore in sacro baptismate, invictissimo Arausionensi Principe Mauritio, Avunculo suo magno, quem virtute ac felicitate bellica, ut confidimus, aliquando daturus est orbi. Adest etiam ingentis animi ac nominis ARONDELIUS, Comitum illustrissimorum nulli prosapiæ antiquitate ac splend re secundus, ab Rege Augusto Augustæ Reginæ additus comes. Quid singulos Britanna ex gente memorem majorum imaginibus illustres, nec ingentium avorum indignos?

Atque his Fœderatæ Belgicæ nomine adjunxit se ipse Celsissimus Arausionensium Princeps, FREDERICUS HENRICUS, Patriæ parens; qui gestorum magnitudine eò res Belgarum perduxit, ut de fide apud posteros laboratura sit fama: multisque ita videatur, fortasse non tam amplius illud optandum esse, ut tellus hæc pergat fortiter tueri libertatem, quod sub tanti Principis ductu haut difficile erit genti ab omni ævo fortissimæ, atque inter arma natæ: quàm ut vento tot jam annos adeò secundo, ex sapienti Poëtæ præcepto, paullisper sua contrahat vela, nec prosperis nimis exultet. Sequeris & ipse Principe hoc prognate, Celsissime Princeps, GUILIELME ARAUSIONENSIS: qui nihil æquè speras, aut spiras, quàm laudes ingentium heroum æmulas; Parentis, Patrui, Avi; & ut paucis absolvam, tot Majorum, ultra etiam tempora illa, quibus ante annos trecentos, è Domo vestra in altissimo Cæsareæ dignitatis gradu, vel fastigio potiùs, eminuit Adolphus Nassovius. Deficeret stylus, si Belgas, Germanos, gentiumque aliarum Comites, Barones, Nobiles, recensere vellem: quos in hoc Augustæ Reginæ, & Serenissimæ Filiæ comitatu, florentissima hæc civitas nunc cernit ac miratur. O diem terque, quaterque beatam: quam nulla ex hominum memoria oblivio delebit, nec unquam excellentium ingeniorum monumenta conticescent. De quo fidentiùs pronunciamus, non obscuram capiendo conjecturam ex iis sincerissimi gaudii signis, quæ nunc in omnium oculos incurrunt. Videmus enim, quanto studio nobilissimi & prudentissimi hujus Urbis Consules, & amplissimus gravissimusque Senatus, unum hoc agant, nequid præteritum videatur, quod ad ingentis lætitiæ, & devotissimi animi testationem pertineret. Exemplum etiam suorum Procerum universa sequitur civitas, vestigia eorum legens, ut in sacros Augustæ Reginæ, & Serenissimæ Prolis, sidereos vultus, suos paulisper figere liceat obtutus: ac simul, Celsissime Princeps, in illos etiam verè maximi Parentis, ac Tuos. Unde omnis ætas, ac sexus, vicos cunctos, mæniana etiam ac podia, complet: atque adeò ædes singulæ, imprimis curia, templa, ipsi Urbis muri, in hac inusitata omnium lætitia gestire mihi præ gaudio videntur. Quæ cum ego ita fore, facilè animo perciperem meo, ac tacitus revolverem; sic continuò cogitare mecum cœpi: Ergone in hac publica lætitia non amplius agam, quàm unus è multis, qui Augustæ Domui Britanniæ plus debeo mei ordinis cunctis? Obversabatur etiam Diogenes. Cùm enim Philippus, Amyntæ filius, Alexandri nomine, & re Magni parens, expeditionem adversus Corinthios moliretur; alii in Urbe arma sibi parare, alii muros reficere, nonnulli lapides congerere, vel aliud agere ad præsens negotium utile: Diogenes, (altæ mentis Philosophus, sic ut Alexander, nisi fuisset

fuisset Alexander, Diogenes esse vellet) versare interea dolium suum, ne vivos inter obambulare mortuus diceretur. Quod animo ille quocunque egerit; mihi quidem mente candidâ, devotâque, hactenus exemplum imitari visum fuit, ut ne totâ urbe undique edente lætitiæ signa, non quidem dolium circumvolverem, attamen nec otiosus viderer; quin potiùs agerem utile aliquid, quo in hoc adventu Augustæ Reginæ, & Serenissimæ Filiæ, animæ dimidio Tuæ, gratum devotumque animum erga Regiam Magnæ Britanniæ majestatem, totamque domum Augustam, testarer: saltem quantum vix præmeditato, sed, penè dixerim, in arena consilium capienti, deque paupere penu aliquid deprompturo, in ea temporis angustia liceret. Nam per Deum immortalem, cui justiores, quàm mihi, hodiernâ se die caussæ obtulerunt testandi officii sui erga Domum Regalem, pariterque Celsitudinem Tuam, postquam ab Augusto Rege gener es adlectus? Scio, quantum debeam invictissimo Principi, Parenti Celsitudinis Tuæ, vindici patriæ libertatis: sine qua vita quid est, nisi cadaver? Sed hoc beneficium magnum adeò licet, ut nullius ingenio vel facundiâ satis possit prædicari; si tamen fas sit dicere, commune est mihi cum omni fœderata Belgica: etsi, nisi fallor, nos qui literas, & sapientiæ studia colimus, plurimùm rectiùs aliis nostra intelligimus bona. Sed ego nunc in animo habeo illud in me grande meritum, quod unus è fœderata Belgica accepi ab Augusto Rege Carolo, Religiosissimo Principe; quem ut Trajano scimus meliorem, ita, ex veteri formula, Augusto Cæsare optamus feliciorem. Divinus ille Rex, (justiùs enim sic dixero, quàm, quem proxime laudavi Augustum, *semper-deum* dicebat Maro) Rex, inquam, ille, cui dulcius est prodesse, quàm præesse, unum me, quamquam digniores esse alios non diffitear, in Metropolitanæ Cantuariensium Ecclesiæ Præbendarios allêgit. Neque unquam dies illa animo excidet meo, quâ cum gratias, quas deberem, pro nobili hoc Canonicatus beneficio Augustæ agerem Majestati; illi me hoc placidissimi oris responso dignabatur: pariter se gratias divinæ agere Majestati, à qua hoc haberet, quòd, me de literarum studiis bene merente, meliusque mereri parato, ipse etiam bene mereretur de me, & familia mea. Quæ quàm altè in hoc pectus descenderint; quantopere etiam mihi stimulos subdiderint ad porrò calcandum virtutis, & industriæ callem; rectiùs, quàm maligno hoc seculo fieri amat, posteritas judicabit; si non, quod satis sit, ex iis, quæ ab illo tempore publici juris feci, ac vel Celsitudinis Tuæ Adfini, Serenissimo Walliæ Principi; vel doctrinâ, & fide eminentissimo Ecclesiæ Anglicanæ Clero dedicavi: saltem ex aliis, quæ deinceps moliar, dummodo vitam mihi ac valetudinem concesserit bonitas divina. Sed grande aliquid deproperare nunc tam subitò non dabatur. Gnarus igitur ejus, quod vulgo dici solet, tusculo quoque sacra fieri Diis: non dubitavi hoc qualecunque de schedis nostris offerre. Selegi verò aliquid sacri argumenti; quia hoc maximè mihi convenire putarem, quem Augustus Socer hoc potissimùm fine sacro Cantuariensium ordini inseruisset, ut qui Musas ante omnia dulces ducerem, non tam vulgares illas colerem, quàm sacras. Hujusmodi verò est labor noster de tribus Symbolis; Apostolico, Athanasiano, & Constantinopolitano: in quorum prioribus ostendo, quantopere multos fugerit ratio de primis eorum auctoribus: in tertio autem illos præcipuè refello, qui Constantinopolitanos Patres, de Spiritus Sancti processione à Filio, signâsse aliquid arbitrantur. Simul hoc de Symbolis opere constare volui, non me in publico hoc gaudio conspici penitus asymbolum; sed istiusmodi contulisse symbolam, quæ simul symbolum foret animi devotissimi, erga Augustam Majestatem, Serenissimam Filiam, ac Generum Regium. Scio, quàm mole sit exiguum, quod pro symbola pariter, ac symbolo esse cupio: sed argumento exiguum non debet haberi, si ab sincera Symbolorum illorum fide dependet Rerum publicarum tran-

 quillitas,

quillitas, & æterna populorum salus : quæ duo cordatis Principibus cariora esse oculis suis oportet. Quod si deprimat fortasse laborem hunc scriptoris humilitas: attollet eundem Tua Celsitudo : unde non leve referet decus, ac splendorem; si minùs genium, & immortalitatem.

CELSISSIME PRINCEPS,

Senile, ac modestum votum accipe; quod facio pro universa Domo, tum Augusti Magnæ Britanniæ Regis, CAROLI; tum Celsissimi Arausionensium Principis, FREDERICI HENRICI: illius, Soceri Celsitudinis Tuæ; hujus, Parentis; utriusque verè optimi, maximi. Diutissimè salvi, atque incolumes, orbis universi, ac præcipuè Reip. Christianæ bono, rebus interesse humanis. Et quia vita hæc, quantumcunque diuturna, fragilis tamen dicenda est, & caduca: in memoria, atque ore bonorum omnium vivite; donec ista etiam vita cum orbe terrarum finem suum sortiatur. Denique solutâ hac mundi compage, corpore, animoque æternùm vivite, cælestibus choris permixti.

Amstelodami, CIↃ IↃ C XLII, XII Kal. Jun.

CELSITUDINI TUÆ

Devotissimus

GERARDUS JOANNES VOSSIUS.

DE

DE TRIBUS SYMBOLIS

DISSERTATIO PRIMA;

QUÆ EST

DE SYMBOLO APOSTOLICO.

I.

Cùm varia apud veteres Symbola legantur; nunc proprie de iis agere propositi, quibus in Officio sacro utitur Ecclesia Romana. Sunt ejusmodi tria: quorum unum dicitur Apostolicum; *alterum* Athanasianum; *tertium* Constantinopolitanum, *ac quandoque etiam* Nicenum: *nempe quia primitus Ecclesia usurpavit Symbolum Nicenum: postea Constantinopolitanum; quod Niceno est auctius, ut quo continea-tur Nicenum.*

HInc liquet, & tria, & quatuor posse Symbola statui Officii Romani. Quatuor numerat Joannes Beleth, Theologus Parisiensis, in Explicatione Divinorum Offic. cap. XL, ubi sic loquitur: *Notandum est, quatuor esse Symbola: minimum, quod à cunctis communiter in quotidiana oratione dicitur; & quod Apostoli simul composuerunt. Secundum est, quod in prima recitatur;* Quicunque vult salvus esse; *quod ab Athanasio, Patriarcha Constantinopolitano, contra Arrianos hæreticos compositum est: licet plerique eum Anastasium fuisse falsò arbitrentur. Tertium est, quod Constantinopolitana Synodus edidit: videlicet, quod in Missa hactenus cani consuetum est. Quartum est, quod ex Niceno Concilio prodiit.* Hactenus Belethus: quem Genebrardus vixisse ait ante annum millesimum, & ducente-
a P. 182. simum. Quippe lib. III. de Trinitate refert, *a* Joannem Belethum floruisse ante annos quadringentos. Ipse autem scripsit anno Christi CIↃ IↃ LXVIII: ut præfatio operis ad Carolum Lotharingum indicat. Atqui Belethus demum claruit anno CIↃ CCC XXVIII. Ut Genebrardus errorem committat annorum centum & sexaginta. Porrò Beletho hoc antiquior seculo integro fuit Alexander Alesius. Vixit enim anno CIↃ CC XXXI. Is tria tantum Symbola agnoscit parte III, quæst. LXIX, memb. V: nempe Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum. Ubi Nicenum intelligit cum auctario, quod Constantinopoli accepit: ut pleniùs explicabo parte III. de Symbolis. Alesium quoque secutus est Durandus Mimatensis, qui quadraginta ante Belethum annis claruit: putà anno CIↃ CC LXXX. Sic enim scribit Ration. Offic. Divin. lib. IV, cap. XXV: *Nota, quod triplex est Symbolum. Primum est Symbolum Apostolorum: quod vocatur Symbolum minus: quod videlicet ex institutione Damasi Papa dicitur tacite per ferias singulis Canonicis horis. Secundum Symbolum est, Quicunque vult salvus esse &c. ab Athanasio, Patriarcha Alexandrino, in civitate Treveri compositum. Hoc tamen dici potest tertium. Nam Nicenum, de quo sequitur, fuit prius in prima Nicena Synodo compilatum. Tertium est Nicenum, quod Damasus Papa ex constitutione universalis Synodi apud Constantinopolin celebrata instituit: & vocatur Symbolum majus.* Videmus hic, ut in ordine hæreat; nec satis decidat, utrùm Niceno, an Athanasiano, prior debeatur locus. Sanè si Athanasius est auctor Symboli sibi attributi: Athanasianum Symbolum posterius sit Niceno mero: sed prius Niceno cum suo auctario adversus Macedonium. Similiter Ludolphus Saxo Carthusianus, qui anno vigebat CIↃ CCC XXX. Sed hic Nicenum facit secundum. Sic enim scribit Vitæ Christi parte II, cap. LXXXIII: *Tria sunt Symbola: primum Apostolorum, secundum Nicenum, tertium Athanasii. Primum factum est ad fidei instructionem; secundum, ad fidei explanationem; tertium, ad fidei defensionem.* Ac tria hæc eopse ordine etiam commemorat Thomas Argentinensis, qui anno vixit CIↃ CCC L. Vide eum lib. III, dist. XXIV, & XXV, quæst. I. art. III. Tria verò duntaxat commemorant; non quasi Ephesinum, vel Chalcedonense Symbolum, ignorent; ut de cæteris taceam: sed quia tria tantummodo obtineant in solemnibus Ecclesiæ Romanæ sacris. Nisi cum Beletho quatuor dicere malis, quia, qui Nicenum nominant, sub eo Constantinopolitanum comprehendunt, duoque Symbola pro uno habent; ut postea explicabitur.

II.

Ordior à Symbolo, quod Apostolicum nominatur. Ac primùm referam, qui ex communiori sententia illud condiderint, & quando, & quare condiderint. Deinde exponam, quibus argumentis ducti sic putarint. Hinc argumenta eorum invalida esse monstrabo. Postea opinionem eorum referam, qui superiorem sententiam, vel incertam crediderint, vel falsam: inque hoc dissensu adjungam me iis, qui falsam arbitrantur: quippe quod, nostrâ quidem sententiâ, ab Episcopo, & Clero Romano, neque id uno tempore, sed currentibus seculis, paullatim sit compositum. Exinde hanc sententiam multis, variisque argumentis, comprobabo. Denique quid Ecclesiam Romanam impulerit ad Symbolum hoc condendum, & quantus hodieque ejus usus sit, ostendam. Ac de primo quidem sic paucis habendum: ab aliquot seculis receptam esse opinionem, conditum illud esse ab Apostolis.

ITaque Theologica facultas Coloniensis, adversus Monhemium scribens, id extra controversiam ponit *a*. Ge- a P. 230.
nebrardus in III. de Trinitate *b* ingentem adducit nume- edit. Col.
rum Sanctorum Patrum, quos idem sensisse contendit: an. 1560.
nec dubitat quin longe plurimos prætererierit: atque ex his b P. 204.
colligit, *præfractam esse temeritatem, vertere in quæstio-* ed. Paris.
nem, num Apostoli vere sint auctores Symboli, quod cir- an. 1585.
cumfertur ipsorum nomine. Feuardentius quoque in Irenæum lib. I, cap. II *c*, non contentus dicere, adultos il- c Pag. 51.
lud cùm sacro lavacro tingerentur, *præscripto procul du-* edit. Colon.
bio Apostolorum recitâsse, adjungit: *Apostolos eosdem* an. 1596.
illud ipsum decantâsse, dum sacrosancta Eucharistia mysteria

mysteria celebrarent, facile mihi persuaserim. Ac postquam hoc probare conatus Dionysii Areopagitæ, & B. Jacobi Hierosolymitani auctoritate (pro genuinis enim scriptoribus eos habet) hunc inde in modum concludit: *Quis non videt, primam hanc traditionem ad Apostolos, & non ad Concilium Toletanum tertium, vel Constantinopolitanum, referendam esse?*

III.

Sed qui de auctoribus conveniunt, quadrifariam tamen dissentiunt. Primum, num soli illud condiderint Apostoli; an præter eos CXX *viri; in quorum cœtu concionatus est Petrus de designando Apostolo novo: ut legere est Act* I 15.

OB hunc dissensum ambiguè loquitur Antonius Nebrissensis in Quinquagena, Tit. Symbolum. *Ego*, inquit, *non diffiteor communi Apostolorum consensu, sive illorum* CXX, *quos suo adventu Spiritus Sanctus afflavit, Symbolum fuisse compositum.*

IV.

Alter in eo est dissensus, num quisque XII. *Apostolorum ad Symbolum contulerit caput aliquod, sive articulum, ut nunc loquimur: & utrum traditione constet, quid ab unoquoque fuerit collatum: an potiùs hoc dumtaxat sciatur, Apostolos fuisse congregatos; inque commune consulentes, Symbolum istoc condidisse; & pro* XII, *vel* XIV *Apostolis*, XII, *vel* XIV *esse capita; quod vero caput à quoque sit Apostolo, ignoretur.*

UNicuique ex Apostolorum duodecim numero suum caput nominatim adsignat Augustinus; si modò is auctor; de quo postea dicetur. Ac voluisse idem videtur Leo Magnus ad Pulcheriam Augustam scribens epist. XCVI: *Ipsius Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quæ* DUODECIM APOSTOLORUM TOTIDEM *est signata* SENTENTIIS, *tam instructa sit in munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo possint gladio detruncari.* Item Venantius Fortunatus præfatione in exegesin Symboli Apostolici *a*: *Collatâ Apostolis scientiâ linguarum, adhuc in uno positi, hoc est, inter Symbolum unusquisque quod sensit dicendo condidere.* Et breviùs mox: *Symbolum* COLLATIO *dicitur Græcè, quia hoc ipsi* INTER SE *per Spiritum Sanctum salubriter condiderunt.* Nec multùm abit Albertus Patavinus; qui Ægidii Romani auditor fuit, & anno claruit CIↃ CCC. Hic, quia post Christi adscensum, Apostolis undecim, non Matthiam modò accenset, sed etiam Paulum, & Barnabam: eò non XII tantummodo, sed XIV capita, statui posse judicat. Nisi sic malis credidisse, quia putaret, divisionem symboli, non ex numero colligentium, sed capitum collectorum, colligi oportere. De quo postea videbimus. Nunc Albertum ipsum audiamus sermone CIII: *Per duodecim cophinos, duodecim regulas, seu sententias Catholicæ fidei intelligimus: qui cophini contexuntur ex duodecim, vel quatuordecim articulis fidei, qui continentur in Symbolo Apostolorum. Et primam quidem fidei regulam, quasi primum cophinum, contexuit Petrus &c.*

a Tom. 2. Bibliothecæ Patrum edit. 2. p. 1150.

V.

Tertium, in quo parum conveniat, est, num Apostoli ex iis, quæ ipsi antea scripserant, hæc capita excerpserint; atque ita omnem fidei doctrinam compendio constrinxerint: an verò hoc Symbolum, Spiritu sic suggerente, composuerint citra sui, vel aliens scriptis opem.

POsterior sententia est vulgatior; sed priorem amplexus est Paschasius Ratbertus, qui anno vixit IƆ CCC L. Verba ejus sunt præfat. libri de Spiritu Sancto: *Hanc* (fidem Catholicam) *Apostolica sollicitudo, atque perfectio, sicut per sanctas paginas dilataverat, ita per Symboli salutare mirâ brevitate collegit, & tanquam per diversas remediorum species disposuit in corpus unum, ac velut ex innumeris aromatibus pretiosum confecit unguentum.*

VI.

Quartum, in quo discrepent, est super tempore, quo conditum hoc Symbolum fuerit. Sunt qui id contigisse existiment, mox ubi Spiritus Sanctus in Apostolos descendit. Alii verò referre malunt id ad tempus, quo Herodes Antipas, in Judæorum gratiam, usque adeò persequeretur Christianos: ut est Actor. XII.

EO ipse anno, quo passus est Christus, compositum fuerit, si tum conditum, verè ait Rufinus *a*, *cum per adventum Sancti Spiritus super singulos quosque Apostolos ignea lingua sedissent, ut loquelis diversis, variisque loquerentur.* Ac similiter Isidorus Hispalensis libr. II de Eccles. Offic. cap. XXII. Baronius autem id factum refert ad annum Claudii secundum: qui decimus est à passione Dominica. Eique occasionem præbitam conjectat, quòd abituri essent in gentes ad vitandam Herodis persecutionem, qui jam Jacobum majorem supplicio capitis affecerat; & Petrum conjecerat in vincula; unde tamen divinitus fuit liberatus: ut in Actibus Apostolorum tradit B. Lucas *b*.

a In expositione Symboli.

b Cap. 12.

VII.

In quinto etiam disconveniunt: nempe suine causâ condiderint, ne, diversa docendo, alii ab aliis alieni fierent animis: an Ecclesiæ causâ, quò certam ea haberet formulam, quam baptizandis exponeret.

PRius censuit Rufinus in expositione Symboli. Plures tamen posteriorem hodie sententiam sequuntur.

VIII.

Vidimus, quàm varias abeant in partes, qui ab Apostolis hoc Symbolum αὐτολεξεὶ c compositum esse arbitrantur. Ut tanta opinionum diversitas falsitatis suspicionem injicere posse videatur: præsertim præeuntibus hodie non paucis eruditissimis viris, qui sententiam eam putarunt, vel falsam, vel minimùm incertam.

c Verbis iisdem.

DUbitat sanè, post Laurentium Vallam, etiam Polydorus Virgilius Urbinas, lib. V de rerum inventione, cap. XIII: *Symbolum collationem significat, quia Apostoli, sive Patres, in unum contulissent, quod unusquisque de Deo senserit.* Sunt & Erasmi verba in Præfat. ad Lectorem Paraphrasis Matth. *Librum hunc concinnare cupio, non ex humanis lacunis, sed ex fontibus Euangelicis, & Apostolicis literis, & ex Symbolo; quod, an ab Apostolis proditum sit, nescio.* Quem locum, posterioribus editionibus prætermissum, objecêre Erasmo Theologi Parisienses. Horum censuræ respondit ipse Tit. XI. Qua de re postea. Adhæc ab Apostolis esse, negat disertim Joannes Brentius in Catech. quod ei Serrarius exprobrat. Nec Apostolos auctores agnoscere videtur Joannes Calvinus libr. II. Institut. cap. XVI, §. XVIII: *Apostolicum autem Symbolum nuncupo, de auctore minime sollicitus.* Ac postea: *Neque verò mihi dubium est, quin à prima*

prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum seculo, instar publicæ, & omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit, undecunque tandem initio fuerit profectum. Quo intellecto, de auctore vel anxie laborare, vel cum aliquo digladiari, nihil attinet. Daniel quoque Chamierus Delphinas in opere de controversiis religionis, lib. IX de Canone, cap. X: *Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non est falsum, certe, quod proximum falso esse, nemo negat, incertum est.* Denique Lavaterus, & Parkerus, uterque libro de descensu Christi ad inferos, demum post annum CCCLXXXII conditum arbitrantur. Quod putant, non esse ab Apostolis, inferiùs amplectemur: non item, quòd existiment, tam serò conditum esse Symbolum.

IX.

Sed ne videar, temere opinionem adeò pervulgatam in dubium vocasse; prius argumenta adducam, quibus impulsi ita senserint: deinde dicam, quid de singulis videatur. Ac primum quidem eos movit, ipsa Apostolici Symboli *appellatio. Quippe, quos hactenus recensui, in eo conspirant, propterea* Apostolicum *vocari, quia Apostolos habeat auctores. Plerique etiam ex* Symboli *vocabulo id colligunt. Nam* σύμβολον*, secundum eos,* collationem *notat; qualis cæna est collatitia, ubi singuli convivarum suam conferre solent portionem: inde, inquiunt, nomen datum hisce fidei capitibus, quia Apostoli singuli ad hoc, velut spirituale epulum, indubitatum aliquod contulerint caput fidei Christianæ.*

SYmbolum notare *collationem*, etiam apud Clementem Romanum, sive alium, legas epist. I. Rufinus similiter in expositione Symboli, & iisdem verbis Isidorus lib. II de Ecclesiasticis Offic. cap. XXII, & Rabanus Maurus lib. II de Instit. Cleric. cap. LVI: *Symbolum Græce collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt.* Eadem mens Augustini, vel alius, sermone CLXXXI de Tempore. Intellige autem collationem pecuniæ, vel cibi, potusve, ad convivium. Quæ posterioribus seculis *comessalia* dicta, vel *convivia de confertis*: ut videre est C. cum oportet. 2. distinct. 44. & C. non liceat, eâdem distinct. Priori loco hæc sunt verba: *Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, aut etiam laicos Christianos, ex Symbolis, quæ vulgus Comessalia appellat, convivia celebrare.* Posteriori loco hæc legas: *Non liceat, sacerdotes vel clericos; sed nec religiosos laicos, convivia celebrare de confertis.* Tralatione ab hujusmodi conviviis petitâ *Apostolicum* dici *Symbolum*, sententia est Lugdunensis Eucherii, priori de Symbolo homiliâ: ubi sic scribit: *Sicut nonnullis scire permissum est, apud veteres Symbola vocabantur, quod de substantia collectis in unum sodales in medio conferebant ad solennes epulas, & ad cœnæ communes expensas: ita & Ecclesiarum Patres de populorum salute solliciti, ex diversis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia divinis gravida sacramentis. Disponentes itaque ad animarum pastum salubre convivium, collegerunt verba brevia & certa, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis, & hoc* SYMBOLUM *nominaverunt.* Quam rem non unâ similitudine deinceps illustrat. Etiam Innocentius III lib. II Mysteriorum Missæ, cap. XLIX: *Et ideò Symbolum componentes, unusquisque bolum, id est particulam unam, apposuit.* Jacobus Vitriacus Dominicâ in Albis: *Dicitur Symbolum Apostolorum, quia unusquisque partem suam apposuit. Petrus ait &c.* Longum fuerit omnes juniorum, qui ita senserint, referre. In his Genebrardus lib. III de Trinitate *a*. Sed negat ille, aliud de eo dicendum, quàm quod etiam Georgius Pachymeres, in Dionysii Areopagitæ caput III de Ecclesiastica hierarchia, tradat; hanc vocem significare τὸ ἔρανον, *collectam*, καὶ τὸ διδόμενον εἰς δεῖπνον, *& id, quod confertur pro cœna.* Satis etiam liquet, Alemannorum veteres hoc esse etymon secutos: ut qui Symbolum vocent *guerf*: quod ad verbum συμβολὴ, sive *conjectionem* notat. Imò, qui glossas scripsit in Decretalem Innocentii de summa Trinitate & Fide, hybridam efformans vocem, symbolum conflatum ait ex σὺν, quod interpretatur *simul*, & *bolus*; quia nempe ad epulum hoc spirituale Apostoli singuli contulerint bolum. Quod & apud Mimatensem Durandum legas lib. IV, cap. XXV. Item Joannem Gersonem, sive alium libro de articulis Fidei, qui inter Gersonis opera exstat: *Dicitur*, inquit, SYMBOLUM *à* SYN, *quod est* CUM, *&* BOLE, *quod est* SENTENTIA; *quasi collectio sententiarum. Vel, ut aliis volunt, à* SYN *quod est* CUM, *&* BOLUM, *quod est* FRUSTUM; *quasi frustorum, id est capitulorum, vel particularum fidei, collectio.*

a P. 204. edit. Paris. 1585.

X.

Alterum est eorum argumentum traditio majorum, & Sanctorum Patrum auctoritas.

IMò si audimus Sixtum Senensem bibliothecæ Sanctæ lib. II *a*: *Omnes Orthodoxi Patres affirmant, Symbolum ab ipsis Apostolis conditum.* Nec obscurum est, idem sensisse Genebrardum: de quo superiùs diximus. In Patribus, quibus se tuentur, principem dant locum Clementi Romano epistolâ primâ; ubi hæc legas: *Christo itaque resurgente, & adscendente in cœlum, misso sancto Spiritu, collatâ Apostolis scientiâ linguarum, adhuc in uno positi, Symbolum quod fidelis nunc tenet Ecclesia unusquisque, quod sensit, dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Atque hunc etiam locum Erasmo objectant Theologi Parisienses in Censura sua Tit. XI. Similiter Rufinus commentario in Symbolum: ut qui hac de re sic loquatur: *Tradunt majores nostri.* Et cum de tempore egisset, quo id factum dicitur; puta cùm linguæ igneæ super singulos sedissent, & discessuri essent alii ab aliis; mox subjungit de facto ipso: *Omnes ergo* (Apostoli) *in uno positi, & Spiritu sancto repleti, breve istud futuræ fidei, ut diximus, prædicationis indicium conferendo in unum, quod sentiebat quisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.* Quæ & exscripsit Isidorus lib. II de Ecclesiast. Offic. cap. XXII. Idem Rufinus postea, ac penè iisdem verbis Isidorus loco memorato subdit: *Idcirco denique hæc non scribi chartulis, atque membranis; sed retineri cordibus, tradiderunt: ut certum esset, neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed* EX APOSTOLORUM TRADITIONE *didicisse sufficeret.* Valde autem conveniunt cum iis ista B. Hieronymi epist. LXI ad Pammachium: *Symbolum fidei, & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, aut atramento: sed in tabulis cordis carnalibus.* Ac postrema etiam iisdem verbis legas apud Isidorum lib. VI Orig. cap. ult. Pro XII verò Apostolis XII esse Symboli sententias, etiam tradit Leo Magnus ep. XCVI *b*, verbis etiam antea adductis: *Ipsius Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo possint gladio detruncari.* Ac similiter Venantius Fortunatus præfat. expos. Symboli. Imò aliqui eò usque fuere progressi, quemadmodum antea vidimus, ut non dubitarent dicere, quam quisque protulerit sententiam. Atque hæc etiam opinio placuit conditori Ecclesiasticorum Annalium ad an. XLIV. Ac pro se adfert B. Augustini auctoritatem, sic scribentis de Temp. serm. CXV: *Quod Græcè Symbolum dicitur, Latinè Collatio nominatur: Collatio ideo, quia collata in unum totius Catholicæ legis fides, Symboli colligitur brevitate; cujus textum vobis modo, Deo annuente, dicemus. Petrus dixit: Credo in Deum Patrem, omnipotentem. Ioannes dixit: Creatorem cœli, & terræ. Iacobus dixit: Credo & in Iesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum. Andreas dixit:*

a Voce Apostolorum.

b Sive epist. 13. in editione Coloniens. an. 1591.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas ait: Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit: Adscendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus est judicare vivos, & mortuos. Iacobus Alphæi: Credo & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Iudas Iacobi: Carnis resurrectionem. Matthias complevit: Vitam æternam. Amen.

XI.

Illud de CCX *viris tuentur Lucæ Act. 1, 15. ubi legas, cœtum fuisse* CXX *virorum, cùm Petrus orationem illam haberet de obtinendo novo Apostolo, qui, prævüs precibus, sortitione designatus. Hos igitur* CXX *viros, rebus omnibus Christi à resurrectione gestis interfuisse, vetus est opinio: indeque colligunt, non solos Apostolos, sed etiam illos* CXX, *quos dicebamus, festo Pentecostes Spiritum sanctum accepisse.*

ITa in eum locum tradidit Chrysostomus: quem sequitur Oecumenius. Ac similiter Hieronymus in epitaphio Paullæ, & epistolâ ad Paullinum. E junioribus item Hesselius tractatu de Resurrectione.

XII.

Præterea de fine dicebamus non convenisse; dum alii putant, sui causâ; alii autem, populi ergo condidisse. Ac veterum quidem, & maximè Rufini auctoritate nituntur, qui dicunt, opus iis fuisse hac regulâ, ne postea longissimis spatiis separati diversa docerent, atque ita & ipsi inter se in varias scinderentur partes.

VErba Rufini sunt in expositione Symboli: *Discessuri itaque ab invicem normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt: ne forte ab aliis alii abducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent.* Videtur idem velle Venantius Clementianus Fortunatus præfat. in Symbolum Apostolicum *a*: *Resurgente Christo, & adscendente in cælum, misso Sancto Spiritu, unusquisque, quod sensit, dicendo condidere, ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes æqualiter prædicarent.* Apertiùs verò, octingentis post Rufinum priùs memoratum annis, Innocentius libro secundo mysteriorum Missæ, cap. XLIX: *Cum,* inquit, *Apostoli forent ad prædicandum Evangelium profecturi, conferentes in unum super articulis fidei statuerunt, ut sicut omnes erant in una fide concordes, sic omnes unam fidem concorditer prædicarent: & ideo Symbolum componentes, unusquisque bolum, id est, particulam unam apposuit.* Similiter Matthæus Westmonasteriensis, qui anno claruit CIƆ CCCLXX. sic enim ille in Chronicis ad an. XXXIII: *Apostoli ituri in orbem universum, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ, Symbolum fidei composuerunt, ut ad nationes profecturi, non diversum, sed unum, omnes prædicarent.*

a Tom. 2. Biblioth. SS. Patrum, edit. 2. p. 1150.

XIII.

Qui vero populi causâ hoc fecisse arbitrantur, eo se tuentur, quod Christus credentes jusserit baptizari; ac proinde opus fuerit, ut baptizandi ederent fidei confessionem: hanc autem brevis esse debuerit, & plena tamen, planaque: qualem nunc Apostolicum esse Symbolum cernimus.

NEmpe bonum est judicium, nisi Ecclesia ab ipsis incunabulis habuisset hoc Symbolum, quale nunc habuimus; carituram fuisse regulâ fidei, & confessionis formulâ in baptismate. Ideo, ex Apostolorum præscripto, adultos disertis id verbis recitâsse, cùm sacro lavacro tingerentur, Feuardentius ait in Irenæum lib. 1, cap. 11: & hujus sententiæ laudat auctorem Clementem lib. VII Constitut. Apostolic. cap. XLI. Subscribereque ei addit Rufinum expos. Symb. Hieronymus epist. ad Pammachium, Ambrosium epist. LXXXI, & serm. XXXVIII, Augustinum serm. CXV, & CLXXXI, de Tempore, Leonem Magn. epist. XIII, Isidorum lib. II de Eccles. Off. cap. XXIII, & Petrum Chrysologum passim.

XIV.

Hæc eorum nunc argumenta perpendemus. Ac primò de fine. Ubi prior ille, quem Rufinus adsignat, prorsus certissimæ derogat veritati doctrinæ Apostolicæ. Siquidem, si metuerint, ne, priùs nisi convenissent de Symbolo quopiam, ad cujus amussim cuncta exigerent, subinde alii ab aliis in doctrina abirent: consequitur, non satis eos certos fuisse de fundamento, sive capitibus religionis Christianæ. Atqui repleti erant Spiritu Sancto; gnari etiam, Deum promisisse, ducturum se eos in omnem veritatem, &, pro occasione rerum, in os iis ingesturum, quod dicerent. Quantò igitur verisimilius alii, quibus placet, aliorum ergo condidisse? Interea hos etiam mirifice ratio fugit, si ab Apostolis credant baptizatum esse neminem, nisi qui hanc formulam recitâsset. Nam primis illis temporibus simplex erat fidei professio, quâ se credere dicerent in Iesum Christum; sive in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

QUod satis liquet ex baptismate eorum, de quibus agitur in Actis Apostolicis. Proinde primis Ecclesiæ temporibus non erat opus formulâ istiusmodi Symboli. Sed exigi cœpit, ubi variæ hæreses in Ecclesiam irruperant; ut postea dicam.

XV.

Quod ex Symboli *nomine argumentum arcessunt, parum firmo nituntur tibicine. Nam largiamur sane, σύμβολον esse* collationem: *sic dici possit, confessionem hanc eo* Symbolum *dici, non quia à pluribus, sed quia ex pluribus, sit collectum. Atque ita iis visum, qui inde nominis originem arcessunt, quia collectum sit ex diversis Scripturæ locis, vel saltem variis religionis capitibus.*

VIdit hoc Cajetanus, qui ad Thomæ secundam secundæ sic scribit qu. 1. art. VIII. *Adverto, quod auctor, articulos fidei ex parte rei creditæ enumerandos arbitrans, distinctionem illam famosam juxta numerum Apostolorum prætermisit eâ ratione; quod* ACCIDIT *articulis fidei, quod vel* AB UNO, *vel* A PLURIBUS *sint. Et simile invenies à Symboli nomine, quod non* A COLLIGENTIUM, *sed* COLLECTORUM PLURALITATE, *definitur, eâdem ratione; quia scilicet accidit Symbolo pluralitas colligentium: in cujus signum Athanasius* SOLUS SYMBOLUM *collegit.*

XVI.

Qui verò dicunt, Apostolos ex iis, quæ fusè scripserant, breve hoc compendium collegisse, eoque Symbolum, *sive* collationem *dici: facilè temporum ratione refelluntur: præsertim autem illi, qui scriptum esse ajunt mox ab accepto Spiritu Sancto. Obstat enim, quòd nec dum ullum tunc scriptum fuerit Apostolicum.*

Sin

a *Annal. Eccles. T. 1. ad an. 44.*

Sin Baronii a magis sententia placet, existimantis, conditum esse eo fere tempore, quo ab Herode sublatus est Jacobus Zebedæi: à veteribus sic abitur; nec multum adeò efficitur; quia nullus ex tot scriptis Evangelistarum, & Apostolorum, vel solitus duntaxat Matthæi Evangelium, tunc exstitit.

UT paullò hoc pleniùs diluceam; qui ex quatuor Evangeliis collectum sit, cùm Joannes, si Hippolyto Portuensi apud Cedrenum credimus, Evangelium demum exararit in Pathmo, regnante Domitiano? nempe jam nonagenarius; ut est apud Epiphanium hæresi LI: si Baronio fides, anno Christi XCIX; quo tempore unus is Apostolus supererat. Dixeris, apud Epiphanium hæresi LI legi, sub Claudio Cæsare è Pathmo reversum: atque, ut Joannes necdum scripsisset, ex tribus prioribus collectum videri. Verùm huic sententiæ obstat, quòd Lucas pertingit usque ad exactum à captivitate Pauli biennium, hoc est, annum Christi LXI. Quomodo saltem Jacobus Zebedæi filius nihil contulerit: quandoquidem is, sexdecim annis antè, anno putà XLIV, ab Herode Antipa fuerat occisus: quod temporum ratio ex Act. cap XII ostendit. Eamque annorum rationem etiam Baronius sequitur. Verùm is, ut dicebamus, mavult conditum esse tempore eo, quo persecutionem exercuit Herodes. Sed sive aliquantò ante necem Jacobi, sive paullò pòst, id factum sit: solum tum Matthæi Evangelium exstabat. Nam Marcus suum signâsse Evangelium putatur anno XLV; putà anno toto pòst excessum Jacobi. Matthæus verò scripsisse creditur anno XLI. Dices, sic quoque XII Apostolos id componere potuisse: quia ad decem illos, qui cum Christo vixerant, (Jacobum enim majorem nunc non annumeramus) accesserant Matthias, & Paulus. Non diffiteor. Sed nego, solidè hoc ex Evangelistis colligi. Ac multò minùs ex iis consequitur, si compositum sit mox ab accepto Spiritu Sancto. Nihil enim apertiùs, quàm ab Apostolis eo tempore nihil fuisse scripto divulgatum.

XVII.

Atque ut sic diceretur, quia ex Scripturis collatio esset facta in summarium quoddam: non eò ab Apostolis compositum sequatur. Nam Apostolici etiam viri, & horum discipuli, potuerint illud ex Scripturis colligere: ut inde Symbolum, *& quidem* Apostolicum, *vocaretur.*

VIdetur hoc sensisse Eusebius Emissenus, vel potiùs Eucherius Lugdunensis, homiliâ primâ de Symbolo. Ubi non ab Apostolis quidem, attamen ab Ecclesiarum Patribus, scriptum ait. Quæ appellatio etiam iis convenit, qui seculis vixere sequentibus.

Nunc verò, ne illud quidem verum est, *Symbolum* significare *collationem*, sive *cœnam collatitiam*, atque ab ejus similitudine hoc fidei compendium *Symbolum* vocari. Qui sic colligunt, confundunt *Symbolam* cum *Symbolo*; cùm veteres cœnam collatitiam non *Symbolum*, sed *Symbolam*, dixerint. Sanè Aristophanis interpreti συμβολὴ δεῖπνόν ἐστι τὸ ἐκ κοινοῦ συμπληρούμενον. Cui adsidet Athenæus circa finem lib. VIII convivantium sophistarum: ubi συμβολὴν esse ait, τὴν εἰς τὸ συμπόσιον ὑπὸ τῶν πινόντων εἰσφερομένην. Indeque est apud Comicum in Andria *b*: *Symbolam dedit.* Sic enim, non *Symbolum*, apud eum legi debere, rectè ex antiquis codd. observatum Gabr. Faerno, Henrico Stephano, Adriano Turnebo, atque aliis. Græci aliter ἔρανον vocant: indeque ἐρανάρχης, qui ἔρανον colligeret, Artemidoro lib. I Oneirocr. cap. XVIII, & XXXVII. A symbola vero *asymboli*, qui sine symbola ad convivium venirent, Terentio Phorm. act. II, sc. II, & Agellio lib. VI, cap. XIII. Ac apud Athenæum legas, Ctesibium Chalcedonensem dixisse, ex philosophia sibi superesse, τέχνην τὸ ἀσυμβόλως δειπνεῖν· *artem absque symbola cœnandi.* Etiam apud eum in VI Dromoni Tithymallus parasitus dicitur ἀσύμβολος δειπνῶν: pro quo mox Dromon ipse subdit, συμβολὰς οὐ καταβάλλεις. Ac Diodorum Sinopensem similiter de parasito loqui, ex eodem Athenæo ibidem cognoscas. Sunt ista Grammatici pulveris, fateor: sed talium ignoratio ipsos sæpe errores invehit in Theologiam.

b *Act. 1. scen. 1.*

XVIII.

Non dubium igitur, quin appellationis hujus ratio potiùs peti debeat ex genuina Symboli *ratione, quâ* tesseram, *ac* signaculum *notat, sive in militia, sive in contractu.*

SAnè Græcis σύμβολον propriè *indicium*, ac *signum* significat: quam significationem cum altera conjunxit Clemens Romanus, sive alius potiùs, lib. I: item Isidorus de Ecclesiasticis Offic. lib. I, cap. XX, ut alios mittam. Intellige indicium, ac signum, quo vel milites dignoscerentur ab hostibus, vel in pactis conventisque loco tabellarum ac syngrapharum interveniret: ut Suidas testis est, ac Turnebus quoque Aristotelis, & Demosthenis testimoniis probat lib. II Adversariorum, cap. XXX. Apud complures legas, σύμβολον *indicium* notare. Et sic quoque Venantius Fortunatus *a* præfat. in Symbolum, & Durandus Mimiatensis Rationalis Divin. Offic. lib. IV, cap. XXV *b*. Sed *judicium* rescribe utrobique.

a *Tom. 2. Biblioth. SS. PP.*
b *Edit. Ven. an. 1581.*

XIX.

Quamobrem non paullò verisimilius est, confessionem hanc fidei eò Symbolum *vocari, quia hac velut tesserâ, ac signo militari, omnes, qui Christo se militari sacramento verè obstrinxerunt, ab desertoribus, & omnibus, qui doctrinam salutarem adulterant, nullo negotio liceat discernere.*

NEque hanc significationem non vidit Rufinus *c*, vel Isidorus *d*. Quamvis enim eorum quoque sententiam adferunt, qui συμβολὴν, & συμβολαί, confuderunt: tamen eâdem adducunt opinionem illorum, qui gnari etiam, *indicium*, & *signum* notare, caussam inde appellationis hanc arcessunt, quòd indicio horum capitum fidei, veros Christianos sit dignoscere ab iis, qui adulterinæ se doctrinæ fuco tales ementiuntur. Rufinum, uti & Isidorum (qui αὐτολεξεὶ *e* priorem exscripsit) audiamus: *Indicium autem, vel signum, idcirco dicitur: quia illo tempore, sicut & Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Judæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus, vel ventris gratiâ, ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco ergo istud indicium posuêre, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis civilibus hoc observari ferunt: quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est, atque eadem instituta bellandi, ne qua doli subreptio fiat, Symbola discreta unusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latinè vel signa, vel indicia, nominantur; ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus Symbolum, prodat, si sit hostis, an socius.* Ac Maximus Taurinensis de Tradit. Symb. *Symbolum tessera est, & signaculum, quo inter fideles, perfidosque, secernitur.* Locum integrum inferiùs adducemus pleniùs. Isidorus lib. VI Orig. cap. ult. *Symbolum signum, vel cognitio, interpretatur.*

c *In exposit. Symb.*
d *Lib. 2. de Eccles. Off. c. 22.*
e *Verbis iisdem.*

XX.

Vel dicamus, non à militari, sed à contractuum tessera, nomen id accepisse. Est enim tessera pacti, quod in baptismo inimus cum Deo.

 Unde

UNde Ambrosius lib. III de Velandis virginibus: *Symbolum cordis signaculum, & nostra militia sacramentum.* Quasi dicat, esse quasi tabellam, quâ cum Imperatore nostro paciscimur, eique nos obstringimus, ut milites sacramento solent. Atque hic quidem ad militarem contractum allusit. Sed universè contractum respicit Petrus Chrysologus homil. LXII, quâ Symbolum hoc Apostolicum interpretatur. Ipsum audiamus: *Placitum, vel pactum, quod lucri spes venientis continet, vel futuri, Symbolum nuncupari, contractu etiam docemur humano: quod tamen Symbolum inter duos firmat semper geminata conscriptio, & in stipulatione cautum reddit humana cautela, ne cui surrepat, ne quem decipiat perfidia contractibus semper inimica. Sed hoc inter homines, inter quos fraus, aut a quo facta est, aut cui facta est, semper lædit: inter Deum verò, & homines, Symbolum fidei solâ fide firmatur: non litera, sed spiritu creditur, & mandatur cordi, non charta: quia divinum creditum humanâ non indiget cautione.* Et mox: *Sed dicis, Qui falli non potest, quid est, quod exigit placitum? quid Symbolum quærit? Quærit ille propter te, non propter se, non quia ille dubitat, sed ut tu credas.* Ex his, & iis, quæ deinceps subdit, liquet, eum putâsse, Symbolum dici, tanquam tesseram pacti indicem cum Deo. Clarè enim ait, in humano contractu duo requiri symbola, hoc est, duas tabellas, quibus quisque se obligat: sed in contractu cum Deo, quia hic fallere nequit, sufficere, ut à nobis, qui fallere possumus, symbolum, sive pactum exigatur: atque id symbolum esse Fidei confessionem, quam edimus baptizandi: ita ut si ab ea fide resiliamus, meritò dicamur pactum rupisse initum cum Deo. Porrò Symbolum pro pacto sumi, legas etiam apud Papiam in Glossis, & exinde apud Gersonem in Theologiæ Compendio, cap. de Fidei articulis.

Duplicem attuli nominis rationem, quarum utraque placuit antiquis. Nonnullis verò aliquanto aliter videtur. Nam, inquiunt, primis tribus seculis pro Symbolo fidei solere dici *confessionem*, vel *expositionem*, vel *regulam fidei*, vel simile; non item *Symbolum*; per quod potiùs intellexisse ajunt *signum sacramentale*: quomodo Origenes in tertio contra Celsum, aquam, vel ablutionem sacram vocat *Symbolum lustrationis*: & in Joannem, *Symbolum purificationis animæ*. Unde colligunt, ablutionem primò *Symbolum* dictam esse: posteà autem *Symboli* nomen etiam *fidei regulæ* sive *confessioni* esse attributum, quia cum ablutione conjungeretur. Mihi sententia hæc novitate suâ est suspectior. Nec caussam video, cur credere oporteat, Romanam Ecclesiam, & Italicas alias, uti Mediolanensem, Aquileiensem, serò adeo hanc significationem accepisse. Rufinus sanè pro regula fidei usurpat non novè, sed ex usu communi: quod satis apertum vel ex inscriptione. Et ante eum Mediolanensis Ambrosius epist. XXXIII, libri V, ait: *Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones, atque tractatum, dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptisterii tradebam basilica.* Scio, Parkerum, virum eruditum *a*, id velle, hic etiam sumi pro aquæ signo. Nempe is, quia dimissis catechumenis, Symbolum traditum dicatur, eò putavit per Symbolum non posse intelligi regulam fidei; ut quæ traderetur catechumenis præsentibus. Sed dies, de quâ loquitur Ambrosius, erat Dominica Palmarum; ut satis indicat, quòd postea ait, captivos ab Imperatore, ob instans Pascha, ex more esse carcere dimissos. Eâ verò Dominicâ Catechumeni intererant lectioni, & tractationi. His dimissis, Competentes instruebantur in mysteriis fidei, quorum Catechumeni nondum essent capaces. Nam Catechumeni quidem prima fidei rudimenta docebantur: at Competentibus ejus perfectio exponebatur. Quod discrimen clarè indicat Cyrillus Hierosolymitanus præfatione suarum catecheseôn *b*: ἦν ποτὲ καὶ σὺ κατηχούμενος, οὐ διηγούμην σοι τὰ προκείμενα. *Fueras & tu aliquando Catechumenus: neque tamen proposita mysteria tibi enarrabam.* Mysteriorum isthæc doctrina erat fidei perfectio. Hinc Augustinus, vel vetus incertus scriptor sub nomine Augustini serm. CXV, in Dominica Palmarum habito: *Symbolum*, inquit, *quod vobis tradituri sumus, fratres charissimi, comprehensio est fidei nostræ, atque perfectio.* Isidorus Hispal. lib. I de Ecclesi. Offic. cap. XXVII. de Domin. Palm. *Hac autem die Symbolum Competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem; ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant; fidem, quam confiteantur, agnoscant.* Quæ ad verbum Rabanus Maurus, more suo nomen scriptoris, unde hausisset, præteriens, exscripsit lib. II de Instit. Cler. ca. XXXV, de die Palm. Atque hæc satis ostendunt, Ambrosio quoque *Symbolum* dici, non aquam baptismatis, sed doctrinam fidei; cujus partem magis arcanam tum docebantur Competentes, hoc est, baptismi sacramenta simul petentes; ut vocem eam exponit Augustinus serm. CXVI, qui est ad Competentes. Et sanè, etsi aliter censeat idem Parkerus, nihil caussæ est, cur aliter sumamus in isthoc Hilarii Pictaviensis libro XII de Trinit. *Conserva hanc conscientiæ meæ vocem, ut quod in regenerationis meæ Symbolo baptizatus in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, professus sum, semper obtineam.* Ubi *Symbolum* sine dubio est, non aqua, sed professio, quâ Satanæ renuntiarent, & Christo se vivere velle profiterentur. Nam in Symbolo dicit se *professum*, & vocat *vocem conscientiæ*. Ubi respicit, quod Petrus I, III, 21, baptisma appellet συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν *a*. Et eodem respiciens Tertullianus de Resurrectione carnis ait: *Anima non lotione, sed responsione sancitur.* Nempe ἐπερώτημα responsionem reddit, quia stipulatio interrogatione, & responsione, constat: nec tam interrogatio Dei, quàm subsequens responsio animæ, intelligitur. Ut igitur demus, veteres Græcos non solere pro fidei regula *Symbolum* dicere: neutiquam tamen inde consequitur, Ecclesiam Romanam, & Italicas alias, atque his vicinas, eo vocabulo in hac significatione abstinuisse. Cur enim veteres non appellatione professionis variare potuerint; quando professionis, ac regulæ ipsius sententiis, earumque ordine, ac verbis, tantopere discreparent? Quare nihil caussæ est, cur putemus, aliunde fidei normam ab Occidentalibus *Symbolum* vocatam; quàm eò, quod hoc signo fideles ab infidelibus discernerentur.

a *Lib. 4. de descensu Christi ad inferos, sect. 12.*

b Pag. 14. edit. Morell. an. 1608.

a *Bonæ conscientiæ interrogationem, sive stipulationem apud Deum.*

XXI.

Nihilo firmius est, cum ex eo, quod Symbolum hoc dici soleat Apostolicum, *colligunt, illud ab Apostolis esse compositum. Nam* Apostolicum *dici potuit, quia compendium sit Apostolicæ doctrinæ, ac præ symbolis aliis, verbis etiam gaudeat Apostolorum, & Evangelistarum.*

QUam rationem etiam adfert Calvinus loco antè ex parte adducto, è lib. II. Institut. cap. XVI. §. XVIII: *Apostolicum autem Symbolum nuncupo, de auctore minime sollicitus. Apostolis certè magno veterum consensu adscribitur; sive quod ab illis in commune scriptum, ac editum, exstimabant; sive quòd compendium istud, ex doctrina per eorum manus traditâ, bonâ fide* COLLECTUM, *tali* ELOGIO CONFIRMANDUM *censuerunt.*

Sanè si Sanfordum, vel Parkerum, audimus, in quarto *b* de descensu ad inferos: sic Nicena Synodus dicitur Apostolica ab Athanasio de Incarnatione Verbi Dei *c*. Signat verò hunc locum: *De divinitate autem istius Synodi Apostolicâ à Patribus ad istum modum scribitur.* Sed si Græca consuluisset vir doctissimus, vidisset rescribendum, *Apostolicè*. Nam Græcè est: αἱ νῦν σύνοδοι γεγράφασιν ἀποστολικῶς. Magis igitur ad præsens institutum facit, locus ille observatus nobis Catechesi XVIII *d* Cyrilli; ubi Symbolum Ecclesiæ Hierosolymitanæ vocatur ἐπαγγελία ἁγίας, καὶ ἀποστολικῆς πίστεως, *traditio sancta, & Apostolica fides.* Aliam etiam rationem, cur, etsi non esset

b *Sect. 10. sive pag. 12.*

c P. 463. *edit. Commel.*

d P. 501. *edit. Morell.*

ab Apostolis traditum, *Apostolicum* tamen dici potuerit, inferiùs adseram; cùm ostendam, Ecclesias alias hoc accepisse ab sede Apostolica, hoc est, Romana, quam duo Apostoli, Petrus, & Paulus, fundassent.

XXII.

De appellatione Symboli Apostolici satis. Alterum argumentum erat, quòd antiqui, (qui, ut temporibus propiores, meliùs ista nôsse potuerunt) Symbolum hoc ab Apostolis esse conditum tradiderint: aliqui etiam hanc sententiam suam traditionem majorum *appellent. Huic argumenta sic primùm occurrimus; quando Rufinus scribit, ita tradidisse majores, Apostolos ejus Symboli esse auctores, in eo plurium quidem sequi opinionem, non tamen id pro certa historia habere.*

ALioqui non postea diceret, §. 20: *Cautissimè autem, qui Symbolum tradiderunt, etiam tempus, quo hæc sub Pontio Pilato gesta sunt, designaverunt; ne ex aliqua parte, velut vaga & incerta, gestorum traditio vacillaret.* Quæ verba penliculans Erasmus, in suo ad Parisiensium Censuram responso, ait: *In media narratione non dicit, Apostoli, sed qui Symbolum tradiderunt; velut incertus, à quibus id factum sit.*

XXIII.

Etiam huic sententia multùm derogat, quòd ante annum quadringentesimum nemo sic scripsisse videatur; neme etiam aliquantò pòst; nisi in Romana, vel Italica, vel saltem Occidentali, degeret Ecclesia.

NAm horum duntaxat sunt testimonia superiùs adducta. Adde quòd supposititia videantur quædam. Sanè sermo ille cxv, unde probat Baronius, quam Apostolus quisque sententiam dixerit, ab aliis pro genuino non habetur: quod Baronius ipse agnoscit. Mihi sic videtur, illa de sententiis, ab unoquoque Apostolorum dictis, priùs fuisse ab aliquo adscripta ad latus: postea verò esse in contextum inserta. Sanè, iis deletis, meliùs omnia fluunt. Primùm inquit, *Symboli colligitur brevitate: cujus textum vobis modò, Deo annuente, dicemus. Modò*, inquit, se dicturum; hoc est non continuò, sed paullùm pòst. Deleantur ergo hic duodecim Symboli sententiæ, quæ cum Apostolorum nominibus continuò subjunguntur. Ita appositè sequetur: *Audite ergo, fratres charissimi &c.* Et post pauca: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & reliqua, sicut suprà.* Augustinus, vel quisquis ille scriptor, integrum hic apposuit Symbolum; cujus verba ipsa se dixerat proximè subditurum. Sed librarius, qui id prius contextui inseruerat, ne in *ταυτολογίαν a* incideret, delevit id præter primordium: sequentium autem loco reposuit, *Reliqua, sicut suprà.* Sanè Symbolum fuisse recitatum, ostendunt, quæ præeunt. Nec humiliæ conveniens fuisset dicere, *Et reliqua, sicut supra.* Sunt nempe ista, ut dixi, à librario: qui, ubi ex ora libri illa in contextum retulisset, repetere eadem supervacuum putavit. Nisi magis placet, non errorem, sed fraudem esse librarii, sermonem illum sic corrumpentis, ut auctoritate magni Augustini faciliùs persuaderet, quod persuasum vellet; putà singulos sic Apostolos sententiam ad Symbolum contulisse. Integrè verò recitatum esse, ut præcedentia ostendunt, hæc etiam docent, quæ proximè subduntur: *Ergo, dilectissimi, hæc verba non humana, sed Domini cælestia sunt sacramenta; quæ in vestris cordibus, ipsius misericordiâ præstante, resideant.* Ac postea demum particulatim Symbolum repetit, & difficilioribus sententiis explicationem subdit. Quare is scriptor primò quidem Symbolum recitavit continuè, sive perpetuâ oratione: deinde idem fecit oratione concisâ, ac interpretationibus suis interruptâ. Parum autem verisimile fiat, in brevi adeò sermone ter posuisse. Quod consequatur, si recitârit primò, ut cognosceretur, quam Apostolorum quisque sententiam contulisset, atque inde repetisset; tum tectà transiisset ad particularem recitationem, eamque explicationibus permixtam. Quod factum non esse, ostendunt satis verba & antè, & pòst, interserta. Hæc pluribus sum persecutus, partim ut, quæ in sermone illo genuina, quæque spuria sint, aperirem; partim etiam, ne quis Augustinum credat singulis Apostolis suam in Symbolo adsignâsse sententiam, & ita adsignâsse, ut, quæ cujusque fuerit, Ecclesiæ vellet persuadere dicam, an obtrudere.

a Ineptam ejusdem rei repetitionem.

Adversus verò id, quod dicebamus, neminem ita ante annum sensisse quadringentesimum, obducunt Clementem Romanum epist. 1. ad Jacobum; ubi ait: *Christo resurgente, & adscendente in cælum, misso Sancto Spiritu, collatâ Apostolis scientiâ linguarum, adhuc in uno positi, Symbolum, quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unusquisque, quod sensit, dicendo, condiderunt; ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Hoc loco pugnat Feuardentius in Irenæum lib. 1. cap. 11: eundemque adducit Genebrardus in III de Trinitate a. Sed non id dicit Clemens, Apostolos singulos sententias singulas contulisse: verùm illud modò, communi suffragio hoc Symbolum fuisse confectum. Atque ut aliter quis ejus verba capere velit: satis apertum est, epistolam illam non esse Clementis; quandoquidem ea inscribitur B. Jacobo, fratri Domini, qui octennio decessit ante B. Petrum. Quippe B. Jacobus anno Neronis VII; B. Petrus anno ejus XVI obiit: ut testis est B. Hieronymus libro de viris illustribus. Atqui in ea Clementis epistola mentio fit obitus B. Petri. Quæ manifesta est *ἀντιλογία b*, etiam Turrecrematæ, & Possevino, animadversa; nec dissentiente Bellarmino. Baronius idcirco, non Jacobo, sed Simeoni, fratri Domini, ait inscribendam. Verùm invitis omnibus libris. Genebrardus tertium comminiscitur Jacobum; sed valdè adversante Hieronymo adversus Helvidium c; ubi sic scribit: *Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus, quomodo est frater Domini putandus? & quomodo tertius ad distinctionem Majoris appellabitur Minor, cùm major, & minor, non inter tres, sed inter duos, soleant præbere distantiam; & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente: Deinde post triennium veni Hierusalem videre Petrum, & mansi apud illum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum, fratrem Domini.* Pluriaque ibidem in hanc mentem legas.

a P. 130. ed. Paris. an. 1585.

b Contradictio.

c Edit. Bas. anni 1553. pag 10 & 11. alias cap. 7.

XXIV.

Vidimus, quàm invalida sint argumenta, quibus adstruere adnixi, Apostolos esse hujus Symboli conditores. Deinceps ostendam, qui veri sint auctores. Hos statuimus non alios, quàm Episcopum, ac clerum Romanum. Atque ita ut credamus, hoc compellimur argumento. Quod Symbolum nec ab Apostolis, nec à Synodo ulla generali, factum est; adhæc nec in Græcis, nec in Orientis ullis Ecclesiis, obtinuit; sed in Ecclesia Romana; inque ea tamdiu anno jam quadringentesimo personuerat, ut tunc traditio haberetur Apostolica; quod item ab Ecclesia Romana ad alias Occidentis Ecclesias derivatum constat; Orientis Ecclesiis alia interea Symbola usurpantibus: id Symbolum ii composuerunt, qui Romanæ Ecclesiæ præessent. Atqui nihil non horum convenit Symbolo, quod Apostolicum *vocatur. Romanæ igitur Ecclesiæ Episcopus, ac Presbyteri, illud condiderunt.*

ARgumentum, quo hæc subnixa est sententia, pluribus constat partibus: de quarum singulis ordine agemus.

mus. Ac primò ostendam, non esse hoc Symbolum ab Apostolis constitutum: deinde non esse ab Synodo œcumenica. Postea probabo, alia Græcis, atque Orientis Ecclesiis, Symbola in usu fuisse, quàm Romanum. Denique demonstrabo, jam circa annum quadringentesimum, tam antiquum ejus usum fuisse; ut Ecclesia Romana, & his vicinæ, sibi persuaderent, ab Apostolis se illud accepisse.

XXV.

Symbolum hoc non fuisse ab Apostolis concinnatum, eo adstruimus, quòd si Apostoli, sive soli, sive unà cum CXX viris; sive item mox ab adscensione Christi, sive decennio pòst; istoc fecissent; non ipsi in Epistolis, ac B. Lucas in Actibus Apostolicis, tanti rem momenti ignorare sivissent Ecclesiam Catholicam.

ALiqui sic occurrunt, Lucam non tam Actus Apostolicos scribere proposuisse, quàm B. Pauli, cujus esset comes. Atqui negare non possunt, XII primis capitibus ea exponi, quæ vel ab Apostolis communiter, vel à quibusdam singulariter, gesta sunt. Urgent porrò, quod nonnisi post caput XII aggrediatur, quæ unius Pauli historiam imprimis spectarent. Non diffiteor: verùm sic quoque hæc Lucas fuerat narraturus. Quippe si Apostoli, extra Judæam, ob persecutionem Agrippæ, abituri, eam fidei normam condiderunt: hæc referenda erat cap. XII: ubi memoratur persecutio illa, quà sublatus Jacobus major, ac Petrus in carcerem conjectus, unde divinitus fuit liberatus. Sanè videmus, B. Lucam. Act. XV. ea etiam commemorare, quæ ad ceremonias, ac res adiaphoras, pertineant. Et decreta ea præteriturum credamus, quibus Apostoli statuerint de fidei norma, unde salus nostra dependeat?

Atque ut præteriisset B. Lucas; nemone, nòn B. Paulus, non Apostolorum alius, in Epistolis suis rem tantam verbo attigisset?

Et si Apostoli illud, ut ajunt, constituêre in Concilio, vel etiam dictarunt: quomodo, cùm soleant consiliorum acta conscribi, Symbolum non erit pars Scripturæ Canonicæ? Quod autem Concilium, quis Sanctorum Patrum, dum canonem refert Scripturæ, in eo Symbolum hoc reposuit?

a Non scriptas. Dicent, pertinere ad traditiones ἀγράφους a: atque
b Ad Pammachium cap. 9. hinc Hieronymum b: & alios, quos antea adduxi, ita tradere, non scriptum fuisse in charta, & atramento; sed tabulis cordis carnalibus.

c Non scripta. Aliquid dicerent, nisi normam fidei esse vellent, quam à baptizandis exigi oporteret. Nam ἄγραφα c illa non ulteriùs spectare potuerunt, quàm regimen, ac ritus Ecclesiæ, vel si ad dogmata etiam pertinerent, utilia quidem fuerint, non tamen ex iis, quæ creditu, speratu, factu sint necessaria: quorum nihil non, ac perspicuè satis, in Scripturis enarratur.

XXVI.

Atque hæc eo quoque confirmantur, quòd postea Romana Ecclesia, etsi pro certo haberet, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere; tamen tardè adducta, ut vocem unam, FILIOQUE, Symbolo adderet Constantinopolitano. Si enim tanta fuit veneratio Patrum CL, qui Constantinopoli fuerant congregati, & canonibus suis quædam constituerant Romanæ non minus, quàm Alexandrinæ sedi adversa: quis non videt, majori iis religioni futurum addere illi Symbolo, quod Apostoli condidissent.

PLaniora hæc fient dissertatione tertiâ: ubi dicemus, quando illud, FILIOQUE, Symbolo sit appositum.

XXVII.

Attamen demus illis, ut iis Apostolico ipsi Symbolo addere quædam non fuerit religio, quia sic ob novas hæreses usus exigere videretur: cùr etiam fas duxerint demere complura? Cui illud fini, nisi ut hæreses latius pullularent?

VIdemus enim, primis seculis multa in hoc Symbolo non fuisse. Si igitur istud Symbolum Apostoli scripsetant, uti habemus: fatendum, sanctos illos primitivæ Ecclesiæ Patres multa ex illo resecuisse. Quo quid irreligiosius dixeris, aut finxeris?

XXVIII.

Alterum est argumentum, quod ex tot Ecclesiasticæ Historiæ scriptoribus ejus Symboli meminerit nemo.

AT cui verisimile fiat, eos, qui studiosè adeò, & synodorum, & antisynodorum, & conciliorum, quæ componere patres studerent, confessiones scriberent; uti à Socrate, & aliis, in Arriano esse negotio factum videmus; tam pertinaci silentio præterituros rem omnium maximam? quomodo nempe fidei regulam, à Christo in cœlos adscensuro traditam, unanimi consensu explicuissent Apostoli, priusquam Hierosolymis ad gentes abirent. Præsertim si, ut ajunt, id fecere, partim ne ipsi, vel
συνεργοί a eorum, inter se postmodo dissiderent; partim a Cooperarii.
ut Ecclesiæ, quas fundarent, semper haberent normam, quâ fideles ab infidelibus discernerentur.

XXIX.

Tertium in acie hac locum isti damus argumento, quòd si Symbolum istoc ab Apostolis esset confectum, etiam omnibus orbis Ecclesiis esset traditum. Atqui hoc si foret, nunquam sanctis Patribus in mentem venisset tot symbola, ac confessiones cudere, quæ perfectione multùm cederent Symbolo, quòd Apostolorum vocatur.

QUantò igitur verisimilius est, eò tam multos nova composuisse, subinde non æquè bona, quia illud plenius planiusque nondum exstaret? Atque hoc facilè concesserit, qui sciat, primitus simplicem hanc formulam à baptizandis exigi solere, num crederent in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Ad quam Christus ipse, cum prædicandi munus institueret, præivit: ut videmus Matth. XXVIII, 19. Sed non licuit per hæreticos in ea simplicitate permanere. Hæretibus igitur obortis, quarum architecti, vel patroni, sese pro Christianis venditarent, ac miserè seducerent imperitos, coacti sunt addere alia, quibus Ecclesiæ doctrina ab hæretica, item Ecclesiæ filii ab hæreticis, & eorum sectatoribus, secernerentur. Ita una illa, quam diximus, sive triplex malis baptizandorum sententia, multò plures ex se peperit.

XXX.

Quartum est argumentum, quòd si Symbolum iis sententiis, eo ordine, istis verbis, ab Apostolis esset compositum, atque ita Ecclesiæ Catholicæ traditum foret: non jam circa annum quadringentesimum, pro diversis Ecclesiis, diversa fuissent symbola; inque hac Ecclesia his, in alia aliis verbis, imò hic longè pluribus, alibi paucioribus multo sententiis, constitisset. Ea diversitas patebit symbola varia conferenti. Sed primo suffecerit loco tria symbola conferre; Aquilegiense, quod Rufinus exposuit; & Romanum, ac præterea Orientale; quibuscum Aquilegiense idem contulit.

Per

PEr Orientale verò non intelligendum est Nicenum, vel Constantinopolitanum: sed aliud, quod ante ea in Orientis obtinuit Ecclesiis. Neque enim putandum, Romanam, & Occidentis Ecclesias, ante Nicenam Synodum Symbolum suum habuisse; Orientis Ecclesias non item. Cur enim non par ratio sit Ecclesiæ Orientis, ac Romanæ? cui, ante Concilium Nicenum, suum fuisse Symbolum, vel verba hæc Vigilii indicant lib. IV. de Eutyche, ubi sic scribit: *Universitas profitetur, credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum, Filium ejus, Dominum nostrum. Huic capitulo ob id iste calumniatur. Cur non dixit: In unum Jesum Christum, Filium ejus, juxta Niceni decretum Concilii? Sed Roma, & antequam Nicena Synodus conveniret, à temporibus Apostolorum usque ad nunc, & sub beatæ memoriæ Celestino, cui istè rectæ fidei testimonium reddidit, ita fidelibus Symbolum tradidit: nec præjudicant verba, ubi sensus incolumis permanet.* Et profectò si Rufinus, cùm aliqua dicit in Orientis Symbolo addi, Nicenum, vel Constantinopolitanum, in animo habuisset: non ea modò, quæ nunc adfert, addita monuisset; sed multa alia, quæ fuere adversus Arrium, & Macedonium, adjecta. Quare Erasmo adsentiendum; qui in Responsione ad Parisiensium Censuram Tit. XI, colligit inde, intelligi breve earum Ecclesiarum Symbolum, quod ante duo memorata Symbola fuerat in usu.

XXXI.

Ac caput quidem primum vulgaris Symboli sic habet: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. *In paucis verbis trifariam variabant Aquilegiense, Romanum, & Orientalium Ecclesiarum Symbolum. Primum in eo, quod Orientales dicerent*, Credo in UNUM Deum Patrem omnipotentem. *Deinde quod in Aquilegiensi, Romano, ac, ut videtur, etiam Orientali, omitteretur,* Creatorem cœli & terræ. *Denique quod in Aquilegiensi Symbolo, Orientalium, credo, exemplo, post* omnipotentem, *adderent*, invisibilem, & impassibilem.

DE primo sic Rufinus §. 4: *Orientis Ecclesiæ omnes ita tradunt, Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.* Et §. 6: *Quod autem diximus, Orientis Ecclesias tradere, unum Deum Patrem hoc modo intelligendum est, unum non numero dici, sed universitate.* Quæ verba deinde pleniùs exponit. In vett. tamen, & melioribus libris, sic apud Rufinum ex Aquilegiensi Symbolo legas: *Credo in Deo Patre omnipotente.* Quod non gravi satis causâ Pammelius in accusandi casum immutavit. Interea levius hoc, quàm ut super eo reciprocem contentionis serram.

De secundo discrimine ex eo colligitur, quòd verba ista, *Creatorem cœli, & terræ*, Rufinus in Aquilegiensi non habet; nec explicat, nec monet ea addi in Romano. Ac præterea Novatianus, qui sesquiseculo ante Rufinum vixit, optimeque consuetudinem nôrat Romanam, (quippe presbyter Romanus, imò & adversus Cornelium Papam vitio creatus Urbis Episcopus) sic orditur Regulam fidei, sive, ut nunc vocamus, librum de Trinitate: *Regula exigit veritatis, ut primò omnium credamus in Deum Patrem, & Dominum omnipotentem, id est, rerum omnium perfectissimum conditorem.* Non eam *Omnipotentis* interpretationem addidisset Novatianus, si in regula fidei, sive symbolo, tum continuò subjici verba hæc solerent. Suo etiam loco dicemus, non haberi in Niceno.

De tertio discrimine clarè sic Rufinus §. 7, postquam explicuisset *omnipotentis* elogium: *His additur, indivisibilem & impassibilem. Sciendum, quod duo illi sermones in Ecclesia Romana Symbolo non habentur: constat autem* APUD NOS, *additos hæreseos caussa Sabellii: illius profectò, quæ à nostris Patripassiana appellatur; id est, quæ patrem ipsum, vel ex virgine natum dicit, & visibilem factum, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas, videntur hæc addidisse Majores.* De eodem Erasmus in Responsione sua ad censuram Theologorum Parisiensium scribit in hunc modum: *In priore articulo Orientales Ecclesiæ non solùm legunt, in Deo Patre omnipotente; sed addunt, invisibili, & impassibili.* Ubi pro *in Deo*, ut in Apologeticorum tomo editum, rescribe, *in uno Deo*; quod Erasmum voluisse, liquet ex iis, quæ proximè præmiserat. Quod verò idem Orientales ait addere, *invisibilem, & impassibilem*: id Cyprianus, vel potiùs Rufinus, non dicit: sed ait ille; *Apud nos additum*, hoc est, Aquilegienses: quorum presbyter erat Rufinus. Verisimile tamen, id Aquilegiensem Ecclesiam Orientalium exemplo apposuisse.

XXXII.

Alterum Symboli caput, sic vulgo habet: Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum. *Ubi eâdem mente Aquilegiense:* Et in Christum Jesum, unicum filium ejus, Dominum nostrum. *Sed Orientales & hic*, unum Dominum, *dicere maluerunt.*

RUfinus §. 4: *Orientis Ecclesiæ omnes ita tradunt, Credo in unum Deum Patrem omnipotentem: & rursum in sequenti sermone, ubi nos dicimus, Et in Jesum Christum, unicum Filium ejus, Dominum nostrum; illi tradunt, Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium ejus. Unum scilicet Deum, & unum Dominum, secundum auctoritatem Pauli Apostoli profitentis.* Addit deinde, *Sed de hoc in competentibus locis repetemus.* Quod facit §. 11. Mirum verò Gallum Episcopum, Venantium Fortunarianum, qui duobus penè seculis junior Rufino, præterire illa verba, *Dominum nostrum.* Nam post ista, *Et in Iesum Christum, Filium unicum*; sic scribit; *Ille, qui de Patre ante secula natus est; postea de Spiritu Sancto ejus templum in Virgine fabricatum intelligendum est.*

XXXIII.

Caput tertium nunc vulgo habet, Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. *Ubi Aquilegiense*, Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.

UT Rufinus indicat §. 12. Natus dicitur de Spiritu Sancto, quomodo Angelus dixit Josepho: *Quod in ea natum, ex Spiritu Sancto*: Græcè γεννηθὲν, quod tam ad conceptum, quam editum pertinet fœtum. Atque ita quoque legas apud Alcuinum lib. III. de Trinitate, cap. I: *Dicitur in Symbolo Catholicæ fidei, quòd Christus de Spiritu Sancto, & ex Maria Virgine sit natus.* Sed ne in conceptu humana videretur fuisse concupiscentia; eò postea maluerunt, *Conceptum de Spiritu Sancto.*

XXXIV.

Quartum caput sic vulgari in Symbolo effertur: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos. *Ubi Aquilegiense Symbolum*: Crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus, descendit ad inferna. *Præterit igitur & de passione, & de morte. Romanorum vero Symbolum descensum ad inferos omisit, ac similiter Symbola Orientis.*

DUplex hic discrimen videmus: priùs de passione, & morte, utrâque in Aquilegiensi Symbolo præteritâ. Non incuriâ id factum, nedum malitiâ. Nam quòd

passus

passus est, sub eo, quòd crucifixus fuit, continetur. Nec mortuum additur, quia partim in eo comprehenditur, quòd crucifixus dicitur; partim illo, quòd sepultum, imò & resurrexisse subjicitur. Crucifiguntur enim, ut moriantur: nec nisi certò mortui sepeliuntur: postquam verò sepulti, resurgunt. De altero autem sic Rufinus §. 20: *Sciendum sane est, quòd in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum, Descendit ad inferna: sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quòd sepultus dicitur.*

XXXV.

Caput Symboli quintum est, Tertia die resurrexit à mortuis. *Nisi quòd aliqui superiori capiti subdunt de descensu ad inferos: alii huic capiti præmittunt. Porro in resurrectione omnia Symbola conveniunt.*

QUid mirum, quando absque eâ fuit universa religio Christiana?

XXXVI.

Caput sextum est, Adscendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris.

UBi nullum Rufinus in Aquilegiensi, Romano, Orientali Symbolo discrimen observat. Aliqui pòst *Patris*, addunt, *Omnipotentis*: quod hic etiam est in Symbolo Athanasiano. Sed nihil necesse fuit repetere, quod in primo hujus Symboli capite continetur.

XXXVII.

Septimum caput est, Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

UBi nullum item discrimen aperit Rufinus. Fortasse tamen variatum in verbis, quando Venantius Fortunatus non habet, *Unde venturus est ad judicandum*: sed simpliciter, *judicaturus vivos, & mortuos.*

XXXVIII.

Octavum caput est, Credo in Spiritum Sanctum. *Ubi in Aquilegiensi Symbolo, omisso credendi verbo, simpliciter est*, Et in Spiritum Sanctum *Nempe tum ut videatur, non nunc incipere Symbolum; tum quia* credendi *verbum ex initio intelligitur.*

ADde quòd cùm initio solùm esset, *Credo in Deum Patrem, & in Iesum Christum, & in Spiritum Sanctum*: postea etiam, multis insertis, remanserit vetus formula, *Et in Spiritum Sanctum*: cui posteriores *τὸ credo*, quod ἀπὸ κοινοῦ antea erat animo supplendum, majoris claritatis causâ præmiserunt.

XXXIX.

Nonum caput est, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. *Aquilegiense bifariam abiit: ac primum, quia omisit* Catholicam.

IN Pamelianâ tamen editione apponitur *Catholicam*: at non item de communione Sanctorum. Sed vox *Catholica* nimis est liberaliter adjecta. Aliter libri veteres. Et si Rufinus agnovisset, vocem eam explicuisset. Neq enim usque adeò levis est momenti. Quid autem mirum, si non legatur apud Rufinum, cùm nec habuerit Augustinus? Ut qui in Symboli explicatione, postquam deventum ad sanctam Ecclesiam, declarationis causâ apponat, *Utique Catholicam*. Et intelligitur ex *sanctam*: cùm non alia sit sancta, quàm Catholica. Imò Apostolorum ætate nondum obtinebat consuetudo, ut Christiani dicerentur *Catholici*: quemadmodum epistolâ primâ ad Symphorianum scripsit Pacianus: qui tempore vixit B. Hieronymi. Unde Witakerus, opere de Ecclesia, colligebat, nec *Ecclesia Catholica* nomen obtinuisse temporibus Apostolicis. Imò & Franciscus Picus credidit, sententiam de Ecclesia Catholica post synodum Nicenam accessisse: nempe contra hæreticos, & schismaticos. Nec ignarum mihi, putare multos, *Catholicam* dictam, ut distingueretur ab Judæorum synagogis, terræ Canaan limitibus circumscriptis. Sed parum id verisimile fit, cùm Apostolorum ætate non in Palæstina modò, sed etiam extra illam, religione fuerint Judæi; quin plures, quàm in Palæstina. Eoque magis fit verisimile, *Catholica* nomen apponi cœpisse, ut Ecclesia, quæ toto orbe obtineret, distingueretur à conventiculis hæreticorum, & schismaticorum, quales Novatianorum, & postea Donatistarum.

XL.

Præterea Symbolum Aquilegiense non habuit de communione Sanctorum.

QUa de re pluribus inferiùs dicam.

XLI.

Caput decimum vulgaris Symboli est, de credenda remissione peccatorum.

AC similiter Rufini tempore Symbolum Romanum.

XLII.

Caput XI est de credenda resurrectione carnis. Ubi Aquilegiense Symbolum habet hujus carnis.

RUfinus §. 42. *Et ideò satis cautâ, & providâ adjectione Ecclesia nostra* (Aquilegiensis) *docet, quæ in eo, quod à cæteris traditur*, CARNIS RESURRECTIONEM, *uno addito pronomine, tradit*, HUJUS CARNIS RESURRECTIONEM. *Hujus, sine dubio, quam is, qui profitetur, signaculo crucis fronti imposito contingit.* Idem Rufinus apologiâ suâ adversus B. Hieronymum a: *Cùm omnes Ecclesiæ ita sacramentum Symboli tradant, ut postquam dixerant peccatorum remissionem, addant carnis remissionem: sancta Aquilegiensis Ecclesia, ubi tradit carnis resurrectionem, addit unius pronominis syllabam; & pro eo, quod cæteri dicunt, carnis resurrectionem, nos dicimus, hujus carnis resurrectionem: quo scilicet frontem, ut mos est in* FINE SYMBOLI, *signaculo contingentes, & ore carnis hujus, videlicet quam contingimus, resurrectionem fatentes, omnem venenatæ adversum nos linguæ calumniandi aditum præstruamus.* a Tom. 4. pag. 204. edit. Basil. an. 1553.

XLIII.

Et hic desiit Symbolum Aquilegiense, ac Romanum. Postea verò accessit caput de credenda vita æterna.

QUod olim abfuisse, indicat Rufinus, partim in proximè allatis verbis ex apologia ejus; ubi caput de hujus carnis resurrectione clare *finem Symboli* vocat: partim in expositione Symboli §. 40. quo loco caput de resurrectione appellat *ultimum sermonem*. Ita enim ex MSSis expressit Erasmus. Quod veterem secutus editionem Pamelius mutavit, *ulterius* pro *ultimus* reponendo. Quamquam sic quoque reluceat, quod diximus; quia dicitur hoc capite de resurrectione Symbolum fuisse conclusum. Verba apponam: *Sed ultimus iste sermo, qui resurrectionem pronuntiat, summam totius perfectionis succinctâ brevitate concludit.* Ac puto, idem velle B. Hieronymum, cùm

cùm ad Pammachium *a* sic scribit: *In Symbolo fidei, & spei nostræ, (quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, & atramento; sed in tabulis cordis carnalibus) post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur b.* Nec in enarratione hujus Symboli ultra Resurrectionem carnis progreditur Clementianus Fortunatus *c*.

a *Tom.* 2. *pag.* 173. *edit. Basil. an.* 1553.
b *Forte* & *hic legendum,* concluditur.
c *Tom.* 2. *Bibliothecæ SS. Patrum, col.* 1554.

XLIV.

Ex hisce omnibus ita colligimus, quandoquidem nec anno quadringentesimo Symbolum hoc eopse modo recitaretur; sed quædam Ecclesiæ adderent, quæ in hoc Symbolo non leguntur; quædam aliter efferrent, quàm hic legitur; atque etiam, (quod saltem eas in Apostolico Symbolo facere reverentia prohibuisset) multa præterirent, quæ nunc in eo continentur: neutiquam illas hoc Symbolum pro tali habuisse, quod sic ab Apostolis esset traditum.

ABunde igitur ex tam multis dilucet, Symbolum, quod *Apostolorum* vocatur, non esse ab Apostolis conflatum.

XLV.

Porrò hoc Symbolum non esse confectum ab Synodo ullâ œcumenicâ, satis esse apertum arbitror. Quippe si ab aliqua earum foret, hæc Nicena esset, vel Constantinopolitana: quæ sola fuere ante annum quadringentesimum; quo tempore jam Symbolum hoc perfectionem suam propemodum erat consecutum: ut ex enarratione Symboli à Rufino scriptâ constat; item illis Sermonibus, quibus Augustinus Symbolum interpretatur. Atqui nec à Nicena est Synodo, nec Constantinopolitanâ; quia utraque proprium condidit Symbolum, verbis sententiisque ab hoc Apostolico multum discrepans. Accedit ad ista, quod Symbolum hoc integrum propè habebatur ante Synodum Constantinopolitanam; ac jam Rufini ætate, qui Synodi ejus tempore vivebat, antiquissimum credebatur.

SAnè ejus vetustatis habitum, ut ab Apostolis ipsis traditum putarent: quod satis ex Rufino constat, ut de Leone M. *d* taceam. Atqui Rufinus, uti post Synodum Constantinopolitanam claruit, ita & ante eam in pretio erat. Siquidem anno CCCLXXII, novennio ante Synodum Constantinopolitanam, Româ cum Melania profectus est Alexandriam; literæque Hieronymi supersunt ex eremo Syriæ tum temporis ad Rufinum exaratæ *e*. Etiam ex Palladii Lausiacis idem cognoscitur *f*. Atque ex his etiam colligimus, falli illos, qui Symbolum Apostolicum ex Constantinopolitano esse factum arbitrantur. In his est vir eruditus Joannes Rodolphus Lavaterus de Descensu Christi ad inferos lib. I, part. III, cap. XV; ubi sic scribit: *Hanc (Synodi Constantinopolitanæ) confessionem ego postmodum, paucis immutatis, pro Symbolo Apostolico venditatam firmissime credo.* Sanè tantum abest, ut Symbolum Apostolicum sit factum è Constantinopolitano; ut si alterum ex altero esset, Constantinopolitanum potiùs fuerit ex Apostolico. Sed magis differunt, quàm ut dici hoc possit. Longeque mihi verisimilius fit, Constantinopolitanum, aliquibus additis, factum esse ex Hierosolymitano. Cum eo enim verbis, sententiisque, multùm convenit: ut liquet ex collatione utriusque Symboli, quam superiùs instituimus.

d *Epist. ad Pulcheriam, verbis superius adductis.*
e *Epist.* 5. & 41.
f *Cap.* 33.

XLVI.

Tertio loco me probaturum receperam, alio Orientalem Ecclesiam Symbolo usam, quàm eo, quod Apostolicum *vocatur. Fuit autem huic Symbolum triplex; vetus, Nicenum, & Constantinopolitanum. Vetus nuncupo, quod obtinuit ante Synodum Nicenam.*

NEque enim putandum, Occidentis Ecclesias, uti Romanam, Africanam, alias, habuisse Symbolum aliquod, simplici Trinitatis confessione majus, Niceno minus; Orientis verò Ecclesias eo caruisse. Aliud vel Rufinus docuerit, quando Aquilegiense Symbolum cum Romano confert, & Orientali: ubi non intelligere Nicenum, vel Constantinopolitanum, ex eo superiùs collegimus, quòd alioqui multò plura esse addita, monuisset nos Rufinus.

XLVII.

Quod verò illud vetus Symbolum fuerit, non potest exactè adeò præfiniri; quoniam ut in Occidentis Symbolis variatum, ita etiam in Orientis factum videtur. Attamen, cùm non magnum adeò id discrimen fuerit; credibile est, Nicenos Patres, cùm adversus Arrium aliqua essent veteri apponenda Symbolo, illud elegisse, quod in plurimis, vel nobilissimis Ecclesiis, obtineret. Quare existimo, nos Vetus, vel ei proximum, habituros Orientis Symbolum, si ab Niceno resecemus, quæ adversus Arrium statuta sunt.

FUerit eo pacto Symbolum hujusmodi, vel non multùm absimile: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Qui propter nos homines, & nostram salutem, descendit de cælis, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die à mortuis, & adscendit in cælos, & iterum venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.* Fortasse tamen *omnipotentem* non fuerit in veteribus Orientis Symbolis; vel saltem non in cunctis, *omnium visibilium, & invisibilium factorem.* Nam tacet de eo Rufinus: nec verba illa fuere in Symbolo Romano, vel Aquilegiensi; imò ne quidem hæc *ἰσοδυναμοῦντα a*, *creatorem cæli & terræ*; ut superiùs vidimus. Existimet aliquis, post illa de Spiritu Sancto, etiam in veteri Orientis Symbolo fuisse hæc verba: *In unum baptismum pœnitentiæ; in remissionem peccatorum; & in unam sanctam Catholicam Ecclesiam; & in carnis resurrectionem; & in vitam æternam.* Nec sanè multùm sic opinanti adverser. Quippe sic ea post caput de Spiritu Sancto leguntur in Symbolo Hierosolymitano; ut ex Cyrillo inferius liquebit. Scripsit autem Cyrillus ante Synodum Constantinopolitanam; ut non videantur ex ejus Concilii Symbolo apposita. Sed si ea verba jam ante Synodum Nicenam in Orientis Symbolo fuissent; non illa in eâdem essent omissa. Quippe non huic Synodo de veteri Symbolo capita quædam detrahere; sed quædam pleniùs & planiùs dicere, propositum fuit. Proinde ita mihi videtur, ea verba Hierosolymitano Symbolo post Nicenam Synodum esse adjecta. At quando id factum videatur, posteà commodiùs exponam.

a *Tantundem valentia.*

XLVIII.

Eò autem credibilius est, Nicenos Patres, quantum poterant, retinuisse verba Symboli in Oriente, ubi Arrii dogma grassabatur, maximè recepti: quia alioqui visi fuissent simplicioribus novam etiam fidem condere. At nihil periculi erat, reservatis antiqui Symboli verbis: quia satis sic paruit, quædam tantummodo explicatiùs dici.

ATque hoc eo etiam firmare mihi posse videor: quòd nec Patres Constantinopolitani de novo laboraverint Symbolo; sed contenti fuerint, Niceno quædam apponere adversus Macedonium.

XLIX.

Nec postquam Symbolum Nicenum conditum est, eo prorsus in oblivionem venit Orientale vetus. Alioqui illud non recitaret Rufinus, cumque eo Aquilegiense Symbolum conferret.

UT vel hinc non obscurè diluceat, vetus Orientis Symbolum, seu vetera malis Symbola dicere, circa annum etiam quadringentesimum permansisse. Nempe, sicuti videmus, Romanam Ecclesiam, postquam Symbolum accepit Nicenum, non abjecisse vetus; sed utrumque in pretio habuisse.

L.

Accedit, quòd post Nicenam Synodum, maximè temporibus Constantis Imperatoris, Arriana hæresis totum pene orbem infecerat. Ut dubium non sit, quin innumeri tum fuerint, qui neglecto Symbolo Niceno, amplexarentur Vetus: neque hi ex Arrianis modò, sed aliis etiam, qui in tanto doctissimorum hominum dissensu, mire fluctuarent: eoque, contenti Symbolo majorum, nihil certi figurarent, vel figurare etiam opus esse arbitrarentur.

QUis enim ignorat Hieronymi illud, ingemuisse orbem, ac miratum, se factum esse Arrianum? Vel quem fugiunt tot synodi, & antisynodi, tum temporis habitæ in caussa Homousianorum, ut vocabant, & Arrianorum? Quis casum etiam nescit, & magni illius Osii, & Papæ Liberii; ut alios mittam? Ut mihi quidem pro certissimo sit, multos admodum hæsisse incertos, vel etiam non satis ausos fuisse profiteri sententiam suam, vel non tanti hanc putasse controversiam, ut propterea in re ardua necesse crederent aliqua majorum Symbolo apponi?

LI.

Etiam illud ostendit, Orientales aliud, ac Romanos, Symbolum habuisse: quòd circa annum CCCL. Cyrillus, Hierosolymitanis suis, non Romanum explicârit Symbolum, sed longè diversum. Atqui Hierosolymitana Ecclesia omnium est Ecclesiarum antiquissima: ubi etiam Apostolicum illud concinnatum esse Symbolum creditur. Anne igitur versimile est, si Apostoli hoc Symbolum Hierosolymis condidissent, ejus loci Ecclesiam, neglecto hoc Symbolo, aliud el aboraturam, vel ab juniori Ecclesia recepturam, & illud exposituram venientibus ad baptismum?

PRora, & puppis argumenti hujus est nobis Cyrillus; qui ex catechete Patriarcha Hierosolymitanus factus est anno CCC L; ac Constantinopolitano Concilio, quod est Oecumenicum secundum, unà cum Timotheo, Patriarcha Alexandrino, anno præfuit CCCLXXXI. Is Catechesi sextà competentibus, & illuminatis, aggreditur explicare Symbolum; sed verbis, sententiisque non parùm differens ab Apostolico. Eo autem tempore, quo dicebamus, explicationis istius scriptorem vixisse; cognoscere est ex eadem sextâ Catechesi: quia dicit, superesse etiamnum, qui Manetem hæresiarcham viderint; atque esse, ex quo hæresis ejus exorta, annos LXX. Cœpit verò ea Probo, & Paullo Coss. ut Leo Magnus testatur serm. II. de Pentecoste. Id fuerit anno CCLXXIX. Unde si septuaginta annos numeremus, liquet Catecheseon auctorem vixisse circa annum CCCL. Optimeque hoc convenit cum eo, quod B. Hieronymus, catalogo de illustribus Ecclesiæ scriptoribus, refert, Cyrillum Hierosolymitanum Catecheses scripsisse in adolescentia. Nam post tempus, quod memoravimus, supervixit annos XXXVI. Ut quem octennium sub Theodosio principe transegisse, referat idem Hieronymus. Ac proinde decesserit anno CCCLXXXVI, quinquennio à Synodo Constantinopolitanâ. Porrò Symbolum hoc Hierosolymitanum verbis, & sententiis, convenit cum Constantinopolitano; nisi quòd posterius hoc auctius sit. At ab illo, quod *Apostolicum* dicitur, plurimùm distat. Quod ut liqueat, Hierosolymitanum ordine referam, quæque amplius in Constantinopolitano legantur, adjungam.

Symbolum Hierosolymitanum, ac Constantinopolitanum, sic incipiuot: Πιστεύω εἰς ἕνα Θεόν. *Credo in unum Deum.* De hoc agit Catechesi VI; quæ ideirco *De monarchia* inscribitur. Sequitur *πατέρα, patrem*; quod exponitur Catechesi VII. Hinc habes in iis Symbolis, *παντοκράτορα, omnipotentem*, sive *in omnia imperium habentem*: de quo Catechesi VIII. Exinde est, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν πάντων καὶ ἀοράτων. *Factorem cœli & terra, visibilium & invisibilium.* Ea verba explicantur Catechesi IX. Hinc in iis Symbolis est, Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν· *Et in unum Dominum Iesum Christum*: quorum interpretationem habemus Catechesi X. Postea subdunt hæc Symbola, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων. *Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum, Deum verum ante omnia secula.* Quæ enarrantur Catechesi XI. Post illa in Constantinopolitano habes, non item Hierosolymitano, hæc verba: Θεὸν ἐκ Θεοῦ, καὶ φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί· δι' οὗ πάντα ἐγένετο, τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν. *Deum ex Deo, & lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis.* Deinceps Cyrillus Catechesi XII. exponit illa, ut solùm inscriptio habet, σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, *incarnatum, & hominem factum*: sive ut plenius est in Constantinopolitano: Καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. *Et incarnatum de Spiritu Sancto, & Maria virgine, & hominem factum.* Catechesi XIII. interpretatur Cyrillus ista, σταυρωθέντα, καὶ ταφέντα. *Crucifixum, & sepultum.* Pro quo pleniùs in Constantinopolitano: Σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα· *Crucifixum pro nobis sub Pontio Pilato, & passum, & sepultum.* Catechesi XIV. explicantur ista, ut inscriptio sive lemma habet: Καὶ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός. *Et tertiâ die resurgentem à mortuis, & adscendentem in cælos, & sedentem ad dexteram Patris.* Ac similiter Constantinopolitanum, nisi quòd præterit ἐκ νεκρῶν· *è mortuis*: & pro καθίσαντα habet καθεζόμενον, solùm formâ vocis mutatâ. Catechesi XV. explicat, Καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας, καὶ νεκρούς· *qui venturus est judicare vivos, & mortuos*: ut habet inscriptio. Ubi Constantinopolitanum, ante ἐρχόμενον, addit πάλιν, *rursum*; & post ἐρχόμενον, subdit μετὰ δόξης, *cum gloria*; ac denique post νεκρούς addit, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος· *cujus regni non erit finis.* Sed hæc verba etsi in lemmate prætereantur, nihilominus fuisse in Græco videntur, cùm ea habeat ibi interpres; imò in Catechesi ipsa exponat ea Cyrillus: ubi & Galatæ meminit, qui nuper succrevisset, & ausus esset dicere, Christum in fine mundi desiturum regnare, ac resolutum iri in Patrem.

Sequitur in Symbolo Hierosolymitano: Καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ παράκλητον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. *Et in Spiritum sanctum paracletum, qui locutus est per Prophetas.* Quæ explicantur Catech. XVI, & XVII. Similiter habet Symbolum Constantinopolitanum, nisi quòd *paracletum* omittat. Sed post ἅγιον addit complura. Primùm, τὸ κύριον, *dominum*: nempe ut non crederetur minister Filii duntaxat; sed Domini titulo æquaretur. Item addit τὸ ζωοποιόν, *vivificatorem*; nequis excludi Spiritum putaret, quando Christus apud Joannem ait: *Sicut Pater vivificat mortuos; ita & Filius, quos vult, vivificat.* Subjungitur deinde, Τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον,

qui

qui ex Patre procedit. Ubi Latini postea, καὶ Υἱοῦ, *Filioque*, adjecerunt. Atque idem legas in Symbolo, quod Athanasii vocatur : etsi hujus ætate de eo necdum fuerit controversia. Denique adjicitur, *τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον· qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur.* Quo ostenditur, non esse creaturam ; quia sic coleretur sub Deo, & ob Deum ; quomodo Sanctos etiam veneramur ; non cum Deo Patre, Filioque.

Hinc in Symbolo Hierosolymitano sequebatur : *εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας· εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν· καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν· καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. In unum baptismum pœnitentiæ; in remissionem peccatorum ; & in unam sanctam Catholicam Ecclesiam ; & in carnis resurrectionem ; & in vitam æternam.* Quo
a P. 490. ordine ea recenset *a* catechesis Cyrilli XVIII. Sed baptismum pœnitentiæ, & remissionem peccatorum, hac catechesi non interpretatur Cyrillus : & caussam refert, quia de iis egerit antea, puta catechesi secunda, & tertia: quarum illa est de pœnitentia, ac remissione peccatorum ; hæc de baptismo. Sed nec ordini superiori insistit ; quia priùs agit de resurrectione ; hinc de Catholica Ecclesia ; tum de vita æterna. Et sanè Symbolum Constantinopolitanum primo loco collocat de Catholica Ecclesia. Sed post *καθολικὴν* addit, καὶ ἀποστολικήν.

Hæc fusiùs sum persecutus, ut omnes videant, ne anno quidem CCCL. Hierosolymitanam Ecclesiam Symbolum, quod *Apostolicum* vocatur, competentibus, sive ad baptismum venientibus, exposuisse ; sed aliud, quod multùm & verbis, & sententiis, variaret. At nunquam id illa fecisset, si in ipsis Hierosolymis, vel etiam in Judæa, Apostoli Symbolum, quod sic dicitur, condidissent. Non desunt tamen viri eruditi, qui has Catecheses Cyrilli Hierosolymitani esse negant. Cur quæso? Adserunt verba illa ex Catech. X: *Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ, μέχρι σήμερον παρ' ἡμῖν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ αὐτοῦ λαμβανόντων ἐντεῦθεν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη ἐκπεπληρωκότων. Lignum crucis testatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui secundum fidem ex eo capientes universum orbem fere jam repleverunt.* Illa, inquit, verba, *μέχρι σήμερον, usque hodie*, non conveniunt ulli, nisi qui scribat post seculum, vel amplius. Cyrillus autem potuit interesse Crucis inventioni : ut quæ reperta sit anno CCCXXVI. Mihi verò non videtur Cyrillus respicere inventionem crucis, sed crucifixionem Christi : quasi dicat, jam tria sunt secula, quòd crucifixus sit Christus ; & tamen hodieque lignum illud habemus ; imò fideles undique huc venientes gaudent particulas decerpere ; idque tanto numero, ut jam (ita ὑπερβολικώτερον loquitur) particulis istis prope omnes terras oppleverint. Addunt ex Simlero, in Indice lib. quos Augustana Resp. ab Antonio Eparcho Corcyræo emtos possidet, legi Joan. Hierosolymitani Catecheses illuminatorum duodeviginti, & mystagogicas quinque. Porrò Cyrillo in Episcopatu successit Ioannes anno CCCLXXXVI. Ac alter etiam ejus nominis Episcopus Hierosolymitanus factus est an. IↃXIII. Ut horum alteruter auctor videri possit. Sed omnis hæc conjectura facile iis difflatur, quæ, ut superiùs dicebamus, Cyrillus ipse scribit de Manete : inde enim liquidò constat, eum vixisse an. CCCL ; quæ ætas, uti meliùs Cyrillo convenit, quàm Ioanni priori, ita posteriori illi Ioanni minimè potest competere. At, ajunt, non istæ Catecheses satis sunt dignæ tanti nominis, & ejus loci Episcopo. Cur quæso? Atque ut aliquid afferre possent, nonne cogitant, esse Catecheses *σχεδιασθείσας*, sive extemporales ; ut inscriptio indicat? Quid quòd B. Hieronymus, & ejus interpres Sophronius, dicant, composuisse illa Cyrillum in adolescentia. Fuit enim primò Catechetes ; eàque occasione has Catecheses conscripsit. Ex catechete autem factus est Episcopus, jam anno CCCL. Denique omnem eximere scrupulum debet, quòd Theodoretus, qui anno claruit CCCCXXX, dialogo II quædam adducat ex Cyrilli Catechesi IV, quæ hodieque ibi legas ; ut Damascenum, & juniorum alios, mittam. Interea tamen non diffiteor, quiddam esse, quod scrupulum injicere videatur ; sed aliis intactum. Nempe quòd in Symbolo hoc quædam reperiam, quæ videantur esse ex Symbolo Constantinopolitano. Ut ea, quæ subjiciuntur post illa in Spiritum Sanctum. Sed quia diu duravit controversia Macedoniana, priusquam Synodo decideretur ; potuit Cyrillus in vitæ extremo quædam Symbolo apponere adversus eum, eaque interpretari : potuere postea Constantinopolitani Patres & hæc, & alia, addere Symbolo Niceno. Vel potiùs post Synodum Constantinopolitanam, sive Ioannes Patriarcha, sive alius Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus, ista ex Symbolo addiderit Constantinopolitano, ac interpretationem quoque adjecerit ; quò Catechesin pleniorem, planioremque, Hierosolymitana deinceps Ecclesia haberet. Ita opus penè universum fuerit à Cyrillo, ab Ioanne solùm vel successorum alio, valde exigua accessio facta sit.

Dissertationis primæ FINIS.

DE TRIBUS SYMBOLIS

DISSERTATIO SECUNDA;

QUÆ EST

DE SYMBOLO ATHANASIANO.

I.

Quod in Apostolico feci Symbolo, ut tum receptam opinionem, & adferrem, & diluerem; tum judicio meo veriorem proponerem, & firmarem: idem nunc faciam in Symbolo, quod Athanasianum, *non demum heri, & nudiustertius, vocatum; sed jam ab annis circiter quadringentis.*

PRIMI enim, ut arbitror, apud quos Athanasiani fiat Symboli mentio, sunt Rodolphus, & Aymo, ex Minorum; & Hugo, ac Petrus, ex Prædicatorum ordine: qui quatuor, anno cIↄccxxxiii, ad Græcos Latinis conciliandos, à Gregorio IX. Constantinopolin missi fuere: unde ἀποκρισιάριοι, hoc est, legati Ecclesiæ, non Græcis modo, sed Latinis etiam, vocantur. Horum definitio in Romanis est bibliothecis, Vaticanâ, atque item Sfortianâ; Latineque, cum alibi habes, tum Tomo xiii. Eccles. Annalium, qui est Abrahami Bzovii, ad annum memoratum. In ea definitione etiam legas: *Propterea quicumque non crediderit Spiritum Sanctum a Filio procedere, in via perditionis est. Unde S. Athanasius, dum in partibus Occidentalibus exulabat, in expositione Fidei, quam Latinis verbis reddidit, sic ait: Pater à nullo est factus.* Etiam, quadraginta amplius annis pòst, Athanasio assignat Manuel Caleca; homo Græcus, sed qui adversus Græcorum scripserat errores; idque mox à Synodo Lugdunensi, quæ anno celebrata cIↄcclxxiv. sub Gregorio X. Imò interfuisse etiam huic Synodo putatur. Is libro ii contra Græcos, cap. xx, Athanasium id scripsisse, & ad Julium, Pontificem Romanum, misisse, ait, cùm insimularetur non rectæ fidei. Quia verò parte eâ dissentientes haberet Græcorum illos, qui adulterinum dicerent; gemino argumento hanc adstruere sententiam laborat. Prius est, quia Gregorius Nazianzenus ejus meminerit. Alterum est, quoniam, ut ait, *per omnes Occidentis Ecclesias Dominicis semper diebus psallitur: atque adeo celebris est auctor, ut ne a pueris quidem ignoretur.* Subjungit deinde: *Aut igitur aliam aliquam confessionem tanti viri proferant, cujus & Theologus meminit, & cui traditio Ecclesia attestatur: aut si hoc non possint, istam cum exposito dicto suscipiant.* Rectène, an secus, ad Nazianzenum, qui κατ' ἐξοχὴν a Theologus vocatur, vel ad traditionem provocet Ecclesiæ, (puta Occidentalis, quam solam canere agnoscit:) planiùs fiet ex iis, quæ postea dicemus. Circa eadem tempora, hoc est annum cIↄ cclxxx, claruit Guilhelmus Mimatensis, qui eidem Athanasio assignat Rationalis sui Divin. Offic. lib. iv. cap. xxv. Sic enim scribit: *Secundum Symbolum, Quicunque vult salvus esse &c. ab Athanasio Patriarcha in civitate Treviri compositum.* Aliquantò item post, nempe anno cIↄ cccxx, vixit Joannes Beleth, Theologus Parisiensis; qui & ipse Athanasio tribuit in Explicatione Divin. Offic. cap. xl. Eademque sententia Papæ Eugenii IV. in Concilio Florentino, quod anno habitum cIↄ ccccxxxix: ubi Papa, Armenios instruens, sic loquitur: *Compendiosam illam fidei regulam, per beatissimum Athanasium editam, cujus tenor talis est: Quicunque vult &c.* Etiam à Gregorio, sive, ut priùs dicebatur, Gennadio Scholario, Patriarchâ Constantinopolitano, capite primo, lectione primâ, libri, quem pro Concilio Florentino, proximo ab eo anno scribebat, clarè ejus auctor appellatur, ὁ τῆς ἀληθείας κῆρυξ καὶ ὁμολογητὴς ὁ μέγας Ἀθανάσιος. *veritatis præco, & confessor, Magnus Athanasius.* Illorum verò, qui postea vixere, difficile sit numerum inire. Et Joannes Cazonovius Sarmata, etsi multùm ei hoc Symbolum displiceat; agnoscit a tamen, *Athanasianum* vocari, non in Latina solùm Ecclesia; sed etiam Constantinopolitanâ, Servianâ, Bulgaricâ, Russicâ, Moscoviticâ.

a Propter excellentiam.

a Epist. 1. ad Calvinianos.

II.

Porrò qui Athanasio tribuunt, scripsisse illud aiunt in partibus Occidentis. Verùm ter eò se recepit Athanasius. Unde controversia est, utrum id fecerit in priori exilio, cum Treviros in Galliam relegatus esset à Constantino Magno: an in posteriori, cum Gregorio, ex Antiochena Synodi decreto, in Alexandrinam sedem introducto, insidiarum metu, Romam profugit: an tempore intermedio, cum se Romæ stitit ad caussam coram Julio, ac Synodo, dicendam.

HÆc ut meliùs intelligantur, paucis perstringam tempora Athanasii sub Constantino Magno, & ejus liberis.

Anno Christi cccxxvi succedit Athanasius Alexandro in patriarchatu Alexandrino.

Anno cccxxxv Tyri, in caussa Athanasii, Concilium celebratur, unde, cùm calumniis se premi ab Eusebianis, & Meletianis, videret; ad Constantinum Magnum confugit. Absente eo, Mareotica acta ad Synodum deferuntur. Condemnatur, ac ne habitare ei liceat Alexandriæ, interdicitur. Et quamquam jam de impactis criminibus se apud Cæsarem purgasset: tantum tamen apud eum novâ efficitur calumniâ, ut Treviros in Gallias relegetur.

Anno cccxxxvii moritur Constantinus Magnus; cui Constantinus junior succedit in Galliis, & cæteris trans Alpes: Constans Romæ, inque Italiâ, Africâ, Siciliâ, & cæteris Insulis; Illyrico item, Macedoniâ, & Græciâ: Constantius autem in Thraciâ, Asiâ, Oriente, & Ægypto.

cccxxxviii Athanasius Alexandrinis redditur per Constantinum juniorem: qui ita voluisse patrem suum Constantinum perscripsit.

cccxxxix Eusebiani legatos suos mittunt cum literis ad Constantinum, & Constantem, Imperatores; item Julium Papam;

Papam; ac multifariam Athanasium calumniantur. Athanasius in Ægypto Concilium indicit. Unde legati Romam missi, qui eum purgarent. Cum Eusebiani ab his refelli se viderent; postularunt, ut Concilium indiceretur, quod de Athanasii caussa cognosceret.

cccxl Synodus Romæ indicitur ob caussam Athanasii: qui eò proficiscitur, ac adversarios suos annum totum, & menses sex, exspectat.

cccxli Antiochiæ in Encæniis Concilium celebratur; quo Gregorius Athanasio sufficitur.

cccxlii Gregorius Alexandriam venit. Magna inde fit cædes. Athanasius Romam fugit.

cccxlvi Athanasius Mediolanum arcessitur à Cæsare Constantio: agiturque de convocando Concilio. Sardicæ mox, quæ urbs Illyridis, Concilium à Constante, & Constantio, indictum.

cccxlvii Sardicæ Concilium habetur. Sed Arriani, vana caussantes, interesse ei noluerunt. Ergo Philippopolin abeunt, ac seorsum Concilium habent; quod ipsum quoque *Sardicense* nuncuparunt. In eo Julium Papam excommunicant, quòd communicaret cum Athanasio, & aliis excommunicatis.

cccxlix Constans, de revocando Athanasio literas scribit ad Constantium: quibus ille tertius eum restituit, Georgio paullò antè à civibus interemto. Nec deinceps Athanasius in Occidentem reversus est.

III.

Apocrisiarii Gregorii contenti sunt dicere, Symbolum fecisse, dum in partibus exulat Occidentis: nec addunt, utrùm prius intelligant exilium, quod fuit tempore Constantini Magni; an posterius, tempore Constantis, & Constantii. Durandus refert ad prius exilium, quia in Treviris dicit composuisse. Hodieque istic puteus ostenditur, ubi latitans ob insidias Arrianorum illud conscripserit. Verùm haec sententia minimè est verisimilis, quia honeste illic habitus est; nec ut exul, sed confessor.

QUid mirum? cùm Episcopus tum fuerit Maximinus, Arrianis planè infestus. Imò nec Constantinus Magnus sivisset, ut in Occidente etiam Arrianorum insidiis pateret. Quod satis nos docent literæ Constantini junioris ad Ecclesiam Alexandrinam. His enim refertur, eò à Constantino Magno in Gallias missum esse, quò sanguinariis illis Arrianis subduceretur: ac quamquam jam divina esset Athanasii virtus, ut onera fortunæ adversæ parvi faceret; illam tamen ejus curam esse habitam, ut necessariis omnibus abundaret. Præterea non obscurè significat, fuisse parenti suo restituendi ejus voluntatem: ac quia morte præventus id non potuisset, se nunc illud præstare. Vide eas literas apud Athanasium ipsum apologiâ secundâ *a*; item Theodoretum, Sozomenum, Socratem, & Græcos duos Athanasianæ vitæ scriptores. Puteus verò ille, qui vulgo is esse dicitur, in quo delituerit Athanasius, veriùs ab aliis creditur is, in quo se abdiderunt præcones à S. Bonifacio missi, qui martyrio fuere postmodo affecti.

a Edit. Commel. pag. 614.

IV.

Porrò hae de puteo Trevirensi fabella videtur mihi nata ex eo, quòd Rufinus quoque scribebat, eum sexennio in sicca latuisse cisterna. Sed hoc in Ægypto factum ait, non Treviris: nec tempore Constantini Magni, sed juniore jam Constantino interemto; cùm Constans Occidentis, Constantius Orientis imperium teneret.

RUfinus enim, cùm lib. I, cap. xv, dixisset de Constantino juniore non longè ab Aquileia ad Alsam fluvium occiso; capite autem xvi, de Concilio Tyri indicto à Constantio; capite xvii, de Athanasio ibidem damnato: subjungit capite xviii de fuga ejus, ac edictis imperialibus de eo investigando; interque alia ait: *Interea sex continuis annis ita latuisse fertur in lacu cisterna non habentis aquam, ut solem nunquam videret.* Capite autem xix narrat, ut eùm nihil tutum sibi in Constantii imperio crederet, inde ad Constantis partes, hoc est, in Occidentem, profugerit. Quæ satis ostendunt, cisternam istam, ex mente Rufini, in Ægypto, vel saltem Oriente, non autem Occidente fuisse.

V.

Atque eò proclivior fuerit hic error, quia Rufinus dicat, has Athanasii latebras contigisse mox à Synodo Tyriâ, postquam in exilium missus Augustam, sive Coloniam Trevirorum.

ANno enim cccxxxv damnatus est Athanasius à Synodo Tyriâ; annoque proximo à Constantino Magno Trevirim est relegatus. Quomodo autem sexennio delituerit in Trevirensi cisternâ, qui biennio solùm, & quatuor mensibus, in Galliis exulavit? Et, quod caput, si tempore Constantini Magni celebrata sit Synodus Tyria: quo pacto eam Rufinus contigisse ait post mortem, & Magni, & junioris Constantini? Sed profectò, si quisquam, Rufinus is est, qui tempora soleat confundere. Planè autem, si Athanasius sexennium se occuluerit, id evenerit post mortem Constantis, Georgio Cappadoce in Athanasii locum substituto; cœperintque hæ latebræ anno ccclvi, post reditum à Trevirensi exilio annis duodeviginti: desierint anno ccclxii, quo, Georgio Cappadoce à civibus occiso, Alexandriam redit Athanasius, regnante jam Juliano Desertore.

VI.

Porrò qui Athanasio tribuunt, nec de tempore, nec de loco, conveniunt; ut fieri solet in rebus incertis, ac falsis. Sed ineptissime omnium, qui Theodosii tempore ab Athanasio exaratum dicunt. Quæ putida est ἀνιστορησία *a, cùm veteres omnes in eo consentiant, Athanasium sub Valente esse mortuum, nec multò post Joviani excessum.*

a Ignoratio historiæ temporum.

OBiit Jovianus anno ccclxiv. Athanasius excessit anno ccclxxii, Valente, & Valentiniano, regnantibus; juxta Rufinum, & Cyrillum, epist I: imò si Socratem audimus, anno uno antè. At anno demum ccclxxix Gratianus Theodosium regni fecit participem. Qui solus cœpit imperare an. cccxci.

VII.

Convenientius temporibus sentiunt, quibus placet, Athanasium hoc Symbolum misisse ad Julium Papam, cùm ab Eusebianis apud eum variis impeteretur calumniis: quod anno contigit cccxxxix.

HÆc jam tempore concilii Lugdunensis sententia fuit Manuelis Calecæ lib. II contra Græcos *b*: ubi cùm de Athanasio esset locutus, sic progreditur: *Porrò si quis ejusdem beatissimi viri dictum in Fidei ipsius confessione præexpositum, quo ait,* SPIRITUS SANCTUS EX PATRE ET FILIO NON FACTUS, NEC CREATUS, NEC GENITUS; SED PROCEDENS, *ambiguum putat, & quasi adulteratum calumniatur: primum quidem id verum esse, inde manifestum est; quia & Theologus Gregorius in Athanasii laudibus ipsius meminit, dicens,* SOLUS ILLE, VEL CUM PAUCIS ADMODUM, AUSUS EST VERITATEM IN SCRIPTIS CONFITERI: *& quæ illic addit: quam tunc temporis conscriptam ad Julium Romanum Pontificem misit, cùm insimularetur non recta esse fides.*

b P. 154. edit. Ingolstad. an. 1608.

VIII.

Atque hac, non de loco quidem, attamen de tempore, est etiam Baronii sententia. Siquidem Athanasium ait, cùm Romam esset citatus ad caussam adversus Eusebium, & factionem ejus, dicendam; hoc Symbolum Julio Papa, & Romano Concilio, Romanâ linguâ recitâsse; atque ejusmodi confessionem à reo edi oportuisse, nisi excludi vellet à communione Ecclesia Romana.

VErba Baronii sunt ad an. cccxl: *Athanasius Romam citatus, tanquam reus caussam dicturus, continuo convolavit.* Postea idem cùm narrâsset, quàm honestè exceptus esset hospitio ab Eutropia, Imperatorum trium amitâ, Constantini Magni sorore: subjungit, *Apud Iulium Romanum Pontificem non divertit, quod non deceret, reum apud judicem hospitari.* Et aliquantò pòst ait: Symbolum hoc publicè recitâsse: & caussam ejus his verbis exponit: *Qui Romam citatus, quantumlibet ipsius fides Catholica omnibus innotuisset, ut nulla penitus potuerit suboriri suspicio: tamen Romana sedis communicationem haut habere licuisset* a, *& aliorum Episcoporum, qui ad Synodum convenissent: nec planè audiendus esset, qui reus advenerat, nisi editâ publice Catholica fidei professione, eademque ex more Latino sermone, coram Pontifice, & et assidentibus, recitatâ.*

a Prolicuisset forcasse voluit Baronius. potuisset. Vel initio scribendum, Cui Romam citato.

IX.

Sed non uno nomine in hisce deceptus videtur. Primum quod non hic modo, sed universo Annalium Ecclesiasticorum opere, omnia eo dirigit, quasi & eâ atate, & omni avo, Episcopus Romanus, Orientis etiam, ac totius Orbis Episcopos, plenam & citandi, & absolvendi, vel condemnandi, habuerit potestatem.

QUæ sententia satis refellitur vel ipsis Synodi Antiochenæ, in Encæniis habitæ, literis ad Julium Papam. Nam quid scripserint, abunde ex responso Iulii cognoscitur. Nihil æquè graviter ferunt, quàm quòd ille Orientales citandi auctoritatem sibi vindicâsset. Et tamen excusari Iulius potest. Nam Eusebiani legati, cùm à presbyteris, quos Athanasius, & Alexandrina Synodus, miserat, convicti essent; Concilium petierant, in quo solidè se crimina Athanasio ingesta comprobaturos ajebant. Quid mirum igitur, si Iulius, primæ sedis Episcopus, (cùm Athanasius, qui proximæ sedis foret iis temporibus Patriarcha, ab Orientis Episcopis opprimeretur, iique hoc mirificè studerent, ut penes Occidentales etiam, ac præcipuè Iulium Papam, judicium foret;) de Synodo consenserit; in qua de Athanasii caussa ageretur: & propterea, uti ad Patriarcham, ita ad Eusebium etiam, & alios, qui de Athanasio literis suis questi erant, de die Synodo decretâ literas daret? sponte se submiserant legati. Nec ullis potiùs se Athanasius submittere malebat. Nec generale poterat Concilium esse, in quo omnium principis Ecclesiæ desideraretur auctoritas. Sed ut illam ob primæ sedis honorem agnoscimus; ita negamus, hinc sequi, Iulium sibi in Ecclesias Orientis potestatem ullam vindicâsse. Longè aliud liquebit, ipsam Iulii epistolam, sanè modestam, legenti, apud Athanasium Apologiâ secunda. Nec eâ mente unquam Romam se contulisse Athanasium, quasi illum unum haberet œcumenicum pastorem; indicant hæc ejus verba apud Theodoretum lib. iv Histor. cap. iii: *Huic fidei* (Nicenæ) *omnes ubique Ecclesia assensa sunt: ut Hispania, Britannia, Gallia, Italia, totius Dalmatia, &c.* Ubi videmus, Ecclesiam Romanam non memorari seorsim; sed sub Italica comprehendi; neque primo loco, sed quarto, pro terrarum situ, memorari. Nec sanè Athanasius Romanum Episcopum unquam vocat universæ Ecclesiæ Episcopum: sed apud eundem Theodoretum lib. ii, cap. xv Liberium appellat Episcopum Romæ: & lib. de Synodis, duos referens Dionysios, unum Alexandriæ, alterum Romæ præsulem appellat. Et epist. ad Africanos, nominat Damasum Comministrum suum, & magnæ Romæ Episcopum. Quæ satis arguunt, Romanum Episcopum pro Romano, ac particulari; non œcumenico pastore, habuisse.

X.

Alter Baronii error est, (in quo & Calecam ratio fugit) quòd sive non cogitat, sive dissimulat, Athanasium fuisse accusatum non de doctrina, (nam ipsi etiam adversarii partim Nicena Synodo assentiebant, partim se adsentire simulabant) sed tum quòd reditus Athanasii magnum Alexandria mœrorem caussâsset, & cades complures: tum quòd à Synodo damnatus, nec ab ea restitutus, sedem contra canones recepisset: tum quòd Ægypti, ac Libya viduis eripuisset triticum, ex Constantini munificentiâ iis solitum præberi. Quid vero ista omnia ad fidem?

QUamobrem persuadere mihi non possum, Iulium Papam, vel alium, hoc ab Athanasio exacturum fuisse, ut hujusmodi ederet fidei confessionem. Ab illo, inquam, Athanasio, qui tam præclaram operam in Synodo navâsset Nicenâ: illo, qui, ubi factus Patriarcha Alexandrinus, tantus fuisset fidei Nicenæ patronus, atque idcirco etiam tam multa pertulisset adversa: totoque jam orbe ab omnibus fidei Nicenæ amantibus prædicaretur apex, & coryphæus omnium fidem amantium sinceram. Nec eum, qui aliorum criminum, non hæresios, etsi id Caleca putârit, accusaretur, novum Iulio, vel tradere coram, vel mittere Symbolum opus erat.

XI.

Atque ut necesse fuisset reddere fidei rationem; non aliud apud Catholicos, saltem Julium, & Maximum, opus erat, quam Nicena Synodi Symbolum profiteri. Imo illis quidem temporibus, non expedisset novum componere Symbolum. Hoc Arriani, & Semiarriani, in Synodis, & Antisynodis, agebant: & hac propter iidem apud eos, qui arctius Synodo adharebant Nicena, pessimè audiebant, quasi depreciarent CCCXVIII *Synodi Nicena Patres. Nam, inquiebant illi, vel sufficit nobis Symbolum Nicenum, vel si novo opus est Symbolo, mutilam Patres, aut obscuram, condidere confessionem. Hac omnium fere, qui Arrianis adversarentur, imprimis vero Julii Papa, & Athanasii quoque, sententia erat.*

SCio, disparem esse rationem Athanasiani Symboli, quo Nicenum fusiùs diducitur, & aliorum, quæ Niceno opponerentur: ut in Thracia quidem Philippopoli, in Pannonia autem Smyrnii, in Italia Arimini, & Mediolani, præterea Seleuciæ in Isauria, ac Antiochiæ in Syria. Sed enim magnus Catholicorum consensus erat, satiùs longè esse, nulla post Nicenum Symbola conscribi: eò quòd confessio hæc sufficeret, ac, novis cudendis Symbolis, Nicenæ confessionis dignitati derogari videretur. Nempe, quia (ut verbis utar B. Hilarii a,) *qua apud Nicaam ordinata est fides, plena atque perfecta est, & omnibus undique, quibus irrepere haretici solent, aditibus obseratis, inviolabili inter Patrem, & Filium, aterna unitatis soliditate connectitur.* Pleniùsque de eo Athanasius ipse, non uno in loco: sed contentus iis ero, quæ scribit initio epistolæ ad Antiochenses: ἠξίωσαν μὲν γάρ τινες, ὡς ἐνδεοῦς οὔσης τῆς κατὰ Νίκαιαν συνόδου γράφειν περὶ πίστεως, καὶ ἐπεχείρησάν γε προπετῶς· ἡ δὲ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Σαρδικῇ συναχθεῖσα ἠγανάκτησε, καὶ ὥρισε μηδὲν ἔτι περὶ πίστεως γράφεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι τῇ ἐν Νι-

a In fragmentis historicis edit. Parif. an. 1598. pag. 51.

καίτοι παρ' αὐτῶν πατέρων ὁμολογηθείσης πίστεως δεῖν τὸ μηδὲν αὐτῇ λείπειν, ἀλλὰ πλήρη εὐσεβείας εἶναι· καὶ ὅτι μὴ δεῖν ἐκτίθεσθαι δευτέραν πίστιν, ἵνα μὴ ἐν Νικαίᾳ γραφεῖσα, ὡς ἀτελὴς οὖσα νομισθῇ, καὶ πρόφασις δοθῇ τοῖς ἐθέλουσι πολλάκις γράφειν, καὶ ὁρίζειν περὶ πίστεως. *Quamvis enim certi homines, nonnulla, quasi quædam deessent, Niceno concilio adscribere vellent; idque acriter contenderent: Sancta tamen Synodus, quæ Sardis convenit, indigne id tulit; decretoque sancivit, nequid ulterius de fide scriberetur; & sese contentos esse Nicenâ fide, declaraverunt: ut cui nihil deesset, & in qua integra, & solida pietas contineretur: neque edendam esse aliam professionem fidei, ne illa, quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videretur; neve illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum, atque iterum, de fide definiant.* Hanc verò ad Epictetum epistolam ipsius esse Athanasii, cognoscitur, cùm e codd. antiquis, tum Epiphanio hæresi LXXVII, Cyrillo Alexandrino epist. ad Ioannem Antiochenum, quæ est in Actis Synodi Ephesinæ *a*, Theodoreto sæpius, dialogo I, II, III, Synodo Chalcedonensi act. I, & XVI; ut de Leone Magno, Rustico Diacono, atque aliis, taceam. Objicias, Patrum aliis secus visum esse: uti Gregorio Nazianzeno epistolâ secundâ ad Cledonium: ubi ait, explicandum quiddam à Patribus Nicenis ἐλλιπῶς εἰρημένον, *minus plene dictum*. Sed addit ille, περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, *de Spiritu sancto*: & rationem continuò subdit, διὰ τὸ μηδὲ κεκινῆσθαι τηνικαῦτα τοῦτο τὸ ζήτημα, ὅτι μιᾶς θεότητος εἰδέναι χρὴ τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· *propterea quod hæc quæstio nondum excitata & agitata fuerat, unam eandemque Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deitatem esse agnoscendam.* Quod Constantinopolitanâ adversus Macedonium Synodo definitum. Athanasio autem ad Epictetum sermo est de iis temporibus, quibus ipse vixit: hoc est, ante motam à Macedonio novam controversiam de tertia Sacræ Trinitatis personâ.

a Græcè cap. 87.

XII.

Multa etiam alia sunt, propter quæ non videatur hoc Symbolum ipsius esse Athanasii. Primùm, quia ferè absit ab illius codd. MSSis: vel saltem, contrà quàm aliis in operibus ejus fiat, nomen Athanasii non præfigatur.

UNde, inter dubia, incertaque, reponit quoque Abrahamus Scultetus in Medulla Patrum Parte II, de Athanasio cap. XL. Atque addit: *In nullo codice exstat, quos ego quidem vidi inter Athanasii opera. In uno legitur; sed auctoris nomine suppresso.* Verùm Petrus Felcmannus Coronæus *b*, qui complures, eosque vetustos Athanasii codices MSSos contulit, testatur, in uno quidem se reperisse, nomine auctoris non adscripto: sed postea incidisse in codicem alterum bibliothecæ Palatinæ, ubi Athanasii diceretur. Vellem addidisset, num is liber ab antiqua manu videretur. Nunc uti una hirundo non facit ver; ita neque codex unus, credo à manu recentiori, satis persuadet, sic in vetustis codd. fuisse.

b In variantibus Athanasii lectionibus, Commelinianæ editioni subjectis.

XIII.

Præterea si Athanasii foret, ipse ejus meminisset in historia, quam epistolis de fugâ suâ, & Apologiis aliis, pertexuit. Vel meminisset alius ejus seculi, aut proximi saltem, scriptor.

AT nunc videmus, non apud Athanasium modò de eo silentium esse; sed alios quoque. Tacet enim Nazianzenus in luculentâ illâ oratione, quam post Athanasii mortem in ejus laudem perscripsit. Tacet itidem Hilarius, in historicis fragmentis à Pithœo editis, & aliis antea divulgatis. Tacent quoque Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, & ipse Theodoretus in Ecclesiæ historiâ. Sed qui hâc parte à nobis dissentiunt, primùm provocant ad Nazianzenum, quem nos meminisse ejus negabamus. At illi contrà contendunt, eâ ipsâ oratione, quam diximus, mentionem hujus facere Symboli. Ut qui apertè in ea dicat, *Solus ille, vel cum paucis admodum, ausus est veritatem confiteri*: & quæ sequuntur. Atque hoc argumento pugnabat jam Concilii Lugdunensis tempore Michaël Caleca lib. II, *a* adversus Græcos. Cui inferiùs occurretur. Alii verò urgent, quòd dicat confessionem suam misisse ad Iovianum Cæsarem. Ubi Symbolum hoc, quod *Athanasianum* vocatur, intelligi debere, pertendit etiam Genebrardus in tertio de Trinitate *b*. Nec inficias it, Athanasium credi Symbolum hoc ad Julium Papam misisse: sed negat, quicquam vetare, quo minùs priùs Iulio Papæ, ac Cæsaribus Constantio, & Iuliano, mortuis, miserit quoque pio Imperatori Joviano. Huic ut obviam eatur, respondent aliqui, non misisse confessionem novam; sed illam Niceni Symboli: quam ab eo missam, testantur Theodoretus Historiæ Eccles. lib. IV, cap. III, & Nicephorus lib. X, cap. XLII. Sed parùm solida hæc videntur. Siquidem Iovianus paullò ampliùs sibi, quàm simplicem Nicenæ Synodi confessionem, mitti poscebat: idque ob exorientem novam de Deitate Spiritus Sancti controversiam. Quare epistolam, suo, & illustriorum Ægypti Thebaidos, & Libyæ Episcoporum nomine, Joviano misit; quâ Nicenam quidem fidem epistolæ inseruit; sed prætereà quædam adjecit, ad jugulandam hæresin eorum, qui Deitatem Spiritus Sancti negarent, nec trium in Deitate unitatem agnoscerent. Unde eo nomine laudat Athanasium Nazianzenus, quòd hæresin, postea dictam Macedonianam, primus jugulârit: annis nempe duodeviginti ante Synodum Constantinopolitanam, quâ damnatus est Macedonius. Hoc Nazianzenum velle, verbis istis ostenditur: Τῶν γὰρ ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου, τριχῇ νενεμημένων, καὶ πολλῶν μὲν ὄντων τὸ περὶ τὸν Υἱὸν ἀρρωστούντων, πλειόνων δὲ τῶν περὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἔνθα καὶ τὸ ἧττον ἀσεβεῖν, εὐσέβεια ἐνομίσθη· ὀλίγων δὲ τῶν κατ' ἀμφότερα ὑγιαινόντων· πρῶτος, καὶ μόνος, ἢ σὺν ὀλίγοις, ἀποτολμᾷ τὴν ἀλήθειαν, σαφῶς οὕτω καὶ διαῤῥήδην, τῶν τριῶν θεότητα, καὶ οὐσίαν ἐγγράφως ὁμολογήσας· καὶ ὃ τοῖς πλείοσι τῶν πατέρων ἀριθμῷ περὶ τὸν Υἱὸν ἐχαρίσθη πρότερον, τοῦτο, περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος αὐτὸς ἐμπνευσθεὶς ὕστερον, καὶ δῶρον βασιλικὸν ὄντως, καὶ μεγαλοπρεπὲς, τῷ βασιλεῖ προσενεγκὼν, &c. *Nam cum cæteri omnes, qui doctrinam nostram profitebantur, trifariam divisi essent; ac multi circa Filium, plures etiam circa Spiritum sanctum, ægram fidem haberent; (ubi levior impietas pietatis opinionem ferebat;) pauci autem utrinque sani, & incolumes essent: primus ille, & solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam, apertisque verbis, promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem & essentiam, scripto confessus: & quod multis illis Patribus circa Filium prius concessum fuerat, idem ipse postea in asserenda Spiritus Sancti divinitate superno afflatu consecutus. Atque Imperatori donum verè regium, & magnificum, offert, &c.*

a P. 173. edit. Ingolst.

b P. 181. edit. Paris. 1585.

Nunc videamus, quàm bellè cum istis conveniant Athanasii verba, eâ, quâ dixi, apud Theodoretum epistolâ. Primùm inquit: Τοὺς μὲν αὐτὴν τὴν ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῶν πατέρων ὁμολογηθεῖσαν πίστιν τετολμήκασιν ἀθετεῖν· τινὲς δὲ σχηματίζονται ὁμολογεῖν αὐτὴν, ταῖς δὲ ἀληθείαις ἀρνοῦνται, παρερμηνεύοντες τὸ ὁμοούσιον· οἱ δὲ ἔτι βλασφημοῦντες τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν τῷ φάσκειν αὐτὸ κτίσμα εἶναι καὶ ποίημα διὰ τοῦ Υἱοῦ γεγονός. *Nonnulli hanc fidem à Patribus in Concilio Niceno confirmatam antiquare non sunt veriti: alii verò simulant assentiri illi, re ipsa autem pernegant, dum hanc vocem* ὁμοούσιον c *perverse interpretantur: iidemque in Spiritum Sanctum loquuntur blasphemiam, asserendo eum creatum esse, & factum per Filium.* Claudit etiam epistolam his verbis: Ἀλλ' οὐδὲ ἀπηλλοτρίωσαν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ· ἀλλὰ μᾶλλον συνεδόξα-

c Consubstantialem.

σαν

σὺν αὐτῷ τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ ἐν τῇ μιᾷ τῆς ἁγίας Τριάδος πίστει, διὰ τὸ καὶ μίαν εἶναι τὴν ἐν τῇ ἁγίᾳ Τριάδι θεότητα. *Quin etiam neque Spiritum Sanctum a Patre, & Filio, separarunt: sed et uno cum Patre, & Filio, in una sancta Trinitatis fide, propterea quod una est in sancta Trinitate divinitas, gloriam tribuerunt.* Atque hic satis refelluntur *a*, qui negant, à Nazianzeno intelligi epistolam à Theodoreto insertam; quia nihil de Spiritu Sancto in Symbolo legatur Niceno, præter illa verba, *Et in Spiritum sanctum.* Neque enim Nazianzenus Symboli Niceni verba respexit; sed epistolæ sive confessionis Athanasianæ; in qua, præter Nicenum Symbolum, inter alia, de fide suâ, verba etiam illa comparent, quæ de Spiritu Sancto inde adduximus. De Nazianzeno, & Theodoreto satis.

a Io. Baptista Derbois, Ordinis Minorum, in additionibus Epitomes Bellarmini De Christo lib. 2. cap. 25.

Alii verò B. Augustinum vidisse colligunt ex eo, quòd in scriptis ejus aliqua reperias, quæ hinc videantur excerpta. Est hæc sententia Baronii ad an. CCCXL: ubi cùm retulisset, Athanasium illud Romæ coram Julio Papa, & presbyterorum consessu, recitâsse; inde exemplar esse repositum in archivis Romanis; subjungit hæc verba: *Aliquod tamen ejus exemplar delatum esse ad transmarinam Ecclesiam ab aliquo Episcopo Africano; qui, ut frequenter accidere consuevit, tunc Romæ repertus, eidem interfuerit Romanæ Synodo, mihi facile persuadeo; cum illud ipsum S. Augustino videatur innotuisse; cujus verba scriptis quibusdam ejusdem Symboli apparent interdum conspersa.* Respicit autem locum lib. v. de Trinit. cap. VIII, Enchiridii cap. XXXVI, epist. CLXXIV, Soliloquiorum cap. ult. Sed quis ignorat, multas esse virorum doctorum συνεμπτώσεις *b*? præsertim in Sanctis; ubi idem Spiritus non eundem modò sensum, sed interdum verba etiam eadem suggerit? Et habuere Catholici ab Arrio jam damnato, suas loquendi formulas, quibus uterentur. Nec si ex Athanasio aliquam loquendi formulam sumsisset Augustinus: eò consequitur, ex Symbolo hoc hausisse: cùm mutuari potuerit, vel ex tot aureis Athanasii disputationibus adversus Arrianos; vel aliis Ecclesiæ doctoribus, qui Athanasium legissent. Sed fortiùs pugnare sibi visus est Possevinus in Apparatu sacro *c*. Hunc si audimus, Augustinus in Psal. CXX sic scribit, super illud, *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem*: DE hoc Sole *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulcre locutus est: Filius Dei à Patre solo est non factus, nec creatus; sed genitus.* Verùm cùm ista scriberet Possevinus, deceptus est ab aliquo, suis, non Athanasii verbis, loquente. Augustinum si inspexisset, non reperisset ullam Athanasii mentionem, verùm ista duntaxat: *Ergo alium Solem fecit Deus, qui oritur super bonos, & malos; istum, quem vident boni, & mali. Alius est autem ille Sol, non factus, sed genitus; per quem facta sunt omnia.* Et tamen etiam Bellarminus lib. II de Christo, cap. XXV. refert, nominatim Athanasium exprimi in Psalmum, quem diximus. Quod satis mirari non possum. Paullò speciosiùs video alios dicere, B. Hilarium Athanasio tribuere. Fundus unicus hujus sententiæ est vetus codex MSus historica S. Hilarii fragmenta continens, quæ ex Petri Pithœi bibliotheca in lucem prodierunt *d*. Sed tum demum validum esset hoc argumentum, si constaret, ipsum Hilarium Symbolum hoc addidisse. Nunc non aliud istic *e* legas, quàm in codice quodam Dervenensi, post Symbolum Nicenum, & damnationem Arrii in Concilio Ariminensi à Catholicis exaratam, sequi, *fidem dictam à S. Athanasio, sive Symbolum, quod ejus nomen præfert.* Adde, quòd nec antiquus fuerit codex, unde hæc edita sunt. Nam, ut in præfatione ait Nicolaus Faber *f*: *Pithœus unicum, neque illud pervetus exemplar habuit; sed tantum abhinc centum annis in charta, manu Gallicâ, nec Latinam linguam satis percipiente, confusis dictionibus scriptum: sed spem conceperat, & antiquum exemplar, unde recens illud exscriptum fuerat, aliunde recuperari posse: quæ caussa fuit, cur tamdiu editionem distulerit.*

b Animorum concursus, & quasi coincidentias.

c Voce Athanasius.

d Parif. an. 1598.

e Part. 2. pag 47, & 48.

f Fol. 25. b.

XIV.

Propterea etiam, qui à nobis dissentiunt, nihilominus agnoscunt, longo sanè spatio, post tempora Athanasii, Ecclesiæ fuisse ignotum.

IN his Baronius est in Annalibus Ecclesiasticis ad an. CCCXL; ubi totidem verbis ait, *longo tempore inter Ecclesiastica vetera monumenta delituisse.* Ac paullò ante de Athanasio sic scribit: *Edita publicè Catholica fidei professio, eademque, ex more, Latino sermone coram Pontifice, & eis assidentibus, recitata: quæ cognita, atque suscepta, in Romanæ fuit Ecclesiæ amplissimo Archivo unà cum Actis Synodi collocata: &* ALIQUANDO TANDEM POST MULTA ANNORUM CURRICULA INVENTA, *& in lucem edita, ob tanti viri insignem memoriam tradi meruit Ecclesiæ recitanda.* De longo hoc spatio iisdem verbis etiam apud Possevinum legas in Apparatu Sacro, voce *Athanasius.* At quàm parum credibile est, Romanos Pontifices, & Clerum, tanto thesauro solos voluisse incubare: maluisseque ut cum blattis & tineis rixaretur, quàm ut aliis indicium facerent: qui si scissent, non desiissent vel assiduo pipulo ab Ecclesia efflagitare Romanâ. Tantus Athanasii in Catholica Ecclesia amor ubique fuit. Audiamus hac de re Baronium ibidem: *Adeo post tot, tantaque ejus pro rectâ fide certamina, Athanasii nomen posteris doctrinæ, & sanctitatis fulgoribus clarum effulsit; ut quæque ipsius scripta, non modo avide legerentur; sed singulari quâdam reverentiâ colerentur.* Subjungit deinde Cosmæ, Abbatis Hierosolymitæ, præclarum illud elogium; quod apud Sophronium, Patriarcham Hierosolymitanum, habemus in Prato spirituali cap. XL: *Cum inveneris aliquid ex opusculis S. Athanasii; nec habueris chartas ad scribendum; in vestimentis tuis scribe illud.* Quare tantus cùm fuerit Orientalium ardor erga Athanasium: parum omnino credibile est, tantum fuisse Occidentalium, maximeque Romanæ Ecclesiæ frigus erga eundem; ut tot annorum curriculo ejus Symboli non magis meminissent, quam si fuisset nullum.

XV.

Circa annum tamen millesimum videri possit id Symbolum jam in Ecclesiis aliquibus obtinuisse: & ita obtinuisse, ut aliqui Athanasii id esse arbitrarentur. Interim nihil solidi ac certi pro hac sententia adfertur.

QUippe omne præsidium eorum, qui id opinantur, est Abbo, Floriacensis Abbas; qui anno millesimo, ac deinceps vixit. Hic in Apologetico ad Reges Francorum, Hugonem, & Robertum, patrem, filiumque, sic scribit: *Primitus de Fide dicendum credidi; quam alternantibus choris, & in Francia, & apud Anglorum Ecclesiam, variari audivi. Alii enim dicunt, ut arbitror, secundum Athanasium: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, non creatus, sed procedens. Quidam id, quod est, Nec genitus, subtrahunt, Synodicum Domini Gregorii se sequi credunt: ubi ita est scriptum, Spiritus Sanctus nec ingenitus est, nec genitus; sed procedens.* Quibus adductis, ex fragmento ad se misso a v. cl. Nicolao Fabro, ista subjungit Cæsar Baronius in Annalibus ad an. CLXI: *Vides in his, Lector, jam ante sexcentos annos, absque ulla dubitatione, Symbolum vere ejus esse absque dubitatione creditum, & prædicatum.* Mirum, *absque dubitatione*, dicere, imò iterare illud; cùm apud Abbonem sit, *ut arbitror.* Per enim verisimile est, hoc velle, Symbolum illud, de cujus auctore quæritur, videri sibi ipsius esse Athanasii, vel saltem ex Athanasio collectum; ut cujus cum doctrina belle adeò consentiret.

Et

XVI.

Et profectò, si pro certo tum creditum esset, id Symbolum esse Athanasii: pugnassent hoc telo Latini contra Græcos: quia non leve pondus habuisset ob summam ejus viri apud Orientales auctoritatem. At primi, quos hoc argumento usos esse legamus, sunt apocrisiarii Gregorii IX; *cum controversia hac durâsset annis propè quingentis, ac interea pluribus Synodis, & tot scriptis adversariis, esset disceptatum.*

PRima quidem Synodus in hac controversia Gentiliaci habita est coram Rege Pipino, Caroli Magni parente: ubi de Trinitate, & imaginibus, disputatum est inter Latinos, & Græcos. Id an. factum ↄ CCLXVII: ut cognoscitur ex Annalibus, ac Chronicis, Theodulphi, Adonis, Althelmi, Reginonis, Sigeberti, & Contadi Urspergensis. Iterum autem sub Karolo Magno, anno ↄ CCCIX, super eo conventum; ut iisdem verbis tradunt, monachus cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita *a* Caroli Magni, & anonymus, qui temporibus Ludovici Pii se vixisse *b* indicat in Annalibus Francorum *c* ad an. memoratum. Nec ignoro, illustrem Ecclesiasticorum Annalium conditorem putare, controversiam duntaxat fuisse, utrùm Symbolo Constantinopolitano, quod Generali esset Concilio conditum, fas esset particularis Synodi auctoritate inserere quicquam, & illud in sacro Officio decantare. Sed enim, quid caussæ est, cur non habeamus fidem duobus proximis ejus temporis scriptoribus, præter quos alios non habemus? Præsertim cùm facilè adeò sit, eos conciliare cum Actis illis à Smaragdo epistolæ suæ ad Carolum insertis. Nempe solùm est opus dicamus, ortâ iterum controversiâ de processione Spiritus Sancti, non difficulter in Synodo de processione à Filio convenisse: sed non potuisse tam facilè conveniri, an Oecumenici concilii Symbolo, sine similis Concilii consensu, aliquid adjicere liceret. Quod tardè ab Occidentis Episcopis est admissum; atque ubi tandem admissum, magnas Orientis turbas concitavit. Jam ab his temporibus, quàm multi de controversia istac loquuntur, & Latinorum, & Græcorum? Nec tamen invenias, qui vel magni se Athanasii Symbolo tueatur, vel ejusmodi auctoritatem, adversus se prolatam, impugnet. Unde illud, nisi quia tum hujusmodi necdum armis pugnaretur? Primi, quos hoc telum vibrâsse legimus, fuere quatuorviri, quos Gregorius IX. Constantinopolin miserat ad Imperatorem, & Patriarcham, anno cIↄ CCXXXIX *d*: de quibus antea diximus. At, inquies, Athanasii Symbolo hoc de processione Spiritus Sancti à Filio, postea esse appositum ab Ecclesia Romana: uti adjunxit eadem hoc Symbolo Constantinopolitano: atque ut hoc non derogat antiquitati Symboli Constantinopolitani; ita nec additiunculam illam impedire, quo minùs ab Athanasio esse hoc Symbolum credamus. Sed hic non leve est discrimen. Agnoscit enim Ecclesia Romana, hoc se Symbolo addi disse Constantinopolitano: sed de Athanasiano negant omnes Ecclesiæ Romanæ doctores. Attamen si qui fateantur; fatear & ipse, hoc quidem argumentum nostrum, lusorium potiùs, quàm decretorium fore.

a *Pag.* 274 *edit. Commel.*
b *Pag.* 93.
c *Pag.* 20.
d *Nisi potius an.* 1233. *de quo alibi dicam.*

XVII.

Tanto autem minus verisimile est, tamdiu latuisse in archivis Romanis, quòd varia eo hæreses refellerentur.

ET tamen ibidem scribere non dubitat Baronius: *Quòd igitur* LONGO TEMPORE *inter Ecclesiastica vetera monumenta* DELITUERIT: *inde accidit, ut minimè citatum ab antiquioribus nostratibus, vel Græcis, reperiatur Symbolum illud*: CUM TAMEN *ad confutandas complures hæreses postinde exortas* MAGNA *ex eo suppeterent argumenta.*

XVIII.

Neque nullius ponderis est, quòd si hoc Symbolum Athanasii foret, saltem meminissent, qui tot pòst seculis ejus vitam signarunt.

UT Simeon Metaphrastes, sive is sub Michaële III. vixerit circa annum ↄ CCLX; sive paullò post sub Constantino Duca. Nec magis meminit alter, Græcus item, sed anonymus, vitæ Athanasianæ scriptor, quæcunque ejus fuerit ætas.

XIX.

Imò post annum quoque millesimum ducentesimum, cùm Symbolo hoc adversus Græcos pugnari cœpit; non planè convenit, utrum verè Athanasii esset, an potiùs Anastasii, & ex similitudine eâ nominum, error provenisset. Atque hoc quoque non exiguum injecit scrupulum, num Athanasii, an alterius sit.

EJus, quod de Anastasio dixi, auctorem jam antea laudavi Joannem Belethum; qui ante trecentos, & ampliùs annos claruit; & licet ipse Athanasii credat; fatetur tamen, ab aliis Anastasii perhiberi. Nihil mirum autem, si, quod Anastasii esset, Athanasii dicerent; cùm multis partibus notius vulgo fuerit Athanasii, quàm Anastasii, nomen, & crebrò in vocabulorum ejusmodi vicinitate soleat peccari.

XX.

Nec qui nostrâ ætate Patriarcha Alexandrinus, & præses Constantinopoleos fuit, pro germano illud Symbolum habuit.

SIc enim Meletius literis suis Constantinopoli anno cIↄ Iↄ XCVII ad Ioannem Douzam Nordovicem datis, & à filio Georgio Douza editis: *Athanasio falsò adscriptum Symbolum cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum, luce lucidius contestamur.*

XXI.

Nec si Anastasius scripsisset, eò pudendum haberet auctorem, licet duobus seculis juniorem.

SI quidem fuerit is Anastasius cognomento Sinaita, Antiochenus Patriarcha; cujus liber περὶ πίστεως *a* exstat Lutetiæ in Bibliotheca Regia. Vixit is sub Iustiniano, & Iustino juniore. Quantus hic vir fuerit, & quæ perpessus; refert Euagrius histor. Eccles. lib. IV, cap. XXXVIII, & XXXIX: item lib. V, cap. VI: adhæc Nicephorus Callistus lib. XVII, cap. XXX, & XXXVI.

a *De Fide.*

XXII.

Nec propterea Anastasii esse contenderò. Nam possit & Athanasiani nomen accepisse, quia etsi non esset ab magno illo Athanasio conscriptum; tamen summam Athanasianæ fidei contineret, atque ex ejus libris sedulò foret collectum.

NEmpe eum in modum, quo *Symbolum Apostolicum* dicere potuerunt; quod non quidem totidem capitibus, & eo ordine capitum, ab Apostolis conditum esset; attamen summam fidei Apostolicæ, ex eorum scriptis collectæ, contineret.

XXIII.

Nec nihil ad præsens institutum facit, quòd, si Athanasius ejus Symboli auctor foret, id Græcè potius scripsisset: hujus verò Symboli sive scriptor, sive collector, Latinè illud fecerit; ex Latino autem sermone Græcè redditum videatur. Quippe Latinus contextus est uniusmodi: Græca plurimum variant: quod unde potiùs esse dicamus, quàm quia à variis sit Græcè translatum?

Siquidem tres sunt Græci Symboli editiones: quas expressit Genebrardus in tertio de Trinitate. Atque hinc primò Latinè fuisse scriptum colligit nobiscum, sive Nicolaus Serrarius, sive Petrus Clencherus *a*, Baronio etiam laudatus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum CCCXL. Et sanè Latinè primò scriptum fuisse, agnoscunt etiam apocrisiarii Gregorii Papæ IX: sed eâ linguâ exarasse ajunt magnum Athanasium. Verba eorum, superiùs etiam adducta, hujuscemodi sunt: *S. Athanasius, dum in partibus Occidentalibus exulabat, in expositione Fidei, quam Latinis verbis edidit, sic ait; Pater à nullo est factus, &c.* Ubi eàdem videmus, eos dicere, scripsisse hoc tempore exilii. Quod valde doctissimo Annalium conditori adversatur; qui medio inter Trevirense exilium tempore, & fugam in Occidentem, sponte ad consulendum Papam Julium Romam ait profectum; atque ex more Symbolum hoc Julio obtulisse, quò de fide sua illi constaret. Et quia videret, quod de exilio dicitur, huic sententiæ obstare, eò respondet, omnem absentiam ab Alexandria, quia Arrianorum vexatio ei causam præbuerit, laxè *exilii* voce signari. Quæ vocabuli interpretatio sanè durior est, quàm ut facilè inveniat fidem. Et iter ipsum, ut antea diximus, nulla veteris scriptoris auctoritate adstruitur: nec nisi ad Romani Pontificis auctoritatem supra Patriarchas Orientis comprobandam confictum videtur. Porrò de Scriptore, & linguâ, apocrisiariis Gregorii IX assentit etiam Clencherus: ut cujus opinio sit, quamvis Latinè primò exaratum sit, Athanasium nihilominus ejus esse Symboli auctorem. Videri enim Latine scisse; quia Alexandriæ operam studiis dederit in pueritia, ac Græci soleant discere Latinè, ut Latini Græcè. Sed, quòd parem Latinorum, Græcorumque, rationem putat, multum fallitur. Non tantum prolubium esse solet Græcis addiscere sermonem Latinum: quippe suo contenti erant, quo doctrinæ omnes continerentur. At Latinis, si seriò vellent philosophari, Græcæ linguæ notitiâ prorsus erat opus. Addit Clencherus, potuisse & Latinè discere biennio illo, quo vixit Treviris; atque idem, dum profugus Mediolani, Aquileiæ, Romæ agit. Verùm non existimo, qui eâ dignitate fuisset, ejus etiam ætatis foret, Latinam discendo linguam voluisse repuerascere. Quippe cùm Treviros relegaretur; decennio jam fuerat Patriarcha Alexandrinus; septimusdecimus Patriarchalis honoris agebatur, exilii ac fugæ tempore accensito. Nec video, qui potuerit ærumnabilem hunc laborem subire in illis exilii molestiis, interpellationibus aliorum assiduis, continuâ operâ se, & veritatem, sermone, ac plurimis scriptis, defensitandi. Sine dubio fortem illum athletam longæ aliæ, & meliores curæ, distinuerunt, quàm existimat sive Clencherus, sive Nicolaus Serrarius; cujus nomen ea dissertatio postea prætulit. Nam quòd aliquis linguam eam Athanasio ad sermones mutuos prorsus in Occidente necessariam fuisse existimet, valde fallatur; cùm in Galliis, & Romæ, copia eorum fuerit, qui Græcè scirent. Quod diffiteri, esset literas, & tempora illa ignorare.

a In disputatione de Symbolo Athanasii, edita Wirceburgi an. 1590.

XXIV.

Atque ex his satis elucet, Athanasium non esse ejus Symboli auctorem. Utrum verò id condiderit Anastasius, an alius, nihil satis comperti habemus: neque tam id scire refert, quam optandum, ut similiter omnes sapiamus in mysterio hoc Sacrosanctæ Trinitatis.

De Anastasio superiùs *a* diximus. Alii auctorem existimant Eusebium Vercellensem, seu martyrem, seu confessorem potiùs *b*, Athânasii ipsius æqualem. Cujus sententiæ etiam meminit Juëllus in Responsione ad Hardingum pro confessione Ecclesiæ Anglicanæ parte secundâ, cap. 1, divis. 1: *Symbolum illud, cui nomen est, Quicunque vult, ab Athanasio, ut* NONNULLI *arbitrantur, conscriptum; ut alii, ab Eusebio Vercellensi.* Alii verò credunt esse hominis Galli. Uti P. Pithœus libro de Process. Spirit. Sancti: *Magni Athanasii Symbolum, quamvis Treveris, ut plerique tradiderunt, id est, in Gallia, à Theologo tamen inter illos doctissimo, acutissimoque, scriptum.* Sed fortasse de isto certiora eruent alii: præsertim, quibus facultas est, atque animus, in veteres se abdendi bibliothecas, innumeraque scrutandi, quæ lucem hactenus fugerunt. Interea in Pithœanam hanc sententiam maximè inclinat animus: nempe ut sit Theologi Galli: facileque mihi persuaserim, conditum fuisse Pipini, vel Karoli M. temporibus, occasionem inter cætera præbente controversiâ de Processione Spiritus Sancti: super qua in Gallicis tum Synodis fuisse actum, superiùs dicebamus. In mentem tamen venit, videri etiam posse hominis Hispani; quando circa eadem tempora hæc quæstio in Hispaniis agitabatur: ut dicam Thesi XXIII Dissertationis de Symbolo Constantinopolitano: ad quam nunc accedo.

a Thesi 19.
b Ambros. epist. 82 ad Vercell. & Gregorius Turonens. de Gloria Confess. cap. 3.

Dissertationis secundæ FINIS.

DE TRIBUS SYMBOLIS

DISSERTATIO TERTIA;

eaque tripartita;

DE DISCRIMINE SYMBOLI

Niceni, & Constantinopolitani;

DE PROCESSIONE SPIRITUS S.

etiam à Filio, Synodo Constantinopolitanæ apposita à Latinis;

DEQUE EXORTO INDE SCHISMATE,

ambitione episcopali postea adaucto.

I.

Ex Symbolis, quibus in Officio Romana utitur Ecclesia, superest tertium; quod est Constantinopolitanum. De hoc nemo dubitat, quin auctores habeat CL. *Patres, anno* CCCLXXXI. *Constantinopoli congregatos, regnante Theodosio Seniore.*

QUEM & Synodum eam congregasse, clarè ait Theodoretus Histor. lib. V, cap. IX. In omnibus verò, quæ fidei essent, comprobavit illam ejusdem temporis Papa Damasus: etsi nec per se, nec per legatos, Synodo præsedisset, sed vel Meletius, Patriarcha Antiochenus; vel initio quidem Gregorius Nazianzenus; postquam verò is se in hac Synodo abdicâsset, Nectarius, qui Gregorio suffectus. Unde & Nectarius subscripsit principe loco: Nazianzenus verò postremus inter Ciliciæ Episcopos; nec ut Constantinopolis, sed ut Nazianzi Episcopus.

II.

Quale verò hoc Symbolum fuerit, non solùm cognoscere est ex Concilio Constantinopolitano Generali I; vel ex veteribus Historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus: sed Conciliis etiam particularibus, & multis Patrum, qui illud integrè apponunt.

E Conciliis istis est Forojuliense à Paulino Aquilegiense an. IↃ CCXCI congregatum sub Carolo Magno, & Pipino. Imò & habes Concilii Tridentini Sessione III; nisi quòd processionem Spiritus Sancti dicat esse à Patre, FILIOQUE.

III.

Inque Græcis Ecclesiis confiteri hoc Symbolum necesse habent Patriarchæ, & Archiepiscopi, quando eam consequuntur dignitatem.

UTi liquet ex jure Græco-Romano, edito à Marquardo Frehero *a*. Sed non videtur doctissimus ille vir scivisse, confessionem eam esse Symbolum ipsius Concilii Constantinopolitani, quod fuit Œcumenicum secundum. Alioqui ad illud, de Spiritu Sancto; *Qui ex Patre procedit*; non ad oram apposuisset; *Græcus error illi genti peculiaris.* Nullus enim hic error, quia, qui ex Patre procedere fatetur, non eo de Filio negat. Nec ita unquam frontem perfricuerunt Occidentales, ut erratum dicerent in Concilio Oecumenico, cujus pars ipsi fuissent. Satis res aperta vel ex Concilio Florentino. Et sanè aliter si sit, errârit etiam Nazianzenus oratione XXXIX, quæ est in sancta lumina, cùm ait *b*; Πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς τὸ πνεῦμα, προϊὸν μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς, οὐχ υἱικῶς δέ· οὐδὲ γὰρ γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς· *Spiritus Sanctus verè spiritus est, procedens quidem ex Patro, non tamen filiationis modo, ut nec generationis; verùm processionis.*

a P. 440.

b P. 630. edit. Morell.

IV.

Hoc verò Symbolum, non Constantinopolitanum *modò; sed* Nicenum *etiam, à Scriptoribus vocatur.*

ITa Magister Sententiarum lib. I, distinct. XI: *Illud, inquit, est Symbolum, quod in Missa cantatur, editum in Concilio Niceno.* Eumque secutus Alexander Alesius, qui anno vixit IↃ CCXXX, Parte III, Quæst. LXIX, memb. V. *Tria sunt Symbola; primum, Apostolorum; secundum, Patrum Nicenorum, quod canitur in Missa; tertium, Athanasii.* At nihil certius, quàm illud in Missa cani consuetum, verè esse *Constantinopolitanum*: unde & sic vocare mavult Erasmus de Symbolo Catech. II. Priores secutus Durandus Mimatensis, qui anno vixit IↃ CC LXXX. Hic Rational. Off. Div. lib. IV, cap. XXV, cùm de Apostolico, & Athanasiano Symbolo, egisset, subjungit: *Tertium est Nicenum, quod Damasus Papa, ex constitutione universalis Synodi, apud Constantinopolin celebrata, instituit.* Quid apertius, quàm *Nicenum* vocare, quod Constantinopoli conditum fatetur? Ac loquitur similiter Saxo Carthusianus libro de vita Christi. Sed omnes persequi longum esset: & quædam de eo jam allata nobis initio dissertationis de Symbolo Apostolico.

V.

Imò sic accepit ipsa Synodus Ephesina: quando prohibet, quicquam adjicere Symbolo Niceno. Nec enim interdicit usu Symboli Constantinopolitani; in quo aliqua sunt addita Niceno a Patribus Constantinopolitanis; sed Niceni Symboli nomine Constantinopolitanum comprehendit.

JUdicium hoc Synodi Ephesinæ habes apud Evagrium histor. Eccles. lib. II, cap. IV. Verba ejus adscripsimus parte I; ubi de Symboli Apostolici usu disseruimus.

VI.

Sic verò locuti, quia utrumque Symbolum pro uno haberent. Cujus caussæ sunt duæ. Prior est, quia quicquid est in Niceno, id contineatur iisdem verbis in Constantinopolitano: & quidquid apposuit Constantinopolitanum, id δυνάμει, h. e. potentiâ; *sive virtute, insit in Niceno, ac majoris solum claritatis caussâ postea adjunctum sit.*

HInc Meletius, Patriarcha Alexandrinus, Constantinopoleos præses, an. CIↃ IↃ XCVII literis suis ad Joannem Doutzam: *Symbolum, quod a primo Niceno Concilio confectum secunda complevit Synodus.* Clariusque multò antea eum Marcus Ephesius in Synodo Ferrariensi Sess. V, ubi, cùm de Nestorianis egisset, transformantibus Concilium Nicenum, subjicit illa a: *Quo quidem multos post annos in tertio Concilio recitato, decretum fuit, ut in futurum mutandi Niceni Concilii facultatem haberet nemo utpote quod a Constantinopolitano Symbolo nequaquam in aliquo discreparet: quandoquidem hoc in illo potentiâ videbatur inclusum, ita ut ambo pro uno haberentur.*

a Tom. 4. pag. 421. edit. Colon. an. 1606.

VII.

Altera ratio est, quia major esset Nicenæ Synodi auctoritas: ut quæ omnium esset universalium antiquissima, & cæterarum fundamentum. Cujus etiam Symbolum in usu esset frequentiori.

HAnc rationem idem inibi Marcus Ephesius adducit b: *Multis profecto fortissimis constat argumentis, duo illa priora Symbola ab omnibus Conciliis generalibus* PRO UNO *suscepta fuisse, præsertim à tertio: utpote quod prius cæteris Conciliis utrumque vidit, atque probavit. Et quamvis toto orbe terrarum simul ambo celebrarentur; de primo tamen Symbolo tertium, cæteraque Concilia, mentionem fecere: cum pro ipsius primi Concilii auctoritate, & existimatione, quod majore Patrum numero celebratum fuerat, quodque veluti cæterorum Conciliorum fundamentum haberetur: tum etiam, quod ipso Niceno Symbolo Christianorum plures, quique denuo baptizabantur, frequentius uterentur.* Et paullò pòst: *Ut boni Oratores solent in foro rebus usitatis magis inniti: ita etiam Concilium tertium, quo Symbolo magis homines uti videbat, pro eo tantum decrevit, atque prohibuit: cum præsertim secundum Symbolum expositio primi, non autem ipsius aliqua mutatio fuerit.*

b Pag. eadem.

VIII.

Atque ex his liquet, gravibus de caussis, non verò in scitiâ, scriptores sic loqui, qui pro Constantinopolitano *Symbolo* Nicenum *vocant. Injustiùs eorum errorem castigarent, qui pro* Niceno *dicunt* Constantinopolitanum; *cùm plura insint in Constantinopolitano, quàm Niceno; nec is honos Synodi fuerit Constantinopolitana, qui Nicena, ob caussas, quas adduximus. In hunc errorem incidere videas non paucos; quia existiment, Synodum Constantinopolitanam non aliud Niceno addidisse Symbolo, quam paucula de Spiritu Sancto: ac proinde Nicenum nos Symbolum habere his verbis ab eo refectis:* Dominum vivificantem, qui ex Patre, & Filio procedit: qui cum Patre, & Filio, simul adoratur, & glorificatur.

LEgas hoc in appendiculâ Symbolorum subjunctâ editioni Græcæ Novi Testamenti cum tralatione Theodori Bezæ: quæ ab Henrico Stephano procurata anno CIↃ IↃ LXXV. Multique eam hodie sententiam sequuntur: in his doctissimus Joannes Gerardi Tomo primo Locorum Communium, in controversia de Spiritu Sancto, ubi sic scribit a: *In Synodo Constantinopolitana bonam operam veritati navavit Gregorius Nyssenus, Basilii frater, & consensu totius Synodi addidit Symbolo Niceno hanc clausulam: Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*, &c. Ac ne absque teste loqui videatur, remittit nos ad Socratem lib. V, cap. VIII, Sozomenum lib. VII, cap. VIII, (septimum voluit dicere) Historiam Cassiodori Tripartitam lib. IX, cap. XII, & XVI, ac denique Nicephorum Callistum lib. XII, cap. X, & XIII. Quibus in locis agitur quidem de Synodo Constantinopolitana, & laudibus Gregorii Nysseni: sed non dicitur, Gregorium hunc apposuisse Symbolo de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio. Quod ne per somnium quidem ulli veterum in mentem venit. Atque hæc non eo à me referuntur, quasi eruditissimo illi viro, aut aliis ejusce sententiæ, quicquam detractum velim, (nihil alienius à moribus nostris) sed quia subinde mihi conflictandum cum ejusmodi ingeniis, quæ solùm sapiant ex juniorum rivis; veteres despicatui habeant, quia, ut ajunt, homines fuerint; quasi hodieque aliud quam homines simus; aut ubi de historia temporum, veterumque opinione agitur, meliores, quàm ipsos, testes habere possimus. Ajunt, se vetustatis dicta factaque aliunde sat discere: quippe eos se legere, qui illos legerint. Quod quid aliud est, quàm alienis videre oculis, sæpe excucientibus? ut cernere est, vel exemplo ex eo, quod adduximus. Ac poteram sexcenta ejusmodi alia adferre ex aliis. Sed non ego Hercules ille, qui corrigere valeam inveteratum hoc seculi vitium, ac quotidie gliscens. Nec [illegible] animus est spinas consectari, quàm rosas.

a P. 987. & seq.

IX.

Nec uno nomine hæc peccat sententia. Multa adeò sunt, quæ Constantinopolitana Synodus Symbolo apposuerit Niceno. Primum quia, cum in Niceno esset, Omnium visibilium, & invisibilium factorem; *Constantinopolitana posuit,* factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium.

MEmoriæ error est, cùm Andreas Colossensis, Concilii Ferrariensis Sess. VI b, sic loquitur: *Credere debemus quam plurima fuisse à secundo Concilio declarata; quæ tamen minime diceremus additiones fuisse. Nam in Niceno Symbolo,* VISIBILIUM OMNIUM, ET INVISIBILIUM; *&* FILIUM NATUM ANTE OMNIA SECULA; *&, in Spiritum Sanctum* DOMINUM, ET VIVIFICANTEM; *neutiquam erant scripta: quæ licet ab ipso Concilio Symbolo fuerint addita; non tamen propterea putavit accessionem novam ad Symbolum ipsum fecisse.* Planè pro *visibilium & invisibilium*, voluit, vel saltem dicere debuit, *cœli, & terræ.* Nam posterius hoc, non alterum, defuit in Niceno Symbolo: prout Athanasius, Rufinus, Theodoretus, Socrates, & Nicephorus, referunt.

b P. 412. Tom. 4. edit. Colon. an. 1606.

X.

Alterum est, quod Constantinopolitana Synodus apposuerit, natum ante omnia secula.

ATque hoc rectè observatum Andreæ Colossensi; ut in verbis allatis jam vidimus.

XI.

Adhuc additio facta horum verborum : Ex Spiritu Sancto, & Maria Virgine. *Item*, Sedet ad dexteram Dei. *Præterea*, Cujus regni non erit finis.

a P. 419. edit. antea dicta. PRimum eorum in Concilio Ferrariensi, Sess. v *a*, observat Marcus Ephesius; ubi si loquitur : *Secundum Concilium Oecumenicum divinam contra Sancti Spiritus inimicos rationem accuratius* (Niceno) *explicavit, & illustravit, & ad evertendum hæreticum Apollinaris dogma, verbo huic* INCARNATUS, *illud*, EX SPIRITU SANCTO, ET MARIA VIRGINE, *addidit.* Insuper videmus, non à Nicenis, sed Constantinopolitanis Patribus, esse, quod adjungitur, *Crucifixus*. Et mox, *Sepultus*. Et præterea, *Sedit ad dextram Patris.* Exinde, quod adventurus *cum gloria*: & quod ejus *regni non erit finis.* Sequuntur tum verba illa de Spiritu Sancto antea memorata; de quibus satis convenit. Et siquis ambigit, multorum instar testium fuerint hi duo; Paullinus Forojuliensis, sive Aquilegiensis Episcopus, & Hugo Eterianus. Quamquam Paullinum cùm dico, potius Patres dico Concilii Forojuliensis à Paullino congregatos sub Principibus, Carolo Magno, ac Pipino. Eo in Concilio hæc legas: *Si recenseatur Niceni Symboli series veneranda; nihil aliud de Spiritu Sancto in eo, nisi hoc modo, reperiri poterit promulgatum* : ET IN SANCTUM, *inquiunt*, SPIRITUM. *Quid est ergo dicere*, ET IN SPIRITUM SANCTUM? *Quomodo accipienda est tam brevissima eorum professio, nisi ut patenter detur intelligi mentium eorum integra fides religiosa devotio, & in Sanctum Spiritum, sicut & in Patrem, & in Filium, probabiliter credidisse; quemadmodum postea à Sanctis Patribus et, qui contestati sunt Symboli fidem Niceni Concilii inviolatam perenniter permanere. Suppleverunt tamen, quasi exponendo eorum sensum; & in Spiritum Sanctum confitentur se credere, Dominum, & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum. Hæc enim, & cætera, quæ sequuntur, in Niceni sacro dogmate non habentur.* Hactenus Paullinus, quem utrùm Forojuliensem, an Aquilegiensem dicas Archiepiscopum, non multùm arbitror referre: quando, ut diversæ sint urbes, Forojulium, & Aquileia; idem tamen Archiepiscopatus, etiam sub Carolo Magno, erat: unde sic Sigebertus ad annum Iↄ ccx: *Nomina Archiepiscopalium civitatum, quæ erant sub Carolo : Roma, Ravenna, Forumjulii, quæ & Aquileia, Gradus, Colonia, Moguntia &c.* Nempe hæc confusio nominum orta videtur ex eo, quòd sedes Archiepiscopalis à Forojulio sit translata Aquilegiam. Alter testium, quos dixi, est Hugo Eterianus lib. III de Hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt, cap. XVI: *Constantinopoli*, inquit, *Synodus celebrata Niceno addidit Concilio; quod manifestum fit per Fidei editionem Synodi utriusque. Etenim trecentorum decem & octo Patrum editio, nec ea, quæ dicta sunt nuper, habet; nec quod Spiritus Dominus sit, & Deus, aut vivificans, aut quod ex Patre procedat, cumque illo adoretur, & conglorificetur: quoniam quæ Constantinopoli peracta est Synodus, hoc edidit.* Quid istis manifestius? Et paullò pòst idem ait: *Si Constantinopolitana Synodus Niceno adjecit Synodo: In Spiritum Dominum, & vivificantem, & ex Patre procedentem.* Hunc verò librum Hugo Eterianus ad Alexandrum III. Constantinopoli scripsit anno cIↄ c LXXVII.

XII.

Denique à Patribus Constantinopolitanis sunt, quæ deinde sequuntur, de una sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia; de uno baptismate in remissionem peccatorum; de resurrectione mortuorum, & futuro seculo.

HOc quoque Paullinus Aquilegiensis indicat in Synodo antè memoratâ. Verba ejus pleniùs jam adduximus: ex quibus huc solùm pertinet, quòd Niceno Symbolo, post illa de Spiritu Sancto, Domino, & vivificatore, adorando, & glorificando unà cum Patre, & Filio, etiam addita ait CÆTERA, QUÆ SEQUUNTUR.

XIII.

Interim error iste, ut spissus sit, non [illegible] tamen generis est, ut homines eruditi propterea more seculi, quo nunc vivitur, pipulo debeant differri.

ATque ut faciliùs ignoscatur, sive Henrico Stephano, sive Theodoro Bezæ, (quem ipsum hoc Symbolum Novo sic Testamento adtexuisse, ait Ludovicus Lavaterus *a*) facit illud, quòd in eodem videamus aberratum in postrema editione Epiphanii; quam recensuit, vertit, ac animadversionibus suis illustravit, Dionysius Petavius, Societatis Jesu Theologus. Nam in ea ad otam annotatur, Nicenæ fidei confessionem esse priorem earum, quas extremo Ancyrato legere est : cùm tamen in eadem illa inveniantur de Ecclesia, & aliis, à Constantinopolitana Synodo adjectis. Ac plures, qui hac parte peccarent, possim adducere, si tanti videretur, eos in re aliqua culpare, qui multa cum laude præstiterunt, & quorum ex laboribus nos etiam profecisse agnoscimus.

a Lib. de Descensu ad inferos cap. 9. Stephanus vero solum ait, ex Bezæ consilio se addidisse.

XIV.

Quæcumque hactenus diximus, ea non fuisse in Niceno; satis liquebit ex iis, qui αὐτολεξεὶ b Symbolum referunt Nicenum.

b Verbis iisdem.

UTi sunt Athanasius, epistolâ ad Jovianum *c*, & exinde in Conciliorum Tomis *d*. Item codex canonum Ecclesiæ Africanæ *e*, Rufinus Histor. Eccles. lib. 1. cap. VI, Theodoretus lib. 1, cap. XII, Socrates lib 1, cap. V, Cassiodorus Tripartitæ Histor. lib. 1, cap. XVII, & Nicephorus lib. 1, cap. XII. Apud quem tamen, saltem apud interpretem, post hæc, *per quem omnia facta sunt*, desideratur, *& quæ in cœlo, & terra.* Atque ex his scriptoribus verum, & genuinum Symbolum Nicenum peti debet.

c Tom. 1. pag. 399.
d Editionis Romanæ pag. 19.
e Pag. 56. edit. Paris. an. 1614.

XV.

Alius quoque eorum est error, quòd Constantinopolitani Patres Symbolo suo dicuntur adjecisse processionem Spiritus Sancti à Filio.

NAm sic ejus Synodi Symbolum referunt, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον· *ex Patre, Filioque procedentem.* At de Filio, seu Stephanum, seu Bezam, & qui hos sequuntur, fugit ratio nimium quantum : ut postea liquebit. Est verò hoc erroris genus planè diversum a superioribus. Istic erratum, quia putarunt, in Niceno fuisse, quæ sunt à Patribus Constantinopolitanis. In hoc peccatum, quòd à Constantinopolitana Synodo esse existimant, quæ multis pòst seculis sunt apposita. Sanè primitus de isto ne inter Græcos quidem convênit. Afferuntur ex Græcis Patribus, Didymus, Gregorius uterque, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, ad probandum eos processionem à Filio agnovisse. Sed nec pauci sunt, quos pro se adferunt Græci. In his Theodoretus est contra ana-

thematismos Cyrilli cap. IX: ubi admodum culpat, quod de proprio Christi Spiritu scripserat Cyrillus. Nec multùm super eo sertam sibi reciprocandam Cyrillus putavit. Theodoretum etiam secutus Joannes Damascenus lib. I. de fide Orthodoxa cap. XI. Ac fortasse, (quòd Petrus Pythœus suspicatur, lib. de Processione Spiritus Sancti) is est Joannes Monachus; à quo hanc controversiam primitus esse motam, aliqui scripsere: ut postea dicetur. Nisi obstat, quòd eum Hierosolymitanum appellat Ado Archiepiscopus Viennensis, ad annum ↄcclxvii. Sed proclivis fuerit error in confusione Ioannis Hierosolymitani, & Hierosolymis agentis; præsertim apud Occidentales. Sanè Monachus Egolismensis S. Eparchii, in vita Caroli Magni, non Hierosolymitanum vocat; sed tantùm Hierosolymis movisse quæstionem dicit. Verba inferiùs adducam.

XVI.

Par error eorum, qui illud de processione à Filio volunt Damasi temporibus additum esse à Concilio Romano.

a Conspectus omnium canonum, editorum à sex Synodis generalibus, & particularibus iis, quæ tempore interjecto fuerunt.

TRadidit hoc Alexius Aristinus in opere, quod inscribitur a, Συνοπτικὴ τῶν ὅλων κανόνων τῶν ἐκτεθέντων παρὰ τῶν οἰκουμενικῶν ἁγίων ἓξ συνόδων, καὶ τῶν μεταξὺ τῶν αὐτῶν τοπικῶν. Testis est Genebrardus in tertio de Trinitate: ubi se operis ejus habere fragmentum, inque eo id legisse commemorat. Sed manifestus est Alexii error. Quippe id si esset, meminisset ejus rei Theodoretus in Historia sua; ubi Concilii ad Damasum, Damasi ad Concilium literas refert. Imò tantùm abest, ut Damasus id Symbolo inseruerit, ut nec quadringentis, & amplius, annis pòst id permiserit Leo III: quemadmodum infrà planius fiet. Objectant, quòd inter opera B. Hieronymi legatur Symbolum Damasi, ubi id additum sit. Quasi de Damasi, non de Constantinopolitano Symbolo, sit sermo. Imò ne quidem hoc Symbolum Damasi sit, si (quod Bellarminus in scriptoribus Ecclesiasticis ait) nihil ejus genuinum supersit, præter epistolas paucas; quarum aliæ inter Hieronymianas legantur, aliæ apud Theodoretum. Credo autem de iis solùm loqui, quæ prosâ scripserit; non de versibus, qui tempora ad nostra pervenerint.

XVII.

Interea non repugno, quò minus Damasus hoc Symbolum non approbârit solùm; sed etiam inseruerit Officio Sacro.

CEnset hoc Platina in Damaso, cum scribit: *Mandavit, ut in principio celebrationis, quam Missam vocant, Confessio diceretur, ut hodie fit.*

XVIII.

Ac creditur id factum exemplo Græcorum.

WAlafridus Strabo, Abbas Augiensis sub Ludovico Pio, de rebus Ecclesiast. cap. XXII: *Illud Symbolum, quod nos ad imitationem Græcorum intra Missas adsumimus.* Et mox: *Ab ipsis ergo ad Romanos ille usus creditur pervenisse.*

XIX.

Sed non bene illa convenire mihi videntur, ut Damasus jusserit hoc Symbolum recitari in Missâ, & ut à Romana Ecclesia sit receptum ad exemplum Græcorum. Nam Græci necdum admiserant in Liturgiam sesquiseculo post. Quippe Timotheus, Constantinopolitanus Patriarcha, qui anno ↀ XI, ac proximo quinquennio, sedit, primus instituit, ut in sacris solemnibus publice diceretur.

THeodorus Lector lib. II Collectaneorum: *Timotheus* (erat hic Constantinopolitanus Episcopus) *ab amicis rogatus, Symbolum Fidei trecentorum decem & octo Patrum* PER SINGULAS SYNAXES DICI *curavit: ad reprehensionem videlicet Macedonii; quasi ille Symbolum hoc non recepert; cum antea* SEMAL TANTUM IN ANNO, *in Parasceue scilicet Dominicæ Passionis, tempore quo Episcopus catechizabat,* RECITATUM *esset.* Ubi per Symbolum CCCXVIII Patrum intelligitur Nicenum; sed cùm auctario Synodi Constantinopolitanæ adversum Pneumatomachos edito. Nam Timotheus hic cum Anastasio Imperatore favit Eutychianis: qui tres priores Synodos amplectebantur. Quod & Eutyches ipse faciebat: ut qui libello suo in Synodo Chalcedonensi id sæpius profiteatur: sed Constantinopolitanam Synodum non nominat; verùm Nicenam tantum, & Ephesinam. Audiamus ipsum: *Divinâ confessione à me factâ, & subscriptâ doctrinâ, secundum eam, quæ exposita est à sanctis Patriarchis in Nicæa fidem, & postea confirmata est à priore sanctâ Synodo Ephesinâ.* Ac postea: *Cum jussus fuissem per me ipsum confessionem Fidei dicere, & dixissem, sapere, sicut trecenti decem & octo Patres, quæ in Nicæa sanxerunt, & quæ in Epheso sancta Synodus confirmavit: exigebat à me alia aliqua, præterquam quæ exposita sunt in Nicæa, & in Epheso, priùs dicere.* Iterum: *Ubi ego secundum sanctos Patres in Nicæa, & postea in Epheso congregatos, sapere dixi.* Et post aliqua: *Sic sapio, & cogito, & intelligo, sicut tradiderunt nobis fidem sancti Patres in Nicæa convenientes, quam & in Epheso, secundo Concilio, sancti Patres roboraverunt.* Videmus ubique *Niceno* nomine Constantinopolitanum complecti: imò Ephesinum Concilium habere pro Oecumenico secundo; Nicenum, & Constantinopolitanum, pro primo; quia Synodus Constantinopolitana non novum condidit Symbolum; sed tantùm, explicationis gratiâ, quædam adjecit; quemadmodum non semel diximus. Ut dubium non sit, quin Eutychianus ille Timotheus similiter, ac Eutyches, sit intelligendus. Quod pluribus docendum putavi; quia multos video intelligere meram Nicenam confessionem. Imò nec aliter videtur cepisse Baronius ad an. CCCXXV; ubi, cùm eorum retulisset opinionem, qui arbitrantur, statim à Niceno Concilio, sive à Sylvestro, sive Marco potiùs, in Romana Ecclesia Symbolum ejus publicè canendi consuetudinem introductam: addit, antiquiora se ejusdem institutionis vestigia in Orientali Ecclesia invenire; atque inde hoc esse, quia Arrii hæresis iis magis in locis sæviret. His autem firmandis allata Theodori Lectoris verba subjungit. Ut obscurum non sit, loqui eum de Symbolo Niceno, quale initio erat; qualeque creditur cantatum tempore Marci Papæ, annis XLV. ante Synodum Constantinopolitanam. Atqui Timotheus Patriarcha loquitur de Niceno, quale erat post Synodum Constantinopolitanam; nempe cum auctario adversus Macedonium; ut antea ostensum. Quare si Symbolum hoc Constantinopolitanum post annum demum quingentesimum in sacris synaxibus cœpit recitari: vel Damasus non induxit hunc morem ad exemplum Græcorum: sed aliquis id fecerit minimùm sesquiseculo junior; vel si Romana Ecclesia in eo secuta est morem Græcorum, falluntur, quicunque hoc à Damaso institutum arbitrantur.

XX.

Aliquanto probabilior est eorum opinio, qui duobus, & amplius, seculis post ab aliquo Pontifice Romano id Symbolo insertum arbitrantur.

ITa censet Bellarminus lib. II de Christo, cap. XXII. Atque idem ait statuisse Andream Collostensem; qui in

Con-

Concilio Ferrariensi Latinorum partes contra Græcos defendit. Verba quidem Andreæ sunt ista, Sessione VII a: *Maximo in Hispaniis, & Galliis, schismate imminente, cum jam*, EX FILIOQUE, *passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse in multorum Occidentalium ampla dignitatis, magnique concilii Patrum conventu, addito*, EX FILIOQUE, *Symbolum magis illustrare.* Sed Bellarminum audiamus: *Idem Andreas dicit, tempore VI Synodi, id est, post annum Domini* ⅠↃC, *hanc conditionem factam esse à Romano Pontifice in Concilio ingenti Latinorum Patrum propter dissensiones quasdam exortas in Gallia, & in Hispania. Et quamvis non possimus certo notare annum, aut pontificem certum; tamen videtur omnino hoc tempore id esse factum.* Hanc Bellarmini sententiam complures hodie sequuntur.

a P. 417. edit. Col. Bin.

XXI.

Imò non desunt, qui Orientales ipso in Concilio Niceno II, quod anno ⅠↃ CCLXXXVII. *imaginum cultum stabilivit, hoc de processione Spiritus à Filio addidisse Symbolo contendant.*

AUdiamus verba Synodi Ferrariensis Sess. V: *Lectâ septimi generalis Concilii definitione, Latini quendam vetustissimum librum in medium attulere: in quo quidem eadem ipsa definitio, Sanctumque Spiritum ex Patre Filioque procedere, scriptum est: quâ de re non mediocris contentio in illa sessione fuit orta. Nam Latini librum ipsum vetustissimum ostentabant: ac vehementer elati eum cum Græcorum libro conferebant, tentantes ex Patrum subscriptionibus, rebusque aliis, eorumdem librorum convenientiam demonstrare. Quos cùm in omnibus, ipsâ tantum accessione exceptâ, convenire vidissent, visi sunt mirum in modum admirari.* Et post aliqua ita Julianus Cardinalis: *Septimi Concilii* SYMBOLUM, *quod modò fecimus recitari, ita in vetustissimo volumine scriptum est; ita ut nemo poterit suspicari, corruptum fuisse: cùm præsertim quidam historicus noster, antiquus quidem, ac literatus, inter alia id quoque testetur, hoc ipsum* SYMBOLUM *in septimo Concilio recitatum fuisse. Tali propterea Symbolo, cum hac additione, vel declaratione, non mediocrem tribuimus auctoritatem.* Etiam Sessione VII. sic loquitur Andreas Colossensis: *Præterea vetustissimum septimæ Synodi librum habemus, in quo plane Sanctum Spiritum ex Filioque procedere, ut multis etiam aliis annalibus, constat.* Quod & ipsum Laurentius Surius complexus in Ferrariensis hujus, sive Florentinæ Synodi compendio. Ac Bellarminus quoque lib. II de Christo, cap. XXIII, hoc de vetustissimo libro argumentum urget. Quòd verò Latini illud de Synodo Nicena II etiam ex historicis probare conantur, credo inter eos fuerit Martinus Polonus: ut qui sic scribat in Chronico suo, ubi agit de vita Constantini, & Irenes: *Horum imperii anno octavo facta est secunda Synodus in Nicæa; ubi adfuerunt trecenti, & quinquaginta Patres: in qua affirmatum est, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, procedere.*

XXII.

Sed si Concilio eo sic statutum esset, non hoc ignorassent Græci: & aliqui saltem codices, præter eum, quem Romani Græcis ostendebant, ita habuissent. Adde quod nec Anastasius bibliothecarius id legerit; qui annis solùm LXX *post Synodum eam claruit. Quare non dubito, quin illud de* Filio, *vel fraude fuerit insertum, vel librarii irrepserit errore.*

COnsentit Petrus Pythœus lib. de Processione Spiritus S. Verba ejus apponam; *Quod in Ferrariensi quadam sessione nonnulli ex Latinis asserere ausi sunt, Synodi septimæ definitione Spiritus ex Filio processionem nominatim expressam; prolato etiam in eam rem vetusto quodam exemplari Græco: quamvis Martini Poloni testimonio nonnihil conveniat;* PACE *tamen* NOSTRORUM *dixerim, parùm apud me ponderis habet: præsertim cùm vel ipse Anastasius, Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, qui eodem ferè tempore vixit; ac paullo post sub Ioanne VIII. eandem Synodum interpretatus est, codex apud nos antiquissimus nihil tale contineat: nisi quis id ex compacto illo Constantinopolitanæ Synodi à Græcis jactato postea emendatum putet. Quod ego non facilè crediderim.* Per Synodum autem Constantinopolitanam intelligit Pithœus, non illam ab Ignatio Patriarcha convocatam anno ⅠↃ CCCLXIX; quâ Photius damnatus: sed illam à Photio indictam, anno ⅠↃCCCLXXIX; quâ prior Synodus abrogata, & ἀμνησία a quædam inter Ignatianos, & Photianos, est statuta: ut ex Marco Ephesio inferiùs dicetur.

a Injuriarum oblivio.

XXIII.

Nec verum magis, quòd à Romano Pontifice circa hæc tempora additum illud Symbolo esse tradiderunt. Sed verissimum interim est, in pluribus Conciliis, partim ante Pipini Brevis tempora, partim eo, & Carolo Magno, regnantibus, vel hoc additum esse Symbolo, vel saltem ipsum dogma comprobatum. Quippe in Hispaniis, jam anno ⅠↃ CLIII, *sub rege Recesuinto, additionem eam habet Concilium Toletanum octavum.*

UT vulgò quidem numerant: quod veriùs decimum; ut numerat Pythœus lib. de Processione Spiritus S. Porrò eo in Concilio hoc Symbolum cum additione istâ memoratur b; idque non in editione modò vulgatâ; sed illâ etiam Garsiæ Loaizæ, quæ primò in Hispaniis prodiit Madriti. Bellarminus ergo, cùm animadverteret, pingui satis Minervâ dici, additionem tempore factam Concilii VI Generalis; quandoquidem an. id habitum sit ⅠↃCLXXX, & seqenti; Toletanum verò hoc Concilium an. præcesserit XXVII: dicere propterea maluit; additum id esse post annum sexcentesimum. Sic enim loquitur, ut vidimus; *Andreas dicit tempore VI Synodi, hoc est, post annum Dom.* ⅠↃC, *hanc additionem factam.*

b P. 1128. edit. Col. Bin.

XXIV.

Quod verò de additione receptâ in Hispaniis dixi; id de iis capiendum Ecclesiis, ubi Constantinopolitanum Symbolum in Liturgiam admissum fuit. Cæteroquin fuere in Hispania Ecclesiæ, quæ Nicenum citra additiones Synodi Constantinopolitanæ retinerent. Uti Hispalensis, cui præfuit Leander. Hanc enim contentam fuisse Symbolo Niceno, liquet ex Mozarabe, sive Missa Mozarabum.

QUæ sic dicta, quasi Missa Arabum: quia Christiani Hispani, cùm primò induceretur, Arabibus forent permixti. In ea legas hæc verba: c *Et elevat secundò corpus Christi, ut videatur à populo. Mox cantatur Symbolum Fidei, ut est in Concilio Niceno.* Ac similiter, qui post Leandrum Ecclesiam Hispalensem tenuit, Isidorus lib. I de Ecclesiast. Offic. cap. XVI: *Symbolum, quod tempore Sacrificii populo prædicatur, sanctorum Patrum trecentorum decem & octo collatione apud Synodum Nicenam est editum.* Nec non in mentem venit, Nicenum Symbolum sæpe dici, quòd est Constantinopolitanum; ut alibi ostendimus. Verùm hic *Nicenum* pressè sumi, colligitur ex eo, quòd Toletani Concilii III, cap. II, usurpari dicitur Constantinopolitanum. Ut Hispalensis Ecclesia Nicenum; Toletana videatur Constantinopolitanum usurpâsse. Saltem sic visum Margarino Bigneo, annotatione ad hunc locum, Petro Pithœo lib. de Processione

c Habes Tom. 6. Bibliotheca Patrum.

ne

ne Spiritus S. & aliis. Nulli certiùs rem dicent Toletanis, & Salamanticensibus. Nam etsi Missa hæc Mozatabum, quâ Leandrum, posteaque Isidorum, esse usum dicebamus, temporibus Alfonsi VI, à Papa Gregorio VII. sit abrogata: retenta tamen est tum Toleti in VI Parochiis, & in Cathedralis Ecclesiæ sacello, quod fratris Francisci Ximenes dicitur: tum etiam Salamanticæ diebus statis in sacello Doctoris Talabricensis, quod est in summi templi peristylio.

XXV.

Franci quoque, sive Galli, & Germani, & in Italia Trans-Padanorum illi, qui Francorum Regi paruerunt, additiunculam hanc in Symbolum admisere. De tempore non ita apertum. Illud constat, anno IↃ CCLXVII. *Gentiliaci in Concilio, præsente Pipino Rege, inter Romanos & Græcos disputatum esse de Processione Spiritus S.*

RHegino, abbas Pruniensis, lib. I. ad annum memoratum, cùm dixisset antea, regem Pipinum celebrâsse Pascha Gentiliaci, ista subjungit: *Rex in supra dictâ villâ Synodum magnam habuit inter Romanos, & Græcos, de Sanctâ Trinitate, & de Sanctorum imaginibus.* Ubi sine dubio, per controversiam de Trinitate intelligi illa debet de processione Spiritus Sancti; quando de Trinitate inter Latinos, & Græcos, alia erat nulla. Quod si cui aqua hic hæret; liquidò id dicit Ado Viennensis, his verbis: *Facta est tunc temporis Synodus, anno Incarnationis Domini* IↃ CCLXVII, *& quæstio ventilata inter Græcos, & Romanos, de Trinitate, & utrùm Spiritus, sicut procedit à Patre ita procedat à Filio: & de Sanctorum imaginibus, utrumne fingenda, an pingenda essent in Ecclesiis.* Prout est in editione Morellianâ, & in Bibliotheca Patrum, edit. II. In aliis est, *aut pingenda*: quomodo & apud Sirmondum est in præclara Gallicorum Conciliorum editione, ubi de hoc Concilio agitur. Per *Romanos* verò idem Sirmondus intelligit Papæ Romani legatos. Sed non arbitror huic Gallicano eos Concilio interfuisse. Et ut interfuissent, non puto Romanæ Ecclesiæ nomine in Galliis disputasse; sed nomine Ecclesiæ Gallicanæ: eoque verisimilius fit, cùm Romani, & Græci, opponantur; per Romanos intelligi Francos, vel Occidentales: atque ita eos dici, quia Romæ veteris sententiam sequerentur. Porrò meminere hujus Synodi etiam Sigebertus, & Conradus à Lichtenaw, sive abbas Urspergensis.

XXVI.

Necdum tamen ejus Synodi tempore per omnem Franciam Symbolum Constantinopolitanum in Liturgia obtinebat: quod imprimis per Galliam, & Germaniam, recipi in sacris cœpit, Elipando, Toletano Archiepiscopo, & Felice Urgelitano Episcopo, prius in Synodo Ratisponensi, anno IↃ CCXCII, *ac biennio post, in Francofurtensi condemnatis.*

WAlafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis, c. XXII; *Sed apud Gallos, & Germanos, post dejectionem Felicis hæretici, sub gloriosissimo Carolo, Francorum Rege, idem Symbolum latius & crebrius in Missarum cœpit Officiis iterari.* Felix ille, cum Elipando, docebat, Christum ratione humanæ naturæ esse filium adoptivum: unde Nestorianismi damnatus, quia sic duæ essent personæ; unus filius naturalis, alter adoptivus. Ut adversus hanc hæresin omnes munirentur, placuit Synodo Francofurtensi, cui & Rex Carolus interfuit, ut sedulò traderetur, tum Symbolum Fidei, quod *Apostolicum* dicitur; tum Catholica fides Sanctæ Trinitatis, sive Symbolum Constantinopolitanum. Sic enim habet trigesimus tertius canon ejus Concilii, quod primus edidit Sirmondus: *Ut fides Catholica Sanctæ Trinitatis, & oratio Dominica, atque Symbolum Fidei, omnibus prædicetur, & tradatur.* Porro Francofurtensi, de qua dixi, Synodo interfuit quoque Paullinus Aquilegiensis; ut acta Concilii indicant. Quid mirum? quando in ea parte esset Italiæ, quæ Francis parêret. Annoque demum IↃ CCCII. vivendi finem fecit: ut ex Françorum Annalibus liquet. Atque idem Paullinus Forojuliense Concilium congregavit. Forojulium quippe, sive, ut antiquiores maluere, Forum Julii, aut Julium, Aquilegiensis provinciæ municipium fuit: ut ex Concilii ejus Actis cognoscimus; ubi legas: *Canonicis siquidem evocatum syllabis fraternum quorumdam Episcoporum contubernium Forojulium municipium, metropolim Aquilegiensem, veneranter coacervatum convênit.* Aliquanto autem pôst, quod ad præsentem magis controversiam pertinet, cùm actum de iis esset, quæ Synodus Constantinopolitana Symbolo addidisset Niceno, legas inter alia: *Sed & postmodum propter eos videlicet hæreticos, qui susurrant, Spiritum Sanctum solius esse Patris, & à solo procedere Patre, additum est:* QUI EX PATRE, FILIOQUE, PROCEDIT.

XXVII.

Denuo postea decisa est hæc quæstio Aquisgrani anno IↃ CCCIX; *ubi iterum hoc in controversiam vocabatur: idque eâ, ut videtur, occasione, quod passim jam, in Ecclesiis Gallicis, Symbolo Constantinopolitano inter canendum adderetur.*

DE hac Synodo sic Monachus Egolismensis S. Eparchii, in vita Caroli Magni; qui sub Ludovico Pio vixit a, primùm à Pythœo editus: *His ita gestis Imperator, de Ardenna* b *Aquis* c *reversus, mense Novembri, Concilium habuit de Spiritu Sancto procedente à Patre, & Filio. Quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Hierosolymis primò commovit.* Ac propè iisdem verbis hæc, & sequentia, habes, in Annalium Francicorum scriptore ejusdem ætatis d; qui inter illos à Pythœo divulgatos principe loco collocatur. Deque eodem sic Ado in Chronico: *Synodus magna Grani Aquis congregatur anno Incarnationis Domini* IↃ CCCIX: *in qua Synodo de processione Spiritus S. quæstio agitatur, utrum sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio. Hanc quæstionem Ioannes, Monachus Hierosolymitanus, moverat; cùm regula, & fides Ecclesiastica, firmet Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, procedere non creatum, non genitum; sed Patri, & Filio coæternum, & consubstantialem. Nomen autem processionis à Patre, & Filio, in Apocalypsi* e *ita apertè est positum: Et ostendit mihi (haud dubium, quin Angelus) flumen aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedens de sede Dei, & Agni.*

a P. 241. edit. Commel.
b *Arduenna.*
c *Aquisgranum.*
d *Ad an.* 809.
e Cap. 22: v. 1.

XXVIII.

Hac Synodo habitâ, apocrisiarii sive legati, vel missi, Bernarius Vangionum, Jesse Ambianorum, Episcopi, & Adalhardus, Abbas Corbejæ majoris, Romam sunt profecti ad Papam Leonem III, *quo judicium ejus cognoscerent.*

AUctor Monachus S. Eparchii in vita Caroli Magni antè memoratâ: ubi cùm hac de controversia Concilium esse à Carolo Magno habitum Aquisgrani narrâsset, ista subjungit: *Cujus* (quæstionis) *definienda caussa Bernarius* f, *Episcopus Cormaricensis* g, *& Asius, Episcopus Warmatia* h, *& Adalhardus, Abbas Corbeja, missi sunt ad Leonem Papam.*

f *Al. Berentius.*
g *Jesse.*
h *Al. Warmantia. Sed perperam. Nam Wormatia signatur.*

XXIX. *Leo*

XXIX.

Leo verò, auditis Synodi testimoniis, decretum ejus suffragio suo comprobavit.

a Concil. Gall. à Sirmondo editorum Tom. 2. pag. 256. b H. e. poenitentia. Liquet ex Smaragdi actis; ob legas a: *Lectis à prædictis Missis b per ordinem testimoniis, atque à Domino Apostolico diligentissimè auditis, ait; Ita sentio, ita teneo, ita cum his auctoribus, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire, vel docere voluerit, defendo: & nisi conversus fuerit, & secundum hunc sensum tenere voluerit; contraria sentientem funditus abjicio.*

XXX.

Attamen ne tum quidem placuit Papæ Romano, ut illud, FILIOQUE, Concilio insereretur Constantinopolitano.

Hoc cognoscere est ex iisdem Smaragdi Actis; ubi tres illi à Carolo Missi, Bernarius, & Jesse Episcopi, & Abbas Adalhardus, urgent, ut illud de processione à Filio Symbolo huic adderetur. Pugnant autem eo argumento, quòd esset dogma fidei; eoque à nemine debeat c P. 257. ignorari. Huc pertinet illa Missorum interrogatio c: *Si quis nescierit, vel ita non crediderit, num salvus esse poterit?* Papa Leo cautè admodum respondit: *Quisquis ad hoc sensu subtiliori pertingere potest, & id sciro, aut ita sciens, credere noluerit, salvus esse non poterit. Sunt enim multa, e quibus istud unum est, sacra fides altiora mysteria, ad quorum indagationem pertingere multi valent: multi vero aut atatis quantitate, aut intelligentia qualitate præpediti, non valent: & ideo, ut prædiximus, qui potuerit, & noluerit, salvus esse non poterit.* Non acquiescunt his à Synodo, vel Carolo, Missi. Quærunt igitur: *Nunquid non bene tum auctores* (Synodi Constantinopolitanæ Patres) *fecissent, si quatuor tantum addendo syllabas, tam pernecessarium Fidei sacramentum cunctis deinde seculis perspicuum redderetur?* Respondet Papa piè, & prudenter: *Sicut non audeo dicero, non bene fecisse, si fecissent, quia procul dubio sicut cætera, quæ vel omiserunt, scientes utique, & non tam humanâ, quam divinâ illuminati providentiâ, fecerunt: ita quoque non audeo dicere, istud eos nobis minus intellexisse, perpendisse, cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne ultra mitteretur, sicut & cætera, prohibuere. Tu, & tui videte, quid sentiatis de vobis. Nam & ego me illis, non dico præferam; sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam.* Post multa in Actis iis sic rogant Missi: *Ergo, ut video, illud à vestra Paternitate decernitur, ut primo illud, de quo quæstio agitur, de sæpe fato Symbolo tollatur; & tunc demum a quolibet licite ac liberè, sive cantando, sive tradendo, discatur, & doceatur.* Respondet Papa: *Ita procul dubio à nostra parte decernitur: ita quoque, ut à vestra assentiatur, à nobis ommimodis suadetur.* Porrò Acta ipsa, ut à Smaragdo transmissa Carolo fuere, legas in Annalibus Baronii ad an. DCCCIX, & Tom. II Concid P. 256. liorum Galliæ, quæ edidit Sirmondus d.

XXXI.

Nec contentus fuit Leo, suadere Francis, ut ne deinceps de processione à Filio adderent; sed Romæ præterea in argentea tabula hoc Symbolum Constantinopolitanum absque illo, FILIOQUE, scribi jussit.

Testes duos adducam; Græcum unum, alterum Latinum. Prior est Photius Patriarcha Constantinopolitanus, in epistola ad Patriarcham Aquilegiensem. Ubi, cùm de Leone M. egisset, ad Leonem III. accedit: *Siquidem*, inquit, *Leo junior, pietatis fervens zelator, ut nullo pacto barbarâ linguâ corrumperetur immaculata nostra Fides doctrina; Græcâ linguâ Occidentalibus Sanctam Trinitatem glorificandam, & celebrandam, tradidit. Et non solum sermone, & mandato, sed faciendum curavit; verum etiam quibusdam ancilibus, quasi clypeis, constructis, & columnis erectis, illam inscripsit, & in conspectu omnium statuens, ad Ecclesiæ valvas collocavit; ut hoc pacto facile, & incorrupte, possent omnes pietatem ediscere.* Hæc, & plura inibi Photius. Qui tamen in eo deceptus, quòd putavit, Leonem III negâsse processionem Spiritus Sancti à Filio. Nam eam agnovisse, docent Acta Smaragdi de trium legatorum cum Leone Papa colloquio. Solùm negabat, Concilio Constantinopolitano inseri illud *de Filio* debere. Et quia ab Hispanicis, & Gallicis Ecclesiis, contrà fieri cœperat: Romæ argenteis ancilibus Symbolum, prout à Patribus erat conscriptum, incidi jussit, publiceque suspendi: ut non Romanis modò, sed Græcis etiam, Romam venientibus, conspicuum esset, nihil Ecclesiam Roman. addere ad Symbolum. Credo, prævidit, siquid apponeret, verè pomum Eridos injectum iri in Ecclesiam Dei. Alter testis nobis esto Petrus Lombardus lib. 1 Sent. Dist. XI: *Leo tertius transcriptum in tabula argentea, post altare beati Pauli, posità, posteris reliquit, pro amore, ut ipse ait, & cautela fidei orthodoxæ: in quo quidem Symbolo, in processione Spiritus Sancti solus commemoratur Pater, his verbis: Et in Spiritum Sanctum, dominum, & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio, coadorandum, & glorificandum.* Ex quibus liquet, nec Caroli Magni ætate ipsam Ecclesiam Romanam illud, FILIOQUE, in Concilio habuisse Constantinopolitano.

XXXII.

Nec tamen eo pacto effugere potuit Ecclesia Romana, ut non Constantinopolitanus tum Imperator, tum Patriarcha, animis essent ab ea alieni. In caussis aversi adeò animi non minimum tenuit locum dissensus de cultu imaginum.

Nam, ut nihil dicam de Philippico Bardane Imper. qui anno DCCXIII legem tulisse dicitur de imaginibus a Wernerus Rolewinck Fascic. Temp. delendis: Leo Isaurus, & filius ejus Constantinus Caballinus, sive, ut alii dicitur, Copronymus, imaginum cultum sustulerant. Eoque nomine uterque exosus Ecclesiæ Romanæ fuit. Imperavit autem Leo ab anno DCCXVI, usque ad annum DCCXLI; atque exinde Constantinus ad annum usque DCCLXXVI. A quo tempore Leo filius rexit; primum solus, hinc cum matre Irene. Quo tempore celebratum Concilium Nicenum II. pro imaginum cultu; cui impensiùs Irene, (nec in devotâ, ut vulgo loquimur, id feminâ mirandum) addictior fuit. Exinde solus iterum rexit filius; usque dum, oculis ei effossis, mater sola imperium tenuit. Quod amisit anno DCCCII, Nicephoro per tyrannidem imperium occupante.

XXXIII.

Ad odium hoc Græcorum, ob imagines à Leone, & Constantino, deiectas, accesserat neglectus Italiæ, vexantibus interea Longobardorum regibus Ecclesiam Romanam. Unde Papæ Romani à regibus Francorum petere auxilium cogebantur. Quod his alacriter præstantibus, etiam exarchatum Ravennatem, & alia Italiæ loca, quæ sua diceret Græcus, Ecclesiæ donantibus; non potuit non ringi propterea Imperator Græcus. Maximè verò momordit eum divisio Imperii; cùm Papa Leo III persuasit Senatui, populoque Romano, ut Romanum Cæsarem crearent Carolum Magnum.

HOc enim ita ferè interpretati sunt Græci, quasi Papa, & rex Francicus, inter se colluderent; belleque ea, quæ propriè Orientalis essent Imperatoris, inter sese partirentur. Nec dubium, quin multum, & res Papales reges Francici, & res Francicas Papæ adauxerint. Cogitemus primò, ut Pipinus Brevis solùm fuerit Major Domus; ac partim favore nobilitatis Francicæ, partim verò adnitente, multumque procurante Papâ, creatus sit rex Francorum; Childerico ultimo è Merovæa stirpe in Monasterium detruso: quasi ei, qui tardioris ingenii foret, non possent dari sapientes consiliarii; quique nemini, quorum operâ domi, foris, uteretur, malè faceret, aut vellet, ab iis privandus esset regno virtute majorum parto, atque adeò in Monasterium detrudendus invitus. Et hoc quidem nomine Zachariæ Papæ Pipinus fuit obstrictissimus: ut cujus operâ rex factus sit; quod anno contigit IↃ CC L. His verò temporibus Longobardorum reges acerbè tractabant Ecclesiam Romanam. Ergo Papa Stephanus III, cùm nihil fiduciæ reponeret in Iconoclasta Constantino, ac præterea neglectui illi esse Italiam videret; ad Pipinum confugit, eumque sollicitavit, ut bellum Aistulpho Longobardorum regi inferret. Feliciter id successit Pipino: qui, bello confecto, exarchatum Ravennatem donavit Ecclesiæ Romanæ. Indignè Cæsar Copronymus tulit, quæ sua crederet, tam sinistrâ libertate, ut ille interpretâbatur, donari alteri. Papa autem Stephanus, dono tanto lætus, quò gratum se præstaret, Senatui, populoque Romano persuasit, ut Pipinum crearent Patricium Romanum. Pipinus, cùm beneficiis certare vellet, sedulò operam dedit, ut passim Ecclesiæ Francicæ, relictis ceremoniis, quibus jam à recepto assueverant Christianismo, Romanæ sequerentur Ecclesiæ ritus. Exinde Pipino, postquam annis duodeviginti rexisset, filius Carolus anno successit IↃ CC LXVIII. Hic, devicto Desiderio, Longobardorum rege postremo, donationem exarchatus firmavit, ac plura insuper est largitus. Etiam Mediumatrices, mox alios atque alios Ecclesiæ antistites per Franciam, acerbè satis adegit ad sequendum per omnia ritus Romanos. Vicissim Carolus, Papæ Hadriani studio, adeptus est Patriciatum Romanum: atque hinc Italiam rexit per Mediolanensem, & Papiensem præfectum. Hadriano inde successit Leo III. Hic ab inimicis propè luminibus orbatus, confugit ad Carolum; qui severè eos ultus. Leo, gratum ut se exhiberet; simul intelligens, quantum sibi, & Romanæ sic Ecclesiæ commodaret; persuasit Romanis, ut Carolum facerent Cæsarem Occidentis. Hinc duo esse Imperatores: quorum Græcus postea dictus βασιλεὺς τῶν Ῥωμαίων: Latinus autem Ῥὴξ τῶν Ἀλαμανῶν: Principes alii, etiam reges Latinorum, & Græcorum, vocati simpliciter δεσπόται. Erat autem Caroli Magni tempore Imperatrix Irene. Quò minùs ea Papæ, & Caroli conspiratio displiceret; placuit legatos mitti Constantinopolim, qui Irenen Carolo poscerent uxorem. Et successisset negotium, nisi priùs Aëtius impediisset; mox etiam Nicephorus, dejectâ Irene, invasisset Imperium. Et inter Nicephorum quidem, Orientis tyrannum, sibi undique metuentem, & Carolum Regem Francorum, qui suam etiam laborare caussam videbat, non difficulter convênit, ut ille Orientis, hic Occidentis esset Imperator, ac uterque imperium transmitteret ad posteros. Non tamen illi, qui bonis artibus, vel legitimâ successione, imperium postea obtinuerunt, æquo unquam animo tulerunt, tantam imperii Constantinopolitani factam esse imminutionem. Quod ita esse, docere nos poterunt Fratres Prædicatores in opere, quod adversus Græcorum errores Constantinopoli anno scripserunt CIↃ CC LII: ubi quatuor referunt caussas schismatis inter Latinos, & Græcos: ac primo loco commemorant divisionem imperii: quam propterea fusiùs aliquanto hic exposuimus. Extat is liber MStus in bibliotheca Bavarica; unde quatuor illas caussas exscripsit Petrus Stevartius in Observationibus suis ad Curmanoa, sive Manuelem vel Immanuelem Calecam: ut inferiùs dicetur.

XXXIV.

Utcunque autem donatio exarchatus Ravennatis, & aliorum, ac imprimis novi Cæsaris creatio, offendisset Græcos: minimè tamen apertum in schisma negotium hoc erupit. Nimirum religio erat Papis, cito adeò recedere ab opinione Leonis III, *tam illustre suæ sententiæ in argenteis ancilibus indicium posteris relinquentis. Nec tamen, quando indicium hoc de processione à Filio, Symbolo inseruerit Ecclesia Romana, satis est apertum. Sunt qui arbitrentur, id factum esse, annis postea circiter quadraginta; nempe temporibus Nicolai Papæ; qui Ecclesiæ Romanæ anno præfuit* IↃ CCC LVIII, *& proximo novennio.*

IN his est S. Antoninus Part. III, Tit. XXII, cap. XIII, §. X. Narrat istic, ut Photius, Patriarcha Constantinopolitanus, excommunicârit Papam Nicolaum I; quia Symbolo Niceno, sive Constantinopolitano, addidisset aliquid contra decretum Synodi Ephesinæ; quæ tale quid ausuro dixerat anathema. Sed audiamus Antoninum loquentem: *Et congregans* (Photius) *metropolitas, & episcopos, quasi esset concilium generale, ipse per se omnia agebat; accusans Nicolaum Papam multis criminibus. Et ipse introducebat personas accusantium, & personas testium. Et idem ipse, quasi judex, caussam Nicolai Papæ defendere videbatur, dicens: quod non licet hominem absentem condemnare. Et iterum fingebat in scriptis alios accusatores, & multitudinem testium, & quasi totam congregationem Synodi, acclamantium contra Papam Nicolaum. Tandem, victum simulans, succumbebat, & judicabat, fieri, ut petebant. Tunc inter alias accusationes hoc* PRINCIPALITER *posuit, ipsum fore excommunicatum,* QUOD APPOSUERAT AD SYMBOLUM, *Spiritum Sanctum à Filio procedere. Similiter & depositum, quod ipse Nicolaus Papa* INCIDISSET IN SENTENTIAM TERTII CONCILII. Hanc Antonini sententiam præ cæteris probat Petrus Pithœus dissertatione *a* de Processione Spiritus Sancti. Sanè illud constat, Photium vehementer illam de Processione Spiritus Sancti à Filio sententiam improbasse. Vide binas ejus ad Nicolaum I. epistolas: item fragmentum ex ejus epistola apud Hugonem Eterianum, quem aliqui vocant *Eretrianum*, vel *Ætherianum*, patriâ Hethruscum, de hæresibus Græcorum lib. II, cap. XV. Vixit is anno CIↃ C LXX, temporibus Alexandri III: ut superiùs *b* diximus.

a *In Opusculis Pithœi, editis Lutetiæ an. 1609.*

b *Ad Thesin undecimam.*

XXXV.

Adversus hanc sententiam facit, quòd si illud inseruisset Symbolo Nicolaus: sane Photius, qui tam vehementer hanc caussam egit, tamque acerbus erga Nicolaum, & successorem ejus Hadrianum fuit, utique additionem illam utrique Papæ objecisset.

AT objecisse Nicolaum, ait Pithœus lib. de Processione Spiritus Sancti. Credo, respexerit verba illa Photii in encyclicis ad Orientis sedes patriarchales literis *c*: *Præter absurditates, quas supra recensuimus, sacrum etiam & sanctum Symbolum, quod ab omnibus synodicis & œcumenicis calculis irrefragabilem vim habet, & auctoritatem, spuriis & falsis quibusdam disceptationibus, & alienis rationibus, & audacia quodam excessu, adulterare non dubitarunt.* Sed literæ hæ in codice Collegii, quod Græci Romæ habent, adscribuntur Sisinnio *d*, Patriarchæ Constantinopolitano. Ac ut Photii sint, quando scriptæ, liquidò ostendi nequit. Nicolai quidem Papæ in iis mentio est nulla. Obstat etiam Andreas Colossensis, qui in Concilio Ferrariensi, seu Florentino, Romanæ Ecclesiæ caussam egit adversus Græcos.

c *Apud Baronium ad an. 863.*

d *Baronius ibid. ex quo vide ut Sisinnium hunc sedisse ab anno 995. usque ad 999.*

Pervolverat ille omnia ad eam caussam pertinentia, ut pateslet Bessarioni Niceno, Marco Ephesio, & aliis hominibus doctissimis. Et tamen negat, id Photium dixisse. Ipsum audiamus Sessione VIII: *Photius, Romanæ Ecclesiæ inimicus acerrimus, nullam de Synodi additione faciens mentionem, in Nicolaum, ac Adrianum, summos Pontifices, literis invectus est plurimum.* Quibus ex verbis etiam cognoscimus, si Colossensem hunc Episcopum audimus, nec additum fuisse à Papa Adriano III; qui anno IↃ CCC LXVII Nicolao Papæ successit, & anno obiit IↃ CCC LXXII, Kalendis Novembribus; vacante deinceps sede, usque ad XIX Kal. Jan.

XXXVI.

Multo minùs addiderit Joannes VIII, qui successit Adriano; ac sedit usque ad IↃ CCC LXXXII, XVIII. Kal. Jan. Siquidem lenis animi hic fuit, ut multa non minùs pacis ergo, quàm ob pericula à Saracenis Italiæ imminentia, fecerit. Ipsam etiam restitutionem Photii comprobavit, & suos ad Synodum Constantinopolitanam misit: qua in Synodo, Photio præsidente, assistentibus legatis Papæ, improbata sunt omnia, quæ adversus Photium, temporibus Nicolai, & Adriani Pontificum, fuerant constituta. Imprimis abrogata Synodus Constantinopolitana, ab Ignatio antea indicta, quæ Photium damnârat, & ab Occidentalibus vocatur Occumenica VIII, sola que habetur legitima: cùm Orientales contrà Constantinopolitanam posteriorem, quàm Photianam dicere possumus, eo nominis honore dignentur. In Photianâ hac lectum est Symbolum Constantinopolitanum; eique citra additionem subscriptum; ac nequis addere aliquid auderet, interdictum. Quæ omnia consentientibus acta Joannis Papæ legatis.

UT hæc meliùs intelligantur, præsertim quæ de duplici Occumenica Octava dicebamus, operæ fuerit curriculo Photii tempora percurrere.

Anno Christi IↃ CCC LVIII, primo anno Nicolai Papæ, qui Benedicto successerat, tantum Bardas, frater Theodoræ imperatricis, Constantinopoli potuit apud Michaëlem Imperatorem; ut dejecto, inque carcerem detruso, Ignatio Patriarchâ, à quo ob incestum erat excommunicatus, in ejus locum sufficeretur Photius, vir longè doctissimus, & lectionis prope infinitæ, ut liber ejus, quem μυριόβιβλον inscripsit, luculenté docet; sed Romani Episcopi, à quo pro invasore sedis haberetur, hostis infestissimus. Primus quidem Romanæ Ecclesiæ hæreseos crimen impingere ausus est; quia doceret, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere; cùm antea alii quidem idem, quod Occidentales, scripsissent; alii verò, licet à solo Patre procedere docuissent, non tamen contrarium pro hæresi habuissent.

Anno IↃ CCC LXVII Bardas occiditur. Basilius à Michaële adoptatur, & imperii fit consors. Sed interimit is Imperatorem. Exinde solus regnat, Photium in Monasterium relegat, Ignatium restituit, inque omnibus se studet probare Papæ.

Constantinopoli hinc Synodus celebratur anno IↃ CCC LXIX. Ea ab Occidentalibus dicitur *Octava Occumenica*. Quomodo appellandam etiam dicit Anastasius bibliothecarius. In hac est anathema dictum Photio. Et ad majorem exsecrationem Episcopi, qui damnationi Photii subscripserunt, calamum tinxere in sacrum calicem, ac sanguinem Dominicum: ut refert Nicetas in vita Ignatii. Scripta etiam Photii combusta.

Anno IↃ CCC LXX, cùm sic quoque Photius ob doctrinam, & facundiam, esset suspectus, unà cum amicis conjicitur in exilium. Unde ad plures scripsit literas querimoniæ plenas. Inter cæteros etiam cum Anastasio bibliothecario literarum ei commercium fuit. Petque eum se insinuavit Papæ Joanni VIII. Idem pro veteri vaticinio suggerens commentum suum, quo, post cædem Imperatoris, BECLAS feliciter diceretur imperaturus, singulis literis dixit notari singulos; Basilium Imperatorem, Eudoxiam uxorem, & quatuor filios, Constantinum, Leonem, Alexandrum, & Stephanum. Nam initiales literæ nomen BECLAS conficiunt. Per hoc conciliatus Basilio Imperatori ab exilio revocatur. Nec tamen ab Ignatio recipitur.

Moritur paullo pòst Ignatius. Ita Photius sedi restituitur, anno IↃ CCC LXXVIII. Durè hinc eos Photius, seu jure, seu injuria, habuisse dicitur, qui Ignatio faventant. Imperator Basilius ad Papam Joannem VIII. legatos mittit; quò Photius in communionem recipiatur, & ejus in sedem patriarchalem restitutio comprobetur. Quod factum.

Anno verò proximo, hoc est, IↃ CCC LXXIX, magna Synodus habita Constantinopoli, actionibus VII; cui & interfuere legati Papæ Joannis VIII. Atque ea est, quæ à Græcis, non item Occidentalibus, *Octava Occumenica* dici solet: quod ex Balsamone, & Zonata, est apertum. Imò Gratianus in decretis hinc citat Canonem secundum, tanquam ex Occumenica VIII. Hac Synodo omnia sunt abrogata, quæ contra Photium erant statuta. Etiam recitatum est Symbolum Constantinopolitanum, citra additionem; & sancitum adversus Latinos, nequid vel adderetur, vel demeretur. Ac Basilius Imperator, qui priori Octavæ, puta Ignatianæ, quam solam Latini pro legitima agnoscunt, una cum liberis subscripserat, huic itidem cum iisdem subscripsit.

Post hanc Synodum nullus fuit locus apud Græcos Synodo Ignatianæ: sic tamen, ut simul nullo loco essent, quæ adversus Ignatium essent statuta. Nempe quasi ἀμνηστίαν a omnium sanciri placuit inter Ignatianos, & Photianos. a Oblivionem malorum.
Quod ut posteris etiam placuerit, dilucet ex illis Marci Ephesii verbis, Synodi Ferrariensis Sess. VI: *Tempore ex eo in Constantinopolitana Ecclesia* HUC USQUE *solet celebrari: videlicet, Quæcunque in Patriarchas Ignatium, & Photium, scripta, vel dicta sunt, anathema sunto.* Sed consecuta hanc Synodum videamus.

Anno IↃ CCC LXXXII Joanni VIII. successit Papa Marinus. Hic is est, quem Diaconum miserat Nicolaus Papa ad Photium excommunicandum: quem etiam Adrianus miserat, ut Ignatii restitutionem Papæ nomine comprobaret, & Synodo interesset ad Photium damnandum. Nihil igitur mirum, si non modò pleraque Ioannis VIII. facta improbârit; sed Photium etiam, & quæcunque in ejus caussa acta fuerant, damnârit. Quod non Photium modò, sed etiam Imperatorem Basilium, usque adeò offendit, ut is literas scriberet Romam, quibus Marinum sede suâ deponendum, contenderet: quippe vitio creatum Papam; quia juxta Canones, qui unius sit loci Episcopus, creati Episcopus alterius loci non possit.

Anno IↃ CCC LXXXIII Patriarcha Aquilegiensis literas misit ad Photium; quibus significavit, se cum Ecclesia Græca de processione Spiritus Sancti sentire; suamque ut auctoritatem interponeret adversum Occidentalium alios, rogavit. Non neglexit hanc occasionem Photius, literasque luculentas super eo ad Latinos scripsit. Exstant illæ hodieque in bibliotheca Vallicellana; ac apud Ecclesiasticorum annalium conditorem cum ejus antidoto leguntur.

Anno IↃ CCC LXXXIV moritur Marinus Papa: eique succedit Stephanus; qui decessorem suum Marinum defendit.

Anno IↃ CCC LXXXVI vitâ excedit Basilius Imperator: in quo immane quantum Photius amisit. Nam Constantinus primogenitus ante Patrem defunctus erat. Leo igitur, natu proximus, successit. Est hic ille cognomento Philosophus. Malè verò erga Photium animatus fuit: pejus etiam adversus Santabarenum, cui Photius fuerat familiaris. Quamquam verò Santabarenus in sanctissimis monachis numeratus foret, etiam à Basilio Augusto: filius tamen Leo ajebat sub sanctimoniæ larvâ multa

scelera occultare. Sibique ab eo insidias esse structas, asseverabat; seu verè, seu falsò; ut jure pelli putaretur. Photius quoque, quòd eo usus esset familiariter, sede tum est dejectus; inque Armeniæ Monasterium detrusus; nec postea restitutus. Quando autem diem obierit, à veteribus proditum non est. Fusiùs cuncta nosse qui volet, adeat Zonaram Annali III, Glycam Annali IV, Constantinum Manassem, Nicetam Paphlagonem cognomento Davidem, in vita Ignatii; quam primò Latinè reddidit Fridericus Metius Thermularum Episcopus, cujus versionem secutus Baronius in X Annali; postea verò transtulit Matthæus Raderus. Adhæc consular Jo. Thracesium Scylitzam Curopalatem, Cedrenum, Metrophanem in literis ad Manuelem Patricium, Stylianum Neocæsareæ Metropolitam epistolâ ad Stephaoum Papam, Antoninum Archiepisc. part. III Chronicorum, Tit. XXII, cap. XIII, §. X: ac potissimùm gemina acta Synodi Oecumenicæ VIII, & illius Ignatianæ, & alterius Photianæ. Nam collatione earum magis elucebit veritas.

XXXVII.

Alii verò illud FILIOQUE *insertum Symbolo existimant à Pontifice Christophoro; qui anno Christi* IↃ CCCCVIII. *Leonem V sede dejecit, & post* VII. *menses, invasor ipse sedis, ab invasore item Sergio est dejectus.*

ITa anonymus Græcus in Vallicellana bibliotheca: qui & Christophorum hunc propterea ait è diptychis erasum à Sergio, Patriarcha Constantinopolitano, eo qui Michaëlem Cerularium proximè antecessit a: addit quoque Sergium, Anastasium, Landonem, ac cæteros deinceps, exemplum esse Christophori secutos.

a *Ab an.* 995. *usque ad* 999.

XXXVIII.

Alii obstare arbitrantur breve, & turbulentum Christophori Papæ tempus. Nec placet iis, quod invasori sedis hæc accessio tribuatur.

BAronius ad an. IↃ CCCLXXXVIII: *Nullo pacto possunt tribui ista Christophoro; qui invasor Apostolicæ sedis, mox sede pulsus, perbrevi tempore eam tenuit tumultuosè.*

XXXIX.

Sed quod fieri potuisse negant; id dilutum nimis. Nec enim difficile fuit Papæ, saltem præter presbyteros Cardinales, Diœcesios Romanæ Episcopos convocare, ut de eo decerneretur.

NEc sanè ultrà requirit Hugo Etherianus; qui ante millesimum ducentesimum Christi annum vixit, & Constantinopoli scripsit opus suum de processione Spiritus Sancti. Audiamus ipsum lib. III, cap. XVI: *Nullâ insimulatione, nullâ reprehensione, nullâque calumniâ notandus est antiquiores Romæ antistes; quod caussâ interpretationis dictionem unam, (dico autem* EX FILIO *procedere Spiritum,) Sanctorum plurium Episcoporum, scientissimorumque Cardinalium consensu habito, apposuerit.*

XL.

Magis igitur huic opinioni adversatur, quòd nonnulli tradant, appositionem illam in magno quodam Hispaniæ, vel Galliæ, vel utriusque, Concilio esse factam.

ANdreas, Colossensis Episcopus, pro Romanis disserens in Concilio Ferrariensi, Sessione VII: *Propterea Cyrillus literis mandavit, Sanctum Spiritum esse per Filium, ac Filii esse, & ab ipso profluere: quam profectò sententiam non dixisset, nisi coactus fuisset hæreticorum ipsorum opinionem evertere:* QUEMADMODUM *etiam Romanæ Ecclesiæ contigit. Nam maximo in Gallia, & in Hispaniis, schismate imminente; cùm jam* EX FILIOQUE *passim celebraretur; Romano Pontifici fuit necesse, in multorum Occidentalium, amplæ dignitatis* MAGNIQUE CONSILII *Patrum conventu, addito* EX FILIOQUE, *Symbolum magis illustrare.* Quorum partem verborum jam adduximus ad Thesin XX. Ac tum quidem id faciebamus, quia Bellarminus ea caperet de temporibus non ita multò post annum sexcentesimum consecutis: hìc verò pleniùs adduximus, propter eos, qui volunt, Synodum eam trecentis post annis fuisse, idque temporibus Christophori Papæ.

XLI.

Sed hujusmodi Synodus nulla Christophori temporibus habita videtur, ob breve adeò, ac turbulentum tempus. Quid si ergo potiùs credamus, additum hoc esse à Christophori successore Sergio III?

JUdicium hoc timidius profero, quia priorem auctorem laudare possim neminem. Prorsus tamen animus eò propendet. Movet me illud, quòd non in alio proclivior esse error potuerit, quàm ut tribuerent Christophoro, quod Sergii esset. Quippe, credo, vix audierant Græci de Christophoro Papa facto, cùm intelligunt, Papam illud, ET FILIO, addidisse Symbolo. Solùm enim septem mensibus sedit a Christophorus. Sergius autem, a *Ao.* 908.
simulac Christophorum dejecit, totus incubuit in hanc caussam de processione. Præterea unde alioqui esse existimemus, quòd literis monuerit Episcopos Gallicanos ad argumenta colligenda, quibus solidè adversus Græcos evinceretur processio Spiritus Sancti à Filio? Nonne per est verisimile, eò factum, quia videret, quod non timidè egerat, id deinceps fortiter quoque propugnandum? Eò autem potissimum scripserit ad Gallos, quia illi jam ante seculum, & ultrà, in Symbolum admiserant; ac vix adduci potueraot à Leone III, ut illud præterirent. Fortasse Sergius in hanc sententiam ad eos literas exarârit: Meministis, quanto cum ardore à decessore meo Leone III. contenderitis, ut Symbolo Constantinopolitano insereretur de Spiritus Sancti processione à Filio. Sed Leo, etsi probaret dogma; paci tamen hoc dedit, ut ne inserendo illud Symbolo, Græcos exacerbaret. Nunc, ut videtis, istâ animi lenitate nihil profecimus. Photius enim, Patriarcha Constantinopolitanus, jam ante an. XLVI, indixit Synodum, quam haberi voluit pro octava Oecumenica. Hac dogma Occidentalium, de processione à Filio, est tanquam hæresis condemnatum. Id verò non ulretiùs ferendum, ne jaceat veritas, hæresis triumphet. Quare ut vel ilia Græcis rumperentur, magno animo deinceps Symbolo hoc addendum. Et vobis, qui tanto antea studio additamentum hoc fieri postulastis, eo nunc facto, sedulò omnia arma expedienda ad accessionem illam strenuè adversus Photium, & Græcorum alios, tuendam. De literis verò in hanc, vel similem sententiam, scriptis, colligimus ex oratione Hervei, sive Herivei, Archiepiscopi Rhemensis; quam habuit initio Concilii Suessionensis anno IↃ CCCCIX; VI Kal. Jul. Io ea, inter alia, sic loquitur Archiepiscopus: *Sanè quia innotuit* b *nobis sancta Sedes Apo-* b *Pro,* notum fecit.
stolica, adhuc errores, & blasphemias cujusdam vigere Photii, in Partibus Orientis, in Spiritum Sanctum, quod non à Filio, nisi tantum à Patre procedat, blasphemantis: hortamur vestram fraternitatem, ut una mecum, SECUNDUM ADMONITIONEM DOMINI ROMANÆ SEDIS PRÆSIDIS, *singuli nostrum, perspectis Patrum Catholicorum sententiis, de divina Scriptura pharetris acutas proferamus sagittas, ad conficiendam belluam monstri renascentis, & ad terebrandum caput nequissimi serpentis.* Sic igitur concludo, cùm Synodus ea, io qua sic loquitur Archiepiscopus, habita sit mense Junio an. IↃCCCCIX; & præ-

præcedenti anno Christophorus, cùm septem mensibus sedisset, de sede suâ à Sergio sit dejectus: si minùs Græcis assentimus, dicentibus accessionem à Christophoro factam; saltem caussam non esse satis gravem, cur longiùs, quàm ad Sergium eatur: partim quia factæ ab eo accessionis justam injiciunt suspicionem literæ in non absimilem, ac diximus, modum ad Gallos perscriptæ: partim quia non alibi proclivior esse error soleat, præsertim apud exteros; quàm in confundendis iis, quæ intra unum annum, vel circiter, à decessore, & successore, gesta sint.

XLII.

Est præterea aliud, quod non parum me in hac sententia confirmat. Non levis enim mihi caussa esse videtur, quod veteres scriptores Romani, & Occidentales cæteri, nusquam tradiderint nomen Pontificis, qui, contra mentem decessoris sui Leonis III, *Symbolo Synodi Oecumenicæ, hoc, sine auctoritate Concilii alicujus universalis, addere ausus sit. Caussam autem reticendi auctoris, etiam cùm adversus Græcos disputaretur, justiorem non video, quàm si is fuerit invasor sedis, atque homo nequissimus: qualis si auctor diceretur, quantum, Deus bone, maledicendi occasio præbita fuisset Græcis, satis, more gentis, dicacibus ac malignis! At uti Christophorus invasor sedis fuit; ita & Sergius, qui Christophorum vinculis constrinxit, & ad vitam monasticam adegit. Sed hoc leve præ vita cætera. Vix enim eo quicquam impurius, vel sceleratius; adeò ut non* Apostolicus, *sed* Apostaticus, *dici mereretur.*

a Ad an. 907. HIc enim ille est, qui (ut Sigebertus ait in Chronico a) *propter Formosum à Papatu reprobatus, ab eodem Formoso Episcopus factus,* (melius *presbyter* dixisset) *ad Francos tamen se contulit, & eorum auxilio Christophorum invasorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, Papatum invasit, & Romanos minis, & terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent, & in ultionem suæ repulsæ (quod dictu nefas est) Formosum sepulchro extractum in sede Pontificatus sacerdotaliter indutum decollari præcepit. Et insuper, tribus digitis abscissis, in Tiberim jactari fecit; & omnes, quos ille ordinaverat, injustè exordinavit.* Sed quid Sigebertum advoco, qui sesquiseculo pòst vixit? Audiamus potiùs ejusdem temporis scriptorem Luitprandum, Ticinensem Diaconum, libro I de rebus per Europam, sua imprimis ætate, gestis, cap. VIII: *Quo* (Sergio) *constituto, ut impius, doctrinarumque divinarum inscius, Formosum ex era sepulchrum extrahi, atque in sede Pontificatus sacerdotalibus vestimentis indutum decollari* b *præcepit.*

b Sic est in Ascensiana an 1514. ubi posteriores ed. tenet collocari. Sed alterum probat Sigebertus.

Cui & ait: Cùm Portuensis esses Episcopus c, *cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactari præcepit; cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit.* Quæ verba etiam ex Luitprando assuta legas extremo opere de viris Pontificum; quod Ticinensi huic Diacono perperam tribuitur; cùm non Itali sit, sed hominis Germani, annis circiter L. antiquioris Luitprando; quemque ad Sergii III ætatem pervenisse, sed non multò pòst Sergii ejus excessum vivendi fecisse finem, per sit verisimile. Nec est, quod existimemus in isto stitisse Sergii impietatem. Quam magis perspectam haberemus, si Auxilii, eodem tempore viventis, dialogus exstaret: quo scripsit, ut Sigebertus d testatur, *Sub persona infensoris, & defensoris, contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ: scilicet de ordinationibus, exordinationibus, & superordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis exordinationibus, & superordinationibus.* Interea cæteram etiam vitam ignorare non sinit idem Luitprandus lib. II, cap. XIII: ubi refert, ut Sergii hujus temporibus Theodora major, scortum fœdum, Romanam rexerit Ecclesiam, monarchæ instar; atque id per filias duas, pariter meretrices; quarum ex una, nomine Maroziâ, Sergius Papa genuit Papam

c Eo respectu, quod primus eo Episcopus factus esset Papa.

d Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Ioannem XI: ex altera, nempe Theodora minore, Adelbertus, Tusciæ Marchio, genuit Albericum; qui & fratrem, Papam Ioannem, in carcerem conjecit, & matrem Maroziam in custodia habuit. De quo idem Luitprandus lib. III, cap. XII, & ejusdem temporis scriptor Flodoardus. Sed longum sit omnem ejus vitæ turpitudinem referre. Quam vel petas licet ex illustrissimo Ecclesiasticorum Annalium conditore Baronio. Qui mirandum negat a, si inconcessa sacris legibus ab illis tentata fuerint, qui essent invasores sedis Apostolicæ, ac quos Ecclesiastica disciplina non Apostolicos, sed Apostaticos censuerit dicendos. Atque hæc non alio à me fine dicuntur, quàm ut pareat, non de nihilo esse, quòd in diuturna illa cum Græcis controversia Romani, & Occidentales, tam veteres, quàm quos ignorare istoc minùs esset mirandum, silentio premant, quis Paparum primus de processione Spiritus Sancti à Filio inseri jusserit Symbolo Constantinopolitano: neque illud aliunde videri, quàm quia puderet fœdissimi hominis, qui magnam maledicendi ansam Græcis præbuisset. Absque eo esset, parùm credibile sit, tantam notariorum, ac cleri Romani, futuram negligentiam, ut id non insererent actis publicis: vel etiam scriptores Ecclesiasticos, qui eâ ætate, vel proximâ, Romæ, in Italia, in aliis Occidentis terris viverent, prorsus silentio pressuros. Imò ut incuriæ tribui deberet; quæ tempora istis negligentiora, in illis, ut cum Auxilio, & Sigeberto loquar, ordinationibus, exordinationibus, & superordinationibus? Sane hic Sergius III primùm creatus Papa contra Formosum anno Iↄ CCC XCI: sed ejectus est in exilium. Ei anno Iↄ CCC XCV succedit Bonifacius. Huic anno sequenti Stephanus. Illi anno proximo Romanus. Huic eopse anno Theodorus II. Illi, hoc ipso anno, Ioannes IX. Atque eodem anno contra Ioannem IX. secundùm est Papa designatus Sergius III. Sed iterum actus est in exilium. An. Iↄ CCC XCIX successit Ioanni Benedictus IV. An. Iↄ CCCCIII Leo V. Sed eodem anno abdicare coactus à Christophoro successore. Annoque eopse Christophorus abdicare, & Monasterium ingredi adactus à Sergio III; qui tertiùm creatus Papa septennio sedit, tuente eum potenti Tusciæ Marchione Adelberto: ut ex Luitprando diximus. Ita videmus, ut inter excessum Formosi, contra quem Sergium dicebamus Papam factum; & excessum Christophori, adversus quem idem tertiò Papa creatus; non iisdem temporibus, ut fit in Antipapis; sed diversis, idque intra annos octo; Papæ fuerint totidem, Formoso etiam, & Sergio, exclusis. Et miremur, si hi solliciti magis fuerint de Papatu adipiscendo, & retinendo; quam de rebus Ecclesiæ signandis?

a Ad an. 908.

XLIII.

Post appositionem hanc recruduit schisma; cujus vulnus Photiano concilio, & assensu legatorum Papæ Ioannis VIII, *coaluisse videbatur. Caussas schismatis quatuor afferunt Græci. Primùm veterem offensam ab divisione imperii, de qua superiùs vidimus. Hinc quòd Occidentales Symbolo Constantinopoli conscripto in Synodo universali, ausi essent aliquid apponere extra Concilium generale, absque item consensu, & approbatione Patriarchæ Constantinopolitani. Præterea culpam Græci conferunt in mores legatorum Papæ Romani; qui quoties Constantinopolim venirent, admodum superbè se gererent; avarè quoque pecunias exigerent, & vix donis ullis explerentur. Denique concoquere non potuerunt, quòd Papa sibi vindicaret potestatem in Ecclesiam Constantinopolitanam; atque etiam ausus esset excommunicare Patriarcham ejus, & tot Episcopos, ac Abbates.*

HÆ caussæ adferuntur in tractatu, quem Fratres Prædicatores adversus Græcorum errores scripsere anno cIↄ CCL II. Manuscriptus is exstat in bibliotheca Bavarica: unde Petrus Stevartius, Ingolstadiensis Academiæ Procancellarius, sequentia in suis ad Manuelem Calecam observationibus excripsit: *Caussas sive excusationes schismatis credimus esse quatuor. Prima fuit divisio imperii. Licet enim Imperatores, qui regnabant Constantinopoli, post recessum*

Constantini ab urbe Romana, pro eo quod totum contulerant Ecclesiæ, sicut suprà diximus, nullum jus haberent in Italia: interdum tamen ubique regnaverunt. Sed cùm intra Italiam, usque ad Romam, barbara gens irruisset, & summus Pontifex auxilium Imperatoris Leonis, qui erat Constantinopoli, requisisset, & ille negligenter agendo, auxilium præstare Ecclesiæ refutasset a: *compulsus est prædictus Papa magnum Carolum de Galliæ partibus revocare, & in Italia Imperatorem constituere, & Ecclesiæ defensorem. Etenim erat ille Leo, ut legitur, valde voluptuosus, & ideo in regimine imperii sui valde remissus. Unde suo tempore Saraceni Syriam, Turci vero Cappadociam obtinuerunt: & sic facta est divisio imperii Romani.*

a F. recusasset.

Secunda occasio divisionis fuit, quia non fuerunt vocati ad concilium Ultramontanum, quando illa dictio FILIOQUE *fuit apposita. Verùm quia superius caussam signavimus, hic subticemus.*

Tertia occasio fuit, quam ipsi aliquando nobis in familiari colloquio assignaverunt: scilicet superba nimis exactio legatorum Papæ. Dicebant namque referentes, quod, quando legati summi Pontificis ab ipsa sede Apostolica annuatim Constantinopolim Chrisma deferebant; nisi octoginta libræ auri à Clero, & urbis populo, præter alia dona, & munuscula, eisdem impenderentur, non recedebant. Taceo, age, ajebant, de pompa & superbia, quam ipsi ostendebant.

Quarta vero, & potissima, quantum ad Clerum, fuit depositio Photii Patriarchæ, & excommunicatio ipsius, & aliorum prælatorum, & quorundam Abbatum.

XLIV.

Quod si nullo partium studio trahamur; verendum profectò, ne tristissimi hujus, & tam diuturni schismatis fontem caputque esse comperiamus, non Græcos duntaxat, quos non facilè aliquis omni culpâ exemerit; sed etiam, quod pace dissentientium dixerim, Romanum, & alios Occidentis Episcopos. Quos Græci vehementer culpabant, quia ausi essent quiddam, si non falsum, saltem controversum, Symbolo addere, & ei Symbolo quod Oecumenica Synodus sanxisset, apposito etiam anathemate quidquam adjicere volenti. Quippe, inquiebant, Græci; Communis fidei caussa communi Ecclesiæ judicio debet decidi: eoque Oecumenica erat Synodus convocanda, ut ibi veritas quæreretur, quæsita inveniretur, inventa definiretur, ac si sic expediret, etiam apponeretur Symbolo. Aliter si Episcopus, aut Concilium particulare ausit; anathema, ajebant, illi esto; juxta Synodum Oecumenicam.

NOn dubium quidem, quin Græci, etiam ante exortum schisma, dixerint, Spiritum S. à solo Patre procedere. Quomodo locutum convenit Theodoretum *b*. De Cyrillo ambigunt. Sed si ejus est liber de Trinitate, legas apud eum cap. x: Ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν, πνεῦμα δὲ υἱοῦ ὀνομάζομεν· *Ex Filio Spiritum non dicimus: sed Spiritum Filii nominamus.* Verbaque eadem, atque adeò caput integrum, legas etiam apud Damascenum lib. I. Orthod. Fid. cap XI. Sed ut sic dixerint ante schisma: tamen rectè à Latinis oggestum, aliter & tum locutos esse aliquos Græcorum. Neque hoc Græci poterant diffiteri. Ut planè eos fugerit ratio, qui putant, caussam schismatis principem fuisse, quòd ferre non possent Græci, propè omnes Occidentis Episcopos statuere, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere. Sed vera caussa est, quòd Episcopus Romanus, vel Synodus Occidentalis, rem adeò controversam, inconsultis Orientis Episcopis, definisset, & Concilio inseruisset Constantinopolitano, contemto anathemate, quod Oecumenica Ephesina *c* statuerat omnibus aliquid addentibus Symbolo. Hinc Bessario, Archiepiscopus Nicenus, Synodi Ferrariensis sess. IV: *Firmiter credimus, nil addere Symbolo licere, sanctorum Patrum auctoritatibus innitentes: quippe non modò novas sententias; verum etiam dictiones, aut alia verba, Symbolo addere prohibuerunt.* Occidentales hic dicere, nihil se Symbolo apposuisse; sed tantùm, quod erat obscurius, declarâsse: ac solùm eam fuisse Synodi sententiam, nequid adderetur, quod adversaretur doctrinæ eâ Synodo traditæ. Alioqui & eidem anathemati obnoxiam fore Synodum Constantinopolitanam; ut quæ, declarandi causâ, quædam adjunxisset Symbolo Niceno. Audiamus luculentè de isto differentem P. Lombardum lib. I Sentent. dist. XI: *In fine* (Concilii Constantinopolitani) *subjunctum est; Qui aliud docuerit, vel aliter prædicaverit, anathema sit. Ideoque Græci nos anathematizant, quia dicimus, Spiritum S. à Filio procedere; quod ibi non continetur. Quod enim secundum nos ibi dicitur, Qui à Patre, Filioque; alterum à Latinis est additum, scilicet, Filioque. Nos autem illa verba sic determinamus, Qui aliud docuerit, vel aliter prædicaverit, id est, contrarium docuerit, vel contrario modo prædicaverit, anathema sit. Aliud ergo pro opposito posuit: qualiter & Apostolus in epistola ad Galatas: Siquis aliud evangelizaverit, id est, contrarium: non dicit, siquis addiderit. Nam si illud diceret, sibi ipsi, ut ait Augustinus, præjudicaret: qui cupiebat venire ad quosdam, quibus scribebat; sicut ad Thessalonicenses; ut suppleret, quæ illorum fidei deerant: sed qui suppleat, quod minus erat, addit: non quod inerat, tollit.* Sed Orientales putare, hic magnum esse discrimen; quia Synodus Oecumenica non posset præscribere Oecumenicæ; cùm par in parem non habeat potestatem: at posse Oecumenicam Synodum præscribere Synodis, & Episcopis particularibus. Ac proinde nec Romanum Episcopum, nec Synodum ullam Occidentalem, inconsultis Patriarchis, & Episcopis Orientis cæteris, jus habuisse aliquid addendi: in communi enim fidei caussa nihil, nisi communi Ecclesiæ Catholicæ judicio, agi debuisse. Ac primitus Occidentales non multò ulteriùs litem hanc extendêre. Sed gliscente magis magisque auctoritate Ecclesiæ Romanæ, postea apertè dicere, disparem esse rationem Papæ, & aliorum Episcoporum. Non ita is, cujus verba adduximus, Petrus Lombardus. Vixit autem ille anno CIƆCXLV. At sic, uti dixi, Durandus, qui anno claruit CIƆCLXXX. Ut hoc tam diversum responsi genus magis eluceat, non injucundum erit cum Lombardi verbis verba conferre Durandi: simul etiam, ut liqueat, ne tum quidem Græcos in Symbolo Constantinopolitano habuisse verbum illud FILIOQUE: sed anathema dixisse Occidentalibus, quia illud apponerent. Sic verò ille lib. IV Ration. cap. XXV: *Et est notandum, quod in prædictis Niceno & Constantinopolitano conciliis, non leguntur verba illa,* FILIOQUE PROCEDIT. *Et quoniam apud Græcos in fine ipsius symboli sub anathemate dicitur prohiberi, ne quis de fide Trinitatis aliud docere, vel aliter prædicare, quam ibi continetur, præsumat; sed & Chalcedonense concilium apud eos celebratum, anathematizare præcepit eos, qui alteram fidem ausi essent componere, proferre, scribere, docere, vel aliud Symbolum tradere, quam præmissum est: ideo ipsi Græcis nos anathematizatos asserunt, pro eo quòd ibi addimus verba ipsa. Sed minus bene dicunt, tum quia illud non fuit canon lata sententia, sed comminatio quædam: tum quia inferior superiorem ligare non potest: 21. dist. inferior. Romana enim ecclesia non subest Conciliis, sed potius Concilia subsunt sibi: extrà de elec. significasti.* Hactenus Durandus. Idemque voluit, sed obscuriùs dixit, Andreas Colossensis; ut qui & hoc, & superius Longobardi argumentum, conjunxerit: quando pro Romana Ecclesia sic respondit Græcis in concilio Ferrariensi Sess. IV: *Promitto vobis probare clarissime, Romanam Ecclesiam, nullam ad Symbolum accessionem fecisse, quæ ei licere non videretur; sed quam vos additionem vocatis, eam explanationem, dilucidationemque quandam esse: ipsamque ab eadem Romana Ecclesia jure fieri potuisse; ac denique Romanam Ecclesiam non minus addere quædam, quàm obscura illustrare, clarioraque reddere, summam facultatem habere.* Pluriaque in hanc mentem ibidem legere est. Nempe Durandus, & cæteri fere ejus temporis scriptores, magno consensu contendebant, non debere quemquam ex arctis Orientalium limitibus metiri potentiam Episcopi Ro-

b In refutatione anathematum Cyrilli, cap. 9.

c Cap. 7.

Romani. Papam enim in locum B. Petri, Apostolorum principis, successisse; ac propterea curandum ei esse, nequid Ecclesia uspiam capiat detrimenti. Eundem per Spiritum Sanctum infallibile habere judicium de omnibus fidei controversiis, easque decidendi potestatem: ut nihil necesse fuerit judicium Orientalium exspectari. Hoc privilegium esse primæ sedis; quæ primatum eum à B. Petro, Christi vicario, accepisset. In his Orientales multa requirere; duo inprimis. Primum quòd sibi adscriberet, quod minimè sibi vindicasset ipse B. Petrus. Nunquam enim sibi hoc privilegium Petrum tribuisse, ut judicaret solus, & à nemine judicaretur. Siquidem cùm Paulus *a*, & Barnabas, ob exortam controversiam in re etiam minori, puta duntaxat ob ceremoniam circumcisionis, Hierosolymam essent profecti: non unum Petrum quæstionem decidisse; sed Synodum esse convocatam; in qua & Iacobus, & cæteri etiam, qui Apostoli non essent, sententiam dixerint. Paulo *b* quoque ei in os resistente, quòd non recto pede incederet, passum se esse ab eo moneri, & corrigi. Quippe qui probè ex Christi præscripto nôsset, non eum esse se oportere, qui dominium, & potestatem, in Apostolorum alios haberet, quomodo Monarchæ primatum obtinent. Nam quem primatum haberet, solùm esse ordinis; qualis in domo Dei requiratur. Addebant, ei primatum attributum, tum quia primus esset omnium vocatus ad munus Apostolicum; tum etiam ob zelum ferventissimum. Eoque sensu *Apostolorum caput*, hoc est, principem, sive primum, vocari potuisse; qui cæteroquin *os* potiùs *Apostolorum* diceretur; quia ubi pro omnibus unum dicere oporteret, ille omnium nomine loqueretur.

a Act. cap. 15.

b Gal. cap. 2. vers. 11, 14.

Præterea addebant Orientales, etiamsi hoc largirentur, Petrum, Apostolorum principem, judicare omnes, judicari autem à nemine potuisse; solum etiam habuisse jus omnes decidendi controversias: non tamen consequi, privilegium tam nobile derivâsse in Episcoporum quemquam. Siquidem duo hæc in Petro, & Apostolorum aliis, distingui oportere; quòd Apostoli, & quòd Episcopi fuerint. Episcopos à B. Petro, vel Apostolorum alio, creatos, non successisse eis in Apostolatu; sed Episcopatu solùm. Apostolos enim non creari ab Apostolis, sed à Christo: qui solus potestatem habeat, quos velit, mittendi in orbem universum, ad prædicandum Euangelium; eosque Spiritu Sancto donandi, quo judicium habeant infallibile in dogmatis fidei; itemque dono miraculorum instruendi, & potestatem conferendi ad Episcopos, ac presbyteros, passim ordinandos; à quibus deinde alii constituerentur. Proinde ista in Apostolis concurrisse, in Episcopis non item. Apostolorum enim fuisse munus temporarium; quo in fundandis primis Ecclesiis Christus uti voluisset: jactis eorum fundamentis, Episcopos suffecisse; quorum munus duraturum esset usque ad finem mundi.

Adhæc ut derivatum esset tale privilegium in Episcopos; non Episcopum Romanum id munus sibi magis posse arrogare, quàm Episcopos alios. Præsertim cùm Petrus etiam aliis in locis Episcopos statuerit: ut Antiochiæ, & Alexandriæ: & quidem priusquam ullum Romanæ præficeret Ecclesiæ.

Nec quia Romæ unà cum B. Paulo martyrio vitam finierit; eo voluisse, ut Romana Ecclesia tali privilegio gauderet. Aliter si esset, tabulas requiri, quibus id caveatur; ut in testamentis fieri solet.

Non ad ista conticescere Occidentales; sed objicere tot sæculorum ante schisma consensum, quibus Papa Romanus habitus esset primæ sedis Episcopus: unde verò, inquiebant, hunc primatum acceperit, nisi à Petro, & Apostolis?

Hic Orientales inter primatum omnium, ac potestatem in omnes, distinguere. Præterea negare eum primatum suum à B. Petro accepisse. Ad prius quod attinet, ajebant, primatum eum esse ordinis, & honoris; non potestatis in universos, etiam Patriarchas Orientis, & qui eorum in diœcesibus agitarent. Nam, inquiebant, si Romanus Episcopus, quia primæ sedis est, eò potestatem habet in secundæ sedis Episcopum, hoc est, Constantinopolitanum: hic pari ratione eam habiturus est in Alexandrinum, quia is ordine sit tertius: Alexandrinus item in Antiochenum, quoniam is est quartus: Antiochenus in Hierosolymitanum, quia is sit quinctæ sedis Episcopus. Quod nemo dicere ausus est; nec talis unquam opinio obtinuit in Ecclesia Dei.

Ad posterius verò respondebant, Romanum Episcopum non habere primatum suum jure divino; sed humano, & Ecclesiastico: hoc est, non à B. Petro, sed ab Imperatoribus, & Conciliis. Quippe in domo Dei opus esse, ut omnia fiant εὐτάκτως *a*: quod autem placuisset, principem locum dare potissimùm Episcopo Romano; id factum fuisse ob Urbis dignitatem, quia hæc esset caput Orbis Romani: ac simili de caussa proximum primò locum tenuisse Alexandriam: nempe quia proxima, & magnitudine, & civili honore, censeretur: sed ex quo Constantinopolis condita, quæ nova Roma dicebatur; & in civili dignitate æqualem, ac Roma vetus, honorem adepta fuit: etiam Cæsari, ac Patribus, æquum esse visum, ut Episcopus Alexandrinus non secundum, sed tertium locum obtineret; Constantinopolitanus autem loco quidem secundo foret, cùm duæ esse sedes primæ non possint; cætera autem honore æquaretur. Atque hæc adstruebant ex ipsis Synodis Oecumenicis; quemadmodum videre est apud Nilum Thessalonicensem, atque alios. Verba apponerem, nisi alibi id facerem.

a Bono ordine.

XLV.

Ab dejecto Photio usque ad Constantinopolitanum Patriarcham Michaelem Cerularium, per spatium nimpe annorum CLXV, *non videtur de hac controversia inter Latinos, & Græcos, disputatum. Sed Cerularius hic vehementer adversus Latinos insurrexit: nec ejus solum, quod de Processione Spiritus Sancti dictum; sed aliorum multorum tum errorum, tum criminum traduxit.*

Vide ejus ad Petrum, Patriarcham Antiochenum, epistolam apud Baronium Tom. XI ad an. CIↃLIV: qui tertius erat, ex quo Cerularius hic factus erat Patriarcha. Nos, cæteris omissis, solùm apponemus, quæ ad præsentem pertinent controversiam. Ut quod inter alia ait: *Sed præter hæc talia, & hujusmodi se habentia, in sacro Symbolo hanc etiam adhibent additionem, malè, & perniciosè sentientes. Ita enim se habet: Et in Spiritum Sanctum, dominum & vivificantem, qui ex Patre, Filioque, procedit.* Ut verò universis responderit Petrus Antiochenus, ex epistola ejus, quæ apud eundem Baronium est, videre licet. Etiam superest epistola, ejusdem Michaelis Cerularii, & Leonis Achrideni nomine scripta ad Ioannem Tranensem in Apulia Episcopum: in quâ de azymis, & alia, objicit Latinis. Hoc ita esse, liquet ex Epistolis Leonis IX ad Imperat. Constantinum Monomachum, & Patriarcham Michaelem. Adhæc ex libro Anselmi, quem tum temporis scripsit de processione Spiritus Sancti contra Græcos. Præterea Sigeberto in Chronicis ad annum CIↃLIV, & Antonino part. III, tom. XXII, cap. XII, §. XI.

Vixit hujus Patriarchæ temporibus quoque Nicetas Pectoratus, monachus Constantinopolitanus, Sigeberto Gemblacensi etiam memoratus in Catalogo. Et hic Patriarchæ sui partes sequebatur.

Utrique respondit ejusdem ætatis scriptor Humbertus Cardinalis, Sylvæ Candidæ Episcopus, vir Latinè Græceque doctissimus, è Tullensi Ecclesia in majorem lucem productus à Leone IX, & ab eodem postea legatus Constantinopolim missus. In libello excommunicationis contra Michaelem Patriarcham, à Leone IX per Humbertum hunc, & alios Apocrisiarios factæ, hæc verba legas de Græcis: *Sicut Pneumatomachi, vel Theomachi, absciderunt à Symbolo Spiritus S. processionem à Filio.* Atque hoc etiam nomine iis, ut Pneumatomachis, postea dicitur Anathema Maranatha. Interea, quæ ab Humberto contra Græcos scripta, potiùs sunt de azymo, & jejunio Sabbathi, quàm processione Spiritus Sancti. Quemadmodum nec Leonis IX ad Michaëlem Constantinopolitanum, & Leo-

nem

rinem Achridenum, epistola de alio est, quàm de vanitate Græcorum, & convitio illo, quòd Latinos vocarent *azymitas*. Eas Leonis literas habes in Pontificum epistolis. Humberti verò libellos, & epistolas, partim in appendice Baroniana Tom. xi: partim Canisii Antiq. Lect. Tom. vi: Græcè verò adservatur in Bibliotheca Bavarica.

Inque eâdem bibliothecâ exstat Metropolitani Achrideni prima, & secunda *συνεισφορά*, sive congressio cum Latinis de Spiritus Sancti processione. Per Achridenum autem intellige Bulgariæ Archiepiscopum; quia Achris est Metropolis, ac regia Bulgariæ. Quod si idem, qui cum Michaele Cerulario ad Petrum Antiochenum scripsit, cui etiam Leo IX respondit; illius *συνεισφορᾶς* a de processione Spiritus Sancti auctor sit: sanè ex Michaëlis, & Leonis IX ætate, etiam de hujus epistolæ auctore satis constet. Sed in serie illa tot Achridenorum Antistitum, quis hunc esse eum spondeat? Præsertim quando, si non omnes, saltem complures ex Achridenis, sive Bulgaris, se opposuerunt Latinis: inque his Gennadius, Bulgariæ Archiepiscopus; cujus adversus Latinos liber in Bavaricâ itidem bibliotheca superest MS. Item Bulgariæ Archiepiscopus Theophylactus: de quo mox dicam.

a Congressionis.

XLVI.

Cerulario huic in patriarchatu successit Constantinus III *Lichides: ut illi Ioannes* VII *Xiphilinus, cujus exstat epitome Dionis. Horum tempore, & deinceps, claruit Michael Psellus; qui & ipse Græcorum partes secutus.*

b P. 157. SIc enim ille in capitibus Theologicis cap. x b. Ἡ ἁγία καὶ καθολικὴ ἐκκλησία τὸν πατέρα μὲν δογματίζει ἀγέννητον, τὸν υἱὸν δὲ γεννητὸν ἐκ τοῦ πατρός, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκπορευτὸν ἐκ μόνου τοῦ πατρός, ἀλλ' οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ. *Sancta, ac universalis Ecclesia tradit; Patrem esse ingenitum; Filium verò genitum ex Patre; Spiritum autem procedere ex solo Patre, & non etiam ex Filio.*

De ætate Pselli quod diximus, liquet ex eo, quòd funebri oratione laudârit Simeonem Metaphrastem, qui sub Constantino Duca claruit: & imprimis inde, quòd præceptor fuerit Michaelis VII Ducæ, cognomento Parapinacii: quem discipulum suum usque adeò literarum studiosum reddidit, ut is regni negotia duobus committeret Eunuchis, & dum totum se studiis immergit, cùm necdum septennio regnâsset, imperio à Nicephoro Botoniate dejiceretur, cumque filio Constantino Porphyrogenneto detruderetur in monasterium. Vide Ioannem Curopalatem. Imò Pselli hujus ad Michaëlem Ducam exstat liber de Trinitate, & Christi persona, atque alia item. Quare prorsus ratio fugerit Baronium, Bellarminum, ac tot alios, qui ducentis antè annis, sub Leone Philosopho putant floruisse. Qua de re plura diximus lib. II de Hist. Gr. cap. xxvi.

XLVII.

Etiam Theophylactus iis temporibus hanc Græcorum sententiam defendit.

DE cujus ætate itidem multis aberratum. Ex epistolis enim cognoscimus, vixisse circa annum CIↃ LXX. Quâ de re etiam occasione aliâ dictum nobis Oratoriarum Institutionum lib. VI, cap. II, sect. II. Præterea omnem scrupulum tollit ejus oratio, quâ celebravit Alexium Comnenum; qui demum ad Imperium pervenit an. CIↃLXXX, ac annis regnavit XXXVII. Illa quoque oratio in bibliotheca exstat Bavarica. Ut fallantur, qui illum referunt ad annum IↃCCCLXXXII: uti inter alios v. cl. Marquardus Freherus, indice Scriptorum Chronologico, quem præmisit juri Græco-Romano: item Gregorius de Valentia Commentariorum Theologicorum disp. II, q. x, punct. II. Nec tamen eos deficit priorum auctoritas. Nam FF. Prædicatores libro, quem Constantinopoli adversus Græcorum errores anno CIↃCCLII scripserunt, ajunt, Theophylactum à Photio Patriarcha missum esse Bulgaris Episcopum. Quam sententiam etiam amplectitur Petrus Pithœus libro de processione Spiritus S. Nempe ei probabile videtur, Photium, hominem ut doctissimum, ita callidissimum, Bulgarici Archiepiscopatus præmio Theophylactum, quem ob ingenium, & doctrinam, suspiceret, sibi devinxisse; eo magis, quia jam tunc inter Papam, & Patriarcham, ordinationis jus controversum foret. Sed (ut aliunde non constaret certò de tempore) non video, cur quod Photium ajunt fecisse, id non potius studuerit Cerularius. Uterque enim acerrimus fuit Romanæ Ecclesiæ inimicus. Magno animo se ei opposuit Photius: at longè majori Cerularius: saltem acriùs, & maligniùs, Romanam dixeris Ecclesiam traduxisse. Et satis verisimile est, ex eo, quòd primus post Photium Michael Cerularius tam inimicitèr caussam egerit; Fratres Prædicatores, qui duobus quasi seculis postea vixerunt, hos duos confudisse; eumque à Photio ordinatum credidisse Episcopum, quem tanto post ordinâsset Cerularius. Utcunque illud est; saltem certum est, hunc Bulgariæ Episcopum Theophylactum, eruditum sanè Scripturæ interpretem, cum Photio, & Cerulario, de Spiritus Sancti processione à solo Patre, consensisse. Liquet id clarè ex iis, quæ ipse de hoc dogmate acerbè adeò adversus Latinos scribit in cap. III Euangelii B. Ioannis.

Nec tamen tam aversus à Latinis fuit, quàm Græcorum plurimi; qui omnes Latinos ritus à suis discrepantes, ut profanos, & impios damnarent. Adversus quos Demetrius Chomatianus disputat in Responsis ad Constantinum Cabasilam, Archiepiscopum Dyrrachii. Qui compluria è Theophylacto adducit, ut ostendat, quantopere is vir objurgârit eos, qui nullo discrimine omnes in Latinis ritus damnarent, à Græcorum consuetudine diversos. Ipse autem, Theophylacti exemplo, vix aliud prorsus, & citra illam distinctionem rejicit, quàm de processione Spiritus Sancti à Filio: longè in eo diversus à Balsamone, qui in Responsis ad Marcum, Patriarcham Alexandrinum, commercii quicquam cum Latinis habendum negat, nisi omnia corrigant instituta, quæ non conveniant cum Græcis. Verba qui volet, & Theophylacti, & Chomatiani, & Balsamonis, reperiet in jure Græco-Romano, Tom. I.

XLVIII.

Postea etiam constanter hanc sententiam retinuerunt Græci. Itaque acriter iterum de hac controversia disceptatum fuit in Concilio ab Urbano II *indicto, ac Bari in Apulia celebrato, anno* CIↃXCVII. *In eo cum Græcis disputando primas tulit Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus. Cumque Græci in sua persisterent sententia, anathema iis dictum fuit à Papa.*

BReviter de eo Edinerus, lib. II vitæ Anselmi; cui auctor is familiaris fuit. Ac ipse etiam unà cum Anselmo Synodo interfuit. Fusiùs verò rem omnem narrat Wilhelmus Malmesburiensis lib. I de gestis Pontificum Angl. Acta quidem Concilii perierunt: sed exstat liber ipsius Anselmi de Processione Spiritus S. Eo argumenta totiùs disputationis complectitur; ac scriptus postulato Hildeberti, Cenomanensis episcopi: ut ex XXI ejus epistola liquet, quæ cum cæteris exstat in bibliotheca Patrum a.

a Tom. 3. edit. 2. pag. 895.

XLIX.

Etiam cum Græcis disputatum in Concilio Lateranensi; quod anno CIↃCCXV *indictum fuit sub Innocentio* III. *Sed eo damnata quidem est superbia Græcorum adversus Latinos: nihil verò particulatim actum fuit de Processione Spiritus Sancti, vel additione illâ ad Symbolum Constantinopolitanum.*

VIde ejus Synodi Acta capite II.

L.

In Lugdunensi autem Concilio, celebrato sub Gregorio X, *anno* CIↃCCLXXIV, *(cui & Michael Palæologus, Imperator Orientis, intererat,) Græci sunt professi consentire se Latinis. De additione tamen illâ in Symbolo non fuit acris contentio.*

Testis

TEstis Nicephorus Gregoras lib. v: ubi ait, de tribus hac Synodo fuisse actum; ut in sacrorum voluminum hymnodiis, Papæ cum quatuor Patriarchis fieret mentio. Item ut cuique liceret Romam, velut ad superiorem Curiam, provocare. Denique ut in cunctis Papæ Romano deferretur principatus. Subjungit deinde: Περὶ δὲ τῆς προσθήκης, ἣν ἐκεῖνοι περὶ τὸ ἱερὸν καινοτομοῦσι σύμβολον, ἢ περὶ ἄλλης οἱασοῦν ὑποθέσεως, ἀναγκαστική τις ἔρις τότε οὐκ ἐκινήθη, ἀλλὰ μακρά τις ἠρεμία καὶ ἄνεσις τὰ μεταξὺ περιέσχε πράγματα τούτου γε ἕνεκα. *De appendice verò* (Symboli Constantinopolitani) *quam* (Latini) *illi novarunt, aut alio quovis argumento, interea nulla acrior contentio incidit; sed, quod ad eas quidem res attinet, quieta ac tranquilla fuere omnia.* Amplius Latini dicunt: è quibus præcipuè advocari meretur jam antè memoratus nobis Durandus: ut qui Concilio interfuerit. Sic verò scribit a: *Græci se errâsse videntes, quosdam prælates de suis ad generale Concilium Lugdunense, sub Gregorio Papa celebratum, miserunt; qui in dicto Concilio publicè,* NOBIS VIDENTIBUS, *suo & omnium prælatorum, & Imperatoris Romani* b *nomine, professi sunt, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus, sed unicâ spiratione, procedit.* (*Extra de summa Trinit. & fide Cath.*) *prout in eisdem Gregorii constitutione habetur: coram toto Concilio ter Græcè, & ter Latinè, Symbolum, cum dictis verbis, secundùm Scripturas,* FILIOQUE *similiter decantando.* De eâdem Synodo sic Matthæus Westmonasteriensis ad an. cIↃ CCLXXIV: *In hoc etiam Concilio, de conversione Græcorum post schisma, lætitia magna fuit.* Et Robertus Gaguinus lib. VII. de gestis Francorum: *Adfuit concilio Palæologus, Græcus Imperator; Ecclesiæque Occidentali se univit.* Nauclerum, & alios, ne longior sim, prætereo.

a Lib. 4. Rationalis cap. 15.

b Non Latini, sed veteris Romæ, sive Constantinopolitani.

LI.

Nec Latini tamen habent, quòd magnopere consensu eo se jactent. Siquidem Græci, postquam domum redierunt, resiluere ab omnibus, quæ Lugduni approbâsse dicuntur.

JOsephus, Patriarcha Constantinopolitanus, repudiatâ eâ concordiâ, sese patriarchali dignitate abdicavit: inque Archistrategi monasterium ad Bosphorum se recepit: ubi quod reliquum erat ætatis, religioso in otio transegit: ut proximè post verba antea adducta commemorat Gregoras: unde & cætera petas licet.

LII.

Iterum de hac controversia in Concilio actum Florentino: ubi secundò Græci Latinis consenserunt; etiam de additione ista Symboli Constantinopolitani.

COncilium hoc tempore Eugenii Papæ IV Ferrariæ cœptum anno cIↃ CCCCXXXVIII; ac post XVI Sessiones, ob grassantem pestilentiam, translatum Florentiam fuit, atque anno finitum cIↃ CCCCXXXIX. Interfuit ei Constantinopolitanus Imperator, ejusdemque loci Patriarcha Josephus, ac eruditi multi Græcorum Theologi.

LIII.

Censensio tamen Græcorum talis fuisse videtur, ut suam non damnarent sententiam: sed putarent, conciliari posse Græcorum, ac Latinorum opinionem.

LIquet hoc ex ultima sessione; ubi de istac controversia sic loquitur Josephus, Patriarcha Constantinopolitanus: *Ego nostrum paternum dogma non derelinquam, neque mutabo; sed in eo, quousque vixero, permanebo.* Hæc non sunt deserentis sententiam priorem. Continuò tamen subjungit, quæ ostendant, Latinorum etiam sententiam admittere, si commodè exponatur. Sic enim loquitur: *Sed quoniam Latini non temere, nec ex sententia propria; verùm Sanctorum auctoritatibus adducti, Sanctum Spiritum ex Patre, Filioque, procedere credunt; idcirco iis assentior, & cum ipsis conjungor, ac præpositionem* PER FILIUM, *Spiritus Sancti caussam significare concedo.* Unde liquet, quatenus existimet, illud FILIOQUE ab Oecumenico posse Concilio Symbolo addi Constantinopolitano. Nempe qua mente olim etiam Græcorum complures ita fuerant locuti: non autem, quasi propterea recedat ab eo, quod Græca hactenus Ecclesia tanto studio defensitasset. Sed postero die tantùm concordiæ dedisse existimatur, ut non in hoc modò, sed in cæteris etiam, opinioni subscriberet Ecclesiæ Romanæ. Nam cùm ex more in penetrale domûs scribendi se caussâ recepisset, mortuum ibi reperere, ac apud eum pyctacium, in quo hæc exarasset: *Quæ Domini Jesu Christi Catholica, & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat, ac celebret; omnia me quoque sentire, crederéque, profiteor; ac ipsis plurimum acquiesco.* Quemadmodum legas in ultima sessione Concilii Florentini. Hinc conscriptæ literæ, ut vocant, sanctæ Unionis: in quibus istoc, inter alia: *Hoc sacro universali approbante Florentino Concilio, definimus, ut sic omnes profiteantur, quia Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, æternaliter est, tanquam ab uno principio, & unicâ spiratione procedit; declarantes, quòd Sancti doctores & patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundùm Græcos quidem caussam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut & Patrem. Definimus insuper explicationem verborum illorum,* FILIOQUE, *veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc necessitate, licitè, ac rationabiliter, Symbolo fuisse appositam.* Atque ita videri potuit finis tandem impositus tot seculorum controversiæ de Processione Spiritus Sancti à Patre Filioque, & appositione ejus ad Symbolum Constantinopolitanum.

LIV.

Sed neque sic firma fuit concordia: quia, Græcis domum reversis, rescissa sunt cuncta, quæ in Concilio fuerant acta, & transacta.

LAonicus Chalcondylas lib. VI: Ταῦτα ὑποδεξάμενος ὁ ἀρχιερεὺς, ἐνομίζετο δὴ τὴν βασιλείαν Βυζαντίου μετὰ ταῦτα ὁ τῶν Ἑλλήνων βασιλεύς. Οἱ μὲν οὖν Ἕλληνες, ὡς ἐπ' οἴκου ἐγένοντο, οὐκέτι ἔφασαν ἐμμένειν τοῖς ὁμολογημένοις. *His ita cum Pontifice compositis, Græcorum Imperator Byzantium proficiscitur. Græci verò domum reversi, dixerunt, non amplius iis, de quibus convenerat, stare se velle.* Atque id factum imprimis impulsu Marci Episcopi Ephesini: qui & ipse Synodo interfuerat, sed nunquam consenserat.

LV.

Ac in sententia sua perstitere Græci, usque ad captam Constantinopolim: quod XIV post annos contigit.

NAm obsessa quidem Urbs anno cIↃ CCCCLII; ut liquet ex Philelphi ad filium epistolâ eo anno exaratâ: capta autem cIↃ CCCCLIII, die Maji XXIX, biduo ante ferias S. Iacobi, postridie Mariæ Magdalenæ: ut fallatur Bellarminus in Chronologia, cùm ita scribit: *Constantinopolis capitur à Turcis anno* cIↃ CCCCLII, *in ipsis feriis Pentecostes, sic Deo ulciscente perfidiam Græcorum circa Processionem Spiritus S. à Patre, & Filio.*

LVI.

Ac deinceps etiam hac in controversia, sicuti in aliis, retinuere opinionem majorum.

UT cognoscere est ex iis, quæ Ieremias, patriarcha Constantinopolitanus, scripsit ad Theologos Witebergenses cap. 1.

F I N I S.

INDEX

TRIUM DISSERTATIONUM

DE

TRIBUS SYMBOLIS.

AP. *indicat dissertationem primam, quæ est de Symbolo Apostolico.* AT. *sequentem, sive de Athanasiano.* CO. *tertiam, sive de Constantinop. Symb. Numerorum prior, qui est Romanus, thesin; Barbaricus paginam; litera* a, *primam; &* b, *secundam columnam indicat.*

A.

B.

C.

D.

E.

F.

T.

X.

FINIS.

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ

DE

CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE RELIQUIÆ MOVERUNT,

LIBRI SEPTEM.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEU,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, & GOETHALS.

M DCC I.

SAMUELI BOCHARTO

S. P.

ISAACUS VOSSIUS.

Cum jam dudum defecerint exemplaria Operis de historia Pelagiana, præcipueque apud vos magnam ejus esse penuriam, coram nuper significares, vir incomparabilis, libenter adsensi Elzevirio nostro, ut novam adornaret editionem; præsertim cum scriptum istud tanto locupletius haberemus, ut vel solo augmenti nomine denuo prælo committi debuisset. Cum vero sciam quanto apud te in pretio sint pleraque parentis scripta, quamque magnifica de iis & publice & privatim edideris testimonia, religio esset alteri ea inscribere, quam illi, quo nemo melius de iis judicare, nemo amantius adversus malignos, si necessitas exegerit, ea velit defendere. Huc accedit, quod cum plus tibi sim obstrictus quam ulli mortalium, neminemque adeo norim, qui me ingrati animi reum possit peragere, nisi tu solus hoc mihi crimen velis intentare; improbus essem si non omni loco & tempore mea erga te studia & observantiam testatam facerem, animumque saltem ac voluntatem ingentibus tuis reponerem beneficiis, si illa vicissim bene de te merendo persolvere non liceret. Habe ergo hoc maximi erga te affectus nostri exiguum pignus, paternaque suscipe monumenta, donec & à nobis aliquid proficiscatur quod dignum te, dignum amore nostro censueris. Vale. Haga Comitis Kal. Aug. CIↃ IↃC LV.

AD

VERITATIS ET PACIS

Studiosum Lectorem.

BEatum illud vas, Apostolus Paulus, in vinculis suis ad Ephesios *a* scribens, demisse & vehementi eos zelo orat, *ut cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerent alii alios per caritatem, studentes servare unitatem spiritus per vinculum pacis.* Rationem verò adjungit, quia sint *unum corpus:* quomodo & *unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Quo satis ostendit, nihil magis quàm caritatem & animorum unitatem eos decere, qui per fidei & baptismi unitatem inserti sint in unum corpus, cujus caput est Dominus Jesus. Corpus vero hoc, cujus unitatem in fide prædicat Apostolus, in symbolo appellatur Ecclesia Catholica: nempe quia veræ Ecclesiæ fides non urbis, uniusve ætatis sensus; sed orbis, & seculorum omnium est consensus. Itaque cùm Catholicam Ecclesiam credimus, verissimè à Palatina & Belgica catechesi illud primùm credere dicimur, *Filium Dei* AB INITIO MUNDI *ad finem usque sibi ex* UNIVERSO *genere humano cœtum, in vera fide* CONSENTIENTEM, *colligere, tueri, ac servare.* Quemadmodum autem, quæ vera hæc fides sit, ex Scripturis discimus: ita Orbis, seculorumque in ea consensum cognoscimus ex collatione doctrinæ, quam & Vetus, & nostri temporis Ecclesia amplexatur. Ac in quibus quidem hodie reformatæ Ecclesiæ conveniant, *Harmonia confessionum*, quæ Genevæ prodiit, apertissimè testatur. Etiam antiquitatis cum Ecclesiis nostris consensum, in multis religionis capitibus docere aggressi sunt viri præstantis eruditionis, quos inter ante annos paucos præcipuè eluxit doctissimus Kemnitius, hodieque tanquam fulgentissimum sidus emicat Nobilissimus Plessiaci Dominus. Ex istiusmodi verò collatione, uti liberalem voluptatem, ita etiam summam capere est utilitatem. Nam cùm humana infirmitas proclivis sit in errorem; quod tot graves præcellentium virorum lapsus ostendunt: ne quod alteri contigit, nobis etiam alicubi usu veniat, jure formidamus. At plurimùm de sententiæ nos veritate confirmat, quando quem in capite aliquo Christianæ religionis esse Scripturarum sensum lectione earum persuasi sumus, eum approbari videmus à primis & purioribus seculis, sæpe etiam ab Ecclesia vetere universa. Et sane antiquitatis iste cum Ecclesiis nostris consensus (utcumque varient in multis) in fundamento religionis perpetuus est. Fundamenti autem nomine ea capita appello, quorum summa Apostolico symbolo continetur; plenior verò explicatio traditur iis, quæ orbis Christianus quatuor Conciliis œcumenicis, & olim sancivit, & antea credidit, & exinde amplexus semper fuit. Nec si in iis, quæ ad structuram magis quam fundamentum pertinent, aliquis aliquorum fuerit dissensus, eo antiquitatis collatio cum recentioribus magistris fructu suo caret. Nam cùm nec veteri Ecclesiæ defuerit Spiritus Domini, ea res excitare nos debet, ut cur illa aliter, quàm nonnulli juniorum, crediderit, inquirere non gravemur; nec minus Sanctorum Patrum, & eorum, qui hos sequuntur auctores, quam illorum, qui aliter docent, argumenta ponderemus.

a *Cap. 4. vers. 2. 3. 4. 5. 6.*

deremus. Quod si absque partium studio à nobis fiat, futurum arbitror, ut pro iis, aut semper, aut plurimùm stare comperiamus Scripturarum veritatem, quorum sententiam tota antiquitas comprobavit. Sin etiam, ubi caussam amborum satis accuratè examinasse nobis videbimur, nihilominus vel nostra, vel τῶν ὁμηλίκων inventa sic nobis placent, ut novellæ adhærere sententiæ perstet animus: saltem æquum est, ut quod majori jure antiquitatis sectatores poscerent à nobis, hac nos æquitate erga illos utamur, ut non illos solos esse homines, & errori obnoxios credamus, sed in nobis etiam habere locum cogitemus Apostoli illud *a*, *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Præterea in mentem veniat, non posse nos ob dissensum istum separare atque abscindere à nobis, qui cum veteri Ecclesia consensum colunt, nisi nos ipsos, qui Catholicæ Ecclesiæ minuta portio sumus, abscindere cogitemus ab reliquo Catholicæ Ecclesiæ corpore, quod & tempore est prius, & eruditione fortasse (qua plerique heu tantopere nobis placemus) non inferius, & pietate ac sanctimonia longè majus: quicum nos in fide unitatem colere, non frustra in symbolo Apostolico profitemur, cùm credere nos dicimus *Ecclesiam sanctam Catholicam:* sive, ut Nicænum symbolum habet, *unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Atque hæc vel sola satis ostendunt, quanti intersit, ut, quid veteres senserint, & cur ita crediderint, intelligamus. Beza epist. ad Andr. Dudithium ait, nostros plus scientiæ, veteres plus conscientiæ habuisse. Nam ea res, & magis nos idoneos facit ad cognoscendam veritatem, & paratiores ad caritatem, vel conservandam, vel reparandam. At quid duobus istis præstabilius? quid omnibus Ecclesiæ filiis gratum magis & acceptum? Si enim veritas in necessariis negligatur, hæresis nascitur: sin caritatis neglectu necessaria unitas violetur, schisma generatur: malum utrumque Ecclesiæ, atque adeò toti sæpe Reip. funestum. Quod cùm verissimum esse, fateantur omnes, paucos tamen invenire est, qui veritatem in controversiis sectentur: pauciores, qui cum ea caritatem conjungant: ut quod de probitate Poëta *b* aiebat olim, laudari illam & algere, hoc in utraque illarum plurimum inveniat locum. Nempe hunc opum vel honorum spes agit transversum, illum fateri errorem pudet, alium simultas abripit, & sæpe ubi maxime hujusmodi vitia dominantur, ibi maximè veritatis & caritatis studium prætexitur. Tali morbo laborantibus difficulter paratur medicina. Nam malum hoc in penitissimis cordis recessibus habitat, nec nisi larva pietatis indutum foras prodit, & si agnoscere occipias, mox aliis atque aliis coloribus, Protei instar, fallit & fugit. Inanem igitur operam sumunt, qui apud tales multa sapientiæ verba funditant: quia quæcunque dicuntur, vel per se sciunt, vel nescire præoptant, eoque nec audita in animum penitius admittunt. Est verò præter istos aliud etiam hominum genus, non malum illud per se, attamen quod non minus, & veritati sæpe incommodet, & caritati. Tenet istos reverentia Scripturæ non exigua, & magna præstantium aliquot interpretum auctoritas: sed utrobique eorum opera claudicat. Nam ut de Scripturis prius dicam, solum oculos defigunt in paucula quædam, & fere obscurius dicta. Ex iis doctrinæ aliquod caput concinnant, interdum ejusmodi, quod non Rationi minus, quàm apertissimis Scripturæ locis adversetur. Nec si utrumque adversus eos ostendas, eo de sententia dimoventur: sed utrobique, quod dicant, quærunt, & inveniunt. De Scripturis enim pronunciant, cùm pugnare illæ secum non possint, & quod ex iis collegerunt, videatur ipsis apertissima veritas: omnia illa, quæ objicere possis, sic exponi debere, ut ne evertant dogma conceptum: atque ita, quia aliter salvo suo dogmate non possunt, clarissima Scripturæ loca miris & miseris interpretamentis in aliam torquere sententiam non verentur. Ad rationem verò quod attinet, hanc in divinis audiendam negant. Atqui non in Scripturarum particulas quasdam, & sæpe ejusmodi, ut de eorum sensu semper in Ecclesia Dei disputatum sit,

a 1 Cor. 13. 9. b Juvenal. sat. 1.

sit, oculos solum conjici oportebat: sed in scripturam universam: ac primùm, & præcipuè ista, quæ sunt apertissima. Quemadmodum enim fidus pueritiæ informator ea, quæ imprimis necessaria sunt, clarè proponit, ut facilè intelligantur; hæc iterat & tertiat, quo, si alia excidant, ista saltem imis maneant animis inscripta: similiter summus ille doctor, qui non sapientiâ solùm, sed etiam discipulorum amore infinitis partibus terrenos exsuperat magistros, ea, quæ maximè sciri vult, & apertissime ob stuporem nostrum pronunciat, & sæpissime, ut madidæ consulat memoriæ, inculcat. Quodsi in aliqua inciderimus, quæ repugnare istis videantur: non eo vim faciemus apertæ veritati; sed illa sic interpretabimur, ut ne istis pugnent, quibus undique personat Scriptura. Quodsi conciliare ea ipsi non possumus, nec qui possint alios invenimus: imitemur veterum Judæorum modestiam, quorum est illud *a*, *Elias corriget omnia difficilia & dubia*. In mentem item veniat Augustini *b* istud, *Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est?* Et quod alibi *c* ait idem: *Quid opus est, ut affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quæ sine discrimine nesciuntur?* De ratione verò recte iidem judicant, minime eâ nos fidei mysteria metiri oportere. Thomas lib. IV. contra Gentes cap. I: *Probanda est hæc Theologia autoritate sacræ Scripturæ, non ratione naturali: sed tamen ostendendum est, quòd rationi naturali non sit opposita, ut ab impugnatione infidelium defendatur.* Sed tamen cùm & majus Scripturæ, & minus rectæ rationis lumen pugnare inter se non possint: ratio quidem præcedere fidem non debet, sed utiliter tamen subservit. Quemadmodum nimirum vinitores, prius terram effodiunt, quàm vitem plantent; postmodò verò in locum suum terram recondunt: ita ratio explodi debet, usque dum fides cordibus inseratur; sed ea ubi plantata erit, ratio recte admovetur, ut fidem illustret ac confirmet. Venio ad illud, quod dicebamus, alium ab hoc, alium ab altero, quem egregie de Ecclesia vel meritum nuper, vel mereri adhuc videt, quâdam animi modestiâ dissentire non audere. Quales etsi præclara illa Dei vasa jure maximi faciunt: tamen vel huic, vel isti sententiam mancipare non decet: quippe qui honos solis conveniat Scripturis: sed si humana judicia petuntur, circumferendus est animus per Ecclesiam Catholicam, vel saltem nobilissimos omnium ætatum magistros: cùm non uni & alteri omnia admetiatur Deus, eoque nec ita aliquos oporteat æstimare, quasi nihil illos fugerit; sed quasi non minus acute alii viderint, si cum singulis quidem Ecclesiæ membris, non cum Ecclesiæ corpore conferantur. Atque hoc juste imprimis postulamus, siquando juniores non solùm abeunt ab antiquis, sed etiam inter se discrepant: in quo eorum dissensu, *ut Prophetica & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur*, (ut Verbis Vincentii Lirinensis *d* utar) plane scire juvat, *quid ubique, quid semper, quid ab omnibus creditum sit*. Nam quid animum magis oblectet, quid in veritate magis confirmet, quàm cùm, ubi junioribus inter se non convenit, ibi, quod Deum orando, Scripturas versando, alios consulendo, verius esse didicimus, hoc in veteri etiam Ecclesiâ constanter creditum esse cognoscimus? Nec enim audiri merentur, qui in antiquis ullum inveniri consensum negant. Quemadmodum enim infinita sunt, in quibus disconvenit Ecclesiæ reformatæ magistris: neque hoc impedit, quo minus consentiant in necessariis: uti arguit harmonia, quæ tot Ecclesiarum confessiones comprehendit: similiter, non si veteres dissentiant in multis, eo negari debet, consentire etiam in multis: cujusmodi sunt partim illa, quæ œcumenicis conciliis decreta sunt: partim alia non pauca, quædam etiam istiusmodi, ut ne in dubium quidem vocata sint unquam. Quin etiam in istis, ubi veteres dissenserunt, (cujusmodi etiam plurima inveniri negare non possumus) constare nobis interest, propter quæ istorum putarint vinculum pacis rumpi non debere. Nam ut nunc tempora sunt, invenias multos, qui sic omnia sua componant,

a *Jos. Scal. Elench. orat. chronol. pag. 33.* b *Lib. de persev. bon. cap. 14.* c *Enchir. ad Laur. c. 59.* d *Cap. 2. & 3.*

ponant, quasi obortis controversiis nullo dogmatum discrimine in partes mox cundum, & inconsutilem Christi vestem scindendam arbitrentur. Propterea utile foret, in quibusque controversiis exstare historiam eorum, quæ veteres senserunt; ut intelligi ab omnibus possit, in quo illi, seu animorum conspiratione quadam, seu malis inspiratione divinâ, convenerint: quid item pro certâ & necessariâ veritate, quid pro tolerabili habuerint errore, quid denique pro incerto, & de quo suo cuique judicio frui liceret. Tentavimus hoc exponere in aliquot gravis momenti quæstionibus: cujus nostri conatus specimen nunc damus historiam de controversiis, quas Pelagius & ejus reliquiæ moverunt. Ab his ut auspicaremur, fecit præsens rerum facies, & zelus domus Dei, in qua per cœlestem gratiam vivo. Cernebam enim, ut tristi schismatis incendio undique flagrent omnia: ac plures pene sint, qui oleum, quàm qui aquam affundant. Æquis ista oculis intueri, nec accurrere ad incendium exstinguendum, quis civis bonus, quis, imprimis Ecclesiæ filius, possit? Itaque etsi metuerem interdum, ne, qui æquo vehementius his vel istis partibus student, operæ me huic parisse malint; posthabito tamen humanæ omnis offensionis metu, nec cum carne, sed cum spiritu consultans, in occupationibus summis, & valetudine non adeo firma, solâ fretus divini favoris fiducia, laborem hunc suscipere non dubitavi. Quod institutum meum spero non improbaturos viros pios & eruditos, si æquis animis cognoscere rem omnem non graventur. Postquam enim diligentius cum animo meo expendere cœpi controversias de Prædestinatione in Batavia obortas; ita semper judicavi, non ab omnibus quidem, (nec enim extrema omnes tuebantur) sed tamen à non paucis eorum, qui contentionis hunc funem ducerent, posse aliquid à sententia remitti. Quod ut ita crederem fecit, non quia putarem, dari tantum paci oportere, ut ubique sententias medias sectaremur; (neque enim ignorabam, quàm multa essent, ubi qui tantillum ab altero extremorum recesserit, præceps ruat in errorem) sed quia, ut in aliis multis, ita in his, quas diximus, quæstionibus, non mei unius opinione, sed aliorum multorum, & eorum imprimis, qui veritati simul & paci Ecclesiæ consultum vellent, tum Scriptura ad sententiam mediam præiret: tum pia antiquitas, cujus me semper reverentissimum fuisse negare non possum, similiter statuisset. Quamquam verò ita censerem, tamen illud sedulò semper cavi, ne tristi huic concertationi miscerem me, partim ne plus aliis, à quibus, ut ætate ita eruditione vincerer, sapere velle viderer: partim quia optimatium aliqui spem bonam fecissent, vel hominum aliquot eruditorum conventus, vel etiam synodi justæ. Ita enim cogitabam: Si calculo ejus cœtus judicium antiquitatis probaretur: tempestive satis illud defendi, & juventuti, ab Ill. Holl. & Westfr. Ordinibus fidei meæ commissæ, posse instillari: sin meliora certioraque audirem, æquum esse, ut in alienam ipse sententiam pedibus discederem: quod quo minus tum facerem, in me mora futura non erat; ut qui multùm antiquitatem, sed magis tamen sectarer veritatem. Sed dum exspectatione ejusmodi conventus macero me diu, res Ecclesiæ magis & magis retro fluere, omniaque dissidiis, magno cum meo & bonorum omnium dolore, in tantum compleri, ut jam ubique magis odio quàm spiritu caritatis, conviciis magis quàm argumentis, certaretur. Accedebat ad ista humana quædam infirmitas. Terrebat enim non mediocriter, quòd non minus odio esse viderem, qui moderatiora consilia sequerentur, quàm qui partium studio tenerentur. Præterea etsi persuasus essem, controversias istas non difficulter posse componi, si ad eas mens Dei reverens, & pacis desiderans, afferretur: tamen ab animis ita exulceratis boni jam ultra vix quicquam exspectabam. Tandem animum collegi, & partim conscientia, partim suasu amicorum impulsus, faciendum aliquid arbitratus sum, quo non amorem ac studium duntaxat erga Ecclesiam testarer meum, sed etiam, si labori huic benedicere Deus vellet, tum veritati aliquid lucis, tum ad resarciendam concordiam vel tantillum præsidii adferrem.

Ergò cùm hoc arrogare mihi non auderem, ut, tacentibus illis, quorum doctrinæ fasces submitterem lubens, in partium sententiam Theologorum more exquirerem: illud facere malui, quod modestiam meam magis decebat, ut antiquitatis de istis judicium scripto consignarem; quo illi, quibus scrutari hujusmodi operose hactenus non licuisset, saltem facili nunc labore cognoscerent, quid veteres de iis censuissent. Cur verò hac ratione, & veritati, & concordiæ me consulturum putarem, multa erant. Videbam, in Batavia magno cum applausu legi à nonnullis libros vernaculâ linguâ scriptos, quibus originale peccatum acriter impugnaretur. Tum autem inciderem in homines alioqui non malos, qui cùm ex aliquot quæstionibus perplexis satis se extricare non possent: parùm aberat, quin ipsum controversiæ caput in dubium vocarent. Utrisque ut occurrerem, ostendi, quàm vere olim scripserit Vincentius Lirinensis, *neminem, ante prodigiosum Pelagii discipulum Cœlestium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negasse adstrictum.* Etiam rationes adjeci, cur Ecclesia ita hucusque credidisset. Præterea nequis, quia non crederet, quæ obscura essent, etiam, quæ aperta forent, negaret; eo de his & istis egi, & ita egi, ut, nisi me ratio fugit, non plane aspernandam meditationis materiam ac sylvam præbuerim illis, qui accuratius, nec historice solum, sed dogmatice etiam, tractare illa posthac volent. Nec, cur de necessitate gratiæ agerem, caussæ minus graves impulerunt. Quotidie enim videbam, quàm proclivis esset hominum natura ad tribuendum arbitrii libertati, quod gratiæ debetur. Ostendi igitur, verissime ab eodem Lirinensi dictum esse, ***neminem ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumsisse arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret.*** Subverebar etiam, ne aliqui tribuerent Verbo forinsecus sonanti, quod debetur internæ & occultæ, mirabili & ineffabili operationi Spiritus Sancti. Itaque demonstravi, veteris Ecclesiæ judicio, non sufficere doctrinam, sed requiri inspirationem Spiritus Sancti, quæ tum intellectum illuminet, ut quod facto opus est, sciamus; tum voluntati vires conferat, ut quod facto opus est, facere diligamus & valeamus. Unde & postulamus à Spiritu Sancto, ut in cordibus hominum operetur, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. Adhæc metuebam, ne qui gratiæ necessitatem faterentur, interim cum Pelagii reliquiis naturæ tribuerent conatus quosdam, quibus tanquam meritis de congruo, ut Scholastici appellant, moveretur Deus ad gratiam homini conferendam. Quare ostendi, veterem Ecclesiam jam olim in Massiliensibus improbasse, quod gratiam occasione & intuitu operum vi naturæ præstitorum conferri crediderint, atque adversus eos decrevisse, fidei & bonæ voluntatis initia, atque ipsum orandi affectum, divinæ gratiæ tribui debere. Nec leviora suadebant dissertationem de imperfectione hominis in hac vita. Nam operæ erat docere, quanto aliter senserit Ecclesia Vetus, quàm qui Cœlestii dogma revocant hodie, atque libris integris contendunt, hominem exacte legem Dei præstare in terris. Nec ignotum est hominum genus, cui per nomen Dei jurare religio est. Ergò etiam operæ fuit, obiter docere, ut & iste fuerit inter Pelagii errores: & quid ad Christi verba, quibus ille sententiam suam tuebatur, cùm Veteres, tum aliqui juniorum respondendum putarint. Post ista transimus ad Prædestinationem sanctorum. Ad cujus explicationem multa itidem compellebant. Nam controversia istac pulpita, ambones, convivia & circuli personabant: Pelagiana & Semipelagiana vocabantur à multis, etiam viris alicujus nominis, quæ Pelagii & reliquiarum ejus adversarii, doctores Catholici, credidissent: inter hæresin & simplicem errorem, inter certam veritatem & particularem doctorum opinionem, qui distinguerent, paucos videbam. Ergò operæ me facturum existimavi, si docerem, ex veteris Ecclesiæ sensu, pro Pelagiano & hæretico habitum esse, siquis crederet, Deum prædestinasse homines ad vitam, quos viribus natura insitis credituros & perseveraturos prævidisset. Item ostendi,

ab antiquitate pia, tanquam erroneam, rejectam damnatamque eorum fuisse opinionem, qui cum Massiliensibus statuerent electionem quorundam ad gloriam; partim ex prævisis operibus naturæ, quibus credere & bene velle incipiant; partim ex prævisis operibus gratiæ, quibus fides & pietas eorum perficiatur. Insuper monstravi, etsi de intercurrentibus aliquot quæstionibus à perfecte Catholicis fuerit disputatum: in eo tamen convenisse omnes, quòd non alios ad salutem æternam destinarit Deus, quàm quos puro puto gratiæ suæ dono, & fidei ac bonæ voluntatis initia habituros, & perseveraturos in bono præscivit. Præterea probavi, Augustinum, Prosperum, scriptorem de vocatione gentium, Fulgentium, & alios multos Occidentalis Ecclesiæ magistros, communi Catholicorum sententiæ (quanquam dissentientibus non paucis, item Catholicis) illud adjecisse, hanc præscientiam promanare ab absoluto salvandi decreto: nam inde esse, quòd vocatorum unus præ altero convertatur: quòd item fidelium unus præ altero perseveret. Ac nequis, quod hi de aliquorum defectione docuerunt, longius traheret, quàm par erat: mox subjecimus, ut multi eorum agnoverint quendam fidei ac pietatis gradum, ad quem ubi quis adscenderit, excidat nunquam, atque etiam de æterna sui electione sit certus. Unde consequitur, non aliud eos voluisse, quàm, primordia quidem veræ fidei, & Christianæ spei ac caritatis, communia esse electis ac reprobis: & quamdiu electus in initiis istis, &, ut ita dicam, inter apia adhuc hæret, de electione sui certum non esse; cùm non desint, qui ab eo fidei gradu resiliant, nec redeant; decidant, nec resurgant. Interim nec diffitentur, imbecilles istos (quales non raro in morte demum electionis suæ Deus certos reddit) dubitationis anxietate non debere torqueri; cùm neminem deserat Deus, nisi à quo prius deseratur; imo omnes, quibus ista fidei & pietatis initia donavit, consolatione sufficienti sustentet; solumque illis omnimodam perseverantiæ certitudinem non conferat, quæ, juxta Augustinum & alios, ob carnalis securitatis periculum, infirmis istis nondum expediret: sed velle tamen Deum, ut tales per orationem, jejunia, eleemosynas, omniaque pietatis ac sanctimoniæ opera ad perfectionem fidei contendant; quia quanto altius animo insederit fides, perque caritatem fuerit efficacior, tanto magis à nobis, & dubitatio omnis recedat, & electionis certitudo succedat. Atque hoc pacto quidem veteres illi electionis suæ incertos ad preces & opera pietatis inflammabant, ne non amitterent, quod haberent, sed reciperent, quod nondum haberent. Utrùm vero, aut qua mente dici possit, quosvis fideles suæ esse electionis certos; hîc definire, vel examinare, animus non fuit: quia satis duxi, si ea exponerem, ultra quæ illorum etiam nulli progressi sunt olim, qui fidem & perseverantiam, non præviam conditionem, sed fructum esse Prædestinationis agnoscunt. Verùm interest plane Ecclesiæ Dei, ut, quia juniorum aliqui, præstantes sane viri, amplius requirunt; aliqui item, etiam veterum, ne tantum quidem largiuntur; eo in piorum doctorumque hominum conventu, vel potius legitima synodo, quid Scripturis magis consentaneum sit, diligenti examine disquiratur. Superest extrema laboris nostri pars, quæ de Reprobatione tractat. Cur verò eam non omitterem, graves item caussæ erant. Venerant in manus meas libri virorum non infimi nominis, multa continentes ad absolutum Dei odium pertinentia, quæ honoris ipsorum caussa, quibus ista exciderunt, tacere malo quàm referre. Videre item videbar non paucos, qui licet ista non docerent, libere tamen improbare non auderent. Ostendi igitur, veteres istos, fortissimos & sanctissimos Pelagii & reliquiarum ejus adversarios, dictis talibus anathema dixisse. Rursum erant, qui videre se negarent, ut non in eadem illa absona, nequid gravius dicam, incidamus, si eorum nos aggregemus sententiæ, qui fidem & perseverantiam fructum electionis, quàm conditionem præviam statuere malunt. Ergò probavi, secus iis visum fuisse olim, qui docuissent decretum salvandi, quod vulgò vocant absolutum: adjeci etiam, ut isti ad evitanda incommoda, quæ objectarentur, dispares fecerint

gratiæ

gratiæ gradus: idque pro vocatione triplici, una universali, quæ omnium est hominum; altera communi eorum, quibus Euangelium annunciatur; tertia particulari, quæ est electorum. Quippe credebant illi, quamquam electi gratis provehantur ad ulteriorem gratiæ gradum, per quem credant & perseverent: tamen qui in universalis, aut communis gratiæ præsidiis relinquuntur, (quos ἀκύρως, sed Hebræorum more, odisse necdum natos Deus dici potest, quia minus diligit) eos non reprobari à Deo ex odio absoluto, sed cum respectu ad peccatum; neque illud originale duntaxat, sed personale, quia nullum non eorum dignatus sit Deus aliqua gratiæ mensura, sed homo libertate arbitrii sui abutens eam contemserit, & reddiderit inefficacem. Itaque qui electionem absolutam docerent, si ex iis quæreretur, cur Deus hominem ad gehennæ supplicium prædestinarit: responsuros fuisse, id factum esse ob prævisam infidelitatem, vel imperseverantiam in fide; ac universe loquendo, quia libertate arbitrii gratiam contemserit. Sin quæsitum esset, cur non omnes per Euangelium vocatos etiam regeneret Deus, nec, quibuscumque orsum fidei donat, iis conferat perseverantiam in eo, quod acceperunt: fuisse dicturos, non alios à Deo reprobari, quam qui donum Dei reprobarent, & vocatione contemta se ipsos facerent reprobationis vasa: nec ullos deseri à Deo, nisi qui Deum priores deserant, ita ut, quo minus à Deo porro adjuventur, in ipsis sit caussa. Si vero rogati fuissent, cur dispari adeo mensura Deus gratiam suam dispenset, ac hos magis quàm illos, nihilo pejores, subinde etiam minùs malos, Euangelii luce destituat, vel non istiusmodi gratiâ dignetur, qua credituros & perseveraturos sciebat: dicturos fuisse, ejus rei caussam ab humanis non posse ingeniis adferri: sed pertinere ad judicium Dei, occultum illud, sed tamen justum: nec si ignoretur, quod Deus occultum esse voluit, eo negandum esse, quod aperuit in Verbo suo. Quia verò ante annos pene octingentos de hoc ipso Reprobationis dogmate non minus, quàm hodie, vehementibus studiis certatum fuit, hinc Hincmaro, inde Remigio, magnis utrimque viris, stantibus; etiam synodis, hinc pro Hincmaro, inde pro Remigio, decernentibus: eo coronidis loco omnem istius certaminis historiam ex fontibus ipsis in agellos nostros derivavi: unde liquebit, in quibus præstantes illi viri convenerint, super quibus dissenserint: quid hæreticum, quid item Catholicum censuerint: quid pro certo, quid pro incerto habuerint: & quo pacto in isto animorum dissensu, salva veritate, & conscientia illæsa, concordiam utrimque coalescere & conservari posse judicarint. Atque hæc præcipuè sunt, quæ partim ad veritatem illustrandam, partim ad reparandam caritatem, commentari operæ duxi. Spero autem, eo gratiorem fore laborem nostrum, partim quia nunc illud potissimum tempus est, quo omnes omnia auxilia conferre oportet, ut veritas integra servetur, & schismati occurratur: partim quia (quod, cùm laborem hunc susciperem, nondum erat) fœderatarum Belgicæ provinciarum, quod felix faustumque sit, synodus indicta est. Nam licet ea est tenuitas mea, ut opera hac carere possint viri magni, à quibus discere malim: tamen, quia præter istos credibile est, nonnullos etiam ad synodum esse advocandos, viros quidem cætera egregios, sed tamen, quibus hactenus judicium piæ antiquitatis cum cura indagandi vel otium defuerit, vel voluntas: sane talibus spero opera nostra non erit prorsus inutilis, nec ingrata. Quamvis enim non ignoro, quantopere nunc sordeat antiquitas apud multos: tamen plane verisimile non fit, vere pios & modestos in sacris consessibus sententiam quidem ipsos dicere velle; & tamen tantum sibi tribuere, ut clarissima veteris Ecclesiæ lumina, tot illustres animas, quæ non solum apud Deum, sed etiam in sanctorum animis vivunt, & quotidie in monumentis suis loquuntur nobiscum, ab omni omnino suffragii jure excludant, atque adeo ne quidem, qua parte illæ consenserint, & cur ita senserint, & quid in istis, ubi,

ubi, ut hodie, ita olim dissensus fuit, pacis caussa faciendum putarint, perexiguo labore cognoscere graventur. Sane hujusmodi aliquid de quoquam eorum suspicari caritas non patitur. Potiùs vereor, nequid in tot controversiarum segete exciderit nobis. Sed eo me solor, quòd ita semper fuerim animatus, ut magni ducerem beneficii loco, siquis doceret meliora: & nunc imprimis tempus advenisse censeo, quo, sicubi aberravero, reducere alii in viam non minus possint, quàm velint. Eo quidem animo ac spe publici juris facio hunc laborem: quem, quantusquantus est, uti & alia, quæ hactenus scripsimus, partim edita, partim ἀνέκδοτα, Ecclesiæ reformatæ *a* judicio submitto. Deum oro, ut omnibus Christianis ac præcipuè illis, qui Reip. & Ecclesiæ præsunt, puræ religionis amorem magis & magis inspiret, ut invitis inferorum portis simplex triumphet veritas; pulsis fugatisque odiis & simultatibus fraterna redeat caritas; exclusa, & hinc conscientiarum tyrannide, & inde quidvis disseminandi licentia, moderata, & qualis ab Apostolo *b* commendatur, prophetandi vigeat libertas. Ex Collegio Theologico Illustrium DD. Holl. & Westfr. Ordinum, quod est Lugduni Bat. Anno cIↄ Iↄ c XVIII. Nonis Septembris.

a *Hoc nomine cum nostris complector eas quæ sequuntur Confessionem Augustanam. Sic & loquitur B. Lyd. in Waldensibus T. 2. pag. 190.* b *1 Thess. 5. 19. 20.*

ARGU-

ARGUMENTUM

ET

SERIES OPERIS.

LIBER PRIMUS

Agit de Pelagianismi, & Semipelagianismi, tum defensoribus, tum adversariis.

LIBER SECUNDUS

Est de peccato originali.

LIBER TERTIUS

Generatim tractat de gratiæ necessitate.

LIBER QUARTUS

Est de gratia præveniente.

LIBRI QUINCTI

LIBER SEXTUS

Est de prædestinatione sanctorum, & quæstione adnexa, An gratia possit amitti.

LIBER SEPTIMUS

Est de Reprobatione.

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ

DE

CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE

reliquiæ moverunt,

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Occasio atque argumentum universi operis,

SEmper hoc Ecclesiæ Catholicæ judicium fuit, eum gratiâ, sed sub gratiâ tamen, conspirare amicè arbitrii libertatem. Nempe, ut B. Augustinus *a* scitè dicebat: *Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Atque, ut ait Bernardus *b*: *Tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur.* Nihilominus nullis propè temporibus defuere, qui hanc Ecclesiæ doctrinam in dubium vocarent, ac vel gratiam sic prædicarent, ut liberum tollerent arbitrium, vel sic arbitrii urgerent libertatem, ut inimici fierent gratiæ. Ab utris eorum magis periculum sit, haut facile dictu est. Nec enim excitabit ignaviam nostram, qui libertatem negat; nec frena injiciet superbiæ, qui gratiæ munus ignorat. Adhæc non minùs prædicari debet Dei justitia, quæ, & ratione & Augustino teste, absque libero arbitrio nulla est, ac ejusdem misericordia, quam labefactant gratiæ inimici. Sed quia sublatâ arbitrii libertate, justitiam Dei convelli, haut statim omnes vident, ac tale nihil cernentes satius est homini quàm Deo esse injurios, plurimùm absque dubio illi malignius peccant, qui Dei negant gratiam, quàm qui hominis tollunt libertatem. Veruntamen hoc non impedit, quo minùs par sæpè aut majus quoque immineat periculum ab iis, qui arbitrii libertatem, quàm qui gratiam negant. Nam error eorum qui gratiam impugnant, statim improbo se tumore prodit; eoque, ubi Evangelii lux clarissimè fulget, vix alios aggredi audet, quàm homines indoctos ac profanos; quales inscitia stultaque sui fiducia facilè constrictos tenet: præsertim si typhus accesserit gloriæ secularis. At optimus & modestissimus quisque magis eorum omnium fraudibus obnoxius est, qui, quod de Chaldæis in Policratico *c* suo scribit Ioannes Saresberiensis, *fatalem quandam necessitatem rebus imponunt sub prætextu humilitatis & reverentiæ Dei, timentes ne fortè ipsius evacuetur dispositio, nisi rerum eventus necessitas comitetur*: qui error humilitatis ac pietatis velamento tectus, quanto occultiùs tanto periculosiùs in animis hominum grassatur. Utrumque optimè perspexit Augustinus, cum in Joh. homil. LIII. ait: *Quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam: & quosdam nimia suæ vocationis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, Ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostrâ est potestate? Isti dicunt, Ut quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine, ô Pater, qui es in cælis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo.*

a Epist. 46. ad Valentinum.

b Post initio libri de gratia & lib. arb.

c Lib. 2. Cap. 20.

Atque hæc quidem, sermone saltem, si minus animo, illi quoque confiteri solent, qui alioqui vel libertatem arbitrii plus æquo infringunt: vel plurimùm deterunt de gratiæ virtute. Dicere autem quid sola possit gratia, quid cum & sub gratiâ liberum possit arbitrium, hoc verò opus, hic labor est. Neque, ut nunc tempora sunt, ea res solùm laboris, sed etiam periculi plena est. Quemadmodum enim non rarò contingit, ut qui duobus inimicè concurrentibus, dirimendæ pugnæ, medium se interponit, amborum in se iram atque impetum convertat: itidem in controversiis istiusmodi plurimùm usu venire solet, ut qui veritatis simul ac pacis studio ductus, gratiæ liberique arbitrii concordiam profitetur, nec agnoscendo liberum arbitrium, satisfaciat illis, qui ejus inane nomen putant; nec gratiam prædicando, iis se probet, quibus sola arbitrii libertas utramque paginam facit. Hæc me cogitantem non mediocriter deterruerunt, quo minùs quorundam consilia secutus in diutino hoc Ecclesiæ dissidio ad pugnam ipse quoque accurrerem, cumque aliis aliquot viris piis & sanctis quasi sequestros inter nomen profiterer meum.

In hoc quidem rerum statu,

Non ea vis animo, nec tanta potentia nobis.

Nempe Gregorianum *a* illud non mediocriter extimesco: *In præcipitio pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit.* Et tamen, post tot solida ἐχεμυθίας nostræ quinquennia, plus tandem aliquid spero quàm ἀνεσινοι esse possumus. Quamobrem etsi minimè ab animo meo impetrare potui, ut quæcunque de exortis controversiis disputantur, ea trutinâ judicii nostri expensa, judicii facerem publici: nihilominus tamen haut invitum eò me perduci passus sum, ut relicto aliis accuratiori eorum examine, quæ è Scripturis utrimque depromuntur, controversiam omnem, quæ Catho-

a Lib. 18. Moral. cap. 11.

 licis

licis olim cum Pelagianis & Semipelagianis fuit, nudè explicarem, veterumque testimoniis illustratem: idque eâ modestiâ, ut magis indicis quàm judicis, ac ferè non tam Theologi quàm Historici munere fungeremur. Alienam inquam (ut sic loquar) sententiam commemoraturum me recepi, neque tam id ut integræ cujusquam caussæ præjudicium per nos fieret, quàm ut partes ipsæ cognoscere haut graventur, an ab hac, quam alienam sententiam vocamus, ipsi animis sint alienis, vel an alienam à veritate putent: imò hoc quoque, an à Scripturis alienam esse credibile sit, quæ subnixa est tibicine proximæ post Scripturas autoritatis. Nec enim in re tanti ponderis animus est referre unius aut alterius antiqui doctoris sensum, sed verò primævæ antiquitatis, atque adeò, judicio nostro, totius Catholicæ Ecclesiæ contra Pelagium & propè omnium Ecclesiæ doctorum adversus Pelagii reliquias consensum. Sanctos in Ecclesiâ Dei, si alia majoraque exspectant, rogatos velim, ut dum cessant qui ad isthæc idonei magis sunt, Catone hoc contenti esse velint. Te vero JESU CHRISTE, gratiæ omnis fons unice, suppliciter rogo, ut de gratiâ scribere cogitanti, spiritu tuo gratiosè adesse digneris, atque ita mentem calamumque dirigas, ut neque fallatur animus in ruspandâ veteris Ecclesiæ sententiâ: neque in eâ candidè enarrandâ ab animo manus discordet.

CAP. II.

Operis divisio in partes duas: quarum prior in quinque membra distribuitur.

CUm in omni controversiâ duo considerentur, à quo aliquid dicatur, & quid dicatur; materiem futuri operis puto non incommodè in partes duas dispesci: quarum prior exponat, tum qui pro Pelagii ac reliquiarum ejus errore scribendo certarint, tum qui animosè adversus eum in arenam processerint: altera vero partim Pelagii & Massiliensium opiniones proponat; partim his Catholicæ Ecclesiæ dogmata opponat. In parte priori, quæ ad alteram sternit viam, hæc quinque ordine considerabimus.

I. Qui Pelagiani ac Massiliensium sive Semipelagiani dogmatis primi ac præcipui vel autores fuerint vel fautores.

II. Qui Catholici doctores eorum erroribus privato nomine iverint obviam.

III. Qui Romanorum episcoporum cum Urbis clero doctrinæ horum sint adversati.

IV. Quæ concilia eam damnarint.

V. Qui imperatores leges contra eam tulerint.

Porrò neque ista jejune adeò tractabimus, ut illorum, qui ad Pelagianum certamen scribendo concurrerunt, catalogum texere contenti simus; neque ita fusè, ut cum pulvisculo omnia in cumeras nostras convertamus, quæ invenimus apud antiquos: sed regiâ insistentes viâ, tantum dicemus, quantum ad Pelagianam historiam intelligendam satis esse putabimus; nec in longam verba motam ducemus, nisi fortean in illis, quæ solidi ac gravis erunt ponderis, vel etiam virorum in hac arena præcellentium scientiam aut industriam fugerunt.

CAP. III.

De Pelagio, ac ejus magistris, & Pelagianæ hæreseos primis incunabulis.

PElagius professione monachus, natione non Gallus Brito, ut Danæus *a* putavit: nec Anglo-Britannus, ut scripsit Balæus *b*; sed Scotus; semina Doctrinæ suæ primùm sparsit in Occidente circa annum salutatis ἐνανθρωπήσεως quinctum super quadringentesimum: quo anno B. Chrysostomus, Arabissi Armeniæ oppido exulans, mortique proximus, sic casum hominis deplorat epistolâ quartâ ad Olympiadem: Σφόδρα ἤλγησα ὑπὲρ Πελαγίου τοῦ μονάζοντος. Ἐννόησον τοίνυν πόσων ἄξιοι στεφάνων εἰσὶν γενναίως στάντες, ὅταν ἄνδρες ἐν τοσαύτῃ ἀσκήσει διαγαγόντες καὶ καρτερίᾳ, οὕτω φαίνωνται ἀποσυρόμενοι. *De Pelagio monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt, cum viros piè ac sanctè tantaque cum tolerantia viventes, abripi atque in fraudem impelli videamus.* Scribit Balæus cent. I. scriptorum Britanniæ, ut præpositus fuerit Cœnobii Bannochorensis, ab alterâ Legionum urbe, quæ nunc Cestria dicitur, non procul; ubi bis mille & centum Philosophi Christiani essent. Item, ut è Britannia expulsus. Cujus rei laudat autorem Valdenum epistolâ ad Martinum V. Sed sunt ista juniorum fabulæ. Ut verò dogma suum longius latiusque seminaret, monasteria crebrò mutabat. Nam quod ad absumendas popinas factum id credi velit Isidorus Pelusiota, Chrysostomi discipulus, lib. I. epist. CCCXIV. parum verisimile dicit, cum non Chrysostomus modò, ejus prædicet pietatem, sanctimoniam, tolerantiam, ut vidimus; sed Augustinus etiam in libb. de peccatorum meritis & remiss. nomen ejus aliquoties non sine laude posuerit, quia vita ejus prædicaretur à multis: ut ipse fatetur lib. II. Retract. cap. XXXIII. Et profectò hoc nisi fuisset, non primitus eum amassent tot egregii viri, eo'que inter B. Paulinus episcopus Nolanus *a*, vir non pietate minùs quàm doctrinâ excellens. Credibile autem est, Pelagium demum, postquam in Oriente compertum erat, aliquid eum monstri alere, Romam profectum esse, atque ibi Rufini sermonibus, vel Melaniæ saltem & aliorum, qui Rufino faverent, tanquam œstro aliquo percitum, majori studio, quàm antea unquam, ἀναμαρτησίαν καὶ ἀπάθειαν, de fonte Origenis depromptum errorem, defendere cœpisse. Nam ut Melaniam cum Rufino ex Ægypto & Palæstina anno CCCXCVI Romam rediisse constat; ita certum est anno demum CCCCIX Româ profectam in Africam, cùm instantem urbis vastationem priùs prædixisset, quæ anno contigit sequente. Rufinum autem (cujus partibus impensè studebat tota Melaniæ domus) Pelagianam fovisse doctrinam, non Augustinus solùm indicat, cùm lib. II. contra Pelagium cap. III. narrat, ut Cælestius Pelagii armiger in concilio Carthaginensi sit professus, se audisse Rufinum dicentem, non esse traducem peccati: sed ipse Gennadius Massiliensis *b*, cùm eum ab Hieronymo *in aliquibus de libertate arbitrii notatum* agnoscit. Quod verissimè ab eo dictum est. Nam Hieronymus præfat. lib. I. in Hierem. Rufinum idcirco Pelagii præcursorem vocat. Verba ejus sunt: *Nuper indoctus calumniator erupit, qui commentarios meos in epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat.* & mox: *Quod non videns præcursor ejus Grunnius olim nisus est carpere.* Et post pauca de eodem censore subjungit: *Nec recordatur stolidissimus & Scotorum pultibus prægravatus nos in ipso dixisse opere.* Nam per *Scotorum pultibus prægravatum* non alium intelligit quàm Pelagium natione Scotum: per Grunnium vero & hic & alibi passim Rufinum intelligi, nemo in Hieronymo versatus nescire potest: nempe contemtim sic eum appellat, alludens ad M. Grunnii Corocottæ Porcelli testamentum, quod à cirratis pueris olim cum risu multo excipiebatur in scholis: ac seculo nostro à summo antiquitatis vindice Jo. Alexandro Brassicano Iurisconsulto ex vetusto codice descriptum & luci restitutum fuit. Ne quis verò quod in Frobenianâ Hieronymi editione pro *Scotorum pultibus* corruptè legatur *scortatorum*, eò rem certissimam in dubium vocet; audiamus sanè eundem Hieronymum præfat. lib. tert. in Hierem. ubi sic scribit: *Hic tacet, alibi criminatur: mittit in universum orbem epistolas biblinas: prius auriferas, nunc maledicas: & mox patientiam nostram de Christi humilitate venientem, malæ conscientiæ signum interpretatur. Ipseque mutus latrat per Alpinum canem, grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sævire, quàm dentibus. Habet enim* pro-

a Comm. in Aug. lib. de hæres. cap 88.

b Cent. I. scriptorum Britanniæ.

a August. init. epist. ad Paulinum.

b Lib. de script. Eccles. ubi de Rufino.

progeniem Scoticæ gentis de Britannorum viciniâ, qui juxta fabulas poetarum instar Cerberi spiritualis percutiendus est clavâ, ut æterno, cum suo magistro Plutone, silentio conticescat. Seductores illustrem de Pelagio locum habemus præfat. lib. IV. in Hierem. *Commentarios*, inquit, *in Hieremiam per intervalla dictabam, ut quod deerat otio, superesset industriæ, cùm subitò hæresis Pythagoræ & Zenonis* ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, id est, *impassibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene & dudum in discipulis ejus Grunnio, Euagrioque Pontico, & Joviniano jugulata est, cœpit reviviscere, & non solum in Occidentis, sed & in Orientis partibus sibilare, & in quibusdam insulis, præcipueque Siciliæ & Rhodi, maculare plerosque, & crescere per dies singulos, dum secretò docent, & publicè negant.* Quibus paucissimis verbis multa Hieronymus complexus fuit. Nam hinc discimus, quid statuerit Pelagius, & unde dogma suum hauserit, & quo illud tempore spargere cœperit, & quæ loca seminandæ hæresi maxime idonea putarit, & quo artificio Catholicos circumvenerit. Quòtum si singula pensiculatiùs hoc loco consideremus, cespitantes in Pelagianâ historiâ largiori luce convestiemus. Ait igitur B. Hieronymus, Pelagium docuisse ἀπάθειαν καὶ ἀναμαρτησίαν: hoc est, posse hominem eo perfectionis pervenire in hac vitâ, ut affectibus vacuus omni careat peccato. Unde liquet unum errorem duabus exprimi vocibus, non verò cunctos Pelagii errores ad duo capita revocari: quod nuper scribere non dubitavit vir eruditus. Addit Hieronymus, haustum esse hoc dogma è fontibus Origenis: unde illud mundo propinârint triumviri isti, Grunnius sive Rufinus, Euagrius Ponticus, & Jovinianus: quos etiam tanquam Pelagianæ hæresios patriarchas incessit præfat. in dialog. adversus Pelag. Nec in obscuro est, cur eos potissimùm nominarit. Jovinianus enim non hoc tantùm docebat, virgines, viduas, & maritatas ejusdem esse meriti, si cæteris vitæ operibus non discrepatent; sed præterea contendebat, verè baptizatos non posse relabi in peccatum. Prius dogma priori adversus Jovinianum libro refutavit Hieronymus; alterum refellit secundo, quem idcirco sic auspicatur; *Secunda propositio est, Eos qui fuerint baptizati à diabolo non posse tentari.* Atque idem Hieron. epistolâ ad Ctesiphontem sic Pelagium alloquitur: *Joviniani secunda quæstio tui ingenii disciplina est. Quicquid illi responsum est, tibi responsum credito. Nec fieri potest, ut diversus sit eorum exitus, quorum est una sententia.* Hoc addit, quia Joviniani error operâ Victorini & Pammachii Romæ à Siricio fuit condemnatus. Hinc Hieronymus in principio lib. II. contra Pelag. *Non erubescis explosam atque damnatam Joviniani sententiam sequi? Et ille enim his testimoniis, tuisque nititur argumentis: imò tu illius inventa sectaris, in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ, dudum in Africâ condemnata sunt.* Atque inde est quòd etsi certum est primum in Pelagianâ Cælestianâque causâ judicium Carthagine factum esse, Prosper tamen scribere non veretur, caussam ejus primùm Romæ examinatam & damnatam esse. Hoc enim illis voluit verbis carm. de Ingratis,

> *—— Pestem subeuntem prima recidit*
> *Sedes Roma Petri.*

Nempe non quasi primùm damnata Romæ fuerit in Pelagio ipso, (is enim ante Carthaginense concilium Catholici velamine amictus delitescebat) sed quia in prædecessore ejus Joviniano, ab Siricio Papâ condemnata fuit. Joviniano jungit Hieronymus Euagrium, quem ἀπαθείας dogma fovisse testatur idem ad Ctesiphontem: *Euagrius Ponticus Hyperborita, qui scribit ad virgines, scribit ad monachos, scribit ad eam, cujus nomen nigredinis* (signat Melaniam, cujus antea meminimus) *perfidiæ testatur tenebras, edidit librum & sententias* περὶ ἀπαθείας, *quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, & ut simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est. Hujus libros per Orientem Græcos, & interprete discipulo ejus Rufino, Latinos plerique in Occidente lectitant: qui librum quoque scripsit, quasi de monachis, multosque in eo enumerat, qui nunquam fuerunt, & quos fuisse Origenistas, & ab Episcopis damnatos esse non dubium est.* Quibus etiam verbis docemur, Rufinum Origenistarum caussam juvisse transferendo Euagrii præceptoris sui libros. Quemadmodum & eandem propagavit vertendo fraudulenter Origenis libros περὶ ἀρχῶν. Quâ de re sic Hieronymus ad Pammachium: *Animadverti, quæ Origenes de Patre cum Filio & Spiritu sancto impiè dixerat, & quæ Romanæ aures ferre non poterant, in meliorem partem ab interprete commutata: cætera autem dogmata de angelorum ruinâ, de animarum lapsu, de resurrectionis præstigiis, de mundo vel mundis Epicuri, de restitutione omnium in æqualem statum, & multo his deteriora, quæ longum esset retexere, vel ita vertisse, ut in Græco invenerat, vel de commentariolis Didymi, qui Origenis apertissimus propugnator est, exaggerata & firmiora posuisse, ut qui in Trinitate Catholicum legerat, in aliis hæreticum non caveret.* Alium etiam per dolum animos hominum circumduxit, quando (ut verbis utar Hieronymi ad Ctesiphontem) *librum Xysti Pythagorei hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris & Romanæ Ecclesiæ episcopi prænotavit: in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantiâ, multa* DE PERFECTIONE *dicuntur, ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis.* Idem lib. IV. in Hierem. cap. XXII. *Miserabilis Grunnius, qui ad calumniandos sanctos viros aperuit os suum, linguamque suam docuit mendacium, Sexti Pythagorei hominis gentilissimi unum librum interpretatus est in Latinum, & sub nomine sancti martyris Xysti, urbis Romæ episcopi, ausus est edere: in quibus nulla Christi, nulla Spiritus sancti, nulla Dei Patris, nulla Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum fit mentio: & hunc librum solitâ temeritate & insaniâ* ANNULUM *nominavit, qui per multas provincias legitur, & maxime ab his, qui* ἀπάθειαν *& impeccantiam prædicant.* Hæc de Pelagii præcessoribus dicta sunto. Nunc cætera persequamur, quæ paucis Hieronymum complexum dicebamus. Ubi sunt illa, quo primùm tempore, quibus locis, & quo modo suam Pelagius sparserit doctrinam. Tempus indicat, cùm dogma Joviniani ac Rufini se commentante in Hieremiam reviviscere cœpisse testatur: hoc est, paullò post urbem à Gothis captam. Nam simul ac commentarios in Ezechielem perduxerat ad umbilicum, ad Hieremiæ explicationem se accinxit: quemadmodum ipse indicat præfat. in Hierem. At eo Ezechielem exponente, urbem cepit Gothorum rex Alaricus: unde sic in Ezechielem præfatur: *Finitis in Esaiam decem & octo explicationum voluminibus, ad Ezechielem transire cupiebam: & ecce subito mors mihi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum & sororum dormitio nunciata est.* Et mox: *Clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est: imò Romani imperii truncatum caput, &, ut verius dicam, in unâ urbe totus orbis interiit.* Incidit verò hoc tempus in annum Christi CCCCX: quo & Rufinus Aquilejâ profugus ob cladem patriæ illatam, in Siciliam abiit, inibique obiit: quod discimus ex eodem Hieronymo, quando hæc in Rufinum more suo, id est peracerbè, subjungit: *Quia scorpius inter Enceladum & Porphyrium Trinacriæ humo premitur, & hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit: datum tempus, quo non hæreticorum respondere insidiis, sed scripturarum expositioni incumbere debeamus.* Nam per scorpium signat Rufinum, quem similiter vocat in fine epist. LIA. ad Avitum, & epist. XVI. ad Principium: ubi scribit, Origenis περὶ ἀρχῶν libros manu Scorpii, hoc est Rufini, fuisse emendatos. sed qui, cùm in librum Ezechielis præfaretur, unà cum Rufino etiam dogma ejus extinctum putabat, is præfat.

comm. in lib. VI. Ezech. de plantis Rufini à corpore matris abscissis, fulcoque depositis conqueri incipit: *Putabam*, inquit, *quòd, medio serpente confosso, non reviviscerent hydræ novella plantaria, & juxta fabulas Poëtarum, Scyllâ mortuâ, nequaquam in me Scyllæ sævirent canes, qui latrare non cessant.* Præfat. verò lib. I. III. & IV. commentariorum in Jeremiam (quos exorsum fuisse, simul ac illos in Ezechielem edolarat, antea diximus) non jam amplius in generalibus pronunciatis se continet, sed quasi δακτυλοδεικτως eum, qui Rufini dogma resuscitaret, Pelagium esse ostendit. Satis igitur clarum est, Hieronymum, cùm antea Rufinum oppugnasset, anno hoc CCCCX. vel proximo cœpisse Pelagio adversari. Atque hæc de tempore. Præterea indicabat Hieronymus, quibus imprimis locis Pelagius pestilentiæ cathedram erexisset. Nam in Oriente quidem Rhodum insulam elegisse testatur, in Occidente verò Siciliam: ubi Cælestius degebat, Pelagii quidem discipulus, sed jam magister ac ductor exercitus: quo eum elogio Hieronymus insignit. Denique ex iisdem Hieronymi verbis cognoscere erat, quâ arte Pelagius suam propagaret doctrinam. Nam quod apertè negaret, hoc occultè docuisse ait. Nempe hoc simulationis ac mendacii artificio fallebant eos, quibuscum sererent sermonem. Sed scripto si sententiam suam instillare vellent, sub alienâ hoc personâ faciebant, non quid ipsi sentirent, sed quid aliqui dicerent exponentes. Hoc dolo Pelagius lusit in expositione epistolæ ad Rom. Nihil igitur magis optabant Patres, quàm ut apertè tandem explicaret, quid in Catholicâ improbaret doctrinâ. Unde Hieronymus eâdem

a Præfat. comm. lib. 4. in Hier.

præfat. *a Quibus loquar compendio: Aut bona sunt quæ docetis, aut mala. Si bona, defendite liberè. Si mala, quid occulto miseros jugulatis errore, rectâque fides ad decipiendos simplices quosque jactatis expositionem?* Item epist. ad Ctesiphontem: *Loquere quod credis, publice prædica. Quid secretò discipulis loqueris? Qui dicis te habere arbitrii libertatem, quare non libere, quod sentis, loqueris?* Hujusmodi expostulatione hoc tandem consecutus Hieronymus fuit; ut in lucem, oculosque omnium, protraheret è vepretis suis nitedulam, quæ occulte antea Ecclesiam arrodebat. Nam ex eo tempore Cælestius Carthagine sententiam suam & apertè profiteri, & acriter propugnare cœpit. Hoc autem ut faceret, insectatione istac sua propositum sibi habuerat Hieronymus: ut testatur ipse eâdem ad Ctesiphontem epistolâ: *Necdum*, inquit, *scripsi, & comminaris mihi scriptorum tuorum fulmina, ut scilicet hoc timore perterritus, non audeam ora reserare; & non animadvertis, idcirco nos scribere, ut vos respondere cogamini, & apertè aliquando dicere, quod pro tempore, personis & locis vel loquimini vel tacetis? nolo vobis liberum esse negare, quod semel scripseritis.* Atque hæc, qui Pelagianæ hæresios patriarchæ, & cujusmodi ejus incunabula fuerint, satis ostendunt: deinceps syllabum scriptorum Pelagii subjungemus.

CAP. IV.

De iis quæ Pelagius scripsit.

a In catal. de scrip. Eccles.
b Lib. de Illustr. viris.
c Tiuemat. 27 & 73. sive p. 20. & 115.

I. PElagium tres libros scripsisse de fide Trinitatis, auctor est Honorius Augustodunensis *a*, eoque antiquior Gennadius Massiliensis *b*, qui licet Pelagium in hæreticorum numerum reponat, hosce tamen libros studiosis apprimè conducibiles esse ait. Et sanè Pelagium de Trinitate rectè sensisse, paret ex libello Fidei ejus. Quod ipsum de Juliano dictum volumus. Quippe qui apud Augustinum, lib. I. adversus VII. libros Iuliani *c*, Athanasium vocet virum magnæ constantiæ & fidei sanissimæ: contrà Arrianum dogma impietatem appellare non vereatur.

II. Præterea scriptus à Pelagio fuit liber ἐκλογῶν sive honestorum sermonum de actuali conversatione; sive liber Testimoniorum, in quo ad Cypriani exemplum è scriptutis sententiarum capitula complectebantur. Hinc Hieronymus lib. III. adversus Pelagianos *a*: *B. Martyris Cypriani te in scripturarum testimoniis dirigendis* (l. digerendis) *æmulum gloriaris.* Et libro primo *b* adversus eosdem: *Cumque se imitatorem, imo expletorem operis beati martyris Cypriani, scribentis ad Quirinum, esse fateatur: non intelligit se in eodem opere dixisse contraria.* Orosius apologetico de arbitrii libertate *c*: *In libro tuo, quem testimoniorum titulatione signasti.* Gennadius Massiliensis in Catal. script. Ecclesiast. *Pelagius hæresiarches antequam proderetur hæreticus, scripsit studiosis tres necessarios de fide Trinitatis libros: & pro actuali conversatione eulogiarum ex divinis scripturis librum unum, capitulorum indiciis in modum sancti Cypriani Martyris præsignatum.* Honorius Augustodunensis Catal. script. Eccles. *Pelagius hæresiarches scripsit tres libros de fide Trinitatis, & pro actuali vitâ librum.* Quæ capitula Pelagio ex hocce libro sint objecta, docet tum Hieronymus dialogis adversus Pelagianos, qui primo libro ex eo citat titulum XIV. XX. XXII. XXXI. LXXII. LXXIII. C. CXXIII. CLXI. CLXIV. tum Augustinus de gestis Palæstinis cap. III. IV. V. & VI. Quod verò Possevinus *d* eundem *de vitâ clericorum* scripsisse ait, hunc ab eo librum signari arbitramur: sin alium intellexit, fides esto penes auctorem. Credo eum decepit Jo. Balæus scriptorum Britanniæ Cent. I. ubi ait eum scripsisse de moribus clericorum, item pro vitâ actuali, item eulogiarum ex scripturis: quasi ἐκλογῶν liber sit diversus à libro *de vitâ actuali*, aut is (si ullius libri ea inscriptio fuit) *de vitâ clericorum.*

a Circa finem, hoc est, pagina 306. edit. Basil. 1553.
b P. 274.
c P. 707. edit. Col. 1582.
d In Apparatu.

III. Etiam Pelagius edidit XIV Expositionum libros in epistolas Paulinas. Meminit eorum Augustinus lib. III. de peccat. meritis & remiss. cap. I. & de gestis Palæstinis cap. XVI. Valde autem eò inclinat animus, ut putem eos ipsos esse, qui commentariis Hieronymi in epistolas aliquot Paulinas subjungi vulgo solent. Cui non tenui suspicioni locum magnum dedit, quòd scriptor hic statuat passim, neminem per Adamum peccati reum esse, nisi quatenus ejus imitetur exemplum: cumque omnes in eo peccasse dicuntur, id non ἁπλῶς intelligi debere, sed de genere improborum: quando alii præter hos sint, qui justè vivendo secundum Adamum, hoc est Christum, sequiament. Audiamus ipsum in cap. V. ad Rom. sic scribentem: *Ut qui* SEQUENTES *Adam, discesseramus à Deo, per Christum reconciliaremur Deo.* Et mox: *Quomodo cùm non esset peccatum, per Adam advenit, ita etiam cum* PENE *apud nullum justitia remansisset, per Christum est revocata.* Ibidem ad illud, *Et ita in omnes homines mors pertransiit; Dum*, inquit, ITA *peccant, & similiter moriuntur.* NON *enim* IN ABRAHAM ET ISAAC, ET JACOB PERTRANSIIT, *de quibus dicit Dominus: Omnes enim illi vivunt. Hic autem* IDEO *dicit* OMNES MORTUOS, *quia in multitudine peccatorum non excipientur* PAUCI JUSTI: *sicut ibi, Non est, qui faciat bonum: non est usque ad unum. Et, Omnis homo mendax. Sive* IN EOS OMNES *pertransiit, qui humano, non cælesti ritu vivebant.* Et pauculis interjectis: *In quo omnes peccaverunt: hoc est, in eo quod omnes peccaverunt,* EXEMPLO *Adæ peccant.* Et mox: *Forma Christi Adam factus est. Sicut enim Adam primus, mandatum Dei prævaricans,* EXEMPLUM *est legem Dei prævaricari volentibus: sic & Christus, voluntatem patris complens, exemplum est imitari eum volentibus.* Et post aliqua ad illa verba: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ: Quomodo*, inquit, *potest unius delictum Adæ omnes homines condemnare, cùm nec unius Christi justitiâ omnes homines justificati sint?* OMNES *autem dicens,* NON GENERALITER *dicit, sed* UNIUSCUJUSQUE PARTIS *significat multitudinem.* Et mox: *Sicut* EXEMPLO *inobedientiæ Adæ peccaverunt multi; ita & Christi obedientiâ justificantur multi.* Item in cap. VI. *Qui veterem hominem terrenum*

Adam

Adam IMITANDO *peccabant*. Item: *Homo membra sua* CUI VELIT PARTI EXHIBET PER ARBITRII LIBERTATEM. Ubi palàm est, eum naturam liberi arbitrii considerare citra ullam Spiritus S. gratiam. Quemadmodum & cùm paullò pòst ad illud, *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ*: *Humana*, inquit, *ratione digna loquor*, QUOD OMNES MECUM SENTIRE POSSINT, ET NULLUS ABNUERE. Sed omnium maximè scriptorem prodit, quod cap. sequenti, hoc est septimo, ait: INSANIUNT, QUI DE ADAM PER TRADUCEM ASSERUNT AD NOS VENIRE PECCATUM. Idem in epist. ad Philipp. cap. II. OCCASIO FIDEI A DEO DONATA EST, *quia si non venisset Christus &* DOCUISSET, *non utique crederemus*. Paullùm hic pedem figamus. Agnoscit bonitatis esse divinæ, quòd Christus venerit in mundum, ut nos doceret, quid credere debeamus: absque hoc esset, credenda ignorarentur, eoque nec crederentur. Quid verò aliud hic requirit, quàm ut bonitas divina nobis doctores mittat, qui extrinsecus instruant verbo? Nam opem Spiritus Sancti ad fidem ingenerandam nec hic necessariam esse dicit, nec alibi usquam. Unde cognoscimus, quomodo intelligere oporteat, quod in cap. XI. ad Rom. ait; *Fidem bonitate Dei conferri*. Cujusmodi à Catholicis omnibus probarentur, nisi constaret à quibus dicerentur. Atque ut hæc ejus libri scriptorem Pelagianum esse clarè ostendunt, ita eum non alium quàm ipsum Pelagium esse verisimile faciunt, quæ de Pelagii libro refert Augustinus. Nam lib. III. de peccatorum meritis & remissione cap. I. scribit in hunc modum, *Post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta, quæ in Pauli Apostoli epistolas expositiones brevissimas continerent*. At commentarii quos habemus, sunt brevia in omnes Pauli epistolas scholia. Subjicit mox Augustinus: *Atque ibi comperi, cum ad illum venisset locum, ubi dicit Apostolus: Per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatum mortem, atque ita in omnes homines pertransiisse: quandam eorum argumentationem, qui negant parvulos peccatum originale gestare. Argumentatio illa sic posita est; Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest*. Atqui hunc in modum ratiocinatur, qui commentarios illos scripsit: quemadmodum videre ex iis fuit, quæ supra adduximus. Quanquam illa ipsa penitius consideranti fatendum est, satis obscurè hanc ex iis sententiam elici. Verba sanè ipsa non legas. Sed fortasse hæc inde exciderint: quod arbitratur Gretzerus defensione Bellarmini de verbo Dei lib IV. cap. V. Præterea cap. V. ejusdem libri ait Augustinus, Pelagium non uno modo explicuisse illud Pauli ad Rom. V, *Adam forma futuri*. Atqui hoc facit commentator iste, his verbis: *Sive ideo forma fuit Christi, quia sicut Adam sine coitu à Deo factus est: ita ille ex virgine Spiritu Sancto operante processit. Quidam dicunt, forma e contrario: sicut ille peccati caput, ita & iste justitiæ. Item forma Christi Adam factus est. Sicut enim Adam &c.* Denique apud Augustinum duodecimo ejusdem libri capite (ubi Paulinum illud expendit I Cor. VII. *Sanctificatus est vir infidelis in uxore, & sanctificata est mulier infidelis in fratre: alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*) magnus hæc commentatur antistes: *Aut sic est accipiendum, quemadmodum & nos alibi, & Pelagius, cùm eandem ad Corinthios epistolam tractaret, exposuit, quod exempla jam præcesserant & virorum, quos uxores, & feminarum, quas mariti lucrifecerant Christo, & parvulorum, ad quos faciendos Christianos voluntas Christiana etiam unius parentis vicerat*. Atqui ita interpretatur scriptor horum scholiorum. Verba ejus apponam: *Exemplum refert, quia sæpe contigerit: ut lucrificeret vir per mulierem. Unde & B. Petrus ait: Ut siqui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant*. Pelagium igitur istorum esse scholiorum scriptorem, verisimillimum videtur. Interim de hoc nolumus cum quoquam ducere contentionis funem: dummodo si non Pelagii, saltem Pelagiani alicujus credantur: quod etiam agnoscunt Sixtus Senensis lib. IV. Bibl. Sanct. verbo Hieronymus: Johannes Garetius de sacrificio Missæ centur. V, fol. 43. Bellarminus in catal. script. Eccles. & lib. IV. de verbo Dei cap. V. & lib. IV. de amiss. gratiæ, atque alibi: item Pererius comm. in Gen. cap. XIV. n. 8. Marianus Victorius censurâ tom. 8. Hieron. Sculringius in censurâ confess. Hieron. Salmeron in epist. Pauli disp. XVI. Coccius Thesauri Tom. 2. artic. II. ut interim de Witakero, Perkinso, Junio, Rob. Coco, plurimisque aliis nihil dicam.

IV. Scripta etiam ab eodem Pelagio est epistola de Virginitate ad Demetriadem, quod factum est anno CCCCXIII: unde est quod innotuisse eum hoc anno refert in Chronicis Prosper. Tres verò epistolæ ad Demetriadem exstant: una Hieronymi, cujus initium, *Inter omnes materias*: altera Pelagii, quæ incipit, *Si summo ingenio*: tertia Prosperi, quæ potiùs aliorum exemplo quàm verè ad eam scripta videtur: quæ sic orditur: *Cum splendidissima sanctimonia*. Pelagii illa inter Hieronymianas dolo malo locum reperit: unde eam ut genuinum Hieronymi fœtum pro libero arbitrio testem laudat Tallepiedus *a*: ac in re aliâ Salmeron Prolegom. X. can. XXIV *b*. Sed esse supposititiam, stylus clamat: quemadmodum bene observat Erasmus. Atque huic etiam sententiæ subscribunt Marianus Victorius censurâ in T. IX. Hieronymi, Rob. Bellarminus de amiss. grat. & statu peccati lib. IV. & lib. de scriptoribus Eccles. in Hieronymo, & Cæsar Baronius Annal. Eccles. T. V. ad annum CCCCXIII. Nec esse alius quàm Pelagii, iidem fatentur, fragmentis convicti, quæ exinde, tanquam ex ipsius Pelagii ad Demetriadem literis, citat Augustinus lib. de gratiâ Christi cap. XXII. XXVII. XXXVII. XXXVIII. XL. & epistola ad Julianam, Demetriadis matrem. Sed posteaquam ob exosum Pelagii nomen omitti illud in titulo cœpit, errore facili Hieronymi credita fuit, quem ad Demetriadem scripsisse constabat. Cælestio tamen Pelagii discipulo adjudicant quidam codices antiqui; ut Marianus Victorius monet. Juliano etiam tribuit Beda lib. I. in Cantica. Sed Pelagius agnovit ut suam: quod ostendunt hæc Augustini & Alypii verba extremâ epistolâ CXLIII. ad Julianam: *In quadam verò epistolâ suâ idem Pelagius, & ubi nomen suum apertissime ponit, nec nomen sacræ virginis tacet, dicit ad eam se scripsisse: & ejusdem sui operis testimonio probare nititur, se gratiam Dei, quam vel tacere, vel negare asseritur, apertissime confiteri*. Idem Augustinus de gratia Christi lib. I. cap. XXII: *Sicut de gratia Dei sentit in eo libro, quem ad sacram virginem scripsit, cujus etiam commemorationem facit in literis, quas Romam misit*. & ejusdem libri cap. XXXVII. ipsa Pelagii verba citat. Sunt verò istiusmodi: *Legant etiam quam ad sacram Christi virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus epistolam, & invenient, nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratiæ addamus auxilium*. Sed neque difficulter Beda cum Augustino conciliatur, quia Pelagium juvisse potest Julianus, unde priùs quidem Pelagius, ut magister & senior, postea verò eam sibi Iulianus tribuerit: ut probabiliter ante tria pene secula monuit Thomas Bradwardinus lib. I. de caussâ Dei cap. XXXV: ubi & fusè probat, epistolam istam ad Demetriadem non esse Hieronymi, sed Pelagii, vel Iuliani, aut amborum. Locus, etsi prolixior est, tamen dignus videtur, qui adscribatur: *Quidam*, inquit, *c Pelagii advocati non desinunt oblatrare, multa quidem & manifesta verba epistolæ, sicut dicunt, B. Hieronymi ad Demetriadem de institutione virginis allegando, contra adjutorium gratiæ, & pro sufficientiâ liberi arbitrii ad opera qualibet virtuosa. Sed hi, ut videtur, negligentes in hac parte scripta majorum, scripturam Pelagianam, quàm Augustinianam, scripturam hæreticam, quàm catholicam, carius amplectuntur. Constat nempe legentibus, & non negligentibus, epistolarum B. Hieronymi duas esse epistolas, intitulatas Hieronymo ad Demetriadem. Quarum una, scilicet XCIV, tale habens initium*; Inter omnes materias;

a Collat. 4. doctorum super 30. Artic.

b P. 146.

c P. 312. & 313.

rias: *procul dubio est ipsius. In quâ nihil de excellentiâ liberi arbitrii continetur. Altera autem, videlicet* XCIII, *incipiens isto modo*; Si summo ingenio, parique fretus scientiâ; *qua liberum arbitrium patenter extollit, conceditque gratiam, sed ambiguam, fatuam, & fallacem; nequaquam Hieronymi, Doctoris Catholici, est credenda. Neque enim stylum ejus sapit, processum, nec sensum; sed alios multum distantes: sicut lectoribus facile est videre: concordatque multum, in sententiâ & in stylo, epistola magna Pelagii, directa ad Paulinum episcopum, libro ejus pro libero arbitrio; qui quatuor libros tenet; & aliis opusculis ejus multis. Quare & ipsius Pelagii versimiliter æstimanda. Nonne & ipse Pelagius in libello fidei suæ, quem misit Romam ad Papam Innocentium, scribit ita?* Legant epistolam, quam ad sactam virginem Christi Demetriadem in Oriente conscripsimus; & invenient, ita nos hominis laudare naturam, ut Dei semper gratiæ addamus auxilium. *Et; Quæ est illa epistola, nisi illa superius memorata? Quare & Augustinus, primo contra Pelagium, & Cælestium, de gratiâ Christi, & peccato originali,* XXIII, XXVIII, XXIX, XXX, & XXXI, *asserit, illam epistolam esse Pelagii, recitans, discutiens, & condemnans quasdam particulas ejus plane. Qui & cum Alypio, epistolâ* LXXI, *ad Julianam*; Ad sanctam, *inquit*, Demetriadem quisnam scripsit librum? *Et recitat discutiendo quasdam particulas epistolæ suprà dictæ. Adhuc autem & Guido, Prior Carthusiæ, in epistolâ suâ, missâ ad Lazarum, Priorem Durbonensem, & fratres, pro epistolis B. Hieronymi dicit plane, prædictam epistolam non esse Hieronymi, immo Pelagii. Venerabilis verò Beda, lib.* 1. *super Canticum Canticorum, (qui est specialiter contra Julianum,) de gratiâ Dei* XII, *multas particulas hujus epistolæ recitans & condemnans, affirmat, hanc esse Juliani, filii Pelagii, & alumni. Unde & sic ait in libro, quem ad Demetriadem, virginem Christi, de institutione virginis scripsit:* Hæc eadem, de potentiâ liberi arbitrii quomodo sentiat, pandit. Quem videlicet librum nonnulli nostrûm studiose legentes, sancti & Catholici Doctoris Hieronymi esse, temere arbitrantur; minimè providentes, quòd suavitas eloquentiæ demulcentis, & hæreseos perversitas seducentis, manifestè probet, illius hoc opusculum non esse, quin potius ipse fidem ejus, vel magis perfidiam, in dialogo Attici & Critobuli, quem vivente Pelagio edidit, cùm adhuc Julianus ab eo parvulus quasi in cavernâ colubri nutriebatur regulus, divinis expugnaverit ac perculerit eloquiis. *Quidam tamen, respicientes ad pauca, enuntiant facile, nihil tale in primo libro Bedæ super Cantica reperiri. Sed hi nimirum falluntur, putantes, primum librum Bedæ, expositorium super Cantica, esse simpliciter primum librum. Sed non est ita. In primo namque libro non exponit textum Cantici; sed, priusquam ad expositionem Cantici accedat, per totum illum primum librum errores & hæreses librorum Iuliani discutit & divellit. Quare & in multis codicibus iste primus liber nullatenus reperitur. Quicunque tamen initium ultimi libri ejus super Cantica viderit, manifestè videbit, ipsum dicentem, se primum illorum librorum contra Iulianum scripsisse. Qui & in non defectuosis codicibus crebrius reperitur. Hic autem liber in quibusdam codicibus initium tale habet:* Primò admonendum putavi lectorem, ut opuscula Iuliani &c. *In aliquibus vero tale:* Scripturus, Dei juvante gratiâ, in Cantica Canticorum, primò admonendum &c. *sicut supra. Nec quisquam existimet, Bedam, dicentem, illam epistolam esse Juliani, contradicere Augustino, dicenti, illam esse Pelagii. Hæc enim non repugnant. Frequenter namque contingit, quòd multi conjuncti unam epistolam mittant. Aut forsitan ambo simul dictarunt; & Pelagius, quia senior & magister illam nomine suo misit; quam postea Iulianus sibi voluit usurpare. Omnes tamen hi testes concorditer attestantur, quod illa epistola non est B. Hieronymi, sed Pelagii, aut alicujus Pelagiani hæretici, & profani.* Hæc omnia è Bradwardino.

V. Ab eodem scripta est epistola ad Viduam. Ex quâ aliqua promit & exagitat B. Hieronymus lib. III. contra Pelag. *Eidem adulans viduæ, non erubescis docere, pietatem, quæ nusquam reperitur in terrâ, & veritatem, quæ ubique peregrina sit, in illâ potissimùm commorari.* Et mox: *Docere est hoc, an occidere? levare de terrâ, an præcipitare de cœlo? id mulierculæ tribuere, quod angeli non audeant usurpare? Si autem pietas, veritas, atque justitia non inveniuntur in terris, nisi in unâ muliere, ubi erunt justi tui, quos absque peccato in terrâ esse jactabas?*

VI. Fulgavit idem librum de naturâ, quo, quantis potuit viribus, aggeravit illam Sallustii sententiam: *Falsò queritur de naturâ suâ genus humanum.* Testis Augustinus cap. I. libri de naturâ & gratia, quo opusculo Pelagii de Naturâ libro respondit. item libro II. Retract. cap. XLII. ubi sic scribit; *Venit tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam, quâ justificatur impius, & quâ Christiani sumus, quantâ potuit argumentatione defendit. Librum ergo, quo huic respondi, defendens gratiam, non contra naturam, sed per quam natura liberatur & regitur, de naturâ & gratiâ nuncupavi.*

VII. Ab eodem editus est liber de libero arbitrio. Vide August. libro de gratiâ Christi cap. III. IV. V. item XIII. & XXXIX.

VIII. Scripsit etiam epistolam ad Paullinum. Meminit idem libro de gratiâ Christi. cap. XXXV.

IX. Item epistolam ad Constantium. Ejus mentio fit ejusdem libri cap. XXXIV. & XXXVI. Quamquam eam se legisse utrobique neget. Ioannes Balæus a monet scripsisse ad Bonifacium Comitem: item ad Albinam & Melaniam: sed Veteres non laudat auctores.

a Centuria I. scriptorum Angliæ.

X. Idem literas scripsit & Libellum Fidei ad Innocentium. de quibus sic Augustinus lib. de gratiâ Christi cap. XXX. *Ipse Pelagius, & literas nuper, & libellum Romam fidei suæ misit, scribens ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, quem defunctum esse nesciebat.* Literæ ad Innocentium perierunt, argumentum verò earum cognoscere est ex fragmentis, quæ Augustinus ibidem citat, & cap. XXX. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. & XXXVIII. item libro de peccato originali cap. XVII. & XVIII. Sed *libellus fidei Pelagii ad Innocentium* hodieque exstat. Eo, de quibus non interrogabatur, multis disseruit; uti & Cælestium postea fecisse Augustinus ait lib. de peccato originali cap. XXIII. Libellum hunc claudit Pelagius istis verbis: *Hæc fides est, Papa beatissime, quam in Ecclesiâ Catholicâ didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus. In quâ si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur, quicunque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Quibus verbis offensus Jo. Rodulphus Lavaterus suspicari videtur, esse commentum Pontificiorum, ad stabiliendum Romani pontificis primatum. Sic enim scribit lib. I. de descensu Christi ad inferos cap. XVII. *Quamvis verò dubitare soleam, an hæc fidei summa à Pelagio scripta sit, quandoquidem nulla apud bonos & probatos auctores hujus fiat mentio, & nuper demum ex Vaticanâ Bibliothecâ, fortè ad defendendum Pontificis primatum, publicata prodierit* b: *tamen cùm ab ipsis Pontificiis Pelagii esse statuatur, imò à Baronio orthodoxa habeatur; volui in gratiam lectoris benevoli eam huc referre.* Sed quod vir eruditus ait, nullum probatum scriptorem ejus scripti meminisse, planè eum fugit ratio. Nam meminit Augustinus lib. I. de gratiâ Christi cap. XXXII. *Sed ab his*, inquit, *literis Pelagius ad* FIDEI SUÆ LIBRUM *vult transire lectorem.* Citat deinde ex eo hæc verba, quæ hodieque in illo leguntur: *Et baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Capite item proximo sic scribit

b Baron. Annal. Eccles. Tom. 5. pag. 537. & Tom. 1. Concil. general. edit. Binii pag. 608.

bit de eodem: *De adjutorio gratiæ* IN LIBELLO FIDEI SUÆ, QUEM ROMAM MISIT, *quid Pelagius senserit, attendamus. Liberum, inquit, sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio.* Qui locus αὐτολεξεὶ hodieque in hoc symbolo exstat. Nec magis memoriam suam consuluerat, cùm addidit, nuper demum publicatum esse è bibliothecâ Vaticanâ. Nam extat inter Hieronymiana opera T. IV *a*. Sed vulgò inscribitur *Hieronymi explanatio Symboli ad Damasum*, unde tanquam Hieronymi citat Gratianus pro primatu Rom. Episc. item Duræus, Jansenius, Roffensis, Canisius, atque alii, ut probent, posse in hac vitâ legem Dei impleri. Atqui ex iis, quæ diximus, satis constat, veram inscriptionem hujusmodi esse, *Symbolum sive libellus fidei Pelagii ad Innocentium.* Quod fatetur Cornelius Scultingius in censurâ confessioni Hieronymianæ adjunctâ, & Robertus Bellarminus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. Sanè libellum fidei, quem Pelagius scripsit, ad Innocentium fuisse missum, disertim ab Augustino scriptum est cap. XXX. libri de gratiâ Christi. Quòd ostenderit hic Lavaterus, inde factum credimus, quòd Baronius & ex eo Sev. Binius, scribant, hoc se symbolum edere ex antiquo codice Vaticano. Nam hoc qui legat, quid aliud quæso opinetur, quàm Baronii beneficio demum in lucem prodire? Mirandum verò, cùm hæc Pelagii confessio, non solùm hominis sit hæretici, sed etiam ambiguis concipiatur verbis: Carolum tamen Magnum, ac Concilii Francofurtensis Patres lib. III. cap. I. *Capitulari de non adorandis imaginibus*, scribere, hanc suam esse confessionem, quam ex Hieronymi operibus desumtam sincerè amplectantur. Nam argumentum capiti præscribitur istiusmodi: *Confessio Fidei Catholicæ, quam a sanctis patribus accepimus, tenemus, & puro corde credimus.* Sequitur deinde confessio Pelagii. Et hæc à Carolo & Episcopis continuò subjiciuntur: *Hæc est Catholicæ traditionis fides vera integritas, quam sincero corde credimus, & fatemur, & in hoc opere Beati Hieronymi verbis expressam taxavimus. Hæc est vera fides, hanc confessionem conservamus atque tenemus, quam quisquis inconvulsè, & intemeratè custodierit, perpetuam salutem habebit.* Unde planum fit, jam Caroli ævo illam Pelagii confessionem, (nempe quod hæretici nomine omisso, per manus hominum volutasset diu) Hieronymi fuisse creditam, ejusque operibus insertam. Nempe similiter, ac jam Bedæ ætate, Pelagii epistolam ad Demetriadem Hieronymo adscribebant, adeò ut Beda necesse habuerit monere, non esse eam sancti illius doctoris; ut postea ostendemus. Quamquam verò hæc verisimiliter dicantur, tamen cùm non immeritò mirari aliquis possit, in synodo adeò numerosâ fraudem suboluisse nemini; non temerè suspicetur aliquis, Symbolum hoc verè Hieronymi esse: sed Pelagium illud callidè ex Hieronymo exscripsisse, tum ut consentire ei videretur, tum ut qui illud culparent, non se modò, sed Hieronymum ipsum (qui Catholicus ab omnibus audiebat, & acris Pelagii adversarius erat) reprehendisse crederentur: tum denique, quod Augustinum ac Catholicos damnari putaret illis symboli verbis: *Eorum errorem condemnamus, qui animas ante peccasse, vel in cœlis conversatas fuisse dicunt, quàm in corpora mitterentur.* Nam obliquè hic Catholicos peti credebat, quia docent, omnes in Adamo peccasse. Augustinus tamen hæc Symboli verba non attingit: credo quia commodum sensum capiant, ut nempe solos Origenistas tangant: quorum sententia à Catholicorum doctrinâ plurimùm differt. Catholici enim docent, primi parentis peccatum imputari omnibus, qui in lumbis peccantis erant, atque exinde omne miseriæ genus in posteritatem redundasse: absque quo esset, nunquam recens natos, gravissimis morborum cruciatibus, aut morte, quæ peccati stipendium est, affectum iri arbitrarentur. Hujus argumenti vim utcumque perspiciebat Origenes: sed cùm non satis intelligeret loca illa Apostoli, quibus in Adamo cunctos peccasse, atque ita ab Adamo mortem in totam posteritatem venisse dicit; commentus est, animas omnes ab initio conditas fuisse puras, nec tamen in eâ integritate perstitisse; singulas verò quotidie in pœnam corporibus alligari, inque iis pœnas luere pro magnitudine eorum quæ deliquissent. Quæ sententia immane quantum à Catholicâ distet. Quando, ut Augustinus adversus Priscillianistas & Origenistas cap. XI. rectè ait: *Aliud est in Adam peccasse, unde dicit Apostolus, In quo omnes peccaverunt: & aliud est extra Adam, nescio ubi, peccasse, & ideo in Adam, id est in carnem, tanquam in carcerem, trudi.* Fusè idem tractat Leontius lib. de Sectis *a*, ubi inter alia ex Origene ipsa hæc adfert: Εἰ μὴ γὰρ ἦν τοῦτο, καὶ προϋπῆρχον αἱ ψυχαί, διὰ τί τινας μὲν τῶν νεογνῶν τεχθέντων εὑρίσκομεν τυφλοὺς μηδὲν ἁμαρτήσαντας· ἄλλους δὲ μηδὲν ἔχοντας κακὸν τικτομένους; ἀλλὰ δῆλον, ὅτι προϋπῆρχόν τινες ἁμαρτίαι ταῖς ψυχαῖς, ἀφ' ὧν ἑκάστη κατὰ τὴν ἀξίαν ἀπολαμβάνει. *Absque hoc esset, ac, nisi praexisterent animæ, quæ caussa esset, cur aliquot recens natos reperire sit cæcos, quanquam nihil deliquerint; alios contra absque vitio editos in lucem? Nempe manifestum est, prius in animabus exstitisse delicta quædam, à quibus est quod qualibet ex merito pœnam referunt.* Plura qui volet, Gregorium Nyssenum adeat lib. περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου cap. XXVIII. ubi errorem eum multis refellit. item Epiphanium hæresi LXIV. & epistolâ ad Jo. Hierosolymitanum ab Hieronymo *b* versâ. itidem Theophilum Alexandrinum Paschalis sui lib. I. Harmenopulum de sectis, & Eliam, Cretensem antistitem, Nazianzeni interpretem, qui Origenem hausisse eum è Platonis philosophiâ, Platonem à Pythagorâ in Italiâ didicisse testatur. Atque hæc quidem sunt, quæ Pelagium scripsisse comperior.

Fortassis tamen ex istis quædam cùm discipulorum forent, magistro ipsi tribuebantur vulgò. Quod de scriptis ad Pelagianam caussam pertinentibus velle videtur Hieronymus libro III *c*. adversus Pelagianos. ubi sic Critobulum, hoc est Pelagium, compellat: *O te felicem! cujus præter discipulos nemo conscribit libros: ut quidquid videris displicere, non tuum, sed alienum esse contendas.* Favet hac parte Hieronymo etiam Orosius presbyter, qui scribente ista Hieronymo etiam ipse adversus Pelagium calamum stringebat. Verba ejus sunt in Apolog. de arbitrii libertate *d*: *Quod neque apte, neque decore dicitur, tibi imputare non debemus, cui neque natales dederunt, ut honestioribus studiis erudireris, neque naturaliter provenit, ut saperes: sed illis dictatoribus tuis, qui miserum sensum miserrimo sermone conscribunt, & te legendum cachinnis, quasi titulum confusionis, exponunt.* Quare nec inferiùs *e* dubitat vocare, *hominem inflatum, sed vacuum.* Quemadmodum nec exprobrare pepercit, quòd esset *mutilus, levis in fronte*, μονόφθαλμος *f*. Item, *quod balneis epulisque nutritus, latos humeros gestaret, robustam cervicem, præferens in fronte pinguedinem g.* Hinc lucem cœpit Hieronymus lib. I. adversl. Pelag pag. 273. *Tu ipse qui Catonianâ nobis inflaris superbiâ, & Milonis humeris intumescis.* Et ibidem pag. 273. *Nisi fortè cum Moyse in nube & caligine à facie ad faciem audis verba Dei, & inde nobis cornutâ fronte procedis.* Sed profectò quis nescit Epictetum fuisse σώματι πηρὸν, ut Leonidas de eo in epigrammate testatur? Et quot viri præstantes μονοφθάλμοι fuere! Quodque ad ingenii dotes attinet, Augustini verba sunt lib. III. de peccat. mer. & remiss. cap. X. *Circumspectus vir Pelagius.* Imò si de inimico etiam candidè ac citra affectuum præjudicium sententiam ferre oportet, profectò Pelagiana, quæ hodieque habemus, ab laudatissimis Orosii commentationibus (in quibus tamen & Romanarum rerum ignorationis & in Ecclesiæ rebus nimiam credulitatem meritò damnant docti, eosque inter Casaubonus *h*) non longo adeò distare intervallo fatendum est. Sanè Pelagii ad Demetriadem epistolam *eruditam prorsus & eloquentem* esse judicat Erasmus *i*. Et Balæo centur. I. scriptorum Britanniæ Pelagius vocatur *vir eruditione insignis, & tum Græcè tum Latinè peritus.* Imò Beda quoque præfatione in Cantica, eidem (quam tamen Iuliani,

a Pag. 98. edit. Bas. 1553.

a P. 250.

b T. 2. Hieronymi.

c P. 305. edit. Basil. 1553.

d P. 743.

e P. 750.

f P. 736.

g P. 748.

h Exerc. 12. p. 93.

i Censura in epist. ad Demetr. apud Hieronym.

fortaſſe quia juvetat Pelagium, fuiſſe cenſet) *ſuavitatem* tribuit *eloquentiæ demulcentis* a. Et brevia in Paullinas epiſtolas ſcholia, quas Pelagii eſſe veriſimile eſt, *ſubtiliſſima* eſſe dicuntur à Caſſiodoro lib. de divinis lect. cap. v. 11 *b*. De vitâ autem, etſi hanc quoque perſtrinxit Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. cccxtv, tamen præclarum de ea aliorum judicium erat. Unde Auguſtinus lib. 11. de Peccat. meritis ac remiſſ. cap. xvi. Pelagio tribuit *vitam caſtam, moreſque laudabiles*, atque addit, *non dubitaſſe facere, quod illi diviti pro conſequendâ vitâ æternâ conſilia requirenti, cum ſe reſpondiſſet jam omnia impleviſſe mandata, præcepit Dominus, ſi vellet eſſe perfectus, venderet omnia quæ haberet, theſaurumque transferret in cœlum.* Item lib. 111. cap. 1. *Pelagii*, inquit, *viri, ut audio ſancti, & non parvo profectu Chriſtiani.* Et cap. 111: *Eum qui noverunt, loquuntur bonum ac prædicandum virum.* Et ibidem: *Vir ille tam egregie Chriſtianus.* Et multò ante B. Auguſtinum B. Chryſoſtomus epiſt. ad Olympiadem: ubi ſic ejus caſum deplorat, ut pium, ſanctum, tolerantem fuiſſe agnoſcat. Atque è junioribus doctiſſimus Kemnitius in Loc. comm. inter cauſſas, cur liberum arbitrium Pelagius tantopere extulerit, illam ponit, quòd eſſet diſciplinæ amans & magnam videret Chriſtianorum ignaviam. Quanquam Ioannes Balæus in ſcriptoribus Britanniæ cent. 1. *injuriis clericorum, ut Tertullianum alterum, laceſſitum, gravate eas tuliſſe, tandemque à fide defeciſſe* ait. Quod unde hauſerit, neſcio. Quocirca, ut corporis ejus formæ inſultare nolumus; ita nec imperitiam, vel luxuriem objectamus: ſed illud eſt, quo nomine inter Catholicos nullo in numero eſſe meritus eſt, quòd arroganter nimis vitiatam extulerit naturam, humani arbitrii decortor, divinæ gratiæ contemtor.

a *Verba Bedæ citamus p. 28.*

b *Verba ejus infra citamus cap. de Gelaſio.*

Cap. V.

De Cæleſtio, & ſcriptis ejus.

TRanſeamus nunc ad Cæleſtium, *Pelagii licet diſcipulum, tamen magiſtrum & ductorem exercitus*; ut de eo loquitur Hieronymus epiſt. ad Cteſiphont. ubi etiam addit, *per ſolæciſmorum, & non, ut ſui jactant, ſyllogiſmorum ſpineta decurrere.* Auguſtinus tamen lib. 11. contra duas Pelag. epiſtolas cap. 111. *virum acerrimi ingenii* appellat. De eo ſic Gennadius catal. Illuſtr. Vir. *Cæleſtinus* (leg. Cæleſtius; cujus nomen cum nomine Cæleſtini, Epiſcopi Romani, ſæpius confunditur. *a*) *antequam ad Pelagium concurreret, imo adhuc adoleſcens, ſcripſit ad parentes ſuos* DE MONASTERIO EPISTOLAS *in modum libellorum* TRES, *omni Deum deſideranti neceſſarias. Moralis ſiquidem in eis dictio. Nihil ibi vitii poſtmodum prodit, ſed totum ad virtutis incitamentum tenuit.* Pelagii verò armiger factus, quæ ſcripſerit, Gennadius non addit. Sed Auguſtinus lib. de geſtis Palæſtinis cap. XIII. XIV. XVIII. citat ex libro ejus poſtmodum edito capitulum primum, tertium, quinctum, ſextum, ſeptimum, decimum, duodecimum, & tertiumdecimum: ad quæ Pelagius in Dioſpolitana ſynodo reſpondere coactus fuit. Idem initio libri de perfectione juſtitiæ contra Cæleſtium meminit chartulæ ſic inſcriptæ: *Definitiones, ut dicitur, Cæleſtii.* Atque addit, *Prænotatio, credo, quod non illius, ſed eorum ſit, qui hoc attulerunt de Siciliâ, ubi Cæleſtius non eſſe perhibetur.* Subjungit mox; *Ex illius tamen hæc eſſe doctrinâ, vel etiam quorundam ſectatorum ejus, & nos poſſumus arbitrari. Nam neque iſtæ breves definitiones, vel potius ratiocinationes, ab illius abhorrent ingenio; quod in opere alio ejus inſpexi, cujus eum conſtat eſſe auctorem; & non fruſtra iſtos fratres, qui hæc attulerunt, in Sicilia exiſtimo audiſſe, quòd ipſe docuerit iſta, vel ſcripſerit.*

a *Cæleſtius hic male à multis confunditur cum Cæleſtino. quomodo etiam vocatur à Thomâ Bradwardino lib. 1. de gratiâ Chriſti c. xxxvi. (p. 314) Ita etiam ſcriptum apud Petr. Diaconum de grat. cap. ult. pag. 688 edit. Baſil. 1597. Vocat etiam eo pacto Io. Balæus cent. 1. ſcriptorum Britanniæ, ubi de Pelagio agit.*

Patres etiam Concilii Carthaginenſis epiſt. ad Innocentium meminerunt libelli, *quo in Carthaginenſi Concilio*, etſi originale peccatum negaret, rectè tamen confeſſus ſit *per baptiſmum Chriſti etiam parvulorum fieri redemtionem.* Alterius quoque libelli mentionem facit Auguſtinus lib. de peccato originali cap. 11. *Cæleſtius*, inquit, *in urbe Româ in libello ſuo, quem beatiſſimo Papæ Zoſimo dedit, id aſſeveravit expreſſius, quod parvulorum neminem obſtringat originale peccatum.* Fragmentum ex eo citat ejuſdem libri cap. XXIII.

Scriptor præfationis in Proſperum, Lovanienſes ſecutus doctores, eidem tribuit epiſtolam de duobus filiis, frugi, & luxurioſo; non illam ad Damaſum, quam Hieronymi eſſe certum eſt, ſed alteram ſic ordientem, *Omnium quidem de ſcripturis quæſtionum*: quæ & ipſa, ut alia Pelagii, Hieronymiana inter, magnâ cum ejuſce Patris injuriâ, ſeu fraude ſeu inſcitiâ irrepſit, ac quarto volumine in Frobenianâ edit. & aliis juxta hoc exemplar expreſſis reperitur; nono autem ejus, quæ Romæ anno CIƆIƆLXXII. à Mariano Victorio recenſita eſt. Pelagianam ſanè eſſe nemo negabit, qui legerit: atque agnoſcit id quoque Bellarminus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſt. ad an. Chr. ccccxc. Itidem Lovanienſis ſchola Cæleſtio adſignat epiſtolam *de ſcientiâ divinæ legis*: quam eopſe Hieronymi tomo legere eſt. Pelagianam eſſe & res clamat & Bellarminus ibidem fatetur. Epiſtolam, non librum eſſe, cognoſcimus ex iſtis verbis, *Licet præpoſterum videatur aliquid in fine epiſtolæ retractare.* Ad parentem eam miſſam eſſe ſcribunt iidem Lovanienſes, ſive quiſquis præfationem Proſpero præmiſit, & magnam ejus partem à Joa. Heſſels, Lovanienſi Theologiæ Profeſſore, accepiſſe ſe profitetur. Sed huic ſententiæ adverſantur iſta ejus verba, *Accipe ergò*, FILI, *ſermonem noſtrum, eâ ſimplicitate & veritate, quâ diximus.* Credo impoſuit illis, quod Gennadius dicat: *Scripſit* (Cæleſtius) *ad parentes ſuos de monaſterio epiſtolas in modum libellorum tres.* Sed addit ibidem Gennadius, *Nihil ibi vitii poſtmodum prodit, ſed totum ad virtutis incitamentum tenuit.* Hæc verò epiſtola manifeſtè Πελαγιανίζει. Cæleſtium, poſtquam Carthaginenſi Concilio eſſet damnatus, in Aſiam profugiſſe, atque ita putari presbyterum factum, ſcribunt tum Carthaginenſis tum Milevitani Concilii patres epiſt. ad Innocentium X. Foxus cùm eum epiſcopum appellat, non magis audiri debet, quàm cùm Pelagium in Oriente ex monacho præfectum factum ait. Vide eum cent. 1. ſcriptorum Britanniæ, in Pelagio.

Cap. VI.

De Juliano & ejus ſcriptis.

CÆleſtio ſuccedat Iulianus, epiſcopus Campanus, ut docent Gennadius Maſſilienſis & Beda præfat. in Cantica. Sed cujus civitatis, non æque eſt certum, cùm multùm hac parte varient libri vett. Gelaſii decretum cum LXX. epiſcopis factum, & Beda præfat. in Cantica, Celanenſem vocant. Quid ſi igitur Celenenſem ſeu Celemnenſem fuiſſe epiſcopum dicamus? Nam Celenem ſeu Celemnem Campaniæ fuiſſe oppidum indicat Virgilius VII. Æn. verſ. 739. & ibi Servius. Etiam Colonia Celena nominatur in Veſpaſiani nummo; ut Hubertus Goltzius teſtatur Theſauri ſui cap. XVIII. Sed obſtare videtur, quòd ævo Auguſtini nulla vel obſcura Celenenſium memoria eſt; nedum loci ſui epiſcopatu fuerint inſignes. Præterea Proſperi Chronica, alia quidem habent Attellenſem, vel Attellenenſem, ut editio Henricopetrina, & Veneta, quam Sigonius edidit: cui etiam lectioni Marianus & Contractus favent: aliis verò legitur Heclanenſem, vel Eclanenſem, ut editt. quas dedere Ioſ. Scaliger & Arnoldus Pontacus, majorem eâ in parte cùm excuſorum, tum MSSorum codd. ſecuti fidem. Quid ſi igitur credamus, epiſcopum fuiſſe Atellanum; quando Atella Plinio, Straboni, Ptolomæo, Servio Campaniæ oppidum eſt: vel Eclanenſem, quomodo Eclanenſem agrum legimus apud ſcriptorem libri de limitt. agrorum? nempe ab Eclano, quod Αἰκλανοι vocat Ptolomæus, unde Æculani apud Plinium. Id, ſi Arnoldo Pontaco credimus,

Cam-

Campaniæ oppidum est Antonino & aliis. Et sanè Eclanensis magis quàm Atellensis probem, partim quia ab Atella potius sit Atellanus, ut apud Livium lib. XXVII. & alibi, unde & fabulis Atellanis nomen: partim quod Eclanensis proximè accedat tum ad Celanensis, quod apud Gelasium in decreto, & Bedam esse diximus: tum Edanensis, quomodo corruptè apud Petrum diaconum libro de Gratiâ cap. VIII. scriptum invenitur. Unum tamen obstare videtur, quòd Eclanum non in Campaniâ, sed in Apuliâ Peucetiâ veteres & recentes Geographi constituant. Fortasse igitur falsus fuit & Gennadius & Beda, cùm Campanum fuisse episcopum uterque scripsit. Vel quid si non Eclanensem, sed Eraclensem fuisse episcopum credamus? Nam Ἡράκλειον Straboni & Dionysio Halic. lib. I. (quod Ciceroni, Plinio, Melæ, etiam Sisennæ apud Nonium in *Fluvius*, Herculaneum est) in Campania esse constat: unde Heraclensis fundi mentio apud Tullium epist. ad Pætum. Sed de hoc doctiorum arbitratus esto.

Fuit Julianus filius Memorii episcopi Capuani, ad quem scribit Augustinus epist. CXXXI. Iis ex literis discimus, quantopere Julianum amarit Augustinus, etiamnum adolescentem, Ecclesiæque diaconum. Sic enim inter alia scribit: *Nam superiores quinque* (de Musicâ) *libri vix filio nostro & condiacono Juliano, quoniam & ipse jam nobiscum commilitat, lectione & cognitione digni videbuntur. Quem quidem, non audeo dicere, plus amo quàm te, quia nec veraciter dico: sed tamen audeo dicere, plus desidero quàm te. Mirum videri potest, quemadmodum quem pariter amo, ampliùs desiderem: sed hoc mihi facit spes amplior videndi eum.* Penè autem in hanc suspicionem venio, ut cùm propè epistola omnis instituta sit adversus disciplinas liberales: eò ad Memorium hæc scripsisse putem, quòd filium ejus doleret improbo ac pertinaci studio secularium amœnitatibus inhærescere. Et potest hæc caussa fuisse, cur tantopere Iulianum videre exoptaret, quòd speraret se meliùs coram cælestis eum sapientiæ amore inflammaturum.

Fuit Iulianus ingenii, doctrinæ, facundiæ præcellentis, adeò ut Romanus Demosthenes haberetur vulgo. Et sanè sollertis ac subacti ingenii vigor clarè elucet vel ex solis Altercationis libris. De eo sic Gennadius Massiliensis in Catalogo Illustr. script. *Iulianus episcopus Capuanus, vir acer ingenio, in scripturis doctus, Græcâ & Latinâ linguâ scholasticus. Prius ergo quàm impietatem Pelagii in se aperiret, clarus in doctoribus Ecclesiæ fuit: postea vero hæresin Pelagii defendere nisus, scripsit adversum Augustinum impugnatorem illius libb.* IV. *& iterum libb.* VIII. *Est & liber Altercationis amborum, partes suas defendentium.* Addit ibidem; *Eleemosynis tempore famis & angustiæ indigentibus omnibus suis prorogatis multos miserationis specie, nobilium præcipue religiosorum, illicientem, hæresi suæ sociâsse.* Quod verò Gennadius, & ex eo Honorius Augustodunensis, librum Altercationis tribuunt Iuliano, & quidem ut opus ab octo ejus libris distinctum, in hoc falli utrumque tam exploratum est nobis, quàm si Ἀμφιλογούμενον αὐτόδειξιν hoc decidisset. Nec enim Iuliani, sed Augustini prologuium est; nec posteriores in dicendo partes Iuliano imponuntur, sed Augustino, qui verba adversarii ex octo ejus libris promit & refellit. Audiamus Augustinum ipsum sic præfantem: *Vir illustris* (Valerius Comes) *misit mihi in chartulis nonnullas sententias decerptas ex opere Iuliani hæretici Pelagiani* (*in quo opere libris* IV. *respondisse sibi visus est illi uni, quem de nuptiis & concupiscentiâ me scripsisse memoravi*) *missas sibi à nescio quo, qui eas, ut voluit, ex primo Iuliani libro decerpendas putavit: quibus ut quamocius responderem, idem Valerius poposcit. Et factum est, ut sub eodem titulo etiam secundum librum scriberem, contra quem Iulianus alios octo nimiâ loquacitate conscripsit. His nunc respondeo, ejus verba proponens, eisque subjungens responsionem meam.* Ex quibus etiam verbis cognoscimus, Iulianum præter istos quatuor, non septem, ut apud Honorium legitur, sed octo adversus Augustinum libros scripsisse; prout rectè apud Gennadium editum est.

Scripsit prætetea Iulianus epistolas duas; unam, Romam ad Zosimum; alteram, nomine octodecim episcoporum ad Thessalonicensem episcopum. Testis Augustinus, lib. I. contra duas Pelagii epistolas, & Iulianus ipse (qui tamen duas se Romam misisse indicat) apud Augustinum, Altercationis libro I. Thessalonicensis verò Episcopus ille, Rufus fuisse videtur, vir pius & Catholicus, cujus nomine in Ephesinâ synodo subscripsit Flavianus. Sic enim in Actione prima legas: Φλαβιανὸς Φιλίππων ἐπέχοντος καὶ τὸν τόπον Ῥούφου τοῦ θεοφιλεστάτου Θεσσαλονίκης. Ejusdem Synodi T. III. cap XIII. extant ad hunc Rufum literæ Ioannis, Hemetii, Theodoreti, & quinque aliorum Orientalium episcoporum, quibus persuadere conantur, ut Cyrillum & Memnonem hæreseos condemnet. In iis Julianus vocatur *piissimus & sanctissimus Eridica episcopus*. Nec dubitamus, quin idem sit, qui Campanus antè fuerat episcopus. Pelagiani enim sedibus depulsi Constantinopolim atque in Asiam profugerant: unde Cælestinus sic ad Nestorium scribit: *Quin illos ipsos quoque hæreticos, de quibus nos, tanquam caussæ illorum ignarus, interrogare voluisti, justa ultio sedibus expulit. Quos non admodum miramur pacatam apud vos stationem invenisse. Inciderunt enim istic in impiam prædicationem, ad quam dum suam exigerent, omni se crimine immunes facile judicarunt.* Iulianum vero inter eos fuisse, qui episcopatu erant dejecti, cognoscimus ex Prosperi Chronico, ad consulatum Theodosii XVIII. & Festi. *Hac*, inquit, *tempestate Iulianus Eclanensis, jactantissimus Pelagiani erroris adsertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimodâ arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere.* Quare planè putamus, quemadmodum Cælestius, Carthaginensi concilio damnatus, in Asiam profugit, atque ibi presbyter factus dicitur; quod tum Carthaginensis, tum Milevitani concilii patres literis ad Innocentium testantur: ita Iulianum Campano, per imperiale edictum, episcopatu dejectum ad Asiaticos confugisse, atque ab his seu verum veri episcopatus Endicensis honorem, seu titulum saltem honoris ergo fuisse consecutum. Unum tantum adversari videtur. In iisdem enim literis objiciunt Cyrillo & Memnoni, quòd ordine Ecclesiastico contempto, à Diœcesanis & Metropolitanis excommunicatos Euchetas, Enthusiastas, Καὶ τοὺς αὐτοῦ φρονοῦντας Κελεστίῳ καὶ Πελαγίῳ εἰς κοινωνίαν ἐδέξαντο. Sed, ut alia in iisdem literis complutia, ita hoc quoque ad decipiendum Rufum fraudulenter positum videtur. Nam quis nescit, Pelagianos in synodo Ephesinâ Nestorianis se sociasse, eoque pariter condemnationem meruisse? Verùm Asiatici illi caussam Juliani, quia Pelagii & Cælestii dogma paullùm correxerat, ut alibi ostendemus, ab horum caussâ segregare voluerunt, quos Africanis conciliis, Episcoporum Romanorum decretis, & Imperialibus sanctionibus scirent condemnatos.

Insuper foras edidit divulgavitque Julianus librum de Amore. De quo sic Beda in Cantica: *Est enim homo, ut rhetor peritissimus, ita gratia Dei post Pelagium impugnator acerrimus: ut apertius scripta ejus, quibus contra strenuissimum etiam gratiæ propugnatorem Augustinum insanivit, ostendunt. Cujus caussâ duelli primum* DE AMORE LIBELLUM *composuit: sub obtentu, quasi hunc à fœdissimâ foret voluptate secreturus; re autem confirmaturus hæresin.* Argumentum deinde libelli commemorans, inter alia inquit, *Dicit sanctum nobis ac generosum amorem, ab ipso lucis exordio, naturâ conciliante insitum, & ad ultimam usque senectutem solis viribus animi innixum, sine ullo damno sui persistere vigoris.* Quam sententiam deinceps Beda multis refellit. Idem edidit commentarium in Salomonis Cantica. Unde Beda ibidem: *Scripturus, juvante gratiâ supernâ, in Cantica Canticorum, primo admonendum putavi lectorem, ut opuscula Celanensis Episcopi a Campaniâ, quæ in eundem librum confecit, cautissime legat,*

ne per copiam eloquentiæ blandientis, in cœnum incidat doctrinæ nocentis.

Cæterum, quod monere alii neglexerunt, libet de Amore, & commentarii in Cantica, unum σύσωμα constituebant. Nam cùm de amore libellus foret εἰσαγωγικός, secundo demum libro ipsam Canticorum interpretationem auspicabatur. Quod colligimus ex eadem præfat. Bedæ in Cant. Nam prius ex libello de Amore verba quædam citat, quibus amoris naturalis virtutem Pelagianorum more extulerat: hæc autem ex primo Iuliani libro se depromere indicat: deinde cum ex altero ejus libro se quædam allaturum dixisset, non alia desumit, quam quæ pro hæresi suâ ad ipsa Canticorum verba annotasset Iulianus. Quod ejus exemplum imitari voluit Beda. Nam secundo demum libro justam Canticorum interpretationem aggreditur: primo verò, qui est præfatio operis, disputat adversus Iulianum; unde sic inscribitur, *In Cantica liber primus de Gratiâ adversus Julianum.*

Edidit item librum de bono Constantiæ. Beda ibidem: *Denique in libro quem* (Iulianus) *de bono constantiæ scripsit, libertatem nostri arbitrii, ut ipse autumat, contra perfidiam Manichæi magnâ instantiâ defendit.* Citat denique aliquot ex eo libro fragmenta.

Etiam epistolam ad Demetriadem scripsisse autor est idem Beda his verbis: *Sed & in libro, quem ad Demetriadem virginem Christi de institutione virginis scripsit, hac eadem de potentia liberi arbitrii, quomodo sentiat, pandit. Quem videlicet librum nonnulli nostrum studiose legentes, sancti & Catholici doctoris Hieronymi esse temere arbitrantur: minime providentes, quod & suavitas eloquentiæ demulcentis, & hæreseos perversitas seducentis, manifeste probet hoc illius opusculum non esse. Quin potius ipse fidem ejus, vel magis perfidiam, in dialogo Attici & Critobuli, quem vivente Pelagio edidit, cum adhuc Iulianus ab eo puerulus, quasi in caverna colubri, nutriebatur regulus, divinis expugnarit ac protriverit eloquiis.* Hæc Beda, qui in temporum ratione plurimùm decipitur. Ait Iulianum fuisse puerulum, quo tempore Hieronymus scribebat dialogum Attici & Critobuli. At scripsit eum statim à synodo Palæstinâ: quæ habita est anno CCCCXV. Nunc constat Zosimum Romanum Episcopum factum esse anno CCCCXV, ecclesiæque præfuisse annum unum, menses quatuor, dies septem. Ad Zosimum verò binas se litteras pro causâ suâ misisse, ipse Iulianus testatur lib. 1. secundæ responsionis contra Augustinum *a*. Circa idem igitur tempus, & Hieronymus dialogum illum scribebat, & Iulianus ad Zosimum pro Pelagianorum causâ literis suis adlaborabat. Præterea pugnat secum Beda, cùm epistolam ad Demetriadem ait esse Iuliani, & tamen puerulum fuisse vult scribente dialogum suum Hieronymo. Nam scripta hæc epistola est ad Demetriadem occasione recenti, quòd Demetrias perpetuam virginitatem vovisset: quod accidit anno CCCCXIII. Si igitur puerulus fuit Iulianus, cùm Hieronymus adversus Pelagium scriberet, quod biennio post contigit: sanè nec ad Demetriadem epistolam scripsisse potuit; ut quæ vel ante Hieronymianam lucubrationem, vel saltem circa idem tempus scripta sit. Nihil igitur caussæ est, cur Juliano potiùs quàm Pelagio tribuamus, præsertim cùm Augustinus, cui in hoc fides potiùs haberi debet, non tantùm Pelagio assignet, sed addat ipsum pro suâ agnovisse. At Baronius *b* memoriâ lapsus est, cùm Bedam quoque Pelagio tribuisse dicit. Pro Pelagianâ habuit, Pelagii esse non dixit, sed Iuliani Pelagiani, ut jam vidimus.

a *Apud August. lib. 1. poster. respons. contra Iulianum imperf. tom. 17. pag. 16.*

b *Annal. T. 5. ad an. 413.*

Priusquam à Iuliano recedam, adjungam suspicionem quandam meam de loco Hieronymi epistolâ ad Alypium & Augustinum, ubi sic scribit: *Quòd autem quæritis, utrum rescripserim contra libros Anniani pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissime pascitur, ut alienæ blasphemiæ, verba frivola subministret: sciatis me ipsos libros in schedulis missos à sancto fratre nostro Eusebio presbytero suscepisse, non ante multum temporis, & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione sanctæ & venerabilis filiæ vestræ Eustochii ita doluisse, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto hæsitat, & exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum epistolæ meæ respondere conatur, apertius se proderet, & blasphemias suas omnibus patefaceret.* Hactenus Hieronymus. Ubi quis ille Annianus fuerit, satis est obscurum. Diaconum quidem Celedensem fuisse Hieronymus ait. Sed Celeda nusquam apud Geographos comparet. Itaque Abr. Ortelius in Thesauro suo Geographico *Chalcidensis* legendum suspicabatur. Sed longius hoc abit, nec conjecturæ ejus ratio verisimilis adferri potest. Lambertus Danæus comment. in Augustini librum de hæreticis, cap. CXXVIII. ait, hunc Annianum (quem ipse Ammianum corruptè vocat) in Africâ vixisse. Sed Celeda in Africâ nusquam legerat Danæus. Convenienter igitur ibi adjecisset, *Celamensem* legi debere. Quod non ausimus planè damnare. Nam Κελαμα Ptolomæo est oppidum Mauritaniæ Cæsariensis. Cœlestium autem Anniani magistrum aliquamdiu in Africâ vixisse constat. Magis tamen placet legere *Celenensem*; quòd verisimile sit Julianum (quem Gelasius & Beda Celenensem episcopum appellant) id fecisse, quod hic Hieronymus narrat: nempe ut exquisitæ dictionis amator summus idemque caussæ Pelagianæ patronus maximus copiosè diaconum pasceret, qui pro Pelagio scriberet verba *tinnula & emendicata*, hoc est lexeis lepidè compositas, & è veterum poetarum atque oratorum penu depromtas. Nisi fortè hæc cùm scriberet Hieronymus, Iulianus solum diaconus Celedensis erat: quod si est, credibile est ipsum Iulianum ab Hieronymo signari. Nam potuit Iulianus (quem adhuc diaconum ab Augustino multum fuisse amatum antea diximus) initio Pelagiani certaminis tanti Patris reverentiâ nomen suum, quo Pelagium tuebatur, non exprimere in libri frontispicio, sed levi immutatiunculâ pro Iuliano scribere Annianum. Sed ut hoc incertum est, ita cùm Campani Cælestiano dogmati faveant Prospero *a* teste: & diaconum hunc Cælestii discipulum appellet Hieronymus: & Celene in Campaniâ fuerit: adhæc Pelagianus Iulianus priùs diaconus, pòst Episcopus Celenæ, vel saltem, in Campania fuerit: & Celenensis unâ solum litterâ distet à Celedensis; omnino Celenensis potius quàm Chalcidensis apud Hieronymum legi debere minimè dubitamus.

a *Lib. de promiss. Dei dimid. temp. c. 6.*

Cap. VII.

De Cassiano & scriptis ejus d.

A Pelagianis scriptoribus transeamus ad eos, qui vulgò Semipelagiani vocantur. Prosper epist. ad Augustinum Pelagii reliquias appellat: etiam Galli, & Massilienses dici solent, quòd plurimi Semipelagianum errorem in Gallis sequerentur; Massiliæ imprimis; Prospero & Hilario in literis suis ad August. testantibus. Hos inter maximum Jo. Cassiani nomen erat, priùs diaconi Constantinopoli, postea Massiliensis presbyteri; ut ex Prosperi Chronicis & Gennadii Ecclesi. script. catal. cognoscimus. Thomas Bradwardinus lib. I I. de caussâ Dei cap. IV *c*. Cassianum vocat Pelagianum; & è XII propositionibus, quas ex eo Prosper excerpsit, unam quidem Catholicam, sed undecim esse ait *hæreticas & Pelagiano veneno prægnantes. Idem* tamen eodem lib. I I. cap. XXXI *d*. Cassianum vocat virum *magnum*, & quanquam cum Pelagio delitavit, negat tamen iccirco hæreticum esse: quemadmodum neque Chrysostomus (etiam Augustinus ante episcopatum) & alii hæretici fuere, etsi similia Pelagio scripserunt: quomodo item Joachimi Abbatis liber v. de Trinitate ut hæreticus est damnatus, sed scriptor non item; quia sua omnia Ecclesiæ judicio submisisset. De hoc interim Cassiano sic loquitur Prosper libro adversus Cassianum, quem à scriptis Patrum Collationibus Collatoris nomine designat: U N I U S *potissimum definitiones, quem non dubium est* O M N I B U S *aliis in sanctarum scripturarum studio*

b *De Cassiano vide plura in vitâ ejus à Simlero scriptâ, quæ ante ea ejus libris de Incarnatione inscriptis atque de persona Christi, editis Tiguri Simlero procurante.*

c *P. 474.*

d *P. 602. & seq. imprimis. 609.*

ſtudio præſtare, referemus. Et quibuſdam interjectis: *In libro, cujus prænotatio eſt, De protectione Dei, vir quidam ſacerdotalis ordinis,* QUI DISPUTANDI USU INTER EOS, *quibuſcum degit,* EXCELLIT, *Abbatem quendam introducit, de gratiâ Dei & libero arbitrio diſſerentem.* Quin videri poſſit, inventor fuiſſe Semipelagiani dogmatis: quando idem eoſdem libro cap. III. ſic Caſſianum compellat: *Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia eſt. Illi in omnibus juſtis hominum operibus liberæ voluntatis tuentur exordia. Nos bonarum cogitationum ex Deo ſemper credimus prodire principia.* TU *informe neſcio quid* TERTIUM, *& utrique parti inconveniens* REPERISTI, *quo nec inimicorum conſenſum acquireres, nec in noſtrorum intelligentiâ permaneres.* Neutiquam tamen Caſſiano fuiſſe propoſitum, ut in Eccleſiam Dei novum inveheret dogma, argumento illud eſt, quòd illis, quæ in Caſſiano a Proſpero damnantur, planè gemina legere ſit apud præceptorem ejus B. Chryſoſtomum, & alterum Chryſoſtomi diſcipulum Iſidorum Peluſiotam: quæ tamen Catholicum admittere ſenſum, ſuo loco oſtendemus. Etſi igitur gratiam Dei haut integrè explicârit, à novitatis tamen ſtudio alienum fuiſſe ſperamus.

Caſſiani hujus inſignis laus eſt in Proſperi Chronicis ad annum CCCCXXXIII. *Joannes Monachus,* inquit, *cognomento Caſſianus, Maſſiliæ inſignis & facundus ſcriptor habetur.* Sed quis non videt hoc ab alio inſartum eſſe, niſi qui neſciat, quantopere eum in Collationibus exagitet, adeò ut etiam tanquam occultum lupum ſugillet? Et ſanè in multis antiquiſſimis chirographis hæc verba omittuntur; ut obſervavit doctiſſimus & diligentiſſimus Arnoldus Pontacus in ſuis ad Chronicum Proſperi notis.

Scripſit Jo. Caſſianus de inſtitutis cœnobiorum, & octo principalium vitiorum remediis, lib. XII.

Idem Collationes decem Patrum in Scythica eremo commorantium libris XXIV. eſt complexus.

Nec opus hoc fuiſſe aggreſſum, niſi abſolutâ commentatione de cœnobiorum inſtitutione, ex præfat. in Collationes cognoſcimus.

Quid præterea ſcripſerit, poſtea commemorabimus. Priùs enim quædam dicenda ſunt de Collationum opere; unde controverſia, quæ inter Proſperum & Caſſianum fuit, plurimùm lucis fœnerabit.

Collatione XIII. propoſuit Caſſianus abbatis Chæremonis ſententiam de gratiâ ac libero arbitrio; quam quia non refellit, ipſius Caſſiani fuiſſe creditum eſt. Eam Proſper refutavit lib. contra Collat. & propter hanc potiſſimum Gelaſius Papa, qui quinquaginta annis Caſſiano junior fuit, ſcripta illius inter apocrypha retulit: hoc eſt, ea quæ cautè legi deberent. Etiam Caſſiodorus in Pſal. LXIX. *facundiſſimum Caſſianum* (ſic eum appellat) non in omnibus ſequendum monet. Niſi potius ea verba ab alio ſint inſerta: quod verum puto. Neque enim commodam ſententiam elicere eſt ex lectione veteri, quæ talis eſt in eâ quæ prodiit Baſileæ 1491. *Sed non ſequendus in omnibus generaliter. Hunc locum facundiſſimus Caſſianus in decimâ Collatione de ejus utilitate diſſerens, tanto honore concelebrat, ut quicquid monachi aſſumſerint, ſine hujus verſiculi trinâ iteratione non inchoent.* Ubi omnia fluent ſi gloſſema expellas. *Non ſequendus in omnibus generaliter.* Quod aliquis ad oram prius adſcripſerat, poſtea in textum irrepſit. Sed hoc inde eſt, Victor Martyritanus Caſſianum ab erroribus purgare aggreſſus fuit, ut indicat his verbis idem Caſſiodorus Inſtit. divin. cap. XXIX. *Caſſiani dicta Victor Martyritanus* a *Epiſcopus Afer, ita, Domino juvante, purgavit, & quæ minus erant, addidit, ut ei rerum iſtarum palma merito conferatur; quem inter alios de Africa partibus cito nobis credimus eſſe dirigendum.* Quem tamen codicem non puto accepiſſe Caſſiodorum: quando ipſe poſtea hunc laborem ſuſcepiſſe videtur. Sic enim de eo Ado ad annum CCCCXXV. *Opera illius à Catholicis cautiſſimè legenda, maxime de libero arbitrio & gratiâ, ſed &*

a *Sim lerus in vitâ Caſſiani vocat Epiſcopum Mabaritanum.*

Encratitarum hæreſi incautius favit. Errores illius Caſſiodorus Ravennatum ſenator, purgare volens, non ad plenum omni ex parte potuit. Eccleſiaſticorum verò Annalium ſcriptor audiendus non eſt, cum ad annum CCCCXXXIII. ſic ſcribit: *Falli certo ſcias, qui ex eo, quo præ manibus habetur, Collationum libro Caſſiani, defendunt ipſum fuiſſe omni ex parte Catholicum; ut videre potes in appendice ad Caſſianum Romæ editum; perinde, atque ſi quis, cùm aliquem videat eſſe ſanum, ex eo nunquam antea ægrotaſſe velit aſſerere.* Nam Adonis verba clarè indicant, cautè legendum, eò quòd aliquammultis locis errorem de gratiâ ac libero arbitrio non valuerit tollere Caſſiodorus. Quare, ſi Adonis judicio ſtandum, magis veriſimile fuerit, Caſſiodorum iis tantum locis medicam manum admoviſſe, quos verbi omiſſione, aut aliâ levi immutatiunculâ ſanari poſſe videbat: cæteros verò reliquiſſe intactos, ſive quòd commodam emendandi rationem non perſpiceret, ſive ne alieno in opere nimium ſibi juris ſumere videretur. Præterea ut errores omnes ſuſtuliſſet Caſſiodorus, quo argumento planum faciat nobis, tam multis Caſſiani exemplaribus per Gallias & reliquum orbem diffuſis diſtractiſque, ubivis locorum Caſſianum, prout à Caſſiodoro erat emendatus, deſcribi conſueſſe, atque ita genuinum Caſſianum paullatim deperiiſſe nobis? Sed quid multis opus? unde certius cognoſcemus, utrum germanum habeamus Caſſianum, quàm ex Proſperi adverſus Collatorem, hoc eſt Caſſianum ipſum libro? Atqui, quicquid tanquam erroneum in Caſſiano exagitat Proſper, hoc αὐτολεξεὶ hodieque invenimus in Caſſiano, etiam illo, quem doctiſſimus & modeſtiſſimus Petrus Ciacconius integritati à ſe reſtitutum & eruditis notis illuſtratum, non adſcripto nomine ſuo, Romæ in lucem prodire juſſit. Sunt qui Caſſianum ab Eucherio quoque, Lugdunenſis Eccleſiæ presbytero, emendatum contendant. Compellit eos in hanc ſententiam Gennadius his verbis: *Sed & S. Caſſiani quædam opuſcula lato terſa ſermone, idem Eucherius anguſto verbi reſolvens tramite in unum collegit volumen.* Quo ex loco non video, quid aliud exterebrari poſſit, quàm concinnatam ab Eucherio haut aſpernandam epitomen Caſſiani: eam fortaſſe quam Pithœum habuiſſe ſcribit Nicolaus Faber a. In hac reciſos fuiſſe errores Caſſiani facilè credo, utut hoc reticeat Gennadius: verùm enimverò amplum illud volumen, quod habemus, eſſe Eucherianam Caſſiani epitomen, minimè ſit veriſimile, cùm fuſa dictio, totaque operis ratio epitomes naturæ adverſetur. Et, ſi Eucherius jam repurgarat Caſſianum, quid opus erat denuò hunc laborem ſuſcipi à Victore, aut Caſſiodoro? Sanè ſi hos audimus, Augiæ ſtabulum fuerit Caſſiani volumen, quod cùm primò Eucherius mundare fuerit aggreſſus, ac poſtea Caſſiodorus ſtuduerit purgare, tamen a tantis viris ne ſic quidem potuerit expurgari. Atque ut hæc eſſent, probandum iis erat, Eucherianum illum Caſſianum eſſe eumpſe, quem hodie propè omnium habent bibliothecæ: nunc certum eſt Caſſianum hodieque eſſe Caſſianum, hoc eſt, vel olim etiam undecunque Catholicum fuiſſe, vel ne nunc quidem eſſe.

a *Præfat. in Hilariana ex opere Hiſtorico fragmenta.*

Miretur fortaſſe aliquis, quòd multis adeò conemur oſtendere, haut aliter nunc de Caſſiani libris judicandum eſſe, quàm olim de iis Proſper, Gelaſius, atque alii ſtatuerunt. Sed profectò magni ea momenti quæſtio eſt. Siquidem res fuerit periculi plena, ſi hiſce libris ſub neſcio cujus emendationis prætextu, pro doctrinâ è limpidis ſcripturarum fontibus hauſtâ dogma Semipelagianum plenis hauriendum faucibus propinetur. Quod ſi quis Caſſiani patrocinium ſuſcipere volet: aliam conciliat quæ tum oportebit: non, inquam, negandum ei erit, genuinum nos habere Caſſianum, ſed diſpiciendum, utrum verba ejus, quæ ferè ambigua ſunt, commodæ interpretationis lenimento, ſalutarem ac penitùs Catholicam ſententiam admittant: qua de re fusè dicemus lib. IV. cùm aperiemus Maſſilienſium ſententiam de gratiæ neceſſitate. De Collationum libris ſatis.

Scripſit præterea De Incarnatione adverſus Neſtorium.

Absolutis dudum Collationum spiritualium libellis, hoc se opus scripsisse, ipse in libri ingressu testatur. Hortatu Leonis diaconi, qui Romanus postea episcopus fuit, hoc opus fuisse aggressum, narrant Gennadius & Honorius. Verisimile autem est, cum Leo iste acerrimus fuerit gratiæ defensor adversus Pelagianos, idcirco potissimum rogasse Cassianum, ut adversus Nestorium scriberet, ut, qui Semipelagianismi infamabatur, ostenderet, quantopere ab Ario & Nestorio abhorreret, atque ita & Nestorii se fautores à se abalienaret, & suæ sententiæ asseclas à Nestorio magis & magis averteret. Nam quia Pelagiana hæresis mater erat Nestorianæ, unde unum utriusque epitaphium scripsit Prosper; omnino periculum erat, ne uti in Ephesinâ synodo fecerant Pelagiani, ita Semipelagiani plerique durius habiti ad Pelagianismum, atque inde ad dogma Nestorii paullatim se converterent. Altera etiam ratio fuisse potest, nempe quò per eum potissimùm, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ fuerat diaconus, Ecclesia ea moneretur, ut Nestorium vitaret. Circa finem horunce librorum mirificè Constantinopolitanæ Ecclesiæ commendat Joannem Chrysostomum, ejus quondam urbis episcopum, magistrum suum, à quo & Cassianum Constantinopolitanæ urbis diaconum fuisse ordinatum ex eodem Gennadio, nec non Honorio Augustodunensi discimus. Verba Cassiani adferam: *Mementote magistrorum veterum, sacerdotumque vestrorum, Gregorii nobilis per orbem, Nectarii sanctimoniâ insignis*, IOANNIS *fide ac puritate mirabilis, Ioannis, inquam, Ioannis illius, qui verè ad similitudinem Ioannis Evangelistæ & discipulus Iesu & Apostolus, quasi super pectus Domini semper affectumque discubuit. Illius, inquam, mementote, illum sequimini: illius puritatem, illius fidem, illius doctrinam ac sanctimoniam cogitate: illius mementote semper doctoris vestri ac nutritoris, in cujus quasi gremio quodammodo amplexuque crevistis, qui communis* MIHI *ac vobis* MAGISTER *fuit, cujus* DISCIPLINA *atque instituto sumus. Illius scripta legite, illius informationem tenete: illius fidem ac meritum amplexamini. Quod etsi grande est ac difficile, sequi tamen pulchrum atque sublime, quoniam in summâ rerum non adeptio tantum, sed etiam imitatio ipsa laudanda est: quia nunquam ferè aliquis ejus rei portione ad plenum caret, ad quam scandere ac pervenire contenderit. Ille ergo vobis in sensu semper & quasi conspectu sit, ille in animo & cogitatione versetur. Ille denique ipse vobis etiam, quæ à me sunt scripta, commendet: quia hæc quæ ego scripsi, ille me docuit, ac per hoc non tam mea hæc, quam* ILLIUS *esse credite; quia rivus ex fonte constat, & quicquid putatur esse discipuli, totum ad honorem convenit referre magistri*. Ex quibus liquet, quam Cassianus ad vitæ finem usque (eo enim in opere scribendi finem fecisse testantur Gennadius & Honorius Augustodunensis) studiosus fuerit præceptoris sui Chrysostomi; ut quem tantopere extollat; cui item, quamcumque haberet, tribuendam dicat scripturarum intelligentiam. Parùm itaque verisimile est, quod Tritthemius & antè eum Sigebertus in Chronicis prodidit, à Chrysostomo, nesciu quâ de caussâ, Constantinopoli fuisse ejectum. Cujus rei nec Gennadius meminit, neque antiquiorum quisquam, unum præter Sigebertum, qui octingentis post Cassianum annis vixit. Imò Cassianus hic à clericis Constantinopolitanis in caussâ Chrysostomi unà cum Germano presbytero Romam legatus missus fuit ad Innocentium Papam, ut Sozomenus & Nicephorus testantur. Quare iis planè subscribimus, qui Cassianum, non à Chrysostomo, sed unà cum Chrysostomo, atque aliis patris ejusce partes sequentibus, Constantinopoli expulsum volunt. Raphaël Volaterranus scribit Cassianum tempore Honorii, ex Hierosolymitanâ Ecclesiâ ab hæreticis ejectum, Massiliam venisse. Puto Constantinopolitanâ dicere voluisse. Quamquam nec illud ab hæreticis factum. Fortè hujusmodi quid Hierosolymis accidit intermedio tempore, priusquam Constantinopoli ejectus Massiliam venit. Nam post synodum Ephesinam primam magni in Oriente motus facti sunt per Nestorium. Sanè rectè fecisset Volaterranus, si veteres ejusce rei laudasset auctores.

CAP. VIII.

De Fausto, & ejus scriptis.

NUnc de Fausto videamus, qui, cùm Maximus ex abbate Lirinensi Regiensis fieret episcopus, Lirinensis abbas factus fuit, & Maximo fato functo, eidem in Regiensi episcopatu successit. Unde Sidonius carm. Euchar. ad Faustum:

—— Fuerit quis Maximus ille,
Urbem in cujus Monachusque, Antistes, & Abbas,
Bis successor agis.

Eandemque rem tangit quoque lib. IX. cap. III: his verbis: *Precum peritus insulanarum, quas de palæstrâ congregationis eremitidis & de senatu Lirinensium cellulanorum in urbem quoque (cujus Ecclesiæ sacra superinspicis) transtulisti, nihil ab abbate mutatus per sacerdotem.* Spissus est error Maldonati in Joh. cap. XVII, 9. ad illa verba (*non pro mundo rogo.*) ubi Faustus hunc vixisse ait tempore Augustini. Nempe confudit Semipelagianum Faustum cum Fausto Manichæo, adversus quem scripsit Augustinus. Hinc Petrus Arvernus Bernardi Claravallensis συγχρονος carm. adversus calumniatorem Petri Pictaviensis; ubi Sidonium sic compellat.

Sed neque Faustus abest, Abbas, Eremita sacerdos,
Quem tua nequaquam lingua latere sinit.

Ac ne Semipelagianum hunc Faustum alium ab eo putes, ad quem Sidonius scribit; etiam Ado & Honorius Augustodunensis eum, de quo nunc sermo est nobis, ex abbate Lirinensi episcopum *apud Regium Galliæ* factum referunt. Neque dubium, quin similiter legi debeat apud Gennadium: etsi in Frobenianâ Hieronymi editione, cui Gennadius insertus; item in vitâ Fausti, quam Fausti libris de Gratiâ & lib. arbitr. præmisit Erasmus; imò & editione Gennadii ante quinquennium in Germaniâ ex quatuor diversis editt. ut inscriptio promittit, à Io. Fuchtio, professore Theologo, recensitâ; corruptè legatur *episcopum factum apud regnum Galliæ*.

Syllabum scriptorum Fausti apud Gennadium habemus: cujus hæc verba: *Faustus ex abbate Lirinensis monasterii apud Regium Galliæ episcopus factus, vir in divinis scripturis satis intentus, ex traditione Symboli occasione acceptâ, composuit* LIBRUM DE SPIRITU SANCTO, *in quo ostendit eum juxta fidem patrum, & consubstantialem & coæternum esse Patri & Filio: ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque opus egregium*, DE GRATIA DEI *quâ salvamur, &* LIBERO *humanæ mentis* ARBITRIO, *in quo salvamur: in quo opere docet, gratiam Dei semper & invitare, & præcedere, & adjuvare voluntatem nostram, & quidquid ipsa libertas arbitrii, pro labore piæ mercedis, acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum. Legi ejus &* ADVERSUM ARRIANOS AC MACEDONIANOS *parvum* LIBELLUM, *in quo coëssentialem prædicat Trinitatem: & alium* ADVERSUS EOS, QUI DICUNT ESSE IN CREATURIS ALIQUID INCORPOREUM. *In quo & divinis testimoniis & patrum confirmat sententiis, nihil credendum incorporeum præter Deum. Est & ejus* EPISTOLA *in modum libelli* AD DIACONUM *quendam* GRATUM *nomine edita, qui à fide Catholicâ discedens, ad Nestorianam abiit impietatem. In quâ epistolâ admonet eum credere, sanctam Mariam virginem non purum hominem genuisse, qui postea susciperet divinitatem; sed Deum verum & hominem verum. Sunt ejus & alia scripta, quæ quia necdum legi, nominare nolui: vivâ tamen voce egregius doctor & creditur & probatur. Scripsit postea &* AD FELICEM PRÆFECTUM *prætorio, & patriciæ dignitatis virum, filium Magni consulis, jam religiosum*, EPISTOLAM *ad timorem*

rem Dei hortatoriam, convenientem personis pleno animo pœnitentiam agere disponentibus. Hactenus Gennadius.

Libro Fausti de creaturis, quòd nihil insit illis *corporei*, (pro *corporei* scribendum *incorporei*,) respondit Claudianus Mamertus libris de statu animæ ad Sidonium Apollinarem. Utrumque habemus *a* in bibliothecâ patrum. Uti & epistolam ad Paullinum *b*: quâ ipsâ etiam inter alia docet, animum & angelos corpus habere. Sed hujus epistolæ non meminit Gennadius. In eâdem etiam bibliotheca habemus *c*, tum epistolam ad Felicem de pœnitentia: tum illam ad G. diaconum contra Nestorium. Utriusque Gennadius meminit, uti vidimus. Sed diaconus iste in Gennadii codd. Gratus, in ipsius Fausti libris, aliquibus quidem Græcus, aliis autem Gregorius appellatur. Extat præterea Fausti epistola ad Lucidum, &, quibus maximè inclaruit, libri duo de gratiâ Dei & libero arbitrio. Hos qua occasione scripserit, deinceps aperiemus. Erat id temporis Lucidus Presbyter, qui sequebatur sententiam monachorum Adrumetinorum, ita gratiæ omnia tribuentium, ut arbitrii libertatem tollerent. Adversus quos Augustinus scripsit duos commentarios, unum de gratia, ac libero arbitrio; alterum de corrupt. & gratia. Vocaturque hæresis prædestinatorum, sive prædestinatianorum: quam Sigebertus, sive Sigibertus (utroque enim modo id nomen scribitur in Codd. antiquis) ex libris Augustini malè intellectis ortam testatur anno CCCCXV. Ut Lucidum ab hac sententia abduceret Faustus, epistolam ad eum misit, in quâ illa anathematizarentur, quæ, nisi interpretatione commoda restringantur atque exponantur, in prædestinatis, hoc est prædestinationem excluso hominis per gratiam labore adserentibus, Catholica damnaret ecclesia. Huic epistolæ subscripsit synodus undecim episcoporum; quos penè omnes fuisse clari nominis viros, ex Sidonii Apollinaris epistolis cognoscimus. Postea alius etiam celebratus conventus episcoporum viginti septem: cui placuit addi quædam superioris concilii capitibus: eaque ipsa Lucidus approbavit: ut ex ejus ad hancce Synodum epistola cognoscimus. Videtur autem ex Fausto colligi posse, priorem conventum fuisse Arelate, posteriorem Lugduni. Qua de re pluribus, cùm de conciliis agemus. Significat Faustus se ejusdem concilii postulato librum suum de gratia ac libero arbitrio scripsisse. Sic enim scribit ad Leontium: *Domino beatissimo ac reverendissimo Leontio Papa Faustus. Quod pro sollicitudine pastorali, Beate Papa Leonti, in condemnando prædestinationis errore concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quod verò ad ordinanda ea, quæ conlatione publicâ doctissimè protulistis, operam infirmis humeris curamque mandastis, parum, ut reor, tanto negotio, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me, judicio caritatis, vos periculo electionis onerastis. Quia ergò & vestram laborare personam sub imposito nobis fasce cognoscitis*, &c. Nempe quia strenuè se gesserat elegantis & acris ingenii vir in prædestinatorum errore refellendo; idem maximè idoneus visus est, qui Synodi sententiam scripto consignaret. Verùm mandati limites excedens, ea in libello suo docuit, quibus Claudianus Mamertus, & alii præstantissimi viri, qui synodo isti interfuere, nunquam, puto, subscripsissent. Sic enim prædestinatos refellit, ut in contrarium lapsus errorem, non obscurè Semipelagianam defendat opinionem. Quemadmodum suo loco demonstrabimus. Extant verò & Fausti hujus homiliæ quædam illis interspersæ, quæ falsò sub Eusebii Emiseni nomine à Jo. Gagneio, Parisiensi Theologo editæ sunt. Sunt qui Eucherii, vel etiam Cæsarii esse existiment: neque nos negamus aliquas eorum esse: sed quasdam tamen esse Fausti nobis certum est: imprimis illam de Maximo, Fausti decessore. Nam apertè indicat se sub Abbate Maximo in Lirinensi cœnobio vixisse; cùm narrat quæ ille perpessus sit fugiens è Lerina, ne episcopus fieret: *Sub nudo*, inquit, *axe cæli trium dierum ac trium noctium imbribus verberatur: sicut & ipse sum testis*. Ad Regienses verò, quorum post Maximum Episcopus Faustus fuit, habitam esse hanc homiliam certis judiciis comperimus. Primum quod ait: *Quia superius me meravimus quàm magnifice insulano illo studio perfectionis vias cucurrerit, plus est quod* HUC *insulam ipsam institutis ac studiis suis transtulit. Et qui jamdudum in Abbate pontificem gesserat, postmodum in Abbate pontificem custodivit.* Item: *Hujus ergò tanti & tam præclari, quæso ut nos ei* DISCIPULOS *meminerimus &* FILIOS. Item: *Ita ergo agamus bona illius conspectantes, ut qui in æternam gloriam suscitandus est sub fine seculorum, redditus* ECCLESIÆ SUÆ *per redivivam in* FILIIS *merita jam surrexerit.* Hæc Eucherio non conveniunt, quia in Lirinensi quidem cœnobio vixit; ut ipse testatur. De eremo Hilarius in vitâ S. Honorati, & Sidonius Carm. XVI: sed ex monacho Lirinensi non Regiensis, sed Lugdunensis episcopus factus fuit. Multò minus Cæsarius eam scripsisse potuit, cùm is, præterquam quòd Arelatensis episcopus fuerit, ne in Lirinensi quidem cœnobio vixerit: ut mittam quòd ætas Cæsarii non convenit istis temporibus, quia post annum demum quingentesimum factus est episcopus, ut infrà ostendemus.

a Tom. 4. edit. 2.
b Tom. 3. col. 405. & 408.
c Tom. 3. col. 407. & 409.

Cap. IX.

De Vincentio Lirinensi.

Postquam de Cassiano & Fausto dixi: antiquitatis Ecclesiasticæ studiosis rem non ingratam facturum me puto, si disquisitionem hoc loco instituam, utrum Semipelagianis quoque accenseri debeant, Vincentius Lirinensis, Gennadius Massiliensis, & Arnobius Junior. Nam idem Vincentius scriptor videtur, tum commonitorii, tum objectionum Vincentianarum, quibus Prosper respondit. Dissentit quidem illustrissimus Baronius, quia unus monachus, alter presbyter fuerit: sed hoc non dicendum simpliciter, verùm ex antiquis adstruendum erat. Atque ut verum diceret, justæ nihilominus rationes sunt, cur commonitorii scriptorem non solùm ab Augustinianâ de Prædestinatione sententiâ abhorruisse credamus; sed etiam commonitorium adversus Augustinum ipsum, vel eos saltem, qui Augustini sententiam sequerentur, scripsisse existimemus. Et fortè hæc ratio est, cur nomen suum præterierit, quòd adversariis illud suspectum esse sciret. Nam sub Peregrini nomine commonitorium suum edidisse, ex præfatione cognoscimus. Fatemur quidem ab eo damnari Pelagium, Cælestium, Julianum. Sed faciebat hoc etiam Faustus, & cum eo Semipelagiani omnes. At ille, qui post Augustini obitum Xysti tempore scriberet, ignorare non poterat, quid Cassianus Massiliæ, quid alibi Gallorum alii docerent. Nunc de his altum apud illum silentium est. Cur, nisi quòd vel prævenientis gratiæ necessitatem negaret cum Cassiano, vel saltem absolutum prædestinationis decretum rectè ab illis impugnari opinaretur? Quod ne leviter nimis suspicati credamur, exponemus quid nos maximè in hanc sententiam impulerit. Observavimus à Prospero eo nomine perstringi adversarios Augustini, quòd Cælestini epistolam, quâ se Catholici tuebantur, pro suâ sententiâ adducere non dubitarent: nobileque illud Augustini elogium, quod in ea legitur, de prioribus Augustini scriptis intelligi debere contenderent. Atqui hoc facere videtur Vincentius, & quod obscurius scribit, hoc apertius dicere solitum credibile est. Vincentii quidem hæc sunt verba: *Nequid deesse tanta plenitudini videretur, ad postremum adjecimus geminam Apostolicæ sedis auctoritatem: unam scilicet sancti Papa Xysti, qui nunc Romanam ecclesiam venerandus illustrat; alteram præcessoris sui beata memoria Papa Cælestini, quam hic etiam interponere necessarium judicavimus.* Ἐμφάσεις habent extrema verba, quasi dicat, Augustini quidem sectatores jactare Cælestini epistolam: verùm enimvero majori se jure ad eam provocare. Mox Xysti verba commemorat: quæ omittimus. Iis hæc subjungit:

jungit:

jungit: *Papa Cælestinus in epistolâ, quam Gallorum sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam, quod antiquam fidem silentio destituentes, profanas novitates exurgere paterentur: Meritò, inquit, causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi; non sit iis liberum, habere pro voluntate sermonem.* Prosper & qui ejus caussæ faverent, hæc Cælestini verba contra Augustini adversarios adducebant. Illi id rectè fieri negabant. Ergò in hac dubitatione Vincentius dicere est contentus, Cælestinum iis adversari, qui ab antiquitate resilirent: hoc si à Massiliensibus fiat, fatetur iis Cælestini istâ epistolâ silentium imponi: sin Augustinus verius ab antiquitate recesserit; jam verba hæc Prosperum potiùs, cæterosque ejus defensores tangere arbitrabatur. Audiamus quàm hæc callidè Vincentius insinuet: *Hic aliquis forte addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem: vetustatis prædicatores, an novitatis adinventores. Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissolvat:* DESINAT, *inquit,* SI ITA RES EST, *id est,* SI ITA EST, *ut apud me* QUIDAM URBES ET PROVINCIAS VESTRAS CRIMINANTUR, *quod eas quibusdam novitatibus consentire noxiâ dissimulatione faciatis: desinat, inquit,* SI *ita res est, incessere novitas vetustatem.* Urgendo tantopere illud, SI, non obscurè indicat, se criminationem Prosperi & Hilarii pro falsâ habere: aut saltem meritò dispici posse, utrum Massilienses, an criminatores novitatem amplexarentur. Hinc ita concludit: *Ergo fuit hæc beati Cælestini beata sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem, sed potius novitas desineret incessere vetustatem. quibus Apostolicis Catholicisque decretis quisquis refragatur, insultet primùm omnium necesse est memoriæ sancti Cælestini, qui statuit, ut desineret incessere novitas vetustatem.* Atqui Massilienses, ut Prosper & Hilarius testantur, hoc vel maximè argumento pugnabant, quòd Augustini sententia nova esset, & quòd Augustinus ipse aliter priùs docuisset: integras etiam ex Augustino ἐκλογὰς describebant, quibus antiquitati magis consona scripsisse priùs doceretur. Unde liquet eos censuisse, Cælestini elogium ad priores Augustini libros pertinere. Vincentii locum vidimus. Nunc componamus cum eo Prosperi verba, lib. adversus Collat. cap. ult. *Per hunc virum* (venerabilis memoriæ Cælestinum) *intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini verba reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas.* Et mox, cùm Cælestini ex dictâ epistolâ verba laudasset, addit: *Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sanctissimi testimonii dignitatem: audet quisquam maligna interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sincerissimæque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere: ut scilicet quia in epistola Papæ librorum pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, & istam in sanctum Augustinum laudationem pro* ANTERIORUM SCRIPTORUM *meritis fuisse collatam! Maneat, plane maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, si in eâdem caussâ ejusdem viri dissentit antiquitas, & ut inutile aut incongruum judicetur, quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, dissonans invenitur.* Hinc commemoratis iis libris, quos adversus Pelagianos scripsit Augustinus, subjicit ista: *Agnoscant calumniatores, superflue se objicere, quòd his libris non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes, quod a præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat; & quod judicio jungit, laude non dividit. Qui ergo hos proxime libros refutant, anterioribus acquiescant.* Hinc liquet, ut diversimode Cælestini epistolâ pro se Vincentius, & Prosper uterentur. Nam Vincentius, vel saltem adversarii Augustini, ex epistolâ eâ urgebant illud, quòd antiquitati novitas cedere debeat: unde colligebant, si Augustinus in prioribus scriptis consentiat antiquitati, in posterioribus non item; Cælestini elogia ad priora tantùm Augustini scripta pertinere. Contrà Prosper ex eâdem epistolâ urgebat laudationem Augustini: quæ cùm indiscriminatim proferatur, non minùs eam de posterioribus, quàm anterioribus scriptis intelligendam ajebat, præsertim si eadem utrisque doceantur: quod ipse existimabat. Quæ hactenus diximus, eo etiam verisimiliora fiunt, quòd uterque, & Vincentius, inquam, & Prosper, scripsere ista sub Xysto. De Vincentio liquet ex istis verbis jam antè adductis: *Sancti Papæ Xysti, qui nunc Romanam ecclesiam venerandus illustrat.* Item cap. XLII, ubi *concilium ante triennium ferme in Asia apud Ephesum à ducentis fere numero sacerdotibus adversus Nestorium celebratum* ait. Ergò scripsit eum libellum tertio Xysti anno: quia concilium Ephesi habitum fuit anno CCCCXXXI: proximo verò anno Xystus successit Cælestino. Prosperum autem ejusdem Xysti tempore adversus Cassianum scripsisse, ostendunt hæc verba cap. ult. *Ad beatissimum Apostolicæ sedis tunc Presbyterum Xystum, nunc vero Pontificem.* Et post aliqua: *Quod operatus est* (Dominus) *in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur & in Xysto.* Quare non multò post editum à Vincentio Commonitorium, hæc scripserit Prosper; præsertim cùm octennio solùm episcopatum gesserit Xystus. Quod verisimile etiam facit, eundem esse Vincentium, Prosperi adversarium, & Commonitorii scriptorem. Etiam locus ubi Vincentius egit, favere huic sententiæ videtur. Nam uti Massilia, ubi Cassianus fuit, ita Lirinense cœnobium, in quo Vincentius vixit, (unde & Lirinensis dictus est) Augustini adversabatur sententiæ. Sanè ipsum Honoratum Arelatensem episcopum (sic apud Prosperum in epistolâ ad Augustinum legi debere, alibi ostendimus) in hoc uno capite, quod est de prædestinatione absolutâ, repugnâsse Augustino, scribit Prosper ipse ad Augustinum. At is priùs fuerat abbas Lirinensis, & quidem primus; unde & Lirinense monasterium hodieque *Sancti Honorati* appellatur. Verisimile autem est, Honoratum, cùm episcopus fieret, in monasterio à se condito, suæ sententiæ abbatem elegisse. Is autem Maximus fuit, teste S. Eucherio libello de laude Eremi ad Hilarium Arelatensem. Quemadmodum & certum est, Maximi successorem Augustino adversatum. Nam, ut ex Sidonio postea videbimus, Maximo successit Faustus, quem libros suos de gratia, & libero arbitrio, adversus Augustinum scripsisse, sciunt omnes. Porrò illud quoque observatu dignum videtur, quòd etsi Vincentius (modò ejus sint objectiones, ut putamus) Prosperum, & discipulos Augustini acriter impugnaret, & absurdissimarum opinionum reos ageret: (verene an secus, suo loco disquiremus) Augustinum tamen magno in pretio habere potuerit. Ita animatum fuisse S. Honoratum, liquet ex epistolâ Prosperi ad Augustinum. Et Vincentius hoc de se innuere videtur, cùm scribit, utut ignoscatur primitùs in errorem lapsis, non idcirco ignosci debere discipulis errorem magistri pertinaciter tuentibus. Verba ejus hæc sunt cap. XI. *Et ô rerum mira conversio! auctores ejusdem opinionis, Catholici; consectatores verò hæretici judicantur. Absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, assertores verò gehenna suscipiet.* Quod deinceps probat exemplo Cypriani & Donatistarum. Similiaque de his ipsis habet Augustinus lib. II. contra Gaudentium cap. VIII. lib. II. contra Cresconium cap. XXXI. XXXII. XXXIII. & epistol. XLVIII. ad Vincentium. Quamvis autem Vincentius Cassiano faveret, vel, quod verius putamus, ab Augustinianâ saltem sententiâ dissentiret; non eo malè Catholicum esse judicatum, satis nos docet S. Eucherius libro de Eremi laude ad Hilarium Arelatensem scripto: ubi, de viris sanctissimis insulæ Lirinensis agens, hæc inter alia refert: *Digna quæ Honorato auctore fundata sit, quæ tantis institutis tantum nacta sit patrem, Apostolici spiritùs vigore, & vultus honore radiantem. Digna quæ illum suscipiens, ita emitteret. Digna quæ præstantissimos alat monachos, & ambiendos proferat sacerdotes. Hæc habuit reverendi nominis Lupum, qui illum nobis ex tribu Benjamin lupum retulit.*

lii. Hæc habuit germanum ejus VINCENTIUM, *interno gemmarum splendore perspicuum. Hæc nunc possidet venerabilem gravitate Caprasium, veteribus sanctis parem. Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui divisis cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt.*

CAP. X.

De Gennadio Massiliensi.

DE Vincentio satis. Videamus de Gennadio Massiliensi, quem sanctissimos inter pontifices reponit Hadrianus I. epist. ad Carolum Magnum. Schola tamen Lovaniensis, etsi ex ea Driedo *a* & Ruardus Tapperus *b* Faustum pro planè Catholico habuerint; Gennadium hunc satis Catholicum esse negat; ut cognoscimus ex censura Append. T. III. Augustini, & scriptore præfationis, quæ in Duacensi editione Prospero præmittitur. Etiam Ferdinandus Mendoza negat aliquem esse ex scriptoribus probatis, lib. III. de Concil. Illiberit. cap. LX *c*. Et qui eum seculis duobus antecessit Thomas Bradwardinus. Imò jam ante annus penè octingentos, tale Ecclesiæ Lugdunensis judicium fuit. Nam libro adversus Ioannem Scotum *d* sic scribit: *Hominem absque laboris sui studio ad Deum pervenire non posse, non est Catholicum, sed Pelagianum. Invenitur in libello, cujus titulus est dogmatum Ecclesiasticorum: sed omnino, ut alia nonnulla in eodem libello, Pelagiani erroris est. Et ideo quicumque eum propter alia quædam utilia legit, cum hujusmodi ibi sensus invenerit, meminerit sollicite Apostoli dicentis: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Sed verba Gennadii, etsi Pelagianum habeant sensum, si intelligatur labor ex viribus naturæ; tamen Catholicum sensum admittunt, quia intelligere possumus laborem, qui præstatur ex gratiæ operantis & cooperantis virtute. Utrum horum senserit Gennadius, certiùs statui posset, si ejus adversus Pelagium libri exstarent: quos ab eo scriptos esse, testis ipse cap C. *e*. libri de scriptoribus Ecclesiasticis, & ex eo Honorius Augustodunensis. Nunc ex titulo solo nihil certi concludi potest, cùm non minus Semipelagianus Faustus, quàm Prosper Augustini sectator adversus Pelagium scripserit. Quocirca aliis indiciis indagabimus hujusce rei veritatem. Sanè Augustini de Prædestinatione absoluta sententiæ esse adversarium, negari non potest. Satis enim hoc ostendit illa Prædestinatianorum descriptio, quam legere est in Gennadiana appendice indiculi Hieronymiani de hæresibus, qui anno hoc demum, doctissimi Claudii Menardi beneficio, Lutetiæ Parisiorum prodiit in lucem. Eam hic quoque adscribemus; *Prædestinatiani sunt, qui dicunt, quod Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus: quod etsi generali prædicatione dicat, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; non tamen omnes eâ voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem: sed nec omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores & justitiæ fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono: & è contrario, illos, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidiâ, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, quâ & credant in Deum, & secundum Dei præceptum vivant, ut possideant societatem justorum. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat. Quod alios, etiam invitos, post multa mala opera attrahat ad salutem; alios post bona opera rejiciat, & compellat in malam, quo pereant in æternum.* Quamquam hæc adversus Prædestinatianos dicta sint: (quorum sententia, si candidè ab Gennadio, Arnobio Juniore, Sigeberto & aliis refertur, ab Augustiniana non parum distat) tamen cùm alia, tum quod de προσωποληψίᾳ Gennadius hic dicit, non eum ipse in modum propositurus erat, nisi Augustinianam simul sententiam improbaret. Neque enim potuit nescire, quòd Augustinus passim docet, & Hypognosticôn scriptor extremo libro VI. dicit, non eam suam esse sententiam, ut quod discrimen facit Deus, *illud faciat personarum acceptione, sed justitiâ inenarrabili & misericordiâ indebitâ. Pelagianis traducentibus doctrinam Catholicam, quasi Deum faceret προσωποληψίαν, sic respondet Augustinus epist. CV. ad Sixtum presbyterum: Quod personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credunt quod sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quem vult religiosum facit, parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur, atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret.* Sic lib. II. contra duas Pelag. epist. cap. VIII. *Non est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alter dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur.*

Idem etiam multò clarius certiusque evincitur ex Gennadiano catalogo Ecclesiasticorum scriptorum, ubi magnum Augustinum infecundè adeò frigideque laudat, ut multiloquio non evitâsse peccatum dicat, ac vix ab hæresi absolvat. Atque hæc quidem sunt aperta & perspicua satis. Sed porrò quæritur, an idem negarit prævenientis gratiæ necessitatem; quod Semipelagianismi propria est nota, verumque τεκμήριον; non autem σημεῖον tantùm, seu nota communis, qualis est, si absoluta salvandi præfinitio improbetur. Nam omnes quidem Semipelagiani eam rejiciebant, at non soli, sed unà cum illis Catholicorum plurimi. Ut igitur de hoc quoque adferamus sententiam nostram, illud imprimis considerare oportet, quòd eodem libro Prosperum dicat damnare in Cassiano tanquam noxia, quæ Ecclesia Dei probet ut salutaria. Quod item is, qui Augustinum frigidè adeo laudat, sic Cassianum & Faustum extollat, ut videatur nihil in eis vidisse reprehensione dignum. Atqui à Cassiano & Fausto prævenientem gratiam negari, communis est sententia. Imò libro adversus Collatorem non tam de absoluta prædestinatione quàm de prævia gratia disputat Prosper. Atque utrumque horum est, quod Gennadium tantopere Semipelagianismi reddiderit suspectum. Unum tamen quo se tueatur habet, quòd gratia prævia intelligatur vel de ea quæ datur intentione absoluta, eoque semper est efficax in actu secundo: vel illa, qua præsente rectè operari homo possit, nec tamen id faciat semper. Non esse hoc inane καταφύγιον, facilè nobis concedent, qui versati sunt in lectione Augustini. Plurimis enim locis de ea se gratia loqui ostendit, quæ ab absoluta prædestinatione caussetur, eoque certò prædeterminet hominis voluntatem. Verùm ut nunc multa ejus testimonia congerere opus non sit, facit epistola Prosperi ad Augustinum, ubi Massilienses primitus necessitatem gratiæ præviæ agnovisse ait: sed postquam viderunt ab Augustino ferè hoc nomine intelligi gratiam illam, quæ ab absoluto flueret salvandi decreto, maluisse dicit gratiam præviam negare, quàm ut tale decretum faterentur. Hæc enim illorum Prosperi verborum sententia est: *In istam verò* TALIS GRATIÆ *prædicationem hi, quorum contradictione offendimur,* CUM PRIUS MELIORA SENTIRENT, IDEO SE VEL MAXIME CONTULERUNT, *quia si profiterentur ab eâ omnia bona opera præveniri, & ab ipsâ, ut possint esse, donari; necessitate concedent, Deum secundùm propositum & consilium voluntatis suæ aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam. Sed refugiant illud fateri.* Colligimus igitur in hunc modum: Si Massilienses priusquam de absoluto salvandi decreto audissent, præveniri à Deo voluntatem humanam fatebantur; sanè non quicumque prævenientis gratiæ necessitatem agnoscebant, absolutam iccirco prædestinationem credebant.

Præ-

a Lib. de captivit. & redempt. humani generis Tract. 4. part. 4. fol. 99.
b T. 1. loc. de lib. arbitr. pag. 340. & 341.
c P. 199.
d T. 2. auctarii biblioth. PP. col. 1068.
e In edit. Suffridi Petri: & in Helmestadiensi Joan. Fabricii. Nam in prioribus finis libri desideratur.

Præterea, si Massilienses hacpropter maximè gratiam præviam tollebant, quod judicarent ab Augustino per eam intelligi gratiam istiusmodi, quæ ab absolutâ penderet præfinitione; jam præviam illam gratiam non tam negarunt propter se, quàm propter decretum prædestinationis annexum. Denique si verè dicat Prosper, Massilienses cùm prius meliora sentirent, postea in deterius sententiam mutasse; consequitur eos negasse prævenientis gratiæ necessitatem simpliciter: hoc est non ejus tantùm quæ ab absolutâ salvandi voluntate fluat, eoque certò in homine operetur, qualem gratiam nunquam agnoverunt; sed etiam istius, quâ præsente homo operari possit, nec tamen certò operetur. Quanquam verò negare nolumus, Prosperum tum in epistolâ ad Augustinum, tum adversus Collatorem libro, rectè Cassiani ac Massiliensium sententiam expressisse: non tamen hoc impedit, quo minus nonnulli saltem eorum non omnem negarint gratiam præviam, sed solùm qualem prædicaret Augustinus. Atque ut hoc non esset, nihil tamen impedit, quo minus Catholicorum aliqui sic eorum verba intelligerent & interpretarentur, quasi cùm gratiæ præviæ necessitatem negant, non aliam signent quam prædeterminantem. Sic sanè Cassianum à Gennadio intellectum esse putamus. Et cur ita interpretaretur, ratio probabilis erat. Nam cùm eopse libro Cassianus gratiæ prævenientis necessitatem tum ponat, tum tollat, (quod inconstantiæ ejus tribuit B. Prosper) Gennadio fortasse parum credibile videbatur, virum ingenio & eruditione pollentem in scripto elaboratissimo turpiter adeò secum pugnare, eoque credere maluit, cùm gratiam prævenientem requirit, loqui de gratiâ simpliciter; cùm eandem necessariam negat, intelligere gratiam prædeterminantem. Quod de Cassiano diximus, idem in Fausto locum habere potest. Quem nos quidem cum Gelasio inter scriptores apocryphos lubentes reponimus: sed tamen potuit eum Gennadius, quòd negligentius, vel cum præjudicio aliquo legisset, Catholico sensu intellexisse. Quod eo justiùs creditur, quia libri Fausti Catholicum, non Semipelagianum ponat argumentum. Sic enim lib. de Eccles. scriptoribus loquitur: *Edidit quoque* (Faustus) *opus egregium de gratiâ Dei, quâ salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio, in quo salvamur. In quo opere docet,* GRATIAM *Dei* SEMPER *& invitare &* PRÆCEDERE ET ADJUVARE VOLUNTATEM *nostram, & quicquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum.* Sed unde Gennadii melius sententiam cognoscamus, quàm ex libro de dogmatibus Ecclesiasticis? qui etsi ab Lugdunensi ecclesiâ fuerit rejectus; tamen & olim & seculo nostro ab innumeris Ecclesiæ doctoribus tanquam Catholicus, imò ut Augustini ipsius laudari passim solet. Et sanè, si is quantus est, Gennadii est, Semipelagianus existimari non potest, cùm in eo legantur canones concilio Arausicano adversus Semipelagianos constituti. Sed hoc argumento non pugnabimus: quando cap. XXII. & quæ exinde sequuntur usque ad cap. LII. in plerisque MSSis non inveniuntur, ut Lovaniensis schola observavit censura in August. T. III. & Clarissimus Geverartus Elmenhorstius monuit in eruditissimis suis ad eum scriptorem notis. Quare facilè credimus, capita illa triginta, quæ proximè signavimus, ab alio esse infarta, ad pleniorem eorum explicationem, quæ de libertate arbitrii cap. XXI dicuntur. Sanè pro hac sententiâ est, quod in concilio Carthaginensi, Arausicano II. & Cælestini ad Gallos epistolâ cuncta illa αὐτολεξεὶ legere est. Nam quod nonnemo pro Gennadianis habeat, quia Gelasii jussu à Gennadio sint inserta (cui etiam sententiæ favere videtur Ecclesiasticorum Annalium conditor, cùm librum hunc vel à Gelasio, vel ejus jussu, censet emendatum *a*) hoc veterum auctoritate comprobandum erat. Sanè Arausicanos illos canones non esse Gelasii tempore adjectos: eo argumento clarè comprobatur, quòd is decesserit anno CCCCXCVI: concilium verò Arausicanum post annum quingentesimum habitum est. Imò ne quidem à Gennadio additi sunt, si concilium hoc celebratum est anno IↃXXIX, ut in postremâ Annalium suorum editione Baronius contendit. Nec enim qui Gelasii tempore floruit, hunc ad ea tempora pertigisse verisimile est. Si tamen synodus ea incidit in annum IↃIX. aut præcedentem, quod verisimiliter defendi posse, infrà commonstrabimus; à Gennadio esse adjectos minus à vero abludat; nempe hoc fine, ut cum synodo Gallicâ, &, qui canones ei transmiserat, episcopo Romano, suum hac ratione testaretur consensum. Sed usque adeò incertis nolumus diutius immorari. Aliud librabimus argumentum. Gennadius, ut mox ostendam, librum suum de Ecclasiasticis dogmatibus misit ad Gelasium Papam. Quod si contigit priusquam Gelasius cum LXX. episcopis Cassiani & Fausti libros inter apocryphos referret; pro Catholico hunc librum habuisse videtur, quia eum decreto suo non similiter notavit. Sin id postea evênit, quid caussæ fuisse dicemus, cur Gennadius scriptorum suorum catalogum contexens, cætera simpliciter nominare sit contentus: sed de dogmatum Ecclesiasticorum libro loquens, meminisse voluerit Gelasii Papæ? Sic enim ille cap. c. *a* libri de Vir. illustr. scribit: *Ego Gennadius Massiliensis presbyter scripsi adversus omnes hæreses libros VIII. adversus Nestorium libros III. adversus Pelagium libros III. & tractatus de mille annis, & hoc opus de Fide meâ misi ad Gelasium Urbis Romæ episcopum.* Ubi, *Et opus de Fide mea, quod misi*, legendum puto, extrito *hoc*: vel potiùs addito *præter*, hoc pacto, *Et, præter hoc, Opus de Fide meâ: quod misi ad* &c. cùm non signet librum de ecclesiasticis scriptoribus, sed Ecclesiasticis dogmatibus, prout in Augustini operibus vocatur: sive de definitionibus Fidei, quemadmodum in veteribus libb. inscribitur, quamquam sub nomine diversorum scriptorum. Quia in Italiæ quâdam bibliothecâ, Tertulliano tribuitur; in Belgicis quibusdam, adscribitur nunc B. Fulgentio, nunc Isidoro, nunc etiam Gregorio Papæ; ut in notis ad Tertulliani fragmenta monet Pamelius *b*. Eum verò se librum misisse ad Gelasium Gennadius ait. Quod cur adjungat, ecquid aliud in caussâ esse putabimus, quàm quod eum probârit Gelasius, vel saltem non improbârit? Et profectò ni Gennadius alienus ab eâ fuisset opinione, quæ vulgo Cassiani & Fausti esse crederetur, quâ fronte ad Gelasium hunc librum misisset, quem de utroque illorum sic judicasse sciret? Magni etiam illud ponderis esse videtur, quod Gennadius libro de dogmatibus Eccles. cap. XXI. (quod genuinum est omnium consensu) inter alia dicat, INITIUM *salutis nostræ Deo miserante &* INSPIRANTE *habere nos credimus*; & libro de Ecclesiasticis scriptoribus, ubi de Fausto agit, agnoscat *Dei gratiam* SEMPER PRÆCEDERE ET ADJUVARE VOLUNTATEM. Cujusmodi apertè docere videntur necessitatem gratiæ prævenientis. Sic igitur concludimus, satis gravem caussam non esse, cur Gennadium in Semipelagianorum numerum reponamus: ut qui de absolutâ quidem prædestinatione dissenserit ab Augustino, quod illi cum multis Catholicorum commune fuisse, suo loco comprobabimus; at fortasse necessitatem gratiæ non negârit ἁπλῶς, verùm ejus duntaxat, quæ fluat ab intentione Dei absolutâ, eoque certò & infallibiliter semper operetur. Speramus autem non improbaturos judicium hoc nostrum, qui illum animi candorem præstare antiquorum monumentis sciunt, quem ad labores suos censendos à posteritate (modò victurum aliquid scriptis consignarunt) optant adferri. Sin eâ spe frustrabimur; quæcunque sanè hic diximus, tam pereant quàm extrema faba, ut in veteri verbo est. Nescio autem quid venerit in mentem Andreæ Duvalio, doctori Sorbonico & Regio in Academiâ Parisiensi Theologiæ professori, qui in notis suis ad librum Ecclesiæ Lugdunensis adversus Joannem Scotum, scribit in hunc modum: *Damnatur liber Hypognosticon seu de Ecclesiasticis dogmatibus, qui certè non est Augustini, sed alterius, ejusque Pelagiani, & ita à Cælestino Papâ epistolâ ad episcopos Galliæ est definitum.* Nam con-

a Ad an. 490. pag 457 edit. Mor.

a Edit. Suffridi Petri, & aliis junta hanc expressa.

b Pag. 1117.

confundit scriptorem Hypognosticôn sive Hypomnesticon cum eo, qui de Ecclesiasticis dogmatibus scripsit. Uterque quidem falsò creditus esse Augustinus, sed prior ab Ecclesia Lugdunensi pro Catholico habetur; ut quæ in eo hoc solùm damnet, quòd prædestinationis verbum restrinxerit ad electos: posterior verò ab eadem quidem, ut Pelagio addictior, culpatur; nusquam tamen à Cælestino damnatur, ac ne taxari quidem potuit, quia totis quinquaginta annis floruit post Cælestinum.

Cap. XI.

De Arnobio, Psalmorum interprete.

Etiam in controversiam vocari possit, an non Arnobius Junior *a* (quem Arnobium rhetorem Eulogius martyr appellat) faverit Massiliensibus. Planè enim gratiam à voluntate nostrâ præveniri, electionemque ex fide fieri docet. Quò pertinet, quod in Psal. XCIII. scribit *b*: *Beatus homo est, quem hoc ipsum erudierit Dominus, non* ELIGENDO *negligentem, sed legem suam docendo* CREDENTEM. Nec in Psal. XC. de gratia & arbitrii libertate dissertans quicquam habet, cui non Massilienses subscripsissent. Verba ejus sunt: *Multi putant, libertatem arbitrii eousque sibi posse sufficere, ut sese per ipsam libertatem ab hostibus invisibilibus eruere posse confidant. Libertatem autem arbitrii, & negare periculum est, & nudare peccatum. Si enim negaveris, omnibus frena laxasti: si nudaveris, decepisti. Nam negas, si dixeris; Deus si vult, bonus sum; si non vult, bonus non sum; cùm constet Deum velle, omnes homines salvos fieri, & unusquisque suo sit iniquus arbitrio. Nudas autem, cùm tantum ipsi arbitrio dederis, ut rebus divini adjutorii denudaveris. Nam qui habitat in adjutorio altissimi, & qui in protectione Dei cæli commoratur, & dicit Domino, susceptor meus es, & refugium meum: qui dicit, sperabo in eum, quia ipse liberabit me de laqueo dæmonum, & à verbo aspero suggestionum eorum: si ita dixeris, si ita credideris, tunc demum in scapulis suis adumbrabit te, & sub pennis ejus sperabis.* Et post pauca: *Latus hoc sinistrum, quod noluit nominare, liberum arbitrium est, contra quod minor pugna laxatur. In dextra autem Dei auxilium est, & ideo prius nominavit latus, quia* IN ARBITRIO EST UT CREDAS PRIUS, *ut dum credideris,* GRATIAM CONSEQUARIS. Propter hujusmodi existimate aliquis possit, hoc velle Arnobium, fidem omni gratiâ esse priorem. Sed obstat huic sententiæ, quod alibi clare distinguit inter gratiam generalem & specialem: ac fidem & voluntatem inter eas mediam intercedere ait. Verba ejus hæc sunt in Psal. CXLVI: *Objicitur huic loco, Nos hoc ita dicere, ut videamur hominis voluntatem ostendere, quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter age, & non calumniosè, & vides gratiam Dei generalem super omne hominum effusam genus. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffusa. Descendit de cælo Deus, homine non volente; docuit exemplo & verbo homine non rogante; signa multa, & virtutes ad se manifestandum exercuit, homine etiam prohibente; mortalitatem nostram suscepit, homine ignorante; irrisus, crucifixus, inter homicidas mortuus, sepultus, resurrexit, & in cælos ascendit. Hæc omnia ad hominis salutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemtionem, ad hominis coronam, ad hominis gloriam exercuit Christus. Nota tibi, calumniose, quod dico, Ad hominis salutem. Non volentis, neque currentis, quid est ergò quod legimus? Ostendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem omnium hominum bonam voluntatem. Nota tibi, prædestinate, quod loquor, Omnium generaliter bonam voluntatem, Christi gratia, hoc ordine, quo diximus, antecedit; si tamen pro omnibus natus, si tamen pro omnibus passus, si non negas pro omnibus mortuum, si cum Apostolo asseris, quod omnes homines vult salvos fieri. Age nunc, tolle te à generali gratiâ, ad specialem accede, & similiter cum Apostolo clama: Non omnis generaliter homo salvus erit, sed omnis homo, quicumque invocaverit nomen Domini, hic salvus erit. Vade ergò ad officinam medici, qui ultro venit ad civitatem nostram. Non utique nobis rogantibus, omnibus nobis medicus supervenit, officinam aperuit, & vocem emisit, quâ acsi præco exclamans dixit: Venite ad me omnes. Iam modo post hanc vocem antecedit voluntas gratiam. Si enim volueritis, inquit, & audieritis me, quæ bona sunt terræ, edetis. Si autem nolueritis, gladius vos comedet. Sicut ergò antecessit gratia voluntatem hominis, in ostensione sui, & in adapertione veritatis; ita antecedit voluntas hominis Dei gratiam. Non enim prius baptisaris, & sic velle incipis credere, sed prius voluntatem tuam perfectam exhibes sacerdoti, & confessionem tuam tuis labiis pandis, & ita demum ad Dei gratiam, ut consequaris, attinges, quam consecutus confiteberis, quia omnia Dei dona credendo, & desiderando consecutus es.* Hactenus Arnobius: unde constat, non existimasse eum, fidem esse quâcumque Dei gratiâ priorem, sed solùm speciali, quæ regenitorum propria est: ea verò, quibus ad regenerationem præparamur, effectus esse credebat gratiæ sive auxilii generalis; quale etiam agnoscit scriptor de vocatione gentium lib. II. cap. XVII. Sanè, quamquam non dicat, fidem gratuito munere dari à Deo, tamen cùm neque neget, caussa gravis satis non est, cur nos eum negasse dicamus. Imò si (quæ Feuardentii & aliorum sententia est) ejusdem Arnobii *a* est Altercatio sive Conflictus cum Serapione, cujus scripti ante annos amplius octingentos meminit Alcuinus; satis verisimile sit, hac etiam parte eum cum Augustino sensisse. Hæc enim habet Arnobius junior lib. I. conflictus cum Serapione de Deo trino & uno; *Hoc totum misericordiæ Dei applicandum est. Nihil enim nostris nisibus possumus, sed totum de Dei gratiâ & misericordiâ, quod quærimus, invenimus.* In eo libello & hæc leguntur; SERAPIO *dixit: Fateor, me ejus* (Augustini) *assertiones ita probatas habere, ut se ipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum putaverit in aliquo reprehendendum eloquio.* ARNOBIUS *dixit; Meo sensu locutus es. Nam ea quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima Apostolorum scripta, sic credo & defendo.* Adfert deinde illustrem Augustini locum, gratiæ necessitatem adstruentis ex precibus sanctorum. Ubi licet de fidei initio non disertim loquatur Arnobius: nec temere fit, quod cautè adeò dicat, se juxtà ac Apostolica dicta æstimare, quæ NUNC proferat, Augustini: tamen qui ex animo sic loquitur, modò argumenti ejusce vim satis habuerit perspectam, negare non potuit, nos gratiâ intrinsecâ etiam ad fidei initia præveniri. Nec enim Ecclesia solùm orat, ut Deus augeat in nobis fidem: sed etiam (quemadmodum Cælestinus ad Galliæ episcopos *b* scribit) *ut* INFIDELIBUS *donetur fides, ut Iudæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant. Quod adeò* TOTUM *divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium referatur.* Quare etsi non parum eò inclinat animus, ut Arnobium credam Massiliensium favisse sententiæ: tamen nec judicium cujusquam damnaturi sumus, qui, propter ea quæ diximus, illos solùm ab eo putet impugnari, qui constituebant gratiam præviam ex absoluto decreto promanantem: qui que (ut Sigeberti verbis utar) *libros Augustini male intelligentes asserebant, quòd nec piè viventibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obsit, quòd improbè vivant; si à Deo prædestinati fuerint ad vitam.* Quæ, Augustini tempore, Adrumetinorum monachorum sententia fuit: & sexaginta post obitum ejus annis, Lucidi presbyteri, & anno octingentesimo quinquagesimo, Godescalci monachi, & circa annum millesimum ducentesimum, Lodovici Lantgravii: quod de eo testatur illius temporis scriptor Cæsarius Heisterbachensis dialogorum lib. I. cap. XXVII.

a Quem videtur Eulogius tom. vi. esse cum senuere.

b Lib. I. Memorialis sanctorum. Quod est T. I. Historia illustratæ.

a Alterius esse Arnobii, nempe & antiquo. &c. de quo nunc, diversi, censet Barthius lib. I. x. pag. 2829.

b Cap. II.

Cap. XII.

De iis quæ Hieronymus adversus Pelagium & Cælestium scripsit.

PRoximum est, ut ad eos se sermo noster convertat, quos judicio omnium Catholicos fuisse constat. Primus horum in aciem prodeat Hieronymus; qui quanam occasione adversus Pelagium scripserit, dicendum est.

Anno ccccx, quo Innocentius ab Urbe aberat, & capiâ ab Alarico Româ, corda multorum mœrore propemodum tabescebant, Rufinoque superiori anno defuncto, caussa ἀπροστασίας novum desiderabat patronum: Pelagius Romæ, Cælestius in Siciliâ, sub velamento quæstionum quarumdam, magno uterque molimine, suam spargebant doctrinam. Eas inter quæstiones una erat, Utrum peccatorum radicem ita quisquam valeat evellere, ut reliquiæ ejus nullæ supersint. Quo super consultus à Ctesiphonte Hieronymus, iis respondit literis, quæ etiamnum ad eum scriptæ leguntur. Ac meminit ejusce epistolæ etiam Photius bibliothecæ suæ cap. LIII.

Idem Hieronymus anno ccccxvi, cùm synodus Diospolitana Pelagium absolvisset, tres adversus eum libros affabrè edolavit: sed quia res erat invidiæ plena, velle adversùs eum scribere, quem communione suâ synodus dignum judicasset; prudenter nominibus parcens, se quidem Attici, adversarium autem Critobuli nomine intelligi voluit. Etsi Nicolaus Serarius, cùm, contra Florentinum Puccium scribens, libri primi cap. septimo ait, iisdem eum telis pugnare, quæ librassent *olim veteres illi lupi, Pelagius, Cælestius, Julianus, Critobulus, aliique;* videri possit Critobulum pro vero nomine habuisse, vel alio saltem ab illis, quæ posuerat priùs. Sed viro doctissimo non occurrebat, quod jamdudum monuerat magnus Desiderius a, Hieronymum, nomine ex κριθὸν & βουλὴ conflato, designare Pelagium voluisse, quia in Cælestio jam Carthaginensi synodo damnatus esset, & propediem ab aliis Africæ conciliis pro salutari tristem illam literam reportaturum pararet. Quamquam, quod idem Desiderius conjectat, Catholico Attici nomen imponi, quia dialogo hoc Hieronymus imitetur Atticum dicendi genus, id longiùs mihi quæsitum videtur. Sed in mentem venit, hoc honori datum esse Attici, Constantinopolitani episcopi; qui Hieronymo fortiter rem agente in Palæstinâ, magnis ipse animis Constantinopoli adversabatur Pelagianis: unde eum & Hieronymum, tanquam eximios in Oriente gratiæ patronos, præclataque Ecclesiæ statumina, conjungit B. Prosper Carm. de Ingratis. Quâ de re infrà pluribus agendum erit.

[a Initio scholiorum in 1. dial. Hier. contra Pelag.]

Cap. XIII.

De Augustini adversus Pelagium & Cælestium scriptis.

NUnc ad se nos vocat augustissimus Augustinus, patriâ Tagastensis a, sed episcopus apud Hipponem Regium, Ἵππωνα Βασιλικὸν; quomodo Plinius, Ptolomæus, alii (ut obiter hoc moneamus) vocatam hanc urbem docent ad discrimen alterius Hipponis Africani, dicti Διάῤῥυτον, eo quòd aquarum copiâ irriguus foret. Zarrytum appellat Concilium Carthaginense apud Cyprianum, ubi septuagesimus secundus sententiam dicit *Martyr Petrus ab Hippone Zarryto*: prout in antiqq. codd. legitur. Pamelius tamen ex Manuscripto legit Diarrhyto, atque ait apud Augustinum similiter scriptum esse lib. VII. contra Donatistas cap. XXXVI. Tamen istic *Zarryto* editum est in Basiliensi a. ∞ IɔLVI. Etiam Zarrytum vocat Antoninus in Itinerario: quamquam & hoc Arnoldus Pontacus ex Ptolomæo Plinioque corrigendum censet. Sed non cogitavit eruditus episcopus, quemadmodum olim pro diæta dixere zeta, (quod apud Plinium legas lib. II. epist. XVII. unde zetarii apud Paull. lib. III. Sentent. tit. VI. iidem qui diætarii) quomodo item apud Hilarium, Cyprianum, alios, Paullinum imprimis, zabulus pro diabolus legas: quomodo item Græci ζαβάλλειν dixere pro διαβάλλειν, (quamquam Hesychius exponat ἐξαπατᾶν:) similiter Zarrytus dictum fuisse pro Diarrytus: unde etiam apud Victorem Uticensem est Hipzarritus pro Hippozarrytus, itemque in Collatione Carthaginensi Hippo Zaritotensis. At rectè idem Pontacus apud Prosperum in Chronicis Hipponem Regium emendat, ubi in vulgatis *regionem* erat; cum regio ejusce nominis sit nusquam.

[a August. epist. 225. ad Albinam, & Possid. in vita.]

Quemadmodum verò Ctesipho in Oriente Hieronymum; ita in Occidente Hilarius literis suis excitabat Augustinum. Syracusis enim, sub quæstionum involucro, sparsi erant errores Pelagiani. Quæstiones eas Hilarius ad Augustinum perscripsit, epistolâ inter Augustinianas LXXXVIII. quâ obiter ab Augustino instrui rogat. Itaque ei respondit luculentâ illâ epistolâ, quæ numero est LXXXIX. nulla tamen Pelagii mentione factâ, ut qui adhuc Catholicos inter lateret. Verùm etiam priusquam quæstiones eas ab Hilario accepisset, jam scripserat ad Marcellinum libros III. de peccatorum meritis & remissione, ac puerorum baptismo; quam ipse libro II. Retract. cap. XXIII. primam ait fuisse commentationem suam adversus Pelagianos, cùm antehac sermonibus res acta esset. Nusquam tamen auctores illiusmodi blasphemiarum propalat, quòd sic faciliùs corrigi eos posse speraret. quin etiam Pelagium honorificè nominat, quia vita ejus prædicaretur à multis, nec ista ex sua poneret personâ, sed quasi ab aliis dicerentur exponeret: quæ tamen postea pertinacissimâ animositate defendit: ut ibidem Augustinus indicat.

Cæterùm scripserat his libris Augustinus, posse hominem ope divinâ vivere absque peccato in hac vitâ, utut nemo ad eam perfectionem unquam pertigerit, vel aliis in annis ad illam sit perventurus. Mirum videbatur Marcellino, posse fieri, cujus rei deesset exemplum. Propter hanc ejus inquisitionem scripsit librum De spiritu & literâ, quo Apostolicum illud pertractans, *Litera occidit, Spiritus vivificat*, acriter disputat adversus gratiæ inimicos. Quemadmodum ipse refert Retract. lib. II. cap. XXXVII.

Anno ccccxIII. (ut Prosper in Chronicis testatur) Pelagii hæresis innotuerat multis per epistolam ejus ad Demetriadem, cui apertè venenum suum suffuderat. Ergò nec amplius tunc nomini ejus parcendum credidit Augustinus. Ac primum antidotum propinavit epistolâ ad Julianam, Demetriadis matrem, quæ numero est CXLIII.

Anno item sequenti, ut ex epistolâ ad Evodium non obscurè colligitur, adversum Pelagium scripsit præclarum opus De natura & gratia. Quod dicavit duobus adolescentibus Timasio & Jacobo, ex Pelagii discipulis jam Catholicis factis. Misit hoc quoque Romam ad Innocentium: & Hierosolymam ad Ioannem episcopum; à quo Diospolitanæ synodi acta poscebat, simulque, quia Pelagio nimium quantum favebat, ut ab eo caveret sibi, sedulò commonebat. Vide epist. CCLII. quæ ad hunc ipsum Ioannem, etsi Hierosolymitani episcopi titulus omittatur, scripta est.

Anno ccccxv, vel proximo, ad Aurelium Carthaginensem librum scripsit De gestis Pelagii: prout in vulgatis quidem editt. inscribitur, cùm vera ἐπιγραφὴ sit *de gestis Palæstinis*. Pro vulgari tamen lectione stat Possidius in Indiculo cap. IV. qui scripsisse ait *Contra gesta Pelagii librum unum*. Unde etiam *de gestis Pelagii* appellant Bellarminus de script. Eccles. Possevinus in Apparatu, atque alii. Atqui non agitur eo de illis quæ in vita sua dixerit vel fecerit Pelagius, sed solùm quid in caussa Pelagiana actum sit à synodo Palæstina. Et quid multis opus, cùm nemo veram appellationem docere nos meliùs possit ipso Augustino? cujus hæc verba lib. II. de

Peccat.

Pecear. Orig. cap. XIV. *Quod scitis, & quod in eo etiam libro posui, quem de gestis Palaestinis ad venerabilem senem nostrum Aurelium scripsi.* Unde omnino emendandus Possidius. Nec enim in Possidium, Augustinianorum scriptorum callentissimum, culpa conjici debet: sed librarium, qui cùm nullum ejus nominis librum exstare crederet: (nam demum ante annos paucos Faesulis inventus, & cura Marci Velseri, Duumviri Augustani, in lucem editus est) similitudine aliquot literarum deceptus pro *Palaestinis* reposuit *Pelagii*; adversus quem multa adeò ab Augustino scripta esse omnibus constaret: unde & sive idem, sive alius, pari audaciâ progressus, cùm Possidius *De gestis* scripsisset, ille *Contra gesta* rescripsit.

Anno CCCCXVI. concilii Carthaginensis literis ad Innocentium Augustinus addidit privatas tum suo, tum Aurelii, Alypii, Euodii & Possidii nomine scriptas. Quibus non minùs quàm synodicis Innocentius respondit. Cùmque ab eodem concilio idoneus prae caeteris visus esset Augustinus, qui adversus Pelagium scriberet; ex ejusce synodi postulato, quemadmodum liquet ex epist. CX, duos adversus eum edidit libros, unum De gratia Christi, alterum De peccato originali: quorum meminit lib. II. Retract. cap. L. Utrumque misit Hierosolymam ad Albinam, ejus generum Pinianum, & hujus conjugem Melaniam juniorem. Scripserant illi ad Augustinum, ut egisset cum Pelagio, & anathema illis dicentem audisset, qui gratiam Dei negarent: quâ occasione his libris respondit; ut ipse in ingressu operis testatur. Quod verò Pelagium quoque ad Albinam & Melaniam scripsisse, in Apparatu suo Possevinus ait: id quamquam verum esse potest, tamen metuo, ne veteres laudare non possit auctores.

Circa verò haec tempora Augustinus etiam misisse putatur epistolam ad Dardanum, quae numero est LVII. Meminit ejus his verbis lib. II. Retractat. cap. XLIX: *De praesentiâ Dei scripsi librum, ubi nostra intentio contra haeresin Pelagianam maxime vigilat non expresse nominatam.*

Eorundem quoque temporum foetus esse videtur liber ad Eutropium & Paullum episcopos de perfectione justitiae contra Coelestium. Mirum, non meminisse ejus Augustinum in Retractationum libris: γνήσιον tamen Augustini esse, non dictio tantum arguit; sed etiam testantur Possidius in indiculo, Prosper adversus Collat. cap. XLIII. & Beda passim.

Anno CCCCXVII, cùm audisset Augustinus, quosdam Pelagio addictos Nolae agere, ad ejus loci episcopum Paullinum literas misit de haeresi Pelagianâ, quae numero sunt CVI. Meminit earum ipse lib. de bono perseverantiae cap. XXI. item Prosper adversus Collat. cap. XLIII.

Idem sequenti anno, cùm Sixtus presbyter, in Patrum coram Zosimo consessu, primus adversus Pelagianos anathema inclamasset, quorum summus antea fautor existimabatur; etiam commentarium adversus eosdem pararet: duas ad illum epistolas scripsit, quarum alterâ ubertim eum instruit ad Pelagii haeresin refellendam.

Atque hae tam multae, tam variae epistolae & commentationes, inque dissitas adeo regiones Africae, Occidentis, Orientis, transmissae, satis ostendunt nobis indefessum Augustini studium in tuendâ gratiâ adversus Pelagium & Caelestium. Unde B. Prosper Carm. de Ingratis:

Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas;
Hujus ab occursu est praeventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.

Caput XIV.

De scriptis Augustini contra Iulianum.

POst annum CCCCXVIII, Pelagio Caelestioque tum universali Africae concilio, tum Zosimi Papae literis, tum Honorii Imp. edicto condemnatis, nihil victis nisi miseratio restabat. Sed Julianus, Episcopus Capuanus, *Cui erat ingenium rapido ferventius amni*, sic jacere caussam Pelagianam, aequis oculis videre non poterat. Ergò ad ejus defensionem, timore posito, novos animos sumsit. Ac primùm scripsit epistolas duas, quibus Zosimum clerumque Romanum per ora hominum traducebat. Eas postquam Bonifacius, Zosimi successor, acceperat; per Alypium ad Augustinum misit: qui his respondit libris IV. Bonifacio inscriptis. Rursum cùm in Valerii Comitis manus seu Iuliani seu alius liber venisset, quo doceretur, Catholicos, asserendo peccatum originale, nuptias damnare, atque ex opere Dei facere opus diaboli: scripsit ad eum Augustinus lib. de Nuptiis & Concupiscentiâ. Atque hic spissum errorem errat vir multijugae lectionis Ant. Possevinus. Nam cùm legisset, Pelagianum librum in manus venisse Valerii Comitis, cui Augustinus libro ad eumpse Valerium respondit; item à Bonifacio Papâ Pelagianas epistolas duas (quae tamen non Pelagii, sed Juliani erant) ad Augustinum missas esse ut refelleret; ac praeterea iisdem temporibus Bonifacium Comitem vixisse sciret, ad quem etiam prolixa exstat Augustini epistola de correctione Donatistarum: μνημονικῷ ἁμαρτήματι, sed multiplici, prodidit in Apparatu suo, Pelagium duos scripsisse libros ad Bonifacium Comitem: quale quid apud veterum legerat neminem. Sed ut ad Augustinum redeamus, ejus de Nuptiis & concupiscentiâ libro uni libris IV. respondit Julianus. Ex quibus cùm quaedam excerpta ad Augustinum missa essent, refutavit ea altero ad Valerium Comitem libro. Cùm verò ipsos Juliani libros accepisset, sex iis alios opposuit: quorum prioribus tribus diluit ea, quae libro primo scripserat Iulianus: at quartus, quintus, sextus, secundo, tertio, quartoque Iuliani singulatim atque ordine respondent. Mox Pelagianus ille, quasi de libellorum numero, non de pondere argumentorum concertatio foret, adversus sex eos misit octo suos. His quoque dum respondere divinus senex parat; in obsidione Hipponensis civitatis, praeclaro operi immoritur, Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. ut Prosper in Chronico testatur, hoc est, ex communiori computo, CCCCXXX. hodieque ex cygnea illa cantione duo tantummodo libri supersunt; qui ipsi anno demum superiori, egregio Claudii Menardi beneficio, in lucem prodierunt.

Cap. XV.

De iis quae Augustinus adversus Adrumetinorum & Massiliensium errorem scripsit.

NEc solùm cum Pelagianis negotium Augustino fuit. Nam dum omnis est in tuendâ gratia, quidam culpae fuga, sed quae arte careret, in vitium alterum inciderunt, juxta verbum vetus,

Καπνὸν γε φεύγων εἰς τὸ πῦρ ἐνέπεσον.

Sic enim omnia gratiae tribuerunt, ut liberum tollerent arbitrium: quemadmodum Sigebertus indicat ad annum CCCCXV. Erant isti monachi apud Adrumetum, quae civitas est Africae Propriae dictae, eo in tractu, qui Byzacium seu Bisacium dicebatur: ut nos Plinius docet lib. IV. cap. IV. & Orosius lib. I. cap. II. Hac occasione Augustinus duos scripsit commentarios: unum, de gratia ac libero arbitrio: alterum, de correptione & gratia. Utrumque ad Valentinum misit & monachos Adrumetinos: ad quos etiam duae exstant epistolae, XLVI. & XLVII.

Anno æræ CCCCXXIV. dum occupatur scribendis Retractationum libris, à Prospero & Hilario, necdum episcopis, certior fit de reliquiis Pelagianorum in Galliis: hoc est quibusdam, qui resectis Pelagii erroribus maximè fædis, reliquos tuerentur. Eos Massiliæ imprimis vixisse, (unde & Massilienses dicuntur) uterque & Prosper & Hilarius primoribus ad Augustinum libris testantur. His epistolis (quas post Erasmianam editionem ad fidem vetustissimi exemplaris Coloniæ reperti in æde Martini multis partibus castigatiores edidit Georgius Cassander *a*) respondit Augustinus libro de prædestinatione sanctorum & perseverantiæ bono.

a *Colon. apud Sylvium* 1552.

Cap. XVI.

De libb. falsò creditis Augustini, & imprimis de libb. Hypognosticon.

AT cave Augustini esse credas libellum de prædestinatione Dei: quem alius esse, etiam Bellarminus agnoscit in script. Eccles. & ratio docet, cùm contra Augustini mentem in extremo opusculo dicatur, prædestinationem esse factam ex operum prævisione. Adde quòd nec Possidius ejus in Indiculo meminit, nec veterum quisquam. Item quòd nihil caussæ erat, cur hunc scribendi laborem susciperet, qui diligenter adeò de Prædestinatione sanctorum egisset. Utrumque hoc etiam argumento est, librum De Prædestinatione & gratiâ non esse Augustini. Præsertim cùm eo doceatur, potuisse Deum justè homines damnare, etsi non peccassent. Quod Augustinus negat lib. II. de peccat. mer. & remiss. c. XVI. & epist. CV. & CVI. atque alibi passim, imprimis libb. adversus Julianum. Similiterque ejus sectatores. Ut Fulgentius de veritate Prædestinationis lib. I. *Injusta parvuli cujusquam caussa damnationis existeret, si propago mortalis nullam peccati contagionem ex paternâ radice sumsisset.* Etiam libellus, qui inscribitur, *Augustini responsio ad articulos falsò sibi impositos*; Prosperi est: in cujus operibus sic inscribitur, *Ad capitula objectionum Vincentianarum responsiones.*

Nec Augustini esse possunt sex libri Hypognosticon: ut in vulgatis Codd. vocantur. Nam jam anni penè sunt octingenti, cùm Ecclesia Lugdunensis, libro de tribus epistolis, ostendit non esse eos Augustini. Sed non Hypognosticon vocat, verum Hypomnesticon, quasi Memoriale dicas, puta quia paucis in memoriam revocent, quæcunque apud Augustinum fusè adversus Pelagium & Cælestium disseruntur. Non alios verò signari, quàm qui vulgò Hypognosticon libb. dicuntur, satis ostendunt hæc ejus Ecclesiæ verba: *Adjungit etiam, quòd B. Augustinus scripserit quendam libellum, quem Græco vocabulo* Ὑπομνηστικὸν *vocant, quod Latinè Memoratorium interpretatur. In quo de quinque quæstionibus contra Pelagium & Cælestium disputaverit.* Quinque sanè, quas intelligit, quæstiones in prologo Hypognostici commemorantur, & opere ipso tractantur. Præterea quod Joannes Erigena ex eo scriptore probatum ibat, prædestinationem hominum tantùm esse ad gratiam, non item ad interitum, hoc clarè docetur Hypognosticon lib. VI. Ut cùm dicitur; *Non fecit puniendos vel prædestinavit, sed tantum in damnabili massâ præscivit.* Item aliquantò pòst: *Diximus de damnabili humani generis massâ, Deum præscisse misericordiâ, non meritis, quos & electione gratiæ prædestinavit ad vitam: cæteros verò, qui judicio justitiæ ejus ab hac gratiâ efficiuntur expertes, præscisse tantum vitio proprio perituros; non, ut perirent, prædestinasse.* Interim etsi hic scriptor putaret, homines non prædestinari ad pœnas, quia inde consequi existimaret, etiam prædestinari ad peccatum, quo pœnas mererentur: agnoscebat tamen pœnam prædestinari iis, quos in peccatis perseveraturos Deus prævidisset. Sic enim subjungit: *Judam cùm Deus præscisset in vitiis propriæ voluntatis pessimum fore, pœnam ei prædestinavit ex merito.* Ecclesia verò Lugdunensis pertendit, utrumque docuisse Augustinum, & homines ad pœnas, & pœnas hominibus prædestinari. Et quia Scotus atque alii, qui adversus Godscalcum scripsissent, contrarium probare conabantur ex Hypognosticis; iccirco ostendit, non esse ea Augustini. Quod omnium clarissimè docet libro de tribus epistolis: idque partim, quia non meminerit ejus vel Augustinus in Retractationum libb. vel Possidius in indiculo: partim quia sermo ipse ab Augustiniano multum discrepet, & sensus amborum non parum dissideat, nec Augustini vel morum modestiam, vel sermonis humilitatem spiret: partim etiam quòd præter Augustini consuetudinem, qui veterem bibliorum translationem citare solet, eâ utatur, quæ Hieronymi est: partim quia caussæ nihil erat, cur, de quibus fusè adeò egisset, nunc in summis occupationibus, postulante nemine (nam si cujus rogatu scriberet, hoc in prologo referre solet) iterum commentaretur. Quod verò ajebant Godscalci adversarii, eò se iterum ad hanc controversiam accinxisse, quòd in prioribus scriptis etiam prædestinationem ad pœnas malè docuisset: hoc verisimile videri negat Ecclesia Lugdunensis, quia si sensus iste verbi Augustino postea displicuisset, reprehendisset eum in Retractationum libb. vel in libris de Prædestinatione sanctorum & perseverantiæ bono; quos scripsit, cùm ex Prospero & Hilario cognovisset, multos magnos, & sanctos viros doctrinâ suâ de Prædestinatione in Galliis esse turbatos; planeque eam judicare vel falsam, vel periculosam, eoque minimè prædicandam. *Unde*, inquit, *magis credibile est, quòd non magno spatio post Eusebium* (Hieronymum) *à quodam alio scriptus sit* (Hypomnestici liber,) *& magnâ ex parte juxta modum & formam sensuum ejus* (Augustini) *contra Pelagianos & Cælestianos hæreticos, de illis quinque periculosioribus eorum quæstionibus, breviter collectus atque digestus. Et quia auctor ejus ipsius beati Augustini sensus brevi isto opusculo velut in unum collegisse & explicuisse videtur, ideo ipsi opusculo nomen sancti Augustini in titulo præferre voluerit. Non quòd verè ab illo sit editus, sed verè in quantum auctor ejus potuit, juxta formam disputationum ejus, digestus atque compositus. velut si eundem libellum Latinè Memoratorium sancti Augustini appellare voluisset, nihil utique aliud intelligeretur, nisi quia illud, quod ab eo sparsim & multipliciter fuerat disputatum, breviter & velut sub uno adspectu positum memoriæ commendaret.* Et paullò pòst: *Non ergo tantus doctor veram divini judicii prædestinationem de damnatione reproborum illo Hypomnesticon libello negavit, quam ubique in suis scriptis asseruit: sed alius quidam, ut putamus, novâ postmodum insurgente calumniâ; velut per illam prædestinationem reproborum ad interitum, hoc doceret Ecclesia, quasi Deus suâ prædestinatione necessitatem imponeret hominibus & in suis impietatibus permanendi & in æternum pereundi; subtraxit verbum prædestinationis in parte reproborum, (quod potius secundùm veritatem divini judicii & diligenter exponi & commendari oportuerat,) & solam electorum prædestinationem conatus est asserere: atque ita, dum vult illam refutare & removere calumniam, magnam erroris occasionem dedit, ut eadem tam vera & manifesta in damnatione reproborum divina prædestinatio, nulla esse crederetur, & tanquam nulla sit, negaretur.* Similia habet liber *de tenenda scripturæ veritate*: qui & ipse Ecclesiæ Lugdunensis nomine, sed ab aliis tamen quàm liber ille de tribus epistolis, scriptus est. Vide eum circa finem dissertationis de capitulo primo *a*: ubi itidem non Hypognosticon, sed Hypomnesticon appellatur. Quod verò libro de epistolis tribus, ubi secundæ epistolæ proponitur argumentum *b*, Hypognosticon dicitur, librarii esse mendum putamus; quia paullò pòst in responso ad eam epistolam *c*, itemque, ubi tertiæ respondet epistolæ *d*, Hypomnesticon iterum appellatur.

a *Col.* 1231.
b *Col.* 1191.
c *Col.* 1199.
d *Col.* 1201

CAP. XVII.

De Orosio.

NUnc ad Paullum Orosium accedamus, presbyterum Hispanum; qui cùm patriam Priscillianistarum & Origenistarum erroribus misere turbari videret, solo discendi desiderio inflammatus, in Africam ad Augustinum venit, commonitorioque ei oblato de hæreticorum istorum erroribus, impensè rogavit, ut eloquii sui rore plagæ isti Hispanicæ remedium vellet adferre. Eâ occasione scripsit Augustinus ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas: cui libro commonitorium Orosii præmitti solet. Accidit hoc anno CCCCXIII, quo apud Augustinum permansit: & verisimile est, tunc auspicatum fuisse historiarum libros adversus Paganos, quos ut Augustini postulato scripsit, ita quadriennio pòst absolutos eidem dicavit; ut ex lib. VII. cap. ult. cognoscimus. Hunc librum Trithemius, ac Gesnerus quoque lib. I. bibliothecæ appellant *De Hormesta mundi Chronicam*. Nec dubium, quin idem liber signetur à Balæo in scriptoribus Britannicis Centur. II. cap. XXVI. ubi Alphredus Magnus, rex Anglorum doctissimus (qui anno obiit nongentesimo primo,) inter alia *Hormestam Paulli Orosii in Anglicam linguam transtulisse* dicitur. Sed cur liber is dictus Hormesta? Quæ vox nec Latina est, nec Græca? Proximè quidem accedit ad Hormeutes sive Hormeuta. Ὁρμεύτης autem piscatorem notat, Hesychio teste. Sed quid hoc ad Chronicon? An potius Orosii Hormathus scribi debet, quia Chronicon nihil aliud est quam catenata temporum series? At Ὁρμαθὸς catenam ac seriem notat. Unde proverbium, Ὁρμαθὸς κακῶν. Quamquam verò ad controversiam cum Priscillianistis atque etiam Pelagianis plurimùm pertinet quæstio de animi traduce; eam tamen Augustinus reliquerat indiscussam. Sed anno proximo, hoc est CCCCXIV, Orosium ad Hieronymum in Palæstinam misit, ut eum super gravi hac quæstione consuleret. Hic, dum apud Hieronymum Bethlehemi latet, à sacerdotibus Palæstinis Hierosolymam evocatur: ubi ab universis referre jussus, quid super hæresi, quam Cælestius & Pelagius seminassent, in Africâ actum esset, rem omnem illis exposuit: posteaque, intromisso Pelagio, eum eo etiam super istis dissertavit, Ioanne, Hierosolymitano episcopo, Pelagianam caussam suscipiente, ut fitam. Multis utrimque actitatis, tandem convenit, ut Innocentius, Urbis episcopus, de istis consuleretur, ac interea temporis Pelagius à spargendâ sententiâ suâ desisteret: cæterùm etiam, qui Pelagium oppugnassent, ab insultatione convicti Iohannis abstinerent. Sed XLVII. diebus pòst, primo Encæniorum die, cùm Orosius de more ad obsequium Iohannis accurrisset, ille pro salute hoc solum ingessit, nihil sibi negotii esse cum homine blasphemo. nam in Hierosolymitano eum conventu dixisse, ne quidem cum adjutorio Dei implere quemquam legem divinam posse. Magna sanè erat Hierosolymitani episcopi autoritas. Quocirca, ut ab hac ejus calumniâ se Orosius purgaret; apologeticum scripsit ad Palæstinos sacerdotes: eoque cùm Pelagianum dogma accuratè refellit, tum quid in Hierosolymitano conventu actum esset exponit, ipsos illos, qui coràm adfuissent, testes constituens. Hæc fusiùs prosequi visum fuit, quia ea silentio suo præterit diligens Ecclesiasticorum Annalium scriptor: credo, quòd, licet Apologeticus ille jam anno CIƆ IƆ LXXXII. prodierat in lucem, tamen in manus ejus nondum pervenisset. Quemadmodum neque eum vidisse videtur Cardinalis Bellarminus, quando de eo nihil consignat, cùm de Orosii scriptis loquitur in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: ut mittam Margarinum Bigneum, qui Patrum opuscula in triplicem Bibliothecæ editionem congessit: item Possevinum, qui in Apparatu suo sic ejus meminit, quasi apologeticus à libro de arbitrii libertate diversus foret: cùm unus idemque liber inscribatur, *Apologeticus contra Pelagianos de arbitrii libertate*. Quemadmodum & eundem Possevinum in errorem à Tritthemio inductum arbitror, cùm addit, Orosium in Cantica scripsisse. Credo Tritthemius, qui fortè & Gesnero imposuit T. I. bibliothecæ, in codicem inciderat, ubi Oros. pro Orig. mendosè exaratum erat. Nam licet commentarii in Cantica, qui in vulgaribus editt. Originis esse feruntur, nec Origenis, neque adeò sint hominis Græci: illum tamen in ea scripsisse, locuples testis est scriptorum Origenis callentissimus Hieronymus, præfat. in Abdiam. Atque aliqua etiamnum fragmenta ejus operis habemus in Catenâ Græcorum PP. ab Olympiodoro, ut videtur, coagmentatâ, & jussu Cardinalis Caraffæ à Paullo Comitolo Latine ante triginta hos annos versâ. Tritthemium autem & Gesnerum alienam hac parte fidem esse secutos, conjecturam inde non vanam capio, quòd cùm prima libri verba (uti Augustinus in Retractationum libb. antea fecerat) ferè ponere soleant, nunc ea omittant. Cæterùm existimare aliquis possit Orosium etiam scripsisse libros quosdam ad Marcellinum: eò quod in Apologetico ejus *a* hæc verba legantur; *In libris quos* a P. 752. *ad Marcellinum scripsi, sicut potui, explicare curavi.* Sed nunquam ista Orosius scripsit: verùm Augustinus; cujus habemus libros tres ad Marcellinum de peccatorum meritis & remiss. Nimirum quod observatione dignissimum est, ex Augustini libro de Naturâ & gratiâ, septem integra folia cum octavæ parte dimidiâ (in quibus ista etiam leguntur) apologetico Orosii sunt inserta. Neque est quòd dicat aliquis ipsum libri auctorem exscripsisse ex Augustino; quod existimasse videtur Ioh. Molanus, theologus Lovaniensis, in bibliothecâ materiarum, ubi inter eos, qui de libero arbitrio scripserunt, ponit Orosium; sed addit, librum ejus potius esse collectaneum ex Augustino. Nam si ea quæ diximus relinquantur, Orosiana non cohærent; fluunt autem omnia aptè, si eximantur ista. Præterea Orosius sive compilator aliquis non erat dicturus se scripsisse ad Marcellinum, quod Augustino conveniebat. Adhæc ibidem legas *b*; *Quanto majore zelo accen-* b P. 760. *sus est libri hujus, quem misistis, conditor.* Signatur autem Pelagii liber de Naturâ, quem Iacobus & Timasius miserant Augustino. At hæc dicere non poterat Orosius, cùm alloquantur non Iacobum & Timasium, ut fecerat Augustinus, sed sacerdotes Palæstinos, ut vel ex ipso libelli ingressu, & ejus epilogo satis constat. Credat fortasse aliquis librarium hæc infersisse ad pleniorem eorum explicationem quæ ab Orosio dicuntur. Sed obstat, quòd quæ inseruntur, planè aliena sunt à proposito; uti diximos. Quare statuimus casu factum esse, ut quis miscuerit pagellas Augustini & Orosii: quibus semel perturbatis postea factum ut quæ Augustini erant, à lectore non attento Orosii esse crederentur. Augustiniana illa quæ dixi, incipiunt ab istis verbis *c*; *Hanc esse intentionem legis ar-* c P. 750. *guentis, ut propter illa, quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis*: quæ habemus cap. XII. Augustini. Porro sequuntur reliqua ejusce capitis. Item Augustini cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. usque ad illa verba *d*; *Medico indiget, quia sana non est.* d P. 758. Exinde habes Augustini caput III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. & partem duodecimi; usque ad illa; *Sicut Apostolus ait, Nunquid dicet figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* Aptè verò omnia cohærere, si furcillentur illa, quæ nunc alienum fundum occupant, facilè parebit, si componantur quæ apud Orosium Augustiniana illa proximè antecedunt, cum istis quæ hæc continuò sequuntur. Antecedunt ista *e*, *Mea sententia est, quia & in hoc quoque* e P. 750. *peccamus, qui cùm infirmi sumus, de infirmitate conquerimur.* Sequuntur autem hæc *f*; *Sicut dicit Apostolus,* f P. 765. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit; Quid me fecisti sic? infirmitatis est querela, propria virtutis ambitio est; quoniam occultè adjutorium Dei fastidit, qui peculiarem fortitudinem quærit.* Alia quædam de Orosio, sed nihil ad institutum nostrum pertinentia, vide apud Gennadium catal. Illustr. script. & Raphaelem Volaterranum Anthropologiæ lib. XVIII.

CAP. XVIII.

De Prospero.

HActenus de Orosio. Ad Prosperum veniamus. Diximus antea, ut & ipse & unà cum eo Hilarius Augustinum fecerint certiorem de reliquiis Pelagii in Galliâ reviviscentibus: ut item Augustinus amborum literis responderit, libris de prædestinatione sanctorum & perseverantiæ bono. Non verò aliunde meliùs, quæ Semipelagianorum, aut Catholicorum fuerit sententia, cognoscere possumus. Totâ enim errat viâ Samuel Huberus, cùm lib. I. controvers. IX. cap. VI. scribere non veretur, Prosperum, Hilarium, atque alios Occidentis episcopos, cùm sedulò excubarent adversùs centaurum Manichaicum, hisce libris suo atque aliorum Galliæ episcoporum nomine scriptis, commonuisse Augustinum, ut magis caveret sibi à noxiis Manichæorum erroribus, quos non penitus exuisset. Nam utrumque eorum abhorruisse quàm maximè ab illis dogmatibus, de quibus ad Augustinum retulerunt, multa in amborum literis ostendunt. Ubi quò l Prosper ait; *Novo apud illos* ABSURDITATIS *genere, & non agenda præscita, & præscita non acta sunt.* Item: *Hi quorum contradictione* OFFENDIMUR. Item: *Quod enim* PERVERSISSIMUM *esse, revelante Dei misericordiâ, & instruente nos tuâ beatitudine, noverimus.* Item: *Unde quia in istis Pelagianæ* PRAVITATIS *reliquiis non mediocris* VIRULENTIÆ *fibra nutritur.* Et Hilarius: *Nolo sanctitas tua sic arbitretur, hæc me scribere,* QUASI *de iis, quæ nunc edidisti, ego* DUBITEM. Et mox: CRUCIOR *pervicaciâ quorundam, qui non tantum manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt.*

Errorem contrarium erravit alius Vir Cl. qui itidem in Antibellarmino suo, Semipelagianismum Prospero impingere conatur. Verba ejus sunt disp. de gratiâ & lib. arb. lib. II. cap. V. [a P. 253.] *a* APPARET, inquit, DE MASSILIENSIUM FECIBUS *Prosperum aliquid hausisse.* Quæ verba etiam adducuntur ab alio nupero scriptore, qui addit, *nihil novum aut mirum fore, si tenebræ Pelagianæ quibus undique Prosper fuit circumseptus, nonnihil de luce & puritate ejus delibassent.* Sed eximium gratiæ patronum nullo merito suo male ab eis audire, parebit ex eâ Catholici, Pelagiani & Semipelagiani dogmatis collatione, quam postea instituemus.

Ab obitu verò Augustini nihilo segnius idem bonam Catholicorum caussam tuebatur. Cùm enim quindecim capitula à Gallis objicerentur adversùs ea, quæ in Pelagianos scripserat Augustinus: Vincentius item sexdecim capitula opposuisset: præterea Camillus & Theodotus presbyteri Genuenses, decem dubia objecissent; omnibus istis Prosper respondit. Sed imprimis nobilis est illius opera adversus Cassianum, quem Collatorem vocat, à scriptis Collationum libris. Thomas Bradwardinus, qui ante tria penè secula floruit, lib. I. de caussa Dei, cap. XXXIX *b*, & lib. II. cap. IV *c*, appellat hunc librum *De prædicatoribus gratiæ contra Cassianum.* Imò cap. XXXI. ejusdem libri *d* disertè ait, *Prosper in libro intitulato, Pro prædicatoribus gratiæ Dei, contra libros Cassiani presbyteri, De protectione Dei.* Sed ut simplicissima, ita genuina est inscriptio, *Contra Collatorem.* Pro quo Basileensis editio *e* vitiose habet *Adversus Collatorem.* Fortasse quia Prosper ipse cap. XXXIII. libelli hujus ait, *Quis prædicari hæc à Catholicis inter Catholicos crederet; nisi quæ* IN COLLUCTATIONIBUS DOMESTICIS *sæpe defensa sunt, etiam scripta legerentur?* Ejusdem esse librum ad Demetriadem, qui inter Ambrosianas epistolas extimum locum occupavit, diu est quod cùm ex stylo, tum ex argumento collegerunt Lovanienses *f*: idemque auctoritate Bedæ præfat. in Cant. (ubi tamen nihil hujusmodi comperio) probari posse scripsit Baronius *g*.

[b P. 339.] [c P. 472.] [d P. 602.] [e In Heresiologiâ, pag. 664] [f Præfat. in Prosp.] [g T. 5. ad an. 413. edit. Antverp. 2. p. 360.]

De eleganti Carmine περὶ ἀχαρίστων (sic Pelagianos & Semipelagianos vocat, tanquam erga divinam gratiam ingratos) quin ejus sit, ambigit nemo. At carmen de Providentia, hominis est Pelagiani: cui illud Prosperi de Ingratis subjungi solet, ut antidoti impleret vicem. Meritò verò judicium desideramus in Antonio Flaminio Imolensi; qui in Prosperi vitâ *a*; carmen illud Pelagianum illius esse putavit: & tamen ab eo librum esse scriptum ait contra nefariam Cassiani hæresin. sic enim loquitur, cùm veterum illi, qui Massilienses oppugnant, unum si Maxentium excipias, errorem contenti sint nominare. Etiam magna est ejusdem ἀνιστορησία, quando libros de vitâ contemplativa ad Iulianum, Pontificem summum, scripsisse dicit: nam ejus nominis Romæ id temporis episcopus fuit nullus, ac ne quidem usque ad ætatem nostram: nisi quòd recentissimis illis, Julio secundo quidem Juliani de Ruere, Clementi autem septimo Juliani Medices antea nomen fuit. Sed Julianus ille, cui libros suos Prosper dicavit, Gallicanus, uti credimus, episcopus fuit: nempe qui cum Hilario Arelatensi, Eucherio & Cæsario seniori, atque aliis, Arausicano priori Concilio subscripsit, anno CCCCXLI. [a Præfat. in edit. Col. an. 1540.]

An libri de vocatione gentium, hujus sint Prosperi, inferiùs disceptabimus. Cætera quæ illi tribui solent, nullus in dubium vocavit. Præter quæ alia etiam scripsisse putatur. Nam, ut apud Gennadium Massiliensem legere est, *epistola Papæ Leonis adversus Eutychem de verâ Christi incarnatione ad diversos data, ab ipso dictata creduntur.* Nempe hoc inde est, quia primùm B. Leonis notarius fuit. E notario verò factus est episcopus Regii: non ejus puto quod in Galliis est: nempe in secundâ provinciâ Narbonensi: quamquam id Bellarmino & aliis multis persuasum video: sed illius quod Æmyliâ, Italiæ provinciâ, situm est, & Regium Lepidi vocatur: ut sensit in vitâ Prosperi Antonius Flaminius. Ac disertim id scriptum est à Martino Polono in Chronicis: *Floruit & in his temporibus Prosper natione Aquitanus, beati Leonis Papæ notarius, qui apud Regium Italiæ factus episcopus, doctrinâ & miraculis clarus, ibique honorifice requiescit.* Ita enim locum eum emendo, cùm non antiquiores solum editiones, sed ea etiam, quam Suffridus Petri recensuit, corruptè ediderit *apud regnum Italiæ.* Quomodo etiam Martini verba citat Thomas Bradwardinus lib. II. de caussâ Dei cap. XXXI *b* Sanè hodieque memoriam ac reliquias ejus Regii Lepidi coli, testis locuples fuerit, qui locis istis proximus vixit, Carolus Sigonius Mutinensis. Imò & Rhegio Lepidi, in æde Carmelitarum, hæc invenitur inscriptio; [b P. 602.]

Hic situs est Prosper, quo sancto præsule clerus
Gaudet, & hic cineres ossaque sacra jacent.
Marmoreo monachi condunt pia busta sepulchro:
Namque vetus turris fregerat alta cadens.

Atque hinc est, quòd Prosper in vett. libb., ut observavit Arnoldus Pontacus, interdum Regii vel Regiensis, interdum Regini vel Reginensis, episcopus vocatur; nempe quia Italiæ Rhegium, unde Rhegiensis, posteriores etiam Rheginum dixere, unde Rheginensis fecere: cùm à Galliæ Rhegio potius dicant Rhegensis, vel etiam Rejensis; idque quia Regium Galliæ vulgo dicerent Rejos: quomodo vocat Sidonius lib. IX, epist. IX. ad Faustum, & carm. XVI. ad eundem: ubi & Faustus in inscriptione Rejensis vocatur episcopus. Quemadmodum & idem Regensis nominat lib. VI, epist. XII. ad Patientem. Similiterque in Notitiâ Provinciarum, *Viennensis III. civitas Regensium.* Diaconus & Greg. Turonensis, *Territorium Regense.* Beda atque Usuardus V. Kal. Dec. *Regensis civitas.* Qui in Galliis episcopum fuisse censent, eo pugnant, quòd Gallus fuerit & Gallicanis synodis subscripserit. Prius illud nihil ponderis habet: præsertim cùm Leo diacono suo faciliùs in Italiâ episcopatum potuerit deferre, quàm in Galliis. Quòd verò concilio Carpentoractensi, itemque Vasensi seu Vasionensi (malè Vasatense vocant multi, eosque inter eruditus annalium Ecclesiast. conditor) subscripsisse volunt, non vident illum omnino alium esse Prospe-
tum,

rum, cùm concilia illa celebrata sint post aut circa annum quingentesimum: ut infrà ostendemus. Quemadmodum & idem Baronius humani aliquid patitur, cùm scribit, Prosperum in Aquitaniâ fuisse episcopum. Nam Aquitanus sive Aquitanicus vocatur à patriâ, non ab episcopatus loco. Mireiur verò aliquis, cur si Prosper fuerit episcopus, quod etiam Marcellinus Comes & Martyrologium Romanum testantur: (ut Petrum De natalibus, Trithemium, atque alios mittam) Gennadius tamen notarium quidem Leonis fuisse dicat, episcopatus verò non meminerit; sed contentus sit dicere: *Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus.* Placet aliquibus, id odio Prosperi factum esse: ut quem ibidem salutarem Ecclesiæ doctrinam, velut noxiam, traducere dicat. Tamen idem Iulianum, quem hæreticum appellat, non dubitat vocare episcopum Capuanum. Quare verius puto, eò prætcrisse, quòd, quæ Prosperi scripta nominat Gennadius, ea ab illo edita sint ante episcopatum: unde etiam est, quòd in nullis Chronicis Episcopi titulus apponatur; ac Victor quoque Tunnunensis, qui centum pòst annis Chronicon Prosperi continuavit, solo Prosperi nomine sit contentus; uti & Ado in Chronicis ad annum CCCCLXXV.

Quamdiu vixerit Prosper, quidam certant incerti. Ad sextum quidem Leonis I. annum, hoc est Christi CCCCXLVI, perducit Chronicon suum in codd. vulgaris: sed partem ejus deperiisse, cognoscimus ex Gennadio, qui auctor est, pervenisse eum usque ad deprædationem Romæ à Gensetico factam, quæ incidit in annum Christi CCCCLV.

Et sanè tum Pythæanus Prosperi codex, tum quem Lodonensem vocat Pontacus, quamquam in multis discrepent, uterque tamen ad ea tempora pertingunt: qua de re Jos. Scaliger lib. VI. de Emendat. temp. *a* & Arnoldus Pontacus in Apparatu suo ad Chronicum triumvirorum istorum rei Chronologicæ, Eusebii, Hieronymi & Prosperi. Imò Marcellinus Comes meminit illius ad tertium Hilari annum Indict. I. Vibiano & Felice Coss. Successerat verò Leoni Hilarus anno CCCCLX. Hujus itaque Hilari tempore Prosperum esse defunctum, putamus. Nempe, ut scribit in vitâ ejus Jo. Ant. Flaminius Imolensis, anno Christi CCCCLXVI. VII. Kal. Jul. Qui sextus erat Hilari annus. De Prospero satis.

a P. 573. & seq. ed. Raphelang.

Cap. XIX.

De Hilario Arelatensi.

EGregia quoque Hilarii adversus Semipelagianos industria eluxit. Nam & Augustinum de Massiliensium sententiâ per literas certiorem fecit, & eo defuncto, cum Prospero ad Cælestinum, Urbis episcopum, profectus, rogavit eum, ut autoritate suâ illorum ora compesceret, qui Augustinum tantopere criminarentur. Est verò Possevini *a* ingens oscitantia, cùm vulgatis codd. deceptus, Hilarii ad Augustinum epistolam, quam rectè paullò antea adjudicaverat Arelatensi, postea tribuit Pictaviensi; qui, ut Hieronymus in Chronicis testatur, tertio Valentiniani Imp. anno obierat, hoc est Christi CCCLXXII. nempe ante exortam Pelagii hæresin, annis circiter quadraginta; ante epistolam hanc ab Hilario scriptam, annis plusquam L. At majori etiam [illegible], operibus Hilarii Pictaviensis inserere carmen in Genesin ad Leonem Papam. Quod Pictaviensi etiam tribuitur à Georgio Fabricio, Th. Pulmanno, aliisque Christianorum Poëtarum editoribus. Atqui Leo episcopus Romanus factus est demum anno CCCCXL. Quodsi Hilarii est, potiùs hujus Hilarii erit, B. Augustini discipuli, qui in Arelatensi episcopatu successit Honorato, ac de sui decessoris vitâ librum scripsit, oratione etiam funebri eundem decoravit; quæ & hodie leguntur. Nam hic Leonis tempore vixit, ac secundo ejus anno præfuit & interfuit concilio Arausicano I. quod Gyro consule habitum est, h. e. Christi CCCCXLI. decessit verò anno Leonis decimo, Christi CCCCXLIX. quemadmodum testantur Leonis literæ XI. Kal. Sept. Asterio & Protogene coss. ad Constantium & comprovinciales episcopos missæ, in quibus hæc leguntur *a*; *Quod in Arelatensium civitate, defuncto sanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum, fratrem Ravennium, secundùm desideria cleri, honoratorum, & plebis, unanimiter consecrastis; bonum fraternitatis vestræ opus nostro judicio roboramus.* Etiam iisdem consulibus literas Leonis ad successorem ejus Ravennium scriptas habemus *b*. Gennadius tamen Hilarium mortuum scribit Valentiniano & Marciano regnantibus, qui anno proximo regnare cœperunt.

a T. I. Apparatus sacri pag. 759.

a Apud Baronium ad annum 449. pag. 86. edit. Mor. 2.

b Apud Baronium ibid.

Cap. XX.

De auctore operis, quod inscribitur, De vocatione gentium.

A Prospero Hilarioque transibimus ad scriptorem librorum de vocatione gentium, qui inter Ambrosiana etiam opera leguntur: sed ejus esse non possunt. Siquidem Pelagiani sunt exorti, postquam Ambrosius è vivis excessisset: ut testatur Augustinus cap. XII. lib IV. contra duas Pelagianorum epistolas: libri autem illi scripti sunt post Pelagianos damnatos: quemadmodum constat ex libri prioris cap. XXII. Ut omnino erret Franciscus Cumel, cùm disp. in Primam P. Thomæ *a* ex hisce libris probare conatur, etiam Ambrosii ætate eandem viguisse controversiam, quæ nunc ecclesiam exagitat. Sanè Ambrosius anno CCCXCVII. è vitâ abiit, cùm Pelagianâ in caussâ primum judicium habitum sit Carthagine anno CCCCXII. Propiùs à vero abest idem Cumel, cùm alibi, sui oblitus, Prospero Aquitanico eos assignat. Nam sanè temporis ratio non refragatur: & Prospero tribuuntur in antiquissimis codd. MSSis: uti codice bibliothecæ regularium S. Martini Lovanii, item altero bibliothecæ Abbatiæ Cambronensis, item alio in Bonessiensi Abbatiâ apud Namurcum. Unde est, quòd licet in antiquioribus editt. *b* omittantur, hodie tamen inter Prosperi opera excudantur, & à doctis ut genuini citentur passim. Veruntamen unum illud iis obstat, quòd hujus scriptoris sententia, quemadmodum hoc ipso opere in Reprobationis controversiâ ostendemus, non examussim quadrat doctrinæ Prosperi. Quocirca alii tribuere malunt Hilario Arelatensi: quem Gennadius scribit *aliqua & parva edidisse, quæ eruditæ animæ & fidelis linguæ indicia sunt.* Pro horum verò sententia est, tum quòd stylus istorum librorum non abhorret ab eo, qui est libri Hilariani de vita Honorati: tum quòd, uti epistola ad Augustinum, ita libri isti (quod facile concedent controversiarum harum intelligentes) medium quid spirant inter illam, quæ Semipelagianorum, quæque Augustini esse sententia existimatur vulgò. Istorum itaque judicium damnare non audemus. Nec obstat, quòd Prospero in vett. codd. attribuuntur. Nec enim ratione carere hoc puto. Nimirum ut inter commentationes Augustini conjunguntur literæ Prosperi & Hilarii; ut item ad utrumque horum Augustini liber de Prædestinatione & perseverantiæ bono missus fuit; uterque item ad Cælestinum Papam profectus est de Semipelagianis conquesturus coràm, eoque amborum meminerit Cælestinus initio epistolæ suæ ad Gallos: ita, ob summam hanc societatem & conjunctionem in reliquiis Pelagii oppugnandis, Catholici amborum opuscula (præsertim cùm Hilarii, præter epistolam & opusculum hoc, eo in genere fortasse exstaret nihil) uno complecti volumine voluerunt: unde progressu temporis factum est, ut Hilarii Arelatensis nomine ob libellorum paucitatem & parvitatem obscurato, eoque de quo agimus opusculo, inter ea, quæ Prosperi erant, invento, qui Hilarii liber erat, Prosperi esse crederetur.

Quamquam verò admodum hæc verisimilis conjectura est, tamen aliud quoque in mentem venit. Quid si enim, ob veterum codd. autoritatem, Prosperi esse agnoscamus, sed

a P. 119. ed. Lugd. an. 1609.

b Col. 1540.

sed alius à Regiensi? Nam præter hunc fuit Prosper, episcopus Aurelianensis, ad quem scribit Sidonius lib. VIII. epist. xv. unde & Aniano successisse cognoscimus. Ac videtur idem esse, qui quingentesimum post annum (ut discipulus Augustini esse non possit) subscripsit concilio Vasensi, itemque Carpentoractensi. Quid si igitur dicamus, esse Prosperi, Aurelianensis episcopi, qui non multò post illum Augustini discipulum vixit? Sanè ut non esse Regiensis Prosperi pro certo habemus, ita quin vel Arelatensis Hilarii, vel Prosperi Aurelianensis sit, vix dubitandum putamus.

Cap. XXI.

De Fulgentio.

QUos hactenus enumeravimus, partim Pelagianis se opposuerunt, partim Cassiano & Massiliensibus illis, qui ante Fausti tempora vixerunt. Quod etiam locum habet in scriptore de vocatione gentium, si is est Arelatensis Hilarius. Nunc videamus de istis, qui Faustum oppugnarunt. Quos inter emicat maximè, fulgentissimum Ecclesiæ sidus, Fulgentius, *beatus antistes, & gloriosus confessor, qui ob admiranda & veneranda scripta semper ab Ecclesia fideliter receptus, & inter scriptores Ecclesiasticos laudabiliter numeratus est*: ut de eo loquitur Ecclesia Lugdunensis libro de tenendâ scripturæ veritate *a*. De eodem sic Isidorus lib. de Viris Illustr. cap. XIV. *Fulgentius Afer, Ecclesiæ Ruspensis b episcopus, in confessione fidei clarus, in scripturis divinis copiosissime eruditus, in loquendo quoque dulcis, in docendo ac disserendo subtilis, scripsit multa, ex quibus legimus* DE GRATIA DEI ET LIBERO ARBITRIO LIBROS RESPONSIONUM SEPTEM; *in quibus* FAUSTO, *Galliæ Regiensis urbis Episcopo, pravitati Pelagianæ consentienti respondens, obnititur ejus profundam destruere calliditatem.* Eundem signant Episcopi Africani in Sardiniâ exules, cùm in literis synodicis sic scribunt: *Cæterum unus ex nobis adversus duos libros Fausti Galli septem libros edidit; quos cum recensueritis, agnoscetis protinus, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit.* Idem exponit discipulus hujus Fulgentii, in vitâ præceptoris sui, his verbis: *Cum duo libri, quos Faustus, episcopus Galliarum, contra Gratiam subdolo sermone composuit, favens occulte Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli offensi, à pluribus fratribus ad B. Fulgentium probandi dirigerentur, ne occultum serperet virus: septem libris ipse respondit; plus laborans exponere, quàm convincere, quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat, delirantis argumenta convincere.* Etiam Vincentius Speculi historialis lib. II. cap. CVI. Fulgentium contra Faustum Pelagianis occultè consentientem scripsisse testatur. Quibus abundè refelluntur, qui, quos de gratia & libero arbitrio Fausti libros habemus, ab eo, postquam erroris à Fulgentio convictus erat, conscriptos arbitrantur. Quo in luto hærere, qui Basileensi Orthodoxographorum editioni præfuerunt. Quamquam verò VII. isti libri temporum injuriâ perierunt; supersunt tamen multa ejusdem, ex quibus sententiam Fulgentianam de hoc argumento clarè cognoscimus. Nam habemus librum ejus de incarnatione & gratiâ Christi; seu de gratia & libero arbitrio ad Petrum Diaconum. Ejus non solùm meminit Isidorus, sed quinque diversa loca adducit concilium Hispalense. Quamquam verò quindecim Africæ episcoporum nomine scriptus sit, tamen unius esse Fulgentii testatur discipulus ejus, qui Fulgentii vitam ad Felicianum, illius successorem, scripsit. Verba ejus cap. XX. hæc sunt; *Hunc etiam, quandocunque transmarinis literis de fide vel de diversis quæstionibus interrogabantur episcopi, respondere ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Carthaginensis Ecclesiæ antistes inter sua privilegia meruit, ut literas ex Africano concilio dandas ipse solus scriberet; sic iste meruerat, ut literas ex illo* (Byzaceno) *concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quinque & eo amplius episcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua & ingenium beatus Fulgentius episcopus fuit.* Habemus & libros ad Monimum, quorum primus est de Prædestinatione. Item tres libros de Prædestinatione, quos ante sexennium primus ab Orco in lucem protraxit Jacobus Sirmondus. Esse verò genuinos, cùm dictio & argumentum ostendunt: tum quod eorum iidem illi Africani PP. in literis suis synodicis, & Isidorus eopse cap. meminerunt. Nisi quòd hic duos tantùm fuisse putarit. *Extant*, inquit, *& duo ejusdem libri de veritate prædestinationis ad Episcopos missi, in quibus demonstrat, quod Dei gratia in bonis humanam voluntatem præveniat; & quod Deus quosdam prædestinationis suæ munere justificans prælegit, quosdam vero in suis reprobis moribus occulto quodam judicio derelinquit.*

a Auctorii bibl. vet. PP. T. 2. Col. 1225.
b Thomas Bradwardinus l. 1. de gratia Dei & libero arbitrio apud Isidorum Ecclesiæ Ruspensis. Sed corrupte. cùm Ruspa sit in Afr. Provincià, Augustino & Ptolomæo testibus, nusquam.

Cap. XXII.

De Petro Diacono.

EAdem ac Fulgentius ætate vixit Petrus Diaconus, cui & librum de Incarnatione & gratia misisse jam diximus. Prior verò Petrus Diaconus ejusdem argumenti librum ad Fulgentium scripserat. Uterque verò eo majoris est auctoritatis, quòd multorum nomine missus sit. Nam Diaconus simul scripsit nomine Johannis, Leontii, alterius Johannis, atque aliorum, qui cum eo in fidei causâ Romam missi erant. Ac Fulgentius suo & quatuordecim episcoporum nomine, Diaconi & collegarum fidem comprobavit, suique omnium sententiam plenius explicuit. P. Diaconus disertim Faustum damnat his verbis cap. VIII. *Quorum omnium sanctorum patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cælestium, simulque etiam Julianum Eclanensem, & qui suis similia sapiunt: præcipue libros Fausti, Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi profectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solum contra horum omnium sanctorum patrum, verùm etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium; atque totam omnino Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non eâ gratiâ, quâ & nos, secundum quod docet beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate, salvatos impie profitetur.*

Cap. XXIII.

De Maxentio.

EIsdem temporibus vixit Johannes Maxentius, qui adversus Faustum epistolam scripsit ad Hormisdam Papam, quam cum aliis ejus opusculis primus in lucem ante seculum propè reduxit Jo. Cochlæus. Hoc ex Maxentio de Fausti erroribus judicare nos jubet Cæsar Baronius *a*, ac Cardinalis quoque Bellarminus *b* ait, VIDERI in refutandis quidem Nestorianis inclinare ad Eutychianos, sed egregiè Faustum ac Pelagianos refellere. Operæ verò est considerare, ut nec usquequaque hac in causâ convenerit Maxentio & Hormisdæ. Sed de eo commodiùs agemus, cùm de Episcopis Urbis dicendum erit. Ecclesiasticæ historiæ scriptores Centur. VI. cap. X. arbitrantur hunc esse Maxentium abbatem Pictaviensem; de quo Gregorius Turonensis historiæ lib. II. cap. XXXVII. Sanè ætas non repugnat: tamen illud scrupulum injicit, quòd Maxentius noster vixit Constantinopoli (quam ipse *c regiam urbem* appellat) atque ibi legatis Romani episcopi libellum fidei suæ obtulit. Dicat aliquis, uti Cassianus Scytha, civis ac diaconus Constantinopolitanus, postea

a In 6. Annal. p. 449. ed. Morett.
b In anal. script. Eccles.
c In defensione monachorum Scytharum.

MASSI-

Massiliæ presbyter fuit, atque ibi duo cœnobia exstruxit; ita Maxentium ex monacho Constantinopolitano factum esse abbatem Pictaviensem. Sed huic sententiæ obstat, quòd historia ea de abbate Maxentio, quam Turonensis narrat, accidit anno ı ɔ x ı, quo Clodoveus contra Alaricum bellum gessit: at Germanus, Capuæ episcopus, aliique legati Episcopi Romani (quos in inscriptione libelli sui nominat Hormisdas) undecim demùm pòst annis Constantinopolim venerunt. Verisimile autem non est eum, qui se reclusisse in monasterio hoc dicitur à Turonensi, inde post exisse Constantinopolim. Quare assentimus doctissimo Iosiæ Simlero, qui *a* Maxentium hunc nostrum alium ab illo abbate esse arbitratur. Imò cum eodem ne quidem pro certo habemus, an vel monachus fuerit. Nam quòd hoc inde colligeret Cochlæus, quia servum Dei se vocârit; planè infirmum est; cùm titulus iste omnibus Ecclesiarum ministris conveniat.

a Simlerus in annot. ad Maxentii libros, quos addidit scriptis veterum de unâ personâ & duabus in Christo naturis.

Cap. XXIV.

De Cæsario Arelatensi.

ET horum quidem scripta de Pelagianâ aut Semipelagianâ causâ habemus. Præter quos alii iisdem temporibus erant, quorum libri interciderunt. Hos inter fuisse putamus Cæsarium Arelatensem: quod eo verisimile fit nobis; quia post divulgatum à Fausto librum de gratiâ & libero arbitrio (uti planum fiet ex iis, quæ dicemus de concilio Arausicano secundo) ediderit suum de eopse argumento. Meminit ejus Honorius Augustodunensis, & ante eum Gennadius; qui addit, Felicem Papam Cæsarii libro suam præmisisse epistolam, quâ eum Catholicis commendaret. Id eo factum putamus, quia antea Faustus itidem libro suo præfixisset, cùm Arelatensium PP. subscriptionem, tum epistolam ad synodum Lugdunensem; ac præterea in epistolâ ad Leontium dixisset, scribendi onus à Lugdunensi conventu impositum sibi esse. Ne igitur Faustus illuderet incautis, utile fuit Cæsarii librum Romani episcopi auctoritate comprobari.

Cap. XXV.

De Avito & Joanne presbytero.

SEd utcumque de Cæsario est; de Avito Viennensi episcopo, & Ioanne, Antiocheno presbytero, dubitare non sinit Ado Viennensis, cùm in Chronicis scribit: *Faustus ex Abbate Lirinensis monasterii apud Regium Galliæ episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde qui ejus sensus in hac parte Catholicos prædicant, (sicuti Gennadius de Illustribus viris scribens) omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus, quàm cæteri Catholici, in Ecclesiâ Dei docent, ut illuminatio, virtus, & salus, illi à Christo, & per Christum, & cum Christo fit: Faustus verò iste ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus & salus, non à Christo, sed naturâ fit. Contra hunc scribit lucidissimâ fide beatissimus Avitus, Viennensis episcopus, ejus redarguens errorem. Similiter & Ioannes, vir eruditus, Antiochenus presbyter.* Hactenus Ado. Quando Avitus vixerit, inde cognoscimus, quod Hormisdæ ad eum epistolam habemus. De Joannis Antiocheni ætate indicio est, quòd ejus meminit Gennadius inter Ecclesiasticos scriptores. Quare hi quidem Fausti ipsius temporibus vixerunt.

Cap. XXVI.

De Davide Meneviensi, Daniele Arvonio, Hildephonso, Bedâ, Anselmo, Dubricio Gaunio, Bernardo Claravallensi, Honorio, & Thomâ Bravardino.

NEc verò patroni divinæ gratiæ post eos defuerunt. Sed quia jam annum excessimus quingentesimum, & post ea tempora magis & magis obscurari veritas cœpit, proximis seculis non diu insistemus, sed contenti erimus monstrare, etiam iis temporibus aliquos fuisse, qui, cùm hæresis Pelagiana radicitus evelli non posset, sed sobole densâ subinde pullularet, profanum errorem magnis viribus evellere meritis conarentur. Eos inter fuisse dicitur David Meneviensis, quem alia inter etiam contra Pelagianos scripsisse, ac anno Dom. ı ɔ xl. sub rege Arturo obiisse ait Balæus scriptorum Britanniæ cent. ı. cap. lv. Idem cap. lix. contra Pelagianos ait scripsisse Danielem Arvonium, circa annum ı ɔ l. Vortigorio in Britanniâ regnante. Commendatur etiam cos inter opera Hildephonsi Archiepiscopi Toletani, qui anno vixit ı ɔ c l x. De quo sic Jo. Magnus Archiepiscopus Upsalensis lib. xvi. hist. Gothorum & Sueonum, cap. xxi. *Cujus tempore duæ hæreses, Pelagiana & Elvidiana, ex Galliis in Hispanias irrumpentes, maximam Hispaniarum partem corruperunt & à rectâ fide abduxerunt. Quarum assertoribus Hildephonsus sese tam viriliter opposuit, ut publicâ disputatione, petitis ex sacrâ scripturâ evidentissimis argumentis, convinceret eos esse intolerabiles fidei Christianæ inimicos, atque ob eam perfidiam eos quantocius extra Hispanias ejici mandavit.* Verisimile autem est multa adversus Pelagium dixisse libro *De imbecillitate propriâ*. Item *Annotationibus actionis divinæ*. Item *Annotationum in sacramentis*. Et *de cognitione baptismi*. Quæ ab eo scripta esse author est Tritthemius. Sed in manus nostras nondum pervenerunt. Anno autem ı ɔ c c x. Beda presbyter eruditam atque uberem in Cantica præfationem edidit, quam de Gratiâ Christi adversus Iulianum inscripsit. Circa annum c ı ɔ c Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus scripsit *De concordiâ gratiæ & liberi arbitrii*. Anno c ı ɔ c xx. Dubricius Gaunius Vagensis contra Pelagianos scripsit librum unum; ut ex Capravo scripsit Balæus cent. ı. scriptorum Britanniæ, cap. l ı. Anno c ı ɔ c xxx Bernardus Abbas Clarævallensis librum vulgavit de gratiâ & libero arbitrio, qui nostro præconio non indiget, cùm in deliciis esse omnibus soleat, qui Catholicam sententiam sequuntur. Anno etiam c ı ɔ c c xx Honorius, Augustodunensis Ecclesiæ presbyter dialogum scripsit, cujus titulus INEVITABILE, sive De prædestinatione & libero arbitrio. Ejus mentionem facit Tritthemius, non item Bellarminus in Ecclesiasticorum scriptorum catalogo. Primus autem Georgius Cassander è latebris prodire foras jussit anno c ı ɔ ı ɔ l ı ı, suaque eum de Pelagianis & Semipelagianis præfatione decoravit, sanè luculentâ, & ipsi Honorii libello neutiquam posthabendâ; quippe qui judicio nostro plerisque locis redoleat opinionem eorum, qui Prædestinati dicuntur; adeò ut vir emunctæ naris, Georgius Cassander, necesse habuerit commonere, *siquid durius dictum occurrat, id aut commodâ interpretatione sublevandum, aut temporum conditioni condonandum.* Nil opus est in ipsa libelli penetralia recurramus. Statim se in ipsâ prodit epistolâ. *Qui*, inquit, *in loco contumeliæ demergentur, eò* MAGIS *secundùm occulta & incomprehensibilia Dei judicia, quàm secundum merita, quæ infantibus nulla sunt, retrudentur. Tamen, quia per liberum arbitrium malum eligentes, hoc toto corde usque in finem operando dilexerunt, pro diversis meritis diversas pœnas hæreditabunt. Et quia hæc omnia non ita evenire est impossibile, nomen huic libello inditur* INEVITABILE. Quomodo, puto, nunquam locutus esset Augustinus. Scriptor quoque libelli hujus (quem

Augustodunensem Honorium esse persuadere mihi vix possem, nisi dictio illius libro De imagine mundi uti & Gemmâ animæ, ab hac non abluderet) adeò putidè ὁμοιοτέλευτα ubique consectatur, ut planè stolidam ejus dictionem esse, negare possit nemo, qui non ipse sit de Marrucinorum grege. Sed hoc temporibus demus, quibus vixit. Et hæc de Honorio. Denique circa annum cIↄcccxxx, Pelagianismo inter Scholasticos longè lateque regnante, adversus Pelagium insurrexit acutissimus Thomas Bradwardinus, sive (ut vulgo vocant) Bravardinus; quem Raphaëlis Volaterrani & Pici Mirandulani testimonio egregium fuisse theologum scribit Balæus scriptorum Britannicorum cent. v, cap. LXXXVII. De eo sic scribit Georgius epistolâ ad Hermannum à Baucheim, quam dicto Honorii libello præmisit: *Aliquot post seculis, cum rursus simplicitatem & sinceritatem fidei orthodoxæ nimium & præposterum philosophiæ studium conspurcare & obscurare cœpisset, ac, sententiâ illâ superiorum patrum paulatim evanescente, Pelagianus error occultè convalesceret; veritatis caussam, jam propemodum desertam, Thomas Bravardinus suscepit: quem ordo scholasticorum doctorem profundum cognominavit. Hujus opus insigne vidi a Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ, cui titulus erat, Summa doctoris profundi, Thomæ Bravardini, de caussis Dei contra Pelagianos, & de virtute Dei, caussâ caussarum. Quod tamen opus in Galliis extare non dubium est, cum Gerson, Parisiensis Cancellarius, nonnullis in locis ad Summam Bravardini, tanquam ad notum & publicum auctorem, remittat. Eundem non uno in loco testem adhibet Gregorius Ariminensis* b: *qui tamen cum nondum, quod sciam, typis sit editus, pauca quædam ex ejus præfatione, ex quibus tanquam leonem ex unguibus, quod aiunt, subjiciam.* ECCE ENIM, *quod non nisi tactus dolore cordis refero, sicut olim contra unum Dei prophetam octingenti & quinquaginta prophetæ Baal & similes sunt reperti, quibus & innumerabilis populus adhærebat: ita & hodie in hac caussâ quot, ô Domine, hodie cum Pelagio pro libero arbitrio contra gratuitam gratiam tuam pugnant, & contra Paulum, pugilem gratiæ specialem. Exurge ergò, Domine, sustine, protege, robora, consolare: scis enim, quod nusquam virtute mei, sed tuâ confisus, tantillus aggredior tantam caussam,* &c. Scriptor iste, qui in βιβλιοτάφοις delituit tot annos, tanquam ab Orcino retractus thesauro, anno hoc cIↄIↄcXVIII in Angliâ, jussu Reverendissimi Georgii Abbot Archiepiscopi Cantuariensis, editus est in lucem. Bradwardinus nonnihil ab Augustino recessit & ad Stoicos propius accessit: & fortasse eo respexerit Balæus scriptorum Britannicorum cent. v, cap. LXXXV. ubi ait eum *profanarum artium disciplinis, Stoicorum more, omne studium dedisse.* Operæ etiam est considerare, quod idem ait inibi; *Cum Ioanne Baconthorphio, Parisiis olim reverso, magnam de præscientiâ ac prædestinatione concertationem habuit, eique tandem in omnibus consensit, ut idem Iohannes in* IV. *sentent. dist.* I. *quæst.* IV. *demonstrat.* Obiit Bradwardinus episcopus Cantuariensis anno Christi cIↄcccXLVIII, vel proximo. Vide quæ de eo Balæus scriptorum Britannicorum cent. v. cap. LXXXVIII: & quæ suo de Præsulibus Angliæ commentario scripsit Franciscus Godwinus, Episcopus Landavensis: & imprimis quæ fusè de eo persequitur Henricus Savilius præfat. in opera Bradwardini. Etiam circa annum cIↄc LXXX. de Prædestinatione, item de Libero arbitrio scripsit Gilbertus de Semphringham, teste Balæo Centuriâ III. scriptorum Britann. cap. XXV. Sed cujusmodi ea fuerint, divinare non possum. Quemadmodum neque de iis quæ circa annum cIↄ cc XX. de prædestinatione & præscientiâ scripsit Joannes Ægydius, sive de sancto Ægidio; ut idem Balæus testatur ejusdem centuriæ cap. LXXXIV. Item neque de libris Roberti Grossetesti sive Capitonis, doctissimi & πανυγεγραφωτάτου præsulis Lincolniensis, quem inter alia multa de peccato originali, item de libero arbitrio, item de gratiâ Dei circa annum cIↄ ccLII scripsisse idem refert centur. IV, cap. XVIII. Etiam Guiljelmus Ockam de prædestinatione librum edidit circa annum cIↄ ccc XXX, eodem teste cent. v, cap. XVIII. Item Robertus Holcot, qui scripsit de prædestinatione & præscientiâ, teste eodem cap. LXXXIV. ejusdem centuriæ. Item anno circiter cIↄcccc LXXX. de prædestinatione scripsit Utredus Bolton, teste eodem centur. VI, cap. LIII.

a Etiam Balæus scriptor. Britannicorum centuriâ 5. cap 87. scribit: *Summa ejus Romæ in Vaticanâ Pontificii bibliothecâ extare perhibetur.*

b *Vide eum lib* 2. *sent. dist.* 26. 27. 28.

CAP. XXVII.

De Innocentio.

Judicium horunce Ecclesiæ doctorum, Romani episcopi comprobarunt: de quibus nunc seorsim agemus, partim ob præcellentem Urbici episcopatus dignitatem, partim quòd eorum decreta non unius fuerint episcopi, sed insimul cleri Romani. Quibus de caussis cernere est, judicium eorum non tarò ab antiquis ipsis æquiparari synodis particularibus, ab aliquibus etiam præferri.

Primus Episcoporum Urbis, qui Pelagio se opposuerit, vel adversari etiam potuerit, Innocentius fuit; cujus tempore hæresis ea exorta est. Exstant hujus Innocentii adversus Pelagium literæ triplices. Primæ, ad patres concilii Carthaginensis: alteræ, ad eos, qui Milevitano concilio interfuerunt: tertiæ, ad Aurelium, Alypium, Augustinum, Evodium & Possidium. An verò epistolæ istæ tanto sint dignæ antistite: contendere cum quoquam nolumus. Negabat sanè id magnus Desiderius. Et Cælestiani, quòd se eas eludere, suamque in sententiam detorquere posse putarent, subscribere iis velle se dicebant; qui tamen Africanorum conciliorum autoritatem defugiebant, & damnare ea recusabant, quæ docuissent prius.

CAP. XXVIII.

De Zosimo.

Successit Innocentio Zosimus: qui adversus Pelagianos epistolam scripsit ad universi orbis episcopos. Hæc temporum injuriâ periit: sed quædam ex eâ excerpta legere est apud Augustinum epist. CLVII. ad Optatum. Alterum item, tertiumque ejus fragmentum (nisi plures fortasse epistolas ad eosdem misit) apud Cælestinum habemus epist. ad Gallos cap. VIII. &. IX. ubi etiam testantur, quantopere eam prædicarint episcopi Africani. Etiam unum fragmentorum horunce citat Prosper adversus Collatorem cap X. Meminit quoque ejus Zosimi epistolæ August. epist. XLVII. ad Valentinum & fratres, his verbis: *Quod scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ urbis episcopum, de concilio provinciæ Carthaginensis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius a quinque episcopis, & quæ ipse ad tria ista rescripsit: item quod Papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos: & quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus.* Unde etiam cognoscimus, epistolam eam scriptam esse inter particulare illud & universale Africæ concilium, quod Zosimi tempore habitum est. Ut enim Augustinus hic temporis non habeat rationem, persuadere nobis non possumus.

Quanquam verò de Catholico dogmate idem Zosimi judicium semper fuit, tamen, de doctoribus ipsis, Pelagio, inquam, Cælestioque, aliter atque aliter judicasse, est dicendus; si genuinæ Zosimi sunt ad Africanos patres epistolæ, quas è bibliothecâ Vaticanâ primus divulgavit Cæsar Baronius. Nam Herotem (quem Prosper in Chronicis virum sanctum vocat, ac quamvis innocentem & nullis insimulationibus noxium, à populo, Arelatensi episcopatu exutum, & oppido pulsum ait) traducit hic scriptor, tanquam turbinem Ecclesiæ, pestem, tyran-

tyrannum & cædis patronum: etiam eum à se sacerdotali loco & omni communione submotum addit. Præterea in Africanos patres acriter invehitur, quòd delationibus Herotis, & Lazari facilè nimis aures commodassent, inque damnando eum præcipiti nimis judicio usi essent. Inter alia *a*, *Non decet*, inquit, *Episcopalem auctoritatem, & præcipue prudentiam vestram ad levium susurrorum scripta pendere. Ecce Pelagius Cœlestiusque Apostolicæ sedi in literis suis & confessionibus suis præsto sunt. Ubi Heros? ubi Lazarus? erubescenda factis & damnationibus nomina. Ubi illi adolescentes, Timasius & Iacobus?* Et circa epist. finem: *Sit vobis gaudium, eos, quos falsi judices* (leg. indices, cum Herotem & Lazarum signet) *criminabantur, agnoscere à nostro corpore & Catholicâ veritate nunquam fuisse divulsos.* Idem alteris ad eos literis: *Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant, aliter sentire, quàm libellis & confessione contexuit; aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ prodidit, dubii sanctitas vestra resedisse agnoscat.* Non obscurè significat, Cœlestium videri Catholicum, injusteque Africanis conciliis damnatum, eoque in judicio perstare se velle ait, usque dum criminatores ejus, Heros ac Lazarus, Romam venerint, Cœlestiumque certioribus indiciis hæresios convicerint. Sed negant viri eruditi, Zosimum hæc unquam scripsisse. Quamobrem verò? Primùm, inquiunt, quis Zosimum credat, inconsultis Afris, absolutum fuisse eum, quem tribus jam Africæ conciliis sciret condemnatum? Mihi verò, Apiarii caussam cogitanti, nihil Zosimus, præcox Hildebrandulus, ut eum jure Casaubonus *b* appellat, ab ingenio & moribus suis alienus fecisse videtur. Nam idem Apiarium presbyterum, qui ab Urbano, episcopo Sicensi, excommunicatus erat, communioni reddidit, ignaris & inconsultis episcopis Africanis. At Apiario nihil fuisse sceleratius, concilium Africanum, cùm ejus caussam postea cognosceret, compertissimis indiciis deprehendit. Nam & ipse, partim testibus convictus, partim conscientiâ adactus, nefandas turpitudines coram concilio confessus fuit. Unde patres ejusce synodi sic ad Cœlestinum scribunt: *Tanta ac tam immania flagitia decursus nostri concilii examen invenit, ut patrocinium potius, quàm judicium; defensoris magis operam, quàm disceptatoris justitiam sperarent.* Et mox: *Tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit, atque ipsam quoque nostram spem, quâ eum & credebamus & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, convertit in gemitus.* Nec satis visum est Zosimo, si istius Apiarii caussam susciperet cognoscendam, cognitamque probaret; sed etiam Faustinum, Potentinum episcopum, & Philippum atque Asellum presbyteros in Africam misit, partim ut Apiarii caussam defenderent, & excommunicari Urbanum juberent, nisi, quæ corrigenda visa essent, corrigeret; partim ut annunciarent concilio Africano, tantam esse Romani episcopi supra omnes autoritatem, ut ad eum undique possit appellari, ipseque legatos à latere in Africam mittendi jus habeat, qui Afrorum caussas cognoscant. Hanc tantam Romanæ sedis potestatem, ipsius Nicæni concilii autoritate sancitam contendebat. Unde gravis ac diutina illa trium Pontificum, Zosimi, Bonifacii, & Cœlestini temporibus, inter Africanos Patres & Urbis episcopum oborta controversia fuit de canone concilii Nicæni pro appellationibus transmarinis citato à Papâ Romano, nec in Afrorum codd. invento; quorum fidem postea consulti super hac re authentici Orientis libri comprobarunt. Fortasse autem non injucundum, neque inutile erit, si ex Africanorum Patrum ad Cœlestinum literis aliqua adscribamus, ut inde nobilis historia, & præsenti etiam instituto inserviens, pleniùs certiusque cognoscatur. *Præfato*, inquiunt, *debito salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis: nec à nobis excommunicatos in communionem ultrà velitis recipere: quia hoc etiam Nicæno concilio definitum facilè advertet venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaveri; quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in suâ provinciâ communione suspensi à tuâ sanctitate vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua: quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissimeque providerunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maximè, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessaria personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam, ut aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus patrum synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni concilii exinde transmisistis, in conciliis verioribus, quæ accipiuntur, Nicææ à sancto Cyrillo, coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico, Constantinopolitano antistite, ex authenthico missis; quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio episcopo transmissa sunt; in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere: nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto jam prorsus nefandis nequitiis de Christi ecclesiâ dolendo Apiario) securi sumus, quod eum (probitate ac moderatione tuæ sanctitatis salvâ) fraterna caritas ulteriùs in Africa minimè sustinere patiatur.*

Hactenus Africani concilii Patres: liberè illi quidem, ut tales & tantos viros decebat, sed tamen ita ut in castigatione illâ undique reluceat simplicitas prudens & prudentia simplex. Sciebant, scelestum Apiarium à Zosimo esse absolutum; etiam jussisse, ut à Synodo reciperetur, ac Urbanus, si obstare vellet, excommunicaretur. Num eo dicunt, quòd fortasse in animo habebant, Romam per eum factam esse asylum facinorosorum? Videbant, Zosimum jus sibi arrogasse legatos à latere in Africam mittendi, qui episcopales caussas cognoscerent. An eo apertè exprobrant, quòd in coepiscopos tyrannidem affectasset? Deprehenderant, canonem, quem pro sua in episcopos omnes potestate adduxerat, nec in ipsis authenticis Nicæni concilii codd. inveniri. Num eo dicunt, Oecumenici concilii *a* canones adulterasse? Nihil verò horum, si verba spectemus: quod Ecclesiarum paci datum, & Romani episcopi reverentiâ factum esse intelligimus. Sin rem potius quàm verba consideremus, quid horum non dicunt? Porrò quem in Apiarii patrocinio turpiter adeò se dedisse cognoscimus, quid, quæso, est, cur, meliora multò in Cœlestii caussâ sibi proposuisse, persuadeamus nobis? Verum enimverò, inquiunt, hoc saltem negari nequit, ista quæ literis Zosimo tributis continentur, planè pugnare istis, quæ de Zosimo ab Augustino dicuntur: quod si est, nisi, frontem perfricantes, Augustini fidem in dubium vocare volumus, nonne fateri cogemur, literas istas Zosimi esse non posse? Sed non cogitant illi, longè se aliter gessisse Zosimum, cùm Cœlestius primùm ad episcopum Romanum appellasset; longè autem aliter, postquam, Africanorum Patrum literis prudentior factus, quàm difficilem cepisset provinciam, cum animo suo cogitare cœpit. Quid ab eo primùm in Cœlestii caussâ actum sit, dissimulandum

a Zosim. epist. 4.

b Exercit. 15. ad annales Eccl. p. 420. edit. Angl.

a Et, quod de Sardicensi concilio ob-jectant Pontificii, quasi illud ecum-enicum sit, & Nicæni appendix, eoque Zosimus latè acceperit vocem Nicæni, ut Sardicense comprehendat; vide quid paucis respondeat Casaubonus ad annal. Eccl. Exercit. XVI. num. CLI. p. 763.

landum Augustinus putavit; quòd satius videretur hoc ulcus non tangere: vel si ad priora Zosimi acta Cælestiani provocarent, non aliud respondere volebat, quàm, utcumque se illa haberent, istud probari non posse, Zosimum negasse unquam originale peccatum, quod faceret Cælestius. Audiamus eum ad Bonifacium lib. II. cap. III. *Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixit, nusquam scripsit.* Et aliquanto antè: *Quænam tandem epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam hoc dixit, nusquam conscripsit.* Atqui ejus neque Cælestiani Zosimum arguebant: sed objectabant, quòd hominem dixerit hæreticum, quem priùs pronunciarat Catholicum. Verùm, inquiunt, cui verisimile fiat, eum pro Catholico habuisse, cujus in libello, teste Augustino, peccatum originale negaretur? At sciant, Cælestium paratum fuisse Innocentii literis subscribere, & quamquam originalem culpam non agnosceret, minimè tamen illud assertionem, sed dubitationem haberi voluisse; cæterùm, quicquid Romana damnaret ecclesia, pariter se damnaturum promisisse. Hæc enim de eo Augustinus ipse testatur lib. II. ad Bonif. cap. III. & lib. II. de peccat. origin. cap. VI. & VII. Sed operæ pretium fuerit, si aliqua ex priori loco adscribamus, ut pateat, jamdudum Augustinum ad objectamen istud respondisse. *Cum*, inquit, *hoc Cælestius in suo libello posuisset inter illa, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis, siqua fortè aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere.* Lolio victuræ credibile est, quisquis non videt, ut sudet magnus antistes, quò ltumam Zosimi διβάφῳ vestiat & occultet. Quid enim aliud quam σκοτὸν φάρμακον est, quod adsert, ut Papa libellum non Catholicum rectè Catholicum judicasse videatur? At ipse Augustinus cum totâ synodo pro hæretico habuit. Nam Patres concilii Africani (*cui dux Aurelius ingeniumque Augustinus erat*, Prospero teste a)

a Carm. de Ingratis.

in epistola ad Zosimum, quemadmodum ibidem Augustinus subjicit, disertim scribunt, *non sufficere quod* (Cælestius) *se generaliter episcopi* (Innocentii) *literis consentire fatebatur, sed aperte eum debere anathematizare, quæ* IN LIBELLO SUO PRAVA *posuerat, ne, si id non fecisset, multi parum intelligentes, in libello ejus illa* FIDEI VENENA A SEDE APOSTOLICA CREDERENT APPROBATA, *propterea quòd* AB EA DICTUM ERAT, EUM LIBELLUM ESSE CATHOLICUM. Stultum igitur sit dubitare, quin Zosimus, ante acceptas Africanorum patrum literas, multum Cælestio faverit. Nunc ut post eas redditas in hac caussâ se gesserit, audiamus ex eodem Augustino, qui ibidem subdit: TUNC *Cælestii præsentiam poposcit, ut* CERTIS AC DILUCIDIS RESPONSIS, *vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, & nulli ambigua remaneret.* Quid tum Cælestius? Adjungit hoc Augustinus istis verbis: *Se subtraxit & negavit examini.* Ita factum, ut Zosimus, cùm tuendi Cælestii rationem videret nullam, nec sanandi spes reliqua esset, unà eum cum Africanis patribus condemnarit, literis etiam ad orbis universi episcopos datis, quibus judicii hujus eos faceret certiores. Unde Prosper libro adversus Collatorem cap. XLI: *Africanorum conciliorum decretis sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum truncationem, gladio Petri, dextras omnium armavit antistitum.* Et in Chronico ad annum CCCCXIX: *Concilio apud Carthaginem habito CCXIV episcoporum, ad Papam Zosimum synodalia decreta perlata; quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Alphonsus Ciacconius lib. I. de vitis & gestis pontificum in vita Innocentii citat hæc verba ex Augustini libro II. cap. I. Retractat. *Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis erroribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Consulum Romanorum literis, convicta atque damnata est.* Sed apud Augustinum legitur: *Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis autoribus ab episcopis ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum literis, convicta atque damnata est.* Hoc desultorium Zosimi judicium Cælestianos habebat pessimè; qui prævaricatum aiebant regiæ jussionis metu. Augustinus, cui palliare omnia animus erat, prævaricatum negat, quia ab Innocentii, decessoris sui, judicio non recesserit. Verùm etiam Cælestius Innocentii literis subscribere paratus erat. Illud quidem quærebatur, non an ab Innocentio, sed an à seipso Zosimus recessisset. Cùm hoc in totum negari non posset, respondet, illum primùm leniùs egisse cum Cælestio, *quo, velut phreneticus, leniter requiesceret, tanquam leniter fotus.* Ita scribit lib. de peccato orig. cap. VII. Similiter lib. II. ad Bonifac. cap. III: *Quicquid lenius actum est cum Cælestio, servatâ duntaxat antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissimæ pravitatis. Et quod ab eodem sacerdote postea Cælestius & Pelagius repetitâ auctoritate damnati sunt, paullulum intermissæ, jam necessariò proferenda ratio severitatis fuit; non prævaricatio prius cognitæ, vel nova cognitio veritatis.* Quod verò Augustinus lib. II. de peccato orig. cap. VII. ait, illum Cælestio, *interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, sub quadam medicinalis scientiæ lenitate concessisse*: hoc si de eo tempore dictum putemus, quo Zosimus Cælestium habuit pro Catholico, profectò ad vivum resecare minimè oportet, sed reponendum est inter σοφὰ φάρμακα Augustini. Vel intelligi debet de temporibus illis, postquam jam Zosimus unis & alteris Africanorum patrum literis erat edoctus, quàm duram provinciam suscepisset.

Cap. XXIX.

De Bonifacio.

ZOsimus, ut episcopatus, ita Pelagii oppugnandi lampada tradidit Bonifacio. Qui nihil quidem adversus Pelagium scripsit: sed tamen postulato ejus duabus Pelagianorum epistolis libris IV respondit Augustinus. Atque hoc eum nomine commendat B. Prosper adversus Collat. cap. XLI: *Sanctæ*, inquit, *memoriæ Bonifacius, cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini responsa poscebat.*

Cap. XXX.

De Cælestino.

BOnifacio successit Cælestinus: quem malè vulgo cum Cælestio confundunt, etiam Genebrardus Chronographiæ lib. III a. Hujus Pontificis tempore propè erat a P. 441.
profligatum Pelagianum dogma; ita ut paullum tum interquieverit Ecclesia Dei. Verba sunt ipsius Cælestini epistolâ ad Nestorium: Ἐφ' ἡμετέρας τινὰς τῆς ζωῆς ἡμῶν μετὰ τὸ ἀνόσιον καὶ πολλάκις καταγνωσθὲν δόγμα Πελαγίου καὶ Κελεστίου, ἡ καθολικὴ πίστις εἰρήνευσεν. *Aliquot vitæ nostræ diebus, post impium illud ac sæpe condemnatum Pelagii & Cælestii dogma, Catholica fides pacem obtinuit.* Ejusdem de peccato originali judicium ex iisdem literis cognoscimus: uti & inde discimus, Nestorium de eo rectè sensisse. Sic enim ad eum scribit: Ἀνέγνωμεν, ὅπως καλῶς πιστεύεις περὶ τῆς κατὰ γένεσιν ἁμαρτίας, καὶ ὅπως αὐτὴν τὴν φύσιν δεικνύεις εἶναι κατέχεσθαι, καὶ τοῦτον δικαίως ἀποδιδόναι τὸ χρέος, ὃς ἀπὸ τῆς γένεως ἐλέγχεται κατέχεσθαι. Hoc est; *Legimus, quòd de originis vitio rectè sentias, quodque naturam ipsam culpâ obstrictam non neges, & quod eum tandem exactum debitum justè persolvere deceat,*

doceas, qui à debitrice generatione ortum trahit. Istis subjungit: Τί μὲν οὖν ποιοῦσιν οἱ κατακριθέντες, ὅτι ταῦτα ἠρνήσαντο; εἰδότες ἀσυμφώνως τὰ ἐναντία ἑαυτοῖς συμφωνοῦντα. ἀλλὰ μὴν ἐξεβλήθησαν, εἰ καὶ σοὶ ὁμοίως ἀπήρεσκον. *Iam quid illos tecum negotii est, qui ideo damnati sunt, quod istæc inficiarentur? Sane nunquam contraria citra suspicionem inter se coëunt. Quamobrem, si tibi perinde ac nobis displicuissent, jamdudum inde exacti forent.* Et post aliqua de Pelagianis sic loquitur: Κλαιέτωσαν οἱ ἄθλιοι ἐκπεπτωκότες τῆς καὶ ἀνθρωπίνης ἐλπίδος. οἵτινες εἰς μόνην τὴν κοινωνίαν διὰ μετανοίας βοηθεῖσθαι δύνανται. *Plorent miseri, ut qui, cum humanâ spe propemodum exciderint, solo pœnitentiæ præsidio amissam communionem recuperare valeant.* Etiam quo loco Pelagianos habuerit, cognoscere est ex epistolâ ejus XIV. quæ est ad Clerum & pop. Constantinop. ubi de Cælestianis, quos Nestorio favisse ait, sic scribit *a*: *Adfuerunt inter alios, nec deseruerunt Cælestiani, iniquitatis operarii, quos Hymnidici nostri manifesta persequitur sententia: jamdudum quippe inimici Dei disperguntur & pereunt, qui operantur iniquitatem. sicut idem dicit, velut cibum panis plebem Dominicam devorabant. Habuit ergo secum sui magistros exitii: habuit hujusce rei perfectos viro doctores. Nam separare difficile est, quos scelera sola junxerunt, quia majori ligantur glutino fœdera vitiorum.* Idem anno CCCCXXIX, hoc est superstite etiamnum Augustino, Germanum Antisiodórensem ad Pelagii hæresin delendam in Britanniam misit: quâ de re sic Prosper in Chronicis: *Agricola Pelagianus, Severiani Pelagiani episcopi filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insimulatione corrupit: sed ad actione Palladii diaconi, Papa Cælestinus Germanum, Antisiodorensem Episcopum, vice suâ mittit, ut deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* Cujus etiam rei meminit adversus Collat. cap. ult. Idem Beda lib. 1. histor. Angl. cap. XVII, Marianus Scotus, Sigebertus, alii. Balæus centuriâ 1. scriptorum Britanniæ hunc Agricolam Pelagianum vocat Leporium Agricolam, & fuisse ait filium Severi Sulpitii, cujus historiam sacram habemus: sed Leporius ab eo omnino est diversus, de quo ultimo hujus libri capite dicemus. Nec Agricola Severi, sed Severiani filius fuit: quamquam & Severus Sulpitius, vel potiùs Sulpitius Severus (sic enim potiùs vocari debere rectè docuit Victor Giselinus *b*) in senectute à Pelagianis deceptus fuit, Gennadio teste, qui ut eum deceptum ita & correctum fuisse tradit. Sed quod Balæus ait in Britanniis sparsisse Pelagii virus, id nec assis faciendum. Ad Cælestium redeo. Is Prospero Hilarioque Romam è Galliâ profectis, ut in Gallicanæ Ecclesiæ dissidio, episcopi Urbici autoritatem adversus Semipelagianos implorarent, epistolam brevem ad Gallos scripsit; cujus his verbis meminit Photius biblioth. cap. LIII. Ἔγραψε δὲ ὁ αὐτὸς τοῖς ἐν Γαλλίαις ἐπισκόποις περί τε τῆς τοῦ ἁγίου Αὐγουστίνου πίστεως, καὶ κατὰ τῶν ἀλαζονευομένων ἐπὶ τῇ τῆς αἱρέσεως ἐξουσίᾳ. Ex cap. seq. Μετὰ μὲν τοί γε θάνατον τοῦ ἐν ἁγίοις Αὐγουστίνου ἤρξαντό τινες τῶν ἐν τῷ κλήρῳ τὸ μὲν δυσσεβὲς κρατύνειν δόγμα, κακῶς δὲ λέγειν Αὐγουστῖνον καὶ διασύρειν, ὡς ἀναιροῦντι τοῦ αὐτεξουσίου εἰσηγησάμενον. ἀλλὰ καὶ Κελεστῖνος ὁ Ῥώμης, ὑπέρ τε θείου ἀνδρός, καὶ κατὰ τῶν ἀνακινούντων τὴν αἵρεσιν, τοῖς ἐγχωρίοις γράφων ἐπισκόποις, τὴν κινουμένην πλάνην ἔσβεσεν. Eam Cælestini epistolam nunc quoque habemus. nam, quin genuina sit, dubitare non sinit, quod in illâ invenire ea sit, quæ exinde citant Prosper adversus Collat. cap. XLII. & XLIII, & Vincentius Lirinensis Commonitorii sui cap. ult. Epistolæ ejus (quæ in hæc verba desinit, *Dominus incolumes vos custodiat fratres carissimi*) annexus est libellus: de cujus scriptore parum liquet. Non esse Cælestini, conciliorum collectores jamdiu monuerunt. Nam post illam Cælestini epistolam, in antiquis editt. *c* legere est: *Sequentia undecim capita videntur potius ab alio quodam interposita, quam esse ipsius Cælestini Papa.* Horum sententiam duplici tibicine statuminamus. Primùm, quòd ejusce libelli non meminerit Cælestinus in literis suis: quod profectò facturus erat, si unà cum epistolâ undecim illa capita ad Gallos misisset. Dicat aliquis, esse eum ipsum libellum, quem literis his ad Tuentium misisse se scribit: *Super his*, inquit, *multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratres Tuentii dedimus scripta responsum.* Sed obstat, quòd eâdem occasione scriptus videtur, quâ epistola; nempe ad compescendos Augustini obtrectatores. Hoc non negabit, qui initium opusculi ejus cum literis contulerit. Alterum argumentum, cur Cælestini esse non possit, hoc est, quod Innocentii & Zosimi epistolas citet sæpiùs, nec usquam vel hunc decessorem, vel illum prædecessorem suum appellet: contrà quàm Romanis episcopis mos est, & Cælestinus ipse in epistolâ facit his verbis, Augustinus *inter magistros optimos etiam antè à meis decessoribus habebatur.* Sanè hæc argumenta tanti apud me sunt, ut Cælestino ἁπλῶς tribuere non ausim. At cujus sit, ultrà disquirendum. Prosperi credi, scribit Baronius ad annum CCCCXXII *a*: *Putantur*, inquit, *ista capita esse Prosperi, qui, ut profiteri videtur, ea collegit ex decretis Romanorum pontificum, simulque conciliis Africanis.* Etiam in nupera Coloniensi *b* conciliorum editione, inter Cælestini literas, ac undecim illa capita, hæc verba inseruntur: *Non videtur dubitandum, quin sequentia sint Prosperi. Tam sunt similia, & argumento & stylo, ejus scriptis. Libro certè contra Collatorem capita quædam attingit non dissimiliter atque hic leguntur.* Nos unius esse Prosperi, spondere non audemus: sed tamen minime dubitamus, quin vel Prosperi sint, vel Hilarii, vel eorum Galliæ sacerdotum, quorum suasu ad Cælestinum Prosper & Hilarius profecti erant: de quo anxiè non est laborandum, quia communi nomine scripta fuisse verisimile est. Quamquam verò hæc ita sunt, non tamen eos peccare arbitror, qui capita istæc, ut Cælestini, adducunt: quod nobis deinceps semper facere animus est: partim quia sic consuetudo hodie obtinet: partim quia olim id fecere Petrus Diaconus, & alii, qui in fidei caussa Romam missi fuere circa annum quingentesimum, annis post Cælestinum circiter septuaginta. Hæc enim eorum sunt verba libello de Incarnatione & gratia Iesu Chr. cap. VIII. *His congruè beatissimus Cælestinus epistolâ ad Gallos datâ.* Citant deinde ex eo libello paginas binas. At parum verisimile est, tot eruditos viros, & qui propè adeo à Cælestini temporibus aberant, libellum eum pro Cælestinianis literis fuisse habituros, nisi jam tum Cælestini epistolæ, tanquam ejusdem scriptoris, subjungi soleret. Nempe credibile est, Prosperum Hilariumque libellum hunc Cælestino obtulisse, illum verò eum, ut Catholicum, comprobasse: postea verò Prosperum & alios Catholicos Gallos Cælestini literis monitum in vulgus emisisse. Ita quodammodo & Gallorum & Cælestini dici possit: illorum, quia scripserunt; hujus, quia autoritate sua comprobarit. Nempe non multum absimili ratione, ac canones synodi Arausicanæ secundæ rectè synodo isti attribuuntur, etsi à papa Romano, quemadmodum ipsi in proloquio testantur, fuerint transmissi. Quæ omnia eo etiam confirmantur, quòd Ecclesia Lugdunensis circa annum octingentesimum & quingentesimum, libro adversus Ioannem Engenam Scotum, de octavo ejus capitulo disserens, quædam ex nono libelli ejus capitulo tanquam Cælestini *c* laudat. Rursum libro de tribus epistolis gemino loco *d* citat quædam, tanquam Cælestini verba, ex cap. duodecimo; ex quo ipso capite quædam, ut Cælestini, adducit libro, qui inscribitur; Absolutio *e* quæstionis. Denique eidem adjudicat libro De tenenda veritate scripturæ, responsione ad capitulum tertium *f*, ubi Cælestino tribuit verba cap. ultimi.

a Apud Baron. an. 432. n. 20. & T. 1. concil. Steph. Binn. pag. 631.

b Præfat. in Sulpitii historiam sacram.

c Quentelorum anni 1538. & 1551. item Loveniana anni 1555. & alias.

a P. 617. ed. 1. 2. Moret.

b A. 1606.

c Col. 1093.

d Col. 1182 & 1198.

e Col. 1214.

f Col. 1242.

Cap. XXXI.

De Xysto a III.

a *Vulgo Sixto. Sed Alphonsus Ciacconius in vitis Pontificum de hoc Xysto loquens Xystus esse germanum ostendit ex antiquâ inscriptione basilicæ ab eo in scripta:* XYSTUS EPISCOPUS PLEBI DEI.

A Cælestino accedamus ad Xystum III, ejus successorem: ex cujus ad Joannem Antiochenum epist. fragmentum citat Vincentius Lirinensis. Etiam epistolam ejus ad omnes Orientales habemus Concil. T. I. duæ item aliæ sunt in tertiâ parte Concilii Ephesini, edit. Rom. Atque hæc quidem nemo abjudicat Xysto. Præterea ei tribuitur liber de divitiis: item epistola de malis doctoribus: item liber de castitate: quæ tria opuscula ex bibliothecâ Vaticanâ primus edidit & cardinali Sirleto dedicavit Jacobus Salvator Solanius. Extant tum seorsim Romæ & Antverpiæ excusa, tum T. 2. biblioth. PP. edit. 2. Agnoscit autem Solanius, in codice vetusto, quo usus est, non Xysto III. tribui, sed Xysto Papæ Martyri. Sed nec primi, nec secundi Xysti, quorum uterque Martyr fuit, esse possunt, cùm libro de Divitiis fateatur b, *omnibus pene hominibus Christianis, ipsis etiam regibus ac potestatibus, Christi jugo colla subdentibus, tempora esse pacifica atque tranquilla; & ab omni persecutionum infestatione secura.* Et libro de Castitate mentionem facit hæresis Ioviniani: adversus quem B. Hieronymus scripsit. Hinc colligit Solanius, esse Xysti III. sub cujus nomine etiam ab eo sunt divulgata. Sed cujuscunque sint, Pelagiani alicujus fœtus censeri debent: quemadmodum agnoscunt Baronius in Annal. Eccles. c Bellarm. in script. Eccles. d & Alphonsus Ciacconius in Vitis Pontificum e. Atque illis tacentibus, libri ipsi clamant, cùm libro de divitiis doceat, non posse salvari locupletes atque opulentos, nisi pauperibus omnia sua erogent. Quod inter dogmata Pelagii fuisse, cognoscimus ex Hieronymi dial. I. adversus Pelag. Hilario epist. ad August. quæ est de quæstionibus in Sicilia obortis, Augustino de gestis Palæstinis, item epistolâ ad Paulinum. Nec in cæteris scriptor ille minus se prodit. Nam epistolâ de malis doctoribus, operibus fidei, & judicio, cuncta sic libero tribuit arbitrio, ut gratiæ reliquum faciat nihil. Item libro de castitate illos irrider, qui eam Dei esse donum contendunt. Quamquam vero de Xysto III, etiamnum presbytero, *fama jactaret, inimicis Christianæ gratiæ eum favere*: tamen *primus anathema eis in populo frequentissimè pronunciavit*, & *literis Apostolicæ sedis, de illorum damnatione ad Africam missis, breves literas addidit, rigorem adversus eorum errorem indicantes.* Postea item *prolixiori scripto edidit pulchram defensionem adversus inimicos gratiæ, qui eorundem inimicorum magni momenti patronus antè jactabatur*: ut ipsius Augustini verbis utar ex epist. CIV. & CV. quarum utraque ad hunc Xystum scripta est. Nec commentarium adversus Pelagianos scripsisse contentus, postea semper magno cum zelo restitit Pelagianis; ut auctor est Prosper adversus Collatorem cap. XLI. Idem sic de eo in Chronicis scribit ad annum CCCCXL. *Hac tempestate Julianus Heclanensis, jactantissimus Pelagiani erroris adsertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimodâ arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Xystus Papa, Diaconi Leonis hortatu, vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit. Et ita omnes Catholicos dejectione fallacis bestiæ gaudere fecit: quasi tunc primum superbissimam hæresin Apostolicus gladius detruncasset.* Ubi Leo Diaconus, cujus hortatu se Juliano opposuit Xystus, est ipse ille qui Xysto in episcopatu Romano successit, anno CCCCXL. Extant etiam hujus Xysti versus pro peccato originali adversus Pelagianos: quos inscribi jusserat octangulari in lapide basilicæ Constantinianæ. Eos, quia pauci sunt, hic etiam apponemus f:

b Col 795. T. 5. bibl. PP. ed. 2.

c Extremo T. 5

d In Xysto III

e In Xysto III. Pag 122.

f Apud Baron. T. 5. p. 440.

Gens sacranda polis hic semine nascitur almo,
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.
Virgineo fœtu genitrix Ecclesia natos,
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Cælorum regnum sperate hoc fonte renati:
Non recipit felix vita semel genitos.
Fons hic est vitæ, & qui totum diluit orbem,
Sumens de Christi vulnere principium.
Mergere, peccator, sacro purgande fluento:
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Nulla renascentum est distantia, quos facit unum
Unus fons, unus Spiritus, una fides.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum
Terreat. Hoc natus flumine, sanctus eris.

Hæc satis ostendunt, Xystum III Pelagianis maximopere fuisse adversatum. Quare alterutrum horum dicamus necesse est, aut tres istas Pelagianas commentationes, quas Jacobus Solanius Murgitanus sub Xysti III nomine edidit, esse quidem ejus, sed cùm primum Pelagianis faveret, postea sententiam mutasse: (pro quâ sententiâ est, quòd, Augustino teste, *inimicorum gratiæ magni momenti patronus jactabatur*:) vel statuendum, libros istos falsò tribui Xysto III: quod verius puto, cùm nec Gennadius adscribat illi, nec veterum quisquam. Nimirum idem contigit Xysto III, quod Xysto II. Nam similiter Xysti, Pythagorici philosophi, commentatios à se versos sub Xysti martyris nomine edidit Rufinus: quam fraudem cùm primitus non animadverteret Augustinus, Pelagio ex eo quædam pro suâ sententiâ citante, multum sudavit sanctissimus antistes, ut commodam illis sententiam adfingeret, ne damnare aut subterfugere Romani episcopi autoritatem videretur. Vide eum lib. de Nat. & Grat. cap. LXIV. Sed cùm postea eos, non Xysti martyris, verùm gentilis esse philosophi didicisset, (credo hoc legerat apud Hieronymum, qui imposturam Rufini primus detexit lib. IV. comment. in Hierem. cap. XXII.) errorem suum candidè correxit lib. II. Retract. cap. XL. Cujus rei etiam meminit Ecclesia Lugdunensis, libro de tribus epistolis a. Hunc Pythagorici Xysti librum intelligi putamus à Gelasio in decreto cum LXX episcopis habito, ubi sic scribit: *Liber Proverbiorum, qui ab hæreticis conscriptus & sancti Xysti nomine prænotatus est, apocryphus.* Nam quæ Xysti proverbia appellat, hæ Sententiæ Xysti inscribuntur T. V. bibl. Patr. Quamquam sententiæ istæ non tam eopse modo à Xysto philosopho scriptæ, quàm ab alio ex Xysti opere exscriptæ nobis videntur. Mirum verò, quòd non à gentilibus, sed hæreticis scriptas dicat. Nisi hoc ait propter Rufinum interpretem, quem, tanquam malè sentientem de arbitrii libertate, ab Hieronymo notatum paullò antè in eodem dixerat decreto.

a In auctario bibl. PP. T. 2. Col. 1194.

Cap. XXXII.

De Leone I.

XYsto, sub quo Prosperum adversus Cassianum scripsisse supra ostendimus, successit Leo, cognomento Magnus; cujus rogatu à Cassiano contra Nestorium scriptum esse, superius dicebamus. Hujus erga Pelagianos operam prædicat Photius cap. LIV, ubi, de Pelagiana hæresi agens, inquit, Σέπτιμος ἐπίσκοπος, ἀρχομένης τῆς λύμης, ἐπισχὼν τὴν φθορὰν, γράψας πρὸς Λέοντα τὸν Ῥώμης τηνικαῦτα προεδρεύοντα, ὃς διαπύρῳ ζήλῳ κατὰ τῆς δυσσεβείας ἠγωνίσατο. *Septimus episcopus, renascente ea lue, repressit eam luem, datis ad Leonem, qui Romæ tunc præsidebat, literis; qui Leo fervent zelo contra impietatem depugnavit.* Et ante eum Prosper lib. de Promiss. Dei dimid. cap. VI. in fine: *In Italia*, inquit, *nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis & Apostolico honore nominandus Leo Manichæos subverteret, & contereret Pelagianos, & maxime* IULIANUM &c. Ubi cùm in Campaniâ se fuisse dicat, quo tempore Leoni adversus Iulianum,

num, Capuanum quondam episcopum, eettamen erat: non levis suspicio est, egisse in Campaniâ Prosperum jussu Papæ, quòd utilem sibi operam ejus putaret ad resistendum istic Juliano. Quo successu hæc egerint, docet nos idem Photius biblioth. cap. LIII. ubi scribere non dubitat, Prosperi operâ Pelagianam hæresin, vivente adhuc Leone, planè fuisse deletam. De ipso verò Leone subjicit idem, *scripsisse eum de Pelagianis conversis, quomodo debeant recipi, quando convertuntur, scriptis suam opinionem damnantes.* Prosperi autem operâ uti voluit Leo, non tantùm quòd in palæstrâ adversus Pelagianam hæresin maximè esset exercitatus; verùm etiam, quòd eum domi haberet: quippe quo arcessito ex Galliis, eo in munere uteretur, in quo prius B. Hieronymus operam dederat Damaso. Unde Ado in Chronicis: *Prosper Aquitanica regionis, notarius B. Leonis, à quo dictata esse creduntur epistola adversus Eutychen, de verâ incarnatione Christi & libero arbitrio male sentientem.* Et ante eum Gennadius, *Epistola*, inquit, *Papæ Leonis de verâ Christi incarnatione ad diversos data, ab ipso* (Prospero) *dictata creduntur.* Etiam in ipsius Leonis scriptis non pauca adversus Pelagianos leguntur. Imprimis memorabilis est

a Epist. 86. in Collect. St. Bonav. epistola *a* ejus ad Nicetam Aquileiensem; cujus hæc occasio in ipso literatum ingressu adsertur: *Agnovimus quosdam presbyteros, diaconos, ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana vel Cælestiana hæresis habuerit implicatos, ita in vestrâ provinciâ ad communionem Catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio propriis exigeretur erroris, &, pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupos, ovium pellibus tectos, in ovile Dominicum, non depositis bestialibus animis, introisse.* Postea hujusmodi interdictum sequitur: *Ut congregatâ synodo provincialium sacerdotum, omnes sive presbyteri, sive diaconi, sive cujuscumque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Cælestianorumque consortio in communionem Catholicam eâ imprudentiâ sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem, posteaquam hypocrisis eorum ex quâdam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & multis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus suis superbi erroris auctores, & quicquid in doctrinâ eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur, omniaque decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus hæresios, Apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis ac propriâ manu scriptis protestationibus eloquantur.*

Cap. XXXIII.

De Gelasio.

EAdem mens, idem studium fuit Gelasio, qui anno

a Martyr. Rom. & Gregorius Magn. homil. 38. in Evang. & 4. Dial. c. 16. b Epist. 5. Gelas. CCCCXCII. Felici III, Gregorii Magni atavo *a* successit. Is, Pelagianis in Dalmatiâ pullulantibus, epistolam *b* scripsit ad Honorium, Dalmatiæ episcopum, quâ audisse se ait, (verbis ejus utor) *in regionibus Dalmatiarum recidiva Pelagiana* PESTIS *zizania seminasse, tantumque illic eorum prævalere* BLASPHEMIAM, *ut simplices quosque* MORTIFERI FURORIS *insinuatione decipiant.* Mox addit, se *cunctos ibidem Domini sacerdotes fraterno commonere affectu, ut ne recipiant perversitatem* TOTO ORBE DAMNATAM: *quæque*, ut paucis interjectis ait, *ab Apostolicâ dudum sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Cælestinum, Sixtum, Leonem, continuis & incessabilibus sententiis fuerit prostrata:* NEC TANTUM ECCLESIÆ *Catholicæ legibus, sed* PRINCIPUM *quoque Romanorum eo tenore damnata*, UT NEC USQUAM *terrarum vivendi locum ejus sectatores habere sinerentur.* Cùm verò Honorius rescripsisset, dolere sibi, quòd negligentiæ & proditæ Catholicæ fidei insimularetur, alte-

c Epist. 6. Gelas. ram *c* ad eum epistolam misit, quâ docet, *non debere eum vigilantiâ suâ permoveri, sed præsentis colloquii salutatione perceptâ, secum potius industriam propriæ sociare solertiæ, quatenus vel si tentata sint talia, protinus corrigantur, vel, ne qualibet obreptione tententur, attentius præcavendo subintrare non valeant.* Idem Gelasius literas *d* ad Piceni episcopos misit, quibus significat, se audisse à Senecâ, sene deliro, Pelagianæ voraginis cœno immerso, conniventibus Episcopis, virus suum disseminari. d Epist. 7. Gelas. Tria, epistolâ hac, Pelagianæ sententiæ capita refellit. Primum est, quòd negarent *justum videri, ut factura Dei, sine ullis propriis actionibus, peccato gignatur obstricta.* Alterum, quod adsererent, *parvulos sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari.* Tertium, quod dicerent, *hominem per liberum arbitrium, bono suffragante natura, beatum effici.* Extat & decretum à Gelasio in concilio cum LXX episcopis factum, quo Augustinum & Prosperum, ut Catholicos, laudat; Cælestium & Julianum, ut hæreticos, damnat; Cassianum & Faustum, tanquam mediæ conditionis, eos inter reponit, quorum auctoritate stare non liceret. Ex quibus perspicuum est, brevia scholia in epistolas Paulinas, Hieronymo tributa, in quibus multa adeò Pelagium sapiunt, Gelasii non esse, quamquam jam olim illi adscribebantur. Quâ de re sic Cassiodorus lib. de divinis lection. cap. VIII. *In epistolas tredecim sancti Pauli annotationes conscriptas in ipso initio meæ lectionis inveni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habebantur, ut eas à sancto Gelasio, Papâ urbis Romæ, doctissimi viri studio dicerent fuisse conscriptas. Quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere. Sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, subtilissimas quidem esse ac brevissimas, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata. Et ut procul à vobis fieret error hæreticus, primam epistolam ad Romanos, quâ potui, curiositate purgavi: reliquas in chartaceo codice conscriptas, vobis emendandas reliqui: quod facile subjacebit, quando præcedenti exemplo audacior redditur sequentis imitatio.* Vir multæ lectionis, Cornelius à Lapide, προλεγομένοις in epist. Pauli credidit Cassiodorum loqui de commentariis, qui Ambrosio tribuuntur. Sed planè fallitur. Quamquam enim & illi suos habent nævos; tamen ad eos in dogmate de originali peccato provocat ipse Augustinus lib. IV. adversus duas Pelagianorum epist. cap. IV. quo loco ut S. Hilarii citat, quæ verbis iisdem in hisce commentariis leguntur. Sed exstant brevia scholia in epistolas Pauli, Hieronymo tributa, in quibus passim adstruitur Pelagianum dogma. Non dubitandum igitur, quin istos potius commentarios Cassiodorus intelligat. Qui si Gelasii alicujus sint, non Gelasii Papæ erunt, sed vel Cæsariensis, de quo Hieronymus in script. Eccles. vel potius Cyziceni, cujus est historia de synodo Nicæna, & liber de duabus in Christo naturis. Sed Pelagii ipsius esse ostendunt, quæ diximus, cùm de Pelagii scriptis ageremus. Si tamen Pelagii non sunt, saltem alicujus esse Pelagiani nemo diffitebitur. Eos, resectis & mutatis, quæ Pelagium saperent, Sedulius, Primasius, Haimo & Rupertus ita sequuntur, ut ferè non tam scriptores sint, quam exscriptores. De Gelasio satis.

Cap. XXXIV.

De Hormisda.

ETiam Hormisdæ, qui anno IƆXIV Romanus Episcopus factus fuit, epistola extat ad Possessorem, episcopum Afrum, à quo de Fausti libro consultus erat. Respondet autem, doctrinam Catholicam ex Augustino & Prospero, non item è Fausto, disci debere.

Cap.

CAP. XXXV.

De Felice IV.

ITidem Papa Felix IV. Pelagianorum errores condemnavit: quemadmodum nos docet Gennadius Massiliensis lib. de script. Eccl. cap. LXXXVI. ubi de Cæsario Arelatensi sic scribit: *De gratiâ quoque & libero arbitrio edidit testimonia divinarum scripturarum & sanctorum patrum judiciis munita: ubi docet; Nihil hominem de proprio boni agere posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roboravit, & in latius promulgavit.* Nisi potius intelligi debet Felix III. cui Gelasius successit. Pro quâ sententiâ est, quòd Gelasii censuræ librum suum subjecerit Gennadius; ut liquet ex cap. XCIX. &c. Eandem secutus Claudius Menardus, notis in August. libb. contra ult. Juliani
a P. 482. resp. *a* & ante eum Cæsar Baronius primâ edit. suorum Annalium. Sed hic sententiam suam retractavit: rectene, an secus, aliàs videbimus. Tantùm illud dicemus, posse Cæsarium scripsisse eum librum sub Gelasio: sed adhuc presbyterum. Nam Gelasius vivere desiit anno CCCCXCVI. At Cæsarius demum sub Symmacho, qui biennio pòst Urbis est Episcopus factus, Eonio in episcopatu Arelatensi successit. Quare aut presbyter ista scripserit Cæsarius, necesse est: aut quod in Gennadiano libro de Cæsario legitur, hoc alius infarsit, qui claris aliquot viris catalogum eum augere voluit. Sanè eorum, quos in vulgatis codd. leginus, aliquos omitti in vett. libris, locuples testis est Suffridus Petri.

CAP. XXXVI.

De clero Romano, tempore Joannis, designati Urbis episcopi.

SImiliter, defuncto Severino Papâ, hoc est anno Christi IↃCXXXIX, & Johanne, nondum quidem ineunte episcopale munus, sed tamen jam designato Urbis episcopo, clerus Romanus literas, Pelagianam hæresim condemnantes, misit ad Scotorum gentem, teste Bedâ lib. II. histor. Angl. c. XIX. Ubi quædam ejus fragmenta habemus. Eaque inter, istoc: *Et hoc quoque cognovimus, quòd virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo revivisciı. quod omnino hortamur, ut à vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latêre vos non debet: quia non solùm* PER ISTOS DUCENTOS ANNOS *abolita est, sed & quotidie à nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur: & hortamur, ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur.* Plura inibi vide.

CAP. XXXVII.

De Hadriano I.

SEd & Hadrianus Papa, Pelagianam hæresin damnasse est dicendus; quia, altero episcopatus sui anno, hoc est IↃCCLXXIII, epitomen canonum obtulit Carolo M. In quibus etiam sunt octo illi canones Carthagine adversus Pelagium sub anathemate constituti. Etiam in argumentis epistolarum dicitur idem *Egilam in Hispaniâ episcopum monuisse de prædestinatione hominis sive ad bonum sive ad malum.* Sed epistola ipsa intercidit: uti & alia ejusdem, quorum periochas solas in bibliotheca Vaticana à se inventas edidit Baronius ad ann. Christi IↃCCXCV, & exinde Steph. Binnius in collectione conciliorum.

CAP. XXXVIII.

De Attico & Sisinnio, episcopis Constantinopolitanis.

HActenus diximus de episcopis Romæ veteris: simile verò studium episcoporum novæ Romæ, atque aliorum Orientis patriarcharum fuit. Videamus imprimis de iis, qui Pelagii, Cælestii ac Juliani temporibus vixere. Qualis Atticus, qui Arsacio, Chrysostomi successori, superstite etiamnum Chrysostomo, sed in exilium pulso, Arcadio VI. & Probo I. coss. hoc est an. Ch. CCCCVI, surrogatus fuit: teste Socrate lib. VI. cap. XVIII. Obiit verò, cùm annos in episcopatu vixisset XXI, teste eodem Socrate lib. VII. cap. XXV: ita ut initium ejus episcopatus in Innocentii, medium in Zosimi & Bonifacii, finis in Cælestini tempora incidat. Eum cum Hieronymo, Bethlemi incolâ, fuisse in Oriente alterum gratiæ patronum, testatur Prosper Carm. de Ingratis. Nam cùm Hieronymum miris prædicasset laudibus, tanquam

Hebræo simul & Grajo Latioque venustum
Eloquio, morum exemplum, mundique magistrum:

& quòd

Dissecuit libris valde excellentibus hostem:

continuò hæc subjicit:

Quid loquar & curam, magnâ quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiquâ legatos hæreticorum
Confutando fide; de quâ tunc impia corda,
Quamvis se obductâ tegerent velamine formâ,
Judicis & tacita a tulerant tormenta repulsa. — a Forte leg. tulerunt. Nam mediam sallibus anceps est apud potas.

Ac pertinet eodem, quòd August. scribit lib. III. contra Julianum c. I. *Christi exercitus debellavit apud Carthaginem Cælestium, quando illic ipse non eram; & rursus Constantinopoli, tam longè à regionibus Africanis.* Hoc Attici judicium etiam successor ejus Sisinnius comprobavit. Auctor Cælestinus epist. ad Nestorium, quæ exstat in Synodo Ephesinâ *b*. Ubi etiam plenius de Attico exponit, quæ antea diximos. Verba, cùm Cælestini, tum Attici & Sisinnii causâ, adponam: Ἐφ' ἡμέρας λοιπὰς τῆς ζωῆς ἡμῶν, μετὰ τὸ ἀνόσιον καὶ πολλάκις κατακριθὲν δόγμα Πελαγίου καὶ Κελεστίου, ἡ καθολικὴ πίστις εἰρήνευσεν. ἐπειδὴ ἐκείνους, μετὰ τῶν ἑπομένων τῇ δόξῃ αὐτῶν, ἥ τε ἀνατολὴ καὶ ἡ δύσις, ἀκοντίῳ συμφωνήσασα ἀποφάσεως ἔπληξεν· αὐτίκα ὁ τῆς ἁγίας μνήμης Ἀττικὸς, ὁ διδάσκαλος τῆς καθολικῆς πίστεως, καὶ ἀληθῶς τοῦ μακαρίου Ἰωάννου καὶ εἰς ταῦτα διάδοχος, οὕτως ἐκείνους ἐδίωξεν ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ βασιλέως, ὥστε αὐτοῖς μήτε τοῦ ἐκεῖ στῆναι ἄδειαν συγχωρηθῆναι. ἔσχεν δὲ ἡμᾶς μετὰ τὴν ἐκείνου ἔξοδον οὐχ ἡ τυχοῦσα φροντὶς, ἐκδεχομένους, πότερον ὁ ἐκεῖνον διαδεξόμενος εἴη αὐτοῦ καὶ εἰς τὴν πίστιν διάδοχος· ἐπειδὴ δυσχερές ἐστιν, ἐκπίνεσθαι τὰ καλά. πολλάκις γὰρ ἑαυτοῖς ἀμοιβαδὸν αἱ ἐναντιότητες διαδέχονται. ἀλλ' ἐσχήκαμεν μετ' ἐκεῖνον τὸν μέλλοντα ἡμᾶς ταχέως καταλιπεῖν τὸν ἅγιον Σισίννιον, διὰ δοκιμάσαντα ἐπί τε ἁπλότητι καὶ ἁγιότητι, κοινωνὸν αὐτὴν τὴν πίστιν, ἣν δέρει, κηρύττοντα. *Post impium illud profanumque ac sæpenumero condemnatum Pelagii ac Cælestii dogma, Catholica fides aliquot vitæ nostræ diebus pacem obtinuit. Etenim ut primum oriens & occidens concordi sententiâ, veluti telo quodam, illos, illorumque sectatores, semel percussit; è vestigio sanctæ memoriæ Atticus, egregius sanè orthodoxæ fidei doctor, verusque ea in re beati Joannis successor, ita eos communis omnium Regis causâ est insectatus, ut ne consistendi quidem spatium eo in loco reliquum illis faceret. Post illius verò è vitâ decessum, non vulgaris cura nos tenuit, anxiè expectantes, unumne eundemque ille & muneris & fidei quoque successorem ex æquo sortiretur. Quandoquidem quæ pulchra sunt, ea diuturnam moram non facilè ferunt. Plerumque enim usu venire solet, ut opposita alternis se viribus excipiant. Verùm post illius obitum sanctus Sisinnius, qui & ipse quoque paullò post deserturus nos erat, nobis obtigit; vir profectò, & vitæ sanctimoniâ, & fidei simplicitate clarus, ejusque, quam compererat,* reli-

b. T. 1. p. 85. Gr. edit. Commel. sive cap 17. Lat. interp sed Rom. edit. p. 276.

a Pag 88. edit. Comm. l. ed Rom. 180.

religionis prace insignis. In eàdem etiam epistolâ *a* sic scribit de iisdem: Διὰ τί νῦν τὰ κατ' ἐκείνων πεπραγμένα ζητεῖται; ὅπου δῆλόν ἐστιν, ὅτι ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς παρὰ τοῦ τότε ἐπισκόπου τῆς καθολικῆς, Ἀττικοῦ, τὰ ὑπομνήματα ἀπεστάλη. διὰ τί μὴ ὁ τῆς ἁγίας μνήμης Σισίννιος ἐζήτησε; δηλαδὴ ὅτι ἐδοκίμασεν, αὐτοὺς παρὰ τοῦ προηγησαμένου δικαίως κατακεκρίσθαι. Hoc est: *Cur iterum in ea inquiris, qua jam olim contra illos acta decretaque sunt? Ignoras forsan, ab Attico, Catholico per id tempus episcopo, commentarios de illorum condemnatione inde ad nos fuisse transmissos. Cur sanctæ memoriæ Sisinnius eadem retractari non quæsivit? Ob id nimirum, quia justè illos a prædecessore suo condemnatos intelligebat.*

Cap. XXXIX.

De Theophilo, Cyrillo, & Joanne, episcopis Alexandrinis.

SImiliter circa eadem tempora animatus fuit episcopus Alexandrinus, Theophilus, ejusque ex fratre nepos Cyrillus, qui patruo successit, anno Christi CCCCXII. De Theophilo cognoscimus ex studio ejus singulari adversus Origenistas: ex quibus Pelagiani prodierunt; ut cap. III. ex Hieronymo ostendimus. De Cyrillo autem inde liquet, quòd synodo Ephesinâ, cui præfuit, unà cum Nestorianis condemnati sint Pelagiani, ex quibus Nestoriani orti erant; unde utrisque unum à Prospero epitaphium fuisse scriptum, aliàs diximus. Etiam aliquanto pòst Johannes, Alexandrinus episcopus, ad Gelasium Papam Apologiam scripsit, quâ Pelagio & ejus asseclis anathema dicit. Autor Photius bibliothecæ suæ cap. LIV. ubi cùm dixisset, etiam Pelagianos synodo Ephesinâ esse condemnatos, ista subjungit: Ἀναθεματίζει δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ Ἀλεξανδρείας, ἐν τῇ πρὸς Γελάσιον τὸν Ῥώμης ἀπολογίᾳ οὐ μόνον τὴν Πελαγιανὴν αἵρεσιν, ἀλλὰ καὶ Πελάγιον, καὶ Κελέστιον, καὶ ἔτι Ἰουλιανόν, ὃς καὶ αὐτῶν ἐγνώσθη διάδοχος. Est hic Johannes Talaida, qui quinctus à Cyrillo fuit. Nam Cyrillo Dioscorus, Dioscoro Proterius, Proterio Timotheus Ælurus, Æluro ejecto Timotheus Solofaciolus, Solofaciolo dejecto iterum Ælurus *a*, Æluro Ioannes Talaida successit. Scripsit verò Apologiam hanc, postquam exul Romam profugerat. In episcopatu enim ad Gelasium scripsisse non potuit, quia Gelasii tempore Athanasius, homo hæreticus, Alexandrinus episcopus fuit; uti ante eum, Simplicii & Felicis temporibus, Petrus Mongus, quem in Talaidæ locum Zeno Imp. instigante Acacio *b*, surrogarat, ut Simplicius epist. ad Acacium, & Liberatus in breviario testantur.

a b *Ælurus hic apud Magnentium in libello Fidei* Ellurus, *ubi* Acacius, *de quo mox o cimus*, Acceius. *vocatur: Sed corrupte: atque Magnentii codem utrobique in aliis scriptoribus emendari debet.*

Cap. XL.

De concilio Carthaginensi.

ET hujusmodi quidem tum episcoporum Urbis, tum Patriarcharum Orientis de Pelagianâ causâ sententia erat. Nunc ad synodica nos judicia convertamus. Primum autem in hac causa concilium Carthagine habitum fuit, anno CCCCVII, cùm Pelagii dogma à Cælestio, primario ejus discipulo, spargeretur in vulgus, pertinaciterque defenderetur. Acta hujusce Synodi interciderunt. Solum ejus fragmentum extat, apud Augustinum de peccato originali cap. II. III. IV. Etiam ejus mentio fit ab alterius Carthaginensis synodi patribus, in epist. ad Innocentium: *His ergò lectis, Pelagium & Calestium, autores nefarii prorsus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris, advertimus. Unde factum est, ut recensendum peteremus, quid ante ferme quinquennium, super Calestii nomine, hic apud ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum.*

Cap. XLI.

De concilio Diospolitano.

ANno CCCCXIV, Diospoli in Palæstinâ, in causâ Pelagii collecta est Synodus provincialis quatuordecim episcoporum. Augustinus lib. II. Retract. cap. XLVII: *Per idem tempus in Oriente, hoc est in Syriâ Palæstina, Pelagius à quibusdam Catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus, et quæ absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis XIV. auditus est: ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversus eum de libello legebantur, catholicum pronunciaverunt.* Eorum Episcoporum nomina habes lib. I. contra Iulianum cap. V. Cur Pelagium absolverint, cùm alibi passim Augustinus indicat, tum epist. CVII. ad Vitalem Carthaginensem. *Hæc*, inquit, *est illa Pelagianorum mala, malè diffamata, meritoque repudiata, & ab ipso etiam Pelagio, timente damnari, in orientalium episcoporum judicio damnata sententia.* Et mox: *De gratia Dei, imò contra gratiam Dei, Pelagianam sententiam, pectore quidem ficto, sed tamen Catholicos judices timens, Pelagius ipse damnavit.* Itaque hanc Synodum miserabilem vocat Hieronymus, epistolâ LXXIX. Nempe quia etsi in doctrinâ non errarit, tamen erravit in homine, quem dolosè sua condemnate non animadverterit. Unde August. de peccat. merit. & remiss. lib. II. c. VIII, & IX: *Fefellit judicium Palæstinum ipse Pelagius: propterea videtur ibi esse purgatus. Romanam vero ecclesiam, ubi eum notissimum esse scitis, fallere usquequaque non potuit. Quamquam & hoc fuerit utcumque conatus.* Ex quibus errare liquet doctissimum Sethum Calvisium, cum in Chronologiâ suâ scribit, Pelagium hoc in concilio pœnitudine ductum ad ecclesiam rediisse. Acta ejus Synodi vide lib. II. de gratiâ Christi, qui est de peccato originali cap. XI. & epistolâ CVI. ad Paullinum. Item lib. de gestis Palæstinis, qui nuper à Velsero editus est, & in Collectione Cresconianâ. Meminit hujus synodi etiam Photius, cap. LIV. *a* Bibliothecæ, his verbis: Ὁ μέντοι Πελάγιος, ἐν Παλαιστίνῃ συνόδου συστάσης, δεκατεσσάρων τὴν σύνοδον ἐπληρούντων ἀρχιερέων, ἠθώωτο· τὰ μὲν τῶν κεφαλαίων παντελῶς ἐξαρνησάμενος, ὡς μωρά, καὶ ἀναθεματίσας· τὰ δὲ εἰρηκέναι μὲν φήσας, οὐχὶ δὲ ὡς οἱ κατήγοροι ἐξειλήφασι, συμφώνως δὲ μᾶλλον τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. Οἱ μέντοι κατηγοροῦντες αὐτοῦ Νέπορος ἦν καὶ Λάζαρος, οἱ Γάλλοι ἐπίσκοποι· οἳ οὐδὲ παρεγένοντο ἐν τῇ ἐξετάσει αὐτοῦ, διὰ τὴν κάκωσιν θατέρου αὐτῶν τὴν παρουσίαν παραιτησάμενοι. Οὕτως Αὐγουστῖνος ἐν τοῖς πρὸς Αὐρήλιον τὸν Καρθαγένης πάπαν διέξεισιν. *Attamen Pelagius hic in eâ synodo, quæ in Palæstinâ convênit, cui XIV. præsules interer ant, absolutus est: cùm alia quidem objectorum capitum, ut stulta, omnino abnegasset atque damnasset, alia verò à se quidem dicta confessus esset, non eo tamen sensu, quo accusatores illa interpretabantur, at prout cum ecclesia Catholica doctrinâ conspirarent. Accusatores erant Neporus & Lazarus, Galliæ episcopi: qui quæstioni de illo habita non interfuêre, ob alterius eorum invaletudinem veniam precati ne se sisterent. Sic Augustinus in iis, quæ ad Aurelium Carthaginis episcopum scripsit, refert.* Ubi planè intellexit Photius Augustini libellum de gestis Palæstinis; quem ad Amelium scriptum esse, & libellus à Velsero editus testatur, & Augustinus ipse fatetur lib. II. Retract. cap. XLVII.

a Pag. 50.

Cap. XLII.

De concilio Carthaginensi altero in hac causa.

QUo verò tempore conventus in Palæstinâ agebatur, erat ibidem Orosius Presbyter, Sanctissimus & studio-

diosissimus juvenis, ut illum Augustinus vocat: à quo etiam Bethlemum missus erat ad Hieronymum, ut ex eo originem animæ disceret: quemadmodum superius diximus ex Gennadio de Viris Ill. & Augustini ipsius epist. CII. ad Euodium. Hic cùm mense Decembri Diospolitanam Synodum haberi vidisset, vere proximo in Africam rediit, ibique Africanis nunciavit episcopis, ut Pelagius verborum involucris Palæstinos patres decepisset: simul eos excitavit, ut quam hæresin in Cælestio ante quadriennium & amplius damnassent, eandem nunc penitus in Pelagio ipso vellent debellare. Ne igitur Synodus Palæstina, absolvendo Pelagium, doctrinæ ejus favere, & primæ Carthaginensi præjudicare videretur; Pelagio item venenum inter simpliciores securius spargendi occasionem daret: iterum se Patres Carthagine congregarunt, Theodosio VII. & Palladio Coss. hoc est anno Christi CCCCXVI. Exstat hujus concilii epistola ad Innocentium I. ex cujus inscriptione cognoscimus, sexaginta septem præsules Ecclesiarum ad illud convenisse.

Cap. XLIII.

De Concilio Milevitano.

EAdem occasione coactum fuit concilium Milevitanum; de quo, ubi habitum sit, disputatur. Africanum esse, omnes fatentur: sed plerique celebratum putant in insulâ Melitâ, quam inter πελαγίας νήσους τῆς Ἀφρικῆς refert Ptolomæus. Sed cùm ipsi Patres, ut mox liquebit, dicant, se ex concilio Numidiæ scribere, dubitare non licet quin habitum sit Milevi civitate Numidiæ; cujus meminit Augustinus epist. CLXVIII. ad Eusebium; *Dixisse pertulerunt, me debere ire Milevum, quod illic concilium proxime habituri sunt.* Idem Optati Milevitani episcopi meminit contra epistolam Parmeniani lib. I. cap. III. Videtur autem urbs hæc non tantùm Milevis, sed etiam Mileum dicta. nam in concilio Carthaginensi apud Cyprianum, decimus tertius sententiam dicit Polianus a Mileo. Fortasse & dicta Miræum. Μίεργιον enim inter Ciresiorum (qui Numidæ sunt) civitates ponit Ptolemæus juxta Vagam & Lares. Nisi pro Miræum legendum Mileum; ut credit Pamelius notis ad concilium Carthaginense. Convenerant ad hoc concilium Milevim episcopi LX, ut ex inscriptione epistolæ ab hoc concilio missæ constat. Eopse verò anno fuisse peractum, sed tamen post Carthaginense; liquet ex epistolâ Augustini XCV ad Hilarium. Item ex synodi hujusce Milevitanæ literis ad Innocentium Papam: quibus sic eum compellat: *Hac ad sanctitatem tuam de concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis provinciæ coepiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac caussâ scripsisse comperimus.* Intelligi autem istius anni concilium, non ejus, quod propè ante quinquennium fuerat institutum, cognoscimus ex responso Innocentii Papæ; qui per eundem legatum ab utraque Synodo epistolas se accepisse significat: *Frater*, inquit, *& coepiscopus noster Iulius dilectionis vestræ literas, quas ex Milevitano concilio curâ fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit: Carthaginensis etiam Synodi querela parilis scripta subjungens.* Ex quibus verisimile fit, Julium episcopum ab Aurelio Carthaginensi episcopo ex Synodo Carthaginensi missum fuisse in Numidiam, ut unâ operâ secum ex Milevitano concilio literas ad Innocentium perferret. Ac videtur Synodus utraque celebrata fuisse tempore auctumnali, unde ante hiemem missa legatio, hiemis tempore Romam pervenerit. Sanè mense Ianuario sequentis anni ad superiores literas Innocentius rescripsit.

Cap. XLIV.

De Concilio Africæ particulari sub Zosimo.

ATque hi quidem quatuor episcopales conventus, tempore Innocentii habiti sunt. Zosimi verò ætate duos minimùm institutos comperior. Prioris nullam apud Ecclesiasticorum annalium scriptorem, vel alium quenquam mentionem factam miror. Nam duorum clarè meminit Augustinus epist. ad Valentinum & fratres, his verbis: *Quod scriptum est ad Papam Innocentium, Romanæ urbis episcopum, de concilio provinciæ Carthaginensis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius à quinque episcopis, & quæ iste ad tria ista rescripsit: item quod Papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos, & quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus.* Citat quidem hæc verba etiam Annalium scriptor *a*: sed ait, plenarium Africæ concilium ab Augustino *posterius* dici, respectu ejus, quod Innocentii tempore celebratum erat. Atqui non amplius loquitur is de synodis sub Innocentio habitis, (qualia fuisse dicit Carthaginense & Numidiæ concilium) sed iis, quæ sub Zosimo coacta fuerunt. Apertè igitur indicat, ante plenarium Africæ concilium habitum esse aliud particulare, ex quo literæ ad Zosimum missæ sint in Cælestianâ caussâ. Quod istarum fuerit literarum argumentum, cognoscere possumus ex Augustini lib. secundo ad Bonifac. cap. III. *Hoc ut plenius & manifestius in illo* (Cælestio) *fieret, exspectabatur venturis ex Africâ literis; in quâ provinciâ ejus aliquanto calliditas evidentius innotuerat: quæ Romana* (scrib. Romam) *literæ venerunt, id continentes, non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quòd se generaliter Innocentii episcopi literis consentire fatebatur; sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat; ne, si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à sede Apostolicâ crederent approbata, propterea quòd ab illâ dictum erat, eum libellum esse Catholicum, quàm emendata, propter illud, quod se Papæ* (leg. Papæ) *Innocentii literis consentire ipse responderat.* Et hæc de particulari sub Zosimo concilio.

a Ad an. 418. p. 425. edit. Mor.

Cap. XLV.

De synodo Africæ universali.

PRæterea alterius Africæ concilii, ejusque plenarii ac generalis, meminit Augustinus, uti vidimus. Hoc, anno CCCCXVIII, Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. sub Aurelio Carthaginensi episcopo habitum est. κατ' ἐξοχὴν Africana Synodus vocari solet: ut ab Orosio apolog. de arbitrii libertate *a*, ubi ex eo citat cap. VI, item à concilio Valentino Gall. cap. ult. *b* Hujus synodi octo habemus canones, optimo sanè ordine digestos: ut libb. seqq. ostendemus. Vulgò isti tribuuntur concilio Milevitano. Atqui quæ istoc, uti & primo secundoque Carthaginensi, fuerant decreta, eadem postea Carthaginensi tertio, sive hoc plenario Africæ concilio, recensita sunt & approbata. Hæc caussa est, cur Carthaginensis primæ, aut secundæ, vel Milevitanæ Synodi canones, nulli legantur in ipso codice canonum ecclesiæ Africanæ, quem ante biennium Græco-Latinum edidit Cl. V. Christianus Justellus. Quid enim illis opus? cùm nihil Synodi istæ decreverint, quod non item Carthaginensi III sit sancitum, & quidem tum plenius, tum majori cum autoritate; quando ad eam, præter Milevitanos patres, etiam reliquæ Africæ, hoc est, ex proconsulari, Byzacensi, Tripolitana, & Mauritaniarum provinciis, convenerant ecclesiarum legati. Unde liquet, errare eos, qui canones concilii Milevitani, aut alterutrius Carthaginensis, (par enim horum ratio est) intercidisse arbitrantur.

a P. 697 edit. Col.
b T 3. concil p. 651. edit. Col. 1606.

trantur. Quippe, uti diximus, Carthaginensis tertiæ canonibus continentur: qui adhuc supersunt. Similiter falluntur, quibus est persuasum, Milevitanæ synodi esse canones eos, qui illi in conciliorum tomis tribuuntur vulgo, & ejusce concilii nomine à doctis hactenus citari solent. Nam tertii esse Carthaginensis (tertii, inquam, in Pelagianâ causâ, sed minimùm septimidecimi eorum, quæ tempore Aurelii episcopi Carthagine habita sunt) fidem fecerit auctoritas tum MSSorum librorum, quos inter vetustus codex Monasterii Sancti Bavonis in urbe Gandavensi: tum editionum variarum, uti Coloniensis Petri Quentelii anni ƆƆXXXVIII *a*, & alterius, ejusdem anni ƆƆLI *b*. quarum utramque procuravit Petrus Crabbe: imò, ut alias omittam, nuperæ Coloniensis Severini Binnii, anni CIƆIƆCVI *c*. His adde codicem *d* canonum ecclesiæ Africanæ capite CVIII. item codicem *e* canonum veteris ecclesiæ Romanæ cap. LXXVI. concilii Africani. item Cælestinum epist. ad Gall. c. x. Hadrianum I. *f* in Epitome canonum, quam Carolo M. Romæ obtulit; Anastasium Nicænum quæst. LXV. & Photium μυριοβίβλῳ cap. LIII. à quibus omnibus canones illi Carthaginensi concilio sanciti dicuntur: nec hactenus ullus occurrit scriptor antiquus, qui tribuerit Milevitano. Quod doctissimus Photii interpres & scholiastes, Andreas Schottus, monet, à Photio illud Carthaginense intelligi, cujus epistola Synodica inter Augustinianas extat, hoc est, Carthaginense secundum; id abunde eo refellitur, quòd istud celebratum est ab episcopis LXVII; at Photius loqui se dicit de Carthaginensi, quod episcoporum fuit CCXXIV. Intelligit igitur Carthaginense tertium, sive universale Africæ concilium, quod ab episcopis CCXIV habitum esse, dicit Prosper adversus Collatorem cap. x. *Erravrunt igitur ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistolâ, quam suis constitutionibus protulerunt, ita Apostolicæ sedis antistitem B. Zosimum sunt allocuti, &c.* Meminit ejusdem Micrologus cap. v: *Octavum*, inquit, *Africana provinciæ concilium (cui sanctus Augustinus, imo ducenti & quatuordecim sancti patres interfuerunt) capitulo duodecimo ita constituit.* Quòd autem Photius denario auctiorem episcoporum numerum facit, hoc inde esse arbitror, quòd in librum inciderit, ubi pro CCXIV scriptum esset CCXXIV: quem numerum, in quodam Prosperi Chronicorum codice, etiam reperit Arnoldus Pontacus. Omnino igitur culpam hanc Romano librario tribuere malim, quam, cum doctissimo Justello, Photii exscriptori; quasi nempe is pro ιδ´ scripserit κδ´. qui error minus est proclivis, quàm iste alter. Idem etiam ex superiori Prosperi loco corrigendus in Chronicis: ubi sic scribi solet: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & septem episcoporum, ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta prolata sunt: quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnatur.* Omnino enim pro XVII scribi debet XIV. prout rectè est in quibusdam MSSis, & apud Prosperi exscriptorem, Marianum Scotum. Occasionem errori præbuit concilium Carthaginense IV, quod sub Bonifacio indictum fuit anno CCCCXIX. Nam hoc episcoporum fuit CCXVII. Estque hic ille conventus, in quo codex canonum ecclesiæ Africanæ (quem Græco Latinum edidit nuper Justellus) ex canonibus conciliorum XVIII, quæ sub Aurelio, Carthaginensi episcopo, celebrata erant, compositus fuit. Quæri potest, quâ de synodo intelligi debeant versus hi Prosperi lib. de ingratis cap. II.

a T. I. Fol 305. *b* T. I. pag. 514. *c* T. I. pag 612. *d* Pag. 289. *e* Pag. 260. edit. Paris. 1609 ex col. juxta exemplar Moguntinum an. 1525. *f* T. 3. concil. p. 290. Col. 1606.

Condita sunt & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum sunt edita linguis.

Centuriatores Cent. V. cap. V. *g* interpretantur de trecentis qui libros adversus Pelagianos scripserunt. Sed hoc, ut innumera alia apud eosdem, plane putidum est. Baronius *h*, eumque secutus Claudius Menardus *i*, de synodo Carthaginensi II & Milevitanâ loqui putant, eò quòd non multò antè gemini horum cœtus meminerit Prosper. Sed obstat, quòd Carthaginensi isti solùm interfuerint episcopi LXVII, Milevitanæ autem LIX. quemadmodum ex nominibus eorum liquet, quæ habemus in utriusque concilii literis ad Innocentium. Quare verius est, quod Baronius addit, posse etiam intelligi utrumque Carthaginense. Nempe illud, quod partim erat LXVII, itemque quod à ducentis & quatuordecim fuisse celebratum, paullò ante ex Prospero, optimo sui interprete, vidimus. Minùs tamen, adnumerari istis patres secundi Carthaginensis, cùm iidem qui secundo, hi etiam tertio Carthaginensi interfuerint. Omnia liquidiora erunt, si pro *tercentenis* legatur *bistentenis*. Quomodo tamen à Prospero scriptum fuisse, spondere non ausim. Possevinus verò, cùm in Apparatu suo scribit, generale Africæ concilium sub Zosimo à CCXXVII episcopis habitum esse, cunctis tam MSSis quàm excusis Prosperi codd. refellitur. Et hæc de Africano concilio universali. In conciliorum Tomis legere est canonum plurimorum σύνταγμα, editorum nomine concilii Africani, in quibus & Pelagius Cælestiusque damnantur. Sed canones illi ad Pelagianam caussam pertinentes sunt illi ipsi, qui universali Africæ concilio sunt decreti. Nec σύνταγμα illud aliud est quàm farrago canonum, qui non uno, sed conciliis variis decreti sunt, & à compilatore per saturam postea congesti, imperiteque unius concilii nomine inscripti; uti etiam monuit Ferdinandus de Mendoza lib. II. de confirmando concilio Illiberitano cap. I, pag. 4. Quare non est quod de eo quicquam hoc loco dicamus; cùm, quæ in Pelagianâ causâ continet, ea ex Carthaginensi sive universali Africæ concilio adferantur; uti diximus.

g Col. 528. *h* T. 5 Annal. p. 392. edit. Moreti. an. 1602. *i* Notis ad August. adversum Juliani libb. duos poster. p. 467.

Cap. XLVI.

De concilio Gallicano, tempore Cælestini.

SEptimum est concilium Gallicanum anni CCCCXXIX. quo Florentius & Dionysius coss. fuere. Ad horum consulatum sic scribit Prosper in Chronicis: *Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Brastania* (l. Britanniæ) *dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed adactione Palladii diaconi, papa Cælestinus Germanum Antissiodorensem episcopum vice suâ mittit, ut, deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* Non tamen solus missus Germanus Antissiodorensis, (pro quo apud Freculphum *a* vitiosè *Utisiodorensis* legitur) sed etiam Lupus, episcopus Trecensis: neque solo missi mandante Cælestino, sed simul probante numerosâ synodo Gallicanâ, quæ eò convenerat, quòd cognovisset, Pelagianos, Imperatorum legibus damnatos, profugisse in Britanniam, natale Pelagii solum, ubi latêre se, & hæresin suam facilius instillare posse sperabant. Constantius presbyter *b* lib. I. de vitâ Germani cap. XIX. *Eodem tempore ex Britanniis directa legatio Gallicanis episcopis nunciavit, Pelagianam perversitatem in locis suis latè populos occupasse, & quamprimum fidei catholicæ debere succurri. Ob quam caussam,* SYNODUS NUMEROSA *collecta est, omniumque judicio duo præclara religionis lumina, universorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus, Apostolici sacerdotes, terram corporibus, cælum meritis possidentes.* Similiter Beda lib. I. histor. Angl. cap. XVII. *Ante paucos sane adventus eorum annos, hæresis Pelagiana per Agricolam illata, Severiani Episcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœdâ peste commaculaverat. Verum Britanni, cum neque suscipere dogma perversum, gratiam Christi blasphemando, ullatenus vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent; inveniunt salubre consilium, ut à Gallicanis antistitibus auxilium bellò spiritualis inquirant. Quam ob caussam, collectâ* MAGNA SYNODO, *quærebatur in commune, qui illuc ad succurrendum fidei mitti deberent: atque omnium judicio eligebantur Apostolici sacerdotes, Germanus Antissiodorensis &*

a T. 2. lib. 5. c. 16. *b* Apud Surium T. 4.

Lupus Trecassina civitatis episcopus. Quibus ex Bedæ verbis simul liquet, Severiani Pelagiani episcopi filium, qui Britanniam infecerat, Agricolam fuisse appellatum. Quod & Prosper in Chronicis testatur, uti vidimus. Sed in codd. multò plurimis, etiam eo quem Ios. Scaliger cum Eusebio suo edidit, non item illo Arnoldi Pontaci, τὸ Agricola ad superiorem versum rejicitur, corrupteque hunc in modum scriptum invenitur; *Felice ad patriciam dignitatem provecto, Aetius Magister militum factus est ex agricolâ, Pelagianus Severiani episcopi Pelagiani filius, &c.* Sanè ut Aëtius ex agricolâ magister militum factus dicatur, planè advertatur omnibus historicis, qui vel ortus Aëtii conditionem, vel honores, quos gessit, scriptis consignarunt. Vide Iornandem de rebus Geticis cap. XXXIV. atque alios eorum temporum scriptores.

Quamquam verò, quamdiu Germanus & Lupus in Britannia agerent, Catholicum dogma ubique personaret; tamen, post eorum discessum, hæresis repullulavit: adeò ut Britannorum postulato, Germanus secundò iter in Britanniam instituerit, assumto tunc secum Severo, Lupi discipulo, Tricassinorum episcopo. Vide Constantium presbyterum de vitâ Germani lib. II. cap. I. II. III. IV. Bedam histor. Anglic. lib. I. cap. XXI. & Hericum Antissiodorensem *a* lib. III. & IV. vitæ B. Germani, quam ante annos septingentos carmine scripsit ad Carolum Crassum Imp. Inter alia de priori in Britanniam legatione & synodo Gallicana sic ait:

a Vide & Henricum Huntindon Histor. Angl. lib. 2. c. 6. quem, uti & Bedam, laudat historiæ hujus testem Thomas Bradwardinus præfat. lib. de causâ Dei contra Pelagium.

Præsulibus Gallis pandit legatio fida
Discrimen fidei partes lapsantis in illas.

Et mox:

Hinc synodus numerosa coit, communibus illic
Caussa subest lacbrymis.

Cumque virum virtutibus variis inclytum, & tantæ legationi parem, quæsitum esse dixisset, adjungit:

Has in Germano reputant consistere dotes.

Deinde collegam ei Lupum additum ait,

Nobilis Augusta quondam qui sorte Trecarum
Præsul erat, signis & claro nomine summus.

Libro verò sequenti, alterius profectionis caussam exponit his verbis:

Vix præsul positis humeros subduxerat armis
Immensum fessus, propriamque reviserat urbem:
Ecce ferebantur precibus mandata coactis
Cunctorum, quiqui fuerant ex parte piorum,
In miseros iterum pestem recidisse Britannos
Dogmatis insani.

Postea profectionem ipsam, & adventum in Britanniam narrat. De prædicatione verò gratiæ, & Pelagianis ex Britannia expulsis, scribit in hunc modum:

Hinc sacer ad plebem sermo convertitur omnem
De lapsis, seu qua reparent impendia lapsum.
Obtinet immotis columen fundata columnis
Tuta fides, fidei pugnant pro fœdere cuncti.
Perpauci superant detecta fraudis alumni.
Sistuntur, cunctis eadem sententia perstat,
Multare exilio jugi. sic insula felix
Tartareâ tum peste carens, insignibus alma
Nunc etiam fidei casto splendore coruscat.

Denique librum clausurus utramque profectionem tangit, ubi sic Germanum compellat:

Tuque ô, cui toto discretos orbe Britannos
Bis penetrare datum, bisque intima cernere magni
Monstra maris.

Germanum hunc Centuriatores Gnomatium vocant cent. V. cap. V. Quod σφάλμα operarum videri poterat, nisi similiter in Indice vocaretur, & solemne esset scriptoribus istis, in nominibus etiam celebrium virorum errare.

Cap. XLVII.

De concilio Ephesino generali.

Octavum in hac caussâ concilium œcumenicum erat, quod anno CCCCXXXI habitum est. Quamquam enim propter Pelagianos convocatum non fuit; tamen, Pelagianis Nestorium damnare refugientibus, atque adeò illum etiam juvantibus, Patres occasione eâ uti voluerunt, ad Pelagii asseclas unà cum Nestorio damnandos. Hæc ita esse, ipsis concilii actis comprobatur. Nam T. IV. cap. VIII. *a* exstat *exemplum relationis, quam sacra synodus ad piissimos reges de Orientalibus transmisit.* In cujus extremo legas; *Perabsurdum sanè foret, si toleretur, ut ducentorum & decem sanctorum episcoporum synodo, quibus universa occidentalium episcoporum multitudo, & per hos reliquus terrarum orbis, triginta tantum sese opponant. Maxime vero cum alii ex illis jam pridem sint ordine moti, alii* PRAVA CÆLESTII DOCTRINA INFECTI. Ejusdem tomi cap. IX. *b* in literis synodalibus: *Nullam omnino velut ex sacerdotali auctoritate potestatem habent, quâ ulli omnino Ecclesiastica communionis homini nocere aut prodesse possint: quippe cum plerique ex illis gradu sint moti: omnes autem* CÆLESTII *aut Nestorii* ERRORIBUS INFECTI. Et mox can. I. *Notum facimus vestra sanctitudini, quod si provincia cujuspiam metropolitanus à sacrâ & œcumenicâ synodo desciscens, defectionis conciliabulo sese addixerit, vel postea quoque* CUM CÆLESTIO SENSERIT, *vel etiamnum sentit: hujusmodi contra provincia sua episcopos nihil omnino decernere posse, quod* A SACRA SYNUDO AB OMNI COMMUNIONE ECCLESIASTICA SECLUSUS, NULLIUS DEINCEPS POTESTATIS AUT AUTORITATIS EXISTAT. Et can. IV. *c*: *Si qui clerici desciverint, privatimque vel publicè Nestorii* CÆLESTIIVE DOCTRINAM *tenere, profiterive ausi fuerint, illos sacra* SYNODUS PRO DEPOSITIS HABENDOS *esse æquum censuit.* Item ejusdem Tomi cap. XVIII, in epistolâ synodicâ ad Cælestinum, Urbis Episcopum *d*: *Porrò perlectis iis in sancta Synodo, quæ* DE IMPIORUM PELAGIANORUM, CÆLESTII, PELAGII, JULIANI, *Persidii, Flori, Marcellini, Orentii, reliquorumque eadem cum illis sentientium* DEPOSITIONE *à pietate tua sic decreta & constituta sunt,* JUDICAVIMUS ET NOS QUOQUE, EA SOLIDA FIRMAQUE PERMANERE DEBERE. *Quare iidem omnes vobiscum sentientes, & nos iisdem eos pro depositis habemus.* Qui locus planè meretur, ut (quemadmodum ἐν τοῖς χρησίμοις & laudabilibus facere antiqui solent) τὸ χ illi vel L appingatur. Nam hinc discimus, ut Episcopi Romani de Pelagio Cælestioque judicium ab universali synodo sit approbatum. Quod verò ex actis synodicis hactenus ostendimus, idem variorum etiam scriptorum auctoritate demonstratur. Prosper in Chronicis: *Congregatâ apud Ephesum plus ducentorum synodo sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi juvabant dogma, damnatur.* Et adversus Collatorem: *Per hunc virum* (Cælestinum) *etiam Orientales Ecclesia geminâ peste purgata sunt, quando Cyrillo, Alexandrina urbis antistiti, gloriosissimo fidei Catholica defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur.* Hæc caussa est, cur idem Prosper unum utriusque hæresios scripserit epitaphium: quod præmittitur carmini περὶ ἀχαρίστων. Etiam Gregorius M. lib. V. epist. XIV. Pelagium eâ synodo damnatum testatur. Item Photius μυριοβίβλῳ cap. LIII. Ἀνεθεματίσθη αὕτη ἡ (τῶν Πελαγιανιστῶν) αἵρεσις καὶ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγίᾳ συνόδῳ.

a P. 972. edit. Ingolst.

b Pag. 574.

c Pag. 575.

d Pag. 602.

Cæterùm, quia præter Ephesinam veram etiam pseudosynodus habita Ephesi fuit: hinc contigit, ut nonnullis

veræ

veræ falsæque synodi acta permiscentibus, prò genuinis actis, quibus Pelagius Cælestiusque damnabantur, adulterina cœperunt circumferri: ad quæ, Gregorii Magni ævo, à Pelagianis provocabatur. Sed fraudem vidit & detexit Gregorius: quem adi lib. v. epist. xiv. lib. vii. epist. xlvii. & imprimis lib vi. epist. xxxi.

Cap. XLVIII.

De Synodo Arelatensi.

NOnum conciliorum, quod Pelagii dogma improbavit, Arelatense fuit, quod epistolæ Fausti ad Lucidum subscripsit. Eo Pelagium damnari hæc epistolæ verba ostendunt: *Anathema illi, qui, inter reliquas Pelagii impietates, hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse salvari, damnandâ præsumtione contenderit, & qui eum sine gratiâ Dei liberari posse crediderit.* De vero hujus concilii tempore, paullò post edissertabimus. An autem hæc synodus ita damnet Pelagianos, ut interim non obscurè inclinet in Semipelagianorum partes: hoc commodiùs disquiremus, cùm opere hoc ipso tractabimus de actibus illis divinæ bonitatis, qui electis cum reprobis sunt communes.

Cap. XLIX.

De Concilio Lugdunensi.

DEcimum in hac causâ concilium est Lugdunense, quod Arelatensis synodi decreta comprobavit: sed aliqua ei adjici voluit. Faustus præfat. ad Leontium: *In quo quidem opusculo, post Arelatensis concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua synodus Lugdunensis exegit.* Hujus concilii postulato se librum suum scripsisse, ibidem Faustus ait. Nec tamen ea ipsa, quæ Lugdunenses Patres adjici voluerunt, planè illa esse putamus, quæ capitibus ab Arelatensi concilio approbatis in libello suo adjicit Faustus. Nam quamquam ex superioribus ejus verbis satis patet, Prædestinatorum dogma, ut Arelatensi, ita etiam Lugdunensi concilio fuisse damnatum: nec obscurè dicatur, Lugdunensem synodum plura improbasse in Prædestinatis, quàm Arelatensem, tamen ut qui Lugdunensi concilio interfuerunt, in tantùm, ac à Fausto factum, ab Augustini mente recesserint, singulasque Fausti sententias comprobarint; hoc verò cur de patribus iis credam, caussam satis gravem videre hactenus non possum. Quin potiùs judico, Faustum, mandati limites excedendo, synodum eam decepisse. Sanè libellum ejus à synodo Lugdunensi comprobatum fuisse, nullis demonstrari indiciis potest.

Cap. L.

De tempore Concilii Arelatensis & Lugdunensis.

DE utriusque hujus synodi tempore dicendum nunc aliquid nobis, cùm propter alios, tum Severinum Binnium, virum & eruditum & industrium: sed qui subinde, in digerendo & illustrando operosissimo Conciliorum opere, aliquid (& qui fieri aliter potuit?) humanitus patiatur. Hic igitur cùm dixisset *a*, concilium Arelatense III celebratum esse sub Iohanne I, inque eo de servandâ Ecclesiæ disciplinâ in ordinandis ministris actum esse, in istum modum scribere pergit: *Hac synodo, subscriptione Episcoporum, approbata est illa epistola Fausti Regiensis, quam dedit ad Lucidum quendam, magni nominis presbyterum, Prædestinatorum hæresin sectantem, &c.* Mox Fausti & Lucidi litteras concilio ipsi subjicit. Quid moverit eum, ut ita sentiret, obscurum non est. Nempe arbitrabatur, Arelatense hoc tertium, eorum esse Arelatensium primum, quæ post ortos Pelagianos ac Semipelagianos habita sunt. Unde consequitur, Faustum nec primo, nec secundo Arelatensi interfuisse. Sanè de primo non repugnamus. Nam ante Pelagii tempora habitum esse, inde certò liquet, quòd in Cæciliani caussâ coactum fuerit contra Donatistas. Quare Constantini M. & Sylvestri Papæ temporibus habitum esse, verissimum est. Nempe vel anno cccxvi. ut vulgo scribunt: vel potius mox post obitum Melchiadis: ut docet Ferdinandus Mendoza de confirmatione Illiberitani concilii lib I. cap. II. pag. 27. Nam quòd objici posset, post concilium Nicænum fuisse habitum, quia in eo Arrianorum mentio fiat can. VIII, rectè monet Mendoza, tum hic tum apud Gratianum in cap. de Arrianis, de consecrat. dist. 4. pro Arrianis legi debere Afris, quandoquidem de caussâ Afrorum, Cæciliani & Donati, eo concilio actum fuit. Sed de altero quod sibi Binnius sumit, hoc minimè verum putamus. Fatemur quidem, illos errare, qui, primis conciliorum editionibus decepti, illud ejusdem Constantini temporibus habitum esse arbitrantur. Sed quamquam minus spisso, tamen errore etiam tenetur Binnius, cùm censet, indictum esse tempore Valentin. & Theodos. Impp. ac Siricii Papæ. Video, proram & puppim illi esse, quòd concilii ejus can. XVII Bonosiacorum mentio fuerit: hi autem ante Siricii tempora non innotuerint. Sed profectò hinc non aliud colligere debuit, quàm, non esse habitum ante tempora Siricii: eoque Arelatensis secundi subscriptionem, quæ in primis editt. legebatur, rectè in novissimâ ad primum Arelatense referri. Verùm ut hinc Binnius concludat, concilium istud Siricii tempore institutum esse, eoque multo ante Pelagianos exortos habitum esse, equidem non video. Pari enim jure dixerit, Constantii & Constantis Impp. temporibus fuisse coactum, quia eorum, qui sub illis orti, canone ejusdem concilii sextodecimo mentio fit. Vel (quod nostræ impensè favet sententiæ) circa Gelasii tempora concilii ejus Patres coiisse, quandoquidem is conjunctim Photinianos & Bonosiacos damnavit. Verùm facessant hæ nugæ. Nos potius, quia Arelatense concilium approbavit epistolam Fausti, & ejus tempus aliis indiciis cognosci certò non potest, in eam venimus suspicionem, ut hoc putemus esse illud ipsum concilium, quod subscripsit litteris Fausti. In eo si nos ratio fugerit, proximum est, ut dicamus, quemadmodum aliorum multorum, ita illius quoque concilii, quod Fausti tempore Arelate habitum fuit, acta Synodica deperiisse: illud verò Arelatense, quod tertium vulgo vocatur, revera fuisse quartum. Nisi hoc magis verisimile aliquis putet, canones duorum Arelatensium conciliorum in unum coaluisse: eoque non quidem acta planè interiisse, sed alterius Arelatensis, seu secundi, seu tertii nomine, nunc legi: quomodo in Milevitano, & aliis non paucis, duorum conciliorum canones in unum conflatos esse constat. Sed ut in his conjecturâ aliquâ opus est, ita illud extra controversiam omnino posthac poni debet, neutiquam subscriptionem literarum Fausti esse à concilio istoc Arelatensi, quod vulgo tertium nominatur, quodque sub Cæsario Arelatensi, tempore Joannis Papæ, celebratum fuit. Hæc enim Binnii sententia planè absurda est, ac vel unico pedatu obteri ab eo poterit, qui utrumque Arelatensium patrum indiculum, immo qui triplicem editionem, conferre non gravabitur. Quarum prima, Fausti est illa, quæ seorsim prodiit, procurante Erasmo: quam expressi ab exteriori latere. Secunda, Fausti illa, quam expressi ex Bibliothecâ Patrum Margarini. Tertia, Arelatensis concilii illa in chartâ interiori.

a Tom. 2. pag. 386. ant. Col. 1606.

Nam Arelatensi quidem, quod Fausti epistolæ subscripsit, hi interfuere Episcopi; juxta editionem Margarini in Bibliothecâ Patrum.

Amicalis.	Amicalis.
Auxianus.	Auxanius.
Basilius.	Basilius.
Claudius.	Claudius.
Euphronius.	Crocus.
Eutropius.	Euphronius.
Faustus.	Eutropius.
Græcus.	Faustus.
Joannes.	Fonteius.
Julianus.	Græcus.
Leontius.	Ioannes.
Leucadius.	Iulianus.
Licinius.	Leucadius.
Mamertus.	Iulianus.
Marcellus.	Leontius.
Megerius.	Licinius.
Opilio.	Mamertus.
Paulus.	Marcellus.
Prætextatus.	Megerius.
Pragmatius.	Opilio.
Theoplastus.	Patiens.
Vitianus.	Paulus.
Viventius.	Prætextatus.
	Pragmatius.
	Theoplastus.
	Vetianus.
	Ursicinus.
	Viventius.

Canonibus verò Concilii Arelatensis, quod tertium vocatur, isti subscripsere.

Agricii nomine Cataphronius.
Cælestinus.
Cæsarius.
Constantini nomine Leontius.
Contumeliosus.
Cyprianus.
Eucherius.
Florentius.
Galliani (lego, Gallicani) nomine Meterius.
Ioannis nomine Desiderius.
Iulianus.
Maximus.
Philagrius.
Prætextatus.
Promanus (sive Porcianus.)
Severi nomine Cataphronius.

Cùm subscriptiones istæ, ne quidem unius in episcopi nomine conveniant, profectò luce ipsâ clarius est, unam esse Synodum non posse, quæ Fausti literis, quæque Arelatensis tertiæ canonibus subscripsit. Quod quia satis nunc clarum est, distinctè deinceps ostendemus, quando utraque istæc Arelatensis synodus habita sit. Ac prius de illa videamus, cui præfuit Cæsarius Arelatensis. In conciliorum Tomis celebrata hæc esse dicitur ærâ CCCCLXI, qui fuerit annus Christi CCCCXXIII. Quod falsum esse omnes agnoscunt. Verùm Bellarminus testatur, in libb. aliis scribi æram CCCCXCII, qui fuerit annus Christi CCCCLIV. Atque hunc ipse verum Arelatensis concilii annum esse autumat. Nos (quo nihil in numeris frequentius) integrum centenarium excidisse putamus, eoque pro æra CCCCLXI scribimus CCCCCLXI, qui fuerit annus Christi IↃXXIII. vel potiùs, quia Bellarminus in libris aliis integrum numerum in binarium desinere testatur, scribimus, ærâ CCCCCLXII. hoc est Chr. IↃXXIV. Bellarmineam æram refellit, quòd Cæsarius huic concilio præfuit, & qui subscripsere, iidem sunt, qui cum Cæsario interfuerunt concilio Arausicano secundo. Hoc autem anno IↃVIII, vel potius IↃXXIX habitum esse, solidè inferius ostendemus. Quare sequitur, circa Arausicani concilii tempora hujusce synodi patres convenisse: nempe triennio antè, hoc est IↃXXIV. Nam in prologuio ejus dicitur, celebratum esse consule Opilione. At in Marcellini Chronico ad annum IↃXXIV disertim legimus, INDICTIONA II. IUSTINO II. & OPILIONA COSS. Quare etiam in prologuio illo, pro Marciano, rectiùs IUSTINO scribatur: vel potius Iustini & Vincomali nomina planè inducantur. Caussam hujus erroris indicabimus. Scriptum simpliciter erat, *consule Opilione*, prætermisso Cæsare, ut sæpe aliàs. Librarius, vel alius, cùm ambigeret, quod tempus signaretur, Fastos consuluit, ac in Marcellini Chronico, atque aliis ad annum CCCCLIII reperit hæc verba: INDICTIONE VI. *Vincomalo & Opilione Coss.* Quocirca, cum minimè cogitaret, alterum etiam Opilionem post annos LXXI consulatum gessisse; seu alienæ memoriæ consulturus, Marciani & Vincomali nomina oræ allevit: quæ in contextum postea irrepsere. De Arelatensis ejus tempore, quod ternum numerari solet, satis diximus. Nunc videamus de tempore alterius Arelatensis, cui Auxianus præfuit, quodque Fausti ad Lucidum literas approbavit. Hoc illo, de quo hactenus egimus, multo esse antiquius, manifestis comperimus indiciis. Ac primò inde, quòd Sidonius Apollinaris ad plerosque eorum Episcoporum, qui concilio interfuerunt, atque ad ipsum etiam Faustum, literas misit. Nam ad Euphronium scribit epist. VIII. lib. VII. & epist. II. lib. IX, ad Eutropium epist. VI. lib. I. & ep. VI. lib. III. & epist. V. lib. V. ad Faustum epist. III. lib. IX. & epist. IX. lib. IX. ad Iulianum ep. V. lib. IX. ad Migecium epist. III. lib. VII. ad Patientem ep. XII. lib. VI. ad Pragmatium ep. II. lib. VI. Quatuor tantum sunt, ad quos non scripserit, Auxianus, Claudius. Leucadius & Paullus. Ex quibus Auxiani sive Auxami (si pro Auxanio sic legi debet, ut Baronius quidem putat) mentionem etiam habes in epistolâ ad Leontium, aliosque episcopos, super caussâ inter ipsum & Ingenuum Ebredunensem, missa ab Hilaro Papa, qui anno CCCCLXI & sexennio pòst Romanæ præfuit Ecclesiæ. Porrò omnium istorum etiam meminit Lucidus in suarum literarum inscriptione, quas misit ad patres concilii Lugdunensis. Verùm insuper addit, Amicalem, Basilium, Fonteium, Græcum, Ioannem, Mamertum, Marcellum, Leontium, Licinium, Prætextatum, Opilionem, Theophrastum, Vitianum, & Viventium. Ex his, ad Basilium Sidonius scribit ep. VI. lib. VII. ad Fonteium sive Fontelum ep. VII. lib. VI. & ep. IV. lib. VII. ad Græcum ep. VIII. lib. VI. & ep. II. lib. VII. & ep. IV. lib. IX. ad Mamertum epist. I. lib. VII. ad Leontium ep. III. lib. VI. ad Theophrastum ep. IV. ibid. V. & ep. V. lib. VI. Ioannis verò meminit ep. XXV. lib. V. Nec leve illud pondus habet, quòd Sidonius ad Faustum scribit, tanquam ad virum ætatis provectissimæ: ut quem, licet non sine ὑπερβολῇ, Iuvenalis exemplo, dicat, jam dexterâ annos suos com-

computare, hoc est annum explesse centesimum: ut haut diu supervixisse, nedum conciliis interfuisse possit. Atqui Sidonius vel non pervênit usque ad tempora Anastasii Imp. hoc est, annum ccccxci, (sanè Leonis & Zenonis Impp. tempore floruit, uti scribit Gennadius in catal. Vir. ill. cap. xcii. & ex eo Honorius Augustod.) vel summùm Anastasii temporibus annos duos tres vixit. Unum est, quod decipere incautum possit. Nam quia Sidonius epist. ad Agricolam (quæ secunda est lib. i.) Theodoricum regem describit, opinari aliquis possit, tam Sidonium, quàm Faustum, vixisse tempore concilii Arelatensis tertii, cui præfuit Cæsarius, Arelatensis Episcopus. Cæsarium enim Theodorici, Gothorum regis, tempore floruisse, testatur Cyprianus in ejus vitâ. Sed facilè eximus hunc ictum. Nam quamquam Severinus Binnius, notis in concilium Taraconense *a*, eundem esse existimet Theodoricum, quem Sidonius epist. ad Agricolam describit, & istum, cujus Cassiodorus cancellarius fuit: tamen nobis nihil certius, quàm, antiquiorem multò fuisse illum Sidonii; quicum & se pilâ lusitasse, eâdem epist. Sidonius scribit. Siquidem iste tempore Marciani Imp. Fl. Avito, Sidonii socero, auctor fuit, ut, Maximo à Romanis discerpto, quod anno contigit cccLIV, susciperet imperium Romanum; atque ad hoc auxiliares eidem copias præbuit: quemadmodum Sidonius in Aviti panegyrico testatur, & Cassiodorus in Chronico, & Diaconus in Marciano. Unde liquet, quo judicio istæ Sidonii de Theodorico epistola, variis Cassiodori, aut edicto Theodorici, vel Ennodii in Theodoricum panegyrico, appingi soleat, cùm hic sit Theodoricus Veronensis, Gothorum & Italiæ rex, qui post Odoacrum interfectum (quod anno factum ccccxciii) in Italiâ imperavit annis xxxviii. Ex hisce omnibus satis liquet, quando Faustus fuerit episcopus Regiensis: nempe tempore Sidonii, qui ad eum scribit, uti & ad Claudianum Mamertum, qui libris tribus respondit opusculo Fausti de animâ sive de creaturis, quòd incorporei istis nihil insit. Sed hinc quidem apparet, vixisse intra annum ccccL & Iↄ. ac proinde Arelatense concilium, cui interfuit Faustus, annis minimùm xxiv recentius esse illo, cui præfuit Cæsarius: quod ad refellendum Binnianum errorem satis est: nondum tamen constat, quo anno Arelatensi interfuerit Faustus. Tempus illud sic propius attingemus. Prosper Aquitanicus minimùm pervenit ad annum ccccLXIII. quem ad annum eum collocat in Chronico suo Marcellinus. At inter Prosperi & Fausti episcopatum intermedius est episcopatus Maximi Abbatis: ut constat ex Sidonii Apollinaris carm. Eucharist. ad Faust. Ut satis verisimilis sit eorum sententia, qui Faustum circa annum ccccLXXII episcopum factum dicunt. Quodsi Prosper, non in Galliâ, ut Scaliger, Baronius, Bellarminus, & alii putarûnt; sed in Italiâ, quod verisimile magis videri superius diximus, Regiensis fuerit episcopus: jam quidem ex Prosperi ætate judicium peti non potest, sed tamen ex Sidonii literis qualecumque argumentum deducitur. Nam Sidonius ait, Gennadium vixisse tempore Leonis & Zenonis, qui anno ccccLXXIV imperare cœpit. Ita ex parte unâ, spatio illi quinquagenario, jam viginti duos annos circiter præcidimus. Ex parte item alterâ annos sex decidimus. Nam Gelasius Papa vivere desiit anno ccccxcvi. ei autem Gennadius dicavit librum Vir Ill. quo Fausti tractatum de gratiâ & libero arbitr. commendat. Imò Gelasius idem anno ccccxciv librum Fausti inter Apocrypha rejecit. Atqui, antequam scriberet hanc diatribam Faustus, concilium Arelatense & Lugdunense habita erant: ut paret ex ejus præfat. seu fidei professione ad Leontium. Ergò inter annum ccccLXXII & ccccxciv concilium utrumque peractum est. Quo autem anno, difficile dictu est: sed putamus esse annum ccccxci aut proximum. Cui sententiæ favet, quòd apud Adonem Viennensem hæc legimus: *Faustus ex abbate Lirinensis monasterii apud Rhegium Galliæ episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde qui ejus sensus in hac parte Catholicos prædicant, sicut Gennadius De illustribus viris, omnino errant.* Hæc ille ad annum ccccxcii: quo si Faustus sensus suos libro de gratiâ & libero arbitrio spargere cœpit, consequitur, eoipse vel præcedenti anno Lugdunense concilium habitum esse, cujus se jussu scripsisse dicit Faustus. Ac par ratio synodi Arelatensis, quando eam pauxillo tantum tempore antecessisse, satis clarum est ex iis, quæ de occasione synodi Lugdunensis, & Lucidi παλινῳδίας, diximus.

a Tom. 2. conc. pag. 371.

Sed quis Auxianus iste, qui in Arelatensi concilio primus subscripsit? Num ille, cujus Sidonium meminisse diximus epist. ad Leontium? Sed obstare videtur, quòd in hoc concilio primus fuerit subscripturus Arelatensis episcopus. Atqui eo tempore alium fuisse episcopum, series ipsa evincere videtur. Nam Patroclo Honoratus, Honorato Hilarius, Hilario Ravennius, Ravennio, ut ajunt, Eonius, Eonio Cæsarius successit: quorum primi tres ante Fausti episcopatum discesserant; Cæsarius verò annis aliquot post scriptum hunc à Fausto librum factus est episcopus. Verùm quod Ravennio Eonium successisse ajunt, quem veterem laudare possunt auctorem? Nobis sanè verisimile fit, post Ravennium Auxanium; post illum, Eonium Arelatensi Ecclesiæ præfuisse. Et fortasse alii quoque intercesserunt: de quo certiora, puto, docere nos posset Ecclesia Arelatensis. At sanè demus illis, quod sibi sumunt. Nec sic rem confectam habent. In mentem enim venit, pro Auxanio Eonium rescribi posse: qui tum Arelatensis fuisse episcopus videri queat, quando ad eum Gelasii extat epistola. Facilis verò in his nominibus lapsus librarii fuit, præsertim si pro Eonius scribi debet Æonius, quia Græcè sit Αἰώνιος, quod minus ab Auxanius abit. Adde quòd inde error potuerit oriri, quod Auxanius quidam post Cæsarium fuerit episcopus Arelatensis, anno IↄXLIV, quo tempore ad eum scripta exstat epistola Vigilii Papæ. Fortasse etiam uterque & Æonius & Auxanius subscripsit, sed nomen alterius librarii incuriâ est omissum. Sed utcumque hoc fuerit, nihil sanè caussæ est, cur idcirco dicamus subscriptionem istam à Fausto esse confictam: qui, si tale quid designasset, non tacuisset illud Maxentius, Fausto infestissimus, adversus quem commentationem Maxentii habemus: ut de aliis nihil dicam, qui, cum Fausti & ejus dogmatis meminerunt, indignum adeò facinus verbo saltem attigissent.

Cap. LI.

De Concilio Romano.

Undecimum in eâdem controversiâ Romanum concilium fuit, in quod anno ccccxciv Gelasius cum LXX episcopis convenerat. Decretum verò condiderunt, quòd Augustini & Prosperi scripta commendentur; Cassiani & Fausti improbentur. Habes illud non solùm in Collectione conciliorum, sed etiam in decreto Gratiani part. I. distinct. xvi. Sed in ea editione, quæ Gregorio XIII procurante divulgata est, Cassiani nomen expunctum invenitur, præter antiquiorum omnium editionum fidem.

Cap. LII.

De Concilio Sardiniensi.

Duodecimum est concilium Africanorum patrum in Sardiniâ exulantium: quorum epistola synodica ad Joannem presbyterum & Archimandritam, & Venerium diaconum, atque alios, unà cum tribus Fulgentii de Prædestinatione libris, Jacobi Sirmundi beneficio, Parisiis in lucem revocata est, anno cIↄIↄcXII. Concilii hujus tempus istum in modum indagavimus. Scribunt Patres in epistolâ suâ: *Quorum* (sancti Augustini ad Prosperum & Hilarium librorum) *mentionem beatæ memoriæ Hormisda, sedis Apostolicæ gloriosus antistes, in epistolâ, quam consulenti se sancto fratri, consacerdotique nostro Possessori a rescripsit, cum magno præconio Catholicæ laudis*

a *Hinc liquet errare Centuriatores Magdeburgenses, cùm censent episcopum hunc Africanum esse nominis incerti, sed fuisse possessorem defensoremque librorum Fausti: ut ipsi loquuntur* Cent. v. cap. v. col. 587.

dus inseruit. At Possessoris epistola ad Honorium scripta est xv. Kal. Augusti, consule Rustico: cui Gelasius idibus Augusti respondit; ut literæ amborum testantur. Rusticus verò consul fuit anno Iↄxx, ut ex Fastis certum est. Satis igitur liquet, synodum eam habitam esse post Idus Augusti ejus anni, quem diximus. Ante verò annum Iↄxxii. exactum, hoc concilium fuisse solutum, non minus claro indicio planum faciemus. Nam Africanos istos patres, qui à Thrasamundo, Vandalorum rege Ariano, anno Iↄiv, in Sardiniam erant deportati: hos anno Iↄxxii, defuncto Thrasamundo, è Sardinia revocavit, suisque sedibus restituit Childericus Catholicus: sed priusquam regnaret, quia sacramento se obstrinxerat Thrasamundo, nunquam se, ubi regnum fuerit adeptus, templa aperturum Catholicis. Quare concilium illud, nec ante Idus Aug. anni Iↄxx, nec post annum Iↄxxii habitum esse potest.

Cap. LIII.

De Concilio Arausicano II.

Decimumtertium est concilium Arausicanum II: de cujus tempore non magis historici consentiunt, quàm conveniunt horologia solent. Antiquiores quæque editiones Conciliorum (quas & Caranza in epitomá, Centuriatores Magdeburgenses, Joverius in editione sanctionum Ecclesiasticarum, & alii plurimi sequuntur) habitum esse testantur tempore Leonis Papæ I. sub quo in iisdem coactum fuisse dicitur concilium Vasense, Carpentoractense, & Arelatense III. Et sanè circa idem tempus quatuor ea concilia fuisse convocata, non vanam inde conjecturam capere licet, quod omnibus istis præfuit Cæsarius Arelatensis, & iidem ex parte episcopi interfuerunt: quemadmodum subscriptiones clarè docent. Itaque si Arausicani secundi annum cognoverimus, etiam aliorum trium propiùs tempus attingemus. Imò & Agathensis, cui idem præfuit, quodque in eadem ab illis tempora conjicitur. Cur verò Arausicanum hoc Leonis Papæ tempore celebratum putarint, ratio ea fuit; quòd & Prosperum, & Eucherium, & Cæsarium ei subscripsisse viderent: fuerunt autem, Prosperum Aquitanicum, è Leonis I. notario, Rhegii episcopum factum esse: Eucherius autem & Cæsarius etiam subscripserint Arausicano I, quod inscriptio indicat habitum esse Theodosio Juniore & Cyro coss. hoc est, Theodosii Imp. anno XXXIV. Leonis Papæ anno II. Sed quemadmodum in comœdiâ ex duobus Menæchmis, ita hic ex duobus Prosperis, duobus Eucheriis, duobus Cæsariis, tergeminus error profluxit. Nam Prosper, qui Arausicano II subscripsit, non Rhegiensis, sed Aurelianensis episcopus fuit: ut infrà ostendemus. Eucherius autem, qui Arausicano II interfuit, non est idem, qui intererat Arausicano priori, sed alter eo junior, Cæsarii familiaris: de quo in vitâ Cæsarii scribit ejus discipulus Cyprianus, cap XXII. Cæsarius verò, qui Arausicano II subscripsit, est ille magni nominis episcopus Arelatensis: unde & primo legitur loco. Is autem Arausicano primo interfuisse non potest, quia illud celebratum est præside Hilario, ut testatur subscriptio. Ubi non alius capiendus Hilarius, quàm is, qui necdum episcopus ad Augustinum de Massiliensium erroribus scripserat, quique in Arelatensi episcopatu successerat Honorato. At Hilarii in locum venit Ravennius, anno CCCCXLIX, decimo Leonis Papæ anno, ut Leo ipse indicat epistolâ ad Constantinum & comprovinciales episcopos: quam Asterio & Protogene coss. scripsit *a*. Ravennio autem posterior est Eonius: illi demum successit Cæsarius, qui Arausicano II. præfuit. Hunc autem post annum demum quingentesimum episcopum esse factum, posteà probabimus. Ut nihil planius sit, quàm alium esse Cæsarium, qui primo; alium, qui Arausicano secundo subscripsit. Futilia igitur sunt præsidia, quibus colligi putarunt, Arausicanum secundum tempore Leonis celebratum fuisse.

a Apud Baron. ad an. 449. p. 87. edit. Moret. 2.

Altera est sententia Baronii, qui in primâ Annalium editione anno CCCCLXIII habitum putavit. Sed huic refellendæ operam non impendemus, quando ipse, meliora à Sirmundo Jesuitâ edoctus, eam in Additionibus suis retractavit. Verùm autem hujus synodi tempus triplici comperimus indicio; quòd ei præfuit Cæsarius, & subscripsit Liberius, Galliarum præfectus, idque consule Decio Juniore. Quorum de singulis accuratius agendum erit. Ac Liberius quidem, ut ab eo ordiamur, Galliæ præfuit, tempore Theodorici & Athalarici, Gothorum in Italiâ Regum. Liquet hoc ex epistolâ Athalarici ad Liberium, quâ poscit, ut, quandoquidem avo suo Theodorico successerit, (quod anno contigit Iↄxxvi) quicumque se priùs sacramento in Galliis obstrinxissent avo, hi nunc in nomen nepotis illud renovarent. Est ea epistola apud Cassiodorum lib. VIII. Variarum, ac inscriptionem habet istiusmodi, Liberio Præposito Galliarum Athalaricus Rex. Conferamus nunc cum inscriptione hac Liberianam Arausicanæ synodi subscriptionem, quæ talis est: *Petrus Marcellinus Felix Liberius V. CL. & illustris præfectus prætorio Gallicano, atque patricius, consentiens subscripsit.* Sic enim ex vet. lib. legi debere, rectè Baronius observavit; non, uti in prioribus edit. erat, *viri Cl. & Illustres, præfecti prætorii Galliarum, patricii, consentientes subscripserunt.* Nam Burgundionibus & Francis maximam Galliarum partem obtinentibus; Ostrogothis verò exiguam solùm Narbonensis Galliæ portionem occupantibus; cut plures præfecti mitterentur, causæ nihil erat. Et sanè epistola ipsius Theodorici ad Gemellum, quæ apud Cassiodorum est decima sexta libri tertii, itemque proxima ejusdem, quæ est ad universos Galliarum provinciales, satis docent, regem eum Galliæ Narbonensi pro multis præfectis unum misisse vicarium, Gemellum, sive, ut in aliis est libris, Gegiellum. Quemadmodum autem prius unum præfectorum vicarium, ita posteà unum cum præfecti titulo misisse verisimile est. Nec proloquium synodi Arausicanæ multorum meminit præfectorum, sed unius Liberii: à quo basilicam Arausicæ constructam fuisse indicat, eoque invitante, ad ædis dedicationem Patres convenisse. Ubi cùm aliqui querimoniam suam exposuissent, de multis Semipelagianum dogma in Galliâ amplexantibus, ac Romanus quoque episcopus capita aliquot de gratiâ & libero arbitrio, ex Augustino maximam partem ad verbum descripta, patribus transmisisset, ut ita in illo Gallicanæ ecclesiæ dissensu Romanæ illius Ecclesiæ sensum aperirent: Arausicana synodus, eâ occasione, canonum aliquot subscriptione, Catholicam de gratiâ doctrinam à non Catholicâ discrevit. De tempore, quo Liberius Galliæ præfectus fuit, deque occasione Arausicanæ synodi, hæc dicta sunto.

Nunc videamus, quando vixerit Cæsarius Arelatensis, de quo diu nihil constitit certi. Nam Trithemius (qui & Suffridum, Gennadii Scholiastem, & Possevinum in Apparatu sacro, multosque alios in errorem induxit) vixisse eum putavit anno Iↄcxx. Bellarminus, in catalogo Ecclesiasticorum scriptorum, vixisse censet anno CCCCLIV, pervenisse autem ad annum CCCCXCIX. Sed à vero uterque recessit, quamquam propius illud attigit Bellarminus. Floruit enim post annum Iↄ: quod apertè nos docet Cæsarii discipulus, Cyprianus, qui præceptoris sui vitam literis consignavit. Ibi ea clarè legas, quæ Alaricus Wisigothorum rex circa imperii finem in eum designarit: quam malè item post Alarici obitum in Arelatensi obsidio habitus sit: quanto item in loco fuerit apud Theodoricum, Ostrogothorum regem: & pluta alia, ὁ ὀμιλία, ἀλλ᾽ ἀ πωμίζεια. Jam autem certum est Alaricum à Clodoveo (qui primus est Franciæ regibus Christianam religionem amplexus fuit) occisum esse anno Christi Iↄvii. At præcedenti anno, Agathensi concilio præfuerat Cæsarius: ut docet subscriptio. Nam ponitur in eâ annus Alarici XXII. qui Christi est Iↄvi. Theodoricus autem, apud quem summo in loco Cæsarium fuisse dicebamus, obiit anno imperii XXXV, Christi Iↄxxvi. Etiam ætatem Cæsarii cognoscimus ex lite-

literis ab Romanis episcopis ad eum scriptis. Antiquissimæ earum sunt ternæ illæ, quas Symmachus dedit: quarum primæ, Probo; tertiæ, Senatore cons. scriptæ sunt; mediis tempus non apponitur. At Probus in Occidente erat consul anno Iↄvi. & iterum anno Iↄxiii. Senator item consul fuit anno Iↄxiv. eopse anno quo Symmachus obiit; ut paullò ante mortem eas ad Cæsarium scripserit. Idem Symmachus Cæsarii meminit epistolâ, quam, eodem Probo consule, ad universos Galliæ episcopos misit: *Cæsarius*, inquit, *frater & coëpiscopus noster, Metropolitanæ Arelate civitatis sacerdos Ecclesiæ, ea quæ pridem de privilegiis Ecclesiarum constituta sunt, nostris postulavit innovari sermonibus.* Symmachi in locum suffectus Hormisdas, cujus literæ ad Cæsarium supersunt, scriptæ consule Florentio. At Florentius, prænomine Flavius, consul fuit an. Chr. Iↄxv. qui episcopatus Hormisdæ erat secundus. iterumque anno Christi Iↄxviii, qui Hormisdæ quinctus fuit. Etiam Ennodii Ticinensis, uti ad Hormisdam, ita ad Cæsarium literæ extant. Hormisdæ, anno Iↄxxiii, surrogatus Johannes. quo in carcerem conjecto, ibi mortuo, successit ei Felix iv. Hujus quoque ad Cæsarium literas habemus. Sed, ipsius librarii errore, Boethio consule exaratæ dicuntur: quod si verum esset, à Felice iii. scriptæ forent, cujus tempore, anno nempe ccccLxxxvii, Boëthius consul erat. Atqui tum Cæsarius episcopus necdum erat, imò nec Abbas, sed vel monachus Lirinensis sub Abbate Porchario, vel summùm Arelatensis diaconus aut presbyter, sub episcopo Eonio: quod ex vitâ ejus à Cypriano discipulo ad Cæsariam, Cæsarii sororem, scriptâ, cuivis clarum est. Felici iv, anno Iↄxxx, successit Bonifacius ii. isti huic, biennio post, Johannes ii. qui Contumelioso episcopatu deposito, & in monasterium detruso, ecclesiam ejus, Galliæ episcopis, ac Cæsario Arelatensi, imprimis commendavit. Vide epistolam ejus tertiam & quartam: in quarum posteriori sic scribit: *Omnem hanc sollicitudinem Cæsario fratri & coëpiscopo nostro injungimus, ad cujus curam, quæ necesse sint, pertinere censuimus.* Anno Iↄxxxv Ioannis in locum substitutus Agapetus, cujus ad Cæsarium exstat epistola, de non alienandis bonis Ecclesiasticis: & altera ejusdem, de appellatione Contumeliosi episcopi ad episcopum Romanum. Anno Iↄxxxvii Agapeto successit Silverius: quo in Palmariam, vel Pontianam insulam relegato, sedem occupavit Vigilius, anno Iↄxxxviii. Extat Vigilii epistola ad Cæsarium, de pœnitentiâ incestuoso injungendâ, super quo à Theodeberto, Francorum rege, per legatum interrogatus erat. Ac Papæ hujus tempore defunctus est Cæsarius, succedente ei Auxiano, ad quem & complures Vigilii epistolæ exstant: una etiam ad episcopos Galliæ Arelatensi subjectos, ubi de eo sic scribit: *Quapropter Auxiano, fratri & coëpiscopo nostro Arelatensis civitatis antistiti, vices nostras caritas vestra nos dedisse cognoscat.* Atque hæc quidem omnia Cæsarii ætatem tam apertè nobis ob oculos ponunt, ut nullus ultra relinquatur dubitationi locus. Superest dicamus de Decio Juniore consule. Nam hoc tertium erat eorum, ex quibus Arausicanæ synodi tempus colligi possit. Ac Decii quidem consules multi, Cæsarii tempore, fuerunt. Uti anno ccccLxxxiv Fl. Venantius Decius; & alius item Decius, anno IↄLxxxvi. Sed horum neuter signatur in synodo Arausicanâ, quia eorum temporibus Cæsarius nondum episcopus erat. Nam tempore Gelasii, qui Romanus episcopus fuit ab anno ccccxcii, usque ad ccccxcvii, Arelatensi Ecclesiæ præerat Eonius: ad quem Gelasii ipsius literæ exstant. Nam quod Baronius, pro Eonio, in inscriptione, Cæsarii nomen reponendum putavit, id parum movere nos debet, quando qui suam de Cæsarii ætate opinionem retractavit, hanc quoque mutasse est censendus, mutare saltem debuit. Eoque rectè Severinus Binnius, in nuperâ Conciliorum editione, retinet Eonii nomen. Imò non Gelasii tantùm temporibus vixit, sed etiam Anastasii, &, qui ei successit, Symmachi: quando binas ad illum Symmachi literas habemus. Atqui tempore illorum Deciorum, de quibus diximus, Papa erat Felix iii, decessor Gelasii: Cæsarius autem Symmachi demum tempore Arelatensis episcopus factus est. Ut Decii illi Arausicano concilio subscripsisse non possint, cui præfuerit Cæsarius. Post verò Decios istos, tres tantùm ejus nominis consulatum gesserunt. Nam anno Iↄxxxiv, consul erat, BASILIUS VENANTIUS DECIUS LIBERI F. JUNIOR V.C. Anno Iↄix, IMPORTUNUS DECIUS V. C. Anno Iↄxxix, CECINNA MAURUS DECIUS BASILIUS JUNIOR V. C. Quorum medius, cùm αὐτῶς DECIUS vocetur, at quo consule concilium Arausicanum habitum est, DECIUS Iunior appelletur, consequitur, ut anno Iↄviii, vel Iↄxxix concilium illud celebratum sit. Hoc verò potius, quàm illo, institutum fuisse arbitror. Quod ut credam, duobus maximè argumentis compellor. Nam anno demum Iↄviii Theodoricus Galliarum partem Francis ademit, Venantio Iuniore & Celere Coss. ut Cassiodorus in Chronico testatur. Gallis autem non statim Liberium misit præfectum, sed primùm legavit Gemellum, præfectorum vicarium. Sic enim Rex ipse ad Gemellum scribit apud Cassiodorum Var. lib. iii. *Hinc est, quod præsenti tempore in Gallias, nobis, Deo auxiliante, subjectas, Vicarium te Præfectorum nostra mittit auctoritas.* Et epistolâ seq. ad Provinciales Galliarum: *Quod feliciter dictum sit, spectabilem virum Gemellum, Vicarium præfectorum, fide nobis & industriâ comprobatum, ad componendam provinciam credidimus dirigendum.* Præterea qui Agathensi & Arausicano concilio pariter subscripserit, præter Cæsarium præsidem unus est Cyprianus; summum duo, si pro Heraclio Heraclianus, vel contrà legi debet. Contrà Arausicanum cum Vasensi trium episcoporum subscribentium nomine convenit, vel fortasse quatuor, si pro Constantio Constantinus, vel hic pro illo scriptus est: cùm Arelatensi tertio convenit quinque episcopis, Cypriano, Eucherio, Iuliano, Maximo, & Philagrio: cum Carpentoractensi verò etiam novem, præter Cæsarium; nempe Aletio, Constantio, Cypriano, Eucherio, Heraclio, Iuliano, Luperciano, Philagrio & Vindemiali. Unde sic colligimus, cùm Agathense concilium habitum sit anno Iↄvi; ut antea ostensum est: Arausicano autem concilio ex iis, qui fuerant in Agathensi, tantùm unus & alter interfuerint; non illud biennio solùm post Agathense habitum esse, sed viginti & amplius annis pòst, cùm, qui Agathensi interfuissent, penè jam omnes fatis concessissent.

Hæc fusè adeò prosecuti sumus, partim quia tot viri eruditi in vero Arausicani concilii tempore aberrarunt: partim quia ex iisdem, aliquot aliorum conciliorum tempus discere est. Uti concilii Carpentoractensis, quando ei & Cæsarius præfuit, & ferè iidem sunt episcopi, qui huic concilio, & Arausicano subscripserunt. Ut omnino fallatur Carolus Saussaeius lib. ii. Annalium Aurelianensium tenemate L. ubi Carpentoractense concilium celebratum ait anno ccccLxiii. quod & Possevinus scripserat in Apparatu sacro. Contrà Vasense concilium ii, vel potiùs iii, proximè Agathensis concilii tempora attingere arbitror, quia præfuit quidem ei Cæsarius, sed tantùm tribus quatuorve episcopis convenit cum Arausicano. Quare planè in eam opinionem venio, ut anno IcvIII. celebratum putem. Nam Decio Iuniore consule institutum fuit, ut inscriptio testatur: is autem, eo quo diximus anno, nempe totis uno & vinginti annis ante Arausicanum concilium, consul erat. Inter verò Vasense & Carpentoractense habitum est Arelatense iii, ut vulgò quidem vocatur, quod verius quartum dici debet. Nam & huic Cæsarius præfuit, & plurium cum Carpentoractensi & Arausicano, pauciorum autem cum Vasensi, subscriptione episcoporum convenit. Hæc ut cuivis pareant, visum est catalogum eorum subjicere, qui conciliis illis interfuerunt.

INTERFUERE CONCILIO

AGATHENSI.	VASENSI.	ARELATENSI III.	CARPENTORACTENSI.	ARAUSICANO II.
Abilius.				
Agretius (al. Agricius.)		Agricii nomine Cataphronius.		
			Aletius.	Aletius.
	Aquitanus.			
		Cæleftinus.		
Cæfarius.	Cæfarius.	Cæfarius.	Cæfarius.	Cæfarius.
Chronopius.				
Clarus.				
	Conftantinus (f. Conftantius.)		Conftantius.	Canftantius.
	Contumeliofus.	Contumeliofus.	Contumeliofus.	
Cyprianus.	Cyprianus.	Cyprianus.	Cyprianus.	Cyprianus.
		Eucherius.	Eucherius.	Eucherius.
Firminus.				
		Florentius.		
Galactarius.				
	Gallicanus.	Galliani (fort. Gallicani) nomine Meterius.	Gallicanus.	
Glycerius.				
Gratianus.				
Gratus.				
Heraclianus. (f. Heraclius.)		Heraclius.	Heraclius.	Heraclius.
Ingenuus.				
		Joannis nomine Defiderius.		
		Julianus.	Julianus.	Julianus.
			Lupercianus.	Lupercianus.
Marcellus.				
Maternus.				
	Maximus.	Maximus.		Maximus.
		Meterii nomine Gallianus.		
Nicetius.				
			Oranius.	
Paulinus.				
Petrus.				
		Philagrius.	Philagrius.	Philagrius.
Polemius.				
Pompeius.				
Pondacius.				
	Porcianus.		Porcianus.	
		Prætextatus.		Prætextatus.
			Principius.	
Probacius.				
	Profper.		Profper.	
Quinctianus.				
Sabinus.				
Sedatus.				
		Severi nomine Cataphronius.		
Sophronius.				
Suavis.				
Tetradius.				
Vigilius.				
			Vindemialis.	Vindemialis.

CAP. LIV.

De Concilio Valentiano in Galliis.

HActenus enumeravimus concilia, quæ vel Auguftini ætate, vel proximo ab obitu ejus feculo Pelagium, vel ejus reliquias, condemnarunt. Tribus verò feculis pòft & amplius, anno nempe DCCCLV, imperante Lothario, Valentiæ in Galliis concilium coactum fuit; in quo, præfidibus Remigio Lugdunenfi, Egilmaro Viennenfi, Rodlando Arelatenfi Archiepifcopo, adlaborante etiam Ebbone, epifcopo Gratianopolitano, à trium Ecclefiarum, Lugdunenfis, Viennenfis, & Arelatenfis, epifcopis, cano-

canones aliquot sunt constituti de præscientiâ & prædestinatione, item quæstione,* an Christus pro omnibus sit mortuus, & verâ redemtione omnium eorum, qui legitimè baptizantur, item de gratiâ & libero arbitrio: qui canones etiamnum exstant. Spissus verò est Baronii & Severini Binnii error, qui Patribus illis hoc potissimùm propositum fuisse arbitrantur, ut Prædestinatianorum errorem condemnarent. Nam ex concilii ejus can. IV, item epistolis Hincmari apud Flodoardum, & Ecclesiæ Lugdunensis scriptis, quæ in auctario Biblioth. PP. habemus, satis cognoscere est, canones istos scriptos esse adversus Hincmarum, & alios, qui quatuor capitula adversus Godscalcum Prædestinatianum in episcoporum Galliæ Belgicæ conventu hæresios damnarunt: itemque Ioannem Erigenam Scotum, qui novendecim capitula scripserat adversus eundem Godscalcum. Sed hæc planiora fient, cùm disp. ult. de Prædestinatianis, absolutæ reprobationis patronis, agendum nobis erit.

Cap. LV.

De decretis Imperatorum adversus Pelagianos.

DE conciliis satis diximus. Extremum aliquid de Imperatoribus addamus, qui Pelagium Cælestiumque damnarunt: ut Prosper indicat adversus Collatorem cap. XLI. & Gelasius epist. VII. ad Episcopos Picen. Factum hoc ab Honorio & Theodosio, teste Possidio, in vitâ Augustini cap. XVIII. Eorum geminum adversus Pelagianos decretum Henricus Gravius, professor Lovaniensis, exscripsit ex cod. monasterii S. Vedasti Atrebatensis, & ab eo acceptum annalibus suis inseruit Cæsar Baronius:
a T. 5. p. 422. edit. 2. Antverp.
b P. 455.
prius ad annum Chr. CCCCXVIII a, alterum (quod etiam in Collectione Cresconianâ habes, sed citra consulum nomen) ad annum sequentem b. Priori decreto statuitur, *Ut, pulsis ex urbe primitus capitibus dogmatis execrandi, Cælestio atque Pelagio, si qui hujus de cætero sacrilegii sectatores, quibuscumque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnatâ aliquem rursum proferre sermonem: à quocumque correpti, ad competentem judicem pertrahantur, quos, sive clericus, sive laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, & sine præscriptione aliquâ perurgendi: ut probationem convicti criminis stylus publicus insequatur, ipsis inexorati exilii deportatione damnatis.* Iussere autem Imperatores, ut ibidem subjungitur, *per omne pene imperium suum, quà mundus extenditur, hujusmodi promulgata diffundi.* Hoc decretum geminatum est anno proximo: ut cognoscimus ex rescripto eorundem Impp. ad Aurelium Carthaginensem misso, Monaxio & Pintâ coss. Quod sic incipit: *Dudum quidem fuerat constitutum, ut Pelagius & Cælestius, nefandi dogmatis repertores, ab urbe Româ, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia, pellerentur, ne ignorantium mentes scævâ persuasione perverterent. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur, coëgit: recenti quoque sanctione decrevimus, ut si quis eos in quacumque provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere, aut prodere distulisset, præscripta pœna velut particeps subjaceret. Præcipue tamen ad quorundam episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes tacito consensu asserunt, vel publicâ oppugnatione non destruunt.* Mox ab Impp. ibidem definitur, *ut quicumque damnationi suprà memoratorum subscribere impiâ obstinatione neglexerint, episcopatus amissione mulctati, interdictâ in perpetuum, expulsi civitatibus, communione priventur.* Meminit & Photius bibliothecæ cap. LIII. Ἔγραψε δὲ καὶ Θεοδόσιος, καὶ Ὁνώριος, οἱ βασιλεῖς, πρὸς Αὐρήλιον ἐπίσκοπον κατὰ τῶν αὐτῶν (Πελαγιανιστῶν.) Etiam Bonifacii anno secundo, adversus Pelagianos edictum tulit Constantius, quod habes apud Baronium anno CCCCXXI a. Eo autem mandat Volusiano, Urbis præ- a P. 471.
fecto, (qui S. Melaniæ avunculus erat) *ut omnes, qui Dei invidem pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim e muris Urbis expelli: ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Cælestium quoque magis & magis ex Urbe expelli* mandat. Est etiam hujusce rei mentio apud Photium cap. LIII. sed malè Constantinum vocat, qui est Constantius. Ἔγραψε δὲ μετὰ ταῦτα καὶ Κωνστάντιος, ὁ Πλακιδίας ἀνὴρ, Οὐαλεντινιανοῦ δὲ τοῦ μικροῦ πατὴρ, περὶ τοῦ ἐξελαθῆναι Κελέστιον τὸν αἱρετικόν. Post ista Imperatorum edicta alii quidem episcopatu dejecti, quos inter Iulianus, de cujus amisso episcopatu legere est apud Prosperum in Chronicis: alii autem seu legum severitate territi, seu fidei luce convicti, ab erroris semitâ in veritatis viam revenerunt. Uti Turbantius episcopus, cui quatuor adversus Augustinum libros dicarat Iulianus. Vide Augustinum lib. I. imperfecti operis contra secundam Iuliani responsionem; ubi cùm Iulianus Turbantium vocasset *virum magno fulgore conspicuum*, respondet ei Augustinus, *Utinam inveneris Turbantium, post illa tua scripta, & post has tuas laudes, quibus eum dicis magno virtutum fulgore conspicuum, a vestro errore liberatum.* Etiam Leporium, ex monacho presbyterum, (qui Pelagianæ hæresios in Galliis adsertor erat primus, vel inter primos) ab errore fuisse liberatum ex Cassiano constat lib. I. de Incarnatione Domini. Sed siquis potius scripturarum luce, quàm legum metu compulsum putet, minimè cum eo pugnabimus. Magno autem cum candore errorem confessus fuit; ut ostendunt hæc ejus verba, quibus eum, cùm ad Gallicanos episcopos scriberet, exorsum dicit Cassianus: *Quid in me primum, ô Domini mei venerandi, & beatissimi sacerdotes, accusem, nescio, & quid in me primum excusem, non invenio. Sic imperitia & superbia, sic stulta simplicitas cum persuasione noxiâ, sic fervor cum intemperantiâ, sic, ut verius dicam, cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta viguerunt, ut tot & tantis simul sit, & obedisse confusio, & hæc eadem ab animo potuisse cedere, mihi stupenda gratulatio.* Et hæc quidem de iis dicta sunto, qui Pelagianas partes, vel propugnarunt, vel oppugnarunt. Nunc de illis, quæ inter Catholicos & Pelagianos controversiæ erant, πάλιν ἄλλων ἀρχὴν ἀρξάμενοι λέγωμεν.

FINIS LIBRI PRIMI.

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ

DE

CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE

reliquiæ moverunt,

LIBER SECUNDUS,

QUI EST

DE PECCATO ORIGINALI.

Controversia, quæ Catholicis cum Pelagianis, aut Semipelagianis, fuit, partim hominem, partim Dei circa hominem decretum, respicit. In homine spectatur, tum ortus conditio, sive peccatum originale, tum vita ipsa. De peccato originali, tria potissimùm in considerationem veniunt.

I. In quibus consenserint Catholici, & cujusmodi argumentis pro caussâ suâ soleant pugnare.

II. Ut in his ipsis dissenserint ab illis Pelagiani; quæ item incommoda Catholicam secum sententiam trahere putarint; atque ut difficultatibus illis se extricarint Catholici.

III. Ut de intercurrentibus quæstionibus plurimùm nec olim Catholicis convenerit inter se, qui tamen de ipso doctrinæ hujus capite conspirarent.

LIBRI SECUNDI

PARS PRIMA;

Quæ quid Ecclesia vetus de peccato Originali crediderit, & cur ita senserit, exponit.

THESIS I.

Cum duo quærantur, An primorum parentum peccatum imputetur omni posteritati, & quatenus imputetur; Ecclesia Catholica sic semper judicavit: primum illud peccatum omnibus imputari, hoc est, justo Dei judicio secundum effectus suos in omnes Adæ filios transmitti: effectus vero ejus esse credebat, quòd propterea nascimur expertes justitiæ originalis, necessitati mortis subjecti, & æterna à Deo separationi obnoxii.

Homo conditus fuit, ut Deum intellectu agnosceret, agnitum voluntate atque affectu amaret, & opere coleret: verùm immemor excellentissimorum donorum, quibus à Deo ornatus erat, neque ductus reverentia loci, qui cœlestis erat paradisi typus, transgressus est legem Dei, servatu facilem; neque eam particularem, sed cujus præstatio hominis submissionem, totamque ejus obedientiam erga Deum testaretur, cujus item contemtus, præter infidelitatem, superbiam, ἀχαριστίαν erga Deum, ἀστοργίαν erga posteritatem, aliaque peccata, quæ hic concurrebant, insuper universalem fœderis inter Deum & hominem initi renunciationem contineret. Hoc crimen unius quidem Adami fuit, quatenus is unus homo erat: sed idem totius erat naturæ, qua is generis humani principium fuit ac radix; adeò ut hac ratione ejus voluntas ex creatoris voluntate, censeatur nostra, non quidem propria (ut Scholastici loquuntur) formaliter, sed interpretative: sive non propria personaliter, (nam actus alienus, qui ante secula multa transiit, non potest hac ratione communis esse eorum, qui nondum erant) sed imputativè, quia non Adamo solùm, sed omni posteritati ad damnationem imputatur. Unde Augustinus de Civ. Dei lib. XVI. cap. XVIII. *Nascuntur non propriè, sed originaliter,*

liter, peccatores. Et lib. I. Retractat. c. XV. *Peccatum eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu eos implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri.* Idem lib. III. de peccatorum meritis & remiss. cap. VII. opponit hæc duo, remittere & imputare, quo ostendit, imputare esse reatui subdere, ac remittere esse non imputare ad damnationem. Verba ejus sunt: *Nulla, inquiunt, ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena. Remittit, sed spiritu regeneratis. Imputat vero non jam aliena, sed propria. Aliena quippe erant, quando hi, qui ea propagata portarent, nondum erant: nunc vero carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spirituali regeneratione dimissa sunt.* Similiter hæc opponit lib. I. contra Julianum cap. XXXIII. quamquam ibi de concupiscentia loquitur: *Lex ista peccati in peccatum imputatur, id est, etiam reatus ejus cum illo est, qui eum teneat æterni supplicii debitorem.* Item lib. I. de nupt. & concupisc. cap. XXVI. *In eis,* inquit, *qui regenerantur in Christo, reatus adhuc manentis concupiscentiæ remittitur, ut in peccatum, sicut dixi, non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit: sic illius concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim, non habere peccatum, reum non esse peccati.* Et mox: *Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, remanent reatu?* Censuit igitur Augustinus, unum idemque esse, habere peccatum, & reum esse peccati; item non imputari peccata, remitti peccata, & auferri reatum. Ac proinde, cum primum peccatum nascentibus dicitur imputari: non actum respicimus, qui præteriit; sed reatum, qui remansit. Unde & idem Augustinus, non peccati actum, sed obligationem communicari ait lib. XIV. de Civ. Dei cap. I: *A duobus primis transmissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati, & mortis necessitate transmissâ.* Etiam Bernardus imputandi verbo similiter utitur serm. I. de Dominicâ primâ post octavam Epiphaniæ: *Aliena,* inquit, *est* (originalis culpa) *quia in Adam omnes nescientes peccavimus: nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo de judicio* IMPUTABATUR, *licet occulto.* Item Nicolaus Lyranus (qui ante annos propè trecentos vixit) in cap. V. ad Rom. *Peccatum,* inquit, *Adæ imputatur omnibus ab eo descendentibus, secundum vim generativam, quod sic sunt membra ejus; propter quod vocatur peccatum originale.* Item è junioribus, Cajetanus ad idem caput: *Pœna mortis inflicta est pro tota posteritate testatur, peccatum, cujus est pœna, imputari etiam toti posteritati.* Ita sane similiter Bellarminus Tom. III. de amiss. grat. lib. V. cap. XVII. *Solus Adam actuali voluntate illud commisit; nobis vero communicatur per generationem,* EO MODO, QUO COMMUNICARI POTEST ID, QUOD TRANSIT; NIMIRUM PER IMPUTATIONEM. E Reformatarum quoque Ecclesiarum doctoribus eodem modo loquuntur Whitakerus lib. I. de peccato originali, cap. VII. & IX. Paræus animadversionibus ad Bellarm. lib. V. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. XVI. Georgius Carletanus, libro de consensu Ecclesiæ Catholicæ contra Tridentinos Controvers. IV. quæ est de gratiâ cap. V. a ubi sic scribit: *Vel originale peccatum est prorsus negandum cum Pelagio, vel per injustitiæ imputationem, quæ fuit in Adamo, peccatores constituimur, quia originale peccatum est peccatum imputatum.* Item Jacobus ad Portum, S. Theol. prof. in Acad. Lausann adversus Ostorodium cap. XXXIV; *Peccata nostra non nisi imputata Christo, tum execrationis quam subiit, tum mortis quam subiit, caussa fuerunt: quemadmodum ipsum Adami delictum* NON NISI PER IMPUTATIONEM *nostrum factum, nobis mortis, maledictionis, & corruptionis nativa caussa extitit.* At negat peccatum hoc imputari Socinus de Servat. part. II, cap. VIII; *Tametsi omnes ab Adamo prognati morti perpetuæ sint obnoxii; id non ideo fit, quod ipsis Adami delictum imputetur, sed quia ab eo progeniti sint, qui morti perpetuæ divino decreto fuit addictus; & ita non propter peccati imputationem, sed propter generis propagationem id illis contingat.*

a P. 427. edit. Francof.

Nec imputatio hæc alieni peccati injusta credi debet. Nam licet Adam non peccasset, poterat tamen Deus, qui liberrimus est donorum suorum dispensator, creare hominem ad finem naturalem, eoque & gratiæ in hac vitâ, & post hanc vitam gloriæ expertem. Evidentissimum autem est, quod poterat Deus absolutè, idem potuisse relatè, hoc est, cum respectu ad primum primorum parentum delictum: quo insimul ostendat, justi se judicis officio perfungi. Nam si ob voluntariam conjunctionem alter pro altero puniri potest, ut fidejussor pro reo: idemque in mysticâ conjunctione locum habet, ut si subditi puniantur pro rege, aut unum Reip. membrum pro reliquo corpore: sane multo magis possit Deus non conferre nobis gratiæ dona in hac vita, nec circumvestire nos gloriæ lumine in vitâ alterâ: idque ob delictum Adami, communis nostri parentis; in quo etiam gratiæ dona hac conditione deposuerat, ut ea non sibi tantùm, sed nobis omnibus, vel retineret, vel amitteret. Ob quam arctissimam nostri cum Adamo conjunctionem, in eo peccasse ab Apostolo dicimur: nempe, quia quasi pars peccantis eramus. Unde Augustinus lib. VI. contra Julianum cap. IV: *Quod dicis, alienis peccatis alterum obnoxium non teneri, interest quatenus recte possit intelligi. Neque nunc ago, quod peccavit David, & pro peccato ejus tot hominum millia ceciderunt: & quod de anathemate contra interdictum, quia usurpavit unus, in eos qui hoc non fecerant, nec factum fuisse noverant, vindicta processit. Alia disputatio est, neque nunc terrere nos debet de hoc genere peccatorum sive pœnarum. Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe, proprietate sunt actionis; nostra sunt, contagione propaginis.* Idem contra duas Pelag. epist. lib. IV. cap. IV. quod in uno homine peccasse omnes dicit Apostolus, id bifariam intelligi posse ait, *aut quoniam, quando ille peccavit, in illo erant omnes, aut quia generaliter omnium factum est, quod nascentes trahebant omnes.* Et paullò pòst: *Restat in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccavit; unde peccatum nascendo trahitur; quod nisi renascendo non solvitur.* Idem Augustinus lib. II. posterioris responsionis contra Julianum cap. CLXXVI. a *Ipsi atque ille unus fuerunt, fecerunt ergo non* a P. 389.
actione hominum, sed ratione jam seminum. Et cap.
CLXXVIII b: *Omnes unus fuerunt, quos fuerat seminaturus, id est generaturus.* Et mox: *Unde & sancta scriptura in lumbis Abraham dicit fuisse filios Levi, & in illo à sacerdote Melchisedech fuisse decimatos. Ad Hebræos epistolam lege, & linguam corrige.* Idem exemplo Apostoli primum Adamum confert cum secundo, atque ita ait infantes sine actione propriâ, ob primorum parentum inobedientiam ipsis imputatam, censeri peccatores; quomodo citra actionem nostram, ob Christi obedientiam, remisso peccato, censemur justi. Sic enim scribit lib. II. ejusdem operis cap. CIC. *Delirate in illo regno justitiam par-* c P. 302.
vulos habituros quidem, sed propria voluntatis meritis, non divina gratia largitate. Quod si dicere non audetis, (hic enim merita comparari, ibi autem præmia reddi fatemini) cur fateri dubitatis, sive non vultis, sic eos ex Adam potuisse habere peccatum sine meritis propria voluntatis mala, quemadmodum à Christo percepturi sunt justitiam, sine suis meritis præcedentibus voluntatis bonæ? &
cap. CXXXVIII d. *Si Christianus Catholicus esses, appareret* d P. 342.
tibi, & Adam delicta generando transmittens, & Christus regenerando dimittens. Carnaliter autem generat Adam, spiritualiter regenerat Christus.

Atque hæc dicta sunto de imputatione primi peccati, sive obligatione ad pœnam; quæ duo συμπίπτει.

Porrò videndum, quatenus peccatum hoc imputari

 vere-

veteres existimarint. Pœna omnis, cui obligamur, consistit in privatione tum justitiæ originalis, cùm homo nascitur; tum vitæ temporalis, quando denascitur; tum gloriæ æternæ, postquam erit denatus. Universa hæc complexus etiam videtur Augustinus lib. XIII. de C.D. cap. XIV. *Nondum*, inquit, *erat sigillatim creata & distributa forma, in qua singuli viveremus, sed jam* NATURA ERAT *seminalis, ex quâ propagamur, quâ scilicet* PROPTER PECCATUM VITIATA, ET VINCULO MORTIS OBSTRICTA, JUSTEQUE DAMNATA, *non alterius conditionis homo ex homine nasceretur.* Ubi tria nominat: naturæ vitium ex originalis justitiæ privatione enascens, & temporalis mortis vinculum, sive reatum, & meritum damnationis æternæ. De singulis horum ordine videamus.

Prima erat originalis justitiæ privatio. Quæ cùm, uti privatio quævis, ex habitu suo cognoscatur; ex re fuerit, si collationem instituamus inter justitiam ac injustitiam originalem.

Ac primùm, quemadmodum originalis justitia erat rectitudo totius hominis, in creatione per modum naturæ data, & exinde posteris naturaliter infundenda, ut justi homines non fierent, sed nascerentur: similiter injustitia originalis est illius rectitudinis privatio, quâ omnes justitiæ expertes nascuntur, atque hoc vitium in liberos transmittunt.

Deinde, quemadmodum justitia originalis præstabat tum ordinationem ac rectitudinem inferiorum virium, adeò ut vis αἰσθητική per omnia rationi obtemperaret: tum mentis sanitatem, quæ in illius ad divinam imaginem conformatione consistebat: similiter etiam injustitia originalis comprehendit, tum effrenem inferiorum facultatum appetitum, ac rebellionem adversus rationem: tum rationis aversionem à Deo, sive animi dispositionem adversus justitiam legemque æternam.

Præterea quemadmodum justitia originalis magis consistebat in eo, quòd ratio cum voluntate Dei congruebat, quam rectitudine inferiorum partium, quarum integritas mentis sanitatem sponte sequebatur: itidem injustitia originalis præcipuè metienda est ex intellectus cæcitate, & inde pullulante inclinatione ad contemtum, odium, & fugam Dei; ex quâ superiorum partium depreciatione, inferiorum quoque animæ vitium ἀταξία est consecuta.

Denique quemadmodum justitia originalis, quà gratia erat gratum faciens, constituebat hominem in statu, quo Deo esset gratus acceptusque: ac quà ordinem addebat inter spiritum ac rationem, item rationem ac vires animæ inferiores, eatenus homini conferebat vires ad conquirendum statum meliorem, puta statum gloriæ cœlestis: similiter homo per injustitiam originalem, tum statu eo excidit, in quo Deo fuisset gratus; tum vires amisit ad statum gloriæ consequendum.

Cùm verò injustitiam originalem dico, communiter hac voce utor, hoc est, non tantùm ut absolutè & secundùm se signat carentiam justitiæ originalis: sed ut principalem effectum includit: hoc est, ut superaddit consequentem ex hac privatione aversionem à Deo, &, quam hæc aversio secum trahit, ad corporis commoda conversionem. Siquidem amissâ justitiâ originali, mens destituitur verâ Dei cognitione; unde oriuntur dubitationes de Deo, ac religione: voluntas item ac cor verè Deum amare nequit, nec potest velle ei sincero affectu obedire; sed proclive est ad contemtum Dei, & fremitum ac contumaciam erga eum.

Nempe justitia originalis erat frenum quoddam animi humani: non quasi vel appetitus rationi, vel ratio Deo in statu innocentiæ actu rebellaret; aut ad rebellandum sic esset proclivis, ut cum ægritudine quâdam à justitiâ inhiberetur, instar equi indomiti, qui indignabundus frenum mordet & rumpere conatur: (nam hoc pacto rebellio fuerit à naturâ ac Deo ipso) sed quia originalis justitiæ beneficio sic inferiores vires componerentur, ut sine ullâ molestiâ se superioribus subjicerent; superiores item cum voluptate sese subderent legi divinæ: hoc verò munere amisso, quasi rupto freno, in abruptum homo sit præcipitatus: quo sensu eam freni nomine aliqui etiam Reformatarum Ecclesiarum Doctores nominare non dubitârunt. Possis similiter eam conferre præsentissimo amuleto, ac ἀλεξιφαρμάκῳ, non quasi natura in integritatis statu ægrotârit, aut ob vitiosam temperiem morbum potuerit minari; sed quia justitia conservabat animæ harmoniam, ne natura incurreret terrenarum & spiritualium morborum necessitatem. Eo sanè amuleto deperdito *nova febrium* (ut sic cum poeta Venusino loquar) *Terris incubuit cohors.* Quod etiam voluit Prosper, cùm respons. ad articulos sibi fallò impositos, art. I. ait: *Vulnere originalis peccati in Adam omnium hominum corrupta & mortificata est natura, unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit.*

Atque ex his, quid per originalis justitiæ privationem intelligi debeat, non obscurè cognoscitur. Nempe amissio spiritualium donorum & favoris divini, quæ spiritualis mors est. Nam ut Augustinus ait lib. de verâ relig. cap. X. *Quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est gratia ejus, ut resuscitet, & sit nobiscum.* Et ad Psal. LXX. *Sicut anima est vita corporis, sic vita animæ est Deus. Deus amissus mors animæ: anima amissa, mors corporis; mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria.*

Altera pœna est mortis temporalis necessitas. Nam homo quidem per naturam erat mortalis: tamen nisi peccasset, per gratiam futurus erat immortalis: quod malè seculo nostro negavit Socinus, Prælect. cap. IV. *a* & lib. a Pag. 15.
de Servat. part. III. cap. VIII. *b* Mortis autem nomine b Pag. 191.
intelligi debent omnes ærumnæ ac cruciatus, qui comitum vel anteambulonum instar per mortis januam eas in oras homines deducunt, quas incolunt, qui è vitâ excesserunt. Hinc Cyprianus de bono patientiæ: *Quam sit utilis & necessaria &c.* usque ad *vivitur & laboratur.*

Tertiam etiam pœnam in Adamo promeriti sumus, nempe æternæ à Deo separationis. Nam uti Adamus è paradiso, qui cælorum typus erat, ejectus fuit; ita omnes propter primum delictum cælestis gloriæ expertes vivere meruerunt, tanquam exules & extorres; quod Apostolo est, τὸ ὑστερεῖσθαι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, *destitui ac defici gloriâ Dei*, hoc est, vitâ æternâ, quæ in participatione gloriæ consistit. Quod si & infantes propter peccatum originale regno cælesti, & omnino vitâ æterna sunt indigni, ad hos quoque pertinet baptismus, qui fit in remissionem peccatorum: nec citra peccati ejus remissionem (quæ certò infantibus in baptismo obsignatur) æternæ fiunt salutis participes.

Ex his colligi potest, cùm Apostolus dicit mortem esse stipendium peccati, aut cùm Deus comminatur Adamo, moriturum, quacunque die comederit de arbore scientiæ boni & mali: intelligi debere quamcunque mortem, quæ pro triplici vitâ triplex homini obtingit. Est enim vita animalis, cujus principium est natura. Est vita spiritualis, cujus principium gratia. Est vita beatifica, cujus principium lumen gloriæ. Vitæ animali contraria est mors corporalis, estque recessio animæ à corpore. Vitæ spirituali opponitur mors spiritualis, estque separatio animæ à gratia Dei. Vitæ beatificæ respondet mors æterna, quæ, ut gratiæ, ita gloriæ perpetua est jactura. Ex his mors corporalis prima dicitur explicationis serie, sed spiritualis prima est temporis ordine, æterna est prima malignitatis magnitudine. Prima est mala, quia adjunctum habet doloris sensum, & ejus rei privationem, quam omnia maximè suâ expetunt naturâ. Interim mors ea certò instauratur. Mors altera est pejor, quia privat summo hujus vitæ bono, quæ sunt spiritualium donorum ornamenta, & sensus favoris divini. Sed tamen reparari potest. Et in electis semper reparatur. Tertia est pessima, partim quia est irreparabilis gratiæ ac gloriæ jactura; partim quia non solùm exuit bonis, sed etiam

(sal-

(saltem in iis, qui ob actualia delicta pœnas luent) gravissimorum afficit cruciatuum pœnis, partim quia nunquam est sola, sed semper duas, & quadam ratione etiam omnes mortes comprehendit. Nam ante novissimum diem, animæ in gehennâ & à gratiâ & à gloriâ sunt separatæ: post verò illum, animæ quidem corporibus erunt unitæ, sed ad contumeliam; quæ mors veriùs est, quam vita.

THESIS II.

Hanc sententiam suam tuebantur Catholici plurimis sacrarum literarum testimoniis, imprimis Apostolico ad Rom. cap. v. ubi collatio instituitur inter Adamum, inobedientia suæ merito, reatum, generatione carnali, in suos transmittentem ad mortem: & Christum merito suæ obedientiæ, regeneratione spirituali, gratiam & justitiam suis communicantem ad vitam gloriosam & immortalem.

QUæ Catholicorum fuerit sententia, antea diximus. At nondum ostendimus, quæ eos in hanc compulerint sententiam. At satis non est, ut quid antiquitas senserit, sciamus; verùm enimvero illud etiam accedat oportet, ut nec, cur ita senserit, ignoremus. Quocirca rectè & ordine facturum me puto, si in aciem produxero argumentorum exercitum, quo adversus Pelagianos pugnari olim solet. Nec defugiemus aliqua etiam commemorare, quæ fortasse emunctioris naris homines parum valida existimabunt. Historiam enim scribimus: ubi siqui milites minus idonei intercurrent, occurrat illud vetus, Bene dicit, sed malè probat. Quamquam profectò, ne hîc male pugnarit antiquitas, parum est verendum; cùm negari illud non possit, quicquid de aliis sit, pleraque tamen argumentorum ejusmodi esse, ut parvo negotio aciem inimicorum gratiæ possint sustinere. Atqui in hoc pugnæ genere ita comparatum est, ut non dico duorum triumve, sed unius etiam argumenti gravis & firmi pondus, nos trahere debeat in assensum. Bonis igitur exeat avibus Catholicus exercitus: in quo pro jure suo primorem aciem constituent, quæ ex scripturarum prodeunt latifundiis. Argumenta ea secundùm utriusque instrumenti seriem digeremus.

E veteri igitur testamento hæc præcipuè adducunt loca. Genes. VI. 5: *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore.* Cui geminum illud Genes. VIII. 21: *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ.* Quem ad locum sic Ambrosius lib. de Noe & arcâ cap. XXII. *Vide quomodo studiose delinquere nos Deus significet, dicendo permanere super mala sensum hominis diligenter: quo dicto significare videtur, diligenter cor hominis ad peccata propendere & inesse principali nostro* (τῷ ἡγεμονικῷ) *lubricum delinquendi, &, quod pejus est, studium non deesse. ideo enim ait, diligenter, quasi solliciti simus, ne immunitas culpæ nobis possit obrepere. deinde non, in unum malum, dixit, sed, in multa mala. Et, à juventute, addidit. Ex illâ enim ætate crescit malitia; licet alibi legerimus, quod non sine peccato nec unius diei infans: sed & infantia sine peccato non sit, propter corporis infirmitatem. Diligentia enim & studium peccandi incipit à juventute. ut puer quasi infirmus peccet, juvenis tanquam improbus, qui studiose cupiat peccata committere, & in criminibus glorietur. Crescit ergò cum ætatibus culpa.* Hæc Ambrosius, quem videmus Mosis verba non intelligere de solis illis, qui diluvii tempore vivebant, sed omnibus omnium seculorum hominibus: nempe quia omnium hæc temporum querela est. Unde & David de suâ ætate Psalm. XIII. ait: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, &c.* Porrò quamquam Ambrosius secutus LXX. Interpretes, in illo Mosis loco legerit *à juventute*; tamen non excludit pueritiam: sed disertim, uti vidimus, ait, in hac quidem peccari infirmitate, juventuti verò inesse peccandi studium ac gloriam, atque ita cum ætate accrescere pravitatem. In Hebræo est נער, quod tam infantiam, quàm pueritiam significat; ac volunt aliqui, etymon esse ab excutiendo, ut propriè eo significetur ætas ab excussione fœtus in utero matris. Quare & validè hoc loco comprobari putant, inesse homini recens nato realem pravitatem. Propriè tamen non nisi de adultis loquitur Deus, cùm figmentum cordis humani, prout est in Hebræo, (יצר לב האדם) signet cogitationes, juxta R. Kimchi, LXX, interpretem vulgatum, & alios. Malæ autem cogitationes, cùm actualia sint peccata, in recens natos cadere non possunt. Nec tamen alia sententia iccirco ἁπλῶς damnari debet. nam satis indicat hic locus, simul ac ratio sese incipit exserere, pravos fructus ex corde pullulare humano. Unde & Chrysostomus optimè homil. XXII. in VI. cap. Genes. ad superiorem locum scribit: *Neque ætas intempestiva, & alioquin inexperta, malorum expers erat; sed statim & ab incunabulis omnes malum hoc prælium certabant, contendentes, ut malis operibus alter alterum superarent.* Atqui si, simul ac ratio se movere incipit, tales sunt humani cordis fructus; haut difficile est conjectare, quid de radice ipsâ, concupiscentiâ, quæ etiam recens natis inest, debeat judicari. Hoc igitur respectu etiam ad infantes ea pertinent loca. Pugnant hoc testimonio Hieronymus ad Ezechielis cap. XLVII. & Theodoretus ad Psalm L.

Alterum veteris instrumenti testimonium est istud Genes. XVII. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quo de loco agens Augustinus tom. 5. lib. XVI. de civitate Dei cap. XXVII, hanc ejus sententiam esse ait, *Qui non fuerit regeneratus* (dixerat antea circumcisionem regenerationis esse signum) *interibit anima illa, quia testamentum meum dissipavit, quando in Adam cum omnibus ipse peccavit.* Et Tom. 7. lib. II. de gratiâ Christi & peccato originali contra Pelagium, cap. XXX. *Quod sub terrore tanto est imperatum, ut diceret Deus animam illam de suo populo perituram, cujus octavo die præputii circumcisio non fuisset. Hujus tam horribilis pœnæ justitia si quæratur, nonne istorum omnis de libero arbitrio & laudabili sanitate & puritate naturæ, quantumlibet arguta sit argumentatio, repercussa & confracta dissiliet?* Beda etiam in II. cap. Lucæ, cùm hunc Genesios locum citasset, addit: *Non pactum utique circumcisionis (quod non infans, qui discernere necdum valuit, verùm majores ejus, qui id servare noverant, poterant, debuerant, irritum fecerunt) sed illud significatur pactum, quod cum primo homine Deus iniit; quodque omnes, qui vel unius diei vitam gessit in terrâ prævaricatus esse convincitur, atque ideo remedio salutis aliquo opus habere, non ignoratur.* Porrò in Hebræo est זכר, quod marem sive virum notat, unde & voce eâ utitur Moses cap. 1. 27: *Masculum & fœminam creavit eos.* Quare videtur locus iste ex Exodo adductus, potiùs accipi debere de adultis, qui circumcisionem negligunt, vel ejus à parentibus neglectum approbant: prout etiam hunc locum, unà cum Cajetano, interpretatur doctissimus socer noster, Fr. Iunius.

Tertium sibi locum vindicat celebre illud Iobi XIV. 4: *Quis dabit mundum ex immundo? ne unus:* ut habet veritas Hebræa, quam juniores expressere: sive, ut in vulgata est; *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Ubi verba illa, *conceptum semine*, ἐπεξηγητικῶς addita sunt: sequentia autem ad Deum referuntur: quomodo & locum hunc cepit Chaldæus paraphrastes. LXX autem interpretes, aliam secuti distinctionem, aliquid ex versu proximo appingunt, aliterque, ac hodie solent, interpretantur. Sic enim habent: Τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; οὐδ' εἷς. ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. *Quis enim*

mun-

mundus est à forde? nemo, si vel unius diei sit vita ejus super terrâ. Quamquam & plerique Patres sic citant, *nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Hinc Augustinus Tom. 7. de Prædest. & grat. cap. III: *Vitiata radicis macula ita propaginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, ut nec infans quidem unius diei à culpâ sit primæ prævaricationis alienus, nisi per indebitam Salvatoris gratiam fuerit liberatus. Quod si nec hic quidem sine peccato est, quia proprium habere non potuit, consicitur, ut illud traxerit alienum, de quo Apostolus dicit; Per unum hominem, &c.* Vide & de hoc loco Augustinum contra Julian. lib. VI. cap. XII. Eodem etiam originale peccatum adstruit Origenes sive Rufinus in cap. IX. ad Rom. & idem, vel potius Cyrillus homil. VIII, & XII in Levit. Scriptor homil. de Oratione Dominicâ Chrysostomo tributæ, Auctor homil. de Adam & Evâ eidem adscriptæ. Prosper epist. ad Demetriadem. Gelasius epist. V. quæ est ad Piceni episc. Isychius in lib. II. Levit. cap. VI. Gregorius M. lib. XI. comment. in Jobum cap. XXVIII. Petrus Cluniacensis epist. 1. &c.

Quartus est locus, πολυθρύλητον illud Psalmi LI. 7: *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato concepit me mater mea.* sive, ut alii, *calefecit*, vel *fovit me mater mea.* Vulgata pro singulo numero reposuit pluralivum, & pro calefecit aut fovit, ταυτολόγως repetit *concepit.* Vertit enim, *Ecce enim, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hinc sic colligunt Patres: Si David, rex sanctissimus, optimisque genitus parentibus, à conceptione immunditiem traxit: etiam id in cæteris hominibus habet locum. Ita enim ex his verbis argumentantur, Origenes, sive Cyrillus homil. VIII. in Levit. sexisti, Basilius Magnus, Theodoretus, Rufinus, sive alius, Cassiodorus, Euthymius & Remigius, in scholiis ad hunc locum. Hilarius ad Psal. CXVIII. in illa verba, *Vivet anima mea & laudabit te.* Ambrosius lib. 1. de pœnitent. cap. II. Hieronymus in cap. XLVII. Ezechielis. Scriptor homiliæ, tum ejus, quæ est de Orat. Domin., tum illius, quæ est de Adam & Eva, quarum utraque Chrysostomo tribuitur. Faustus lib. 1. de lib. arbitr. cap. II. Isychius in Levit. lib. III, cap. XII. Gregorius M. & Alcuinus in Ps. IV. pœnitentialem. Beda in cap. XXI. Levit. & cap. 1. Luc.

Quintus locus est Esaiæ XLVIII, 8: *Ab utero transgressorem vocavi te.* Quo vatis significatur, quasi ab utero, hoc est, simul ac ratio se exerit, hominem transgredi mandata Dei. Ita hunc locum interpretantur Græci patres. Ponam aliquot loca Cyrilli Alexandrini. Is sic
a Pag. 63. scribit in Oseæ cap. II, 4. a: Λέγων δὲ, ὅτι πορνείας εἰσὶ τέκνα, παρέδειξεν ἐναργῶς, ὅτι τοῖς τῆς νοητῆς πορνείας ἐγκλήμασιν ἔνοχοι καθεστήκασι· καὶ τοῦτο ἐξ αὐτῶν οἱονεὶ σπαργάνων καὶ μήτρας δεδυσσεβηκότες καὶ οὐδὲ ποπότε τῆς εἰς εὐσέβειαν ἔργων ἀψάμενοι, ἀνεπιτήδευτον δὲ παντελῶς τὴν ἀρετὴν ἐσχηκότες, τὴν εὐδαίμονα τῷ Θεῷ τρίβον
b Ps. 57. οὐ πεποιηκότες. οὕτω καὶ ὁ ψάλλων φησὶ b, Ἀπηλλοτριώθησαν οἱ ἁμαρτωλοὶ ἀπὸ μήτρας, ἐπλανήθησαν ἀπὸ γαστρὸς, ἐλάλησαν ψευδῆ. καίτοι παῖδες εὐσεβεῖς, καὶ τοῖς τῆς δικαιοσύνης ἔργοις ἐντεθραμμένοι, λαμπρῶς ἀναφωνεῖν δυνάμενοι
c Ps. 21. πρὸς Θεὸν c. Ἐπὶ σὲ ἐπερρίφθην ἐκ μήτρας, ἀπὸ γαστρὸς μητρός μου Θεός μου εἶ σύ. *Cùm autem dicit, esse filios fornicationis, manifestè ostendit, fornicationis quæ intelligentiâ percipitur crimine teneri: & hoc, quasi ab ipsis fasciis & utero impii fuerint, nec unquam opera pietatis attigerint, nullamque virtuti operam dederint; nec viam Deo placentem magni fecerint. Idem psaltes dicit: Alienati sunt peccatores à vulvâ, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa: cùm contrà quilibet pius, & operibus justitiæ innutritus exclamare ad Deum luculentè possit, In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.*
d P. 163. Idem in Oseæ cap. 5. vers. 7. d. Ἀλλότρια δὲ τέκνα φησὶ, τὰ οἷον ἐκ μήτρας, καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν σπαργάνων ταῖς τῶν εἰδώλων ἀνακειμένα δόξαις, προσενεχθέντα τάχα που τοῖς δαιμονίοις τὰ χαριστήρια, καὶ ταῖς ἐπὶ ταῖς ὠδῖσι θυσίαις τῶν γεγεννηκότων. τέκνα τοίνυν ἀλλότρια, τὰ μὴ ἐν Θεῷ ἢ καθ' ἕτερον τρόπον, τὰ ἐκ γυναικῶν ἀλλοφύλων. *Alienos filios nominat, qui quasi ex utero, & ab ipsis incunabulis, opinionibus idolorum addicti sunt, parentibus forsitan eos dæmonibus pro munere gratiarum, & in sacrificium pro felici partu oblato offerentibus. Aut aliter, qui nati sunt ex mulieribus alienigenis.* Idem in principium cap. 9. a. Oseæ: οἱ μὲν γὰρ a P. 150.
ἠγνοηκότες παντελῶς τὸν φύσει τε καὶ ἀληθῶς ὄντα Θεὸν, γεννηθέντες δὲ μᾶλλον ἐν πλάνῃ, τάχα που τῆς ἀμαθίας, ἤγουν ἀμαθίας οὐκ ἀπιθάνως ἔχουσι λόγον. ὁ δὲ γε Ἰσραὴλ, καὶ τοῖς νόμοις παιδαγωγούμενος, καὶ τὸν τῶν ὅλων δεσπότην ἐπεγνωκὼς, πεπόρνευκεν εἰς ἀποστασίαν. οὐκοῦν νοεῖτ' ἂν εἰκότως καὶ ἐν αἰτίᾳ γεγονὼς τῇ φορτικωτέρᾳ, καὶ δυσδιάφυκτον ἔχων τὸ τῆς δυσσεβείας τὸ ἔγκλημα. *Qui naturâ & verè Deum non agnoverunt, vel potius in errore nati sunt; fortassis morbi, sive ruditatis suæ excusationem non incredibilem habeat. Israel autem tametsi lege institutus, & Dei cognitione imbutus ad defectionem est fornicatus. Quare meritò gravioris culpæ reus, & crimine impietatis neutiquam excusabili obstrictus intelligi potest.* Et mox: Μὴ χαῖρε δὴ οὖν καθὼς οἱ λαοὶ φησίν. οἱ μὲν γὰρ, ἐκ μήτρας πεπλάνηνται. σὺ δὲ νόμῳ παιδαγωγηθεὶς, ἐκπεπόρνευκας ἀπὸ Θεοῦ. *Ne gaude itaque sicut populi, inquit. Illi enim ab utero erraverunt: tu autem legis doctrinâ instructus, à Deo fornicatus es.*

Accedo ad N. T. loca, quæ adducunt SS. Patres. Primus est ex Johan. III. 5. & 6: *Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quo ex loco consequitur, quicquid carnaliter propagatur, id naturâ suâ tantùm carnalia sapere, eoque, quo spirituale fiat, indigere regeneratione per spiritum Sanctum, sine quo regnum cœlorum ingredi nemo possit. Pugnat hoc argumento Augustinus Tom. VII. lib VI. de baptismo contra Donatistas cap. XII. & lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap XX. & XXX. & lib. II. cap. XXVII. Prosper epist. ad Demetriadem, scriptor de vocat. gentium lib. 1. cap. XVIII. Gregorius M. lib. IX. Moral. cap. XVI. &c.

Alter N. T. locus est epist. ad Rom. cap. V. 12: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo* (vel quatenus) *omnes peccaverunt.* & vers. 14. *Mors regnavit in eos, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adami*: & versus 18: *Sicut per unius delictum* (reatus venit) *in omnes homines ad condemnationem.* & vers. 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Unde hujusmodi exstruitur syllogismus: Peccatum quod ita nobis ab Apostolo describitur, ut dicat illud mortem in omnes homines invexisse, omnes illo homines peccasse, omnesque eo constitui peccatores, etiam qui non peccaverunt ad similitudinem peccati Adam (hoc est, qui actualiter nondum peccare potuerunt) eo item omnes fieri reos mortis & condemnationis: illud peccatum, utut unius sit hominis, quatenus unus actu homo erat, qui peccaret: tamen imputatione totius est naturæ in Adamo conclusæ: totamque ream mortis ac condemnationis facit. Atqui peccatum illud Adami ita nobis ab Apostolo describitur. Ergò peccatum istud, utut solius sit Adami, quatenus is sui ipsius personam gessit; naturæ tamen peccatum censetur, quatenus is omnium, qui lumbis ejus δυνάμει inerant, personam sustinebat, omnesque ii ad delicti istius pœnam obligantur.

Diligenter autem attenderunt Patres, quòd Adam ibidem dicitur typus futuri Adam; item particulam SICUT: unde colligebant, sicut obedientia Christi non imitatione solùm, sed imputatione etiam omnium illorum est, qui spiritualiter ab eo generantur: ita obedientiam Adæ, non imitatione solùm, sed imputatione etiam tradi ei in omnes, qui ab eo generantur corporaliter. Considerabant quoque particulam PER, quæ caussam efficientem significat. Tum voculas ἐφ' ᾧ, *in quo*, quæ posteros in Adamo peccasse docent: vel si eas *quia*, aut *quatenus*, sive *propter quod* transferre malis adæquatam

mortis

mortis caussam, quæque in infantibus quoque locum habeat, ostendunt. Eodem & referunt signum OMNES, ut quod & ipsum doceat sermonem esse de peccato, cujus etiam infantes sint rei. Ita hunc locum explicat Augustinus Tom. 2. epist. LXXXIX. quæ ad Hilar. quæst. 3. Tom. 3. Enchirid. cap. XXVI. Tom. 4. dialogo sexaginta quinque quæstionum quæst. 4. Tom. 7. de prædestinat. & grat. cap. III. item de peccatorum meritis & remiss. lib. III. cap. VII. & XI. & contra duas epistolas Pelagianorum lib. IV. cap. IV. & lib. I. contra Julianum cap. II. & lib. VI. adversus eundem cap. IX. XII, &c. Similiter quoque cepit scriptor Latinus homiliæ de Adam & Eva Chrysostomo falso tributæ, auctor Hypognosticon lib. II. penè initio. Theodoretus in Psalm. L. Prosper de vita contemplat. lib. III. cap. II. Faustus de liber. arbit. lib. I. cap. II. Gennadius de dogmat. Ecclesiast. cap XXXIX. Sedulius in cap. IX. ad Rom. atque adeò, tum Carthaginense concilium, tum Arausicanum II, utrumque can. II.

Tertius est locus ad Rom. VII: *Ubi infirmitas, quam peccando meruimus, vocatur peccatum habitans in membris nostris*, teste August. lib. II. de mer. & remiss. pecc. cap. XXII. Hinc ibidem Apostolus: *Novi enim non habitare in me, id est, in carne meâ, bonum. nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est perficiam, non invenio.* Ideo Spiritu Dei opus est. quemadmodum ex hoc loco colligit Irenæus lib. III. cap. XXII. Tertullianus lib. de pudicitiâ, cap. XVII. item Augustinus expositione quarundam propositionum epist. ad Rom. & lib. I. ad Simplicianum quæst. I.

Bifariam autem hunc locum interpretatus fuit Augustinus. Primò enim hic agi dixit de luctâ inter mentem, hoc est conscientiam rectum præscribentem, & carnem, hoc est affectum peccati ad illicita trahentem: postea de luctâ inter carnem sive peccatum, & spiritum agi putavit: sive, quod eodem recidit, primò de bono malove actuali, quod ab irregenitis ac sub lege positis fit; deinde de bono malove concupiscentiæ actu, qui est in regenitis ac sub gratiâ constitutis, loqui existimavit Apostolum. Sed utramvis sequamur opinionem, consequitur hinc, mirè proclivem esse hominis naturam ad malum, & infirmam ad bonum. Hoc quia nonnulli ex priori Augustini sententiâ colligi posse negant, operæ erit adferre, quæ ipse hac de re scribit lib. I. Retract. cap. XXIII. *In isto ergo libro & hoc quod dictum est, (ego autem carnalis sum, & deinde cætera, usque ad eum locum, ubi dicit, Miser ego homo &c.) dixi hominem describi adhuc sub lege, nondum sub gratiâ constitutum, benefacere cupientem, sed victum concupiscentiâ carnis, male facientem; à cujus concupiscentiæ dominatu non liberat, nisi gratia Dei per Iesum Christum, Dominum nostrum, dono Spiritus Sancti; per quem diffusa caritas in cordibus nostris vincit carnis concupiscentias, ne consentiamus iis ad malefaciendum, sed potius bona faciamus. Unde evertitur hæresis Pelagiana, quæ vult non ex Deo nobis, sed ex nobis esse caritatem, quâ bene ac pie vivimus.* Hæc Augustinus de priori suâ sententiâ: quæ etiam fuit cùm Irenæi & Tertulliani, de quibus antè diximus; tum Macarii homil. I. Basilii in Psalm. I. & exhortatione in baptismum, cujus lemma, Quod instruendi monendique sunt ad baptismum venientes. Cyrilli contra Julianum lib. III. & epist. ad Successum, & lib. I. de rectâ fide ad Reginas. item Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, scriptoris commentariorum Ambrosio tributorum, & Theophylacti, notis in cap. VII. ad Rom. qui omnes, pluresque alii, judicarunt, loqui Apostolum, non quidem de homine regenito, qui vel ratione actus concupiscentiæ malum agat, quod non vult; ut Apostolum posteriùs intellexit Augustinus: vel propter actualia quotidianæ incursionis peccata, venundatus peccato dicatur: ut hodie eum locum nonnulli capiunt, Hieronymi exemplo lib. IV. comment. in cap. XIII. Hieron. epist. CXLVI ad Damasum, & idem vel alius in Psal. CXIV. sed de homine nondum regenito, qui legem tamen sciat, ac sub eâ pugnet adversus affectum: at plurimùm vincatur, atque hac impotentiâ suâ animadversâ, comminatione legis percellatur: quomodo è junioribus quoque intellexêre Erasmus, Bucerus, Musculus, alii. Quod si omnino de actualibus regenitorum peccatis sermonem esse magis placet: sanè sic quoque hic locus clarissimè hominis arguet ad peccandum propensionem. Nam si tanta est regenitorum imbecillitas, quid de irregenitis censendum?

Quartus locus est I Cor. XV. 22: *Sicut omnes in Adam moriuntur: sic omnes in Christo vivificantur.* ad quæ verba sic scriptor commentariorum, qui Ambrosii putantur: *Hoc dicit, quia sicut Adam peccans mortem invenit, & omnes ex ejus origine tenuit, ut dissolvantur: ita & Christus non peccans, & per hoc vincens mortem, omnibus ex ejus corpore acquisivit vitam, hoc est, resurrectionem.* Et mox: *Sicut in Adam omnes, sive justi, sive injusti, moriuntur: ita & in Christo omnes tam credentes quàm diffidentes resurgent; licet ad pœnam, increduli.* De eodem loco sic Augustinus tom. 2. epist. XXVIII. ad Hieronymum: *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. per hanc enim Apostolicam, divinam claramque sententiam, satis evidenter elucet, neminem ire in mortem, nisi per Adam; neminem ire in vitam æternam, nisi per Christum. Hoc est quippe omnes, & omnes, quia sicut omnes homines per primam, hoc est per carnalem generationem, pertinent ad Adam: sic omnes homines ad secundam, hoc est spiritualem regenerationem veniunt, quicunque ad Christum perveniunt. Ideo ergo dictum est, & hic omnes, & ibi omnes: quia sicut omnes qui moriuntur, non nisi in Adam moriuntur: ita omnes qui vivificabuntur, non nisi in Christo vivificabuntur.* Clarius fuerit argumentum, si sic proponatur: sicut omnes in Christo vivificantur; similiter omnes in Adamo moriuntur. At Christus vivificat, quà passione suâ nobis meritus est remissionem peccatorum, & spiritu suo regenerat nos in vitam novam. Ergò similiter Adam, & peccato suo meritus est nobis mortem: & generatione transfundit in posteros naturam corruptam.

Quinctus locus est Ephes. II. 3. *Eramusque naturâ filii iræ.* Augustinus Tom. 7. contra Julianum Pelag. lib. VI. cap. XII. *Commendat, inquit Apostolus, suam caritatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus: multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. De hac irâ dicit, Eramus & nos naturâ filii iræ, sicut & cæteri. De hac irâ dicit Hieremias Propheta, Maledictus dies ille, in quo natus sum. De hâc irâ dicit sanctus Iob, Pereat dies ille, in quo natus sum. De hac irâ autem dicit idem ipse: Homo enim natus ex muliere, brevis vita, & plenus iracundia, sicut flos fœni decidit, fugit autem sicut umbra, & non stabit.* Scriptor Hypognosticon lib. II. *Constant etiam imitatione morum peccata, imitando scilicet malos. Sed ut quis imitetur malos, natura est initium depravata, quâ factus est malus & malitiosus, non naturâ à Deo conditus malus. Ob hos enim & naturâ filii iræ ab Apostolo jam baptizati fuisse dicimur. Omnis enim carnaliter nascens, naturâ filius iræ rectè dicitur: quia natura est protoplasti, quæ prior in illo, propter delictum, iram judicis Dei justè suscepit.* Fulgentius & XIV episcopi de fide ad Petrum Diaconum cap. XXVI. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, & hoc naturâ iræ filium nasci. de quô Apostolus dicit, Eramus enim & nos naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* Theodoretus in hunc Apostoli locum: *Filios iræ dixit, pro eo, quod est, irâ dignos & ultimo supplicio. Ita Antichristum appellavit filium perditionis, hoc est, dignum perditione, seu dignum qui periret.* Primasius ad eundem locum: *Ita nos paterna originis mala consuetudo possedit, ut omnes ad damnationem nasceremur. Filii iræ, sicut supra diffidentiæ, filii Adæ, filii vindictæ. Hæc audiant & erubescant, qui tantum vitiata natura*

tribuunt, ut Apostolo contradicant & à fide exorbitent. Itidem Haimo ad eundem locum: *Dum peccatores & mortales nati sumus ex primis parentibus nostris, qui similes nobis jam erant effecti, quasi naturâ sive naturaliter eramus filii vindictæ; quia propter prævaricationem mandatorum Dei, quâ prævaricati sumus in parentibus nostris, vindictam merebamur accipere.* Hildefonsus, archiepiscopus Toletanus libro de virginitate & parturitione Mariæ a: [a Tom. 9. bibl. PP. edit. 2. Col. 690.] *Corruptæ naturæ filii de concubitu iniquitatis concepti, & in delictis de matris utero projecti non aliud esse queunt, quàm iræ filii.* Eodem modo Apostoli verba cepit Gelasius epist. v. ad episcopum Piceni. Bernardus serm. I. de purificatione Mariæ; ut plures alios mittam.

Porrò ex istis Scripturæ locis, quos adduximus, quatuor ad probandum originale peccatum uno quasi fasce complexus est B. Hieronymus, cujus icccirco verba adscribam. Locus est in cap. XLVII. Ezechielis: *Quis enim hominum gloriari potest, castum se habere cor, vel ad cujus mentem per oculorum fenestras mors concupiscentiæ non introibit, & (ut parum dicam) animi titillatio? Mundus enim in maligno positus est, & à* [b Genes. 8.] *b pueritiâ appositum est cor hominis ad malum, ut ne* [c Job. 14.] *c unus quidem dies à nativitatis suæ exordio sine peccato sit humana conditio.* [d Psal 50.] *Unde & David confitetur in Psalmo* d, *Ecce enim, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Non in iniquitatibus matris meæ, vel certe meis, sed in iniquitatibus humanæ conditionis. Unde &* [e Rom. 5.] *Apostolus* e *dicit: Regnavit mors ab Adam usque ad Mosem, etiam super eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Totidem etiam locis idem adstruit Gregorius epist. LIII. lib. VII. indict. II. *Nisi sacri baptismatis gratiâ fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta. Hinc enim scriptum est, Non est mundus in conspectu ejus, nec unius diei infans super terram. Hinc David ait: In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Hinc ipsa veritas dicit; Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum. Hinc Paulus ait; Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Cur ergo infans, qui nihil egit in conspectu omnipotentis Dei non valet esse mundus? Cur Psalmista, ex legitimo conjugio prolatus, in iniquitate conceptus est? Cur nisi quis mundatus aquâ Baptismatis fuerit, mundus non est? Cur in Adam omnis homo moritur, si originalis peccati vinculis non tenetur? Sed* QUIA GENUS HUMANUM IN PARENTE PRIMO, VELUT IN RADICE, PUTRUIT, ET ARIDITATEM TRAXIT IN RAMIS: ET INDE *omnis homo cum peccato nascitur, unde primus homo permanere noluit sine peccato.*

Vidimus hactenus, quibus maximè scripturarum testimoniis probari à veteribus soleat, nos omnes, propter primum peccatum, nasci expertes originalis justitiæ, & morti obnoxios. Deinceps rationes varias adferemus, quibus idem dogma defenderint antiqui.

THESIS III.

Inter rationes, quibus peccatum originale adstruitur, facilè principem locum mereri credidit Augustinus, quod infantes in hac vitâ, & morborum cruciatibus, & morte ipsâ puniantur, &, nisi regenerentur in Christo, priusquam vitâ excesserint, æternum à Deo rejecti, cum reprobis pœnas luant. Quod injustum fore supplicium putabat, si nulli essent obnoxii peccato.

AUgust. lib. IV. contra duas Pelag. epist. c. IV. *Sed Pelagiani quomodo dicunt, solam mortem ad nos transisse per Adam? Si enim propterea morimur, quia ille mortuus est: ille autem mortuus est, quia peccavit: pœnam dicunt transire sine culpâ, & innocentes parvulos injusto judicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis.* Idem lib. VI. contra Julianum cap. IV. *Parentum peccata modo quodam dicuntur aliena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis, & nostra sunt contagione propaginis. Quod si falsum esset, profectò grave jugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, nullo modo justum esset.* Hinc idem Augustinus paullo pòst: *Jubes ut asseram, quemadmodum in Christo, id est, in virtute ejus, creatos parvulos sibi audeat diabolus vindicare. Tu assere, si potes, quomodo sibi non obscurè, sed apertè vendicet parvulos, quos immundi spiritus vexant. Si ei traditos dicis, videmus ambo supplicium: tu dic meritum. Ambo cernimus pœnam: tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi, cùm Deum justum ambo fateamur, demonstra istâ pœnâ dignam, si potes, in infantibus culpam.* Idem posterioris Resp. contra Iulianum lib. I. cap. CXXXV. a [a P. 196.] *Judicium hoc utique in parvulis injustum esset, si peccatum originale non esset.* Ex cap. XXII. b [b P. 218.] *Catholica* (expositio) *illa est, quæ ostendit justum Deum in tot ac tantis pœnis & cruciatibus parvulorum, quos in paradiso ullus eorum nullâ æquitate sentiret, si natura humana vitiata peccato, & meritò damnata non esset.* Ex cap. LXXXI. c [c P. 281.] *Propter quid ergò affliguntur parvuli, si nullum habent omnino peccatum? An omnipotens & justus Deus injustas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Ex cap. LXXXVIII. d [d P. 290.] *Quando parvulum spiritus vexat immundus, animamque ejus & corpus affligit, sensus sanitatemque pervertit, nonne universa ejus, quam Deus instituit, natura turbatur? nec invenitis omnino tanti hujus mali meritum, negantes originale peccatum.* Et cap. CXIII. e [e P. 295.] *Dispendia quæ nascentes flendo testantur, dicito, quo merito sub justissimo & omnipotentissimo judice eis, si nullum peccatum attrahunt, erogentur.* Idem habes cap. CXIII. f & CXIX g. & CXVII h. [f P. 233. g P. 327. h P. 225.] *Postremo nunquam dicturus es, unde sit justum, ut parvuli in nulla sua, nulla plerumque etiam suorum culpa, sine baptismate mortui a parentibus & propinquis fidelibus separentur: & ad Dei regnum non admittantur, nec inter vasa in honorem, sicut alii parvuli baptizati, sed inter vasa in contumeliam, quia nullum est tertium genus vasorum, sine ullis malis meritis deputentur.* Eodem argumento pugnat lib. I. cap. XXIII. i & lib. II. cap. CXXIV. *k* & cap. CXLII. *l* itemque ultimo *m*. [i P. 25. k P. 331. l P. 371. & 372. m P. 460.] Scriptor Hypognosticon initio lib. II. *Si peccatum primorum hominum solis obfuit illis, & nemini nostrûm: quemadmodum quæ in illos pro peccato lata est, in nos sententia pertransivit & culpa? Nisi forte secundùm vos injustus Deus, qui expertes eorum delicti, passus est nos eorum pœnæ adstringi vinculo.* Prosper contra Collatorem cap. XX. *Nisi forte dicatur in Adæ posteros pœnam transisse, non culpam, quod omni modo falsò dicitur, & ob hoc fortè non dicitur. Nimis enim impium est, hoc de Dei sentire justitia, quod à prævaricatione liberos, cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergò culpa, ubi non latet pœna, & societas peccati convincitur de communione supplicii: ut quod est humana miseria, non de institutione creatoris, sed de retributione sit judicis.* Fulgentius lib. de incarnatione & gratiâ Christi, cap. XIV. *Quâ justitiâ parvulus subjicitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum?* Cæterùm hoc argumentum, quod Prosperum, Fulgentium, Hypognostieôn scriptorem ab Augustino mutuatos vidimus, ne omnibus quidem Catholicis probabatur. Nam scriptor libri de Prædestinatione & gratiâ *n* [n Cap. 16.] (ut vel hinc videas non esse Augustini) censet Deum pro absoluto dominii sui jure etiam homines potuisse adjudicare morti æternæ, etsi non peccassent. Quod etiam in homiliis Macarii Ægyptii legere est. Fortasse conciliari istæ sententiæ possunt, si hos de pœnâ damni, Augustinum & allectas de sensus pœnâ intelligamus. Nec enim veteres consenserunt, utra huic peccato pœna debeatur; ut infrà ostensuri sumus. Sed hoc utcumque est, Augustini sententiam approbavit concilium Arausicanum II. can. II. ubi dicitur: *Injustitiam Deo dare convincitur, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato,*

quod

quod est meritum mortis, ad nos transisse dicit. Similiterque Anselmus lib. II. Cur Deus homo cap. II: *Sapientia & justitia repugnat, ut cogeret mortem pati sine culpâ, quem justum fecerat ad æternam beatitudinem.*

THESIS IV.

Etiam eo Catholici nitebantur, quòd, nisi infantes sint obnoxii peccato, Christus eorum salvator non erit.

AUgustinus lib. I. contra duas Pelag. epistolas cap. ult. *Parvulos ita contendunt jam salvos, ut salvatorem audeant negare salvandos.* Et lib. II. cap. II. *Pelagiani dicunt, Deum non esse omnium ætatum in hominibus mundatorem, salvatorem, liberatorem.* Et lib. I. secundæ a Pag. 28. respons. adversus Jul. cap. XXXI a. *Plebecularum, quas invides, caterva noverunt Catholicam fidem, quâ a Salb Hæc vox interserenda. vatore* (salvari b) *confitetur infantes* c: *& ideo Pelagianorum, qui hoc negant, detestantur errorem.* Et lib. II. c Sic leg. non infantes. cap. CXVIII d: *Videre vel confiteri non vis, remissionem peccatorum etiam ad illos pertinere, qui unum habent; ad quam medicinalem gratiam non pertinent parvuli, si nuld P. 326. lum habent: quod impie negatis, quia eis salvatorem nee P. 328. gatis.* Similiter argumentatur cap. CXX e. & CXXXI f. & f P. 336. CXXXVIII g. g P. 343.

THESIS V.

Aliud quoque eorum argumentum petebatur ab Ecclesiæ consuetudine, tum Judaica, quæ infantes circumcidere & pro iis offerre soleret, tum Christiana, quæ baptismum & exorcismum parvulorum usurparet.

E Circumcisione peccatum originale probat Augustinus contra secundam Juliani responsionem libro posteriori a P. 360. cap. CL a. *Hanc medicinam parvulis vos negatis, quos lex ipsa circumcidi octavâ die jussit, ejus gratiam præsignirans, cujus resurrectionem Dominicus, id est, post septimum sabbathi, dies octavus ostendit, nec voletis ac vultis attendere, ita parvulum morientem sine Christi gratiâ periturum: quemadmodum dictum est: Incircumcisi animam parvuli interire de populo; cujus interitus invenire meritum non potest, quamdiu non trahere peccatum originis parvulos dicitis.* Nempe hoc vult Augustinus, exinde quòd Deus vellet omnes circumcidi, satis ostendi, indigere omnes circumcisione illâ ἀχειροποιήτῳ sive non manu factâ, ut Apostolus vocat: de quâ sic Moses Deuteron. XXX. 6: *Circumcidet Deus cor tuum & cor seminis tui.* Nam ideo omnium cor circumcidi opus est, quia naturâ est immundum pravumque: quam rem & circumcisionis sacramento Deus significavit: ut docet Philo lib. de circumcisione, & Irenæus lib. IV. cap. XXX. Item Lactantius IV. divinarum institutionum, qui est de falsâ sapientia, ubi ait: *Judaica illa carnis circumcisio erat hujus secundæ circumcisionis figura: significans nimirum, pectus esse nudandum, id est, aperto & simplici corde oportere nos vivere, quoniam pars illa corporis quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda.* Et mox: *Hæc est cordis circumcisio, de quâ Propheta loquuntur, quam Deus à carne mortali transtulit ad animam, quæ sola mansura est &c.*

Præterea peccatum hoc adstruunt ex sacrificio pro in-b P. 411. fante. August. lib. II contra post resp. Jul. c. CC b. *Si in lege non ostenditur originale peccatum, cur ergo in lege anima parvuli octavo die non circumcisi de genere suo dicta est interire? Cur infante nato, offerebatur sacrificium pro peccato? Jam quæso tace. Attende infantem, & imitare non fantem.* Pertinet huc quoque lex veteris Testamenti ab ipsa B. Virgine usurpata, quam Levit. 12. legimus: *Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purgationis suæ.* Quem ad locum rectè è junioribus Fonseca, in annotationes Cajetani: *Ex omnibus legibus Israëlitis præscriptis, nucleus veræ pietatis erui debet, relictâ testâ. In hac purificationis lege, quod impura à partu mater & infans haberentur, indicatum fuit, peccato obnoxios nos nasci.*

Etiam hoc dogma probant ritu baptismi, qui per totum terrarum orbem obtinebat, & semper fuerat usurpatus. Meminere sanè ejus Origenes homil. VIII. in Levit. & is cujus, ob interpolatos à Rufino Origenis libros, major etiam hac parte esse debet autoritas, Cyprianus lib. III, epist. VIII. Pugnat hoc argumento Augustinus serm. X. de verbis Apostoli, ubi de infantibus baptizandis agens, *Accommodat*, inquit, *illis Ecclesia aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut confiteantur; quoniam quod ægri sunt, alio peccante prægravantur: sic cum ii sani sunt, alio pro eis confitente salvantur. Nemo ergò vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit. Hoc a majorum fide accepit, hoc usque in finem perseveranter custodit. Quoniam non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Quid necessarium ergo habuit infans Christum, si non ægrotat? Si sanus est, quare per eos, qui eum diligunt, medicum quærit? Si quando portantur infantes, dicuntur omnino nullum propaginis habere peccatum, & veniunt ad Christum; cur non eis dicitur in Ecclesia, qui eos apportant, Auferte hinc innocentes istos. Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Non venit Christus vocare justos, sed peccatores. Nunquam dictum est: sed nec aliquando dicetur.* Etiam concilium Milevitanum, ut vulgò vocant, sive potius Carthaginense, cùm anathema dixisset, neganti infantes baptizari in remissionem originalis peccati, subjungit ista can. II. *Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes homines peccaverunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semet ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Quàm autem forte & munitum hoc sit argumentum, inde æstimare est, quòd Cælestius etiam in libello, quem Romæ edidit, fateri sit coactus, *Infantes baptizari in remissionem peccatorum* SECUNDUM REGULAM UNIVERSALIS ECCLESIÆ, ET SECUNDUM EVANGELII SENTENTIAM, ut Augustinus scribit lib. II. contra Pelag. & Cælest. qui est de peccato originali cap. V. Ut se hoc argumento extricare non potuerint Pelagiani, infrà dicemus, cùm collationem instituemus inter doctrinam Catholicam & Pelagianam. Origenistæ verò faciliùs eludebant, quia animas peccasse putabant, priusquam in corpora immitterentur. Unde Hieronymus his verbis claudit tertium dialogorum librum adversus Pelagianos: *Quodsi injusta vobis videtur aliorum* (f. alienorum) *remissio peccatorum, quâ non indiget, qui peccare non potest: transite ad amasium vestrum, qui præterita in cælis & antiqua delicta solvi dicit in baptismo: ut cujus in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini.* Nam amasium Pelagianorum Origenem appellat; quem libro primo ejusdem operis vocârat *Pelagianorum magistrum τ᾽ ἀρχαῖον a.* Nempe non solùm ob an- a P. 269. tiquitatem, sed etiam quia libros περὶ τ᾽ ἀρχῶν scripsisset, & fortasse etiam (quis enim falsum magni Hieronymi ingenium nescit?) quia Græci ἀρχαίους vocent stultos & deliros.

Pugnat quoque Augustinus (uti & Gelasius epist. ad episcopos Piceni) argumento ducto ab antiquis baptismi ceremoniis. Ut epist. CV. ad Sixtum: *Non inveniunt, quid ad hoc respondeant, quod exorcizantur & exsufflantur infantes: hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur & exsufflantur, per quid domina-*

tur, nisi per peccatum princeps utique peccatorum? Similiter lib. II. de Peccato originali, cap. XL. & lib. II. de Nuptiis & concup. cap. XVIII. & XXIX, ubi antiquitatem hujus ritus indicat: *Non,* inquit, *sicut iste ait, perfecte Manichæus est, qui malum originale non credit. neque enim ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex eo cœperunt in ecclesia Dei parvuli baptizandi exorcizari & exsufflari, ut ipso mysterio ostenderetur, non eos in regnum Christi, nisi erutos a tenebrarum potestate, transferri.* & post aliqua, cùm Cypriani locum laudasset: *Hos iste audeas dicere Manichæos, &* ANTIQUISSIMAM *ecclesiæ traditionem isto nefario crimine adspergat, qua exorcizantur, &, ut dixi, exsufflantur parvuli?* Et libris IV. ad Bonifacium, & VI. libris contra Julianum passim. Uti & libb. duobus imperfecti operis contra eundem: ut lib. I. eorum cap. XLVIII. *Si Deum colis, in quo speravit & sperat Ecclesia primitivorum, quæ conscripta est in cœlis, cur non credis, baptizandos parvulos, erui de potestate tenebrarum, cùm eos propter hoc exsufflet atque exorcizet Ecclesia, ut ab eis potestas tenebrarum*
a P. 64. *mittatur foras?* Quo & argumento utitur cap. LIV *a.* &
b P. 172. CXV *b.* item lib. II. cap. CXX *c.* & CLXXX *d.* Nempe varii
c P. 325. erant Ecclesiæ veteris ritus in baptismo, quorum nulla in
d P. 394. scripturis fit mentio. Usurpabat autem eos, non tanquam necessarios, & pares dignitate iis, quos Deus instituit; quia hoc si esset, non passa esset quosdam aboleri, uti degustationem lactis & mellis seu vini, cujus meminit Tertullianus lib. I. contra Marcionem, & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos; sed adhibebat tanquam non parum utiles ad commendandam hujus sacramenti dignitatem: quippe quibus ejus efficacia ac dignitas, tanquam vivis verbis proponeretur & in animis rudiorum scriberetur. Hos inter ritus erat exorcismus & insufflatio: unde
e P. 657. edit. Mor. II. Nazianzenus orat. XL. quæ est in sacrum baptisma *e*; μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμοῦ θεραπείαν. *Ne respuas exorcismi medicinam.* Exorcismi autem & insufflationis symbolis significabatur mali spiritus expulsio, & boni spiritus afflatio: non quasi, antequam regeneremur, simus ἐνεργούμενοι, quod ridiculum est putare; sed quia naturâ simus filii iræ, inimici Dei, & mancipia diaboli; quales etiam sunt adulti irregeniti, qui tamen ἐνεργούμενοι non sunt. Hisce verò nullam veteres efficaciam tribuebant, sed vim omnem constituebant in precatione Ecclesiæ annexâ, quæ dum ritus istos usurpat, Deum simul rogat, ut parvulum liberet diaboli potestate, eumque, spiritûs sui vinculo, mystico ecclesiæ corpori conjungat. Hæc autem omnia locum habere posse negabat Augustinus, nisi diabolus etiam infantes per peccatum possideret. Nec negare poterat Pelagius, ritus eos per omnem terrarum orbem obtinere. Unde est quòd Augustinus non dubitat Iulianum his verbis compellare lib. VI. adversus eum, cap. II; *Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse à* TOTO ORBE *exsufflandus esses, si huic* EXSUFFLATIONI, QUA PRINCEPS MUNDI EJICITUR FORAS, *contradicere voluisses.* Idem docet Cælestinus ad episcopos Galliæ cap. XII: *Illud quod circa baptizandos* IN UNIVERSO MUNDO *sancta ecclesia* UNIFORMITER *agit, non otioso contemplemur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.* Hæc eo lubentius attuli, ne quis putet, in Africâ solum obtinuisse; de quâ dubitare non sinit Augustino antiquior Opta-
f P. 124. & 125. edit. Commel. tus lib. IV *f.* & antiquior eo ipso Cyprianus; ut indicat Augustinus lib. II. de Nuptiis & concup. cap. XXIX; aperteque ostendit Vincentius à Thibari, qui in Concilio Carthaginensi, Cypriano præside, trigesimus septimus sententiam dixit. Verba ejus sunt: *Ergo primo per manus impositionem, in exorcismo; secundo per baptismi regenerationem, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire.* Unde liquet quam vere Petavius exercitat. Theolog. lib. II. exercitatione XXIV. scribat, post tempora demum Cypriani, exorcismum videri baptismo fuisse adnexum.

Memorabile quoque est quòd Iulianus desertor riserit exorcistum; ut ex Nazianzeno atque Eliâ Cretensi docet Durantius, qui multa de exorcismo veterum adducit testimonia lib. I. de ritibus Ecclesiæ cap. XIX. §. 22. & 23. quemadmodum & Gevetardus Elmenhorstius notis ad Gennadium cap. XXXI.

Atque hæc de Ecclesiæ ritibus dicta sunto. Fortasse & ab eadem opinione fluxit ritus ille gentilium, ut infantes expiarent: quo de more vide sis, quæ ex Platone, Plauto, Persio, tradit Lilius Gyraldus, syntagmate septimodecimo de Diis gentium. Sanè nec gentilibus, vel humani generis corruptionem, vel caussam ejus planè fuisse ignotam; docebit Plessæus lib. de veritate religionis cap. XVII. ubi & argumentis multis è naturâ petitis hanc corruptionem ostendit. Quemadmodum & cap. antecedenti: *quo ex hominis comparatione ad Deum, mundum, proximum, se ipsum, corruptionem & depravationem nostræ naturæ evidenter probat, quatenus videlicet & fini adversatur, propter quem à Deo creatus fuit, & politiæ universi, & generis humani bono, & suæ ipsius beatitudini.*

THESIS VI.

Denique probat hoc dogma Augustinus è scriptis priorum Patrum: quorum luculenta adeò testimonia depromit (nec minus illustria sunt multa, quæ præterit) ut planè sit mirandum, vel olim fuisse, vel hodie inveniri, qui hanc doctrinam Augustini esse commentum putent, atque id porrò aliis persuasum velint.

IAm Augustini ævo peccatum originale à Pelagianis Augustini commentum appellabatur. Eorum verba hæc sunt lib. II de nuptiis & concupiscentiâ cap. XII: *Confitearis ergò necesse est, originale, quod finxeras, interisse peccatum.* Ad quæ verba sic respondet Augustinus: *Non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credidit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus.* Hoc ut verum esse liqueat, adversus hos ostendemus, etiam ante Augustini tempora, Ecclesiam Dei semper in eo conspirâsse, quòd peccaverimus in Adamo, cujus lumbis δυνάμει continebamur, eoque peccato commeriti simus privationem justitiæ originalis, mortem temporalem, & æternam à Deo separationem.

E Græcis agmen ducat Ignatius epist. ad Trallianos *a,* a Pag. 15. edit. Morell.
quam agnoscunt etiam Eusebius & Hieronymus. In eâ peccatum hoc παλαιὰν δυσσέβειαν vocat.

Proximum illi locum occupare deberet Dionysius Areopagita, si is esset, quem multi contendunt. Ejus enim hæc sunt verba Eccl. Hier. cap. III. part. III. τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ἀρχῆθεν ἀπὸ τῶν θείων ἀγαθῶν ἀνοήτως ἐξολισθήσασαν, ἡ πολυπαθεστάτη ζωὴ διαδέχεται, καὶ ὁ φθοροποιοῦ θανάτου πέρας. *Humanum genus, quod initio divinis bonis stulte excidit, vita excipit passionibus multis obnoxia, & exitialis mortis terminus.* Sed scriptor iste etsi doctus & vetus, Augustino tamen antiquior non est; uti jam ab aliis sæpè est demonstratum.

Ergò ad Justinum Martyrem veniamus, cujus hæc verba, dialogo cum Tryphone *b*: Ὥσπερ οὐδὲ τὸ γεννηθῆναι καὶ σταυρωθῆναι, ὡς ἐνδεὴς τούτων, ὑπέμεινεν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, ὃ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ὑπὸ θάνατον καὶ πλάνην τὴν τοῦ ὄφεως ἐπεπτώκει, παρὰ τὴν ἰδίαν αἰτίαν ἑκάστου αὐτῶν πονηρευσαμένου. *Sicut nec nasci, nec crucifigi, quasi horum indigus, sustinuit, sed humani generis caussâ, quod per Adam in mortem seductionemque serpentis conciderat: ut interim propriam pro se maligne agentis culpam taceamus.* Idem aliquanto pòst *c,* ἀντίθεσιν inter primum & secundum Adamum, ostendit illius inobedientiam imputari omnibus, qui ab eo corporaliter descendunt, & hujus obedientiam omnibus imputari, qui spiritualiter Christo conjunguntur. b P. 246. edit. Commel. c P. 256.

Similiter scriptor quæst. & resp. ad Orthodoxos Justino tribu-

tribuatarum, quæst. c11. ubi similem legere est ἀντίθεσιν, atque ut Adami delicto peccatores & morti obnoxii facti simus. Item scriptor libri, qui ἔκθεσις τῆς πίστεως inscribitur, & ejusdem Justini creditur vulgo: (pag. 299.) Ἁμαρτὼν ὁ Ἀδὰμ θανάτῳ τὸ γένος ὑπέβαλε, καὶ τὴν φύσιν ὅλην ὑπεύθυνον τῷ χρέει πεποίηκε. *Adam mortis genus humanum subjecit, & naturam cunctam debito reddidit obnoxiam.* Ubi cujusmodi debitum intelligatur, docent quæ subjungit de filio Dei passo, ut hoc debitum exstingueret.

Etiam Tatianus orat. contra gentes ait, nos inobedientiâ priscorum hominum (sic Adam & Evam vocat, quia scribit ad gentiles, primordia mundi nescientes) amisisse Spiritum Dei, cujus beneficio perfectam justitiam & sanctitatem habebamus: atque addit, ἡ δὲ ψυχὴ ὥσπερ ἔναυσμα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ (τοῦ πνεύματος) κεκτημένη, καὶ διὰ τὸν χωρισμὸν τὰ τέλεια καθορᾶν μὴ δυναμένη, ζητοῦσα τὸν Θεὸν, πολλοὺς θεοὺς ἀνετύπωσε. *Adhuc fomitem quendam spiritualis virtutis sibi retinens, sed propter ejus* (spiritus) *separationem, quæ perfecta sunt, perspicere non sufficiens, inquirendo Deum, multos, errore ducta, Deos finxit.* Pluraque adjungit non minùs illustria.

Irenæi duo loca adducit Augustinus lib. I. adversus Julianum cap. II. ubi sic scribit: *Irenæus Lugdunensis episcopus, non longe à temporibus Apostolorum fuit. Iste ait, Non aliter salvari homines ab antiquâ serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati, in ligno martyrii exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & vivificavit mortuos. Item idem ipse: Quemadmodum adstrictum est*, inquit, *morti genus humanum per virginem, solvatur per virginem, æquâ lance dispositâ virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentiâ devictâ per simplicitatem columbæ; vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti.* Prior Irenæi locus legitur lib. IV. cap. V. alter lib. V. cap. XVI. Uterque verò lucem fœnerat ex iis, quæ ibidem subjicit Augustinus: *Videsne*, inquit, *antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? Quid de similitudine carnis peccati, per quam sanatur plaga serpentis in carne peccati? Quid de protoplasti peccato, per quod alligati eramus?* His nos aliquot alia ejusdem scriptoris loca addemus. Lib. III. cap. XX. *Non tunc cœpit filius Dei, existens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est & homo factus, longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans: ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus. Quia enim non erat possibile a, eum hominem, qui semel victus fuerat & elisus per inobedientiam b, replasmare & obtinere bravium victoriæ: iterum autem impossibile erat ut salutem perciperet, qui sub peccato ceciderat: utraque operatus est Filius, Verbum Dei existens, a Patre descendens, &c.* Et lib. V. cap. XIV. *Dissolvens eam, quæ ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, eam quæ in ligno fuerat inobedientiam sanans. Per hæc, per quæ non obedivimus Deo, & non credidimus ejus verbo, per hæc eadem obedientiam introduxit. In primo Adam offendimus, non facientes ejus præceptum: in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem crucis. Neque enim alteri cuidam eramus debitores: sed illi, cujus præceptum transgressi fueramus à principio.* Et lib. eodem cap. XVII. *Delevit chirographum, debita nostra c, & affixit illud cruci, ut quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem.* Et cap. XXI: *Quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem adscendamus in vitam: & quemadmodum accepit palmam per hominem mors adversus nos, sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam.*

a *Alii libri impossibile: sed male.*
b *Male alii libri obedientiam.*
c *Vet. Cod. debitis nostri.*

Origenes contra Celsum lib. IV a. ubi ob Adami delictum omnes maledictioni obnoxii dicimur: Ἡ ἀρὰ τοῦ Ἀδὰμ κοινὴ πάντων ἐστί· καὶ τὰ κατὰ τῆς γυναικὸς, οὐκ ἔστι καθ' ἧς οὐ λέγεται. Quæ ad verbum sonant, *Maledictio Adæ est communis* (virorum) *omnium: & non est mulier, de quâ non dicantur, quæ dicuntur de* (Evâ primâ) *muliere.* Extrema verba perversè, ut alia multa, transtulit Christophorus Persona, *Quæ verò in mulierem pronunciata est maledictio, hautquaquam in eam intenditur, in quam minùs depromitur.* Quæ contrarium sensum habent. Idem Origenes b, nisi is potius Rufinus interpres, (quis enim, quæ vel Origenis, vel paraphrastæ adeò liberi fuerint, hodie discernat?) in cap. IX. ad Rom. ubi ait, *Ab sorde peccati mundus non est quisquam, etiamsi unius diei fuerit vita ejus super terram.* Sed fusè clareque imprimis hoc de peccato scribit lib. VIII. & XII. in Levit. nisi isti in Leviticum commentarii Cyrilli potiùs sunt, quando etiam in hujus operibus inveniuntur, ac, ut in Origenianis libri sexdecim, ita inter Cyrilliana sexdecim homiliæ appellantur. Sed huic sententiæ obstat, quòd phrasis magis Origenica, & quòd libri isti Origenis retinent errores. Quare incerti esse scriptoris putamus.

a *P. 196. edit. Aug. Vindel.*
b *T. 2. p. 471.*

S. Methodius apud Epiphanium c, hæresi LXIV, de Paradiso tractans, sic orditur; *Paradisus, unde* IN PRIMO PARENTE *ejecti sumus.*

c *Contra hæref. lib. II. T. I. p. 187.*

Macarius Episcopus Hierosolymitanus, in actis concilii Nicæni lib. II d. Christum venisse, ait, *ut instauraret, quæ per primorum parentum lapsum fuerant soluta.*

d *P. 340. edit. Col. 1606.*

Macarius Ægyptius homil. V e: ubi multa habet de hominis miseriâ, quæ ex prævaricatione primorum parentum profluxit: aliaque inter ait, *maledictionem ad universum Adami genus, tanquam hæreditariè, provenisse*, πᾶν τὸ ὁμόφυλον γένος τοῦ Ἀδὰμ τὴν κατάδικον ἐκείνην κατὰ τὸ κρυπτὸν κέκτηται. Similiter homil. XI f. ubi post multa de hæreditario illo malo inquit, Δι' αὐτοῦ ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος, καὶ πᾶσαν εἰκόνα τοῦ Ἀδὰμ ἠφάνισεν ἐκ τῆς ἐκείνου παρακοῆς, ὥστε τραπῆναι τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἐλθεῖν εἰς προσκύνησιν δαιμόνων. *Per eum imperium obtinuit mors super omnem animam, & omnino imaginem Adæ delevit propter ejus inobedientiam, ut conversi, atque prolapsi sint homines ad adorandos dæmones.* Et homil. XV g. & XXI h. ubi cùm de miserâ animæ humanæ captivitate dissertasset, subjungit, πᾶσα ἡ ἐναντιότης ἐν τοῖς φανεροῖς, καὶ ἐν τοῖς κρυπτοῖς, ἀπὸ τῆς παραβάσεως τοῦ πρώτου ἀνθρώπου, εἰς ἡμᾶς κατελήλυθεν. *Penitus contrarietas, tam in manifestis, quam occultis, post transgressionem prioris Adæ, nos invasit.* Item homil. XXX i. postquam deplorasset tristem Adami casum, & vulnera, quæ inde anima perpessa est; jubet nos, non in Adamo solo mentem defigere, sed descendere in nosmet ipsos, qui eadem mala circumgestamus, quandoquidem omnes ab eo genus ducimus. εἴσω ἐν τῇ ψυχῇ σου γίνου, ὅτι καὶ σὺ τὸ αὐτὸ τραῦμα ἔχεις, καὶ τὴν αὐτὴν δυσωδίαν, καὶ τὸ αὐτὸ σκότος φορεῖς. ἐκείνου γὰρ πάντες ἐσμὲν υἱοὶ τοῦ σκοτεινοῦ γένους, καὶ πάντες τῆς αὐτῆς δυσωδίας μετέχομεν. ὅπερ γὰρ πέπονθε πάθος ἐκεῖνος, τοῦτο πάντες ἐκ τοῦ σπέρματος Ἀδὰμ ὄντες πεπόνθαμεν.

e *Pag. 70. ed. Morell.*
f *P. 119.*
g *P. 225.*
h *P. 297.*
i *P. 403.*

Athanasius de incarnatione verbi Dei k, item. orat. II l. contra Arrianos. Ὥσπερ τοῦ Ἀδὰμ παραβάντος, εἰς πάντας τοὺς ἀνθρώπους ἡ ἁμαρτία διέβη, οὕτω, τοῦ Κυρίου ἰσχύσαντος, ἡ τοιαύτη ἰσχὺς λοιπὸν εἰς ἡμᾶς διαβήσεται. *Ut lapso Adamo in omnes homines peccatum dimanavit: ita, Domino prævalente, vigor ille in nos tandem transmeabit.* Idem in dictum, *Omnia mihi tradita sunt*, de primis peccati effectis loquens: *Homo*, inquit, *corruptus, occisusque; ac diabolus in nos insiluit.* Ἐφθάρη ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἀπεκτονήθη· ὁ δὲ διάβολος ἐνήλατο καθ' ἡμῶν. Mox cùm dixisset, Deum misericordem noluisse ut perirent, quos ad imaginem suam condiderat: filio nos tradidisse ait, ut is, tanquam medicus, sanaret morsum

k *Pag. 47.*
l *P. 172.*

sum serpentis, παρεδόθη γὰρ αὐτῷ, ὡς ἰατρῷ, θεραπεῦσαι τὸ δῆγμα τοῦ ὄφεως. *Hinc*, inquit, *mox correcta perfectaque iterum omnia, terra prius maledicta benedictionem est consecuta, paradisus reseratus.* εὐθὺς διορθώθη, καὶ ἐπλεονάσθη τὰ ὅλα· ἡ γῆ ἀντὶ κατάρας εὐλόγηται, ὁ παράδεισος ἠνοίγη, &c. Idem synopsios sacræ scripturæ lib. VII.

a T. 2. pag. 125.

cap. 1. *a*. quod est de epist. ad Rom. peccatum hoc appellat ἀρχαίαν ἁμαρτίαν τὴν διὰ τοῦ Ἀδὰμ εἰς ἅπαντας γενομένην, *Antiquum illud peccatum, quod per Adam in omnes homines manavit.* Atque addit: ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς κόσμον εἰσῆλθεν· οὕτως καὶ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου εἰς πάντας ἀνθρώπους ἡ χάρις γίνεται. *Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum manavit: ita per unum hominem ad omnes gratia pertinget.*

Cyrilus quoque Hierosolym. Catech. II. gemina his habet.

b Pag 81.

Basil. in Psal. XXIX. *b*. Καλὸς μὲν γὰρ ἤμην κατὰ τὴν φύσιν, ἀσθενὴς δὲ διὰ τὸ ἐξ ἐπιβουλῆς τοῦ ὄφεως νενεκρῶσθαι τῷ παραπτώματι. *Pulcher quidem eram secundum naturam; debilis autem, eò quod per insidias serpentis peccato sum*

c Pag 85.

mortuus. Vide & in Ps. XXXII: *c*. ad illa verba, *Misericordia Domini plena est terra.* Ubi negat, vel unius diei infantem à peccato esse immunem. Adderem in Psalmi L. verba illa, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Quem locum ab aliis adduci video: sed scholia ista in Psalmos, quæ extremum in Basilio locum obtinent, tantùm sunt cinnus ex Chrysostomo & Theodoreto: ut rectè in Apparatu suo observat Possevinus. Locum igitur ejus suppleant, quæ Basilius habet orat. 1. de jejunio. Ubi ait, si homo jejunii legem in paradiso non fuisset transgressus, futurum fuisse, ut jejunio minùs indigeremus. Et mox: *Quia non jejuna-*

d Pag. 131.

vimus, decidimus de paradiso. Ἐπειδὴ δ. οὐκ ἐνηστεύσαμεν, ἐξεπέσομεν τοῦ παραδείσου. Quo testimonio adversus Pelagianos pugnat Augustinus lib. I. contra Julian. c. II.

e Pag. 331.

Estque ei geminum homil. in XL. martyres *e*, ubi eos, cùm vestimenta exuere, nudique frigus hibernum excipere corporibus juberentur, sic loquentes inducit: Διὰ τὸν ὄφιν ἐνεδυσάμεθα, διὰ τὸν Χριστὸν ἐκδυσώμεθα. μὴ ἀντιλεγώμεθα ἱματίων, διὰ τὸν παράδεισον ὃν ἀπωλέσαμεν. *Ob serpentem vestimenta induimus, ob Christum exuamus. Relinquamus hunc amictum propter paradisum, quem per-*

f Pag. 644.

dideramus. Idem eleganter homil. de paradiso *f*, Ἀνθηρὸν τὸ ῥόδον, ἀλλ' ἐμοὶ κατήφειαν ἐμποιεῖ· ὁσάκις γὰρ ἂν ἴδω τὸ ἄνθος, τῆς ἁμαρτίας ὑπομιμνήσκομαι τῆς ἐμῆς, δι' ἣν ἀκάνθας ἡ γῆ καὶ τριβόλους ἀνατέλλειν κατεδικάσθη. *Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit. Nam quotiescunque florem hunc videro, peccati* MEI *admoneor, per quod terra, ut spinas ac tribulos proferret, condemnata est.*

Similiter Gregorius Nazianzenus orat. XXXVIII. quæ panegyrica est in nativitatem Christi, de primi parentis

g Pag 619. edit. Morell.

peccato loquens, *g* Φεῦ, inquit, τῆς ἐμῆς ἀσθενείας. ἐμὴ γὰρ ἡ τοῦ προπάτορος. *O infirmitatem meam! nam meam dico primi parentis infirmitatem.*

Idem Nazianzenus ad Arrianos & de se ipso orat. XXV.

h Pag. 436 & 437.

h. Πάντες δὲ οἱ τοῦ αὐτοῦ Ἀδὰμ μετασχόντες, καὶ ὑπὸ τοῦ ὄφεως παραλογισθέντες, ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ θανατωθέντες, καὶ διὰ τοῦ ἐπουρανίου Ἀδὰμ ἀνασωθέντες, καὶ πρὸς τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐπαναχθέντες, διὰ τοῦ ξύλου τῆς ἀτιμίας, ὅθεν ἀποπεπτώκαμεν. *Omnes, qui iidem Adamo participavimus, atque à serpente in fraudem inducti sumus, per peccatum mortui, ac per cælestem Adamum saluti restituti, atque ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominiæ lignum reducti sumus.*

i Pag. 221.

Idem orat. III. de Pace *i*: Ἐχρῆν γὰρ ὅλον με σωθῆναι, ὅλος πεπτωκότα καὶ καταδικασθέντα ἐκ τῆς πρωτοπλάστου παρακοῆς, καὶ κλοπῆς τοῦ ἀντικειμένου. *Oportebat enim omni ex parte me saluti affici, qui totus cecidi, atque ob primi parentis inobedientiam, & diaboli fraudem, condemnatus sum.*

k Pag. 684.

Idem orat. II. in Pascha *k*: Πεσόντας ἡμᾶς ἐκ τῆς ἁμαρτίας τὸ ἀπ' ἀρχῆς &c. *Nos qui ab initio per peccatum lapsi sumus.*

Adde his tria loca Nazianzeni adducta ab Augustino lib. I. contra Julianum cap. II.

Illustria etiam sunt, quæ Isychius presbyter Hierosolymitanus habet in Levit. cap. VI. & XII. Sed quamquam Tritthemius (qui etiam Danielem Cramerum decepit lib. de divisione decalogi *a*) Nazianzeni discipulum faciat, tamen verum id esse non potest, cùm Hieronymianâ utatur translatione, & ad eum scribat Gregor. Magnus epist. XL. lib. IX. registri.

a Cap 3. p. 50 & cap. 5. p. 124. ed. a. 1612.

Proximus igitur Nazianzeno esto Chrysostomus: ex cujus homiliis citat Augustinus lib. I. contra Jul. c. II. Ἦλθεν ἅπαξ ὁ Χριστός, εὗρεν ἡμῶν χειρόγραφον πατρῷον, ὃ, τι ἔγραψεν ὁ Ἀδάμ. ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν εἰσήγαγε τοῦ χρέους, ἡμεῖς τὸν δανεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγενεστέραις ἁμαρτίαις. *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Quibus verbis citatis subjicit Augustinus: *Nunquid contentus fuit dicere paternum chirographum, nisi adderet nostrum? ut sciremus, antequam fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus, jam illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere.* Idem citat hoc ejusdem Chrysostomi ad Olympiam: *Quando enim Adam peccavit illud grave peccatum, & omne genus humanum in commune damnavit; do mærore pœnas luebat.* Item hoc ejusdem: *Ut cum dixerit tibi Judæus, quomodo unius virtute mundus salvatus est? possis & dicere, quomodo & uno inobediente Adam, mundus damnatus est?* Quæ verba habes homil. X. in cap. V. ad Rom. ὅταν λέγῃ σοι Ἰουδαῖος, πῶς ἑνὸς κατορθώσαντος τοῦ Χριστοῦ, ἡ οἰκουμένη ἐσώθη; δυνήσῃ αὐτῷ λέγειν, πῶς ἑνὸς παρακούσαντος τοῦ Ἀδὰμ ἡ οἰκουμένη κατεκρίθη; Etiam homiliæ initio ibidem legas: *Quo pacto mors introiit, ac dominata fuit? per peccatum unius. Quid porro sibi illud vult, in quo omnes peccavimus? Illo lapso & illi item, qui de ligno non comederunt, effecti sunt ex illo tempore omnes mortales.* Πῶς οὖν εἰσῆλθεν ὁ θάνατος, καὶ ἐκράτησε; διὰ τῆς ἁμαρτίας τοῦ ἑνός. τί δέ ἐστιν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον; ἐκείνου πεσόντος, καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου, γεγόνασιν ἐξ ἐκείνου πάντες θνητοί.

b Pag. 112. edit. Commel.

Idem ad Rom. cap. VI. homil. XI. *b*. Τὸ σῶμα ἡμῶν πρὸ μὲν τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας εὐχείρωτον ἦν τῇ ἁμαρτίᾳ. μετὰ γὰρ τὸν θάνατον, καὶ πολὺς παθῶν εἰσῆλθεν ἑσμός. διόπερ οὐδὲ σφόδρα κοῦφον ἦν πρὸς τὸν ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς δρόμον. οὔτε γὰρ πνεῦμα παρῆν τὸ βοηθοῦν, οὔτε βάπτισμα τὸ νεκρῶσαι δυνάμενον. ἀλλ' ὥσπερ τις ἵππος δυσήνιος, ἔτρεχε μὲν, διημάρτανε δὲ πολλάκις, τοῦ νόμου τὰ πρακτέα, καὶ τὰ μὴ τοιαῦτα, διαγορεύοντος μὲν, πλέον δὲ οὐδὲν τῆς διὰ τῶν ῥημάτων παραινέσεως τοῖς ἀγωνιζομένοις εἰσφέροντος. ἐπειδὴ δὲ ὁ Χριστὸς παρεγένετο, τὰ παλαίσματα λοιπὸν εὐκολώτερα γέγονε. Διὸ καὶ μείζονα ἡμῖν προετέθη τὰ σκάμματα, ἅτε μείζονος μετέχουσι τῆς βοηθείας. *Corpus nostrum ante Christi adventum facile peccato expugnabatur. Unde enim* CUM MORTE MAGNUM ETIAM AFFECTUUM VELUTI EXAMEN INTROIERAT. *Itaque* CORPUS *idem* NON VALDE AGILE ERAT *ad eum cursum, qui* AD VIRTUTEM *fertur.* NEQUE *enim* SPIRITUS ADERAT, *qui opem adferret: neque baptisma, quod mortificare posset. Sed* EFFRENIS EQUI RITU CURREBAT *quidem, aberrabat autem identidem, lege, tum quæ agenda, tum, quæ vitanda essent, dictitante quidem, nihil tamen amplius extra verborum admonitionem iis, qui dimicarent, adferente. At posteaquam Christus advenit, faciliora certe certamina sunt effecta. Propterea majores & nobis certaminum campi, majora theatra proposita sunt, tanquam majoris auxilii participibus effectis.* Est hic Chrysostomi locus observatione dignissimus. Nam ex eo cognoscimus, decipi Erasmum *c*, Stapulensem *d*, & alios quosdam summos viros, qui ex quibusdam Chrysostomi locis *e* non satis intellectis colligebant, velle eum, Adami peccato corpora quidem nostra reddita esse mortalia, at animas nostras nihil inde damni sensisse. Atqui clarè hic ait beatissimus pater, corpore ob peccatum primum facto mortali, etiam ani-

c Annot. in cap. 5. ad Rom. d Apologia suorum commentariorum in Paulum. e Homil. 10 in epist. ad Rom & homil 39. in 1. epist. ad Corinth. & homil. 17. in cap. 6. homil. 24. in epist. ad Ephes & homil quæ inscribitur ad Neophytos.

animam nostram factam effrenis equi similem, eò quòd affectuum illam sit ingressum examen. Quod nihil aliud dicere est, quàm affectus, quos etiam in statu innocentiæ homo habebat, hos in generationis statu, in quo anima justitiæ originalis freno destituitur, rebellare adversus rationem; ut in eo poëtæ illud verè habeat locum, *Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.* Addit quoque Chrysostomus, non sufficere, si nihil habeamus *extra verborum admonitionem*; sed tum demum facile nobis certamen reddi, si Spiritus S. intus opem ferat, atque is per baptismi sacramentum in nobis sit efficax. Ex quibus verbis certissimum est, Chrysostomum minimè favisse illis, qui naturæ vires sufficere putant ad superandos affectus, vitamque ex legis divinæ præscripto instituendam. Quod pluribus ostendemus libro proximo, ubi de Gratiæ necessitate proprius est agendi locus. Nunc ea persequamur, quæ ostendunt, per primum peccatum amissum esse frenum justitiæ originalis. Idem Chrysost. ad Rom.

a P. 125. edit. Commel.

VII. homil. XII. *a*. Ὅτε γὰρ ἥμαρτεν ὁ Ἀδὰμ, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ γέγονε θνητὸν, καὶ παθητὸν, καὶ πολλὰ ἐλαττώματα ἐδέξατο φυσικὰ, καὶ βαρύτερος, καὶ δυσήνιος ὁ ἵππος κατέστη. ἀλλ' ὁ Χριστὸς ἐλθὼν, διὰ τοῦ βαπτίσματος κουφότερον ἡμῖν αὐτὸ ἐποίησεν, ἐν τῷ πτερῷ διαίρων τοῦ πνεύματος. *Cum peccavit Adam, tum & illius corpus mortale effectum est, ac patibile, receptis natura vitiis permultis,* EQUO PRÆTEREA GRAVIORE ATQUE EFFRENI REDDITO. *At Christus ubi advenit, per baptismum nobis illum leviorem fecit, alis* SPIRITUS *eundem excitans.*

b P. 136.

Simillimus quoque locus est homil. seq. *b* Μετὰ γὰρ τοῦ θανάτου, φησὶ, καὶ ὁ τῶν παθῶν ἐπεισῆλθεν ὄχλος. ὅτε γὰρ θνητὸν ἐγένετο τὸ σῶμα, ἐδέξατο καὶ ἐπιθυμίαν ἀναγκαίως λοιπὸν, καὶ ὀργὴν, καὶ λύπην, καὶ τὰ ἄλλα πάντα, ἃ πολλῆς ἐδεῖτο φιλοσοφίας, ἵνα μὴ πλημμυροῦντα ἐν ἡμῖν καταποντίζῃ λογισμὸν εἰς τὸν τῆς ἁμαρτίας βυθόν. αὐτὰ μὲν γὰρ οὐκ ἦν ἁμαρτία. ἡ δὲ ἀμετρία αὐτῶν μὴ χαλινουμένη, τοῦτο εἰργάζετο. *Unà, inquit, cum morte & affectuum turba introiit. Cùm enim corpus mortale effectum est, tum denique necessariò admisit & concupiscentiam & iracundiam & dolorem, & cætera omnia, quæ magna admodum constantia ac sapientia indigebant, ut ne inundantis æstus vis ac tempestas rationem in nobis obrueret, in peccati voraginem demersam. Illi enim affectus peccatum haud quaquam erant, sed illorum immoderatio effrenata hoc efficiebat.* Etiam Ferdinandus Vellosillus *c*, episcopus Lucensis, item Bellarminus *d*, Stapletonus *e*, Didacus Alvarez *f*, ajunt, peccatum hoc à Chrysostomo ipso vocari peccatum originale: atque id probare conantur ex homil. XL. in epist. I. ad Corinth. Ejus verba sic citant: *Deus in regenerationis lavacro mentem gratiâ tangit, & radicale peccatum evellit.* Sed in Græco legitur: Αὐτῆς γὰρ ἅπτεται τῆς ψυχῆς ἡ χάρις, κἀκεῖθεν πρόρριζον ἀνασπᾷ τὴν ἁμαρτίαν. hoc est: *Ipsam animam tangit gratia, & illinc radicitus evellit peccatum.*

c In advertentiis Theologiæ scholasticæ ad Chrysost. T. 4. quæst. 3.
d Lib. 4. de amiss. grat. cap. 9.
e Libb. de justificat.
f Lib. 5. de auxiliis divinæ gratiæ disp. 44.
g In prim. P. & primam Secund. Th. p. 144.
h Lib. 5. de auxiliis divinæ gratiæ disp. 44.

Etiam Franciscus Cumel *g*, Alvarez *h*, Coccius, quid Chrysostomus de peccato originis, & gratiâ præviâ senserit, discere nos jubent ex homiliâ de Adam & Evâ. Et fatendum sanè, clarissimè istic peccatum originale tradi: uti cùm inter alia dicitur: *Ipsa transgressio totum labefecit mundum, factum alumnum peccati; quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Omnis quoque homo de eo natus, est illi obnoxius, quia servus servum generat &c.* Item: *Prædicat Ecclesia Catholica, debere parvulos baptizari, propter originale peccatum &c.* Multaque hujusmodi alia. Sed oratio ea nihil est aliud, nisi cento ex Latinis scriptoribus, & quidem, qui post Chrysostomum vixerint, consutus.

i P. 92. edit. Rom.
k P. 113. edit. ejusd.

Et hæc Græcorum, qui ante Augustinum vixere, sententiam apertè satis docent. Similiter qui ὁμιληταὶ fuere, ut Cyrillus lib. V. adversus Nestorium *i*, & ad Successum epist. de Fide *k*, & contra anthropomorphitas cap. VIII. Item Theodoretus divinorum decretorum epitome cap de servatoris dispensatione, & in illud Ps. L. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.*

a Quæst. 65.
b De sectis p. 390. edit. Leuncl.
c In Job. c. 9
d P. 52.

Nec aliter, qui proximis aliquot seculis fuere, ut Anastasius Nicænus *a* Leontius Byzantius *b*, Olympiodorus *c*, atque alii, quos mitto, quia minor de his disceptatio est. Contentus igitur ero monuisse, eandem fuisse sententiam novissimæ Græcorum antiquitatis; uti indicio est Manuel Palæologus, præceptorum de educatione regiâ cap. XXVII. *d*. ubi de communi naturæ ariditate (τοῦ κοινοῦ τῆς φύσεως αὐχμοῦ) disserens addit, Λέγω δὴ τὴν προπατορικὴν ἁμαρτίαν, δι' ἣν τῆς χάριτος ἐκπεπτώκαμεν. *De peccato primorum parentum loquor, propter quod excidimus gratiâ.*

Contra hæc tam illustria sanctissimorum Græciæ Patrum testimonia, objiciat fortasse aliquis, locum Iustini Martyris è libro Quæst. & resp. ad orthodoxos. Nam cùm quæst. LXXXVIII. quæreretur de sententiâ verborum Iobi: *Quis purus erit à sordibus? nemo, etiamsi vel unica dies fuerit vita ejus super terra*: non quidem hæc adfertur responsio, infantes habere peccatum originis, ac baptismi lavacro à nativis sordibus ablui: (quo modo tamen in versione suâ ejus loci hiatum explet interpres) sed respondetur, vocabulum vitæ hìc pro vitæ actionibus poni: eoque Iobi verba malè accommodari infantibus, quorum nullæ sint πράξεις, cùm necdum agant ἐκ προαιρέσεως. Hanc enim mutili illius loci fuisse sententiam; optimè, judicio nostro, ex ruderibus ejus perspexit Fredericus Sylburgius. Verùm objectamen hoc verè cassum est. Non jam dicam, ex loco adeò mutilo neutiquam nos de mente hujus scriptoris certam capere posse conjecturam; quando ipsi genuinam illam videri sententiam confessi sumus, quam Sylburgius putavit: illud potiùs dicam, non, si eum locum secus quam Augustinus, & alii, hic scriptor intellexerit; nempe, ut actualia solùm peccata respexerit; eo dogma ipsum originalis peccati nescivisse. Atque ut hoc nescisset, non tamen inde sequeretur, antiquissimum illum scriptorem, qui quadraginta solùm annis post Euangelistæ Iohannis excessum floruit, ignorasse peccatum originale; sed culpa impingi deberet juniori cuidam Iustino, vel alii nomen Iustini ementienti. Sanè responsionum istarum scriptor, plus quàm seculo toto, Martyre illo posterior fuit: quippe qui non Irenæi modò, sed etiam Origenis, qui post eum annis octoginta fuit, atque adeo ipsorum meminerit Manichæorum, qui annis centum & triginta post Iustinum sunt exorti. Ut mittam, quòd utatur vocabulis μονάδος, τριάδος, προβολῆς, ὁμοουσίου. quæ demum, aliquando post ortos Manichæos, ad refellendos hæreticos, in Ecclesiam sunt inducta.

e Hæres. 46
f Lib. de hæret. cap. 25.

Ab Iustino accedamus ad Clementem Alexandrinum; quem non ita facile ab errore purgare est. Scribit is adversus Encratitas, sive Tatianos: qui, ut Epiphanius *e* & ex eo Augustinus *f* ait, *saluti primi hominis contradicunt, & nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus faciunt, nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem, sive feminam.* Hanc hæresin, quemadmodum Clemens extremo lib. III. Στρωματέων ait, colligebant ex eo, quòd sanctorum aliqui diem sunt execrati, quo nati essent: quòd omnes nascentes naturâ subjiciantur execrationi Adami: unde & Iobus dicat, nullum esse mundum, nec unius diei infantem; David item in peccatis se conceptum pronunciet. Nempe hanc doctrinam in Ecclesiâ repererat, & à præceptore suo, Iustino Martyre, hauserat Tatianus, Encratitarum parens. Sed in eo ab Ecclesiæ doctrinâ recessit, quòd, considerans peccati primi gravitatem, Adamum ipsum æternùm diceret damnatum, & iccirco, quòd peccatum ejus posteris imputaretur, generationem & nuptias detestaretur. Videamus, ut fœdo huic errori obviam eat Clemens. Respondet, Davidem per matrem intellexisse Evam, matrem viventium, quæ cùm ad vitam deducat, vita autem bona sit, negat generationem malam dici posse: nisi quatenus ab eâ sunt motus quidam impedientes, quo minus peccando Deum cognoscamus. Iccirco, si peccatrix conceperit, non tamen Davidem conceptum peccatorem. Καὶ εἰ ἐν ἁμαρτίᾳ συνελήφθη, ἀλλ' οὐκ

αὐτὸς

αὐτὸς ἐν ἁμαρτίᾳ, οὐδὲ μὴν ἁμαρτία αὐτός. Ibidem, *Dicant*, inquit, *nobis, ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Ada cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* Λεγέτωσαν ἡμῖν, ποῦ ἐπόρνευσε τὸ γεννηθὲν παιδίον; ἢ πῶς ὑπὸ τὴν τοῦ Ἀδὰμ ὑποπέπτωκεν ἀρὰν τὸ μηδὲν ἐνεργῆσαν; Propter hæc diffiteri non possumus, Clementem Alexandrinum non satis intellexisse peccatum originale. Neque nescio, quibusdam, eosque inter Bellarmino *a*, videri hæc verba esse objectionem Julii Cassiani & aliorum, qui generationem malam dicebant: Clementem verò mox ex suâ sententiâ respondere, τὴν γένεσιν εἶναι κακήν, οὐ τὴν τοῦ σώματος μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν τῆς ψυχῆς, δι᾽ ἣν καὶ τὸ σῶμα. *Generationem esse malam; non illam corporis modò, sed etiam illam animæ, propter quam est corpus.* Verùm nostro judicio, hoc ab aliis responderi posse ait Clemens: ipse autem deinceps adversus hanc responsionem disputat. Non dubito, quin facilè sententiæ nostræ subscripturi sint, quicumque oculis non conturbatis locum ipsum inspexerint. Nec desunt, quibus videatur Clemens de solis loqui peccatis actualibus: sed illud meum esse κηροφύγετον, vident omnes. Quamquam profectò, per nos quidem, verum ut dicant, licet. Atque adeò etiam, verum ut sit, maximopere optamus; idque propter nonnullos, qui nihil nisi papulas Patrum, quos nunquam legerunt, de umbone ad populum crepant: nempe hac fine, ut indoctis quidem, eum judicio in eorum lectione versati; doctis verò, judicio, non inertiâ, ab eorum lectione abstinuisse videantur.

a Lib. 4. de amiss. grat. cap. 9.

Ad scriptores Latinos accedamus. Quorum post Victorem & Apollonium, qui deperierunt, antiquissimus *b* est Tertullianus. Ejus hæc sunt verba lib. de testimonio animæ adversus gentes cap. III. *Satanam dicimus malitiæ angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpolatorem; per quem homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* Adversus Marcionem lib. I. *Homo damnatur in mortem ob unius arbusculæ delibationem, & exinde proficiunt delicta cum pœnis, & pereunt jam omnes, qui paradisi nullum cespitem norunt.* Idem libro de habitu muliebri cap. I. *Vivit sententia Dei super sexum istum* (muliebrem) *in hoc seculo: vivat & reatus necesse est. Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es, quæ eum suasisti* (ἔπεισας αὐτὸν) *quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei tam facile elisisti. Propter tuum meritum, id est mortem, etiam filius Dei mori habuit.* Et lib. de animâ cap. XXXIX. & XL. *Hinc enim & Apostolus, ex sanctificato alterutro sexu, sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativâ, quàm ex institutionis disciplinâ. Cæterum* (inquit) *immundi nascerentur: quasi designatos tamen sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, intelligi volens fidelium filios, ut hujus spei pignora matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinarentur. Alioqui meminerat Dominicæ definitionis, Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, non introibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus. Ita omnis anima eò usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam suam ex carnis societate.*

b Hieron. in Catal. script. [illegible]

Cyprianus lib. III. ep. VIII. ad Fidum: *Porrò autem, si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo, atque à gratiâ nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui, recens natus, nihil peccavit, nisi quod, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, primâ nativitate, contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.* Laudat hunc locum Augustinus lib. I. contra Jul. cap. II. & lib. IV. ad Bonifac. contra duas Pelagianorum epist. cap. VIII. Item Hieronymus extremo lib. III. adversus Pelagianos. Illustris quoque locus est Cypriani, penè initio epistolæ de opere & eleemosynis; *Nam cum Dominus adveniens sanasset illa, quæ Adam portaverat vulnera, & venena serpentis antiqui curasset, legem dedit sano, &c.* Hunc quoque locum adducit Augustinus eodem capite quarti ad Bonifacium libri: ubi & alia de peccato originali loca Cypriani reperies, quæ brevitatis caussa præterimus.

Longè verò, & clarissimè, & sæpissimè, de peccato hoc loquitur scriptor libri de cardinalibus Christi operibus ad Cornelium Papam: qui Cypriani operibus adsuitur: &, si Cypriani non sit, saltem alicujus ὁμῆλιξ à Pamelio existimatur. Vide eum in præfatione, sermonibus de nativitate, de circumcisione, de jejunio & tentationibus, de ablutione pedum, deque passione Christi. Verba non solùm brevitatis caussâ omitto, sed imprimis, quia nunquam aliud nobis persuadere potuimus, quàm librum hunc scriptum esse post Pelagium exortum. Nec enim alioqui commissurus erat Augustinus, ut eum non advocaret ad partes, cùm pro originali peccato, ex Latinorum nemine, apertiora possint testimonia desumi. Nec inveniebatur in exemplaribus manu descriptis, quibus usus fuit Erasmus *a*. Ac Thomas Jamesius *b* testatur, in bibliothecâ Collegii omnium animarum, quod est in Academiâ Oxoniensi, reperiri sub nomine Arnoldi, Bonavillacensis Abbatis, qui Bernardi σύγχρονος fuit. Nos *majorem sapere vetustatem* credimus eum doctissimo Casaubono *c*. Tamen ante Augustini tempora scriptum esse, persuadere nobis non possumus. Quare ad alios accedamus, de quorum ætate controversia non est.

a In Censura.
b Tractat. de supposititiis scriptis.
c Exercitat. 16. ad Baron. nu. 32. p. 515. edit. Anglic.

Arnobius lib. I. adversus Gentes *d*: PRONI AD CULPAS *& ad libidinis varios appetitus*, VITIO *sumus* INFIRMITATIS INGENITÆ.

d P. 18. & 19. edit. Paris. Des. Heraldi.

Reticius, Augustodunensis episcopus, qui tempore Constantini Magni vixit, (ut ex primo Optati libro *e* cognoscimus) de baptismo agens, sic scripsit: *Hanc igitur esse principalem in Ecclesiâ indulgentiam, neminem præterit, in quô antiqui criminis omne pondus exponimus & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, ubi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.* Citat hunc locum Augustinus lib. I. contra Iulianum cap. II. ubi & hujusmodi Reticii elogium habes: *Reticium, ab Augustoduno episcopum, magnæ fuisse autoritatis in ecclesiâ, tempore episcopatus sui, gesta illa ecclesiastica nobis indicant, quando in urbe Romanâ, Melchiade Apostolicæ sedis episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior autor Donatistarum schismatis fuit, & Cæcilianum, episcopum Ecclesiæ Carthaginensis, absolvit.* Adducit deinde ea Reticii verba, quæ jam posuimus. Subjungit postea: *Audis antiqui criminis pondus, audis prisca facinora, audis cum sceleribus ingenitis hominem veterem: & audes adversus hæc ruinosam construere novitatem?* Eadem repetit lib. I. ultimi operis contra Iul. cap. LIII. *f*.

e P. 28. & 29. edit. Commel.

f P. 62. & 63.

Olympius, Hispanus episcopus, qui Arcadii & Honorii tempore vixit, in sermone quodam Ecclesiastico: *Si fides unquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit; nunquam protoplasti mortiferâ transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.* Citat Augustinus lib. I. contra Iulianum cap. II, ubi & Olympium hunc vocat virum magnæ in Ecclesiâ & in Christo gloriæ.

Hilarii Pictaviensis tria de peccato originali loca adducit Augustinus: unum quidem lib. IV. ad Bonifacium contra duas Pelagianorum epist. cap. IV: secundum verò, tertiumque, lib. I. contra Iulianum cap. II. Eos ordine commemorabimus. Hilarius de illo Pauli, In quo omnes peccaverunt: *In quo, id est in Adam, omnes peccaverunt. Manifestum, in Adam omnes peccasse, quasi in massâ. Ipse enim per peccatum corruptus; omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato.* Idem de Christi carne agens, *Ergò*, inquit, *cùm missus est in similitudinem carnis peccati, non, sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato scilicet Adam parente deducto, in similitudine peccati carnis est missus,*

existens

existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine.

Idem in expositione Psalmi centesimi duodevigesimi ad verba illa extremi penè Psalmi, *Vivet anima mea, & laudabit te: Vivere*, inquit, *se in hac vita non reputat, quippe qui dixerat, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Scit, sub peccati origine, & sub peccati lege, esse se natum.* Hisce Hilarii locis adde illud ex eodem Psalmo in Nun: *Natura quidem &* ORIGO CARNIS *sua eum detinebat: sed voluntas & religio cor ejus, ex eo, in quo manebat*, ORIGINIS VITIO *ad justificationum opera declinat.* Item hunc locum è comment. in Matth. cap. x: EX PECCATO ATQUE INFIDELITATE PRIMI PARENTIS, SEQUENTIBUS GENERATIONIBUS, COEPIT ESSE CORPORIS NOSTRI PATER, PECCATUM; MATER, ANIMÆ INFIDELITAS. AB HIS ENIM ORTUM PER TRANSGRESSIONEM PRIMI PARENTIS ACCEPIMUS. *Nam voluntas unicuique sua adjacet. Ergò jam unius domus quinque sunt. Pater corporis, peccatum; mater, animæ infidelitas, & incidens voluntatis arbitrium; quod totum hominem quodam conjugii sibi jure adstringit. Huic infidelitas socrus est, nos ex eâ natos, atque à fide metuque Dei peregrinantes accipiens: ut inter infidelitatem voluptatemque possessos, & ignoratione Dei, & in omnium vitiorum oblectatione detineat. Cùm ergo innovamur baptismi lavacro, per virtutem* AB ORIGINIS NOSTRÆ PECCATIS, *atque autoribus, separamur, recisique quadam exectione gladii Dei, à patris & matris affectionibus dissidemus: & veterem cum peccatis atque infidelitate sua hominem exuentes, & per spiritum animâ & corpore innovati, necesse est, ut* INGENITI *& vetusti operis consuetudinem oderimus. Et quia corpus ipsum per fidem mortificatum in naturam animæ, quæ ex afflatu Dei venit, quamvis id ipsum adhuc in materiâ suâ extet, evadat, quia communio ipsis invicem concilietur ex verbo: idcirco jam unum atque idem cum animâ velle cœpit effici, scilicet ut illa est spiritualis, quibus libertas voluntatis à socru suâ, id est, ab infidelitate divisa, jus suum omne concedit: ut quod erat libertas voluntatis, deinceps animæ sit potestas. Fitque gravis in domo unâ dissensio, & domestica novo homini erunt inimica: quia ille per verbum Dei divisus ab illis, manere & interior & exterior, id est & corpus & anima, in spiritus novitate gaudebit. Ea vero, quæ* INGENITA, ET A QUADAM PROSAPIÆ ANTIQUITATE DEDUCTA, *consistere in his, quibus oblectata sunt, concupiscent, & origo carnis, & origo animæ, & libertas potestatis, in duos dividentur, animam scilicet & corpus hominis novi, quæ unum atque idem velle cœperunt: divisique tres duobus subjacebunt in dominium eorum de spiritus novitate potioribus. Et idcirco illi, qui domesticas nominum caritates dilectioni ejus prætulerunt, futurorum bonorum indigni erunt hæreditate.*

Ambrosii multa congessit B. Augustinus, quibus vel peccatum originale, vel gratiæ adstruat necessitatem. Nos hoc loco illa excerpemus, quæ ad originale peccatum pertinent. Ac primò quidem ea, quæ citat lib. II. de peccato originali adversus Pelagium & Cælestium Ambrosius lib de resurrectione cap. II. *Lapsus sum in Adam, de paradiso ejectus sum in Adam. Quem revocaret, nisi me in Adam invenerit, ut in illo culpæ obnoxium, mortis debitum, ita in Christo justificatum?* Item contra Novatianos *a*: *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David; Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideò Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; ut in carne nostrâ esset justificatio per gratiam, ubi erat ante colluvio per culpam.* Libro verò primo contra Julianum cap. II. hæc ex Ambrosio citat Augustinus. Ambrosius super Lucam: *Jordanis conversus est retrorsum: significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitiâ reformantur.* Idem eodem in opere: *Non enim virilis coitus*, inquit, *vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus S. infudit. Solus enim per omnia ex natis de feminâ sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cælesti majestate depulerit.* Idemque eodem lib. *Omnes*, inquit, *in Adam morimur: quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa, mors omnium est.* Item loco alio in eodem Euangelio *a*: *Cave ergò*, inquit, *ne ante nuderis. sicut Adam nudatus est, mandati cælestis custodiâ destitutus, & exutus fidei vestimento, & sic letale vulnus accepit, in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera ejus acerba curasset.* Idem eopse opere in illud cap. xv. Luc. *Filius perierat & inventus est: Fuit*, inquit, *Adam, & in illo fuimus omnes. periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Quem etiam locum passim citat in posterioribus libb. contra Julian. Item Prosper contra collat. cap. XIX. Idem Ambrosius in Apologia Prophetæ David *b*: *Antequam nascimur*, inquit, *maculamur contagio; & ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, & in iniquitate concipimur, (Non expressit*, inquit, *utrum parentum, an nostris,) & in delictis unumquemque generat mater sua. Nec hic declaravit, utrùm in delictis suis mater pariat, an jam sint aliqua delicta nascentis. Sed vide, ne utrumque intelligendum sit. Nec conceptus exsors iniquitatis est, quoniam & parentes non carent lapsu. Etsi nec unius diei infans sine peccato, multo magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt. Concipimur ergò in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua, nec unum tantummodo habet ipsa natura contagium.* Idem in expositione libri Tobiæ *c*: *Quis iste peccati est fœnerator, nisi diabolus, à quo Eva maculata peccato, obnoxia successionis usuris omne genus defœneravit humanum?* Rursus in eàdem *d*, *Diabolus*, inquit, *Evam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hæreditatem.* Idem in expositione Psalmi quadragesimi octavi: *Alia est*, inquit, *iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.* Etiam lib. II. priorum contra Julianum, & lib. II. poster. contra eundem, citat hunc locum ex lib. Ambrosii de Philosophiâ, qui non extat: *Male Eva parturivit, ut partus relinqueret mulieribus hæreditatem, à quâ unusquisque concupiscentiæ voluptate concretus, & genitalibus visceribus infusus, & coagulatus in sanguine, in pannis involutus*, PRIUS SUBIRET DELICTORUM CONTAGIUM, QUAM VITALIS SPIRITUS MUNUS HAURIRET. Præter verò hæc Ambrosii loca, alia, non minùs clara, citat idem Augustinus Lib. IV. ad Bonifac. uti in Isaiam: qui commentarii similiter deperierunt: *Idcirco Christus immaculatus, quia nec ipsa quidem nascendi solitâ conditione maculatus est.* Et eodem opere: *Ipse se* (Apostolus Petrus) *obtulit, quod ante putabat esse peccatum, lavari sibi non solùm pedes, sed & caput poscens, quod illico intellexisset, lavacro pedum*, QUI IN PRIMO LAPSI SUNT HOMINE, SORDEM OBNOXIÆ SUCCESSIONIS *aboleri.* Et alio loco, in eodem opere: *Servatum est igitur*, inquit, *ut ex viro & muliere, id est per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti: qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Idem de Domino loquens: *Dignum etenim fuit, ut qui non erat habiturus corpore peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Merito ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturæ, & quod prius inciperet in homine macula, quàm vita.* Item de arcâ Noæ: *Per unum igitur Dominum Iesum salus ventura natio-*

a De pœnitentia lib. I. cap. 2.

a Lib. 7. comm. in Luc. c. 10.

b Cap. II.

c Cap. 9.

d Cap. 23.

nationibus declaratur, qui solus potuit justus esse, cùm generatio omnis erraret, nisi esset natus ex virgine, qui generationis obnoxia privilegio minime teneretur. Ecce, inquit, In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea, dicit is, qui justus præ cæteris probatur. Quem igitur jam justum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant? Ita hic locus legitur in edit. Augustini Veneta anni CIƆ IƆ L, & Basileensi, quæ sexennio post prodiit: item in Confessione Ambrosiana Nopelii: librisque aliis, quos vidi. Sed, requirente id sententiâ, pro verbis illis, *Qui solus potuit justus esse*, insertâ negandi particula, rescribo, *Qui solus non potuit justus esse*. Hodie ea verba apud Ambrosium lib. de arcâ & Noë (quem ab Augustino signari arbitror) non inveniuntur. His adde lib. I. de Iacob & vitâ beatâ cap. III. ubi sic scribit: *Obedientia in utramlibet partem propenderit, aut culpam adjungit, aut gratiam. Hæc nos in primo Adam traxit ad mortem: hæc nos in Adam secundo ad vitam vocavit.* Et libro de bono mortis cap. II: *Quis enim justificatur in conspectu Dei, cum unius quoque diei infans mundus a peccato esse non possit?* Item lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. VI; *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens & persuasit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur. Nostra enim propria per baptismum relaxantur.* Et lib. III. de Sacram. cap. I; ubi de causâ agit cur Christus Petro laverit pedes: *In baptismate*, inquit, *omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus a diabolo est, eo venenum ei effusum est supra pedes. ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis.* Optatus Milevitanus lib. IV. contra Parmenianum: *Neminem fugit, quòd omnis homo qui nascitur, quamvis de Christianis parentibus nascatur, sine spiritu immundo esse non possit; quem necesse sit, ante salutare lavacrum, ab homine excludi ac separari.* Etsi, unde ille immundus spiritus nobis dominetur, non satis perspectum habuisse videatur Optatus. sic enim scribit libro Septimo *a*, *Quamvis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula esse transmissa, tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris, secundum judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem prophetam, dicens; Anima patris, mea est: & anima filii, mea est. Anima, quæ peccat, sola punietur. Quæ res jam & antiquis sæculis in ipsis mundi natalibus comprobata est. nam non pertinuit ad Seth, filium Adæ, patris admissum.* At melius id perspexit Aurelius. Prudentius in Apotheosi:

a P. 183. edit. Commel. An liber septimus etiam est Optati? Ego potui: sed vidi qui dubitarent.

Hæc prima est natura animæ, sic condita simplex.
Decidit in vitium, per sordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ,
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde:
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.
Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum,
Sanguinis exemplo; cui texta propagine vena est.
Non animas animæ pariunt: sed, lege latenti,
Fundit opus Natura suum, quo parvula anhelent
Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis.
Quæ, quamvis infusa novum penetret nova semper
Figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum
Ducitur: illoto quoniam concreta veterno est.
Inde secunda redit generatio, & inde lavatur
Naturæ illuvies, iterumque renascimur intus
Perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.
Quæ quia materiam peccati ex fomite carnis
Consociata trahit, nec non simul ipsa sodali
Est incentivum peccaminis, implicat ambas
Vindex pœna reas, peccantis mente sub unâ,
Peccandique tremas socias cruciatibus æquis.

Hilarius diaconus, sive quisquis est scriptor commentariorum in epistolas Pauli, qui Ambrosio falsò tribuuntur, in epist. ad Rom. cap. V: *In quo, id est in Adam, omnes peccaverunt.* Deinde addit: *Manifestum, in Adam omnes peccâsse, quasi in massâ. Ipse enim per peccatum corruptus: omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato.* Augustinus contra duas Pelag. epist. lib. IV. cap. IV. citat hæc verba sub nomine sancti Hilarii, unde inter alia liquet, scriptorem hunc Ambrosium non esse. Cæterum cùm ipse ad I Tim. III. sub Damaso se scribere testetur; nec Pictaviensis Hilarius, qui antiquior, nec Arelatensis erit, qui eo junior est. Ut omnino verisimilis sit conjectura doctorum Lovaniensium, & Salmeronis disp. XIX, qui credunt, esse Hilarii, Urbis Romæ diaconi, ejus qui schismati Luciferi Calaritani adhæsit, & hæreticos docuit rebaptizandos: unde & ab Hieronymo, adversus Luciferianos *a*, Deucalion *b* orbis appellatur. Augustinus tamen, cùm eum sanctum vocet, Pictaviensem videtur signâsse, ambiguo, ut videtur, nomine deceptus. Nisi potiùs diaconum quidem Hilarium intellexit, sed, more seculi sui, licet schismaticum, tamen, ministerii sui causâ, sanctum appellavit. Ac de scriptore hæc obiter. Mox sequitur apud eundem: *Sententiâ enim tenebantur datâ in Adam, quod chirographum in decretis morte Christi deletum est.* Nec obstat, quòd ibidem dicatur; *Mors autem dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur, in gehennâ; quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur.* Quo loco Michael Servetus (ut notat Sixtus Senensis lib. VI. biblioth. sanct. annotat. CCXXXVI.) probare conabatur, non esse peccatum originale. Nam ex verbis allatis nihil aliud consequitur, quam scriptorem eum sensisse, neminem ob originalem culpam in gehennâ ignis cruciatibus torqueri: interim fatebatur, homines ejus merito non solùm æternâ beatitudine posse privari, sed reapse cælo excludi. Hoc est, quod quidam dicunt, iis, qui in solo originali delicto vitâ excesserint, infligi quidem pœnam damni, at non pœnam sensus. Hoc enim voluisse eum, ostendunt verba, quæ mox subjicit: *A quâ* (secundâ morte) *boni immunes sunt, tantum quòd in inferno erant, sed superiori, quasi in libero, quia ad cælos adscendere non poterant. Sententiâ enim tenebantur datâ in Adam; quod chirographum in decretis morte Christi deletum est. Sententia enim decreti fuit, ut unius c hominis corpus solveretur super terram; anima verò, vinculis inferni detenta, exitia pateretur.* Et aliquanto pòst: *Paterno peccato ex Dei sententiâ erant apud inferos: gratia Dei abundavit in descensu Salvatoris, omnibus dans indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in cælum.* Hæc satis ostendunt, omnino agnovisse scriptorem hunc peccatum originale, etsi pœnam ejus putat non esse cruciatus infernales, sed tantùm carentiam æternæ beatitudinis.

a Circa finem dialogi. T. 2. col. 146.
b Quasi totus mundus periturus fuerit baptismo hæreticorum, nisi ad eum servandum reservatus à Deo fuisset Hilarius, qui ab hæreticis baptizatos, ut servarentur, rebaptizandos dicebat.
c Ita codices quos videre potui. Verum sensus omnino requirit, ut pro unius legatur uniuscujusque.

Sunt verò & alia ejusdem loca, quibus clarè agnoscit peccatum omnium in Adamo, secutamque inde naturæ corruptionem. Ut in cap. VII. ad Rom. *Hoc est venditum esse sub peccato; ex Adam, qui prior peccavit, originem trahere, & proprio delicto subjectum fieri peccato, sicut dicit Esaias* d *propheta. Venditi, inquit, estis peccatis vestris. Adam enim vendidit se prior, ac per hoc omne semen subjectum est peccato. Quamobrem infirmum esse hominem ad præcepta legis servanda, nisi divinis auxiliis muniatur. Hinc est, unde ait: Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. hoc est, lex firma est & justa, & caret culpa: homo autem fragilis est, & paterno subjugatus delicto, ut potestate suâ uti non possit circa obedientiam legis: ideo ad Dei misericordiam confugiendum, ut severitatem legis effugiat, & exoneratus delictis, de cætero, Deo favente, inimico resistat.* Et post aliqua: *Scio enim, quoniam non inhabitat in me, hoc est, in carne mea, bonum, Non, sicut quibusdam videtur, carnem malam dicit, sed quod habitat in carne, non esse bonum, sed esse peccatum. Quomodo inhabitat in carne peccatum,*

d Es. 50.

cum

cum non sit substantia, sed pravaricatio boni? Quoniam primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ut possit dissolvi: ipsa peccati corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens divina sententia data in Adam; quod est signum legis diaboli, cujus instinctu peccavit Adam. Per id ergo, quod facti caussa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne; ad quam diabolus accedit, quasi ad suam legem; & manet quasi in peccato peccatum, quia caro jam peccati est, ut decipiat hominem suggestionibus malis, ne homo faciat, quod pracipit lex. Idem in cap. IV. ad Hebr. *Juxta similitudinem,* inquit, *carnis sine peccato, quia natura, quam veram suscepit, similis est carnis nostra; peccata vero nequaquam habuit, qua caro nostra de parentibus contraxit, quia tale fuit originale peccatum in carne primi hominis, unde & pœna, & remedium fieri potuisset.*

Hieronymus in cap. XLVII Ezechielis: *Mundus in maligno positus est, & a pueritiâ appositum est cor hominis ad malum: ut ne unius quidem diei, a nativitatis sua exordio, sine peccato sit humana conditio. Unde & David confitetur in Psalmo: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. non in iniquitatibus matris mea, vel certe meis, sed in iniquitatibus humana conditionis. Unde & Apostolus dicit: Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam super eos, qui non peccaverunt in similitudinem pravaricationis Ada.* Idem in cap. VI Oseæ: *Et ibi, hoc est in paradiso, omnes pravaricati sunt in me, in similitudinem pravaricationis Adam. Non enim mirum, si quod in parente pracessit, etiam in filiis condemnetur.* Et in cap. II Michæ: *Unusquisque nostrûm, cùm Adam de paradiso cecidit, & in hujus mundi captivitate versatur.* Idem (nisi inscriptio fallit) quæstionibus seu traditionibus in libb. Regum a: *Mortiferum peccatum, quod originaliter de serpente antiquo contraxit.* Idem, *cum exponeret Ionam, apertissimè dixit, parvulos peccato offendentis Adam teneri obnoxios*: ut de eo scribit Augustinus lib. I. contra Jul. cap. II. Qui & integrum locum Hieronymi cum laudatione tanti viri exscripsit lib. III. de peccat. mer. & remiss. cap. VI: *Sanctus,* inquit, *Hieronymus, qui hodieque in literis Ecclesiasticis tam excellenti doctrina famâ ac labore versatur, ad quasdam solvendas in suis libris quastiones, etiam hoc certissimum adhibet sine ullâ disceptatione documentum. Nam in eo quod in Ionam prophetam scripsit, cum ad eum venisset locum, ubi commemorantur etiam parvuli jejunio castigati: Major,* inquit, *atas incipit, & usque ad minorem pervenit. Nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus, & innumerabiles anni vita illius. Si enim stella munda non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis & putredo, & ii qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii.* Leguntur ea Hieronymi verba in cap. IV. Jonæ.

a T. 3. Hier. pag. 245.

Augustinum etiam ante Pelagianam hæresin peccatum originale agnovisse, fidem fecerit hic locus Tom. 7. lib. 6. contra Julianum Pelag. lib. 6. cap. 4. *Ego per unum hominem in mundum intrasse peccatum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo peccaverunt omnes, ab initio conversionis mea sic tenui semper, ut teneo. Extant libri, quos adhuc laicus recentissimâ meâ conversione conscripsi, etsi nondum sicut postea sacris litteris eruditus, tamen nihil de hac re jam tunc sentiens, & ubi disputandi ratio poposcerat, dicens, nisi quod antiquitus didicit & docet omnis Ecclesia: in has videlicet magnas manifestasque miserias, in quibus homo vanitati similis factus est, ut dies ejus sicut umbra pratereant, & sit universa vanitas omnis homo vivens, meritó peccati originalis genus humanum fuisse collapsum, unde non liberat, nisi qui dixit; Veritas liberabit vos: &, Ego sum veritas: &, Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Idem probare possumus libris de libero arbitrio, quos ante ortam hæresin Pelagianam scripsit. In iis lib. III. cap. XIX. sic scribit; *Hic occurrit illa quastio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim, si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantia cacitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primò erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum: deinde ubi nobis inciperent aperiri pracepta justitia, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentia, nescio quâ, necessitate non valeremus? Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cùm verò ubique sit prasens, qui multis modis per creaturam, sibi domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quarere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Idem cap. XX: *Ut autem de illo primo conjugio, & cum ignorantia, & cum difficultate, & cum mortalitate nascamur; quoniam illi, cùm peccavissent, & in errorem, & in arumnam, & in mortem pracipitati sunt; rerum moderatori summo Deo justissimè placuit, ut & in ortu hominis originaliter appareret justitia punientis, & in provecta misericordia liberantis. Non enim damnato primo homini sic adempta est beatitudo, ut etiam fœcunditas adimeretur. Poterat enim & de prole ejus, quamvis carnali & mortali, aliquod in suo genere fieri decus ornamentumque terrarum. Jam verò ut meliores gigneret quàm ipse esset, non erat aquitatis: sed ex conversione ad Deum, ut vinceret quisque supplicium, quod origo eius ex aversione meruerat, non solum volentem non prohiberi, sed etiam adjuvari oportebat. Sic enim rerum creator ostendit quantâ facilitate potuisset homo, si voluisset, retinere, quod factus est, cùm proles eius potuit etiam superare quod nata est.*

Hæc Asiaticorum, Europæorum, Africanorum Patrum testimonia, clarè ostendunt, dogma peccati originalis, proximis tribus ante Augustinum seculis, per totum terrarum orbem creditum fuisse. Unde Augustinus lib. IV. ad Bonifacium contra duas Pelagianorum epistolas cap. VIII: *Absit, ut aliquando fides Catholica dubitaverit, utrùm nascentes traherent originale peccatum, quod renascendo deluerent.* Et cap. ult. ejusdem libri: *Sic autem usque ad nostra tempora, ea, qua de his rebus, antequam isti* (Pelagiani) *ebullire cœpissent, Ambrosius conscripsit, ostendunt, quòd eorum profanas novitates Catholica aures, qua ubique sunt, horruerunt.* Et lib. III. de peccat. meritis & remiss. cap. VI. & VII. cùm adduxisset superiorem Hieronymi locum ex comm. in Jonam, ista subjungit: *Hunc doctissimum virum, si facile, interrogare possemus, quàm multos utriusque linguæ divinarum scripturarum tractatores, & Christianarum disputationum scriptores commemoraret, qui non aliud, ex quo Christi ecclesia est constituta, senserunt, non aliud a majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt. Ego quidem, quamvis longè pauciora legerim, non memini me aliud audivisse à Christianis, qui utrumque accipiunt Testamentum, non solùm in Catholicâ Ecclesiâ, verùm etiam in qualibet haresi vel schismate constitutis, non memini me aliud legisse apud eos, quos de his rebus aliquid scribentes legere potui, qui scripturas canonicas sequerentur, vel sequi se crederent, credive voluissent. Unde nobis hoc negotium repente emerserit, nescio. Nam ante parvum tempus à quibusdam, transitorie colloquentibus, cursim mihi aures perstricta sunt, cum illic apud Carthaginem essemus, non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo.* QUA NOVITATE *permotus, & quia opportunum non fuit, ut contrà aliquid dicerem, & non tales homines erant, de quorum essem auctoritate sollicitus, facile hoc in transactis atque abolitis habui. Et ecce contra Ecclesiam jam studio flammante defenditur, ecce scribendo etiam memoria commendatur, ecce res in hoc discrimines adducitur, ut hinc etiam à fratribus consulamur, ecce disputare & scribere cogimur.* Item lib. I. adversus posteriorem

Julia-

[a Pag. 5.] Juliani respons. *a* *Rei, de quâ nulla unquam in Ecclesiâ Christi controversia fuit, sicut novus hæreticus, a quos judices quæris.* [b Pag 8.] Et infra *b*: *Novos hæreticos vos antiqua Catholica fides, quam* MODO *oppugnare cœpistis, a præclarissimis, qui fuerunt ante nos, doctoribus prædicata, demonstrat.* [c P. 125.] Idem *c*: *Dogmata antiqua Catholica, quæ docuerunt, qui Ecclesiam Christi ante nos in ejus gratiâ, verâ pietate rexerunt, contra perversitatem vestram novitiam quantulocumque labore defendimus.*

Idem testatur Vincentius Lirinensis common. adversus hæreses cap. XXXIV. *Quis unquam*, inquit, *ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Cælestium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit adstrictum?*

Quid quod hoc de peccato originali dogma inter rudimenta erat Christianæ religionis, nec tanquam ad structuram ejus pertinens, sed quasi fundamenti pars censebatur? Sane Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 11. de antiquis patribus, ac doctrinâ peccati originalis loquens, [d Col. 942.] sic inter alia inquit *d*: *Quod in Christi Ecclesiâ suorum rudimentorum tempore didicerunt.* Sed & necessitatem [e Col. 938] hujusce dogmatis paullo antè indicârat his verbis *e*: *Omnes homines primorum illorum hominum peccato nascuntur obnoxii. Hoc qui negat, ipsa Christiana fidei subvertere firmamenta conatur.* Imprimis verò illustris hic locus est eodem libro *a*: [a Col. 942.] *Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salvâ fidei compage non consonant, & alius alio de unâ re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem, unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet* FUNDAMENTA. *Quisquis in Christianâ fide vult labefactare quod scriptum est: Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum: Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: totum, quod in Christum credimus, auferre molitur.* Idem lib. 11. de Gratiâ ac peccato originali, cap. XXIV: *Quis enim non sentiat, multa ignorari salvâ Christiana fide: & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine. Sed in causâ duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato: per alterum redimimur à peccatis: per unum præcipitati sumus in mortem: per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non ejus, à quo factus est: iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus à quo missus est: In horum ergo duorum hominum causâ propriè fides Christiana consistit.*

LIBRI SECUNDI

PARS SECUNDA;

Quæ collationem continet Pelagianæ & Catholicæ sententiæ de Peccato originali.

THESIS I.

Negabant Pelagiani, Adami peccatum imputari posteritati, & Catholicis obducentibus verba Apostoli a, [a Ad Rom. 5. 12.] ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *ea ad imitationis exemplum restringebant.*

[b Apud August. lib. de nat. & grat. c. 9.] PElagius lib. de Naturâ *b*: *In Adamo peccasse omnes, non propter peccatum nascendi origine attractum, sed propter imitationem dictum est.* [c Ibid. cap. 30.] Item *c*: *Quomodo Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognoverit? Suum enim non est, si necessarium est. Aut suum si est, voluntarium est. Et si voluntarium est, vitari potest.* Et lib. [d Apud August. lib. 3. de pec. mer. & remiss. c. 2. & 3.] expositionum in epist. Pauli ad Rom. *d*: *Hi qui contra traducem peccati sunt, ita illam impugnare nituntur. Si Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest: quia similiter, imo & magis dicit, per unum salvari, quam per unum ante perierunt. Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Illud quoque accedit, quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur; injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adæ tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam, nulla ratione concedi ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Hæc Pelagius adhuc sub alienâ disputans personâ, cùm suam apertè sententiam proponere non auderet. Similiter Cœlestius, ut inferius parebit. Juliani quoque hæc sunt lib. 1. ultimi operis contra August. *a* [a Apud August. operis imperfecti contra Iulianum lib. 1. pag. 43.] *Apud quem impollutam innocentiam scelus gravavit externum?* Idem Augustino ut falsissimum hoc objicit *b*: [b Ibid.] *Nullo peccato parvuli premuntur suo, sed alieno.* Idem *c* ait: [c Ibid. p. 176.] *Quicumque reus est, moribus, non exordiis accusatur.* Et lib. 11. c. XVI. hanc prioris libri ανακεφαλαίωσιν facit *d*: [d P. 223.] *Conclusum est, nos Deum æquissimum in Trinitate venerari; & irrefutabiliter apparuit, non posse ab eo peccatum alienum parvulis imputari.* Et aliquanto pòst *e*: [e P. 215.] *Ex quibus necessario conficitur, nos rectissimè defendere, neminem cum peccato nasci, & Deum reos non posse judicare nascentes.* Et cap. XLIII *f*: [f P. 249.] *Naturam generantium constat germina communicare, non culpam.* unde mox colligit: *filios, in quantum filii sunt, id est, antequam aliquid per voluntatem propriam operantur, reos esse non posse.* Et quia communicati reatus caussa est conjunctio naturalis, unde nos in Adamo peccasse ait Apostolus, passim hoc argumentum eludere conatur. Ut lib. 11. ejusdem operis cap. LIII *g*: [g P. 261.] *Si propriè nunquam hominem homo judicaretur imitari, & Apostolus per Adam omnes peccasse dixisset, ego libere præscriberem, usu Scripturarum esse Apostolum vindicandum: ut quomodo Dominus diabolum dixerat patrem, qui substantiâ generare non poterat, ita Apostolus hominem scripsisset imitabilem, ne quid docuisse rationem perspicuam crederetur.* Et mox *h*: [h P. 262.] *Apostolus Paulus nullam errori occasionem præbuit, quia nihil*

nihil dixit improprium, si pronunciavit, peccatorem primum hominem, sequentibus exemplum fuisse. Et cap. LVI. a *Per unum hominem peccatum in hunc mundum transiit. Hic autem unus præbendæ imitationi sufficit, generationi implendæ non sufficit.* Et cap. LXI. b. *Unum inculcavit, ut doceret, imitatione transisse, non generatione, peccatum.* Et cap. LXVII. c. *Quæ prævaricatio licet non sit facta naturalis, fuit tamen forma peccati, atque ob hoc licet non aggravet nascentes, tamen accusat imitantes.* Similiter cap. LXX. d & CVII. e Unde Prosper epist. ad Demetriadem f: *Hinc Adæ peccatum exemplo posteris nocuisse, non transitu.*

a P. 263.
b P. 270.
c P. 275.
d P. 278.
e P. 313
f Pol 353. edit Duac. 1577.

ANTITHESIS I.

Catholicorum contrà sententia fuit, peccatum primorum parentum imputari omnibus, ac reatu tenere totam posteritatem. Idque idcirco quod, peccante Adamo, omnes in lumbis ejus fuimus.

Hieronymus extremo lib. III. contra Pelagianos: *Si objeceris, dicis, esse aliquos, qui non peccaverunt g, intellige, eos illud non peccasse peccatum, quod peccavit Adam, prævaricando in paradiso præceptum Dei. Ceterùm omnes homines, aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine tenentur obnoxii. Qui parvulus est, parentis in baptismo vinculo solvitur. Qui ejus ætatis est, quæ potest sapere, & alieno & suo, Christi sanguine, liberatur. Ac ne me putes hæretico sensu hoc intelligere, beatus martyr Cyprianus, in epistolâ, quam scribit ad Episcopum Fidum de infantibus baptizandis, hæc memorat: Quanto magis à baptismo prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit? Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata.* Augustinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. XXVII. *Etiam parvuli* NON SECUNDUM VITÆ SUÆ PROPRIETATEM, SED SECUNDUM COMMUNEM GENERIS HUMANI ORIGINEM, *omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt.* Et ejusdem operis lib. XIII. c. XIV. *Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupit.* Et Retract. lib. I. c. X. *Possunt sane Pelagiani ad suum dogma trahere istam sententiam, & ideo dicere parvulis aliena non nocuisse peccata, quia dixi, nulli natura nocere peccata, nisi sua, non intuentes, ideo parvulos, qui utique pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum, quia in primis hominibus natura humana peccavit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata, nisi sua.* Et ejusdem lib. cap. XV. *Cur, inquiunt, voluntatem dicitis parvulorum, quorum voluntatem non tenetis ream? Respondetur, non eos proprietate voluntatis, sed origine reos teneri. Omnis enim homo terrenus, quid est origine, nisi Adam? Porrò autem Adam habebat utique voluntatem, quâ voluntate cùm peccasset, peccatum per eum intravit in mundum.* Orosius apologet. de arbitrii libert. h *Omnes peccaverunt sive in Adam, sive in se ipsis, & egent gloria Dei. Universa igitur massa pœnas debet. Et, si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè proculdubio redderetur.* Similiter scriptor Hypognosticôn lib. II. *Adæ peccatum verè tunc soli nocuit, cùm solus esset ipse, & Eva mulier ejus: sed in illo uno omnes eramus, quia natura humani generis erant, sicut in nobis omnibus illi unum sunt, quia natura eorum sumus.* Et B. Prosper libro de Ingratis cap. XXVII.

g Rom. 5. 14.
h P. 759. edit Col. a. 1582.

Inviolata Dei quondam & sublimis imago
In primo cunctis fuimus Patre, dum nemore alto
Degit, & edicto parens cavet arbore ab una.
At postquam ruptâ mandati lege, superbum
Consilium mixtum invidia de fonte recepit,
Corruit, & cuncti simul in genitore cadente
Corruimus.

Hactenus de imputatione primi peccati: nunc de contracto inde naturæ languore ac vitio videamus.

THESIS II.

Præterea Pelagiani putabant, peccato Adami, præter Adamum, læsum esse neminem: ac proinde nullum esse originalem naturæ defectum, sed in eâ perfectione unumquemque procreari, in quâ Adam fuit ante lapsum: hoc uno excepto, quòd ille perfectâ creatus sit ætate, nos eâ gignamur, quâ ratione necdum uti sciat.

Pelagius in exposit. epist. Pauli ad Romanos a: *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergò Christi justitia etiam non credentibus prodest.* Et lib. de Naturâ b: *Adæ posteri non solùm inferiores non sunt, sed etiam plura impleverunt præcepta, cùm ille unum implere neglexerit.* Et eodem c: *Non debuit hæc ægritudo contrahi pro peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata.* Et eodem d: *Primum de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto, quid sit peccatum, substantia aliqua, an substantiâ carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur. Credo ita est, & si ita est, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantiâ caret?* Et lib. I. pro libero arbitrio e: *Omne bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis. Capaces enim utriusque, non pleni nascimur. Et ut sine virtute, ita sine vitio nascimur. Atque ante actionem propriæ voluntatis id solum in homine est, quod Deus condidit.*

Eadem Cœlestii doctrina fuit. Augustinus de gestis Palæstinis cap. XI. *In doctrinâ Cœlestii, discipuli ejus, refertur inventum, Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum: & infantes in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Idem habes cap. XXXIII. Et epist. Alypii ac Augustini ad Paullinum f. In Concilio tamen Carthaginensi, non tam videri voluit negare traducem peccati, quam de eo dubitare: & tamen, si negare vellet, habiturum ajebat magnos autores, eosque inter Rufinum, Aquilejensem presbyterum, eum adversus quem B. Hieronymus scripsit. Vide quæ hac de re ex actis Carthaginensibus adducit Augustinus lib. de peccato originali, cap. III.

Sed magnis imprimis conatibus Pelagianorum caussam egit Julianus: qui peccati traducem statuentes Traducianos vocare g solet: ipsumque Augustinum h *Traduciana nationis primatem:* qui ad hoc respondet i, *Non est mirum, quod novi heretici Catholicis, à quibus exeunt, novum nomen imponunt.* Idem Julianus lib. I. quadripartiti operis contra August. k *Naturam humanam in exordiis nascentium esse innocentiæ dono locupletem.* Item l: *Etiamsi diabolus crearet homines, nullâ suâ culpâ mali essent, & ideo jam nec mali essent, quia esse quisquam, nisi quod natus est, non potest, nec ab eo justum est aliquid amplius flagitare quàm potest.* Idem lib. I. poster. resp. contra August. m *Nullum est de natura conditione peccatum, sed liberum arbitrium in natura hominum perseverat.* Et lib. II. cap. XVI. n *Ex quibus necessario conficitur, neminem cum peccato nasci, ac tam integrum esse liberum arbitrium, quàm ante voluntatis propriæ usum in noxiam in unoquoque naturam.* Hinc Prosper in Chronicis ad annum CCCCXIV. *Hac tempestate Pelagius Brito prædicat, quòd Adæ peccatum ipsum solum læserit, non etiam posteros ejus obstrinxerit, omnesque parvulos tam insontes nasci, quàm primus homo ante prævaricationem fuit.* Idem carm. de Ingratis cap. I.

Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus, neque dissimiles nunc nascier illo
Ortu primorum, qui libertate malè usi
Peccarunt; forma nocuit, non semine, proli.

a Apud August. lib. de peccato origin. cap. 21. & operis imperfecti in Julianum lib. 1. c. 54. p. 63.
b Apud August. lib. de natur. & grat. c. 21.
c Apud eundem ibidem.
d Ibidem cap. 19.
e Apud August. lib. 2. contra Pelag. qui est de Peccato Origin. cap. 13
f Ep. 106.
g Apud August. altercationis sive imperfecti operis contra Julian. lib. 1. p. 8. 26. & lib. 2. pag. 221. 233. 270. 330. 346. 458.
h Ibid. pag. 79.
i Ibid. p. 8.
k Apud eundem lib. 3. contra Jul cap. 4.
l Ibid. c. 12.
m Apud August. contra post. resp. Jul. lib. 1.
n P. 225.

Et quid mirum, si negarint Pelagiani, peccato Adami vitiatam esse posteritatis naturam, cùm nec in ipsis peccantibus crediderint peccando debilitati naturam? Docemur hoc ipsius Juliani verbis lib. 1. *a* ejusdem operis. *Ubi dixit Dominus, Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis; promisit indulgentiam reis, qui peccantes non arbitrii libertatem, sed conscientiam justitia perdiderunt. Liberum autem arbitrium & post peccatum tam plenum est, quam fuit ante peccata.* Idem cap. XCIV. *b Nos dicimus, peccato hominis non natura statum mutari, sed meriti qualitatem. id est, & in peccante hanc esse liberi arbitrii naturam, per quam potest à peccato desinere, qua fuit in eo, ut posset à justitia deviare.* Quæ quantopere prioribus Patribus adversentur, ostendimus disp. de peccato primo.

a Apud Aug. post. resp. contra Julian. lib. 1. c. 59. p. 131.
b P. 141.

Antithesis II.

Contra Catholica doctrina est, omnes Ada posteros originali justitia, quâ Adam praditus fuit, naturâ destitui, atque inde provenire in omnibus inordinatam potentiarum anima dispositionem, qua fomes peccati, lex membrorum, concupiscentia carnalis, aliisque nominibus appellatur.

AUgustinus lib. XIII. de C. D. cap. III. *Pro magnitudine culpa illius naturam damnatio mutavit in pœnis, ut quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cateris.* Et ibidem lib. XIV. c. XII. *Natura humana duorum primorum hominum pravaricatione mutata est, ut tacita corruptioni, quantum videmus atque sentimus, & per hanc subjaceret morti, ac tot & tantis, tamque inter se contrariis perturbaretur & fluctuaret affectibus: qualis in paradiso ante peccatum, licet in corpore esset animali, utique non fuit.* Et lib. XXII. ejusdem operis c. XXII. *Quid aliud indicat horrenda quadam profunditas ignorantia, ex quâ omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari, sine labore, dolore, timore non possit?* Et postea, cùm multa vitiorum genera enumerasset, ista subjungit: *Hac hominum sunt malorum, ab illâ tamen erroris & perversi amoris radice venientia, cum quâ omnis filius Ada nascitur.* Similiter Prosper ad articulos sibi fallò impositos, Art. I. *Vulnere originalis peccati in Adam omnium hominum corrupta & mortificata est natura, unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit.* Idem ad excerpta Genuensium Dubio & Resp. III: *Quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet? Unde, si, quod Adam perdidit, posteritas non amisit, ipsum solum lasit peccatum ejus, & non genus humanum. Sed omnes in uno peccaverunt, & pravaricationis merito tota ejus propago damnata est. Omnes igitur, quod Adam perdidit, perdiderunt.* Scriptor de vocatione gentium lib. I. cap. VI. *a Humana natura in primi hominis pravaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter pracepta & auxilia Dei, semper in deteriorem est proclivior voluntatem; cui committi non est aliud, quàm dimitti.* Et cap. VII. *b Omnes homines in primo homine sine vitio conditi sumus, & omnes natura nostra incolumitatem ejusdem hominis pravaricatione perdidimus.* Et cap. VIII. *c Fuit in Adam natura sine vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala multa contraxit, & in posteros magis magisque multiplicanda transfudit.* Vincentius Lirinensis in commonitorio primo cap. XXXIV. *Quis ante prodigiosum discipulum* (Pelagii) *Calestium reatu pravaricationis Ada omne humanum genus negavit adstrictum?* Petrus Diaconus lib. de Incarn. cap. VI. *Itaque serpentis astutiâ depravatus, sponte divina legis pravaricator effectus est, & ideo secundum quod ei pradictum fuerat, justo judicio Dei, mortis pœnâ damnatur, totusque, id*

a Apud Prosp. seu Ambros. cap. 2.
b Apud Ambros. c. 3.
c Apud Ambros. eodem cap. 3.

est, secundum corpus & secundùm animam, in deterius commutatus, amissâ libertate propriâ, sub peccati servitio mancipatur. Ex hoc nullus est hominum, qui non hujus peccati vinculo nascatur adstrictus, prater eum, qui ad hoc vinculum peccati solvendum, novo generationis modo natus est, mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. Io. Maxentius in capitulis contra Nestorianos: quæ habes tom. 4. biblioth. SS. Patr. p. 583. *Siquis non confitetur, originale peccatum per pravaricationem Ada ingressum in mundum, (secundum Apostoli vocem, dicentis, Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt;) Anathema sit.* Vidimus de vitiositate naturæ. Proximum est, ut de promerito mortis supplicio agamus.

Thesis III.

Item Pelagianorum dogma erat, mortem temporalem esse ex necessitate natura, nec propter peccatum primorum parentum redundasse in genus humanum: sed Adamum ipsum moriturum fuisse, etsi non peccasset. Multo vero minus agnoscebant, nos peccato Adami promeritos esse mortem aternam.

AUgustinus lib. de gestis Palæstinis cap. XI. & XXXIII. Pelagio, ex Cœlestii doctrinâ, objectum ait, *Quod neque per mortem, vel pravaricationem Ada, omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat.* Idem testantur Alypius ac Augustinus epist. ad Paullinum *a*. Paullo aliter Julianus lib. II. operis ultimi contra Augustinum *b*: *Mors,* inquit, *transiit ad posteros, ob imitationem scilicet, non generationem.* Interim in eo cum Cœlestio convenit, quòd mortem primi peccati pœnam esse negat. Cur verò hoc inficias iverint Pelagiani, docet Augustinus lib. 1. contra *c* posteriorem responsionem Julian. c. LXVI. *Mortem non vis ex peccato fecisse in omnes originaliter transitum, ne cogaris fateri, simul etiam originaliter transisse peccatum. Sentis quippe, quàm iniquum sit, sine merito transisse supplicium.* Iidem, non contenti negare mortem nostram ex primo peccato provenire, ne de Adamo quidem hoc fateri sustinebant. Orosius apol. de arbitrii libertate *d* adversus Pelagium: *Asserunt tui, qui abundantiora de pectore tuo venena suxerunt, mortalem eum fuisse factum, nihilque eidem damni ex transgressione contigisse pracepti.* Scriptor Hypognosticon in prologo: *Adam, inquiunt, sive peccasset, sive non peccasset, moriturum fuisse.* Quam sententiam idem diluit lib. I. Nempe, ut August. indicat lib. 1. de peccat. mer. & remiss. c. II. *Adam dicunt sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœnâ culpa, sed necessitate natura.* Eandemque sententiam tribuit iis epist. ad Paullinum, & alibi passim. Ac paret illud ex Juliani verbis, & Augustini responso, lib 1. ultimi operis contra Iul. c. LXV. Cæterùm Pelagium istud in Concilio Palæstino, sed non veraci corde, damnasse, non uno loco ait Augustinus. Ut ejusdem libri c. LXV *e*. *Hoc sapis, quod Pelagius in judicio Palastino ficto corde damnavit, Adam scilicet mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Ex lib. II. cap. CXIIII. *f*. *Adhuc quidem dicitis, Adam sic fuisse factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: sed ista dicentes jam vos magister vester in episcopali judicio Palastino, nec sine se ipso, quia non se correxit, Pelagius ipse damnavit.* Vide commentatiolum Augustini de gestis Palæstinis cap. XI. Ubi cùm hoc dogma Pelagio esset objectum, de eo, & aliis quibusdam respondisse dicitur, *Reliqua à me dicta non sunt: sed tamen ad satisfactionem sancta Synodi, anathematizo illos, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.* Qui verò nec mortem corpoream ex primi peccati reatu esse fatebantur, quanto eos minus de morte secundâ

hoc

a Epist. 106.
b Apud August. lib. 2. operis inchoati contra Jul. cap. 172. pag. 384.
c P. 275.
d P. 737. edit. Col. 1582.
e P. 89.
f P. 293.

hoc credidisse credi debet! Unde Critobulus (Pelagii is personam sustinet) apud Hieronymum lib. III. adversus
a P. 305. edit. Bas. 1553. Pelagianos *a*: *Oro te, quid infantuli peccavere? nec conscientia eis delicti imputari potest, nec ignorantia, qui, juxta Jonam prophetam, manum dextram nesciunt, & sinistram. Peccare non possunt, & possunt perire: genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua ridetur, & æterna miseria cruciatus miseris præparantur.*

ANTITHESIS III.

Contrà Catholicorum dogma fuit, mortem cùm temporalem, tum æternam, unà cum omnibus morbis & cruciatibus, qui ad corporis mortem ducunt, è primo peccato profluxisse: eoque Adamum non fuisse moriturum, nisi peccasset.

AUgustinus T. 7. de peccat. mer. & remiss. lib. I. c. II. *Quamvis secundum corpus, terra esset, & corpus, in quo creatus est, animale gestaret, tamen, si non peccasset, in corpus fuerat spirituale mutandus, & in illam*
a 1. Cor. 15. *incorruptionem, quæ fidelibus ac sanctis promittitur a, sine mortis periculo transiturus.* Et cap. XI. *Proinde si non peccasset Adam, non erat exspoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate & incorruptione, ut absorberetur mortale à vitâ, id est, ab animali in spirituale transiret.* Et paullo post: *Habebat enim, quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.* Idem libro XIV. de C. D. c. I. *A duobus primis admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteris obligatione peccati, & mortis necessitate transmissa. Mortis autem regnum in homines usque adeò dominatum est, ut omnes in secundam quoque mortem, cujus nullus est finis, pœna debita præcipites ageret, nisi inde quosdam indebita Dei gratia liberaret.*

THESIS IV.

Ex superioribus quæstio profluxit, cur baptizari debeant infantes, & quâ conditione esse mereantur, qui sine baptismo discesserint. Pelagius ne fateretur, obstringi originali peccato, & nasci æternæ mortis reos, negabat, eos per baptismum accipere remissionem originalis delicti, vel de potestate tenebrarum in regnum Dei transferri.

a Verba sunt Aug. lib. I. de pecc. mer. & remiss. cap. 9. QUia Pelagiani *in parvulis a nolunt credere per baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum omnino esse contendunt*: hinc multi colligebant, eosdem non credere infantes redimi à Christo, vel baptizandos esse in remissionem peccatorum. Hanc iis mentem tribuit non solùm Josephus Vicecomes Observationum Ecclesiasticarum de antiquis baptismi ritibus lib. II. cap. 1. & ante eum Lambertus Danæus in catalogo tertio quem adtexuit notis ad Augustini lib. de Hæres. ubi ait; *Baptismum Christi spernunt Pelagiani & Cælestiani.* & mox; *Baptismum parvulis fidelium negant dandum Pelagiani.* item Daniel Tilenus disp. alterâ de baptismo, § 46. verùm etiam liber Pontificalis in vitâ Innocentii. Sed vel malitiose vel imperite hæc sibi affingi, etiamnum superstes Pelagius conquerebatur: ut liquet ex Augustini lib. de gratia Christi contra Pelag. & Cœl. cap. XXX. Item de peccato originali cap. XVII. Ac ejusdem libri cap. XIX. hæc Pelagii ipsius verba adducit, ex libello ejus ad Innocentium I. *Quis ille tam impius est, qui cujuslibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemtionem?* Et sanè Concilium ipsum Carthaginense agnoscit, Cœlestium quoque agnovisse redemptionem infantium. Sic enim Patres illi epist. ad Innocentium: *Per baptismum Christi etiam parvulorum fieri redemptionem, libello suo Cœlestius in Carthaginensi Ecclesiâ jam confessus est.* Meminit & Augustinus epist. LXXXIX ad Hilar. ubi inter alia ait: *Coactus est confiteri, propter baptizandos parvulos, quod & ipsis redemptio sit necessaria. Ubi quanquam noluerit de originali peccato aliquid expressiùs dicere, tamen ipso redemtionis nomine non parum sibi præscripsit. Unde enim redemendi sunt, nisi à diaboli potestate, in quâ esse non possent, nisi originalis obligatione peccati? Aut quo pretio redimuntur, nisi Christi sanguine; de quo apertissime scriptum est, quod in remissionem effusus sit peccatorum?* Verùm cujusmodi redemptionem Pelagiani intellexerint, inferiùs parebit. Nec ambiguitas ejus vocabuli fugit Augustinum: qui lib. de peccato originali, cap. XIX, cùm superiora Pelagii de parvulorum redemtione verba posuisset, hæc subjungit: *Et hoc ambiguum est, qualem dicat redemptionem, utrùm ex malo ad bonum, an ex bono ad malum.* Cæterùm Augustinus, etsi imperiti vel malevoli aliqui istam Pelagio sententiam tribuerent, id tamen à se vel Africanis patribus fieri negat. Nam cap. XVII. ejusce libri sic Pelagio respondet: *Sed non illis hæc sic objiciuntur, ut posuit. Nam neque parvulis negant baptismi sacramentum, neque absque redemtione Christi aliquibus regna cœlorum promittunt. Itaque, unde se queritur infamari, eo modo proposuit, ut facile possit crimini objecto, salvo suo dogmate, respondere. Objicitur autem illis, quod non baptizatos parvulos nolint damnationi primi hominis obnoxios confiteri, & in eos transisse originale peccatum, regeneratione purgandum.* Similiter statum controversiæ proponit, tum Hilarius ad August. tum August. ad Hilarium. Hilarius *a* enim his verbis mentem eorum exprimit: a Ep. 88.
Infantem non baptizatum, morte præventum, NON apud Aug.
POSSE MERITO PERIRE, *quoniam sine peccato nascitur.* Augustinus *b* vero illis: *Nec parvulos indigere gra-* b Ep. 94.
tiâ salvatoris, quâ per ejus baptismum à perditione liberantur, eo quod nullum ex Adam contagium damnationis contraxerint. Similiter T. 7. lib. II. de nuptiis & concupisc. c. III. & de gestis Palæstinis cap. ult. & Hypognosticôn scriptor in prologo. Operæ verò est, considerare, ut Pelagiani, quanquam infantes peccatum habere negarent, formulam tamen Ecclesiæ retinerent, quâ in remissionem peccatorum baptizabantur. Pelagii verba sunt libello fidei suæ: *Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Citat Augustinus lib. de peccato orig. cap. XXI. & præcedenti libro, qui est de gratiâ Christi, cap. XXXII. Ubi & hæc subjungit: *Sed quid prodest, quod eisdem verbis in parvulis, quibus etiam in majoribus, celebrari dicit baptismi sacramentum, cum res à nobis, non sola verba, quærantur?* Idem libro II. contra poster. resp. Jul. c. CXXXV. *c Nullo modo ab ori-* c P. 340.
ginali peccato abalienabis parvulos, nisi eos simulacbra gratiæ baptismatis Christi feceris. Etiam Hypognosticon scriptor sic adversus eos disputat lib. V. *Quis vos non horreat potius nominare, quàm cernere, ut verbum Dei fidele in parte veri, & in parte mendacii esse prædicetis? id est, in majoribus verax, quia vere in remissionem peccatorum baptizantur: in parvulis autem mendax, quia sic in remissionem peccatorum, ut non in remissionem peccatorum tinguantur.* Et mox: *Verba Dei sunt symboli verba, non fefellit Deus, tradens per Apostolos suos Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ, credentes in remissionem peccatorum baptizari.* Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis
cap. XXVI *d*: *Hæretici quidam gratiæ Dei repugnantes* d Col.
contendebant, nullâ necessitate parvulos baptizari, quia 692.
nondum peccassent. Quod si verum esset, vel non baptizandi erant, vel si extra necessitatem baptizarentur, imperfectum & non verum in eis erat baptismi sacramentum, quod in symbolo confitemur dari in remissionem peccatorum. Ad hoc nihil quod responderent Pelagiani habebant, nisi baptismum in remissionem peccatorum fieri, non quia in parvulis, sed quia in aliis hoc præstet. Augustinus epist.
CV. ad Sixtum *e*; *Nolunt, eos ita baptizari in remissio-* e Circa
nem finem.

nem peccatorum, tanquam in eis fiat ipsa remissio, quos contendunt nullum habere peccatum; sed quoniam, licet sine peccato, in eo tamen baptismate baptizantur, quo fit in quibusque peccatoribus remissio peccatorum. Cur verò, quos non habere peccatum credebant, baptizandos nihilominus dicerent, gemina caussa erat: una ratione hujus vitæ, quòd per baptismum in filiorum numerum adoptarentur: altera ratione alterius, quòd per illum promissionem accipiant regni cœlestis. Nempe Pelagius inter gehennam & regnum cœleste statum medium fingebat, quo digni sint, qui utroque sint indigni: neque hunc statum possibilem solùm, sed actu esse statuebat. Hinc

a Apud August. lib. de pecc. orig. c. 21. illud Pelagii *a* de infantibus sine baptismo mortuis: *Quo non eant scio: quo eant nescio.* Ex Augustin. lib. II. imperfecti operis contra Jul. *b Facitis duas æternas felicitates: unam, quæ sit in regno Dei; alteram, quæ sit ex-*

b P. 319. *tra regnum Dei.* Et Hypognosticon scriptor lib. v. *Finge, Pelagiane, locum ex officinâ dogmatis tui, ubi alieni à Christi gratiâ vitam requiei & gloriæ possidere parvuli possint, &c.* Etiam Photius μυριοβίβλῳ cap. LII. ait, concilium Carthaginiense (est illud, quod vulgo vocatur Milevitanum) cap. II. ἀναθεματίζειν τοὺς λέγοντας μέσον τόπον κολάσεως καὶ παραδείσου, εἰς ὃν οἱ τῇ τοῦ ἁγίου βαπτισμάτος βρέφη μετειληφότα ζῶν μακαρίως. Ex quibus, quæ Pelagianorum fuerit opinio, satis liquet. Hoc constituto fundamento, per baptismum dicebant infantes è statu medio in summum transferri: hoc est, è non filiis & hæredibus (attamen nec iræ filiis) filios Dei fieri, & cohæredes Christi. Hieronymus extremo lib. III. adversus Pelagianos: *Scripsit dudum vir sanctus & eloquens, episcopus Augustinus, ad Marcellinum duos libros de infantibus baptizandis, contra hæresin vestram, per quam vultis asserere, baptizari infantes, non in remissionem peccatorum, sed in regnum cœlorum, juxta illud, quod scriptum est in Evangelio, Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum.* Augustinus lib. IV. contra duas Pelagian. epist. c. II. *Omnibus ætatibus dicunt esse baptismum necessarium, ut scilicet illa creatura in Dei filios* ADOPTETUR, *non quod aliquid ex parentibus trahat, quod sit lavacro regenerationis expiandum.* Et ejusdem operis lib. I. c. XXII. *Secundum Pelagium hæreticum ista dicitis, parvulis baptismum necessarium, non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo* PROPTER REGNUM COELORUM. *Datis enim eis extra regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati.* Idem contra Julianum lib. III. c. III. *Hoccine est totum, cur vobis de baptismate parvulorum faciendam non existimatis invidiam, quasi quisquam nostrûm vos dixerit negare, parvulos baptizari oportere? Non eos dicitis non debere baptizari, sed pro magnitudine sapientiæ vestræ res mirabiles dicitis: In sacramento salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exsufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur. Hæc sunt sententiarum portenta vestrarum, hæc inopinata mysteria dogmatum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum, mirabiliora quam Stoicorum Philosophorum.* Et sanè ipsius Cœlestii verba hæc sunt libello, quem Ro-

c Apud August. lib. 2. cont. Pelag. & Cœl. qui est de pecc. orig. c. 5. & 6. mæ edidit: *Infantes debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ, & secundùm Evangelii sententiam, confitemur, quia Dominus statuit, regnum cœlorum non nisi baptizatis posse conferri, quod, quia vires naturæ non habent, conferri necesse est pro gratiâ libertatem.* Deinde addit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur; quod longe à Catholico sensu alienum est.* Et paullo pòst: *Et illud ergò confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur: & hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem, ad creatoris injuriam, malum, antequam fiat, ab homine tradi dicatur homini per naturam.* Similiter Iulianus apud August. lib. I. operis imperfecti contra Iul. c. LI. *a Nos in tantum gra-* a P. 58.

tiam baptismatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos, qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate: sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus. Et mox: *Sed hæc gratia non adversatur justitiæ, quæ maculare luit iniquitatem. Nec facit peccata, sed purgat; quæ absolvit reos, non calumniatur innocuos. Christus enim, qui est sui operis redemtor, auget circa imaginem suam continuâ largitate beneficia: & quos fuerat* (l. fecerat) *condendo bonos, facit innovando,* ADOPTANDOQUE, *meliores.* Vide & plura

ibidem in hanc mentem. Item cap. LII. *b* & LVIII. *c* b P. 62.

Etiam Pelagianorum hac de re verba, quæ aliquoties se c P. 70.

ex iis audisse ait, citat eruditus Hypognosticon scriptor d Col.

lib. v. *d Et nos, inquies, (sicut aliquoties à vobis audivimus) in remissionem peccatorum, tam majores ætate, quàm parvulos baptizamus. Et cum vobis ita contradictum fuerit à nobis, Ergò est peccatum in parvulis, quod eis in sacro baptismate remittatur, respondetis, Nullum: tantum in adoptione filiorum baptizantur. Habet enim in eis gratia quod* ADOPTET; *non habet unda, quod diluat. Propter solam verò symboli formulam, ut tradita consuetudo servetur, tinguntur in remissionem peccatorum. Majores autem, propter quod usu liberi arbitrii peccata contrahere potuerunt, in remissionem peccatorum* 1407. & 1408. edit. Bas. 1556.

baptizantur. Prosper ad Demetriadem *e*: *Hinc evacuatio baptismatis parvulorum, qui solâ* ADOPTIONE *donari, nullo autem reatu dicerentur absolvi.* Et in Chronicis ad annum CCCCXIV: *Hac tempestate Pelagius prædicavit, parvulos non ideo baptizatos, ut peccato exuantur, sed ut Sacramento adoptionis honorentur.* Et Carm. de ingratis cap. I. e Fol. 353. edit. Duac. 1577.

Tam dives verò hoc donum baptismatis esse,
Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti benè, sint meliores,
Naturæque bonum adjecto illustretur honore.

Similiter Eusebius Emissenus, cujus verba mox adferam.

ANTITHESIS IV.

Sed hac quoque in re longè alia Catholicorum mens fuit.

Quanquam enim à plurimis disputari solet, cujusmodi pœna æternitas originali peccato debeatur; damnò solùm, an insuper sensus: (de quo nec antiqui, nec novi, nec medioxumi idem semper statuerunt) tamen in eo magnus eorum est consensus, quòd infantes propter originale peccatum nascantur iræ filii, & æternæ pœnæ obnoxii, eoque tempestiter baptizentur in remissionem peccatorum, perque baptismum regenerentur, atque ita fiant vitæ ac æternæ felicitatis participes.

AUgustinus lib. v. contra Julian. c. VIII. *Ego non dico, parvulos sine baptismo Christi morientes tantâ pœnâ esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret: cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim, quod de Sodomis ait, & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur, quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissimâ futuros? Quæ, qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nullibi essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret.* Et lib. I. de peccat. meritis & remiss. c. XVI. *Potest proinde rectè dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem & fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, Judicium ex uno delicto in condemnationem: &, Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Et ejusdem lib. c. XXIII. *Nulla ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus,*

tibus, quam non promittit scriptura, humanis omnibus ingeniis præferenda. Et lib. III. de orig. animæ, cap. IX. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et T. 10. de verbis Apostoli, Serm. XIV. *Baptizandos esse parvulos, nemo dubitet: quando nec illi hinc dubitant, qui ex parte aliqua contradicunt. Sed nos dicimus, eos aliter salutem & vitam æternam non habituros, nisi baptizentur in Christo. Illi autem dicunt, non propter salutem, non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum.* Vide & epist. XLVII, quæ ad Valentinum, atque alibi. Similiter Hieronymus extremo libro III. contra Pelagianos: *Hoc unum dicam, ut tandem finiatur oratio; Aut novum vos debere symbolum tradere, ut post Patrem & Filium & Spiritum S. baptizetis infantes in regnum cælorum, aut si unum & in parvulis, & in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos, in similitudinem prævaricationis Adam.* Et scriptor Hypognosticon lib. V. sub finem: *Verba Dei sunt symboli verba. Non fefellit Deus tradens per Apostolos suos Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ, credentes in remissionem peccatorum baptizari. Ut quid enim jussit in remissionem peccatorum, si non facit vere remissionem? Imo ideo jussit, quia facit. Est enim Deus verax, omnis homo mendax. Omnino in remissionem peccatorum baptizantur & parvuli. Alioqui non habebunt in regno cælorum vitam.* Paullinus *a* libello ad Zosimum, post Pelagium Cœlestiumque damnatos: *Contra Apostolicam sententiam venire nititur* (Cœlestius) *negando originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit, & usque ad finem mundi tenet hæreditatem Adæ illius, qui primus peccavit: quod in infantibus nisi per sacramentum baptismi dimittitur, vitam æternam & regnum cælorum habere non possunt.* Orosius apologetico de arbitrii libertate *b*: *Qui non per illam gratiam liberantur, sive qui audire nondum potuerunt, sive etiam cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis, quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, juste utique damnantur: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt, sive in Adam, sive in se ipsis, & egent gloriâ Dei.* Eusebius Emissenus homil. v. de Paschâ; *Nisi*, inquit, *manducaveritis carnem filii hominis & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Quod testimonium contra Pelagii blasphemias evidentissimum atque validissimum est; qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cælorum. Sub his enim Dei verbis, quibus Evangelista pronuntiat, Non habebitis vitam in vobis; apte intelligenda est omnis anima, munere baptismi vacua, non solum gloria carere, sed vita.* Quæ verba satis ostendunt, Eusebium Emissenum non esse illarum homiliarum authorem; cum Emissenus sub Constantio vixerit: istarum verò homiliarum scriptor Pelagium, ut vidimus, refellat. quemadmodum & ejusdem homiliam habemus de Maximo Abbate Lirinensi, eo cui Faustus successit. Sed ad parvulos, citra baptismum obeuntes, revertamur. De quibus similiter Prosper contra Collatorem, cap. XIX. Justus Orgelitanus in Cantica *c*. Arator lib. II. histor. Apostol. *d*. Cassiodorus in Ps. L. Isidorus Hisp. de Ecclesiasticis officiis lib. II. cap. XXIV. Eucherius Gallus (sive alius potiùs, qui vixerit post Gregorium Magnum, cujus hic scriptor meminit) lib. IV. Reg. cap. XX. Hildephonsus Toletanus de Mariæ virginitate & parturitione *e*. Beda lib. Quæstionum, quæst. XV. & in Psalm. LXXVII. Alcuinus lib. II. in Johan. c. III. Remigius Antisiodorensis in Psalm. LXXVII. &c. E Græcis item Isidorus Pelusiota lib. III. ep. CXCV. & Diadochus de perfectione spirituali cap. LXXVIII. etiam è novissimâ Græciæ antiquitate Manuel Palæologus in præceptis educationis regiæ cap. XXVII. &c.

a Apud Baron. T. 5. p. 420. edit. ult. Antu.

b P. 759. edit. Col. 1582.

c T. 1. bibl. Patr. edit. 2. col. 749.

d Ib. T. 8. col. 582. v. penult.

e Ibid. T. 9. col. 690.

THESIS V.

Et ista quidem præcipuè de peccato originali in controversia erant. Sed quæstio hæc quinque alias secum traxit. Quarum prima erat de Naturâ & hominis opificio. Nam quia Catholici dicerent, naturam esse corruptam, hinc colligebant Pelagiani, sapere illos cum Manichæis, qui malam putant esse naturam, nec hominem Dei opus esse confitentur.

QUæ ad ipsum ζήτημα de originali peccato pertinent, hactenus exposuimus. Deinceps proponemus κεφάλαια ὁδικὰ, quomodo vocari solent, quæ instituuntur ad muniendam primariam quæstionem. Quinque enim absurdis gravidum esse peccati originalis dogma, Pelagiani calumniabantur. quæ sparsim quidem Augustinus alibi indicat, sed uno quasi fasce complectitur initio lib. II. contra Julianum: *Dicitis*, inquit, *nos, asserendo originale peccatum, diabolum dicere hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptismo dimitti universa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere. Hæc quippe omnia consequentia esse concluditis, si credamus, nasci parvulos peccato primi obligatos.* Et paulo pòst: *Ista sunt quinque argumenta vestra, ex quibus cuncta connectitis, quæ in hac quæstione adversus Catholicam fidem multipliciter disputatis.* De his quinque quid Pelagiani objecerint, quid Catholici responderint, ordine considerabimus. De primo sic ibidem: *Diabolus creat, dicitis, si ex hoc vulnere creantur, quod diabolus naturæ, quæ primùm condita est, inflixit humanæ.* Et passim quidem talia habet Iulianus. Nec id tantùm in prioribus adversus Augustinum libris: sed etiam postquam ei argumento jam ad ravim ab Augustino responsum erat. Ut lib. I. eorum, quos sex Augustini libris opposuit, cap. LXII. *a*, LXIV *b*, LXV *c*, LXXI *d*. Hinc illa Iuliani querimonia, quam ex priorum librorum præfatione reponit lib. I. ultimi operis *e*: *Siquis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur.* Porrò Pelagiani, negando originale peccatum, haberi volebant naturæ patroni & nuptiarum. Quomodo & cùm gratiæ necessitatem tollerent, & ἀναμαρτησίαν inducerent, legem, liberum arbitrium, & sanctos se laudare dicebant. Nempe, ut aureo Babylonis calice sententiarum suarum virus propinarent incautis, dogmata sua veritati inimica quinque istarum præstabilium rerum laudatione occultabant; naturæ, inquam, nuptiarum, legis, liberi arbitrii, & sanctorum: quemadmodum scribit Augustinus lib. IV. contra duas Pelagianorum epist. cap. I. & II. ubi inter alia ait: *Quicquid dicunt de laude creaturæ, atque nuptiarum, ad hoc referre conantur, ut non sit originale peccatum: quicquid de laude legis, & liberi arbitrii, ad hoc, ut gratia non adjuvet nisi meritum, ac sic gratia jam non sit gratia: quicquid de laude sanctorum, ad hoc, ut vita mortalis in sanctis videatur non habere peccatum, nec sit eis necessarium pro dimittendis debitis suis precari Deum.* Quæ omnia fusiùs deinceps prosequitur. Ac tandem cap. VII. totam disputationem concludit his verbis: *Quæ cùm ita sint, desinant Pelagiani, quinque istarum rerum invidiosissimis laudibus, id est, laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum, quasi Manichæorum tendiculis, fingere se homines velle eruere, ut possint eos suis retibus implicare: idest, ut negent originale peccatum, & parvulis invideant Christi medici auxilium: & ut dicant, gratiam Dei secundum merita nostra dari, ac sic gratia Dei jam non sit gratia: & ut dicant, sanctos in hac vitâ non habuisse peccatum: ac sic evacuetur oratio, quam sanctis tradidit, qui non habebat peccatum, & per quem sanctis orationibus dimittitur omne peccatum. Adhæc tria mala homines incautos & ineruditos quinque illorum bonorum fraudulentâ laude seducunt.* Ex istis quinque trium postremorum laudatio,

a P. 74.

b P. 79.

c P. 82.

d P. 110.

e Apud Augustinum ibidem cap. 71. pag. 110.

nempe liberi arbitrii, legis, & sanctorum, ad sequentes pertinet disputationes; reliquorum duorum laus, naturæ, inquam, & nuptiarum, præsentem controversiam spectat. Ut pro naturæ patronis se venditarint Pelagiani, non aliter ac si, qualis nunc est, talem à Deo conditam Catholici dicerent: etiam testis nobis est Orosius *a* his verbis. *In eâdem epistolâ* (ad Demetriadem) *indigestis sermonibus eructasti, quod plerique nostrorum dicerent, Deum malam hominibus condidisse naturam. Quod etiam ille Phinees tuus Cœlestius, pedetentim nobis tentavit intendere.* Respicit autem Orosius illa Pelagii verba epist. ad Demetriadem; *Et ne è contrario ad ejus culpam pertinere putetur, quod aliqui iniqui fuerint, Scripturarum utar testimoniis, quæ peccantes ubique crimine voluntatis gravant, non excusant necessitate naturæ.* Imò & librum de Naturâ Pelagius scripsit, cujus argumentum his verbis refert Augustinus *b*. *Vidi hominem ardentissimo zelo accensum adversus eos, qui cùm in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potius accusantes hominum, per illam se excusare conantur. Nimis exarsit adversus hanc pestilentiam, quam etiam librorum secularium auctores graviter arguerunt, exclamantes c, Falsò queritur de naturâ suâ genus humanum. Hanc enim prorsus iste sententiam, quantis potuit, viribus aggeravit.* Julianus quoque commentariorum in Cantica lib. II. sic scribit: *Asserebat namque, opiniones nostras ad hoc prorsus spumantium æstus errorum, ut calumniam verteremus in ipsum auctorem: & levandi reatus gratiâ, quem crimina nimirum voluntatis urebant, ipsam naturam corporis subdebamus infamiæ; incapaces bonitatis & plenos iniquitatis in lucem istam nos venire jurando. Denique nullum ferè ad justitiam, quâ dicit ratione, sed ne sacra quidem legis institutione perduci. Depreciabat nempe hac opinio naturam carnis & sanguinis. Sed postquam salutare mysterium Dei & hominum mediator arripuit, ut consummatissima virtutis daturus exemplum, naturam hominis mortalis assumeret, ostendit, omnia crimina morum fuisse, non seminum. Denique voluntatibus ad meliora conversis, non solùm legis, sed etiam Evangelica præcepta posse compleri.* Citat hæc verba Beda presbyter præfat. seu libro in Cantica: atque addit, cum hæc inter cætera scriberet, *insernisse opersonis eorum, contra quos, sub nomine Manichæorum, pugnabat.* Nempe Juliano nihil insolens minus, quàm ut Augustinum, & qui cum eo naturam esse corruptam sentirent, Manichæorum icciroo nomine appellaret. Fecit hoc epist. ad Zosimum: ut constat ex lib. I. Augustini ad Bonifac. c. VI. Fecit rursus libb. IV. de Nupt. & concup. ut videre est ex August. lib. I. priorum contra Julianum cap. II. Fecit insuper libb. VIII. contra responsionem August. ut cognoscimus ex Augustini ultimi operis contra Iulianum tenemate I. II. VIII. XXII. XXIII. XXX. XLVII. L. LXII. LXXI. XCV. *d* Fecit denique libro de Constantiæ bono, ut liquet ex Bedæ præfat. seu lib. in Cant. Unde Prosper epist. ad Demetriadem *e*. *Hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, & illæsa per omnes homines originalis defensio dignitatis.*

a Apolog. contra Pelagium de arbitrii libertate.

b Lib. I. de Naturâ & gratiâ c. I.

c Salust. initio belli Jugurth. & ex eo Vindicianus epist. ad Valentin. Imp. præmissâ Marcell. Emp.

d P. 3. 4. 9. 13. 14. 27. 48. 49. 55. 74. 75. 110. 144.

e Fol. 352. b edit. Duacens. 1577.

Antithesis V.

Ut huic Pelagianorum calumniæ obviam irent Catholici, à naturâ, quæ Dei opus est, vitium ejus distinguebant, quod primi hominis peccato est contractum: ac propter naturam laudabant creatorem; propter vitium, necessarium docebant salvatorem.

CUm Augustinus à Timasio, & Iacobo (qui deserto Pelagio, magistro veteri, Catholicos sequebantur *f*) librum Pelagii de Naturâ accepisset, rescripsit adolescentibus istis eleganti opusculo de naturâ & gratiâ. cujus cap. XXXIV. Pelagianorum calumniæ hunc in modum respondet: *Non ergò sic debemus laudare creatorem, ut cogamur dicere, imò verè convincamur dicere, superfluum salvatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, easque laudes ad creatoris gloriam referamus. Sed quia nos creavit, ita simus grati, ut non simus, quia sanat, ingrati. Vitia sanè quæ sanat, non divino operi, sed humanæ voluntati, justaque illius vindictæ tribuamus.* Item cap. XLII. *Melius itaque Dei caussa agitur, quàm, se iste agendo dicit defensare naturam, cum & creator & salvator agnoscitur, quàm cùm defensâ velut sanâ, viribusque integris creaturâ, opitulatio salvatoris inanitur.* Eos qui sic sentirent, longè satis recedere à Manichæis, docet idem lib. II. de nupt. & concup. cap. III. Quod ipsum argumentum fusè tractat lib. IV. ad Bonifa. cap. V. Paucis idem indicat cap. III. ejusd. libri. *Utrosque, inquit, damnat, atque devitat, quisquis, secundum regulam Catholicæ fidei, sic in hominibus nascentibus de bona creatura carnis & animæ glorificat creatorem, quod non vult Manichæus, ut tamen propter vitium, quod in eos per peccatum primi hominis pertransiit, fateatur & parvulis necessarium salvatorem, quod non vult Pelagius.* Prosper epist. ad Demetriadem *a*: *Quæ omnia, & multo plura documenta, non tanta cura sacris paginis Spiritus S. inseruisset, si talis esset natura in filiis Adam, qualis in ipso est principaliter instituta.* Gelasius epist. VII. scriptâ ad omnes Piceni Episcopos: *Quicquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est: sed non absque contagio illius mali, quod sua prævaricatione traxerunt: & utique hoc idem ipsius mali contagium, certum est opus non esse divinum. Itaque non ex creatione Dei est vitium, quod voluntario motu natura collegit, sed etiam de vitiata per semet ipsam natura Deus institutionem suam quidem suæ creationis exsequitur: sed creatio profert vitium, quod non ex institutione creatoris accepit, sed quod ipsa, per lapsum transgressionis suæ, assumsit.* Plura ibi vide in hanc mentem. Beda præfat. seu lib. I. in Cantica, qui est de gratia, adversus Iulianum: *Nequaquam in auctorem naturæ nostræ calumniam vertimus, cùm nos in iniquitatibus conceptos, & esse in delictis natos dicimus: sed fatemur, quia in primis naturæ nostræ parentibus ad ejus similitudinem facti sumus, ut immortales & sine peccato in deliciis paradisi, juvante gratiâ ejus, viveremus: quam videlicet beatissimam vitæ primitivæ munditiem, si custodire curarent ipsi protoplasti, & non magis hosti crederent quam auctori, usque hodie progenies ex eis sancta & impolluta delicias paradisi, mortis simul & peccati nescia, incoleret.* Ibidem: *Nullâ necessitate naturæ, verùm solâ vagæ mentis incuriâ peccato consensere.* Et mox: *Probatur falli* (Julianum) *cùm reprehendis eos, qui naturam nostri corporis, non eam, quæ protoplasti sancta & immortalis creata est: sed illam, quæ post eorum prævaricationem vitiosa effecta est, subdunt infamiæ, dicentes, Scio quod non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum.*

f Orosius de arbitr. libert. pag. 696 edit. Col. 1582.

a Fol. 353. edit. Duac. 1577.

Thesis VI.

Altera quæstio est, utrum, qui originale peccatum docent, nuptias damnent, eoque hac etiam parte novantiquam Manetis hæresin revocent. Utrumque hoc crimen Pelagiani Catholicis impingebant.

SEntentiam Pelagianorum his verbis concipit Augustinus initio lib. II. contra Iulianum: *Damnantur nuptiæ; si aliquid, unde damnabiles generantur, habere credantur.* Et pugnat hoc argumento Iulianus, cùm alibi, tum ultimi contra August. operis lib. I. cap. LIX. *b*. lib. II. c. XXIV. *c*. Sed imprimis frontem perfricat in libris prioribus *d* quibus August. libro de nupt. respondit: *Dicunt*, inquit, *istas, quæ modò aguntur, nuptias, à Deo institutas non fuisse: quod in libro Augustini legitur; contra quem ego modò quatuor libros respondi. Cujus Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt.*

b P. 70.
c P. 219.
d Apud August. lib. I. ad Bonifacium contra duas Pelagii Epist. cap. 5.

A n-

Antithesis VI.

Catholici verò hunc Pelagianorum ictum exibant, distinguendo inter nuptias, quas divini esse instituti fatebantur, & libidinem, quæ est concupiscentiæ excessus.

AUgustinus, spargentibus Pelagianis, assertores peccati originalis *damnare nuptias, & opus Dei, quod ex illis nascitur, opus diaboli dicere* a, scripsit de nuptiis, & concupiscentiâ libellum ad Valerium Comitem, cujus argumentum ipse initio operis b ponit: *Intentio*, inquit, *hujus libri hæc est, ut, quantum nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus a bonitate naturæ.* Et lib. 1 contra Iulianum cap. 11. *Nempe inter nos, quantum attinet ad intentionem libri mei, cui te respondisse quatuor tuis jactas, ista vertitur quæstio, quod ego dico, sic nuptias esse laudandas, ut nullo modo ad earum culpam vituperationemque pertineat, quod omnes homines primorum illorum hominum peccato nascantur obnoxii. Hoc enim qui negat, ipsa fidei Christianæ subvertere firmamenta conatur. Hinc quippe factum est, ut de nuptiis, & concupiscentiâ librum scriberem: nuptiarum scilicet bonum discernens ab eo malo, unde trahitur originale peccatum. Tu autem dicis, nuptias sine dubitatione damnare, nisi quod ex eis nascitur, ab omni sit liberum obligatione peccati.* Omnis igitur disputatio Augustini eo redit, quòd, ut ipse inquit initio lib. 1. ejusdem operis: *Quantulacunque (sit) immunditia naturarum, nullum crimen est nuptiarum: bonum quippe discernitur proprium nuptiarum à quolibet vitio naturarum.* Ad cujusmodi autem velitationes, importunitate Iuliani, Augustinus subinde sit protractus, liquet imprimis ex disputatione hac de Nupt. & Concupiscentiâ. Verba sunt Iuliani ad Zosimum: *Motum genitalium, id est, ipsam virilitatem, sine quâ non potest esse commixtio, a Deo dicimus institutam.* Ad quæ B. Augustinus respondet: *Deus sic instituit, ut nihil haberet pudendum. Non enim fas fuit, ut ejus erubesceret creatura de sui opere creatoris: sed inobedientia membrorum, supplicio justo primis hominibus inobedientibus reddita est, de quâ erubuerunt, quando foliis ficulneis pudenda texerunt, quæ prius pudenda non fuerunt.* Plura hac de re ibidem. item cap. XVI. & XVII. Hinc etiam Hypognosticon scriptor in prologo tertium Pelagianorum errorem esse ait, quod dicerent, *libidinem naturale esse bonum, nec in eâ esse, quod pudeat.* Quem errorem diluit libro IV. Loqui autem se ait de libidine, quatenus opponitur voluptati: ut hæc sit in bono; illa, quam postea turpem libidinis pruritum, & voluptuosam libidinem vocat, semper sit in malo. unde & librum his verbis concludit: *Si igitur in vobis ullus est pudor, si honestas aliqua, si castitatis intentio, tantam mali necessitatem, id est concupiscentiam carnis sordibus libidinis mixtam, bonam dicere, & laudare desinite: cujus autorem non Deum, sed diabolum esse credite, præcedente protoplasti peccato: & quod eam voluntas humana in turpissimis motibus refrænare non valeat, nisi singularis gratia per Christum Dominum nostrum subvenerit salvatoris.* Similiter Fulgentius lib. 1. de veritate prædest. c. *Deus humanæ naturæ fœcunditatis donum contulit; libidinis verò malum non est creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de immunditiâ nuptiarum mundus homo non nascitur, quia interveniente libidine seminatur. Quam libidinem nuptialis honestas utique non amat, sed in nuptiis mortalis propagationis necessitas tolerat.* Porrò adversus illud, quòd Pelagiani Manichæismum Catholicis objectarent, passim ostendit Augustinus, etiam hac parte opinionem Catholicam à Manichaica plurimum discrepare. Ut lib. IV. ad Bonif. cap. III. *Sic Catholicus discernit malum pudendæ concupiscentiæ à bonitate nuptiarum: ut neque, Manichæis similis, unde nascimur, culpet: neque, Pelagianis similis, unde confundimur, laudet.* Vide & eundem ibidem cap. V. Item operis imperfecti contra Julianum lib. 1. cap. LIX. LX. & alibi.

a Lib. 1. de nupt. & con. cap. 1.
b Cap. 1.
c Pag. 28. & 29.

Thesis VII.

Quæstio tertia fuit, utrùm baptismi virtus integrè ab iis agnoscatur, qui concupiscentiam carnis, non virtutem naturæ, sed vitium esse putant: ac nihilominus eam post baptismum credunt remanere. Pelagiani ex adversariorum suorum sententiâ colligebant, per baptismi gratiam crimina non auferri, sed radi: nec plenam peccatorum remissionem impetrari.

DUo hic in considerationem veniunt, peccati primi imputatio, & concupiscentiæ vitiositas. Quanquam enim concupiscentia ex naturâ suâ vitium non sit, in vitio tamen est ejus excessus. Is verò in eo consistit, quòd, sublato Spiritus S. freno, impetus illius à ratione vix possit compesci, quam perfacile erat moderari ante lapsum. Hoc primi secundique status discrimen non agnoscebant Pelagiani. Unde Prosper ad Demetriadem a. *Hinc Adæ peccatum exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu, & quàm illi possibile fuerit non violare mandatum, tam liberum esse unicuique declinare delictum.* Sed imprimis febricitantium somnia audire se Pelagiani putabant, dicentibus Catholicis, hominem non tantùm naturâ esse obnoxium reatui primi peccati, indeque concupiscentiæ vitio laborare, sed etiam, post baptismum, concupiscentiæ vitium remanere. Hoc enim sic interpretabantur, quasi Catholici putarent, cum hoc vitio remanere primi peccati reatum. Docet hoc nos August. initio lib. II. priorum contra Julianum: *Nec omnia, dicitis, peccata dimittuntur in baptismo, si aliquod in baptizatis conjugibus remanet, ex quo regenerantur mali.* Et lib. I. ad Bonifac. cap. XIII. hæc Iuliani citat verba ex epist. ad Zosimum: *Dicunt etiam, baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum: nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in malâ carne teneantur.* Et cap. XXII: *Etiam eos, qui dicunt, baptismum non omnia peccata delere, condemnamus; quia scimus, plenam purgationem per ipsa mysteria conferri.* Quia verò Catholici sententiam suam probabant istis Apostoli verbis, *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, quod in baptizatis quoque locum habere dicebant; eo Pelagius variè hoc argumentum eludere conabatur, ut apud Augustinum lib. de Nat. & Grat. cap. LII: *Quî fieri potest, ut unicuique baptizato sit caro contraria, cum, secundum eundem Apostolum, in carne non esse intelligatur? Ita enim ait: Vos autem in carne non estis.* Et cap. LIV, ut ostendat, per carnem, non substantiam, sed vitia carnis intelligi, quasi hoc in controversiâ sit, istiusmodi interrogatiunculis sermonem cædit: *Quis fecit homini spiritum? sine dubio Deus. Carnem quis creavit? idem credo Deus. Bonus est, qui utrumque creavit, Deus? nulli dubium est. Et utrumque, quod bonus autor creavit, bonum est? confitendum est. Si igitur & spiritus bonus, & caro bona, ut à bono autore condita, quî fieri potest, ut duo bona sibi possint esse contraria?*

a P 313. edit. Duac. 1577.

Antitheses VII.

Catholicorum autem sententia erat, concupiscentiam carnis remanere in renatis, quo in eâ erudiantur, & exerceantur proficientes in agone justitiæ. Quanquam verò nec in regenitis malum vocare dubitarunt, originale tamen peccatum illis amplius inesse negabant, quia reatus omnis per baptismum sit sublatus. Interim concedebant, eam peccatum dici posse μετωνυμικῶς, quia primi sit peccati effectus, & propriorum fiat delictorum causa, si ei non resistatur.

Concupiscentiam per baptismum minimè tolli, sed ad fidei certamen, & exercitationem justorum relinqui, non uno loco Augustinus ait. Ut de peccatorum meritis, & remissione lib. I. c. XXXIX: *Evacuatur per baptismum caro peccati, non ut in ipsâ vivente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur & non sit: sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet, cum quâ pugnet; eamque, adjuvante Deo, superat, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Et paullo pòst: *Ipsa* (concupiscentia) *soluto reatus vinculo, quo illam diabolus animam retinebat, & intercluſione destructâ, quâ hominem à suo creatore separabat, manet in certamine, quo corpus nostrum castigamus, & servituti subjicimus, vel ad usus licitos, & necessarios relaxanda, vel continentiâ cohibenda.* Et ejusdem operis lib. II. cap. IV. *Soluto reatu, quo vinctos detinebat, ad agonem manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura.* Vide & ibidem cap. XXXIII. & XXXIV. item de Civitate Dei lib. XIII. cap. IV. & lib. XXII. cap. XXIII. & penè initio lib. II. priorum contra Julianum librorum. & T. X. de verbis Apost. serm. V. VI. & XII. Porrò fatetur Augustinus, concupiscentiam etiam in renatis mali nomen mereri: negat tamen, in illis propriè peccatum dici posse, eo quòd reatus originalis peccati per baptismum tollatur. Hinc T. 7. de nupt. & concupis. lib. I. cap. V. *Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo; non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Et cap. XXIII: *Concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et cap. XXVI: *In eis ergo, qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licet adhuc manentis, concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cùm fiunt prætereunt, reatus tamen manet, &, nisi remittatur, in æternum manebit; sic illius concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.* Itidem lib. VI. contra Julianum c. VIII. quæstionem hanc movet, *utrùm, sicut verum est, reatu manere peccata, quæ præterierunt actu, ita sit verum, quod concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu.* Quod ita esse, deinceps contra Julianum probat; similemque sententiam habet lib. II. de peccatorum meritis & remiss. cap. XXVIII. Etiam ejusdem contra Julianum operis lib. VI. cap. V. ait. *Tu autem, qui putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret eâ qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur, Omni reatu omnium malorum caret; non omnibus malis:* Similiterque Hieronymus dialogorum lib. III. adversus Pelagianos. Nam Critobuli Pelagiani verba sunt *a*: *Concedas mihi saltem, infantes esse sine peccato, qui peccare non possunt.* Quibus sic respondet Atticus Catholicus; *Concedam, si in Christo fuerint baptizati.* Proximè etiam ante hæc verba dixerat idem: *Isti sine ullo peccato per Dei gratiam sunt, quam in baptismo susceperunt.* Quanquam verò August. neget, concupiscentiam in regenitis esse peccatum propriè dictum; agnoscit tamen, ei hoc nomen competere κατὰ μετωνυμίαν, lib. I. de nupt. & concupiscentiâ cap. XXIII. *Nam ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et mox: *Sed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit reum.* Et contra Julian. lib. VI. cap. XI. *Peccati nomine, quod in illo habitabat, ipsam Apostol.* Rom. VII. *nuncupabat concupiscentiam, quia peccato facta est, &, si consentientem traxerit, atque illexerit, concipit, paritque peccatum.* Et lib. I. contra duas Pelagii Epist. cap. XIII: *Vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* Sed hac de quæstione, parte hujus libri tertiâ accuratiùs dicemus.

a P. 306. Bas. edit. 1553.

Thesis VIII.

Quarta erat quæstio, utrùm dicentes, primum peccatum parvulis imputari, Deum iniquitatis arguant, qui remittat propria, imputet aliena. Pelagiani existimarunt, omnino iniquitatem eo pacto adscribi Deo.

Indicat hoc Hieronymus, cùm tertium adversus Pelagianos librum his claudit verbis: *Quodsi injusta vobis videtur aliorum remissio peccatorum, quâ non indiget, qui peccare non potest, transite ad amasium vestrum, qui præterita in cælis, & antiqua delicta solvi dicit in terris: ut cujus in cæteris auctoritate ducimini, etiam hac parte errorem sequamini.* Ubi per amasium Pelagianorum, quem penè in omnibus sequi aiunt, Origenem Adamantium intelligit Augustinus penè in ingressu lib. II. contra Julian. *Quemadmodum non est iniquus Deus, qui eum baptizatis dimittat peccata propria, parvulum damnat,* (sic legendum, non *clamat*) *quia cum ab illo crearetur nesciens, nec volens, etiam ex illis parentibus, quibus remissa fuerant, traxit aliena.* Et Pelagii ipsius verba sunt lib. exposit. in Epistolam Pauli ad Rom. *a Dicunt etiam, nullâ ratione concedi, ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Ubi τὸ *dicunt* quàm *dicimus* maluit, quia, ut superius etiam *b* monebamus, ista scribens sub alienâ personâ, suam occultè sententiam seminaret. Similiter Iulianus lib. I. ultimi contra August. operis cap. XVI *c*. *Apud quem impollutam innocentiam scelus gravavit externum?* & cap. LV *d*. *Non capit rerum natura, ut uno tempore, & adeò sit misericors Deus, ut propria unicuique confitenti peccata condonet: & adeò crudelis, ut innocenti impingat aliena. Horum prorsus cùm alterum dederis, alterum sustulisti. Si donat veniam reis, non calumniatur innoxiis; si calumniatur innocuis, nunquam parcit obnoxiis.* Et Gelasius epist. VII. ad omnes Piceni episcopos, Pelagianorum sententiam his verbis proponit: *In uteris, inquiunt, matrum opere divino creantur infantes: propterea justum videri non putant, quòd factura Dei, sine ullis propriis actionibus, cuiquam peccato gignatur obstricta. Injustumque Deum faciunt, si rei efficiantur, antequam nati. Hoc velut acutissimum sui dogmatis exerunt argumentum.*

a Apud Aug. lib. 3. de pecc. merit. & remiss. c. 3.
b Thes. 1.
c Apud August. lib. 1. imperfecti operis contra Iulianum p. 45.
d Ibidem pag. 65.

Antithesis VIII.

Catholici verò iudicarunt, propter arctissimam conjunctionem nostri & Adami, primum peccatum non Adami solius esse, sed omnium nostri, eoque justè nobis à Deo imputari; quemadmodum & credentibus imputat obedientiam Filii sui, quæ nec ipsa personaliter est nostra.

Augustinus penè initio lib. II. contra Iulianum. *Nec iniquus est Deus, cùm peccatis sive originalibus, sive propriis digna retribuit, magisque iniquus, aut infirmus ostenditur, si jugum grave super filios Adam à die a, sicut scriptum est, nativitatis eorum usque in diem sepulturæ, in matre omnium, sub quo jugo imago ejus atteritur, aut ipse nullo vel originali, vel proprio præcedente peccato, aut quilibet alius ipso imponit invito.* Et lib. I. imperfecti operis contra eundem cap. LV *b*. *Tu potius facis injustum Deum, cùm tibi videtur injustum, peccata patrum reddere in filios, quod se ille facere in verbis sæpè testatur, & rebus ostendit. Tu, inquam, facis injustum Deum, sub cujus omnipotentis curâ, cùm videas, gravi jugo miseriæ parvulos premi, nullum eos peccatum habere contendis, simul accusans & Deum, & Ecclesiam: Deum quidem, si gravantur, & affliguntur immeriti; Ecclesiam verò, si exsufflantur à jure diabolicæ potestatis alieni.*

a Eccl. 40. 1.
a Pag. 65.

Et

Et mox: *Sic autem aliena sunt originalia peccata, propter nullum in eis nostræ voluntatis arbitrium, ut tamen, propter originis contagium, esse inveniantur & nostra. Quid est ergo, quod clamas, & dicis, non posse Deum & dimittere peccata majoribus* a *(propter) propria, & imputare parvulis aliena? nec vis attendere, quod non nisi in Christo renatis, utraque; non renatis autem in Christo, neutra dimittantur.* Etiam cap. XLVI. *b* ejusdem lib. Augustino objicit Julianus, quòd aliquando scripsisset: *Nullo peccato parvuli premuntur suo, sed premuntur alieno.* Ad quæ ita respondet August. *c Peccatis, inquis, alienis non utique perire debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt, ac per hoc jure seminationis, atque germinationis, & nostra sunt.* Similiterque isti Pelagianorum argumento occurrit Gelasius epist. VII. quæ ad omnes Piceni episcopos scripta est.

a Τὸ propter abundat.
b P. 43.
c P. 48.

THESIS IX.

Denique litem Catholicis Pelagiani movebant, quasi statuendo originale peccatum, perfectionis desperationem gignant; cùm naturam mutare in neminis sit potestate.

QUinctum, quod Catholicis objicerent Pelagiani, de perfectionis desperatione fuit. Nempe, ut ait Pelagius lib. ad Demetriadem *d*. *Nequaquam viam virtutum valemus ingredi, nisi spe ducamur comite. Siquidem appetendi conatum perit consequendi desperatione.* Etiam Pelagianorum hæc verba adducit Augustinus *e*: *Nec virtus, cui vitiositas intelligitur esse contraria, posse creditur perfici, quia ingenerata vitia incredibile est posse consumi.* Et Julianus apertè lib. I. eorum, quos VI. libris Augustini opposuit *f*. *Originale peccatum, si generatione primâ nativitatis attrahitur, nuptias quidem à Deo institutas damnare potest: caterùm à parvulis auferri non potest: quoniam quod innascitur, usque ad finem ejus, cui à principiorum causis inhæserit, perseverat.*

d Apud Hier. T. 4. p. 12. edit. Bas. 1553.
e Pene initio lib. 2. contra Julianum.
f Apud August. contra poster. resp. Jul. lib. 1. cap. 52. pag. 71. & 72.

ANTITHESIS IX.

Catholici contrà negabant, doctrinam de corruptione naturæ efficere, ut, de perfectione desperantes, in pietatis cursu segnescamus. Nam, inquiebant, quod non habemus per naturam, hoc, partim in hac vitâ, partim in alterâ, per gratiam consequemur.

HIeronymus lib. II. adversus Pelag. *g* *Auferri non potest vitium insolitum, nisi per eum, cui omnia possibilia sunt. Unde loquitur ad eum, qui solus verus medicus est: Sana me Domine, & sanabor; salvum me fac Domine, & salvus ero: tu es gloria mea & spes mea.* Augustinus initio libri secundi priorum adversus Iulianum: *Nec perfectio est desperanda virtutis per ejus gratiam, qui ex origine vitiatam mutare potest, & sanare naturam.* Sed pluribus de hoc dicendum erit, cùm Catholicam, & Pelagianam τῆς ἀναμαρτησίας sententiam conferemus: quod quincto hujus operis libro fiet.

g P. 295. edit. Bas. 1553.

Præter hæc aliam quoque controversiam Pelagiani ex peccati originalis dogmate deducebant: videlicet de origine animæ. Nam, inquiebant, si creatur à Deo, quomodo ei recens productæ antiquum adeò peccatum imputatur? sin à parentibus propagari dicamus, quomodo non manifestè Ecclesiasticis dogmatibus adversamur? Sed de priori dilemmatis parte thesi & antithesi quartâ dictum fuit. De altero, quamquam putarit Augustinus, peccatum originale faciliùs posse defendi, si animarum propagatio agnoscatur; nihil tamen asseverabat, nec de eo controversari cum quoquam volebat. Quod satis hæc ejus verba ostendunt lib. III. contra duas Pelagianorum epist. cap. ult. *Addunt sanè, ad latebrarum suarum nebulas, Pelagiani, de origine animæ non necessariam quæstionem, ad hoc ut rei manifestas aliarum rerum obscuritate turbando, mollianur latendi locum. Ajunt enim, nos animarum traducem cum peccati traduce consuere. Quod ubi, & quando in eorum, quod defendunt adversus istos Catholicam fidem, vel sermonibus audierint, vel literis legerint, nescio.* Et mox: *Tam manifestum est secundum scripturas sanctas originale peccatum; ut quicquid de animæ origine cujuslibet inquisitione vel affirmatione disseritur, si contra hoc sit, verum esse non possit.* Imo & similiter in Synodicâ epist. scribunt Episcopi Africani in Sardiniâ exules *a*: *Quæstionem vero animarum aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum scripturarum auctoritas non manifestè pronunciat, cum cautelâ debet inquiri: maximè quod sine fidei detrimento potest à fidelibus ignorari.* Eadem mens Gregorii lib. VII. Epist. LIII. ad Secundum: *De origine animæ inter sanctos patres requisitio non parva versata est: sed utrùm ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit. Eamque in hac vitâ insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne non nascitur, cur in eâ carne, quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?* Sed de hac quæstione pluribus dicemus parte tertiâ hujus libri.

a Quæ Fulgentii præfigitur lib. tribus de Prædestinatione, editis Parisiis 1612.

Vidimus ut Pelagium, eò quòd peccatum originale negaret, varii variarum Ecclesiarum antistites damnarint, ac princeps omnium Hipponensis præsul B. August. quo nemo gratiam animosius & fortius defendit. Sed ut plenius intelligamus, quid Ecclesia tum temporis de hoc dogmate judicarit, operæ fuerit, si post Augustini, & aliquot aliorum κρίσιν, audiamus ἐπίκρισιν tum Conciliorum, quæ super hac re diversis orbis partibus habita sunt, tum Romanorum Episcoporum cum clero urbis, tum etiam Imperatoris.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ I.

Pelagianam de peccato originali sententiam damnarunt concilia: ut Carthaginense I, Diopolitanum, Carthaginense alterum, Milevitanum, Carthaginense tertium, Arausicanum II, & alia: sed ex his acta aliquorum deperierunt.

COncilium Carthaginense I. in Cœlestio damnabat: *Quòd peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano. Quod infantes qui nascuntur in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem.* Auctor August. de peccato originali contra Pelag. & Cœlest. cap. III. & IV. Concilium Palæstinum, seu Diospolitanum hæc damnavit in Cœlestio, ac Pelagium ipsum ad ea compulit damnanda: *Adam mortalem esse factum, qui, sive peccaret, sive non peccaret, esset moriturus. Quòd peccatum ejus solum ipsum læserit, & non genus humanum. Quòd infantes nuper nati in illo statu sint, quo fuit Adam ante prævaricationem. Quòd non per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. Infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam.* Auctores Alypius & Augustinus epist. ad Paullinum, & Augustinus libro de peccato originali, cap. XI. & de gestis Palæstinis cap. XI. & XXXIII. Provocat ad hoc concilium idem lib. II. posteriorum contra Iulianum cap. CII. *b* *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est in Episcopali judicio Palæstino? ubi Pelagius, vestri auctor erroris, procul dubio damnatus esset, nisi ista, quæ tu defendis, dogmata damnasset.* Similiter Patres concilii Carthaginensis II. Epist. ad Innocentium. *c* *Quicumque negat, parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Item concilii Milevitani Patres epist. ad Innocen. I. *Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur Christiana gratia*

b P. 305.
c Apud August. Epist. 90.

 sacra-

sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumtione contendunt, evacuantes quod dicit Apostolus a, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c.* Et mox; *His duobus, totum, quod Christiani sumus, nituntur evertere, non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam justitiam, sit noster adjutor, & non opitulari parvulis, ad consequendam vitam æternam, Christianæ gratiæ sacramentum.* Item Concilium Carthaginense III. (sive Milevitanum II. ut vulgò vocant) Can. I. *Placuit, ut quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Can. II: *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit. quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semet ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

Episcopi Africæ in Sardiniâ exules in epistolâ Synodicâ b: *De parvulis indubitanter tenenda Catholica regula veritatis: Quia parvulus, qui baptizatur, gratuita Dei bonitate salvatur; qui vero sine baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque justificationis gratiâ mortuus, est impiorum consortio deputatus: à quâ impietate sive parvulus sive majoris ætatis, solo quisque remedio eripitur, si Christi sanguine redimatur.* Item; *Illud observandum & tenendum, parvulorum animas nexu originalis peccati obstrictas: omnibusque necessarium esse sancti baptismatis sacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum, & amissa in primo homine, per secundum hominem recipitur adoptio filiorum.* Concilium Arausicanum II. Can. I. *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsâ durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur scripturæ dicenti, Anima, quæ peccavit, ipsa morietur* c. *Et, Nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis cui obeditis* d. *Et; A quo quis superatur, ei & servus addicitur.* Et Can. II. *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non etiam ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus hominum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti* e, *Per unum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et Can. VII. *Si quis alios per misericordiam, alios vero per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit: à rectâ fide probatur alienus. Ille enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certe ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semet ipsos posse conquirere.* Et Can. XIII: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari.* Et Can. ultimo: *Per peccatum primi hominis ita genus humanum est infirmatum, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit.* Similiter Concilium Toletanum VI. (quod Anno Dom. IↃCXXXVIII. ex Hispaniæ, & Galliæ episcopis coactum fuit) cap. I. *Ex tribus divinitatis personis solum filium fatemur ad redemtionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda à secreto patris arcanoque prodiisse.* His omnibus adde ipsum Oecumenicum Ephesinum: quippe quod etiam Pelagii & Cœlestii asseclas de munere deponi jusserit. Verba ejus alibi retulimus. Item Synodum Francofurtensem sub Carolo Magno a: *Ut vos eruat de angustiâ servitutis terrenæ, qui vos per baptismi gratiam à vinculo liberavit originalis delicti.* Et concilium Toletanum XII. quod anno habitum IↃCLXXXI: *Parvulorum infantium vita, originali peccato obnoxia, quæ nulli propter ætatem discernendi vel expetendi sensus aptior judicetur, nisi ex sponsione fidelium baptismi accipiant sacramentum, nullo sensu, nullâ etiam discretionis industriâ id appetere possunt.*

a Rom. 5.

b Quæ præmittitur libb. 3. Fulgentii de Prædest. primum edit. Parisiis an. 1612.

c Ezech. 18. 20.

d Rom 6. 16

2 Petr. 2. 19.

e Rom. 5. 12.

a Epist. ad Elipandum Toletanæ civit. metropol cujus initium, Gaudet pietas vestra.

ΕΠΙ'ΚΡΙΣΙΣ II.

Etiam Episcopi Romani, Innocentius, Zosimus, Cœlestinus una cum clero Urbis, Africanorum Patrum judicium probarunt. Bonifacius quoque, Xystus, Leo, Gelasius (ut solum nominemus eos, qui quinto sextoque seculo vixerunt) summâ ope studuerunt, ut contrarium Pelagii dogma radicitus evellerent ex orbe Christiano.

AD hoc Romanæ sedis judicium provocat August. lib. II. post. contra Julian. cap. II a. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam sedem?* Intelligit autem judicium Innocentii, & Zosimi: quorum ille rogatus à patribus Concilii Milevitani (quod & à Carthaginensi Concilio factum fuit) ut etiam Romanæ, atque, ut ipsi loquuntur, Apostolicæ sedis auctoritatem Concilii statutis addere vellet: in hunc iis modum de infantium baptismo, & ejus virtute in tollendo peccati originalis reatu, rescripsit: *Parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratiâ, posse donari, perfatuum est.* Et mox: *Qui vitam eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant, hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum.* Quæ verba etiam August. citat lib. II. contra duas Pelagianorum epist. cap. IV. Zosimus epist. ad Episcopos totius orbis: *Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione, & remissione verâ peccatorum, in omni sexu, ætate, conditione generis humani, eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus. sicut scriptum est; Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introducta, atque transmissa universæ animæ, illud propagatione contractum chirographum rumpitur; in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.* Citat August. epist. CLVII. ad Optatum. Exstat quoque in actis synodi Ephesinæ b epistola Cœlestini ad Nestorium, quâ eum laudat, quòd de originis vitio rectè senserit, neque naturam negarit culpâ obstrictam. Sic enim scribit: Ἀπεδεξάμεθα, ὅπως καλῶς πιστεύεις περὶ τῆς ἐκ γένους ἁμαρτίας, καὶ ὅτι αὐτὴν τὴν φύσιν δουλείας εἶναι κατέχεσθαι· καὶ τοῦτο δικαίως ἀποδίδωσι τῷ χειρογράφῳ, ὃ ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ χρόνου κατήγεται. Meminit hujus rei Photius quoque μυριοβίβλῳ cap. LIII. Ἐν τῇ πρὸς Νεστόριον Κελεστίνου τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης ἐπιστολῇ ἡ κατ᾽ αὐτῶν (Πελαγιανισμοῦ) ἐγκειται διαβολή. Sed quia etiam libellus

a P. 305.

b T. I. cap. 17. pa. 88. edit. Gr. Commel.

bellus iste, qui adnectitur epistolæ Cœlestini ad Episcopos Galliæ, jam olim creditus est ejusdem esse scriptoris, (de quo quid statuamus, libro primo diximus) sane apponamus & verba illa capitis IV: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdiderunt.* Et cap. XII: *Illud, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc vero appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.*

Xystus III. in versibus, quos super baptisterium Constantini inscribi jussit:

Cœlorum regnum sperate hoc fonte renati:
Non recipit felix vita semel genitos.

Quanquam hoc quoque Pelagiani utcunque fatebantur: at omnino iis repugnat, quod post pauca subjicit:

Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.

Nam per crimen patrium, originale intelligit.

Leo Magnus Epist. LXXXVI. ad Nicetam Aquiliensem: *Sed ab istis ideo naturalem industriam dicitur prævenire, ut quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata. Ideo etiam parvulos dicunt, si sine baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum Dei, vel ad vitam æternam sine ullâ cunctatione venire, cùm Apostolus dicat: Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit. propter quod & ipsi parvuli baptizantur.* Item serm. II. in natalem Domini, negat moriturum fuisse Adamum, si non peccasset. *Gloriabatur diabolus, suâ fraude deceptum hominem divinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam.* Ibidem: *Cùm in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, hæc inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic origo non miscuit.* Et Sermone IV: *Quam,* inquit, *naturæ suæ speciosissimam dignitatem si* (primus homo) *per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Idem serm. VI. in nativitatem Domini cap. IV. *Quicquid hominum in quacunque mundi parte credentium regeneratur in Christo, intercisо originalis tramite vetustatis, transit in novum hominem renascendo; nec jam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine salvatoris.* Gelasius, Epist. ad Piceni Episcopos, cum tria Pelagianæ sententiæ capita fecisset, (quæ ordine deinceps refellit) primum esse statuit, quòd docerent, *cùm in uteris matrum opere divino creentur infantes, justum non videri, quod factura Dei, sine ullis propriis actionibus, cuiquam peccato gignatur obstricta.* Secundum esse ait, quòd dicerent; *Parvulos sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari.* Vide & Gregor. M. lib. V. epist. XIV. ad Narsem Comitem & lib. VII. epist. LIII. ad Secundinum, & lib. IV. Moral. cap. II. Item epistolam cleri Romani apud Bedam lib. II. Historiæ Anglicæ cap. XIX.

ἘΠΙ´ΚΡΙΣΙΣ III.

Nec tantùm decretis Ecclesiasticis, sed etiam lege imperiali iste Pelagii error est condemnatus.

HOnorius imperator lege adversus Pelagianos a: *Hujus impiæ commentationis auctores Pelagium, Cœlestiumque percrebuit extitisse. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuaque semper majestate, & ter omnipotenti ultra omne principium transeunti, tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignant, ut cùm formandi mundi opificem curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profundâ spiritus conceptione libraret, fundati muneris fides* b *anteferret exordium* c, *& mortem præmitteret nascituro* d, *non hanc insidiis veteris fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilis constituti: ad declinandum leti exitialis incursum nihil prodesse abstinentiam delinquendi, cujus ita vis putatur adstricta, ut non possit aboleri deinceps: primitivi hominis errorem, in quem capta mentis, inops rationis cæcitas irruisset, dilapsum ad posteros non fuisse; tantumque apud eum, quem malesuada gratiæ infelix rapuisset illecebra, transgressionem interdicti extitisse, & discriminis: cùm evidens Catholicæ legis omnifaria testetur auctoritas, illum interitus omnium fuisse vestibulum, quem divinæ præceptionis sodulum liqueat corrupisse mandatum.* Ubi quod dicitur, trucem fore inclementiam Dei, si, quemadmodum Pelagiani volunt, finem exordio, mortem nativitati præmittat; id propriè eò respicit, quòd Adamum fuisse moriturum dicerent, licet non peccasset. Interea agnoscimus, si de temporali hoc morte absurdum adeò Imperatori visum est, ut lege adversus eum errorem cautum vellet, multo minùs probaturum fuisse, si Deus ad æternam mortem prædestinare quemquam diceretur, quem non consideraret tanquam peccatorem. Quam cùm Augustini esse opinionem crediderit Julianus: quid mirum, si nec dicere dubitarit, edicto illo damnari, quæ de Prædestinatione doceret Augustinus? Audiamus præstantissimum doctorem penè initio lib. III. contra Julianum: *Sanè ut dicis, si pro vobis potius ab imperatore responsum est, cur non in medium prosilitis, & hoc ultro publicis potestatibus allegatis, vos esse, monstratis, quorum Christianus princeps approbarit fidem? Verum si Dei legem, non sicut sese habet, sed sicut vobis placet, intelligitis: quid mirum, si & de lege imperatoris hoc facitis? Sed hæc te alias executurum plenius polliceris. Quod si feceris, aut redarguetur, sicut insidiosum; aut contemnetur, sicut inane, quod fateris.*

a Apud Baronium in Annal. Tom. 5. p. 422. edit. Mor. an. 1602.

b L. finem.

c Leg. exordio.

d Post nascituro interferendum dicentes, vel simile quid.

APPEN-

APPENDIX
DE SEMIPELAGIANIS.

De peccato originali Massilienses sive Semipelagiani cum Catholicis consentiebant.

PRosper epist. ad Augustinum: *Ipsorum definitio ac professio est, omnem hominem, Adam peccante, peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam, regeneratione salvari.* Hilarius ad eundem: *Consentiunt, omnem hominem in Adam periisse, nec inde quenquam posse proprio arbitrio liberari.* Et ex his August. lib. I. de prædest. sanct. cap. I. *Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia caritas vestra,* (Prosperum & Hilarium alloquitur) *ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi hominis, aliquem liberari.*

a Cap. 39. Etiam Prosper carm. de Ingratis *a*, Massilienses hac parte separat à damnatis, hoc est Pelagianis.

Non igitur cum damnatis sentire videntur,
Cum dicunt, mortem in cunctos transisse per unum
Primum hominem, cujus crimen resperserit omnes:
Nec quenquam in vitam æternam, nisi fonte renatum,
Venturum, infantesque reos hoc munere solvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.

Et sanè originale peccatum disertim agnoscit Cassianus coll. XIII. cap. VII. Ubi cùm verba Christi adduxisset Matth XI, *Venite ad me omnes*: subjungit, *Si non omnes universaliter, sed quosdam, advocat, sequitur, ut nec omnes sint onerati, vel originali vel actuali peccato; nec vera sit illa sententia, Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei; nec per omnes homines mors pertransisse dicatur.* Item Faustus lib. I. de grat. & lib. arb. cap. XV: *In baptismo peccatum originale aboletur, & firmum esse baptismum comprobatur, ubi individua Trinitas invocatur.* Vide eundem epistolâ ad Paullinum *a*. a Tom. 3. bibl. pp. ed. 2. col. 406.

LIBRI SECUNDI
PARS TERTIA;
De Problematis quibusdam, in quibus vel obscura, vel dissidens est Patrum sententia.

EX iis, quæ de peccato originali hactenus diximus, clarè cognosci potest, quid Pelagiani senserint, & in quibus Catholici adversus eos consenserint. Quamquam verò de ipso doctrinæ capite probè conspirent Patres; tamen in eo tuendo intercurrunt quæstiones nonnullæ, de quibus, ob obscuritatem earum, vel judicium suspendant, vel alii ab aliis dissideant ac varient. Sunt autem quæstiones istæ potissimùm quatuor.

Prima est, Utrùm peccatum originale sit aliquid positivum, an privatio mera. Et quomodo propagetur.

Altera est, an sit peccatum propriè dictum.

Tertia, Num omnes, qui ex Adamo generatione descendunt, nascantur in peccato originali, an excipi debeat mater Domini.

Quarta, Num peccato huic debeatur pœna sensus, an damni; & utrùm parvuli, qui citra baptismum vitâ excesserint, certò priventur gloriâ cælesti.

Sunt sanè quæstiones istæ istiusmodi, ut earum intelligentia, partim ad meliùs intelligendos Patres, partim ad dogma ipsum clariùs cognoscendum, lucis multum adferre possit. Quocirca nec defugiemus laborem, quo minùs, quæ de his observavimus ex antiquis, ea nunc in medium proferamus.

THESIS I.

Plerique veterum ita loquuntur, quasi peccatum originale censeant esse aliquid positivum, sive habitum, sive aliam qualitatem. Quæ sententia non videtur aliter defendi posse, quàm si horum alterum statuamus, vel animas traduci, & in earum generatione simul ingenerari peccatum: vel creari quidem illas à Deo, sed infici à semine, vel carne. Quorum utrumque à nonnullis veterum creditum fuit. Sed plurimi, & hoc, & illud rationi rectæ videtur repugnare: qui iccirco dicere malunt, peccatum hoc esse privationem meram, nempe justitiæ originalis carentiam, sive potius habitualem à Deo aversionem ex defectu originalis justitiæ promanantem. Et pro hac sententiâ est, tum quòd Patres sæpe peccatum hoc constituant in amissione gratuitorum donorum, & favoris divini; tum quòd aliòqui consequi videtur, vel propagari animas, vel spirituale à corporeo infici posse, tum denique, quòd credendo, formaliter esse privationem meram, non minus commodè omnium hujus peccati effectuum caussas reddere possumus, quàm si illud aliquid esse positivum dicamus.

QUæstio est πολυθρύλητον, an anima cum corpore propagetur, & quæ sit caussa physicè efficiens peccati originalis. Mirè eâ Augustinum vexavit Julianus. Ut posterioris responsionis lib. II *a*. cap. XXIV. ubi ait: *Per quid hoc peccatum invenitur in parvulo? per voluntatem? at nulla in eis fuit. per formam corporis? sed hanc Deus tribuit. per ingressum animæ?* a P. 219.

ma? sed nihil debet semini corporali, quæ nova à Deo conditur. Per nuptias? sed hæ pertinent ad opus parentum, quos in hoc actu non peccâsse promiseras a. quod si non verè id concesseras, ipsæ sunt execrandæ, quia caussam fecerunt mali. Paullo pòst *b. Certè non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit. per quas rimas, inter præsidia innocentiæ, peccatum fingis ingressum?* Et cap. XXVIII. *c: Te enim dante, à Deo fieri homines, & esse conjuges innocentes, & parvulos per se nihil operari; his tribus sumtis, irrefutabiliter inlatum est, cùm non peccet ille, qui nascitur,* (hoc inseri debere, patet ex loco antè citato) *nec peccet ille, qui genuit, non peccet ille qui condidit; nullam remansisse rimam, per quam peccatum doceatur ingressum. Tibi ergò displicet, quod collectum est: abnue quod dedisti, & dic, aut illum peccasse, qui genuit, aut illum, qui condidit, aut istum, qui natus est: ex quibus unum insanum est, aliud Manichæum, tertium supra Manichæos: insanum, si dixeris, delinquere parvulos: Manichæum, si accusaveris conjuges: supra Manichæos, si peccati Deum existimaris auctorem.*

a F permiseras.
b P. 230. citat & hæc verba Hugo de S. Victore in cap. 3. ad Rom.
c P. 235. & 236.

Ut huic Iuliani argumento occurri debeat, certant Theologi, & adhuc sub judice lis est. Nam aliter respondent, quibus placet, formale originalis peccati esse reale ac positivum quiddam; aliter, qui nudam esse privationem arbitrantur. Nec quibus placet, esse positivam qualitatem vitiosam, satis inter se convenit. Aliqui enim, uti corpus à corpore formatur, ita animam statuunt ab animâ accendi, ac sicut è leproso parentum corpore lepram trahunt liberi, ita à spirituali leprâ, quæ parentum animis inest, leprâ infici animas liberorum.

Hanc sententiam ætate nostrâ secutus fuit egregius Theologus, Georgius Sohnius Tom. II. Loc. de peccato originis, & Nob. ac Cl. Vir Philippus Marnixius Sanct-Aldegondius. Nec patronis ex antiquitate destituitur. Nam, ut Hieronymus scribit epist. XLV. ad Marcellinum & Anapsychiam, *quomodo corpus ex corpore, sic animam nasci ex animâ, Tertullianus, Apollinarius, & maxima pars Orientalium autumavit.* Neque Rufinus ab hac sententiâ abhorruit: quando eum hoc nomine perstringit Hieronymus lib. II. *d.* apologiæ, quam adversus eum instituit. Imò Augustinus, etsi probare apertè non auderet; tamen commodissimam putabat viam ad originale peccatum defendendum. Sic enim scribit epist. CLVII. ad Optatum: *Se neque legendo, neque orando, neque ratiocinando invenire potuisse, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur.* Pluræ ibidem vide. Etiam eundem vide epist. XXVIII. ad Hieronym. lib. X. in Genes. ad litt. cap. XXIII: & lib. I. Retract. cap. I.

d Non longe ab initio.

Verùm maxima Latinorum Theologorum pars censent, animas quotidie à Deo fieri, inque corpora mitti: quæ & Aristotelis sententia fuit, ut qui secundo de generat. animal. *e* disertim dicat, τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. *mentem solam extrinsecus accedere, solamque esse divinam.*

e Cap. 2.

Qui ex Theologis hanc sententiam sequuntur, ii, si animas ex origine suà infectas esse putant qualitate positivâ, dicere solent, eas à Deo creari absque ullo vitio; verùm quemadmodum vina vasi acido infusa acescunt, ita animas corpori vitioso infusas, ipsas quoque fieri vitiosas.

Hæc enim mens est verborum Augustini lib. V. adversus Julianum cap. III. *Profectò aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tanquam in vase vitiato, corrumpitur. ubi occulta justitia divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco, quàm dico, ne audeam dicere, quod nescio.*

Sed quod Augustinus dicit, animam à corpore infici, id non uno modo explicant: imprimis à doctoribus scholasticis. Plerique existimant, carnem infectam, animæque junctam, infectione suà efficere, ut anima immoderatè flagret carnalibus desideriis: eoque concupiscentiæ sedem animam quidem esse fatentur, sed ut carni est unita.

Alii, ulterius adscendentes, addunt, non demum infici animas à carne, quando caro perfecta jam determinata sit ad personam: sed vitium hoc, jam antequam caro sit perfecta, profluere ab instrumento generationis, quæ est naturæ actus generationi ejus inserviens: ut nempe naturæ corruptio non quidem formaliter, sed tamen caussaliter insit semini, cui communicata sit qualitas quædam vitiosa: hujus autem virtute maculetur anima omnium illorum, qui per carnalem propagationem ab Adamo originem trahunt.

Sed huic sententiæ alii obduerunt, quòd fieri nequit, ut res corporea realem ac positivam qualitatem transfundat in substantiam spiritualem. Nec, inquiunt, obstat, quòd pro temperamento diversi sint hominum mores: atque ex vulneribus etiam aut morbis immutetur hominum natura. Nam, pro temperamento quidem ac dispositione corporis organici, variare possunt animæ actiones: sed negant inde consequi, ut à re corporeâ, sive ea semen, seu caro perfecta esse dicatur, infici possit anima reali ac positivâ qualitate.

Qui verò priorem sententiam tuentur, ad hoc respondent, omnino a re corporeâ animæ imprimi posse qualitatem positivam. Ut cùm ex vulnere oritur corporis dolor; ex dolore, animi tristitia. Ergò, inquiunt, νοῦς quidem est ἀπαθής, at ἡ ψυχὴ videtur παθητική, ac proinde suscipere quasdam ex corporis contagio qualitates.

In tanto rationum conflictu etiam de Augustini mente disputatur. Qui animæ negant qualitatem positivam imprimi posse, etiam Augustinum ajunt peccatum hoc constituere solùm in privatione, proque hac sententiâ adducunt varia loca, quibus hoc consistere ait in amissione gratiæ divinæ. Ita lib. I. de peccatorum meritis & remiss. cap. XVI. ait: *Quando peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus gratiam perdidit, quâ ejus animæ omni ex parte obediebat: tunc ille exstitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in suâ erubuit nuditate. Ex hac igitur inobedientiâ carnis, ex hac lege peccati & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet.* Et lib. IV. in Julianum cap. ult. *Quid est, gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Idem repetit lib. II. de Genesi cap. XXXI. & lib. XIII. de civit. Dei cap. XIII.

Ex horum igitur sententiâ, quibus, ut diximus, peccatum originale mera est privatio, frustra ejus caussa efficiens quæritur. Provenit quidem vitio principii productivi (Adamus enim per proximos progenitores talem communicavit naturam, qualem ipse habuit post peccatum, eoque unà cum naturâ simul vitium naturæ transfudit.) verùm hæc transfusio facta non est malitiam aliquam ingenerando, sed solùm propagando naturam; hoc est, non effectivè, sed meritoriè, quia talis a Deo animæ infunditur, qualem infundi Adami culpa merebatur.

Omnino certè necesse esset Adamum transmittere peccatum originale in posteros moraliter, sive per modum meriti; aut efficienter, sive ad modum caussæ physicæ. Tertium dari non potest. Atqui efficienter peccatum illud non propagat. Nam id quod nec actu est, nec virtute, id physicè operari non potest. Atqui Adam & peccatum ejus, nec actu sunt, nec virtute. Actu non esse, liquet. Virtute verò esse, dici non potest; nisi statuatur esse in virtute seminis. In eo autem non potest esse virtus aliqua caussativa peccati. Non igitur vel actu, vel virtute est: eoque nec potest Adam physicè peccatum hoc operari. Quare superest ut dicatur, Adam id moraliter operari: quatenus nempe per actum moralem ac liberum sibi ac posteris meritus est privationem justitiæ originalis. Quamquam autem Adam directè non physica, sed solùm moralis sit originalis peccati caussa: tamen indirectè etiam physica ejus caussa dici potest, quatenus nempe est realis caussa illius caussæ, ad quam privatio justitiæ

consequitur. Nam quemadmodum ad dealbantis actum privatio nigroris consequitur; similiter ad actum ejus de ligno vetito, cujus Adam caussa erat, privatio justitiæ originalis consecuta fuit.

Nec ullius videtur ponderis, quod objectant: si anima non traducatur, non posse eam alteri demereri. Nam etsi potentia generativa non extendat se, nisi ad carnis generationem, per modum efficientis; intentio tamen naturæ ad totum fertur compositum; cùm homo non carnem, sed specie sibi simile, hoc est hominem, generare proponat: ac proinde, licet Adam non potuerit demereri animæ, ut separatæ; potuit tamen demereri, ut unitæ. Ideircò a Deo creatur anima, qualem ipse produceret Adamus, si cum solo auxilio generali ut totum hominem, sic totum hominis generaret. Hoc est, infunditur anima spirituali gratiâ penitus destitua: qualis quæ est, ex eo quòd corpori ab Adamo propagato conjungitur, participando Adami naturam, etiam participat aversionem à Deo, quia unumquodque, quod recipitur, ad recipientis modum & meritum recipitur. Quid mirum enim, si & in generatione hoc locum habere dicamus, quando etiam personales individuorum proprietates sæpe transeunt in prolem? ut sunt ingenii vigor, morum facilitas, verecundia, industria, stupor, iracundia, aliaque: utut pro diversa generantium, cæli item & soli constitutione, hæc varient interdum.

Nec tamen hoc sic accipi debet, quasi vitium hoc propriè propagari dicant. Tantùm enim volunt, ad modum propaginis transire, & sequi proprietatem naturæ. Cujus caussa intelligitur ex iis, quæ jam diximus. Quia nempe sit privatio mera: non habitus, aut quodcunque accidens positivum. Durat quidem multum diuque, prout in habitibus fit: etiam habitus instar (sed indirectè & per accidens) inclinat animum ad actus vitiosos: unde & κατὰ μεταφορὰν habitus dici & potest & solet. Sed habitus proprii nominis esse nequit: quia nec est habitus infusus, quales sunt à Deo: nec acquisitus, quales non cadunt in infantes: nec naturalis, quia omnis omnino natura & entitas à Deo est. Unde nec aliam esse qualitatem positivam cognoscitur. Et quid attinet, ab ortu ipso statuere in homine accidens positivum malum, quo abripiatur ad peccandum: si absque eo omnium peccati originalis effectuum non minus caussa reddi potest, dummodo in homine privatio justitiæ originalis & favoris divini constituatur? Quemadmodum enim ex ferro oritur rubigo, si oleum & cura hominis absint: quemadmodum lapis, in sublimi ligatus, gravitate suâ deorsum fertur, si vinculum solvatur: quemadmodum equus ferox, amisso freno, præceps currit, equitemque sæpe excutit: neque ad hujusmodi effectus aliis caussis physicè operantibus opus est, quàm naturâ rei, & illius defectu, cujus præsentiâ effectus impediebatur: similiter quoque ea est animæ natura, ut si justitia originalis & gratia Dei absint, spirituali quasi rubigine obducatur: pondere quasi suo in res terrenas feratur: ferocis instar equi, excusso equite, quà data via, cursu mat incitatissimo.

Ut hoc plenius intelligatur, distinctè agendum est, de duplici animæ facultate, unâ superiori λογικῇ, alterâ inferiori ἀλόγῳ, quæ nobis cum bestiis est communis. Superior, si justitia originalis & specialis gratia adsint, præstat ut humanus intellectus rectè possit agnoscere Dei naturam, voluntatem, opera: & voluntas quoque ac appetitus consentire possit Deo ac legi naturæ. At cessante illac Dei gratiâ, naturâ suâ cæcutit intellectus, sic ut non monstret voluntati bonum spirituale, vel monstret sub specie mali: quod fit, quoties de supernaturalibus non cohibet judicium, quod fieri oportebat; sed de his ipsis sententiam ferre amat, utut ea videre non possit, cùm naturalis cognoscibilitatis περιφέρειαν longissimè excedant.

Et sic quidem fieri censent, ut superior facultas, originalis expers justitiæ, Deo soleat rebellare.

Inferiorem autem facultatem, sive concupiscentiam, docent per se esse indifferentem ad bonum malumve concupiscendum, ut quæ naturâ appetat, quod sensibus ablanditur, quale quale illud sit: idcirco rationem homini à Deo datam, quæ concupiscentiæ esset moderatrix: ac in statu quidem integritatis ab justitiâ originali sic eam frenari potuisse, ut facile obsequeretur rationi: in statu verò corruptionis, freno hoc justitiæ amisso, ferocis instar equi lascivire: ac posse quidem à dominâ ratione multum cicurari, at nunquam penitus perdomari; adeò ut universâ vitâ cum eâ sit decertandum: hanc concupiscentiam omnino esse vitiosam, cùm sit appetitus à lege creationis deflexio, per quam magis dispositus ac propensus redditur ad rebellandum, quam parendum rectæ rationi: at eam appetitus deordinationem non effici a Deo, cùm secundum se sit privatio, eoque caussam habere quidem deficientem possit; efficientem autem, nisi meritoriam, (quæ est Adami inobedientia) habere non possit: ab hac verò inordinatione virium inferiorum, non quidem directè & per se, cùm sit privatio, uti diximus, sed secundariò & per accidens, ebullire actus vitiosos: non tamen proclivitate hac ad peccandum induci istiusmodi peccandi necessitatem, quasi ratio non possit concupiscentiam vincere; sed actus moraliter vitiosos ex hac pronitate peccandi liberè elici: eoque evitabiliter hominem peccare, si non in universis, saltem in singulis; si non in singulis simpliciter, saltem singulis extra gravem aliquam tentationem; & si nec in his, quod ad primos motus, qui assensum antecedunt, nec in hominis sunt potestate, saltem quod ad voluntatem perfectam, quæ imperat exteriorem actum.

Horum verò evitabilium actuum consuetudine censent generari in homine habitum vitiosum: quemadmodum etiam scribunt Athanasius orat. contra Gentes *a*: Εἶτα, οἷα φιλεῖ γίνεσθαι, ἅπαξ ἐκ τούτων ἐπιθυμίαν λαβόντες, *a T. 1. p.*
ὑπέσχοντο καὶ τὴν πρὸς αὐτὰς σχέσιν ἔχειν. *Deinde, ut fieri solet,* *3. edit.*
frequenti usurpatione vetitarum cupidinum, in habitum *Commel.*
tandem occalluerunt. Item Basilius homiliâ in 1. Psalm. *b.* *b Gr. p.*
Τὸ φιλοπόνως προσδιαλέγεσθαι ταῖς ἁμαρτίαις, ἕξιν τινὰ *58. edit.*
δυσκίνητον ταῖς ψυχαῖς ἐμποιεῖ. παλαιωθὲν γὰρ τὸ πάθος ψυ- *Basil. ult.*
χῆς, καὶ κακῇ μελέτῃ χρόνῳ βεβαιωθὲν, δυσίατόν ἐστιν, *Lat. p 68.*
ἢ ἀνίατον παντελῶς, εἰς φύσιν ὡς τὰ πολλὰ τοῦ ἔθους με- *edit. Nur.*
ταπεσόντος. Diuturna exercitatio peccatorum, præsertim studio si fit, & certâ destinatione, animabus solet habitum ingignere vix unquam desiturum & ægerrimè mobilem. Animæ enim morbus ubi vetustus jam, mali item exercitatio simul atque occalluit diuturnitate, vix ullam admittit medelam, aut certè immedicabilis fit prorsus: quum in his, ut in plerisque aliis, consuetudo mutetur, & abeat in naturam. Quibus & Hieronymus subscribit, cùm imitatione disci injustitiam scribit extremo propè libro secundo adversus Pelagianos. *Singulos enim insidiari amicis, & fratrem à fratre decipi: & hoc facere non natura malo, sed propriâ voluntate, quia docuerunt linguam suam mendacium, & proni feruntur ad injustitiam. Si Æthiops, ait, mutaverit pellem suam, & pardus varietatem suam, & vos poteritis facere bonum, cum didiceritis mala. Ergo pellis Æthiopica & pardorum varietas disciplinæ est, non natura, quæ docetur & discitur: tamen auferri non potest vitium noliti mali, nisi per eum cui omnia possibilia sunt.* Cui geminum videtur illud Augustini Tom. 1. lib. VIII. confess. cap 5: *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversâ, facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus.*

Juxta hos igitur statuendum est, aliter actus vitiosos esse à voluntate, aliter à concupiscentiâ, hoc est concupiscentiæ excessu: aliter item concupiscentiam esse a naturâ animæ, aliter à carentiâ justitiæ originalis: carentiam

deni-

denique aliter esse à Deo, aliter ab Adami peccato. Vitiosi enim actus sunt propriè à voluntate libere eos efficiente per modum principii activi & interni: à concupiscentiâ, hoc est peccandi pronitate, solùm inclinativè per modum principii objectum intus proponentis & ad istud incitantis. Concupiscentia verò propriè est ab animæ naturâ; haut aliter ac rubigo à ferro. A carentiâ autem justitiæ originalis est per modum removentis obitaculum, quomodo rubigo est ab humanâ voluntate ferrum non curante. Neque tamen sic est ab hac carentiâ, quasi affectus rebellare non possit rationi, ubi originalis justitia adest; (contrarium enim ex Adamo liquet, & angelis malis) aut quasi affectus rationi parere non possit, ubi ea adest: (quod & rationi & experientiæ repugnat) sed quia (quod in homine integro locum non habebat) sic effrenis lascivit, ut sæpe rationis imperium antevertat, plurimùm adversus rationem insurgat, ac, nisi diligenter à ratione valletur, facilè aurigam rationem curru excutiat: in graviori tentatione semper sit superior, nisi ratio speciali juvetur Dei adjutorio. Denique carentia originalis justitiæ, quà carentia est rei debitæ inesse, ab Adamo est, ut causâ meritoriâ: quà verò simplex carentia est, à Deo est, tum ut justo judice, tum ut libertimo donorum suorum dispensatore. Libertatem ejus ostendit, quòd, cùm homo sit ens naturale, potuit eum Deus, ut in brutis fecit, condere ad finem naturalem; ad cujusmodi finem non fuisset ei opus justitiâ originali: verùm tum defectus iste non fuisset vitiosus, neque potuisset Deus exposcere ab homine, quæ naturam ejus excedunt; cùm nemo ad id vel Deo ipsi obligetur, ad cujus præstationem nec à se, nec in primo parente vires accepit. Ad judicium verò Dei pertinet, quòd, cùm illud posset absolutè, nunc fecit relatè, hoc est propter delictum primi nostri parentis: quo respectu carentia illa originalis ab Anselmo dicitur, non simpliciter justitiæ carentia, sed justitiæ inesse debitæ, utpote naturæ à Deo collatæ, sed in primo parente amissæ. Pleraque omnia eorum, quæ hactenus diximus, illustrabimus loco Bonaventuræ in lib. II. cent. dist. XXXII. quæst. I. Vbi sic scribit: *Dicendum, quod dupliciter loquimur de ipsâ concupiscentiâ. Aut secundùm quod est pœna, aut secundùm id quod est concupiscentia. Si loquamur de ipsâ, secundùm quod est pœna, sic dicit ordinem ad culpam: & hoc modo habet caussam promerentem & caussam ordinantem. Meretur enim homo habere talem rebellionem ex suâ culpâ, & inobedientiâ. Deus verò hoc malum ad aliud praexistens ordinat ex suâ justitiâ. Alio modo loqui possumus de concupiscentiâ secundùm id quod est, & sic concupiscentia duo dicit. Dicit enim appetitum, dicit nihilominus in actu, appetitus excessum. Appetitus, inquam, ille substratus bonus est, & à Deo est. Excessus autem ille in appetendo, etsi videatur esse positio, magis tamen est privatio; nec habet caussam efficientem, sed deficientem, & ideo quòd Deus nullius est caussa deficiens, hoc modo non ponitur esse à Deo, sed potiùs à libero arbitrio per culpam deficientem, & à diabolo instigante. Quod autem concupiscentia ratione excessus privationem dicat, quamvis videatur dicere positionem, hoc planum est. Hoc enim est concupiscentia respectu virtutis appetitiva, quod est paralysis respectu motiva. Et quemadmodum membrum paralyticum tremulum est, & movetur velocissimè, & hoc non provenit ex virtutis augmento, sed potiùs ex virtutis detrimento: nec ex virtutis robore, sed potiùs ex dissolutione: sic in concupiscentiê intelligendum est, quòd appetitus in amore rei temporalis exardescit, nec potest se ipsum continere: imò in continuo motu & concupiscentia intentione consistit: hoc, inquam, intelligendum est provenire ex defectu retinaculi, sicut moventur feræ, ruptis vinculis, & naves, destructis gubernaculis.*

THESIS II.

Etiam quæri solet, an peccatum originale, judicio antiquitatis, sit peccatum propriè dictum. Sed habet hic illud Philosophi locum: Οὐκ ὀκνητέον τοῦ διαιρεῖν. *Nam veteres nonnunquam per peccatum originale intelligunt peccatum primum; quod quin peccatum sit propriè dictum, nemo ambigit. Interdum etiam eâ appellatione complectuntur tum primum peccatum, quà imputatum; tum vitium naturæ, quod merito primi peccati in omnes transmittitur. Sed sic quoque res plana est, quia si primum peccatum seorsim consideratum propriè dicitur peccatum, nec veri nominis peccatum negari debet, cùm naturæ vitium comprehendit. In eo igitur potissimùm cardo quæstionis consistit: An, cum originale peccatum ponitur pro solâ aversione à Deo, quæ ex originalis justitiæ privatione manat, & habitualem inferiorum virium rebellionem adversus rationem & voluntatem secum trahit; proprii nominis peccatum dici possit. Peccatum sanè vocat Augustinus, &, quod amplius, dicit, non tantum μετωνυμικῶς peccatum esse, puta quatenus illud & effectus est peccati primi, & caussa actualium peccatorum: verùm etiam in se ipso consideratum. Sed adversus hoc objicitur, quòd omne peccatum secundùm se sit voluntarium. Respondent ex Augustino, esse istiusmodi, quatenus Adami peccantis voluntas est omnium nostri, utpote communis principii voluntas. Sed hoc pacto videtur peccati originalis nomine simul complecti peccatum imputatum: de quo, ut antea diximus, quæstio non est. Sin solum naturæ vitium intelligimus, cùm Adami voluntas nostra non formaliter, sed solùm interpretativè: jam non aliud hinc colligi potest, quàm vitium hoc ex actu voluntario promanare; ipsum autem formaliter esse voluntarium, minimè consequitur. Quare nec stricta illa peccati notio ei conveniet: sed propriè vitium potiùs dici debebit, quomodo in moralibus actus vitiosi ab habitu vitioso discernuntur. Et videntur Patres, quando adversus Pelagium & ejus asseclas contendunt, concupiscentiam esse peccatum, non aliud voluisse, quàm non omne, quicum nascimur, esse à Deo, eoque non esse aliquid laudabile, ut Pelagiani putabant, sed etiam à vitioso principio generando transmitti vitiosum fructum, vitiosos in nobis effectus caussantem. Interim fatendum, vitium hoc laxè etiam peccatum dici posse; nempe ut peccati voce utamur pro quacunque nostri inordinatione morali à supremâ regulâ. Est enim peccatum originale moralis deflexio à lege creationis. Atqui Dei voluntas erat, ut Adamus originalem justitiam & sibi & nobis conservaret. Nunc, propter ejus prævaricationem, nascimur primævâ justitiâ & sanctitate orbati, aversi à Deo, & ad res caducas conversi. Quare hoc vitium naturæ, etsi secundùm se voluntarium non sit, peccatum tamen erit, quia peccatum eâ, quam diximus, notione, & morale vitium, & vitiosos actus comprehendit: eoque sensu non tantùm extrinsecâ denominatione ab ortu nostro peccatores dicimur; sed etiam ratione peccati proprii; quæ denominatio intrinseca est.*

UT constare possit, num veteres, cùm peccati originalis meminerunt, proprii nominis peccatum intellexerint; ante omnia considerare oportet, num eâ appellatione solum naturæ vitium designent, an insimul comprehendant peccatum primum, quatenus omnibus imputatur. Nec enim existimandum est, veteres

per peccatum originale semper intelligere aliquid nobis suo modo inhærens. Nam interdum utrumque, sæpè etiam solum intelligunt primorum parentum peccatum. Quomodo loquitur Nicolaus Lyranus in cap. v. ad Rom. Atque etiam Augustinus ipse de verbis Domini serm. x. *Recordare* originale *peccatum Adæ, in quo omnes morimur.* Item contra Iul. lib. vi. c. xii. *In uno homine omnes homines peccâsse intelliguntur* originaliter, *& tamquam in massa unione communiter.* Et lib. i. Retract. cap. xv. *Quod dixi, nusquam, nisi in voluntate, esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictum putare, propter parvulos, quos ideo negant habere peccatum, quod eis in baptismate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis utuntur. Quasi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus* originaliter *trahere, id est, reatu ejus implicatos, & ob hoc pœna obnoxios detineri, usquam esse potuerit, nisi in voluntate: qua voluntate commissum est, quando divini præcepti commissa est transgressio.* Clarè docet, peccatum, quod originaliter trahimus, quodque in baptismate parvulorum remittitur, esse ipsum Adami peccatum: rectéque dici voluntarium, quia commissum est voluntate primi parentis, in quo omnes eramus. Similiter usurpat, quando peccato originali opponit supplicium ejus, ac hujusmodi esse ait carentiam originalis justitiæ, & ejus effectum, habitualem inobedientiam, sive vitium, aut morbum, aut languorem naturæ. Prosper certè resp. ad objectiones Vincentianas, Art. 1; *Contra vulnus*, inquit, *originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum & potens remedium est mors filii Dei.* Et ante eum Augustinus lib. xiv. de Civit. Dei, cap. xv; *In illius peccati originalis pœnâ, quid inobedientiæ nisi inobedientia retributa est? nam quæ hominis est alia miseria, nisi adversus eum ipsum inobedientia ejus; ut quoniam, quod potuit, noluit; quod non potest, velit?* Ubi peccato originali opponit suam pœnam, quam vocat inobedientiam. Per inobedientiam verò intelligit concupiscentiam sive languorem naturæ. Ut liquet ex lib. v. in Iulianum, cap. iii: *Concupiscentia pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientis.* Et lib. xv. cap. vi: *Languor est quippe iste, id est, illa inobedientia, de quâ in libro decimoquarto disseruimus, primæ inobedientiæ supplicium.* Et T. 3. de continentiâ cap. vii: *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit: quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit: sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Carentia hæc originalis justitiæ omnino peccatum est. Nam quomodo non peccatum sit, gravemque Dei vindictam commereatur, carere eâ gratiâ quâ fueris donatus? Apoc. ii, 25. præcipit Spiritus ecclesiæ Thyatirensi, *Tene quod habes.* Et cap. iv. reprehendit ecclesiam Ephesinam, *quòd primum amorem perdidisset.* At si amissio gratiæ repugnat voluntati divinæ, quomodo ea peccatum non sit? Nihil sanè magis intrinsecum peccato, quàm expellere gratiam. unde Apostolus 2 Thessal. v. monet, ne peccando spiritum exstinguamus. Et David Ps. li. rogat post peccatum, ut sibi spiritus restituatur. Nec eo minus peccatum est, quia peccati sit effectus. Quemadmodum enim ignis calor in homine producit calorem propriè dictum: similiter & peccatum producit in homine propiè dictum peccatum, carentiam nempe gratiæ quam accepimus.

Quodsi veteres per peccatum originale sæpius intelligunt, vel solum peccatum primum, quod nobis imputatur, vel vitium naturæ unà cum primo peccato, ut caussâ sui, consideratum: negari profectò nequit, eos nomine peccati originalis intellexisse peccatum propriè dictum. Verùm nec rarò est, cùm iidem hoc nomine signant solum naturæ vitium ac languorem, quam concupiscentiam κατὰ συνεκδοχήν vocare solent.

Quare altera hic oritur quæstio, an peccati vocabulo propriè utantur, cùm solum hoc naturæ vitium intelligunt. Sanè non convenit ei definitio illa Augustini lib. xxii. contra Faustum cap. xxvii. ubi peccatum definit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Imò, nec convenit ea appellatio notione illâ qua usurpat Apostolus Iacobus, cùm cap. i. ait: *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus. Deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum. Peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi quatuor hæc distinguuntur, concupiscentia, sive pronitas peccandi, & tres ejus motus, suggestio, delectatio, & consensus; uti eos vocat Beda commentans in hunc locum, & ante eum Gregorius M. Homil. xvi. in Euangelia. Suggestio est actus involuntarius, nempe apprehensio rei delectabilis, quæ animam abstrahit & illicit. Huic accedit delectatio, cum imperfecto consensu. Ac tum concupiscentia dicitur concepisse. Estque id inchoatum peccatum. Postremus actus est perfectus consensus: quod est peccatum consummatum: mortemque meretur, utut non accedat actus externus: quemadmodum docemur quoque illo Christi Matth. v. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Porro in hac Iacobi interpretatione præit nobis Augustinus, qui lib. vi. adversum Iulianum cap. iii. sic scribit: *Sed cùm dicit Apostolus Jacobus, Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: profectò in his verbis partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit: hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* Similiter Cyrillus lib. iv. in Ioh. cap. li. ait: *Voluptas quadam*, inquit, ANTE OMNE PECCATUM *præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta solet allicere, quæ ante peccandi actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens facilè, hac viâ veniendum esse, quò gliscimus. Quod verum, Christi discipulus ostendet. Nemo qui tentatur, dicat à Deo se tentari. Neminem enim Deus tentat, sed unusquisque à suâ cupiditate abstractus, atque seductus, tentatur. Cupiditas deinde postquam conceperit, parit peccatum: porrò consummatio mortem generat.* Clarè dicit, ante omne peccatum esse titillationem ac delectationem quandam, quæ animo insideat: sed negat, eam esse veri nominis peccatum, nisi accedat aliquo modo consensus. Similiter Beda commentario in hunc locum, cùm suggestionem à delectatione, delectationem à consensu distinxisset; addit, suggestionem, nisi ad delectationem trahat, non solùm non parere peccatum, verùm è contrario parere coronam vitæ: juxta illud, quod ibidem dicit Apostolus; *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Nec abludit illud B. Prosperi lib. iii. de vitâ contemplat. cap. iv. *Peccatum*, inquit, *perpetrare non possum, nisi malæ delectationi consentiam.* Etiam magnus ille Rabbinus Isaac Ben Harama in Genesin porta xii. fol. 33. columnâ 1: *Concupiscentia natura mala non est, nisi Caino & sociis ejus.* Negat, concupiscentiam ullis esse mortiferam, nisi his qui illam non refrenant. Quid quod Augustinus multis locis clarè negat, concupiscentiam esse peccatum, nisi μετωνυμικῶς? Sanè lib. i. Retractat. cap. xv, Pelagianis contendentibus, omne peccatum esse voluntarium: respondet, id tantùm verum esse de peccato propriè dicto. quale tum est lapsus primi peccati, qui omnibus imputatur: tum actus sunt proprii, quando concupiscentiæ consentimus: at ipsam concupiscentiam, de quâ Apostolus agit ad Rom. vii, peccatum vocari ait, tum per metonymiam effecti, quia hæc ad peccandum pronitas ex primo peccato manat: tum per metonymiam efficientis, quia ex eâ omnis generis peccata pullulant. Sed ipsum audiamus. *Item quod dixi, Nusquam scilicet, nisi in voluntate, esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictum putare propter parvulos, quos ideo negant habere peccatum, quod eis in baptismate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis utuntur.*

Quasi

Quasi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu ejus implicatos, & ob hoc pœna obnoxios detineri, usquam esse potuerit, nisi in voluntate; qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio. Potest etiam putari falsa esse ista sententia, quâ diximus; Nusquam nisi in voluntate esse peccatum. quia dixit Apostolus: Si autem, quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum usque adeo non est in voluntate, ut dicat, Quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nusquam est, nisi in voluntate, peccatum? Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est, quandoquidem hoc de concupiscentiâ carnis dicitur: quod aperit in consequentibus, dicens, Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Perfectio quippe boni est, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine; cui quidem, quando benè vivitur, non consentit voluntas; veruntamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas; cujus concupiscentiæ reatus in baptismate solvitur, sed infirmitas manet; cui, donec sanetur, omnis fidelis, qui bene proficit, studiosissimè reluctatur. Peccatum autem, quod nusquam est, nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem introivit in mundum: quanquam & hoc peccatum, quo consentitur peccati concupiscentiæ, non nisi voluntate committitur. Propter hoc & alio loco dixi, Non igitur nisi voluntate peccatur.

Ex his Augustini verbis clarè patet, cùm peccatum originale peccatum vocat, id partim propriè intelligere, partim impropriè; propriè quidem, quatenus eo intelligitur primum peccatum, quod origo est omnium peccatorum; ac nostrum quoque est imputatione: impropriè autem, quatenus eo significatur concupiscentia. Intellige autem concupiscentiam, ut est potentia prona ad peccandum; non ut est actus ejus vitiosus, quem, quia voluntarius sit, fatetur propriè quoque peccati nomen obtinere. Hæc sanè ostendunt, concupiscentiam Augustino impropriè peccatum dici in irregenitis, ut qui nullum agnoscat peccatum, nisi quod voluntate hominis committatur. Similis est Augustini locus lib. I. contra duas epist. Pelagianorum cap. x: *Sed hæc etiamsi vocatur, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur; sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* Idem repetit lib. I. de nuptiis & concupiscentia cap. XXIII. ubi etiam addit, posse dici peccatum, *sicut frigus dicitur pigrum, quia facit homines pigros.* Et sane, quomodo pronitatem concupiscendi malum pro peccato propriè & pressè dicto habuisset, qui ne quidem pro peccatis habet primos concupiscentiæ motus, nisi accesserit consensus? Itaque T. v. lib. I. de Civitate Dei cap. XXV. ait: *Illa concupiscentialis inobedientia, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Et Tom. 2. epist. CC. ad Asellicum: *Quamvis insint, dum simus in corpore mortis hujus, desideria peccati; si nulli eorum adhiberemus assensum, non esset unde diceremus patri nostro, qui est in cælis, Dimitte nobis debita nostra.* Idem dicit Psal. CXVIII. Atqui si concupiscentia, primique ejus motus, proprie & pressè essent peccatum, noxio errore Ecclesiam infecisset, qui neget pro eorum remissione esse orandum. Alibi etiam concupiscentiam vocat languorem, ac à culpâ distinguit, ut effectum à causâ. Ita Tom IV. lib. de continentiâ cap. VII. ait: *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit: quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit; sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Nonnunquam etiam malum nominat: ut lib. VI. in Julian. cap. V: *Omni peccato carent justificati, sed non omni malo.* Item infirmitatem: uti Tom. IX. tract. XLI. in Joh. *Nunquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?* Et Tom. X. Serm. VI. de verbis Apostoli: *Restat ergò cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas.* Idem Tom. III. lib. XIV. de Trinit. cap. XIV. eleganter peccatum primum comparat febri; concupiscentiam languori ex febre provenienti: peccatum item assimilat telo; concupiscentiam autem vulneri, quod telum fecit. *Quemadmodum,* inquit, *aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere: itemque aliud est infixum telum de corpore demere; aliud, vulnus, quod eo factum est, secundâ curatione sanare: ita prima curatio est, caussam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda ipsum sanare languorem, quod fit paullatim proficiendo in renovatione hujus imaginis. Quæ duo demonstrantur in Psalmo, ubi legitur: Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis. quod fit in baptismo. Deinde sequitur, Qui sanat omnes languores tuos. quod fit quotidianis accessibus, cùm hæc imago renovatur.* Idem illud *vitium* vocat lib. II. in Iulianum, ubi ait: *Jamne discernis, jamne perspicis, jamne respicis, & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi civile bellum interiorum remanere vitiorum? non enim talia sunt vitia, quæ jam peccata dicenda sint, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat, pariantque peccatum. passiones sunt, vitia sunt; frenanda, cohibenda, sananda sunt; sed, dum curantur, infesta sunt.*

Sed quid multis opus? Etiam magnus Ioannes Calvinus, quanquam hac parte ab Augustino dissentit; tamen eum fuisse illius sententiæ, disertis verbis agnoscit. Sic enim scribit lib. III. Instit. cap. III. §. X. *Neque opus est multum investigando laborare, quid hic veteres sentiant, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter, magnaque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis certum volunt. Porrò inter illum & nos hoc discrimen est, quòd ipse quidem concupiscentia morbum peccatum vocare non audeat, sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tum demum fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel consensus accedit. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliquâ omnino cupiditate homo titillatur.*

Adversus hæc objici solet, tum quòd Augustinus concupiscentiam etiam vocet peccatum: tum quòd eam dicat repugnare legi divinæ: quòd item fateatur Deum illam odisse: ac denique quòd doceat reatum adferre mortis æternæ: quæ tria non nisi in peccato propriè dicto locum habere videntur. Peccatum quidem vocat, cùm alibi, tum lib V. in Julianum cap. III. *Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & caussa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Et lib. I. contra duas Pelagianorum epistolas, cap. XIII. ait concupiscentiam vocari peccatum, non tantum quia ex peccato facta est, & quia peccatum facit: *sed etiam quia peccandi delectatione movetur, etsi ei, vincente delectatione justitia, non consentiatur.* Concupiscentiam repugnare legi Dei, ait Augustinus lib. II. contra Iulianum, ubi dicit: *Lex repugnans legi mentis, quæ in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in baptismate, non finitur.* Et tractat. XLI. in Johannem vocat concupiscentiam languorem obluctantem saluti nostræ. Deum odisse concupiscentiam agnoscit idem tractatu eodem, cùm de discrimine peccati regnantis & non regnantis agens, ait: *Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam justificat & laudat: nulla laudat, sed odit omnia.* Ubi concupiscentiam vocat peccatum, quod (ut ibidem subjungit Augustinus) *Deus odit, & curando agit, ut consumatur.* Denique peccatum hoc, reatum afferre mortis æternæ, ait variis locis librorum de nuptiis & concupiscentiâ; item eorum, quos adversus Iulianum scripsit: quos locos adducemus, cùm seorsum de reatu dicemus.

Non desunt, qui hinc colligant, Augustinum priorem sententiam rettactasse. Sed obstat, quòd iisdem ex libris depromantur, tum ea testimonia, quibus probant aliqui, concupiscentiam Augustino peccatum duntaxat esse μετωνυμικῶς; tum illa, quibus alii propriè esse peccatum adstruere conantur. Nonnulli itaque Augustinum inconstantiæ insimulare malunt. Sed cui verisimile fiat, tantum virum, non semel iterumque, sed sæpius; non diversis, sed iisdem in libris; non obscurè, vel per consequentiam; sed clarè ac directè repugnantia docere? Quamobrem iis potius accedimus, quibus videtur, loca hæc optimè inter se conciliari posse. Sanè quod concupiscentiam nunc propriè peccatum ait, nunc negat: id nihil mirum, cùm peccati vox non eodem semper modo accipiatur. Nam quemadmodum injustitia nunc actum notat injustum, atque ita opponitur justæ actioni; & pressè peccatum dicitur: nunc habitum significat, ac virtuti opponitur, pressèque magis vitium appellatur: similiter peccatum nunc actum significat; unde vocamus peccatum actuale, quod strictè peccatum dicitur: nunc habitum, de quo actus ille originem ducit: unde vocatur peccatum originale: quod laxâ notione peccati nomen obtinet. Cum igitur concupiscentiam ait caussam & effectum quidem peccati, non verò peccatum esse: strictè hanc vocem accipit pro malo morali voluntario. Quomodo Basilius ait homiliâ, Quod Deus non est autor malorum *a*: Ἀρχὴ καὶ ῥίζα τῆς ἁμαρτίας, τὸ ἐφ' ἡμῖν, καὶ τὸ αὐτεξούσιον. *Principium ac radix peccati est quiddam, quod in nostra sit potestate, ipsumque liberum arbitrium.* Cùm verò ait, non tantùm caussam & effectum esse peccati, sed ipsum etiam peccatum esse; laxè ea voce utitur, pro quolibet malo morali, etiam involuntario; quale est vitium sive innatum, sive crebris actibus vitiosis acquisitum. Nempe non tantùm in peccato actuali est privatio boni, quod inesse debebat; sed etiam in peccato originali, quod est carentia justitiæ originalis debitæ inesse: ut Anselmo definitur. Itaque etsi strictè illud solùm peccatum sit, quod à voluntate hominis dependet; cujusmodi est actio moraliter mala: tamen laxè peccatum dicitur omnis imperfectio moralis: sive ea sit in naturâ, quâ homo non habet quod habere debebat: sive in actione, quâ homo non agit quod agere debebat. Quòd verò Augustinus laxâ hac appellatione uti voluit, id non eo factum, quia aliter atque aliter peccati voce utendo glaucoma ob oculos objicere voluit lectori: sed quia ex eo, quòd dixerat, concupiscentiam ab Apostolo μετωνυμικῶς peccatum vocari, Julianus & cæteri Pelagiani colligebant, eam esse rem bonam. Quare necesse habuit Augustinus dicere, etiam peccandi pronitatem esse malam: nec sic à se peccati effectum dici, uti mors, quæ malum morale non est; neque sic caussam peccati à se nuncupari, ut homo, sive cordis humani substantia, quæ secundùm se bona est; sed ea ratione, quâ vitium morale, strictè loquendo, non est peccatum, quod tamen ipsum laxè sit peccatum: quatenus nempe peccati vox notat omnem alicujus boni moralis privationem, quod inesse debebat, sive privatio illud sit vitium morale, sive actus è vitio fluens.

a P. 161.

Non strictè peccatum dici existimandum, quia legi repugnet divinæ. Nam lex consideratur vel ut naturalis, vel ut moralis. Ut naturalis, requirit in homine ordinem ac rectitudinem eam, in quâ creatus fuit. Verùm deordinatio, sive aberratio ab hac rectitudine, Augustino strictè peccatum non est, sed vitium ac defectus naturæ. Ut autem lex Dei est moralis, præcipit actus, qui ab humanâ pendent voluntate. Atque hoc respectu, quicquid à lege aberrat, Augustino strictè peccatum dicitur. Sed hoc respectu concupiscentia vitium quidem morale dici potest, quia habitualis est pronitas ad peccandum: verùm strictè peccatum non est, quia voluntarium non est. Præterea ὁμωνυμία est in voce repugnandi. Tribus enim modis aliquid repugnat cum lege Dei, efficienter, materialiter, formaliter. Homo vel cor hominis, sive intellectus & voluntas ac concupiscentia, considerata ut sunt naturalis potentia, repugnant cum lege tanquam caussa efficiens peccati: unde & homo, vel potentia illa animalis, dicitur peccans. Ita concupiscentia Apostolo cap. ad Rom. VII. dicitur peccatum peccans: & ibidem similiter ait, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me legi peccati, quæ est in membris meis.* Actio autem hominis lege prohibita est caussa materialis peccati, quia illi inhæret vitiositas, ob quam actio prohibetur. Formaliter verò peccatum est ipsa, ut Johannes vocat, *ἀνομία*. quâ voce significatur, non quicquid cum lege pugnat, (nam & diabolus & homo cum lege pugnat) sed ipsa cum lege repugnantia, sive ipsa à lege deviatio. Quæ accidens est actui suo modo inhærens: nempe accidens non positivum, sed privativum. Est enim carentia rectitudinis, sive privatio conformitatis à regulâ.

Ex his liquet, quod Augustinus ait, concupiscentiam Deo repugnare, & reluctari saluti nostræ: inde colligi non posse, strictè esse peccatum: quia nempe, ex Augustini sententiâ, non repugnat Deo formaliter, sed efficienter.

Nihilo magis illud inde consequitur, quia dicat, Deum hoc vitium odisse, & paullatim in regenitis sanare. Nam nos quoque non tantum actus vitiosos, sed etiam vitia ipsa odisse debemus: quæ tamen peccata non sunt, sed ad peccandum alliciunt ac trahunt. Medicus quoque non tantum febres odit, deque corpore humano fugat, sed etiam languoribus ex febri ortis medicinam adferre studet.

Nec idem ex eo colligi potest, quod dicat, concupiscentiâ hominem reddi mortis reum. Nam loquitur Augustinus non de reatu concupiscentiæ proprio, sed annexo: hoc est, non eo quem meretur, qua inclinationem significat ad peccandum: sed qua conjunctam habet imputationem peccati primi: quod propriè hominem reum facit utriusque mortis. Nec ignoro multos viros eruditos aliud sentire. Sed nobis, antiquitatis sententiam ruspantibus, longè aliter veteres sensisse videntur. Antiquitatis enim hæc sententia fuit, reatum (qui relatio est, eoque suum habet fundamentum) semper fundari in aliquo, quod in hominis fuerit potestate. Quomodo, ut suprà etiam dicebamus, Basilius *a* ait, principium ac radicem peccati esse τὸ ἐφ' ἡμῖν, καὶ τὸ αὐτεξούσιον: *quod in nostra sit potestate, ipsumque liberum arbitrium.* Eademque omnium sententia est. Atqui, etsi in hominis potestate fuit, ne laberetur; non tamen in ejus potestate erat, ut labens gratiam retineret; sed amissio gratiæ, & ἀταξία virium animæ necessariò ex primo peccato profluxit. Multa pro hac sententiâ advocari possunt ex ipso Augustino. Nam lib. I. Retract. c. XV. ait, homines nasci implicatos reatu Adæ, eoque pœnæ obnoxios: ac paullo pòst addit, hanc pœnam esse concupiscentiam: unde liquet, reatum hominis nondum regeniti propriè non provenire ratione concupiscentiæ, sed peccati primi, unde oritur concupiscentia, quæ primi peccati reatum sibi habet annexum. Idem lib. XIV. de Trinit. cap. XVII. dicit in baptismo remitti omnia peccata, sed concupiscentiam non extingui, quia aliud est caussam removere languoris; aliud ipsum removere languorem. Atqui si in baptismo removetur caussa languoris; sanè cùm caussa hæc sit reatus propter primum peccatum, consequitur, reatum hominis irregeniti provenire ex primo peccato; non ex concupiscentia; quæ primi peccati pœna est: ut locus, cujus proximè meminimus, clarè docet, & idem Augustinus fatetur lib. V. in Julianum cap. III. *Concupiscentia*, inquit, *pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis.* Etiam lib. VI. in Julianum cap. V. ait, in baptismo tolli reatum omnium malorum, non omnia mala: relinqui enim corporis corruptionem, mentis ignorantiam, ac universam concupiscentiam. At corruptio corporis non gignit reatum, sed est à reatu. Similiter igitur concupiscentia non propriè reatum facit, sed à reatu procedit.

a Orat. Quod Deus non sit auctor peccati, p. 163.

Sed obducunt nonnulli loca aliquot ex libris Augustini de nuptiis & concupiscentiâ; item iis, quos adversus Julianum

lianum scripsit. Nam priorum lib. I. cap. XXIII. ait: *Hæc concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur.* Et cap. XXVI: *Sicut adulterium actu transit, remanet reatu, ita concupiscentia transit reatu, & remanet actu.* Et cap. XXXII: *Hæc itaque remissio peccatorum quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illo sit, qui eum teneat æterni supplicii debitorem.* Idem lib. II. contra Julianum, ante medium: *Non tamen ideo malum hoc nihil nocuisset, etiamsi prius quàm in illo apparere cœpisset, parvulus ex hac vita exisset; quia reatus ejusdem mali, non quo reum malum est, sed quo reum facit in quo est, sicut generatione contrahitur, ita nisi generatione non solvitur.* Et eodem libro, circa medium epilogi: *Quamvis jam non eodem modo appelletur peccatum, quo facit reum, sed quod reatu sit primi hominis factum.* Et lib. VI. cap. V: *Tale porro ac tam magnum malum, quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illâ, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur?* Et cap. VI: *Nos eam* (concupiscentiam) *malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa rea erat, (neque enim aliqua persona est) sed quo reum originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus.* Et cap. VIII: *Neque enim nulla est iniquitas, si in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviant, vel inferiora superioribus contumaciter rebellentur, etiamsi vincere non sinantur.*

Ex hujuscemodi locis multi inconstantiæ arguunt Augustinum: quippe qui nunc hominem per concupiscentiam reum fieri scribat, nunc verò reatum, non concupiscentiæ, sed tantùm primi lapsus, vel actualium peccatorum, quæ ipsi committimus, effectum esse velit. Sed nulla profectò, judicio nostro, in Augustini verbis pugna est: interdum enim propriè loquitur, ac reatum respicit, quem concupiscentia gignit secundùm se ipsam: interdum rationem habet reatus, quem habet aliunde, sive à caussa, quæ est peccati primi imputatio, sive ab affectu, qui sunt actualia nostra peccata. Ratione sui, reatum nullum tribuit concupiscentiæ: ut qui propriè competat actioni voluntariæ. Ita reus quis dicitur adulterii aut furti, quæ non committere in hominis fuit potestate. Sed nequaquam aliquis dicitur reus propter habitum, quem crebris actionibus malis acquisivit. Ratione verò vel caussæ, vel effectus omnino concupiscentia hominem mortis reum facit. Reatum ratione caussæ appello eum, quem sibi concupiscentia annexum habet ex caussâ sui: quæ, uti diximus, est imputatio primi lapsus. Hæc enim omnes homines reatu involvit: unde Apostolus ad Rom. V. dicit, unius delicto reatum venisse in mundum. Concupiscentia verò nunquam est absque reatu isto, nisi, quod in baptismo fit, gratiosè remittatur. Hoc igitur respectu, ipsi concupiscentiæ reatum tribuere non dubitat Augustinus. Improprie autem id fieri, quis non videt? Sane in Italia olim, qui pollices sibi præcidissent, ne militarent; (quos jocülariter *murcos* vocatos, ex quinctodecimo Ammiani discimus: ac *murcinarios* quoque dictos, videmur nobis ex vett. glossis colligere posse) hi rei quidem erant abscissi pollicis; at non quasi peccatum sit pollice carere, sed quia peccatum sit, ne milites, pollicem præcidere. Hoc igitur est, quod reatum gignebat; non quod pollice essent abscisso. Quod si forte reatus adscribatur huic pollicis defectui, non fit ratione defectus, sed actus, qui defectum genuit. Similis hic ratio videtur. Nam concupiscentiæ reatus adscribitur, non quasi secundùm se reatum mereatur, sed quia originem ducit ex eo, quod reatum gignit; absque quo, citra remissionem, concupiscentia esse non potest. Possumus quoque alio idem argumento comprobare. Habitus vitiosi, ut propensum esse ad furta vel adulteria, proprie ac secundùm se non reddunt hominem reum coram principe aut magistratu; quanquam vitia hæc omnibus bonis sint exosa: sed proprie actus vitiosi, quibus habitum quis acquisivit, reatum homini adferunt. Similiter igitur non eo quis reatum habet, quia concupiscentiam habet; sed quia illud habet quod concupiscentiam gignit. Nec obstat, quòd infantibus in baptismo reatus concupiscentiæ dicitur remitti. Nam καταχρηστικῶς sic loquuntur veteres, quia concupiscentia ex reatu est, nec citra gratiam à reatu potest separari. Nec tantùm ratione caussæ, sed etiam ratione effectus, concupiscentiæ tribui reatus potest. Siquidem concupiscentia gignit peccata actualia, quibus quis reatus se vinculo arctius constringit, etsi primi delicti reatus in baptismo sit remissus, novum sibi reatum induet. Quare in adultis, hoc quoque respectu, rectè concupiscentiæ reatus dicitur; quatenus nempe operatur ea, quæ reatum homini afferant.

Ut intelligatur, num peccatum originale ὁμωνύμως dicatur peccatum, quà ratione homo pictus dicitur homo, an συνωνύμως, ut nempe peccatum originale & actuale sint duæ peccati species ἀντιδιῃρημέναι: ante omnia videndum est, in quo vera peccati ratio consistat. Id verò discimus ex I Joh. III, 4. ubi dicitur, peccatum esse ἀνομίαν. Quo significatur, id esse deflexionem sive aberrationem à lege æternâ, quæ est voluntas Dei in verbo nobis revelata. Idem vult Augustinus ad Simpl. lib. I. q. 2. ubi *peccatum* definitur, *hominis inordinatio & perversitas, id est, à præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio.* Atque hinc vulgo dicitur peccatum in duobus consistere, in eo quòd homo se avertit à Deo, qui summum est & incommutabile bonum, & eo quòd indebite se convertit ad creaturas: quamquam hoc cùm fit, etiam à Deo se homo avertit, non quasi habeat intentionem ejus rei actualem, sed virtualem, quia ex peccato quâcumque de caussâ suscepto consequitur aversio à Deo, & offensio ejus, utut homo id sibi non proponat. Nunc autem ex Adami peccato, postquam actus iste transiit, relictus est in eo effectus habitualis à Deo aversionis, & inordinatæ conversionis ad res creatas: qui etsi personalis fuit, quatenus in Adamo hæsit, tamen factus est naturalis, quatenus ad posteros ejus cum naturâ transiit.

Dicet fortasse aliquis, neutiquam satis agnosci gravitatem peccati originalis, nisi fateamur, hominem etiam per concupiscentiam novum acquirere reatum: atque ita (quemadmodum loquuntur aliqui) bis hominem reum fieri per hoc peccatum. Sed profectò qui negant, concupiscentiam secundùm se reatum adferre: non hoc agunt, ut ejus imminuant fœditatem: sed existimant, malitiam ejus δυνάμει includi in peccato primo, eoque hominem peccando in Adamo non eo tantùm mortis reum fieri, quia simpliciter egerit rem à Deo probibitam, ut secundùm se consideratur; verùm etiam, quia actum ejusmodi commiserit, qui simul alteram calamitatem importet. Exemplo hoc illustremus. Esto quispiam, qui, hoste aureos pollicente montes, perfide ei vendat commissum sibi castellum, à quo salus omnis oppidi propinqui pendeat. Peccarit ille perfidiâ suâ, licet nihil inde detrimenti vicinum oppidum capere possit. Quanto autem gravior illius culpa erit, si ex castelli amissione necessariò malum alterum consequatur! Et quis dubitet, quin hac propter gravius sit plectendus? Non tamen iccirco κυρίως loquendo, geminum illius delictum est, sed simplex: quia amissio quidem oppidi perfidiæ illius tribui debet; verùm quicquid hic culpæ est, hoc in priori actu præcessit, qui simul caussa fuit damni consecuti. Sanè si proditor iste exquisitissimis tormentis subjiciatur, populari quidem sermonis genere dici solet, duplo nomine pœnas luere, quia & castellum & oppidum vicinum perditum iverit: sed tamen, si curatè loquendum, dici potius debeat, uno hoc nomine torqueri, quòd vendiderit castellum, quæ res & in se mala erat, & damnum secum alterum trahebat. Quocirca sic statuendum videtur, reatum tribui concupiscentiæ non secundum se, sed ratione peccati primi, quod concupiscentiam genuit, & illius,

quod

quod concupiscentiam parit. Quod si est, neutiquam ex eo, quòd ab Augustino concupiscentiæ tribuitur reatus, consequitur ex ejus sententiâ, concupiscentiam esse peccatum strictè dictum.

Ut igitur vestigia mea legam, sic concludo: Peccatum originale esse peccatum propriè & pressè dictum, si per illud intelligatur peccatum primum, quod imputatione est nostrum: vel saltem unà cum naturæ hoc vitio primum peccatum, ut caussam cum effectu, comprehendamus. Sin solum naturæ vitium, sive carentiam originalis justitiæ, & inde fluentem aversionem à Deo, atque hinc emanantem conversionem inordinatam ad res caducas intelligamus: tum propriè quidem, sed laxè peccatum fore, quia est vitium animæ cum lege creationis pugnans, saluti nostræ obluctans, & ex natura suâ connexum habens reatum mortis æternæ. Attamen peccatum pressè dictum non esse, quia secundùm se voluntarium non est.

Thesis III.

Etiam ab aliquibus disputatur, utrum ipsa mater Domini in peccato originali fuerit concepta. De quo inter monachos ordinis Prædicatorum, & Minorum seu Franciscanorum, gravis & diutina concertatio fuit. Sed primis quatuor, & ultra seculis, etsi inter Patres invenirentur, qui docerent us alii, Mariam etiam actualibus delictis obnoxiam fuisse, assensum suum ac commedare non auderent: tamen in originali peccato eam & conceptam & natam esse credebant, quicunque crederent peccatum originale. Paullatim verò inter hæc distingui cœpit, ut in peccato quidem concepta, sed ante nativitatem ab eo mundata putaretur. Bernardi primùm ætate immaculata etiam conceptio defensa, & festum in ejus honorem, sed privatâ autoritate, celebratum fuit. Postea sententia hæc in Scholas invecta est à Joanne Scoto. Eam denique comprobavit concilium Basileense: quod nisi Eugenius (in cujus depositionem concilium illud consenserat) improbasset, tanè pro fidei dogmate in Romanâ Ecclesiâ haberetur. Sed Sixtus IV (cujus sententiam etiam amplexum fuit concilium Tridentinum) festum quidem conceptionis Mariæ coli præcepit, dogma verò immaculatæ conceptionis inter ea retulit quæ piè crederentur, nec cum hæreseos notâ negarentur, quia neutrum esset ab Romanâ Ecclesiâ decisum.

ANtiquior opinio est eorum, qui Mariam sine originali peccato natam, quàm qui sine eo conceptam arbitrantur: quemadmodum & festum Nativitatis prius fuit quàm Conceptionis. Prius festum quando cœperit, obscurius est. Bellarminus jam Gregorii Magni ætate obtinuisse colligit ex Antiphonario ejus: quod ejus meminit *a*. [a P. 148. edit. Col. quam Pamelius edidit.] Sed multa posteriorum temporum festa ei esse suis locis à junioribus inserta, & res clamat, & Pamelius in Liturgicis agnoscit. Præterea citat Bellarminus librum Hildephonsi Toletani de virginitate & parturitione Mariæ. Is autem vixit annis post Gregorium Magnum sexaginta. Ejus verba etiam adducit Coccius in Thesauro suo. Sed ne is quidem putavit, Mariam sine originali peccato natam esse. Quod ut pateat omnibus, locum totum adscribam, eumque mendis aliquot & insigni glossemate liberabo. Vulgo quidem sic legitur, tam in ea edit. quam Feuardentius edidit, quam in bibliothecâ Patrum *b*: [b Col 681. T. 9. bibl. Pp. ed. 2.] *Beata Maria licet ipsa de carne peccati sit nata & procreata,* IPSAQUE *quamvis* CARO PECCATI *fuerit. non tunc jam ex præveniente Spiritus Sancti gratia ab angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur, Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Pro *non tunc* lego, *non minus tunc.* Quia sententia est, etsi Mariæ caro esset originali peccato inquinata, nihilominus benedictam ab angelo vocari, non quidem ratione originis, cùm & ipsa fuerit caro peccati, sed ratione spiritus supervenientis, ex quo conceptura esset Salvatorem. Sequitur deinde: *Alioquin si non eodem Spiritu sanctificata est & emundata, quomodo ejus caro, non caro peccati fuit?* Lego, *quomodo Christi caro.* Nec enim Mariæ carnem (quam peccati carnem esse jam fassus erat hic scriptor) sed Christi carnem peccati carnem futuram dicit, nisi Spiritus S. in Christi conceptione carnem virginis sanctificasset & emundasset. Itaque continuò subjungit: *Et si caro ejus* (Christi) *de massâ primæ prævaricationis venit, quomodo Christus verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumsit? Nisi quia verbum, quod caro factum est, eam primum obumbravit, in quam Spiritus S. supervenit, & virtus altissimi totam eam possedit? Propterea vere caro ejus jam non caro peccati fuit, in quâ Deus totum infudit, & verbum, quod caro factum est, sine peccato ad nos venit. Qui jure non solum legem naturæ inviolatæ nascendo non tenuit, vere nec legem originis, quam haberent feminæ, si mandatum servasset omnium Eva in paradiso.* Ubi lego, *verum nec legem.* Non solùm, inquit, natus est sine peccato, sed etiam partus ejus sine dolore fuit: quippe qui ut clauso utero est conceptus, ita clauso utero est natus. Hoc enim antè docuerat scriptor iste, qui etiam Virginitatem Mariæ negari ab illis ait, quotquot eam, ut reliquæ mulieres, peperisse arbitrantur. Post illa continuo sequuntur ea, quæ prioribus è diametro adversantur, eoque a junioribus adjecta esse pro certo habemus: *Alias autem quomodo, Spiritu S. eam replente, non sine peccato originali fuit, cujus etiam nativitas gloriosa Catholicâ in omni Ecclesiâ Christi ab omnibus felix & beata prædicatur? Enimvero si non beata esset & gloriosa, nequaquam tam festiva celebraretur ubique ab universis. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex authoritate Ecclesiæ, quod nullis quando nata est subjacuit delictis, nec contraxit in utero sanctificata originale peccatum. Unde etsi Jeremiæ dies, atque Job, maledicta pronunciatur, dies inquam nativitatis eorum, tamen dies, quando inchoata est felix Mariæ nativitas, beata pronunciatur, & colitur religiosè satis. Quodsi in peccato esset, jure maledicta diceretur, & gemebunda potius quam benedicta, quando nunciatum est patri ejus, quòd nata esset in seculo. nunc autem quia universam benedictione suâ illustrat Ecclesiam, non immeritò sanctificata in Spiritu Sancto colitur veneranda. Nullius igitur nativitas celebratur in mundo, nisi Christi, & ejus, atque beati Ioannis. Ioannes autem quia & ipse in utero sanctificatus legitur: sic & beata virgo Maria, nisi in utero matris sanctificata esset, minime ejus nativitas colenda esset. Nunc autem, quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat, eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verumetiam & benedictio omnibus condonatur. Quodsi præclara sacratissima Virginis nativitas universaliter tam sancta, & tam gloriosa jure colitur & veneratur; quanto magis ipsa, quando ab angelo jam gratiâ plena officiosissime salutatur? Nam cum dicit ei, Ave, cœlestis venerationis obsequium exhibet. cùm autem dicit, Gratiâ plena, de integro jam exclusam ostendit, & restitutam gratiam declarat. Cùm dicit; Benedicta tu, fructum benedictionis demonstrat.* Hæc omnia è diametro adversantur menti Hildephonsi. qui Mariam carnem peccati habere, hoc est in peccato originali conceptam & natam esse dixerat, sed Christum in eo conceptum vel natum negarat. atque ejus privilegii hanc attulerat caussam, quòd Spiritus Sanctus, juxta nuncium Angelicum, inumbrarit Mariam, atque ita carnem, ex qua Christus conceptus fuit, sanctificârit & mundarit: absque quo esset, etiam Christi carnem fore peccati carnem testabatur. Nempe hæc opinio cùm posterioribus seculis displiceret, fuit aliquis, qui adversus eam disputaret, & istius scriptoris sententiam eo refellere conaretur, quia Nativitas Mariæ suis temporibus celebraretur: quod argumentum ad nauseam inculcat dictione istiusmodi, quæ

ab

ab illâ veri scriptoris non parum recedat. Istius igitur censura prius ad oram adscripta postea in textum irrepsit. Hoc enim credere malo, quam ut ista inseruerit Fenardentius, qui, arbitror, si fucum nobis facere voluisset, ingeniosius hoc fecisset. Nunc aperta in eo scriptore est ἀνπλογία, & dictio planè dissimilis. Satis igitur liquet, Hildephonsum credidisse, Mariam natam esse in originali peccato: de Festo verò Nativitatis ex verbis allatis probari nihil posse. Sed illius Petri Damiani Ravennatis monachi, cujus antea meminimus, tres in festum hoc sermones exstant apud Aloysium & ex eo apud Surium T. v. historiæ sanctorum. Quare ejus ætate, hoc est anno LX. post millesimum Nativitatis, festum illud celebratum fuisse negari non potest. At Conceptionis festum eo recentius est. Tritthemius tamen scripsit, jam ante annos nongentos in Hispaniis celebrari solere. Verba Tritthemii sunt: *Cum beatissimus ille Præsul Hildephonsus librum de Virginitate purissima Dei genitricis Mariæ ad finem usque complesset, cui omni studio, quo poterat, semper devotissime servire solebat: apparuit ei Domina mundi sacratissima, ipsum librum habens in manibus, & gratias agens illi pro tali servitio: quod sibi gratissimum esse adfirmabat. Ille vero cupiens eam altius honorare, constituit, ut celebraretur solemnitas ejus singulis annis, octavâ die ante natalem Domini: quæ solemnitas jam obtinuit, ut per universam fidelium Ecclesiam in honorem purissimæ Conceptionis ejus celebretur VI. Id. Decemb. Unde rursum ei B. Dei genitrix apparens, vestimentum sacerdotale, quod nos albam vocamus, & cathedram illi attulit: de quibus multa miranda & gloriosa narrantur.* Sed Tritthemio (qui hujus narrationis idoneos laudare debuerat autores) eo minùs fidei habemus, quia is ne ætatem quidem Hildephonsi cognitam habuit; ut quem inter Arnobium & Lactantium collocet medium; spisso sanè errore. Et quid multis opus? quando Bernardi verbis inferius planum fiet, hujus demum ætate, hoc est post annum millesimum centesimum irrepsisse opinionem de immaculatâ conceptione Mariæ, festumque ejus nominis, sed privatâ duntaxat autoritate, coli cœpisse. Huic se opinioni & festo novo opposuit Bernardus, qui eam sine originali culpâ natam, at non conceptam arbitrabatur. Sententiam Bernardi secutus etiam fuit Petrus Lombardus *a* circa annum CIƆ CL. Lombardum proximo sesquiseculo defenderunt Scholastici, uti alios inter Thomas Aquinas & S. Bonaventura *b*, circa annum CIƆ CCLX. Primus verò è doctoribus, vel inter primos, ut verissimè testatur Cajetanus *c*, opinionem de immaculatâ Mariæ conceptione in Scholas introduxit Scotus *d*; sed timidè: quod accidit circa annum CIƆCCC. Scotum defendêre Petrus Aureolus & Scoti discipulus Franciscus Maironis, item, qui anno vixit CIƆCCCL, Thomas de Argentina. Magnam mox huic opinioni autoritatem revelationibus suis conciliavit S. Brigitta *e* circa annum CIƆCCCLX. Tandem ita invaluit, ut eam determinaret, & (ut loquuntur) sub plumbo publicaret concilium Basileense, quod anno contigit CIƆ CCCCXXXIX. Ejus hæc verba sess. XXXVI: *Nos diligenter inspectis auctoritatibus & rationibus, alüsque plurimis super hac re visis, & maturâ consideratione pensatis, doctrinam illam differentem, gloriosam virginem Dei genitricem Mariam, præveniente & operante divini numinis gratiâ singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpâ, sanctamque & immaculatam, tanquam piam & consonam cultus Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore definimus & declaramus, nullique de cætero, decreto licitum esse in contrarium prædicare & docere.*

a Lib. 3. Sent. dist. 3.
b In 3. dist. 3.
c Lib. de conceptione B. virginis. 1. 5.
d In 3. dist. 3. 4. 5.
e Lib. v. Revelat. cap. ult. & lib. VI. cap. 49.

At post hoc concilium multo etiam hæc sententia pervulgatior fuit. Unde Petrus Apollonius Collatius (qui anno MCCCCLXXX, hoc est, quadraginta post id concilium annis vixit) in Fastis de nativitate gloriosæ virginis sic cecinit:

Salve virgo parens, labes quam nulla vetusti
Per tot ducta gradus criminis implicuit.
Quippe hominum rerumque sator, tam longa retexens
Fata, tibi numeros sustulit ante suos.
Te, dum conciperis, culpa quicunque negarit
Immunem, brutis nil sapit ille magis:
Huic aut vipereo mens est infecta veneno,
Aut illum teter spiritus exagitat.

Talium judiciorum, apud ejus & proximi ævi scriptores, numerum inire sit perdifficile. Cur verò hi omnes sic senserint, ostendit Richardus de S. Victore (qui anno vixit MCXL.) de Emmanuele lib. II. cap. XXVI. *Nisi Maria*, inquit, *ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuisset; Deum Dei filium generare non posset. Ut enim virgo conciperet, virgo pareret, summâ sanctitate, summâ puritate opus habebat.* Et Hieronymus Vida, hymno magnæ Matri Virgini:

Sola malo exorta es, veterique impervia noxa,
Seu tua te genitrix intactam & prorsus avita
Secretam macula gravidâ concepit in alvo,
Seu simul atque utero concreta es, cælicolûm Rex
Communem exemit labem, puramque reliquit;
Ne tuus exoriens purâ dilapsus ab æthrâ
Parto olim fœtus foret insincerus ab ulla,
Nec priscam traheret materno à sanguine labem.

Alias etiam caussas adfert Baptista Mantuanus lib. I. Parthenices. Ubi cùm duplicem commemorâsset sententiam; unam eorum, qui sine originali peccato Mariam negant conceptam; alteram illorum, qui adversam sententiam tuentur; hæc de priori subjungit:

Sed prior, ut nobis æquum sentire videtur,
Dignior est, & grata magis nato atque parenti.
Nam legi assurgens Maria decus addit, opusque
Maternâ dignum attribuit pietate Tonanti.
Adde quòd & multis fert adjumenta, fidemque
Roborat infirmam: nam nec venisse sub alvum
Sorde laborantem tali sublimia cœli
Numina, nonnulli ingenio præstante putarunt.
Relligio major, pietas animosior istam,
Consummata fides, legumque peritia fecit.

Et sanè his similibusque de caussis aliquando amplexus quoque eandem Lutherus fuit. cujus ista sunt verba in Euangelium de conceptione Mariæ: *Dignum & justum erat, Mariæ personam ab originali peccato præservari, de quâ Christus sumturus erat carnem, quæ omnia peccata superaret.* Et ibidem: *Mariæ conceptio piè creditur sine originali peccato facta esse, ut scilicet in ipsâ animæ infusione, unâ etiam ab originali peccato purificata fuerit, divinis dotibus redimita, ad accipiendam sanctam animam, à Deo ipso infusam. Atque ita in primo momento cum vivere inciperet, omnis peccati expers erat.*

Ex his, quæ juniorum fuerit sententia, satis cognosci potest. Rectène autem, an secus sic senserint, non multùm adeo ad præsens facit institutum, quando illi ipsi, qui Mariam sine originali peccato conceptam prædicant, id factum docent singularis gratiæ privilegio, hominemque naturâ à peccato haut nasci immunem confitentur. Interim scire attinet, primorum hoc seculorum judicium fuisse, ab communi illâ lege eorum, qui de semine viri nascentes genitalium sordium conditionem trahunt, nec Mariam excipi debere, cùm nusquam eam sacra excipiat scriptura: ut quæ non ei, quæ de semine viri, sed qui de Spiritu Sancto concipitur, hoc tribuat privilegium: quæque Christum tradat ejus fuisse servatorem. unde colligitur, redemtionis eguisse: quæ redemtio non nisi peccatorum esse potest, ut rectè Zosimus agnoscit apud Augustinum epist. CLVII. ad Optatum: *Nullus*, inquit, *nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemtus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè*

captivus, sicut scriptum est, Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

Hæc ut magis pateant, adferemus aliquot antiquorum loca, quibus aperte docent, solum Christum à peccato originali fuisse immunem. Orig. sive alius homil. XII. in Levit. *Omnis homo in patre & in matre pollutus est: solus verò Jesus, Dominus meus, in hac generatione mundus ingressus est, in matre non est pollutus.* Et mox: *Sic ergo solus est hic sacerdos magnus, qui neque in patre pollutus sit, neque in matre.* Ambrosius in Jesaiam: *Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti: qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* Citat Augustinus lib. IV. ad Bonifacium. Similiter Basilius de Pœnitentia a: Ἀνθρώπων οὐδεὶς ἀναμάρτητος. ἑνὶ γὰρ μαρτυρεῖται, ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησε. *Nemo hominum sine peccato est. Nam uni* (Christo) *hoc testimonium datur, quod peccatum non fecerit.* Item Eusebius Emissenus, qui (ut quidem Cajetanus citat) homil. II. de natali Domini ait: *A peccati originalis nexu b nullus immunis existit, nec ipsa genitrix redemtoris.* Et B. Augustinus Tom. VII. de perfectione justitiæ prope finem: *Quisquis ergo fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Bellarminus lib. IV. de amiss. grat. cap. XVI. respondet, Mariæ fuisse necessariam remissionem peccatorum, non quæ commiserat, sed quæ fuerat commissura, nisi gratiâ Dei fuisset præventa. Sed quid hoc aliud est, quam dicere, ei aliquid remissum, à qua nihil mali commissum: remissum ei peccatum, quod ab eâ non peccatum? Similis est ejusdem Augustini locus T. VII. lib. V. adversùs Julianum cap. IX. *Si sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati: quid restat ut intelligamus,* NISI *eâ exceptâ* OMNEM *reliquam humanam carnem esse peccati? & hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus, quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterum corpus Christi inde dictum esse in similitudine carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati est, quisquis negat, & carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum cæterorum, ut asserat, utramque esse puritatis æqualis, detestandus hæreticus invenitur.* Fulgentius de Fide ad Petrum cap. XXIII: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, & ob hoc naturâ filium iræ nasci.* Procopius Gazæus in Numeros fol. CCCXXXVII. *Quantumvis sanctum se Deo proponere conetur aliquis, peccati tamen sortem vitare propter imbecillitatem naturæ conjunctam nequit. Has enim primas solus habet Christus, qui dicit, Princeps hujus mundi venit, & in me non quicquam inveniet.* Item Bernardus epist. CLXXIV. ad Canonicos Lugdunenses, quos objurgat, quòd contra Ecclesiæ morem celebrarent festum immaculatæ conceptionis Virginis Mariæ: *Miramur,* inquit, *quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrûm, voluisse mutare colorem optimum novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Et post aliquammulta dicit, nativitatem quidem Mariæ sanctam esse, quia eam ab utero sanctificarit Deus; at ejus conceptionem nequaquam esse immaculatam: *Si,* inquit, *ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat: sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat: restat ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur: quæ, excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem, non tamen & conceptionem. Quamobrem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi: ut uni sane servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu S. conceptus, quia solus & ante conceptum sanctus. Quo excepto, de cætero universos respexit ex Adam natos, quòd unus humiliter de semet ipso ac veraciter confitetur: In iniquitatibus, inquiens, conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Paullo pòst addit: *Et ante quidem apud aliquos errorem compereram: sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde ex amore Virginis veniebat. Verùm apud sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesiâ, & cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensâ, nescio an sine gravi offensâ etiam vestri omnium dissimulare potuerim.* Ex quibus claré cognoscimus, ecclesiam, Bernardi tempore, non credidisse immaculatam Mariæ conceptionem: nec festum conceptionis, sed nativitatis ejus celebrasse. Floruit autem is circa annum MCXXX. At eo paullo antiquior Anselmus Cantuariensis (qui obiit anno MCVI) Mariam non tantùm conceptam, sed etiam in originali peccato natam scribit. Locus est lib. I. Cur Deus homo cap. XVIII: *Natura tota, quæ erat in parentibus primis, tota in illis victa est ut peccaret, excepto illo solo homine, quem Deus, sicut sine viri semine de Virgine facere scivit, sic à peccato Adæ secernere voluit.* Idem lib. II. cur Deus sit homo cap. XVI: *De massâ peccatrice & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem sine peccato, quasi azymum de fermentato, Deus assumpsit. Nam licet ipsa hominis ejusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato; virgo tamen ipsa, unde assumtus est, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato* NATA *est, quia & ipsa in Adamo peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Bellarminus lib. IV. de amiss. grat. cap. XVI. respondet, duplicem esse hominis conceptionem; duplicem item nativitatem. Primam conceptionem esse, cùm primùm fœtus in utero matris existere incipit, quamvis informis, atque animæ expers. Alteram esse, cùm anima corpori inspiratur. Anselmum autem (uti & Bernardum) loqui censet de conceptione primâ, sive de conceptione seminis; non de conceptione secundâ, sive de animatione. Ex his autem colligit, quatenus B. virgo in lumbis Adæ fuit, ac semine prognata est immundo, conceptionem ejus fuisse similem conceptioni aliorum: at fuisse dissimilem, quatenus anima ejus in primo instanti creationis & infusionis in corpus à peccato originali gratiosè fuit liberata. Itidem duplicem facit nativitatem, primam & secundam: primam fieri ait in utero, alteram ex utero. Anselmum dicit loqui de primâ nativitate: h.e. de fœtus formatione. Sed hæc, ut nobis quidem videtur, sunt humani ingenii commenta, meræque κενοφωνίαι. Nec enim aliter conceptionis & nativitatis vocabula usurpat Anselmus; quam oti existimavit propheta David, cùm se in peccatis conceptum ac natum esse ait. Quippe illo ipso prophetæ testimonio probat ibidem Anselmus, Mariam quoque in peccatis conceptam natamque. Objiciunt locum è comment. in cap. V. posterioris ad Corinth. ubi ait, *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, demtâ matre Dei a, sive originalibus, sive etiam voluntate additis.* Sed si commentarii isti in epistolas Paulinas Anselmi essent; meminisset eorum Edinerus Anselmi convictor, qui ejus vitam scripsit, ac etiam minuta quæque illius opuscula recenset. In veteribus libris (quos secuta est editio Parisiensis anni MDXLIV.) tribuuntur Herveo Natali, Britoni: qui integris duobus seculis post Anselmum vixit, puta circa annum MCCCXX. Objiciunt etiam locum è libro de conceptu virginali cap. XVIII. ubi ait: *Decens erat, ut ea puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Verùm loquitur Anselmus de puritate vitæ, non originis. Actualis inquam peccati beatam Virginem expertem esse judicavit: quod minimè mirandum, quando & multi eo antiquiores idem senserunt: etiam ante annos octingentos Elias Cretensis in orat. IV. Nazianzeni; ubi ait, *Dei genitrix, ne sordidis*

quidem

a *Gr. pag. 241. Lat. p. 227.*

b *In codd. ex:usis malâ fide, judicio meo, editum est, per se non est immunis. Nam proxime sic Mariam alloquitur: Profundendum pro mundi vitâ sanguinem de corpore tuo accepit: ac de te sumsit, quod etiam prave salvat. Quæ verba ostendunt, ex mente Emisseni, vel quisquis homilias istas scripsit, (nam Emisseni non esse, nobis certum est) Mariam non fuisse expertem peccati originalis.*

a *Raineldus lib. 1. de idololat. cap. 3. §. 6. censet, illa verba,* demta matre Dei, *ab alio esse adjecta. Nos glossema esse negamus, sed dicimus, librum eum non esse Anselmi.*

quidem cogitationibus, unquam inquinata est. Et Latini hoc ipso vetustiores: uti Ambrosius ad Psalm. CXVIII. sermone XXII. ubi ultimum ejus Psalmi versum enarrans, ait, Mariam fuisse *integram ab omni labe peccati.* Imò Augustinus ipse T. VII. lib. de natura & gratia cap. XXXVI: *Excepta*, inquit, *sanctâ virgine Mariâ; de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Etiam sic interpretari possis illud Cypriani, vel potiùs incerti scriptoris, Augustino ipso recentioris, libro de Cardinalibus Christi operibus; serm. de Nativitate: *Spiritu S. obumbrante, incendium originale extinctum est; ideoque innoxiam affligi non decuit; nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Quamquam & videri possit, tantummodo hoc velle, eam, utut naturâ similis esset ceteris mulieribus, in eo tamen differre, quòd Spiritu S. gravidata Servatorem conceperit sine culpâ. Quæstio enim erat, cur Maria non fuerit in Christi partu communibus lassata injuriis: respondet, hoc eo factum, quia innoxia fuerit Christi conceptio. Similiter dixerat idem paullo antè: *Nec locus ibi erat lavacris, quæ solent puerperis praeparari. quippe nec aliqua naturæ injuria matrem Domini læserat, quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate.*

Ex his liquet, utut recentiores Mariam in originali peccato conceptam negent; antiquos tamen id asseruisse. Quemadmodum etiam agnoscit Biel. in III. sentent. dist. III. quæst. I. art. II. ubi multos veterum laudat sententiæ suæ suffragatores: alios inter Fulgentium de Fide Patrum cap. XXIII. quem ille putabat esse Augustinum. Item Melchior Canus lib VII. Loc. Theol. c. I. num. I: *Ex hoc*, inquit, *loco* (Rom. V. in quo omnes peccaverunt) *Sancti* OMNES *uno ore asseverarunt, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse, Chrysostomus, Eusebius, Remigius, Ambrosius, Augustinus, Bernardus, Beda, Anselmus, Erardus martyr. S. Antoninus, D. Bonaventura*, &c. Imò nec negare hoc audet Baptista Mantuanus, etsi ipse in hoc à junioribus, quàm veterum patribus stare malit. Nam lib I. Parthen. cùm docuisset, Mariam sine originali peccato esse conceptam, scribit in hunc modum:

Sunt tamen audentes contrà sentire. nec illos
Incusamus. habent quo se tueantur: & OLIM
ISTA HOMINUM COMMUNIS ERAT *sententia: verum*
JAM SENIO EXANGUI FRIGENS *sua robora sensim*
Perdit, & AMISSA JAM MAJESTATE, *recedit*
Sponte suâ, ceditque novo Latonia Phœbo.

Similiter scribit Desiderius Erasmus in Responsione ad Albertum Pium: *Quod ad originis peccatum attinet,* OMNES VETUSTI SOLUM CHRISTUM *eximunt ab omni peccato: nec hodie desunt, qui in templis suis publice doceant, sacratissimam virginem non fuisse immunem à peccato originis; cum ego contrarium sentiam in libris meis.*

Minimè verò prætereundum videtur, quod Sextus Pontifex in eâ constitutione, quæ incipit, *Grave nimis*, disertis verbis pronunciat, nondum esse quæstionem istam de conceptione B. virginis ab Ecclesia Romana & Apostolicâ sede definitam, & ideo pœnam excommunicationis statuit in eos, qui alterutram sententiam, ut hæreticam, damnare audent. Ejusdemque est farinæ, quod Concilium quoque Tridentinum Sess. VI. can. XXIII. permittit opinandi libertatem circa hanc quæstionem. Quorum utrumque agnoscit Bellarminus loco antè allegato. At interea fatetur idem, non solùm Alexandrum VI, Julium II, & Leonem X, ordinem quendam in honorem immaculatæ conceptionis institutum confirmasse & privilegiis ornasse: verùm etiam totum ferè orbem Christianum celebrare festum immaculatæ conceptionis. Atqui si hoc solùm probabile, non verò certum est, cur Pontifex ordinem religiosum instituit in honorem rei incertæ? cur festum diem celebrari jubet, si de rei veritate nondum constat? Plura qui hac de controversiâ legere volet, adeat è Pontificiis Cajetanum lib. de Conceptione, Consalvum Durantum notis ad Revelationes Brigittæ lib. I. cap. XXXIII. num. 2. pag. 54. lib. III. cap. VIII. num. I. pag. 160. lib. III. cap. XLIX. pag. 471. item è nostris Joannem Gerardum Loc. Theol. T. 2. de peccato origin. pag. 644. usque ad. 669. Paulum Ferrium Scholastici orthodoxi speciminis cap. XXI, Abrahamum Costerium in vindice loci scripturæ (Gen. III. 15.) cap. V.

THESIS IV.

Denique nec consentiunt antiqui, ac ne scholastici quidem, utrùm parvuli citra baptismum discedentes, certò excludantur cælorum regno: & ut ibi iis non pateat locus, num mediâ sint conditione inter præmium ac supplicium: & si supplicio alicui obnoxii sint, num apud inferos afficiantur pœnâ damni, an etiam sensus. Augustinus duriorem amplexus sententiam fuit. Mitissimum tamen eorum fore dolorem opinabatur, ut sic esse malint, quàm omnino non esse. Alii etiam non baptizatos, præsertim qui nullâ parentum culpâ baptismo caruerint, in cælum admittunt: & qui eo non recipiantur, hos mediâ fere conditione inter præmium & pœnam arbitrantur. Alii etiam pœnæ apud inferos fore obnoxios aiunt, sed uti nullam peccando voluptatem senserunt in hac vitâ, ita nec ex pœnis dolorem ullum sensuros in alterâ. damni quidem pœnam parere pœnam sensus, si damnum sciatur: sed infantes ignoraturos, ut peccato fuerint obstricti, & quantâ per illud felicitate exciderint. Aut si revelatione illud aliquâ discant, posse divinam clementiam hanc ægritudinem sistere. Atque utcumque hoc erit, saltem acquieturos conditioni suæ: quia parum verisimile sit, ut qui nullum actuale peccatum commiserint in hac vitâ, id facere incipiant in alterâ, tum demum efferendo se erga Deum, & divinis obmurmurando judiciis.

MUltorum ea opinio fuit, peccatum originale per se non mereri pœnam exitii, sed exsilii; non inclusionem in carcerem gehennæ, sed exclusionem à regno cœlorum. Ita sensisse antiquum scriptorem commentariorum in epistolas Pauli, qui vulgò Ambrosio tribuuntur, cognoscimus ex iis, quæ annotat in cap. V. ad Rom. ubi cùm de peccato originali dixisset, subjicit hæc verba: *Mors autem dissolutio corporis est, cùm anima à corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur, in gehenna,* QUAM NON PECCATO ADÆ PATIMUR, SED EJUS OCCASIONE PROPRIIS PECCATIS ACQUIRITUR. Vixisse eum scriptorem ante annum Christi quadringentesimum, indicant istæc verba ad cap. III. prioris ad Timoth.: *Ecclesia domus Dei dicitur, cujus hodie rector est Damasus.* Obiit enim Damasus anno CCCLXXXIV. Addere huic liceat Innocentium III. quanquam ætate multo inferiorem: ut qui ante quadringentos demum annos vixerit. Is lib. III. Decretal. Tit. de baptismo & ejus effectu, can. Majores, scribit disertim: *Pœna Originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis verò pœna peccati est gehenna perpetuæ cruciatus.* Ex Græcis quoque amplexus hanc sententiam est Gregorius Nazianzenus. Oratione enim, quæ est in sanctum baptisma, cùm è tribus eorum generibus, qui sine baptismo ex hac vitâ discedunt, tertium fecisset

eorum, qui baptismum consequi non potuerunt, ἢ διὰ νηπιότητα τυχὸν, ἢ τινα πάντως ἀκούσιον περιπέτειαν, *vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum prorsus & violentum aliquem casum*: de tertio hoc genere scribit in hunc modum a. Τοὺς δὲ μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ, ὡς ἀσφραγίστους μὲν, ἀπονήρους δὲ, ἀλλὰ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν, ἢ δράσαντας. οὐ γὰρ ὅστις οὐ κολάσεως ἄξιος, ἤδη καὶ τιμῆς· ὥσπερ οὐδὲ ὅστις οὐ τιμῆς, ἤδη καὶ κολάσεως. *Postremi denique, nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo judice afficientur; utpote qui, licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potiùs fuerint, quàm fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum neque, quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur.*

a P. 653. edit. Morell.

Eodem pertinet, quod antè eâdem dixerat oratione: Γενέσθω τι μέσον τῆς χάριτος, καὶ τῆς ἀποκλείσεως, ἵνα μὴ ἐξαλειφθῇ τὰ πονηρὰ γράμματα μόνον, ἀλλὰ καὶ μεταγραφῇ τὰ βελτίονα, ἵνα μὴ τὸ χάρισμα μόνον ἔχῃς, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀντίδοσιν, ἵνα μὴ τὸ πῦρ φύγῃς μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς δόξης κληρονομήσῃς. *Inter gratiam ac mortem medium quid intercedat: ut non solùm pravæ literæ deleantur, verùm etiam earum loco meliores inscribantur; nec solùm gratiam habeas, verùm etiam præmium consequaris; nec ignis tantùm supplicium effugias, verùm etiam gloriæ hæreditatem percipias.* Etiam Græcus scholiastes ejus, Nicetas, ad hanc ipsam orationem sic scribit b: *Tres, ut opinione assequor, gradus existunt: unus eorum, qui supernis deliciis perfruuntur: alter eorum, qui suppliciis æternis excruciantur: medius eorum, qui nec cælestis regni voluptates sentiunt, nec pœnis ullis torquentur: in quo & pueruli, qui baptismo perfusi non sunt, & qui, cum baptismum expeterent, violento tamen aliquo casu impediti, suscipere non potuerunt, constituentur.* Scriptor quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio tribuuntur vulgo, quæst. CXIV c: Ποῦ ὑπάγουσι τὰ τελευτῶντα νήπια; εἰς κόλασιν, ἢ εἰς βασιλείαν; καὶ ποῦ τὰ τῶν ἀπίστων νήπια; καὶ ποῦ τὰ τῶν πιστῶν ἀβάπτιστα ἀποθνήσκοντα νήπια; μετὰ τῶν πιστῶν, ἢ ἀπίστων; ΑΠΟΚΡΙΣΙΣ. Τοῦ Κυρίου λέγοντος, Ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· καὶ πάλιν τοῦ Ἀποστόλου φάσκοντος, Νῦν δὲ τὰ τέκνα ὑμῶν ἅγιά ἐστι· πρόδηλόν ἐστιν ὡς ἄσπιλα καὶ πιστὰ εἰς τὴν βασιλείαν εἰσέρχονται τὰ τῶν πιστῶν βεβαπτισμένα νήπια· τὰ δὲ ἀβάπτιστα, καὶ τὰ ἐθνικὰ, οὔτε εἰς βασιλείαν εἰσέρχονται· ἀλλ' οὔτε πάλιν εἰς κόλασιν· ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἔπραξαν. *Quo vadunt pueri morientes? ad pœnamne, an ad regnum? Et quo infidelium non baptizati, si decedant, recipiuntur? cum fidelibusne, an cum infidelibus?* RESPONSIO *Cum Dominus dicat,* Sinite pueros ad me venire: talium enim est regnum cælorum; *item cum Apostolus testetur,* Nunc filii vestri sancti sunt: *constat, incontaminatos & fideles in regnum cælorum ingredi fidelium baptizatos infantes. Ethnici verò, & non baptizati, neque in regnum ingrediuntur: neque etiam rursus in pœnam: peccatum enim non commiserunt.* Nec videtur ab hac sententiâ abhorruisse ipse Augustinus, ut qui lib. III. de libero arbitrio cap. XXIII. scribere non dubitet: *Dicunt enim, Quid opus erat, ut nasceretur, qui, antequam iniret ullum vitæ meritum, excessit è vitâ? Aut qualis in futuro judicio deputabitur; cui neque inter justos locus est, quoniam nihil rectè fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus respondetur; Ad universitatis complexum, & totius creaturæ vel per locos, vel per tempora ordinatissimam connexionem, non posse superfluò creari qualemcunque hominem, ubi folium arboris nullum superfluo creatur. Sed sanè superfluò quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit. Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quadam inter rectè factum atque peccatum: & sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.* Vides, ut Augustinus hic diffiteri non ausit, mediam esse conditionem inter eos, qui decorantur præmio vitæ æternæ, & illos qui plectuntur supplicio gehennæ. Sed aliter idem loqui solet post exortos Pelagianos, qui putabant, parvulos non baptizatos beatos fore loco extra cœlos & gehennam; ubi nec visione Dei gaudeant, nec dolore aut molestiâ ullâ afficiantur. Unde Augustinus lib. de hæresibus cap. LXXXVIII. *Nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.* Quam ipsam sententiam, vel admodum sanè affinem, secutus quoque fuit Ambrosius Catharinus lib. de statu puerorum sine baptismo decedentium, & Albertus Pighius in primâ controversiâ: quorum uterque docuit, parvulos sine baptismo discedentes post judicium beatitudine naturali, velut in paradiso terrestri, perpetuò frituros. Quare, si adversus Pelagianos valent, adversus hos quoque habent locum, quæ contra locum hunc tertium passim disputat Augustinus. Ponam illustrem de hoc παράδειγμα ex Tom. X. de verbis Apostoli serm. XIV. ubi sic scribit: *Quid de vitâ æternâ? habebunt, inquiunt. Quare habebunt? quia nullum peccatum habent, & ad damnationem pertinere non possunt. Ergo est æterna vita extra regnum cælorum? Primus hic error aversandus ab auribus, exstirpandus à mentibus. hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cælorum, esse salutem æternam præter regnum Dei. Prius vide, frater, ne fortè hinc consentire nobis debeas, quisquis ad regnum Dei non pertinet, eum ad damnationem sine dubio pertinere. Venturus est Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dextram & sinistram. Sinistris dicturus: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur. alii erunt ad dextram, alii ad sinistram. non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio. non te offendat, qui dextram quærit, & teipsum admonet. recede de medio, sed noli in sinistram. Si ergo dextra, erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus. ecce in dextra, regnum cælorum est. percipite, inquit, regnum. qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum In dextra, ad regnum, utique æternum; in sinistra, in ignem æternum. qui non in dextra, procul dubio in sinistra. ergo qui non in regno, procul dubio in ignem æternum.* Gemina his planè legere est apud eruditum scriptorem Hypognosticon lib. V. ubi hæc verba: *Primum enim locum fides Catholicorum divina autoritate regnum credidit esse cælorum; unde, ut dixi, non baptizatus excipitur. Secundum, gehennam, ubi omnis apostata, vel à Christi fide alienus, æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis sanctis invenimus. Finge, Pelagiane, locum ex officina dogmatis tui, ubi alieni à Christi gratiâ vitam requiei & gloriæ possidere parvuli possint. Dextra justi judicis sedentis, & sinistra, regnum est & gehenna, vita est & mors, justi & iniqui. In dextra igitur justi sunt constituti: in sinistra, operarii iniquitatis. in regno requies baptizatorum; in gehenna, pœna incredulorum. Vita ad latitiam gloriæ: mors ad fletum & stridorem dentium. Justi in regno Patris cum Christo: iniqui in igne æterno, parato diabolo & angelis ejus. Sed hoc dicens, non divisiones locorum multorum dedi, nisi duorum tantum, quoniam ad duo, regnum videlicet & gehennam, hæc omnia referuntur, etiamsi plura dicantur: dextra enim vita justi: vel, sicut dixi, addamus justitia, sanctitas, beatitudo & cætera bona a ad regni cælorum requiem referuntur. Sinistra vero, id est ii, qui sinistra adstabunt, iniqui, mors, injustitia, dolositas, impietas, & quamlibet mala ad gehennæ tormenta, ubi mors, quæ secunda dicitur, non finitiva, sed cruciatu durabilis erit.* Hactenus ille. Propter quæ multi sic mediam cum Augustino sententiam agnoscunt, ut tamen medium locum negent: neque dicant, esse extra regnum cœlorum ullam

b Col. 1060. ejusd. edit.

c T. 2. pag. 309. edit. Commel.

a Legendum puto, Bona, quæ ad regni &c.

ullam seu supernaturalem, seu naturalem beatitudinem: sed infantes aut, dimisso peccato, in cœleste regnum recipi, aut, eo non dimisso, in gehennam conjici arbitrentur. In eo solùm hi quoque dissident inter sese, quòd nonnulli velint, puniri infantes carentiâ visionis Dei, at nullum inde percipere dolorem: alii censeant, ab externo quidem dolore esse liberos, at non planè eos expertes esse doloris interni, sed tristitiam inde contrahere, quòd beatitudine æternâ, & piorum majorum ac consanguineorum consortio sint orbati, sibique in tenebricoso inferorum carcere vitam perpetuò degendam esse intelligant. Vide de utràque hac sententia Petrum Lombardum, & ad eum, Thomam, Bonaventuram, cæterosque Scholasticos lib. II. Sentent. distinct. XXXIII. Augustino autem magis verisimile visum fuit, ut infantes, qui, non dimisso peccato, morerentur, non essent absque dolore omni ac molestiâ. Indicant hoc ejus verba lib. VI. in Iulianum cap. IV: *Si hoc eis non erit malum, non ergò amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei? Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?* Orosius apolog. de Arbitrii libertate; *Hac gratia Christi*, SINE QUA nec INFANTES *nec ætate grandes* SALVI FIERI POSSUNT, *non meritis redditur, sed gratis datur; propter quod & gratia nominatur: Justificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius. Unde hi,* QUI *non per illam liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive* ETIAM, CUM PER ÆTATEM AUDIRE NON POSSENT, LAVACRUM REGENERATIONIS, *quod accipere possent per quod salvi fierent*, NON ACCEPERINT, UTIQUE DAMNANTUR; *quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt, sive in Adam, sive in se ipsis, & egent gratiâ Dei.* Prosper epistolâ de Libero arbitrio ad Rufinum; *De his enim loquor, qui mox, ut nati sunt, renascuntur, & rapti ab hac vitâ æternæ beatitudini deputantur. Cùm tamen innumerabilis multitudo, ejusdem naturæ, ejusdem conditionis infantium sine regeneratione decedat. de qua dubitari non potest, quòd partem in civitate Dei non habent.* Eadem est sententia illius, qui de cardinalibus Christi operibus ad Cornelium Papam (ut quidem ἐπιγραφὴ præfert) eruditum scripsit commentarium, sed suppresso nomine, quemadmodum ipse agnoscit in præfatione; unde & factum censeo, ut postea is liber tributus sit Cypriano, quem Cornelii ejusce tempore vixisse constat. Sed stylus à Cyprianeo multùm abhorret. Pluraque alia, Cypriani non esse, ostendunt, quæ adduximus parte hujus libri primâ. Quibus adde, (quod, cùm ista jam scripsissemus, primus nos docuit vir undecumque maximus, Hugo Grotius) quòd scriptoris hujus ætate rei Paschalibus feriis è carcere liberabantur. Hoc enim ostendunt ista verba serm. XIII. de unctione Chrismatis: *Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Severitate depositâ hodie judices mansuescunt.* At illud, ut ante Constantini tempora non contigit, ita sub Christianis Impp. obtinuisse, cognoscimus ex lege Valent. Theod. & Arcad. AAA. quæ est Cod. lib. I. Tit. IV: *Nemo deinceps tardiores fortassis affatus nostræ perennitatis exspectet. exsequantur judices, quod indulgere consuevimus. ubi primus dies paschalis exstiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula dissolvantur.* Sed ad institutum revertamur. Scriptor, inquam, iste, sermone de ratione circumcisionis, super originalis peccati pœnâ agens: *Supererat*, inquit, *post mortem carnis, animæ labor, & afflictio spiritus.* Verum qualis & quanta hæc spiritus sit afflictio, veterum nemo

a Matth. 16. 24. & Marc. 14. 21. ausus est definire. Sanè licet Servator noster de eo, qui in gehennam conjiciatur ob culpam propriam, dixerit a, *Bonum erat homini illi, si natus non fuisset:* Augustinus tamen pronunciare metuit, hoc in iis quoque habere locum, qui ob solum puniuntur originale peccatum. Adferam verba ejus ex lib. V. in Iulianum cap. VIII: *Ego autem non dico, parvulos, sine Christi baptismate morientes, tantâ pœnâ esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret.* Et infra: *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissimâ futuros; quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potius expediret.* Idem tamen, epist. CXXVI. ad Hieronymum, supplicii quoque vocem de parvulis usurpat, planeque sic loquitur, ut appareat, non aliter eum originalis delicti pœnam ab actualis peccati supplicio, quàm gradu sive intentione, discernere. Nec aliter Scriptor Hypognosticon lib. V: *Non baptizatus*, inquit, *gehennæ æternæ supplicia experietur.* Item B. Fulgentius, lib. de Incarnatione & gratiâ Iesu Christi: *Imago Dei, quæ nihil potuit per se ipsam delinquere, in regnum Dei non permittitur intrare. quò utique quisquis non ingreditur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis.* Et lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. III: *In originali peccato quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam, quàm ab ejus obligatione solvatur, si unius diei, vel unius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia, ubi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est.* Capite quoque XXIX. ejusdem libri ait, *Firmissime tene, & nullatenus dubites, parvulos, sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Et lib. I. de verit. prædestinat. *Pro originali peccato æternis ignibus arsuri sunt sine baptismate morientes, etiam parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt.* Et Gregorius Magnus lib. IX. Moral. cap. XVI: *Nonnulli*, inquit, *prius à præsentis luce subtrahuntur, quàm ad promerenda bona malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia à culpâ originis sacramenta salutis non liberant, & hîc ex proprio nihil egerunt, & illuc* AD TORMENTA *perveniunt.* Et mox: PERPETUA *quippe* TORMENTA *percipiunt, qui nihil ex propriâ voluntate peccaverunt.* of. vitæ. Etsi nec alterum improbem.

Satis hæc ostendunt, veteres omnes sensisse, hominem per originale peccatum reddi dignum vel supplicio ac tormentis gehennæ; vel saltem perpetuâ separatione à facie Dei: atque adeò non tantùm illhoc promereri, sed plurimos etiam, non dimisso hoc peccato, in infantiâ de hac vitâ exeuntes, reapse in gehennæ carcere æternùm plecti, vel minimùm cœlorum regno excludi. Unus, quantum meminisse valeo, Vincentius Victor dissensit, qui recens à Donatistis conversus, non arctè adeò Catholicis adhærebat. Is universos infantes cœlorum regno dignabatus. Quid verò eum in hanc sententiam impulerit, docet nos Augustinus lib. I. de animâ & ejus origine cap. IX. *De illis autem parvulis, qui morte præveniuntur, priusquam baptizentur in Christo, cùm respondere voluisset, ausus est eis promittere non solùm paradisum, verùm etiam regnum cælorum: non inveniens quà exiret, ne Deum animas innocentes dicere cogeretur æternâ morte damnare, quas, nullo merito præcedentis peccati, carni inserit peccatrici.* Et lib. III. cap. XIII. eundem Vincentium, tanquam hac parte Pelagio ipso deteriorem, compellat in hunc modum: *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vitâ emigraverint, interim non ire in regnum cælorum, sed in paradisum; postea verò in resurrectione mortuorum etiam ad regni cælorum beatitudinem pervenire, si vis esse Catholicus. Hoc enim eis dare nec Pelagiana hæresis ausa est, quæ opinatur, parvulos non trahere originale peccatum: quos tu, quamvis sicut Catholicus cum peccato nasci fatearis, nescio quâ tamen perversioris novitate opinionis, sine baptismate salvari, & ab hoc peccato, cum quo nascuntur, absolvi, & in regnum cælorum asseris introduci. Neque consideras, in hac causâ quanto deterius sapias, quàm Pelagius. Ille quippe Dominicam sententiam*

pertimescens, quâ non baptizati in regnum cælorum non permittuntur intrare, licet eos, quos a ab omni peccato liberos credis, non illo audes parvulos mittere. Tu verò sic contemnis, quod dictum est: Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei: ut excepto errore, quo audes à regno Dei paradisum separare, quibusdam, quos reos nasci, sicut Catholicus, credis, sine baptismate mortuis, & illius reatus absolutionem, & regnum cælorum non dubites insuper polliceri: quasi, contra Pelagium in originali peccato adstruendo, tunc esse possis Catholicus verus; si contra Dominum fueris, in destruendâ ejus de Baptismo sententiâ, hæreticus novus.

a Tò quos delendum suspicor.

Ex quibus verbis satis paret, credidisse Augustinum, ne quidem ex fidelibus parentibus natos in cœlos recipi, si ante perceptum baptismum denascantur. Quod ipsum cap. IX. ejusdem libri indicat his verbis: *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos, posse pervenire ad indulgentiam originalium peccatorum, si vis esse Catholicus.* Idem docet lib. II. de origine animæ cap. XII. & epist. CVI. ad Paullinum, & lib. I. de meritis peccat. cap. XXIII. Imò eandem quoque sententiam comprobavit synodus Palæstina: ut ostendunt hæc verba Alypii & Augustini, epistolâ Augustinianarum CVI. ad Bonifacium, sive, ut alii, Paullinum: *Cogitur itaque respondere, quod Pelagius in Ecclesiastico* (Palæstino) *judicio, ut aliquo modo Catholicus pronunciaretur, anathematizare compulsus est, infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam. Hac enim negata, quid nisi mors æterna remanebit?* Nec aliam fuisse mentem Patrum concilii Carthaginensis, innuit eorum epistola, quæ inter Augustinianas nonagesima est. Milevitanam quoque synodum idem sensisse, paret ex ejus concilii epistola, quæ in Augustino est XCII. Similiter quoque Innocentius primus epistolis iis, quibus utrique concilio respondet. Sunt eæ in Augustinianis XCI. & XCII. Nec aliter Cyrillus Catechesi III *b*. & XVIII *c*. Leo M. epist. LXXXVI. ad Nicetam. Scriptor de vocatione gentium lib. II. cap. VIII. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. III. &c.

b P. ... ed. Morellian 1608.
c P. 492.

In hanc sententiam compulit eos, quòd omnis anima censeatur in Adam, usque dum recenseatur in Christo: nec recenseatur in Christo, nisi cum regeneratur à Christo: non regeneretur autem à Christo, nisi, ut aiunt, per baptismum: quò trahere solent illud Christi apud Johan. III. 5. *Nisi quis genitus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Idem probant institutione circumcisionis Genes. XVII. ubi cum dixisset Deus, *Circumcidetis carnem præputii vestri; quod erit signum fœderis inter me & vos*: subjicit mox, *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ea de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quorum ea verborum sententia sit, homo ille, quia fœderis signum neglexit, non censebitur in populo meo, & quia non censebitur in populo meo, icirco nec pertinebunt ad eum promissiones factæ populo meo. Atqui, inquiunt, baptismus successit in circumcisionis locum. Non igitur, qui baptizati non sunt, censendi sunt de populo fidelium, sive de Ecclesiâ; extra quam salus non est. Præterea argumentum petunt à diluvio, qui baptismi typus erat, ut arca Ecclesiæ. At periere, inquiunt, infantes omnes, qui extra arcam fuerunt. pereunt igitur & infantes illi, qui per baptismum Ecclesiæ Dei non inseruntur. Imprimis autem hoc dogma urfere tum Africani patres, tum episcopi Romani. In caussâ erat, quòd iis negotium esset cum Pelagio, negante peccatum originale, nec aliam agnoscente in infantibus caussam baptismi, quàm ut pertinerent ad regnum cælorum. Volebat enim ille, infantes, quia absque delicto sint, nec præmium mereri, nec pœnam: sed, ut præmium consequantur, baptizari eos debere. Adversus hunc contendebant Patres isti, infantes peccato originali esse obnoxios, ac proinde veraciter baptizari in remissionem peccatorum: atque, hoc peccato non dimisso, tantùm cœlo excludi, quod Pelagius non negabat; verùm etiam gehennæ includi; quod ille, non paucis veterum præeuntibus, diffitebatur.

Sed nonnullis eorum, qui postea vixere, sententia Africanorum Patrum aliquanto, quam necesse erat, durior visa fuit. Nam, ut omittam, quòd plerique Scholasticorum (quemadmodum & antea dictum) absque baptismo morientibus damni duntaxat pœnam irrogabant: fuere etiam inter eos, quibus placeret, non omnes cœlo excludi, qui sine baptismo vitâ cessissent; sed tantummodo, qui nec reapse, nec voto vel suo, vel eorum, in quorum fuissent potestate, baptismum essent consecuti. Fuit hæc sententia Johannis Gersonis tom. III, sermone eo, quem in Concilio Constantiensi habuit in Nativitat. B. Mariæ. Gabrielis Biel in lib. IV. dict. IV. quæstion. II. Thomæ Cajetani in III. part. Thomæ Aquin. super quæst. LXVIII. art. I. II. & XI. & quorundam aliorum. qui omnes, tam in infantibus, quàm adultis, votum baptismi pro baptismo habendum putant. ut hic quoque habeat locum istud calcatum: Voluntas pro facto. Item, Ad impossibile nemo obligatur. Item, Non privatio, sed contemtus sacramenti damnat.

Confirmant hæc eo, quòd liberi Iudæorum haudquaquam damnabantur lege divinâ, si ante octavum diem necdum essent circumcisi: quemadmodum neque si post eum diem circumcisione carerent, modò impediisset necessitas: uti Israëlitis *a* contigit in deserto. At, inquiunt, circumcisioni in novo fœdere surrogatus est baptismus: eoque de hoc, exceptâ octavi diei ἀκριβείᾳ, similiter judicari debet. a Jos. 5. 5.

Præterea hæc statuminant ex illis Patribus, qui ipsis alioqui durissimè de infantibus non baptizatis senserunt. Ac primò ex eo quòd docent, martyribus non baptizatis pro baptismo fluminis esse baptismum sanguinis. Statuit hoc inter alios Cyrillus, sive, ut eum Augustini codex vocat, Joan. Hierosolymitanus Catechesi III *b*. Εἴ τις μὴ λάβῃ τὸ βάπτισμα, σωτηρίαν οὐκ ἔχει, πλὴν μόνων μαρτύρων, οἳ καὶ χωρὶς τοῦ ὕδατος λαμβάνουσι τὴν βασιλείαν. Λυτρούμενος γὰρ τὴν οἰκουμένην ὁ σωτὴρ διὰ τοῦ σταυροῦ, καὶ τὴν πλευρὰν νυγείς, ἐξῆγε μὲν αἷμα καὶ ὕδωρ, ἵνα οἱ μὲν ἐν καιροῖς εἰρήνης ἐν ὕδατι βαπτισθῶσιν, οἱ δὲ ἐν καιροῖς διωγμῶν, ἐν οἰκείοις αἵμασι βαπτισθῶσι. καὶ τὸ μαρτύριον γὰρ οἶδε βάπτισμα καλεῖν ὁ σωτήρ, λέγων· δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ πίνω, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; Vertebat Ioannes Grodecius: *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres, qui vel sine aquâ regno cælesti potiuntur. Redimens enim terram salvator per crucem, & in latere vulneratus, sanguinem & aquam emisit: ut alii quidem pacis tempore in aquâ baptizarentur: alii verò tempore persecutionis in propriis sanguinibus baptizentur. Quod verò etiam is rectè baptismus vocetur, vide Salvatoris testimonium, qui dicit: Potestis bibere calicem, quem ego bibam, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Nec solùm in adultis fatentur hoc habere locum, sed etiam in infantibus propter Christum necatis: uti illis, quos Bethlehemi interemerat Herodes. Sanè martyres eos vocat Irenæus lib. III. adversus hæreses cap. XVIII. Eosdemque in honorem martyrum receptos ab Ecclesiâ commendari, scribit Augustinus epist. XXVIII. ad Hieronymum. Etiam exstant quatuor Augustini sermones, (qui tom. 10. in homiliis de Sanctis leguntur) duo item Petri Chrysologi, nempe LII. & LIII. quos horum sollemnitate habuerunt. Imò, nisi nos decipit Rufinus interpres, jam Origenis ætate illorum martyrium festo die celebrabat Ecclesia: quemadmodum indicant hæc verba Tom. II. homil. III. in diversos: *Horum parvulorum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur, secundum integrum ordinem sanctorum, ut primorum martyrum pro Domino occisorum, & ut ipsa Bethlehem primitias Domino martyrum, in quâ natus est ipse Salvator, obtulisse videatur.*

b Pag. 60. edit. Mor. an. 1608.

Alte-

a Lib. de Eccles. dogm. cap. 74. & ex eo apud Gratianum de Consecrat. dist. 4. can. Catechumenum.

Alterum inde argumentum petunt, quòd etsi Gennadius Massiliensis scribere non veretur *a*, *Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere, excepto martyrio*: hanc tamen opinionem rejiciant Patres alii, qui agnoscunt, salvari catechumenos, licet, baptismo nondum percepto, è vitâ migrent. Contigit hoc Valentiniano Imperatori. Unde Ambrosius Tom. III. oratione funebri de obitu Valentiniani Imperatoris: *Quem in Evangelio eram generaturus, amisi: sed ille non amisit gratiam, quam poposcit.* Idem inferiùs hisce verbis consolatur sorores Valentiniani de obitu fratris dolentes: *Sed audio, vos dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc voti habuit, ut et antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proxime baptizari se à me velle significavit. Et ideo præ cæteris caussis me arcessendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? Non habet, quam poposcit? Certè, quia poposcit, accepit. Et ubi illud est, Justus quacunque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit? Solve igitur, pater sancte, munus servo tuo, quod Moses, dum in spiritu vidit, accepit: quod David, quia ex revelatione cognovit, emeruit. Solve, inquam, servo tuo Valentiniano munus, quod concupivit, munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. Si affectus ægritudine distulisset, tamen non penitus à tuâ misericordia esset alienus, qui celeritate temporis esset, non voluntate, fraudatus. Solve ergò servo tuo munus gratiæ tuæ, quam ille nunquam negavit, qui ante diem mortis templorum privilegia denegavit, his urgentibus, quos revereri posset. Adstabat virorum caterva gentilium, supplicabat Senatus: non metuebat hominibus displicere, ut tibi soli placeret in Christo. Qui habuit Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut si quia solenniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet: ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronentur. Non enim coronantur, si non initiantur. Quodsi suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit, & voluntas.* Aliquanto etiam pòst ait idem: *Christus te baptizavit, quia humana tibi officia defuerunt.* Hanc Ambrosii sententiam comprobavit etiam Augustinus. quod de eo testatur Innocentius II. ad episcopum Cremonensem *b*. ubi ex VIII. libro Augustini de civit. Dei hæc verba citat: *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemtus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Et in memoria fefellit seu Innocentium, seu ejus notarium, quòd verba ista citat ex lib. VIII. de civitate Dei, quæ nec in eo, nec ullo librorum istorum legere est: sed lib. IV. de baptismo contra Donatistas. Nam eodem lib. cap. XXI. sic scribit: *Quâ in re nec ego dubito, catechumenum catholicum, divinâ caritate flagrantem, hæretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsâ intus catholicâ bonum catechumenum malè baptizato anteponimus. nec ideo tamen sacramento baptismatis, quo iste nondum, ille jam imbutus est, facimus injuriam: aut catechumeni sacramentum sacramento baptismi præferendum putamus, cùm aliquem catechumenum aliquo baptizato fideliorem melioremque cognoscimus. Melior enim centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato. Iste enim & ante baptismum sancto Spiritu repletus est: ille & post baptismum immundo spiritu sufflatus est. Verumtamen Cornelius, si etiam Spiritu sancto accepto baptizari noluisset, contemti tanti sacramenti reus fieret.* Convenienter istis subjungit cap. XXII: *Baptismi sanè vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in Paradiso: beatus Cyprianus non leve documentum assumit. Quod etiam atque etiam considerans invenio, inquit, non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismate deerat, posse supplere; sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et infra: *Quantum itaque valeat, etiam sine visibili sacramento Baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: in illo latrone declaratum est. Sed tunc,* inquit, *impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi, non contemtus Religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Ubi agnoscimus ea Augustini verba, quæ citarat Innocentius. Eademque adducit Bernardus epist. LXXVII. qui ista subjungit: *Et quidem non ignoro, retractare ipsum* (Augustinum) *id, quod posuerat testimonium de latrone, minusque idoneum ad comprobandam illam sententiam constiteri, eo quod sane incertum sit, utrumnam fuerit baptizatus. Cæterum sententiam & audacter prosequitur, & multipliciter confirmat, nec usquam* (*nisi fallor*) *retractâsse reperies.* Hoc ipsum confirmant, quæ idem Augustinus subdit ejusdem libri cap. XXIII. *Quid autem valeat, & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti, sine qua tamen ille latro non fuit, quia non ejus accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas affuit, difficile est dicere. Nisi tamen plurimum valeret, non servi baptismum Dominus accepisset: verum quia per se ipsa consideranda est, excepta salute hominis, cui perficiendæ adhibetur, satis indicat, quod & in malis, & in eis, qui in seculo, verbis, non factis renunciant, ipsa integra est, cum illi, nisi corrigantur, salutem habere non possint. Sicut autem in latrone, quia per necessitatem corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter affuit, sic & cum ipse præsto est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus. Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem.* Et cap. XXIV. *Et sicut in illo latrone* (inquit) *quod ex baptismi sacramento defuerat, complevit Omnipotentis benignitas; quia non superbiâ vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impiâ voluntate, sed ex ætatis indigentiâ, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.* Item cap. XXV. *Quibus rebus* (ait) *omnibus ostenditur, aliud esse Sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis; sed salutem hominis ex utroque compleri. nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus, consequens esse, ut & alterum desit; quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone: complente Deo, sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset: cum verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi. Et baptismus quidem potest inesse, ubi conversio cordis defuerit: conversio autem cordis potest quidem inesse, non percepto baptismo; sed contemto, non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei sacramentum contemnitur.* Idem colligi ex iis potest, quæ scribit lib. I. de adulterinis conjugiis cap. XXVI. & XXVII. ubi sermo est *de catechumenis in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi fiat, ut, quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen baptismum, vel ad interrogata respondere non possint.* Quales esse baptizandos, censet Augustinus: *Prosit*, inquit, *eis, quod eorum in fide Christianâ jam nota voluntas est.*

b Apud Gregor. 9. in cap. Apostolicam. de presb. non baptiz.

Ex his colligunt multi (etiam S. Bernardus) in hunc modum: Si in Catechumenis morte ante baptismum præventis votum baptismi est pro baptismo: si item in martyribus, tam infantibus quàm adultis, baptismus sanguinis est pro baptismo fluminis: nihil caussæ est, cur in infantibus, non incuria aut sacramenti contemtu, sed mortis necessitate à sacramento exclusis, baptismus flaminis absque baptismo fluminis esse non possit. Nec enim dici potest, aliquod hic adultorum esse privilegium, quando infantes quoque erant, quos in Bethlehem occidi jusserat Herodes: quos inter etsi etiam essent incircumcisi, universos tamen, uti Augustinus agnoscit, pro martyribus vetus habuit Ecclesia. Præterea perabsurdum videtur, ut durior sit Deus erga infantulos, soli originali peccato obnoxios, quàm adultos, peccatis multis actualibus infectos.

Ob-

Objici solent verba Christi, quibus, omnibus non regenitis aquâ & spiritu, negat regnum cœlorum. Sed respondet Petrus Lombardus lib. IV. distinct. IV: *Illud*, inquit, *intelligendum est de illis, qui possunt, & contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum est: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, id est, ex ea regeneratione, quæ fit per aquam & spiritum S., non salvabitur.* Et paullo pòst addit idem: *Si aliquis habens fidem & caritatem voluerit baptizari, & non valet necessitate præventus, supplet omnipotentis benignitas, quod sacramento defuerat. Dum enim solvere potest, nisi solvat, tenetur: sed cùm jam non potest, & tamen vult, non imputat ei Deus, qui suam potentiam sacramentis non alligavit.* Similiter verba Christi acceperat B. Bernardus epist. LXXVII. ubi & validis argumentis sententiam suam propugnat. Locus prolixior est: sed dignissimus, qui adscribatur: *In majori*, inquit, *ætate quisquis post vulgatum ubique Baptismi remedium renuit jam baptizari, generali originalique maculæ addit & ex proprio crimen superbiæ, duplicem secum portans justissimæ damnationis caussam, si sic de corpore exire contigerit. Tamen si ante exitum resipuerit, & voluerit & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiverit: dum non desit fides recta, spes pia, caritas sincera, propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere caritatem, tantum si aquam non contemnit, sed sola (ut dixi) prohibeat impossibilitas. Si quis aliter sapit, viderit unde sibi quod asserit persuaserit: nam me non facile fateor assentire, si non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum autoritas. Sed miror admodum, si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventorum, invenire in hoc rationem potuerit, quæ sanctos Patres latuerit, Ambrosium & Augustinum, sive autoritatem eorundem autoritate potiorem. Nam si nescit, uterque idem profecto sensit, quod fatemur sentire & nos. Librum certè Ambrosii de morte Valentiniani legat, si non legit; recolat, si jam legit; non dissimulet, si recolit: & advertet sine dubio, sanctum homini non baptizato & mortuo fidenter de solâ fide salutem præsumere, & tribuere indubitanter bonæ voluntati, quod defuit facultati. Legat & Augustini contra Donatistas de unico Baptismo librum quartum, & se vel agnoscat imprudenter deceptum, vel probet impudenter obstinatum.* Subjungit deinde Augustini locum, quem antea adduximus. Postea inquit: *Item in alio loco, cùm aliquos præmisisset, quos Scriptura commemorat invisibiliter quidem, non tamen etiam visibiliter sanctificatos, tandem infert: Ex his colligitur, aut invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, & profuisse sine visibilibus Sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, & alia modo sint.* Et paullo pòst: *Nec tamen*, inquit, *visibile sacramentum omnino contemnendum. Nam contemtor ejus invisibiliter sanctificari non potest. Ubi satis evidenter ostendit, fidelem & conversum ad Dominum, non si nequiverit, sed si contempserit baptizari, fructu privari baptismatis. Ab his ergò duabus columnis, (Augustinum loquor, & Ambrosium) crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor: credens & ipse, solâ fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi Sacramentum, si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviarit. Vide etiam, ne forte ob hoc Salvator, cum diceret, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: caute & vigilanter non repetierit, Qui vero baptizatus non fuerit: sed tantùm, Qui verò*, inquit, *non crediderit, condemnabitur. Nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsâ sufficere nihil. Quapropter etsi martyrium vicem baptismi posse implere conceditur, non plane hoc facit pœna, sed ipsa fides. Nam absque ipsa quid est martyrium, nisi pœna? Quæ ergo martyrio præstat, ut absque ulla dubietate pro baptismate reputetur, ipsa ita infirma & imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere? Est prorsus sanguinis pro Christo effusio magna cujusdam fidei indubitata probatio, non Deo tamen, sed hominibus. Sed quid si Deus, qui profecto ad probandum quod vult, nullo indiget experimento, æque magnam in corde cujuspiam in pace morientis inspicit fidem, martyrio quidem non interrogatam, martyrio tamen idoneam? Si recordatus fuerit homo, necdum se salutis percepisse mysterium, & dolens pœnitensque toto desiderio expetierit, sed assequi, mortis celeritate præoccupatus, nequiverit; damnabit fidelem suum Deus, damnabit, inquam, hominem pro se etiam paratum mori? Paulus dicit, Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Hunc ergò, qui in articulo mortis non solum invocat Dominum Jesum, sed ipsius quoque toto desiderio expetit Sacramentum, dicemus aut non loqui in Spiritu sancto, & falsus erit Apostolus, aut & cum Spiritu sancto damnari? Salvatorem habet habitantem per fidem in corde, & in ore per confessionem, & cum Salvatore damnabitur? Pro certo, cùm non aliunde martyrium, nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut singulariter vice Baptismi secure suscipiatur: non video cur non ipsa æque & sine martyrio apud eum tantundem possit, cui & sine martyrii probamento proculdubio innotescit. Possit sanè tantundem, dixerim, quantum ad salutis spectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter martyrium antecellit. Legimus, Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et item, Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. Quid plenius, quam, quod volumus, pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas? Nisi forte putetur in malo, quàm in bono, efficacior inveniri voluntas apud Deum, qui caritas est; & promtior esse ad ulciscendum, quàm ad remunerandum misericors & miserator Dominus. Quomodo is, qui alieno debito se teneri forte in extremis positus recolit, si desit unde persolvat, sola nihilominus pœnitentia & cordis contritione obtinere veniam creditur, ne jam pro eo damnetur: sic sola fides & mentis ad Deum conversio, sine effusione sanguinis & sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti, prohibente articulo, ba[p]tizari.* Hactenus Bernardus. Cujus argumenta evincunt clarissimè, verba Christi, nec si de externâ aquâ intelligantur (nos per aquam & spiritum, τῇ συνηθείᾳ Hebræis usitatam, spiritualem potius aquam intelligi putamus:) non tamen ἁπλῶς accipi debere, sic ut tunc quoque habeant locum, cùm Baptismus non offertur, nec contemnitur: sed potius restringenda sic esse, ut capiantur secundùm legem communem, quæ non præjudicat specialibus privilegiis ac dispensationibus divinis. Quod ipsum, uti vidimus, voluit Lombardus, cùm verborum Christi hanc mentem esse ait, Nisi quis regeneratus fuerit eâ regeneratione, quæ fit per aquam & spiritum: ut nempe Christo primariò quidem propositum fuerit, docere necessitatem regenerationis; hac autem occasione adjecerit utilitatem Baptismi, non tanquam ἁπλῶς necessarii, sed tanquam instrumenti homines regenerantis secundùm legem ordinariam, cui homines, quando offertur Baptismus, alligentur: Deus verò, quamvis neutiquam offeratur, alligatus non sit. Negare quidem non possumus, Patres eos, quibus cum Pelagio negotium fuit, absolutam Baptismi necessitatem in omnibus infantibus martyrio non affectis ex iis Christi verbis collegisse: sed vicissim neque istud negari potest, plerosque eorundem Patrum similem Eucharistiæ in infantibus necessitatem collegisse ex his Christi verbis Joh. VI. 53: *Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis.* Quo ex loco colligit Augustinus, infantes sine Eucharistia salvari non posse. Vide eum lib. I. de peccatorum meritis & remissione cap. XX. & lib. III. cap. IV. & lib. I. contra duas Pelagianorum epist. cap. XXII. & lib. IV.

ejus-

ejusdem operis cap. IV. & alibi passim. Et constat, Ecclesiam aliquamdiu, hoc argumento compulsam, infantibus statim à baptismo carnis & sanguinis præbuisse sacramentum. unde idem Augustinus Tom. X. serm. VIII. de verbis Apostoli: *Infantes sunt, sed mensæ ejus participes fiunt, ut habeant in se vitam.* Et epist. CXI. ad Vitalem: *Si in illa parva ætate moriuntur, utique secundùm ea, quæ per corpus gesserunt, id est tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt; quando baptizati, vel non baptizati sunt; quando carnem Christi manducaverunt, vel non manducarunt: quando & sanguinem biberunt, vel non biberunt: secundùm hæc ergò, quæ per corpus gesserunt, non secundùm ea quæ, si diu hic viverent, gesturi fuerant, judicantur.* Paullinus epigramm. VI. quod est in picturam basilicarum:

> *Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos*
> *Infantes niveos, corpore, corde, habitu:*
> *Circumdansque rudes festis altaribus agnos,*
> *Cura salutiferis imbuit ora cibis.*

Scriptor Hypognosticôn lib. V: *Quomodo vitam regni cælorum promittitis parvulis non renatis ex aquâ & Spiritu Sancto, non cibatis carne, neque potatis sanguine Christi, qui fusus est in remissionem peccatorum?* Consuetudinem verò hanc multo ante Augustinum obtinuisse; argumento est historia, quam Cyprianus narrat tractatu de Lapsis §. 20. Multo etiam post Augustini tempora eam viguisse, cognoscimus ex Ecclesiasticarum Caroli M. legum ab Ansegiso collectarum lib. I. capitulo CLXI. cujus hæc verba: *Ut presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet; ne sine communione moriatur.* Etiam Prateolus lib. VII. cap. XV. scribit, Græcos quosdam Eucharistiam dare parvulis. Hieronymus quoque Osorius lib. IX. de rebus Emanuelis, testis est, hunc morem in Æthiopiâ obtinere: *Eucharistiam*, inquit, *eo die infantes, salutaribus aquis initiati, in micâ panis assumunt.* Adhæc Æneas Sylvius, epist. CXXIX. auctor est, Hussitas eos, qui ad Calixtinorum discrimen Taboritæ dicuntur, reduxisse hunc morem: cui non adversatur, quod ipsi in Confessione suâ dicant, se baptizatis Eucharistiam dare, si idonei sint & cibi capaces: quia per hæc verba potuere eos solùm infantes excludere, qui idonei nondum sunt ad cibum sumendum, ut recens natos. Sed hoc utcumque est, ritus iste, nunc non solùm non in Protestantium, sed nec in Romanâ Ecclesiâ usurpatur: recteque abrogatum esse nec illi diffitentur, qui absolutam Baptismi necessitatem Augustini & aliorum tuentur autoritate. Quare neque est, quod in altero illo loco, qui de baptismo est, sic Patrum quorundam stemus autoritate, quasi absque eo, præterquam martyribus aut catechumenis, salus contingat nemini.

Neque iccirco existimandum, si verba illa Christi Joh. IV. non impediant, quo minus Eucharistiæ Sacramentum ad adultam ætatem differatur: eo nec Christi verba Joh. III. impedire, quo minùs idem in baptismo fiat. Nec enim baptismatis ac Eucharistiæ par ratio est: quia per baptisma Ecclesiæ inserimur, ac remissionem consequimur peccatorum: eoque, si quis hoc percepto moriatur, is, quamvis non habet Eucharistiæ Sacramentum, habet tamen virtutem ejus Sacramenti. Agnovit hoc Augustinus lib. I. in Julian. & lib. III. de peccat. mer. & remiss. cap. IV. & sermone ad infantes, (quem citat Beda in commentar. I Cor. X.) ubi sic scribit: *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelem corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Christi corporis efficitur: nec abalienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi, antequam illum panem comedat & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod Sacramentum est, invenitur.* Atque hæc ratio adduxit posteriores, ut baptismum infantibus sufficere putarent: præsertim quando haut commodè, vel decenter adeò, Corporis & Sanguinis Sacramentum his possit exhiberi.

Ex iis, quæ fusè adeo prosecuti sumus, satis liquere arbitror, secula, quæ vel ante, vel post Augustinum & Fulgentium fuere, meliùs sperâsse de salute infantium non baptizatorum, quàm ab Africanis illis patribus factum erat. Nostro verò seculo longè etiam magis sententiæ variant hac parte, quàm antiquorum. Quamquam verò initio non aliud professi sumus, quàm, velle nos exponere judicium antiquitatis; tamen spero, me facturum rem non ingratam legentibus, si, παρέργου loco, juniorum opiniones adjungam, & quæ sententiæ suæ adferant firmamenta. Nec enim parum hinc lucis accedet iis, quæ de quæstione hac à veteribus disputantur.

Ac primò quidem dicamus, quid, eorum judicio, per originale peccatum homo promereatur, ac deinde cujusmodi pœnas reapse persolvat.

Eorum, qui peccatum hoc cum Catholicis agnoscunt, dubium est nemini, quin eo mereatur homo saltem pœnam damni, sive separationem à facie divinâ. Fatentur quidem ad unum omnes, quicunque originali justitiâ carent, hos eo ipso minimùm dignos reddi, qui careant quoque æternâ beatitudine: eo quòd justitia sit vestis illa nuptialis, quâ sine admittatur nemo ad nuptias aulæ cælestis. At in hoc cum plurimis veterum fluctuant, an qui merentur exsulare extra cœlorum regnum, hi etiam mereantur conjici in stagnum sulphuris & ignis: uti gehennæ locum ἀφορίζει Johannes Apocalyps. XX. 15. ubi, (ut apud Marc. IX. 46. legimus) *vermis eorum non interit, & ignis non exstinguitur.* Tuentur autem sese istiusmodi argumento, quòd princeps terrenus, patre delinquente, hautquaquam ex eo natos & nascituros addicat vivicomburio, sed exsilio puniisse est contentus: neque ob pronitatem delinquendi quosquam plectat, sed hujusmodi duntaxat honoribus censeat indignos.

Verùm aliis videntur isti non satis vel miseriam hominis perspicere, vel misericordiam Christi prædicare. Quamobrem ipsi contendunt, omnes & singulos infantes, antequam actu quicquam boni fecerint aut mali, per & propter culpæ Adamicæ imputationem, dignos reddi, tum morbis ac morte hujus vitæ, tum privatione originalis justitiæ, tum etiam æternis animæ corporisque post hanc vitam cruciatibus. Urgent autem, quod ad Coloss. I. 13. legimus: *Liberavit nos Christus de potestate tenebrarum.* Et I Tim. II. 6: *Semetipsum dedit redemtionis pretium pro omnibus.* Et I Johan. II. 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi.* Unde liquidò consequi docent, infantes etiam à Christo de Satanæ ac tenebrarum potestate redemtos esse; eoque hos quoque, si in sese ac in naturâ suâ considerentur, æternis tenebris ac cruciatibus esse obnoxios, à quibus solo Christi merito possint liberari.

Porrò ii, quibus alienum videtur à summâ Dei bonitate ac φιλανθρωπίᾳ, genus humanum durâ adeò sorte in Adamo fuisse ligatum constrictumque, ut eo mandatum Dei negligente, æternis corporis animique cruciatibus addici mereretur: hi, ad scrupulum illum evellendum, duo oggerere solent. nam & cogitare jubent, quòd fortassè, etiam (nec enim contrarium evinci potest) si Adam perstitisset, omni ille posteritati promeriturus fuerit vitam æternam, aut saltem dona supernaturalia, quibus ad vitam æternam singuli possent pervenire: tum inprimis considerandum putant, quòd pro morbo generali generale etiam à Deo adhibitum sit remedium, nempe obedientia Christi, qui mortuus sit pro totius mundi peccatis: ac omnes promiscuè ad se vocet, iisque animarum offerat medicinam.

Diximus de priori membro; quid puta mereatur homo per originale peccatum: sequitur altera quæstionis pars, quid propter illud patiatur. Quinctuplicem autem hac de re opinionem juniorum invenio. Singulas adferam;

rationes etiam, quibus se tuentur, attexam. Fortasse enim aliquibus ejusce controversiæ magis pensiculandæ occasionem præbebunt. Judicium nostrum nunc rarius apponemus. Magis enim historici hic quam Theologi munere fungi visum: uti initio nos facturos recepimus.

Prima eorum sententia est, qui cum Augustino aiunt, posse mediam esse sententiam inter præmium ac supplicium: cumque Nazianzeno, talem fore conditionem arbitrantur parvulorum, qui non baptizati discesserint. Quod non solùm intelligunt de fidelium, sed etiam paganorum liberis. Nempe durum iis videtur, nihil inter ista medium statui, si cum vetere Ecclesia dicamus, infantes non baptizatos, præsertim è paganis natos, è regno cælorum excludi. Fatentur quidem, Scripturam non meminisse loci, aut status medii. sed eam dicunt de adultis loqui: de infantium talium exitu nihil aperire: eoque non satis hic procedere argumentationem ab auctoritate negativâ.

Altera est sententia illorum, qui locum aut statum medium non admittunt: sed cœlis etiam recipi volunt liberos infidelium non baptizatos: quod his probant argumentis. Deus, inquiunt, post lapsum primorum parentum pepigit cum Adamo fœdus, quo & ipsum & posteros omnes in gratiam recepit; universis hominibus propter Christum peccatorum remissionem hac conditione pollicens, si in istoc fœdere perstarent. Idem fœdus cum Noacho postea redintegravit. Infantes autem hoc pactum non violarunt. non igitur eo exciderunt. Quare antequam actu deliquerint, damnari non possunt propter primam prævaricationem: ut quæ gratiosum istud pactum antecedat. Adde quòd non multo ampliùs quàm centesimâ generatione à Noacho absimus. At Deus in decalogo promittit, se in millesimam eorum progeniem misericordiam velle exercere, qui eum amant, ipsiusque præcepta observant.

Idem adstruunt è naturâ Dei; cui consentaneum esse negant, ut qui protoplasti ipsius sit misertus (nam eum salvatum esse, semper contra Tatianum judicavit orthodoxa antiquitas) non multo magis misereatur infantulorum, qui non peccaverint, nisi δυνάμει & imputatione, quatenus originis ratione in lumbis primi parentis erant, atque ita pars delinquentis censebantur. Præterea cùm in confesso sit, multos ex hac vitâ vocari, ne pravitas mundi eorum mutet intellectum: nihil causæ esse aiunt, cur non itidem dicatur Deus infidelium liberos tempestivè ad se vocare, priusquam parentum & aliorum impietate imbuti, certum sibi gehennæ supplicium arcessant.

Tertia est opinio eorum, qui de non baptizatis parvulis nullos quidem infidelium cœlo dignantur: omnes autem fidelium liberos, modò in infantiâ diem suum obeant, in cœlum recipi contendunt. Ac infidelium quidem liberos eo salvari negant, quòd sola mater Ecclesia sit, quæ filios generat promissionis; cùm gentes, eo quia extra Ecclesiam sunt, utpote ex ancillâ nascentes, consortes non sint promissionum earum, quas Deus fecit spirituali Abrahæ semini, eoque nec hæreditas vitæ æternæ pertinere ad eos possit. Rom. IX. 8: *Non qui filii carnis, ii filii Dei, sed qui filii promissionis, censentur in semine.* Gal. IV. 28: *Nos secundum Isaac promissionis filii sumus.* At de gentibus scripsit ad Ephesios II. 12: esse *absque Christo, alienos à Rep. Israelis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo.* Ex cujusmodi locis concludunt, infidelium liberos extra Ecclesiam nasci in cœtu impiorum & Satanæ regno. Cæterùm numero horum eximunt, qui ab infidelibus quidem parentibus oriuntur, sed quacunque ratione legitima in fidelium, vel saltem veram fidem profitentium, manus veniunt ac potestatem: atque horum zelo & industria Baptismum in Ecclesiâ Dei consequuntur. Tales non solùm censent esse, qui postquam infideles parentes morte sunt sublati, fideles indepti sunt tutores: sed etiam in quos incidêre homines pii, cùm à parentibus essent expositi ac derelicti: utut fortasse Judæi fuerint, aut gentiles: item qui vel justo bello, vel emtione acquisiti: quomodo olim matronæ nobiles barbarorum pueros emêre, quo eos Ecclesiæ jungerent per Baptismum; ut narrat Augustinus. Et hæc de liberis infidelium: fidelibus verò parentibus ortos universè salvari putant: eamque sententiam his propugnant argumentis. Primùm quia ad infantes fidelium pertinet promissio gratiæ & fœderis: juxta illud Genes. XVII. 7: *Ut sim Deus tuus & seminis tui post te.* Unde Petrus Act. II. 48: *Baptizetur unusquisque vestrum. Vobis enim facta est promissio & liberis vestris.* Atqui ad quos pertinet promissio gratiæ, ad eosdem pertinet promissio gloriæ. Deinde eo se tuentur, quòd liberi fidelium ab utero sint sancti. Rom. XI. 16: *Si radix sancta, etiam rami.* I Cor. VII. 14: *Liberi vestri sancti sunt.* Atqui omnes, qui originis beneficio sancti nascuntur, hi quoque sancti aboriuntur, modò denascantur antequam actuale peccatum committant. Præterea pro se adferunt illa Christi verba Lucæ XVIII. 16: *Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. Talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis; quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.*

Quarta eorum sententia est, qui non nisi re aut voto baptizatis salutem audent polliceri. Cur verò superioribus argumentis parùm moveantur, has afferunt caussas. De loco Genesios XVII. aiunt, ex eo ipso colligi posse, promissionem Dei nequaquam pertinere ad filios Abrahæ carnales, sed duntaxat spirituales: hoc est, eos solùm qui in sacramento essent regeniti à Deo. Nam cùm mox subdat Deus (vers. XV.) *masculi, cujus præputii caro non fuerit circumcisa, deletum animam iri de populo suo, quia pactum Dei irritum fecit*: inde concludi posse, arbitrantur, prodesse nihil carnalis ex Abrahamo generationis beneficium, nisi accedat spiritualis ex sacramento regenerationis privilegium. Quod ipsum confirmant verbis Pauli Rom. IX. 8. & Galat. IV. 28. quæ paullo antè adducebamus.

Ad verba Apostoli Rom. XI. 16. & I Cor. VII. 14. respondent, sanctorum filios aliter vocari sanctos, postquam per spiritum in sacramento sunt sanctificati: aliter si gratiosæ originis ratio habeatur, quatenus nempe (ut Tertullianus interpretatur lib. de animâ cap. XXXIX.) nascuntur sanctitatis candidati, & ad plenam sanctitatem destinati, & mox in baptismo sanctificandi per Spiritum Dei, planeque in Ecclesiam cooptandi, quo fruantur privilegiis omnibus ejusce civitatis.

Quod ad verba Christi Luc. XVIII. 16, τὰ βρέφη, hoc est parvulos sive infantulos ad se vocantis, ac pronunciantis talium esse regnum cœlorum: multa afferunt, quibus argumenti ejus invalentiam probare conentur. Nam cùm TALES dicit Christus, respicere parvulorum innocentiam ac simplicitatem: absque quibus non pateat ingressus in regnum cœlorum. Nec sermonem esse de parvulis eorum, qui neglectu Circumcisionis pactum Dei irritum fecissent, sed fidelium Judæorum, qui infantulos, in Circumcisione remissionem peccati adeptos, Ecclesiæque jam insertos, ad Christum adducerent, quò per eum ubertiùs benedicerentur. Atque eo etiam pertinere, quod dicit, *Sinite parvulos venire ad me.* quemadmodum & sensit scriptor Hypognosticon lib. V. ubi ait: *Talium, ad comparationem videlicet ad se venientium, dixit, non omnium parvulorum generaliter.* Nempe adultos quidem volunt per fidem propriam venire ad Christum; infantulos autem, cùm sic venire non possint, & tamen (ut vel hoc ex loco patet) venire ad Christum valeant, à parentibus, vel iis qui parentum loco sunt, ad Christum adduci vel apportari debere, quo quod fide non possunt suâ, fide consequantur alienâ. Alienam autem fidem appello, non simpliciter parentum fidem, vel etiam illorum, qui parentum obtinent locum, sed fidem totius Ecclesiæ Catholicæ: quæ infantes ad professionem fidei à parentibus vel aliis factam, in Ecclesiæ Catholicæ fide baptizat, ita ut per parentes quidem, vel alios offerantur, sed id nomine fiat Ecclesiæ universæ. Sic

sen-

sensere veteres omnes. Sed contentus ero laudâsse B. Augustinum. Is Tom. 10. de verbis Apostoli, serm. x. ubi de infantibus agens, qui ex Adamo morbum contagione traxerunt, eoque medicinæ indigent, *Accommodat*, inquit, *illis mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur; ut quoniam, quòd agri sunt, alio peccante prægravantur, sic cùm hi sani sunt, alio pro eis confitente, salventur.* Cur verò infantibus aliena fides prodesse possit, hanc assignant caussam, quòd propriè non fide salvemur, sed Spiritu Dei, sive gratiâ Christi, quæ ab adultis quidem actu fidei apprehendatur; ab infantibus verò percipiatur arcano quodam dono, quod Spiritus Sanctus in iis operetur.

Objici solet, quòd justus suâ fide vivat, eoque perabsurdum videatur, ut si parentes in procurando baptismo fuerint negligentiores, parvuli iccirco cœlorum regno excludantur. Sed respondent alii, justum quidem suâ fide vivere, tanquam caussâ salutis instrumentali: at hoc non impedire, quominùs plurimi consequantur salutem fide alienâ, tanquam occasione salutis. Id enim manifestum esse ratione adultorum, qui alienâ sæpè fide ad fidem propriam perveniunt: quomodo Episcopus zelo fervens sæpè caussa est, cur plurimi resipiscant: & Christiana uxor non rarò maritum exemplo ad religionem compellit: similem verò rationem esse infantium, qui cùm naturâ sint filii iræ, & condemnationis rei, parentum tamen, aliorumve curâ ac zelo in baptismo offerantur, ac consecrentur Deo, eâque occasione divinitus consequantur gratuitum illud donum, per quod à donante sanctificentur, Christique justitia ac misericordia iis applicetur.

Quincta & postrema eorum sententia est, qui salvati dicunt certos infantes soli Deo cognitos: utpote ab eo ante jacta mundi fundamenta, tam ex infidelium quàm fidelium, tam non baptizatorum quàm baptizatorum numero, ad vitam æternam electos secretosque. Prora & puppis hujus sententiæ est in verbis Apostoli ad Rom. IX. 11. *Nondum enim natis pueris, cùm nihil fecissent boni vel mali, dictum est ei, Major serviet minori. Sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau verò odio habui.* Hæc opinio duplici nomine ab antiquitate recedit, partim quia multis infidelium liberis, nec in re, nec in voto baptizatis, regnum promittit cœlorum: partim quia salvari negat omnes infantes actu baptizatos, qui ante rationis usum lucis usuram amittant.

Sed neque est, quòd ejus autores Apostoli se patrocinio jactent. Nec enim si concederetur, Esavum citra prævisionem malorum operum gehennæ fuisse destinatum, hinc colligi posset, Deum etiam quosdam baptizatos, qui in infantiâ vitam finiunt, destinâsse morti æternæ. Imò quanto verisimilius est, hos post sacramentum re aut voto piorum parentum perceptum evocari è vitâ, quia eos Deus adultâ ætate à mundo videat corrumpendos? Cur enim non æquè, imò multo magis, quàm in adultis, locum in his habeat, quod de Enocho legimus Sap. IV. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Itaque sæpe hoc vel maximum sit erga fideles divinæ misericordiæ opus, quòd & ipsos parentes liberorum morte castigat, & eadem de liberis ipsorum optimè meretur. In Esavo verò hic pleraque omnia disparia. quippe illi ipsi, qui Deum volunt primò intendisse justitiæ suæ in puniendo Esavo declarationem, dicere solent, Deum eadem decrevisse vitam Esavo protogare, quo infidelitate & impœnitentia suâ implacabilem in se iram numinis concitaret. Quid verò tale in iis, qui ante rationis usum de vitâ discedunt? Ratio quoque isti sententiæ plurimùm repugnat. Nam in confesso est, in legitimo sacramenti usu signatum non separari à signo. At in infantibus nihil est, quo minùs legitimum dici debeat sacramentum. non actuale peccatum, quod nullum commiserunt; non originale, quia hoc ipsum est, in cujus remissionem baptizantur. Quare omnino statuendum, eos qui postquam baptizati sunt ante rationis usum moriuntur, certò salvari: neque ita tantùm judicandum ex regulâ caritatis, quæ fallere potest & solet: sed ex canone infallibilis veritatis. Nunquam aliter sensit Ecclesia Dei: unde B. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. XXX. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, parvulis, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere possunt, sacramentum fidei, quod est sanctum baptisma, quamdiu rationis eorum ætas capax esse non potest, sufficere ad salutem.* Imò veteres etiam à peccato originali per baptismum mundari eos volunt, qui propter prævisam infidelitatem ac impœnitentiam, ab æterno gehennæ sunt destinati. Hinc Prosper resp. ad capitula objectionum Gallorum calumniantium cap. 11. damnat hanc propositionem: *Quòd ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.* Universè etiam de omnibus infantibus baptizatis loquuntur patres concilii Carthaginensis epistolâ XC. inter Augustinianas; *Quicunque negat, parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Ac de circumcisione similiter circa annum quingentesimum vigesimum sensere Patres Africani in Sardinia exules, in epistolâ suâ synodicâ: *Esau sacramento quidem circumcisionis octavo die secundum tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit, illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat, justeque damnat.* Etiam anno octingentesimo quinquagesimo quincto similiter judicavit concilium Valentinum can. V. cujus hæc verba: *Item firmissimè tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aquâ & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & juxta doctrinam Apostoli baptizata, in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta. Quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsâ sui veritate ac sinceritate submixum.* Est is canon constitutus adversus Godescalcum, qui putabat, reprobos in baptismo non verè, sed signo tenus remissionem accipere. quemadmodum constat ex epistolâ Hincmari ad Nicolaum Papam apud Flodoardum lib. III. cap. XIV.

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ

DE

CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE

reliquiæ moverunt,

LIBER TERTIUS;

QUI

DE GRATIÆ NECESSITATE

generatim tractat.

HActenus opinionem Pelagianorum de ortus nostri conditione contulimus cum sententiâ Catholicorum: ea item, in quibus Catholici ipsi dissenserunt inter se, distinximus ab illis, in quibus iidem & ante & post exortum Pelagium semper convenerunt. Proximum est, ut componamus amborum doctrinam de vitâ hominis spirituali. Hæc pars quæstiones varias comprehendit. Earum aliæ sunt aliis celebratiores. Præcipuè autem disputari solet, De gratiæ necessitate, & De imperfectione hominis in hac vitâ. Minùs, De juramento Christianorum, & De salute divitum. De quatuor istis ordine dicemus. Sed prima controversia est bipartita. Vel enim de gratiæ necessitate agitur ἁπλῶς, propter Pelagianos: vel de necessitate gratiæ prævenientis propter Massilienses. De priori agemus hoc libro: de altero, tractabimus sequenti. In hoc verò capite, quo ἁπλῶς gratiæ necessitatem spectamus, tria ista cum bono Deo, præstabimus. Primùm ostendemus, quid senserit Ecclesia ante tempora Pelagii. Deinde narrabimus, qualis & quantus super controversiâ hac conflictus fuerit inter Pelagianos & Catholicos. Denique quia Pelagiani solent virtutes gentilium objicere sanctis Patribus; Catholicam de his sententiam seorsim exponemus.

LIBRI TERTII

PARS PRIMA;

Quæ eorum de necessitate gratiæ sententiam exponit, qui ante Pelagium vixerunt.

THESIS I.

Necessitatem gratiæ clarè agnoverunt scriptores Latini, qui Pelagii tempora antecesserunt: tam Afri, ut Tertullianus, Cyprianus, Arnobius: quam Itali, Galli, alii, ut Lactantius, Hilarius, Ambrosius. Nec secus quis senserit, obduci quisquam potest.

UT sententia hæc antiquitatis meliùs intelligatur, à distinctione gratiæ auspicandum est. Siquidem gratia alia naturam consequitur, quæ icc irco naturæ dicitur: alia naturæ superadditur, quæ supernaturalis vocatur. Utraque rectè gratia dicitur, quia utraque gratis datur. Magis tamen posterior id nomen meretur, quia minùs debetur. Optimè enim ait Salvianus lib. IV. de Gubernatione Dei, *Majoris pretii beneficium est, quod præstatur indignis.* Atqui naturæ gratia non confertur vel dignis, vel indignis, sed non dignis: ut qui cùm ante eam gratiam non fuerint, bene maleve mereri haut potuerint. At gratia supernaturalis confertur planè indignis, utpote inimicis. In negotio hoc, ac quandocunque apud Patres gratia opponitur libero arbitrio, intelligi debet gratia non in naturâ, sed supra naturam, quam strictè ac καθ' ἐξοχὴν gratiæ nomine vocari dicebamus.

Quid de hac gratiâ senserint antiqui, paucis nos docet Vin-

Vincentius Lirinensis Commonitorii sui cap. XXXIV. *Quis unquam*, inquit, *ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum, necessariam Dei gratiam non putaret?* Hoc ut non verè minùs, quàm asseveranter, à Vincentio dictum esse appareat, teste ejusce rei dabimus, prius Latinos, deinde etiam Græcos.

Prodeat ante omnes, Latinorum, quos habemus, antiquissimus, Tertullianus. Clarè is Christianæ ac spiritualis gratiæ necessitatem agnoscit lib. de animâ cap. I: *Cui enim veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu sancto? cui Spiritus S. accommodatus sine fidei sacramento?* Et cap. XXI. *Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur: & bona malos dabit, si non colatur. Et lapides filii Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur. Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis exspuerint. Hæc erit vis* DIVINÆ GRATIÆ, *potentior utique* NATURA, *habens in nobis* SUBJACENTEM *sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur.* Autor definitionum, quæ Tertulliano adjudicantur: *Cum sine gratiâ Dei salutem non possit custodire natura humana quam accepit, quomodo sine gratiâ Dei poterit reparare quod perdidit?*

Tertulliano succedat is, qui eum magistrum suum vocare solet, B. martyr Cyprianus. Ejus aliquàm multa adducit Augustinus lib. IV. ad Bonifacium cap. IX. Nos ex iis duo solùm excerpemus: aliorum in locum substituemus alia ab Augustino omissa. Sic igitur ille lib. II. epist. II. ad Donatum de gratia Dei, cùm dixisset, se post Baptismum esse Dei, Spirituque S. animari cœpisse, *Non jactatum*, inquit, *sed gratum quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur.* Ac pauculis interjectis: *Dei est*, ait, *Dei omne quod possumus: inde vivimus, inde pollemus: inde sumto & concepto vigore, hic adhuc positi, futurorum indicia prænoscimus. Sit tantum timor innocentiæ custos, ut Dominus, qui in mentes nostras indulgentiæ cælestis allapsu clementer influxit, in animi oblectantis hospitio justâ operatione teneatur &c.* Idem lib. III. ad Quirin. testimonio IV: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. In Evangelio s. Joannem: Nemo potest quicquam accipere, nisi datum fuerit illi de cælo. Item in Epistolâ Pauli ad Corinthios primâ: Quid enim habes, quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? &c.* Idem lib. 3. epist. 25. *Ipsius esse quòd vincimus, & quòd ad maximi certaminis palmam, subacto adversario, pervenimus, declarat & docet Dominus in Evangelio suo dicens: Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. dabitur enim vobis in illa horâ quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Idem in Orat. Dom. *Hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratiâ sumitur, ipsius protectione servetur.* Ibidem: *Oramus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ ac misericordiâ tutus est.* Idem in serm. 7. de oratione Dominicâ §. 19. *Quando rogamus, ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat.* Et mox: *Ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.*

Afris duobus tertius accedat Arnobius. Ejus verba sunt lib. II. contra nationes: *Vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis, fierique vos deos, vestro fidites intestinoque conatu: at vero nos nobis nihil de nostrâ infirmitate promittimus, naturam intuentes nostram virium esse nullarum, & ab suis affectibus in omni rerum contentione superari. Vos, cùm primùm soluti membrorum abieritis, enodes alas vobis adfuturas putatis, quibus ad cælum pergere adque sidera volare possitis: nos tantam reformidamus audaciam, nec in nostrâ ducimus esse positum potestate, res superas petere.*

Ex Africâ proficiscamur in Italiam ad gloriam sui Firmii, sive, ut Tullius vocat, Firmi, (Picenorum id oppidum est) Cælium Lactantium, Arnobii discipulum, & quidem similis fortunæ. Nam utrumque ex Oratoriæ artis professore religionis Christianæ doctorem evasisse, ex Hieronymo constat. Sic igitur ille lib. VI. Institut. cap. XIII. *Eo accedit, quòd nemo esse sine delicto potest, quamdiu carnis indumento oneratus est: cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus, &c. Itaque etiam justi homines, qui frænare se possunt ab omni opere injusto, nonnunquam tamen ipsa fragilitate vincuntur, ut vel in ira malum dicant, vel in aspectu rerum delectabilium cogitatione tacita concupiscant. Quodsi mortalis conditio non patitur, esse hominem ab omni macula purum; debent ergò largitione perpetua peccata carnis aboleri.* Vide & eundem lib. de Irâ cap. XX.

Et isti quidem sub gentilibus Imperatoribus vixerunt. Ex illis, qui sub Christianis floruere, duos duntaxat adferemus. Prior esto Hilarius, Pictaviensis Episcopus, in Psal. CXVIII. in ח ad verba illa; Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas: *Justificationes sunt plures atque diversæ, in observandis singulis officiorum generibus temperandæ; ad quorum custodiam nisi à Deo dirigamur, infirmi per naturam nostram erimus. Adjuvandi igitur per gratiam ejus dirigendique sumus, ut præceptarum ordinem justificationum consequamur.* Et mox: *Jam vero in ipsam fidei veritatem, id est, Dei Patris & Domini intelligentiam, per quam maximè justificatio nobis erit probata: quantâ opus est nobis Dei gratiâ, ut rectè sapiamus, ut ex Propheticis atque Evangelicis autoritatibus unum idemque teneamus, ne in uno aut altero opinio nostra & sermo dissideat, sed universas Dei justificationes æquâ ac pari operum ac doctrinæ observantiâ dirigamus.* Idem in Psal. 123. *Quis relictus est nobis gloriandi locus, recordantibus, omnia in Deo esse? Si non in omnibus opus est misericordiâ Dei, etiam omnia nobis, tanquam ex nostro sint, vendicemus.*

Alter est Ambrosius, Mediolanensis præsul, ex cujus super Lucam commentariis hæc verba adducit Augustinus, lib. De naturâ & gratiâ contra Pelagianos: *Visum est*, inquit, *mihi. Potest non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Non enim voluntate tantùm humanâ visum est, sed sicut placuit ei, qui in me, inquit, loquitur, Christus, qui, ut id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur. Quem enim miseratur, & vocat. Et ideo, qui Christum sequitur, potest interrogatus, cur esse voluerit Christianus, respondere, visum est mihi. Quod cùm dicit, non negat Deo visum. à Deo enim præparatur voluntas hominum. ut enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est.* Ibidem ex iisdem hæc Ambrosii verba laudat. *Nec ab initio immaculata* (hominis voluntas;) *humana enim hoc impossibile natura: sed per Dei gratiam & qualitatem sui, quia jam non peccat, fit, ut immaculata videatur.* Qui locus non gratiæ solùm necessitatem, sed etiam peccatum adstruit originale. Nam cùm animam ab initio immaculatam negat; procul dubio, ut ibidem observat Augustinus, initio dicit, quo ab Adam nascimur. Idem Augustinus lib. primo De gratiâ Christi contra Pelagium & Cœlestium cap. XLIV. citat hæc ex Ambrosii super Lucam lib. II. cap. XIV. *Vides usique*, inquit, *quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino*, NEMO QUICQUAM INCIPERE SINE DOMINO. *Et ideo juxta Apostolum: Sive manducatis, sive bibitis, in Dei gloriam facite.* Item ex eorundem Commentariorum lib. VI. cap. XXXI: *Secundùm hominem*, inquit, *plus fortasse offendit, qui plus debuerat, sed per misericordiam Domini causa mutatur, ut amplius diligat, qui ampliùs debuit, si tamen gratiam*

tiam consequatur. Quem cùm locum citâsset Augustinus, *Ecce*, inquit, *apertissime prædicat catholicus doctor, etiam ipsam dilectionem, qua quisque amplius diligit, ad beneficium gratiæ pertinere.* Sed imprimis cap. XLVI. commendat Augustinus hæc verba Ambrosii, quæ eodem ejusdem libri capite legere est: *Quia facies ejus erat euntis in Hierusalem, discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit.*

Supersunt ea loca, quæ adducit Augustinus lib. IV. ad Bonifacium cap. XI. Ambrosius in expositione Jesaiæ Prophetæ: *Quia humana natura sine divinâ ope imbecilla est, ad medendum, Deum auxiliatorem requirit.* Item
a Ambros. Cap. 1. in libro qui inscribitur, De fugâ seculi *a*: *Frequens nobis de effugiendo seculo isto sermo, atque utinam quam facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus! Sed quod pejus est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, ut quod studeas vitare, hoc cogites, animoque volvas. Quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem, quàm effectus, testatur Propheta, dicendo: Declina cor meum in testimonia tua & non in*
b Ps. 118. *avaritiam* b. *Non enim in potestate nostrâ est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improvisò offusæ, mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu proposueris. Ad secularia revocant, mundana inserunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt: ipsoque in tempore, quo elevare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque dejicimur. Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper adscendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? Nullo profectò modo. Denique suprà eadem Scriptura dicit: Beatus vir, cujus est auxilium ejus abs te, Domine, ascensus in corde ejus.* Idem in expositione Jesaiæ: *Et orare Deum*, inquit, *gratia spiritualis est.* Et in expositione Lucæ: *Vides utique, quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino.* Explicans denique illud Psalmi 43. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te; *Quis*, inquit, *est tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei adjutor adsistat?* Ac ne quis dicat, Ambrosium id velle, Deum quidem adjuvare ad cognoscendum quid faciamus, non ad faciendum quod cognovimus; subjicit duo hæc loca, quibus paret, quid is senserit de Lege Dei. Prior locus est e cap. III. lib. De fugâ seculi: *Lex os omnium potuit obstruere, non potuit mentem convertere.* Alter est è cap. IV. ejusdem libri: *Lex factum damnat, non aufert malitiam.* Atque hæc quidem sunt, quæ ex Ambrosio congessit Augustinus ad probandam gratiæ necessitatem.

. A Latinis scriptoribus ad Græcos nunc accedo: de quibus major concertatio est.

THESIS II.

Qui verò negant, Græcos Patres hanc de gratiæ necessitate doctrinam intellexisse, gravissimam illis injuriam faciunt; cùm apertissimè eam asserant passim.

JUstinus dialogo cum Tryphone docet, externam verbi prædicationem aut scripturarum lectionem minimè sufficere, sed insuper requiri internam Spiritus S. illumi-
a P. 271. edit. Commel. nationem. Sic enim scribit *a*: Ἐγὼ τί οὖν ἄλλο, Οἴεσθε ἄν, ἡμᾶς ποτε, ὦ ἄνδρες, νενοηκέναι δυνηθῆναι ἐν ταῖς γραφαῖς ταῦτα, εἰ μὴ θελήματι τοῦ θελήσαντος αὐτὰ ἐλάβομεν χάριν τοῦ νοῆσαι; *Tum ego, Num putatis, ô viri, nos unquam hæc in Scripturis intelligere potuisse, nisi voluntate Dei, ut ista intelligeremus volentis, gratiam ac-*
b P. 429. *cepissemus?* Et aliquanto antè dixerat idem *b*: Εἰ οὖν τις ΜΕΤΑ ΜΕΓΑΛΗΣ ΧΑΡΙΤΟΣ τῆς παρὰ θεοῦ λάβοι νοῆσαι τὰ εἰρημένα καὶ γεγενημένα ὑπὸ τῶν προφητῶν, οὐδὲν αὐτὸν ὀνήσει τὸ τὰς ῥήσεις δοκεῖν λέγειν ἢ τὰ γεγενημένα, εἰ μὴ λόγον ἔχει καὶ περὶ αὐτῶν ἀποδιδόναι. *Itaque nisi quis cum* MAGNA DEI GRATIA *intelligere cœperit dicta & facta Prophetarum, nihil ei proderit, quod videatur voces eorum & opera referre, si non possit rationem quoque eorum explicare.*

Irenæus lib. III. c. XXII. his verbis: *Paulus infirmitatem hominis annuncians ait: Scio enim, quoniam non habitat in carne mea bonum, significans, quoniam non à nobis, sed à Deo est bonum salutis nostræ.* Et cap. XIV. libri quarti: *Edocuit autem Dominus, quoniam Deum scire nemo possit, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo non cognosci Deum.* Eleganti etiam similitudine hanc rem illustrat lib. III. cap. XIX. *Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic & nos, lignum aridum existentes, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia.* Per supernam autem pluviam intelligit spiritum S. ut se ibidem interpretatur Irenæus.

Clemens Alexandrinus lib. V. Στρωματέων *a*: Δεῖ γὰρ καὶ τὴν γνώμην ὑγιῆ κεκτῆσθαι, τὴν ἀμετανόητον πρὸς τὴν θήραν τοῦ καλοῦ. πρὸς ὅπερ μάλιστα τῆς θείας χρῄζομεν χάριτος, διδασκαλίας τε ὀρθῆς καὶ εὐπαθείας ἁγνῆς, καὶ τῆς τοῦ πατρὸς πρὸς αὐτὸν ὁλκῆς. *Oportet mentem habere sanam, & quæ nullâ retardetur pœnitentiâ à boni venatione: ad quod quidem maximè divinâ opus habemus gratiâ, rectâque doctrinâ, castâque & mundâ animi affectione, & Patris ad ipsum attractione.* Idem Στρωματέων lib. VI. *b* Πέτρον ἐμακάρισεν, ὅτι αὐτῷ σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψε τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. δηλῶν τὸν γνωστικὸν οὐ διὰ τῆς σπορᾶς αὐτοῦ τῆς κυήσεως, ἀλλὰ δι' αὐτῆς τῆς δυνάμεως τῆς πατρικῆς, γνωρίζειν τὸν υἱὸν τοῦ παντοκράτορος. *Petrum etiam beatum pronuntiavit, quoniam ei sanguis & caro non revelavit veritatem, sed pater ejus, qui est in cœlis: significans, eum qui est cognitione præditus, non per ejus carnem, quæ fuit gestata in utero, sed per ipsam paternam potentiam cognoscere filium omnipotentis.*

Origenes lib. IV. contra Celsum *c*: Ταῦτα τὰ πράγματα μὴ δύναται χωρὶς ἐπιπνοίας κρείττονος καὶ θειοτέρας δυνάμεως θεωρηθῆναι. ὥσπερ γὰρ οὐδεὶς οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ· οὕτω καὶ τὰ τοῦ θεοῦ οὐδεὶς ἔγνωκεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. *Hæ res absque meliori afflatu ac diviniore virtute non possunt venire in contemplationem hominum. Sicut enim nemo homo novit res hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso, sic & Dei res nemo novit, nisi Dei spiritus.* Idem contra Celsum lib. V. *d* Ἀλλ' οἶδα τὸν λόγον δεόμενον πολλῆς ἐξεργασίας καὶ κατασκευῆς, χάριτι θεοῦ φωτίζοντος τὸ ἡγεμονικὸν δυναμένων γενέσθαι τῷ κληθέντι ἀπὸ θεοῦ ἀξίῳ καὶ τῆς περὶ τῶν τοιούτων γνώσεως. *Sed hanc disputationem scio habere opus confirmationibus plurimis, Deo per gratiam illustrante mentem dignam cognitione rerum talium.*

E libris Origenicis, quos Græcè non habemus, nunc nihil adferam, quando usque adeò incertum est, Origenem, an Rufinum audiamus. Alioquin præclarè hac de re loquitur lib. III. περὶ ἀρχῶν cap. I. *e* Et si commentarii in Psalmos ejus sunt, (quod nemo sibi persuadebit, qui legerit) quædam, quæ huc faciant, habet homil. IV. in illa verba Psal. 36. *Gressus hominis à Deo diriguntur.*

Macarius homil. V. *f* Χριστιανῶν γὰρ ἡ δόξα, καὶ τὸ κάλλος, καὶ ὁ πλοῦτος ὁ οὐράνιος ἀλάλητός ἐστι, καὶ μετὰ πόνου καὶ ἱδρῶτος, καὶ δοκιμασιῶν, καὶ ἀγώνων πολλῶν πορίζομενος. τὸ δὲ ὅλον χάριτι Θεοῦ. *Gloria Christianorum, & pulchritudo & divitiæ cœlestes ineffabiles sunt, & magno labore, ac sudore, tentationibus ac certaminibus multis acquisitæ.* QUOD TOTUM GRATIÆ DIVINÆ ADSCRIBENDUM. Idem homil. XV. *g* Ἄνευ γὰρ τοῦ Θεοῦ σκευῶν, τουτέστι τῆς χάριτος, ἀδύνατόν ἐστι τῷ Θεῷ διακονῆσαι, τουτέστιν εὐαρεστῆσαι εἰς πάντα τὰ τοῦ Θεοῦ θελήματα. καὶ ὅταν λάβῃ τὴν χάριν, καὶ τότε πολλῆς συνέσεως, καὶ διακρίσεως χρεία, ὅπερ καὶ ταῦτα αὐτὸς δίδωσιν αὐτῇ ζητούσῃ παρὰ Θεοῦ. *Absque Dei vasibus, hoc est absque gratiâ, impossibile est quempiam Deo servire, hoc est placere ad quamcunque Dei voluntatem. At ubi acceperit gratiam, tum summâ prudentiâ atque judicio opus est, quæ etiam*

ipsa

a P. 234. edit. Commel.
b P. 289.
c P. 186. edit. August.
d P. 214.
e P. 827. & 828. edit. Bas. 1536.
f P. 74. edit. Morell.
g P. 180.

ipsa concedit Deus animæ à se postulanti. Idem homil.
a P. 256. XVII. *a* Ὥσπερ οὐκ ἔστι δυνατὸν ἰχθὺν ἄνευ ὕδατος ζῆσαι, ἢ ἄνευ ποδῶν περιπατῆσαί τινα, ἢ ἄνευ ὀφθαλμῶν ἰδεῖν φῶς, ἢ ἄνευ γλώσσης λαλεῖν, ἢ ἄνευ ὤτων ἀκούειν· οὕτως ἄνευ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ τῆς ἐνεργείας τῆς θείας δυνάμεως, οὐκ ἔστι γνῶναι τὰ μυστήρια καὶ σοφίαν θεοῦ, ἢ εἶναί τινα πλούσιον καὶ Χριστιανόν. οὗτοι γάρ εἰσι ἀληθῶς σοφοί, καὶ πολεμισταί, καὶ ἀνδρεῖοι, καὶ φιλόσοφοι θεοῦ, οἱ ὁδηγούμενοι καὶ ποιμαινόμενοι κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον ὑπὸ τῆς θείας δυνάμεως. *Quemadmodum piscem absque aquâ vitam ducere, absque pedibus quemquam progredi, aut absque oculis lumen intueri, aut absque linguâ loqui, aut absque auribus audire, impossibile est: sic quoque absque Domino Jesu, & virtutis divinæ efficaciâ, non licet cognoscere mysteria & sapientiam Dei, aut esse divitem & Christianum. Hi enim sunt revera sapientes, milites fortes ac philosophi Dei, qui diriguntur & gubernantur secundum interiorem hominem à potentiâ divinâ.* Idem homil.
b P. 267. XVIII. *b* Ὁ γὰρ πένης καὶ πτωχός, καὶ λιμώττων, ἐν κόσμῳ οὐδὲν δύναται κτήσασθαι τῆς πενίας αὐτὸν συνεχούσης· ὁ δὲ ἔχων θησαυρόν, ἀκόπως οἷα βούλεται κτήματα, καὶ ἀνωδύνως κτᾶται. Οὕτως καὶ ψυχὴ ἡ γυμνὴ καὶ ἔρημος ἀπὸ κοινωνίας πνεύματος, καὶ ὑπὸ τὴν δεινὴν πτωχείαν τῆς ἁμαρτίας οὖσα, οὐδὲν δύναται, κἂν θέλῃ τὸν καρπὸν τοῦ πνεύματος τῆς δικαιοσύνης ἐξ ἀληθείας ποιῆσαι, πρὸ τῆς μεταλήψεως τοῦ πνεύματος. *Pauper ac mendicus & qui fame laborat, in mundo nihil potest comparare, paupertate eum premente. Qui verò thesaurum habet, absque omni negotio & molestia, quascunque exoptarit possessiones, consequitur: sic quoque anima, nuda ac societate spiritus destituta, & ad duram paupertatem peccati redacta, nullum potest, quantopere voluerit, spiritus justitiæ fructum producere, antequam spiritus particeps facta sit.* Idem homil. XXXII. *c*
c P. 420. Ὥσπερ πετεινόν, ἐὰν ἔχῃ πτερὸν ἕν, ἐν τῷ ἑνὶ πετασθῆναι οὐ δύναται· οὕτω καὶ ἡ φύσις τοῦ ἀνθρωπίνου, ἐὰν καθ' ἑαυτὴν γυμνὴ ἀπομείνῃ, καὶ μὴ λάβῃ τὴν μίξιν, καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς ἐπουρανίου φύσεως, οὐδὲν διορθοῦται, ἀλλ' ἔμεινε γυμνή, καὶ ἐπίμωμος εἰς τὴν φύσιν αὐτῆς ἐν ῥυπαρίᾳ πολλῇ. *Quemadmodum avis, si unicam habuerit alam, ea sola volare nequit: sic quoque humana natura, si nuda quod ad se maneat, & non recipiat commixtionem & communionem cœlestis naturæ, nihil laude dignum efficit, sed nuda manet & culpanda in sua natura, & sordibus multis.* Sunt hujusmodi apud eundem plurima. Passim enim & corruptionem generis humani, & necessitatem divinæ
d P. 27. edit. Morell. gratiæ prædicat. Vide eum homil. I. *d* II. *e* V. *f* XI. *g* XV. *h* XXI. *i* XXIII. *k* XXV. *l* XXX. *m*

e P. 21. & seq. Athanas. in Passionem & Crucem Domini *n*: Ἀπαιτεῖ δὲ τοῦτο ὁ σωτὴρ οὐχ ὡς ἐπιδεὴς ἔχρῃζε τῆς παρ' ἑτέρων συνεργείας. αὐτὸς γὰρ καὶ τῆς πίστεως κύριος καὶ χορηγός ἐστι. ἀλλ'
f P. 10. & seq. ἵνα μὴ ὡς προσώποις χαριζόμενος φανῇ. *Postulat autem*
g P. 529. & seq. *id Servator, non quod alicujus opera, aut ministerio in-*
h P. 212. & 224. *digeat: ipse enim fidei autor est & suppeditator: sed ne videretur personis gratificari.* Ideo eodem libro *o*: Διὰ
i P. 297. τοῦτο πέπονθεν ὡς ἄνθρωπος, ἵνα τοῖς ἀνθρώποις τὰ ὑπὲρ
k P. 312. ἄνθρωπον καὶ θεῖα χαρίσηται. αὐτὸς γοῦν ἐστι τὰ νῦν ἐν ἀν-
l P. 315. θρώποις κατορθώματα. κἂν γὰρ Παῦλος λαλῇ, ἀλλὰ Χρι-
m P. 403. & seq. στός ἐστιν ἐν αὐτῷ λαλῶν. κἂν μεγάλα καὶ θαυμαστὰ ποιῇ,
n Tom. I. Pag. 783. edit. Commel. ἀλλ' ἡ τοῦ Χριστοῦ χάρις ἐστὶν ἡ ταῦτα ἐνεργοῦσα. *Ideo uti homo passus est, ut hominibus ea, quæ sunt super hominem, & divina, largiretur. Ille enim efficit, quæcunque ab*
o P. 805. *hominibus rectè fiunt. Nam si Paulus loquatur, non est alius, qui in eo loquitur, nisi Christus: sive magnalia & mirifica faciat, non est alia quàm Christi gratia, quæ*
p P. 376. *ille operatur.* Et mox *p*: Τίς γάρ ἐστιν ὁ ἐν τοῖς εἰδώλοις καταπαύσας, εἰ μὴ ὁ κύριος; καὶ τίς ὁ ἀνάγων αὐτοὺς ἐκεῖθεν ἔτι δουλεύοντας εἰδώλοις, εἰ μὴ αὐτὸς ὁ Χριστός; ὁ λέγων, ὅταν ὑψωθῶ, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. τὸ γὰρ παράδοξόν ἐστι τοῦτο, ὅτι ἔτι δουλευόντων αὐτῶν εἰδώλοις, διανοίγεται τούτων ὁ νοῦς εἰς τὸ νοεῖν, ὅτι, οὓς μὲν ἐνόμιζον πάλαι θεούς, ξύλα καὶ λίθους εἶναι. *Quis enim est, qui eos in idololatria, ita pœnitentiâ stimulat, nisi Dominus? Aut quis est, qui eos inde abducit, etiamnum servientes idolis, nisi ipse Christus, qui dixit, Quum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum? Nam id certe pro ingenti miraculo habendum, quod etiamnum idololatriæ servientibus mens aperiatur, ut intelligant, eos, quos hactenus pro Diis habuere, ligna prorsus & lapides esse.*
Idem de communi essentiâ Patris, Filii & Spir. S. *a* Καὶ ἐν a P. 376.
τῇ νίῳ ὁμοίως περὶ πατρός, ὁ Παῦλος, Ὁ δὲ θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσι· περὶ δὲ υἱοῦ ὁ αὐτός, Ἀλλὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός· περὶ δὲ ἁγίου πνεύματος, Ταῦτα δὲ πάντα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. *In N. Testamento itidem de Patre loquitur Paulus: Deus est qui operatur in omnibus omnia. De Filio quoque, idem: Sed omnia in omnibus Christus. De spiritu Sancto: Hæc omnia operatur unus & idem spiritus, dispartiens singulis privatim: prout vult.* Etiam De gratiæ necessitate habemus illustrem locum Athanasii contra Arrianos orat. III. ubi argumentatur hoc modo: Si Christus est merus homo, quomodo in ejus nomen baptizamur? nec enim in cujusquam nomen baptizamur, nisi qui conferre possit spiritualem illam gratiam, quæ baptismo promittitur & obsignatur: at eam merus homo conferre non potest, sed omnis homo gratiâ istac indiget. Μιᾶς, inquit, οὔσης φύσεως τῶν λογικῶν κτισμάτων, οὐδὲ μία παρὰ κτίσματος κτίσματι βοήθεια γένοιτο· διὰ τὸ πάντας δεῖσθαι τῆς παρὰ θεοῦ χάριτος. Vide io hanc sententiam complura apud eundem lib. de Incarnat. Verbi *b*. b T. I. p. 42. & 47. edit. Commel.

Ephræm initio tractatus de divinâ gratiâ: *Enitere, ut divinam gratiam jugiter in mente tuâ habeas, ne illudaris. Cole illam ut custodem tuam, ne injuriâ affecta relinquat te. Venerare illam, ut magistram tuam invisibilem, ut ne illâ absente verseris in tenebris. Sine illa noli certamen inire, ne turpiter intereas. Sine comitatu illius, virtutis semitam ne ingrediaris. nam draco rugiens insidias tibi struet. Absque consilio ipsius non tractes, quæ ad animam pertinent. multi enim sunt, qui specie recti mentem depravant, &c.* Vide & insignem locum tract. De timore animi *c*. c Post medium.

Basilius homilia in Psalm. XXXIII. *d* Οὐκ ἐν δυνάμει d P. 90. edit. Basil. a. 1551.
ἀνθρώπου, ἢ ἐν σοφίᾳ, ἀλλ' ἐν χάριτι τοῦ θεοῦ ἐστιν ἡ σωτηρία. *Non in ullâ hominis aut potentiâ, aut sapientiâ, sed in gratiâ Dei consistit salus.* Idem ibidem *e*: Τοῖς καθημένοις e P. 91.
ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου παρακελεύεται προσελθεῖν τῷ κυρίῳ, καὶ ἐγγίσαι αὐτοῦ ταῖς ἀκτῖσι τῆς θεότητος, ἵνα ἐκ τοῦ προσεγγισμοῦ ἐλλαμφθέντες τῇ ἀληθείᾳ, χάριτι τὸν φωτισμὸν αὐτοῦ εἰς ἑαυτοὺς χωρήσωσιν. *Hos qui in tenebris & in umbra mortis sedent, hortatur ad Dominum venire, ac radiis divinitatis propinquare, ut ex ipsius propinquitate, illustrati veritate, in se ipsos recipiant* PER GRATIAM *ipsius Dei illustrationem.* Idem in Psal. XLVIII. *f* f P. 114.
Δυνατὸν μὲν τοι καὶ μικρόν τι προσαναβῆναι τῇ διανοίᾳ, καὶ τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τῇ δυνάμει αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τῷ πλήθει τοῦ πλούτου αὐτῶν καυχωμένους, νοῆσαι ἐπὶ τῆς δυνάμεως τῆς ψυχῆς, ὡς οὐκ αὐτοτελοῦς οὔσης οὐδ' αὐτῆς πρὸς σωτηρίαν. *Potest sanè id ad aliquanto sublimiorem sensum provehi, ut eos qui de potentia sua præsumunt, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur, intelligamus utrumque de animæ viribus, quæ ipsa neutiquam per se sufficere possunt ad parandam salutem.* Item in Psal. CXV. *g* Πίστις g P. 127.
οὐχ ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλ' ἡ ταῖς τοῦ πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη. *Fides non nititur geometricis probationibus, quas necessitates vocitant: sed animis nostris se insinuat efficaci operatione Spiritus sancti.* Idem homil. in sanctum baptisma *h*: Κτίσις μὲν ἀποκαλύψεως δεῖται h P. 210.
πρὸς τὸ εἰδέναι τὰ θεοῦ· τὸ δὲ (πνεῦμα) ἀποκαλύπτει ἡμῖν. φησίν, ὁ θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ. *Creatura quidem revelatione opus habet, ut quæ Dei sunt, cognoscat; Spiritus verò nobis illa revelat. Deus,* inquit, *revelavit nobis per Spiritum suum.* Idem homil. in Psal. XLVIII. *i* Πᾶσα ἀνθρωπίνη ψυχὴ ὑπέκυψε τῷ πονηρῷ i P. 214.
τῆς δουλείας ζυγῷ τοῦ κοινοῦ πάντων ἐχθροῦ. καὶ τὴν παρὰ τοῦ κτίσαντος αὐτὴν ἐλευθερίαν ἀφαιρεθεῖσα, αἰχμάλωτος ἤχθη διὰ τῆς ἁμαρτίας. *Omnis anima humana maligno servitutis jugo communis omnium inimici succubuit, &*

liber-

libertate quam à suo creatore acceperat, privata, abducta in captivitatem est per peccatum. Idem homiliâ de humi-
a P. 217. litate a: Οὐδὲν ἀπολέλειπταί σοι πρὸς ἀλαζονείαν, ὦ ἄνθρωπε. ὦ τὸ καύχημα καὶ ἡ ἐλπὶς, ἐν τῷ νεκρῶσαι μὲν πάντα τὰ σεαυτοῦ, ζητῆσαι δὲ τὴν ἐν Χριστῷ ζωὴν τὴν μέλλουσαν. ἧς ἀπαρχὰς ἔχοντες ἤδη ἐν τούτοις ἐσμὲν, τὸ ὅλον ἐν χάριτι ζῶντες καὶ δωρεᾷ Θεοῦ. καὶ Θεὸς μέν ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. *Nihil tibi relictum est, ô homo, de quo gloriari possis, cujus gloriatio & spes in eo sita est, ut omnia tua mortifices, & futuram in Christo vitam quæras: cujus primitias habentes, in his nunc sumus, per universum in gratiâ ac dono Dei viventes. Et Deus est, qui operatur in nobis & velle & efficere pro bonâ voluntate.* Idem libro de Spiritu sancto ad Amphi-
b P. 260. lochium cap. xv. b Διὰ πνεύματος ἁγίου ἡ εἰς παράδεισον ἀποκατάστασις, ἡ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν ἄνοδος, ἡ εἰς υἱοθεσίαν ἐπάνοδος &c. *Per spiritum sanctum datur in paradisum restitutio, in regnum cælorum reditus, in adoptionem filiorum reversio &c.* Ergò ante peccatum Adæ fuimus filii Dei: nec in integrum restitui possumus, nisi per Spiritum S. Quâ de re præclarè idem Basilius λόγῳ περὶ
c P. 608. αὐτεξουσίου c, cujus hæc apud interpretem inscriptio, Quòd sine divinâ virtute & gratiâ resistere Satanæ, nec nisi relictâ Ægypto in terram promissam ac cælestem Hierosolymam pertingere, non possit quisquam. Οὐκ ἐκ τῆς οἰκείας αὐτῶν ἰσχύος περιγίνονται τῶν τοῦ πονηροῦ σκανδάλων δυνατῶν, ἀλλ' ἐκ τῆς ἀηττήτου δυνάμεως τοῦ Θεοῦ. οἱ δὲ μὴ λόγῳ Θεοῦ τετιμημένοι, εἰκῇ φυσιούμενοι, οἴονται διὰ τοῦ ἰδίου αὐτεξουσίου καταργεῖν τὰς ἀφορμὰς τῆς ἁμαρτίας, τῆς διὰ μόνου τοῦ μυστηρίου τοῦ σταυροῦ καταργουμένης. Τὸ γὰρ ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου δυνάμει αὐτεξούσιον ἐπὶ τῷ ἑλέσθαι, ἢ μὴ ἑλέσθαι τῷ διαβόλῳ ἀνθίστασθαι, κεῖται· οὐκ ἐπὶ τὸ δύνασθαι παντελῶς ἔχειν τὸ κράτος τῶν παθῶν. *Impossibile est propriis viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat. Qui vero verbi Dei honore cumulati non sunt, ii frustra inflati, libero se putant arbitrio peccati occasiones inanire posse, quod per solum crucis mysterium deletur. Liberum enim illud quod in potestate hominis est arbitrium, in eo situm est, vel velis vel nolis resistere diabolo. Non enim, ut omnino hoc possis, potentiam habes quâ affectionibus carnis domineris.*

Gregorius Nazianzenus orat. xxxi. quæ est in dictum illud Euangelii: *Cum consummasset Jesus hos sermones &c.* Matth. xix: Ὅταν ἀκούσῃς, Οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ, συμβουλεύω σοι τὸ αὐτὸ ὑπολαβεῖν. ἐπειδὴ γάρ εἰσί τινες οἱ τοσοῦτον μεγαλοφρονοῦντες ἐπὶ τοῖς κατορθώμασιν, ὥστε τὸ πᾶν ἑαυτοῖς διδόναι, καὶ μηδὲν τῷ ποιήσαντι καὶ σοφίσαντι, καὶ χορηγῷ τῶν καλῶν· διδάσκει τούτους ὁ λόγος, ὅτι καὶ τὸ βούλεσθαι καλῶς, δεῖται τῆς παρὰ Θεοῦ βοηθείας. μᾶλλον δὲ καὶ αὐτὸ τὸ προαιρεῖσθαι τὰ δέοντα, θεῖόν τι καὶ ἐκ Θεοῦ δῶρον φιλανθρωπίας. δεῖ γὰρ καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν εἶναι, καὶ τὸ ἐκ Θεοῦ σώζεσθαι. διὰ τοῦτο, φησὶν, Οὐ τοῦ θέλοντος, τοῦτ' ἔστιν, οὐ μόνου τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος μόνου, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ. εἶτα ἐπειδὴ καὶ τὸ βούλεσθαι παρὰ Θεοῦ, τὸ πᾶν εἰκότως ἀνέθηκε τῷ Θεῷ. *Cum illud audis, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: idem tibi existimandum censeo. Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob rectè facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis ascribant, nec quicquam creatori, & sapientiæ eorum autori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant: his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam rectè velle, divino auxilio indigeat. imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa & electio eorum, quæ recta & cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Oportet enim, ut & hoc in nostra sit potestate, & per Deum servemur. Idcirco ait, Non volentis, id est, non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis Dei. Ita* QUONIAM VELLE QUOQUE IPSUM A DEO EST, *optimo jure totum Deo assignavit.* Idem
d P. 683. Nazian. oratione xlii, quæ secunda est in Pascha d: Οὐ γὰρ οἷόν τε ἄλλως ἐν περινοίᾳ Θεοῦ γενέσθαι σώματος ὑλικοῦ καὶ δεσμίου νοῦ πάχος μὴ βοηθούμενον. *Neque enim aliter terreni corporis ac mentis vincta crassities Deum concipere potest, nisi divinitus adjuvetur a.* Idem Nazian- a P. 136.
zenus de virtute humanâ:

Οὐκ οἶος μεγάλοιο Θεοῦ τόδε δῶρον ἐτύχθη,
Εἰκόνα περ τίοντος, ἐπεὶ καὶ σεῖο μνημοσύνης,
Οὔτε σέο φρενὸς οἶος, ἐπεὶ καὶ κρείσσονος ἀλκῆς,
Ὥς οὐδ' ὄψις ἔμοιγε μόνη θηήσατο λευκὰ,
Καὶ μάλα δερκομένη περ ἑκὰς μεγάλου Φαέθοντος.
Αὐτὸς δ' ὄμματ' ἔλαμψε, καὶ ὄμμασιν αὐτὸς ἐφάνθη.
Δοιαὶ μὲν μεγάλοιο Θεοῦ πρὸς κρείσσονα μοῖραι,
Πρώτη δ' ὑστατίη τε, ἓν δ' ἔ τε καὶ παρ' ἐμεῖο.
Κεῖνος δεκτὸν ἔθηκε καλοῦ, καὶ κάρτος ὀπάζει.
Αὐτὸς δ' ἐν μεσάτῳ σταδιοδρόμος, οὐ μάλ' ἐλαφρὸς,
Ἔρχομαι, οὐκ ἀγέραστος ἐν ἅλμασι κῶλα τιταίνων,
Χριστὸν ἔχων πνοιὴν, Χριστὸν σθένος, ὄλβον ἀγητὸν,
Ὅς με καὶ ὠπήεντα καὶ ἀδρομέοντα τίθησι.
Κείνου δ' ἐκτὸς, ἅπαντες ἐτώσια παίγνια θνητοὶ,
Καὶ νέκυες, ζώοντες ὀδωδότες ἀμπλακίῃσι.
Οὐδὲ γὰρ ἠέρος ἐκτὸς ἴδοις πωτώμενον ὄρνιν.
Οὐδὲ μὲν ὕδατος ἐκτὸς ἁλίδρομος ἔπλετο δελφίς.
Ὡς οὐδὲ Χριστοῖο δίχα βροτὸς ἴχνος ἀείρει.
Τῷ μή μοι λίην μεγαλίζεο, μηδ' ἐπὶ σεῖο
Κάρτος ἔχοις πραπίδεσσι, καὶ εἰ μάλα πάνσοφος εἴης.
Μηδέ τιν' ὑστερίην χθαμαλώτερον ὕψος ἀγείρῃς.
Ὡς πάντων κρατέων.

Quæ sic transtulit doctissimus Billius:

Non tantùm ætherei, carissima sit licet illi
Effigies, virtus contingit munere Patris.
(Nam tua cura etiam studiumque accedat oportet.)
Nec rursum illa tuâ tantummodo mente paratur:
Majus enim robur, majorem poscit opemque.
Quippe nec ipse, licet visu præcellat, ocellus,
Sole tamen demto, corpus spectabile cernit.
Ille etenim & nostros oculos illustrat: & idem
Post oculis sese infundit, præbetque tuendum.
Atque Dei, ut virtus homini contingere possit,
Sunt geminæ partes, prima & postrema: necesse at
A nobis unum est, mediamque accedere binis.
Virtutis namque ille mihi dedit esse capacem,
Et validas idem vires nervosque ministrat:
Ast ego, ut in stadio, non sanè præpete gressu
Incedo, moveoque haut vano membra labore,
Dum Christus mihi præstat opem, mihi præstat opesque:
Qui facit ut cernam, cursu ferar atque secundo.
Quo sine mortales vanissima ludicra cuncti,
Quo cuncti sine viva cadavera putrida noxis.
Nam neque submoto volitantes æthere cernas
Pennigeras volucres, nec demtis fluctibus unquam
Delphini æquoreâ poterunt regione natare:
Sic quoque præsidio Christi sine tollere gressum
Haut unquam mortale genus queat. Ergò cavendum,
Ne tibi plus æquo tribuas, & mente superbâ
Viribus ipse tuis fidas, quantumlibet in te
Fulgeat insignis sapientia: neve, virum quem
Inferiore gradu cernens, attollere cristas
Incipias, tanquam sublimior omnibus.

Chrysostomus in Matth. cap. xxii. homil. lxx. Ἔνδυμα γὰρ βίος ἐστὶ καὶ πρᾶξις, καὶ τῆς χάριτος μὲν ἡ κλῆσις. τίνος οὖν ἕνεκεν ἀκριβολογεῖται; ὅτι τὸ μὲν κληθῆναι, καὶ καθαρθῆναι, χάριτος ἦν· τὸ δὲ κληθέντα καὶ τὰ καθαρὰ ἐνδυσάμενον μεῖναι τοιαῦτα διατηροῦντα, τῆς τῶν κληθέντων σπουδῆς. τὸ κληθῆναι δὲ οὐκ ἀπὸ τῆς ἀξίας γέγονεν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς χάριτος. ἔδει τοίνυν ἀμείψασθαι τὴν χάριν. *Cum indumentum vita sit, atque actio, & per gratiam vocati simus, quam ob rem hæc ita minutim disputat? Quia videlicet vocatio &* PURGATIO *ipsa ex gratiâ sunt: ut verò vocatus jam &* CANDIDA INDUTUS VESTE *se ipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam si,* NON QUIA DIGNUS, SED QUIA GRATIA TIBI LARGITA EST, VOCATUS VENISTI,

oper-

oportebat te vicissim pro gratiâ nonnihil reddere &c. Quibus verbis duo hæc à gratiâ, non merito hominis, esse ait, quod vocetur ad salutem æternam, quodque Spiritu S. purgetur, & candidâ fidei ac sanctimoniæ veste induatur. Chrysostomus in 1. ad Cor. cap. IV. homil. XII a:
a P. 423. Οὐδὲν γὰρ οἴκοθεν ἔχεις, ἀλλὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβών. τί τοίνυν ἔχειν προσποιῇ, ὅπερ οὐκ ἔχεις; ἀλλ᾽ ἔχεις τοῦτο σὺ, καὶ ἕτερος μετὰ σοῦ. οὐκοῦν λαβὼν ἔχεις· οὐχὶ τόδε, καὶ τόδε, ἀλλὰ πάντα ὅσα ἔχεις. οὐ γὰρ τὰ κατορθώματα ταῦτα, ἀλλὰ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος. κἂν τὴν πίστιν εἴπῃς, ἀπὸ τῆς κλήσεως γέγονε· κἂν τὴν ἄφεσιν εἴπῃς τῶν ἁμαρτημάτων, κἂν τὰ χαρίσματα, κἂν τὸν διδασκαλικὸν λόγον, πάντα ἐκεῖθεν ἔλαβες. τί τοίνυν ἔχεις, εἰπέ, ὅπερ οὐχὶ λαβὼν ἔχεις; ἀλλ᾽ αὐτὸς ἀπὸ σαυτοῦ κατώρθωσας. οὐκ ἂν ἔχοις εἰπεῖν, ἀλλ᾽ ἔλαβες. καὶ διὰ τοῦτο μέγα φρονεῖς; διὰ τοῦτο μὲν οὖν ἔδει συνεστάλθαι. οὐ γὰρ σόν ἐστι τὸ δοθέν, ἀλλὰ τοῦ δεδωκότος. εἰ γὰρ ἔλαβες, ἀλλὰ παρ᾽ ἐκείνου ἔλαβες. εἰ δὲ παρ᾽ ἐκείνου ἔλαβες, οὐ σὸν ἔλαβες. εἰ δὲ οὐ σὸν ἔλαβες, τί μέγα φρονεῖς, ὡς σὸν ἔχων; διὸ καὶ ἐπήγαγεν, Εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾷ, ὡς μὴ λαβών; *Nihil enim habes proprium ac quasi domo allatum, sed à Deo acceptum. Quid ergò te habere præ te fers, quod non habes? At tu hoc habes, alius tecum. Acceptum ergò habes, non hoc aut illud, sed omnia quæ habes. Non enim tua sunt hæc rectè facta, sed Dei gratiæ. Etiam si fidem dicas, ea extitit ex vocatione: & si dicas remissionem peccatorum, si dona ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti. Quid ergo habes, inquit, quod non habes acceptum? At ipse ex te ipso rectè egisti. Non potes hoc dicere, sed accepisti. Et propterea te effers, & tibi places? Propter id ipsum verò oportebat te intra fines modestiæ continere. Non enim tuum est quod datum est, sed ejus qui dedit. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si autem non tuum accepisti, quid magnificè ac præclarè de te sentis, tanquam habens tuum? Et ideo subjunxit, Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Idem
b P. 1676. in 2 Tim. III. homil. VIII b. Τοῦτο μόνον ἴσθι, πάντα ὁ Θεὸς οἰκονομεῖ, ὅτι πάντων προνοεῖ, ὅτι αὐτεξούσιοί ἐσμεν, ὅτι τὰ μὲν ἐνεργεῖ, τὰ δὲ συγχωρεῖ, ὅτι οὐδὲν πονηρὸν γίνεσθαι βούλεται, ὅτι οὐκ ἀπὸ θελήματος αὐτοῦ πάντα γίνεται, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου, πάντα τὰ κακὰ ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου μόνου, πάντα τὰ ἀγαθὰ ἀπό τε τοῦ ἡμετέρου καὶ τῆς αὐτοῦ ῥοπῆς. *Hæc solum scito, quòd Deus omnia dispensat ac providet: quòd liberi arbitrii conditi sumus: quòd alia quidem operatur, alia verò permittit: quòd nihil mali vult fieri: quòd non ex solâ ipsius voluntate omnia fiunt, sed ex nostra quoque: mala omnia ex nostrâ tantummodo fiunt, bona omnia ex voluntate nostrâ & ipsius adjutorio.*
c P. 1159. Idem homil. VIII. in epist. ad Philip. c Καὶ προθυμίαν αὐτὸς ἡμῖν δίδωσι, καὶ ἐνέργειαν. *Et promtitudinem nobis Deus dat, & operandi efficaciam.*

Et hi quidem scripsere, priusquam Pelagius hæresim suam spargeret in vulgus. Idem postea docuerunt Græcorum alii: quorum verba non apponemus: sed qui volet, inter alios adeat Cyrillum Alexandrinum dialog. ad Pallad. de adorat. & cultu in spirit. & ver. & in Esai. lib. V. cap. LX. Dionysium cognomento Areopagitam lib. de divinis nominibus cap. IV. & de cælesti Hierarchia cap. I. Sophronium Hierosolymitanum orat. in Christi Salvatoris natalitia, Thalassium Hecatontade IV. cap. XLVI. Maximum Martyrem de caritate centur. II. cap. XXXVIII. Marcum Eremitam lib. de Paradiso & lege spirituali, partim in proœmio, modò ejus est, (sanè integrum apud Macarium quoque legas homil. XXXVII.) partim cap. I. XL. & XLI. Euthymium Zigabenum in Psal. XXXVI. ad verba, *A Domino gressus hominis diriguntur.* Incommodè tamen idem Zigabenus ad Matth. IX. 13. cur non venerit Christus ad vocandos justos, hanc adfert rationem, *quia justi ipsi ad salutem sufficiebant*: unde Maldonatus aliquas in Euthymio Pelagii reliquias agnoscit. Ac Casaubonus quoque initio exercitationum adversus Baronium colligit hinc, vel putasse, non omnes salvari per Christum: vel verba istæc scripsisse aliud agentem: quod nos credere malumus. Quamquam neque si ex parte Pelagio faveret, id præsenti instituto adversetur. quando non aliud nunc propositum habemus, quàm docere, eos scriptores Ecclesiasticos, qui ante Pelagium vixerunt, necessitatem gratiæ agnovisse.

Sed enim, inquiunt aliqui, multa etiam inveniuntur apud antiquos propè omnes, Græcos imprimis, in quibus liberi arbitrii vires non minùs extollant, quàm à Pelagio postea factum fuit. Video quidem, ita multis esse persuasum, viris sanè non aspernandæ eruditionis. Verùm enimvero quanto aliter sapuit B. Augustinus, qui passim contendit, dogma illud, quo gratiam destruere Pelagius conabatur, novum fuisse, & ante ea tempora in Ecclesiâ Dei inauditum. Quod præter alios etiam Vincentius Lirinensis affirmat, cap. XXXIV. ut antè vidimus. Tanti interest, quo affectu veteres illos legamus. Atqui sancti illi Martyres, cæterique clarissimi nominis doctores, cùm homini tribuunt libertatem ad bonum, vel de naturalibus & moralibus solùm agunt; vel siquando de operibus pietatis, & iis quæ ad Deum pertinent, sermo sit, communiter & indefinitè voluntatem hominis considerant, minimè distinguentes, quid possit ex viribus naturæ, quid item ex viribus gratiæ: sed tantummodo eam homini tribuentes vim, per quam & ante gratiam bonum morale agere vel non agere possit, & post vires gratiosè acceptas credere vel non credere, opus pietatis præstare vel omittere valeat: contrà quam Bardesanistarum, Manichæorum, & similium opinio fuit. Aliter si Patres illos interpretamur, non tantùm alios aliis, sed singulos secum committamus necesse est. Verùm hoc facere illi non refugiunt, adversus quos caussam agimus antiquitatis. Nam nihil apud eos pervulgatius est, quàm Patres, ut in aliis, ita secum hac parte plurimùm pugnare: quippe qui libertatem arbitrii uno ore prædicent: & tamen aliàs contendant, hominem auxilio Dei ad actus singulos indigere. At, quod pace eorum liceat dixisse, nunquam tam iniqui erimus veterum censores, ut quæ probè inter se conciliari possunt, ea nos pugnare dicamus, præsertim ubi veteres illi gravissimi & sanctissimi gratiæ patroni nullam ἐναντίωσιν videre potuerunt. Objectant nobis loca quædam antiquorum. Sed vix aliquid habent ab Augustino non refutatum. Verùm esto sanè, aliqui interdum incautiùs sint locuti. Sed aliqui, ut diximus, & interdum: non omnes, vel plurimi: non semper, vel plurimùm. Et num censores illi arbitrantur, eam esse temporum nostrorum felicitatem, ut scribi quicquam possit, quod non dico aliò vorsum rapere possit hominum iniquitas: sed verò etiam æqui censoris virgulam non extimescat? De nobis quidem tale nihil sperare audemus: & similiter puto affectos esse, qui legendo & scribendo didicerunt, quanta sit hominum imbecillitas. Nam quantillum profectò est, quod scimus! Quid quod subinde etiam, quæ optimè sentimus, incautiùs proferimus? Quod imprimis usu venire solet, quoties ex contrariis erroribus sic uni oppugnando intentus est animus, ut de altero sollicitus sit parùm. Hoc etiam Patribus illis obtigisse dici potest. Nempe eùm libertatem arbitrii tuerentur, vix gratiæ meminerunt: eùm res exigeret, ut gratia defenderetur, vix docere curarunt, quid cum & sub gratiâ liberum posset arbitrium. Quæ omnia planiora fient, eùm antiquitatis de prævenienti gratiâ sententiam explicabimus. Nunc satis probasse me puto, eos qui ante Pelagium vixere, necessitatem divini auxilii agnovisse: proximum est ut ostendam, quanto hac parte distent intervallo Pelagiana & Catholica sententia: ubi non alios Catholicorum advocabimus, quàm eos, qui post exortam Pelagii hæresin scripserunt.

LIBRI TERTII
PARS ALTERA;

Quæ collationem instituit inter Pelagianam & Catholicam doctrinam, de gratiæ necessitate.

Thesis I.

Pelagius nec idem de gratiâ semper sensit, nec dixit. Primitus omnia naturæ tribuebat. Postea objurgatus, quòd gratiam Dei non agnosceret, eam quoque nominare cœpit: sententiam tamen non mutavit. Nam per gratiam intellexit possibilitatem naturæ à Deo conditæ, hoc est, rationalem voluntatem. Et cum clarè ostenderent Patres, Scripturam non de naturali gratiâ loqui, sed ea, quæ excederet vires naturæ: quasi singulari equo bigas jam præferens, cum naturali gratia pariter currere jussit supernaturalem; sed solam externam, quam in doctrina Legis collocabat. Ut hanc opinionem suam facilius animis instillaret; sub laudatione liberi arbitrii & Legis divinæ, eam plurimùm proponebat: illos qui contrà sentirent, liberum negare arbitrium, & cum Manichæis sentire dicebat.

RECtè Hericus Benedictinus Antisiodorensis in Vita S. Germani, quam carmine ante annos scripsit septingentos, eum esse Pelagii errorem ait:

Quòd satis ad propriam possit conferre salutem
Arbitrii libertas, etiamsi gratia desit.

Nam idem passim dicit Augustinus, Hieronymus, Prosper, alii. Nec obstat, quòd gratiam nominarit Pelagius: nam cùm primùm solum laudaret liberum arbitrium, postea quidem ad invidiam declinandam, gratiæ appellatione uti cœpit: sed per eam non aliud intellexit, quàm quòd nos Deus creavit liberi arbitrii, inque eodem conservat. Critobulus apud Hieronymum lib. I. dialogorum adversus Pelagianos *a*: *Non tollitur Dei adjutorium, cùm creatura ex semel dati liberi arbitrii gratiâ conservantur.* Hinc Hieronymus ejusdem operis lib. II *b*. *Liberi arbitrii potestate subnixus, despicit auxilium conditoris, & in suâ voluntate securus est.* Item libro III. sic loquitur Critobulus *c*: *Non tollo Dei auxilium? quippe per cujus gratiam possumus omne quod possumus: sed utrumque suis finibus terminamus, ut & Dei sit gratiæ, quòd dedit liberi arbitrii potestatem, & nostræ voluntatis, facere quid, vel non facere.* Idem docent quinque Episcopi Africani epistola ad Innocentium I. *d* *Sibi objectâ quæstione, quòd gratiam Dei negaret, ita respondit, ut eam esse* NON *diceret* NISI NATURAM, *in qua nos condidit Deus.* Augustinus serm. XI. de verbis Apostoli: *Disputantes ergò* (Pelagiani) *contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & Catholicis offensionem, cœperunt horreri, cœperunt ut certa pernicies devitari, cœpit de illis dici, quod contra gratiam disputarent, & invenerunt, ad revelandam istam invidiam, tale commentum: Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Unde probas? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Videte acumen, sed vitreum. Quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate. Attendite quam sit quasi acutè excogitatum, quod dicere voluerunt. Hoc ipso, inquit, quia liberum arbitrium hominis defendo, & dico, quia libero arbitrio sufficiens est, ut justus sit, non sine gratiâ Dei dico. Erectæ sunt aures piorum; jam qui ista audit, incipit gratulari. Deo gratias. Non sine Dei gratiâ defendit liberum arbitrium. Est enim liberum arbitrium, sed nihil valet sine Dei gratiâ. Si ergò liberum arbitrium non sine Dei gratiâ defendunt, quid mali dicunt? Expone ergò nobis, ô doctor, quam dicas gratiam. Cùm dico, inquit, liberum hominis arbitrium, vide quia hominis dico. Quid deinde? Homo est; quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergò hominem Deus creavit, & homini Deus liberum donavit arbitrium, quicquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, nisi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio? Et hoc quasi acutè ab ipsis dictum. Videte tamen, fratres mei, quomodo illam generalem gratiam prædicent, quâ creatus est homo, quâ homines sumus. Et utique & cum impiis homines sumus: sed non cum impiis Christiani sumus.* Idem dicit lib. de grat. & lib. arb. cap. XIII. Item cap. X. de gestis Palæstinis: *Quia in eo jam plurimos offenderat, quod adversus Dei gratiam loqueretur: apertissimè expressit, hanc se dicere Dei gratiam, quòd possibilitatem non peccandi natura nostra, cùm conderetur, accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio.* Ibidem hæc Pelagii verba commemorantur: *Dixi quidem, proprio labore, & Dei gratiâ, posse hominem esse sine peccato: sed quam dicam gratiam, optimè nostis, & legendo recolere potestis, sic* (leg. sit) *quod ea, in quâ creati sumus à Deo cum libero arbitrio.* Nempe intellexit gratiam creantem; ut eam vocat Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. *Velle*, inquit, *simpliciter ipsum est, quod vel proficit, vel deficit. Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit. Ut proficiat, salvans gratia facit.* Hinc Beda ex Augustino ad Gal. II. 21: *Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, in quâ sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem.* Cùm autem animadverteret Pelagius, sic quoque offendi animos piorum, eo quòd gratiam omnem in naturâ constitueret: nec commodè respondere posset tot Scripturarum locis, quibus gratia opponitur naturæ: etiam ipse supernaturalem gratiam sociavit naturali: sed illam tantùm, quæ in hac mentium nostrarum caligine indicaret, quid facere debeamus. Sunt enim Cælestii ipsius verba Definit. cap. III. *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrinâ.* Quæ verba Pelagio objecta fuere in concilio Palæstino, ubi & damnare ea coactus est, ne damnaretur ipse. Ut cognoscimus ex Alypii & Augustini Epistol. ad Paulinum, & Augustini libro De gestis Palæstinis cap. XIV. Etiam hanc Pelagianorum sententiam esse, dicit Hieronymus ad Ctesiphontem: ubi sic scribit: *Ita Dei gratiam ponunt, ut non per singula opera ejus nitamur & regamur auxilio; sed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepta legis, ponentes illud Isaiæ: Legem enim Deus in adjutorium posuit, ut in eo Deo referendæ sint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possimus & eligere bona, & vitare mala: & non intelligunt ista dicentes, quòd per os eorum intolerabilem blasphemiam diabolus sibilet.* Orosius Apol. de arbitrii libertate: *Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur; verùm etiam universis in hoc*

a P. 262. edit. Basil. 1553.
b P. 293.
c P. 299.
d Apud August. epist. 95.

hoc mundo gentibus, propter longanimem sui æternamque clementiam subministrare: non, ut tu asseris cum discipulo tuo Cælestio, (cui jam apud Africanam Synodum illa impiorum dogmatum natura confusa est) IN SOLO NATURALI BONO, ET IN LIBERO ARBITRIO, *generaliter universis unam gratiam contributam; sed speciatim quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atomos & cunctis & singulis ministrare.* Idem apertè docet Augustinus lib. 1. de gratiâ Christi contra Pelag. & Cælest. cap. III. *Gratiam Dei, & adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum, aut in naturâ & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrinâ: ut videlicet, cùm adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo, & faciat bonum; revelando & ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur.* Item hæresi LXXXVIII: *Illam gratiam Dei, sine quâ nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis nostris præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura,* AD HOC TANTUM IPSO ADJUVANTE, UT DISCAMUS, QUÆ FACERE ET SPERARE DEBEAMUS. Disertim ait, solam requisisse gratiam doctrinæ: hoc est, ut Hieronymus dixit, legis præcepta. Per quæ tamen verba etiam intelligimus adhortationes, minas, similiaque. Hinc Prosper Carm. de Ingratis cap. XX:

—— Aliud non est vobiscum gratia, quàm Lex,
Quamque Propheta monens, & quàm doctrina ministri.

Omnis igitur, sed sola institutio externa, ab iis signabatur. Unde & plenius planiusque Augustinus cap. x. libri de Gratiâ contra Pelag. & Cælest. *Ad doctrinam pertinet etiam, quòd sapientia revelatur: ad doctrinam pertinet, cùm suadetur omne, quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrina generalitate concluditur, quæ quibuscunque sermonibus vel literis continetur. Nam & sacra Scriptura docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.* Ubi duplicem doctrinæ modum adfert, unum è libris per lectionem, alterum è sermone per hominis alius operationem. Uterque συνεκδοχικῶς ab Augustino intelligi solet, cùm doctrinam forinsecus sonantem opponit doctrinæ internæ & occultæ: quod facit cap. XXIV. ejusdem libri: *Legant*, inquit, *& intelligant, intueantur, & fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et Epist. CXLIII. ad Anastasium: *Nimium arrogant humanæ voluntati, quam lege data putant ad eam implendam sibi posse sufficere: nullâ super doctrinam Legis gratiâ sanctæ inspirationis adjutam.* Hunc errorem suum ut plausibilius tuerentur, eum sub laudatione Legis, & liberi arbitrii proponebant. De Lege sunt illa Juliani lib. II. comment. in Cantica: *Asserebat, nullum fere ad justitiam, quod dico ratione, sed ne sacra quidem Legis institutione, perduci.* Citat Beda præfat. seu lib. I. in Cantica. Nempe, ut Augustinus lib. II. contra duas Pelagianorum epist. cap. II. ait: *In laude Legis dicunt, veterem Legem secundum Apostolum justam & sanctam, & bonam custodientibus mandata sua; ac per fidem justè viventibus, sicut Prophetis ac Patriarchis, omnibusque sanctis, vitam potuisse conferre perpetuam.* De libero arbitrio sic ibidem Augustinus: *De laude liberi arbitrii dicunt, liberum arbitrium non periisse, cùm loquatur Dominus per Prophetam: Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ, edetis: si nolueritis, & non audiveritis, gladius vos comedet. Ac per hoc & gratiam uniuscujusque bonum propositum adjuvare, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.* Et Hieronymus epistolâ ad Ctesiphontem, sic philosophatum, ait, unum discipulorum Pelagii, imò jam magistrum & totius ductorem exercitus a: *Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera ejus est omne quod gessero: ergò non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustraque dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc, aut utor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium: aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur.* Cælestium autem ab Hieronymo designari, planum est. Hinc illa Juliani querela apud Augustinum a: *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur.* Sed & Pelagius, ut ex Augustino constat, quatuor, pro libero arbitrio, libros scripsit, quasi hoc à Catholicis negaretur. Eoldem hoc nomine Manichaicam amplecti doctrinam calumniabatur. Quam cramben nec in ultimis adversus Augustinum libris reponere dubitavit Julianus. Sic enim loquitur apud Augustinum lib. I. contra poster. respons. cap. LXXIII b: *Aut dic nobiscum, liberum esse arbitrium, aut sicut in his libris, quos nunc per Alypium ad Bonifacium misisti, dic captivum esse arbitrium, & desine te negare Manichæum.* Et cap. CLVC: *Liberum arbitrium in natura hominis perseverat, quod ut tu cum Manichæis negas, ita nos cum Apostolis & omnibus Catholicis confitemur.* Non inutile verò erit, si consideremus, quæ potissimum caussæ Pelagium impulerint in fœdum adeò errorem, virum alioqui ingeniolum & pietatis nomine clarum multis. Erant verò caussæ istæ, ut etiam observavit doctissimus Kemnitius d, primùm quidem, quia magnam videret Christianorum socordiam, quam corrigi posse sperabat, si magnificè magis de viribus suis sentirent. Sanè hodieque doctrina de ἀδυναμίᾳ nostrâ in spiritualibus abutuntur plurimi ad fovendam ignaviam. Præterea in caussa erat, quòd & hinc Manichæorum vitare vellet errorem, & parte ex alterâ damnaret raptus Enthusiastarum sive Euchetarum, quos ante Pelagium exstitisse, fidem fecerint Augustinus hæresi LVII. & Tripartita historia lib. VII. cap. XI. Insuper moverunt eum multa priorum Patrum dicta, quæ hujusmodi aliquid sonare videbantur, quale ipse animo concepisset. Nempe sesquiseculo propemodum, quod Pelagium proximè præcessit, multum laborarunt egregii Ecclesiarum doctores in tuendâ arbitrii libertate adversus Manichæos: quod dum faciunt sedulò, iidem de gratiâ, quia de hac controversiam movisset nemo, parciùs loqui amant, ferè contenti dicere, quid homo pro arbitrii libertate possit, nec distinguentes, quid per naturam, quid per gratiam posset. Sed quanquam rarius, tamen subinde etiam hac parte optimè mentem suam explicant: uti suprà vidimus. Quod dum non attendit Pelagius, sic Manichæis cœpit adversari, ut & ipse, sed in diversum, extra orbitas currens hæresin contrariam procuderit. Nec dubium, quin præterea cum offenderint quædam Catholicorum dicta, quæ illi vel reliquiæ quædam Manichæismi, vel ex Enthusiastarum sentinâ hausta videbantur. Tale alia inter erat, quòd Augustinus in Confessionum libris scripsisset, *Da quod jubes, & jube quod vis.* Unde magnus ille doctor lib. II. de Bono perseverantiæ cap. XX. *In eis* (libris Confessionum) *certè dixi Deo nostro, & sæpe dixi; Da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotius, penè cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit.* Nempe hujusmodi concoquere non potuit, quòd arbitrii libertatem tollere viderentur. Hic enim Pelagianorum erat Achilles; ut Augustinus quoque indicat, epist. CV. ad Sixtum, *Putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem, sine adjutorio Dei, hominem habere consenserint.* Hieronymus item epist. ad Ctesiphontem: *Dicit*, inquit, *Pelagii discipulus; Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget; quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero.* Et quid multis opus, cùm ipsa habeamus Cœlestii verba Definitionum suarum cap. X e. *Non esse liberum* arbi-

a P. 193.

a *Lib. I. contra secundam Juliani respons. cap. 71. pag. 113.*

b *P. 123.*

c *P. 158.*

d *In loc. com. T. I. p. 203. edit Wit. an. 1610.*

e *Apud August. epist 106. ad Paull. & lib. de gestis Palæst. c. 18.*

arbitrium, si Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid, aut non facere. Tali jacto fundamento, duplicem docebant voluntati vim inesse à naturâ; unam, ut sine gratiæ auxilio fugere malum possit; alteram, ut suapte vi sese applicet ad virtutem. De priori sic Pelagius ipse libro de natura: *Deus tam bonus quàm justus, tales homines fecit, ut peccati malo carere sufficiant, si velint.* De altero sic idem lib. I. pro libero arbitrio *a*. *Habemus possibilitatem utriusque partis à Deo insitam, velut quandam, ut ita dicam, radicem fructiferam, atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* Etiam Julianus similiter *b* lib. I. adversus sex libb. Aug. *Hæc voluntas, quæ alternatur, originem possibilitatis in libero accepit arbitrio: ipsius verò operis existentiam à se accipit.* Cujusmodi ab iis intellecta fuisse, absque gratiæ adjutorio, ostendunt Cœlestii verba, quæ antea citavimus. Nec aliter capere oportet, quod de iis Gelasius *c* scripsit epist. ad Piceni episcopos: *Dicunt* (Pelagiani) *quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit, ac perdidit, bono suffragante natura beatus efficiatur.* Pontanus ad amicum; *Deus det mihi valetudinem; det prosperitatem in rebus agendis; cætera petam à me ipso.* Sic Plato dixit; *Ille est magnus, cui pendent omnia non ex alio, sed ex sese.* Optime interim negat Melanchthon *d* rectè hæc dici, quia nostra omnia pendeant à Deo; eoque Pelagianis & Pharisaicis similia esse ait.

a Apud August. lib. I. de gratia Christi contra Pelag. & Cal. cap. 10.
b Apud August. lib. I. imperfecti operis contra Iul. c. 45. p. 38.
c Epist. 7.
d Explic. Dom. T. 2. in festo Pentecostes, p. 905.

ANTITHESIS I.

Catholicorum contrà judicium fuit, non sufficere arbitrii libertatem & doctrinam Legis: sed divinam insuper requiri gratiam: neque gratiâ istâ liberum tolli arbitrium, sed perfici: neque doctrinam hanc esse Manichaicam, sed tutissimam insistere viam inter duo præcipitia; Manichæorum unum, Pelagianorum alterum.

NOn sufficere sibi liberum arbitrium ad salutem, clarè prædicat Hieronymus lib. I. *a* Dial. adversus Pelagium: *Sic liberum hominis servamus arbitrium, ut Doi per singula adjutorium non negemus.* Et lib. II: *b Ex quo intelligimus, non nostra solum esse potestatis, facere quod velimus, sed & Dei clementiæ, si nostram adjuvet voluntatem.* Item *c*: *Non liberi arbitrii potestate, sed Dei clementiâ conservamur.* Et lib. III. *d Totus sermo sanctorum ad Deum oratio est: tota oratio & deprecatio extorquet clementiam creatoris, ut, qui nostris viribus & studio salvari non possumus, illius misericordiâ conservemur.* Augustinus Epist. XLVII. ad Valentinum & fratres: *In fide sanâ Catholicâ perseverent, quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratiâ Dei valeat aliquid, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat.* Et lib. de gratiâ Christi contra Pelag. cap. XIV: *Quis non videat & venire quemquam* (ad Christum) *& non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest, nisi adjutum esse, si venit. Et sic adjutum, ut non solùm quid faciendum sit, sciat; sed quod scierit, etiam faciat.* Similia passim eopse libro habes, & libris contra duas Pelagianorum epistolas, atque alibi. Etiam scriptor Hypognosticon lib. III. *e* cùm liberum arbitrium jumento; gratiam, quâ liberum arbitrium dirigitur & gubernatur, sessori, multis comparâsset: sic tandem concludit: *Itaque nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam: nec liberum arbitrium sine gratia.* Prosper ad Demetriadem *f*: *Videant, cujus se haberi filios velint, qui definierint,* OMNES HOMINES PROPRIA VOLUNTATE REGI *a*; *cùm idem Apostolus protestetur: Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus.* Fulgentius lib. I. ad Monimum cap. 9: *Unde cognoscimus, Dei esse, & ut bonum facere velimus, & ut bonum facere valeamus. Cui sensus David omnino concordat, gratiam benè volendi sic ostendens divinæ largitatis directione donari. A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Opus quoque bonum non nisi a Deo in nobis, & in Deo à nobis fieri protestatur, dicens: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Et alio loco: In Deo faciemus virtutem, i. e. opus virtutis, &c. Omne igitur opus, quod à nobis in Deo fit, Deus in nobis facit. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso ergo est & voluntas bona, & operatio bona.* Gennadius Massiliensis, de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 22: *Firmissimè credendum est, in prævaricatione Adam omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit. Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est. Et nihil, quemadmodum exinde posset surgere, invenit, suâque in æternum libertate deceptus, hujus ruinâ latuisset oppressus, nisi eum post Christi pro suâ gratiâ revelasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui Baptismatis lavacro purgavit.* Solonius in Proverbia Salomonis: *Sancti & electi viri opera sunt Domini, quia nemo suâ virtute, nemo suo merito electus est à Domino, ut cœlesti ædificationi esset aptus: sed solâ gratiâ & misericordiâ ipsius.* In Ecclesiasten: *Per Deum ut talia facerent, & omne bonum suum acceperunt.* Gelasius quoque epistolâ VII, quæ est ad episcopos Piceni, cùm dicere dixisset Pelagianos, *quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit, ac perdidit, bono suffragante natura beatus efficiatur*; hanc postea sententiam refellit, atque inter alia hoc utitur argumento, quòd neque in statu innocentiæ tanta ejus fuerit perfectio. *Ecce,* inquit, SINE DIVINO SUFFRAGIO, *quod in illâ beatitudine* (paradisi) *positus, nunquam legitur expetisse, non solùm homini naturale bonum prodesse non potuit; sed cùm hoc solo confidit, atque ad ejus non revertitur largitorem, & beatitudinem potius amisit, & malorum omnium sumsit exordium.* Cyrillus Alexandrinus dialogo ad Palladium de Adoratione & cultu in spiritu & veritate: *Destituta itaque dote sua, gratiâ inquam divinâ, & nudata primis bonis, ejecta quidem est e paradisi deliciis, & statim deformitatem induit hominis natura, mortalemque se esse declaravit. Necessariò sanè. Dei namque donorum inopem esse, nihil est, opinor, aliud, quàm ab omni penitus bono extorrem fieri. Facile autem hominis natura ad quævis absurda defertur, nisi illam Salvatoris gratia in virtute sustineat, ac bonis cœlestibus, quorum est ipsa fons, augeat. Alit enim ad spirituales vires accipiendas panis ille vivus, i. e. Dei verbum: Scriptum est enim, Panis confirmat cor hominis. Servitute quoque & pravis affectibus liberat, & aurea libertatis gloria decorat. At si manum quodammodo contraxerit Deus, horumque bonorum nobis copiam minime suppeditarit, necesse est omnino, ut in mala etiam præter voluntatem incidamus, atque ab omni prorsus virtute delabamur, ac veluti alterius jugum subeamus; ad eaque mala, eamque injuriam perveniamus, ut non multum absit, quin ipsam quoque intelligentiam, quæ ad omnia nobis bonorum genera adipiscenda & administra est & conjuncta, amittamus.* Atque ex his satis liquet, sensisse Patres, liberum arbitrium & gratiam ita conspirare, ut per hanc illud perficiatur, non verò destruatur; quæ Pelagianorum calumnia erat, & à gratiæ patronis passim refellitur. Hieronymus ad Ctesiphontem *b*: *Quod autem sursum deorsum jactitant, liberum a nobis arbitrium destrui, audiant e contrario, eos arbitrii destruere libertatem, qui male eo abutuntur adversus beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo agit gratias, & quodcunque in suo rivulo fluit, ad fontem refert?*

a P. 262 edit Basil 1453.
b P. 1283.
c P. 285.
d P. 302.
e Ultra medium.
f F 354. ed. Duac. 1577.
a Verba sunt Pelagii epist. ad Demetriadem, quæ & reprehendit Hieronymus lib. adversus Pelag.
a P. 254.

fert? an qui dicit: Recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium: dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam quod voluero: quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris? Idem ibidem a: *Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrii libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas: Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Unde & audes linguâ proferre temeraria, unumquemque arbitrio suo regi. Si arbitrio suo regitur, ubi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Hieremias, Non est in homine via ejus, & à Domino gressus hominis diriguntur.* Et aliquanto pòst b: *Frustra blasphemas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare.* DAMNETUR ILLE QUI DAMNAT. Et. T. 7. contra duas epist. Pelag. lib. IV. cap. IX. *Nunquid* (S. Cyprianus) *tam memorabilis Ecclesiarum in verbo veritatis instructor, liberum arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod rectè vivimus? Nunquid sub nomine gratiæ fatum asserit, quamvis dicat in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit?* Item lib. de Spiritu & litera cap. XXX: *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit. sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim Lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim Lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per Legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem Legis operatio.* Prosper ad Demetriadem c: *Quis sine auxilio gratiæ fructum potest adferre justitiæ? aut quis audet dicere, se à Christo non dividi, qui Christum in se diffitetur operari? An forte verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia, per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens veritatis, ostenditur. Operante enim Spiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur: & hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis: sed per opera miserentis medici curata revalescat, & gaudeat se non interrogantem edoctam, & non quærentem esse quæsitam.* Ad laudationem Legis quid Catholici responderint, ostendit Beda præfat. seu lib. I. in Cant. Cùm enim hæc Juliani verba citâsset, asserit, *nullum ferè ad justitiam, quid dico ratione, sed ne sacra quidem Legis institutione, perduci*: ad ea respondet Beda: *Quin imo fatemur, & ratione & doctrinâ sanctâ legis, ad justitiam nos, auxiliante Domino, perduci: absque gratiâ verò illius nec per naturalis subsidia rationis, nec per divina Legis scita, nos posse justificari, Apostolo teste d, Quia Litera occidit, Spiritus autem vivificat. Id est, litera præcipiens occidit, si non adsit Spiritus, qui præcepta literæ donet impleri. Et Spiritus vivificat, donando ut perfici litera possit.* Idem docuerat Augustinus lib. de gratia Christi cap. XX. & XXV. epist. XCV. ad Innocentium Papam, & lib. II. contra adversar. Legis & Prophetarum cap. VII. & contra duas epist. Pelag. lib. III. cap. IV. Objicientibus verò Pelagianis, doctrinâ hac de Spiritus necessitate Manichæismum induci, ostendit Augustinus passim, Catholicos ingredi medios inter Manichæos & Pelagianos. Imprimis hoc facit cap. V. & VI. lib. IV. contra duas Pelagianorum epistolas. Breviter autem cap. III. his verbis: *Sic Legem per Mosen sanctam, justam, & bonam, à Deo sancto, & justo, & bono datam esse, defendit* (Catholicus) *quod contra Apostolum negat Manichæus, ut eam dicat & peccatum ostendere, non tamen tollere; & justitiam jubere, non tamen dare; quod rursus contra Apostolum negat Pelagius. Sic asserit* (Catholicus) *liberum arbitrium, ut non ex naturâ nescio quâ semper mala, quæ nulla est, sed ex ipso arbitrio cœpisse dicat & angeli & hominis malum; quod evertit hæresin Manichæam: nec ideo tamen posse captivam voluntatem, nisi Dei gratiâ, respirare in salubrem libertatem; quod evertit hæresin Pelagianam.* Similiter Hieronymus lib. I. dialog. adversus Pelag. *Breviter calumniatoribus respondemus, Manichæorum esse, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium: rursumque hoc hominem dicere, quod Deus est. Et sic ingrediendum viâ regiâ, ut nec ad sinistram, nec ad dextram declinemus, appetitumque propriæ voluntatis Dei semper credamus auxilio gubernari.*

a P. 254.
b P. 256.
c P. 254. ed. Duac. A. 1577.
d 2 Cor. 3. v. 6.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ I.

Non sufficere sibi arbitrii libertatem, ne quidem Legis doctrinâ adjutam, cùm Romanorum Episcoporum, tum Conciliorum variorum judicium fuit.

VErba eorum citabimus infrà a, cùm distinctè agemus de gratiæ necessitate ad diligendum Deum, implendam Legem, superandas tentationes, ac denique singulos actus bonos.

a Epicris. 6. 7. 8. 9.

THESIS II.

Mox Pelagius trigam gratiarum fecit. Nam naturali & externæ gratiæ tertiam, quâ peccata ignoscuntur, tanquam equum παρήορον ac funalem, adjunxit. Non tamen hanc omnibus necessariam putabat, quia non omnes delinquerent, aut saltem absque delicto transigere hanc vitam possent. Præterea eos qui deliquissent, naturæ viribus pœnitentiam agere, naturamque suam instaurare posse dicebat. Unde liquet, sic quoque exclusisse interiorem gratiam Spiritus Sancti.

TRiplicem hanc gratiam statuisse Pelagianos, docet clarè Augustinus lib. de gestis Palæstinis cap. XXXV. *Dicunt*, inquit, *ut non peccemus, impleamusque justitiam, posse sufficere* NATURAM HUMANAM, *quæ condita est cum libero arbitrio, eamque esse Dei gratiam, quia sic conditi sumus, ut hoc voluntate possimus, & quòd* ADJUTORIUM LEGIS *mandatorumque suorum dedit, & quòd ad se conversis* PECCATA PRÆTERITA IGNOSCIT: IN HIS SOLIS ESSE DEI GRATIAM DEPUTANDAM, NON IN ADJUTORIO NOSTRORUM ACTUUM SINGULORUM. Idem Augustinus epist. XCIV. ad Hilar. *Solùm ad* DEI GRATIAM *pertinere contendunt, quòd cum* LIBERO ARBITRIO *non peccandi possibilitate creati sumus, &* DEI MANDATA, *quæ à nobis implerentur, accepimus. Cæterùm ad eadem mandata servanda & implenda, nullo divino adjutorio nos egere. Necessariam verò nobis esse* REMISSIONEM PECCATORUM, *quia ea, quæ à nobis in præteritum malefacta sunt, infecta facere non valeamus: cavendis autem futuris vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis, sine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei, naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem.* Idem de gratiâ & lib. arbit. cap. XIX: *Dicunt* (Pelagiani,) *gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque lex est, neque natura, ad hoc tantùm valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.*

ANTITHESIS II.

Patrum autem judicium fuit, non tantùm gratiam requiri quæ ignoscat peccata, sed etiam quæ adjuvet ad non peccandum.

ORosius de arb. lib. a *Oratio Dominica utrumque petendum esse commonet: & ut dimittantur nobis debita nostra, & ut non inducamur in tentationem. Illud, ut præterita expientur; hoc, ut futura vitentur. Quod licet* non

a P. 256.

non fiat, nisi voluntas adsit: tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit. Ideo pro hac re nec superflua, nec imprudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quam orare ut facias, quod in potestate habeas? Augustinus lib. 11.
a P. 450. contra poster. Juliani resp. a *Tu* (*Juliane*) *vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam, nisi in dimissione peccatorum, ut jam de cætero per liberum arbitrium ipse homo se ipsum fabricet justum. Sed non hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota, quod didicit à magistro*
b Matth. 6. *bono, Ne* b *nos inferas in tentationem. Non hoc dicit, qui dicit: Oramus* c *autem ad Dominum, ne quid faciatis mali. Non hoc dicit, qui dicit, Rogavi* d *pro te,*
c 2. Cor. 13.
d Luc. 22. *Petre, ne deficiat fides tua. Isto enim modo gratia ut non peccemus facit, non qua peccavimus diluit. Utroque enim modo adjuvat gratia, & dimittendo quæ male fecimus, & opitulando, ut declinemus à malis, & bona faciamus.*
e P. 123. Etiam alibi diluit passim eisdem in libris. Ut lib. 1. e *Utroque modo liberat Christus, quia & iniquitatem ignoscen-*
f P. 159. *do aufert, & inspirando tribuit caritatem.* Item f. *Ut non obsis peccandi necessitas, donas duobus modis, & præteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando, ne intre-*
g P. 288. *mus in tentationem.* Et lib. 11. g *Ille, de quo dictum est; Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Tollit autem & dimittendo quæ facta sunt, (ubi & originale comprehenditur) & adjuvando ne fiant, & perducendo ad vitam, ubi fieri omnino non possint.* Idem T. 2. epistol. CVI. ad Paullinum, prope initium: *Gratia Dei per Jesum Christum à morte primi hominis ad vitam secundi hominis transfert, non solùm peccata delendo, verum etiam ad non peccandum adjuvando.* Beda Presbyter præfat. seu lib. 1. in Cantica: *Quod* (Julianus) *Christianorum naturam melius dicit instauratam esse per Christum, & eos divina gratia juvari auxilio: si de his solummodo, qua in remissione peccatorum per baptisma nobis donata sunt, vult intelligi, hæreticum est: si autem & de quotidianâ ejus gratiâ, quâ nos in mente & corpore instaurare, & juvare non cessat, Catholicum est.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ II.

Gratiam Dei non solùm peccata dimittere, sed etiam adjuvare, ne committantur: statuit Synodus Carthaginensis Can. III.

VErba Canonis sunt: *Item placuit, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, in quâ justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quâ jam commissa sunt; non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit.*

THESIS III.

Exinde etiam ex trigâ gratiarum quadrigam fecit Pelagius: nempe sociando tribus illi gratiam Christi: sed quanto aliter de eâ quàm Catholici senserit, præter illa, quæ postmodo dicemus, argumento illud erit, quod hanc constituebat in solâ doctrinâ & exemplo Christi.

DOcebat Pelagius, hanc esse gratiam Christi, quòd quemadmodum Adamus primus obfuit nobis exemplo malo; ita Christus, Adamus secundus, profuit nobis exemplo bono. Unde August. lib. de gratiâ Christi contra Pelagium & Cælest. cap. II. *Solent* (Pelagiani) *dicere, nobis in eâ Christum ad non peccandum præbuisse adjutorium, quia justè ipse vivendo, justeque docendo reliquit exemplum.* Et cap. XL. *Gratiam Christi constituit* (Pelagius) *non in virtutis ejus auxilio, sed imitationis exemplo.*

ANTITHESIS III.

Catholici verò dicebant, gratiam Salvatoris nostri non in eo solùm consistere, quod doctrinâ & exemplo ejus ad hoc adjuvemur, ne peccemus: sed etiam quod nobis spiritum sanctum donet, qui intellectum illuminet, & voluntati vires conferat ad non peccandum.

AUgustinus lib. 11. contra poster. resp. Juliani cap. CXLV. a *Hoc est* OCCULTUM ET HORRENDUM a P. 350.
VIRUS *hæresis vestræ, ut velitis gratiam Christi in exemplo ejus esse, non in dono, dicentes, quia per ejus imitationem fiunt justi: non per subministrationem spiritus sancti.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ III.

Non sufficere Christi doctrinam vel exemplum, sed necessariam esse inspirationem Spiritus S., statutum fuit Carthaginensis synodi Can. V.

VErba ea Carthaginensis, sive ut vulgo appellatur, Milevitanæ Synodi, ἐπικρίσει proximâ adducemus. Intellectum certè in spiritualibus nihil dixeris nisi tenebras, Deo vultum suum auferente, qui & objectum fuerat intellectus, & simul caussa intellectionis. haut aliter ac Sol & objectum est visus, & caussa visionis. Nam ut ad sensum visus requiritur tum medium aptum, puta aër, non ἀμυδρός, sed illuminatus; tum organum aptum, puta oculus, non æquivocè, sed univocè, sive cui insit lumen nativum, quo cœcus caret; tum objectum ipsum, quod videatur: ita & in spiritualibus, tum exterius affundendum lumen, per prædicationem Euangelii externam; tum ab eodem lumine intus illuminandus est intellectus radiis Sp. sancti; tum objectum ipsum intus repræsentandum. Quamquam duo posteriora (ut Grammaticorum utar voce) coincidunt in supernaturalibus, quia Deus, cùm suâ præsentiâ intellectum illuminat, simul se suaque beneficia reddat intellectui conspicua: adeò ut idem Deus & objectum & caussa sit illuminationis internæ. Sine autem internâ illuminatione non magis juvat externa prædicatio, quam illuminatio aëris sufficit cœco. Dionysius Areopagita de Divinis nominibus, cap. 4; *Dicendum itaque, ut intelligibilis lux bonum ipsum dicitur, quæ omnem supercœlestem Spiritum spiritali impleat luce, omnemque ignorantiam pellat, erroremque abigat ex animabus (quibus sese insinnaverit) omnibus, eisque sacra lucis consortium tradat, spiritalesque illarum oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat, & ingenti tenebrarum pondere obtusos ac fermè cæcatos removet atque excitet: tradatque illis quidem primi consortia luminis, deinde (ubi illa degustavêre lucem, majoreque ejus tanguntur desiderio) sese eis magis infundat, & copiâ uberiore lucem infulgeat, quia dilexerunt multum, semperque eas in anteriora intendant, quantum adspirare ad ea pro captu suo possunt.*

THESIS IV.

Post hæc Pelagius fateri utcumque cœpit virtutis divinæ auxilium intus per Sp. sanctum in homine operantis. Sed illud in solâ illuminatione intellectûs collocabat: non item fatebatur, voluntati gratiam præberi, vel actualem, quæ eam adjuvet, vel habitualem, quâ homo fit castus, temperans, pius, sanctus.

NOn defuere, qui Pelagium putarent exteriorem solùm gratiam confessum esse, idque propterea, quæ superiùs citavimus ex Augustino de hæresi LXXXVIII. Sed disputando tandem eò processisse, ut interiorem quoque gratiam fateri cogeretur, clarè docent hæc Pelagii verba: *Hic nos* IMPERITISSIMI HOMINUM *putant injuriam divinæ*

divina gratia facere, quia dicimus, eam sine voluntate nostrâ nequaquam in nobis perficere sanctitatem, quasi Deus gratia sua aliquid imperaverit, & non illis, quibus etiam GRATIÆ SUÆ AUXILIUM SUBMINISTRAT, *ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Et explicaturus Pelagius, quam gratiam intelligat, hæc subjungit: *Quam nos* NON, *ut tu putas,* IN LEGE TANTUM, SED ET IN DEI ESSE ADJUTORIO *confitemur.* Quale verò significet adjutorium, deinceps addit: ADJUVAT *nos Deus* PER *doctrinam &* REVELATIONEM *suam,* DUM CORDIS NOSTRI OCULOS APERIT: *dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi* ET INEFFABILI DONO GRATIÆ CÆLESTIS ILLUMINAT. Denique sic concludit: *Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare? an & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur?* Hæc Pelagius, citante August. lib. 1. de gratiâ Christi contra Pelagium & Cæl. cap. VII. Quæ clare ostendunt, eum adjutorii nomine non ἁπλῶς intellexisse exteriorem verbi prædicationem aut lectionem, sed quæ conjunctam haberet interiorem Spiritus S. per verbum illuminationem & suasionem. Itaque & idem Pelagius, explicans illa Pauli verba, *Deus operatur in nobis velle & perficere; Operatur,* inquit, *in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione accendit: dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem: dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* Quæ Pelagii verba Augustinus citat cap. seq. Falsò autem exprobrat Augustino, quòd negârit, Deum suadere bonum, cùm non hoc inficias iverit, sed dixerit, non solùm suadere & moraliter operari in nobis, verùm etiam vires conferre, ut quod suadet impleamus. Idem Aug. l. de spir. & literâ c. 11. *Ajunt, ideo sine ope divinâ non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta, ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum, &* IN EO *utique* ADJUVAT, QUOD DOCENDO AUFERT IGNORANTIAM, *ut sciat homo in operibus suis, quid evitare & quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter & justè & piè vivendo, ad beatam æternamque vitam pervenire mereatur.* Sed quid multis opus? quando Augustinus cap. XLI. ejusdem lib. clarè agnoscit, ex Pelagii sententiâ *nobis doctrinam* ETIAM DIVINA REVELATIONE APERIRI: & postea quoque eodem cap. ait: *Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrinâ, quam nobis fatetur* ETIAM SANCTO SPIRITU REVELARI; *propter quod & orandum esse concedit.* Sententia enim est: Homo quidem vel angelus exterius operando hominem docet, & voluntatem ejus instruit: at Spir. S. hoc peculiare habet, quòd interius in animos hominum influat; cumque id creatura nulla possit, fatetur Pelagius hinc consequi, eum esse verum Deum, eoque cum Patre & Filio invocari debere. Ex his satis liquet, Pelagium etiam agnovisse auxilium Spiritus Sancti internum: sed illud collocasse in solâ revelatione mysteriorum fidei.

Non desunt autem viri eruditi, quibus videatur Pelagius etiam agnovisse auxilium supernaturale, per quod voluntas sufficientes accipiat vires ad actus quosvis salutares. Hoc inde probant, quia tria hæc distinguit, POSSE, VELLE, AGERE, ac disertim dicat, POSSE voluntatis divinitus adjuvari. Hæc enim sunt ipsius verba lib. III. pro libero arbitrio *a*: *Nos sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur: primo loco posse statuimus: secundo velle: tertio esse. Posse in naturâ, velle in arbitrio, esse in affectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est, velle & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. Ergò in voluntate & opere bono laus hominis est, imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit,* IPSAM POSSIBILITATEM GRATIÆ SUÆ ADJUVAT SEMPER AUXILIO. *Quod verò homo potest velle bonum atque perficere, solius Dei est. Potest itaque illud unum esse, etiamsi duo ista non fuerint: ista verò sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni: inest mihi etiam si noluero, nec otium sui aliquando in illo natura recipit. Quem nobis sensum exempla aliqua faciant clariorem. Quod possumus videre oculis, nostrum non est; quod verò bene aut male videmus, hoc nostrum est. Et ut generaliter universa complectar; quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat. Quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus. Unde, quod propter calumniam nostram sæpe repetendum est, cum dicimus, hominem posse esse sine peccato: confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est: nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo, quod potest esse, disseritur.* Hactenus Pelagius: ubi imprimis consideranda hæc verba, IPSAM *possibilitatem gratia sua adjuvat semper auxilio.* Ad quæ respiciens Augustinus lib. de gratiâ Christi contra Pelag. & Cœlest. cap. V. ait, *Venire posse, in naturâ ponit Pelagius, vel etiam,* UT MODO DICERE COEPIT, *in gratia.* Quibus verbis non tantùm quid Pelagius dicat, sed de eâdem non semper ita locutum docet. Cæterùm quisquis attentè superiora Pelagii verba cum aliis ejusdem περικοπαῖς contulerit, facilè videbit, non aliud eum velle, quàm, possibilitatem naturæ per gratiam Dei adjuvari, quando (ut ipse se Pelagius interpretatur *a*) *Futura, ne præsentibus occupemur, demonstrat; diaboli pandit insidias; ineffabili dono gratiæ nos cælestis illuminat; terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animantium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione accendit; revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, & suadet omne quod bonum est.* At nihil hîc Pelagius dicit, quod non pertineat ad revelationem doctrinæ: meliùs sine dubio se purgaturus, nisi putasset, illustrato intellectu, voluntatem nullo indigere auxilio, sed vocationi divinæ posse respondere per se ipsam præcisè. Similiter capere oportet verba Augustini lib. de gratiâ contra Pelag. & Cœl. cap. V. *Quandocunque legimus vel audimus, eum divina gratia adjutorium confiteri, ut à malo declinemus, bonumque faciamus, sive in lege atque doctrinâ, sive ubilibet constituat, sciamus quod loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quàm sensit. Scire quippe debemus, quòd nec* VOLUNTATEM NOSTRAM, NEC ACTIONEM *divino* ADJUVARI *credit auxilio, sed solùm* POSSIBILITATEM VOLUNTATIS ATQUE OPERIS, *quam* SOLAM *in his tribus nos habere confirmat* EX DEO, TANQUAM HOC SIT INFIRMUM, QUOD IPSE DEUS POSUIT IN NATURA: *cætera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio.* Voluit nempe Pelagius, voluntatem quidem esse indifferentem ad volendum bonum ac malum: quo respectu, *venire ad Christum posse, in naturâ ponebat*; Augustino teste: sed, ut idem ait, *postea in gratia etiam ponere cœpit*, quia actu bonum velle non possumus, nisi priùs cognoverimus bonum; eoque requiritur doctrina, ut possimus bonum velle. Præter hoc adjutorium possibilitatis, supernaturale nihil requirebat Pelagius. Contra Catholici statuebant, insuper opus esse, ut adjuvemur in volendo & operando bona. Hoc fieri ajebant per subministrationem virtutis, caritatem in nobis operantis, quæ omnium est

bono-

a Apud August. lib. 1 contra Pel. & Cælest. de grat. Christ. c. 4.

a Apud August. lib. de grat. Christi cont. Pel. & Celest. cap. 7. & 8.

bonorum operum radix. Ne verò ulli hìc amplius aqua hæreat, apertissima aliquot Augustini hac de re loca in medium afferemus. Sic igitur ille hæresi LXXXVIII: *Dicunt ad hoc,* TANTUM *adjuvare per suam legem atque doctrinam, ut discamus, quæ facere & quæ sperare debeamus. Nos autem, ad hoc per donum Spiritus S., ut, quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur; caritatem autem dari negant, quâ piè vivitur: ut scilicet cùm sit Dei donum scientia, quæ sine caritate inflat; non sit Dei donum ipsa caritas, quæ, ut scientia non inflet, ædificat.* Idem lib. 1. de gratiâ Christi cap. 11. ait, Pelagium voluisse, salvari nos *adjutos non aliquâ subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis.* Et Epist. xcv. quæ est quinque Episcoporum ad Innocentium I. *Sive enim gratiam dixerit esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum:* NIHIL EORUM *dicit, quod per subministrationem spiritus S. pertinet ad concupiscentias tentationesque vincendas.* Augustinus & Alypius epist. ad Julianam, matrem Demetriadis virginis, cui Pelagius suam de virginitate epistolam scripserat: *Nec sane parvus est error illorum, qui putant, ex nobis ipsis nos habere, si quid justitia, continentia, pietatis, castitatis in nobis est, eo quòd ita nos condiderit Deus, ut ultrà, præter quòd nobis revelet scientiam, nihil nos adjuvet, ut ea, quæ facienda discendo novimus, etiam diligendo faciamus; naturam scilicet atque doctrinam definientes tantummodo esse Dei gratiam & adjutorium, ut rectè justeque vivamus. Ad habendam verò voluntatem bonam, ubi est hoc ipsum, quod justè vivimus, & ipsa caritas, quæ in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta sit, quâ unâ adimpletur in nobis, si quid divinæ legis & admonitionis implemus, nolunt nos divinitus adjuvari, sed nos ipsos dicunt arbitrio proprio nobis ad ista sufficere.* Ibidem apertè testatur uterque, aliud se nihil ex Pelagii ad Demetriadem epistolâ colligere potuisse, quàm solùm ab eo agnosci gratiam, partim naturæ, partim doctrinæ, (nempe non solùm extrinsecus, sed etiam intus sonantis) partim remissionis peccatorum. Sic enim scribunt: *Si autem diligentius intendatis, etiam illa, quæ ibi videntur velut pro gratiâ sive adjutorio Dei dicere, sic invenietis ambigua, ut possint referri vel ad naturam, vel ad doctrinam, vel ad remissionem peccatorum. Nam & quod confiteri coguntur, orare nos debere, ne intremus in tentationem, possunt ad hoc referre, ut hactenus nos ad id respondeant adjuvari, quatenus, orantibus atque pulsantibus nobis, aperiatur intelligentia veritatis: ubi discamus quid facere debeamus, non ut vires accipiat voluntas nostra, quibus id quod discimus, faciamus. Et quod nobis in gratiâ, vel adjutorio Dei, dicunt, Dominum Christum benè vivendi propositum exemplum ad eandem doctrinam revocant, quia scilicet in ejus exemplo discimus, quemadmodum vivere debeamus. Non autem volunt, ad hoc nos juvari, ut, quod discendo cognoscimus, etiam diligendo faciamus. Aut certè in eodem libro invenire aliquid, si potestis, ubi exceptâ naturâ, excepto, quod ad eandem naturam pertinet, arbitrio voluntatis, exceptâ remissione peccatorum & revelatione doctrinæ, tale Dei adjutorium confi-*
a Sap. 8. *tetur, quale confitetur ille qui dixit* a; *Cùm scirem, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det: si, inquam, aliquid tale illic invenire potueritis, uberrimas gratias agimus, si rescribendo insinuare dignemini.* Qui igitur arbitrantur, eò tandem Pelagium pervenisse, ut præter revelationem requiri quicquam putaret: hi Pelagianæ sententiæ vim necdum satis perspexerunt. Sed quid mirum, si hodie aliquos Pelagius fallat, quando jam olim ambiguâ gratiæ confessione penè ipsi imposuerit Augustino; quo nemo Pelagium & Pelagianos vel magis legebat, vel meliùs intelligebat? Sic enim scribit ipse lib. de gratiâ Christi, contra Pelagium & Cælestium cap. XXXVII. *Mihi penè persuaserat, hanc illum gratiam, de quâ quæstio est, confiteri, quamvis in multis ejus opusculis locis* SIBI-IPSI CONTRADICERE *videretur. Sed cùm in manus meas & alia venissent, quæ posteriùs latiùsque conscripsit, vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare,* SUB AMBIGUA GENERALITATE, QUID SENTIRET, ABSCONDENS, *gratiæ tamen vocabulo frangens invidiam, offensionemque declinans.*

ANTITHESIS IV.

Catholici verò credebant, non solùm opus esse, ut, quid facere oporteat, sciamus; sed etiam Spiritus Sancti auxilium implorari debere, ut, quod facto opus est, facere diligamus & valeamus.

AUgustinus lib. de gratiâ Christi contra Pelag. & Cœlest. cap. XXIV. *Legant ergò & intelligant, intueantur & fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Ubi duo in Pelagio requirit, quorum ille utrumque negarit. Prius est, ut fateatur non solùm necessitatem doctrinæ, quæ percipitur prædicando aut legendo; sed etiam operationis Dei internæ, sine quâ scripturas vel non intelligimus, vel intellectas non credimus. Alterum est, ut agnoscat, non solùm intellectui revelari à Deo, quid facere debeamus, sed etiam virtutem invisibilem & occultam voluntati intus subministrari, sine quâ bonum nec velimus, nec agamus. Hinc idem sic adversus Pelagium disputat epist. ad Vitalem: *Si ergò ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illâ altâ atque secretâ sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum: procul dubio eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ IV.

Idem statutum Concilii Carthaginensis Can. V.

VErba ejus sunt: *Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus: anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus* a: *Scien-* a 1. Cor. 8. v. 1.
tia inflat, caritas verò ædificat: valde impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi: ad eam quæ ædificat, non habere: cùm sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus: ut ædificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de eo scriptum est b, *Qui docet hominem scientiam: ita etiam scriptum est* c, *Caritas ex Deo est.* b Psal. 93. v. 10. c 1 Joann. 4. v. 7.

THESIS V.

Verùm, ut sanè concedamus, per auxilium Spiritus S. Pelagium intellexisse eas vires, quibus adjuvetur voluntas ad bene operandum: tamen sic quoque plurimùm à Catholicorum sententiâ abfuit. Nam cùm auxilium Dei consideretur, vel quà supernaturale, vel quà gratuitum: de utroque semper dissensit. Nam primùm dicebat, gratiam, sine quâ homo nihil possit, esse ipsam naturam: gratiam Christi solùm præstare, ut homo faciliùs possit: ut sine quâ justi Veteris Testamenti fuerint salvati: unde blasphemia isthæc consequitur, non fuisse necessarium, ut Christus pro nobis pateretur.

QUamquam Pelagius in desultoriâ sententiâ suâ eam in meliùs semper mutârit, nunquam tamen in totum Catho-

Catholicis adhæsit: nam, ut vidimus, nunquam fateri voluit, voluntati vires subministrari, quibus bene operetur. Verùm quia hoc a nonnullis in dubium vocatur, ut antè diximus, sane seu solam intellectus illuminationem fassus sit, seu præterea agnoverit adjuvari voluntatem à Deo: tamen sic quoque erat, quòd in eo Catholici meritò desiderarent. Non jam de eo dicam, quòd propter istam sententiæ mutationem, scripta priora posterioraque inter se pugnarent, quod vitio verti non debet, dummodo in posterioribus proficiamus; quod sibi in multis obtigisse, Augustinus ait. Mitto item, quòd nec in eodem scripto convenientia semper dicere videretur, & gratiam nominando, nec qualem intelligeret explicando, sæpè dubium relinqueret lectorem de sententiâ suâ. Quæ ei exprobrat Augustinus lib. de gratiâ Christi contra Pelagium & Cæl. cap. XXXVII: uti paullo antè vidimus. His, inquam, missis: illa tantùm dicam, quæ errorem continent manifestarium. Quæ duûm sunt generum, pro duplici consideratione auxilii divini. Si enim Spiritum S. promeremur, auxilium quidem ejus supernaturale erit, gratuitum tamen non erit, eoque nec gratia erit: & vicissim gratuitum donum non necessariò est supernaturale. Quocirca distinctè considerabimus errores Pelagii de auxilio divino, priùs quidem quà supernaturale, deinde verò, quà gratuitum. Auxilii supernaturalis necessitatem tollebat Pelagius, cùm illud diceret datum esse, ut faciliùs regnum cæleste consequamur. Sanè Pelagii verba sunt, epistolâ ad Demetriadem: *Ut divinam etiam mereamur gratiam, & FACILIUS nequam spiritui auxilio Sancti Spiritus resistamus.* Quæ cùm hodieque legantur in Epistolâ ad Demetriadem, argumento inter alia sunt, illam esse ipsius Pelagii, à quo ea ad virginem scripta esse, ait August. lib. de gratia Christi cap. XXII. & XXIII. ubi hæc verba subjungit: *Significat profectò, quid sapiat. Ut quid enim hoc verbum interposuit, FACILIUS? An vero non erat integer sensus, ut nequam spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi, tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus S., etsi minus facile, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur.* Ac ne quis fortasse hoc Pelagio uno in loco excidisse putet, alibi similiter sapit: ut Augustinus docet cap. XXVIII. ejusdem libri: ubi hæc Pelagii verba citat ex primo ejus libro pro libero arbitrio: *Cùm autem tam forte*, inquit, *tam firmum ad non peccandum, liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ Creator inseruit: rursus, pro ejus inæstimabili benignitate, quotidiano ipsius munimur auxilio.* Quibus subjicit Augustinus: *Quid opus est hoc auxilio, si tam forte, tam firmum est ad non peccandum, liberum arbitrium? Sed etiam hic vult intelligi, ad hoc esse auxilium, ut faciliùs fiat per gratiam, quod, etsi minus facilè, tamen putat fieri præter gratiam.* Capite etiam proximo, hoc est, XXIX, hæc ex eodem Pelagii libro adfert: *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Integer locus sic habet d: *Hic nos imperitissimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus, eam sine voluntate nostrâ nequaquam in nobis perficere sanctitatem: quasi Deus gratiâ suâ aliquid imperaverit, & non illis, quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Hinc idem Augustinus hæresi LXXXVIII: *Dicendo*, inquit, *ut FACILIUS possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratiâ divinâ facere jussa.* Et lib. II. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. VIII. idem inquit: *Pelagius FACILIUS dicit IMPLERI quod bonum est, si adjuvet gratia: quo additamento, id est, addendo FACILIUS, utique significat, hoc se sapere, quòd etiamsi gratiæ defuerit adjutorium, potest, quamvis difficilius, impleri bonum per liberum arbitrium.*

d *Apud August. lib. de gratia Christi contra Pelag. & Cælest. cap. 7.*

ANTITHESIS V.

Catholici contrà sentiebant, gratiam dari, non ut facilius possimus, quasi etiam sine gratiâ possimus, sed eam ut possimus simpliciter esse necessariam.

AUgustinus lib. de gratiâ Christi cap. XXIX: *Tolle Facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Cum autem Facilius additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratiâ posse fieri, tacitâ significatione suggeritur. Quem sensum redarguit, qui dicit, Sine me nihil potestis facere.* Eandem in Juliano sententiam damnat Beda præfat. seu lib. I. in Cantica a.

a *Col. 716. edit. Col.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ V.

Hæc Pelagii sententia condemnata est Concilio Carthaginensi.

CAnon ejusce Concilii quinctus sic habet: *Item placuit, ut, quicunque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illâ implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficilius potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere* b. Cæterum hoc ignorare non potuit Molina, qui tamen sic scribit in concordiâ Disput. XXXVIII c. *Illud observa quòd id omne quod allicit, invitat, adjuvatque arbitrium nostrum, ut FACILIUS præbeat consensum, & cooperetur conversionem, computetur inter auxilia, quæ præstantur ad conversionem.* Quæ verba cùm citâsset Cumel (Disp. var. ad Primam P. & Primam Sec. Thomæ T. III. d *Expende*, inquit, *verbum*, FACILIUS CONSENSUM PRÆBEAT. *Nescio enim, cur autor hic posuerit verbum, Facilius, cùm loqueretur de consensu supernaturali necessario ad conversionem. Reddat ille rationem hujus, aut* JUDICET SANCTA SEDES APOSTOLICA.

b *Ioh. 15.*
c *P. 233.*
d *P. 28. ed Lugd. 1609.*

THESIS VI.

Ex iis, quæ hactenus diximus, satis liquet, ut Pelagius spiritualem gratiam utilem duntaxat, non item necessariam crediderit. Deinceps considerabimus, quousque vel Pelagius utilem, vel Catholici necessariam putarint. Summa omnium huc redit. Pelagiani dicebant, tantùm abesse, ut gratia requiratur ad actus bonos, ut homo, viribus ex creatione sibi insitis, Legem integram complere possit. Catholici contrà statuebant, abesse tantum, ut Legem totam viribus liberi arbitrii præstare valeamus, ut gratiâ opus sit ad singulos actus pietatis. De priori prius dicemus: quod tripartitam habet controversiam. Quæritur enim, utrùm homo virtute naturali Deum diligere, eoque Legem præstare, ac gravissimis etiam tentationibus resistere possit. Etsi autem horum unum ex altero fluit: tamen singulatim primùm de amore, hinc de Legis præstatione, denique de victoria in tentationibus dicemus. Princeps igitur quæstio est, utrùm spiritualis gratia utilis quidem, at non item necessaria sit ad diligendum Deum. Asserbat id Pelagius. Et quod amplius, cùm Deus diligatur, tum ut naturæ auctor, tum ut largitor donorum supernaturalium, per quæ ad æternam beatitudinem deducimur: Pelagius dilectionem Dei absolutè universè tribuebat virtuti naturæ.

Est hic quinctus Pelagii error apud Augustinum hæresi LXXXVIII: *Caritatem*, inquit, *dari negant, quâ pie vivitur, ut scilicet, cùm sit Dei donum scientia, quæ sine caritate inflat, non sit Dei donum ipsa caritas, quæ, ut scientia non inflet, ædificat.* Et sanè Pelagius ipse, sive Pelagianus commentator in Pauli Epistolas, (qui Hieronymi commentario in easdem Epistolas subjungi solet) sic scribit in 1 Cor. XII. 31: *Viam vobis demonstro, sc. caritatem, per quam pervenitur ad Deum. Vult nos magis illa quærere,* QUÆ EX NOBIS SUNT, *quàm signa, quæ non sunt in nostrâ potestate posita.* Ubi per signa non posita in nostrâ potestate, intelligit charismata, quorum Apostolus ibidem meminit. Sententia igitur est, charismata à caritate eo differre, quòd illa gratis dentur à Deo, caritas verò nostris viribus exquiratur. Etiam Julianus lib. de amore, ut Beda testatur, lib. 1. seu præfat. in Cantica, *dicit, sanctum nobis ac generosum amorem ab ipso lucis exordio, naturâ conciliante, insitum, & ad ultimam usque senectutem solis viribus animi innixum, sine ullo damno sui persistere vigoris.* Et post aliqua: *Dicit, eandem, quamdiu nihil de Gentilitatis voluntate desiderat, quasi ad solius animi moveri arbitrium, & in actibus suis habere jucunditatem, ac perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem.* Ubi corrigo, *ut perturbationis*: item priora sic lego, *Dicit, eundem* (amorem) *quamdiu nihil de genitali voluntate desiderat.* Nam aliquanto pòst ait, *Frustra autem Iulianus genitalem vult exceptam voluntatem, quæ sola ad animi non moveatur arbitrium.* Genitalem voluntatem appellat Julianus, quæ sponte quidem, at non liberè, verùm necessariò aliquid vult. Ita necessariò volumus summum bonum: quemadmodum philosophi docent, non ἐκ πεταιγίου, quæ locum habet in mediis ad finem ordinatis. Idem Beda inibi hæc Juliani de amore adducit: *Cùm igitur sapientis animus, qui voluptatem subjicit dignitati amoris, & incitat & ordinat appetitum, nunquam fines transit officii: sed ad eam magnitudinem atque pulchritudinem studiis procedit ac meritis, ut generosum ejus ignem, gratiâ Sancti Spiritus, incipiat ventilare: & tunc fit illa caritas, quæ non propinquos solum, aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti.* Quorum verborum sententiam explicans Beda, *Animum*, inquit, *hominis per se sapientem fieri, per se dignitatem sancti & generosi amoris habere, per se huic amori voluptatem subjicere carnis, per sese & incitare ad virtutes, & ordinare appetitum posse testatur: in tantum, ut nunquam fines transeat officii illius, quo idem amor excolentibus* (l. excolendus) *est. Qui ipsum animum, suis studiis ac meritis, ad eam magnitudinem ac pulchritudinem procedere dicit, ut Sancti Spiritus sit dignus auxilio: cujus videlicet adventu non ita ait juvari animum, quomodo flamma vel fax, cùm accenditur, caliginosam juvat domum, quam illustrat; sed ita potiùs, quomodo ardentem sive lucentem ventus juvat ignem, ut amplius clarescat: qui quidem &, sine afflatu venti accendi atque ardere, ac magnam consumere sylvam poterat; sed tamen vento impellente, magis magisque flammescit.* Quibus verbis contendit Beda, afflatum Spiritus Sancti ad caritatem non necessarium statui à Juliano, sed utilem duntaxat.

Antithesis VI.

Catholicorum autem sententia erat, verum Dei amorem, quo omnia in illum, tanquam finem ultimum, referimus, & quæ eius dilectioni adversantur, exosa habemus, donum esse Spiritus Sancti, juxta illud ad Rom. v. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. *Et Eph.* VI. 23. Pax fratribus, & caritas cum fide à Deo Patre. *Ad Gal.* v. 22. Fructus Spiritus est caritas. *Quibus locis omnis dilectio Dei ex gratiâ esse dicitur, ac proinde non tantùm supernaturalis, hoc est, quâ in illum ferimur, tanquam donorum supernaturalium largitorem: sed etiam moralis, hoc est, quâ erga illum afficimur, ut naturæ auctorem.*

Etiam verbis 1 Joh. IV. 7. *Caritas ex Deo est*: egregiè pugnat B. Augustinus, lib. de gratiâ, & lib. arb. cap. XVIII. *Unde*, inquit, *est in hominibus caritas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non est ex Deo, sed ex hominibus; vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex Apostolus Iohannes, & dicat nobis: Carissimi, diligamus invicem. In his verbis Iohannis, cùm se illi extollere cœperint, & dicere, ut quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus, ut invicem diligamus: sequitur continuò idem Ioannes, confundens eos, ac dicens: quia dilectio ex Deo est. Non itaque ex nobis, sed ex Deo est. Cur ergo dictum est, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est, nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum?* Idem epist. CVII. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum gravitate primi peccati perdidimus.* Vide & epistolam ad Iulianum, Demetriadis matrem: item lib. De gratiâ & arbitrio, cap. XVI. & XVIII. & lib. IV. priorum adversus Iulianum cap. III. Similiter Fulgentius lib. 1. De verit. prædestinat. *Caritas quæ non agit perperam, quod ad continentiam pertinet, & quæ, per bona opera, cooperit multitudinem peccatorum, per quam in nobis Deus cooperatur, non solum ut declinemus à malo, sed etiam ut faciamus bona: quâ diligamus non solum proximos, sed etiam inimicos nostros, & benefaciamus eis qui oderunt nos, & oremus pro persequentibus & calumniantibus nos. Hæc ergo caritas non ex nostra voluntate, aut esse incipit, aut crescit in nos, sed gratia Dei faciente, diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis.* Beda præfat. in Cantica: *Mirum ubi didicerit Iulianus, sanctum nobis ac generosum amorem, ab lucis exordio, natura conciliante, insitum; cùm natus de Patriarcharum stirpe Apostolus dicat, Fuimus & nos aliquando naturâ filii iræ. Quomodo autem naturâ: nisi quia peccante primo homine, ac sanctum deserente amorem, vitium pro naturâ adolevit? Mirum ubi invenerit, vel inveniri posse putaverit, hominem, saltem unum, in quo amor sanctus, solis animi viribus innixus, usque ad senium, sine damno sui persisteret vigoris, cum ille, qui præ amore præcipuo dignus erat in sui Conditoris sinu recumbere, inter eos qui ejus gratiâ fruuntur, invenire potuerit nullum, quin potius humili confessione testatus sit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ VI.

Hæc sententia approbatur concilio Carthaginensi, Sardiniano, Arausicano; item Cœlestini decreto.

Concilium Carthaginense III. (quod Milevitanum malè vocari sæpe diximus) sic hac de re statuit cap. IV. *Cum dicat Apostolus, Scientia inflat, caritas verò ædificat, valde impium est, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat non habere: cùm sit utrumque donum Dei, & scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus: ut ædificante caritate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est a, Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, Caritas ex Deo est.* Episcopi Afri in Sardiniâ exules in epist. Synodicâ b: *In homine agit gratia divinitus data, ut animus dono fidei caritatisque percepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat.* Arausicanum II. can. ult. *Prorsus donum Dei est diligere Deum. diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris ac Filii, quem cum Patre amamus & Filio.*

a Psal 93.
b Quæ præmittitur Fulgentii libb. de Prædestinat. Parisiis excusis an. Chr. 1612.

Et

Et mox: *Per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuit liberum arbitrium, ut nullus diligere Deum sicut oportuit possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Similiter Episcopi clerusque Romanus. Alios inter Cælestinus epist. ad Gall. episc. cap. XI. *Legem credendi lex statuit supplicandi. Atque,* inquit, *sanctarum legum præsules apud divinam clementiam totâ secum Ecclesiâ ingemiscente postulant, ut schismatici spiritum redivivæ caritatis accipiant.* Unde divini esse operis caritatem colligit. Etiam Pelagii sententia sanctione Honorii Imp. condemnata fuit. Nam cùm Pelagius Africanis conciliis & Romani episcopi autoritate esset condemnatus, eundem lege suâ damnavit Honorius. Possidius in vitâ August. cap. XVIII. *Et hoc tale de illis Ecclesiæ Catholicæ prolatum judicium; etiam piissimus Imper. Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit.* Sed quia edictum errores Pelagii universè spectat, semel hoc monuisse contenti, nullam deinceps mentionem ejus faciemus.

THESIS VII.

Cumque Pelagiani naturæ viribus tribuerint dilectionem Dei, quid mirum si crediderint, nos ejusdem virtute legem implere divinam? Nam ut Christus ait Joh. XIV. *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et vers. 23. *Siquis diligit me, sermonem meum servabit.* Et cap. XV. *Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ.* Et 1 Joh. v. 3. *Hæc est dilectio Dei, ut ejus mandata custodiatis.*

a Apud Hieron. T. 4. PElagius epist. ad Demetriadem a: *Aliqui,* inquit, *tibi proponendi sunt, ut facilè intelligas, quantum sit* NATURÆ BONUM, *cùm eam legis vice docuisse justitiam probaveris. Abel primus hanc magistram secutus, ita Dominum promeruit, ut dum ei offerret hostiam, tam gratè sacrificium ejus acceptum Deo fuerit, ut fratrem in invidiam concitaret. Quem justum in Euangelio Dominus ipse commemorans, breviter* PERFECTIONEM *ejus exposuit.* Mox alios quoque commemorat, qui solo naturæ bono legem Dei impleverint. Eosque inter Abrahamum, Isaacum, Jacobum. *Quam perfectè,* inquit, *impleverint Domini voluntatem; vel hinc possumus æstimare, quod familiari quâdam & præcipuâ dignitate eorum se Deum voluit nominari.* Idem testatur Hilarius ad Augustinum: *Cælestii & asseclarum dogma fuit, posse esse hominem sine peccato, & mandata Dei facilè custodire, si velit.* Idem docet August. epist. cc. ad Asellicum episcopum: *Pelagiani, cùm profiteantur se esse Christianos, ipsi gratiæ Christi sic adversantur, ut se humanis meritis divina existiment implere mandata.* Item hæresi LXXXVIII: *Hi* (Pelagiani) *Dei gratiæ in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem facere omnia divina mandata credant.* Vide & lib. II. de nuptiis, & concupisc. cap. III. Idemque Cassianus docet lib. I. de Incarnatione adversus Nestorium: *Peculiare,* inquit, *ac proprium suprà dictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit, quòd dicentes quidam, solitarium hominem Iesum Christum sine ullius peccati contagione vixisse, eò progressi sunt, ut assererent, homines, si velint sine peccato esse posse.* Et post aliqua: *Advertis, idem se omnino dicere, quod Pelagianistæ antè dixerunt, & consequens errori suo esse, ut qui utique sine peccato solitarium hominem Iesum Christum vixisse asserit, omnes quoque per se homines sine peccato posse esse blasphemet. nec necessariam quoque, exemplo illius, dicant redemtionem Domini fuisse, cùm ad cæleste regnum suo tantùm homines nisu (ut aiunt) valeant pervenire.* Isidorus lib. VIII. Originum cap. V: *Pelagiani liberum arbitrium divinæ gratiæ anteponunt, dicentes,* SUFFICERE *voluntatem ad implenda jussa divina.*

ANTITHESIS VII.

Catholici autem, quia vera caritas non otiosa, sed efficax est, ideò cùm gratiæ tribuissent dilectionem Dei, etiam legis impletionem negarunt esse virtutis naturalis.

AUgustinus epist. LXXXIX. quæst. 2. ad Hilar. *Illud verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ Spiritus S. dono ad opera bona non adjuvetur; omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, à gratiâ Dei penitus alieni sunt: qui ignorantes Dei justitiam, sicut de Judæis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Plenitudo quippe legis non est nisi caritas, & utique caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, nec viribus propriæ voluntatis, sed per Spiritum S. qui datus est nobis. Valet itaque liberum arbitrium ad bona opera, si divinitus adjuvetur: quod fit humiliter petendo & faciendo.* Ibidem Pelagianos eleganter comparat phreneticis, *Qui cum sint insani, adeo se sanos putant, ut nec medicum quærant, & tanquam importunum insuper cædant: sicut isti Christum insanâ superbiâ quodammodo cædunt: cujus gratiæ tam benignum adjutorium ad faciendam justitiam dato legis præcepto necessarium non esse contendunt.* Idem de Catechizandis rudibus cap. ult. fine: *Non solùm dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi; in quibus duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ: quam non implet, nisi qui Dominum acceperit Spiritum S., Patri & Filio utique æqualem.* Et lib. II. post. contra Jul. cap. CLVI a: *Qui præcepta legis im-* a P. 367.
plere se putat per arbitrium propriæ voluntatis, sine Spiritu gratiæ, suam justitiam vult constituere, non justitiam Dei sumere. Nam unde dicit idem Apostolus, Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est; sed justitiam, quæ ex fide, justitiam ex Deo. Vide eundem epist. XCV. CV. CVI. CXX. CXLV. CC. Idem lib. II. de peccatorum meritis & remiss. cap. V. & libro de Perfectione justitiæ, & lib. de Spiritu & literâ, imprimis cap. XIV. & XIX.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ VII.

Idem judicium fuit Synodi Carthaginensis II, Milevitanæ, Carthaginensis III. Item Innocentii, Zosimi, Cælestini, Gelasii.

PAtres Concilii Carthaginensis in caussâ Pelagianâ secundi, epist. ad Innocentium: *Persuadere non cessant ad operandam perficiendamque justitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam posse sufficere naturam, non attendentes quod scriptum est,* a *Spiritus ad-* a Rom. 8. 26.
juvat infirmitatem nostram. Et b, *Non est volentis, ne-*
que currentis, sed miserentis Dei. Quibus & alia scriptu- b Rom. 9. 16.
rarum loca subjungunt. Tandem verò sic concludunt: *Quicunque dogmatizat, & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur; anathema sit.* Patres Concilii Milevitani ad Innocentium: *Nova quippe hæresis & inimicorum perniciosa tempestas surgere nimirum gratiæ Christi cœpit, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cùm enim Dominus docuerit, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, isti dicunt, posse hominem in hac vitâ præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra.* Concilium

Carthaginense, in Pelagianâ causâ III. cap. III. *Item placuit, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, quâ justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem valere peccatorum, quæ jam commissa sunt, non etiam in adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Et capitulo IV: *Item quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus; anathema sit.* Et cap. V. *Item quisquis dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed etiam possimus etiam sine illâ implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur. ubi non ait, Sine me difficilius potestis facere; sed ait, Sine me nihil potestis facere.* Episcopi Africani in Sardiniâ exules Epistolâ Synodicâ: *Ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur nisi divinitus adjuvetur.* Concilium Arausicanum II. cap. ult. *Secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ homines baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere.* Ubi cùm legem per gratiam impleri dicitur, simul eam citra gratiam non impleri innuitur. Unde & antè eopse canone dictum fuit: *Nullus operari propter Deum quod bonum est possis, nisi gratia eum & divina misericordia præveniret.* Similiaque habes in eâ Synodo passim.
a T. 3. Concil. p. 652. edit. Col. 1606. Concilium Valentinum Galliæ cap. VI a: *De gratiâ per quam salvantur credentes, & sine quâ rationalis creatura nunquam beate vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Dom. Iesu fidelibus ejus redintegrato & sanato, id ipsum constantissimè & fide plenâ fatemur, quod sanctissimi patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est, quod beatissimi pontifices Apostolicæ sedis Catholicâ fide tenuerunt.* De conciliis satis dixisse videmur, nunc de episcoporum & cleri Urbis judicio agamus.

Innocentius I. epist. ad Patres concilii Carthaginensis: *Numquid nos post hac rectum de eorum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur: qui sine illo tantum assequi se posse confidunt?* Et post aliquammulta: *Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, cùm suis inconsultius utitur bonis, cadens, in prævaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit; suâque in æternum libertate deceptus, hujus ruinâ jacuisset oppressus, nisi eum post, Christi, per suam gratiam, revelasset adventus; qui per novæ regenerationis purificationem præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro purgavit, & ejus confirmans statum, quo rectius constabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non denegavit. Nam quamvis hominem redemisset à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quomodo possit illum & post illa corrigere, multa servavit, quotidiana illi præstans remedia: quibus nisi freti confisique nitamur, &c.* Mox ita concludit: *Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quâ dicat, adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se Catholicæ fidei & Dei beneficiis profitetur ingratum. Nam nec nostrâ communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt.* Idem epist. ad Patres Concil. Milevit. *Meritò in istos dixit hymnidicus: Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem sibi.* Subjicit deinde: *Negantes ergò auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratiâ hunc egere divinâ, quâ privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum* AD OMNIA VITÆ PERFICIENDA MANDATA *solâ tantummodo libertate contendit. O pravissimarum mentium perversa doctrina, adverte id tandem, quod primum hominem ita libertas ista decepit, ut dum indulgentius frenis utitur ejus, in prævaricationem præsumptione conciderit. Neque ex hac potuit erui, nisi providentiâ regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus.* Cœlestinus epist. ad Galliæ episcopos cap. IV. ait, *Neminem de profundo ruina per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.* Cap. V: *Neminem esse per semet ipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus.* Cap. VII: *Quòd nemo, nisi per gratiam libero bene utatur arbitrio.* Cap. VIII: *Quòd omnia studia & omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gratiam laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Cap. IX: *Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit; quia per illud aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Quæ omnia Innocentii & Zosimi testimonio confirmat. Verba ipsorum omittimus, quia partim ea jam citavimus, partim [illegible] sequenti adducemus. Idem Cœlestinus ibidem cap. X: *Illud etiam, quod intra Carthaginensis Synodi decreta constitutum, quasi proprium Apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, &c.* Adfert deinceps capitulum ejus Synodi tertium, quartum, quinctum, eopse ordine, verbis iisdem, quibus hodieque leguntur in Concilio, quod vulgo Milevitanum vocatur. Quare hoc quoque argumento superius pugnavimus ad probandum, canones, qui vulgo Milevitano concilio tribuuntur, concilii esse Carthaginensis: quippe cui disertim eos tribuat Cœlestious.

THESIS VIII.

Nec Pelagio satis erat dicere, posse hominem viribus suis brevi tempore facilia præcepta servare: verùm contendebat, gravissimis semper tentationibus posse resistere.

TEstis August. cùm alibi, tum libro de Hæres. cap. LXXXVIII. Sanè Pelagii verba sunt ad Demetriadem: *Divinam mereamur gratiam, ut facilius nequam spiritui, Sancti Spiritus auxilio resistamus.* Ubi FACILIUS dixit, quòd etiam absque eo nos resistere posse censeret; ut observat Augustinus lib. de grat. Christi contra Pelag. & Cœlest. cap. XXVII. qui & eadem verba citat lib. de gratiâ cap. XXII. Sed apertius Cœlestius, qui ut gratiæ adjutorium tolleret, hoc argumento pugnabat Definitionum suarum cap. III. *Si per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos omnino adjuvare, & non potuit.* Et eodem cap. *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata, ergò ipsa est culpa, quando à peccato vincimur, quia omnino custodire nos aut non potuit, aut noluit.* Quæ Cœlestii verba, cùm Pelagio essent objecta, damnare ea est coactus, ne ipse damnaretur: ut patet ex cap. XIV. August. de gestis Palæstinis. Idem epist. CVI. ad Paulin. & de gestis Palæstin. cap. XVIII. Cœlestium Definit. cap. X. scripsisse ait: *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio:* atque id inferre dictus his verbis: *Nostra est victoria, quoniam propriâ voluntate arma suscepimus: sicut è contrario, nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus.*

Antithesis VIII.

Augustinus verò, Prosper, & cæteri, qui se Pelagio opponerent, solius gratiæ beneficio tentationes vinci posse dicebant. Atque id probatum ibant illo Psalta XVIII. 30. In te eripiar à tentatione. *Quodque in Oratione Dominicâ poscere jubemur*, Ne nos inducat *Deus* in tentationem. *Et adhortatione illâ, apud Matth.* XXVI. 41. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Item illo Apostoli*, 1 Cor. X. 13. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

PAtrum sententia est, etsi homo cum generali auxilio possit malum superare, ubi levis & subita ejus cogitatio titillat: non tamen illud, sine speciali vincere auxilio, in verâ tentatione, hoc est, ubi cupiditas deliberata ac gravis urget & stimulat: eoque in hac Deum implorare nos debere, ut succurrere nobis speciali gratiâ dignetur. Hieronymus lib. II. adversus Pelagianos citat illa verba Domini Matth. XXVI, *Surgite, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et continuò subjungit: *Debuisset dicere, juxta vos, Surgite & resistite. Liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.* Idem initio lib. III: *Nostra*, inquit, *victoria & corona victoriæ, illius protectione & clypeo paratur.* Augustinus De gratiâ & lib. arbitrio cap. IV. *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum. Ergò & victoria, quâ peccatum vincitur, nihil aliud est, quàm donum Dei, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. Propter quod dicit & cœlestis Magister: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Ergo unusquisque, contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem. id est, ne sit ab illâ abstractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius, quàm Dei ostenditur gratia, ubi, quod oratur, accipitur? Si enim dixisset Salvator noster: Vigilate, ne intretis in tentationem: admonuisse videretur tantummodo hominis voluntatem: cùm verò addit, & orate; ostendit, Deum adjuvare, ne intretis in tentationem. Dictum est libero arbitrio: Fili, noli deficere à disciplinâ Domini. & Dominus dicit: Ego rogavi pro te, Petre, ne deficeret fides tua. Homo ergò gratiâ juvatur, ne sine causâ voluntati ejus jubeatur.* Idem lib. De perfectione justitiæ extremo: *Quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem, (negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed solâ Lege acceptâ, humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse, non dubito.* Similiter lib. De gratiâ Christi cap. XXVII. Etiam in Cassiano hanc sententiam damnat Prosper, cap. XXXV. contra Collatorem, ubi sic ait: *Quisquis in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Quòd autem dicis, gratiam Dei ab Job ex eo intelligendam non penitùs recessisse, quòd tentatori ejus tantam Deus tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem: nonne rectius veraciusque loquereris, si, ubi dixisti, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem, diceres potiùs, quantam & illi resistendi noverat se dedisse virtutem? Unius enim verbi correctio, totam istam gloriam, quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliquâ temperasset, ut illa mirabilis in tantâ afflictione patientia, & Dei adjutorio, & libero hominis adscriberetur arbitrio. Sed veritus es, naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitereris à Deo datam esse virtutem. Itaque conflictus illius, atque victoriæ non vis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodo spectatorem.* Et in definitione X inquit: *Si ipse Deus scivit tantummodo, quod Job posset, non etiam donavit, ut posset: testis patientiæ ejus, non auxiliator fuit. Et in quo erit necessarium gratiæ adjutorium, si humanis solùm viribus tanta illa est parta victoria?* Mens eadem scriptoris de vocat. gentium, lib. II. cap. III. *Non ergò fidat viribus suis, quæ etiam, cùm essent integra, non steterunt; sed per illum quærat victoriam, qui solus non est victus, & omnibus vicit.* Similiterque Isidorus Pelusiota lib. II. epist. XXI. Ἐγὼ φημὶ τούτους, οἷς οὐδὲν ἐλλείπει τῶν ὀφειλόντων πρὸς ἀρετὴν προσαχθῆναι, εἰ μὴ τῇ οἰκείᾳ δυνάμει θαῤῥοῖεν, ἀλλ' ἀναφέροιεν πρὸς τὴν θείαν ῥοπὴν τὰ κατορθώματα, καὶ τῶν παθῶν περιέσεσθαι, καὶ εἰς τέλος ποτὲ ἥξειν ἀρετῆς. *Ego dico, eos, quibus nihil deest eorum, quæ ad adipiscendam virtutem fieri debent, si modò propriis viribus non confidant, sed quæ rectè egerint, ad divinam opem referant; & affectus superaturos, & ad virtutis metam omnino perventuros.* Simile hoc libro eodem epist. CCXLII. Ἐπὶ τὸν κατὰ τῶν παθῶν τῆς σαρκὸς ἱερὸν χρὴ χωρῆσαι πόλεμον, οὐχ ἑαυτοῖς θαῤῥοῦντας, ἀλλὰ τῇ θείᾳ συμμαχίᾳ ἐπιτρέποντας τὸ νικᾶν. *Ad sacrum bellum cum affectibus carnis gerendum nos conferamus oportet, non nobis ipsis confidentes, sed divino auxilio victoriam referentes.* Et mox: Τῇ ἄνωθεν ῥοπῇ θαῤῥοῦντες ῥᾳδίως περιεσόμεθα. *Opi cœlitus venienti si confidamus, facile erimus superiores.* Secutus verò hac parte præceptorem suum Chrysostomum; qui in I. ad Cor. homil. XXIV, de viribus ad resistendum tentationi loquens, inter alia ait, Τὸ δυνατὸν ἐν τῇ τοῦ θεοῦ ῥοπῇ κεῖται. *Ut possimus, in Dei ope situm est.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ VIII.

Eademque sententia comprobatur auctoritate Concilii Diospolitani, Carthaginensis secundi, Milevitani: item Innocentii, Zosimi, Cœlestini cum clero Urbis.

SYnodus Palæstina: *Fatemur, unumquemque fidelem teneri confiteri, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus liberam voluntatem, non tamen ex illâ, sed ex adjutorio Dei, nostram provenire victoriam.* Citat Augustinus epist. ad Paull. *a* Vide & eum de gestis Palæstin. cap. XIV. ubi a Epist. 106.
legimus, ut damnârit Cœlestii verba superiùs allata. Synodus Carthaginensis epist. ad Innocen. I: *b* *Istorum sacri-* b Apud August. epist 90.
legas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, Ne intremus in tentationem: quod Dominus & discipulos monuit, & posuit in oratione quam docuit. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate est constitutum, quis non videat, à Domino inaniter peti, cùm orando poscuntur, quæ natura jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur? Nec debuisse dicere Dominum Jesum, Vigilate & orate, sed tantummodo, Vigilate, ne intretis in tentationem. Synodus (ut vulgò vocant) Milevitana epist. *c* ad Innocentium: *Illud, Ne nos inferas* c Apud August. ep. 92.
in tentationem, non ita intelligendum dicunt (Pelagiani) *tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati incidamus, sed hoc in nostrâ esse positum potestate, & ad hoc implendum sufficere voluntatem hominis.* Imò paullo pòst ex duobus Pelagii dogmatibus maximè impiis hoc alterum esse ait. Verba Synodi sunt: *Ut alia omittamus, hæc duo tetrum, quod Christiani sumus, evertunt: Non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam justitiam, sit noster adjutor: &, Non opitulari parvulis, ad consequendam vitam æternam, Christianæ gratiæ sacramentum.* Innocentius I. epist. ad Concil. Carthag. *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam terrenæ labis, & mundani corporis, vincere conamur errores; cùm pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solùm facere possit auxilium.* Et post aliquammulta: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisi-*

que nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vicimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Idem epist. ad Patres Concil. Milevitani: *Negantes auxilium Dei, inquiunt, hominem sibi posse sufficere, nec gratiâ hunc egere divinâ, quâ privatus necesse est, diaboli laqueis irretitus, occumbat. O pravissimarum mentium perversa doctrina!* Et post pauca: *Ergò Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restitutâ nobis status pristini libertate, quæramus. Quippe nec alias diaboli machinas, nisi eâdem, possumus, juvante, vitare.* Zosimus epist. ad totius orbis episcopos *a*, postquam dixerat, omnem cogitationem bonam, bonæque voluntatis motum esse à Deo, subjicit hæc: *Superbum est, ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo, Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aeris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Cœlestinus epist. ad Gall. cap. VI. *Nemo*, inquit, *etiam baptismatis gratiâ renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* S. Basilius in libr. moralium summarum, summâ 62. cap. 3: *Oportet*, inquit, *ad tempus ab insidiantibus discedere: ubi tamen quis permissus est in tentationem incidere, eventum, ut sufferre possit, & voluntatem Dei per orationem petere.* S. Joannes Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinthios: *Sunt*, inquit, *tentationes, quas sufferre non possumus. & quænam sunt illæ? omnes, ut ita dicam. possibilitas enim in divino nutu est, quam nostra allicimus voluntate. Quare ut certò cognoscas, non solùm illas, quæ virtutem nostram exsuperant, non posse sine divino auxilio facile sustineri, sed ne has quidem humanas, addidit, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Et quidnam hoc significat? neque enim mediocres illas, quod dixi, inquit, propriâ virtute sufferemus, sed hic quoque divino indigemus auxilio, ut eas vel effugiamus, vel certe perferamus.*

a Apud Cæl. ſt. ad Gall. cap. 9.

THESIS IX.

Abunde hactenus ostensum fuit, hominem, ex Pelagii sententiâ, posse diligere Deum, Legem implere, gravissimas vincere tentationes: quod quid aliud est, quàm perfectionem tribuere homini, quæ proveniat non ex viribus gratiæ, sed naturæ? Verum non si absque gratiâ ad perfectionis bonum frustra adspiremus, eo consequitur, sine illâ aliquò tenus prodire posse neminem. Quare deinceps videamus, ecquid boni homo possit absque gratiâ. Quamquam de Pelagianis vix opus. Nam etiam tacentibus nobis, satis ex iis, quæ diximus, constare potest, neutiquam eos ad singulos actus bonos requisivisse auxilium Dei. Quod tum de naturalibus ac civilibus, tum etiam de supernaturalibus actionibus intelligi debet.

CÆlestii verba sunt Definit. cap. III. *a* *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in Lege ac doctrinâ.* Et Critobulus, in Pelagii personâ, sic loquitur apud Hieronymum *b*: *Si in singulis rebus, quas gerimus, Dei utendum est adjutorio; ergò & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare literis, tacere, loqui, flere, ridere, & cætera hujusmodi, nisi Deus juverit, non poterimus.* Apud eundem epist. ad Ctesiphontem iidem quæritere non dubitant *c*: *Si voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, relevare alvum, urinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit?* Ex quibus cognoscere est, Pelagio initio non tantùm de operibus pietatis, sed etiam de actibus naturalibus ac civilibus, controversiam cum Catholicis fuisse. Nec idcirco generale auxilium negâsse putamus, quod Bellarminus *a* scripsit; sed assentimus potiùs Caspari Casselio Conimbricensi *b*, Didaco Alvarez *c* atque aliis; quibus parùm fit verisimile, eum stultè adeò sapuisse; eoque persuasum potiùs habent, negasse duntaxat, voluntates nostras à Deo regi, ac ut in vitæ & virium conservatione, ita etiam in agendo à Deo dependere. Quorum opinio ex ipsis Hieronymi dialogis comprobatur. Nam Pelagianorum in illis verba sunt; *Quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tua in me dona compleveris?* Etiam Hieronymus ibidem ait: *Ita gratiam ponunt, ut non per singula opera ejus nitamur &* REGAMUR *auxilio.* Et rursum: *Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrii libertatem, si* EX ILLIUS PENDEAS VOLUNTATE. *Unde & audes linguâ proferre temerariâ,* UNUMQUEMQUE ARBITRIO SUO REGI. Quæ verba, ut a Pelagio scripta, citat Augustinus, De gestis Palæstinis cap. III, atque addidisse ait, *Et suo desiderio unumquemque dimitti.* Post quæ verba addit, Pelagium aliquid subjecisse de testimonio Scripturarum: nempe Sapient. VII. 7. Psal. CIX. 17. Ecclesiastic. XV. 17. Negabat igitur Pelagius, hominis voluntatem, vel in naturalibus, vel in supernaturalibus, pendere à directione & gubernatione Dei. Sed de naturalibus non uno hoc omnes interpretantur modo. Didacus Alvarez *d* hinc colligit, litem movisse Catholicis de voluntatis dependentiâ à motione Dei prævià, per quam (ut Thomas ait *e*) *Deus movet res ad operandum, quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationes, sicut artifex applicat securim ad scindendum.* Nempe ex sententiâ Thomæ, Deus ante simultaneum concursum operatur in naturâ & hominis voluntate trifariam. Modos illos enumerat in II. sentent. *f* *Primus*, inquit, *est, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possint. Secundus, in quantum conservat virtutem naturalem in esse. Tertius, in quantum movet eam ad agendum. in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est caussa incisionis cultelli, ex hoc ipso, quòd applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsum.* Cujus sententiæ fundamentum subjungit his verbis: *Quia natura inferior agens, non agit nisi mota, eo quod hujusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata, cælum autem est alterans, non alteratum, & tamen non est movens nisi motum, & hoc non cessat, quousque perveniatur ad Deum; sequitur de necessitate, quòd Deus sit caussa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans ad virtutem.* Voluit igitur Thomas, cùm secundæ caussæ operentur motæ à prima, Deum motione suâ actuali priùs immediatè influere in ipsam caussam secundam, quàm influat cum caussâ secundâ in effectum. Ac sequuntur hac parte Thomam Capreolus, Ægidius Cardinalis, Cajetanus, Ferrariensis, Soncinas, atque alii; suamque sententiam muniunt Scripturarum locis, rationibus variis, Patrum testimoniis, imprimis Hieronymi, Augustini, Prosperi, & Gregorii. Ponam verba unius Gregorii è lib. XVI. Moral. cap. XVI. *Omnia quæ creata sunt, per se nec subsistere prævalent, nec moveri; sed in tantum subsistunt, in quantum, ut esse debeant, acceperunt: in tantum moventur, in quantum occulto instinctu disponuntur.* Verùm non pauci hodie de prævià isthac motione dissentiunt: planeque duo hæc dependentiam essentiæ, & conservationis in naturalibus & civilibus, ac concursum Dei simultaneum sufficere putant. Utri meliùs sentiant, disputare hujus loci non est. Nam quis credat, de re, quæ ad fidem Christianam non pertinet, sed Scholasticam solùm disquisitionem habet, tam subtiliter inter Pelagianos & Catholicos esse disceptatum? Quare etsi Pelagius fortasse non statuerit vel hunc vel illum concursum, simultaneum inquam, aut prævium in simul; tamen nec negasse arbitramur. Quid ergò, inquiat aliquis, in controversiâ fuit? Nempe illud: credebat Pelagius voluntatem nostram, solis viribus suis, eligere bonum posse, quod vellet; vel si divino auxilio indigeret, putabat, illud ex lege, quam Deus semel sibi & naturæ statuisset, omnibus omni tempore æqualiter esse paratum, ita ut divinus

ille

a Apud Augst. de gestis Palæstin. cap. 14.
b Lib. 1. Dialogorum adversus Pelag. p. 261.
c Circa medium epist.

a Lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 11.
b Lib. 1. de quadruplici justitia cap. 36.
c De auxiliis gratiæ Disp. 1. parag. 22.
d Loco antecitato.
e 1. P. q. 105.
f Dist. 37. q. 3. de potent. art. 7.

ille concursus penitus in nostrâ sit potestate: eoque non divinâ, sed propriâ regamur voluntate; nec in electione boni a Deo, sed a nobis solis pendeamus: & hoc nisi fateamur, tolli ajebat arbitrii libertatem. Hoc enim non obscure indicant Hieronymi verba, quæ antea citabamus. Qui verò divinum hoc auxilium in naturalibus & civilibus tollebat: quid mirum, si idem in supernaturalibus negârit? Unde Prosper in Chronicis ad annum CCCCXIV: *Hac tempestate Pelagius Brito, dogma nominis sui, contra gratiam Christi, Cælestio & Juliano adjutoribus exerit, multosque in suum errorem trahit, prædicans, unumquemque* AD JUSTITIAM *voluntate propriâ regi.* Nunc quid de omnibus istis Catholici senserint, age videamus.

ANTITHESIS IX.

Considerabant Catholici, ut non tantùm incerti sint consiliorum nostrorum successus: sed etiam tanta sit mentium nostrarum caligo, ut multa in naturalibus ac civilibus (quanto autem magis in spiritualibus!) nesciamus; atque etiam cùm scimus quid rectum sit, tamen, in tantâ negotiorum diversitate, non semper illud animis nostris observetur. Adhæc cogitabant, ut communis ille humani generis hostis varia semper objicere studeat impedimenta; propter quæ ajebant, nos in omnibus & singulis actibus divinâ protectione indigere. Atque inde concludebant, orandum esse Deum, ut non tantum vitam & vires conservet nobis, sed etiam voluntatem nostram dirigat, nec id modo in negotio salutis, (quanquam in hoc imprimis, ubi voluntati novis opus est viribus ad aliquid boni incipiendum) sed illis quoque, quæ ad præsentem vitam pertinent. Hac providentiâ Dei singulari tolli negabant arbitrii libertatem; & qui secus statuerent, illos dicebant, dum se probare volunt liberos, ostendere se sacrilegos.

a *In illa Prophetæ sermo. Scio, Domine, quod non est hominis via ejus.*

Hieronymus lib. II. super Hierem. cap. X. a *Erubescant novi prædicatores,* (Pelagianos signat) *qui ajunt, unumquemque suo arbitrio regi; cùm & hic Propheta dicat, Non est hominis via ejus; & David in Lyrico canat carmine, A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet nimis.* Idem Pelagii hoc dogma sacrilegum vocat epist. ad Ctesiphontem b: *Quæso audite* SACRILEGUM. *Si, inquit, voluero curvare digitum &c. semper mihi auxilium Dei necessarium erit?* & aliquanto pòst c: *Ipsum liberum, ut diximus, arbitrium Dei innititur auxilio, illiusque* PER SINGULA *ope indiget.* QUOD VOS NON VULTIS; *sed id vultis, ut, qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat.* Quibus verbis tum suam, tum Pelagianorum sententiam complectitur. Idem eâdem epist. *Putas destrui arbitrii libertatem, si ex illius pendeas voluntate, & dicas* d, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Unde & audes linguâ proferre temerariâ, unumquemque arbitrio suo regi. Et, si suo arbitrio regitur, ubi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Hieremias, Non est in homine via ejus, &, A Domino gressus hominis diriguntur?* Idem eâdem epistolâ; *Velle & currere meum, sine Dei* SEMPER-AUXILIO, *non erit meum. Dicit enim Apostolus; Deus est qui operatur in nobis &* VELLE & PERFICERE. *Et Salvator in Evangelio; Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Semper largitor, semper-donator. Non mihi sufficit quod semel donaverit. Peto, ut accipiam; & cùm accepero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo.* Idem tom. 3. epistolâ ad Cyprianum; *Homo à principio conditionis suæ Deo utitur adjutore: & cùm illius sit gratiæ quòd creatus est, illiusque misericordiæ quòd subsistit & vivit; nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut* SUAM PER SINGULA OPERA GRATIAM NON NEGARET. Et lib. I. Dialogorum adversus Pelag. a *Non sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum.* Et mox: *Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula Dei a sanctis flagitetur auxilium, & in singulis operibus suis illo adjutore & protectore uti desiderent. Lege totum psalterium, omnes sanctorum voces: nihil erit, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio. Ex quo perspicuè ostenditur, te aut Dei negare gratiam, quam tollis in partibus, aut, si in partibus dederis, quod nequaquam te velle manifestum est, in nostram sententiam transire; qui sic liberum hominis servamus arbitrium, ut Dei per singula adjutorium non negemus.* Et lib. II. b *Dedignamur per singula auxilium Dei, & ad illius nutum cuncta gerere negligimus, cùm legamus, sanctos viros etiam hominum indiguisse præsidio?* Et lib. III. c *Hoc longâ dissertatione conclusum est, ut gratiâ suâ Dominus, quâ d nobis concessit liberum arbitrium, in singulis operibus juvet atque sustentet.* Ac post multa, dicente Critobulo, à se quidem tolli necessitatem gratiæ ad singulos actus; sed non deesse è suis, qui eam faterentur; respondet Hieronymus, hanc quisquis agnoscit, à Pelagianis desciscere, inque Catholicorum castra concedere. Verba Critobuli sunt e: *Ego simpliciter dixeram, non in singulis operibus nostris, sed in gratiâ conditionis ac legis semper auxilium Dei,* NE LIBERUM FRANGERETUR ARBITRIUM. *Cæterùm sunt* PLERIQUE NOSTRORUM, *qui omnia, quæ agimus, dicant fieri præsidio Dei.* Respondet Atticus: *Qui hoc dicit,* VESTER ESSE CESSABIT. *Aut ergò & tu ista dic, ut noster esse incipias; aut si non dicis, alienus eris ex his, qui nostra non dicunt.* Hæc & Pelagii & Hieronymi sententiam satis ostendunt, quia in dialogo hoc Critobulus Pelagii, Atticus Catholici personam sustinet: ut alibi diximus. Quanquam verò Hieronymus in dialogis istis auxilii divini necessitatem, non in spiritualibus tantùm, sed etiam in naturalibus & civilibus jure defendit: tamen (ut doctissimi Kemnitii verbis utar f) *refutationes, quas instituit contra Pelagium, ideo languidiores sunt, quia promiscuè sine distinctione disputat de externis actionibus, & de spiritualibus motibus: nec satis disertè discernit inter actionem Dei generalem & specialem.* Interea mirum non est, si istis Pelagiani certaminis initiis, præsertim Pelagianis indistinctè & hos & illos actus sine auxilio Dei nos posse dicentibus, etiam Catholicorum nonnulli promiscuè de istis loqui ament. Qui verò postea scripserunt, curatiùs supernaturales actus à cæteris discernunt: non quia non in omnibus & singulis auxilio Dei egeamus: sed quia in naturalibus, h. e. iis quæ pertinent ad vitam præsentem, solùm duobus opus est: primum Dei concursu, per quem naturalis potentia in actu secundo adjuvetur, sive concursus ille sit simultaneus tantùm, sive prævius insimul: deinde voluntatis nostræ gubernatione, & directione, propter quam etiam in naturalibus ac civilibus à Deo dependemus: ut paullo antè diximus, cùm Pelagii sententiam explicaremus. Atque eò etiam pertinet, quod Hieronymum dixisse vidimus: *Sancti in singulis Deo* ADJUTORE ET PROTECTORE *uti desiderant.* Et quod scriptor Hypognosticôn, cùm dixisset, *habere nos liberum arbitrium, non in iis, quæ ad Deum pertinent, sed operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam malis:* subjungit hæc, *Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, quæ* NON SINE GUBERNACULO DIVINO SUBSISTUNT. At verò in supernaturalibus, h. e. illis, quibus ad æternam grassamur vitam, requiritur præterea auxilium Dei speciale, per quod potentiæ animæ eleventur, &, auctæ novâ virtute, constituantur in ratione principii actuum pietatis habentium remunerationem vitæ æternæ. Hoc negasse Pelagianos, constat ea verbis illis Juliani apud August. g *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentiâ, vel in malum vel in bonum, invitum aliquem cogi, sed propriâ voluntate aut bonum facere, aut malum: in bono vero opere à Dei gratiâ semper adjuvari, in malum vero diaboli suggestio-*

b P. 254.
c P. 256.
d Ps. 24.
a P. 261.
e
b P. 295.
c P. 299.
d f. quod.
e P. 302.
f Loc. com. de libero arbitrio p. 183. & 184. edit. Witt. 1610.
g Lib. I. contra duas Pelag. epist. C. 18.

gestionibus excitari. Ad quod ita respondet Augustinus: *Vos in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratiâ Dei, ut in excitandâ ejus ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eum credatis operari. quod satis ipsa tua verba declarant. Cur enim non dixisti, hominem Dei gratiâ in bonum excitari, sicut dixisti, in malum diaboli suggestionibus excitari. Sed dixisti, in bono opere semper à Dei gratia adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia, bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur.* Idem Augustinus ejusdem operis lib. IV. c. IX. *Numquid* (Cyprianus) *sicut isti* (Pelagiani) *Spiritus sancti adjutorium nostra credit esse virtutis, tanquam ipsa virtus, qua ad hoc adjuvatur, oriatur ex nobis?* Et lib. III. cap. XIV. de sanctis Veteris T. loquens ait, Deum, *non solum adjutorem, quod isti* (Pelagiani) *suo dogmati sufficere existimant, verum etiam largitorem dicimus fuisse virtutis.* Quid clarius ex istis, quàm hoc Augustinum velle, auxilium Dei in supernaturalibus se non tantùm habere per modum concurrentis, quod commune eis est cum actibus, qui ex principio naturæ fluunt; sed etiam per modum principii propter virtutem novam, quam potentiæ animæ accipiunt a Spiritu S. Hæc est nova illa virtus, & stupentis voluntatis excitatio, absque quâ in negotio salutis nihil hominem posse, passim docet Augustinus: ut lib. de gratia Christi contra Pelag. cap. XXVI. *Gratiam Dei, qua caritas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino* NIHIL BONI SINE ILLA, QUOD AD PIETATEM PERTINET VERAMQUE JUSTITIAM, *fieri posse non dubitet.* Vide & cap. XLVII. Idem lib. de gratia & libero arbitrio, cap. XXVII. *Sine illo operante cum volumus,* AD BONA PIETATIS OPERA NIHIL *valemus.* Et epist. CVI. ad Paullinum: *Gratia Dei nisi adjuvet,* NIHIL *pietatis atque justitiæ sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possumus.*

a Philip. 2.

Deus a quippe operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Vide eundem T. VII. de Prædestinatione sanctorum c. II. & contra duas epist. Pelag. lib. II. cap. V.

b Fol. 83. b. edit. Venet.

Similiter Hypognosticôn scriptor lib. III. *b Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum,* QUÆ AD DEUM PERTINENT, *sine Deo aut inchoare, aut certè peragere: sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono natura oriuntur: quæ non sine gubernaculo divino subsistunt &c.*

c Fol 85. b.

Et paullo pòst *c: Vitiato ergò libero arbitrio, totus homo est vitiatus, per quod absque adjutorio gratiæ,* QUO DEO PLACEAT, *nec valet incipere, nec perficere sufficit.*

d Fol. 352. edit. Duac. 1577.

Prosper ad Demetriadem *d: Gratia Dei tota repellitur, nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est à numero fidelium & à sorte sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit; ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur: quasi homo auxilio Dei in quâdam actionum suarum parte egeat, in quâdam autem parte non egeat; sitque ullum tempus, ullumve momentum, quo per niciosum illi esse non possit, si ab eo Spiritus S. defuerit.* Et mox: *Gratiam Dei insanissime utilem putat, qui in iis, quæ rectè gesserit, se magis quàm Deum gaudet operatum.* Et ibidem: *Si quis est, qui aliqua se habere existimat bona, quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi auctor exstat, manifestum est, hunc non Dei Spiritum habere, sed mundi.* Vincentius Lirinensis Commonitorii lib. I. cap. XXXIV: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos necessariam Dei gratiam non putaret?* Similiter Scriptor de vocatione

e Apud Prosp. sed Ambrosii, cap. 2.

gentium lib. I. cap. VI. *e* Fulgentius lib. de Incarnatione & Gratiâ Christi cap. XIII. & Petrus Diaconus lib. de incarn. & grat. Chr. cap. VIII. cujus verba adscribam: *In bonis* QUIBUSQUE *voluntatis humanæ* SINGULIS *motibus magis illius* PRÆVENIRE *non dubitemus gratiam: quòd ita Deus, in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium,* OMNISQUE MOTUS *bonæ voluntatis ex Deo sit; quia per illum aliquid boni possumus, sine quo* NIHIL *possumus.* Isiodorus quoque Hispalensis lib. II. de summo bono cap. V: *Sciant liberi arbitrii defensores,* NIHIL *posse hominem in bonum suâ prævalere virtute, nisi divina gratia sustentetur juvamine.* Hugo Victorinus eruditionis Theologicæ ex Miscellaneorum 2. lib. 4. cap. 33. *Hoc caput in homine languidum dicitur, quia ad amorem bonum torpet. Quid enim boni facere potest ex se ipso, quando nec dicere potest Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto? Nihil ergò languidius eo, quod ad quodlibet bonum, etiam minimum, minimè convalescere potest. Quia non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei. Voluntati enim ejus quis potest resistere? Unde sicut admiranda arbitrii dignitas est: sic miseranda infirmitas, in se ipso ad omne opus bonum torpere.* Richardus Victorinus lib. I. de eruditione interioris hominis, cap. 3. *Sicut corpus nihil potest sine vitâ suâ* (*i. e. animâ suâ,*) *ita interior homo noster nihil boni potest sine divina gratia. Gratiâ Dei, inquit Apostolus, sum id quod sum. Et veritas ipsa de se: Sine me nihil potestis facere.* Petrus Blesensis epist. 78: *Humana persuasio sine gratiâ Dei nihil aliud est, quàm æs sonans, aut cymbalum tinniens. Ille solus donat os & sapientiam, qui dicit, Sine me nihil potestis facere.* Cassiodorus in Psalm. 3. Tu autem Domine susceptor meus es. *Hoc ad Pelagianos pertinet destruendos: qui putant, hominem aliquid per se efficere posse, quod bonum est. Nam quis rogo sibi ad bene agendum sine divina gratiæ largitate sufficiat, cùm humana natura per gratiam, quæ unita est Deo, ad Patris sit dextram collocata?* Cassiodorus in Psalm. 117: *Est quidem in malâ parte execrabilis libertas arbitrii, ut prævaricator Creatorem deserat, & ad vitia se nefanda convertat: in bonâ verò parte arbitrium liberum Adam peccante perdidimus: ad quod nisi per Christi gratiam redire non possumus, docente Apostolo: Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate. Unde assiduâ oratione precandum est, ne nos voluntas perversa rapiat: sed inspiratio divina possideat. quia, quicquid ex nobis ipsis sapimus, mortiferâ contra nos audaciâ concitamus.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ IX.

Ad singulos pietatis actus requiri auxilium Dei, & absque eo nos nihil omnino posse, constitutum est Concilio Palæstino, Carthaginensi III, *Sardiniensi, Aransicano* II. *Romanamque Ecclesiam super hoc consensisse, ex Innocentii, Zosimi, Cælestini, & Gelasii epistolis cognoscere est.*

Concilium Palæstinum, assentiente ipso Pelagio, definivit, *Gratiam ad singulos actus dari.* Damnavit contra, quod Cælestius dixerat, *non esse liberum arbitrium, si Dei indigeret auxilio.* Testis August. epist. CVI. & de gestis Palæst. cap. XIV. Concilium Carthaginense CCXIV. sacerdotum Epistolâ Synodicâ ad Zosimum *a* statuit: *Gratiam Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum, non solùm ad cognoscendum, verùm etiam ad faciendum justitiam nos per actus* SINGULOS *adjuvare, ita ut sine gratia* NIHIL *veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Episcopi Africani in Sardiniâ exules in epist. Synodicâ: *Domino se sciat semper* OMNE *bonum debere, quod vult ac facit; quem, teste Apostolo, cognoscat operari in homine & velle & perficere.* Ibidem: *Hoc in homine agit gratia divinitus data, ut animus dono fidei caritatisque percepto & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat. Quod fidelibus divinitus dari, beatus & ostendit, & poposcit Apostolus, dicens* b, *Ipse autem Dominus &c. A Deo itaque nobis est omnis gratia boni c sermonis & operis, à quo nobis etiam ipsius cogitationis bonæ manifestum est sufficientiam tribui, ut discat homo, non in se, sed in Domino glo-*

a Apud Prosp. adversus Collat. cap. 20. Et Responsi. ad capitulum 8 Gallorum.

b Philip. 2. v. 13.
c 2 Thess. 2. v. 17.

gloriari. Concilium Arausicanum II. can. VII: *Siquis per naturæ vigorem* BONUM ALIQUOD, QUOD AD SALUTEM PERTINET VITÆ ÆTERNÆ, *cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus S., qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & in credendo veritatem; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio*
a Ioh. 15.
dicentis, Sine me nihil potestis facere a. *Et illud Apo-*
b 2 Cor. 3.
stoli b, *Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et can. IX: *Divini est muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum ut operemur operatur.* Zosimus epist. ad totius orbis episco-
c Apud Cælestinum, epist. ad Gallos cap. 8.
pos c: *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum & coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.* Quem sermonem sincerissimæ veritatis luce radiantem, quanto cum honore venerati sint Afri Episcopi, eorum verba ostendunt apud Cælestinum epist. ad
d Apud eundem cap. 9.
Gall. cap. VIII. Idem Zosimus eâpse epistolâ d: *Quod tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio?* IN OMNIBUS *igitur* ACTIBUS, *caussis, cogitationibus, motibus, adjutor, & protector orandus est.* Cælestinus epist. ad Episc. Gall. cap. VIII: *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ* SINGULIS *motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Gelasius I. epist. VII: *Quis audeat dicere Christianus, se* ALIQUID *habere boni sine gratiâ, quando magister gentium clamat, Gratiâ Dei sum*
e 1 Cor. 15. 10.
id quod sum e. *Et iterum: Plus omnibus laboravi: sed non ego, sed gratia Dei mecum.*

THESIS X.

Iis, quæ Catholici dicebant de gratiæ necessitate ad perfectionem & singulos pietatis actus, obducebat Pelagius tum laudatos inter gentiles viros, quos veras perfectasque habuisse virtutes credebat: tum quos ab Adamo usque ad Mosem justitiâ claruisse narrat Scriptura: quos ipsos solius naturæ bono tales fuisse contendebat.

NEmpe quidquid possumus, hoc naturæ beneficio nos posse Pelagius arbitrabatur. Quod indicant hæc ejus
a P. 12. T. 4 Hier. edit. Bas. 1553.
verba epist. ad Demetriad. a *Proferenda semper in notitiam ea res est, cujus usus desideratur, & explicandum est, quidquid boni natura potest, cum quidquid posse probatur implendum est. Hæc igitur prima sancta ac spiritualis vitæ fundamenta jaciantur, ut vires suas virgo agnoscat; quas demum benè exercere poterit,*
b P. 13.
cùm eas se habere didicerit. Et aliquanto pòst b: *Volens namque Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munire & liberi arbitrii potestate donare: utriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium ejus fecit esse quod velit: ut boni ac mali capax naturaliter utrumque posset, & ad alterutrum voluntatem deflecteret. Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum, nisi æque etiam malum habere potuisset.* Quale verò de operibus non renatorum judicium
c Pag. 13.
tulerit, hæc ejus verba ibidem ostendunt c: *Naturæ bonum ita generaliter cunctis institutum est, ut in gentilibus quoque hominibus, qui sine ullo cultu Dei sunt, se nonnunquam ostendat, ac proferat. Quàm multos enim philosophorum & audivimus, & legimus, & ipsi vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, & honores mundi simul & delicias respuentes, &* AMATORES JUSTITIÆ NON MINUS QUAM SCIENTIÆ! *Unde quæso hominibus alienis à Deo ista, quæ* DEO PLACENT? *Unde illis bona, nisi* DE NATURÆ BONO? *Et cùm ista, quæ dixi, vel* OMNIA IN UNO, *vel singula in singulis habere videamus, cùm omnium natura una sit, exemplo suo invicem sibi ostendunt,* OMNIA IN OMNIBUS *esse posse, quæ vel omnia in omnibus, vel singula in singulis inveniuntur. Quod si etiam sine Deo homines* OSTENDUNT QUALES A DEO FACTI SINT, *vide quid Christiani facere possint, quorum in melius per Christum natura & vita instructa est, & qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio.* Ubi cujusmodi gratiam intelligat, antea vidimus. Mox etiam, qui inter Adamum & Mosen justitiâ claruerunt, naturæ bono tales evasisse ait: *Eorum tibi*, inquit, *aliqui proponendi sunt, ut facile intelligas, quantum sit naturæ bonum.* Addit deinde, *Abel hanc magistram secutus, Dominum promeruit.* Eodem bono ait *Enochum ita placuisse Deo, ut eum e medio mortalium raperet.* Etiam Abraham, Isaac, Iacob censet, *perfectè implevisse Domini voluntatem.* Similia de aliis habet. De Iobo verò exclamantem audiamus. *O virum ante Evangelium Evangelicum, & Apostolicum ante Apostolica præcepta, discipulum Apostolorum, qui aperiens* OCCULTAS DIVITIAS NATURÆ, *& in medium proferens,* EX SE, *quid* OMNES *possimus, ostendit, docuitque quantus sit ille thesaurus animæ, quem nos sine usu possidemus, & quod proferre nolumus, nec habere nos credimus.* Post hæc addit: *Sanctorum exemplis naturæ bonum probavimus.* Et quia improborum exempla poterant obduci, respondet, *Scripturarum testimonia, peccantes utique crimine voluntatis gravant, non necessitate naturæ.* Atque ita, ut damnet necessitatem naturæ ad peccandum, simul necessitatem gratiæ ad bene agendum negat. Tandem ita concludit: *Hæc de naturæ bono cursim, quasi in alio opere, dicta sint. Quod ideo à nobis faciendum fuit, ut tibi planiorem viam ad perfectam justitiam sterneremus, quam eo facilius currere possis, quo in eâ nihil asperum, nihil inaccessibile esse cognoveris. Nam si etiam ante legem, ut diximus, & multo ante Domini nostri salvatoris adventum juste quidam vixisse & sanctè referuntur: quanto magis, post illustrationem adventus ejus, nos id posse credendum est; qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus; qui sanguine ejus expiati atque mundati, illiusque exemplo ad perfectam justitiam incitati, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuerunt; meliores etiam quàm fuerunt sub lege.* Ex his omnibus colligimus duo: quorum prius pertinet ad sanctos prioris testamenti: alterum gentiles spectat. Sanctos, quorum præconia in Veteri Testamento habemus, censuit Pelagius salvatos esse obediendo legi seu naturali seu Mosaicæ: ac, si deliquissent, remissionem peccatorum simpliciter à Deo postulando, inque posterum se corrigendo: quod omne naturæ eos viribus posse putabat. Hanc Pelagii mentem fuisse, quamquam eâ, quæ ex epistolâ ejus adduximus, non obscurè probant; tamen operæ fuerit, si idem plusculis Augustini testimoniis ostendamus. Sic igitur ille lib. I. contra duas Pelag. Epist. c. XXI. *Distribuitis tempora, secundum Pelagium; in cujus libris hoc legitur: & ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum.* Item lib. de peccato originali contra Pelag. & Cælest. cap. XXVI. *Non, sicut Pelagius & ejus discipuli, tempora dividamus, dicentes, primùm vixisse justos homines ex naturâ, deinde sub Lege, tertiò sub gratiâ. Ex naturâ scilicet, ab Adam tam longâ ætate, quâ lex nondum erat data. Tunc enim, aiunt, duce ratione, cognoscebatur creator, & quemadmodum esset vivendum, scriptum gerebatur in cordibus, non lege literæ, sed naturæ. Verum vitiatis moribus, inquiunt, ubi cœpit non sufficere natura jam decolor, lex ei addita est, quâ velut Luna fulgore pristino, detrita rubigine, videretur. Sed posteaquam nimia, sicut disputat, peccandi consuetudo prævaluit, cui sananda Lex parum valet; Christus advenit, & tanquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per se ipsum, medicus ipse subvenit.* Item lib. II. poster. contra Iulianum,

a P. 351. cap. CXLV *a*: *Et quasi vigilanter additis*, POST INCARNATIONEM *tamen ejus; propter antiquos videlicet, quos sine gratiâ ejus fuisse dicitis justos, eo quòd non habuerint ejus exemplum, &c.* Idem ejusdem operis, cap.
b P. 401. CLXXXVII *b*: *Agnoscimus hæresin vestram. Definivit enim Pelagius, quòd non ex fide incarnationis Christi, antiqui vixerunt justi, quia videlicet nondum in carne venerat Christus.* Hinc illa Iuliani objectio epist. ad Zosimum *c*: *Dicunt, sanctos in Veteri Testamento non caruisse peccatis.* Etiam Iuliani verba sunt *d*: *Dicunt, sanctos Veteris Testamenti, perfectâ hinc justitiâ transisse ad vitam æternam, id est, studio virtutis ab omnibus recessisse peccatis, quia & illi, quos legimus aliquid peccasse, postea tamen eos emendasse cognovimus.* Idem Iul. apud Aug. imperfecti operis contra Iul. lib. II. cap. CLVIII *e*: *Nunc confiteamini, prævaricatores in Lege non esse benedictionis hæredes, quia talibus Lex iram operatur.* Plura ibidem vide. Porrò cùm dixerit Pelagius, multos ante adventum Christi, per Legem fuisse salvatos sine gratiâ Christi; satis hinc liquere puto, qua mente in Ἐκλογῶν, sive Testimoniorum Tit. CXXIII. scripserit, *Regnum cælorum etiam in Veteri Testamento promissum*: cujus rei Augustinus meminit De gestis Palæstinis cap. V. Hieronymus lib. I. Dial. contra Pelagianos *f*: *Addis præterea, regnum cælorum etiam in Testamento Veteri repromitti: ponisque testimonia de Apocryphis: cùm perspicuum sit, regnum cælorum* PRIMUM *in Euangelio prædicari per Iohannem Baptistam, & Dominum Salvatorem, & Apostolos.* Exinde hoc probat ex Matth. III. 2. & IV. 17. & 23. & X. 7. Postea adjungit: *Tu autem nos Manichæos vocas, cùm Legi Euangelium præferentes, in illa umbram, in hoc veritatem esse dicamus: & non intelligis stultitiam tuam impudentia copulatam. Aliud est, damnare Legem, quod Manichæus facit: aliud, Legi præferre Euangelium, quæ Apostolica doctrina est.* Cumque paucis utriusque Testamenti discrimen indicasset: *Hoc posuimus*, inquit, *ut egregii præceptoris doctrina monstraretur.* Cæterum cùm in Concilio Diospolitano objectum esset Pelagio, quòd dixisset, etiam in Veteri Testamento promissum fuisse regnum cœlorum; hoc se pacto defendit: *Ego vero Scripturarum auctoritatem secutus dixi, quoniam in Propheta Daniele scriptum est, Et accipient sancti regnum altissimi.* Eo audito Synodus respondit: *Neque hoc alienum est à fide Ecclesiastica.* Non frustra tamen hoc Pelagio objectum fuisse, censet Augustinus, cujus hæc verba, loco quem antè dicebamus *g*: *Nunquidnam ergò fratres nostros, ut etiam hoc inter cætera objicerent, sine causâ verba ista moverunt? Non utique; sed Veteris Testamenti nomen duobus modis dici solet. Uno modo, secundùm divinarum Scripturarum authoritatem; altero, secundùm loquendi vulgatissimam consuetudinem.* Post illa docet, fratribus dici Testamentum Vetus, quod in monte Sinai pepigit Deus cum populo carnali, & promissiones terrenas habet: Novum vocari, quod per Euangelium est prædicatum, ac promissiones habet spirituales. Mox agnoscit, etsi Testamentum Vetus apertè promittat terrena, tamen symbolicè promittere cœlestia. Atque iccirco (verbis ipsius utar) ETIAM *illo tempore*, PER DEI GRATIAM, *intelligentes* NOVI TESTAMENTI HÆREDES, IN OCCULTO DEI CONSILIO DEPUTATI SUNT. Quod & alibi non semel docet *h*. Post longam verò dissertationem, de duplici istac Veteris Testamenti notione, ita tandem concludit: *Non esse hoc alienum à fide Catholica, meritò judicatum est, non secundùm illam distinctionem, quâ in monte Sinai promissa terrena ad Vet. Test. propriè pertinere monstrantur. Nec tamen improbè; secundùm hanc loquendi consuetudinem, quâ universa scriptura canonica, ante incarnationem Domini, ministrante Veteris Testamenti appellatione censetur.* Quibus significat, metuisse fratres, ne cùm multi terrenæ tantùm felicitatis caussâ obtemperent Legi, eos quoque Pelagius cælorum parte dignaretur: cæterùm minimè eos dubitasse, quin, quicunque ante Christi adventum justi & fideles vixissent, regni cælestis participes forent. Sed hæc quamvis vera sunt, tamen οὐδὲν πρὸς ἔπος, si vera est conjectura nostra. Nam planè putamus, cùm Pelagius docuit, *regnum cælorum etiam in Veteri Testamento fuisse promissum*, idem voluisse ac Cælestius, cùm dixit: *Legem sic mittere ad regnum, quemadmodum Euangelium.* Unde Prosper lib. περὶ ἀχαρίστων:

c Apud August. lib. I. contra epist. Pelag. c. 7.
d Ibidem cap. 21.
e P. 369.
f P. 274.
g Cap. 5. de gestis Palæstinis.
h Vide, sis, responsionem nostram ad judicium H. Ravenspergeri cap. 23. ubi multa Augustini & aliqua aliorum loca congessimus.

> *—— —— connectit & illud*
> *Idem auctor, quòd Lex ita sanctos miserit olim*
> *Cælorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.*

Nec obstat, quòd Pelagius (quemadmodum Augustinus *a* & Prosper *b* testantur) hoc Cælestii dogma perculserit anathemate. Nam subdolè ἔμφασιν statuit in similitudinis particulâ. Nempe Pelagii sententia erat, Legem ÆQUE mittere ad regnum: attamen non SICUT Euangelium mittere ad regnum: hoc est, paritatem statuit, quòd ad utriusque sufficientiam in operando salutem: at si in se utraque spectentur, dissimilem esse modum aiebat salvandi hominem: eò quòd Euangelii tempore salvemur Christi doctrinâ & exemplo. Nec quòd ancipiti voce Catholicos sic ludificabatur, mirum in Pelagio videri debet, quando in eâdem Synodo similem fraudis est fraudem, cùm anathematizavit, qui dicerent, peccatum primi hominis posteris non nocuisse; vel infantes tales nunc nasci, qualis Adam fuit ante lapsum. Nam cùm utrumque istorum animosè postea defenderet, docuit suos, se idcirco illa damnasse, quia peccatum primi hominis nocuit posteris exemplo, non propagatione. Item quia infantes, etsi non teneantur reatu primi peccati, tamen cùm destituantur usu liberi arbitrii, & præcepti capaces non sint, dispari conditione nascuntur, quàm Adam conditus fuit. Vide sis August. lib. de pecc. orig. cap. XV. Atque hæc dicta sunto de sanctis Veteris Testamenti. Prætetea ex verbis Pelagianæ ad Demetriadem epistolæ colligebamus, Pelagium veras gentilibus virtutes tribuisse: in quo ipso Julianus eum secutus fuit. Quod sensisse etiam Iulianum clarè liquet ex lib. IV. Augustini adversus Iul. cap. 3. ubi sic ait B. Pater; *Unde & illi quos commemorare voluisti, de quibus ait Apostolus; Gentes legem non habentes sibi sunt lex, qui habent opus legis scriptum in cordibus suis: quid te adjuvet, omnino non video. Per hos enim probare conatus es, etiam alienos à fide Christi veram posse habere justitiam, eo quòd isti, teste Apostolo, naturaliter quæ Legis sunt faciunt. Ubi quidem dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei quæ datur per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tollit peccatum mundi, evidentiùs expressisti, introducens hominum genus, quod placere Deo possit, sine Christi fide, lege naturæ. Hoc est, unde vos maximè Christiana detestatur Ecclesia.* Augustino hoc neganti, quid Julianus responderit, ipse refert Augustinus lib. IV. contra Julianum. Ubi hæc ex secundo Juliani libro commemorat: *Si dicatur, quia castitas infidelium, castitas non est; eâdem fronte dicetur, quia corpus paganorum corpus non sit, & oculi paganorum sensum non habeant intuendi, & frumenta, quæ in paganorum nascuntur agris, frumenta non sint: & multa alia, quæ tantæ absurditatis sunt, ut risum possint intelligentibus commovere.* Quibus verbis occurrit ibidem Augustinus: uti & loco Paulino de gentibus, facientibus ea, quæ sunt Legis. Idem Julianus ibidem fatetur, bona gentilium opera sterilia esse, quia cùm temporalis solùm boni caussâ fiant, temporalem duntaxat remunerationem habent *c*. *Cunctarum*, inquit, *origo virtutum in rationabili animo sita est, & affectus omnes, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus, in subjecto sunt mentis nostræ, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis, cùm insit omnibus naturaliter, non tamen ad unum finem in omnibus properat, sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm sit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt,*

a De gestis Palæst. cap. 11. & 35.
b Carm. de ingratis cap. 9.
c Col. 1031.

sed

sed in eo solo variant, quod merentur. Nec nomine sui
igitur possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solùm
quod appetiverunt præmiis, aut amplitudine ditantur, aut
exilitate frustrantur. Hoc est, ut ibidem Juliani ista ver-
ba interpretatur Augustinus, *terrenorum commodorum*
fructum, non cœlestium præmiorum. Idem August. post
a Col. 1037. aliquammulta a: *Sed responsurus es, Juliane, Quid nisi*
vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines, qui
non propter Deum faciendo bona, quæ faciunt, non ab eo
b Col. 1038. *vitam consequuntur æternam.* Et ibidem b: *Certè saltem*
concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non
tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere.
Qtamquam verò Julianus gentilium operibus non aude-
bat promittere mercedem æternam, non tamen eos, qui
clari fuissent virtutibus, in gehennam detrudi putabat.
c Col. 1034. Unde ibidem sic Augustinum compellat c: *Erunt ergò*
in damnatione, inquis, in quibus erat vera justitia? Et
quia nec cœlo, nec inferno tales adjudicabat Julianus, hinc
d Col. 1034. paullo ante Augustinus ait d: *An fortè & istis, qui exhi-*
buerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, Fabri-
cio, Regulo, similibusque talibus, SICUT INFANTI-
BUS, *qui sine baptismate moriuntur, provisuri estis ali-*
quem locum, inter damnationem regnumque cœlorum,
ubi non sint in misericordiâ, sed in beatitudine sempiter-
nâ, qui Deo non placuerunt? Unde verisimile est, Ju-
lianum etiam in gentilibus virtute claris usurpâsse illud,
quod de infantibus citra baptismum discedentibus dixisse
Pelagium Augustinus ait: *Quò non eant, scio: quò eant,*
nescio.

Antithesis X.

Ex Catholicorum verò sententiâ, isti qui sub natura lege
vixerunt, non per legem salvantur, sed per gratiam
Christi: quæ consistit in remissione peccatorum propter
sanguinem Christi, & virtute Spiritus Sancti ad-
juvante ne peccemus. Gentiles autem, & quotquot
Dei Spiritu destituuntur, hi, si examinentur juxta
legem perfectionis istius, quæ in Scripturis promissio-
nem habet vitæ æternæ; nec veras virtutes habent,
nec, quod boni faciunt, faciunt benè.

JUsti, qui ante incarnationem Christi vixerunt, eodem
Christi merito salvabantur, ejusdemque Spiritu rege-
bantur, quo sancti Novi Testamenti. Hieronymus lib.
II. comment. in epist. Gal. cap. IV: *Quomodo omnes in*
protoplasto Adam necdum nati moriuntur: ita & omnes,
etiam hi qui ante adventum Christi nati sunt, in secundo
Adam vivificantur. Atque ita fit, ut & nos legi servie-
rimus in patribus: & illi gratiâ salventur in filiis. Iste in-
tellectus Ecclesiæ Catholicæ convenit: quæ & Veteris &
Novi Testamenti unam asserit providentiam, nec distin-
guit in tempore, quos conditione sociavit. Augustiuus
contra duas Pelag. epistolas lib. III. cap. IV. *Quis Catho-*
licus dicat, quod nos dicere jactitant Pelagiani, Spiri-
tum S. adjutorem in Veteri Test. non fuisse? Et mox: *An*
verò illum ad Testamentum Novum negabimus pertinere,
a Ps. 50. *qui dicit, a Cor mundum crea in me, Deus, & Spiritum*
b Ps. 39. *rectum innova in visceribus meis? Aut illum, qui dicit* b,
Posuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos,
& immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo
nostro? Et post pauca: *Sive igitur Abraham, sive ante*
illum justi, sive post eum usque ad ipsum Mosen, sive cæte-
ri Prophetæ post eum, & sancti homines Dei usque ad Jo-
hannem Baptistam; filii sunt promissionis & gratiæ secun-
dum Isaac filium, non ex lege, sed ex promissione, hæredes
Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim ut Noe justum,
& prioris temporis justos, & quicunque ab illo usque ad
Abraham justi esse potuerunt, vel conspicui, vel occulti,
negemus ad supernam Hierusalem, quæ mater nostra est,
pertinere. Et post aliquammulta: *Tempore igitur Veteris*
Testamenti Spiritum S. in eis, qui etiam tunc secundum
Isaac a promissionis filii erant, non solùm adjutorem, a Rom. 9. Gal. 4.
quod isti (Pelagiani) *suo dogmati sufficere existimant, ve-*
rùm etiam largitorem dicimus fuisse virtutis. Idem lib. I.
de pecc. merit. & remiss. cap. XI. *Regnum mortis sola in*
QUOLIBET HOMINE *gratia destruit Salvatoris, quæ*
operata est etiam in ANTIQUIS SANCTIS, QUICUN-
QUE *antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen*
adjuvantem gratiam, non ad legis literam, quæ jubere
tantùm, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc nam-
que occultabatur in V. Testamento pro temporum dispen-
satione justissimâ, quod nunc revelatur in Novo. Nec
existimandum, non similiter sapuisse ante Pelagium ex-
ortum. Nam in prolixo opere octoginta trium quæstio-
num (quod se ante episcopatum scripsisse ait b,) compro- b Lib. 1. Retract. cap. 26.
bat hoc ipsum partim c Davidis testimonio d, Spiritus S.
gratiam à Domino postulantis: partim, quòd Elisabetha, c Quæst. 61.
Zacharias, Anna & Simeon Spiritu S. impleti, illa quæ
in Evangelio e legimus, dixisse dicuntur: post quæ hæc d Ps. 50.
subjungit: *Quomodo ipse Dominus secum habebat utique* e Luc. 1.
Spiritum S. in ipso homine, quem gerebat, quando, ut
baptizaretur, venit ad Johannem; & tamen, postquam
baptizatus est, descendere in eum Spiritus S. visus est in
columbæ specie: sic intelligendum est, & ante manifestum
& visibilem adventum Spiritus Sancti QUOSCUNQUE
HOMINES SANCTOS EUM LATENTER HABE-
RE. Quemadmodum verò eundem Spiritum habuisse di-
cebant, ita etiam docebant, eâdem fide justificatos, ejus-
dem Salvatoris sanguine expiatos & salvatos. August.
T. 7. de peccato originali c. XXVI. *A gratiâ mediatoris*
justos excludere conantur antiquos, tanquam Dei & illo-
rum hominum non fuerit mediator homo Christus Jesus;
quia nondum ex utero virginis carne susceptâ homo non-
dum fuit, quando illi justi fuerunt. Quod si ita esset, ne-
quaquam Apostolus diceret f: *Per hominem mors, &* f 1 Cor. 15.
per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam
omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificantur.
Quandoquidem si illi antiqui justi, secundum illorum
vaniloquia sibi sufficiente naturâ, nec mediatore homine
Christo indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo, nec
in eo vivificabuntur, ad cujus corpus & membra, secun-
dum id, quod propter homines homo factus est, non per-
tinere monstrantur. Idem lib. I. contra duas Pelagianor.
epist. cap. XXI. *Quamlibet fuisse virtutis antiquos præ-*
dices justos; non eos salvos fecit, nisi fides mediatoris,
qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Et paullo
pòst: *Hoc vos non vultis, inimici gratiæ Christi, ut eâ-*
dem gratiâ Jesu Christi salvi credantur antiqui: sed distri-
buitis tempora secundùm Pelagium, quasi hominibus duo-
rum superiorum temporum, ante legem scilicet & in lege,
sanguis Christi non fuerit necessarius; evacuantes quod
dictum est g; *Unus enim Deus, unus mediator Dei & ho-* g 1 Tim. 2.
minum homo Christus Jesus. Idem August. lib. II. poster.
contra Jul. c. CLXXXVII. h *Agnoscimus hæresin vestram.* h P. 401.
Definivit enim Pelagius, quod non ex fide incarnationis
Christi antiqui vixerunt justi, quia videlicet nondum in
carne venerat Christus; cùm profectò id futurum non pro-
nunciassent, nisi priores utique credidissent. Sed in hanc
absurditatem cecidistis, dum defenditis, esse potuisse per
naturam legem atque justitiam. Utrumlibet autem si ve-
rum est, ergò Christus gratis mortuus est. Et ibidem cap.
CXCVIII. i *Audes* (hoc) *dicere, cum dicat Apostolo-* i P. 409.
lus k, *Si per legem justitia, ergò Christus gratis mortuus* k Gal. 2.
est: cùm dicat Apostolus l, *quia in lege nemo justifi-* l Gal. 3.
catur: cùm dicat Apostolus m, *Lex subintravit ut abun-* m Rom. 3.
daret delictum: cùm dicat Apostolus n, *Si data esset* n Gal. 3.
lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia:
sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex
fide Jesu Christi daretur credentibus. Vide & Augusti-
num lib. IV. contra duas Pelag. epist. c. V. imprimis lib.
de Naturâ & gratiâ cap. XLIV. & epist. LXXXIX. ad Hila-
rium. item Hypognosticôn scriptorem, lib. III. ubi de
fide disserit antiquorum. Eademque Prosperi mens lib.
de promissionibus & prædictionibus part. II. cap. VI:

 Pela-

Pelagiani omni ex parte lepra maculâ turpantur, dum capiti & corpori nebulas suas perversa doctrina infundere contendunt. Capiti, quod Deus ante peccatum mortalem hominem fecerit. Corpori, quod gratia Dei necessaria non sit, quod Christus gratis mortuus sit. Primasius quoque in cap. II. ad Gal. *Si lex*, inquit, *poterat justificare, superflue Christus mortuus est. Erubescant, qui dicunt,* QUOD LEX AD REGNUM MISERIT. Et in cap. III: *Hoc audientes conticescant qui delirant, quod lex quemquam per se ad regnum cælorum transmiserit.* Imò idem eandem blasphemiam consequi inde ait, quòd negent peccatum originale. Sic enim scribit in cap. V. ad Rom. *Vix enim pro justo quis moritur. Hoc*, inquit, *contra Pelagium facit, qui negat originale peccatum: quod si hominem non obligasset, mors Christi non fuisset necessaria.* Nempe eo respexit Primasius, quòd nisi per primum peccatum vires amisissemus ad faciendum bonum, exactè legem præstare possemus, atque ita sine Christi redemtione salvari potuissemus.

Quodsi, ex Catholicorum sententiâ, ante Christi adventum servabatur nemo obtemperando legi naturæ vel Mosaicæ: multo minùs iidem putarunt, Evangelii tempore per hanc, vel illam salvari quemquam. Augustinus lib. de Nat. & Grat. cap. II: *Sed dico*, inquit, *Nunquid non audierunt? In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique usque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipsa perveniat, quoniam non desunt adhuc ultimæ gentes, licet, ut perhibetur, paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum; quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audivit hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum, qui fecit cælum & terram, à quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nullâ fide passionis Christi & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus, Ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum, quanto justius dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum? Si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est: si autem non gratis mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab irâ Dei justissimâ, hoc est, vindictâ, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Et cap. VII: *Evacuatur crux Christi, si aliquo modo præter illius sacramentum ad justitiam vitamque æternam perveniri posse dicatur.*

Sed neque si ad notitiam legis naturalis vel Mosaicæ accederent sanctorum exempla, hæc sufficere illis credebant ad justificationem sui consequendam. August. lib.
a P. 351. II. post. comm. cont. Iul. cap. CXLVI a: *Antiquos sine gratiâ ejus fuisse dicitis justos, eo quod non habuerint ejus exemplum. Quid si ergo & post incarnationem Christi, nondum audito Evangelio, proposuerint sibi aliqui homines superiorum exempla justorum, justeque vixerint, quid agitis? ubi vos videtis? Itane verò isti virtutis præmia non merentur? Si ergò ex justorum imitatione justitia; Christus gratis mortuus est, quia fuerunt justi & ante ipsum, quos imitari possent, qui justi esse voluissent.*

Nec tantùm negabant Catholici, posse ullum salvari vel per se obtemperando legi naturæ, vel sanctos imitando; sed illud etiam in Pelagianis culpabant, quòd cùm virtutes gentilium veras, operaque eorum bona esse contenderent; naturæ tamen & propriæ industriæ tribuere ea mallent, quàm ut Dei esse dona faterentur. Augustinus lib. IV. contra Iul. cap. III: *Quanto satius, si te impios ita laudare delectat, ut etiam virtutibus veris eos prædices abundare: quanto, inquam, satius hæc ipsa in eis dona Dei esse fateris: sub cujus occulto judicio, nec injusto, alii fatui, alii tardissimi ingenii, & ad intelligendum quodammodo plumbei, alii obliviosi, alii acuti, memoresve nascuntur, alii utroque munere præditi &c.* Et mox: *Quanto ergò tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius quàm eorum tribueres tantummodo voluntati: licet ipsi hoc nesciant, donec, si ex illo sunt prædestinatorum numero, accipiant spiritum, qui ex Deo est, ut sciant, quæ à Deo donata sunt eis.* Interea neutiquam concedebat Augustinus, gentilium opera bona esse, aut virtutes earum veras esse virtutes. Unde continuò subjicit: *Sed absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus: absit autem, ut sit justus vere, nisi vivat ex fide. justus enim ex fide vivit. Quis porrò eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum? sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus; quorum me nominibus, tanquam in antiquâ Romanâ curiâ loqueremur, putasti esse terrendum.* Et post pauca: *Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt. Quomodo est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuemus, nihil erit caussa, cur eos non ad illud regnum pervenire dicamus, de quo scriptum est* a, *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum.* a Sap. 6. Et mox: *Christus gratis mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad justitiam veram, ad sapientiam veram, quâcunque re aliâ, quâcunque ratione perveniunt. Prorsus, sicut de lege verissime ait Apostolus, si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est: si per doctrinas hominum qualiscunque justitia, ergò Christus gratis mortuus est.* Cùm verò diceret Iulianus, se gentilium quidem opera bona dicere, sed steriliter bona, quia non fierent propter æternum bonum: respondit Augustinus, hæc duo esse ἀσύστατα. *Tibi*, inquit b, *virtutes sine* b Col. 1033. *fide sic placent, ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines: & rursus, quasi te pœnituerit laudis earum, steriles pronuntiare non dubites.* Et aliquanto antè c: *Dici non potest, quantum te fallat ista opinio, quâ* c Col. 1032. *dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus. Fieri autem non potest, ut steriliter boni simus: sed boni non sumus, quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excindat & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.* Et post multa d: *Dicantur secundùm te* d Col. 1038. *hujusmodi voluntates arbores bonæ: sufficit quòd apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ.* Ex quibus satis liquet, Augustinum omnia metiri beatitudine æternâ, nec pro bono habere, quod non eò perducit. Quod clarè ibidem e testatur his verbis: *Scito, nos illud bonum ho-* e Col. 1038. *minum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Talia verò non sunt opera gentilium, quia bona quæ faciunt non faciunt benè. Unde Augustinus ibidem scribit f: *Quæro abs te, utrùm hæc opera bo-* f Col. 1036. *na bene faciat, an male. Si enim quamvis bona, malè tamen facit; negare non potes, eum peccare, qui malè quodlibet facit.* Et Fulgentius lib. I. de verit. prædest. g. *Ab* g Col. 82. *ipso nobis tribuitur, ut velimus; à quo nisi voluntas hominis mutetur, ut bona sit, aut semper appetit malum, aut nunquam bene appetit bonum. Ac sic dum in rebus bonis rectum ordinem non tenet, Deo vero & bono nullatenus placet.* Sed hæc manifestiora fient ex tertiâ hujus libri parte, quam DE VIRTUTIBUS GENTILIUM scripsimus & inscripsimus. Nunc synodicam autoritatem allegare erimus contenti.

ἘΠΙ'ΚΡΙΣΙΣ X.

Etiam Arausicana Synodus II. necessitatem gratiæ agnoscit ad quosvis actus pietatis. Eadem statuit,

anti-

antiquos, qui justitiâ claruerunt, antequam Christus veniret in carnem, non per naturam, sed gratiâ Christi esse salvatos. Etiam maximam in laudatissimis gentilium operibus imperfectionem agnoscit, cùm illa ex caritate Dei, aut propter Deum fieri negat.

NEcessitatem gratiæ ad omnes pietatis actus statuit Concilium Arausicanum II. can. IX. *Divini*, inquit, *est muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros ab injustitiâ detinemus.* Et can. XX: *Multa bona fiunt in homine, quæ non facit homo; nulla autem bona facit homo, quæ non præstet Deus, ut faciat homo.* Et can. XXII: *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.* Quid de infidelium operibus Synodus hæc decreverit, ostendit can. XVII: *Fortitudinem gentilium, mundana cupiditas; fortitudinem Christianorum, Dei caritas facit.* Et can. ult. *Nullus operari* PROPTER DEUM *quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina præveniat.* Ejusdem Synodi judicium de fide & virtutibus justorum, qui sub naturæ lege vixerunt, cognoscimus ex his, quæ continuò sequuntur: *Unde Abel justo, & Noe, & Abraham, & Isaac, & Iacob, & omni antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei, credimus fuisse collatam.* Quod ipsum postea asserit de fide latronis in cruce, Zachæi publicanorum principis, & Cornelii centurionis. Minimè verò salvari quemquam posse per Legem naturæ, sancitur ejusdem Concilii can. XXI. quem integrum apponemus. *Sicut eis, qui volentes in Lege justificari, à gratiâ exciderunt, verissimè dicit Apostolus, Si in Lege justitia, ergò Christus gratis mortuus est: sic eis, qui gratiam, quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur, Si per naturam justitia est, ergò gratis Christus mortuus est. Iam his enim erat Lex, & non justificabat: ideo Christus non gratis mortuus est: ut & Lex per illum impleretur, qui dixit, Non veni solvere Legem, sed implere: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, venisse se quærere & salvare, quod perierat.* In cunctis Conciliorum editionibus, etiam Carranzæ & Ioverii epitomis, desideratur periodi prioris ἀπόδοσις, hoc est verba illa, *sic eis, qui* &c. usque ad *Iam his enim* &c. Quem hiatum sic expleri debere, tum sententia ostendit, tum MS. codex Tilii episcopi, ubi sic legi in variis lectionibus monuit Fronto Ducæus: tum Augustinus lib. de gratiâ & lib. arbitr. cap. XIII. unde hic canon ad verbum est descriptus: tum Gennadius Massiliensis de Ecclesiast. dogma. cap. XLIV. quo in libello, uti Concilii Carthaginensis III. ita Arausicani II. canones propè omnes iisdem verbis legere est.

THESIS XI.

Quam hactenus Pelagii fuisse sententiam diximus, de necessitate auxilii divini, quatenus est supernaturale: eam Julianus quoque secutus fuit: nisi quòd ille interdum sic loquebatur, quasi non simpliciter negaret auxilii ejusce necessitatem, sed tantùm ad inchoandum opus bonum. Aiebat enim, Deum semper nos adjuvare in opere bono, sed priusquam adjuvare dignetur, exspectare ab homine studium & imperfectam boni cupiditatem; quæ sententia, ut à Massiliensium opinione differat, libro proximo dicemus.

NOn Pelagius solùm, sed Julianus etiam putabat, gratiam dari, non ut possimus, sed ut faciliùs possimus. Quod inde colligit Beda, quia libro De amore doceat, *Sancti Spiritus auxilio, non ita juvari animum, quomodo flamma vel fax, cùm accenditur, caliginosam juvat domum, quam illustrat; sed ita potiùs, quomodo ardentem sive lucentem ventus juvat ignem, ut ampliùs clarescat: qui quidem, & sine afflatu venti, accendi atque ardere, ac magnam consumere sylvam poterat: sed tamen vento impellente, magis magisque se immiscet.* Verba Iuliani, ex quibus hoc colligit Beda, adduximus supra; cùm Pelagianam, de viribus hominis ad diligendum Deum, sententiam tractaremus. Interdum tamen ita loquebatur Iulianus, quasi non negaret simpliciter necessitatem auxilii supernaturalis, sed ejus duntaxat, per quod possit homo tentare atque aggredi aliquid præclari. Dicebat enim, Deum exspectare humanas voluntates, & quoties hominem videret suopte studio ferri ad bonum, egregio isti conatui succurrere, eumque in opere bono adjuvare: cæterùm desides & torpescentes non respicere, quia studium virtutis non immittat invito. Augustinus lib. II. contra Pelag. duas epist. cap. VIII. *Isti* (Iulianus & asseclæ) *volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur,* SI TAMEN *hoc saltem volunt. Pelagius enim* FACILIUS *dicit impleri quod bonum est, si adjuvet gratia. Quo additamento significat, hoc se sapere, quod, etiamsi gratia defuerit adjutorium, potest, quamvis difficilius, implere bonum per liberum arbitrium.* Ubi inter Pelagium & Iulianum discrimen videmus. Idem Augustinus eopse cap. *Hoc nobis objiciendum putant, quod invito & reluctanti homini Deum dicamus inspirare, non quanticunque boni, sed & ipsius imperfecti cupiditatem.* FORTASSE *ergò ipsi, eo modo saltem servant donum gratiæ, ut sine illâ putent hominem posse habere boni, sed imperfecti, cupiditatem: perfecti autem* NON FACILIUS POSSE, SED NISI PER ILLAM OMNINO NON POSSE. Sed quia hisce in locis dubitanter loqui videtur Augustinus, addam etiam alium Augustini locum è cap. V. & VI: HÆC VERBA SUNT VESTRA. *Baptisma omnibus necessarium esse ætatibus, confitemur; gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.* Et cap. IX: DICUNT, *se confiteri, gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere. Hoc quippe ita dicunt, velut homo à se ipso, sine adjutorio Dei, habeat propositum bonum, studiumque virtutis.* Item contra Iulianum, lib. quarto cap. III a: *Cum ergo divinitus adjuvatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adjuvatur,* QUOD IPSE POSUISTI; *utique volens intelligi, eum per se incipere sine gratiâ, quod perficit gratia: sed potiùs, quod Apostolus loquitur, ut qui in vobis opus bonum cœpit, perficiat usque in finem. In quo enim* VIS *hominem* (SICUT LOQUERIS) *ad aliquid laudabile, generosi cordis stimulis incitari: in hoc eum vis, non in Domino, sed in libero arbitrio gloriari: ac sic priorem dare, ut retribuatur illi.* a Col. 1024
Etiam Augustinus contra duas Pelagii epistolas lib. I. cap. XVIII. & XIX. adducit illa Juliani verba, ex epist. ad Zosimum: *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentiâ, vel in malum, vel in bonum invitum aliquem cogi, sed propriâ voluntate, aut bonum facere, aut malum. In bono verò opere à Dei gratia semper adjuvari, in malum verò diaboli suggestionibus incitari.* Ubi eum cooperantis, at non prævenientis gratiæ meminisse, ait Augustinus. Sic enim scribit: DIXISTI, *in bono opere à Dei gratiâ semper adjuvari, tanquam suâ voluntate, nullâ Dei gratia, bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur; pro meritis videlicet voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non indebita, ac sic gratia non sit gratia.* Ex quo loco simul discimus, ut per prævenientem gratiam, merita naturæ excludantur. Nempe si prævenimur à Deo, non meremur gratiam consequentem: sin per naturæ vires meremur gratiam consequentem, jam non prævenimur gratiâ. Quam rem paullò pòst pleniùs explicabimus.

ANTITHESIS XI.

Catholicorum contrà sententia erat, Deum quidem exspectare hominis voluntatem, sed tunc demum, postquam is vocatione divinâ est præparatus, atque, ut Scholastici id exprimunt, constitutus in actu primo sufficiente ad bene operandum: absque quo auxilio negabant hominem boni quicquam aggredi posse: eoque non solùm dicebant, à Deo esse boni operis consummationem, quod Julianus quoque fatebatur, sed ipsum initium, quod ille negabat.

a Col. 1339.

AUgustinus lib. IV. contra Iulianum cap. VIII. a CALUMNIARIS, *mediocre, nihil studii exspectari ab humanâ voluntate debere, contra illud Evangelicum, Petite, & accipietis, quærite, & invenietis.* Nempe, ut idem cap. VI. dixerat: *Gratia præcessit, & cor tetigit, ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulsaretur ad Deum.* Ac probat hoc inde, quia non frustra scriptum, *Misericordia ejus præveniet me.* Fatebantur quidem Catholici, hominem se præparare ad regenerationem: sed præparationem eam fieri aiebant virtute Spiritus Sancti. Idem August. lib. II. contra duas Pelag. epist. cap. VIII: *Absit, ut filii promissionis cum audiverint Dominum dicentem, Sine me nihil potestis facere; quasi convincant eum dicentes; Ecce sine te possumus cor præparare: aut cum audierint à Paulo Apostolo; Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; tanquam & ipsum convincant dicentes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare.* Et paullo post: *Ideo quippe scriptum est, Hominis est, præparare cor, & à Domino responsio linguæ; quia homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor. Homo præparat cor; in responsione autem linguæ, id est in eo quod præparato cordi lingua divina respondet, nihil operis habet homo, sed totum est à Domino Deo. Nam sicut dictum est, Hominis est aperire cor, & à Domino responsio linguæ: ita etiam dictum est, Aperi os, & adimplebo illud.* August. contra duas Pelag. epist. lib. IV. cap. VI. sic sententiam hanc refutat: *Quomodo est hominis bonum propositum sine miserante prius Domino, cum ipsa sit bona voluntas, quæ præparatur à Deo?* Et mox: *Reluctantis primò aditus divinæ vocationis ipsâ Dei gratiâ procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante spiritus virtutis accenditur. Veruntamen in omnibus, quæ quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum.*

ΈΠΙ΄ΚΡΙΣΙΣ XI.

Utrumque hoc etiam synodo Arausicanâ II. est constitutum, non exspectare à Deo voluntatem hominis, quasi à se aliquid possit boni: nec demum adjuvari in opere bono, quasi per se inchoare illud possit: sed hominis voluntatem à Deo præparari, eique ut velit bonum inspirari.

COncil. Arausf. II. c. IV: *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit; non autem, ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem & operationem, in nobis fieri confitetur: resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino; & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui in nobis operatur & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Et can. ult. *Hoc etiam salubriter profitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum (cum ipsius adjutorio) ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus.*

THESIS XII.

Vidimus Pelagii & Juliani sententiam de auxilio divino, quatenus est supernaturale. Nunc de eo agamus, quà gratuitum est: in quo non minùs peccatum ab iis fuit. Aliquid quidem in eo discriminis fuisse videtur, quod Pelagius putaret, auxilium divinum præstare, ut homo faciliùs possit; Julianus verò aliquam agnosceret gratiam esse necessariam: attamen in hoc uterque convênit, quod naturæ opera sint priora gratiâ, perque illa hanc promereamur. Catholicis verò anathema dicentibus sententiæ illi, quâ gratia secundum merita hominis dicitur conferri, etiam Pelagius hoc damnavit: sed per gratiam intelligebat partim gratiam naturalem, quæ omne meritum antecedit; partim remissionem peccatorum, quam gratuitam esse fatebatur, quia peccatorum quidem sunt merita, sed mala. At spiritualem gratiam, quâ adjuvamur in operibus bonis, promereri nos dicebat per opera solius naturæ viribus præstita, saltem per desiderium & imperfectam cupiditatem boni. Quæ & Cœlestii, atque adeo Juliani etiam sententia fuit.

VErba sunt Juliani libro de Amore a: *Cùm igitur sapiens animus, qui voluptatem subjicit dignitati amoris, & incitat & ordinat appetitum, nunquam fines transit officii, sed ad eam magnitudinem atque pulchritudinem studiis procedit ac* MERITIS, *ut generosum ejus ignem gratiâ sancti Spiritus incipiat ventilare: tunc fit illa caritas, quæ non propinquos solum aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conatur amplecti.* Quæ verba cùm citâsset Beda præfat. in Cantica, hæc deinde subjungit. *In quâ unâ sententiâ, quot & quanta sint blasphemia, facilè Catholicus lector animadvertet. Patet enim, quid humanæ arbitrio libertatis, quid* b *tribuat gratiæ spirituali: quia animum hominis per se sapientem fieri, per se dignitatem sancti & generosi amoris habere, per se huic amori voluptatem subjicere carnis, per sese & incitare ad virtutes, & ordinare appetitum posse testatur: in tantum, ut nunquam fines transeat officii illius, quo idem amor excolentibus* c *est. Qui ipsum animum suis studiis ac meritis, ad eam magnitudinem & pulchritudinem procedere dicit, ut sancti Spiritus sit dignus auxilio; cujus videlicet Spiritus adventu non ita ait juvari animum, quomodo flamma vel fax, cùm accenditur, caliginosam juvat domum, quam illustrat: sed ita potius quomodo ardentem, sive lucentem ventus juvat ignem, ut ampliùs clarescat: qui quidem & sine afflatu venti accendi atque ardere, ac magnam consumere sylvam poterat: sed tamen vento impellente magis magisque flammescit. Hoc enim significat dicendo, ut generosum ejus ignem gratia sancti Spiritus incipiat ventilare. Tanta animi bona præmiserat, & post omnia hæc incipere in ea gratiam sancti Spiritus dicit, quasi supervenientem auxiliatricem, & non prævenientem inspiratricem atque autorem in nobis studiorum meritorumque bonorum.* Significat Beda, Julianum quidem agnovisse utilitatem gratiæ subsequentis, at non necessitatem ejus, prævenientem verò simpliciter negasse. Omnino enim credidisse, hominem per generosum virtutis amorem dignum reddi gratiâ Dei, perque eum Spiritus sancti auxilium promereri. Quod de eo etiam testatur Augustinus lib. IV. contra Jul. cap. III. *Studium sanctitatis sine adjutorio Dei vultis in hominis voluntate præcedere: quod merito debeat Deus adjuvare, non gratis.* Idem Augustinus ibidem lib. IV. cap. VIII. *Iot enim vos, ut video, ponere* JAM COEPISTIS *merita, gratiam præcedentia; quod est petere, quærere, pulsare: ut iis meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur, tamquam gratia nulla præcesserit.* Ad Iulianum scribit, atque ait, JAM COEPISSE eum sic loqui: quod argumento est, longiùs antea Pelagianos à Catholicis abfuisse.

a Apud Bedam præfat. in Cantica.

b Sic leg. non qui.

c Leg. excolendus.

a Col. 1041. fuisse. Hypognosticôn scriptor lib. III. *a Dicere consuevistis*, QUIA PRIOR *volui*, *Deus voluit*. Tangit etiam hanc controversiam Augustinus epist. CVII. ad Vitalem: *Recognoscis, me, ut puto, in iis, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse, sed ea tantum, quæ ad istam, quæ inter nos agitur de Dei gratiâ quæstionem, utrùm præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem: hoc est, ut planius id eloquar, utrum* IDEO *nobis detur*, QUIA VOLUI: *an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, ut velim.* Imò nec à merendi verbo abhorrebat Pelagius. Nam libro pro libero arbitrio ait: *Qui bene utitur arbitrii libertate, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere, Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus: ponitque cor suum in manu Dei, ut illuc quo voluerit Deus, ipse declinet. Hoc autem tam magnum adjutorium tunc meremur, cùm sine ullo adjutorio, non nisi de arbitrii libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatemque nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter unus cum illo efficimur spiritus.* Mereri verò non simpliciter pro consequi: sed propriè accipitur, quia Pelagio mereri illud dicitur, cujus intuitu aliquid à Deo confertur. Dicebat enim, QUIA NOS volumus, ideo Deum velle. Clarum etiam similiter, hoc verbum usurpare Cœlestium: cùm cap. XIII. Definit. ait: *Quoniam pœnitentibus venia non datur, secundùm gratiam & misericordiam Dei: sed secundum merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.* Citat Augustinus epist. CVI. ad Paullinum; & cap. XVIII. libri De gestis Palæstinis. Nec solùm de remissione peccatorum sic sensit: sed universè de omni gratiâ. Nam cap. III. ait: *Dei gratiam secundum merita nostra dari, quasi* (l. quia) *si peccatoribus illam det, videatur iniquus.* Unde mox infert: *Propterea & ipsa gratia in meâ voluntate posita est, sive dignus fierem, sive indignus.* Quæ verba habes eo ipse Augustini libro cap. XIV. Ibidem legere est, ut hoc dogma Pelagius ipse, in Synodo Palæstinâ, damnarit. Nempe damnavit, non quia damnandum putavit, sed quò impunitus exiret: ut ait Augustinus epist. ad Sixtum, atque alibi passim. Hoc inde etiam patet, quia cùm Pelagio objiceretur, quòd Cœlestius Definit. cap. V. scripsisset: *Unumquemque hominem omnes virtutes posse habere & gratias*, respondit in hunc modum: *Dictum est à nobis; sed malignè & imperitè reprehenderunt. Non enim auferimus gratiarum diversitatem, sed dicimus, donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere omnes gratias, sicut Paulo Apostolo donavit.* Quod Synodus Palæstina approbavit. Verùm Augustinus, non tam Pelagio de Paulo, quàm Paulo de se credere volens (Apostolatu enim se indignum ait: quia Ecclesiam Dei sit persecutus) verba istæc improbavit. Audiamus ipsum cap. XIV. De gestis Palæstinis: *Quid est ergò, unde me de hoc capitulo sollicitum factum esse prædixi? Hoc videlicet, quod ait Pelagius, donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere omnes gratias, sicut Apostolo Paulo donavit.* Et cap. XVII. *Objectum est* (Pelagio) *dixisse Cœlestium, Dei gratiam secundum merita nostra dari. Si ergò veraciter hoc Pelagius anathematizavit, quid est quod dicit, gratias omnes Apostolo secundùm meritum datas? an aliud est, dignum esse accipere, aliud, secundùm meritum accipere? & potest aliquâ subtilitate disputationis ostendere, dignum esse aliquem, sed non meritis?* Postea subjicit Augustinus, tectam fore sententiam, si pro DIGNUS subjiciatur PRÆDESTINATUS, vel aliquid hujusmodi. Propter hæc, aliaque istiusmodi, Augustinus hæresi LXXXVIII. Pelagianorum septimum & ultimum errorem esse dicit, quòd *gratiam Dei, quâ liberamur ab impietate, dicunt secundum merita nostra dari.* Et idem lib. De gratiâ Christi cap. XXVII. *Quamlibet sentiat gratiam, ipsis Christianis secundùm merita dari dicit.* Et inferiùs: *Manifestum est, eum dicere, gratiam secundùm merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet significet, quam tamen apertè non exprimit.* Item lib. De gratiâ & lib. arbitr. cap. XIV. *Dicunt, etsi gratia non datur secundùm merita bonorum, quia per ipsam benè operamur; tamen secundum merita bona voluntatis datur. quia* BONA VOLUNTAS, *inquiunt*, PRÆCEDIT ORANTIS, *quam præcessit voluntas credentis: ut secundùm hæc merita, gratia sequatur exaudientis Dei.* Prosper in Chron. ad annum CCCCXIV: *Hac tempestate Pelagius Brito dogma nominis sui, contra gratiam Christi, exserit, prædicans, unumquemque ad justitiam voluntate propriâ regi, tantumque accipere gratiæ, quantum meruerit.* Idem initio epist. ad Rufinum: *Ex Pelagianæ hæreseos venenis una est blasphemia, nequissimum & subtilissimum germen aliarum, quâ dicunt, Gratiam Dei secundùm merita hominum dari.* Et Carm. de Ingratis cap. I. ubi commemorat:

Dogma quod antiqui satiatum felle draconis
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus:

inter alia sensisse ait:

—— quemque mereri
Libertate suâ, ut capiat promissa vocantis;
Quæ sint aversis indebita, debita rectis.

Et cap. IX:

—— ipsum dixisse magistrum,
Quòd meritis hominum tribuatur gratia Christi,
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.

Idem asserit Cyrillus Alexandrinus in actis Synodi Ephesinæ, & ex his Photius, bibliothecæ suæ cap. LIV: Οἱ Κελεστιανοὶ ἀποφθέγγονται, ὅτιπερ οὐχὶ ὁ Θεός, τουτέστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τήν τε πίστιν αὐτοῖς, καὶ πάντα τὰ πρὸς ζωὴν, καὶ εὐσέβειαν, καὶ σωτηρίαν διαιρεῖ ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται· ἀλλ' ὅτιπερ ἡ κατασκευασμένη τῆς ἀνθρώπου φύσις, ἡ διὰ τὴν παράβασιν, καὶ τὴν ἁμαρτίαν τῆς μὲν μακαριότητος ἐκπεσοῦσα, καὶ τοῦ Θεοῦ χωρισθεῖσα, τῷ δὲ θανάτῳ παραδοθεῖσα, αὕτη κατὰ τὴν τῆς προαιρέσεως ἀξίαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ προσκαλεῖται καὶ ἀπωθεῖται. *Cœlestiani petulanter ista jactant, Non Deum ipsum, id est, Spiritum sanctum fidem ipsis omniaque ad vitam, pietatem & salutem necessaria, privatim dividere unicuique prout velit, sed constitutam hominis naturam (quæ per transgressionem & peccatum beatitudine excidit, atque à Deo separata morti tradita est) pro merito voluntatis, uniuscujusque Spiritum sanctum & advocare & repellere.* Ac continuò Cyrillus, & ex eo Photius subjungunt, Nestorianos hac parte Pelagianorum sententiam sequi, quòd dicant, οἰκείᾳ προαιρέσει ἕκαστον τὸ ἑαυτοῦ πταῖσμα ἐπανορθώσασθαι, καὶ ἄξιον ἑαυτὸν αὐτοῦ ποιεῖν. *unumquemque per arbitrii sui libertatem, proprium peccatum corrigere, & Deo dignum se facere.* Idem de iis refert Leo Magnus epist. LXXXVI. *a* quæ ad Nicetam Aquileiensem. & Gelasius epist. VII. quæ missa ad omnes Piceni episcopos. Omnium verò apertissimè hoc explicat Thomas Bravardinus lib. I. de caussâ Dei, cap. XLIII. *Quidam Pelagianorum affirmant, gratiam præcedere naturaliter justificationem: quidam verò contrà. Primi ponunt peccatorem primò naturaliter pœnitere: secundò per hoc recipere gratiam: & tertiò per hanc justificari. Alii autem è contra dicunt, peccatorem primò naturaliter pœnitere, secundò per hoc justificari, & sic tertiò recipere gratiam. Et isti adhuc ulterius bifariè dividuntur. Aliqui namque putant, quòd solus peccator per contritionem peccatum suum expurget, & sic justificet semetipsum. Alii verò existimant, quòd Deus hoc facit, propter meritum tamen contritionis temporaliter & naturaliter antecedens. Est ergò opinio Pelagianorum generaliter tantum una: specialiter autem trina.* a Al. 84.

Cæterùm cùm Patres urgerent gratiam, quæ gratis daretur, eoque merita omnia præveniret: hanc quoque confiteri visi sunt: sed intellexere per eam, gratiam naturalem. Unde Augustinus epist. CV: *Gratiam illam, quam volebat* (Pelagius) *sine ullis præcedentibus meritis dari, esse humanam naturam, in quâ conditi sumus: neque enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus, ut essemus.* Nec gratiam aliam intellexit, cùm in Synodo Palæstinâ sub-

subdolè eos damnaret, qui dicerent, gratiam secundùm merita conferri. Quâ de re mox pluribus dicemus. Alia etiam, ut ingeniosa erat hæc hæresis ad ulcus dogmatis sui διϐαίφω velandum, κρυψφύγετα duo repererunt. Nam quamquam Cœlestius scripsisset *a*, *pœnitentibus veniam non dari, secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum merita & laborem eorum, qui per pœnitudinem digni fuerunt misericordiâ:* postea tamen agnovere Pelagiani, gratiam gratis conferri, sed illam intellexerunt, quâ remittuntur peccata; non eam, quæ facit ne peccemus. Augustinus lib. De gratiâ & lib. arbitr. cap. VI. *Dicunt Pelagiani, hanc esse* SOLAM, *non secundum merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur: illam verò, quæ datur in finem, id est, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi.* Tandem eò usque deventum, ut etiam faterentur, gratiam, quæ efficit ne peccemus, conferri nobis absque merito bonorum operum: sed hic quoque in herbâ anguis latebat, quia cùm disertim opera nominarent, significabant, se excludere nolle meritum fidei, & bonæ voluntatis. Augustinus ejusdem libri cap. XIV: *Cum fuerint convicti, quia neque scientia divinæ Legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur: sed ipsa facit, ut Lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur: cum ergò in his fuerint convicti, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim, etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam benè operamur, tamen secundum merita bonæ voluntatis datur, quia bona voluntas præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita sequatur gratia exaudientis Dei.* Atque hic etiam Julianus stitit, nec ad Catholicos unquam propiùs accessit.

x Apud Augustinum epist. 106. ad Paulinum. & lib. de gestis Palæst. cap. 18.

ANTITHESIS XII.

Sinceri verò & integri gratiæ patroni contendebant, non eo gratiam conferri, quia benè quis voluerit, sed eò voluisse benè, quia Deus gratiâ suâ eum prævenerit, inque eo excitarit cupiditatem boni: alioquin enim priores fore partes liberi arbitrii, posteriores Dei: nec gratiam sic fore gratiam, quia non dabitur gratis, sed propter meritum hominis: quæ doctrina adeo est damnabilis, ut in synodo Palæstinâ eam se damnare Pelagius simulârit, ne ipse damnaretur.

HYpognosticôn scriptor lib. III. *Quodsi dicas,* UT DICERE CONSUEVISTIS, QUIA *prior volui, Deus voluit: jam meritum facis, ut gratia ex operibus jam non sit gratia, sed merces.* Similiter ante eum argumentatus Augustinus lib. I. contra duas Pelag. epist. cap. II. *Hæc est intentio, quâ* GRATIAM DESTRUERE MOLIUNTUR, *ut eam dari secundùm merita nostra contendant.* Et cap. ult. ejusce libri: *Pelagianis non immerito anathema dicimus, qui tam sunt inimici gratiæ, quæ venit per Jesum Christum, Dominum nostrum, ut eam dicant non gratis, sed secundùm merita nostra dari, ac sic non sit gratia: tantumque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, ut eo benè utendo dicant hominem mereri gratiam, cùm benè illo uti non possit, nisi per gratiam, quæ non secundùm debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur.* Similiter idem lib. IV. contra duas Pelag. epist. cap. VI. *Quid eis* (Pelagianis) *prodest, quòd in laude ipsius liberi arbitrii gratiam dicunt adjuvare uniuscujusque bonum propositum? Hoc sine scrupulo acciperetur catholicè dictum, si non in bono proposito meritum ponerent, cui merito jam merces secundùm debitum, non secundùm gratiam redderetur: sed intelligerent & confiterentur, etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adjuvat gratia, non esse potuisse in homine, si non præcederet gratia.* Et de gestis Palæstinis cap. XIV. *Ipsum gratiæ nomen, & ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam qui dignus est accipit.* Et paullo pòst: *Quisquis ergò dignus est, debitum est ei: si autem debitum est, gratia non est: gratia quippe donatur, debitum redditur. Gratia ergò donatur indignis, ut reddatur debitum dignis.* Idem T. x. de verbis Domini serm. LXI. *Ideo gratia, quia gratis datur: ideo gratis datur, quia non quasi merces redditur post discussionem meritorum, sed donum datur post delictorum veniam.* Cujusmodi testimoniis simul comprobatur, mereri nihil aliud esse antiquis, quàm mercedis loco consequi à Deo, eoque cùm merita naturæ damnant Patres, ἁπλῶς eo nomine intelligi, quicquid istiusmodi est, ut ejus intuitu donetur. Quamquam igitur per fidem & invocationem Dei adipiscamur charismata spiritualia, non tamen natura hic quod se jactet habet, quoniam cum utraque ex gratiæ viribus emânet, nulla naturæ merita veniunt in censum. Unde Pater ille toties nobis ad partes advocatus, & advocandus porrò, epist. CV. ad Sixtum: *Ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiam ad vincendas temporalium rerum cupiditates, & diligenda bona æterna, atque ipsum fontem omnium bonorum, Domini adjutorium datur oranti. Fides erat, quæ data est non oranti: quæ utique nisi data esset, orare non posset. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* Idem lib. de gestis Palæst. cap. XIV: *Quamvis bene operandi gratiam fides impetret, ipsam certe fidem ut haberemus, nullâ fide meruimus: sed in eâ nobis dandâ, in quâ Dominum sequeremur, misericordia ejus prævenit nos.* Scriptor Hypognosticôn lib. III. idem adstruit: inter alia inquit, *Audi & crede, Pelagiane, secundum donum gratiæ unumquemque fidelem esse, & non secundum meritum propriæ voluntatis.* Idem lib. IV. contra duas Pelag. epist. cap. V: *Non audistis, Faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremò faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus; sed ille facit, ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus. Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia ejus præveniens nos. Quid merentur deserta & exterminata, quæ tamen ædificabuntur & operabuntur & munientur? Nunquid hæc pro meritis desertionis, exterminationis, effusionis suæ? Absit. Ista enim merita mala sunt, hæc munera bona.*

Nec adversus ista obduci Patres æquum est, qui opera ex caritate profecta meritorum nomine subinde appellant. Nam laxè ea sic vocant, quia promissionem habeant vitæ æternæ, quam opera ex naturæ bono orta non habent; quemadmodum nec habent ipsius promissionem gratiæ: quam cùm *dari secundùm merita* negant, illud negant, *dari intuitu alicujus naturalis virtutis*: ut rectè etiam fatetur Bellarminus lib. VI. de gratiâ & lib. arbitr. cap. V. Huic August. epist. CV. ad Sixtum: *Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam? Cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia: & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quàm merita sua.* Et Serm. XV. de Verb. Apost. *Non putes, te promerendo accepisse, qui non promereres nisi accepisses. Gratia præcessit meritum tuum. Non gratia ex merito, sed meritum ex gratiâ. Nam si gratia ex merito; emisti, non accepisti.* Et lib. de patientia c. XX. *Si ut vera sit gratia, id est gratuita, nihil inveniat in homine, cui merito debeatur: (quod benè intelligitur & in eo quod dictum est, Pro nihilo salvos facies eos) profectò ipsa dat merita, non meritis datur.* Similia habet lib. de gratiâ & lib. arb. c. VI. VIII. IX. XIII. Etiam scriptor lib. I. de vocatione gentium cap. I. ut ostendat, nec arbitrii libertatem, nec gratiam Dei negari debere, hujusmodi vibrat argumentum: *Si tollitur voluntas, ubi ipsa est verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, ubi ipsa est bonorum caussa meritorum?* Imò Cœlestinus quoque epist. ad episc. Gall. c. XII. *Tanta est erga nos benignitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Quæ etiam verba hinc homiliæ scriptor excerpsit, quæ est

de

de Adam & Eva, ac Chrysostomi creditur, cùm Latini sit scriptoris, vel potius exscriptoris, qui non amplius quàm Lucillianum illud elogium meteatur, *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime.*

Ἐπίκρισις XII.

Gratiam non dari secundùm merita, etiam Synodo Palæstinâ & Arausicanâ II. *est constitutam.*

CONcilium Palæstinum definivit, *non secundùm merita nostra gratiam dari, sed ab illâ potiùs originem ducere merita nostra:* ut docet Augustinus epist. CVI. ad Sixtum, item lib. I. contra duas Pelag. epistolas cap. XIX. & lib. II. cap. V. & De gestis Palæstinis cap. XIV. & lib. II.

a P. 376.

contra poster. Iul. resp. cap. CLXV a. Quibus etiam locis narratur, Pelagium ipsum, ne damnaretur, hanc damnasse sententiam. Idem Prosper testatur his verbis adversus Collat. cap. X: *In Orientalium episcoporum judicio, Pelagius eos qui dicunt, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, ut Catholicus posset videri, anathematizare compulsus est.* Vide eundem carm. De ingratis cap. IX. Damnat hoc Pelagii dogma etiam Synodus Arausicana II. cap. XII: *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.* Nam sententia est, non amari nos à Deo, propter virtutes vel opera naturæ viribus facta, sed propter ea, quæ ipse in nobis efficacia Spiritus sui gratis operatur. Item can. XVII: *Spiritus Sanctus datus est nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus.* Et can. XVIII: *Debetur merces operibus, si fiant; & gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Et can. XXV. negatur hominem *operari propter Deum, quod bonum est, posse, nisi gratia eum & misericordia prævenerit.* Et post aliqua: *Ipse nobis,* NULLIS *præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui* PRIUS *inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus.* Episcopi Afri in Sardiniâ exules, in

b Edit. Paris. 1612.

epistola Synodicâ b: *In eo quippe gratuitum in Iacob Dominus ostendit beneficium misericordiæ suæ, in quo eum, non pro meritis futuræ cujusquam bonæ operationis elegit, cui se ipsum, & fidem & bona opera donaturum esse præscivit. Idem est, quòd semini Abrahæ, cujus in Iacob figura præcessit, beatus Apostolus dicit, Gratia salvi facti estis per fidem. Ut ostenderet, fidem non aliquibus bonis meritis dari; sed ipsius fidei dono, omne bonum meritum inchoari, ipsamque donum Dei esse; secutus adjunxit, Et non ex vobis, sed donum Dei est. Ac ne quisquam sibi quorumlibet bonorum operum audeat meritum vendicare, & pro quibuscunque operibus fidem se æstimet accepisse, subjecit, Non ex operibus, ne quis glorietur. Ut autem ostenderet, non solum fidem, sed etiam bona opera divinitus tribui, continuò subdidit, Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu, in operibus bonis. Quæ non solùm à Deo donata, sed ab ipso præparata testatur, dicens, Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Gratiâ itaque Iacob salvus factus est per fidem; gratiâ consecutus est bonorum operum facultatem.* Leo Magnus epist. LXXXIV c. ad Nice-

c In edit. antiquis. sed epist. 86 in ed. Concil. an. 1605.

tam Aquileiensem: *Cum omnes definitiones suas ad subrependi facultatem improbare se simulent atque deponere, hæc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundùm merita dari accipientium sentiatur. Quæ utique nisi gratis detur, non est gratia, sed merces retributioque meritorum, dicente B. Apostolo, Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Omnis itaque bonorum operum donatio divina, præparatio est: nec propria quisquam justificatur virtute, quoniam gratia unicuique principium justitiæ & bonorum fons, atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata.* Sic habent editiones veteres a: sed ad oram in iis annota-

a Colon. Quentelii a. 1538. & an. 1551. & Birckmanni a. 1561. item Parisina Clementis & Pontif. pr. epist. edit. a. 1568.

tur hæc lectio: *Omnis itaque bonorum donatio divina operatio est, quia non prius justificatur quisquam virtute, quam gratia.* Eam lectionem cur in contextum receperit Severinus Binius b, alterâ illâ nec ad oram adnotatâ, odorantur omnes, quibus pituita non est molesta. Sed quamquam vetus lectio magis placet, tamen nec genuinam arbitror. Fuit cùm emendarem: *Omnis itaque bonorum operatio, divina præparatio est.* Nam ex eo, quod dixerat Apostolus, Deum præparasse opera, in quibus ambulemus: colligit Leo, bona, quæ operamur, esse à Deo, qui ea præparavit. Sed potiùs rescribendum, *Omnis itaque bonorum operum devotio, divina præparatio est: nec propriâ quisquam justificatur virtute.* Quod postea reperi in Isidorianâ Con-

b In edit. Concil. a. 1605.

ciliorum farragine, Parisiis edita anno CIↃIↃXXIV, & ad oram editionis ab Ulimmerio ex MSS. codd. correcta anno CIↃIↃLXXV; quam etiam lectionem Parisina nupera c ad

c A. 1614.

marginem libri similiter annotavit. Sanè sententia longè ut optima, ita apertissima est; nec in ullo ab aliis editionibus antiquis recedit, nisi quòd in his pro *devotio*, legitur *donatio*, proclivi sanè errore. Et hoc obiter. Priorum præsulum judicium sequitur etiam Gelasius epist. VII, quæ est ad omnes Piceni episcopos: *Illud autem Pelagianorum peculiare virus est, olimque detritum, quo putant, gratiam secundùm merita hominum posse conferri; quod absit à mentibus Christianis, cum testetur Apostolus, gratiam esse quæ gratis datur: alioqui si ex operibus gratia, jam non est gratia: quia merces redditur; non gratis, unde gratia nomen accepit, impenditur.* Ita enim locus is legi debet. Fusiùs ibidem adversus hoc Pelagii dogma disserit Gelasius. Sed quid aliud quàm servum arbitrium statuit, qui illud jumento comparat; ut facit scriptor Hypognosticon lib. III. ultra medium: *Rectè arbitror liberum arbitrium comparari jumento; unde & dictum est, Velut jumentum factus sum apud te: gratiam verò sessori, quia sicut jumentum, animal vivacissimum, ut dometur ad opus hominis necessarium, de armento vagum apprehenditur, & incipit per curam domantis se ad eius proficere voluntatem: ita & liberum arbitrium, quod vulneratum vivit in homine, gratiâ Dei apprehenditur de armento luxuriæ, in quo sub potestate luxuriæ vagabatur per incongruas voluptates. Postea pluribus hanc similitudinem* persequitur. Verba solùm extrema apponemus: *Homo sedens in jumento, quum peregerit iter quod incessit, dicit, Feci hodie ut puto triginta milliaria; quum, illo sedente, jumentum cucurrit triginta milliaria: sed non ea cucurrisset, nisi à sessore tam directum in viâ quàm gubernatum fuisset. Rectè ergo sessor, quam gratia figurat, dicit, Feci triginta milliaria. Ipse enim fecit, qui jumentum facere fecit: & tamen utrisque labor itineris imputatur. Ita & gratia & liberum arbitrium peragit sine dubio iter fidei liberum &c.*

LIBRI TERTII
PARS TERTIA;
Quæ est de Virtutibus Gentilium.

Adversus ea, quæ de gratiæ ad actus bonos necessitate diximus, objici à Pelagianis solent virtutes, & præclarè facta nationum. Ne igitur in ferendâ de his sententiâ, vel rosam cum anemone conferamus, vel ex cloacâ faciamus arcem, quorum utrumque vetamur proverbio: sedulò considerare oportet, quæ sint boni operis conditiones; & an hæ conveniant illis, propter quæ homines à Christo alieni, monumentis virorum præstantium, perennitatem honesti nominis sunt consecuti.

THESIS I.

Prima boni seu salutaris operis conditio est, ut fiat secundum Legem Dei. Nam Dei mandatum est Ezech. cap. XX. 19. In præceptis MEIS ambulatote. *Bonum igitur esse negamus, non tantùm, quòd disertim prohibetur Lege divinâ: ut furtum, adulterium, aliaque id genus: sed verò etiam cultum divinum, arbitratu humano institutum: quem* ἐθελοθρησκείαν *Apostolus vocat Coloss.* II. 13. *Nam damnat illum Christus Matth.* XV. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. *Vide & Jes.* XXIX. 13. & LXVI. 3. 4.

CUm in actu quocunque duo spectentur, quid fiat, & quomodo fiat; utrumque etiam in operibus pietatis considerari debet. Primùm igitur requiritur, ut in se bonum sit opus. Eoque necesse est, ut conveniat Legi divinæ. Solus enim Deus, utpote sapientissimus & potentissimus, & cui hoc ipsum debeamus, quod sumus, jus habet præscribendi normam cultus sui. A quâ quod aberrat, peccatum est, teste Johanne 1 epist. III. 4. Deinde opus est, ut, quod est in se bonum, fiat SICUT OPORTET: quomodo loquitur Concilium Arausicanum II. can. VI. & XXV. De priori conditione, cùm res plana sit, non est quod plura dicamus. Videamus igitur quæ præstent, ut bonum benè fiat.

THESIS II.

Altera boni operis conditio est, ut fiat ad gloriam Dei; juxta illud Apostoli 1 Cor. X. 13. Omnia ad gloriam Dei facite. *Adi etiam Matth.* V. 16. *Philip.* I. 11. *& 1 Petr.* IV. 11.

COnditio hæc petitur à fine. De quo sic Augustinus lib. IV. contra Julianum cap. IV: *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Et aliquanto antè: *Cum non ad suum referuntur auctorem* (virtutes, quæ sunt) *dona Dei, hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti.* Duobus verò modis referri aliquid ad Dei gloriam dicitur. Primùm, formaliter & explicitè, quando aliquis cogitat cum animo suo, eò hoc sibi agendum esse, quia nomini divino sit gloriosum. Deinde virtualiter & implicitè, cùm quis divinæ studens gloriæ, eoque nihil facere decernens, nisi quod Legi congruat; & ad hoc gratiam Dei quotidie exposcens, boni quippiam facit; de universali fine actu non cogitans; sed solùm particularis finis bonum intendens. Nam talis quoque actio ad gloriam Dei fieri censetur, quia quod honestè agit, hoc provenit ex proposito nihil agendi, nisi quod conscientia voluntati divinæ congruere dictârit. Hujusmodi autem propositum oritur ex voluntate omnem vitam suam ad Dei gloriam componendi. At qui tale propositum planè non habet, is etiam cùm particulare bonum intendit, tamen ad Dei gloriam nec formaliter nec virtualiter agere censetur.

THESIS III.

Quia verò opus bonum ad Dei gloriam fieri debet, eò requiritur, ut caritate illius fiat, qui præcepit, ut fiat. Quæ iccirco tertia boni operis conditio est. Hinc B. Paulus ad Rom. XIII. 10. Plenitudo Legis est dilectio.

APostolicum hoc elogium trifariam convenit dilectioni divinæ. Primùm REDUCTIVE, quia caritatis mandato omnia Legis & Prophetarum præcepta comprehenduntur; teste Christo apud Matthæum XXII. 37. & seqq. Deinde EFFECTIVE, quia qui Deum amat, ita comparatus est, ut obedire ei velit. Unde caritas rectè Augustino a dicitur radix, ex quâ omnes pullulant virtutes. Quod de plerisque ostendit Apostolus 1 Cor. XIII. & ex eo Gregorius lib. X. Moral. cap. VI. VII. & VIII. Denique FORMALITER, quia cùm in moralibus finis habeat rationem formæ, ne quidem actiones per se honestæ, veræ erunt virtutis opus, nisi referantur ad Dei gloriam: quod disertim exigit Apostolus, ut antea vidimus. Hinc Anselmus lib. II. Cur Deus homo, cap. I. AD HOC *factam esse rationalem creaturam certum est, ut summum bonum super omnia amaret ac diligeret, non propter aliud, sed propter ipsum. Si enim propter aliud, non ipsum, sed aliud amat.* Et ante eum Augustinus lib. IV. contra Jul. extremo cap. III: *Amor fruendi quibuscunque creaturis, sine amore Creatoris, non est à Deo. Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo Patre, per Iesum Christum cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris, bene quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullus quisquam bene utitur creaturis.* Quod verò superius dicebamus de fine, idem hic locum habet: quia amore etiam Dei fit, quod ab amante Dei fit, propter finem à Deo constitutum: utut cogitatio de Deo actualis animo non obversetur. Unde continuò subjicit Augustinus: *Hoc ergò amore opus est, ut bonum beatificum sit, & pudicitia conjugalis, ut sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in propagationis. Si autem*

a *August. lib. de grat. Christi cap. 18. & 20.*

vice-

vicerit, & propter se ipsum, non propter filios propagandos, fieri aliquid exterserit voluntas: & veniale peccatum sit, propter nuptias Christianas.

Thesis IV.

Quodsi ex caritate Dei proficiscitur omne opus bonum; etiam ex fide oriatur necesse est; quæ per caritatem est efficax. Estque hæc quarta operis boni conditio. Sanè absque fide impossibile est Deo placere: *ut ait divinus scriptor ad Hebr.* XI. 6. *Nec pura esse opera sine fide possunt: quia* fide purificantur corda, *ut est Act.* XV. 9. At pollutis & infidelibus nihil est purum: *ne cibus quidem: ut ait Apostolus Tit.* I. 15.

SI ex caritate operandum est, ex fide operandum est, quæ caritatis est radix. *Nihil amatur, nisi quod cognoscitur:* ut ait Anselmus, Cur Deus homo lib. II. cap. XIII. nam *Ignoti nulla cupido*: bonum verò cognitum & poscitur, & impetratur. Unde Augustinus Epist. CCXLIV. ad Anastasium: *Lex adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit spiritus caritatem, implet caritas legem.* Et paullo post: *Ne litera sine spiritu occidat, spiritus vivificans credentibus & invocantibus datur; caritas verò Dei diffunditur in cordibus nostris per Spir. S. qui datus est nobis, ut fiat quod idem Apostolus dicit, Plenitudo legis est caritas.* Augustinus lib. IV. contra Jul. cap. III: *Absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem, ut sit justus verè, nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivet. Quis porrò eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum?* Et ibidem: *An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergò Deo. Neque enim bono potest non placere quod bonum est. Et ubi erit quod scriptum est, Sine fide impossibile est Deo placere? An respondebis, non in quantum infidelis est, sed in quantum homo, est arbor bona? Per hoc nulla erit arbor mala, de quâ dictum est, quod non possit facere fructus bonos. Quis infidelis ita infideliter sapiat? Non itaque in quantum homo est, quòd est opus Dei; sed in quantum mala voluntas est, quisque arbor mala est, & bonos fructus facere non potest. Vide itaque, utrum infidelem voluntatem audeas bonam dicere voluntatem.*

Thesis V.

Et ista quidem sunt bonorum operum conditiones: quia si istæ absint, non fuerit bonum salutare. Atqui hoc loco non aliud bonum in considerationem venit, quàm quod promiserit Deus remunerari se velle vitâ æternâ.

VEræ justitiæ proprietas est, ut promissionem habeat regni cælestis. Augustinus lib. IV. contra Iul. c. III: *Per quod vera justitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus, cum & ipsum ejus regnum sit justitia: quemadmodum scriptum est* a, *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium.* Et post aliqua b: *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Idem ibidem c: *Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum potest homo ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines aliquid habere laudis, videantur sibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato; quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atque impia non est bona.*

a Rom. 14.
b Col. 1030.
c Col. 1038.

Thesis VI.

Nunc videamus, an conditiones istæ gentilium operibus conveniant. Ac de fide quidem, planum est, eos hoc non habere, ut ex fide operentur. Nec enim norunt gentes verum Deum, etsi aliquid norunt veri Dei: quod τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ vocat Apostolus ad Rom. I. 19.

GEntes aliquid veri Dei novisse, apertissimè post Apostolum testatur Tertullianus in Apologetico cap. XVII. his verbis: *Vultis ex anima ipsius testimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cùm tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliquâ valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo quia propriè verus hic unus Deus, bonus & magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum, Deus videt, &, Deo commendo, &, Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cælum respicit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo, & inde descendit.* Similia legas apud Irenæum lib. II. adversus hæreses cap. V. Theophilum ad Autolycum lib. I. Cyprianum lib. de Idolorum vanitate, Lactantium lib. I. cap. III. Athanasium contra gentes a, atque alios.

a Pag. 22. edit. Commel.

Cùm autem hæc naturâ cognosci dicunt Sancti Patres, non continuò sentiunt, notitiam istam naturâ insitam esse in animis nostris, ac nobiscum simul natam: quod rectè judicio nostro negat magnus Scaliger exercitat. CCCVII. thematc 18. *Mentem*, inquit, *naturaliter intelligere, Deum esse, non est verum. Nam & est à Diagorâ, & aliis insipientibus, hominibus tamen mente præditis, negatum: & à Protagorâ dubitatum, & ab Aristotele probatum, & à Metaphysicis quæsitum.* Verùm hæc plerorumque omnium mens videtur, clarè istoc ab homine ratiocinando cognosci: quomodo inibi idem Scaliger ait: *Non est naturale, sed à prioribus pendens cognitionibus.* Et exercitat. VI. themat. 3. agnoscit, per primas entis partitiones à nobis cognosci, Deum esse. Ac confirmat hæc Apostolus ad Rom. I. ubi ait, gentes ex visibili creaturâ cognovisse Dei invisibilia, sed in ratiocinationibus suis evanuisse. Quò respiciens Augustinus lib. de Spiritu & literâ cap. XII: *Per visibilia*, inquit, *creaturæ pervenisse eos dixit ad intelligentiam invisibilis creatoris. Quoniam revera sicut magna ingenia quærere persliterunt, sic invenire potuerunt.* Et serm. LV. de verbis Domini: *Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt.* Et Orosius lib. VI. cap. I: *De uno Deo omnium penè una opinio est. Hæc usque humana scrutatio, etsi cum labore, deliberare potuit. At ubi ratiocinatio defecit, fides subvenit.*

Quamquam verò aliqua de Deo norimus naturâ: verumtamen Deum non novimus, nisi per revelationem divinam. Nempe fides est donum Dei, ut ait Apostolus ad Phil. I. 29. Intellige autem non donum naturæ, sed gratiæ viribus obtingens: quam rem sequenti libro pleniùs explicabimus. Nec adversus illud, quod dicebamus, gentes non novisse verum Deum, objici illud debet, quod de iis Apostolus ipse dicat ad Rom. I. 21. γνόντες τὸν Θεόν. Nam quemadmodum Oedipus, cùm se, ut poëtæ aiunt, patrem habere sciret, eum tamen Laium esse ignorabat: itidem gentes eò naturæ lumine pertingere potuerunt, ut unum esse Deum cognoscerent, eumque omnis boni fontem; nec tamen, quis Deus ille foret, novissent: unde & hunc ἄγνωστον Θεὸν annuntiari iis opus fuit, teste Apostolo in Actis XVI. 23. Duplex igitur Dei cognitio est: prior simplex, qua scitur esse Deum, eumque sapientem, bonum, potentem, colendum, justi remuneratorem, injustitiæ vindicem: altera verò applicata ad certum subjectum, puta Deum Israëlis. Generalem illam

illam notitiam gentibus concedimus: posteriorem non item, quia præclaras illas de Deo notitias in mendacio & impietate detinuerunt, tribuentes illas non vero, sed falso Numini: unde non novisse Deum, plurimis Scripturarum locis dicuntur. Sanè etiam gentium illæ, quæ non sapiebant ita stultè, ut Herculem, Romulum; aut ibin, crocodilum; aut pallorem, febrim, colerent pro Deo: tamen cœlestia corpora pro Deo habebant: eamque ut simplicissimam, ita antiquissimam esse superstitionem, non difficulter illi persuadebitur, qui cogitârit, quàm facilè in cæcas hominum mentes cogitatio potuerit irrepere, ut cùm verus Deus visibilis non sit, illæ Deum esse putarent Solem, clarissimâ luce in sublimibus cœlorum templis refulgentem, inde toti se orbi augusta facie, regis instar, ostendentem, & tum utiles, tum mirandos adeò effectus exerentem in omne hominum genus. Itaque Solem ἥλιος dixere: quod planè est ab Hebræo אֵל, Deum denotante. Sanè non nunc demum multi orbis populi (eos inter in extimâ Tartariâ, Mogoulai, Badai, & Colmacci) Solem Lunamque adorant: sed jam olim Massagetæ, Scythica natio, unum Solem pro Deo habebant, teste Herodoto lib. I. & Strab. lib. XI. Et Afri universi, non aliî quàm Soli & Lunæ sacrificant, ut idem Herodotus scribit lib. IV. Et Ægyptii ab iisdem mundum regi arbitrantur: ut ait Diodorus Siculus lib. I. Et Germani nec alios Deos fando acceperant, quàm Solem, Lunam, Vulcanum: si Cæsarem audimus lib. VI. De bello Gallico. Imò omnes Græcæ Romanæque appellationes Deorum, ad Solem referuntur: omnia Dearum nomina, Lunam spectant: quemadmodum docent Macrobius lib. I. cap. XVII. & magnum Germaniæ ornamentum, doctissimus Cluverius noster lib. I. Germanicarum antiquitatum cap. XXVI. & XXVII. Miram verò humani generis proclivitatem ad idololatriam abundè ostendit, quòd Noachidas, & quidem Semi posteros, atque id in familiâ Heberi, Hebræorum parentis, Hebero, Semo, ipsoque Noacho, superstitibus, (nam Noachus demum defunctus anno Abrahami LVII, Sem annis XXXV. post mortem Abrahami, Heber post ejus mortem annis LIV.) idololatria tenuerit: teste Josua cap. ult. vers. 2. ubi Thara, pater Patriarchæ Abrahami & Nachoris, coluisse dicitur Deos alienos, cùm misericors Deus, ex Ur Chaldæorum vocaret Abrahamum: unde etiam Abrahamum fuisse tum temporis idololatram, rectè inter alios colligit doctissimus Andreas Masius *a*. etsi hoc nomine eum reprehendat Caspar Sanctius *b*.

a *Comment. in c. ult. Jos.*
b *Comm. in Act. Apost. cap. 7. 4.*

THESIS VII.

Quòd si gentiles destituuntur verâ veri Dei cognitione, sanè nec caritatem erga verum Deum habere possunt; quæ est fidei fructus. Quod etiam consequi videtur ex Rom. V. 5. ubi caritas non naturæ esse donum dicitur, sed à Spiritu Sancto diffundi in cordibus nostris. Nisi hìc non tam sermo est de amore nostro erga Deum, quàm divini erga nos amoris sensu.

CUm negamus, gentiles amore Dei tangi, non loquimur de dilectione Dei, ut est bonum commune, à quo omne bonum particulare dependet: cujusmodi amorem imperfectum omni creaturæ inesse docet Thomas I. 2. quæst. 109. art. 3. etiam dæmonibus, ut ait idem I. p. quæst. 60. art. 5. ad 6. sed de dilectione Dei super omnia simpliciter. Quæ etsi non consistat in eo, ut quis totâ vitâ compleat Dei mandata, tamen semper est efficax pro tempore, quo actus ille dilectionis durat. Nam diligere Deum super omnia, est eum præferre omnibus, nullo excepto: eoque essentialiter includit propositum absolutum non amplius peccandi, sed se suaque omnia componendi ad placitum divinum. Hujusmodi dilectionem intelligit Concilium Arausicanum II, cùm can. XXV. à gratiâ esse ait *diligere* Deum SICUT OPORTET. Nec obstat, quòd communiter docetur, naturæ lumine cognosci, Deum esse summè bonum, summè amabilem; peccatum summè detestabile. Nam talis cognitio, cùm sit extrinseca voluntati, solùm repræsentat ei objectum & convenientiam ipsius: vires autem minimè ad hoc præbet, ut voluntas elicere actum possit dilectionis super omnia: quod omnino requirebatur. Cùm enim peccatum in voluntatis consensu perficiatur, magis voluntas per peccatum vulnerata est, quàm intellectus: ut rectè Thomas docet I. p. quæst. 109. art. 2. ad 3. Atque inde est, quòd etsi homo universali judicio utcumque videt, Deum ob naturæ præstantiam, & beneficiorum erga nos copiam, super omnia diligi debere; judicio tamen particulari secus statuat: nempe quia dura asperaque lex videatur, dirigendi potiùs omnia ad Dei voluntatem, quàm ad propriam voluptatem. Ex priori judicio oritur voluntas imperfecta, quam aliqui velleitatem vocant: sed ex posteriori provenit voluntas simplex, perfecta & completa: quæ propriè voluntatis nomen meretur. Nec duo illa judicia contradictoria sunt, quia aliud est judicare, quid honestas dictet; aliud quid hic, & nunc sit agendum. Sic libidinosus universali judicio statuit, se Deum diligere plus debere, quàm scortum: sed tamen idem cogitat, suave esse, fœminis misceri: eoque per voluptatem impulsus, posthabitâ honestate, Deum offendere mavult, quàm scorto non pollui. Habemus hujus duplicis judicii exemplum in illo Paulino Rom. VII. 15. *Non quod volo hoc ago, sed quod odi hoc facio.* Et isto Medeæ apud Nasonem: *Video meliora proboque, Deteriora sequor.* Hæc satis ostendunt, utut gentiles aliquid veri Dei cognitum habuerint, non tamen eum amasse, aut amore ipsius esse rectè operatos. Augustinus contra poster. respons. Juliani lib I. cap. LXXXI *a*. *Hoc est utique quod ait hæresis vestra. Ad hoc enim additis* ET GENTILES; *ne pia fortitudinis opus, Dei gratiâ, Christiani facere potuisse aut fecisse credantur, quæ Christianis est propria, non Christianis gentilibusque communis. Audite ergò & intelligite: fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit; quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est à nobis; sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Idem docet Fulgentius lib. De incarnatione Christi, cap. XXVI. cujus verba infrà adducam. Item Gregorius homil. XXVII. in Euangelia, tractans illud: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, &c. Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis. Quibus tamen, in hac dilectione, sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ: aliud, quod præceptis Dominicis ex caritate debetur obedientiæ.* Adde quòd, etiamsi largiremur, gentiles, vero perfectoque amore Dei, vitam suam ad virtutis normam composuisse: ne sic quidem conditio antè allata à gentilibus fuerit præstita: ut qui cùm verum Deum non noverint, nec veri Dei amore egerint quicquam.

a P. 122.

THESIS VIII.

Denique fide & caritate destituti, vel operantur fine malo: vel si bono aliquando, sanè non nisi ob bonum particulare: non item propter Deum; quia non in Deo, sed se ipsis, ultimum finem constituunt. Quòd si quid boni agant propter Deum, non tamen faciunt propter verum Deum, quem ignorant.

MUlta laudari solent gentilium opera, quæ ne naturâ quidem suâ referri ad Dei gloriam possint: ut quæ fecere ad cultum idolorum; vel ambitione ducti: cujusmodi quin peccata sint, dubitat nemo. Unde Augustinus lib. IV. in Jul. cap. III: *An & isti, qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili,*

non

non verâ, sed verisimili DÆMONIBUS VEL HUMANÆ GLORIÆ SERVIERUNT; *Fabiis videlicet, & Regulis, & Fabriciis, & Scipionibus, & Camillis, cæterisque talibus, provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque cælorum?* Theophylactus quoque existimat, gentiles vanæ gloriæ studio fecisse, quæ fecerunt. Vide eum in Ioh. III. 19. Ubi ait, laudatissima gentilium opera fieri ob finem aliquem culpabilem. Quomodo verisimile est, quòd Alexander, Dario victo, puellas remiserit intactas *a*: quòd item Scipio virginem bello captam Allucio sponso suo restituerit *b*: id non virtutis amore factum esse, sed duntaxat ad aucupandum populi favorem, & inanem gloriam comparandam. Quod si ita est, continentia eorum non magis vera erit virtus, quàm prudentia avarorum, cùm varia excogitant lucelli genera; aut eorum justitia, cùm alienis abstinent, gravioris damni metu: aut fortitudo, quâ, ut Venusinus ille ait, *Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes.* Nam hujusmodi simulatæ sunt virtutes, non veræ: eoque ne quidem naturâ suâ ad finem ultimum possunt ordinari. Verùm minimè dubitamus, quin plerique gentiles aliqua faciant sine bono: quod & Augustinus agnovisse videtur, lib. de Spiritu & Literâ cap. XXVII. *Etiam impiorum, nec Deum veraciter colentium, quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quamquam, si discutiatur, quo fine fiant,* VIX *inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Cùm enim Augustinus ait, VIX inveniri, quæ non fiant fine malo: aliqua inveniri innuit, quæ fiant fine bono. Ut si infidelis naturali affectu eleemosynas largiatur pauperi: aut, conscientiâ ductus, depositum reddat, aut succurrat innocenti, quia sibi id fieri velit. Sed hujusmodi etsi fiant fine bono particulari, non tamen fiunt propter Deum, qui finis est universalis. Unde auctor operis imperfecti Hom. XXVI. in Matth. *c Infidelis*, inquit, *naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum.* Et August. lib. IV. contra Iul. cap. III. *Hoc peccarunt, quòd homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt.*

a Plutarchus in Alex.
b Liv. extremo l. 26.
c Apud Chrysost. T. 2.

THESIS IX.

Quare cùm istæ bonorum operum conditiones in gentilium operibus nusquam inveniantur; obscurum non est, cur nec Deus in Verbo operibus eorum promittat mercedem vitæ æternæ: quam tamen habent opera pietatis, uti vidimus.

AUgustinus lib. IV. contra Iul. cap. III. *Quomodo est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuemus, nihil erit causæ, cur eos non ad illud regnum pervenire dicamus, de quo scriptum est: Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum. Ac per hoc Christus gratis mortuus est; si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad justitiam veram, ad sapientiam veram, quâcunque re aliâ, quâcunque ratione pervenient. Prorsus sicut de Lege verissimè ait Apostolus, si per naturam voluntatemque justitia, ergo Christus gratis mortuus est: si per doctrinas hominum qualiscunque justitia, ergò Christus gratis mortuus est.*

THESIS X.

His ita constitutis, non difficile est judicare, quid de virtutibus & operibus gentilium sit sentiendum. Nam cùm aliqua faciant, quæ à Deo præcipiuntur; fatendum est, eos bona aliqua operari; quatenus quidem opera illa consideramus materialiter, & nude, sive non habitâ ratione modi, quo fiunt. Præterea bona sunt ratione effectus, quia hujusmodi quoque honestant vitam præsentem; & à Deo consequuntur mercedem temporalem. Etiam supplicii gravitatem imminuunt, quod eos manet post mortem.

INesse homini à naturâ scientiam recti & honesti, communis veterum sententia est. Ita Basilius homiliâ in principium Proverbiorum *a*: Τί ἔχομεν παρ' ἑαυτοῖς κριτήριον φυσικὸν, δι' οὗ τὰ καλὰ τῶν πονηρῶν διακρινόμεθα. *Apud nos ipsos judicium quoddam naturale habemus, per quod ab iniquis bona discernimus.* Idem homil. IX. de opere sex dierum *b*: Εἰσὶ δὲ καὶ παρ' ἡμῖν αἱ ἀρεταὶ κατὰ φύσιν, πρὸς ἃς ἡ οἰκείωσις τῇ ψυχῇ οὐκ ἐκ διδασκαλίας ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως ἐνυπάρχει. ὡς γὰρ οὐδεὶς ἡμᾶς λόγος διδάσκει τὴν νόσον μισεῖν, ἀλλ' αὐτόματον ἔχομεν τὴν πρὸς τὰ λυποῦντα διαβολὴν, οὕτω καὶ ψυχῆς ἐστί τις ἀδίδακτος ἔκκλισις τοῦ κακοῦ. *Sunt & apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsi animæ, non ex doctrinâ hominum, sed ex ipsâ naturâ inest. Quemadmodum enim nulla disciplina nos docet morbum odisse, sed spontaneam habemus accusationem ac detestationem adversus ea, quæ nobis molesta sunt: sic etiam est animæ quædam declinatio, & fuga vitii citra doctrinam.*

Gregorius Nazianzenus orat. XXXI. quæ est in dictum illud Evangelii, *Cùm consummasset Jesus hos sermones*, &c. Matth. XIX: *c* Οἱ μὲν ἐκ φύσεως νοοῦσι πρὸς τὸ ἀγαθόν. φύσεως δὲ ὅταν εἴπω, οὐκ ἀτιμάζω τὴν προαίρεσιν, ἀλλ' ἀμφότερα τίθημι, τήν τε πρὸς τὸ καλὸν ἐπιτηδειότητα, καὶ τὴν εἰς ἔργον ἄγουσαν τὸ ἐκ φύσεως ἐπιτήδειον. *Alii naturæ indole ad virtutem tendunt. Naturam porrò cùm dico, liberam voluntatem haudquaquam sperno: sed utrumque statuo, nimirum & naturæ ad bonum facilitatem atque aptitudinem, & animi voluntatem, quæ naturalem illam aptitudinem ad bonum ducit.* Ambrosius orat. funeb. de obitu fratris Satyri *d*: *Ergò ille, qui* NATURA DUCE *divini rationem operis igneo mentis vigore perceperat, scivit, primò omnium servatori suo gratiam esse referendam.* Sermo est de Satyro fratre nondum perfectioribus initiato mysteriis, qui in naufragii periculo sacramentum à fidelibus poposcerat, atque id orario tectum obvolverat collo, atque hac fiduciâ cùm in mare se dejecisset, absque ullius tabulæ compage primus naufragorum ex undis est servatus. Ioh. Chrysostomus homil. LIV. *e* in Genes. Μηδεὶς τοίνυν προφασιζέσθω εἰς δι' ἄγνοιαν ἀρετῆς ἀμελῶν, ἢ διὰ τὸ μὴ ἔχειν τὸν ἀποδεικνύντα τὴν ταύτης ὁδόν. ἀρκοῦντα γὰρ ἔχομεν διδάσκαλον, τὸ συνειδὸς, καὶ οὐχ οἷόν τέ τινα ἀποστερηθῆναι τῆς βοηθείας. καὶ γὰρ ἅμα τῇ πλάσει τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἡ γνῶσις τῶν πρακτέων αὐτῷ ἐναπετέθη. *f*. *Nullus*, inquit, *prætexat, quòd ignorans virtutem negligat, vel quòd non habeat aliquem vitæ ducem & demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam, & fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum & non faciendorum.* Hieronymus T. 3. epist. ad Algasiam. q. 8. *Ista lex, quæ in corde scribitur, omnes continet nationes, & nullus est, qui hanc legem nesciat. Unde omnis mundus sub peccato, & universi homines prævaricatores legis sunt, & iccircò justum judicium Dei est.* Augustinus T. 8. in Psalm. LVII: *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, unde judicarentur & quibus lex non esset data.* Prosper in lib. contra Collatorem, cap. XXII: *Quis ambigat, hanc sapientiam humano generi, ad temperalis vitæ utilitatem, ex naturâ à Deo conditâ superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed exstincta natura.* Est tamen cùm scientiam hanc non tam naturæ, quàm traditioni acceptam referunt Patres. Ut Ambrosius orat. funebri de obitu fratris *g*: *Is à sapientibus definitur, Bonorum primum esse, Deum scire, & verum illud atque divinum piâ mente venerari, illam amabilem & concupiscendam æternæ pulchritudinem veritatis totâ mentis caritate diligere.*

a P. 183. edit. Basil. a. 1551.
b P. 41.
c P. 508. edit. Morell.
d T. 3. p. 19. edit. an. 1555.
e Pene initio p. 419. edit. Angl.
f γρ. ἐναποτέθη.
g T. 3. p. 19. edit. Bas. an. 1555.

Secun-

Secundum autem, in proximos à divino illo fonte atque cælesti, natura derivare pietatem; quod etiam mundi sapientes nostris hausisse de legibus. Neque enim derivare ista in hominum disciplinas, nisi de cælesti illo divinæ legis fonte potuissent.

Nec solùm naturâ scire homines, quid facto opus sit: sed eas esse liberi arbitrii vires, ut his operari bonum possint, eorundem Patrum sententia est. Basilius εἰς τὴν ἑξαήμερον
a P. 7. homilia II. *a* Ἐφ' ἡμῖν τυγχάνει τὸ κρατῆσαι τῶν ἐπιθυμιῶν, ἢ μὴ κολάσαι τὰς ἡδονάς, ὡς τὸ κατασχεῖν ὀργῆς, ἢ χεῖρας ἐπαφεῖναι τῷ παροξύναντι, ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, ἐπιεικῆ τὸ ἦθος εἶναι καὶ μέτριον, ἢ ἐπηρμένον καὶ ἀλαζονείας ὑπεραιρόμενον. ὧν τοίνυν αὐτὸς εἶ κύριος, τούτων τὰς ἀρχὰς μὴ ζητήσῃς ἑτέρωθεν· ἀλλὰ γνώριζε τὸ κυρίως κακόν, ἐκ τῶν προαιρετικῶν ἀποπτωμάτων τὴν ἀρχὴν εἰληφός. οὐ γὰρ ἂν εἴπερ ἀκούσιον ἦν καὶ μὴ ἐφ' ἡμῖν, τοσοῦτος μὲν ὁ φόβος ἐκ τῶν νόμων τοῖς ἀδικοῦσιν ἐπέκειτο. οὕτω δὲ ἀπαραίτητοι τῶν δικαστηρίων αἱ κολάσεις τὸ πρὸς ἀξίαν τοῖς κακούργοις ἀντιμετροῦσαι. *In nobis ipsis sunt collocata, cupiditates superare, aut voluptatibus modum non ponere; continere iram; aut manum injicere ineum, qui injuria lacessivit; vera dicere aut falsa; mansuetum moribus esse ac moderatum, aut factu superbum, arrogantiaque elatum. Quorum itaque tute dominus es, eorum principia non aliunde quærere velis: sed quod propriè malum est, id ab ultronea & voluntaria electione sumpsisse principium scito. Non enim, si nobis invitis eveniret, siumque in nobis non esset, tantus quidem a legibus metus iis, qui injurii sunt in alios, immineret: jam vero judiciorum pœna indeprecabiles sunt, quas maleficis pro meritis flagitiorum æquâ talione rependunt.* Et homiliâ VI.
b P. 26. *b* Οὐκ ἐπὶ τούτοις ἱστᾶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ὧν ἡ προαίρεσις ἑκάστου ἡμῶν κυρία, λέγω δὴ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἀρετῆς ἢ κακίας, καὶ τούτων τὰς αἰτίας τοῖς οὐρανίοις συνάπτουσιν. *Non in his solùm consistunt* (Genethliaci,) *sed etiam eorum caussas corporibus cælestibus tribuere pergunt, quorum electionem cuique nostrum propriam esse constat, merum inquam ac studiorum, probitatis ac improbitatis.* Et mox:
c P. 27. *c* Εἰ τῶν κατὰ κακίαν καὶ ἀρετὴν ἐνεργημάτων οὐκ ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν εἰσιν αἱ ἀρχαί, ἀλλ' ἐκ τῆς γενέσεως αἱ ἀνάγκαι, περιττοὶ μὲν οἱ νομοθέται τὰ πρακτέα ἡμῖν καὶ τὰ φευκτὰ διορίζοντες. περιττοὶ δὲ καὶ οἱ δικασταί, ἀρετὴν τιμῶντες, καὶ πονηρίαν κολάζοντες. οὐ γὰρ τοῦ κλέπτου τὸ ἀδίκημα, οὐδὲ τοῦ φονέως, ᾧ γε οὐδὲ βουλομένῳ δυνατὸν ἦν κρατεῖν τῆς χειρός, διὰ τὸ ἀνυπόδραστον τῆς ἐπὶ τὰς πράξεις αὐτὸν κατεπειγούσης ἀνάγκης. *Si probarum operationum principia penes nos sita non sunt, sed ex ortu necessitudines emergunt: frustra profectò legumlatores agendas res & non agendas, sed fugiendas præscribunt: frustra sunt judices etiam, virtutem honoro, vitium pœnis afficientes. Non enim hoc pacto injuria commissa, furis est aut homicida: quippe cui neque volenti quidem, ob inevitabilem ipsum impellentem ad agendum necessitatem, manum continere licuerit.* Optatus Milevitanus lib. VII. contra Parmenianum: *Homicida potest scelus facere, potest & non facere, & cætera hujusmodi, in quibus liberum habet arbitrium.* Hypognosticon scriptor lib. III. non ita longè ab initio: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere; sed tantùm* IN OPERIBUS VITÆ PRÆSENTIS, TAM BONIS, QUAM ETIAM MALIS. *Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle quicquid boni ad præsentem pertinet vitam.*

Nec tantùm censent Patres, hominem scire bonum & facere posse, sed idem facere fatentur, præeunte ipsis Apostolo Rom. II. 14. *Gentes naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* Hinc Augustinus T. 3. de Spir. & lit. c. XXVII. *Impiorum, neque Deum verum veraciter pieque colentium, quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus.* Et cap. prox. *Sine aliquibus bonis operibus difficilè vita cujuslibet pessimi invenitur.* Idem virtutes gentilium Dei dona vocat T. 2. Epist. CXXX. ad Ctesiphontem: *Polemo ergo, si* EX LUXURIOSO CONTINENS FACTUS, *ita sciret, cujus esset* HOC DONUM, *ut eum abjectis superstitionibus gentium piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret: quod ei non* TANTUM AD PRÆSENTIS VITÆ HONESTATEM, *verùm & ad futuram immortalitatem valeret.* Similiter T. 4. de Bono patientiæ, quem librum Augustino quidem abjudicat Erasmus: sed obstat, quòd ejus in indiculo meminit Possidius. Verba Augustini sunt ista cap. XXVII. *Siquis absque caritate, solo timore gehennæ, Christum in tormentis confiteatur; negandum,* inquit, *non est, hoc etiam esse donum Dei.* Hieronymus verò etiam sanctimoniam quandam gentilium operibus tribuit. Sic enim scribit in Epist. ad Galatas cap. I. ad verba illa, *Cùm autem placuit illi, qui me segregavit, &c. En quo perspicuum fit, naturâ omnibus inesse Dei notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide & Evangelio Christi, vel sapienter* FACIUNT ALIQUA, VEL SANCTE, *ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.* Hujusmodi virtutes valere *ad præsentis vitæ honestatem,* ait Augustinus T. 2 Epist. CXXX. ad Circenses, & Epist. V. ad Marcellinum circa finem. Item Prosper lib. contra Collat. cap. XXII. & c. XXVI. Et scriptor de vocatione gentium lib. I. c. VII. *a* Et Fulgentius lib. de Incarn. & grat. c. XXVI. Etiam temporalem reportare mercedem, indicat Chrysostomus homil. LXVII. ad populum Antiochenum: *Non potest malus omnino malus esse, sed evenit, ut habeat aliquid boni: neque bonus esse omnino bonus, sed & nonnulla solet habere peccata. Cùm itaque malus prosperis utitur rebus, ad capitis sui perniciem utitur: ut enim paucorum illorum* BONORUM RETRIBUTIONEM HIC CAPIENS, *illic deinde puniatur, hac de caussâ recipit.* Scriptor operis imperfecti homil. XXVI. in Matthæum: *Sed audi mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit, si fidelis fecerit opus bonum, & hic ei prodest, liberans eum à malis, & in illo sæculo, ad percipiendum regnum cæleste: magis autem ibi, quam hic. Si autem infidelis fecerit opus bonum,* HIC EI PRODEST *opus ipsius, & hic ei reddit Deus bona pro opere suo:* IN ILLO *autem sæculo* NIHIL EI PRODERIT *opus ipsius. Nec enim collocatur inter cæteros fideles propter opus suum. & justè: quia* NATURALI BONO MOTUS FECIT BONUM, NON PROPTER DEUM. Hieronymus commentario in Ezech. cap. XXIX. sic scribit: *Ex eo, quòd Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint,* NON ABSQUE MERCEDE *Dei judicio præteriri.* Augustinus T. 4. exposit. Epist. ad Gal. cap. III. *Est ista quædam in operibus legis justitia, quando sine suo præmio relicta non est: ut qui fecerit ea vivat in eis. Unde & ad Romanos dicit: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Aliud est ergò, non justificari apud Deum. Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium; nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur; quia temporalem inde exspectat visibilemque mercedem. Sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia. Nam & ipse Apostolus eam justitiam vocat, cùm alibi dicit, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatum sine querela.* Idem T. 2. Epist. V. ad Marcellinum circa finem: *Remp. primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles, etiam sine verâ religione, virtutes, ut intelligeretur, hac additâ, fieri homines alterius civitatis,*

a Sed apud Ambros. cap. 3.

tatis, cujus rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas. Etiam ad hoc valent civiles virtutes, ut infideles, qui eas habent, leviùs post hanc vitam puniantur. Et hanc, & superiorem utilitatem earum agnoscit scriptor incertus quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio falsò tribuuntur, cùm in iis non modò Athanasius ipse, sed etiam Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Chrysostomus, atque alii his multo recentiores citentur: scriptor, inquam, iste quæstione centesima sic rogat; Ἐπειδὴ πολλοὶ καὶ Ἰουδαῖοι καὶ Ἕλληνες πολλὰς δικαιοσύνας ἐργάζονται, ἆρα δέξεται τούτους εἰς βασιλείαν οὐρανῶν εἰσέρχονται; ac respondet, quod Nicodemo Dominus dicebat, Neminem in regnum cœlorum ingredi posse, nisi qui ex spiritu & aquâ fuerit renatus: deinde subjungit ita: Τοῦτο δὲ χρὴ περὶ ἀπίστων ἀγαθοποιῶν λογίζεσθαι· ἢ ὅτι διὰ τὸ ἐλάχιστον αὐτῶν δικαιοσύνης τὸν ἴδιον μισθὸν λαμβάνουσιν· ἢ ὅτι ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἐλαφροτέρως κολάζονται παρὰ τοὺς λοιποὺς ἀπίστους, τοὺς μηδὲν ἀγαθὸν ποιήσαντας. *Hoc vero de infidelibus bona opera facientibus sentire oportet: quòd vel hic prosperitate vitæ mercedem suam accipiant: vel in futuro seculo leviùs puniantur reliquis infidelibus, qui nihil fecerunt boni.* Similiter sensit B. Augustinus lib. IV. contra Jul. c. III. *Ad hoc eos in die judicii cogitationes sua defendunt, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter, quæ legis sunt, utcunque fecerunt.* Et mox: *Minùs enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus; & minus impius, quàm Catilina, Fabricius; non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.* Idem statuit de falsis Christianis T. IV. lib. de patientia cap. XXVI. *Siquis non habens caritatem, quæ pertinet ad unitatem Spiritus & vinculum pacis, quo Catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timere gehennarum & ignis æterni: nullo modo ista culpanda sunt, imo verò & hæc laudanda patientia est. Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo: sed existimandum, fortasse tolerabilius ei futurum judicium, quàm si Christum negando, cuncta illa vitaret: ut illud quod ait Apostolus;* Si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest: *nihil prodesse intelligatur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius supplicium subeundum.*

THESIS XI.

Contrà etiam laudatissima gentilium opera nomen bonorum operum amittunt, si per bonum intelligatur, quod est utile ad vitam æternam.

INfidelium opera non conducere ad beatitudinem æternam, ait Petrus apud Clementem, citante Origene *a* in
a Fol. 110. edit. Basil. 1536. Matt. cap. XXVI. tract. XXXV. *Opera bona, quæ fiunt ab infidelibus in hoc seculo iis prosunt, non & in illo, ad consequendam vitam æternam.* Incertus scriptor quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio tribuuntur vulgo, idem respondet ad quæstionem centesimam: ut vidimus paullo antè. Augustinus T. 3. de Spir. & lit. cap. XXVIII. *Sicut non impediunt à vitâ æternâ justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic* AD SALUTEM ÆTERNAM NIHIL PROSUNT IMPIO ALIQUA BONA OPERA, *sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Idem docet T. 2. epist. CXXX. ad Circenses, ubi de Polemonis continentiâ loquens; *Si*, inquit, *veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, hoc donum non* TANTUM AD PRÆSENTIS VITÆ NECESSITATEM, *verùm & ad futuram immortalitatem valeret.* Quod ipsum etiam de Cornelio scribit T. 7. de Baptismo contra Donatistas lib. I. cap. VIII. *Quicquid boni*, inquit, *Cornelius in orationibus & eleëmosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum Christianæ societatis & pacis incorporaretur Ecclesiæ.* Et lib. IV. cap. XXIII. *Justitia Cornelii si sufficeret ad capessendum regnum cœlorum, non ut ad Petrum mitteret, moneretur.* Vide eundem in Psal. XXXI. & CXVII. Similiter Prosper lib. contra Collatorem cap. XXII. quæ verba infrà adducemus. Idem cap. XXVI. *Natura quippe humana, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus & ratio, cæteraque corporis atque animi bona; quæ etiam malis vitiosisque non desunt. Sed non in illis veri boni perceptio est, quæ* MORTALEM VITAM HONESTARE POSSUNT, ÆTERNAM CONFERRE NON POSSUNT.

Scriptor de vocatione Gent. lib. I. cap. VII. *a Etsi fuit, qui naturali intellectu conatus sit vitiis reluctari, hujus tantum temporis vitam steriliter ornavit: ad veras autem virtutes,* ÆTERNAMQUE BEATITUDINEM *non profecit.* S. Fulgentius in libro de incarnatione & gratiâ Christi cap. XXVI. *Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem: quomodo hi poterunt justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei caritatisque non referant? quibus aliqua quidem bona quæ* AD SOCIETATIS HUMANÆ *pertinent* ÆQUITATEM, *inesse possunt; sed quia* NON CARITATE DEI FIUNT, PRODESSE NON POSSUNT. a Apud Prosp. sed apud Ambros. cap. 3.

Hæc ostendunt, quo sensu Patres opera gentilium bona esse negent: nempe quà bonum sumitur pro utili ad vitam æternam. Nam sic eos bonum intelligere, docet August. ipse lib. IV. contra Jul. cap. III. *Scio, nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod potest homo ad æternum Dei donum regnumque perduci.*

His aliqua ex Epiphanio & Chrysostomo obduci non ignoramus: ac imprimis Justinum Martyrem in utrâque apologiâ, & Clementem Alexandrinum Στρωματέων lib. V. VI. VII. qui probatiores gentilium, uti Socratem & huic similes, cœlo receptos censent. Quemadmodum præter alios ostendit Isaacus Casaubonus initio Exercitationis primæ adversus Baronium. Atque huic eorum opinioni ex junioribus accessere, simulanter quidem, Desiderius Erasmus coll. conviv. rel. & epistolâ dedicat. in IV. Tuscul. quæst. Vide aliqua huc facientia in Calvino-Turcismo, lib. IV. cap. 17. *b* apertiùs verò Ludovicus Vives b P. 941.
in Augustinum lib. XVIII. de civit. Dei, cap. 47. & alius maximi nominis, expositione fidei Christianæ ad Galliæ regem. Imò Latomus scripsit, non fuisse aliam fidem in Abrahamo, quàm in Xenophonte & Cicerone; ut testatur Philippus Melanchthon Postillæ II, Dominicâ *Oculi c.* Simile c P. 183.
quid Lutherus. Sperabat enim, Ciceronem salvatum. Vide Davidem Paræum Eirenici cap. XXVII. Art. I. *d* Sed hæc d P. 246.
sententia & à cæteris patribus olim, Augustini imprimis ætate, damnabatur, & hodie communi Theologorum judicio improbatur. Quod si quibus fortè patrocinium istorum suscipere visum est, distinguunt inter gratiam & cognitionem Christi: inter cognitionem implicitam & explicitam, inter explicitam ex parte, & in totum. Nam si qui adultorum, qui non nossent Christum, fuerint salvati; non per meritum naturæ, sed Christi passione salvatos arbitrantur; ut in eis illud habeat locum, quod de infantibus Ecclesia docet. Imò nec omni cognitione Christi destitutos fuisse, dicunt nonnulli. Quod ut verisimile faciant, ajunt, eos per divinam misericordiam, speciali quâdam gratiâ, per congrua media (sive illa fuerint Sibyllina oracula, sive conversatio cum Judæis, aut conversis à Judæis, sive quæcunque tandem) ad aliquam gratiæ salutaris mensuram, & ipsius Christi notitiam, perduci potuisse. Nam absque omni fide salvatos fuisse, nec Clemens audet dicere, qui lib. II. Στρωματέων fidem vocat πρώτην σωτηρίας ῥοπὴν *primam salutis inclinationem.* Sed ille ex malè intellectis verbis I Petr. IV. 6. ubi mortuis dicitur Evangelium esse prædicatum, ut viverent secundùm Deum,

colli

a P. 271. edit. Commel. b P. 87. edit. August. Vindel. c Lut. Capb. d Lib. de hæresi cap. de descensu Christi ad inferos. e Lib. de hæresi cap. 79. f Lib. 8. Originum cap. 5. g Exercit. 1. ad Baron.

colligit sexto Στρωματέων *a* Christum apud inferos Evangelium prædicasse; ut, quotquot illic credere, ac pœnitentiam agere vellent, salvarentur. Quam præceptoris sui sententiam etiam amplexus fuit Origenes lib. II. contra Celsum *b*. Similiaque habet Origenis studiosus lector, Hilarius in Psalm. CXVIII. *c* Sed dicere, impios ullos, Christo prædicante, post mortem conversos salvatosque esse, inter hæreses reponitur à Philastrio *d*, Augustino *e*, & Isidoro *f*: & Augustinus commentum hoc clarè refellit epist. XCIX. ad Euodium. Ac propter istiusmodi, Clemens ab Gelasio, in Concilio LXX episcoporum, inter scriptores apocryphos relatus meritò fuit. Interea hæc ostendunt, ne illum quidem existimasse, salvari quemquam absque Christi cognitione: quamquam hanc illi opinionem tribuat vir maximus, Isaacus Casaubonus *g*. Nec obstat, quod lib. primo Στρωματέων ait, καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας, *Philosophia quondam per se Græcos justificabat.* Neque enim, uti puto, hoc vult Clemens, philosophiam Græcis suffecisse ad salutem: sed cùm, ex ejus mente, justitia alia sit secundùm legem naturæ, alia secundùm Legem Mosis, alia secundum Christum: primam secundamque ad Christum ducere censet, veluti gradibus quibusdam. Integer enim locus sic habet: καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας· οὐκ εἰς τὴν καθόλου δὲ δικαιοσύνην, εἰς ἣν εὑρίσκεται συνεργός, καθάπερ καὶ ὁ πρῶτος καὶ ὁ δεύτερος βαθμὸς τῷ εἰς τὸ ὑπερῷον ἀνιόντι, καὶ ὁ γραμματικὸς τῷ φιλοσοφήσοντι. *Per se quoque aliquando Græcos justificabat Philosophia, sed non ad universam ac generalem justitiam, ad quam cooperatrix & adjutrix invenitur, sicut primus & secundus gradus ei, qui adscendit in cœnaculum, & Grammaticus ei, qui est philosophaturus.* Et apertiùs etiam idem eodem libro ait. Quemadmodum Judæis Lex fuit pædagogus ad Christum, teste Apostolo ad Galat. cap. IV: similiter philosophiam docuisse duxisseque Græcos ad Christum, pædagogi in modum. Verba ejus sunt: Ἐπαιδαγώγει γὰρ αὐτὴ ἡ φιλοσοφία τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους εἰς Χριστόν. Qui volet, hac de controversiâ quædam legat apud Sixtum Senensem lib. VI. biblioth. annotat. LI. Julium Sirenium lib. I. De prædest. cap. XXXI. & Davidem Paræum Irenici cap. XXVIII.

h P. 245. 246.

Art. I. *h* Sed imprimis adeat pro doctore suo fusè adlaborantem, Rod. Gualtherum, apologiâ Operibus Zuinglii præfixâ, & pro antiquis desudantem Andradium, Orthodoxarum explicat. lib. III. responf. ad axioma VI. Nos eorum litem nostram facere nolumus: sed ea solùm tuemur, in quibus non obscurè prælucet fax Scripturarum, & doctorum conspirat autoritas.

Thesis XII.

Cur verò infidelium opera non sint bonum salutare, causa est, quod nec ex fide proficiscantur, nec caritate animentur, nec ad Dei gloriam dirigantur. Quod non solùm verum est de caritate ac fide Christianâ, sed etiam illâ, quam recta ratio ex naturæ constitutione, atque universali providentiâ colligit. Duplex enim defectus est in bonis gentilium operibus: unus physicus, alter moralis. Physicus est, quatenus non fiunt ex fide, vel amore illo, quem Deus requirit in Verbo: nec ad gloriam Dei & Servatoris Christi diriguntur. Hacpropter statuimus, non habere promissionem vitæ æternæ; quam sola habent fidelium opera. Non tamen propter istum defectum illi, quibus Evangelium prædicatum non est, obnoxii sunt gehennæ; sed quia veritatem in impietate & injustitiâ detinuerunt: ut nos docet Apostolus cap. I. ad Rom. Possunt nihilominus, etiam hujus defectus ratione, opera eorum dici in vitio esse, & virtutes eorum falsæ virtutes: quatenus nempe intelligitur defectus physicus, & virtutes eorum non sunt id quod videntur, nec merentur hoc, quod à gentilibus promereri existimantur. quâ ratione orichalcum dicitur falsum aurum: non quia non sit ens verum, sed quia non sit aurum verum. Moralis verò defectus est, quatenus aberrant à regulâ, quam gentilibus recta ratio præscribit. Nam cùm notitias, quas de Deo habent, applicent ad creaturarum cultum; satis liquet, eos non operari ex amore veri Dei, nec ejus gloriam sibi propositam habere. Ac propter hunc defectum, qui morale vitium est, (obligantur enim gentiles ad servandam legem naturæ) opera eorum, etiam præstantissima, peccata ab antiquis dicuntur: quia non fiunt sine peccato.

HÆc etiam Græcorum sententia est. Multorum instar fuerit unus Theophylactus, qui negat, ullum inveniri bonum gentilem. Nam in Iohan. III. 19. ait, τὸ μὲν γὰρ εἶναι φαύλους Χριστιανοὺς, καὶ αὐτός φημι· τὸ δὲ Ἕλληνας ἀγαθοὺς εὑρεθῆναι, οὐκ ἄν ποτε φαίην. Rationem adfert, quia gloriæ studio omnia egere, οἱ δὲ ποτε ἔδοξαν ἀγαθοὶ, ἀλλὰ πρὸς δόξαν πάντα ἐποίουν. Bonos verò non esse, qui solo ignominiæ metu non peccant, aut gloriæ studio boni aliquid agunt; eo probat, quòd tales, simul ac malum fore occultum sperant, mox ad deteriora animum adjungunt. Nam, inquit, si nec Christianos gehennæ metus, aut tot sanctorum exempla in officio semper continent, quid magni sperabimus de gentilium nugis? εἰ γὰρ ἡμᾶς, καὶ γεέννης ἀπειλὴ, καὶ ἄλλη πᾶσα ἐπιμέλεια, καὶ βίοι ἀναρίθμητοι ἁγίων, μόλις κατέχουσι τοὺς ἀνθρώπους ἐν ἀρετῇ, σχολῇ γ' αἱ παρ' Ἕλλησι φλυαρίαι, καὶ μιαρίαι, τοὺς παρ' ἐκείνοις ἐν τῷ καλῷ καθέξουσι; μέγα μὲν οὖν, εἰ καὶ μὴ παγκάκως εἰργάσαντο. Similiter Latini: etiam Cyprianus, qui virtutes eorum non veras virtutes putat, sed falsas; nempe veras quidem, quà verum opponitur ficto & simulato; at falsas, quà verum opponitur perfecto. Sic enim scribit tmem. I. lib. De bono patientiæ: *Hanc se sectari, Philosophi quoque profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quàm falsa sapientia est. Unde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec potentiam Dei novit: quando ipse de iis, qui sibi sapere in mundo videntur, moneat & dicat, Perdam sapientiam sapientium, prudentiam prudentium reprobabo.* Mens eadem Hieronymo in cap. III. ad Gal. *Considerandum, quia non dixerit, homo aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda, sed justus ex fide vivit: ut quicunque fidelis esset, & per fidem victurus, non aliter posset ad fidem venire, vel in eâ vivere, nisi priùs justus fuisset, & puritate vitæ, quasi quibusdam ad fidem gradibus ascendisset. Potest ergo fieri, ut sit aliquis justus, & tamen vivat absque fide Christi. Si legenti scrupulus commovetur, Pauli verba suscipiat, in quibus de se ait, Secundum justitiam, quæ in Lege est, sine reprehensione. Erat igitur Paulus tunc justus in Lege, sed necdum vivere poterat, quia non habebat in se Christum loquentem: Ego sum vita. In quem credens postea cœpit & vivere. Faciamus & nos aliquid simile huic, quod dicitur, Justus ex fide vivit; & dicamus, Castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit: & à cæteris virtutum partibus vicinam sententiam proferamus adversum eos, qui in Christum non credentes & sapientes, temperantes se putant esse, vel justos, ut sciant, nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est.* Idem in cap. VI. ejus epistolæ: *Quomodo autem juxta Apostolum Jacobum, fides absque operibus mortua est: sic absque fide quamvis bona opera sint, mortua computantur. Qui igitur in Christo non credunt, & sunt probis moribus, aliud quid magis habent, quàm opera virtutum.* Speciatim verò pudicitiam gentilium esse veram virtutem, negat Tertullianus initio libri de cultu feminarum: *A feminis*, inquit, *nationum abest conscientia veræ pudicitiæ: quia nihil verum in his, quæ Deum nesciunt præsidem & magistrum veritatis.* Eademque de re aliquanto pòst ait; *Perversa sunt omnia, quæ à Deo non sunt.* Similiter de eâdem gentilium pudicitiâ Augustinus lib. IV. contra Jul. cap. III. *Cum virtus*

sit

sit pudicitia, cujus vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent: quomodo verâ ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? Et aliquibus interjectis: *Absit, ut sit in aliquo virtus, nisi fuerit justus: absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide: Justus enim ex fide vivit.* Imò etiam naturales actiones rectè institue-re negat lib. XXXI. contra Faustum cap. IV: *Infidelis, sive abstineat sive comedat, non sanctè vel justè comedit, vel abstinet, quia pravâ opinione utrumque facit.* Respicit autem locum Pauli Tit. I. 15. Prosper lib. De nat. & grat. ad Rufinum: *Gratia Dei quoscunque justificat, non ex bonis meliores, sed* EX MALIS *bonos facit, postea per profectum ex bonis factura meliores, non adimit libero arbitrio, sed liberato. Quod donec sine Deo solum fuit, mortuum fuit justitia, vixitque peccato.* Idem carm. de ingratis. cap. XVI.

Et licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet:
Cæca tamen FINEM AD MORTIS, *per devia currit,*
Nec VITÆ ÆTERNÆ *veros acquirere fructus*
DE FALSA VIRTUTE POTEST.

Idem contra Collatorem cap. XXII: *Si (quod magis vult hic disputator intelligi) de illis ista dicuntur, qui alieni à gratia Christianâ, quædam ad similitudinem legalium mandatorum proprio judicio sanciebant, intelligentes, mores civitatum concordiamque populorum non posse aliter contineri, nisi ut rectè factis præmia, & peccatis pœna decernerentur: quis ambigat, hanc sapientiam humano generi, ad temporalis vitæ utilitatem, ex natura à Deo condita superesse reliquias? Si enim nec ad ista terrena ordinanda, rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed exstincta natura. Quæ tamen etiamsi excellentissimis artibus, & cunctis mortalium eruditionum polleat disciplinis, justificari ex se non potest, quia* BONIS SUIS MALE UTITUR, *in quibus sine cultu veri Dei, impietatis immunditiaque convincitur, & unde se defendi exstimat, accusatur.* Hoc indefinitè dictum restringit Prosper. Negat, hominem viribus naturæ posse ea, quæ Legi verè congruant: fatetur autem, operari aliqua *ad similitudinem mandatorum legalium.* Nempe quomodo & Augustinus lib. IV. in Jul. cap. III. vocat gentilium virtutes *civiles, non veras, sed verisimiles.* Præterea negat Prosper, posse quicquam, quod ad salutem conducat, sive quo *justificetur*: fatetur, posse multa ad *mores civitatum, & concordiamque populorum*, sive *ad temporalis vitæ societatem.* Nimirum, quomodo Augustinus epist. CCCIII. de Polemonis continentiâ ait, valere *solum ad præsentis vitæ honestatem, non etiam ad meritum æterna.* Similiter scriptor de vocat. Gent. lib. I. cap. VII a: *Etsi naturali intellectu conatus sit vitiis reluctari, hujus tantum temporis vitam steriliter ornavit: ad* VERAS VIRTUTES, *æternamque beatitudinem non profecit.* Et cap. VIII b: *Si Deus non operatur in nobis, nullius possumus participes esse virtutis. Sine hoc quippe bono, nihil est bonum; sine hac luce, nihil est lucidum; sine hac sapientiâ, nihil sanum; sine hac justitiâ, nihil rectum.* Beda Presbyter lib. I. in Cant. *Quod ergò* (Julianus dicit,) *multos philosophorum patientiam, castitatem, modestiam, aliasque de natura bene habere virtutes, constat; quia quicunque philosophorum Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem, nec ullam veram sapientiam habere potuerunt. In quantum verò vel gustum aliquem sapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum hoc desuper acceperunt, non solum munere primæ conditionis, verùm etiam quotidianâ ejus gratiâ, quia creaturam ejus nec se deserentem deserens,* (sic interpungendus is locus c) *dona sua, prout ipse judicaverit, hominibus, & magna magnis, & parva largitur parvulis.* Denique Augustinus opera omnia gentilium peccata vocat, quia semper conjuncta sunt cum peccato. Ut contra Julian. lib. IV. cap. III. *Si gentilis nudum operierit, numquid, quia non est ex fide, peccatum? Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est: non quia per se ipsum factum, quod est, nudum operire, peccatum est, sed tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Idem De gestis Palæstinis cap. XIV: *Quantumlibet opera infidelium prædicentur: Apostoli sententiam veram novimus, Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Similiter hunc Pauli locum explicat lib. De gratiâ Christi, cap. XXVI. & epist. CV. Nec obstat, quòd Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Oecumenius atque alii, per fidem hic conscientiæ dictamen intelligunt. Nam potuit dicere Augustinus, loqui Apostolum de isto dictamine conscientiæ, quod ex Christianâ fide proficiscitur: nempe ut mens Apostoli sit, Quicquid non provenit ex fide Christianâ, per conscientiam ad opus applicatâ, illud peccatum censetur. Augustinianam interpretationem sequitur quoque Leo serm. II. de jejunio Pentecostes, ubi de Christianorum & Paganorum jejunio tractans, *Aliud,* inquit, *agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides justificat, etiam manducantem: apud illos infidelitas polluit jejunantem: unde quia extra Ecclesiam Catholicam* NIHIL EST INTEGRUM, NIHIL CASTUM, *dicente Apostolo, Omne, quod non est ex fide, peccatum est; cum divisis ab unitate corporis Christi nullâ similitudine comparamur, nullâ communione miscemur. Ad virtutem enim continentia nihil prius pertinet, quàm ab erroribus abstinere, quia tum demum benè ambulatur, cum per viam veritatis inceditur.* Nec aliter Prosper lib. III. De vitâ contempl. lib. I. *Dicendo, Omne, quod non est ex fide, peccatum est; declaravit, quòd omnia bona, aut ex fide gesta, virtutes sunt, quæ profectò justificant: aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia.* Et ex Augustino, sententiâ CVI: *Omnis infidelium vita peccatum est: & nihil est bonum sine summo bono. Ubi deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis,* FALSA VIRTUS *etiam est in optimis moribus.* Et epist. ad Rufinum, *Omne,* ait; *quod ex fide non est, peccatum est. Ut scilicet intelligat, justitiam fidelium non esse justitiam, quia sordet natura sine gratiâ.* Vide & adversus Collat. c. XXII. & carm. De ingratis cap. XVI. Eadem mens scriptoris de vocat. gent. cap. VII a: *Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus esse videtur, peccatum est.* Et Gregorius M. in lib. II. Moral. cap. XV: *Si non priùs in corde nostro fides gignitur, reliqua quoque esse bona non possunt, licet esse videantur.* Adi & Bernardum lib. De præcept. & discipl.

Atque ex his satis liquet, quomodo infidelium opera, quæ nunc bona dicuntur, laudanda dicuntur, sancta & Dei dona dicuntur, eadem dicantur falsa bona, vitiosa opera, & immunda, atque adeo peccata. Quæ tam manifesta sunt, ut Bellarminus lib. V. De gratiâ & libero arbitrio cap. XI. fateatur, opera gentilium, etiam quæ referuntur ad bonum finem particularem, ab Augustino & aliis vocari *peccatum largè modo, quia non habent omnem perfectionem, quam habere possent.* In quo vel acutior, vel candidior fuit Cornelio Cornelii à Lapide, qui ad locum Pauli Rom. XIV. 13. scribit, *Augustinum cum suis τὸ* QUOD NON EST EX FIDE, *per μείωσιν sic accipere, quasi dicat Apostolus: quod est ex infidelitate, vel quod est contra fidem, quodque fit ad cultum idoli, hoc peccatum esse: & quia S. Augustinus putabat, pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum, hinc consequenter pleraque opera putasse esse peccata.* Nec enim de plerisque tantùm operibus loquitur Augustinus, sed de universis: quem & è Scholasticis secuti hac parte Gregorius Ariminensis, Capreolus, Cathatinus. Et quid mirum, sic Augustinum sensisse de operibus irregenitorum, qui non tantùm omnimodum caritatis defectum, sed etiam imperfectionem ejus, quæ est in renatis ipsis, vitium & peccatum nominet? Ut epist. XXIX. ad Hieronymum: *Plenissima caritas, qua jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu*

a *Apud Prosp. sed Ambros. cap. 3.*

b *Apud Prosperum ex supplem. Cod. Cambrensis.*

c *Nempe ut sententia sit, nec deserens creaturam, licet ab ea deseratur ipse.*

a *Apud Prosp. sed apud Ambros. c. 3.*

autem augeri potest, profectò illud, quod minus est quàm debet, ex vitio est; ex quo vitio non est, qui faciat bonum, & non peccet. Et lib. De perfectione justitiæ cap. XV. *Peccatum est, cùm vel non est caritas, quæ esse debet, vel minor est quàm debet.* Unde & Bellarminus lib. IV. De justificatione cap. XXI. fatetur, etiam in renatis à B. Augustino *appellari vitium & large modo peccatum, imperfectionem, & defectum illum, qui est in nobis ratione concupiscentiæ.* Similiter Augustino loquuntur alii qui reformatarum Ecclesiarum doctores: sed dici vix potest, quamopere hoc nomine ab Ecclesiæ Romanæ scriptoribus vapulent. Quodsi eâdem illi æquitate in nostris, quâ in Augustino, uterentur, candorem suum magis probarent omnibus bonis, & quo argueremus eos προσωποληψίας, minus tunc haberemus.

FINIS LIBRI TERTII.

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ

DE

CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE

reliquiæ moverunt,

LIBER QUARTUS;

QUI EST

DE GRATIA PRÆVENIENTE.

SUperiori libro exposuimus, quid de gratiæ necessitate statuerint, qui ante Pelagii tempora vixerunt: atque ut in hac doctrinâ fluctuans Pelagius, primùm hoc, mox aliud atque aliud dixerit, & propius propiusque ad Catholicos semper accesserit: & ut in aliquo Pelagii errorem Julianus castigârit: ac super quibus nunquam inter Pelagium vel Julianum, & Catholicos convenerit: quibus subjecimus dissertationem de virtutibus gentilium, ut lucis aliquid afferremus Catholicæ sententiæ de gratiæ ad actus singulos necessitate. Proximum est, ut à Pelagianis ad Massilienses transeamus, qui Pelagianum errorem ex parte correxerunt, ex parte item retinuerunt: unde Prosper eos reliquias Pelagii appellat: vulgo item Semipelagiani vocantur. Horum sententiâ expositâ, disquiremus, utrùm scriptores Ecclesiastici, qui ante obortam hanc controversiam vixerunt, amplexi sint sententiam, quam Massilienses sequebantur. Hoc libri hujus argumentum erit. Nunc, quod promisimus, exsolvamus.

LIBRI

LIBRI QUARTI

PARS PRIOR;

Quæ est de Massiliensium sententia, super controversia de necessitate gratiæ prævenientis.

THESIS I.

Massiliensium dogma partim respicit præparationem ad spiritum sanctificantem: partim perseverantiam in bono. Ad prius quod attinet, fatebantur quidem gratiam prævenientem: sed eam duntaxat, quæ præveniat opera bona; in quo à Juliano distinguuntur: non item, quæ præveniat initium fidei & bona voluntatis, per quæ Deum ab homine præveniri credebant. Nec tamen, ex eorum mente, semper homo prævenit Deum, sed interdum: quo & ipso differunt à Juliano. Tertium etiam inter hos discrimen erat. Nam Julianus profitebatur, hominem per conatus bonos gratiam promereri: Cassianus verò & Massilienses etiam ipsi eos damnabant, qui dicerent, gratiam secundùm merita conferri: idque eo quòd judicarent, non tanti esse primos naturæ conatus, ut dici posset, per eos nos dignos reddi gratiâ Spiritus Sancti. Interea fatebantur, esse occasionem, quâ moveatur Deus, ut gratiam suam donet. Nempe tantam Dei esse misericordiam aiebant, ut tantillum boni orsum luculente adeò præmio rependat.

NOn eo solùm differebant Massilienses à Pelagio, quòd faterentur peccatum originale; sed etiam, quòd necessitatem gratiæ agnoscerent: à Juliano quoque in hoc ipso capite distinguebantur, quia ille credebat hominem in opere bono adjuvari, non item ad benè operandum divinâ gratiâ præveniri: credebat item, hominem (si Apostolos excipiamus) semper incipere benè absque gratiæ auxilio: credebat denique, isto præclaro conatu divinam gratiam promereri: quorum singula superiori libro demonstravimus. At nihil horum dicebant Massilienses. Primùm enim concedebant, nos gratiâ præveniri in omni opere bono: unde sic Hilarius ad August. *Ad nullum opus, vel incipiendum, ne dum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* Et ex eo Augustinus lib. I. de prædest. cap. I: *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum; sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Subjicit deinde Augustinus: *Retenta ergo ista, in quæ pervenerunt,* PLURIMUM EOS A PELAGIANORUM ERRORE DISCERNUNT. Similiter cap. XVI. lib. de bono perseverantiæ: A PELAGIANORUM *porrò* HÆRETICA PERVERSITATE *tantum isti* REMOTI *sunt, propter quos hæc agimus, ut licet nondum velint fateri, prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permanentes, jam tamen* FATEANTUR, QUOD EORUM PRÆVENIAT VOLUNTATEM, *quibus datur hæc gratia.* Intelligit, uti diximus, voluntatem piè justeque vivendi; inter quam & fidem Massilienses intercedere dicebant gratiam, quâ renascimur in Christo: eamque volebant posteriorem esse fide, vel saltem credendi affectu & conversionis desiderio: unde & qui gratiam prævenientem respectu operum bonorum statuebant, hi eam respectu conatuum primorum negabant. De fidei initio quod dixi, illis Prosperi ad Augustinum verbis comprobatur: *Inquiunt, vitam æternam his apprehendi, qui Deo* SPONTE *crediderint, &* AUXILIUM GRATIÆ MERITO CREDULITATIS *acceperint.* De conversionis desiderio sic idem: *Cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Nempe juxta eos, ut idem aliquanto pòst ait: *Hominem nihil priùs merentem, quia nec existentem liberi arbitrii,* RATIONALIS GRATIA CREATORIS *instituit, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc* GRATIAM, QUA *in Christo* RENASCIMUR, *pervenire,* PER NATURALEM *scilicet* FACULTATEM, *petendo, quærendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia* BONO NATURÆ *bene usus* a, *ut ad istam* SALVANTEM GRATIAM, INITIALIS GRATIÆ *ope meruerit pervenire.* Quibus in verbis duplicem ponit gratiam. Priorem variè describit: primùm appellat rationalem gratiam creatoris, mox naturalem facultatem, hinc naturæ bonum, denique gratiam initialem. Alteram prius vocat gratiam, quâ in Christo renascimur, mox nominat gratiam salvantem. Ab initiali gratiâ, juxta Massilienses, ad salvantem pervenire nos ait bono initialis gratiæ usu: atque huc accommodare eos ait Christi verba, *Petite, & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Eodem pertinet, quod aliquanto pòst sentire illos dicit, *Quantum quisque ad malum, tantum habet facultatis ad bonum, parique momento animus se vel ad vitia, vel ad virtutes movet; quem* BONA APPETENTEM *gratia Dei fovet, mala sectantem damnatio justa suscipit.* Etiam circa finem epistolæ est illustris hic locus: *In istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur: si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit; non ideo quia adjuvatur velit: si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semet ipso inchoare malè creditur: si aliunde Deo placetur, nisi ex eo, quod ipse donaverit.* Similiter Hilarius b eos & fidei initium, & sanationis desiderium naturæ tribuere docet, his verbis: *Id conveniens asserunt veritati vel congruum prædicationi, ut cùm prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo* MERITO, QUO VOLUERINT ET CREDIDERINT *à suo se morbo posse sanari, &* IPSIUS FIDEI AUGMENTUM, *& totius* SANITATIS *consequantur* EFFECTUM. Idem pleniùs ostendunt, quæ mox subjungit: *Neque, inquit, alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterritâ supplici c voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur, Crede, & salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod*

a Ita habent edit. Basil. a. 1528. & 1556. Venet. a. 1550. & 1555. pluresque aliæ. Sed in Cassandriana deleto vel ut, recte legitur, bene usus ad istam.

b Epist. ad August.

c Ita habet edit. Venet. a. 1545. & 1550. Basil. a. 1528. & 1556. atque alia. sed Cassander, qui epistolam Hilarii & Prosperi ad fidem MSS cod. restitutam Coloniæ edidit an. 1552. recte rescripsit supplici, ut & postea Lugd. a quæ est a. 1586.

 offer-

a Ito edit. Ven. utraque Bas. & aliæ: sed vi NON rectè omittit Cassandriana & Lugd. 2.

offertur deinceps tribuatur. Unde non a consequens putant, exigendam ab eo fidem, cujus natura id voluntate conditoris concessum est: & nullam ita depravatam, vel exstinctam putant, ut non debeat, vel possit se velle sanari. Propter quod ut sanetur quis à suâ, velsi noluerit, eum suâ ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat: non autem quicquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud, Sicut unicuique partitus est mensuram fidei, & similia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui cœperit velle; non ut etiam donetur, ut velit.

Interim, QUALECUNQUE SIT INITIUM VOLUNTATIS, (verba sunt Hilarii) *fatentur, non posse progredi ad salutem, sive* (ut idem eâpse epistolâ ait) *ad nullum* OPUS *vel incipiendum, nedum perficiendum, sibi sufficere posse consentiunt.* Unde satis liquet, distinxisse eos inter credendi affectum & fidei incrementum; inter voluntatem, quâ bonum quæritur, & inter opus, quo piè vivitur.

Idem testatur Augustinus toto libr. I. de prædest. Nam cùm cap. I. dixisset, agnoscere Massilienses tum generis humani in Adamo corruptionem, tum gratiæ ad opus bonum tam incipiendum quàm consummandum necessitatem, atque hæc eos à Pelagiano errore discernere: controversiæ statum his verbis indicat cap. seq. *Sed nunc eis respondendum esse video, qui dicunt, ex nobis nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen augeatur in nobis, eo merito, quo cœpit à nobis.*

Massiliensium sententiam his verbis expressit Prosper Carm. de Ingratis cap. XXXIX:

Sed eum damnatis sapiunt, damnataque promunt,
Cùm dicunt, nihil esse animis per vulnus avitum
Detractum decoris, splendoremque omnibus illum
Nunc talem innasci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrii discernere sano
Posse oculo cordis, quicquid sit ritè gerendum.
Nec solùm ad vitæ præsentis commoda sollers
Sufficere ingenium, quo se tueatur & ornet:
Sed summis etiam mentem aptam percipiendis,
Æternisque bonis, sponte ad cælestia ferri:
Perque viam ad Christum, quam fecerit ipsa, venire.
Hinc hominem multâ recti assuetudine firmum
Posse repugnare adversis, nec cedere pœnis,
Quas superanda animæ per carnem admoverit hostis,
Auxilio abscedente Dei: qui deserat aptò
Utiliterque suos, ut de certamine agonis
Quæsitas referant palmas: nec nulla piorum
Sint merita, & vera priventur laudis honore.

Sed imprimis eorum mentem cognoscimus ex Prosperi libro adversus Collatorem, h.e. Cassianum, qui Collationum libris sub Chæremonis personâ suam docuit sententiam. In his eum negasse gratiam prævenientem, ostendunt illa Prosperi verba: *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? cur ad famosam falsitatis caliginem relictâ serenissima veritatis luce devolveris? quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusque miraris, cur non eidem gratiæ, quæ desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia, & dubitas esse Dei dona? latuerit opus gratiæ, donec fides intra cogitationis claudebatur arcano: at ubi supplex oratio, ubi diligens inquisitio, ubi apparet crebra pulsatio, quare non ex qualitate operis subministrationem intelligis incitantis?* Nec tamen putasse, semper ab homine Deum præveniri, sed esse multos, qui præveniantur gratiâ divina, ostendunt ea, quæ continuò subjungit: *Et satis te contra Pelagianorum calumnias præcavere existimas, si quod in universitate vocatorum sentiendum est, id nobis in portione concedas? Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus, libera voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium, & utrique parti inconveniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentiâ permaneres.*

Sed partim ut pleniùs hæc intelligantur, partim ne soli Prospero de adversario, sed ipsi de se Cassiano credamus, ipsa adscriam Cassiani verba, quod & fecit ante nos Prosper. Ex quibus planum fiet omnibus, putâsse Cassianum, non ita læsum esse liberum arbitrium, ut non reservarit cognitionem boni salutaris, ac semina virtutum, & potentiam præstandi actus moraliter bonos, & resistendi tentationibus, & inchoandi fidem, & Deum invocandi, & pœnitentiam agendi de peccatis, & per hæc omnia se præparandi ad gratiam salutarem: & post eam adeptam, perseverandi in bono facultatem.

Ordiemur ab iis, quibus hominem ad gratiam disponi putabat. Dispositio ea alia est remota, alia propinqua. Remotam statuit ratione actuum moralium. Nam dicit Cassianus, hominem naturâ scire bonum, & ad agendum illud esse propensum. De scientiâ boni, colligit hoc Cassianus ex istis Genes. verbis cap. III: *Ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum.* Sic enim scribit Collat. XIII. cap. XII: *Concepit ergò Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali: boni verò, quam acceperat, scientiam non amisit. Denique non amisisse humanum genus post prævaricationem scientiam boni, etiam Apostoli sententiâ evidentissimè declaratur, quâ dicit: Ostendunt gentes opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum.* Et paullo pòst: *Denique Dominus in Evangelio increpans Pharisæos, Quid autem, inquit, etiam ex vobis ipsis non judicatis quod justum est? Quod utique eis non dixisses, nisi eos, judicio naturali, id quod æquum est, scisset posse discernere.* Nec hominem tantummodo bonum scire, sed etiam ad illud propensum esse aiebat. Quod voluit cùm diceret, virtutum semina inesse homini à natura. Sic enim loquitur cap. XII. libri ejusdem: *Dubitari ergò non potest, inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.* Hinc etiam virtutem ipsam ex parte ait naturæ deberi. Nam sic scribit Collat. XXIII. cap. II: *Multa enim novimus bona, quæ beatum Apostolum, omnesque illius meriti viros, & per naturam habuisse, & acquisivisse per gratiam, negare non possumus.* Enumerat deinde Apostolicas virtutes, castitatem, continentiam, prudentiam, humanitatem, sobrietatem, temperantiam, misericordiam, justitiam. Has dicit Apostolum habuisse per naturam. Quod seminum sive originis ratione intelligi debet. Nam perfectionem etiam ipse gratiæ tribuit. Unde proximè antecessit: *Quamobrem quid sit principaliter bonum, quod Apostolus, cùm vellet,* PERFICERE *non potuerit, diligentius indagemus.* Et clarè cap. V. gentiles ait habere castitatem *μερικὴν*, sive partialem, non consummatam, qualis est Christianorum. Nec sola homini virtutum semina attribuit, sed etiam cogitationes honestas & actiones virtutis varias. Ut cùm ejusdem Collationis cap. XII. ait: *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendum est, qui nec velit unquam, nec possit bonum.* Quæ non de primo solùm homine, sed etiam posteris vult intelligi. Unde locum Paulinum profert: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* Ac postea addit: *Denique ut possibilitatem boni eis inesse signaret, increpans Pharisæos, Quid autem, inquit, ex vobis ipsis non judicatis quod justum est?* Et mox: *Unde cavendum est nobis, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum atque perversum est, naturæ adscribamus humanæ.* Quod ipsum etiam probat exemplo Davidis, volentis Domino ædificare domum. Unde sic colligit: *Hæc cogitatio atque iste tractatus regis David, utrumne bonus & ex Deo, an malus, & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona & ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo, à quo inspirata est, eidem*

nega-

negatur effectus? Si autem mala & ex homine fuit, cur laudatur a Domino? Restat ergò, ut & bona, & ex homine fuisse credatur.

Ad propinquas dispositiones referunt fidem, orationem, initialem Dei amorem, pœnitentiam. Fidem nobis tribuit Coll. ejusdem cap. XI. *Si gratiâ Dei semper inspirari bona voluntatis principia dixerimus, quid de Zachai fide dicemus?* Et cap. XIV. cùm illa Christi verba adduxisset: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel:* addit: *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat, pratulisset. Alioqui dixisset, Non dedi tantam fidem in Israel.* Et cap. XIII. *Nec enim, quia illius in cruce latronis praecesserat fides, idcirco pronuntiandum est, non ei beatam commorationem paradisi gratuito esse promissam.* Hinc Prosper carm. de Ingratis:

—— Cui ad vera capienda exordia vita,

Naturam AFFECTUM FIDEI *conferre docetis.* Idem etiam spem & desiderium boni tribuit homini. Ut cap. IX. *Etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi; semper verò à Domino indiget adjuvari. Nec enim, cum voluerit quis, sanitate perfruitur: aut de agritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest, sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus, qui vita ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat? Ut autem evidentius clareat, etiam per natura bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, (qua tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possint) Apostolus testis est dicens, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

Similiter orationem ad Deum, hominis opus facit. Unde Coll. ejusdem cap. IX. *Dominus petentibus tribuit, à quarentibus invenitur, aperit pulsantibus.* Et cap. XII. *Dominum remorantem, atque utiliter quodammodo subsistentem, ut nostrum experiatur arbitrium, voluntas pravenit nostra, cùm dicitur, Et manè oratio mea praeveniet te.*

De caritate sic idem Coll. XIII. c. XIV. ubi explicat illa verba Deuter. XIII. *Tentat te Dominus Deus tuus, utrum diligas eum in toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, an non. Utique,* inquit, *nec tentari eos justitia Domini permisisset, nisi parem in eis scisset inesse resistendi virtutem, quâ possent aquitatis judicio, in utroque merito vel rei, vel laudabiles judicari.* Ubi etsi indefinitè loquatur Cassianus, tamen de naturæ viribus loqui, atque velle ex iis caritatem emanare, Prosper sensit cap. XXX. libri contra Collat. *Et tanta est secundum istum liberi arbitrii vel incolumitas vel facultas, ut caritatem, qua in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex solâ habeat voluntate.*

THESIS II.

Etiam inter natura opera, quibus salutem inchoëmus, pœnitentiam Pelagius reponebat.

PElagius lib. de Virginitate ad Demetriadem a: *Etiam illi, qui largo peccandi usu bonum quodammodo obruêre natura, instaurari per pœnitentiam possunt, & mutatâ voluntate vivendi consuetudinem consuetudine extinguere, ac optimi quique de pessimis fieri.* Ubi naturam *in melius instauratam remissionem vult intelligi peccatorum:* ut quidem interpretatur Augustinus lib. de gratiâ Christi cap. XXXVII.

a Apud Hieronym. T. 4. p. 20.

Etiam pœnitentiam tribuit naturæ, ejusdem Coll. cap. XIII. *Quòd arguitur* (David) *per Prophetam, divina dignationis est gratia: quòd peccatum suum humiliatus agnoscit, propria libertatis est opus.*

Atque hæc sunt ea, quibus docet Cassianus, hominem disponi ad gratiam Dei. Interea contentus erat dicere, interdum quidem nos præparatione voluntatis propriæ incipere bonum salutare: at sæpiùs à divinâ gratiâ hominem præveniri. Quo ipso à Iuliano Massilienses differre, superiùs dicebamus. Verba sunt Cassiani Collat. XIII. c. XI. *Et ita sunt hac quodammodo indiscretè permixta atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magnâ quaestione volvatur: id est, utrùm, quia initium bona voluntatis prabuerimus, misereatur nostri Deus: an quia Deus miseretur, consequamur bona voluntatis initium. Multi enim singula hac credentes, ac* JUSTO AMPLIUS ASSERENTES, *variis* SIBIQUE CONTRARIIS *sunt erroribus involuti.* Nempe errare eos dicit, qui censerent, semper incipere naturam; errare item, qui arbitrabantur, semper incipere gratiam, ac veritatem esse in medio positam: quia sæpè Deus misereatur nostri, ante initium bonæ voluntatis: interdum verò prævenientem conferat gratiam, propter bonum naturæ usum. Quo etiam cap. IX. refert illud ad Rom. II. *Deus reddet unicuique secundum opera ejus.* Idem cap. XII. *Pravenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini: de quâ dicitur; Deus meus, misericordia ejus praeveniet me. Et rursus, Dominum remorantem, atque utiliter quodammodo a subsistentem, ut nostrum experiatur arbitrium,* VOLUNTAS PRÆVENIT NOSTRA, *cùm dicitur: Et manè oratio mea praeveniet te. Et iterum: Praeveni in maturitate, & clamavi. Et: Praevenerunt oculi mei ad te diluculo. Advocat etiam nos, & invitat, cùm dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem mihi & contradicentem. Et invitatur à nobis, cùm dicimus ei: Totâ die expandi manus meas ad te.* EXPECTAT NOS, *cùm dicitur per Prophetam: Propterea exspectat Dominus, ut misereatur nostri. Et exspectatur à nobis, cùm dicimus, Exspectans exspectavi Dominum, & intendit me. Et, Exspectabam salutare tuum, Domine. Confortat nos, cùm dicimus: Et ego erudivi, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam. Et ut nosmet ipsos confortemus, hortatur, cùm dicit: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Clamat Jesus, Siquis sitit, veniat ad me, & bibat. Clamat etiam ad eum Propheta: Laboravi clamans, rauca facta sunt fauces mea, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Quarit nos Dominus dicens: Quaesivi, & non erat vir; vocavi, & non erat qui responderet. Quaeritur & ipse à sponsa flebiliter conquerente: In cubili meo in noctibus quaesivi, quem dilexit anima mea; quaesivi eum, & non inveni; vocavi eum, & non respondit mihi.* Similis est locus ejusdem libri cap. XIII. quem infrà citavimus. Idem cap. XV. exemplis hæc confirmat. Docet enim, Zachæum & latronem priùs postulasse gratiam, quàm iis gratia à Deo daretur, eoque sollicitudine suâ Christum prævenisse: at contrà Matthæum ac Paulum à divinâ fuisse gratia præventos. *Andream,* inquit, *ac Petrum, caterosque Apostolos, nihil de salutis sua remedio cogitantes, spontaneâ gratia sua dignatione pravenit. Zachaum ad conspectum Domini fideliter se extendentem, non solum suscipit, sed etiam benedictione cohabitationis illustrat. Invitum ac repugnantem attrahit Paulum; Cornelio & precibus & eleemosynis jugiter insistenti, velut remunerationis vice, via salutis ostenditur, &c.* Idem cap. XVII. *Per hac igitur exempla, qua de Evangelicis protulimus monumentis, evidentissimè possumus advertere, diversis atque innumeris modis,* INSCRUTABILIBUS VIIS, *Deum salutem humani generis procurare: &* QUORUNDAM *quidem volentium & sitientium cursum ad majorem incitare flagrantiam:* QUOSDAM *verò etiam nolentes invitosque compellere:* ET NUNC QUIDEM, *ut impleantur ea, qua utiliter à nobis desiderata perspexerit, adjuvare:* NUNC VERO *etiam ipsius sancti desiderii inspirare principia, vel initium boni operis, vel perseverantiam condonare.* Et cap. XVIII. idem repetit, interque alia ait: ET ALIOS QUIDEM *volentes currentesque suscipere,* ALIOS VERO *nolentes renitentesque pertrahere, & ad bonam cogere voluntatem.*

a Absque hac particula QUODAMMODO a plerisque locum hunc citari video, forsasse ex antiquioribus editis. In Basileensi tamen, qua cum Damasceno prodiit, itemque in Romanâ, additur, si non à bonâ manu, saltem mente bonâ.

Hactenus ex ipsius Cassiani verbis ostendimus, quid sen-

senserit de necessitate auxilii divini ad fidei initium, conversionis desiderium, aliaque quæ sub istis comprehendi solent. Cùm verò hæc sint illa ipsa, quæ ex eo apud Prosperum leguntur, libro ad Collatorem, planum est, totâ illos errare viâ, qui censent, vulgarios Cassiani codices esse illos, quos Cassiodorus sive alius a Massiliensium dogmate repurgavit.

Quodsi omnino lubido est, patrocinari florentissimi ingenii & flagrantissimæ pietatis scriptori: auxilia longè alia ad caussam advocare oportet. Videndum enim, an quæ ab antiquitate in Cassiano vel damnantur ut falsa, vel notantur ut suspecta; hæc commodâ interpretatione sic leniri possint, ut nihil contineant istiusmodi, quale in Massiliensibus damnarit vel Cœlestinus epist. ad Gallos, vel Synodus Arausionensis secunda. Et sanè, si cum Prospero, non de dogmate quidem, de quo planè cum Prospero sentiendum, sed de Cassiani mente pedem struere licet: sunt aliqua quæ suadeant, credidisse Cassianum, voluntate hominis bonâ priores semper esse actus misericordiæ divinæ inspirantis cogitationes bonas, atque instruentis eum virtute ad operandum bonum. Quod si ita est, fortasse hoc solùm voluerit Cassianus, multiplices esse divinæ gratiæ effectus: ac quanquam absolutè loquendo semper Dei gratia præcedat: tamen in effectis consequentibus non similiter semper se gratiam habere. Interdum enim priori gratiæ non superaddi novam, sed exspectari hominis conatum, è collatâ gratiâ elicitum: qui si divinæ respondeat voluntati, Deum istiusmodi actum bonum majori gratiâ remunerari: quo sensu non ἁπλῶς homo præveniat Deum, sed κατά τι, sive ratione hujus vel illius actus, idque postquam Deus jam prior hominem respexerat, eique inspirarat cogitationes bonas, & virtute secretâ stupentem excitarat voluntatem; quâ virtute si rectè homo utatur, Deus habituali auxilio etiam superaddat speciale aliquod auxilium actuale: sin voluntas cesset ac torpescat, eâ se gratiâ planè reddat indignum: etsi nec tunc Deus gratiam habitualem auferat, vel generale auxilium neget.

Hoc Cassianum sensisse, illud primò suadet, quòd ostensurus, posse nos aliquid per arbitrii libertatem, ac Deum interdum præveniri à nobis, eorum utatur exemplis, qui regeniti jam erant. Ut cùm cap. XII. Collat. XIII. ait, *Prævenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini, de quâ dicitur* a, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Et rursus, Dominum remorantem atque utiliter quodammodo subsistentem, ut nostrum experiatur arbitrium, voluntas prævenit nostra, cùm dicitur* b, *Et manè oratio mea præveniat te. Et iterum* c: *Præveni in maturitate, & clamavi. Et* d, *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* Quid clarius est quàm loqui hîc Cassianum de eo, qui regeneratus erat à gratiâ? Idem liquet ex cap. XII. ubi ut ostendat, cogitare hominem boni aliquid posse, exemplum adfert Davidis: qui domum ædificare Deo statuerat, atque eo nomine laudatur, ac nihilominus id facere prohibetur; quod, inquit, non fecisset Deus, si ipse eam cogitationem inspirâsset. Atque addit, *In quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus judicare. Neque enim aut soli David bonum ex semet ipso cogitare concessum est, aut nobis, ne quid boni unquam sapere aut cogitare possimus, naturaliter denegatur.* Quamquam enim horridius dictum est, cogitationem laudabilem ex se habuisse, non ex Deo; tamen cùm de Davide jam regenito sermo sit, fortasse hoc sic accipere possumus, quasi dicat, Deum non semper ad actus laudabiles concurrere auxilio speciali: sed posse hominem ex virtute gratiæ habituali laudabile aliquid præstare, cum generali Dei auxilio, sine gratiâ illâ specialis adjutorii.

a Ps. 58.
b Ps. 87.
c Ps. 118.
d Ibid.

Pugnat idem Cassianus Abrahami exemplo: de quo sic scribit cap. XIV. ejusdem libri; *Quam explorationem fidei, etiam in illo magnificentissimo Patriarchâ, divinam legimus dispensasse justitiam, cum dicitur: Et factum est, post hæc verba, tentavit Deus Abraham. Non enim illam fidem, quam ei Dominus inspirarat, sed* ILLAM, QUAM VOCATUS SEMEL ATQUE ILLUMINATUS A DOMINO, PER ARBITRII LIBERTATEM POTERAT EXHIBERE, *experiri voluit divina justitia. Unde non immeritò fidei ejus constantia comprobatur, atque ad eum, subveniente gratia Dei*, QUÆ PAULISPER EUM SUBRELIQUERAT *ut probaret, ita dicitur: Ne inferas manum tuam in puerum, neque facies ei quicquam: nunc enim scio, quia times Dominum tu, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Dicit, hominem derelictum à Deo credere in Deum, sed derelictum κατά τι, quatenus eum destituit actuali, & speciali auxilio: non derelictum ἁπλῶς: quia priorem gratiam non abstulit Deus, nec generale auxilium operandi negavit: quia hoc si esset, confidere Deo non potuisset.

Memorabilis etiam est locus iste cap. XIII. ejusdem libri: *Et ita* SEMPER *gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit atque defendit, ut* NONNUNQUAM *etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel exspectet: ne penitus dormienti aut inerti otio dissoluto sua videatur dona conferre.* Quorum hæc verborum mens esse videtur: Deum quidem SEMPER vires conferre ad bene agendum, nec unquam nos bene operari absque auxilio & concursu divino: verùm non semper eum hominis voluntatem adjuvare adjutorio gratiæ suæ speciali.

Sane hoc pacto, vel simili quapiam ratione, nisi Cassianum interpretemur, manifestè secum pugnabit: nec hîc tantùm; sed toto penè libello, polypi instar sese mutasse dicendus erit. Nam apertè præviam gratiam fatetur etiam c. VIII. Collat. XIII. cum inquit: *Non solùm desideria sancta benignus inspirat, sed etiam occasiones præstruit vitæ, & opportunitatem boni effectus, ac salutaris vitæ directionem monstrat errantibus.* Et cap. III. ejusdem Collat. multis probat, etiam conatus nostros à Deo esse: quam disputationem his verbis concludit: *Quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis.* Nec, ab alio ea Cassiano esse inserta, dici debet, quando hæc ipsa citat ex eo Prosper, atque addit, *Hoc & nos amplectimur.* Sed mox alteram è Cassiano propositionem adjungit. Ea istiusmodi est: *Deus cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam atque confortat, & incitat, ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantarit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Quibus hæc Prosper subjungit: *Jam hic à præmissâ definitione disceditur, & quod totum gratiæ datum fuerat, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.* Censet igitur Prosper, pugnare secum Cassianum. Sed, uti vidimus, nulla hîc pugna erit, si dicatur Cassianus hoc divinæ gratiæ opus vocare, quod Deus non cooperantibus nobis operatur: hoc verò dicere hominis vel liberi arbitrii opus, quod is ex habituali gratiâ elicit cum solo generali Dei concursu.

Etiam comprobari potest, Cassianum de falsis gentilium virtutibus consensisse cum Catholicis. Ejus enim verba sunt Collat. XIII. cap. VI. *Licet in multis, imò in omnibus possit ostendi, semper auxilio Dei homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad salutem pertinet, per se solam, id est sine adjutorio Dei, posse perficere: in nullo tamen evidentius quàm in acquisitione atque custodiâ castitatis ostenditur.* Videamus igitur, quid de Philosophorum castitate senserit capite antecedenti: *Primùm philosophos nequaquam credendum est talem animi castitatem, qualis à nobis exigitur, assecutos; quibus injungitur, ut non solùm fornicatio, sed ne immunditia quidem nominetur in nobis. Habuerunt autem illi* μερικήν a, *hoc est portiunculam castitatis, id est abstinentiam carnis, ut tantum à coitu libidinem coercerent: hanc autem internam mentis ac perpetuam corporis puritatem, non dicam opere* asse-

a al. μικρὰν.

assequi, sed nec cogitatione potuerunt. Mox hoc probat ipsius Socratis exemplo, qui discipulis indignè ferentibus à physiognomone objici in magistro ὄμματα παιδεραστοῦ, respondit, παύσασθε ἑταῖροι. εἰμὶ γὰρ, ἐπέχω δέ. Hinc sic concludit: *Apertissime igitur non solùm assertione nostrâ, sed etiam ipsorum professione monstratur, consummationem tantummodo impudicitia, id est commixtionis turpitudinem, violentâ ab illis necessitate compressam: non tamen desiderium de cordibus eorum, & oblectationem illius passionis exclusam.* Mox idem Diogenis exemplo confirmat: *Cum quo*; inquit, *horrore proferenda est illa sententia Diogenis? Factum enim, quod philosophos mundi hujus, velut quiddam memorabile, proferre non puduit, neque dici à nobis, neque audiri sine verecundiâ potest. Nam cuidam in adulterii crimine puniendo, ut ferunt, ait,* τὸ δωρεὰν πωλούμενον, θανάτῳ μὴ ἀγόραζε, *id est quod gratis venditur, morte ne emas.* Tandem sic caput consignat: *Constat ergò, illos* VERÆ *castitatis, quæ à nobis expetitur, nec agnovisse virtutem. Et ideo satis certum est, circumcisionem nostram, quæ in spiritu est, non posse nisi Dei tantum munere possideri, & his inesse solummodo, qui Deo totâ spiritus contritione deserviunt.*

a Oculi corruptoris puerorum. b Quiescite o sodales. nam sum, sed contineo.

His de caussis nihil ei præjudicamus, qui sic Cassianum interpretari volet, ut nec cum Chrysostomo & aliis Græcorum pugnet. Interea Prosperum nos sequimur. Compellit ad hoc autoritas viri etiam Græcis laudati: è quibus Photius eum ἄνθρωπον ὡς ἀληθῶς τοῦ θεοῦ, *hominem vere divinum* appellat, cap. LIV. Movet item quòd, ut in renatis locum habeant quæ diximus, tamen in conversione Zachæi & latronis dispar ratio est. Atqui de his etiam loquitur Cassianus: ubi difficile est eum ab ἀντιλογίᾳ vindicare: nisi illud concedamus, per voluntatem quæ gratiam præveniat, intellexisse desiderium quoddam salutis naturale, & alia, quæ à potestate pendeant locomotiva: quæ quamquam bona spiritualiter non sint, occasionem tamen quandam præbere possint primæ gratiæ. Denique illud etiam, ut Prospero subscribamus, facit, quòd satis verisimile est, Cassiani mentem ab eo probè esse intellectam, quem vivâ etiam voce cum Massiliensibus super his contulisse constat ex epist. suâ ad August. Unde & cap. XXXIII. adversus Collatorem: *Quis*, inquit, *hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet, nisi, quæ* IN COLLUCTATIONIBUS DOMESTICIS SÆPE DEFENSA SUNT, *etiam scripta legerentur.*

Sed utcunque de Cassiano sentiamus, illud omnino opus est, ut si non Cassiani sententiam, de qua disputatur, saltem dogma illud improbemus, quod è verbis Cassiani colligit Prosper, quod item illis, qui eum emendare sunt agressi, docere visus fuit; & propter quod Gelasius ejus libros retulit inter apocryphos; quod denique Synodus Arausicana in Massiliensibus, quorum dux Cassianus habitus fuit, condemnavit. Illud nempe, quo fidei initium & conversionis desiderium, & alia quæ sub illis continentur, naturæ viribus tribuuntur: non virtuti, quæ naturæ vim excedat, eoque suppliciter expostuletur à Deo: uti eorum, qui plenè Catholici sunt, sententia est.

Quod verò de Cassiano diximus, idem dictum volumus de Scriptore libri de Providentia Dei, qui Prospero tribuitur falsò. In eo legas:

Sanguine quos proprio quæsivit prodigus emtor,
Si tamen ASSERTORIS OPEM FESTINA VOLUNTAS
PRÆVENIAT, *fletu* DOMINUM MOTURA *fideli.*
Nam ut nemo invitus, somnove quietus in alto
Fit salvus, nec vi petitur qui sponte recessit,
Sic PULSATA *patent* REDEUNTIBUS *atria vitæ.*

Quibus versibus planè Semipelagianismum spirare videtur. Saltem utcunque σοφῷ φαρμάκῳ mederi talibus studeat aliquis, fateri cogetur, nunquam ita scriptum fuisse Prosperum, qui meritò sermonem hunc improbat in Cassiano, & Massiliensibus. Quod & facit lib. de ingratis. Ubi eorum sententiam proponit his verbis:

—— *Cuique ad vera capienda exordia vitæ*
Naturam affectum fidei conferre docetis.

Et pleniùs his versibus:

Gratia, quâ Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi;
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum:
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti;
Judicioque suo, motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam; quæ se non subtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.
Hinc adjutoris Domini bonitate magistrâ
Crescere virtutum studia, ut quod quisque petendum
Mandatis didicit, jugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant: finem effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam desit honestis.

Sententiam istam hoc Carmine refutat Prosper: ut planè sit verisimile, quod alibi diximus, eò poëmatio de Providentiâ subjici illud de Ingratis, ut sit ἀλεξιφάρμακον atque amuleti loco.

Superest ostendamus, quæ Fausti fuerit sententia. Aliqui eum, etiam eorum qui Augustini sententiam de Prædestinatione tuentur, pro planè Catholico habent. uti Jo. Driedo lib. de Captivitate & redemtione generis humani Tract. IV. part. IV *a*. & Ruardus Tapperus de libero arbitrio *b*; ubi eum Catholicum Galliæ Episcopum & venerandum Patrem appellat; ut de Bellarmino (quamquam sic sententiam retractârit) aut Margarino Bigneo, qui nunc Divum *c*, nunc Sanctum *d* appellat; item Genebrardo atque aliis, nihil dicam. Sed Fausti libellum contra Augustinum potissimum scriptum esse, dubitare non possumus, si, quæ ejus sententia fuerit, cognoverimus. Nam Faustus sic agnoscebat Gratiæ necessitatem, ac Pelagium hanc negantem damnabat, ut tamen prævenientem gratiam tolleret, & homine cum Deo concurrente ad unius actionis συντέλεσμα, non eum à gratiâ inditis, sed à naturâ insitis viribus concurrere dicebat. Verba sunt Fausti initio operis sui: *Ego arbitror, quod libertas arbitrii sibi sola sufficere absque præsidio gratiæ non potuerit, etiam antequam privilegium illius transgressio violaret. Quomodo verò nunc potest sibi sola sufficere? ad cujus arrogantiam dicitur; Quia sine me nihil potestis facere. Ad cujus præsumtionem divinus sermo dirigitur: Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Quod utique elationi sine gratiâ perficere denegatur, humilitati cum gratiâ implere conceditur.* Idem ibidem; *Hoc itaque loco gemini inter se colluctantur errores, quorum unus solam gratiam, alter solum laborem, relicto tramite atque mensurâ veritatis insinuat, sectarum genere dispares, sed impietate consimiles, diverso quidem studio, sed spiritu unius serpentis insibilante. Quorum unus, id est solius gratiæ prædicator, primâ quidem fronte venenum suum sub specie pietatis occultat. Alter, id est laboris assertor, protinus extantem tumorem improbâ elatione manifestat. Hæc professio, insinuando solum laborem, ipso sui titulo detestanda: illa magis sub religioso colore metuenda est.* Et sub finem ejusce capitis: *Meritò contra hujus arrogantiæ præsumtionem sermo divinus viam suæ authoritatis vel increpationis exeruit; Nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Et iterum; Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. quod meritò ad se dictum esse reputabit, qui salutem suam cum Pelagio in propriâ voluntate ac virtute constituit: quod utique illi objici non necesse est, qui non de solo labore præsumit, sed conatibus suis quotidianam Dei misericordiam & jugem gra-*

a Fol. 99.
b T. 5. pag 340. & 341.
c Indice auctorum lit. F.
d Tom. 2. & 4.

gratiam implorandam esse cognovit, & auxilium Domini pervigili obsecratione deposcit. Id ipsum quoque docet idem cap. IV. V. VI. X. Etiam cap. XVII. ait: *Et ita se duo ista conjungunt, attrahentis virtus, & obedientis affectus, quomodo si ager aliquis assurgere conetur.* Idem lib. II, cap. 4; *Laborantem agricolam oportet de fructibus accipere. Ecce,* inquit, *quomodo sibi admirabili commercio divina & humana sanciantur. Ad obedientiam pertinet labor, fructus vero laboris ad gratiam.* & rursus cap. 8: *Nec hoc quidem videbor incautus si profitear, quod aliquoties in dispositionibus nostris, non quidem in vita nostra primordiis, sed duntaxat in mediis, gratias speciales, & ex accidenti largitate venientes, voluntas nostra Deo ita ordinante præcedat. Utrum ita sit, sacra interrogemus eloquia. Legimus in Evangelio dicentem Dominum: Quid tibi vis faciam? & iterum: Vis sanus fieri? Vides quia non tribuitur munus salutis, nisi prius interrogetur desiderium voluntatis. Sed & cum venitur ad baptismum, prius accedentis voluntas inquiritur, ut regenerantis gratia subsequatur. Et* IN CENTURIONE, *quia* PRÆCESSIT VOLUNTAS GRATIAM, *ideo prævenit & gratia regenerationem.* Et cap. X: *Adjutorii sermo duos indicat, operantem & cooperantem, petentem & promittentem, pulsantem & aperientem, quærentem pariter & retribuentem. Hoc solum* NOSTRUM EST, UT *qui pro fragilitate idonei non sumus, saltem* QUÆRENDI ET PULSANDI IMPORTUNITATE PLACEAMUS. Cæterùm quia non quærimus, nec petimus, nisi quod credimus nobis esse salutare; hinc fidem sive credulitatis affectum à natura nobis esse putavit. Itaque lib. I. cap. VII. explicans illud Eph. II. *Gratiâ salvi facti estis per fidem; Tempus,* inquit, *gratiæ, quo redempti sumus, merita hominum non exspectavit: opera penitus non quæsivit: solâ Deus fidei nostræ devotione contentus fuit, secundùm illud Apostoli: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Et in capitis ejusce fine: *Fidem exspectat à parvulis, opera etiam cum fide à confirmatis requirit, ita tamen ut* CREDULITATIS AFFECTUM *proficientibus augeat, & laborantibus, adjutor quotidianus adsistat.* Idem lib. II. c. VI. verba ista exponens, *Quia major serviet minori: In seniore,* inquit, *Judæi arrogantia reprobatur: in juniore fides gentilis eligitur.* Et ibidem. *Vides,* BONUM CREDULITATIS *non novellum esse privilegium, sed vetustum, & inter ipsa mundi coalescentis exordia, mentem hominis* SICUT INTELLECTU ET RATIONE, ITA ETIAM FIDE *à summo auctore dotatam.* Nempe ut intellectum, sic fidem esse vult à gratiâ naturali. Atque hoc inde consequi putat, quia nec in mundi incunabulis defuerit fides. Item cap. VIII. *Unde objicitur incredulitas, nisi quia in promtu fuit credendi facultas? Liberi itaque arbitrii ratio facit, ut remuneretur credens, & damnetur incredulus.* Eandem sententiam Fausto Maxentius tribuit, qui & alia ex Fausto adducit. Quia verò Maxentius, Bellarmino *a* quoque fatente, egregiè Faustum & Semipelagianos refellit: ac Baronius *b* quoque eum qui Fausti errores scire velit, ad Maxentium remittit: non gravabor longiusculam ejus scriptoris περικοπὴν hoc loco inserere. Sic igitur Maxentius epistolâ ad Hormisdam: *Igitur idem S. Augustinus ita humanum arbitrium liberum docet, ut illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit. Faustus verò ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio, virtus, & salus non à Christo, sed naturâ sit. Et ut planum fiat quod dicimus, ille nos Christianos, fideles, atque obedientes Deo salubriter per gratiam Christi, quam nobis per incarnationis suæ donavit præsentiam, esse definit. Iste, juxta profana commenta Pelagii, naturaliter esse decernit. Refutans namque callide ejusdem Pelagii sensum, & quasi exprobrans, quod omnino Christi negaverat gratiam: nec non & illos, qui nullis præcedentibus meritis, juxta Apostolum, gratiam Dei hominibus dari fatentur: ipse, quasi sapientissimus & prudentissimus, novus novæ pravitatis Apostolus, gratiam Dei secundum meritum fidei & laboris dari nititur edocere, ut jam sic Dei gratia non sit gratia. Nam cum nemo obediat sive laboret nisi volens, nemo velit nisi scierit, quid eum conveniat laborare: iste post scientiam & voluntatem seu obedientiam humano labori adjungit gratiæ adjutorium, ut videlicet gratia &* LABOR HUMANUS (CUJUS POSSIBILITATEM NON PER EANDEM GRATIAM, SED NATURALITER INESSE OMNIBUS ASSERIT) *pariter sociati reliqua perficiant opera. Et hoc quidem se pollicetur defendere. Postea autem immemor sui promissi, totam plenius gratiam evacuare convincitur. Denique in præfatione sua, inter cætera ita loquitur. Studium, inquit, asserendæ gratiæ competenter & salubriter suscipit, qui obedientiam famuli labori adjungit. Et iterum in cap. prim. primi libri: Si ergo partibus, inquit, proprietates suas reddas, & Christum Deum & hominem credas & asseras, perinde est ac si gratiam cum labore conjungas, & ab adjutorio Dei conatum hominis non repellas. Cui assertioni in primo eorum libro, quos suprà memoravi, ita contradicit Augustinus, ut credas, cum jam tunc non nisi contra scripta Fausti respondere. Denique post aliquanta, quæ ibi de initio fidei, quod nobis nisi desuper dari certissimis approbat documentis, exprobrans hunc sensum, infert & dicit: Nolens ergò tam claris testimoniis repugnare, & tamen volens a se ipso sibi esse quod credit, quasi componit homo cum Deo, ut partem sibi fidei vendicet, atque illi partem relinquat. Et quod est elatius, primam sibi, sequentem dat illi, & in eo quod esse dicat amborum, primum se facit, posteriorem Deum. Sed Faustus, inquiunt hi, qui eum catholicum conantur defendere, primas partes non homini, sed gratiæ Dei tribuit. Nam in sexto ejusdem libri capite, cum Apostoli sententiam differeret, ita ait, Gratiâ Dei, inquit, sum id quod sum. Primas partes soli gratiæ piè subjectus adscribit: media quæque laboris magisterio & obedientiæ deputat: utrumque in consummatione moderatus, gratiam laboremque conjungit. Non dicit, ego sine gratiâ, aut gratia sine me; sed gratia Dei mecum. Sed gratiam, cui hoc loco Faustus primas partes tribuit, non eam, quæ per Spiritum sanctum fit, ut verbum Dei forinsecus intonanti assensum præbeamus, & obedientes efficiamur, sed prædicationem divinorum asserit eloquiorum: ut videlicet gratia sit, quod nobis divina eloquia prædicantur: nostrum autem sit, ut eidem prædicationi consentiamus. Denique in capitulo* XXVIII. *ejusdem libri primi differens, Dominicam sententiam, quâ ait: Nemo venit ad me, nisi pater attraxerit eum: ita inter cætera loquitur: Clamat, inquit, voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus attrahit desiderantem, erigit annitentem. Quid est autem attrahere nisi prædicare, nisi scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri? Quod si sola prædicatio (sicut iste vult) gratia Dei credenda est, quæ per Jesum Christum facta est: ergò jam non Salvator, sed prædicator tantummodo idem Deus & Dominus noster Jesus Christus (quod absit) credendus est.* Aliquammultis interjectis sic scribit idem: *Sed Faustus, qui superius dixerat, Tempus gratiæ, quo redempti sumus, merita hominum non exspectavit; opera penitus non quæsivit, sed solâ fidei nostræ devotione contentus fuit: mox in eodem capitulo post paullulum sequitur, suamque ipse sententiam destruens, sicut fidem, ita etiam opera dicit ad hominem pertinere. Sicut enim, inquit, ad Deum largitio munerandi, ita ad hominem devotio respicit inquirendi. Sed dices, fidem ipsam non omnibus posse competere. Non mirum, si homini, ad quem denegas opera pertinere, etiam fidem studeas derogare. Rursus in capitulo ejusdem libri quintodecimo, agens contra eos, qui non generale, sed speciale asserunt donum esse credulitatis, ita inter cætera loquitur: Sed dicis, inquit, quia non omnibus detur, sed donum sit personale credulitas, & illis tantum credere suppetat, quibus Deus specialiter donavit, ut crederent. Non ita est. nam*

dum

a Catalogo Eccl. script. in Maxent.
b Tom. 6. Annalium pag. 449. edit. Mor.

dum a, *eam Dominus etiam ab incredulis exigit, omnibus eam insertam esse demonstrat. Cui autem etiam ipsâ naturæ lege non suppetat credere, quando & dæmones credunt & contremiscunt? Hic jam non Augustino tantum, verum etiam Apostolo omnino. Faustus contrarius adprobatur. Nam cum idem Apostolus dicat: Non enim omnium est fides: iste omnibus eam naturaliter dicit esse insertam. Cui si acquiescas, non solum hæretici & gentiles, verum etiam dæmones fideles esse credendi sunt, quia in quo est fides, infidelis dici nullo pacto potest. Sed longè aliter sanctus Augustinus, ad Hilarium scribens & Prosperum, docet, qui non tantum ut fideliter operemur, verùm etiam ipsam fidem à Deo nobis donari, sicut superius docuimus, in eodem libro penitus protestatur, ita dicens. Cavendum est, fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat adversus Deum, cum se dicit facere, quod promisit Deus.* Et aliquanto pòst: *Unde & in lib. 11. per naturalem vigorem absque gratiæ adjutorio multos, non solum ante adventum Domini, verùm etiam & ante Legem literæ salvatos, atque ad plenam cordis puritatem, perfectamque justitiam pervenisse, filiosque Dei fieri meruisse, impudenter, & procaciter asseverat. Denique in nono cap. ejusdem libri inter cætera dicit: Cum homines ita fuerint ad imaginem & similitudinem Dei præditi* b, *ut multi etiam filii Dei meruerint nuncupari: vel paucis adhuc exemplis perstringere nos oportet, quanti ante Legem literæ, erudiente lege naturæ, quæ prima (ut diximus) gratia Dei est, vestibula salutis intraverint. Et iterum post pauca: Unde Enoch, inquit, cum Deò ambulare, vel Deo placere potuisset, nisi eum lex visceribus infusa secreto magisterio illuminâsset, in tantum ut nihil terrenum sapiens mirabiliter à terrâ, Deo assumente, raperetur. Qui dum fidei merito, in primâ seculi illius ætate, cæteros antecellit, fidem ipsam cum lege naturæ sibi traditam fuisse perdocuit. Et iterum post aliquanta: Qualem quantamque, inquit, legem primâ conditione susceperit; perfecta etiam Noæ justitia declaravit, qui generalia fidei dona speciali in se studio virtutum sectator excoluit. Si secundum hujus impium sensum, & Enoch omni fece terrenâ in tantum purgari potuit per naturæ vigorem, ut nihil terrenum saperet: & Noë ad perfectam justitiam perveniret: Ergo Christus gratis mortuus est. Si enim per naturæ vigorem carnalis sapientia (quæ Deo inimica est) plenius expurgari potuit, & perfecta justitia adimpleri: quid necesse erat Deo, carne assumptâ, pro humano genere mori? Sed nunquid Apostolus tacuit, unde Enoch & Noë Deo placere potuerunt, dicens: Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus? Ante translationem enim testimonium habebat placuisse Deo. & reliqua. Fide Noë responso accepto, de his quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Quam fidem idem Apostolus, non, ut delirat Faustus, generalem, sed specialem docet, dicens, Non enim omnium est fides: neque naturaliter omnibus inesse, sed à Deo donari, qui operatur omnia in omnibus. Sicut & alibi idem Apostolus dicit. Illud quod superius beatissimus posuit Augustinus: Pax fratribus, & caritas cum fide à Deo, Patre, & Domino Iesu Christo. Non ergò per legem naturæ, sed per gratiam omnes sancti ante adventum Domini Deo placuerunt. Secundùm quod & beatissimus Petrus in Actibus testatur Apostolorum, dicens: Nolite jugum imponere super cervices discipulorum. Quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Christi speramus salvi fieri, quemadmodum & illi.*

a NAMDUM rescripsimus: pro quo corrupte NONDUM legitur, non tantum in prima Norimbergensi editione Cochlæi, sed etiam bibliotheca PP. Marg. Bign. ed. 1. 2. & 3.

b Ita habet edit. Maxentii Norbergensis; item illa, quæ est in bibliotheca PP. Sed quis Faustum ita credat scripsisse? Apud Faustum quidem cap. nono nihil tale legas: sed septimo hæc reperias: Cum homines imagine & similitudine Dei decorati, angeli seu filii Dei mererentur nuncupari. Nec aliter scripsit Faustus.

Statum igitur controversiæ in eo constituit Maxentius, quòd Augustinus, cum Catholicis, & illuminationem intellectus, & virtutem voluntatis, & salutem totius hominis à Deo fluere dicat: Faustus cum Massiliensibus hæc partim naturæ tribuat, partim Deo, ac priores quidem partes adscribat naturæ, posteriores Deo, imò si penitiùs rem intueamur, & has & illas tribuat naturæ. Quod ita esse, in hunc modum ostendit. Duo jubet in salutis negotio considerare, initium & perfectionem. Initium facit fidem, & sanitatis desiderium. Perfectionem collocat in fidei augmento & bonorum operum studio. At fidem, inquit, & bonam voluntatem Faustus tribuebat soli labori humano, hoc est, viribus naturæ. Augmentum verò fidei & bona opera partim adscribebat labori humano ex naturæ viribus emananti: partim interiori Spiritus Sancti gratiæ. Cæterùm gratiam hanc, inquit, sic necessariam fatebatur, ut tamen conferri diceret secundùm meritum fidei & bonæ voluntatis: atque ita paullum illud, quod bene dixerat, ipse destrueret, quia nempe (ut αὐτόθεν proximâ dicemus) gratia est gratia, si gratis conferatur, non autem si mercedis promeritæ obtineat vicem.

Atque ex his cognoscere fuit, quæ Massiliensium ac Fausti fuerit sententia de necessitate auxilii supernaturalis ad fidei initia, invocationem, aliaque, quæ ad desiderium conversionis requiruntur. Deinceps exquiremus, quo sensu interdum dixerint Massilienses, credendi affectu & initiis bonæ voluntatis, sancti nos Spiritus gratiam promereri. Meriti vocem usurpat Cassianus lib. XIII. cap. XIV: *Nullius enim laudis esset ac* MERITI, *si id in eo Christus, quod ipse donaverat, prætulisset. Alioqui dixisset, Non dedi tantam fidem in Israel.* Verùm laxè eo vocabulo utitur, quia sic vocat, quidquid Deus ex gratiâ remuneratur. Nam meritum propriè dictum, etiam Semipelagiani refugerunt. Fausti verba sunt lib. 1. De grat. & lib. arbitr. cap. XVII: *Sed ante omnia arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quicquam de eis meritis vindicemus: ne Pharisæum imitati, mortiferâ jactantia præsumtione, videamur.* Imò nec aliter Cassianus lib. XIII. cap. XVI: *Nemo*, inquit, *existimet, hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, ut nitamur adstruere, summam salutis in nostra fidei ditione consistere, secundum quorundam profanam opinionem: qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari* SECUNDUM MERITUM *uniuscujusque definiunt.* Et cap. XIII: *Quantumlibet ergò enisa fuerit humana fragilitas*, FUTURÆ RETRIBUTIONI PAR ESSE NON POTERIT. Et cap. XIV: *Dicimus secundùm Salvatoris sententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inveniri: sed petitionem, & pulsationem, & inquisitionem nostram* NON ESSE CONDIGNAM, *nisi* MISERICORDIA DEI *id, quod petimus, dederit.* Nempe rectè utentibus naturâ, non ex debito, sed ex misericordiâ gratiam conferri dicebat. Unde & eodem cap. usum illum naturæ, occasionem gratiæ vocare est contentus. *Præsto*, inquit, *est* (Deus) *occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblatâ, ad hæc omnia conferenda.* Ac putabant Massilienses, se hoc pacto satis declinare invidiam Pelagiani dogmatis: quia hoc qui dicat, conversionis gratiam non tam meritis tribuat, quàm gratiæ & misericordiæ divinæ. Unde idem Cassianus ejusce libri cap. XIII: *Et nihilominus* GRATIA *Dei* GRATUITA *perseverat, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona* INÆSTIMABILI *tribuit largitate.* Et paullo pòst: *Quantumlibet ergò enisa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni* PAR ESSE NON POTERIT, *nec ita laboribus suis divinam imminuit* GRATIAM, *ut non semper* GRATUITE *perseveret.* Quod etiam indicare videtur Hilarius, cùm in epist. ad August. his verbis Massiliensium dogma proponit: NEC NEGARI GRATIAM, *si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quicquam ipsa jam valeat.* Atque idem cognoscere fuit ex illis Maxentii verbis, quæ superiùs adducebamus.

Antithesis I.

Patres verò, qui integrè gratiam agnoscerent, geminum in Massiliensium sententiâ errorem notabant. Prior respicit auxilium divinum, quà supernaturale: alter, quà gratuitum. De priori sic judicabant, malè eos fidem, vel initium etiam fidei, & conversionis desiderium, aliaque quæ sub istis comprehendebant, tribuisse in nonnullis virtuti naturæ sese ad gratiam præparantis. Nam utrumque in omnibus divinæ esse misericordiæ, & illud, inquam, quòd voluntas nostra præpararetur ad bene incipiendum, & quòd sic præparata ad regenerationis gratiam perducatur. Alterum errorem in eo constituebant, quod utut meriti vocem Massilienses refugerent interdum; nunquam tamen meritum ipsum excluderent: quia si propter naturæ conatum gratiam ex misericordiâ consequamur, jam gratia erit merces naturalium conatuum: quod qui asserit, eundem fateri necesse est, per naturam nos gratiam promereri. Nam patribus mereri nihil aliud est, quàm consequi pro mercede, sive merces illa ob dignitatem operis sive ex misericordiâ conferatur.

PRiorem hunc Massiliensium errorem esse docent Patres, quod non agnoscant necessitatem auxilii divini ad actus singulos: posteriorem, quòd ex eorum doctrinâ, velint nolint, sequatur, nos divinam gratiam promereri. De utroque hoc errore fusiùs dicemus. Ac primò quidem, de priori, quo, uti diximus, actus quidem, qui justificationem sequuntur, à gratiâ proficisci fatentur; at non item agnoscunt, nos auxilio divinæ misericordiæ indigere ad fidem, vel saltem non ad initium fidei, item conversionis desiderium; ac proinde nec ad aliquem gradum pœnitentiæ, & spei, sine quâ desiderium conversionis esse non potest. Quanquam verò universè quid Patres de his senserint, cognosci ex iis potuit, quæ de necessitate gratiæ ad actus singulos superiori libro dicebamus: tamen quo omnia planiora fiant, quæ distinctè de his legimus apud antiquos, ea non in generalibus pronunciatis latêre sinemus, sed inde elicitis, suum illis seorsim hìc assignabimus locum.

Ordiemur autem à Fide, quia cùm appetitus non feratur in incognitum, cognitio finis ultimi est prior actibus voluntatis, quibus spes & caritas circa eum finem versantur. Unde Apostolus hunc ordinem servat 1 Cor. XIII: *Nunc autem manent Fides, Spes, Caritas.* Consentit Ambrosius lib. II. de Cain & Abel cap. IX: *Doceris*, inquit, *hac serie Scripturarum, Fidem esse radicem virtutum omnium.* Et Augustinus lib. De agone Christiano cap. IX: *Fides est prima, quæ subjugat animam Deo.* Scriptor De vocatione gentium lib. I. cap. VIII: *Fides bonæ voluntatis & justæ actionis est genitrix.*

Catholicorum igitur sententia hæc fuit, gratiam esse necessariam, ut fideles fiamus: juxta illud Apostoli 2 Cor. III: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis.* & Matth. XVI: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui est in cælis.* Augustinus epist. CVII. ad Vital. prope initium: *Neque fideles fiunt, nisi libero arbitrio, & tamen illius gratiâ fideles fiunt, qui eorum à potestate tenebrarum liberavit arbitrium.* Imò hac integrâ epistolâ refellit Vitalem dicentem, *Ut rectè credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propriâ voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse.* Idem epist. CV. ad Sixtum presbyterum: *Nemo rectè sapit, nisi acceperit spiritum sapientiæ, & intellectum consilii.* Idem lib. De gratia & lib. arbitr. c. XIV: *Fides usque adeò ad gratiam pertinet, ut Apostolus non dicat, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram: sed dicat, Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Sunt & alia testimonia, in quibus est quod ait a, Sapite ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei. Et b, gratiâ salvi estis per fidem: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Et illud quod scripsit ad Ephesios c, Pax fratribus, & caritas cum fide, à Deo, Patre, & Domino Iesu Christo. Et illud, ubi ait d, Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo. Utrumque ergò ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium; quia utrumque dixit esse donatum: illud maximè, ubi dicit, Habentes eundem Spiritum fidei: non enim ait, scientiam fidei, sed Spiritum fidei: quod propterea dixit, ut intelligeremus, quia* FIDES ET NON PETITA CONCEDITUR, *ut ei petenti alia concedantur e. Quomodo enim invocabunt, inquit, in quem non crediderunt? ergò spiritus gratiæ facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ jubemur. Ideo ipse Apostolus assiduè legi præponit fidem, quoniam quod Lex jubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus. Nam si fides liberi est tantummodo arbitrii, nec datur à Deo, propter quid pro eis, qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissimè crederemus, etiam perversas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere.* Augustinus lib. De prædest. sanct. cap. II: *Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de quâ loquebatur Apostolus: Si non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobismet ipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, quâ credere incipimus, ex Deo est.* Scriptor Hypognosticorum lib. III. penè extremo: *Nemo penitus glorietur, se fidem ex proprio sensu genuisse in se, per quam possit credere Deo, sed agnoscat, tam ante Legem, quàm sub Lege, & post Legem, fidem, quæ est in Christo Iesu, per illuminationem gratiæ, quæ à Deo Patre est, unicuique revelatam ad salutem*, &c. Ubi de internâ revelatione agi argumento est, quòd disputat adversus Pelagianos, qui externam illuminationem semper concesserunt. Prosper Dubio & Resp. III. ad excerpta Genuensium: *Quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet?* Et mox: *Omnes, quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam habemus accipere.* Idem adversus Cassianum cap. XIX: *Nunc autem cùm sine Sacramento regenerationis æternam mortem nemo possit evadere: nonne ex ipsius remedii singularitate apertissimè patet, in quam profundum malum totius humani generis natura demersa sit, illius prævaricationis, in quo omnes peccaverunt, & quicquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit caritatem, spoliatus est sapientiâ & intellectu, caruit consilio & fortitudine, & impiè altiora sectando à veritatis scientiâ, & obedientia pietate dejectus est.* Et cap. XXI: *Postquam autem Adam se, hoc est imaginem & templum Dei, deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiam, quia perdidit bonam conscientiam. justitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captivitas abstulit libertatem: nec potuit illic ulla portio residere virtutum, quò tanta irruperat turma vitiorum.* Quod cùm de Adamo pronuntiasset, mox initio capitis sequentis dicitur *hæc primi hominis calamitas in progeniem ejus transisse.* Idem epist. ad Demetriadem f: *Sicut arte medici fit in oculis caligantibus, ut possint videre, quod non vident; nec tamen non ipsorum est visio, quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus per Spiritum Sanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebrosa jam & deficientes lucernæ lumen accipiunt, nec tamen nisi ipsarum erit, quiquid fulgoris acceperint.* Idem Prosper De gratiâ & lib. arbitr. ad Rufinum: *Quis ambigat, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis*

a Rom. 12.
b Eph. 2.
c Eph. 1.
d Phil. 1.
e Rom. 10.
f Fol. 355. ed. Duac. 1577.

cantis obedire, cùm in illo gratia Dei AFFECTUM CREDENDI *obediendique generaverit? Alioqui sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso novam fieri voluntatem, sicut scriptum est, Præparatur voluntas à Domino.* & item: *Cùm esset sine fide, ac proinde impius, accepit Spiritum fidei, & factus est justus.* Scriptor De vocatione gentium lib. I. cap. XXIV: *Abunde, quantum arbitror, his testimoniis demonstratum est, fidem, quâ justificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui.* Fulgentius lib. De incarnat. & gratia Christi cap. XIII: *Peccans ille, qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit facultatem. Oblitus est enim manducare panem suum, & exspoliatus vestimento fidei, carnalium que concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic jacuit oppressus ditione peccati, ut nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset: nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset.* Nec Adamum sibi solùm fidem perdidisse, & facultatem cogitandi bonum: ostendunt quæ subjungit de posteritate, quam *venundatus sub peccato mortifera servitutis nexibus obstrinxit.* Sed expressiùs idem de posteris testatur cap. XX: *Vita nostra à fide sumit initium, quia justus ex fide vivit, quam fidem non ex voluntate nostrâ nasci, sed per Spiritum Sanctum unicuique dari, B. Paulus ostendit.* Et ibidem: *In hominis corde nec nasci fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus Sanctus effundat & nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus.* Idem ibidem: *Priusquam homo credere velle incipiat, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in unoquoque formatur, ipse se format, quia ipse fidem in corde uniuscujusque initiat.* Idem lib. I. de veritate Prædestinat. *Lucas Evangelista commemorat, Domino dixisse discipulos, O Domine, auge nobis fidem. Cujus si ex se voluntas hominis habere posset initium, ex se profectò sumpsisset augmentum. Sed beati Apostoli, unde se sciebant initium fidei accepisse, inde sibi ejusdem augmentum poscebant: quia gratia, quæ in illis initium fidei contulerat, ipsa eis augendi desiderium suscitabat.*

Petrus Diaconus lib. de Incarnatione & gratiâ Christi cap. VI: *Sine hac gratiâ potest quidem* (homo) *cogitare & desiderare humana; non autem potest cogitare aut velle seu desiderare divina. Quorum primum est & præcipuum fundamentum & crepido quodammodo, sive omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum. Quod utique non est ex naturali arbitrii libertate: quia non hoc caro & sanguis, sed Pater cælestis revelat, cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem. non violentâ necessitate, sed infundendo suavitatem per Spiritum S. ut mox credentes dicamus: quia Dominus est Iesus, quod nemo per naturalem arbitrii libertatem potest dicere, nisi in Spiritu S. Frustra ergò garriunt, qui dicunt, meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare; cùm etiam ipsum credere, quod est consensum præbere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus dicens, Vobis enim datum est à Christo, non solum ut in eum credatis, verùm etiam ut pro illo patiamini.* Bernardus tract. de gratiâ & libero arbitrio; *Quod à solâ gratiâ cœptum est, pariter ab utroque* (gratiâ & libero arbitrio) *perficitur; ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim per singulos profectus, operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem in hoc, & totum ex illâ, sed ut totum in illo, sic totum ex illâ.* Idem ibidem; *Conatus nostri & cassi sunt, si non adjuventur; & nulli, si non excitentur.* Joannes Scotus *a*; *Homo ad Deum, quem libero arbitrio sine labore deseruit, sine laboris studio & cooperantis gratiæ dono pervenire non potest.* Ecclesia Lugdunensis *b*; *Aliter fides Catholica tenet, quæ certissime credit juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, nullo bono opere, nullo bono merito præcedente, solo gratiæ divinæ beneficio hominem salvari & venire ad Deum.* Et post aliqua *a*; *Aliter sentire, id est hominem absque laboris sui studio ad Deum pervenire non posse, non est Catholicum, sed Pelagianum.* Petrus Chrysologus serm. CXXXV. qui de S. Laurentio; *Martyrum merita velut Dei dona laudemus, amemus, oremus* b. *Subinferamus voluntatem nostram. Voluntas enim sequitur, non prævenit.*

a Col. 1067.

b Col. 1067.

a Col. 1068.

b *Vocem* oremus *omittit Surius hist. Sanct. T. 4. col. 596. ubi hunc sermonem inserit. Forte legendum* ornemus.

Quare nunquam veteres assensissent illorum errori, qui hominem putant religionis Christianæ mysteriis per naturæ vires posse fidem habere. Volunt enim SS. Patres, res fidei & objecto & actu esse supernaturales, eòque humanæ animæ virtutem per se neutiquam ad ea posse pertingere. Nempe ut aqua calefieri ab igni potest, se verò calefacere non potest, eo quod calor iste aquæ vires penitùs excedat: sic etiam non potest homo per vires naturæ, exclusâ spiritus gratiâ, assentire mysteriis fidei Christianæ, quia fides ista exsuperat limites naturæ ἁπλῶς, etiam in se consideratæ, multoque magis naturæ corruptæ. Secus justificationis ac salutis nostræ initium foret à nobis: quod credere abhorret animus Christianus, ac ab Augustino aliisque Patribus refelli solet illoc Paulino, *Quis te discernit?* Cùm autem hominem negamus sine speciali Spiritus Sancti gratiâ credere posse Evangelio; tum non tantùm inficiamur, eum universis religionis nostræ capitibus, quæ symbolo Apostolico continentur, sine speciali spiritus adjutorio crediturum unquam: verùm etiam diffitemur, eum vel unum religionis caput credere posse *sicut oportet*: quomodo loquitur concilium Arausicanum Can. VI. & XXV. Nempe uni, alteri fortasse capiti, sine speciali gratiæ auxilio assensum accommodare valeat; sed tantùm materialiter atque opinativè, ob quasdam causas probabiles, quæ decipere hominem possunt; non formaliter tanquam revelatis à Deo, sive propter divinam revelationem, quæ fallere nequit. Imò non tantùm fidem hujusmodi, sed fidei quoque initium, nempe credulitatis affectum, seu credendi desiderium, vim naturæ excedere, iidem Patres docent: quemadmodum videre est concilii Arausicani Can. V. VI. & XXV. & August. lib. de gratiâ Christi, cap. XXVI. & lib. II. contra duas Pelagianorum epist. cap. VIII. IX. X. Ex his satis patet, neutiquam eos putâsse, intellectui formaliter ac proximè inesse potentiam in ordine ad actum credendi: sed solùm, ut vulgò loquuntur, fundamentaliter ac remotè: eamque non activam, sed passivam: quatenus nempe natura hominis est capax virtutis, quâ credere possit: cujusmodi vis sic se habet ad actum credendi, uti se visiva habet potentia ad actum videndi. De istiusmodi potentiâ, sive capacitate remota, intelligere oportet Augustini illud lib. de prædestinatione sanctorum cap. V: *Posse habere fidem & caritatem, natura est hominum: habere autem, gratia fidelium.* Quemadmodum & quod Fulgentius libro de gratiâ Christi ait, *hominem credere posse naturaliter*: cujusmodi si de potentiâ proximâ intelligantur, non veritati tantùm dissona erunt, sed ipsis Patrum dictis: ut qui doceant passim, fidei actum sic esse ab intellectu, ut non sit ex ejus viribus naturalibus, sed ex lumine gratiæ, per quod intellectus ad credendum elevatur.

Quomodo verò divina gratia in animam agat, fidemque ei inspiret, difficile est explicatu. Scholastici plerique id hunc in modum fieri docent: In vocatione ad fidem duos prævenientis gratiæ motus considerant: unum in intellectu, alterum in voluntate. Nam Deum, aiunt, cogitantibus & expendentibus nobis, quæ per communionem gratiam externo suggesta sunt ministerio, speciali gratiâ in cogitationem illam influere, species extrinsecus perceptas clariùs repræsentare, & ordinatiùs disponere, idque tum ut res credendæ melius & distinctius intelligantur, tum ut cognitio earum fiat supernaturalis, & ad salutem hominis accommodata. Porrò ex consideratione præstantiæ rerum credendarum, & promissione, quam, si credantur, habent, oriri in homine affectionem quandam erga eas, quæ alliciat & invitet eum, ut intellectui

impe-

imperet assensum. Hic quoque aiunt Deum suaviter influere in voluntatem, qui in cogitandâ rerum dignitate animum acuat & urgeat, planeque efficiat, ut voluntatis etiam motus sit supernaturalis & utilis ad salutem. Specialem verò hunc influxum Dei eo à naturali differre, planeque superioris esse ordinis contendunt, quia non ad conservationem naturæ, sed æternæ beatitudinis fruitionem conferatur. Sed aliis hoc satis non est: quia etiam homo, in puris naturalibus constitutus, illum in modum auxilio eget supernaturali: quumque eo eguerit natura incorrupta, multo majore egeat vitiata. Ideo, quum in actibus naturalibus principium sit in homine, quod ad operandum solu indiget concursu Dei; in supernaturalibus aiunt principium tale ex se non habere, sed superaddi naturæ, vel motionem divinam, idque potissimùm in præparatione hominis, cùm Spiritus cordis ostium pulsat, vel qualitatem efficacem homini ingeneratam à Spiritu S., sive ea sit habitus infusus, sive actibus multis habitum ingenerare idonea: cujusmodi qualitatem constituunt in illis, in quibus jam inhabitat Spiritus Sanctus. Nec solùm in actibus fidei, sed etiam spei & caritatis intrinsecam Spiritus operationem similiter ad operationem hominis concurrere arbitrantur. Nos ut Spiritus virtutem principium statuimus omnis bonæ cogitationis, volitionis, actionis: ita de modo operationis contendere cum quoquam nolumus; sed planè putamus, utcunque aliqua probabiliter satis de eo dici possint; tamen plenam certamque ejus rationem penitus exsuperare quantamcunque aciem mentis humanæ.

De fide satis diximus. Ex cognitione verò beatitudinis, & viæ quæ ad eam ducit, oritur amor ejus & spes. Nam posteriora hæc esse, satis indicat hoc Augustini Enchir. cap. VIII: *Quid sperari potest, quod non creditur?* Et de doctrinâ Christ. lib. I. cap. XXXVII: *Non potest quis diligere, quod esse non credit.* Quamvis verò spes beatitudinis sit prior caritate erga Deum: (nam communicatio bonorum excitat amorem Dei: unde inter fidem & caritatem eam collocat Apostolus: & ejus exemplo Augustinus lib. I. de doct. Christ. cap. XXXVIII. & XXXIX. Enchir. cap. III. & IV. & Patres alii passim) tamen amor rei spem antecedit, cùm speret nemo quod non amet. Unde Ambrosius in cap. XVII. Lucæ, circa illud: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*; inquit, *Ex fide esse caritatem, ex fide spem.* Et August. Enchir. cap. VIII: *Spes sine amore esse non potest.* Et de doctrinâ Christ. lib. I. cap. XXXVII: *Siquis & credit & diligit, bene agendo & præceptis bonorum morum obtemperando, efficit, ut etiam speret, se ad id quod credit, esse venturum.*

Porrò ex amore & spe boni provenit postulatio ejus à Deo: quia non postulatur, quod non desideratur. Quocirca si aperuerimus Catholicam de divinâ invocatione sententiam: simul liquebit, quid senserint de spe & desiderio boni.

Ex Catholicorum sententia, nec gratiam à Deo expeti posse absque auxilio divino, clarè hæc testimonia evincunt. Augustinus epist. CV. ad Sixtum: *Etiam ipsa oratio*
a Rom. 8. *inter gratiæ munera reperitur.* Nam a *quid oremus sicut oportet, nescimus, sed spiritus postulat pro nobis.* Idem epist. VII. ad Vitalem: *Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non ipsum putamus facere, quæ oramus: prorsus non gratias agimus Deo, sed agere nos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.* Multa in hanc sententiam habes eâ epistolâ. Idem lib. II. contra duas Epist. Pelag. cap. VIII: *Cùm minus sit cogitare quàm cupere, (potest enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, & proficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitarit) quomodo ad id quod minus, id est ad cupiendum aliquid boni, sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio?* Idem cap. IX: *Cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque immutabiliter bonus est.* Idem lib. de de gratiâ & lib. arbitr. cap. XIV. citat illud Ezech. cap. XI: *Et dabo eis cor aliud, & spiritum novum dabo eis, & evellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent &c.* Subjungit deinde; *Numquid ergo possumus, nisi absurdissime dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in homine præcessisse, ut avelleretur ab eis cor lapideum; quandoquidem ipsum cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem; & adversus Deum omnino inflexibile est.* Idem epist VI. cap. 6: *Quoniam Domino in te misericorditer operante jam didicisti in abundantiâ divitiarum tuarum non gloriari; hoc superest, ut non confidas in virtute tuâ, i. e. ne deputes viribus tuis, quod seculi facultates divitiasque contemnis, quòd honores mundi pro nihilo ducis, quòd desiderio regni cælestis accenderis, quod viam mandatorum Dei currere delectaris. Hæc enim omnia nullatenus haberes, nisi à Deo munere gratuitæ donationis acciperes. Non hoc homini natura, sed gratia: non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, sed ex benignitate divinæ illuminationis acquiritur.* Idem epist. VI. cap. 7; *Hujus gratiæ adjutorium semper est nobis à Deo poscendum: sed ne ipsum, quod poscimus, nostris viribus assignemus: neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitus fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ. Ipsa namque incipit infundi, ut incipiat posci: Ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur. Quis vero potest gratiam poscere, nisi velit? sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit.* Idem de Fide ad Petrum, cap. XXXII; *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel adversitas, verba sancta Legis & Evangelii sive legere, sive ex ore cujusque prædicatoris audire: sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratiâ suâ prævenerit: ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, & acceptâ divinitus bonâ voluntate, atque virtute, mandata Dei facere & velit & possit.* Fulgentius libro I. ad Monimum, cap. XI; *Gratia est & illa justa retributio, qua bonis suis meliora retribuens, Deus glorificaturus est justos. Et hoc enim gratia opus erit. quia ut hoc mereantur, ipsa præveniendo misericorditer incipit: ipsa subsequendo custodit, &c. Prævenit igitur impium, ut justus fiat: subsequitur justum, ne fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen, quod non invenit, donet: subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet. Prævenit elisum, ut surgat: subsequitur elevatum, ne cadat. Prævenit donans homini bonam voluntatem: subsequitur benevolentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur. Et ideo non solum errantem justificando ad vitam revocat, sed etiam bene ambulantem custodit & adjuvat, ut ad donum glorificationis æternæ perducat.*

Prosper Epist. ad Demetriadem a, quæ adversus Pela- a F 357. ed Duac.
gium scripta est: *Quid nobis boni potest esse sine ipso, quandoquidem etiam ut recte oremus, ex ipso est: dicente Apostolo: Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 1577. Idem adversus Collatorem cap. XIX: *Inde, priusquam edendo carnem filii hominis & bibendo sanguinem ejus lethalem digerat cruditatem; labitur memoria, errat judicio, nutat incessu, neque ullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum & concupiscendum, quo se sponte privavit.*

b Apud Prosp. sed apud Ambros. c. 3.
c Apud Prosp in edit. ult. sed apud Ambrosium partem majorem capitis, in quâ & hæc non legas.
d Circa finem capitis.

Scriptor lib. de vocatione gentium lib. I. cap. VIII b: *Et si quærit* (victoriam contra hostem,) *non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse, quem quærit.* Et eodem c: *Nec ullo desiderio* (spiritualem novi generis dignitatem) *appetit, qui calorem ipsius desiderii non accipit à Deo.* Et post multa d: *Salvari volentes omnino salvantur, quia ipsum desiderium salutis ex Dei inspiratione concipiunt, & per illuminationem vocantis in agnitionem veniunt veritatis.*

Joan-

Joannes Maxentius in confessione fidei: *Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantum, & desideranda carnalia, sive secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis videri gloriosa. Ad ea vero, quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecus Spiritus sancti, qui est etiam Spiritus Christi, &c.* Et post pauca: *Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere, Nostrum est velle, Dei vero perficere: cùm idem doctor & velle, & perficere, donum testetur esse divinum, ipso dicente* a, *Deus enim est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Fulgentius lib. 1. de veritat. Prædestin. *Verumtamen ne quisquam hujus operis saltem orandi affectum, quo sibi sapientiam posceret, non divinitus arbitraretur infusum, paullo superius ait,* (Sapientiæ lib. 1. cap. VIII.) *se scisse, quoniam aliter non potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum tamen sapientiam esse dicit, scire cujus hoc donum esset. Unde igitur est instructus ut sciret, inde est excitatus ut oraret. Nec iterum nisi voluntariè scivit, nec nisi voluntariè oravit: quia & ad sciendum, & ad deprecandum, Christi gratia ignavum & torpidum hominis præveniens instruxit arbitrium.*

a Phil. 2. v. 13.

Ad bonæ voluntatis initia etiam pœnitentia pertinet, quam & ipsam iccirco inter naturæ opera, quibus salutem inchoëmus, non Pelagius modò & Julianus, sed etiam Massilienses reponebant. At plenè Catholici docebant, sine inspiratione Spiritus sancti & auxilio ejus, pœnitentiam esse non posse: sed ut absque Spiritus sancti dono homines interdum doleant ex gehennæ metu; minimè tamen, si gratiâ Dei penitus destituantur, peccatorum pœnitere propter Deum summè dilectum, cum spe remissionis, & absoluto obediendi proposito: quæ ad veram ac Christianam pœnitentiam requiruntur. Hanc eorum fuisse sententiam, deinceps ostendemus. Hieronymus lib. VI. in Hieremiam b: *Quodque ait: Quasi juvenculus indomitus, sive sicut vitulus, & non didici: hoc significat, quod multo labore atque verberibus eruditus sit, ut ad pœnitentiam converteretur, & non profecerit. Converte, inquit, me, & convertar. Ergò id ipsum quod agimus pœnitentiam, nisi Dei utamur auxilio, implere non possumus. Postquam enim converteris me, & ad te conversus fuero, tunc agnoscam, quia tu Dominus meus es, & nequaquam errores mei atque peccata interficient me. Et postquam convertisti me, egi pœnitentiam. Vide quantum sit auxilium Dei, & quàm fragilis humana conditio, ut hoc ipsum quod agimus pœnitentiam, nisi nos Dominus ante converterit, nequaquam implere valeamus.* Augustinus libr. de gratiâ Christi cap. XLV. hæc Ambrosii verba laudat ex lib. X. in Lucam cap. XCVI: *Ipsam denique pœnitentiam, quam procul dubio voluntas agit, Domini misericordia & adjutorio ut agatur.* Mox de pœnitentiâ Petri hæc subjungit: *Quod scriptum est, quia respexit eum Dominus; intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Domini latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratiâ suâ visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lachrymas movit & produxit affectum.* Augustinus lib. V. contra Julianum cap. III. *Quantumlibet enim præbeat patientiam, nisi* IPSE DEDERIT, *quis aget* POENITANTIAM? *An oblitus es, quod idem ipse doctor ait* c? *Ne forte* DET *illis* DEUS POENITENTIAM *ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.* Et circa finem Epist. CVI. ad Paullinum: *Eam ipsam pœnitentiam donum Dei dicit Apostolus, ubi ait de quibusdam, Ne forte det illis pœnitentiam.* Idem lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. XV. II. *Quod à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala: quod verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante, non possumus.* Fulgentius lib. de incarnat. & grat. D. N. cap. XVII. *Claret tamen, quia ut homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam: ita ut omnino credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit. Quæ est autem pœnitentia hominis, nisi mutatio voluntatis? Deus ergò, qui homini pœnitentiam dat, ipse mutat hominis voluntatem.*

b in c. 31. 18.

c 2. Tim. 2.

Atque hæc dicta sunto de auxilii divini necessitate ad actum fidei, vel initium ejus, & desiderium conversionis, item pœnitentiam: proximum est, ut de eodem auxilio agamus, quatenus gratuitum est, unde & gratiæ nomen accepit. Patres igitur quibus cum Massiliensibus negotium erat, hoc quoque in illis culpabant, quòd spiritualem gratiam conferri putarent occasione & intuitu conatuum quorundam, per quæ ad gratiam se homo præparasset. Nam hoc qui docent, eâdem operâ fateri posse ajebant, nos gratiam promereri: cùm mereri nihil aliud sit, quàm consequi pro mercede: mercedem autem constituat, quisquis ideo nos gratiam à Deo consequi putet, quia in nobis orsus ac conatus quosdam boni perspexerit. Hinc Augustinus lib. 1. de Prædestinatione: *Non ergò receditur, inquit, ab eâ sententiâ, quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino, sicut eadem gesta testantur, damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quasi non pertineat ad Dei gratiam, quòd credere cœpimus; sed illud potius, quod propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiusque credamus; ac per hoc initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & siquid aliud fideliter possimus &c.* Et post aliquammulta eodem cap. *Si operatur Deus fidem nostram miro modo agens in cordibus nostris, ut credamus: nunquid metuendum est, ne totum facere non possit? & ideo homo sibi primas ejus vindicat partes, ut novissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia non sit gratia.* Quin hanc sententiam ex professo refellit libro integro: unde eum sic concludit cap. XX. & XXI. *Multa diximus, & fortasse jamdudum potuimus persuadere quæ volumus, & adhuc tam bonis ingeniis sic loquimur, quasi obtusis, quibus & quod nimium est, non est satis. Sed dent veniam. Nova enim nos quæstio ad hoc impulit, quia cum in prioribus opusculis nostris satis idoneis testimoniis egissemus, donum Dei esse etiam fidem, inventum est quod contradiceretur, & ad hoc valere illa testimonia, ut ostendant, Dei donum esse incrementum fidei: initium verò fidei, quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei, sed hoc exigere Deum, ut cum id præcesserit, cætera tanquam hoc merito consequantur, quæ Dei dona sunt: nec ullum eorum dari gratis, cùm in eis Dei gratia, quæ non nisi gratuita est, prædicetur. Quod videtis quàm sit absurdum. Propter quod instituimus, quantum potuimus, ut etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus.* Prosper adversus Collat. cap. VI. *Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere: quòd,* VELIS NOLIS, CONVINCERIS DICERE, *gratiam Dei secundùm merita nostra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia; præcipue cùm omnes ejusmodi, & accipere, & invenire, & intrare dicantur. In quo superfluum, imò impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, ut non ex toto verum sit, quod ait Dominus: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum: si cujusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conversio: aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere, qui eum vocatum ad Filium trahit, non resistentem, invitumque compellit, sed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat: ut cor audientis, obediendi in se delectatione generatâ, ibi surgat, ubi premebatur: ibi discat, ubi ignorabat: inde fidat, unde diffidebat: inde velit, unde nolebat. Etenim Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Idem epist. ad Demetriadem: *Hinc illa erat naturæ humana fraudulenta laudatio, & illæsa per omnes homines origi-*

originalis defensio dignitatis. Hinc Adæ peccatum exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu: & quàm illi possibile fuerat non violare mandatum, tam liberum esse unicuique declinare delictum. Hinc evacuatio baptismatis parvulorum: qui solâ adoptione donari, nullo autem reatu dicerentur absolvi. Hinc postremo divina gratia simulata & insincera confessio: quæ secundum merita daretur, non ex quâ merita nascerentur. QUAM PARTEM superbæ prædicationis quidam sibi, CUM CÆTERA ABNUERENT, SERVAVERUNT. Sed hoc eos, aut nimis imperite, aut valde nequiter fecisse non dubium est: ut omnium hominum generalem ruinam meritorum privilegio sublevarent: & cum inter nostros originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostenderent, quod primorum hominum prævaricatio solis imitatoribus offuisset: naturalem autem facultatem nihil sui in alieno amisisse peccato, cui & possibile esset, & liberum, per voluntariam devotionem promereri gratiæ largitatem. Verum istam DAMNATI DOGMATIS PORTIONEM catholicæ mentes facilè intelligunt, & meritò detestantur.

Nec Fausto hanc sententiam objicere dubitat Maxentius in responsione ad epistolam Hormisdæ, cùm ait: Refutans namque callide ejusdem Pelagii sensum, & quasi exprobrans, quòd omnino Christi negaverit gratiam, nec non & illos, qui nullis præcedentibus meritis, juxta Apostolum, gratiam Dei hominibus dari fatentur: ipse quasi sapientissimus, & prudentissimus novus novæ pravitatis Apostolus, gratiam Dei SECUNDUM MERITUM fidei & laboris dari nititur edocere, ut jam sic Dei gratia non sit gratia. Refellit eandem Fulgentius lib. 1. De verit. prædest.

a P. 62. a Non utique quia volumus, gratiam accepimus; sed necdum volentibus nobis gratia data est. Quam ipsam gratis habere potuimus, ut gratiam acciperemus. Gelasius epistolâ 5: Solus Christus venit quærere & servare quod perierat, ut libertas, quæ per temerariam fuerat dejecta superbiam, instauretur reparata per gratiam, mutuâque vice humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum captivitatem meruerat sempiternam, sic reformata subsequendo libertatis autorem, amissum rediret ad præmium. Nonne ipse vas electionis Paulus affirmat, & di-

b Phil. 2. cit b: Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate: ne etiam in malâ voluntate & velle & perficere Deus putaretur operari? Illud etiam Pelagianorum peculiare virus est, olimque detritum, quo putant, gratiam Dei secundum merita hominum posse conferri; quod absit à mentibus Christianis, cùm testetur

c Rom. 11. Apostolus c: Gratia est quæ gratis datur. Alioqui si ex operibus, gratia jam non est gratia. quia merces redditur, non gratis, unde gratia nomen accepit, impenditur. Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratiâ? Quando magister gentium clamat, cuncta breviter

d 1 Cor. 15. in se dona concludens d: Gratia Dei sum id quod sum; &, gratia Dei in me vacua non fuit: ut ostenderet, quia denuum gratia non ipse præcesserit, sed fuerit subsecutus, atque monstraret, cooperatorem se esse gratiæ subsequendo: Sed plus omnibus, inquit, laboravi. Ac rursum veritus, ne de suo præsumere videretur, adjunxit: Non ego, sed gratia Dei mecum. Non dixit: Ego & gratia Dei mecum, sed præposuit gratiam præcedentem, se autem subjungit. Quid autem haberi possit sine gratiâ, cùm sit fides ipsa per gratiam? Cassiodorus in Psalm. LXVII: Ipsa est gratia, quæ gratis datur; quia nos ipsius bona præveniunt, dum & ipsum quoque bonum velle conceditur. Primasius ad cap. VII. ad Romanos; Nam ut velle sit, jam voluntas à Deo præparata est: quia ipse est qui in nobis operatur & velle. Idem ad cap. IX: Ipsius auxilium implorandum est, qui operatur omnia in omnibus: ergò currere Christianus, & nunquam præsumere de suis viribus; currere debet, & Dei præcepta implere; sed arrogare sibi nihil debet; secundum illud, qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc contra illos, qui de suis meritis ac viribus præsumebant. Ut equus potest currere, sed si non habeat rectorem, infrenis & præceps volitat, & rectum iter non ambulat: ita & nos sine Deo & gratiâ ejus. Junilius Africanus lib. II. de partib. divinæ legis, cap. 25; Naturalis est in nobis boni malique communis discretio; spontaneus autem motus in his, quæ jam discreta & sequenda sunt. Ipsum lex quidem erudit: gratia autem præparat, adjuvat, corroborat, coronat. Fortunatus in expositione Orationis Dominicæ; Hominis voluntas bonum velle non habet, nisi Dominus inspiret, juxta illud: Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Ergo non hominis voluntas prævenit Deum, sed Dei misericordia prævenit hominem non volentem; quando, sicut scriptum est, Deus est qui justificat impium. Item: Spiritus ubi vult spirat. Igitur quare non unusquisque recognoscit tenebras suas, ne illuminatus, tanquam lampas, quæ aliunde succenditur, per ventositatem suæ superbiæ extinguatur, & subducto splendore maneat in cæcitatis caligine, dum si quis bonum velle habet, sui esse putet arbitrii, & non exinde gratias referat collatori, ne audiat quod dicitur: Qui autem habet, & quod habet auferetur ab eo. h. e. per gratiam prævenitur; nisi Deo illud adscripserit, per superbiam hoc amittit, quando juxta Scripturam ipsa voluntas à Domino præparatur. Audiamus in hac parte Doctorem, ubi dixit: Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Quare non addidit: & qui loquitur veritatem, de suo loquitur; nisi ut hoc exemplo, quando veritatem aliquis loquitur, de Dei gratiâ, non de suo habuisse hoc bonum, specialiter cognoscatur, quando de nostro solum habemus mendacium. Nam cùm ipsa veritas Deus sit, qui loquitur de Deo, unde in homine mendace caussa veritatis sit, nisi ipsa veritas se monstret? h. e. nisi in hominem ipsam bonam voluntatem Deus veritatis inspiret, qui & velle tribuit, & posse complevit. Richardus Victorinus lib. 7. in Apocal. cap. 8: Qui vult accipere, accipiat aquam vitæ gratis. Aquam vitæ, i. e. gratiam vivificantem gratis, quia absque meritis humanis. In gratiâ quippe, quæ prima datur, meritum accipientis non opitulatur. In gratiâ, quæ jam bene operanti ut melius operetur confertur, meritum operantis & accipientis non excluditur. Humana nempe actio quemadmodum absque gratiâ inutilis est, ita cum gratiâ semper prodest. Petrus Cellensis libro de Panibus cap. 3. Gratia sola vincula solvit: solutis vero vinculis liberum arbitrium sequitur gratiam, & inhæret gratiæ: ut deinceps gratiâ præeunte & cooperante liberum arbitrium persequatur inimicum & comprehendat, auferens ab eo tributa servitutis, & vendicans sese in ingenuitate libertatis. Jacobus Vitriacus, feria 3. post Pentecosten: Homo per se potest cadere, sed non potest per se resurgere. Spiritus vadens, & non veniens. Credere enim in Deum non potest, nisi gratia ipsum prævenerit. Sine me, inquit, nihil potestis facere. Palmes enim, nisi manserit in vite, non potest fructificare; avis sine pennis volare minimè potest: homo delapsus in foveam, nisi fune divinæ gratiæ dimisso extrahi non potest: sicut quadriga in luto per se moveri non potest, ita homo, nisi Pater traxerit eum, ad Christum venire non potest. Imò etiam (ut Gregorius Valenta a agnoscit) fuit sententia quorundam Scholasticorum, hominem posse per actiones naturales se disponere sufficienter ad obtinendam gratiam. Qui tamen à Pelagianis in eo discrepant, quod & fidei assensum supernaturalem (quem non agnovit Pelagius) necessarium esse senserunt; neque etiam putaverunt, sicut Pelagius, hominem per ejusmodi actiones naturales mereri ex condigno primam gratiam, sed tantum ex congruo, sic ut facienti naturaliter quod potest, Deus certò communicet gratiam. Ita Durandus in 2. d. 28. qu. 5. Et Gabriel in 2. d. 28. quæst. unicâ in respons. ad primum dubium. Et tribuitur eadem opinio Scoto in 2. dist. 28. quæst. unicâ, art. 2. ubi expressè ait, Hominem posse suâ naturâ, cum solo communi Dei consensu, habere attritionem, quæ sit dispositio & meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ sequatur in ultimo instanti illius dispositionis. Vega quoque, lib. XIII. in concil. Trident. cap. 12. disertim docet, neminem esse, in

a Comment. Theolog. T. 2. disput. VIII. quæst. V. de effectibus gratiæ, ut est forma, puncto IV.

cujus

cujus potestate non sit habere divinum auxilium; idque non, quia neminem Deus omnis finit gratiæ expertem, sed *quia potest* (ut ejus utar verbis) *bene uti naturalibus. Et autem qui hoc fecerit, Deus (qui nemini deest facienti quod in se est) auxilium sine dubio præstabit sufficiens ad obtinendum bona supernaturalia.* Sotus quoque, lib. II. de natura & gratiâ, cap. 4. hanc fuisse ait sententiam doctorum antiquorum. Nos veterum verba sic capere malumus, ut velint, neminem omnis gratiæ expertem relinqui; ac ex priori gratiâ operantem, majori à Deo gratiâ ornari. nempe quomodo scriptor de vocatione Gentium lib. II. cap. 8; *Datur unicuique sine merito, unde tendat ad meritum: & datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum laborem. &c.* Juxta hanc sententiam etiam de gratiâ verum fuerit illud Augustini epist. CVI. ad Bonifac. *Non gratiam Dei aliquid meritis præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici; comitante, non ducente; pedissequâ, non prævia voluntate.* Et de gestis Palæstinis, cap. 14. *Ne quispiam existimet, ad ipsam fidem meritis operum perveniri, cum ipsa sit initium unde bona opera incipiunt.* Quamquam non dubitamus, quin Augustinus hoc intellexerit de solis habentibus fidem, quæ per caritatem est efficax. quomodo & tract. V. in I. cap. Johannis ait; *Caritas meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.*

Hæc satis ostendunt, quæ SS. patrum & posteriorum quorundam fuerit sententia. Quibus verò Scripturarum locis pugnare soleant, ex parte indicant, quæ jam attulimus, pleniùs autem ea declarabunt, quæ deinceps dicemus.

Magnum imprimis sententiæ suæ pondus constituunt in verbis Ioh. XV. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Et Rom. XI. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Item I Cor. IV. 7. *Quid habes, quod non accepisti?* Nam, inquiunt, si nihil habemus, quod non acceperimus, etiam à Deo erit, quòd ad regenerationis gratiam disponimur.

Item urgent illud Ioh. VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum.* At qui se disponit, is à Deo non trahitur, sed ducitur. Vide hoc de argumento Augustinum lib. I. ad Bonifac. cap. XIX. & lib. II. cap. VIII. & alibi.

Præterea eos movit, quod dispositio ad gratiam est pars conversionis nostræ: conversio autem est opus divinum. Unde Psal. LXXXV. 5. *Converte nos Deus salutis nostræ.* Et Thren. V. 21. *Converte nos Domine, & convertemur.* Et Ezech. XXXVI. 22. 23. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum.*

Laudant & aliqui illud Proverb. VIII. 35. *Preparatur à Domino voluntas.* Ut habent LXX. interpretes. Sed aliter est in Hebræâ veritate, uti & veteri interprete Latino.

Aliud etiam telum iis subministrabant loca, quibus homo in naturâ corruptâ constitutus comparatur homini mortuo. Ut Luc. XVIII. 15. 24. *Mortuus erat, & revixit.* Ephes. XI. I. 5. *Cum essetis mortui in peccatis.* Coloss. II. 13. *Vosque mortuos in peccatis Deus excitavit.* Ubi irregeniti dicuntur mortui, quia uti homine mortuo corpus separatum est ab animâ, ita animâ peccatis serviente ea à Deo separata est. Hinc Macarius homil. XII. Ἐπειδὰν ὁ Ἀδὰμ κακὰ ἔσχε διανοήματα καὶ λογισμοὺς, ἀπώλετο ἀπὸ τοῦ θεοῦ. οὐ λέγομεν δὲ, ὅτι ἀπώλετο τὸ ὅλον καὶ ἠφανίσθη, καὶ ἀπέθανεν· ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀπέθανε, τῇ δὲ ἰδίᾳ φύσει ζῇ. hoc est; *Adam ubi cœpit habere pravas cogitationes & commenta, periit à conspectu Dei. Non tamen dicimus, quòd prorsus interierit ac deletus sit, & mortuus; sed quòd, quantum ad Deum, mortuus sit, suâ tamen naturâ vivit.* Quod enim de Adamo Macarius dicit, universè in singulis locum habet. Hæc verò similitudo eo quoque rectè extenditur, quòd uti homo mortuus non potest sese disponere ad recipiendam vitam; ita neque in peccatis mortuus, nisi aliquam vim vitalem ei inspiret Dominus, ad gratiam disponere se possit.

Denique urgent regenerandi & renascendi verba. Ut cùm dicitur I Petr. I. 13. *Renati non ut ex semine corruptibili.* Jacob. I. 18. *Genuit nos verbo veritatis.* Fulgentius lib. De incarnat. & gratiâ Christi cap. XIX: *Sicut in nativitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis divini formatio; sic in spirituali nativitate, quâ veterem hominem deponere incipimus.* Et cap. XX: *Forma præcessit in carne Christi, quam in nostrâ fide spiritualiter agnoscamus. Nam Christus, Filius Dei, secundùm carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est: carnem autem illam nec concipere virgo posset aliquando, nec parere, nisi ejusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exordium. Sic etiam in hominis corde, nec concipi fides poterit, nec augeri: nisi eam Spiritus sanctus effundat & nutriat: ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus.*

Objici solet exemplum Cornelii Act. X. Sed is non omnino infidelis fuit; ut inde liquet, quòd Deum agnoverit, & religiosè coluerit. Atqui hæc quoque donum Dei esse quis neget? præsertim cùm etiam omnino infidelium virtutes sint à speciali Dei gratiâ, uti docet Augustinus lib. de prædest. sanct. cap. VII. Accommodatâ hoc similitudine illustrat Thomas Argentinensis lib. II. 2. dist. XXVIII. & XXIX. art. 2. q. I. *Sicut*, inquit, *formæ naturales non inducuntur in materiam, nisi per motum prius factum ab agente naturali: sic forma supernaturalis, puta gratia, non inducitur in animam adulti hominis, sine supernaturali agente, supernaturaliter movente ipsam animam.* Nempe nihil se disponit ad gradum altiorem, quàm habet naturâ. Atqui gratia regenerans excedit totam naturam. Quicquid igitur est à viribus naturæ, id inferioris est ordinis, & improportionatum ad gratiam. Potest quidem homo, nimis peccando, magis indispositus reddi ad recipiendam gratiam, quàm alius: sed nihil tamen facere potest, per quod ad gratiam disponatur. Nimirum similiter se res habet, ac in lignis usu venit. Lignum viride magis est indispositum ad formam ignis, quàm aridum: sed tamen nec lignum aridum per se dispositum est ad formam ignis; verùm necesse est, ut per calorem ab igni aliâve superiori caussâ ad hoc disponatur. Atque ex his satis paret, quid dicendum sit de illo calcato: Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam ulteriorem. Nec enim vel quisquam naturæ viribus agit quod in se est: vel si agat, eò per naturales actus se disponit ad gratiam. Nimirum non nisi actibus ex gratiæ virtute præstitis, disponitur homo ad gratiam majorem: de quibus capiendum illud Christi: *Habenti dabitur.* Corruit igitur illud Massiliensium, à Prospero & aliis Patribus meritò damnatum, Deum exspectare conatus nostros præstitos vi naturæ. Nam gratia, ut optimè cecinit Prosper,

—— dux est venientibus ad se,
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.

Ex his satis elucet, quàm nullæ in spiritualibus vires hominum supersint. Quare quid mirum, si interdum in hujusmodi non dubitent Patres liberum arbitrium appellare servum? Nec enim verum est, quod nonnulli ajunt, primos reformatarum Ecclesiarum doctores hanc cudisse appellationem. Sanè disertim scribit Augustinus lib. De correptione & gratiâ cap. XIII: ARBITRIUM, *liberum; sed non liberatum: liberum justitia, peccati autem* SERVUM. Et lib. II. in Julianum: *Hic vultis hominem perfici, atque utinam Dei dono, & non libero, vel potius* SERVO *voluntatis arbitrio.* Iovenias & alibi *ἰσοδυναμοῦντα*. Ut Enchirid. cap. CVI: *Post illam ruinam major est misericordia Dei, quoniam & ipsum liberum arbitrium liberandum est à servitute.* De gratiâ & libero arbitrio cap. XVI. *Aut enim voluntas nostra est libera à justitiâ, quando servit peccato.* Contra duas epist. Pelag. lib. IV. c. III. *Voluntas captiva non potest, nisi gratiâ Dei, respirare in salubrem libertatem.* Et contra eosdem lib. III. cap. VIII. *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet.* Similiter Bernardus lib. de grat. & lib. arb. cap. XI. *Homo per propriam voluntatem servus peccati factus meritò perdidit liber-*

libertatem consilii. Et cap. IV. dixerat idem; *libertatem nostram peccato esse captivatam.* Hæc ostendunt, quam fidem mereatur Bellarminus, cùm lib. IV. De gratia & lib. arbitr. cap. VI. scribit, *nomen servi arbitrii in Ecclesiâ Catholicâ totos mille quingentos annos nunquam fuisse auditum:* cùm item addit, reformatarum Ecclesiarum doctores liberi arbitrii nomen primos in servum arbitrium commutâsse. Vidimus enim Augustinum, & alios similiter esse locutos. Quid quod præivit illis Scriptura? Ut Ioh. VIII. 34. *Qui committit peccatum, servus est peccati.* Et cap. VI. 20. *Cum essetis servi peccati.* Nam si homo per voluntatem servit peccato, quomodo ejus arbitrium servum non est?

Ἐπίκρισις I.

Et fidei & bonæ voluntatis initia, atque orandi affectum divinæ gratiæ tribuit Cœlestinus. Idem facit Concilium Arausicanum II. Quo etiam damnatur Massiliensium κακοφυγία, cum gratiam occasione & initium bonæ nostræ voluntatis conferri docerent, & eandem tamen, non secundum merita nostra, sed ex misericordiâ, promanare contenderent.

AUxilio nos supernaturali egere ad ea, per quæ ad gratiam nos præparari Massilienses dicebant: præter Innocentium & Zosimum (quibus cum solis Pelagianis negotium fuit) testis est Cœlestinus ad episc. Galliæ cap. IV. *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.* Cap. IX. *Præparatur voluntas à Domino; & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Cap. X. *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Idem cap. XI. *Beatissimæ & Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones, bonæ voluntatis exordia ad Christi gratiam referre docuerunt.* Et post aliqua hoc ipsum probat ex oratione, quâ Ecclesiarum præsules postulant, *ut infidelibus donetur fides, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant.* Addit deinde: *Hæc non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium referatur.* Idem c. XII. *Omnium bonorum* AFFECTUUM *atque operum, & omnium studiorum omniumque virtutum, quibus* AB INITIO FIDEI *attenditur, Deum profiteamur autorem, & non dubitemus, ab ipsius gratiâ omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni* ET VELLE INCIPIAMUS, ET FACERE. Etiam Gelasius, in decreto cum LXX. episcopis facto, (quod etiam refertur distinctione XVI. Canone, Sancta Romana) eo libros Cassiani & Fausti inter apocryphos retulit, quòd prævenientem gratiam negarent. Nec aliud judicium fuit Felicis IV. ut cognoscimus ex Gennadio Massiliensi, sive eo potiùs qui auxit librum Gennadii de scriptoribus Ecclesiast. cap. LXXXVI. ubi de Cæsario Arelatensi (qui post Gennadium floruit) hoc scriptum invenitur: *De Gratiâ quoque & libero arbitrio edidit testimonia divinarum Scripturarum, & sanctorum Patrum judiciis munita; ubi docet,* NIHIL *hominem de proprio boni agere posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roboravit, & in latius promulgavit.* Ac de episcopis Romanis hactenus.

Idem ex conciliis statuit Carthaginense (quod Milevitanum vocant) can. IV. *Est utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Item Africanum concilium apud Prosperum ad cap. VIII. Gall. *Gratiam Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per singulos actus adjuvare; ita ut sine illâ nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere, valeamus.* Sed imprimis hæc lucem capiunt ex concilio Arausicano, quod potissimùm sibi propositum habuit Fausti doctrinam condemnare. Nam primus Fausti error erat, quòd negaret necessitatem gratiæ prævenientis. At ea stabilitur canone tertio, quarto, sexto, quartodecimo, decimoseptimo & duodevigesimo. Alter error fuit de συνεργίᾳ hominis cum Deo, non ex potentiâ superaddita naturæ, sed potentiâ naturali: quæ sententia damnatur can. septimo, sextodecimo, & vigesimo secundo. Tertius error erat de justificatione veterum, per legem naturæ aut Mosis: quod improbatur canone undevigesimo, & imprimis vigesimoquincto; ubi disertim negatur, Abelem, Noe, Abraham salvatos per legem naturæ. Quartus fuit de ortu fidei ex principiis naturæ: qui error rejicitur canone sexto, & potissimum vigesimoquincto; ubi dicitur, fidem Cornelii centurionis & Zachæi non fuisse de naturâ, sed divinæ largitatis donum. Quinctus fuit de merito naturæ, quòd quia petimus, quærimus, pulsamus, eo nobis misericordia conferatur: qui error can. VI. damnatur. Ut hæc manifestiora fiant, aliquot canones adscribemus. Ac primo quidem, qui statuant, fidem, conversionem, desiderium, invocationem, pœnitentiam esse Dei donum. Sic enim can. III. *Siquis per humanam invocationem dixerit gratiam Dei conferri, & non potius ipsam gratiam facere, ut à nobis invocetur, contradicit Isaiæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum à non quærentibus me; palàm apparui his, qui me non interrogabant.* Can. VI. *Siquis sine gratiâ Dei volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem divinitus, ut hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium; nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse, consentit: resistit Apostolo dicenti* a: *Quid enim habes, quod non accepisti?* & b, *Gratiâ Dei sum id quod sum.* Item can. VII. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare c ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi, consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus S. &c. hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio d dicentis, Sine me nihil potestis facere. Et illud e Apostoli, Non quod idonei sumus cogitare aliquid boni ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Can. IX. *Divini est muneris, cùm bene cogitamus.* Can. XXII. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque justitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in viâ.* Can ult. *Nullus credere in Deum possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit. Unde Abel justo, & Noe, & Abraham, & Isaac, & Jacob, & omni antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam.* Et postea: *Ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum, cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissimè credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturâ, sed divinæ largitatis donum.*

a 1 Cor. 4. 7.
b 1 Cor. 15. 10.
c Vett. libb. cogitari non expedit, aut eligere sive salvari (aut salutari) id est Evangelizanti &c. Sed lectionem veram repræsentamus ex Gennadii cap. 44. & notis Frontonis Ducæi ad Concil. Arausi. 2.
d Joh. 15. 5.
e 2 Cor. 3. 5.

Atque hæc non minùs adversus Pelagianos quàm Semipela-

pelogianos statuuntur. At specialiter Massilienses tangit can. VIII. Concilii Araul. II. cujus hæc verba: *Siquis* ALIOS PER *misericordiam*, ALIOS VERO *per liberum arbitrium* (*quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum*) *ad gratiam baptismi posse venire contendit; à rectâ fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum; aut certe ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semet ipsos posse conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui* NON ALIQUOS,
[a lib. 6. 44] SED NEMINEM *ad se posse venire testatur* a, *nisi*
quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit b, *Beatus*
[b Matth. 16. 17.] *es, Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et Apostolus* c: *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in*
[c 1 Cor. 12. 3.] *Spiritu Sancto.* Sic Canonem hunc legi debere, alibi ostendimus. Idem Concilium propriè eosdem Massilienses tangit, cùm negat, satis meritum excludi, si dicamus, post initia naturæ conferri gratiam ex misericordia. Hæc mens verborum can. VI: *Si quis sine gratiâ Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, pulsantibus nobis*, MISERICORDIAM *dicit conferri.* Nam gratiam conversionis propter naturæ initia collatam, misericordiæ nomine appellabant Massilienses, quia non ex debito, sed ex gratiosâ Dei misericordiâ conferretur. Ita Cassianum antea locutum vidimus. Et Fausti verba sunt lib. I. cap. I. fine: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Quod utique illi objici non est necesse, qui non de solo labore præsumit, sed conatibus suis quotidianam Dei* MISERICORDIAM *& jugem gratiam* IMPLORANDAM *esse cognovit, & auxilium Domini pervigili obsecratione deposcit.*

ἘΠΙΚΡΙΣΙΣ II.

Pœnitentiam Dei dono obtingere statuit Synodus Palæstina, ac postea Cælestinus.

[a Epist. 106.] SYnodus Palæstina, Augustino teste ad Paullinum a, & ipsa damnavit, & ad damnandum compulit Pelagium, quod Cælestius dixerat, *Pœnitentibus veniam non dari secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm meritum & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint misericordiâ.* Subjicit deinde Augustinus: *unde fit consequens, ut quisquis sequitur illius episcopalis autoritatem judicii, & ipsius Pelagii confessionem, hoc tenere debeat quod semper tenuit Ecclesia.* Et paullo pòst; *Fateatur, secundùm gratiam & misericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non secundùm merita eorum: quandoquidem etiam ipsam pœnitentiam donum Dei dixit Apostolus, ubi ait de quibusdam; Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Hæc simpliciter sine ullis fateatur ambagibus, si quis in antiquitatem Catholicam & ipsius Pelagii expressa Ecclesiasticis gestis verba consentit.* Idem ex precibus Ecclesiasticis probat Cælestinus I epist. ad episc. Gall. cap. XI; *Legem credendi*, inquit, *lex statuit supplicandi.* Hinc subjungit: *Sanctarum plebium præsules, totâ secum Ecclesiâ ingemiscente, postulant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur.* Hoc autem non perfunctoriè neque inaniter postulari, continuò probat à rerum ipsarum effectu. qui hæc efficienti Deo refertur. Vidimus de viribus hominis ad gratiam inchoandam; sequitur agamus de ejus virtute ad illam conservandam.

THESIS II.

Præterea Massiliensium sententia erat, ad gratiam Spiritus S. conservandam non alio nos indigere, quàm quod vel naturâ haberemus: vel unà cum gratiâ semel essemus consecuti.

PElagium putâsse, unumquemque propriis viribus perseverare, docet nos Hieronymus lib. II. contra Pelagianos, & Augustinus lib. de perfectione justitiæ, item hæresi LXXXVIII. ubi ait: *Ut augeatur fides, & perseverent in eâ, homines non ab ipso accipere, sed à se ipsis habere contendunt.* Juliani quoque verba sunt lib. de bono constantiæ: *Hæc namque est constantia, quæ maximè asserit arbitrii potestatem ac bonum, ejusque naturæ & humani animi motus liberos, dum ostendit, omne mentis bonum voluntarium, nec ulli unquam casui obnoxium.* Et paullo post: *Ipsa enim armat egregium cujusque & accendit animum, dum illum libertatis suæ semper admonet, dumque omnes ab eo repellit metus.* Et post multa: *Etenim sicut* (lego, si, ut) *præclare à doctissimis atque orthodoxis disputatum est, nemini verè unquam noceri, nisi à se ipso, potest; nec est prorsus aliquid, quo quisquam invitus fiat miser: quid tandem virtus timebit, nisi defectum sui, quo homini in æternum nocetur?* Citat Beda præfat. seu lib. I. in Cant. Nec tamen gratiam penitus excludit Julianus; sed non necessariam putat. Nam eodem in libro sic scribit: *Divina enim gratiæ est amare* (lego, armare) *& firmare constantiam, quæ cæteras possit custodire virtutes: & contra omnia, quæ resistunt, defendere virtutem.* Quæ cùm Beda citasset, adjungit: *Cautissimo usus est verbo, ut non diceret eam donare, quasi antea non habitam nobis constantiam, sed potius juvare & firmare, quasi à nobis jam exortam, ut ventus flammam ignis, quam non ipse accendit, sed aliunde accensam, ut clarius flammescat, adjuvat, & ne exstingui debeat, flando confirmat. Sicut in ipso libro de Amore plenius sensum suum dilucidasse monstravimus.*

Hac parte non longè à Pelagianis abiisse videntur Massilienses. Nam ipsi quoque regenitos aliâ ad perseverandum gratiâ indigere negabant, quàm vel naturæ congenitâ, vel per gratiam in regeneratione collatâ. Docet hoc de iis Prosper carm. de Ingratis:

Esse autem edoctis istam communiter æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant, finem effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam desit honestis.

Et sanè hoc velle videtur Cassianus lib. XIII. cap. XIV. ubi sic de Jobo inquit: *Sed cùm nullam ejusmodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem, non eum ab illius impugnatione sic protegens, ut nullum virtuti humanæ relinqueret locum.* Et paullo post: *Et quid eos necesse est vel tentari, quos ita infirmos novit ac fragiles, ut nequaquam virtute suâ valeant resistere tentatori?* Et Collat. VII. cap. VIII: *Quamobrem sicut in illis* (tentationibus) *est instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi, sive acquiescendi libertas est adtributa.* Et cap. XIV: *Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis: non utique optat, ne eos Dominus tentari permitteret; sed ne supra id, quod sustinere poterant, tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrii facultatem: hoc verò Domini gratiam, tentationum luctamina moderantis, ostendit.*

ANTITHESIS IV.

Catholicis contrà in animo obversabatur, ut plurima ignoremus, & in iis quæ scimus, repentini eventus sæpe animum impediant, quo minùs consideret, quid facto opus sit: ut item caro immoderatius exultet, mundus blando alliciat vultu, maligni spiritus insidias struant piis. Propter hæc aiebant, non sufficere gratiam quâ justificamur, & veris virtutibus ornamur: sed ad perseverandum in bono gratiam requiri specialem a. *Quò referunt, quod cùm divinus Psaltes dixisset,* Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam: *continuò subjungat,* Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. *Item, quod Christus pro Petro oravit* b, *ne deficeret fides ejus: & universè pro Apostolis* c, *ut servet illos à malo: quodque Dominus* d *hortatur, ut orent ne intrent in tentationem, atque omnes fideles idem rogare jubentur in precatione, quam eos docuit* e *Christus. Quicunque verò de hoc perseverantiæ dono disserunt, ea partim ad extrinsecam, partim ad intrinsecam gratiam pertinent. Extrinseca est simplex custodia & providentia, per quam conservamur in bono. Eam interdum consistere docent in acceleratione mortis, juxta illud Sap.* IV. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. *Item:* Placita enim erat Deo anima ipsius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. *Interdum in tentationum ablatione: unde quotidie exposcere jubemur, ne in tentationem nos inducat. Intrinseca autem gratia est, confirmatio in gratiâ: ut cùm homini speciale robur confertur ad tentationes exsuperandas. Atque interno hoc perfectionis dono includi docent perseverantiæ bonum, non è contrario: quia isto roboris incremento (ut de infantibus nihil dicam) nec egeant adulti omnes, cùm nonnulli eorum paullò post conversionem aut resipiscentiam absque graviori tentatione de hac vitâ discedunt. Interea hoc ipsum quod divina eos providentia auferat è vita, priusquam periculum gravis certaminis subeant: omnino referri debet ad perseverantiæ bonum divinitus illis concessum; quod ad salutem consequendam simpliciter est necessarium.*

a Ps. 116.
b Luc. 22. 31.
c Joh. 17. v. 9. 15. 20
d Matth. 26 v. 41.
e Matth. 6. v. 9.

NOn satis esse, ut gratiam semel contulerit Deus, sed præterea opus esse, ut eandem in nobis conservet: testis est Orosius in apolog. f *Nemo, nisi secundùm divisionem mensuramque accipit; & qui acceptum habet, ad ipsum custodiendum alieno eget auxilio.* Similiterque Chrysostomus homil. VIII. in Joh. Cyrillus lib. XI. in Joh. Cyprianus in exposit. orat. Dominicæ. Hilarius in Ps. CXXVI. Bernardus serm. III. in Cant. Sed copiosè inprimis hoc argumentum tractat Augustinus: cujus hæc sententia est; hominem ante id tempus, post quod capitaliter peccaturus non est, accipere perseverantiæ donum: sive id fit confirmatio in gratiâ, ut cùm Deus novum robur addit ad superandas tentationes etiam gravissimas: sive unà cum principio interno, puta fide verâ, licet non confirmatâ, concurrat auxilium externum, nempe protectio certa & infallibilis. Vide eum lib. de bono perseverantiæ cap. I. & deinceps, maximè XIII. & XIV. ubi sic inter alia: *Hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos piosque mores, usque ad senectutis maturitatem & diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed ipso Domino esse gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus* g, *ipse in quantacunque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus.* Idem lib. De corrept. & grat. cap. VI. *Si dixerimus, istam perseverantiam tam laudabilem, tam felicem, sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud evacuamus quod ait Dominus Petro, Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Vide & cap. VII. & XXII. Interim fatebantur Catholici, regenitos ex gratiâ divinâ habere potestatem poscendi à Deo perseverantiæ donum. Nam Deus (ut Augustinus ait serm. XXIX. 19. De verbis Domini) *nunquam nos ad illa* (auxilia) *petenda hortaretur, nisi dare vellet.* Sed aliud est, habere illud ex gratiâ, per quod consequi possis perseverantiæ donum; aliud, ex naturâ, vel etiam gratiâ, quam in regeneratione sis consecutus, actu illud omne habere, quod ut perseveremus facit. Siquidem, ut optimè Augustinus a ait, *Quid stultius, quàm orare ut possis, quod in potestate habes ut facias?* Quia verò Pelagiani negabant, speciali nos protectione & auxilio ad perseverantiam indigere: hinc colligebant Patres, tollere illos preces, quibus perseverantia à Domino poscitur. August. hæresi LXXXVIII: *Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus, & doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum: sive pro fidelibus, ut augeatur eis fides, & perseverent in ea.* Rationem subjungit: *Hæc quippe non ab ipso accipere, sed à se ipsis homines habere, contendunt, gratiam Dei, quâ liberamur ab impietate, dicentes, secundùm merita nostra dari.* Ex ratione enim annexâ liquet, non sustulisse eos orationes apertè, sed ex consequenti. Hinc idem ep. CXLIII. ad Anastasium: *Per quorum disputationem infirmitati hominum misera, atque indigni suadetur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem. Non quia hoc audent apertè dicere, sed eorum sententiam, velint nolint, hoc utique sequitur. Nam ut quid nobis dicitur, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem? Ut quid etiam secundùm hanc exhortationem, cùm doceret orare, præcepit ut dicamus, Ne nos inferas in tentationem; si hoc non impletur ex adjutorio gratiæ divinæ, sed totum est in arbitrio voluntatis humanæ?* Isthæc nempe perpetua tentatio in hac vitâ caussa est, cur sine gratiâ speciali diu nemo perseveret. Augustinus lib. De corrept. & grat. cap. XII: *Si in tantâ infirmitate vitæ hujus (in quâ tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.*

f P. 519.
g Sap. 4.
a Lib. De nat. & grat. c. 18.

Eadem mens Prosperi in resp. ad capita Gall. cap. VII: *Quomodo eos haberet præordinata in Christo electio, cum dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bono usque ad finem, quam istos ex eo ipso quod non perseveraverunt, non habuisse manifestum est?* Nec aliter Scriptor De vocat. gent. lib. I. cap. VIII b: *Fixâ hac fide in cordibus nostris, immobiliterque fundatâ, saluberrimè credimus, omnia bona, ac maximè ea, quæ ad æternam vitam provehunt, Dei munere custodiri.* Et lib. II. c. IV: *Discedere à fide ita est liberum, ut non discedere, non possit nisi cooperante Spiritu Dei fieri.* Et eodem lib. c. XXVI: *Sive igitur initia, sive profectus fidelium, sive usque in finem perseverantiam cogitemus: nullum genus, nulla species cujusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono divinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur.* Venantius Fortunatus homil. de orat. Dom. prope finem: Fragilitas *nostra conservare puritatem lavacri non valet, quam de fonte percipit, nisi dignetur Dei gratia custodire.* Item Fulgentius lib. I. De veritate prædestinationis c. *Sicut bona voluntatis initium nemo potest habere, nisi fuerit misericordiâ Dei præveniente illuminatus: ita eandem voluntatem bonam nemo usque in finem poterit obtinere, nisi fuerit jugiter eadem misericordiâ subsequente servatus. Misericordia igitur, quæ gratis malum hominem prævenit, & ipsa quem bonum facit, subsequendo regit, ne mutetur in pejus. Omne igitur bonum voluntatis & operis tunc inesse potest homini, si præveniens gratia*

b Apud Prosper. in edit. Duac. f. 518. a.
c Pag. 37.

gratia largitate detur, ejusdemque gratia subsequentis opitulatione servetur: qua malum praevenit, ut bonam Deo largiente voluntatem habere incipiat, quam antè, quia per se habere non poterat, non habebat: subsequitur autem bonum, ut perseveret & proficiat in bonâ voluntate, quam ex se habere non potuit, sed gratis accepit. Praevenit ergo dirigendo cor hominis pravum, quia scriptum est, Dirigit autem corda Dominus: subsequitur autem, custodiendo cor rectum; quia similiter scriptum est, Iustum adjutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde. Gratia igitur in utroque operatur; scilicet & in errante, ut correctus vivat; & in correcto, ne depravatus abscedat. Quo ex loco simul cognoscimus, quid praevenientis, quid item subsequentis gratiae nomine intellexerit Fulgentius. Nempe gratiam praevenientem vocat justificationem, & quod ad eam disponit. Subsequentem appellat, quae justi-
a Pag. 80. tiam auget & conservat. Sic idem lib. II a: *Sicut ad surgendum beneficio misericordiae praevenientis erigitur, sic ad perseverandum misericordiae subsequentis juvamine custoditur.* Et lib. 1. ad Monimum cap. 11: *Praevenit impium, ut fiat justus: subsequitur justum, ne fiat impius. Praevenit caecum, ut lumen donet; subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet.* Aliqui tamen praevenientis & subsequentis gratiae vocabula comparatè intelligere malunt. Ita prima vocatio tantùm erit praeveniens: ultima glorificatio tantùm erit subsequens: reliqua intermedia comparatione diversorum & praevenient & subsequentur; quomodo in ὑπαλλήλοις idem & genus est & species. E. G. gratia in nobis fidem producens est subsequens, ratione vocationis primae: est praeveniens, ratione orationis ex fide profectae. Atque ita in aliis. Vide Cumel Disp. var. ad primam P. & primam Sec. dubii 11.
b Pag. 38. & 39. concl. 11. *b*

ἘΠΙΚΡΙΣΙΣ IV.

Perseverantiam divina gratia deberi, etiam Episcopi clerique Romani, & Concilii II. Carthaginensis, atque Arausicani II. sententia fuit.

INnocentii ea mens est epist. ad Concilium Carthaginense. Item Caelestini epist. ad Episc. Galliae cap. XI. ubi & de praecessoribus sic scribit: *Beatissima & Apostolica sedis inviolabiles sanctiones, & bona voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt.* Ac veritatem ejusce dogmatis comprobari ait, ex obsecrationum sacerdotalium sacramentis, ut *legem credendi lex statuat supplicandi.* Vide & Gregorium M. lib. XXIII. Moral. cap. XXVIII.

Idem statuit Concilium Carthaginense in Pelagianâ causâ secundum. Sic enim ex eo scribunt Patres Africani epist. ad Innocent. I: *Istorum sacrilegas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse* (Christus) *testatus est. Si enim possibilitate naturae & arbitrio voluntatis in potestate est constitutum: quis non videat, à Domino inaniter peti & fallaciter orari, cum orando poscuntur, quae natura nostra jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur. Nec debuisse dicere Dominum Iesum beatissimo Petro, primo Apostolorum, Rogavi pro te; sed, Moneo te, vel impero ac praecipio, ne deficiat fides tua,* &c.

Idem judicium fuit Concilii Arausicani II. can. X: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Imò hac gratiâ etiam in primaevo statu opus fuisse docetur can. XIX. cujus lemma: *Neminem, nisi Deo miserante, salvari.* Malè enim in editt. antiq. verba haec appinguntur canoni antecedenti. Concilii ejusce verba sunt: *Natura humana, etiamsi in illâ integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore non adjuvante, servaret.* Et mox: *Sine gratiâ Dei salutem non possit custodire, quam accepit.*

LIBRI QUARTI
PARS ALTERA;

Quâ disquiritur, an Patres Graeci praevenientem gratiam agnoscant, aut Latinorum illi, qui tribus proximis post Apostolos seculis in Ecclesiâ docuerunt.

THESIS I.

Siquis putet, aliquos eorum, qui ante exortam Pelagii haeresin vixerunt, fidem vel initium fidei, conversionis desiderium, certum spei & paenitentiae gradum, naturae viribus tribuisse; nolumus cum eo ducere contentionis funem. Nam cùm Augustinus fateatur, hanc aliquando fuisse sententiam suam: probabile est, etiam antiquiorum aliquot in eodem luto haesisse. Sed tamen audiendi non sunt, qui communem hanc fuisse antiquitatis sententiam credunt. Multa enim illis obduci possunt, è quibus constet, agnovisse veteres, nihil esse nostrum, sed à divinâ gratiâ esse id omne quod possumus: quod qui dicunt, non eos solùm erga gratiam Dei ingratos putant, qui absque gratiâ salutem nos consequi posse arbitrantur; ut Pelagianorum postea opinio fuit: sed etiam ingratè eos uti gratiâ censent, qui non universam salutem soli gratiae adscribant; ut Massilienses fecisse existimantur.

PEt gratiam praevenientem hoc loco intelligimus, non eam tantùm, quae prior fit opere bono: qualem etiam à Massiliensibus agnitam fuisse Prosper, Hilarius, & Augustinus fatentur: sed quae praeveniat fidem, atque adeò credulitatis affectum & conversionis desiderium: qualem eos gratiam negasse iidem testantur. At verò antiquiores Ecclesiae doctores hanc ipsam docuisse, non vanam inde conjecturam capere possumus, quòd Prosper in suis ad Augustinum literis, Massilienses priùs

eam agnovisse dicat, ac tum demum ab eâ sententiâ (quam scilicet à præceptoribus hauserant, & magistri eorum in Ecclesiâ invenerant) resiliendum sibi putâsse, cùm viderent, gratiam hanc ita ab Augustino doceri, quasi ab absoluto fluat salvandi decreto, eoque semper efficax sit in actu secundo. Erant inter eos multi magni & sancti viri, ut Prosper & Hilarius de iis ad Augustinum scribunt, & eos secuta Ecclesia Lugdunensis circa annum octingentesimum quinquagesimum judicavit *a*. Ac in eo quidem conspirabant universi, quotquot Augustini sententiæ adversarentur, quòd gratia præveniens non pendeat ab absoluto salvandi decreto. At in hoc aliquis dissensus erat: quòd alii quidem faterentur, semper hominem à gratiâ præveniri, sed eâ quæ minimè ab absoluto proficiscatur decreto, eoque semper efficax non sit: (quales in Semipelagianorum numerum referri non possunt, cùm hæc communis fuerit Catholicorum sententia) alii vero, ut fortiùs, quemadmodum putabant, Augustini sententiam de absoluto decreto convellerent, negarent, gratiam semper esse priorem hominis voluntate: quia aliquando etiam homo per naturale salutis desiderium, & laborem naturæ viribus præstitutum, ad gratiam se præpararet. Quam Cassiani fuisse sententiam, colligebamus superiùs ex iis, quæ de Zachæo & latrone scripsit. Et quid mirum, si fidei initia Cassianus tribuerit naturæ, cùm Augustinus idem aliquando senserit? Unde & Massilienses (quemadmodum Prosper & Hilarius ad eum scribunt) objicere ei solent hæc verba, quæ protulerat in cap. IX. ad Rom. *Dicit enim* Apostolus: *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est: Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus, nostrum est: quòd autem operamur, illius.* Nullum hic mantelum quæremus. Nam hanc suam fuisse aliquando sententiam, non uno Augustinus ipse loco agnoscit. Uti cùm lib. I. De prædest. sanct. c. III. ait: *Non sic pius atque humilis doctor ille sapiebat; (Cyprianum beatissimum loquor) qui dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem, dicentem: Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quo præcipuè testimonio etiam convictus sum, cum similiter* ERRAREM, PUTANS, FIDEM, *quâ in Deum credimus*, NON ESSE DONUM DEI, *sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & juste & piè vivamus in hoc seculo. Neque enim* FIDEM *putabam* DEI GRATIA PRÆVENIRI, *ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis.* Hactenus Augustinus: cujus è verbis clarè discimus, aliquando eum negasse gratiam prævenientem; nec tamen impegisse omnes in hunc errorem, qui ante Augustinum vixerunt: cùm fateatur ipse, aliter sensisse humilem doctorem B. Cyprianum. Adferam alterum quoque Augustini locum: quem paullo pòst exscribit è lib. I. Retract. cap. XXIII: *Nondum diligentius quæsieram, qualis sit electio gratiæ. Proinde quod continuo dixi:* DICIT *enim idem Apostolus: Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus: nusquam autem dictum est: Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subjunxi:* QUOD *ergò credimus, nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum:* PROFECTO *non dicerem, si jam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Utrumque ergò nostrum est, propter arbitrium volentibus, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei & caritatis. Neque enim sola caritas, sed sicut scriptum est, Caritas cum fide à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo. Et quod paullo post dixi:* NOSTRUM *est enim credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris:* VERUM *est quidem, sed eadem regulâ & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.* Hæc Augustinus: ex quibus iterum paret, neutiquam pro calumnia haberi debere, quòd multi dicerent, ipsum priùs Augustinum ea docuisse, quæ in Massiliensibus postea damnaret. Sed Massilienses non contenti isto priorum Augustini scriptorum patrocinio, etiam eos qui Augustinum præcessissent, secum sensisse contendebant. Et sanè cùm Cassianus habitus sit Massiliensium facilè princeps, atque idem præceptoris sui Chrysostomi fuerit studiosissimus: plane credibile est, Chrysostomi potissimùm autoritate se defendere solere. Nam apud eum legimus initio τῆς ἠθικῆς homil. XII. in epist. ad Hebr. Δεῖ γὰρ ἡμᾶς πρῶτον ἑλέσθαι τὰ ἀγαθά, καὶ τότε αὐτὸς τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσάγει. Nec hoc satis, sed continuò subdit *a*. Οὐ προφθάνει τὰς ἡμετέρας βουλήσεις, ἵνα μὴ λυμήνηται τὸ αὐτεξούσιον. Et homil. II. in epist. II. ad Cor. Ἀπὸ τούτου τοίνυν μανθάνομεν, ὅτι κἂν ἐλεεῖσθαι μέλλωμεν, ἀξίους δ' ἐλέου πρότερον παρέχειν ἡμᾶς ἑαυτοὺς χρή. κἂν γὰρ ἔλεος ᾖ, τοὺς ἀξίους ἐπιζητεῖ. οὐ γὰρ ἁπλῶς ἐπιστὸν ἅπασι, καὶ τοῖς ἀναισθήτοις διαχωνεύσεται. Hæc tamen commodam mentem capere possunt. *Nos*, inquit, PRIMUM *bona eligere oportet, & tunc adfert* (Deus) *quæ sua sunt.* Nempe non ἁπλῶς primùm, sed postquam gratiâ sumus præventi. Addit, *Non prævenit nostras voluntates, ne liberum tollat arbitrium.* Nempe non sic prævenit, *ut liberum tollat arbitrium.* Hoc est, non prævenit per gratiam, quæ ita determinet voluntatem, ut ei adferat necessitatem. Porrò ait, *nobis faciendum, ut misericordiâ dignos nos ipsos præstemus: nec enim obtingit stupore laborantibus, nec se misericordiâ egere sentientibus.* De consequente misericordiâ hoc verissimè dicimus, non de præveniente, quâ fit, ut quorum corda stupor detinebat prius, jam egere se sentiant misericordiâ Dei. Similiter interpretari oportet, quæ scribit in Psal. CXX *b*. item in homil. XLII *c*. ad Antiochenos. Neque solus sic loquitur Chrysostomus. Similia enim habet Athanasius orat. contra gentes *c*: Πρὸς δὲ τὴν ταύτης γνῶσιν, καὶ ἀκριβῆ κατάληψιν, οὐκ ἄλλων ἐστὶν ἡμῖν χρεία, ἀλλ' ἡμῶν αὐτῶν. Οὐδ' ὥσπερ ἐστὶν αὐτὸς ὁ Θεὸς ὑπεράνω πάντων, οὕτω καὶ ἡ πρὸς τοῦτον ὁδὸς πόρρωθεν, ἢ ἔξωθεν ἡμῶν ἐστιν, ἀλλ' ἐν ἡμῖν ἐστι, καὶ ἀφ' ἡμῶν εὑρεῖν τὴν ἀρχὴν δυνατόν. *Cæterùm ad istius rei* (vix veritatis) *notionem, & accuratam perceptionem, non aliis opus est quam nobis ipsis. Neque, ut est ipse Deus super omnia, ita quoque & via, quæ ad illum tendit, procul, aut foris extraque nos, consistit, sed in nobis sita est, & initium ejus à nobis investigari potest.* Et post aliquàm multa *d*; Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ τὴν περὶ τῆς θεωρίας ἔχει τὴν ἔννοιαν, καὶ αὐτὴ ἑαυτῆς γίνεται ὁδός, οὐκ ἔξωθεν, ἀλλ' ἐξ ἑαυτῆς λαμβάνουσα τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου γνῶσιν καὶ κατάληψιν. *Ideo certè divinæ contemplationis vim intelligentiamque possidet* (anima) *ipsaque sibi ipsi, ut via ac methodus quædam, non aliunde, sed ex se ipsâ, verbi divini scientiam apprehensionemque haurit ac percipit.*

Etiam Cyrillus Hierosolymitanus videtur fidem gratiâ priorem facere, cùm ita scribit Catechesi I *e*. Τοῖς δὲ λαμβάνουσι τὴν πνευματικὴν ταύτην σφραγῖδα καὶ σωτήριον, χρεία καὶ τῆς οἰκείας προαιρέσεως. Ὥσπερ γὰρ κάλαμος γραφικός, ἢ καὶ βέλος, χρείαν ἔχει τοῦ συνεργοῦντος, οὕτω καὶ ἡ χάρις χρείαν ἔχει τῶν πιστευόντων. *Iis itaque qui spirituale hoc signaculum & salutare accipiunt, opus est ut voluntariè id faciant. Sicut enim calamus scriptorius aut telum, ut ab aliquo impellatur necesse est: sic & gratia indiget credentibus.* Idem velle videtur Catechesi quinctâ, ubi ista legas *f*: Εἰ δὲ πιστὸς εἶναι νομίζεις, ἀλλ' οὔπω τελείως τὴν πίστιν ἔχεις, χρεία καὶ σοὶ κατὰ τοὺς ἀποστόλους εἰπεῖν, Κύριε, πρόσθες ἡμῖν πίστιν. τὸ μὲν γάρ τι παρὰ σεαυτοῦ ἔχεις, τὸ δὲ τι παρ' ἐκείνου πολὺ λαμβάνεις. *Si autem fidelis esse videris, nondum tamen perfectionem fidei habes; opus est, ut & tu cum Apostolis dicas: Domine, adauge nobis fidem. Nam apud te ipsum aliquid habes: ab illo verò permultum accipis.* Propter hujusmodi (quæ sanè Semipelagianam minimùm sententiam spirare videntur) scribit Jansenius in Concord. cap. LIX. Græcos, nisi cautè legantur & intelligantur, præbere posse occasionem errori Pelagiano. Idem monet Spencæus in epist. 2. ad Tim. digress. X. Et, quod majo-

a Vide infra lib. 6. c. 14.

a P. 736. edit. Commel.

b T. 5. pag. 483. edit. Bell.

c T. 1. pag. 25. edit. Commelin.

d Pag. 28.

e Pag. 26.

f P. 113.

majorem erroris suspicionem injicere possit, negat, eos Pelagii in hæreticorum ordinibus meminisse. Sed nunquam ferendum, ut hanc contumeliam faciat aliquis patribus Græcis. Nam quid mirum, si Epiphanius & Philastrius (quos juniores Græcorum, additis quibusdam, qui oecumenicis synodis occasionem præbuissent, exscribere solent) in catalogis suis non meminerunt Pelagii, quando eo sunt juniores? De Theodoreto aliquid dicere videntur. Sed cùm is Pelagii ac Juliani temporibus vixerit, ea quæ de hæreticis prodidit, scripsisse potuit antequam Pelagiana hæresis iis, quibus ille locis viveret, innotesceret. Et sanè si Pelagio Græci favent, cur calum ejus tantopere doluit Chrysostomus *a*, ut ex ejus ad Olympiadem epistolâ constat? Cur Atticum (qui post Arlacium, uti is post Chrysostomum, Constantinopoli episcopus fuit) adeò in Carmine suo commendat Prosper ob susceptum fortiter gratiæ patrocinium contra Pelagianos? Cur Sisinnium, qui Attico successit, ita laudat Cælestinus, quòd Attici vestigiis institerit? Et qui tribus pòst seculis episcopus ibidem fuit, Photius, quàm apertè Hieronymum, Augustinum, Prosperum, commendat, Pelagium Cælestiumque ut hæreticos damnat, bibliothecæ suæ cap. LIII. & LIV. Quid de Theophilo & nepote ejus Cyrillo, Alexandrinis episcopis dicam? quid de Joanne Talaidâ, quincto à Cyrillo ejusdem loci episcopo? quem Photius testatur Pelagio & sectatoribus ejus anathema dixisse in suâ ad Gelasium apologiâ. Fuere isti lumina Orientis, patriarchæ omnes vel Constantinopolitani, vel Alexandrini. Quare non patiamur nos divelli à Græcis Patribus, sed hoc agamus, ut simus (Optati *b* verbis utor è libro ejus sexto) *sociati Orientalibus: ubi secundum hominem suum natus est Christus: ubi ejus sancta sunt impressa vestigia, ubi ambulaverunt adorandi pedes, ubi ab ipso facta sunt tot & tanta virtutes, ubi cum sunt tot Apostoli commorati, &c.* Quodsi synodicum etiam judicium requirimus, nonne Palæstinâ synodo (ad quam toties provocat Augustinus) damnatus fuisset Pelagius, nisi suos ipse damnâsset errores? Sed provincialem synodum mitto. Nonne œcumenicâ Ephesinâ damnatus Pelagii error fuit? Quid adversus ista tam clara apertaque obduci potest? Objectant, scio, horridula Græcorum dicta. At, nisi in Occidente suos magis amant quàm Orientalis Ecclesiæ sanctissimos Patres: cur hac parte magis rigidos se præbent censores erga Græcos quàm Latinos? Quàm acris enim Pelagii adversarius fuit Hieronymus? Et tamen nonne duriùs ab eo dictum fuit, quod legimus penè initio lib. III. contra Pelagianos? *Scito*, inquit, *baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore & industriâ ac diligentiâ & semper super omnia Dei clementiâ custoditur; ut* NOSTRUM SIT ROGARE, ILLIUS TRIBUERE QUOD ROGATUR; NOSTRUM INCIPERE, ILLIUS PERFICERE; NOSTRUM OFFERRE QUOD POSSUMUS, ILLIUS IMPLERE QUOD NON POSSUMUS. Et inferius eodem libro: *Totus sermo sanctorum ad Deum oratio est, tota oratio & deprecatio extorquet clementiam creatoris: ut, qui nostris viribus & studio salvari non possumus, illius misericordiâ servemur. Ubi autem misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium,* QUOD IN EO TANTUM EST, UT VELIMUS ATQUE CUPIAMUS, ET PLACITIS TRIBUAMUS ASSENSUM. *Jam in Domini potestate est, ut id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Similiter ante eum scripserat S. Hilarius Pictaviensis in Ps. CXVIII. in He: *Est à nobis, cùm oramus, exordium, ut munus à Deo sit.* Et in Mem: *Licet à Deo intelligentia perfecta sit, tamen à nobis incipiendum est, ut possimus perfectam intelligentiam promereri. His enim qui non per se inchoant, clausa à Deo sunt omnia.* Et in Nun: *Voluntas nostra hoc proprium ex se habet, ut velit Deus incipienti crementum dare, quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet: meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis.* Ambrosius in cap. VII. Luc. *Hæc apud se dixit: sed non satis est dicere, nisi ad patrem venias. Ubi illum requiras? ubi invenias? Exurge primò, qui sedens ante dormiebas. Et ideo dicit Apostolus: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Iniquitas in talento plumbeo sedet. Moysi dicitur, Tu autem hic sta.* STANTES ELIGIT CHRISTUS. *Exurge ergò, curre ad Ecclesiam: hic est Pater, hic est Filius, hic est Spiritus Sanctus.* Hujusmodi horridula antiquorum dicta fecere, ut penè haut alias unquam magis desudet antistitum ille antistes B. Augustinus, quàm ubi deventum est ad veterum testimonia, quorum aliqua lenit interpretatione, alia excusare nititur, nonnulla etiam, quia aliter non poterat, improbare non veretur, ac subinde ad defensionem hanc, tanquam ad sacram anchoram, refugit *a*. *Disputantes in Catholicâ Ecclesiâ non se aliter intelligi arbitrabantur; tali quæstione nullus pulsabatur, Pelagianis nondum litigantibus securius loquebantur.* Securius locutos ait, malè sensisse non dicit. Nam contrarium evincunt alia eorumdem loca, in quibus, ut suprà vidimus, totam salutem uni tribuunt gratiæ. Quod qui cogitat, is sine dubio loca paucula, in quibus aiunt nostrum esse incipere, & gratiam Dei à nobis præveniri; interpretabitur de initio hominis consequente initium Dei, deque præventione ejus quem jam Deus prævenerat. Nam Deus nos præveniens verbi prædicatione, quam comitatur operatio Spiritus S., corda nostra intus pulsat, ac sic afficit, ut cælitus vim accipiant, per quam velle illud possint, quod bonum est: perficere tamen nondum possint, sed majori ad hoc gratiâ indigeant: unde Apostolus ad Rom. VII: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Cùm igitur dicunt Patres, nostrum esse velle, intelligunt gratiam prævenientem: quando verò aiunt, Dei esse perficere, non aliud volunt, quàm donum prius non sufficere, sed ampliorem à Deo gratiam esse exposcendam. Quo sensu Deum ab homine præveniri, etiam Augustinus agnoscit Enchiridii cap. XXXII: *Totum*, inquit, *Deo dandum est, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* PRÆCEDIT ENIM BONA VOLUNTAS HOMINIS MULTA DEI DONA, *sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis & ipsa.* Præterea cogitandum, quibuscum negotium fuerit Patribus illis, qui primordia quædam boni ab homine requirunt. Nam præterquam quòd Manichaïco deceptos errore revocare conantur in viam: hoc etiam illis studium fuit, ut suscitarent Ecclesiæ quidem filios, sed desides ac socordes, haut secus, ac si, Euchetarum sive Enthusiastarum instar à Dei spiritu raptus aliquos ad benè agendum exspectarent. Cui interpretamento impensè favet iste Chrysostomi locus, quem superius adducebamus. Nam disertim se gratiam prævenientem negare ait, ne liberum tollat arbitrium. At gratia, quâ præveniri homines dicimus, non tollit libertatem; sed illa duntaxat, quæ prædeterminando voluntatem affert ei necessitatem. Et cur minus tali mollimento duriotibus Patrum dictis medebimur, quàm hac vel simili arte Augustinus à se dicta castigat? Ut cùm primo Retractationum libro cap. XXXVI. sic scribit: *Ubi dixi b*, QUIA *etiamsi levioribus quisque peccatis, aut certe quamvis gravioribus & multis, tamen magno gemitu & dolore pœnitendi misericordiâ Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur: sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem.* HOC DICTUM *est post pœnitentiam. Nam est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem: quæ si non esset, non præpararetur voluntas à Domino.* Hæc ille. Nec interpretatio hæc ἀναλογίαν habet. Nam ut optimè ait Th. Aquinas in Quodlib. I. art. VII: *Per hoc quod hominis est, se ad gratiam præparare per liberum arbitrium, non excluditur necessitas auxilii divini: sicut nec per hoc quod ignis est calefacere, excluditur necessitas cælestis motus.*

Quæcunque verò hactenus diximus, ea locum etiam habent,

a Andr. Hyperius tract. de hominis justific. actione, ubi docet, etiam Chrysostomum docere & ei etiam scribere, SOLAM fide justificari, hoc cum elogio insignit, sacrarum literarum apud Græcos, si quis alius, fidelissimum interpretem.

b P. 169.

a Aug. lib. I. contra Jul. c. 2.

b Quæstionibus octoginta tribus, quæst. 68.

habent, si solidè probari non possit, antiquos prævenientem gratiam negasse. Sin multa apud eos legimus, ubi gratiam præviam apertè fatentur; jam profectò dicendum, manifestam iis injuriam facere, qui illam negasse contendunt; quando hoc nihil aliud est, quàm stultissimæ ἀνιλογίας arguere velle sapientiam omnium, qui proximis post Apostulos seculis, immortalibus scriptis illustrarunt Ecclesiam, ac plerique etiam veritatem cœlestem sanguine suo obsignarunt. Objiciunt nobis Hieronymum, quasi dicat, quòd bene velimus, hoc nos à nobis habere: divini solùm muneris esse, ut illud exsequi valeamus. Vapulat idem, quasi putarit, nos solis liberi arbitrii viribus resistere posse tentationi. Atqui non aliter hoc posse nos intellexit, quàm cum Dei adjutorio; cujus non semper meminit; quòd communis ea Patrum sententia esset, gratiam Dei semper esse in promptu. Audiamus Hieronymum ipsum explanatione Psal. LXXXIX. ad Cyprianum: *Qui sustinet tempestatem, vel petra vel tecti quærit refugium; quem hostis persequitur, ad muros urbium confugit: ita & homo à principio conditionis suæ Deo utitur adjutore. & cum illius sit gratia, quod creatus est, illiusque misericordia, quòd subsistit & vivit: nihil boni operis agere potest absque eo, qui* ITA CONCESSIT LIBERUM ARBITRIUM, UT SUAM PER SINGULA OPERA GRATIAM NON NEGARET. Veniamus ad Græcos. Quàm apertè scribit Iustinus Martyr, in nostra esse potestate, ut credamus, & bonum salutare eligamus. At idem fatetur, etiamsi nobis prædicetur Euangelium, non tamen credere nos illud posse, nisi Deus intus Spiritu suo oculos mentis aperiat. Sic enim scribit Dialogo cum

a P. 173. edit. Commel.

Tryphone Iudæo *a*: Εὔχου δὲ σοι πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας. οὐ γάρ συνοπτὰ, οὐδὲ συννοητὰ πᾶσιν ἐστιν, εἰ μή τῳ Θεὸς δῷ συνιέναι, καὶ ὁ Χριστὸς αὐτοῦ. *Tu verò precare, ut tibi ante omnia lucis portæ aperiantur. Neque enim ab ullis perspici aut intelligi possunt, nisi quibus Deus & Christus ejus concesserit intelligentiam.* Et quis magis libertatem voluntatis prædicat Clemente vel Origene? At Clemens lib. VII. στρωματέων ait: Ἑκούσιος ἡ τῶν ἀγαθῶν μετάδοσις αὐτῷ, κἂν προλαμβάνῃ τῆς αἰτήσεως. *Est voluntaria* (in Deo) *bonorum participatio, etiamsi* (hominis) *anticipet petitionem.* Ac Origenes *b*

b T. 1. p. 70. edit. Basil.

similiter ipsam rerum spiritualium intelligentiam à Deo exposcere nos jubet, in Exod. extrema homil. III. *Totum enim magnum est, quicquid spiritualis intelligentiæ oremus Dominum Jesum Christum, ut ipse nobis revelet. Ipse enim revelat, quibus vult, per Spiritum sanctum.* Quantam item arbitrio libertatem tribuit Macarius homil. XV. XXIX. & alibi. Idem tamen homil. I. ait, animam à Spiritu sancto præveniri ac præparari. Τῷ πνεύματι, inquit, ἑτοιμάσαντι ψυχὴν ἑαυτῷ εἰς καθέδραν καὶ οἰκητήριον. *Spiritu animam sibi præparante in sedem & habitationem.* Ac homil. XXIX. scribit, προαπαντᾶσθαι ἡμῖν τοῖς χαρίσμασι, καὶ τοῖς τοῦ ἁγίου πνεύματος δωρήμασι. *præveniri nos ab iis, quæ Deus gratificatur, & Spiritus sancti donis.* Alibi quoque monet, *Ne existimes, te in virtute prævenisse Dominum.* Basilius etiam εἰς τὴν ἑξαήμερον homil. VI. & X. item in Ps. VI. LXI. CXV. & alibi prædicat virtutem liberi arbitrii: sed tamen animum humilem, ex quo precatio proficiscitur, Spiritus domum facit, homil. XXXIII. *c*

c P. 96.

Ἔχοντες τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος χάριν ἐνόντες ἑαυτοὺς ἀποταπεινοῦσι. Quis item veterum magis sugillatur Chrysostomo, tanquam nimius humanarum virium buccinator? Quem, ut juniores mittam, etiam Thomas Bradvardinus *d*, qui ante tria propè secula vixit, non appropinquare solùm Pelagio, sed idem illi dicere ait. Imò penè est, ut, cùm decimotertio Episcopatus sui anno à Theophilo Antiocheno, & synodo totâ, munere dejectus & in exilium pulsus fuit, id ob hæresin Pelagianam factum dicat. Atqui Chrysostomum Pelagii casum doluisse, superius monuimus. Sed, quod illi non vident, cùm vires hominis Chrysostomus extollit, minimè loquitur de iis, quas citra gratiam habet, sed eas cum & sub gratiâ considerat. Unde Anianus, antiquissimus ejus interpres, (ante annum

d Lib. 2. De gratia Dei cap. 31.

quingentesimum vixisse, ex Sigeberto observavit Possevinus) præfat. in tralationem suam homiliarum Chrysost. in Matth. sic scribit: *Quid pressius commendat* (Chrysostomus) *quam ingenita nobis à Deo libertatis decus, cujus confessio præcipuum inter nos gentilesque discrimen est, qui hominem ad imaginem Dei conditum, tam infeliciter fati violentiâ, & peccandi putent necessitate devinctum, ut is etiam pecoribus invidere cogatur? Jam verò cùm de gratiâ Dei disserit, quantâ illam ubertate, quantâ etiam cautione concelebrat? Non enim est in alterutro aut incautus, aut nimius, sed in utroque moderatus. Sic liberas ostendit hominum voluntates, ut ad Dei tamen mandata facienda divinæ gratiæ necessarium ubique fateatur auxilium: sic continuum divinæ gratiæ auxilium commendat, ut nec studia voluntatis interimat.* Sed manifestiora hæc fient, si aliqua ex Chrysostomo, quæ hoc clare probent, adferamus. Ut ex homil. XXII. in cap. V. Geneseos. Ubi cùm magnificè liberum prædicâsset arbitrium; mox sic concludit *a*: Ἐπειδὰν ἐν τῇ προαιρέσει τῇ ἡμετέρᾳ καταλείπει ΜΕΤᾺ ΤῊΝ ἌΝΩΘΕΝ ΧΆΡΙΝ τὸ πᾶν, διὰ τοῦτο καὶ τοῖς ἁμαρτάνουσι κολάσεις ἀπόκεινται, καὶ τοῖς κατορθοῦσιν ἀντιδόσεις καὶ ἀμοιβαί. *Quia in nostra voluntate totum* POST GRATIAM DEI *relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Imò quàm sæpe idem totam salutem gratiæ tribuit! Ut cùm in 1 Cor. IV. homil. XII.

a T. 1. p. 155 edit. Angl.

ait, ἡμᾶς οὐδὲν οἴκοθεν ἔχειν *b*; atque addit, ipsam πίστιν καὶ κατορθώματα τοῦ θεοῦ χάριτος εἶναι *c*. Et quid elatius verbis ejusce, libro adversus Judæos? Οὐκ ἀπὸ κατορθωμάτων, οὐδὲ πόνων, οὐδὲ ἀμοιβῆς, ἀλλ' ἀπὸ ΧΆΡΙΤΟΣ ΜΌΝΗΣ, γένος ἐδικαίωσε τὸ ἡμέτερον ὁ Θεός. *Non ex bonis operibus, neque ob labores, neque ex compensatione, verùm ex* GRATIA SOLA, *humanum genus justificavit Deus.* Itaque idem homil. XXX. in Acta: Καὶ ὅρα πῶς πανταχοῦ πάντα ἀνατίθεασι τῷ Θεῷ. Τούτους καὶ ἡμεῖς ζηλώσωμεν. Μηδὲν ἡμέτερον εἶναι νομίζωμεν. Ὅπου γε καὶ αὐτὴ ἡ πίστις οὐχ ἡμέτερον, ἀλλὰ τὸ πλέον τοῦ Θεοῦ, ἄκουε Παύλου λέγοντος· Καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ἡμῶν. Θεοῦ τὸ δῶρον. *Et vide quomodo ubique omnia tribuunt Deo. Hos & nos imitemur. Nihil nostrum esse putemus, quandoquidem & ipsa fides non est nostrum opus. Quod autem non sit nostrum, sed magis Dei, audi Apostolum dicentem, Etiam hoc non ex nobis. Dei donum.* Et homil. περὶ προσευχῆς, cùm initio dixisset, precatione nos cum Deo colloqui ac versari, (ὁ πᾶς προσευχόμενος τῷ θεῷ διαλέγεται) aliquanto tamen pòst *d* negat, fieri posse, ut absque Spiritus sancti ope eum Deo versemur. Ἀμήχανον ἀνθρώπῳ δυνηθῆναι θεῷ ἐντυχεῖν ὁμιλίαν ἄνευ τῆς ἐνεργείας τοῦ πνεύματος. Quod quid aliud est dicere, quàm nec absque Spiritu Dei nos precari Deum posse? Imò ne quis id præter Chrysostomi mentem elici ex ejus dictis putet, ipse non contentus dicere, non posse nos sine Spiritus sancti operatione conversari cum Deo, addere voluit, præsente Spiritus ope, oportere, ut Deum oremus, ne Spiritu suo in nobis otiosus, sed efficax esse velit. Διὰ ταύτης (ἐνεργείας τοῦ πνεύματος) παρούσης, καὶ συνεφαπτομένης τῶν ἁγίων ἀγώνων, δυνηθῆναι καὶ προσεύξασθαι. Chrysostomi etiam mentem unde melius perspiciamus, quàm ex discipulo doctrinæ ejus tenacissimo, Isidoro Pelusiota? qui lib. IV. epist. XIII. adversus dormitantes ac segnes disputans, cùm priùs dixisset, nostrum esse incipere, Dei subsequi; mox, ut gignat fiduciam secuturi auxilii divini, modò quod in nobis est egerimus, istiusmodi adfert rationem, quòd Deus etiam dormitantes excitat, ac nolentes officii sui admonet. Atqui, inquit, qui etiam cùm dormitaremus segnesque essemus, tanta suæ erga nos beneficentiæ testimonia edidit, quanto magis auxilio suo aderit, non jam dormitantibus, sed Deum orantibus, & vitæ sibi proponentibus mutationem? Verba Isidori hæc sunt: Πῶς σοι τῆς ἀντιτύπου συμμαχίας καθεύδων καὶ ῥέγχων, καὶ μὴ φροντίζων τῆς αὐτοῦ σωτηρίας, ἐπιπέμπει σοι παρακλήσεις, καὶ διαμαρτύρεται δυσχεραίνοντας; ἡγείσθω τοίνυν τὰ παρὰ σοῦ, καὶ τὰ παρ' ἐκείνης ἕψεται. οὐ γὰρ λόγοις καλουμένην μόνον, ἀλλὰ καὶ

b *Nihil nos proprium habere.*

c *Fidem rectéque facta esse à gratia divina.*

d T. 6. Anglic. edit. p. 759. sive p. 82. edit. Ingolstad.

ἔργοις

ἐγείρει προσκαλουμένη, ὥσπερ αὐτεπάγγελτος ἥξει. ἡ γὰρ τοὺς καθεύδοντας διεγείρουσα, καὶ τοὺς μὴ βουλομένους προτρέπουσα, οὐκ ἂν τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν ἑλομένους τὴν ἀρετὴν ἐγκαταλείψει, ἀλλὰ καὶ συμπράξει, καὶ εἰς τέλος αἴσιον τὸ κατόρθωμα ἄξει. *Quâ igitur fronte tu postulare audes, ut dum ipse dormis ac stertis, nullaque salutis tua curâ tangeris, insuperabile auxilium (cœleste) ad te advolet; cumque voto tuo frustraris, id ægre fers? Præcedant itaque ea, quæ tuarum sunt partium, quæque à te exiguntur, & tunc demum ea, quæ sunt auxilii divini, subsequentur. Nam si non solum verbis imploratum fuerit, verum etiam factis advocatum, quasi suâ sponte accurret. Quod enim dormientes excitat, & nolentes instigat, id certe nequaquam deseret illos, qui à se ipsis virtutem amplectuntur, quin potius adjutabit eos sedulò, & ad finem felicem perducet virtutis efficiatque rectam actionem.* Apertè ait, conatum hominis à Deo præveniri, ab eodem item præveniri Deum: præveniri Deum ab homine, quod ad gratiam regenerantem: præveniri hominem à Deo, ratione auxilii, quo ad gratiam regenerantem disponitur: unde est, quod ait, dormientem à Deo excitari; nolentem, ut velit, instigari. Similis est apud eundem Isidorum locus lib. II. epist. LXXII. ubi tria adserit. Primò docet, non esse de hominis naturâ aut essentiâ, ut malè agat, (quomodo de hominis essentiâ est esse rationalem, de naturâ ejus est esse risibilem aut docibilem) sed malitiam hanc tantum esse hominis accidens, quod idcirco adesse & abesse juxta philosophicam accidentis definitionem possit. Deinde respondet ad ea Scripturæ loca, quibus comprobare quidam conantur, malitiam esse de hominis naturâ, eoque immutabile quiddam. Nam quod ad Jeremiæ locum XIII, 23. *An mutabit Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas?* respondet, id intelligendum de homine ignavo, quamdiu talis: nam revera posse hominem pravitatem suam exuere, probat ex verbis, quæ consequuntur apud Prophetam, *Et quonam pacto poteritis vos benefacere, cùm mala didiceritis?* Quod enim, inquit, discitur, id etiam dediscitur. Similiter ad id quod 1 Cor. II. dicitur animalis homo non percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei: respondet, animalem hominem non percipere, sed posse ex non animali fieri animalem. Ad Matth. VII. *Arbor mala fructum bonum ferre nequit:* respondet, ex arbore malâ bonam fieri posse. Atque hæc variis illustrat exemplis. Denique hinc colligit, duo requiri ad hominis salutem: unum Dei respectu, τὴν ἄνωθεν ῥοπὴν, sive gratiam prævenientem, per quam qui non poterat velle aut facere bene, bene volendi & faciendi accipiat potestatem: alterum respectu hominis, non ψιλὸν τὸ θέλειν, sive nudam velleitatem, sed veram voluntatem, qua ὁ βουλόμενος καὶ πονῇ καὶ πάντα κινῇ, hoc est, sic salutem suam velit, ut simul adlaboret, omnemque, quod dicitur, rudentem moveat ad salutem consequendam. Quæ omnia clarissimè nobis, ut Isidori, ita præceptoris ejus Chrysostomi mentem aperiunt. Nimirum non omnem ἁπλῶς gratiam præveniri à nobis uterque putavit: sed solùm gratiam regenerationis, quam ferè κατ' ἐξοχὴν χάριτα vocant. At verò ante eam agnoverunt, necessariam esse mentis illuminationem, voluntatisque à Deo excitationem & impulsum, quam iidem rarius χάριτα, plurimùm ἁπλῶς πνεύματος ἐνέργειαν καὶ ῥοπὴν appellare solent. Porrò hoc etiam ipsimæ Græcorum antiquitatis judicium fuit: quod ut pareat, (priusquam manum hac de tabulâ tollo) locum ponam Imperatoris Manuelis Palæologi orat. VI. Ἐπειδὰν γὰρ ἡμεῖς ὀλίγον τι προσενέγκωμεν τῆς ἀγαθῆς θελήσεως, αὐτίκα πως ἡμῖν παραγίνεται ἡ τοῦ Θεοῦ ῥοπὴ, καὶ τὸ τελέως θελῆσαι παρ' αὐτῆς δίδοται. καὶ τί λέγω, ἐπειδὰν προσενέγκωμεν; ὅπου γε καὶ μὴ βουλομένους ἐνάγει πρὸς τἀγαθὸν ὁ δημιουργὸς ἅπασι τρόποις. *Nam cum nos primi attulerimus vel pusillum bonæ voluntatis, confestim quodammodo nobis adest Dei impulsio, per quam perfectum velle nobis tribuitur. Et quid dico, cum primi nos attulerimus? quando etiam non volentes opifex ille rerum impellit ad bonum omnibus modis.* Et mox: Ἡ γὰρ τῆς ψυχῆς θεραπεία ἰατροῦ δεῖται μόνου Θεοῦ. *Namque animi sanatio medico indiget solo Deo.* Idem Chrysostomus orat. περὶ προσευχῆς 2. a Ἀμήχανον ἀνθρώπῳ διανυθῆναι θείαν ἐνεγκεῖν ὁμιλίαν ἄνευ τῆς ἐνεργείας τοῦ πνεύματος· ἀλλὰ δεῖ, ταύτης παρούσης, καὶ συνεφαπτομένης τῶν ἁγίων ἀγώνων, οὕτως εἰσελθεῖν, καὶ κάμψαι γόνατα, καὶ δεηθῆναι, καὶ προσεύξασθαι. Ἐπειδὴ γὰρ κρεῖττον ἢ κατὰ ἄνθρωπον λαλῆσαι Θεῷ, δεῖ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος ἐλθοῦσαν εἰς ἡμᾶς ἐπιρρῶσαι, καὶ θαρρῦναι, καὶ διδάξαι τῆς τιμῆς τὸ μέγεθος. Οὕτως ἂν μάθῃς, ὅτι καὶ Θεῷ λαλεῖς, καὶ πνεύματος ἐνέργειαν ἐδέξω διαλέγεσθαι μέλλων, οὐδεμίαν δώσεις τῷ διαβόλῳ πάροδον ἐπὶ τὴν ψυχὴν τὴν ἡγιασμένην ὑπὸ τοῦ πνεύματος. *Fieri nullo modo potest, ut homo sine divini spiritus ope divinam ferat consuetudinem. Verum oportet, hac præsente, & sanctos conatus prosequente, rem aggredi, genua flectere, obsecrare, precari. Cùm enim res humanas longe superet divinus congressus; ingrediente in nos spiritus sancti gratiâ, confirmemur, corroboremur, honoris magnitudinem doceamur, necesse est. Itaque cum tibi esse cum Deo sermonem intellexeris, teque precaturum sancti Spiritus efficacitatem excipere: omnes aditus diabolo in animum jam divino spiritu expiatum intercludes.* Qui locus geminus est priori. Nam superius salutem nostram soli adscribebat gratiæ: hic similiter neque preces, quibus Spiritus efficaciam postulamus, absque spiritu Dei fieri arbitratur. Neque luserit profectò operam, qui non gravabitur perpendere τὸ ἠθικὸν homiliæ 12. in epist. ad Hebr. Ejusdem igitur scriptoris locum, tametsi prolixiorem, adscribam; simulque cùm verba Græca, tum censionem nostram, plerisque locis adponam. *Quamobrem oportet nos semper custodire ne dormitemus. Ecce enim non dormitabit, inquit, neque dormiet, qui custodit Israel. Et, Ne des in commotionem pedem tuum. Non dixit, ne commovearis, sed ne des. Dare ergò est in nostrâ potestate* b, *non in alicujus alterius. Nam si velimus* c *stare firmi, stabiles & immobiles, non commovebimur. Quid ergo? Nihilne est in Dei potestate? In Dei quidem potestate sunt omnia: sed non ita ut nostrum liberum lædatur arbitrium. Si ergo, inquit, est in Dei potestate, cur in nos confert culpam? Propterea dixi, Ita ut non lædatur nostrum liberum arbitrium. Est ergò & in nostrâ & in ejus potestate. Oportet* d *enim nos* PRIMUM e *bona eligere, & tunc affert, quæ sua sunt.* NON PRÆVENIT f *nostras voluntates, ne* g *perdat nostrum liberum arbitrium. Quando autem nos elegerimus, tum nobis multum adfert auxilium. Quomodo ergò dicit Paullus* h, *Non volentis, si est etiam in nostrâ potestate: neque currentis, sed miserentis Dei? Primum quidem* i *non tanquam suam introduxit sententiam, sed id collegit, & ex eo quod erat propositum, & ex eo quod præmissum. Nam quum dixisset, Scriptum est, Miserebor cujus misereor, & commiserabor cujus commiserabor: dicit, Non ergò volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei. Dices autem mihi, Quid adhuc queritur? Secundum* k *autem illud licet dicere, quod cujus est id quod est amplius, ejus dicit esse totum. Nam nostrum* l *est præeligere & velle: Dei autem est perficere & ad finem perducere. Quoniam ergò, quod plus est, illius est, totum illius esse dicit, loquens convenienter humanæ consuetudini. Nam nos quoque sic facimus. Ut exempli causâ dico, Videmus ædes pulchre ædificatas, & dicimus, totum esse artificis. Quamquam non totum sit ejus, sed & operariorum, & domini, qui præbet materiam, & multorum aliorum. Sed tamen, quoniam ille, quod plus est aliorum, illius totum esse dicimus; ita hic quoque. Et rursus in multitudine, ubi sunt multi, omnes esse dicimus: ubi autem pauci, neminem. Sic etiam dicit Paullus, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Hic autem duo magna & præclara*

a P. 521. edit. Ingolst. in 8.

b *Est quidem dare in nostrâ potestate: verum potestatem hanc non naturâ habemus, sed à gratiâ naturæ superadditâ.*

c *Sed velle non possumus, nisi donetur ut velle possimus.*

d *Græca verba apponam:* Δεῖ γὰρ ἡμᾶς πρῶτον ἑλέσθαι τὰ ἀγαθά· καὶ τότε αὐτὸς τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσάγει.

e *Non* ἁπλῶς PRIMUM, *quia præcedit gratia dans ut possimus bonum eligere: sed* κατά τι, *h. e. ratione operationis electionem seu volitionem consequentis.*

f *Græce:* οὐ προφθάνει τὰς ἡμετέρας βουλήσεις, ἵνα μὴ λυμήνηται τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν.

g *Falsum, si intelligas* ἁπλῶς non prævenire, ut liberum tollat arbitrium.

h *Objectio.* Si est volentis, quomodo dicit Paullus, non esse volentis?

i *Prior responsio Chrysostomi, Non loqui Paulum ex suâ sententiâ, sed dicere quod videatur ex dictis consequi.* k *Posterior responsio, Deo etiam tribui quod Dei non est, quia Dei est quod majus est.* l *Nostrum quidem est præeligere: sed non possumus id sine gratia supernaturali.*

ra efficit. Unum quidem, ne efferamur. Etiamsi curras, etiamsi studium ponas, inquit, ne suum esse existimes, quod recte est. Nam nisi superne opem adipiscaris, frustra erunt omnia. Sed est perspicuum, fore ut assequaris id in quo ponis studium, quamdiu curris, quamdiu vis. Non hoc ergo dicit, quod frustra currimus, sed quod frustra currimus, si totum esse nostrum existimamus, si non plus Deo tribuimus. Non enim suum esse totum voluit Deus, ne videretur nos temere coronare. Neque rursus nostrum, ne incidamus in arrogantiam. Nam si cum minorem habeamus partem, efferimur, & praclare de nobis sentimus; quid faceremus si totum esset in nostra potestate. Multa enim fecit Deus, ut nostram amputaret arrogantiam. Ex his Chrysostomi verbis videtur colligi posse, credidisse Chrysostomum, non à Deo præveniri voluntates, ut homo velit, sed, ubi homo vult, subsequi adjutorium Dei, ne frustra velit. Similis locus est apud eundem hom. 2. in epist. 2. ad Corinth. a *Quin illud quoque animadverte, quod etiamsi Deus misericordiâ permotus aliquid faciat, tamen hic quoque precatio multum adjumenti adfert. Etenim in principio salutem suam Dei miserationibus acceptam retulit: (Deus enim miserationum, inquit, nos eripuit) hic autem ipsorum quoque precibus adscripsit. Nam etiam illum, qui talentorum decem millia debebat, postquam ad ipsius pedes accidisset, miseratus est: & tamen dictum est, misericordiâ motus dimisit eum. Atque item Chananæa, post multam illam assiduitatem ac tolerantiam, tum denique filia salutem concessit, etiamsi aliquis misericordiâ ductus ipsi salutem attulerit.* Ex quo b NIMIRUM INTELLIGIMUS, QUAMVIS DEUS MISERICORDIAM ERGA NOS ADHIBITURUS SIT, NOBIS TAMEN ISTUD PRIUS FACIENDUM ESSE, UT MISERICORDIA DIGNOS NOS IPSOS PRÆSTEMUS. QUAMVIS ENIM MISERICORDIA SIT, DIGNOS TAMEN REQUIRIT. *Non enim temere quibusvis obtingit, etiam stupore laborantibus, nec se misericordiâ egere sentientibus* c. Hæc ille idem Chrysostomus in Psalm. 120. d *Vides, quantam à nobis exigit diligentiam; id quod dicitur. Quia enim auxilii meminerunt, & supernam opem invocant, adhortatur & consulit, hoc propemodum dicens: Si velis id assequi, quæ tua quoque sunt, conferas. Quid est autem quod consulit? Audi: Non des in commotionem pedem tuum: hoc est, ne divertaris, ne offendaris: & tunc habebis Deum manum præbentem, nec te derelinquentem, nec dimittentem. A nobis itaque proficiscuntur principia; & id situm est in nostrâ potestate. Cum ergo id in nostrâ potestate situm sit, quando volumus aliquid assequi, oportet nos quoque nostra conferre, quæ sunt parva quidem & vilia, sunt tamen conferenda. Ita enim vult Deus, non otiosos, nec dormitantes, non supinos, nec stertentes, sed operantes, & studium ac diligentiam adhibentes, servare.* Idem homil. 42. ad populum Antiochenum: *Oportet,* inquit, *nos prius eligere bona, & ille sua tunc inducit. nostras non prævenit voluntates, ne nostram temeret libertatem.* Neque solus sic loquitur Chrysostomus, cùm eadem Basilii Magni sententia fuerit, ut ostendunt hæc ejus verba homil. in Psalmum 33; Ἔχοντες τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος χάριν, ἑκόντες ἑαυτοὺς ὑποτάττονται. *Habentes Spiritus S. gratiam, ultronei se per humilitatem subjiciunt.* Ubi humilitatem, licet spontaneam, tamen Spiritus esse opus innuit. Et in cap. 1 Esaiæ; *Simul ut anima propriâ exercitatione, & subnixa Spiritus S. ope, præsidia naturæ beneficio sibi indulta adauxit, digna efficitur gratiâ Dei.* Quibus verbis clarè agnoscit, nec posse hominem precibus se ad gratiam disponere, nisi communiori Spiritus S. auxilio præveniatur, nitaturque. Idem oratione quomodo baptizetur aliquis baptismate, quod est in Euangelio Domini nostri Jesu Christi; *An ignoratis, quòd quicunque baptizati sumus in Christum, in mortem ipsius baptizati sumus? Quamobrem? Ut* GRATIA DEI NOS PRÆVENIENTE, *quæ nostri sunt officii, secundum fidem per dilectionem operemur & conferamus.* Et quid manifestius his verbis Athanasii in vitâ S. Antonii? *Nolite quæso virtutis, tanquam impossibile, nomen pavere: nec peregrinum vobis aut procul positum videatur hoc studium,* QUOD EX NOSTRO, DEI GRATIA PRÆCEDENTE, PENDET ARBITRIO. Quis, cùm hujusmodi legit apud Patres antiquos, dubitare potest, quin cum iidem simpliciter dicunt salutem pendere à libero arbitrio: id non excludi, sed præcedente ac concomitante intelligant gratiâ? Geminum his quoque videtur istud Hilarii in Psalmum 118, in He: *Est à nobis, cùm oramus, exordium; ut munus à Deo sit.* Et in *Mem*: *Licet à Deo intelligentia perfecta sit, tamen à nobis incipiendum est, ut possimus perfectam intelligentiam promereri. His enim, qui non per se inchoant, clausa à Deo sunt omnia.* Quod si Isychius Hierosolymitanus anno quadringentesimo vixit, uti Trithemius scripsit, hujus quoque loci erit illud ejusce in cap. sept. Levitici; *Credere quidem & proponere bona, nostrum est, sive incipere ea: operibus autem perficere & ad finem perducere ea quæ cœpta sunt, hoc divina est gratia.* Innocentius Tertius sermone de uno Martyre; *Divina misericordia non solùm prævenit ac præparat, verum etiam subsequitur & prosequitur voluntatem humanam. prævenit, inspirando; subsequitur, adjuvando. præparat, ut incipiat; prosequitur, ut perficiat.* Joannes Taulerus in festo Pentecostes Sermone 3. *Nihil nos sine communi Dei influxu boni possumus, h. e., nisi nos Spiritus Sanctus singulari gratiæ suæ influxu præveniat. Interim tamen hoc requiritur, ut homo faciat quod in ipso est.* Dominicâ 3. post Trinitatis, Sermon. 2. *Quicquid habet homo tam intus quam foris, bona omnia, tam naturæ quàm gratiæ & fortunæ, à Deo accepit, hac utique ratione, ut eadem in ipsum cum amore, gratiarum actione & laude refundat, referatque.* Thomas Argentinensis lib. 2. dist. 28. & 29. art. 2. q. 1. *Homo præcise ex se non potest se ad gratiam gratum facientem sufficienter præparare: quia sicut formæ naturales non inducuntur in materiam, nisi per motum prius factum ab agente naturale; sic forma supernaturalis pura gratia non inducitur in animam adulti hominis sine supernaturali agente, supernaturaliter movente ipsam animam. Quia tamen in hujusmodi motionibus Deus hominem non violentat, sed allicit, nec sibi infundit gratiam, nisi talibus motionibus assentiat, ideo tota nostra justificatio, & ad gratiam Dei præparatio, est à Deo.* Petrus Aliacus meditatione super Psalmum 30; *Sit, sit in me illa potius humilis confessio: Gratiâ Dei sum id quod sum. Quare gratiâ? quia gratis data. Quare gratis data? quia merita nostra non præcesserunt, sed beneficia tua prævenerunt: nec invenit in me tua gratia merita beatorum, quæ coronet: sed demerita malorum, quæ damnet.* Thomas Waldensis, parte 3. de oratione & ejus ritibus, cap. 7; *Pelagianis & Wiclevistis, qui gratiam Dei tacent vel abnegant, & in meritis hominum omnino confidunt, ex parte gratiæ Dei inveniamur esse discordes, sicut omnes Sancti priores usque ad recentes Scholasticos, & communis scripsit Ecclesia. Unde in oratione Canonis ad Deum: Non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte, &c. Feriâ quartâ Passionis: Ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed misericordiam consequi mereamur. Et in secretâ oratione Dominica 2. Adventus: Ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tua nobis indulgentia succurre præsidiis. Meritum nostrum in articulo minime Deus attendit, sive rationem congrui vel condigni: sed suam gratiam, aut voluntatem suam, aut misericordiam suam. Quomodo ergò non ad injuriam Salvatoris & gratuiti coronatoris accedit, quòd gratiâ ejus tacitâ tantum disputamus de meritis?* Laurentius Justinianus, Sermone in Epiphania Domini. *Est namque gratia gratum faciens quædam matutina stella præfulgida, quæ electum quemque præcedens, corde ducit ad Christum. Absque hac procul dubio humanus prostituit animus, & sui nunquam juris est compos, nunquam amator sapientiæ, neque fidelis in Domino. Per hanc verò rationales mens efficitur sapiens, de cœlestibus eruditur, & fide imbuitur; quæ ad*

Chri-

a P. 73. 8. edit. Commelin.

b ἀπὸ τούτων τοίνυν μανθάνομεν, ὅτι καὶ ἐλεεῖν ἡμᾶς μέλλοντος, ἀξίους ἑαυτοὺς πρότερον παρέχειν ἡμᾶς ἑαυτοὺς χρή. καὶ γὰρ ἔλεος ἐστι, τοὺς ἀξίους ἐπιζητεῖ. οὐ γὰρ ἁπλῶς ἅπασιν ἀπαντᾷ, καὶ τοῖς ἀναισθήτως διακειμένοις.

c Hoc quoque est misericordiæ gratiæ, quod efficit, ut qui stupore laborabant, sentiant, se egere misericordiâ divinâ.

d T. 1. p. 483. edit. Bell.

Christum in veritate pergentibus prorsus necessaria fore noscuntur. Dionysius Carthusianus ad cap. 15. Joannis, art. 37. Nisi in me manseritis: *Per fidem & gratiam, non innitentes propriis viribus, sed pietatis & gratia mea, præsertim cum sitis membra mea. Quemadmodum ergo, si palmes vel membrum abscindatur, statim arescit, putrescit, & pristinâ virtute, fecunditate & operatione privatur: sic fideles, nisi Christo per caritatem inhæserint, nihil possunt meritorie operari, sed peccati vetustate corrumpuntur, vitiis implicantur, tentationibus superantur.* Atque hac, quam dixi, ratione loca ἐναντιοφανῆ non Patrum modò, sed etiam Scripturarum, conciliabat acutissimus Thomas Aquinas: cujus judicium etiam probat doctissimus Paræus lib. v. De gratiâ & libero arbitrio cap. v. Verba Paræi adponam: *Memorabile*, inquit, *videtur, quòd ad conciliandas Scripturas*, (Thomas Aquinas) *licet obscurius & alio fine, duplicem facit præparationem humanæ voluntatis ad bonum.* UNAM, *quâ homo præparatur ad bene operandum, & ad Deo fruendum, ex dono gratiæ jam accepta: quam præparationem Scriptura aliquando homini tribuit.* 1 *Reg.* 7. *vers.* 3: *Præparate corda vestra.* ALTERAM, *quâ homo præparatur ad consequendum ipsum gratiæ donum. Hæc propriè in quæstione nunc est, & rectè negatur posse fieri absque gratiâ aliâ; quam Thomas ostendit necessario in Deo sisti, ne detur processus in infinitum.* Sic igitur concludimus, cùm veterum aliqui dicunt, nos præparare voluntatem nostram, Deum autem perficere: non aliud eos velle, quàm quòd ex gratiâ priori nos disponamus ad ampliorem gratiæ mensuram: eoque seu absolutam statuant electionem, seu conditionatam, (de quo quid senserint, suo loco aperiemus) non aliam tamen novisse electionem, quàm gratuitam: ut qui uno ore fateantur, nihil esse in homine boni, per quod eum ab impio divina clementia discernat, nisi quod gratiosè à Deo sit donatum.

FINIS LIBRI QUARTI.

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ DE CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE

reliquiæ moverunt,

LIBER QUINCTUS;

QUI EST

DE IMPERFECTIONE SANCTORUM in hac vita, de Juramento Christianorum, & de Salute divitum.

FUsè hactenus explicuimus controversiam de necessitate auxilii, tum quà supernaturale, tum quatenus gratuitum est. Sequitur videamus, Utrùm sancti perfectè præstent Legem Dei in hac vitâ. A quo etiam istius quæstionis cognitio dependet: *Quæ sit Ecclesia, de quâ scriptum est, non habere rugam aut maculam.* Nam de hoc quoque Pelagianos esse Catholicis adversatos, testis est Hilarius ad Augustinum Epistolâ inter Augustinianas LXXXVIII. De priori quatuor hæc ordine exponemus.

I. Quid de actuali perfectione docuerit Pelagius: & quid pro causâ suâ adferre soleat.

II. Quantum ab eo dissenserint sancti Patres, tam qui ante, quàm qui ejus tempore vel postea vixerunt.

III. Ut postea Pelagius controversiam solùm moverit de potentia consequendi perfectionem in hac vita.

IV. Quid etiam hac parte ab omnibus Catholicis sit improbatum, & super quo nec Catholici ipsi inter se consenserint.

LIBRI QUINCTI

PARS PRIOR;

Quæ est de Imperfectione hominis in hac vita.

THESIS I.

Pelagiani dicebant, sanctos sine peccato vivere hanc vitam. Ac conabantur hoc adstruere exemplis eorum, quibus perfecta Legis præstatio tribuitur in Scripturis. Interim distinguebant inter eos, qui nullum in omni vitâ peccatum admisissent, & istos, qui cum aliquando peccatores fuissent, peccare postea desiissent. Priorem illam perfectionem tribuebant Abelo: posteriorem Paulo: quia illius nulla in Scripturis peccata narrentur: hujus & conversio & perfectio in iisdem commemoretur.

Pelagius epist. ad Demetriadem: *Arbitrii libertate qui bene utitur, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere; Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus.* Quæ verba expendit Augustinus lib. De gratiâ Ghristi cap. XXIII. Idem Pelagius lib. De actuali conversatione, sive testimoniorum libro, apud Hieron. lib. III. Dialog. adversus Pelagium, & apud Augustinum De gestis Palæstinis cap. VI: *Ille enim merito* a *ad Deum extollit manus: ille preces bonâ conscientiâ fundit, qui potest dicere: Tu enim nosti, Domine, quam sancta, quam innocentes, quàm pura sint ab omni fraude & injuriâ & rapinâ, quas ad te expando, manus: quàm justa, quàm immaculata labia, & ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miserearis, preces fundo.* Idem Pelag. lib. de Naturâ b: *Hoc rectè potest dici de his, quorum neque bonorum, neque malorum Scriptura sit memor. De illis verò, quorum justitiæ meminit, & peccatorum sine dubio meminisset, siqua eos peccasse sensisset.* Et eodem libro c: *Certe primo in tempore Adam & Eva, ex quibus Cain & Abel nati sunt, quatuor tantùm homines fuisse referuntur. Peccavit Eva. Scriptura hoc prodidit. Adam quoque deliquit. Eadem Scriptura non tacuit. Sed & Cain peccasse, ipsa æquè Scriptura testata est. Quorum non modò peccata, verum etiam peccatorum indicat qualitatem. Quodsi & Abel peccasset, & hoc sine dubio Scriptura dixisset. Sed non dixit. Ergo nec ille peccavit. Quin etiam justum ostendit. Credamus igitur, quod legimus: & quod non legimus, nefas credamus adstruere.* Idem liquet ex dissertatione Attici Catholici, & Critobuli Pelagiani apud Hieronymum lib. I. Dialogorum contra Pelag. ubi Atticus ait: *Ergo tu, qui me arguis non verè cupere* (sine peccato esse,) *sine peccato es, quia verè cupis.* Ad hoc Critobulus: *Quasi ego de me dicam, quem peccatorem esse confiteor, & non* DE PAUCIS ET RARIS, *siqui voluerint non peccare.* Ibidem cùm raros istos difficulter offendi agnosceret Critobulus: Atticus verò negaret, potentiam homini tribui debere, ubi actus exemplum in nemine reperiretur: sic tandem respondet Critobulus: *Quid ultra differo? Scripturarum auctoritate vincendus es. Ut cætera intermittam: nonne his duobus testimoniis tibi imponetur silentium, in quibus Job & Zacharias Elisabetque laudantur?* Promit deinde horum elogia ex Scripturis. Idem probat illo Joh. *Scimus, quod omnis qui ex Deo est, non peccat.* Sed imprimis mirabantur Catholici, quòd Definit. cap. V. dixerat Cœlestius: *Filios Dei non posse vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti.* Cujus rei meminit Augustinus epist. ad Paullinum, & lib. De gestis Palæstinis cap. XVIII. Hinc enim liquet, Pelagianos putasse, filios Dei esse sine peccato, non quidem quia peccarint nunquam, attamen quia desierint peccare. Unde Critobulus Pelagianus apud Hieronymum Dialog. lib. III. advers. Pelag. *Esto ut nullus potuerit omne vitare peccatum in pueritiâ, adolescentiâ, & juventute: numquid negare potes, plurimos justos & sanctos viros post vitia, omni se ad virtutes animo contulisse, & per has caruisse peccato?* Ubi Hieronymus Pelagii sermonem exprimit in Synodo Diospolitanâ. Nam sic loquitur ille apud Augustinum lib. De gestis Palæst. cap. XI *Non dicimus, quòd inveniatur aliquis ab infantiâ usque ad senectam, qui nunquam peccaverit, sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratiâ potest esse sine peccato.* Ubi ut gratiæ vocabulo usus sit, ex iis cognosci potest, quæ superioribus libb. diximus. Cæterum meritò non satisficbat Catholicis istoc responso: quia Pelagium constaret libro De naturâ, ut antea vidimus, apertè scripsisse, *Abel justum nunquam omnino peccasse.* Præterea ne illud quidem Catholici fatebantur, pro filiis Dei haberi non posse, nisi qui peccare omnino desiissent. Imò ipse Pelagius cogebatur fateri, non omnes fideles Legem Dei servare, sed solùm eximios quosdam. Denique quæcunque ad purgationem sui afferebat idem, ea mirum in modum suspecta reddebat, quòd (quemadmodum ibidem cap. XII. & de peccato orig. cap. XI, legimus) in doctrinâ Cælestii inveniretur, *Legem sic mittere ad regnum, quemadmodum Evangelium: & ante adventum Christi fuisse homines sine peccato.* Quorum posterius nec probare, nec damnare apertè Pelagius audebat: nam respondisse ibidem dicitur in hunc modum: *Posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superius: de eo autem, quòd fuerint ante adventum Domini homines sine peccato, dicimus & nos, quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè, & justè, secundum Scripturarum traditionem.* Fraudem vidit Augustinus, ut hæc ejus verba indicant: *Non ausus dicere,* DICIMUS ET NOS, QUONIAM ANTE ADVENTUM CHRISTI FUERINT HOMINES SINE PECCATO, *cum hoc illi de Cælestii dictis esset objectum: (sensit enim, quam esset periculosum & molestum) sed ait, Dicimus & nos, quod jam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè. Quis hoc negaverit? Sed aliud est hoc; & aliud, fuisse sine peccato.* Vide & Augustinum lib. IV. contra Julian. a Salmeron Proleg. X. Quinquag. II. can. XXVI b: *Hieremias sanctificatus ab utero nunquam peccasse conceditur.* Quæ sententia ut verbis πελαγιανίζει, ita re ipsâ πελαγιανίζει. Idem aliquantò pòst c ait, *afflictiones esse perpessum, non ob ullum actuale, sed ob originale peccatum.* Quæ etsi pura puta Pelagiana non sint, cum illi originale peccatum nesciant; tamen Pelagianum est, quòd actu eum peccasse negat.

a Sic Hieronymus: sed apud Aug. pro merito legitur digne.
b Apud Augus. lib. De Natura cap. 37.
c Ipsi apud Aug. capit.

a Col. 1036.
b P. 150. edit. Brix. an. 1601.
c P. 151.

ANTITHESIS I.

Catholicorum verò tam eorum, qui ante Pelagium, quàm qui ejus tempore, vel postea vixerunt, sententia hæc fuit, neminem virtute naturæ implere legem: neminem per gratiæ vires transegisse vitam omnem sine peccato: neminem ad eum pietatis & sanctimoniæ gradum pervenisse in hac vitâ, ut omne omnino peccatum longissimo tempore evitaret. Nec negare poterant, perfectionem quibusdam tribui in scripturis: sed dicebant, eam non fuisse à virtute naturæ, sed gratiæ: nec per omnem vitam, imò nec ullo vitæ tempore, fuisse plenam, & omnibus numeris absolutam; sed quæ crescere posset, & operibus malis misceretur. Hoc est, ut vulgo dici solet, partium, non graduum perfectionem.

CAtholici illud imprimis in Pelagio damnabant, quòd multos diceret viribus naturæ perfectionem adeptos esse in hac vitâ. Adversus quem ejus errorem, vel hæresin potiùs, multa Sanctorum Patrum testimonia congessimus lib. III. cùm ostenderemus, neminem viribus naturæ, vel diligere Deum, vel legem præstare, vel tentationes graves superare, vel ullum omnino actum pium implere. Perfectionem non naturæ, sed gratiæ opus esse, compluribus asseritur locis ab Hieronymo dialogorum libb. contra Pelagianos. Ut lib. I; *Vides*, inquit, *quòd Deus possibilia jusserit, & tamen id, quod possibile est per naturam, nullum posse complere?* Et lib. II: *Perfectio hominis non ex naturâ, sed gratiâ veniens, imperfectos eos, qui perfecti videntur esse, demonstrat.* Ac rursus eodem libro: *Aliqua quæ apud homines impossibilia sunt, certè ea esse possibilia ex eo ostenditur, quod apud Deum possibilia sunt. Sit ergo & apud Deum possibile, homini (si velit) donare impeccantiam; non ipsius merito, sed suâ clementiâ; & apud homines nequaquam possibile liberi arbitrii potestate, quod nutu donantis accepit.* Sed porrò quæritur, undecunque illæ vires sint, per quas sancti obediunt Deo, utrùm per eas fidelium quisquam sine peccato transegerit omnem vitam: & si de omni vitâ hoc dici non possit, an non à tempore conversionis, vel saltem longo vitæ suæ tempore, aliqui vixerint sine peccato. De priori hoc Catholicorum judicium fuit, neminem per omnem vitam legem Dei servasse, sed omnes esse peccato, eoque maledictioni, obnoxios. Huc pertinent testimonia ista veterum.

a P. 252. edit. Commel. Justinus Martyr Dial. cum Tryphone a: Πᾶν γὰρ γένος ἀνθρώπων εὑρεθήσεται ὑπὸ κατάραν ὂν κατὰ τὸν νόμον Μωσέως· ἐπικατάρατος γὰρ εἴρηται πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου τοῦ ποιῆσαι αὐτά.—καὶ οὐδεὶς ἀκριβῶς πάντα ἐποίησεν, οὐδ' ὑμεῖς τολμήσετε ἀντειπεῖν. ἀλλ' εἰσὶν οἱ μᾶλλον, καὶ ἧττον ἀλλήλων τὰ ἐντεταλμένα ἐφύλαξαν. *Genus humanum omne maledictioni obnoxium esse invenietur, juxta legem Mosis. Maledictus enim quisque dictus est, qui non permanet in eis, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Nemo certè exactè omnia præstitit. Id neque ipsi adversandi studio negare audebitis: sed sunt, qui, aliis plus & minus, mandata servaverint.* Irenæus lib. III. cap. 22: *Veniens autem lex, quæ data est per Mosen, & testificans de peccato, quoniam peccator est, regnum quidem ejus abstulit, latronem, & non regem eum detegens; & homicidam eum ostendit. Oneravit autem hominem, qui habebat peccatum in se, reum mortis ostendens eum. Spiritualis enim cùm lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non autem interemit.* Ambrosius Apologiâ David. cap. VI: *Non invenitur quisquam illibatus a culpâ. Habet quis bona merita?* (id est, bona opera) *habet & vitia & peccata.* Gennadius de dogm. Eccles. cap. LXXXVI; *Nullus sanctus & justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus, vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem.* Quem ad locum similia antiquorum loca clarissimus Elmenhorstius indicavit. Ipsum vide. Hieronymus contra Luciferianos in personâ orthodoxi: *Credo in Deum patrem, credo in Deum Filium, & credo in Deum Spiritum Sanctum. Credo in unum Deum, & tamen secundum meam fidem nolo mihi fieri. Sæpe quippe venit inimicus homo, & inter dominicam messem zizania interserit. Neque hoc dico, quòd majus quicquam sit, quàm sacramenti fides, quàm puritas animæ: sed indubitata ad Deum fides ardua reperitur. Verbi gratiâ dictum sit, ut quod volumus perspicuum fiat: Ad orationem assisto: non orarem, si non crederem: sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione meâ aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est fides? sicciæ putamus orasse Jonam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce? Et ego hæc exempli causâ ad intelligentiam sensus protuli. Cæterùm conveniat unusquisque cor suum, & in omni vitâ inveniet, quàm rarum sit fidelem animam invenire, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim qui jejunat, Deo jejunat, aut extendens pauperi manum, Deo fœnerat. Vicina sunt vitia virtutibus. Difficile est, Deo tantum judice esse contentum.* Etiam Chrysostomus negat, quemquam legem præstare: atque inde concludit, nec posse quemquam ex lege justificari. Verba ejus sunt ista in illud Apostoli ad cap. III. ad Gal. *Justus ex fide vivet:* Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. τοῦτο γὰρ οὐ τὸ ἐκ πίστεως δείκνυσι δικαιοσύνην μόνον, ἀλλ' ὅτι καὶ διὰ νόμου σωθῆναι οὐκ ἔνι. ἐπειδὴ γὰρ νόμον, φησὶν, οὐδεὶς ἐτήρησεν, ἀλλὰ πάντες ἦσαν ὑπὸ τὴν ἀρὰν διὰ τὸ παραβαίνειν, ἐπενοήθη ῥᾳδία τις ὁδὸς ἡ ἀπὸ τῆς πίστεως. ὅπερ καὶ σημεῖον μέγιστόν ἐστι, τοῦ μηδένα δυνηθῆναι δικαιωθῆναι ἐκ τοῦ νόμου. οὐ γὰρ εἶπεν ὁ προφήτης, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ νόμου ζήσεται, ἀλλ' ἐκ πίστεως. ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως. *Hoc enim non solùm ostendit, ex fide justificationem esse: verùm etiam fieri non posse, ut per legem contingat salus. Posteaquam, inquit, legem nemo servavit, sed omnes ob transgressionem erant obnoxii maledicto, excogitata est facilior quædam via per fidem: quod ipsum maximum est argumentum, ex lege neminem posse justitiam adipisci. Non enim dixit Propheta, Justus ex lege vivet: sed, ex fide. Lex autem non est ex fide.* Hieronymus lib. II. comment. in epist. ad Gal. cap. III. *Nemo illorum de maledicto quempiam liberavit, absque solo Domino Jesu Christo, qui pretioso sanguine suo & nos omnes & ipsos, Moysen dico & Aaron, Prophetas cunctos & Patriarchas, de maledicto legis redemit. Nec hoc ex meo sensu dictum putetis: Scriptura testis est, quia Christus gratiâ Dei, sive, ut in quibusdam exemplaribus legitur, absque Deo, pro omnibus mortuus est. Si autem pro omnibus; & pro Moyse, & pro universis Prophetis, è quibus nullus potuit delere chirographum vetus, quod adversus nos scriptum erat, & affigere illud cruci. Omnes peccaverunt, & indigent gloriâ Dei. Ecclesiaste quoque hanc firmante sententiam: Homo non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Denique & inferius Apostoli dictum manifestè docet: nec Moysen, nec illustrem aliquem de antiquis virum, apud Deum justificari potuisse per legem.* Beda præfat. in Cantica: *Mirum ubi invenerit* (Julianus) *vel inveniri posse putaverit hominem, saltem unum, in quo amor sanctus, solis animi viribus innixus,* USQUE AD SENIUM *sine damno sui persisteret vigoris; cùm ille, qui præ amore præcipuo dignus erat in sua conditoris sinu recumbere,* INTER EOS, QUI EJUS GRATIA FRUUNTUR, *invenire potuerit nullum: quin potiùs humili confessione testatus sit: Si dixerimus, quia peccatum non*

non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Fatentur multi Scholasticorum, eos qui solius naturalis legis notitiam habent, etsi non indigeant novâ ac speciali gratiâ ad actus singulos lege præscriptos pro naturæ modo exercendos, (ad quod sufficere aiunt generalem Dei influxum) nihilominus egere speciali auxilio ad integram naturæ legem, omniaque, quæ per se & naturâ sua sunt peccata, longissimo tempore vitanda. Quod de naturalibus disputant illi, hoc ipsum tradunt Patres de his, qui justificati sunt & Christianis virtutibus instructi. De quibus etiam solis nunc sermo est nobis. Negant enim, nos novâ gratiâ indigere ad singulos actus supernaturales divisivè sumtos: at verò negant, nos per gratiam vitare posse omne peccatum, si omnes actus consideremus collectivè. Hinc Hieronymus lib. III. dialog. contra Pelag. *Hoc est, quod tibi à principio dixeram in nostrâ esse potestate positum, vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium.* SED HOC *pro modo & tempore, & conditione fragilitatis humanæ.* Et mox: *Nec quia ad breve possum, coges me ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire; nunquid in perpetuum?*

Vidimus, ut nemo sine peccato transegerit hanc vitam: quod affirmare metuebant Pelagiani. Proximum est, ut ostendamus, nec longo vitæ tempore omne omnino peccatum ab aliquo evitari: sed eos etiam, qui à pietate & sanctimoniâ præ aliis celebrantur, abesse à legis perfectione, si vita eorum rigido Dei examine, citra misericordiam, censeatur. Unde & sanctissimi pro peccatis quotidie orare jubentur. Origenes, sive interpres ejus Rufinus in cap.
a P. 381. edit. Bas. 1536. III. epist. ad Rom. *a Quis rectè vel super castitate suâ gloriabitur, cùm scriptum legat, Quia si quis adspexerit mulierem, ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo? Quis super justitiâ suâ gloriabitur, cum audiat Deum per Prophetam dicentem, Quia omnis justitia vestra sicut pannus mulieris menstruatæ? Sola igitur justa gloriatio est in fide crucis Christi, quæ excludit omnem illam gloriationem, quæ descendit ex operibus legis.*

b Ultra medium. Cyprianus de Oratione Dominicâ *b*: *Ne quis sibi quasi innocens placeat; cùm innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat; instruitur, & docetur, peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.*

Macarius quoque Ægyptius homil. XXXVIII. describens hominem fidelem, ait, eum, cùm priùs omni sibi videatur virtutum genere florere, mox sibi tantopere displi-
c P. 470. & 471. edit. Morell. cere, ut se summum esse peccatorum revera arbitretur *c*: Μετὰ ῥ καιρὸν ἢ ὥραν μεταβάλλεται τοῖς πράγμασιν, ὥστε ἐξ ἀληθείας τ̀ πάντων ἑαυτὸν ἡγεῖσθαι ἁμαρτωλὸν πάντων ἀνθρώπων.

Optatus lib. VII: *Nemo ex toto sanctus poterit inveniri. Nam si sunt, qui possint non habere peccatum, mentiuntur in oratione Dominicâ, si sine causâ indulgentiam postulant, dicentes Deo Patri; Dimitte nobis peccata, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: cùm Ioannes Apostolus & omnium conscientias prodat & suam designet his verbis, Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Cujus dicti rationem in quarto libro manifestius explanavimus.* Ubi legendum puto, *in secundo libro.* Nempe pro II librarius IV. scripserat. Libro verò secundo hæc inter alia habet; *Unde est ergò, quod vobis perfectam sanctitatem de superbiâ vindicatis? nisi ut appareat, quia vos ipsos decipitis, & veritas in vobis non est. In Iohannis scholâ esse noluistis.* Et post aliqua: *Ad altare conversi, Dominicam orationem prætermittere non potestis. & utique dicitis, Pater noster qui es in cœlis, dimitte nobis debita & peccata nostra. Quid vocaris, dum peccata confiteris tua?* Quasi dicat, nonne Peccator vocaris?

Augustinus ad Hieronymum epist. undetrigesimâ: *Virtus est caritas, quâ id quod diligendum est diligitur. Hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine. Quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet.* Idem in Psal. CXLII: *Noli intrare mecum in judicium, Domine Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam: coaptas me ad eam, & pravus invenior.* Et mox: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. omnino omnis homo vivens. Quid ipsi arietes, quid ipsi Apostoli, de quorum prole dicitur, Afferte Domino filios arietum? Ex his Paulus est, qui dicit, non se esse perfectum. Non quia jam acceperim, inquit, aut jam perfectus sim. Denique, fratres, ut citò agnoscatis, ipsi didicerunt orare quod oramus, ipsis data est regula postulandi à jurisperito cœlesti. Sic orate, inquit. Et cum quædam præmisisset, posuit & hoc, ut dicerent arietes nostri, duces ovium, & præcipua membra pastoris, & congregatores unius gregis: ipsi didicerunt dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non dixerunt, Gratias tibi, qui dimisisti nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: sed, Dimitte, sicut & nos dimittimus. Orabant autem utique jam fideles, jam Apostoli. Nam ista oratio Dominica magis fidelibus datur. Si debita illa tantummodo dicerentur, quæ per baptismum dimittuntur: catechumenis congrueret magis orare, Dimitte nobis debita nostra. Dicant ergo Apostoli, dicant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et cùm eis dictum, Quare hoc dicitis? Quæ debita vestra? respondeant, Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Idem de spiritu & literâ ad Marcellinum cap. VIII: *Sed laudamus,* inquiunt, *& Deum, nostræ justificationis autorem, in eo quòd legem dedit, cujus intuitu noverimus, quemadmodum vivere debeamus; nec audiunt, quod legunt, Quia non justificabitur ex lege omnis caro coram Deo. Potest enim fieri coram hominibus, non autem coram illo, qui cordis ipsius, & intimæ voluntatis inspector est.* Quibus verbis nec sanctos ullos ait legem implere, si interior illa animi perfectio à Deo καρδιογνώστῃ attendatur. Nilus Parænetico cap. XXIX: *Quanto magis in lege proficis, tanto magis te abesse à perfectione intelliges.* Radulph. lib. XX. cap. I. in Leviticum: *Quis est, qui omnia, quæ præcepit Dominus, faciat? non ejus beatitudinis sumus, nec ejus meriti, ut universis illis obtemperemus. Non est enim homo super terram, qui faciat bonum, & non peccet. Nec justificabitur in conspectu ejus omnis vivens.* Ivo Carnotensis sermone de convenientiâ veteris & novi sacrificii; *Quem non faciat attentum, quod post ablutionem de singulis quibusque dicitur,* Et immundus erit usque ad vesperam. *Neque hic tantum, sed in omnibus aut penè omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Ubi nescio, utrum aliquid aliud possit intelligi, nisi quòd omnis homo, post remissionem plenissimam peccatorum, permanendo in hac vitâ, contrahit aliquid unde sit immundus, usque ad ejusdem vitæ finem, ubi et dies iste quodammodo clauditur; quod significat vespera.* Bernardus Serm. LXXIII. super Cant. *Si iniquitates observaveris, etiam electorum quis sustinebit? Opus itaque habent & sancti pro peccatis exorare, ut de misericordiâ salvi fiant, propriæ justitiæ non fidentes. Omnes enim peccaverunt, & egent misericordiâ Dei.* Etiam hanc priorum sententiam secutus est Petrus Lombardus lib. III. sentent. dist. XXVII. lit. E. *Dilectionis Dei modus insinuatur, cùm dicitur: Ex toto corde, id est ex toto intellectu; ex tota animâ, id est ex totâ voluntate; ex totâ mente, id est ex memoriâ; ut omnes cogitationes, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers illi. Hæc dicens nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat: sed quicquid venerit in animum, illuc rapiatur, quò dilectionis impetus currit.* Lit. F. *Illud autem præceptum non penitus impletur ab homine in*

hac

hac mortali vitâ, sed ex parte, non ex toto: quia ex parte diligimus, in futuro autem implebitur ex toto. Lit. G. *Sed cur præcipitur homini, cùm in hac vita eam nemo habeat? quia non rectè curritur, si quo currendum est, nesciatur &c.*

Ex his cognoscimus, Catholicorum fuisse sententiam, neminem viribus, seu naturæ, seu gratiæ, vel per omnem vitam, vel etiam longo ejus tempore, implere legem rigidè & κατ' ἀκρίβειαν, imò ne quidem secundùm proportionem virium quas accepit, si concupiscentia etiam, & omne omnino delictum in censum veniat illorum, quæ adversus legem Dei committuntur.

Obducebant istis Pelagiani exempla eorum, qui in Scripturis perfecti fuisse dicuntur. Sed Catholici respondebant, per eam perfectionem intelligi, tum sinceritatem, sive verum & non simulatum studium obediendi omnibus Dei mandatis; tum obedientiæ istius actualem impletionem, sed pro modulo hujus vitæ, & comparatè ad alios fideles: non plenam & omnibus numeris absolutam. Nempe quomodo domus vocatur, quæ etiamnum exstruitur. Quod fieri triplici potest respectu. Primùm ratione initii, ac desiderii; ut sit συνενδοχὴ partis, & μετουργία finis. Deinde comparatione tuderum, vel imperfectionis structuræ. Denique ratione promissi, ut siquis quod ædificio deest, hoc de suo se suppleturum receperit. Similiter igitur justitiam hujus vitæ perfectam dici censent. I. inchoatè, sive κατὰ συνενδοχὴν, initii & desiderii ratione. II. comparatè, sive κατὰ σύγκρισιν, ratione impiorum & imperfectiorum. III. euangelicè, sive cum velamento gratiæ; quia omnia facta deputantur, quando quod factum non est, ignoscitur. Quibus addere possumus, quod vulgò non aptè minus quam verè dicitur, aliam esse perfectionem partium, aliam graduum. Puer perfectus est priore significatu, non posteriori. Ita Christiani sunt perfecti, quatenus seriò student ambulare, ac reapse ambulant, non in unâ parte, aut certis partibus, sed omnibus præceptis Dominicis, nullam earum partem ab obedientiæ suæ studio separantes: non tamen ita perfecti, ut Deum summè ament, proximum planè juxta se diligant, pravas cupiditates exscindant radicitus.

Hanc & Catholicorum veterum fuisse sententiam, clarè eorum verbis docere possumus. Nam apud Hieronymum lib. I. adversus Pelagianos ait Atticus: *Alium differre ab alio, & diversas esse in hominibus justitias, nulli dubium est: & vel majorem esse alium vel minorem: & tamen secundum statum & mensuram suam posse justos nominari, qui aliorum comparatione justi non sunt.* Quod deinde illustrat exemplo Pauli & Timothei, quorum uterque justus erat: & tamen, inquit, *Putamusne, unam & eandem in utroque fuisse justitiam, & non plus habere meritorum eum, qui plus omnibus laboravit?* Adfert item comparationem siderum: *In singulis*, inquit, *diversa sunt lumina, & tamen in suo unaquaque perfecta est, ita duntaxat, ut comparatione majoris perfectione careat.* Illustrat etiam similitudine à vasis petita: *Secundùm*, inquit, *modulum suum, cùm aneum vas perfectum sit, comparatione argentei vasis, imperfectum dicitur; rursumque argenteum aurei collatione deterius est. Atque hoc modo, dum sibi invicem comparantur, imperfecta & perfecta sunt omnia.* Apud eundem initio lib. tertii adversus Pelag. ad Jobi & Elizabethæ exempla, quorum perfectionem in scripturis commemorari dixerat Critobulus, respondet Atticus, etiam delicta illorum in iisdem referri.
a P. 730. Similiterque Orosius lib. de arbitr. libert. *a* ubi inter alia: *Post multam docendi correptionem, vel corripiendi doctrinam, respondens Job Domino dixit, Quid ergo judicor commonitus & increpatus à Domino, audiens talia, cum nihil sim? Talis & Zacharias, homo sine querelâ, dignus honore hominum, dignus testimonio Scripturarum, quem aliqua jam, ut arbitror, ex hoc inflatio titillabat: incipiebatque plus credere famæ, quàm conscientiæ: per corripientem Angelum, notâ infidelitatis arguitur, & temporario silentio castigatur.* Et mox: *Ita sine crimine dici quemquam, & sine querelâ, non est perfectionis testimonium, sed conversationis exemplum.* Ad illud Euangelistæ, *Scimus quòd omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum:* sic apud Hieronymum Atticus *a* respondet, ibidem legi: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* a Lib. 1. Dial. contra Pel.
Deinde addit: *justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordiâ. Et hac hominis summa est justitia, quicquid potuerit habere virtutis, non suum putare esse, sed Domini, qui largitus est.* His continuò subjicit: *Qui ergò natus est ex Deo, non peccat, quamdiu semen Dei manet in eo.* Et mox: *Quodsi opposueris, Quare dixit, Et non potest peccare, quia ex Deo natus est? audies, Et ubi erit præmium voluntatis? Si enim ideo non peccat, quia peccare non potest; liberum tolletur arbitrium, & nequaquam nostrum fiet, sed naturæ bonum, quæ peccata non capiet.* Sed imprimis videndus Augustinus lib. de perfectione justitiæ: ubi ex professo hac de re disputat. Inter alia ad locum Ps. XIV. XVII. & XVIII. sic respondet: *Ingredi sine maculâ non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* Adi & quæ fusè hoc de argumento Gelasius I. *b* b T. 2. Concil. edit. Binn. p. 257.
disserit epist. adversus Pelag. Nec aliter Bernardus serm. x. in Psal. *Qui habitat &c. Quantumlibet perfectus in carne adhuc mortali degens (nisi enim esset hîc quadam, ut ita dixerim, perfecta perfectio, non diceret Apostolus, Quotquot perfecti sumus, id ipsum sentiamus; id ipsum profectò quod præmiserat: Non quasi jam acceperim, aut perfectus sim) etiam Paulus ipse necesse est fateatur, Quia nunc cognosco ex parte.* Ita locus is legitur in edit. ult. Antverp. *c*. Atque in indice etiam invenias, *Perfecta per-* c Keerbergiana a. 1609.
fectio an in vitâ: assignato hoc Bernardi loco. Sed legendum omnino: *Quadam, ut ita dixerim, imperfecta perfectio:* quomodo habent editiones priores *d*. Ut sepultu- d Veneta an. 1549. Basileensis an. 1552. item anno 1566. atque alia.
ram insepultam, nuptias innuptas, justa injusta, aliaque alii ex scriptoribus externis dixere: ita eleganter imperfectam perfectionem Bernardus vocat, quæ pro modulo hujus vitæ perfecta est; sed si ad judicii divini stateram examinetur, defectibus suis laborare, & vitiis misceri cognoscitur. Similiterque locutus erat ante eum Hieronymus lib. I. dial. advers. Pelag. *e* *Hæc est hominis vera sapientia,* e P. 166. edit. Bas. 1553.
imperfectum se nosse: atque, ut ita loquar, cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est. Quo verò consilio id in Bernardo nunc aliqui cœperint immutare, me etiam tacente, omnes vident, qui nobilium in Ecclesiâ Romanâ doctorum hoc de capite sententiam non ignorant.

Quamquam verò crederet Augustinus, neminem à conversione suâ, vel certo tempore majoris profectus in pietate & sanctimoniâ, omne omnino peccatum evitâsse: tamen si quis hac parte dissentiret, tolerabiliter erraturum putabat: dummodo eum, quem ad apicem istum perfectionis pervenisse existimaret, hanc consecutum putaret, non per naturam, sed per gratiam Spiritus Sancti: dum item alium potiùs talem fuisse, esse, vel fore existimaret, quàm se ipsum: nisi fortè certissimo indicio (qualis esset revelatio divina) istoc de se esset edoctus. Verba Augustini sunt ista lib. de spiritu & literâ cap. II. *Quin etiam si nemo est, aut fuit, aut erit,* QUOD MAGIS CREDO, *tali puritate perfectus, & tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur, & putatur: quantum ego judicare possum,* NON MULTUM ERRATUR, NEC PERNICIOSA, *cùm quâdam quisque benevolentiâ fallitur. Si* TAMEN *quis hoc putat, se ipsum talem esse non putet; nisi revera ac liquido talem se esse perspexerit. Sed illis acerrimè ac vehementissimè resistendum est, qui putant, sine adjutorio Dei, per se ipsam, vim voluntatis humanæ, vel justitiam, posse perficere, vel ad eam tendendo proficere.* Idem lib. De natur. & grat. c. LXIII. *Nulla, vel* NON MAGNA QUÆSTIO *est, qui vel quando perficiatur; dum tamen sine gratiâ Christi id ipsum fieri non posse*

mini-

minimè dubitetur. Cui geminum hoc cap. ult. *Ubicunque & quomodocunque ita plena sit, ut ei non sit quod adjiciatur; non tamen diffunditur in cordibus nostris, vel natura, vel voluntatis operibus, quæ sunt in nobis, sed per Spiritum S. qui datus est nobis.* Loquitur autem Augustinus non de perfectione omnimodâ, sed qualis pro mensura gratiæ obtineri potest in hac vitâ. Unde idem lib. de Spiritu & lit. cap. XXXVI: *Proinde hoc erit primum præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ mente. cui est de proximo diligendo alterum consequens: quod in illâ vitâ complebimus, cùm videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam præceptum est, ut admoneremur, quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliviscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda est justitia, multum in hac vitâ ille proficit, qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognovit. Sed dici potest quædam justitia minor huic vitæ competens, quâ justus ex fide vivit: quamvis peregrinus à Domino, & ideo per fidem ambulans, nondum per speciem, non absurde dicitur, etiam ad istam pertinere, ne peccet.* Duplicem hanc perfectionem distinguit etiam Ambrosius expositione in Jesaiam; *Perfectos secum multos ait Apostolus* (Phil. III.) *in hoc adhuc mundo sitos; qui nisi ad perfectionem veram respiceras, perfecti esse non poterant, quia ipse dixit: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei, cum utique,* SI MINUTIUS EXCUTIAS, *immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato.* Quem locum citat quoque Augustinus lib. De gratiâ, cap. XLIX. Ambros. in Luc. I. ex eo, quòd Zacharias & Elisabeth dicantur *justi ambo fuisse ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querelâ*, colligit, hominem in hac vitâ vivere sine peccato & querelâ. quibus Ambrosii verbis se Pelagiani tuebantur. Jubet autem Augustinus istum locum exponi, aut corrigi, ex altero, quem adduximus: *Si*, inquit, *ille vir sanctus atque humilis, Zachariam & Elisabeth summa & omnino perfecta justitia, cui nihil addi jam possit, existimavit; profectò sententiam suam* MINUTIUS EXCUTIENDO CORREXIT.

THESIS II.

Suam de perfectione sententiam proponebant Pelagiani laudatione sanctorum: planeque ad eorum injuriam pertinere dicebant, si citra peccatum vixisse negarentur. Sanctorum elogio etiam Baptismi laudationem adjungebant, quasi ejus efficaciæ deroget plurimum, qui nos peccatum habere credat, postquam sacrâ sumus undâ abluti.

DE utroque sic Augustinus lib. IV. contra duas epist. Pelag. cap. II. *Laude sanctorum sese contegunt, dicentes, baptisma perfecte homines innovare. Siquidem Apostolus a testis sit, qui per lavacrum aquæ Ecclesiam* a Eph. 5. *de gentibus sanctam fieri immaculatamque testetur.* Addit deinde, dici ab iis, *Sanctum quoque Spiritum mentes bonas in antiquis adjuvisse temporibus, dicente Prophetâ ad Deum, Spiritus tuus deducit me in viam rectam: omnes quoque Prophetas & Apostolos, vel sanctos, tam Novi quam Veteris Testamenti, quibus Dominus testimonium perhibet, non in comparatione sceleratorum, sed regulâ virtutum justos fuisse, &c.* Et paullo pòst: *Quicquid de laude Sanctorum* (dicunt,) *ad hoc* (dicunt) *ut vita mortalis in sanctis videatur non habere peccatum; nec sit eis necessarium pro dimittendis debitis suis precari Deum.* Idem cap. VII. Pelagianorum errorem esse ait, quòd *nullum post Baptismum sancti habeant peccatum.* Quamquam hoc commodam interpretationem admittat: ut antithesi proximâ dicemus.

ANTITHESIS II.

Catholici negabant, ita sanctos esse laudandos, vel efficaciam Baptismi ita extollendam esse, ut perfectionis honos, qui, præterquam Christo, homini convenit nemini, sive vitâ totâ, sive post seriam conversionem, ullis dicatur hominibus cum Christo fuisse communis. Aliquis tamen de Mariâ dissensus erat: quam nonnulli ex hoc numero excipiebant: ac fortasse nec Augustinus ipse ab hac sententiâ abhorrebat, quamquam certi aliquid de eo statuere non auderet.

SOlum Deum, vel summùm & Deum, & angelos, peccare nunquam, sensit etiam Nazianzenus Orat. XV, quæ est in plagam grandinis a: Τὸ μηδὲν ἡμαρτεῖν, ὄντως a P. 234. ὑπὲρ ἄνθρωπον, καὶ μόνου Θεοῦ. *Peccare in nullo, hominis modum excedit, & solius est Dei.* Mox de angelis negat se quicquam addere velle, ne occasionem præbeat cogitationibus improbis. Similiter Orat. XX. quæ est in Basilii laudem b, ait, Μόνον εἶναι τῷ Θεῷ τὸ παντελῶς ἀπλανὲς b P. 363. καὶ ἀνάλωτον πάθεσι. *Solius Dei est, non peccare, & à perturbationibus esse immunem.* Et Orat. XL. quæ est in sanctum Baptisma c: Τὸ μηδὲν ἡμαρτεῖν, ἔστι Θεοῦ, καὶ τῆς c P. 640. πρώτης, καὶ ἀσυνθέτου φύσεως. (ἁπλότης γὰρ εἰρηναῖον καὶ ἀστασίαστον.) Θαρρῶ δὲ εἰπεῖν ὅτι καὶ τῆς ἀγγελικῆς, ἢ ὅτι ἐγγυτάτω τούτου, διὰ τὴν πρὸς Θεὸν ἐγγύτητα. *In nullo peccare, Dei est, sive illius prima & incomposita naturæ. (simplicitas enim pacata est, atque ab omni dissidio remota.) Audeo & dicere, naturæ esse angelicæ, aut saltem proxime hanc ab ea abesse, quia ad Deum propinquitatem habet.* Hanc sententiam secutus etiam est Tertullianus lib. de Oratione cap. VII. *Sciebat Dominus, se solum sine delicto esse.* Optatus Milevitanus lib. II. *Deus solus est perfectio, & perfectus solus Dei filius Christus. Ceteri omnes semiperfecti sumus.* Et paullo pòst. *Nam & à Christo salvatore nostro perfecta sanctitas non est data, sed promissa.* Hieronymus adversus Pelagianos ad Ctesiphontem: *Nunquid præcepit mihi Deus, ut nihil inter me esset & Dominum creatorem? ut major essem angelorum fastigio? ut haberem, quod angeli non habent? De illo scriptum est, quasi proprium: Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Si hoc & mihi cum Christo commune est, quid ille habuit proprium? alioqui per se tua sententia destruetur.* Orosius apolog. De arbitr. libert. d *Ecce Pelagius ausus est profiteri, se esse sine ma-* d P. 725. *cula atque peccato. Consequenter arbitratur, dignum se ad accipiendum librum atque judicium; proximumque est, ut dicat sibi, Ego potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, & præparat se in throno Christi futurum consortem. Miser homo, qui non potius intelligit, præparare se Antichristi adventui præcursorem; qui cum fuerit revelatus, extollet se super omne quod dicitur, aut colitur, ut Deus: juxta hunc, qui jam se comparat in coæquationem unici filii Dei.* Plura in hanc sententiam ibidem. Hæc etiam confirmantur iis quæ apud Origenem, Ambrosium, Hilarium, alios, de Purgatorio legere est. Nam credebant, extremo die omnes homines igne quodam esse purgandos; etiam Apostolos, atque ipsam virginem Mariam. Vide Sixtum Senensem lib. V. Annotat. CCLXX. & LXXI. nec non Puteum de alterâ vitâ lib. II, cap. XIX.

Quod verò de puritate hominis à Baptismo Pelagiani dicebant, hoc Catholici verum negabant esse, si de integrâ post Baptismum vitâ loquantur: concedebant autem, quatenus in Baptismo peccata remittuntur, atque (ut Augustinus ait lib. I. Retractat. cap. XIX.) *omnia mandata Dei facta deputantur, quando, quicquid non fit, ignoscitur.* Hinc Hieronymus initio lib. III. adversus Pelagianos: *Si fieri posset, ut semper aqua Baptismatis mersos teneret; voluntaria nos desuper peccata non tangerent, Spiritu sanctus tueretur.*

Quamquam verò veteres putarunt, Christi gloriam imminui,

minui, si homo præter eum quisquam absque peccato vixisse diceretur: tamen juniores contrà existimarunt, ad Christi gloriam pertinere, si Maria etiam à peccato immunis fuisse credatur. Imò tanti hoc argumentum fecerunt, ut propterea judicarent, etiam originali peccato Mariam caruisse. Quod satis ostendit Bernardinus de Bustis serm. I. De conceptione Mariæ. Verba ejus hæc sunt: *Opinio est falsissima, quòd Deus potuerit quidem matrem suam ab originali maculâ præservare, sed noluerit. Hoc enim præsupposito, pro vero necesse esset fateri, quòd Christus non fuisset bonus filius erga suam genetricem. Bonus enim filius tenetur diligere matrem. Cùm igitur Christus ab æterno elegerit beatam virginem in matrem, juxta illud quod canitur, Elegit eam Deus, & prælegit eam: concludendum est, quod ipse, cui omnia futura erant præsentia, ut boni filii, debitum adimpleret. Impium enim esset, si filius differret induere matrem suam nudam, cum posset decenter vestire, eamque permitteret cum nuditatis vituperio exire, seu alia incommoda sustinere, à quibus ipse eam posset liberare.* Hæc Bernardinus. Quodsi tanti ponderis argumentum istoc ei visum fuit, ut hacpropter ab originali peccato præservatam putaret: quanto minùs credebat, sine impietatis notâ perpeti Christum potuisse, ut mater sua actuali culpæ succumberet? Sed, uti diximus, longè aliter ratiocinabantur antiqui Patres, qui Christo derogari putabant, si quisquam, præter eum, peccati omnis expers vixisse diceretur. Itaque omnes veteres in originali eam peccato conceptam & natam fuisse concesserunt: ut lib. II. ostendimus. Idemque de actuali peccato plurimi eorum senserunt. Inter alios hanc Hieronymi & Orosii mentem fuisse antea vidimus. Ac Chrysostomus quoque, non fuisse eam immunem à titillatione humanæ gloriolæ, innuere videtur in cap. II. Joh. homil. XXI. *Optabat*, inquit, *ut jam gratiam humanam conciliaret, & ipsa clarior filii gratiâ efficeretur; & fortasse aliquo humano afficiebatur affectu.* Idem in passione Dominicâ dubitasse eam de Salvatore suo, indicat in Ps. XIII. ad verba illa, Non est qui faciat bonum. *Quando & discipuli omnes eo relicto fugerunt, Joannes nudus recedit, Petrus negat, discipuli fugiunt, ipsius Mariæ matris animam gladius dubitationis pertransiit. Quoniam ergò in passione nullus fructum caritatis accepit, Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Similiter scriptor quæstionum Veteris & Novi Testamenti falsò adscriptarum Augustino, cùm, ut optimè observant doctores Lovanienses, vel Hilarii siet, diaconi Romani; vel alicujus saltem Augustino antiquioris, ut qui quæst. XLIV. dicat, ab excidio Hierosolymitano ad suam usque ætatem annos fluxisse solùm trecentos. Ejus de Mariâ hæc sunt verba quæst. LXXIII. *Quod autem adjecit dicens, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes: hoc utique significavit, quia etiam Maria, per quam gestum est mysterium incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret; ita tamen ut resurrectione, honore, & virtute firmaretur; omnes stupore quodam in morte Domini dubitarent, non tamen in dubitatione manerent. Sic enim animam pertransit gladius, si dubitatio non permaneat in cogitatione, sed pellatur superveniente reformante se pristinâ virtute.* Sed apertissimè omnium Origenes, nisi is potiùs interpres ejus Rufinus, homil. XVII. in Lucam: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quis est iste gladius, qui non aliorum tantùm, sed etiam Mariæ cor pertransiit? Apertè scribitur, quòd in tempore passionis omnes sint Apostoli scandalizati, ipso quoque Domino dicente: Omnes vos scandalizabimini in nocte hac. Ergò scandalizati sunt universi, in tantum, ut Petrus quoque, Apostolorum princeps, tertiò denegarit. Quid? putamus quòd, scandalizatis Apostolis, mater Domini à scandalo fuerit immunis?* Eadem mens Amphilochii homil. de occursu Domini. Imò & Theophylacti in hunc locum. Ac Basilium quoque epist. ad Optim. in hanc mentem citat Thomas.

Negari tamen non potest, alios veterum aliter sensisse. Imò pleraque testimonia, quæ adduci solent, ad probandum, Mariam sine originali peccato conceptam vel natam fuisse, de solâ actuali culpâ loquuntur. Hujusmodi est locus commentatoris in Psalmos, qui Hieronymus creditur vulgò a: *Nubes illa* (Maria) *non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Quibus ex verbis Rob. Bellarminus lib. IV. De amissione gratiæ statu peccati cap. XV. probare conatur, Mariam etiam ab originali culpâ fuisse immunem, atque hanc ipsius Hieronymi fuisse sententiam. Sed multa Bellarmino adversantur. Nam commentator iste non est Hieronymus, sed alius eo junior; qui etiam Eucherium citat, & sæpe ab Hieronymo discedit, & istos commentarios, partim ex Hieronymo, partim aliis congessit. Atque hoc non modò docent Erasmus, Sixtus Senensis, Melchior Canus, & Wilhelmus Lindanus; sed ipse Bellarminus id claiè probat in catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Deinde verisimile non est, scriptorem istum cum Bellarmino sensisse, quando in Psal. L. de lege naturæ agens, quâ omnes in originali culpâ nascimur, minimè excipiat matrem Domini, sed universè dicat: *Hic versiculus totius humani generis casum exponit, sicut in Job dicitur: Nec si unius diei sit super terram, potest esse mundus à sorde peccati. Concipitur autem & nascitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur, sed Baptismo propter gratiam Christi purificatur.* Denique quid, quæso, scriptor iste ait, unde hoc concludi possit, quod voluit Bellarminus? Solùm dicit, Mariam semper in luce esse versatam? At nonne omnes fideles sunt filii lucis? Quare nihil inde aliud colligere est, quàm Mariam semper abstinuisse ab operibus tenebrarum, hoc est, actualibus peccatis. Si modò vel hoc inde concludi potest, ac non potius istoc solùm, nunquam eam mortali peccato fuisse pollutam; quando non omnis culpa filiam tenebrarum facere potuit, sed illa solùm, quæ regenerationis Spiritum expellit.

a in Psal. 77.

Similiter neque de originali peccato, quod ibidem voluit Bellarminus, sed solis actualibus, loquitur Ambrosius, cùm in Psalmi CXVIII. versum ultimum scribit, Mariam fuisse *integram ab omni labe peccati.* Si modò vel ab istis eam fuisse immunem existimavit Ambrosius: ac non potius illud solùm voluit, Mariam, cùm Christum conciperet, sine peccato eum concepisse. Integer locus sic habet: *Veni, & quære ovem tuam, jam non per servulos, non per mercenarios, sed per temet ipsum. Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sarâ, sed ex Mariâ, ut incorrupta sit virgo: sed virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.* Sunt verba ovis perditæ ad Christum pastorem. Agnoscit ea, se in Adamo periisse: sed rogat τ̃ ἀρχιποίμενα, ut se quærat, & inventam suscipiat, non ex Sarâ, sed ex Mariâ, hoc est, non ut synagogæ filium, qui ex Abrahamo generatur, secundum carnem: sed ut filium Ecclesiæ, qui regeneratur ex aquâ & Spiritu. Confert igitur Ambrosius Mariam & Ecclesiam: quia & illa in conceptione mansit incorrupta, & à peccati labe integra, eò quod concepisset non ex viro, sed ex Spiritu Sancto: & Ecclesia similiter, quæ sponsa est Christi, virgo concipit & parit, quia filii ejus, ut initio Evangelii sui loquitur Johannes, *non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.* Unde Petrus Chrysologus serm. LXXII. *Ecclesia felix mater, quæ, cùm virgo permaneat, genuisse tales, & tantos vos taliter se miratur.* An non interpretatio hæc nostra optimè quadret Ambrosii verbis, alioqui obscuris; penes æquos æstimatores judicium esto. Bellarmini verò sententiam abunde illud refellit, quod paullò antè dixerat Ambrosius: *Nemo sine peccato. Negare hoc, sacrilegium est. Solus enim Deus sine peccato est. Confiteri hoc Deo, immunitatis remedium est.* Etiam lib. II. in Luc. cap. I. de circumcisione agens, inter alia apertè inquit, SOLUS *per omnia ex natis de feminâ sanctus Dominus Jesus, qui terrena contagia corruptelæ immaculati partus* NOVITATE *non sensit.* Et in Apologiâ David: *In quo* SOLO, *& conceptus virginalis,*

nalis, & partus sine ullo fuit mortalis originis inquinamento.

Iisdem verba scriptoris de Cardinalibus Christi operibus, quibus immaculatam Christi conceptionem similiter probat Bellarminus, vel de immaculatâ Christi conceptione loquuntur: vel summùm à peccatis actualibus eximunt Mariam: quemadmodum etiam diximus lib. II. part. III. ad Thes. III. Quòdsi verum diceret Bellarminus, caussam haberemus credendi, libri ejus scriptorem esse Arnoldum Bonavillacensem Abbatem, Bernardi *σύγχρονον*. Ejus nomen præfert vetus liber bibliothecæ Oxoniensis. Bernardi verò ætate irrepsisse opinionem de immaculatâ conceptione Mariæ, diximus alibi. Sed nobis omnino, ut & doctissimo Casaubono *a*, majorem iste scriptor antiquitatem sapere videtur. Nec ratio urget, cur esse adeo recentem credamus. Nam quòd Bellarminus concludit, putâsse eum, Mariam absque originali peccato esse conceptam; hoc satis refellitur istis verbis ejusdem scriptoris: *Spiritu Sancto originale incendium exstinctum.* Scio, inde etiam Bellarminum caussæ suæ patrocinium quærere. Sed frustra. Nam si fomite peccati ab ortu suo caruit Maria, quid originale incendium, cùm Christum conciperet, extingui opus erat? Quare satis clarum est, verba tum scriptoris illius de cardinalibus Christi operibus, tum etiam Ambrosii, vel de Immaculatâ Christi conceptione intelligi debere, non Mariæ: vel si Mariam absque peccato fuisse dicunt, a solis actualibus delictis eam immunem pronunciare.

a Exercit. adversus Baron. Nu. 32. p. 525. ed. Anglic.

At Augustini verba, quibus idem pugnat Bellarminus, ut aliter quàm de actualibus peccatis intelligamus, ratio non patitur. Quid quòd nec ille apertè dicit, Mariam ab actuali peccato fuisse immunem: sed solum non audet inficiari? Quod ut verè à nobis dici videant omnes, non jam verba Augustini adducemus, prout citantur, cùm ab Bellarmino & aliis, tum etiam Thomâ Aquinate *b*, (quem & ipsi secuti sumus, cùm libro secundo de conceptione Mariæ ageremus) sed primùm referemus, uti illa leguntur in editt. Augustini vulgatis: deinde uti nos illa putamus corrigi oportere. In vulgatiis quidem codd. atque etiam apud Jod. Coccium *c*, concipiuntur in hunc modum: *Exceptâ itaque sanctâ virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum? quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergò virgine excepta, si omnes illos sanctos & sanctas, cùm hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus?* Jansenius in Concordia Euangelicâ cap. LI. locum esse corruptum animadvertit: sed pro UNDE legit INDE, quod se invenisse ait in antiquo codice catenæ aureæ. Sed illud INDE & QUÆ ne sic quidem satis cohærent. Planè autem censeo, verba illa, *Unde enim scimus*, *παρενθέσει* includi, & *κατ' ἐρώτησιν* proferri debere. Etiam scribo, *quod non ei plus gratiæ*, cùm in editis τὸ *non* absit, cum sententiæ totius dispendio. Quæ emendatio nostra non conjectura nobis, sed certissima videtur veritas. Nempe ut integer locus legatur in hunc modum: *Excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: (unde enim scimus, quod non ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum?) hac ergò virgine excepta, si omnes illos sanctos & sanctas, cùm hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus?* De actualibus verò peccatis sermonem esse, etiam Thomas vidit parte III. quæst. XXVII. art. IV. nec id negabit, scio, qui cum curâ legerit caput universum. Negat tamen id Bellarminus, verbis istis subnixus: *Plus gratiæ datum ad vincendum omni ex parte peccatum. Quomodo*, inquit, *omni ex parte peccatum vicit, si peccato originali contaminata fuit?* At nos sic colligimus, cùm victoria absque hoste non sit, quomodo concupiscentiæ insultus vicit, quæ ejus fomitem non habuit? Et cui verisimile fiat, Augustinum facere Mariam originalis culpæ expertem, cùm alibi solum excipiat Christum: ut lib. II. vidimus: atque amplius comprobamr lib. I. de nuptiis & concupiscentia, cap. XII. *Solus ubi* (in conceptione Christi) *nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat, sine illa carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato: sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati; ut hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Et lib. X. de Genesi ad literam cap. XVIII: *Quid coinquinatius illo utero virginis? cujus caro etiamsi de peccati propagatione venit: non tamen de peccati propagine concepit; ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex severit in utero Mariæ, quæ in membris posita corporis mortis repugnat legi mentis &c. Proinde corpus Christi, quamvis ex carne feminæ assumptum est, quæ de illa carnis propagine concepta fuerat: tamen quia non sic in ea conceptum fuerat, quomodo fuerat illa concepta; nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.*

b Pa. 3. quæst. 27. art. 4.

c Thesauri Catholici T. 1. lib. 3. art. 1.

Nihil igitur apertius est, quàm superiorem Augustini locum de solis actualibus loqui peccatis. Nempe negante illo, quemquam perfectè legem Dei præstare: Pelagiani obducebant sanctos, & ipsam matrem Domini; ad cujus injuriam pertinere aiebant, si & illa tenebrarum opera egisse diceretur. Ergo respondet Augustinus, de hac solâ nolle se contendere cum Pelagianis: fieri enim posse, ut quemadmodum solam hac gratiâ dignatus est Deus, ut ex Spiritu Sancto conciperet Filium Dei: ita soli gratiam illam sit largitus, ut à concupiscentiæ illecebris nunquam vinceretur. Quod verò dubitanter dicit Augustinus: id juniores tanquam certissimum asserunt. Quid mirum? quando iidem, ut libro secundo vidimus, Mariam etiam sine originali peccato natam, atque adeò conceptam esse affirmare non vereantur.

THESIS III.

Etiam altera hinc quæstio profluxit. Pelagiani enim peccata ignorantiæ non habebant pro peccatis, idque ut facilius tuerentur perfectionem hominis in hac vita. Eo autem caussam suam tuebantur, quòd si natura etiam ignorans peccet, jam Deus sit auctor peccati, qui talem crearit naturam.

CÆlestius Definit. cap. VI *a*: *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm* (voluntatem) *eveniunt, sed secundùm necessitatem.* Item Critobulus apud Hieronymum lib. I. adversus Pelagianos *b*: *Rogo, quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus erratum non habet conscientia? Nescio, me peccâsse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo.* Cumque Atticus ad hoc refellendum magnam exemplorum copiam objecisset; sic initio libri sequentis respondit Critobulus: *His cunctis testimoniis videris hominum accusare naturam: ac per hoc invidiam referre in Deum, si tales homines condidit, ut oblivione & ignorantia peccato carere non possint. Ex quo perspicuum est, hominem posse, si voluerit, non peccare. Id enim fecit, quod vitare non potuit. Ubi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium. Nemo enim in eo condemnatur, quod facere non potuit.*

a Apud August. lib. de gestis Palest. c.18.

b P.275.

ANTI-

ANTITHESIS III.

At vero esse quadam ignorantia delicta, comprobabant Catholici ex Num. XV. 27. 28. Si anima nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: & deprecabitur pro eâ sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino. *Jes.* V. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. *Joh.* XVI. 2. Movebunt vos synagogis: imò veniet tempus, cùm quisquis vos interemerit, putet, se cultum præstare Deo. *Et Act.* III. 17. Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis. *Et* I *ad Cor.* II. 13. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Et* I. *ad Tim.* I. 13. Misericordiam à Domino consecutus sum, quoniam ignorans feci in incredulitate.

Hieronymus dial. contra Pel. lib. I. ingenti testimoniorum sylvâ ostendit, ignorantiæ delicta à Deo puniri. Idem lib. II: *Pro oblivione, errore, & ignorantiâ, quasi pro peccato offeruntur sacrificia. Deus precepit; meum est observare quod jussit.* Et mox: *Tantis exemplis docere te volui, peccare hominem per ignorantiam, & pro peccato ut in lege hostiam, ita & in Evangelio offerendam pænitudinem.* Et quia quæ allata erant exempla, Veteris erant Testamenti; iccircò è Novo superaddit locum Apostoli ad Rom. VII: *Consentio legi Dei juxta interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Similiter Augustinus lib. III. de lib. arbitr. cap. XVIII: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur: & corrigenda judicantur, sicut in divinis autoritatibus legimus.* Quæ verba etiam citat lib. de nat. & gratiâ contra Pelagium cap. LXVII. atque addit: *Hoc iste* (Pelagius) *si sentiret, atque in suis literis poneret, nulla inter nos de hac re controversia remaneret.* Idem lib. de gestis Palæstinis, cap. XVIII. Cœlestium eo refellit, quia *David dicat, delicta juventutis meæ ne memineris & ignorantias: & quod in lege sacrificia pro ignorantiâ, sicut pro peccato, offerantur.* a P. 731. Orosius de arbitrii libert. a *Infelix ego homo, delicta, quæ nondum intelligo, quando vitabo?* b P. 732. Et mox b: *Petro ingeritur; Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Apostolus diligendo electus est, diligendo confusus, habens pro nimio amore peccatum. Siquidem annunciantis de passione suâ Domino, amoris impatientia dixerit, Propitius tibi esto, Domine, non erit istud tibi. O miseria miserorum! Si Petrus in aliquo, Christum amando, peccavit, delicta quis intelligit?* Nempe sæpe nobis in vitiis nostris palpamus, sive quòd vera rerum discrimina nesciamus: sive quia non eâ curâ in nos ipsos descendamus, quâ oportebat. Quisquis ergò humiliter Deo servire cupit; Davidicum illud, ad quod Orosius respicit, identidem c Psal. 19. Domino dicat c, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.*

Omnis verò hæc disputatio veterum de ignorantiæ peccatis, plurimùm accipit lucis ex distinctione ignorantiæ multiplicis. Est enim ignorantia alia negationis, quâ negatur scientia, nec ponitur sciendi aptitudo, ut in infantibus: alia privationis, quæ aptitudinem sciendi ponit; ut in rudibus: alia pravæ dispositionis; ut in errantibus. Privationis ignorantia vel bona est, cùm ignorantur, quæ nescire expedit; ut quæ si sciantur, ad peccandum allicere possint: vel mala est, cùm ignorantur, quæ scire oportet, sive illa ad beatitudinem, sive ad officium nostrum pertinent: vel nec bona est, nec mala; ut ignorantia eorum, quæ nostra nihil interest scire. Ignorantia mala distinguitur, vel ex parte rei ignoratæ, vel ex parte actus, vel ex parte ignorantis. Ex parte rei ignoratæ, vel est juris, vel facti. Ex parte actus est vel antecedens, vel consequens, vel concomitans. Concomitans non est causa effectus, sed per accidens illi conjungitur: ut si hominem occidas, quem cervum esse putes. Quæ cædes secundùm se nec voluntaria est, nec involuntaria: eoque quâ talis, nec accusat, nec excusat. Quà talis, inquam, quia si gaudium ex cæde consequatur, (ut si inimicum occidens) jam voluntaria & damnabilis est; non secundùm se, sed ratione conjuncti affectus & voluntatis. Antecedens verò & consequens, causa sunt effectus. Differunt, quia antecedens involuntaria est. Diciturque antecedens, quia omnem voluntatis actum prævenit: ut si sufficienti adhibitâ diligentiâ eum, quem adesse nescias, occidas, minimè alioqui occisurus. Consequens verò est voluntaria, non secundùm se, sed interpretativè; quia actum voluntatis consequitur: ut si eo ignores, quia non adhibueris operam, ut scires, quam debebas. Denique ex parte ignorantis vel est affectata, vel non affectata. Affectata, ut cùm quis studet nescire, quo liberiùs peccet, conscientiâ non repugnante: quæ ignorantia magis accusat, quia ex intentione peccandi provenit. Non affectata est, quæ provenit ex negligentia discendi illa, quæ sciri debebant; pro cujus negligentiæ gradibus, magis minusve damnabilis est. Nam gravior est, quæ ex supina & crassa; minor, quæ ex levi, vel etiam levissima provenit negligentia; quæ in tantum minuit peccatum, in quantum minuit voluntatem. Vide de his Thomam in 1. 2. quæst. 6. & 76. Prieriatem in summa Tit. Ignorantia. Gregor. Valentianum T. 2. Com. Theol. Disp. II. quæst. 1. Punct. VI. Fr. Suarez de legibus lib. V. cap. XII. atque alios.

THESIS IV.

Quamquam vero Pelagianorum sententia esset, perfectè aliquos obedire legi divinæ: quemadmodum ex iis clarum est, quæ diximus: plurimum tamen, cum ad certamen veniretur, non de ESSE, *sed de* POSSE, *movere se controversiam dicebant. Ergo sententiam suam esse aiebant, posse hominem legem perfectè implere, & facilè posse.*

Pelagius lib. de naturâ a: *Aliud est quærere, an possit aliquid esse, quod ad solam possibilitatem pertinet: aliud, utrumne sit. Nos de solâ possibilitate tractamus; de quâ nisi quid certum constiterit, transgredi ad aliud, gravissimum atque extra ordinem ducimus. Idem iterum repeto; Ego dico, posse esse hominem sine peccato: tu quid dicis? non posse esse hominem sine peccato. Neque ego dico, hominem esse sine peccato: neque tu dicis, non esse hominem sine peccato. De posse & non posse; non de esse & non esse contendimus. Nam nullus mundus est à sorde; & non est homo, qui non peccet: & non est justus in terrâ: & non est qui faciat bonum: & cætera his similia, ad non esse, non ad non posse proficiunt. Hujusmodi enim exemplis ostenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint, non quòd aliud esse non potuerint; unde & jure inveniuntur esse culpabiles.* Critobulus Pelagianus apud Hieronymum lib. I. Dial. adversus Pelagianos: *Hoc solum dico, hominem sine peccato posse esse, si velit.* Quærit deinde Atticus Catholicus: *Quomodo, cum velim, & satis cupiam non peccare, delinquo?* Respondet Critobulus: *Quia voluntas imperfecta est: si enim vere velles, utique non peccares.* Huic aliquanto pòst respondet Atticus: *Da ergo, qui majorum nostrorum plene voluerint, & potuerint* (esse sine peccato.) Respondet Critobulus: *Hoc quidem non facile est ostendere: neque enim quando dico, hominem posse esse sine peccato, si velit, aliquos fuisse contendo: sed simpliciter, posse esse, si velit. Aliud namque est, esse posse, quod Græce dicitur δύναμις: aliud est, esse; quod ipsi appellant ἐνέργειαν.* Hanc Pelagianorum sententiam expressit Prosper Carm. de Ingratis cap. IX:

a Apud August. lib. de nat. & grat. c. 7.

Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua.

Catholicis verò ἀδυναμίας hujus caussam referentibus in carnem, quam in hac vita nobiscum circumgestamus, Pelagius ita philosophabatur: Aut caro, inquiebat, veterem hominem notat: aut carnis substantiam. Sed neutro modo caussa est peccati. Nam vetus homo in regenitis interemtus est per Baptismum. Carnis autem substantia, cùm à Deo sit, nonnisi bona esse potest. Quod autem bonum est, mali caussa non est. Audiamus ipsum lib. De naturâ a: *Sed caro nobis, secundum Apostolum, contraria est, inquies. Qui fieri potest, ut cuicumque baptizato sit caro contraria, cum, secundum eundem Apostolum, in carne non esse intelligatur? Ita enim ait, Vos autem in carne non estis. Quis fecit hominis spiritum? sine dubio Deus. Carnem quis creavit? idem, credo, Deus. Bonus est, qui utrumque creavit Deus? nulli dubium est. Et utrumque, quod bonus auctor creavit, bonum est? confitendum est. Si igitur & spiritus bonus, & caro bona, & à bono auctore condita, qui fieri potest, ut duo bona sibi invicem possint esse contraria?*

a Apud August. lib. De nat. & grat. c. 44.

Neque illud solùm Pelagius dicebat, posse hominem esse sine peccato, sed etiam facile posse. Verba ejus sunt Libro Testimoniorum, sive De actuali conversatione Tit. C. b *Posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facile custodire.* Idem testatur Orosius apolog. De arbitr. libert. c *Pelagius mihi dixit, docere se, hominem posse esse sine peccato, & mandata Dei facile custodire, si velit. Respondit Pelagius audientibus nobis: Hoc & dixisse me, & dicere, negare non possum.* Aliquanto pòst d: *Asseris nunc, Potest homo sine peccato esse cum Dei adjutorio: quanquam in libro tuo, quem Testimoniorum titulatione signasti, hac ipsa sententia hoc modo conscripta sit, Posse hominem sine peccato esse, & facile Dei mandata custodire, si velit. Nulla ibi gratia Dei, nullum adjutorium nominatum est.* Etiam Augustinus cap. xxx. lib. De gestis Palæstinis scribit, venisse in manus suas literas, quibus inter cætera Pelagius diceret: *Quatuordecim Episcoporum sententiâ definitio nostra comprobata est, quâ diximus, posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facile custodire.* Objicientibus verò Catholicis ea Scripturarum loca, quibus mortales omnes injustitiæ arguuntur, hunc se ictum exire Pelagiani putabant, Orosio e teste, si dicerent, *Hujusmodi exemplis ostenditur, quales homines* QUIDAM TEMPORE ALIQUO *fuerint: non quòd aliud esse non potuerint. Unde & jure inveniuntur esse culpabiles.* Quod Pelagium scripsisse lib. De naturâ, antea ex Augustino vidimus.

b Apud Hieron. lib. 1. Dial. adv. Pelag. p. 274. & lib. 2. p. 285.
c P. 687. edit. Col. 1582.
d P. 707.
e De arb. lib. pag. 762.

ANTITHESIS IV.

Respondebant Catholici, si facilè homo posset implere Legem, inveniri etiam aliquos posse, qui eam præstitissent: Si nullum, qui id fecerit, invenire sit, præter unum ἀναμάρτητον Iesum Christum, falsò hominem tantas sibi vires arrogare in hac vita. Negabant etiam, satis ista consentanea esse, facilè aliquid fieri, & adlaborandum esse ut fiat. Præterea, inquiebant, si facile adeo nobis est Legem Dei præstare, quid auxilium Dei imploramus?

Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos a: *Asseris, posse hominem sine peccato esse, & ut hoc verum dixisse videaris, statim adjungis, & Dei mandata facilè custodire, si velit; quæ aut rarus, aut nullus implevit. Si enim facilia sunt, debent à pluribus custodiri. Si autem, ut concedamus tibi, rarus quisquam ea implere potest; manifestum est, esse difficile, quod rarum est.* Idem lib. 11 b: *Non quod impossibilia Deus præceperit, sed ut tantum patientiæ culmen ascendit, ut propè impossibilia præ difficultate nimiâ præcepisse videatur; ad destruendam sententiam tuam, quâ scribis, facilia esse Dei mandata:* Etiam Augustinus, lib. De gestis Palæstinis, cap. xxx. cùm dixisset, in manus suas venisse literas, quibus Palæstina Synodus probasse diceretur Pelagii sententiam, dicentis, *posse hominem Dei mandata facile custodire, si velit*: negat, de facilitate in eâ Synodo controversiam fuisse. *Illi*, inquit, *qui objecerunt, nescio quâ incuriâ minus posuerunt, de quo non parva est controversia. Posuerunt enim, eum dixisse, posse hominem, si velit, esse sine peccato: de facilitate nihil est dictum.* Posteà etiam addit, hanc sententiam adversari iis, quæ eâ in Synodo dixerat Joannes Hierosolymitanus, atque adeò ipsius Pelagii confessioni: *Quomodo*, inquit, *etiam ipsi defensioni & responsioni Pelagii non est hoc verbum contrarium; cum & episcopus Ioannes, sic eum apud se respondisse, dixerit, ut eum vellet intelligi posse non peccare, qui voluerit pro salute suâ laborare & agonizare; & ipse, in gestis agens, seque defendens, proprio labore & Dei gratiâ dixerit hominem posse esse sine peccato. Quomodo ergò facilè fit, si laboratur, ut fiat? Puto enim, omnem sensum hominum nobiscum agnoscere, quod, ubi labor est, facilitas non est.* Etiam ἀντιλογίαν in istis Pelagii verbis notabat Orosius: quia si facilè possumus, frustra auxilium Dei imploramus, frustra item auxiliatur nobis Deus. Verba Orosii ἀντιθέσει sequenti referemus. Nec tantùm eo argumento jugulati putabant Pelagii sententiam, si facilè nos posse diceret; sed etiam, si ἁπλῶς diceret & per se hominem posse. Pugnat hoc argumento adversus Serapionem Ægyptium Arnobius Junior, Conflictus sive Altercationis suæ lib. 11. penè extremo. ubi sic loquitur: *Miserum te confitere; ut misericordiam consequaris: ad quam rem audi clamantem Apostolum, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Collige ergò rationem, & vide, quia, si potes sine peccato esse, miserum te esse confiteri non poteris; & cum miserum te confiteris, à misericordiâ Dei te suspendis. Et aut potes te ipsum à peccato ita suspendere, ut à prohibitis possis viribus tuis abstinere, & miser non sis. Si verò miserum te scis, & non possis a simpliciter confiteri, rectè à Deo misericordiam consequi poteris. Nam etsi habere te aliquid fortè existimare valeas, & docere, clamat ad te Apostolus: Quid enim habes, quod non accepisti? aut si accepisti, quid gloriaris, ac si non accepisses? Deinde, quomodo potes Salvatorem tuum Dominum credere, nisi te infirmum agnoscas? aut quomodo potes adjutorium Dei, & adminiculum postulare, nisi te non posse sine ejus adjutorio bonum implere credas, quod cupias, & malum declinare, quod fugias? Unde unum è duobus est. Permitte te dare responsum: ut aut miserum te fatearis, aut fortem, aut infirmum, aut sanum; ut audias vocem Domini dicentis: Non indigent, qui sunt sani, medico. Unde & Propheta clamat: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me: sed dextra tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Unum è duobus, aut potes te abstinere ab omni peccato, aut non potes. Si potes, adjutorio non indiges: Potes enim. Si non potes, rectè auxilium quæris.*

a P. 274. edit Bas. 1553.
b P. 285.
a Scribe, & possis, deletâ particulâ negante.

THESIS V.

Quia verò videbat Pelagius, quantopere offenderentur Catholici, eo quòd diceret, facile nos posse Legem implere: ferè contentus erat dicere, posse nos præstare Legem. Etiam quia gratiam Dei exclusisse credebatur, cùm ἁπλῶς diceret, posse nos esse sine peccato, dicere cœpit, per Dei gratiam posse nos esse sine peccato.

UT Pelagius, cùm dixisset priùs, facilè hominem Legem implere posse, postea facilitatis verbum ferè præ-

præterierit: ostendunt, quæ narrat Augustinus lib. De gestis Palæstinis cap. xxx. Ibidem refert, ut, cùm ἁπλῶς antea dixisset posse hominem esse sine peccato; postea dixerit, *proprio labore, & Dei gratiâ posse.* Etiam Oro-
a P. 707. edit. Col. 1582. sius in apologetico De arbitrii libertate a, cùm hæc citasset Pelagii verba ex ejus Testimoniorum libro: *Posse hominem sine peccato esse, & facile Legem Dei præstare:* mox addit, *Nulla ibi gratia, Dei nullum adjutorium nominatum est.* Ad quod disertè satis Pelagius respondet: *Non ideo negavi, quia non dixi; sed ideo dixisse accipiendus sum, quia non negavi. Quasi vero & Susanna ideo de adulterio confessa credenda sit, quia arguentibus aliis non negavit: aut testimonium falsorum testium Dominus Iesus, quia tacuit, approbavit. Quod si apud vos non negasse dixisse est, & tacuisse clamasse est: frustra David* b *postulat;*
b Psal. 140. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Frustra & ego, me non dixisse, in quo arguor, testibus & testificatione confirmo, si alter audire potuit, quod meus sermo non dixit.* Ibidem, sed aliquanto antè, sic loquitur Joannes Hierosolymitanus, qui
c P. 699. Pelagio addictior erat c: *Si sine adjutorio Dei hoc hominem posse diceret* (Pelagius;) *pessimum & damnabile erat. Nunc autem cum adjiciat, posse hominem esse sine peccato, non sine adjutorio Dei, vos quid dicitis? An fortè vos Dei adjutorium denegatis?* Habemus & hac de re ista Pelagii verba lib. De naturâ & gratiâ cap. xi *Potest quidem esse, sed per gratiam Dei, inquis.* AGO *humanitati tuæ gratias, quod assertionem, quam dudum oppugnabas, non modò non oppugnare, aut confiteri solùm contentus non es, verùm etiam non refugis comprobare. Nam dicere, Potest quidem, sed per illud aut illud: quid aliud est, quam non solum consentire, quod possit esse; verùm etiam, quomodo vel qualiter possit, ostendere. Nullus itaque magis alicujus rei possibilitatem probat, quàm qui ejus etiam qualitatem fatetur; quia neque absque re esse qualitas potest. Sed tu, inquies, hoc in loco Dei gratiam, quandoquidem eam non commemoras, videris abnuere. Egone abnuo, qui rem confitendo, confitear necesse est & per quod res effici potest? an tu qui rem negando, & quicquid illud est, per quod res dicitur, procul dubio negas? Sive per gratiam, sive per adjutorium, sive per misericordiam, & quicquid illud est, per quod esse homo absque peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam fatetur.* Hactenus Pelagius. Sed ecce versutiam hominis. Negat, possibilitatem esse à libero arbitrio. Quis non eum Catholicis consentire arbitretur? At longè alia illi mens erat. Nam eo negabat, possibilitatem esse à libertate animi, quia ipsa possibilitas non pendeat à voluntatis usu, sed à naturali gratiâ necessariò promanet. Hoc cognoscimus ex istis Pelagii verbis apud Augustinum, lib. De nat. & grat. cap. ii: *Nunc si dixero, homo disputare potest, avis volare, lepus currere, & non etiam, per quæ hæc effici possunt, commemoravero, id est, linguam, alas, pedes, num ego officiorum qualitates negavi, qui officia ipsa confessus sum?* Idem Pelagius apertiùs eodem libro sic loquitur: *Dicimus, cujusque rei possibilitatem, non tam in arbitrii humani potestate, quam naturæ necessitate consistere. Utputa quòd loqui possum, meum non est; quòd loquor, meum est, id est, propriæ voluntatis: & quia quòd loquor meum est, utrumque facere possum, id est, & loqui, & non loqui. Quia verò quod loqui possum, meum non est, id est, arbitrii mei atque voluntatis; necesse est, me semper loqui posse. Et si voluero non posse loqui, non possum tamen non posse loqui; nisi forte membrum illud adimam, quo loquendi impleri officium potest. Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur. Hoc & de auditu, odoratu, vel visu sentire possibile est, quod audire, odorari, videre, potestatis nostræ sit; posse verò audire, vel odorari, vel videre, potestatis nostræ non sit, sed in naturali necessitate consistat. Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est, quod non peccare nostrum sit; posse vero non peccare, non nostrum. Quia non peccare nostrum est, possumus peccare, & non peccare.* Hæc Pelagius apud Augustinum lib. De nat. & grat. cap. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. & XLIX.

ANTITHESIS V.

Sed neque sic Catholicis satisfiebat. Primùm ostendebant, fraudem subesse in gratiæ vocabulo, quo aliter uteretur Pelagius, quàm Catholici. Deinde negabant, ullum sanctorum illorum, qui à pietate in ipsis celebrantur Scripturis, eam gratiæ mensuram habuisse, ut absque omni omnino peccato decurrere potuerit omnem vitam: & quia Pelagiani contrarium statuerent, ex eorum sententiâ consequi dicebant, potuisse hominem salvari per Legem, eoque necessarium non fuisse, ut Christus pro nobis pateretur. Quam blasphemiam, Christianorum aures meritò aversabantur. Etiam Pelagianos, aiebant, se Christo æquiparare, qui solus tantas habuerit vires, ut hanc vitam vivere potuerit absque ullo peccato. Cæterùm si Pelagius, Catholicorum more, gratiæ vocabulum intelligeret, & hoc solùm se velle diceret, non quidem à nativitate ipsâ posse hominem vivere sine peccato; sed à conversione suâ, vel statim, vel paullatim, ad tantam posse perfectionem pervenire, ut sine peccato vivere semper valeat: Catholicorum non pauci (nec enim constantes in eo sententia eorum fuerunt) sic quoque erraturum Pelagium dicebant: sed tamen tolerabilem fore hunc errorem: partim quia idem senserint aliqui doctores Ecclesiæ: partim quia non admodum periculosum videatur, putare, illud hominem posse, quod praeclarum est velle.

CUm Pelagius diceret, posse hominem per gratiam vivere sine peccato, simplicioribus quidem caussam suam probare cœpit; sed intelligentiores viderunt, ut ambiguo gratiæ vocabulo invidiam declinaret, sententiam verò non mutaret. Quippe qui possibilitatem gratiæ quidem tribueret; sed creatrici, quæ in naturâ conspicitur. Hinc Augustinus cap. LI. libri De naturâ: *Ut declinetur invidia, quâ Christiani etiam pro salute sua clamant, & dicunt, Quare sine adjutorio gratiæ Dei dicis hominem posse non peccare? Ipsa, inquit, non peccandi possibilitas non tam in arbitrii potestate, quàm in naturæ necessitate est.* Quod verissimè ab Augustino dici, ostendunt Pelagii verba, quæ ex eodem Augustini libro paullo antè citabamus. Sed etiam cùm creatrici seu naturali gratiæ supernaturalem sociaret; hanc aliam tamen intelligebat, quàm quæ faceret, ut sciremus; non item quæ juvaret, ut faceremus. Unde fiebat, ut si Catholici, Catholico more, gratiæ vocabulum in Pelagio capere vellent, manifestam in eo ἀντιλογίαν invenirent. Quod non uno loco ei exprobrat Augustinus: ut lib. III. ostendimus. Idemque ex Orosio cognoscimus: apud quem lib. De arbitr. libertate Pelagius ait a, *Potest homo esse sine pec-* a P. 707.
cato: tamen cum Dei adjutorio. Respondet Orosius b: b P. 734.
Quid faciam? Tolerabo interim pannum novum vestimento veteri colligatum, donec EMENDATIONIS MISERÆ FALSITATEM *pejor scissura patefaciat. Concedo enim, ut, cùm dixerit, potest homo si velit, dixisse videatur, potest homo cum adjutorio Dei.* Similiter
eodem libro c antea dixerat: *Concedo ut, quod nequaquam* c P. 708.
dixeris, pro dicto accipiendum putes. Quid agimus ex eo, quod invenientes ex sensu diversitatem sermonis, juncturis discordibus non cohærent: quod ipsa quoque pagina discrepantia in se verba non recipit? Nempe ἀντιλογίαν esse vult in istis Pelagii dictis; quia si per se homo possit, & facilè possit, gratiâ Spiritus Sancti non indiget. Deinde addit: *Quid per fastidiosum tumorem, nauseantemque verecundiam, non necessarium tibi in ore tuo adjutorium Dei detines, qui facilia tibi cuncta arbitraris?*

Non est opus duobus in operatione, quod uni facile est: frustraque se gratia divinitatis interserit, ubi fatetur homo, quod facile possit, si velit. Et mox: *Dominum exprobras invidia, qui adjuncto adjutorio suo tenet adscribere, quod solus per voluntatem homo potuisset implere. Aut tolle homini, si* VELIT, *& gratiæ adscribe, quod possit: aut quia hominis tribuis posse cùm velit, remove* SIMULATAM GRATIÆ PALPATAMQUE, *nec cohærentem* PARTICIPATIONEM. Plura hac de re diximus lib. III. cùm ageremus de necessitate gratiæ ad implendam Legem. Istius enim loci quæstio erat, quid homo sine gratiâ possit. Hic verò propriè in disquisitionem venit, utrùm in hac vitâ Legem implere valeamus, sive illud per naturæ, sive per gratiæ vires fiat.

Catholicorum de hoc sententia erat, nulli Deum in tantum gratiam suam fuisse admensum, ut potuerit, vel possit per omnem vitam vivere absque omni peccato. Hæc tam eorum opinio est, qui ante Pelagium, quàm qui ejus ætate, vel postea vixerunt. Quod ita esse, hæc veterum testimonia evincunt.

Lactantius lib. VI. Institut. cap. XIII: *Eo accedit, quòd nemo esse sine delicto potest, quamdiu carnis indumento oneratus est: cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus,* &c. Et mox: *Itaque etiam justi homines, qui frenare se possunt ab omni opere injusto, nonnunquam tamen ipsâ fragilitate vincuntur; ut vel in irâ malum dicant; vel in adspectu rerum delectabilium cogitatione tacitâ concupiscant. Quodsi mortalis conditio non patitur, esse hominem ab omni macula purum; debent ergo largitione perpetuâ peccata carnis aboleri.*

Scriptor commentariorum in epistolas Pauli, qui Ambrosio adscribuntur, in cap. III. ad Gal. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, ut faciat ea. Hoc scriptum est in Deuteronomio, quia si quid legis præterisset aliquis, maledictus haberetur; & tanta mandata sunt, ut impossibile sit servari ea. Unde & Petrus Apostolus in Actis Apostolorum ait: Quid imponitis jugum fratribus, quod neque Patres nostri, neque nos potuimus portare?*

Hieronymus libro I. commentario in epist. ad Galatas cap. III: *Quoniam nemo possit explere legem, & cuncta facere quæ jussa sunt, & alibi testatur Apostolus, dicens: Quod enim erat impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato condemnavit peccatum in carne.* Item Dialogorum adversus Pelag. extremo lib. II: *Quamdiu ille finis adveniat, & corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato; non naturæ & conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate & commutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur, quia*
* P. 196. *Deus solus est immutabilis.* Item lib. III a: *Hoc & nos dicimus, posse hominem non peccare si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporeâ, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in citharâ. Quodsi paullulum se remiserit, quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retro labitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur: sic humana conditio, si paullulum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit.* Vide eundem lib. VI. commentar. in Hierem. cap. XXX.

Augustinus de tempore serm. XLIX: *Hoc ergò dicit, legem implere, hoc est, non concupiscere. Quis ergo hoc qui vivit, potest? Adjuvat nos Psalmus, qui modo cantatus est: Exaudi me Domine in tuâ justitia, hoc est, non in meâ.*

Sedulius in cap. VII. ad Rom. *Lex spiritualis est. Quia spiritualia mandat, ardua præcepit opera spiritus, prohibens peccata:* & *ideo non potest impleri.*

Gregorius M. lib. XXI. Moral. cap. IX: *Hoc distat inter peccatum & crimen, quod omne crimen peccatum est; non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac vitâ* MULTI SINE CRIMINE, *nullus vero esse sine peccatis valet.* Quod vocum discrimen mox explicans adjungit: *In quâ peccatorum & criminum distinctione pensandum est, quòd nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina exstinguunt.*

Synodus Francofurtensis Carolo Magno præsidente lib. I. cap. XV: *Deus jugum legis homini imponit: homo ferre non valet.*

Duplex verò blasphemia Pelagianæ inesse sententiæ à Catholicis dicebatur. Una erat, quod, si absque peccato vivere possumus, per legem salvari possimus: at hoc si est, absque Christi redemtione salus obtingere potest. Multa veterum testimonia de hoc argumento adduximus lib. III. cùm ageremus de necessitate gratiæ ad implendam legem. Ea hic quoque locum habent. Nec enim hæc solum veterum opinio erat, Christum gratis mortuum esse, si naturæ viribus legem præstare possumus: sed idem consequi putabant, si per illam gratiæ mensuram, quam Deus admetitur in hac vitâ, sine peccato perpetuò vivi potest. Quod ita esse, satis ostendunt exempla sanctorum, de quibus inter Pelagianos & Catholicos disputabatur. At hanc blasphemiam, ut Nestorianis Pelagiani, ita Pelagianis præiverunt Ebionitæ: ut testatur Cassianus lib. I. de Incarnat. Christi contra Nestorianos. Ubi cùm de Ebionitarum hæresi dixisset, ista subjungit: *Peculiare ac proprium supra dictæ illius hæreseos, quæ ex Pelagiano errore descenderat, fuit; quod dicentes quidam, solitarium hominem Jesum Christum sine ullius peccati contagione vixisse, eò progressi sunt, ut assererent, homines, si velint, sine peccato esse posse.* Et mox: *Quo factum est, ut in majorem quoque ac monstrosiorem insaniam prorumpentes, dicerent, Dominum nostrum Jesum Christum hunc in mundum, non ad præstandam humano generi redemtionem, sed ad præbenda bonorum actuum exempla, venisse; videlicet, ut disciplinam ejus sequentes homines, dum per eandem viam virtutis incederent, ad eadem virtutum præmia pervenirent; evacuantes, quantum in ipsis fuit, omnem divinæ redemptionis gratiam; cùm idem dicerent homines consequi posse vivendo, quod præstitisset Deus pro humanâ salute moriendo.* Et paullo pòst: *Unde advertis novus nunc jam non novæ hæreseos auctor, qui Dominum Salvatoremque nostrum solitarium hominem natum esse contendit, idem se omnino dicere, quod Pelagianista antè dixerunt, & consequens errori suo esse, ut qui utique sine peccato solitarium hominem Jesum Christum vixisse asserit, omnes quoque per se homines sine peccato posse esse blasphemet: nec necessariam quoque, exemplo illius, dicant redemtionem Domini fuisse; cùm ad cæleste regnum suo tantum homines nisu, ut aiunt, valeant pervenire.* Satis apertè ostendit his Cassianus: ex Pelagii sententia, non fuisse necessarium, ut Christus pateretur. In quo Pelagio nihil affingit: uti fatebitur non invitus, qui sciat, tria illum in salutis negotio spectasse. Primùm scientiam doctrinæ, secundùm quam vivere oportet: deinde, si quis peccasset, pœnitentiam ad impetrandam remissionem delictorum à misericordiâ divinâ: denique post conversionem à peccatis, sanctimoniam ad consequendam beatitudinem æternam. Hæc sic se habere dicebat, tam in justis Veteris Testamenti, quàm Novi. Sed sanctos Novi Testamenti aiebat tria hæc habere illustrius, eoque facilius eos salutem consequi, idque per gratiam Jesu Christi. Quam pro tribus istis tripartitam statuebat. Nam & doctorem hos præstantiorem nactos esse, ipsum Filium Dei: &, si peccent, peccata eorum expiari, non per victimas, sed per sanguinem Christi: & ad sanctimoniam præire illis Christum exemplo suo. Quæ tria hisce verbis complexus est ipse Pelagius, epist. ad Demetriadem: *Si etiam ante legem, & multo ante Domini nostri Salvatoris adventum, justè quidem vixisse & sanctè referuntur: quanto magis post adventum ejus nos id posse credendum*

est,

est, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine ejus expiati atque mundati, illiusque exemplo ad perfectam justitiam incitati, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuerunt, meliores etiam quam fuerunt sub lege?

Alteram quoque blasphemiam ex Pelagii dogmate Catholici colligebant. Ea erat, quod merum hominem æquipararet Deo, vel Christo θεανθρώπῳ, cui uni è mortalibus gratiam istac mensurâ admensus Deus fuit, ut vivere perpetuò posset omnis expers delicti. Urget hoc adversus Pelagium Orosius *a*: cui ad illud Pelagius respondet *b*: *Egone me servus comparare audeam Domino meo? Egone mortis obnoxius dici debeam victori mortis æqualis?* Huic sic Orosius occurrit: *Humiliaris in verbis; sed aliter sensus tuus clamat in paginis. Dicis, hominem posse esse sine peccato. Iterum ac sæpius repeto. Homo, qui hoc potest, Christus est. Aut præsume nomen, aut depone fiduciam. Deus illud* UNI TANTUM *donavit, & hoc* NON NISI PRIMOGENITO *in fratribus.*

a Apolog. pag. 715.
b P. 717.

Hujusmodi cùm ex Pelagianorum sententiâ consequi Catholici putarint, quid mirum, si Hieronymus de iis sic scribat epist. ad Ctesiphontem: *Pudeat eos principum & sociorum suorum, qui ajunt, posse hominem sine peccato esse, si velit, quod Græci dicunt ἀναμάρτητον. Et quia hoc Ecclesiarum per Orientem aures ferre non possunt: simulant, se, sine peccato quidem, dicere, sed ἀναμάρτητον dicere non audere; quasi aliud sit sine peccato, aliud ἀναμάρτητον, & non Græcum sermonem, qui apud illos compositus est, duobus verbis sermo Latinus expresserit. Si absque peccato dicis, & ἀναμάρτητον dicere te diffiteris: damna ergo eos qui ἀναμάρτητον prædicant. Sed non facis.* Neque tamen existimari debet, Pelagianis fuisse istiusmodi cucurbitarum capita, ut cùm Latinum admitterent, Græcum ejusdem potestatis vocabulum reformidarent sine caussâ. Nam nec iis, qui operam sermonis Græcanici adhibuerunt, ignorabile est, voce hac nunc habitum, nunc actum denotari: hoc est, nunc signari eum, qui peccare non possit; nunc illum, qui non peccârit. Priori modo Adam ante lapsum ἀναμάρτητος fuit: posteriori modo nec ipsa Maria ἀναμάρτητος fit, sed solus Christus: ut hîc ait Hieronymus. At nequaquam illud dicebant Pelagiani, non posse hominem peccare; sed solùm volebant, posse hominem non peccare. Neque non vidit hoc discrimen doctissimus Hieronymus: sed nihil isthoc Pelagium juvare putabat: quia si homo absque peccato esse posset, inventus foret aliquis, qui fuerit sine peccato. Tantumdem igitur Hieronymo valent, posse homines esse absque peccato, & inventos esse aliquos sine peccato. Atque inde est, quòd sic loquentem inducit Atticum lib. I. Dialog. advers. Pelagium *c*: *Sine peccato esse perpetuò, divinæ solùm est potestatis. Itaque aut da exemplum, qui absque peccato fuerint in perpetuum; aut si dare non potes, confitere imbecillitatem tuam, & noli ponere in cælum os tuum, ut per* ESSE & ESSE POSSE *stultorum illudas auribus. Quis enim tibi concedet, posse hominem facere, quod nullus unquam hominum potuerit?* Hæsitante hîc Critobulo, instat Atticus: *Aut quod potest fieri, aliquando factum est; aut si nunquam factum est, fieri non posse concede.* Idem eopse libro: *Esse posse, ajo te dicere, quod esse non possit. Hoc enim, quod proposuisti, posse hominem sine peccato esse, si velit, aut verum est, aut falsum est. Si verum est, ostende qui fuerit. Si falsum, quicquid falsum est, nunquam fieri potest.* Fundamentum verò hujus collectionis habemus apud Orosium libro antè citato, ubi Ecclesiastici hoc adfert: *Nihil sub sole novum. nec valet quisquam dicere, hoc recens est. Jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.* Subjicit deinde Orosius: *Et novorum dogmatum instructor affirmat, Potest fieri, quod nunquam factum est. Non requiras, utrùm fuerit, quod posse esse non ambigis.*

c P. 263.

Non tamen omnes de potentiâ controversari cum Pelagio volebant. Augustinus lib. II. De meritis & remiss. c. VI. *His atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum; nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse; nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse; ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus à Deo.* Nempe sentiebat, ut lib. De Spiritu & Liter. cap. I. fatetur: *fieri posse, ut sit homo sine peccato, si voluntas ei non desit, ope divinâ adjuvante: sed tamen præter unum, in quo omnes vivificabuntur, neminem fuisse, vel fore, in quo hic viventi esset ista perfectio.* Absurdum videbatur Marcellino, *dici aliquid fieri posse, cujus desit exemplum.* Hac occasione ad eum scripsit Augustinus librum De Spiritu & Literâ. cujus initio ostendit, multa esse, quæ fieri possint, nec unquam facta futurave sint. Unde cognoscimus, falli Bellarminum lib. IV. De justificatione cap. XI. cùm scribit: *Istæ quæstiones, utrum præcepta servari possint, & an possit homo vivere absque peccato, adeo diversæ sunt, ut ad priorem semper Augustinus responderit affirmando: ad posteriorem responderit semper negando.* Nam repugnant his, quæ de potentiâ per gratiam absque peccato vivendi ex Augustino adduximus. Et quid mirum, si ita senserit, qui ejusdem libri capite proximo; à potentiâ ad actum progressus, nec periculose credit errari, si statuamus, aliquos à conversione suâ, per gratiam Dei, sine peccato vixisse? Etiam quinque episcopi Africani, (Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius & Possidius) epist. ad Innocentium, fatentur esse viros Catholicos, quibus non videretur à veritate alienum, esse qui per gratiam Legem Dei præstare valeant in hac vita: atque hos, si errent, tolerabiliùs sane errare dicunt, quàm Pelagium, qui id viribus liberi arbitrii fieri posse ajebat. Verba eorum sunt: *Diligentius hoc pertractandum, propter alios quosdam, qui senserunt, atque in suis literis memoriæ mandaverunt, etiam in hac vitâ esse posse homines sine peccato, non ab initio nativitatis suæ, sed conversione à peccatis ad justitiam, & à vitâ reprobâ ad bonam vitam.* Postea subjungit: *Sed quoquo modo se habeat ista quæstio; tolerabiliter in id quisque fallitur: nec diabolica impietas, sed error humanus est, elaboranda & optanda affirmare, etiamsi, quod affirmat, non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certè laudabile est velle.* Istis continuò subjicit: *Nobis autem* SUFFICIT, *quòd nullus in Ecclesiâ Dei fidelium reperitur in quolibet profectu, excellentiâ atque justitiâ, qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita nostra: & dicat, se non habere peccatum, ne se ipsum decipiat, & veritas in eo non sit, quamvis jam sine querelâ vivat. Non enim qualecunque etiam tentationis humana, sed grave peccatum est, quod in querelam venit.* Videmus ut segregent quæstionem illam, quid homo possit, & sufficere sibi dicant, quòd etsi aliqui sine querelâ vivant, tamen neminem inveniri sit in Ecclesiâ, quem non conscientia adigat, ut quotidie oret remissionem peccatorum: quod actualem eorum imperfectionem apertè indicat.

Quamquam verò existimare aliquis possit, δὶς διὰ πασῶν differre Augustini & Africanorum Patrum sententiam ab illâ Hieronymi & Orosii: tamen non difficulter conciliari mihi posse videntur. Nam Patres, qui ajunt, posse aliquem eò usque pervenire, ut servet totam legem, Deumque ex totâ animâ, & omnibus viribus diligat; hi considerant Legem non rigidè, sed κατ' ἐπιείκειαν, pro viribus, quas habemus in hac vita, κατὰ μέτρον δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ, ut loquitur Apostolus. Hoc pacto ex omnibus viribus nostris possimus obedire Deo, quia manifesta esset ἀλογία, non posse nos aliquid pro viribus præstare. Vel etiam, cùm sine peccato omnes vivere dicunt, illud solùm peccati nomine intelligunt; quod vulgi judicio peccatum censetur: quomodo sine peccato vivunt, qui sine querelâ vivere dicuntur in Scripturis. At qui contrà docent, nec sanctissimos longo tempore obedire posse Legi divinæ, hi Legem considerant κατ' ἀκρίβειαν, ut etiam in peccatorum veniat censum omnis concupiscentiæ titillatio cum levi assensu, & quicquid minus est quam omnimoda

ſpiritualis vitæ perfectio requirit. Hæc ita eſſe, non obſcurè oſtendunt, quæ antitheſi ſecundâ ex Auguſtino adducebamus.

Thesis VI.

Poſſe verò hominem vivere ſine peccato, ex potiſſimùm argumento Pelagiani probabant, quod divinæ repugnet juſtitiæ, ferre legem, quam nemo valeat præſtare.

VUlgare dictum eſt, Ad impoſſibile neminem obligari. Unde Pelagius concludebat, ſi Deus dicatur leges præſcribere, quas implere humana non poſſit infirmitas: vel ignorare eum quid poſſimus: vel iniquè exigere, quod exequi non poſſumus. Audiamus ipſum epiſt. ad Demetriadem *a*: *Duplici ignorantiâ accuſamus Deum: inſcientiæ* b, *ut videatur neſcire, quod fecit, neſcire quod juſſit: quaſi oblitus fragilitatis humanæ, cujus autor ipſe eſt, impoſuerit homini mandata, quæ ferre non poſſit. Simulque (prò nefas) adſcribimus iniquitatem juſto, pio crudelitatem; dum eum primò impoſſibile aliquid præcepiſſe conquerimur: deinde pro his damnandum putamus hominem ab eo, quæ vitare non potuit: ut (quod etiam ſuſpicari ſacrilegium eſt) videatur Deus, non tam ſalutem noſtram quæſiſſe, quàm pœnam. Itaque Apoſtolus, ſciens, à Domino juſtitiæ ac majeſtatis nihil impoſſibile eſſe præceptum, aufert à nobis vitium murmurandi; quod tunc utique naſci ſolet, cùm aut iniqua ſunt quæ jubentur, aut jubentis minùs digna perſona eſt. Quid tergiverſamur incaſſum? Nemo magis novit menſuram virium noſtrarum, quàm qui ipſas vires nobis dedit. Nec quiſquam melius, quantum poſſimus, intelligit, quàm qui ipſam virtutem nobis, poſſe, donavit: nec impoſſibile aliquid voluit imperare, qui juſtus eſt: nec damnaturus hominem fuit, pro eo quod vitare non potuit, qui pius eſt.* Quæ poſtrema verba etiam Beda citat lib. 1. in Cant. *c*. Idem Pelagius epiſt. ad Demetriadem *d*, item apud Oroſium in Apologetico: *Hujuſmodi exemplis oſtenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint, non quòd aliud eſſe non potuerint. Unde & jure inveniuntur eſſe culpabiles. Nam ſi idcirco tales fuerunt, quia aliud eſſe non potuerunt, culpâ carent.* Critobulus Pelagianus apud Hieronymum lib. 1. adverſus Pelagianos: *Non dico, hominem eſſe ſine peccato, quod tibi forſitan impoſſibile videtur; ſed poſſe eſſe, ſi velit. Aliud eſt enim eſſe, aliud poſſe. Eſſe quæris exemplum, poſſe oſtendit* IMPERII VERITATEM. Idem eodem libro: *Aut*, inquit, *poſſibilia Deus mandata dedit, aut impoſſibilia. Si poſſibilia, in noſtrâ poteſtate eſt, ea facere, ſi velimus; ſi impoſſibilia, nec in hoc rei ſumus, ſi non facimus, quod implere non poſſumus. Ac per hoc, ſive poſſibilia dedit Deus mandata, ſive impoſſibilia, poteſt homo ſine peccato eſſe, ſi velit.* Idem ibi: *Moſes*, inquit, *loquitur ad populum, Perfecti eſtote in conſpectu Domini Dei veſtri. Et Salvator ad Apoſtolos: Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Aut ergò poſſibile eſt audientibus facere, quod Dominus & Moſes præceperunt: aut ſi impoſſibile eſt, non eſt culpa eorum, qui obedire non poſſunt, ſed ejus qui impoſſibilia præcepit.* Hieronymus adverſus Pelagium ad Creſiphontem: *Soletis & hoc dicere, aut poſſibilia eſſe mandata, & rectè à Deo data: aut impoſſibilia, & non in iis eſſe culpam, qui accepere mandata, ſed in eo, qui dedit impoſſibilia.* Atque ex his liquet, quo judicio Cornelius Schultingius, Theologus Colonienſis, in Confeſſione ſuâ Hieronymiana *e* ſcribat, Pelagianos putaſſe, Deum præcepiſſe impoſſibilia. Nam contrà, hoc argumento, quòd Deus, ſi impoſſibilia præcepiſſet, injuſtus foret, colligebant, poſſe hominem in hac vitâ Legem Dei implere.

a Tom. 4. Hieron. p. 19.
b Ita emendo: pro quo in Eraſmiana Hieronymi editione eſt, ſcientia.
c Col. 720. edit. Colon. a. 1612.
d P. 762.
e T. 2. l. 8. p. 601. lit. a. ad oram.

Antithesis VI.

Patres verò, quibus cum Pelagio negotium eſſet, fateri nolebant, Deum impoſſibilia præcepiſſe. De Auguſtino non mirum, qui hominem putaret per gratiam Dei ſine peccato vivere poſſe, utut nemo, qui id feciſſet, poſſet oſtendi. At magis mirum de Hieronymo & aliis, qui negarent, in cujuſquam eſſe poteſtate, ut longo tempore vivat abſque peccato. Tamen illi etiam concedebant, Deum non præcepiſſe impoſſibilia. Nempe hoc dictu admodum durum videbatur, quia etiam οἱ ἔξωθεν inter juſta Legis conditiones repoſuerant, ut poſſit præſtari: contrariumque planè abſurdum eſſe, priores etiam Patres judicarant. Manifeſtum tamen eſt, ſi nemo poteſt perfectè præſtare Legem, Deum præcepiſſe impoſſibilia. Nam ſi nos præſtare non poſſumus, quod Deus mandavit: ſequitur, id mandaſſe Deum, quod nos præſtare non poſſumus. Quare Hieronymus vix aliter ab αἰλλογίᾳ defendi poteſt, quam quòd Dei mandata poſſibilia ſint phyſicè & ſecundùm ſe: non item moraliter, cùm tanta eorum ſit difficultas, ut à nemine impleantur. Item quòd toti Eccleſiæ poſſibilia ſint, non item ſingulis; quia aliquamdiu mandata Dei ſervare poſſumus, perpetuò non poſſumus. Utrumque apud Hieronymum ipſum, optimum ſui interpretem, legere eſt. Sed juniorum aliqui, & eos inter Bernardus, cùm docerent, neminem vivere poſſe ſine peccato, etiam fateri maluerunt, Deum impoſſibilia mandaſſe. Nec idcirco Deum vel inſcitiæ, vel injuſtitiæ argui poſſe putarunt: eò quòd Deus, ferendo Legem, propoſitum ſibi habuerit, imperfectionem noſtri nobis oſtendere: ut eo avidiùs peccatorum remiſſionem à Chriſto expetamus: & aſſiduè Legem meditantes, cum timore ac tremore ſalutem noſtram operemur. Adde quòd, ut qui oratorem aut poëtam deſcribere vult, perfecti oratoris ac poëtæ ideam concipit, & ob oculos ponit; quamquam nemo eam perfectionem unquam ſit conſecutus: ita etiam Deus, cum vitæ normam præſcribere vellet, exquiſitiſſimam præſcribere voluit: juxta quam, quanto magis vitam noſtram componamus, tanto propius ab ideâ perfecti Chriſtiani abſimus. tamdiu autem nos componere debemus, uſque dum perfectionem poſt hanc vitam læti aſſequamur.

AUguſtinus non dubitabat fateri, Deum poſſibilia mandaſſe, & quidem ſenſu iſto, quòd & ſingula & omnia ſinguli omneſque fideles per gratiam Dei implere valeamus. Nam lib. II. De peccat. mer. & remiſſ. cap. III. ait: *Non præciperet Deus aliquid, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati.* Item cap. VI. *Non dominetur mihi omnis iniquitas. Ab hujus execrandæ dominationis ſervitute liberantur, quibus Dominus Jeſus eum recipientibus dedit* a *poteſtatem, filios Dei fieri: & quibus dicit* b, *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. His atque ſimilibus teſtimoniis dubitare non poſſum; nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum atque adjuvandum, quo fiat quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe: ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato, adjutus à Deo.* Et cap. XLIII. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Et cap. LXIX: *Eo ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur; & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia ſunt caritati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt.* Idem lib. De gratiâ & libero arbitr. cap. XVI: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri: quis hoc neſciat?* In Pſal. LVI: *Non imperaret hoc Deus ut facere-*

a Joh. 1.
b Joh. 8.

mus,

mus, si impossibile judicaret. Eadem videtur fuisse Bedæ sententia lib. I. in Cant. ubi adversus Julianum sic scribit: *Quod dicit, Dominum non impossibile aliquid præcepisse, qui justus est; verum profectò dicit, si ad ejus respicit auxilium, cui Catholica vox supplicat, Deduc me in semitâ mandatorum tuorum. Si verò viribus animi sui fidit, refellit eum veridica ejusdem justi conditoris sententia, quâ dicit, Sine me nihil potestis facere.*

Eadem Hieronymi mens fuit. Nam penè initio lib. III. adversus Pelagianos ait, *Deus possibilia mandavit: hoc nulli dubium est.* Idem dicit in cap. V. Matth. Verba ipsa inferius ponemus. Non immeritò verò miretur aliquis, hoc eum dicere, qui negaret, nos sine peccato vivere posse. Nam cùm peccatum sit, quod adversus Legem Dei committitur; si sine peccato vivere non possumus, sanè nec Legem servare possumus. At Legem mandavit Deus. Mandavit igitur, quod nos servare non possumus. Tamen Hieronymus cùm negaret, nos sine peccato vivere posse; fatebatur nihilominus, Deum possibilia mandasse. Nempe dictu illi durum videbatur, Deum præcepisse, quæ præstare nemo posset, cùm sciret illud calcatum, Neminem ad impossibile obligari. Vnde etiam Isidorus lib. V. Orig. cap. XXI. inter conditiones Legis refert, ut sit de re possibili: quod & facit Plato lib. V. De legibus, Demosthenes contra Timocratem, Plutarchus in Solone, Curius Fortunatianus Rhetor. lib. II. pluresque alii. Idemque sancti Patres passim docent: nec id in hominibus solum, sed vel imprimis in Deo habere locum arbitrantur. Poteram Anastasium Nicenum *a*, pluresque ejus & proximorum seculorum testes laudare: sed malo producere illos, quos secutus est Hieronymus. Talis est magnus Basilius XIX. homiliarum tertiâ, quæ est in illud Mosis, *Attende tibi ipsi* b: Ἀσεβὲς γὰρ τὸ λέγειν, ἀδύνατα εἶναι τὰ τοῦ πνεύματος παραγγέλματα. *Impium est asserere, præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse observatu.* Idem in regulis brevioribus (nisi is potiùs Eusebius, Sebastiæ episcopus, quod verum putamus) resp. CLXXVI. exponens illa Apostoli verba: *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione: Sine dubio,* inquit, *non præcepisset hoc, qui bonus & justus est, nisi etiam facultatem, quâ id faceremus, fuisset largitus.* Chrysostomus homil. XVIII. in Matth. Μὴ τοίνυν ἀδύνατα εἶναι νομίζωμεν τὰ ἐπιτάγματα· καὶ γὰρ μετὰ τοῦ συμφέροντος σφόδρα ἐστὶν εὔκολα, ἐὰν νήφωμεν. *Ne igitur impossibilia putemus esse præcepta. quæ certè & utilia nobis sunt, & valde facilia, si totâ utique mente vigilemus.* Similia habet homil. VIII. De pœnit. item in Psal. CI. Satis vidimus, quid impulerit Hieronymum, ut ne negaret, Deum, quæ fieri à nobis possent, præcepisse. Sed nondum patet, quomodo se extricarit, cùm objiceret ei Pelagius, quòd, si absque peccato vivere non valeamus, nec Dei mandatum possimus implere, eoque Deus præceperit impossibilia. Ad hoc verò istum in modum respondet lib. I. Dial. adversf. Pelag. *c* *Cum testimonia Scripturarum aliis comparaveris testimoniis, ne sibi Spiritus Sanctus pro qualitate locorum & temporum videatur esse contrarius, secundum illud quod scriptum est: Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum: tunc veritas apparebit; hoc est, Christum possibilia præcepisse, dicentem, Sicut Pater vester cælestis perfectus est: & tamen Apostolos non fuisse perfectos.* Apostolos autem præ aliis nominat, quia verisimile non est, Deum cuiquam majori gratiâ admetiri dona sua, quàm Apostolis fecit; aut rectiùs alios donis uti divinis, quàm ab illis factum fuit. Vnde mox subjungit: *Si potest esse homo sine peccato, quod Apostolos non fuisse perspicuum est: potest esse super Apostolos homo, ut taceam de Patriarchis & Prophetis, quorum in Lege non fuit perfecta justitia.* Sed quia hinc nondum liquet, quo pacto possibilia sint Dei mandata: tandem hoc quoque aperit, atque ait, possibilia esse Ecclesiæ toti, non singulis ejus membris. Quemadmodum enim & philologiæ, & eloquentiæ, & historiarum, & philosophiæ, & Medicinæ, & juris civilis, & aliorum studiorum præcellentem nobis cognitionem parare possumus; universorum non possumus: similiter singula singulos mandata posse præstare, & hæc ab his, illa ab illis præstari, à nemine verò universa impleri. *Vides,* inquit, *quod Deus possibilia jusserit: & tamen id quod possibile est, per naturam nullum posse complere? Dedit itaque præcepta diversa, virtutesque varias, quas omnes simul habere non possumus. Atque ita fit, ut, quod in alio aut primum aut totum est, in alio ex parte versetur: & tamen non sit in crimine, qui non habet omnia: nec condemnetur ex eo, quod non habet, sed justificetur ex eo quod possidet.* Quæ sententia difficulter conciliatur cum illis Augustini verbis serm. CXCI. De tempore. *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Clarè enim blasphemum putat, si dicatur, non posse Legem à singulis servari, sed tantùm in communi, singulis nempe in aliquo deficientibus. At Hieronymus non aliam Legis impletionem agnoscit, uti vidimus: unde &, aliquibus interjectis *a*, ait: *Possibilia præcepit Deus, & ego fateor. Sed hæc possibilia* CUNCTA SINGULI HABERE NON POSSUMUS, *non imbecillitate naturæ, ne calumniam facias Deo, sed animi assuetudine; qui cunctas simul & semper non potest habere virtutes.* Similiter idem lib. II. ejusdem operis *b*. *Ergò & possibilia sunt Dei mandata, quæ David fecisse cognoscimus, & tamen lassescere sanctos ad perpetuitatem justitiæ.* Nec tamen secum pugnare arbitror Hieronymum: quamquam in V. cap. Matth. sic scribat ad illud Christi, *Diligite inimicos vestros. Multi* PRÆCEPTA DEI IMBECILLITATE SUA, NON SANCTORUM VIRIBUS ÆSTIMANTES, *putant esse impossibilia quæ præcepta sunt: & dicunt, sufficere virtutibus, non odisse inimicos: cæterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur.* Nec enim hoc dicit, posse quemquam implere omnia Dei mandata; sed negat, præceptum diligendi inimicos sic excedere vires sanctorum, ut non pro tempore aliquo ab aliquibus impleatur. Vnde continuò subjungit: *Sciendum est ergò, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta: quæ fecit David in Saul, & in Absalon. Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est. Et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis.* Sed quod hic perfectionis esse dicit Hieronymus, id imperfectè præstatur in hac vitâ: unde idem, ut vidimus, imperfectam sanctorum perfectionem vocat. Neque id solum ratione actus, sed etiam ratione potentiæ verum est. Itaque juniores, si pro modo hujus vitæ possibilia dicerent Deum præcepisse; ferè etiam dicere maluerunt cum Augustino, hominem per gratiam vivere sine peccato posse: vel si, omnimodam perfectionem considerantes, cum Hieronymo statuerent, non posse hominem hîc vivere sine peccato; maluere etiam fateri, Deum impossibilia præcepisse. Negabant autem, inde consequi, Deum virium nostrarum ignarum fuisse, vel injustum esse. Nam eum, præscribendo normam vitæ perfectissimam, propositum sibi habuisse, imperfectionem nostri nobis ob oculos ponere, ut humiliter de nobis sentiamus, & remissionem peccatorum quotidiè divinâ misericordiâ suppliciter postulemus: ac quamdiu nos à justitiæ perfectione abesse videmus, (quod futurum est, quamdiu hic vivimus) minimè subsistendum putemus: sed obliviscentes ea, quæ à tergo reliquimus, ad illa, quæ à fronte sunt, alacriter pergamus: ut jubet Apost. Philipp. III. 14. Bernardus serm. II. in Vigiliâ Natalis Dom. *Propterea mandata sua mandavit custodiri nimis; ut videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, confugiamus ad misericordiam, & dicamus, Quoniam melior est misericordia super vitas.* Idem super Cantica serm. L: *Cujus* (caritatis) *initium quidem profectumque vitam quoque præsentem experiri divinâ posse gratiâ, non negamus: sed planè consummationem defendimus futuræ felicitatis. Quomodo ergò jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? Aut si placet tibi magis, de asse-*

a Quæst. 5. in illud Matth. 11. Jugum meum suave est.
b P. 138.
c P. 265.
a P. 271.
b P. 290.

effectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo; dummodo acquiescas & tu mihi, quod minimè in vitâ istâ ab aliquo hominum possit, vel poterit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Nec latuit praeceptorem, praecepti pondus hominum excedere vires: sed judicavit utile, ex hoc ipso sua illos insufficientiae admoneri, & ut scirent sane, ad quem justitiae finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non praevaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in caelum, & miserebitur nostri Deus, & sciemus in illâ die, quia non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos fecit nos. Cum quibus probe conspirat, quod superiùs citabamus ex Augustini lib. de spiritu & lit. cap. XXXVI. *Hoc in illâ vitâ complebimus cum videbimus facie ad faciem. Sed ideo hoc etiam nobis praeceptum est, ut admoneremur, quid fide exposcere, quo spem praemittere, & obliviscendo quae retro sunt, in quae anteriora nos extendere debeamus.* Item de actis cum Felice Manich. lib. II. cap. XI. *Data est enim lex superbis hominibus, & viribus suis totum tribuentibus, ut cum implere non possent legem datam, praevaricatores invenirentur, & facti rei sub lege, peterent misericordiam a legis conditore.* Quomodo verò haec etiam sententia conciliari debeat cum eo, quod Augustinus ait, posse per gratiam impleri legem: satis liquere arbitror ex iis, quae de duplici legis, duplici item virium nostrarum consideratione paullo antè dicebamus.

Thesis VII.

Dicebant praeterea Pelagiani, nisi fateamur, posse sic corrigi naturam humanam, ut vivamus sine peccato, tolli arbitrii libertatem, ac consequi, naturam esse malam, quod Manichaeorum dogma erat.

Hinc Hieron. Epist. ad Ctesiphontem, post longam disputationem adversus ἀναμαρτησίαν haec subjungit: *Reclamabis, & dices, Manichaeorum dogma nos sequi, & eorum, qui de diversis naturis Ecclesiae bella concinnant, asserentium, malam esse naturam, quae immutari nullo modo possit.* Extat a etiam conflictus inter Arnobium juniorem & Serapionem Ægyptium, magni Leonis tempore, ut videtur, habitus. In quo post dissertationem de Deo uno & trino, ac duabus in Christo naturis, etiam de libero arbitrio disceptatur; Serapione quidem, Pelagii; Arnobio autem, Catholici personam sustinente. Pauca inde exscribere visum.

a In edi- tum tre- nas cum Feuarden- cu notis.

b P. 563.

Serapion b dixit: *Hanc rem cum orationibus impetrare debes, sive tuis, sive quorumcunque sanctorum, quam non habes per arbitrii libertatem concessam.* Arnob. dixit: *Et quam rem habeo per arbitrii libertatem concessam?* Serap. respondit: *Ut a prohibitis abstineas, & jussis insistas.* Arnob. dixit: *Qui a prohibitis abstinet, & sine peccato efficitur: qui vero etiam jussis insistit, non solum a peccati reprehensione alienus est, verum etiam laude dignus est.* Serap. dixit: *Ita est.* Arnob. dixit: *Si ita est, ergò potest per liberum arbitrium sine peccato effici, & laudem adipisci divinam.* Serap. respondit: *Ita est.* Arnob. dixit: *contra dico.* Serapion dixit: *Ergo non est liberum arbitrium.* Arnob. dixit: *Liberum arbitrium & defendo & teneo, sed intra metas suas clausum, & finibus suis limitibusque distinctum.* Serapion dixit: *Deus hominem liberi arbitrii idcirco esse voluit, ut juste vituperentur mali, quia potuerunt esse boni: juste etiam laudentur boni, quia potuerunt esse mali. Tolle enim utriusque rei possibilitatem, & non invenies poena quem ferias; nec invenies in remuneratione quem corones.* Arnob. dixit: *Dic ergò mihi, si tua libertas arbitrii ad hoc te perducere valeat, ut possis ita a prohibitis abstinere, ut sine peccato sis: aut ita praecepta perficere, ut pervenias ad coronam?* Serap. respondit: *Et, si non potest homo sine peccato esse, peccatum ipsum non ei imputabitur a Deo.* Arnob. dixit: *Hoc quod illum a peccato facere liberum potuit, in primi hominis praevaricatione periit: unde creaturam suam creator ad hanc recuperationem praevenire potuit, ut quia jam suis viribus liberari a peccato non poterat, Dei gratiâ liberaretur. Unde etiam infirmitates nostrae, Salvatoris Domini* a *nomen imposuerunt: captivitas nostra, Redemptorem* b: *miseria nostra, Misericordem: servitus Liberatorem.* Ex his liquet, ut Pelagiani Catholicis objecerint, nisi faterentur, posse hominem vivere sine peccato, tollere eos arbitrii libertatem; quod Manichaicum est. Simul videre fuit, quid responderint Catholici. Sed pleniùs hoc ex ἀντιθέσει proxima cognoscemus.

a Malim Domine.
b Malim in patrio casu legere, redemtoris, misericordis, liberatoris.

Antithesis VII.

Catholicorum autem judicium erat, eos qui negarent perfectionem hominis in hac vitâ, regiam insistere viam, inter Manichaeos, naturam damnantes, liberumque arbitrium auferentes, & Pelagianos, credentes, hominem per naturam suam perfectè justum esse; quod unius est Dei proprium. Praeterea dicebant, non Catholicos, sed Pelagianos potius, ad Manichaeum accedere, ejusque propaginem, Priscillianum: uti & Rufinum, Jovinianum, Origenem.

Hieronymus prooemio Dialogorum adversus Pelagianos: *Breviter calumniatoribus respondemus, qui sua in nos maledicta conferunt, Manichaeorum esse hominum, damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adjutorium Dei tollere. Rursumque apertissimae insaniae, hoc hominem dicere, quod Deus est. Et sic ingrediendum via regia, ut nec ad sinistram, nec ad dextram declinemus; appetitumque propriae voluntatis Dei semper credamus auxilio gubernari.* Eidem calumniae sic respondet epistolâ ad Ctesiphontem: *Et hoc non mihi, sed Apostolo imputa, qui novit, aliud esse Deum, aliud esse hominem: aliam carnis fragilitatem, aliam spiritus fortitudinem. Caro enim desiderat contra spiritum, & spiritus contra carnem: & haec invicem sibi adversantur, ut non quae volumus, ipsa faciamus. A me nunquam audies, malam esse naturam: sed quomodo sit carnis fragilitas disserenda, ipso, qui scripsit, docente discamus. Interroga eum, quare scripserit, Non enim, quod volo, hoc operor: sed, quod odi, malum, illud facio. Quae necessitas illius impediat voluntatem? quae tanta vis odio digna imperet facere?* Augustinus lib. IV. contra duas Pelagianorum Epist. Cap. III. Sic (Catholicus) *laudat in Deo sanctos homines Dei, non solum ex manifestato in carne Christo, & deinceps: verum etiam superiorum temporum, quos audent blasphemare Manichaei, ut tamen de ipsis plus credat ipsis confitentibus, quàm Pelagianis mentientibus. Sanctorum enim vox est, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Fusè verò haec explicat cap. VII. Nec contenti erant Catholici, sese à Manichaeis segregare; sed verò Pelagianos insuper cum Manichaeo & Priscilliano sapere dicebant: nec cum his solùm, sed etiam Origene, Joviniano, & Rufino. Docet hoc locus iste Hieronymi epist. ad Ctesiphontem a: *Exponam breviter principum & sociorum tuorum nomina, ut animadvertas, qualium consortio glorieris.* Manichaeus *electos suos, quos inter animas Platonis in caelestibus collocat, dicit* omni carere peccato; *nec, si velint, posse peccare. Ad tanta enim eos virtutum culmina transcendisse, ut carnis operibus illudant.* Priscillianus *in Hispaniâ, pars Manichaei, verbum perfectionis & scientiae sibi temere vindicat. Unde & vos asseritis, eos, qui absque legis scientiâ sunt, peccata vitare non posse.* Evagrius *Ponticus Hyperborita edidit librum &* a P. 252.

scien-

sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere; quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, &, ut simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est. RUFFINI *temeritatem, imò insaniam, quis digno explicare possit sermone, quòd librum Xysti Pythagorei, hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine Sixti martyris & Romanæ Ecclesiæ episcopi prænotavit; in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantiâ, multa de perfectione dicuntur: ut qui volumen philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio, ut episcopum & martyrem sine Christi fide fuisse contendas. Unde & vos plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia. Vis adhuc & alium nosse tui erroris principem? Doctrina tua Origenis ramusculus est. In eo enim Psalmo, ubi scriptum est (ut de cæteris taceam) Insuper & usque ad noctem erudierunt me renes mei: asseris, virum sanctum, cum ad virtutum venerit summitatem, ne in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt; nec cogitatione vitiorum aliqua titillari. Joviniani secunda quæstio tui ingenii disciplina est. Quicquid illi responsum est, tibi responsum credito.* Idem Præfat. lib. IV. Comment. in Hieremiam: *Cum subito hæresis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, id est, impassibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in discipulis ejus, Grunnio, Euagrioque Pontico, & Joviniano jugulata est, cœpit revivíscere, & non solum in Occidentis, sed & in Orientis partibus sibilare &c.* Ubi, ut aliàs diximus, non duo, ut quidam putarunt, commemorantur errores, sed unus: nempe quòd tantæ hominem perfectionis fingerent isti, ut non amplius affectibus esset obnoxius, quibus ad peccandum impellimur; sed absque ullo viveret peccato. Quod autem de Joviniano utrobique ait, idem repetit lib. II. *a* adversus Pelag. *Christus teneatur, & successor Ioviniani audet loqui, eos qui plenâ fide baptisma consecuti sunt, non posse tentari: imò aliis verbis, posse hominem baptizatum, si voluerit, nequaquam ultrà peccare.* Similiter initio lib. III. Dixerat enim Critobulus: *Certè hoc fateberis, eos, qui Christi baptisma consecuti sunt, justos esse. Cumque semel justi fuerint, si egerint sollicitè, posse in sempiternum justitiam custodire, ac per hoc omne vitare peccatum.* Respondet Atticus: *Non erubescis explosam atque damnatam Ioviniani sententiam sequi? Et ille enim his testimoniis, tuisque nititur argumentis: imò tu illius inventa sectaris, in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ, & dudum in Africâ, condemnata sunt. Lego ergò, quid illi responsum sit. In dogmatibus enim, & quæstionibus disserendis, non persona, sed caussa quærenda est.* Etiam Orosius hacpropter lib. de arbitr. libert. *b* Pelagium Joviniani filium appellat. Eundem cum Origene (quem Hieronymus *c* Pelagianorum amasium, & magistrum τὸ ἀρχαῖον appellavit, ut ostendimus lib. II. *d*) jungit Orosius apologetico de arbitrii libertate: *Origenes, Priscillianus, Iovinianus: in his* (Pelagio Cælestioque) *vivunt, & non solum vivunt, verum etiam loquuntur.* Cæterum Pelagianos in hac ipsâ controversiâ ab Origene arma mutuari solere, ostendit idem Orosius istis verbis: *At ille* (Iohannes Hierosolymitanus) *cùm sæpe non docendi simulatione in aliquam professionis speciem tentaret inducere; dicebat, quia ad Abraham dictum esset à Domino: Ambula coram me, & esto sine macula, & Zachariam, & Elisabeth, pronunciatos esse justos ambos ante Dominum, incedentes in omnibus justificationibus Domini, sine querelâ. Quod quidem* AD ORIGENE DICTUM, *ab eo proferri, compluribus nobis notum erat.*

a P. 287.

b P 734. c Lib. I. adversus Pelag. p. 149. & 269. d P. 156. *Fallitur Cornelius Sen'tengius, qui Confessionis Hieronymianæ T. 2. 1. 5. p. 531. per magistrum ἀρχαῖον Marcionem intelligi putavit. Decepit eum, quod paulo post Marcionis fiat mentio.*

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

Etiam filios Dei esse, qui peccatum haberent, (quod Cælestius negasse dicebatur) statuit Synodus Palæstina: ipseque Pelagius, qui concilio huic interfuit, veritatem Catholicæ sententiæ non potuit diffiteri. Neminem vero Legem Dei servare, contra Pelagium statuit Synodus Carthaginensis II, Milevitana, & Carthaginensis III. Quæ tria hæc capita necteuit. I. Unumquemque debere dicere, Dimitte nobis debita nostra. II. Neque id pro aliis solum, sed etiam pro se. III. Neque id ex humilitate duntaxat, sed etiam verè. Nec adversatur istis, quòd Synodo Palæstinâ & Arausicanâ secundâ statutum sit, posse hominem per Dei gratiam servare Legem Dei. Nam præterquam, quod Pelagius putaret, hominem hoc posse per vires naturæ, quodque idem non tantum posse id hominem, sed etiam vere præstare diceret: præter ista, inquam, satis Patres istos à Pelagio separat, quòd utraque Synodus non omnimodam perfectionem cum Pelagio intellexerit; sed eam, quam reapse in hac vitâ perfectiores per gratiam consequuntur: quæ, ut Hieronymus loquitur, imperfecta quadam perfectio est.

IN Palæstinâ Synodo objectum Pelagio fuit, quòd Cælestius dixerat, filios Dei esse non posse, qui essent absque peccato. At cùm Synodus ea, tum Pelagius ipse dogma illud condemnavit: ut constat ex August. lib. De gestis Palæstinis cap. XVIII. & Alypii atque Augustini ad Paullinum epistolâ. Additur ibidem: *Quisquis sequitur illius episcopalis autoritatem judicii, & ipsius Pelagii confessionem: hoc tenere debet, quod semper tenuit Catholica Ecclesia; Filios Dei vocari posse illos, qui quotidie dicunt, Dimitte nobis debita nostra: quod utique veraciter non dicerent, si essent omnino sine peccato.* Patres Concilii Carthaginensis epist. ad Innocent. *Quicunque dogmatizat & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda, sufficere posse naturam; & eo modo gratia Dei, quæ sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur; anathema sit.* Patres Concilii Milevitani epist. ad eundem: *Nova hæresis, & nimium perniciosa tempestas surgere inimicorum gratiæ Christi cœpit, qui nobis etiam Dominicam Orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit; ut dicamus, Dimitte nobis debita, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: isti dicunt, Posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra.* Eadem sententia damnatur canonibus Concilii Carthaginensis III. sive universalis Africæ Synodi, quæ vulgò Milevitana vocatur. Egregium verò ordinem Africani isti Patres in damnando hoc Pelagii dogmate observarunt. Diximus ex Augustino aliàs, ut tria fuerint capita erroris Pelagiani. Negabant enim originale peccatum, gratiæ necessitatem, & hominis imperfectionem in hac vitâ. De primo sunt canones duo primi: de secundo agunt tres canones sequentes: de tertio sunt tres canones ultimi: hoc est VI. VII. VIII. Contra tertium, h. e. Pelagianam illam perfectionem, duo objiciebant Patres. Prius est, locus Johannis, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, seducimus nos ipsos, & veritas in nobis non est.* Alterum est, quòd ex eâ sequatur, non necesse fore, ut homo in hac vitâ dicere cogatur Orationem Dominicam: quippe in quâ sic rogemus, *Dimitte nobis debita nostra.* Respondebat Pelagius, in Oratione hac dici *nobis*, non *mihi*: ideoque, si non pro nobis, at pro aliis esse orandum. Sed cùm Patres docerent, unumquemque pro se ipso orare debere peccatorum remissio-

remissionem; respondit Pelagius, humilitatis esse, ut etiam, qui perfectus est, credat se nondum perfectionis metam attigisse: eoque rectè facere, si dimissionem peccatorum exposcat. Similiter de loco Johannis statuebat. Patres verò pertendebant, Johannis dictum verè omnibus competere: item remissionem peccatorum, non humiliter tantùm ab omnibus orari, sed etiam veraciter. Ex hisce liquet, tria statuisse Patres adversus Pelagium.

I. Omnibus non humiliter tantùm, sed etiam veraciter competere dictum illud Johannis.

II. Omnibus, non tantùm pro aliis, verùm etiam pro se, orandum esse, *Dimitte nobis debita nostra.*

III. Nec id humiliter tantùm, sed etiam veraciter esse orandum.

Hæc tria eo ipso ordine statuerunt Patres Africani can. VI. VII. VIII. Concilii Carthaginensis, quod Milevitanum vulgo vocatur. Sunt autem hi:

a 1 Ioh. 1. 8.
b Corrigenaus Genuad. us De dogm. Eccl. cap. 35. ubi non tamen in editione inserta Augustini operibus T. 3. sed etiam in editione V. Cl. Elmenhorstii, legitur, Propter humilitatem non oportere dici. ubi particula negans omnino delenda.

VI. *Item placuit, quod ait sanctus Ioannes Apostolus* a, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: *quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem* b *oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est; anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit,* Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. *Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere,* Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: *sed cum ait,* Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est: *satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.*

VII. *Item placuit, ut quicunque dixerit in Oratione Dominicâ, ideo dicere sanctos,* Dimitte nobis debita nostra, *ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio; sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere unumquemque sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed, Dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quàm pro se justus petere intelligatur; anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus Iacobus, cùm dicebat* c, In multis enim offendimus omnes.
c Iac. 3. 2.
Nam quare additum est, Omnes? nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo, ubi legitur d, Non intres in judicium
d Psal. 143. 3.
cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Et in Oratione sapientissimi Salomonis* e,
e 1 Reg. 8. 46. Eccl. 7. 21.
Non est homo qui non peccet. *Et in libro Iob* f, In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. *Unde etiam Daniel sanctus & justus* g,
f Iob. 37. 7.
g Dan. 9. 5.
cum in oratione pluraliter diceret, Peccavimus, iniquitatem fecimus, *& cætera, quæ ibi veraciter & humiliter confitetur; ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis; postea dixit* h: Cùm orarem, & confiterer peccata mea,
h Ibid. vers. 20.
& peccata populi mei Domino Deo nostro. *Noluit dicere, peccata nostra; sed, populi sui, dixit, &, sua: quia futuros istos, qui tam male intelligunt, tanquam Propheta, prævidit.*

VIII. *Item placuit, ut quicunque verba ipsa Dominicæ Orationis, ubi dicimus,* Dimitte nobis debita nostra, *ita volunt à sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, non hominibus, sed ipsi Domino mentientem; qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere.*

Atque hi quidem sunt canones Concilii Carthaginensis, quibus Pelagiana de perfectione hominis sententia & apertè damnatur, & solidè refellitur. Hinc Orosius de arbitr. libert. i *Pelagius nobis dixit, docere se, hominem*
i P. 697.
posse esse sine peccato, & mandata Dei facile custodire, si velit: Respondit Pelagius, audientibus vobis: Hoc & dixisse me, & dicere, negare non possum. Ego illico prosecutus sum: Hoc in Cælestio Africana Synodus detestata est. Ubi cur non Milevitanam, sed Africanam dicat; constat ex iis, quæ de verâ hujusce Synodi appellatione diximus lib. I. cap. XLV. Similiter Prosper carm. De ingratis cap. IX.

Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velis, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate suâ. Nempe hæc damnata fuère
Conciliis, mundique manu.

Conciliorum hoc judicium probavit etiam Clerus Romanus in literis, quas, Severino Papâ defuncto, misit ad Scotorum gentem, Bedâ teste lib. II. histor. Angl. cap. XIX: *Hoc quoque cognovimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reviviscit; quod omnino hortamur, ut à vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen & impium, dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propriâ voluntate, & non ex gratiâ Dei?*

Cautè verò Clerus Romanus negat quidem hominis perfectionem; sed illam, quæ est ex viribus naturæ, non gratiæ. In quo eadem illi Concilia præiverunt. De Palæstino judicium fecerit Augustinus De peccato originali cap. XI: *Synodus dixit: Nunc quoniam anathematizavit Pelagius incertum stultiloquium,* RECTE *respondens, hominem cum adjutorio Dei & gratiâ posse esse ἀναμάρτητον, id est, sine peccato, respondeat ad alia.* Et De gestis Palæstinis cap. XI. *Posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superius. Dictum est sanè, & nos meminimus: sed ideo mitigatum, &* A JUDICIBUS APPROBATUM, *quod addita est Dei gratia, quæ in illis capitulis tacebatur.* Planè autem intelligimus perfectionem secundùm exteriores actus; non item interiores, ipsius etiam caritatis. Sive, sermo est de perfectione partium, quæ peregrinantium statui competit; non graduum, quæ erit post hanc vitam. Sanè qui negat, perfectè hominem Legem implere posse secundùm vires quas accepit; sibi ipsi contradicit. Nam negat posse, quod posse dicit. Similiter capimus Concilium Arausicanum II. can. ult. *Hic etiam* SECUNDUM FIDEM CATHOLICAM *credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent,* POSSINT *&* *debeant,* SI FIDELITER LABORARE VOLUERINT, ADIMPLERE. Nempe, judicio nostro, canon iste non aliud propositum habet, quàm ostendere, nos non per vires naturales, sed per virtutem Spiritus Sancti in Baptismo acceptam (semper enim in legitimo sacramenti usu spiritualis gratia efficaciter & signatur & exhibetur) omnibus & singulis Dei mandatis obtemperare posse; non quidem exactè, sed ut Augustinus a loquitur, pro modo justitiæ, quæ huic competit vitæ. Nihil a Lib. De Spir. & Liter. cap. 36.
igitur hic canon, judicio nostro, Pelagianorum caussam juvat, uti neque Begardorum & Beguinarum, qui & ipsi tantam caritatis perfectionem somniabant, ut progredi ultra non valeamus, contra Paulinum illud, ad Philipp. I. 9. *Hoc oro, ut caritas vestra magis & magis abundet.* Et ad Ephes. IV. 15. *In caritate crescamus in illo.* Hæc Begardorum & Beguinarum sententia damnata est celebri illo trecentorum & amplius episcoporum Concilio, quod anno CIↃ CCCXI. Viennæ, præsentibus etiam Alexandrino & Antiocheno Patriarchis, habitum fuit; interque alia decreta, Templariorum ordinem, ad postulatum Philippi Francorum regis, assentiente Clemente V, condemnavit. De opinione damnationeque eorum quod diximus, cognoscere est ex Clementina Ad nostrum, de hæreticis. item Antonino part. XXI. histor. Tit. II. cap. III. §. 2. ubi sic scribit: *In eodem Concilio fuerunt damnati octo errores Beguinarum & Beguadorum* b, b Al. Beguardorum & Beguinarum.
qui insurrexerunt in Alemanniâ, ut habetur De hæretic. Ad nostrum. in Clemen. Quorum primus est, quod homo in vitâ præsenti & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratiâ proficere non valebit. Nam, ut dicunt, si

quis

quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

Secundus est, quod jejunare hominem non oportet, vel orare, postquam gradum perfectionis hujus fuerit assecutus: quia tunc sensualitas ita est perfecte spiritui & rationi subjecta, quod homo potest libere concedere corpori, quicquid placet.

Tertius est, quòd illi, qui sunt in illo gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, quia, ut asserunt, ubi Spiritus Domini, ibi libertas.

Quartus, quod homo ita potest finalem beatitudinem, secundum omnem gradum perfectionis, in præsenti assequi, sicut eam in vitâ beatâ obtinebit.

Quintus, quod qualibet intellectualis natura in se ipsâ naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.

Sextus est, Hominem in virtutum actibus se exercere, est hominis imperfecti, quia anima perfecta licentiat à se virtutes.

Septimus, quòd mulieris osculum (cùm ad hoc non inclinet natura) est mortale peccatum: actus autem carnalis (cùm ad hoc inclinet natura) non est peccatum; maximè cùm tentatur exercent.

Octavus est in elevatione corporis Jesu Christi; Non debet talis exsurgere, aut ei reverentiam exhibere. Asserunt enim, quod esset imperfectionis ejusdem, si a puritate & altitudine sua contemplationis tantum descenderet: quòd circa Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi, aliqua cogitaret. Qui omnes errores reprobati sunt in dicto Concilio, & mandatur Diœcesanis & inquisitoribus, ut puniant tales. Gloss. ibi. Ioan. And. sufficienter ostendit, qualiter ista sunt errenea, & contra doctrinam sanctorum. Hactenus Antoninus.

LIBRI QUINCTI

PARS ALTERA;

Quæ est de Juramento Christianorum, & salute divitum.

VIdimus de duabus quæstionibus ad spiritualem vitam pertinentibus, Gratiæ necessitate, & hominis imperfectione in hac vitâ. Sequuntur duæ aliæ, sed minùs vexatæ: unde est, quòd Augustinus libro De hæresibus lib. 11. contra Julianum, & alibi, ubi præcipuos se Pelagii errores enumerare dicit, nullam earum mentionem facere solet. Sunt istæ, An jurantes peccent, &, An divites salventur. Utramque curriculo percurremus.

THESIS I.

Non esse jurandum, Pelagianorum sententia fuit. Quamquam enim id Veteri in Testamento fuerit concessum, in Novo tamen prohibitum putarunt. Prora & puppis huic sententiæ erat illud Christi, Matth. cap. v. 34. Ne juretis omnino. *Et*, Sit sermo vester, Est, est: Non, non. *Et hoc Jacobi* v. 12. Ante omnia, fratres, ne jurate, neque per cælum, neque per terram, neque aliud ullum jusjurandum.

CEnturiatores Magdeburgenses *a* errores Pelagii ad viginti & unum capita revocant: etiam Nicolaus Sanderus libb. De visibili monarchiâ Ecclesiæ eos decem numero facit *b*: sed nec hic, nec illi dogmatis hujus meminerunt. Quid mirum? quando Augustinus ipse præterire solet, ut antea diximus. Sed eum Pelagianis errorem tribuit Jansenius Harmon. Euang. cap. XL. Rectè. Nam Hilarius epist. ad Augustinum *c*, ubi de erroribus agit à Pelagianis in Siciliâ seminatis, inter eos refert, quòd dixerunt, *Non debere jurare omnino.* Imò apud Pelagium ipsum in epist. ad Demetriadem *d* legimus: *Et jurare ipse Christus prohibuit, qui dixit, Ego autem dico vobis, Non jurate omnino. Et rursus, Sit sermo vester, Est, est: Non, non.* Et Cælestius epist. De scientiâ divinæ Legis *e*: *Dixisti, te cum jurantibus jurare debere: quod aliquando juravit Dominus. Scio primum, non omnia nobis convenire servis, quæ Domino conveniunt; ne in comparatione famulorum, Domini videatur injuria. Iuravit, scio, sæpe Dominus, qui nos jurare prohibuit: nec statim ex hoc temere blasphemare debemus eum, qui alios vetuerit, quod ipse faciebat: quia dici nobis potest, Iuravit Dominus, quasi Dominus, quem jurare nemo prohibebat: nobis quasi servis jurare non licet, qui Domini nostri lege jurare vetamur. Verùm ne in ejus exemplo scandalum patiamur, ex quo tempore jurare nos noluit, nec ipse juravit.* Nec ignorabant Pelagiani, etiam ex Apostolo aliqua objici, quibus jurasse doceretur: verùm hæc illi pro juramento non habebant, sed vehementi asseveratione. Augustinus epist. LXXXIX. ad Hilar. *Illi, quantum aliquos eorum audivi, quid sit jurare, prorsus ignorant. Putant enim, se non jurare, quando in ore habent, Scit Deus; & Testis est mihi Deus; &, Testem Deum invoco super animam meam; quia non dicitur, per Deum: & quia talia reperiuntur in Apostolo Paulo.* Porrò, quam Pelagianorum fuisse opinionem diximus; eandem postea Waldenses amplexos esse scribit Guido Carmelita. Bernardus quoque Lutzenburgus In Sabbatatis (qui vel Waldenses, vel Waldensium pars fuisse creduntur) eandem tribuit opinionem. Alphonsus etiam à Castro scribit idem de Catharis; non Novatianis illis, sed aliis, Albanensibus.

a Cent. 5. cap. 5.

b P. 357. 359 361.

c Epist. 88. apud August.

d Apud Hieron. T. 2. p. 20. edit. Bas. 1554.

e Apud eundem Hieron. T. 4. p. 63.

ANTITHESIS I.

Patrum aliqui hac parte Pelagio adsensisse videntur: sed communior tamen sententia fuit, Christianis etiam jurare licere. Quod colligebant ex Apostoli exemplo, qui ait, Testis est mihi Deus, *ut Rom.* 1 9. *& Phil.* 1. 8. *& 1 Thess.* II. 5. *quibus similia habes Rom.* IX. 1. *Gal.* 1. 20. *Sed imprimis illustre est illud 2 Cor.* 1. 23. Testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultrà Corinthum. *Hoc autem verum esse juramentum, nemo negabit, qui, quid juramentum sit, sciet.*

Est enim illud Actio, quâ Deus, sive simpliciter, sive cum precatione aliquâ, in testem eorum invocatur, quæ asseruntur, aut promittuntur. Itaque concludebant, non omni juramento interdicere Christum, etiam illo, quod in asserendo veritatem, in promittendo justitiam, utrobique judicium seu discretionem servat: sed eo solùm, quod per deos falsos, vel creaturas propriè fit; vel per verum Deum quidem, sed temerè aut leviter. Idcirco negant, juramentum esse rem bonam, & per se expetendam: negant item, esse rem malam, & omnimodis aversandam: sed censent, esse rem ἀδιάφορον, attamen periculosam; eoque cautè usurpandam, ac tum demum, cum aliqua urget necessitas.

ETiam veterum aliqui omni juramento Christianis interdictum putant. Quos inter Basilius comm. in illud Psalmi XIV: *Qui jurat proximo suo, & non decipit.* Verba ejus Latinè solùm apponam. *Quid hoc tandem est? hoc juramentum homini perfecto inter eas virtutes, quæ illum decent, concedi videtur: in Evangelio vero prorsus prohibetur. Quis incolet tabernaculum tuum, & quis requiescet in monte sancto tuo? Qui jurat proximo suo, & non decipit. Illic verò: Ego autem dico vobis, ne juretis omnino. Quid igitur dicemus? Quod ubique Dominus tam in veteri, quam in novâ lege eandem habet præceptionis considerationem. Cupit enim peccatorum effectibus occurrere, & à primis initiis malignitatem exscindere. Ut enim vetus lex ait, Non mœchaberis: Dominus vero, Non concupisces: illa item, Non occides: Dominus perfectiora instituens, Non irasceris: sic quoque in hoc loco contentus abit Propheta juramento, quod justum sit ac rectum: Dominus vero vel occasionem ipsam resecat perjurii. Qui enim vel rectè jurat, forte & is possit interdum falli: qui verò non jurat, periculum vitavit perjurii. Nominat item Propheta multis adeò locis juramentum immutabilem firmamque rei ac propositi cujuslibet confirmationem: ut est illud, Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Item, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Non quod Deum ad testimonium dictorum, fidemque dubietatis faciendam induxerit: sed quòd is immutabili ac firmo decreto gratiam promissionis Davidi confirmavit. Sic & hic dictum esse potest illud; Qui jurat proximo, & non decipit: hoc est, qui promissa affirmat proximo, & non decipit: ut cum Servatoris dicto conveniat; Sit sermo vester, Est est, Non non. De ejusmodi rebus dum adstruis & affirmas, annue: de his verò, quæ non ita se habent, etsi omnes homines adhortarentur, & obsecrarent, nunquam illo pacto inducaris, ut contra naturæ veritatem affirmes. Non facta est res? negatio sequatur. Facta est? consensu firmetur. Citra ullam verborum implicationem a, ipsam per se veritatem studeto exprimere, simplici ac nudâ usus assertione. Qui vero sic affirmanti minime crediderit, ipse viderit; damnum sentiet incredulitatis. Turpe enim, & omnino stultum, sese ut fide indignum accusare, & ad juramenti securitatem confugere. Sunt autem quidam sermones, juramentorum quidem figuras habentes, qui tamen juramenta omnino non sunt, sed remedia potius persuadendi: ut Ioseph, Ægyptium familiarem sibi reddere cupiens, per sanitatem juravit Pharaonis. Et Apostolus, caritatem suam erga Corinthios ostendere volens, ait: Per gloriam vestri, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Non enim Evangelicæ doctrinæ immorigerus fuit, & inobediens is, cui concreditum erat Evangelium: sed simplici sermone, sub formâ juramenti reddito, gloriationem, quam in ipsis habebat, omnino sibi pretiosissimam esse, hoc verborum tropo usus, ostendit.* Similiter Chrysostomus homil. XVII. in Matthæum, ubi fusè hac de re tractat. Summam complexus Theophylactus his verbis b: Τὸ ὀμνύειν, φησί, περισσὸν ὂν παρὰ τὸ ναὶ καὶ τὸ οὔ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν. ἀλλ' ἐρεῖς ὅτι καὶ λοιπὸν ὁ νόμος Μωσέως, κελεύων ὀμνύειν, πονηρός ἐστι; μάθε οὖν, ὅτι οὐκ ἦν πονηρὸν τότε τὸ ὀμνύειν. μετὰ δὲ Χριστὸν, ἐστὶ πονηρόν. ὥσπερ καὶ τὸ περιτέμνεσθαι. καὶ ἁπλῶς τὸ Ἰουδαΐζειν. ἐπεὶ καὶ τὸ θηλάζειν, τοῖς μὲν παιδίοις ἁρμόζει, τοῖς δὲ ἀνδράσιν αἰσχύνη. *Iurare*, inquit, *& adjicere amplius ad Etiam vel Non, à diabolo est. Porrò si dixeris, quod & lex Mosi mala est, quoniam jurare jubet: disce, quod tunc non erat malum jurare: post Christum autem malum est, sicut & circumcidi, & in summâ quicquid est Iudaicum. Sugere enim puero convenit, viro minimè.* Eadem mens imperfecti scriptoris in Matth. qui Chrysostomo est adsutus. Vide eum homil. XII. ubi post longam dissertationem adversus eos qui vel jurant, vel jurare compellunt: *Audite*, inquit, *vos clerici, qui jurantibus Evangelia sancta porrigitis: quomodo potestis ab illo juramento esse securi, qui sanctum perjuriis datis? Si erat bene justum, justè, dicebatis, quia dedimus illis Evangelium, ut jurent, non ut pejerent: nunc autem, cùm sciatis, quia & bene jurare peccatum est, quomodo potestis esse liberi, qui occasiones datis, unde peccetur in Deum? Cesset ignis, & incendium non fit: subtrahe gladium, & homicidium non committitur: sic tolle juramentum, & perjurium non fit.* Videtur quoque idem sensisse Hieronymus lib. II. in epist. ad Gal. cap. IV: *Cum ABBA Pater Hebræo Syroque sermone dicatur, & Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum, nisi Deum: nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Et certe ipse præcepit hoc, qui dixerat, non esse jurandum. Si non juramus, ne patrem quidem quempiam nominemus.* Idem in cap. V. Matth. sic scribit: *Hoc quasi parvulis fuerat concessum: ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent: sic jurare permitterentur in Deum: non quod recte hoc facerent; sed quod melius esset, Deo id exhibere, quam dæmonibus. Evangelica autem veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit.* Etiam Gregorius presbyter scribit in vitâ Gregorii Nazianzeni, sanctum hunc patrem legem sibi indixisse nunquam jurandi quam diu viveret: atque id per omnem vitam servasse. Communior interim sententia fuit, Christi verba restringi debere ad certum juramenti genus. Sed etiam, qui in hoc consentiunt, quomodo fieri id oporteat, dissentiunt. Quidam arbitrantur, Christum prohibere duntaxat juramentum, quod non per Deum fieret, sed creaturas. Mirum vero, hoc etiam apud Hieronymum legi, atque id eo in loco, ubi ait, Judæis convenisse juramentum tanquam parvulis, Christianis non item. Quod eorum videtur firmare sententiam, qui eum loqui putant de solo juramento per cælum, terram, Hierosolymam, aut caput suum. Mihi magis verisimile fit, alterutrius opinionis verba ab alio ad oram fuisse adjecta, quæ postea recepta sint in contextum. Verba Hieronymi quæ dicebamus, sunt ista a: *Considera, quòd hic Salvator non per Deum jurare prohibuerit, sed per cælum & terram & Hierosolymam, & per caput suum.* Sed adversus hanc seu Hieronymi, seu alius sententiam, ab aliis objicitur, quod subjungat Christus: *Sit sermo vester, Est, est; Non, non.* Quare is de quocunque juramento loqui Christus videtur. Hinc Christianus Duthmarus, qui ante annos vixit octingentos, dicere mavult, consilium esse, non mandatum. Nam super eundem Matthæi locum sic scribit: *Ne Iudæi per idolorum nomina jurarent, permisit eos Dominus jurare per nomen suum. Nec nobis etiam inhibuit, sed perfectiorem nos docuit; quod ea fides sit habenda inter Christianos, ut non sit necesse testem nomen Domini interponere. Perjurium & illis & nobis prohibitum est.* Similiter Bernardus serm. LXV. in Cantica: *Quod ad cautelam consultum est, videlicet non jurare omnino, hoc isti mandati vice tam consentiosè observant.* Sed huic responso obstat, tum quòd satis liqueat, Christum aliquid prohibere, quod Pharisæi & Scribæ licitum putarent; tum quòd verisimile non sit, Paulum, quem jurasse ex epistolis constat, neglecturum fuisse consilium Christi, cùm perfectionis præbere debuerit exemplum.

Quare

a *Raphaël Volaterranus periodum hanc vertere neglexit. Godefridus Tilmannus vertit,* Citra verborum implicationem ad aliud respiciens, per se veritatem &c. *Scribere potius debuerat,* nec ad aliud respiciens. *Apud Basilium est,* χωρὶς τῆς πρὸς ἕτερον ἐπιπλοκῆς. *Hoc est, non admiscendo alia. Sive, ut Musculus transtulit,* Citra alterius cujusquam connexionem.

b *in Matt. cap. 5.*

a *In cap. 5. Matth.*

Quare Augustinus existimabat, prohiberi duntaxat, ne vel falsò, vel temerè, aut leviter juremus. Sic enim scribit T. 4. lib. de mendacio ad Consentium cap. XV: *Juravit ipse Apostolus in epistolis suis, & sic ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est: Dico vobis, Non jurate omnino: ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur. Et ideo non invenitur jurasse, nisi scribens; ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem. Et hoc utique à malo, sicut dictum est. Quod autem amplius est, à malo est: non tamen suo, sed eorum infirmitatis, quibus etiam sic fidem facere conabatur. Nam quod loquens jurasset, dum non scriberet, nescio utrum aliqua de illo Scriptura narraverit. Et tamen Dominus ait, Omnino non jurate. Non enim concessit, ut id liceret scribentibus: sed quia præcepti violatorem Paulum, præsertim in epistolis conscriptis, atque editis ad spiritualem vitam, salutemque populorum, nefas est dicere: intelligendum est, illud, quod positum est, Omnino, ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum.* Idem docet epist. LXXXIX. ad Hilarium: qui inter quæstiones à Cœlestio in Siciliâ sparsas illam esse dixerat, an jurare liceret. Quàm verò caute juramentum permittat, inter alia ostendunt verba illa: *Jurationem cave, quantum potes. Melius quippe nec verum juratur, quàm jurandi consuetudine, & in perjurium sæpe caditur, & semper perjurio propinquatur.* Et post aliqua: *Multo tutius, quantum ad nos attinet, nunquam juramus: ut sit in ore nostro, Est, est, Non, non, sicut Dominus monet. Non quia peccatum est, verum jurare; sed quia gravissimum peccatum est, falsum jurare: quo citius cadit, qui consuevit jurare.* Idem T. 4. lib. 1. de Sermone Domini in monte, cùm varia Apostoli loca adduxisset, in quibus jurasse cognoscitur, ista subjungit: *Ita intelligitur, præcepisse Dominum, ne juretur; ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed necessariis jurationem habendam; refrenet se quantum potest, ut non eâ utatur, nisi necessitate; cum videt, pigros esse homines ad credendum, quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur.* Censet igitur Augustinus, quantum possumus, fugere nos juramentum debere, tanquam rem nec bonam, nec amandam; cùm semper, ut Christus ait, ab aliquo procedat malo; seu proprio, quale est levitas & irreverentia numinis divini; sive alieno, cujusmodi est incredulitas & diffidentia. Interim cùm non omnis diffidentia sit irrationabilis: ut si cujus fides meritò sit suspecta: aut irrationabilis quidem sit, sed non nisi juramento satisfieri aliis possit: fatetur Augustinus, aliquando juramentum & exigi, & deferri posse ad gloriam Dei, & magnum aliquod Reip. aut proximi bonum. Ob leve autem ac minutum aliquid juramenta planè sunt illicita: quod etiam Hieronymus indicat, in illud Hierem. cap. IV. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & judicio, & in justitiâ. Animadvertendum,* inquit, *quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium atque justitiam; si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* Nempe cum duplex sit juramentum, assertorium, & promissorium: in illo requiritur veritas, ne quid juremus falsi: in hoc exigitur justitia, ne quid spondeamus illiciti: in utroque opus est judicio seu discretione, ne juremus facilè ac leviter: cùm jurandum non sit, nisi ubi gravis urget necessitas. Plura veterum, Augustini imprimis, de juramento testimonia vide sis in Collectaneis Gratiani Caus. XXI. qu. 1. Sed, inquiunt nonnulli, de Augustiniano ævo & proximis seculis nolle se contendere: sed aliter sensisse eos, qui propius ab Apostolis abfuerunt. Nos verò nec hos ab omni juramento abhorruisse, inde colligimus, quòd Cyprianus sermone de lapsis, ubi de enervato corruptoque disciplinæ vigore conqueritur, ac peccata caussam fuisse dicit, cur Deus permiserit & immiserit Decianam persecutionem, inter alia peccata recenset, *non jurare tantùm temerè, sed adhuc etiam pejerare, &c.* quomodo puto locutus non esset, si juramentum ἁπλῶς damnasset. Idem inde colligimus, quia militare Christiani non poterant, nisi juramento priùs se obstrinxissent Imperatori. At non demum militiæ nomen dedere sub Imperatoribus Christianis; quibus *jurabant per Deum, & per Christum, & per Spiritum S., & per majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda:* ut testatur Vegetius lib. II. cap. V. sed longè antè sub gentilibus ipsis: ut clarè ostendit Dio in M. Antonino. Tertullianus lib. de corona militis cap. I. itemque Eusebius Histor. Eccles. lib. V. cap. V. Dissentire tamen hac parte videtur Joh. Baptista Hanseuius lib. de juramento veterum, cap. XXIX. *Simile,* inquit, *vero est, Christianos illos aurei seculi, & purioris animi, non jurasse. Id Tertullianus Apolog. cap. XXXII. insinuare videtur, apud quem gentes, ad exaggerandam invidiam contra Christianos, Majestatis eos læsæ insimulabant, quod cogi non possent, uti per Genios eorum adjurent.* Sed hoc cùm dicit, ipse, quæ objicit, solvit. Nam aliud est ἁπλῶς jurare nolle, aliud, nolle in gentilium gratiam loco veri Dei jurare per genium Principis: quod satis testantur illa Tertulliani verba cap. XXXI; *Sed &* JURAMUS, *sicut non* PER GENIOS *Cæsarum, ita* PER SALUTEM *eorum, quæ est augustior omnibus Geniis.* Quid verbis istis apertius? Rationem discriminis mox adjungit; *Nescitis, Genios dici Dæmones, & inde diminutivâ voce Dæmonia? Nos judicium Dei suscipimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse: ideoque & salvum esse volumus, quod Deus voluit; & pro magno juramento id habemus. Cæterum Dæmones, id est Genios adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus: non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus.* Nec solùm *per Genium Principis* jurare recusabant Christiani, verùm etiam *per Fortunam Principis:* sive quia Fortuna etiam inter Deos, sive quia hac ratione significetur, Cæsarem in manu suâ habere fortunam, quod Dei est unius. Itaque de Polycarpo legimus, Præside urgente illud Ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, maluisse eum vivicomburium pati, quàm ut, gentilium ritu, per Cæsaris juraret fortunam. Testis Smyrnensis Ecclesia apud Eusebium histor. Eccl. lib. IV. cap. XIV. Nempe hæc abnegatio fuisset veri numinis: quia (ut de formulâ illâ, per fortunam, aut genium alicujus jurandi, nihil nunc dicam) nationes volebant, ut Christiani Deum Israëlis & Christum abjurarent; inque ejus locum surrogarent Cæsarem; quem ipsæ pro præsenti colebant Deo, etiam templa ei erigentes & aras, ad quas per numen ejus jurarent. Unde Horatius od. V. lib. III.

> —— *Præsens Divus habebitur*
> *Augustus.* Et epist. ad Augustum:
> *Præsenti tibi maturos largimur honores,*
> *Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

At verbum Dei, jurantes per Deos alienos ex populo Dei exscindendos, docet. Vide Exod. XXIII. 13. Deuter. VI. 13. & X. 29. Jos. XXIII. 7. Jes. XLV. 23. Jer. IV. 2. V. 7. XII. 16. Sophon. I. 5. & Psal. LXIII. 10.

Milites Christianos jurare solitos Deo & Imperatori, docet nos Vegetius lib. II, cap. 5; *Picturis in cute punctis, milites scripti, cum matriculis inseruntur, jurare solent: & ideo sacramenta dicuntur. Jurant autem per Deum & Christum & Spiritum Sanctum, & per Majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda.* Et mox; *Jurant autem milites, omnia se strenuè facturos quæ præceperit Imperator, nunquam desituros militiam, nec mortem recusaturos pro Romanâ rep.* Arnobius lib. IV. *Juras per humani generis jura atque ipsius mortalitatis consortia.* Baronius ad annum CCXCVII. a arbitratur, Tertullianum ad juramenti formulam à Vegetio commemoratam respexisse, cùm lib. a T. 2. p. 695.
de Coronâ militis cap. XI. ita scribit; *Credimus, humanum sacramentum divino superinduci licere, & in alium*

Dominum respondere post Christum. Sed sub gentilibus Imperatoribus milites verbis istis juramentum concipere solere, planè verisimile est. Longeque verisimilius exinde colligit Godscalcus Stewechius *a*, Vegetium sub Christiano imperatore vixisse; quod verissimum est. Nam commentarios suos dedicavit Valentiniano Augusto, Valentiniani filio.

a Notis in præfat. Veg. tit.

In primitivâ Ecclesiâ per Eucharistiam fuisse juratum, ostendit factum Novati, quod Dionysius Alexandrinus episcopus, Cypriani σύγχρονος, verbis istis describit apud Eusebium hist. Eccl. lib. VI, cap. 35; *Cum fecisset oblationes, & singulis partem sacramenti distribuisset, porrexissetque, miseros homines & infelices, pro benedictione & gratiarum actione, jusjurandum dare coegit, ac suis utrisque manibus manus accipientis prehendens, non prius dimisit, quam hoc jurejurando eum obstrinxisset, (ipsius enim verbis utar) Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum. Atque miser homo non ante degustavit, quam ita illi se devovisset.* Etiam episcopi Catholici, qui Ariminensi concilio fuerant decepti, fraude agnita, ut Nazianzenus scribit, *comestati sunt corpus Domini, & quidquid in Ecclesiâ sanctum est, se nihil mali in suâ fide suspicatos.*

Atque hæc, quæ veterum Christianorum de juramento opinio fuerit, non obscurè ostendunt. Sed quæ sit mens verborum Christi apud Matth., nondum clarè satis ex iis dilucet. Cùm autem de eâ juniorum judicia varient, & quid singuli senserint, commemorare longum sit, meliusque ea apud ipsos legi possint: tantùm nunc commemorabimus, quid sibi hoc de loco viderit significarint nobis viri quidam longè doctissimi.

In confesso est, lege divina vetitum esse, jurare per Belum, Astarten, Molochum, Belsamen, aliaque falsorum deorum nomina: quia nullius in juramento nomen, ut Dei, usurpari debeat, præter unius Dei Israëlis. Cæterùm non convenit, an juramenta per caput suum, per animam suam, per salutem Principis, illegitima habita sint. Negant id vitii illi eruditi. Nam, inquiunt, per salutem Principis jurasse Josephum legimus Gen. XLII. 15. Unde colligunt, non fuisse id interdictum ante tempora Mosis. Post Mosen idem licuisse, probant ex Annæ exemplo 1 Sam. I. 26. Abneri 1 Sam. XVII. 55. & aliorum aliis in locis. Fuit etiam hæc sententia, cùm aliorum Scholasticorum, tum Thomæ in secundâ secundæ quæst. LXXXIX. art. VI. *Duplex*, inquit, *est juramentum. Unum quidem, quod fit per simplicem contestationem; in quantum scilicet testimonium Dei. Et hoc juramentum innititur divinæ veritati, sicut & fides. Fides autem est per se quidem, & principaliter, de Deo, qui est ipsa veritas; secundario autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet. Et similiter juramentum principaliter refertur ad ipsum Deum, cujus testimonium invocatur: secundario autem assumuntur ad juramentum aliqua creatura; non secundum se, sed in quantum in eis divina veritas manifestatur. Sicut juramus per Evangelium, id est, per Deum, cujus veritas in Evangelio manifestatur. Alius autem modus jurandi est per execrationem. Et in hoc juramento inducitur creatura aliqua, ut in quâ divinum judicium exerceatur. Et sic solet homo jurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit. Sicut & Apostolus juravit 2 Cor 1. dicens, Ego testem Deum invoco in animam meam. Quod autem Joseph per salutem Pharaonis juravit; utroque modo intelligi potest, vel per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligaverit Deo: vel per modum contestationis, quasi contestando veritatem divinæ justitiæ, ad cujus executionem principes terræ constituuntur. Ad primum ergo dicendum, quod Dominus prohibuit jurare per creaturas, ita ut eis adhibeatur reverentia divina. Unde Hieronymus* (in cap. V. Matth. cùm dixisset, Considera, quòd hic Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per cœlum & terram) *ibidem subdit, quod Judæi per Angelos, & cætera hujusmodi jurantes, creaturas venerabantur Dei honore. Et eâdem ratione punitur secundum canones clericus per creaturam jurans: quod ad blasphemiam infidelitatis pertinet. Unde in sequenti capitulo dicitur: Siquis per capillum Dei, vel per caput juraverit: vel alio modo blasphemiâ contra Deum usus fuerit: si in Ecclesiastico ordine est, deponatur.* Non dissimilis mens est Cl. Theologi Petri Martyris. Nam Comm. in Gen. XXI. 24. juramentum ab eo definitur *confirmatio voluntatis testimonio Dei, vel divinarum rerum.* Et in Gen. XLII. 15. explicans verba Josephi, *Vivit Paroh. Per creaturam*, inquit, *videtur jurare; sed si excutias diligenter, per Deum jurat, qui vivit in illâ eximiâ creaturâ.* Sed imprimis clara sunt ejusdem verba, quæ infrà citabo. Erat autem persuasum posterioribus Judæis, in rebus tenuioribus non esse jurandum per Deum immortalem; sed per parentes, quasi domesticos magistratus, per Terram, Solem, Astra, Cœlum, Universum. Locus est illustris Philonis initio περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων: qui lucem affert Matthæi loco. Ostendit enim Christus, juramenti non necessarii æquè reum esse, qui per ista jurarit ἀπεικονίσμασι a, ut Philo loquitur, θείας δυνάμεως b, quàm qui ausus sit directè ἐπὶ τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἀνατρέχειν c. Atque in Thalmudicis auctoribus similia legere est isti Philoneo. Quare in Christi verbis ὅλως non casus omnes includit, quibus juramentum exigi solet; sed formulas omnes, adversus discrimen excogitatum ab his, qui post Esdram fuere, magistris: quos Hebræi vocant זקנים, Hellenistæ modò πρεσβυτέρους, ut Matth. XV. 2, modò ἀρχαίους appellant, ut hoc loco. Illud autem ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστι non malè convenit ei, quod idem Philo *d* tradidit, Οὐ πίστεως ἡ πολυορκία τεκμήριον, ἀλλ᾽ ἀπιστίας e. Et quod libro περὶ τῶν δέκα λογίων scribit, Κάλλιστον, καὶ βιωφελέστατον, καὶ ἁρμόττον λογικῇ φύσει, τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ᾽ ἑκάστου δεδιδαγμένῃ, ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι. δεύτερος δέ φασι πλοῦς τὸ εὐορκεῖν. ἤδη γὰρ ὅ γε ὀμνὺς, εἰς ἀπιστίαν ὑπονοεῖται f. Et quæ ibi sequuntur, digna legi circa τοὺς ἐξ ἔθους πονηροῦ καταχρωμένους καὶ ἀνεξετάστως ὀμνύοντας ἐπὶ τοῖς τυχοῦσιν g. Illud verò sanè præclarum, Ἐκ πολυορκίας ψευδορκία h. Et, ὁ δὲ σπουδαίου λόγος, ὅρκος ἔστω βέβαιος, ἀκλινὴς, ἀψευδέστατος i. Nempe τὸ ναὶ καὶ τὸ οὔ. *Est, & non.* Illud verò imprimis Judaïcæ stultitiæ est argumentum, quòd quasdam juramenti formulas putarent vim obligandi ac perjurii pœnam non habere. Vide omnino Hieronymum De sanctâ fide lib. II. *k* ubi ostendit, ex Thalmud, ut liberis Judæis occasionem præbeat pejerandi votaque irrita reddendi. quæ insania hodieque manet: unde in Italia Germaniaque delectæ sunt formulæ, ex Thalmudicis libris depromtæ, quibus adigantur, ne irritum sit vinculum contemtu religionis. Imprimis sanctum illis est juramentum חי אלהים *Vivat Deus.* Jeremias cap. IV: *Et jurabit, Vivit Dominus, in veritate: in judicio & justitiâ.* Ad quem locum ita Bullingerus *l*: *Forma juramenti est; Vivit Dominus. Id quod perinde est, ac cum hodie dicimus, Sic me Deus adjuvet. Vivere enim Dei, nostra est conservatio: juxta illud Apostoli, Per ipsum vivimus, movemur, & sumus.* Addit ibidem, se de hac jurandi formulâ copiosius disseruisse in cap. Apocal. X. Martialis *m* in Epigrammate corruptè extulit, *Jura, Verpe, per Anchialam.* Qua de re vide, quæ in castigatissimâ Martialis sui notavit editione, maximoque Scaligero accepta refert doctissimus & amicissimus Petrus Scriverius. At etiam discrimen superstitio invenit inter ea juramenta, quæ Deum disertè non nominarent: qualia erant, per cœlum, per terram, per urbem sanctam, per caput: item per templum, per altare, per Corban, cujus sacramenti etiam Sanchoniathon meminit in Phœnicis. Ac quidem juramentum κορβᾶν aliis prætulerunt, etiam ei, quod per altare, templumve perhiberetur: citra omnem rationem, ut Christus monstrat Matth. XXIII. 16. Nam cùm juramenta per res alias sanctimoniam à Deo acci-

a Effigies & simulachra.
b Divini numinis ac potestatis.
c Ad ipsum Creatorem patremque universorum recurrere.
d Ibidem.
e Consuetudo crebrò jurandi argumentum est perfidiæ, non fidei.
f Pulcherrimum ac utilissimum fuerit, & rationali naturæ convenientissimum, omnino abstinere à juramento, & sic veritati assuescere, ut simplex sermo vim juramenti habeat. Secunda verò, juxta proverbium, navigatio est, rectè jurare. Jam enim qui jurat, suspectus est de perfidia.
g Male consuetudine, oscitanter, & sine delectu, jurant de rebus quibusvis.
h Ex frequenti juramento nascitur perjurium.
i Sermonis viri boni, perinde ac juramento, credi debet, cum ejus verbum sit firmum, rigidum, & undecunque veracissimum.
k P. 163. & seq. edit. Tig. a. 1552.
l Concione 13. in Jerem. pag. 85
m Lib. 11. epigr. 95.

accipiant; quò res quæque ad Deum propiùs accedit, eò efficacior esse debet ad imprimendam jurandi reverentiam divini numinis. Quo ipso in loco Christus non dicit, flagitium esse jurare per creaturas, relatas nempe ad Deum; sed dicit, in omnibus formulis, quæ creaturas nominant, implicitè fieri, quod alioqui fit explicitè: nam in superioribus jurandi formulis tacitè Dei nomen contineri: E. G. per caput signari eum, in cujus tutelâ sit caput; per altare, & munus, eum, unde illa sanctimoniam suam accipiunt; per templum similiter eum, qui præsidet templo; per cœlum, eum cujus majestas in cœlo relucet, quomodo nimirum in cœlum peccari dicitur Luc. xv. 18. 21. & Baptismus Johannis ex cœlo esse Matth. xxi. 25. Itaque mens Christi fuerit, nihil referre, temere quis, aut falsò per illa, aut per Deum immortalem juret. Hanc interpretationem verborum Christi (quam pensiculandam iis proponimus, qui eruditione & judicio in talibus valent) amplexus etiam fuit doctissimus ille Theologus, cujus antea meminimus, Petrus Martyr. Verba ejus apponam ex comment. in cap. xxi. Genes. *Ne te moveat, quòd Christus in verbis suis habeat, Omnino; quia potissimum ejus sermo ferebatur contra Scribas & Pharisæos; qui audebant dicere, rata & firma esse juramenta, quæ per nomen Dei exhiberentur: quæ per cœlum, terram, altare, templum, & hujusmodi, non esse valida, & ideo licere illa transgredi. Christus ita refutat, & juramenta hujusmodi omnia vult esse magni momenti; & ideirco suadet, quantum in nobis est, ut ita vivamus, simusque eo pacto comparati, ut nostro vitio juramentum non arcessatur. Neque juramenta per creaturas, ut illi faciebant, contemnenda sunt; cùm non condita sint ad hoc, ut illis abutamur, tanquam testibus nostri mendacii. Debent esse organa virtutum, non vitiorum; illisque si hoc pacto abutamur, fit non levis injuria; idque maximè, quia, cùm in juramento ut testes vocantur, in eas noster refertur animus, quà ipsa ad Deum pertinent, visque divina in illis elucet. Juramentum enim semper fit per quidpiam majus jurante, ut habetur ad Hebræos: creaturæ verò sunt hominibus inferiores, nisi spectentur quà sunt exercitus Dei, & illi inserviunt: & ita per creaturas jurare non est interdictum: unde utimur sacris Euangeliis, corpore Christi, fide & aliis ejusmodi verbis, cum juramus. Josephus per salutem Pharaonis juravit. Et Moses atque Prophetæ vocant testes cœlum & terram eorum verborum, quæ populo erant locuturi. Sint ergò ista juramenta contra Scribarum & Pharisæorum sententiam rata & firma; & quod ad nostram conversationem attinet, ita vivamus, ut neque per Deum, neque omnino per quidpiam aliud jurare opus sit.* Idem Martyr in lib. 1. Sam. c. xxv. 26. ubi David ait Abigael; *Vivit Dominus, vivit anima tua: Annotare,* inquit, *debemus, Deum advocari testem interdum non simpliciter, sed vel cum votis & precibus, vel cum diris & exsecrationibus. Cum precibus, ut cum dicimus, Ita vivam, ita me Deus adjuvet. Sic Joseph juravit, Vivat Pharo: ac si diceret, Ita vivat Pharo, ut hoc verum est quod dico. Et consueverant olim jurare per genium Cæsaris, & per salutem filiorum ejus. Sed ea formula sublata est in Codice. Diræ autem sunt hujusmodi, Male mihi sit, aut dispeream. Ita David in Psalmis, Si feci, inquit, istud, &c, si est iniquitas in manibus meis, auferat hostis gloriam meam, & conculcet ad terram vitam meam. In istis duabus formulis, nihil obstat, quo minus interponi possit nomen alicujus creaturæ, cui aut bene velimus aut male. Nomen autem illud creaturæ, obliquè tantum interponitur. Neque enim est directum aut plenum jusjurandum. Ita enim resolvi potest: Ita vivam, hoc est, Ita Deus det mihi vitam, aut, ita dispeream, hoc est, ita me perdat Deus. Hic nomen Dei supprimitur, cum revera universa vis & attestatio jurisjurandi ad illum solum refertur. è diverso, cum dicimus: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, exprimitur nomen Dei: res autem ipsæ reticentur. Hac ergò Papistas nihil juvant, ut hinc efficiant, licere Divos mortuos adhibere ad jusjurandum.*

Atque hæc de quæstione illâ, An liceat jurare, pro instituto nostro sufficiant. Cætera, quæ hujus loci propria non sunt, vide sis apud Lombardum, & Scholasticos lib. III. dist. XXXIX. Item Cl. Theol. Hieronymum Zanchium, qui T. IV. in explicatione præcepti tertii subtilissimè, nec erudité minùs, omnem hanc controversiam pertractavit.

ἘΠΙ´ΚΡΙΣΙΣ I.

Quamquam Concilio Ephesino (quo cum Nestorianâ hæresi Pelagiana simul condemnata fuit) nihil speciatim de juramento statutum fuit, tamen quæ ejus Concilii sententia fuerit, inde cognoscimus, quòd à Nestorio juramentum exegit, cum ejus dictis fidem non haberet. Etiam Concilium Toletanum VIII. (quod anno habitum IↃCC XCIII.) juramenta esse licita ostendit cap. II. quod est de incauto juramento.

TAntum verò abest, ut Conciliis istis adversentur Carthaginense IV, aut Trullanum, ut idem potiùs confirment. Nam Carthaginense illud non ἁπλῶς juramento, sed solo interdicit gentili juramento. Verba enim ejus sunt: *Clericum per creaturas jurantem acerrime esse objurgandum: quod si perstiterit in vitio; excommunicandum decernimus.* Qui canon citatus à Gratiano Decret. part. II. caus. XXII. quæst. 1. can. Clericum: item à Thomâ Aquinate, qui ut eum de creaturis, quà talibus, sive non relatis ad Deum, interpretetur, superius vidimus. Synodo verò Constantinopolitanâ in Trullo statutum est, τοὺς ὀμνύντας ὅρκους Ἑλληνικοὺς ὁ κανὼν ἐπιτιμίοις καθυποβάλλει, καὶ ἡμεῖς τούτοις τὸν ἀφορισμὸν ὁρίζομεν. *Jurantes juramenta gentilia canon pœnis subjicit, & nos eosdem excommunicandos decernimus.* Ioan. Baptista Hansenius lib. De juramento Veterum cap. XXVIII. pro Ἑλληνικοὺς legere jubet Ἐθνικούς: sed nihil mutandum: quando, ut Hieronymi utar verbis in cap. III. ad Gal. *Pro Græco gentilem accipere oportet, quia Ἕλλην, & Græcum, & ethnicum significat.* Ita Marius Victorius de Homous. recip. *Græci, quos Ἕλληνας, vel paganos vocant, multos Deos dicunt.* Et apud Socratem legimus histor. Eccl. lib. III. Ἑλλήνων τὴν θρησκείαν. & alia infinitis locis. Quorum imitatione doctissimus Budæus tres libros inscripsit, *De transitu Hellenismi ad Christianismum.* Ex his concludimus, Synodum istam non omni juramento, sed solùm Græco sive gentili abstinendum putâsse.

THESIS II.

Etiam Pelagii dogma erat, Divitibus baptizatis, nisi omnibus abrenuncient, nihil prodesse, quæ bona fecerint, cùm non possint ingredi regnum cœlorum.

HIlarius epist. ad Augustinum, quæ inter Augustinianas est LXXXVIII, inter dogmata à Pelagianis in Siciliâ sparsa, hoc refert: *Divitem, manentem in divitiis suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse eidem posse, si forte ex ipsis divitiis fecerit mandata.* Quæ eisdem verbis reponit Augustinus epist. seq. quâ Hilario respondet. Idem dogma Pelagianis tribuit August. epist. CVI. ad Paullinum. Superque eodem accusatus est Pelagius in Synodo Diospolitanâ; ut constat ex libro Augustini De gestis Palæstinis cap. XI. XXXIII & XXXV. Item lib. II. De gratia Christi, sive De peccato originali cap. XI. Idem quoque ostendunt verba ista Critobuli Pelagiani apud Hieronymum lib. I. Dialogorum adversus Pelagianos a: *Nec mihi Abraham & cæteros, quos in Veteri Testamento divites legimus, exemplo proponas, qui divites ingressi sunt regna cœlorum; cum ipsis divitiis ad bona utentes opera divites esse desierint: imò cum non sibi, sed aliis divites fuerint, & dispensatores* a P. 263. & seq. edit. Bas. 1553.

magis

magis Dei, quàm divites appellandi sint. Sed nobis Evangelica perfectio requirenda est, in quâ præcipitur, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Similiter Pelagius, sive Pelagianus scriptor brevium scholiorum in epist. Pauli, qui in 1 Tim. VI. ad verba illa, *Thesaurizare sibi fundamentum bonum*, scribit in hunc modum: *Vende omnia, da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Hoc perfectionis est fundamentum.* Quæ etiam legas apud exscriptorem ejus Primasium. Similiter Cœlestius epist. De scientiâ divinæ Legis; quæ quarto Hieronymi Tomo legitur: *Paupertati, non nobilitati futurorum beatitudo promittitur.* Et post aliqua: *Cum omnibus æqualiter legis data sit gratia, gehenna seu cœli regna promissa sint: alii de divitiis, alii de virtutibus meditantur.* Et mox: *Revera si amator pecuniæ sum, dum illi omni studium meæ voluntatis impendo, Domino servire non possum, quia, duobus dominis neminem servire posse, scriptum.* Quorum etsi pleraque commodam capiant sententiam, tamen liquet, quâ mente à Cœlestio dicantur. Ex professo verò, neque inerudite, aut ineleganter hoc dogma defendit scriptor libelli De divitiis; quem licet sub Xysti III. nomine editus sit, tamen hominis esse Pelagiani, vel hinc etiam cœco apparet. Inter alia *a*: *Advertendum est*, inquit, *non antiquorum imitatores oportere esse, sed Christi; nec Veteris Testamenti præcepta magis servare debere, quam Novi. In quo ergo nobis Christus imitandus est? in paupertate, nisi fallor, non in divitiis: in humilitate, non in gloriâ seculi; non concupiscendo, sed contemnendo. Et quæ Novi Testamenti* PRÆCEPTA *observanda sunt? Imprimis illa, quibus per divitiarum contemtum peccatorum aufertur occasio. Unde Dominum, eum sequi cupientibus, & suo discipulatui se offerentibus, nihil prius præcepisse invenies, quam divitiarum mundique contemtum.* Et post multa *b*: *Cur Ananias & Sapphira, ob subtractam pecuniæ partem, morte mulctati sunt, si ne hoc ipsum quidem, quod obtulerant, offerre debuissent? Mentiti sunt: inquies. Quid Apostolus de re superfluâ voluit esse sollicitus, vel quid tam gravi supplicio ejus fallaciam condemnavit? Tam enim contemni debet mendacium rei non necessariæ, quàm nec veritas exigit.* Et aliquanto pòst *c*: *Nemo quod non diligit, tantâ cupiditate tenet, aut quærit. Siquis autem dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo. Quid amplius dicere potuit, quàm, non esse amorem Dei, in quibus amor sit seculi? Ergò, inquies, divitiæ à Deo non sunt? Ego divitias supervacuam non necessariæ possessionis affluentiam dico. Quæ utrum ex Deo sit, quem fontem æquitatis atque justitiæ credi necesse est, tuo judicio derelinquo. Constat enim, Deum aurum & argentum creasse cum omnibus; non tamen ut unus infinitâ possidendi affluentiâ locuples fieret, & alius nimiâ conflictaretur inopiâ: sed ut omnes æquali lance, & pari jure possiderent, quod æquitatis auctor indulserat.* Idem *d*: *Sicut divitem illo sui tempore aliquem discipulorum Christi fuisse nego, ne ejus fallax videatur esse sententia, quâ definitum est, non nisi sua contemnentes posse esse discipulos: ita non persecutionis, sed religionis causâ eos sua distraxisse & erogasse contendo.* Idem *e*, cùm verba Christi adduxisset, de camelo facilius ingressuro per foramen acus, quàm dives veniat in regnum cœlorum: *Quid*, inquit, *de tam evidenti loco diutius aliquid disputare necesse est, nisi, tantum divites admonere, ut tunc demum sciant se cœlestis gloriæ possessores fore, cum aut tam magnam acum repererint, per cujus foramen camelo sit transire possibile; aut tam modicum camelum, cui etiam acus angustissimus aditus penetrabilis sit: aut si hoc penitus impossibile est, quomodo illud, quod adhuc impossibilius definitur; nisi fortè bene dispensatis opibus suis dives, sufficiens aut pauper ingredi contendat, quo opulentus intrare non poterat.*

a T. 5. bibl. PP. ed. 2. col. 794.

b Col. 796.

c Col. 797.

d Col. 798.

e Col. 805.

ANTITHESIS II.

Catholici contrà statuebant, divites, etiamsi in suis divitiis manerent, posse ingredi in regnum cœlorum. Atque id probabant ex eo, quòd Christus ista distinguat, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. &, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Unde concludunt, venditionem & distributionem non esse præcepti, sed consilii: quomodo Apostolus 1 Cor. VII. consulit, ut perpetuam servemus virginitatem; de quâ præceptum Domini non habere se fatetur. Præterea Pelagianam sententiam eo evertebant, quod Apostolus 1 Tim. VI. inter ea, quæ divitibus sunt præcipienda, non reponat illud, ut vendant sua, & in pauperes distribuant: sed contentus sit dicere:* Divitibus hujus seculi præcipe, I. non efferri animo. II. neque spem ponere in divitiis incertis, sed in Deo vivente (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere. III. divites fieri in bonis operibus. IV. facilè impertiri. V. libenter communicare. VI. thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. *Ubi per fundamentum bonum Catholici non intelligunt, omnium bonorum venditionem & distributionem in pauperes, prout Pelagiani capiebant: sed opes spirituales, puta virtutes Christianas; quas tanquam bonum firmum & certum incertis divitiis opponit Apostolus.*

Hinc Theophylactus ad hunc locum: *Ubi fundamentum est, ibi omnia sunt stabilia, firma & immobilia. Quia verò virtus & futuri seculi bona stabilia sunt, eam ob caussam fundamenti meminit.* Similiter Chrysostomus, Theodoretus, alii. Venditionem verò bonorum, & distributionem in pauperes divitibus non præcipi, sed consuli; pluribus locis ait Augustinus. Ut serm. LXI. de tempore. *Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut à vino & carnibus abstineatur, ut vendantur omnia, & pauperibus erogentur: præceptum verò datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, Qui potest capere, capiat: de justitiâ verò non dicitur, Qui potest facere, faciat: sed, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur. Consilium qui libenter audierit, & fecerit, majorem habebit gloriam: præceptum qui non impleverit, nisi pœnitentia subvenerit, pœnam evadere non poterit.* Similia habet T. X. serm. XVIII. de verbis Apostoli. Item T. 6. lib. de sanctâ virginitate cap. XIV. & XXX. Sed fusè imprimis, & ex professo hac de controversiâ agit T. 2. epist. LXXXIX. ad Hilarium: ex quâ hæc excerpsimus. *Cui enim Dominus hæc præcepit? Profectò, illi diviti, qui vitæ æternæ consequendæ consilium quærebat accipere. Hoc enim Domino dixerat: Quid faciam, ut vitam æternam consequar? Ille autem non ei respondit: Si vis venire ad vitam, vade, vende omnia, quæ habes: sed, Si vis venire ad vitam, serva mandata. Quæ juvenis cùm sibi à Domino ex lege commemorata se servasse dixisset, & quæsisset, quid adhuc sibi deesset, responsum accepit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Et ne se illa, quæ multum amabat, hoc modo perdere existimaret: Et habebis, inquit, thesaurum in cœlis. Deinde addit, Et veni, sequere me: ne cuiquam, cum hæc fecerit, aliquid prodesse existimetur, si non sequitur Christum. At ille quidem tristis abscessit: qui viderit, quemadmodum illa legis mandata servaverat. Puto enim, quòd se arrogantius quàm verius servasse responderat. Veruntamen magister bonus mandata legis ab istâ excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit: Si vis venire ad vitam, serva mandata: hic autem, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, &c.*

Cur

Cur ergò negamus, divites, quamvis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata servaverint, & dederint, ut detur illis, & dimiserint, ut dimittatur illis? Credimus enim, ministrum Novi Testamenti fuisse
a 1 Tim. 6. *Apostolum, cum scribens ad Timotheum* a *diceret: Præcipe divitibus hujus mundi, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Benefaciant divites, sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam: de quâ & illi adolescenti dictum est, Si vis venire ad vitam. Puto quòd ista præcipiens, divites instruebat, non fallebat Apostolus; qui non ait, Præcipe divitibus hujus mundi, ut vendant omnia quæ habent, dent pauperibus, & sequantur Dominum: sed, Non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum. Ista superbia divitem illum, qui jacentem ante januam suam contemnebat pauperem justum, & ista spes in incerto divitiarum, quâ se propter purpuram, byssum, & epulas splendidas beatum putabat, non ipsa divitiæ perduxerunt ad inferni tormenta. An fortè quia Dominus adjunxit, Amen dico vobis, difficile dives intrabit in regnum cœlorum: &, Iterum dico vobis, faciliùs intrabit camelus per foramen acus, quàm dives in regnum cœlorum: ideo putant isti, divitem, etiamsi faciat, quæ divitibus præcipienda scripsit Apostolus, in regnum cœlorum intrare non posse? Quid ergo est? Utrùm Apostolus contra Dominum loquitur, an isti nesciunt quid loquantur? Quid horum credat, eligat Christianus. Puto, melius nos credere, istos nescire quid loquantur, quàm, Paulum contra Dominum loqui. Deinde cur non in consequentibus etiam ipsum Dominum audiunt dicentem discipulis pro miseria divitum contristatis: Quod hominibus impossibile est, Deo facile est? Sed ideo, inquiunt, hoc dictum est, quia futurum erat, ut audito Evangelio, divites venditis patrimonio, erogatoque pauperibus, Dominum sequerentur, & intrarent in regnum cœlorum, atque ita fieret, quod difficile videbatur; non ut manentes in divitiis suis, præcepta Apostoli custodiendo, id est, non superbè sapiendo, neque sperando in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, benefaciendo, facilè tribuendo, & communicando indigentibus, veram apprehendant vitam; sed etiam ista præcepta Apostolica venditis omnibus suis rebus implerent. Hæc si dicunt, (scio quippe eos illa dicere) non attendunt primitus, quemadmodum Dominus contra eorum dogma suam gratiam prædicaverit. Non enim ait, Quod hominibus impossibile videtur, facile est hominibus si voluerint, sed, Quod hominibus, inquit, impossibile est, Deo facile est: ostendens quando ista rectè fiunt, non fieri hominis potentiâ, sed Dei gratiâ. Hæc ergo attendant isti, & si reprehendunt eos, qui gloriantur in divitiis suis, caveant ipsi in virtute suâ confidere. Simul enim utrique re-*
b Psal. 48. *prehenduntur in Psalmo* b: *Qui confidunt in virtute suâ, & qui in abundantiâ divitiarum suarum gloriantur. Audiant itaque divites, Quod hominibus impossibile est, Deo facile est: & sive manentes in divitiis suis, sive illis venditis, & per indigentias pauperum distributis, intrent in regnum cœlorum, gratiæ Dei tribuant, non propriis viribus bonum suum. Quod enim hominibus impossibile est, non hominibus, sed Deo facile est.* Fusè etiam hac de re adversus Pelagium disputat Prosper epist. ad Demetriadem:
ubi inter alia a inquit: *In populo Dei multi semper, qui divitiis bene uterentur, exstiterunt, nec ullo modo vel dici, vel cogitari liceat, quòd Abraham & Isaac & Iacob, quorum se esse Deum Dominus protestatus est, ideo verâ humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt.* Et mox: *Absit ab animis fidelium tam irreligiosa persuasio, ut cuiquam sanctorum, quibus Deus & divitias est largitus, & honores, ad capiendum veræ humilitatis meritum credatur vel opulentia offuisse, vel dignitas; cum eis ad hujus virtutis profectum utraque profuerint. Quamvis enim tota vita hominis tentatio sit super terram, & tam abundantia quàm inopia materia soleant esse peccati, cùm vel dives extollitur ad superbiam, vel pauper prosilit ad querelam: exstiterunt tamen in omni tempore, & in nostrâ quoque ætate non desunt, sicut & boni pauperes, ita & boni divites. Nec frustra B. Apostolus Paulus Timotheum admonet, dicens, Divitibus hujus mundi &c.* a Fol. 351. edit. Duac. 1577.
Cæterùm etiam Clemens Alexandrinus librum scripsit, cujus inscriptio erat, Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, *Quis ille dives sit, qui salvatur*: ut Eusebius testatur lib. VI. histor. Eccles. cap. XXI: & ex eo Hieronymus in scriptoribus Ecclesiasticis. Sed ut alia ejus scriptoris, atque item aliorum Patrum multa, liber ille injuriâ temporum deperiit.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ II.

Divites, manentes in divitiis suis, posse ingredi in regnum cœlorum, statuit synodus Palæstina: ubi Pelagius ipse cum sanctis Episcopis, qui concilio intererant, contrariam sententiam anathematizavit.

TEstis Augustinus epist. CVI. ad Paullinum, ubi sic scribit: *Præter illa, quæ, quomodo potuit, ausus est qualicunque ratione defendere, objecta quædam sunt, quæ nisi remotâ omni tergiversatione anathematizasset, ipse anathematizatus esset. Objectum est enim, eum dicere, Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, siquid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.* Et post aliqua: *Hæc omnia Pelagius sic anathematizavit, quod satis gesta ipsa testantur, ut nihil ad ea quoquo modo defendenda disputationis attulerit: unde fit consequens, ut quisquis sequitur illius episcopalis auctoritatem judicii, & ipsius Pelagii confessionem, tenere debeat, Divites baptizatos, etiamsi divitiis suis non careant, & sint tales, quales ad Timotheum describit Apostolus, non eos regno Dei posse privari.* Quia verò ad gesta Palæstina hìc provocat Augustinus, vide quæ hac ipsâ de synodo idem refert lib. de gestis Palæstinis cap. XI. XXXIII. & XXXV. item lib. de peccato originali cap. XI.

APPENDIX

De aliis ad actualem vitam pertinentibus, ab Hieronymo in Pelagio damnatis.

Etiam in Pelagio improbatum ab Hieronymo fuit, quòd diceret, gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam. Quibus verbis non aliud significabat, quam divites pro vestibus splendidis plebeias & ignobiles induere debere: ut nihil hic diversi dicatur ab iis, de quibus antea vidimus. In eodem damnabat, quod feminis concederet, ut psallerent Deo. Quod si in templis fieri Pelagius voluit, fatendum est, dixisse aliquid, quod mori ejus seculi repugnaret. Sunt & alia non pauca, eaque similiter ad vitæ actiones pertinentia, quæ in eodem Hieronymus culparet: sed, si candide & citra præjudicium statuere de istis velimus, cogemur fateri, pleraque omnia aliter cepisse Pelagium; saltem aliter capere potuisse, quàm ea intellexit Hieronymus. Unde factum putamus, quòd nec in synodo ullâ quicquam de iis adversus Pelagium statutum fuit; atque adeo Pelagio ea objectare pepercerint etiam Augustinus, Orosius, Prosper, alii, infestissimi licet Pelagii adversarii.

a P. 274. Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos *a*: *Ubique mediocria ὑπερβολικῶς transis, & magna secularis. Unde adjungis, gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam. Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem: si episcopus, presbyter, & diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candidâ veste processerint? Cavete clerici, cavete monachi, viduæ & virgines: periclitamini, nisi sordidas vos, atque pannosas vulgus adspexerit. Taceo de hominibus seculi, quibus aperte bellum indicitur, & inimicitiæ contra Deum, si pretiosis atque nitentibus utantur exuviis.* Hæc verba respiciens, sic in antidoto scribit Erasmus
b P. 309. *b*: *Calumniosius videtur insectari, quod Pelagius scripserat, gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam. Non enim dixit, vestes ornatas aut splendidas Deo contrarias, sed gloriam vestium. Quod si maxime dixisset, quid erat flagitii? Quasi Hieronymus non plurimis locis hoc idem dixerit. Verum hæc caloris disputantis sunt condonanda.* Baronius aliud voluisse
c P. 379. edit. ult. Moret. Pelagium arbitratur. Nam T. 5. Annal. *c prodigiosum* ait fuisse *Pelagii inventum, quod omnes homines crassioribus, ut monachos, uti vestibus vellet.* Nicolaus Sanderus libb.
d P. 364. de visibili Ecclesiæ monarchia *d* existimat, eum discrimen sustulisse vestium, quo sacerdotes a laicis distinguebantur. Unde cùm superiorem Pelagii sententiam ex Hieronymo commemorasset, ista subjungit: *Hoc fere opinantur Calvinistæ, ac præsertim Puritani, hoc est, ii Calvinistæ, qui cæteris puriores in Angliâ videri cùm velint, pro ingenti piaculo habent, ut in administratione ullius sacramenti veste candidâ minister Dei utatur.* Nos cum Erasmo putamus, non aliud voluisse Pelagium, quàm non debere nos gloriam captare ex vestium splendore: uti divites hujus seculi solent. Itaque omnino idem dixerit, quod Pelagianus ille scriptor libri De divitiis, Xysto III. adscripti,
e Col. 794. T. 5 bibl. PP. col. 2. quando ait *e*: *In quo ergo Christus imitandus est? in paupertate, nisi fallor, non divitiis: in humilitate, non in gloriâ.* Confirmat me in hac sententia armiger Pelagii Cælestius, cujus hæc verba epistola De scientia divinæ Legis: *Paupertati, non nobilitati futurorum beatitudo promittitur.* Et mox: *Displicet amicis, si, post ambitiosi habitus cultum, plebeia & ignobilia indumenta mutentur. Sed si hominibus placere vellem, ait Apostolus, Christi servus non essem.* Et paullo pòst: *Esaias vir in suâ gente nobilissimus, qui socer regis Ezechiæ fuisse refertur, jussu Dei deposito cilicio, nudus incedit: nec tam ardui præcepti pudore deterritus est, quo minus Dei imperium sequeretur: quia nihil honestius esse homini, quam Creatori suo parere judicabat. Joannes quoque Baptista, nobilis & in carne & in spiritu natus, cilicium a pueritiâ in habitum, & locustas elegit in cibum: qui nec peccati conscientiâ, nec paupertatis inopiâ, ad hujus gloriam oneris, sed solâ futuri seculi beatitudine trahebatur.* Multa etiam alia, ad actualem vitam pertinentia, in Pelagii Eulogiarum sive Testimoniorum libris occurrebant, quæ Hieronymus in eo damnaret; alia quidem ut simpliciter erronea, alia verò quasi talia, quæ ferri minimè possent. Sed si etiam in gratiæ inimico æquitatem judiciorum sectari non solùm licet, sed etiam oportet: fatendum profectò est, pleraque omnia, quæ ab Hieronymo taxantur, ejusmodi esse, ut meliorem interpretationem admittant: similiaque inveniantur apud eos, qui Pelagium oppugnarunt, etiam Augustinum, atque adeo Hieronymum ipsum. Ne tamen non omnia commemorasse dicamur, quæ in Pelagio damnarint Veteres: ne illa quidem præteribimus; sed bene longam de istis περικοπὴν ex Hieronymo adscribemus. Sic igitur sanctissimus ille Pater scribit lib. 1. adversus Pelagianos. *Libet sententias tuas parumper discutere, ut intelligam sectatores tui, quàm divinum in te mirentur ingenium. Dicis*, SINE PECCATO ESSE NON POSSE, NISI QUI SCIENTIAM LEGIS HABUERIT: *per quod magnam partem Christianorum excludis à justitiâ: & qui prædicator es impeccantiæ, omnes prope peccatores esse pronuncias. Quotus enim quisque Christianorum habet Legis scientiam: quam in multis doctoribus Ecclesiæ, aut raro, aut difficulter invenias? Verum tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris*, SCIENTIAM LEGIS ETIAM FEMINAS HABERE DEBERE: *cùm Apostolus doceat, esse tacendum mulieribus in Ecclesiâ: &, siquid ignorant, domi viros suos debere consulere. Nec sufficit tibi, dedisse agmini tuo scientiam Scripturarum: nisi earum voce & canticis delecteris. Jungis enim & ponis in titulo, quod* ET FEMINÆ DEO PSALLERE DEBEANT. *Quis enim ignorat, psallendum esse feminis in cubiculis suis, & absque virorum frequentiâ & congregatione turbarum. Verum tu donas, quod non licet, ut quod verecundè facere debeant, & absque ullo arbitro, magistri autoritate proclament.* DECIMOQUARTO TITULO *addis præterea*, SERVUM DEI NIHIL AMARUM DE ORE SUO, SED SEMPER, QUOD DULCE EST ET SUAVE, DEBERE PROFERRE: *& quasi alius sit servus Dei, alius doctor & sacerdos Ecclesiæ, prioris oblitus sententiæ, ponis in alio titulo*, VIGESIMO SECUNDO, SACERDOTEM SIVE DOCTOREM OMNIUM ACTUS SPECULARI DEBERE, ET FIDUCIALITER CORRIPERE PECCANTES, NE PRO IISDEM RATIONEM REDDAT, ET EORUM SANGUIS DE SUIS MANIBUS REQUIRATUR. *Nec semel dixisse contentus, id ipsum replicas, & inculcas* TRIGESIMO PRIMO TITULO, SACERDOTEM SIVE DOCTOREM NEMINI ADULARI DEBERE, SED AUDENTER OMNES CORRIPERE, NE ET SE, ET EOS, QUI EUM AUDIUNT, PERDAT. *Tantane est in uno opere dissonantia, ut, quid prius dixeris, nescias? Si enim servus Dei nihil amarum de suo debet ore proferre, sed semper quod dulce & suave est: aut sacerdos & doctor servi*

Dei non erunt, qui fiducialiter debent corripere peccantem, & nulli adulari, sed audacter omnes increpare: aut si sacerdos & doctor non solum servus Dei, sed inter servos ejus principalem tenet locum, frustra servis Dei blanditias & dulcedines reservasti, cum hoc proprium hæreticorum sit, & eorum, qui decipere cupiunt audientes. Et post aliqua. SEPTUAGESIMO SECUNDO TITULO. *Illud vero, quod in sequenti ponis capitulo,* IN DIE JUDICII INIQUIS ET PECCATORIBUS NON PARCENDUM, SED ÆTERNIS EOS IGNIBUS EXURENDOS, *ferre quis potest, & interdicere te misericordiam Dei, & ante diem judicii de sententia Judicis judicare: ut si voluerit iniquis & peccatoribus parcere, te præscribente non possit? Dicis enim, Scriptum est in centesimo tertio Psalmo: Deficiant peccatores à terrâ, & iniqui, ita ut non sint. Et in Esaiâ: Comburentur iniqui & peccatores simul, & qui relinquunt Deum, consummabuntur. Et non intelligis, consummationem Dei interdum sonare clementiam. Non enim dicit, æternis ignibus exurendos, sed à terrâ deficere, & iniquos esse cessare. Aliud enim est, ipsos à peccato & iniquitate desistere, & aliud, ipsos perire in perpetuum, & æternis ignibus concremari. Denique Esaias, de quo ponis testimonium: Comburentur, inquit, peccatores, & iniqui simul. non addit, in æternum. Et qui relinquunt Deum, consummabuntur. Propriè hoc de hæreticis loquitur, qui rectum fidei tramitem relinquentes, consummabuntur, si noluerint ad Dominum reverti, quem reliquerunt. Quæ sententia & tibi parata est, si neglexeris ad meliora converti. Deinde cujus est temeritatis, iniquos & peccatores impiis jungere? Omnis peccator & iniquus etiam impius est. Impietas enim propriè ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt. Peccatum autem & iniquitas, pro qualitate vitiorum, post peccati & iniquitatis vulnera, recipit sanitatem. Sine lege impius est, qui in æternum peribit. a In Lege, peccator credens in Deum, qui per Legem judicabitur, & non peribit. Si peccatores & iniqui æternis ignibus exurentur, non times sententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te esse dicis?* Et post aliqua: *Iungis præterea duo capitula inter se discrepantia: quæ si vera sint, os aperire non poteris:* NON HABENTEM SAPIENTIAM ET INTELLECTUM SCRIPTURARUM, NISI QUI DIDICERIT, SCIRE NON POSSE. TIT. XX. *& iterum:* SCIENTIAM LEGIS NON USURPARE DEBERE INDOCTUM. *Aut enim magistrum, à quo didiceris, proferre cogeris, ut tibi scientiam Legis liceat usurpare: aut si magister talis est, qui ab alio non didicerit, & docuerit te, quod ipse ignorabat; restat, ut non rectè facias, qui indoctus usurpas scientiam Scripturarum, & magister prius quàm discipulus, esse cœpisti. Nisi fortè humilitate solutâ, magistrum tuum jactitas Dominum, qui docet omnem scientiam, & cum Moyse in nube & caligine facie ad faciem audis verba Dei, & inde nobis cornuta fronte procedis. Nec hoc sufficit, sed repentè mutaris in Stoicum, & de Zenone nobis tonas supercilio,* TIT. LXXIII. CHRISTIANUM ILLIUS DEBERE ESSE PATIENTIÆ, UT SI QUIS SUA AUFERRE VOLUERIT, GRATANTER AMITTAT. *Nonne nobis satis est, patienter perdere quod habemus, nisi violento atque raptori agamus gratias, & eum cunctis benedictionibus prosequamur? Docet Evangelium, ei, qui nobiscum velit judicio contendere, & per lites ac jurgia auferre tunicam, etiam pallium esse concedendum: non præcipit, ut agamus gratias, & læti nostra perdamus. Hoc dico, non quod aliquid sceleris in hac sententiâ sit, sed quod ubique mediocria ὑπερβολικῶς transeas, & magna feceris.* Et post aliqua: TIT. CLXIV. *Audiamus & cætera.* INIMICOS UT PROXIMOS DILIGENDOS. *Statimque oppressus gravissimo lethargo, ponis & dicis,* TIT. CLXI. a INIMICO NUNQUAM ESSE CREDENDUM. [a Serm. CLXV.] *Quod sibi esse contrarium, etiam me silente, perspicuum est. Sed dices, utrumque vocibus Scripturæ contineri: non animadvertens, quo sensu in suis locis dicta sint. Præceptum est mihi, ut diligam inimicos, & orem pro persecutoribus. Numquid jussum est, ut ita diligam, quasi proximos, & consanguineos, & amicos, ut inter æmulum & necessarium nulla distantia sit? Si inimicos diligo quasi proximos, amicis quid amplius exhibebo? Aut si hoc dixeras, illud tacere debueras, ne contraria tibi in eodem loco dicere videaris, inimico nunquam esse credendum. Sed quomodo diligatur inimicus, & Lex docet: Jumentum adversarii si ceciderit, sublevandum. Et Apostolus: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da illi potum. Hoc enim faciens carbones ignis congregabis super caput ejus, non in maledictum & condemnationem, (ut plerique existimant) sed in correctionem & pœnitudinem, ut superatus beneficiis, excoctus fervore caritatis, inimicus esse desistas.* Et post nonnulla: *Atque ut magnitudinem tuæ virtutis ostendas, quod scilicet de bono conscientiæ thesauro eructare credaris, ponis in* TITULO CENTESIMO VIGESIMO TERTIO, NE LEVITER QUIDEM ESSE PECCANDUM. *Et quid sit hoc Leviter, ne fortè in Opere te aliquis dixisse existimaret, adnectis* CENTESIMO TRIGESIMO PRIMO TITULO, MALUM VERO NEC COGITANDUM: *neque illius sententiæ recordaris: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce servo tuo: cùm Ecclesia etiam ea, quæ per ignorantiam delinquimus, & solâ cogitatione peccamus, delicta esse fateatur: in tantum ut hostias pro errore jubeat offerri, & pontifex, qui pro cuncto populo deprecatur, ante pro se offerat victimas: qui certe nunquam pro aliis juberetur offerre, nisi justus ipse esset: nec rursum pro se offerret, si peccato careret ignorantiæ.* Hactenus Hieronymus, ex quo istos Pelagiani operis titulos nunc præterivimus, de quibus in controversiâ De necessitate gratiæ, vel Perfectione hominis, dictum fuit.

Sunt qui aliorum etiam insimulent Pelagium. Nam Alphonsus Ciacconius lib. I. De vitis & gestis Pontificum in vitâ Innocentii b de Pelagio scribit: *Contra reliquias* [b P. 114.] *sanctorum præcipuè invehebatur, cinerarios eos & idololatras, qui eas suscipiunt, appellans. Martyrum sepulchra negabat veneranda.* Sed errat Ciacconius. Nec enim hæc docuit Pelagius, sed Vigilantius; ut cùm ex aliis, tum istis imprimis, quæ Hieronymus adversus eum scripsit, clarè à nobis ostensum fuit, cùm *de invocatione sanctorum* tractaremus.

FINIS LIBRI QUINCTI.

Zzzz 2 GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ

DE

CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE

reliquiæ moverunt,

LIBER SEXTUS;

QUI EST

DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM,

& quæſtione adnexâ, an Gratia poſſit amitti.

Is demonſtratis, quæ ἀμέσως hominem ſpectant, ſupereſt ut conſiderationem intendamus ejus, quæ Catholicis cum Pelagianis & Semipelagianis, de divino decreto circa hominis finem, controverſia erat. ubi primùm de prædeſtinatione ſanctorum acturi ſumus: deinde ad reprobationem veniemus. De priori hæc ordine proſequemur.

I. Quæ inter Pelagianos, Semipelagianos, & Catholicos quæſtio fuerit de prædeſtinatione.

II. Quæ fuerit ſententia Pelagii.

III. IV. Quæ Iuliani.

V. VI. Quæ Maſſilienſium, in quantum Pelagianum retinent errorem.

VII. Quæ eorundem, quà Pelagianum augent errorem.

VIII. Quæ Patrum communiter ante Auguſtinum.

IX. X. Quid Auguſtinus huic addiderit ratione converſionis.

XI. Quid idem addiderit ratione perſeverantiæ.

XII. An patres putarint, gratiam poſſe amitti.

XIII. An, cum aiunt, poſſe amitti, loquantur de quâcunque ejus menſurâ.

XIV. An utrumque hoc omnibus Catholicis ſuæ ætatis potuerit perſuadere.

XV. An utrumque hoc additamentum cum priorum Patrum ſententiâ pugnet, nec ne.

XVI. An eum quoquam verba fuerit commutaturus, qui, errore Pelagiano & Maſſilienſium rejecto, non communem Catholicorum ſententiam, ſed tantummodo illam particularem Auguſtini opinionem improbaret.

XVII. An additamenta illa, vel Romanorum Epiſcoporum, vel Synodicâ authoritate, fuerint comprobata.

XVIII. Utrùm, quemadmodum Pelagiana ſententia hæreſis credita eſt, ita & Semipelagiana pro tali habita ſit, an duntaxat pro ſimplici errore.

LIBRI

LIBRI SEXTI,

Qui est de Prædestinatione, & quæstione adnexâ, An gratia possit amitti,

THESIS I.

Inter Pelagianos, Semipelagianos, & Catholicos, de prædestinationis caussâ controversia hujusmodi fuit, Utrùm prævisa liberi arbitrii merita sint ratio, cur Deus huic potius quàm illi, hæc potius quàm illi mensurâ, supernaturalis gratiæ & gloriæ dona largiri decreverit.

NOn dubium est, quin detur causa aliqua gloriæ & mediorum, quibus ad gloriam & beatitudinem æternam perducamur. Quæsitum igitur fuit, utrùm ea causa sit bonus usus liberi arbitrii ex naturæ viribus proficiscens, eoque omnem supernaturalem gratiam & gloriam præveniens: an contra fatendum sit, prædestinationis, quoad integrum effectum tam gratiæ, quàm gloriæ, nullam dari caussam ex parte prædestinati. Dico, quod ad integrum effectum. Nam prædestinatio bifariam consideratur: vel quà comprehendit omnes effectus suos; qui sunt, vocatio, justificatio & glorificatio; vel quatenus includit tantùm effectum ultimum, nempe gloriam æternam. Controversia veterum vel de prædestinatione erat, quà gratiæ præparationem significat; vel si quando de prædestinatione ad gratiam & gloriam sermo est, non tamen aliud quæritur, quàm utrùm caussam habeat merita ex naturæ viribus profecta: sive utrùm ex parte prædestinati caussam habeat secundùm omnes effectus, etiam gratiæ vocantis, & justificantis. Quod nunc strictim dictum, infra apertius fiet.

THESIS II.

Pelagii sententia erat, bonum usum virium ex creatione insitarum esse prædestinationis caussam.

QVæ Pelagianorum de prædestinatione opinio fuerit, facilè est conjecturâ assequi ex iis, quæ de gratiâ dicebant. Habet enim se prædestinatio ad gratiam, uti caussa ad effectum. Augustinus lib. de prædestinatione cap. x. *Inter gratiam & prædestinationem hoc tantùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia verò, jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus: Non ex operibus, ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis: gratia est. Quod autem sequitur: Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus: prædestinatio est.* Mox prædestinationem à præscientiâ eo distinguit, quòd hæc etiam sit peccatorum: illa tantùm sit eorum, quæ Deus fuerat facturus. Postea subjungit: *Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio: gratia verò est ipsius prædestinationis effectum.* Quare ex iis, quæ de gratiâ Pelagius scripsit, optimè ejus de prædestinatione sententiam cognoscemus. Atqui Pelagius credidit, homines penè omnes (ita cur loquamur, inferiùs exponemus) viribus ex creatione insitis sese convertere ad Deum, justificari, perseverare, & vitam tandem æternam adipisci. Consequitur ergò, ut, secundùm eum, propè in omnibus, caussa prædestinationis ad vitam, sit prævisa conversio & perseverantia viribus propriis præstita. Huc August. lib. de prædestin. sanct. c. xviii. *Præsciebat ergò, ait Pelagianus, qui* FUTURI *essent sancti & immaculati* PER LIBERÆ VOLUNTATIS ARBITRIUM, *&* IDEO *eos ante mundi constitutionem in ipsâ suâ præscientiâ, quâ tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergò, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præscivit: utique* IPSE NON FECIT, NEC SE FACTURUM, *sed illos futuros esse prævidit.* Et mox: *Cernitis procul dubio, cernitis, quantâ manifestatione Apostolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid* PRIOR *det, ut retribuatur ei. Elegit ergò nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia* PER NOS *sancti & immaculati eramus: sed elegit prædestinavitque ut essemus*[a]. Ex his liquet, ut capere oporteat Pelagium, sive Pelagianum brevium scholiorum scriptorem in omnes epistolas Pauli, quæ Hieronymo fallò tribuuntur. Verba ejus hæc sunt in c. ix. ad Rom. *Non solum Ismaël & Isaac, qui quamvis ex uno quidem patre, diversa tamen matre sunt generati, non sunt unum apud Deum: sed etiam Iacob & Esau, qui ex uno sunt de Rebecca nati concubitu,* ANTEQUAM NASCERENTUR, FIDEI SUNT APUD DEUM MERITO SEPARATI, *ut propositum Dei de eligendis bonis, & refutandis malis, etiam in præscientia maneret. Ita ergò & nunc, quos* PRÆSCIVIT DE GENTIBUS CREDITUROS, ELEGIT, *& ex Israel rejecit incredulos.* Et paullo pòst: *Prophetia est de his, qui futuri erant boni aut mali, ex ipsis operibus* a *aut odium Dei habere, aut misericordiam ejus consequi.* Et aliquanto pòst: *Hoc,* MISEREBOR, CUJUS MISEREBOR, *recto sensu ita intelligitur:* ILLIUS MISEREBOR, QUEM PRÆSCIVI POSSE MISERICORDIAM PROMERERI; *ut jam tunc illius sim misertus.* Item in cap. xi. *Illam plebem non repulit,* QUAM PRÆSCIVIT ESSE CREDITURAM. Et post pauca: *Electio gratia fides est, sicut opera electio legis. Cæterum quæ electio, ubi nulla diversitas meritorum?* Quicunque hæc verba pro conditionata prædestinatione, tanquam B. Hieronymi, laudant, (quod ab Ægidio Hunnio, & aliquot aliis clari nominis viris factum fuit) ficulnâ machærâ pugnant; quandoquidem commentarios illos vel Pelagius ipse scripsit, vel sectatorum saltem aliquis è Pelagio magnam partem exscripsit: quemadmodum ostendimus, cùm de Pelagii scriptis sermo esset *b*.

a *Sic habet Frobeniana an. 1553. & Parisina a. 1609. atque alia. Sed deest verbum merituri, aut simile. Nempe ut hunc in modum verba concipiantur: Proph. e. de h. q f. e. b. a. m. & ex ipsis operibus merituri aut odium Dei habere, aut m. e. c.*

b *Lib. 1. c. 4.*

THESIS III.

Juliani opinio fuit, caussam, cur aliquis ad gratiam prædestinetur, hanc esse, quòd naturali virtute incipiat benè operari: nec enim ad conatum boni operis, sed ad impletionem solùm gratiam esse necessariam ducebat.

PElagii de Prædestinatione opinionem perspeximus ex iis, quæ de gratia docuit. Similiter autem cognoscere licet, quæ Juliani de prædestinatione fuerit sententia. Atqui ille constituebat initium boni operis in naturâ. Quippe qui diceret *a*, per se incipientibus bene operari, meritò bonæ voluntatis in opere bono gratiam ad perficiendum illud conferri. Quare, ex ejus mente conatus & initia boni operis, prædestinationis ad gratiam caussa erunt. Ita intelligere oportet hæc Juliani verba apud Augustinum lib. 1. Resp. poster. advers. Iulian *b* *Quod autem Deus dictus est figulus ex eadem massâ faciens aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; à te commemorari omnino non debuit; quia ut à nobis consequenter exponitur, ita tibi totum repugnat. Nam eùm alii in honorem, alii in contumeliam*

a *V. de sup. lib. 3. pars. 2. Thes. 11.*

b *P. 178*

fieri

fieri dicuntur : juvatur sensus Catholicorum, quo SECUNDUM DIVERSITATEM VOLUNTATIS HUMANÆ, DIVERSUS ETIAM VASORUM EXITUS PRÆDICATUR. Loquitur nempe Julianus de præscientiâ bonorum operum, quæ initium debeant naturæ, consummationem gratiæ. Quod si est, prædestinatio secundùm omnes effectus suos ex parte prædestinati caussam habet.

THESIS IV.

Interim Julianus, vel saltem Pelagianorum plerique. fatebantur, non omnes prædestinari ex recto usu virium naturalium : sed hoc locum habere aiebant in penè omnibus. Apostolos enim excipiebant : quos Apostolatus gratiam non fuisse commeritos fatebantur : in cæteris verò dicebant gratiam pro meritis uniformiter administrari : contrariam doctrinam fatum inducere, & Deum facere προσωπολήπτην, *contendebant.*

MEritò superius dicebamus, ex sententiâ Pelagianorum, non omnes, sed penè omnes prædestinari ad gratiam ex operibus naturæ. Nam prædestinatos in classes duas dispescebant : in una eos collocabant, in quibus bonus usus naturæ fuisset caussa prædestinationis, tum ad gratiam, tum ad gloriam. In alterâ statuebant, quibus gratia divina utriusque foret prædestinationis caussa. In posteriore hac ponebant Apostolos, quibus Deum aiebant tot & tanta gratiæ auxilia destinasse, ut salvâ arbitrii libertate non possent non salutis æternæ fieri participes. In alteram referebant cæteros ad vitam electos. Docet hoc nos scriptor Hypognosticon lib. VI. in fine : *Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breviter probavimus, immanis blasphemia est ; quam* NON TANTUM, SICUT SOLETIS DICERE, IN APOSTOLIS *debemus accipere ; sed in Patriarchis, & Prophetis, & Martyribus, & Confessoribus, &* IN OMNIBUS SANCTIS, *& dignè servientibus Deo.* Cæterùm sententia hæc longo intervallo distat ab illâ Ambrosii Catharini, quam & discipulus ejus Sixtus Senensis *a* decennium totum in concionibus sequutus fuit. Nam ut mittam, quòd Catharinus præter Apostolos (quos solùm excipiebant Pelagiani, saltem in N. T., ut superioribus verbis ostendit scriptor Hypognosticon) etiam alios, licet numero paucos, absoluto Dei decreto salvari credebat : illud hos manifestè discernit, quòd Catharinus putabat, multo maximam electorum partem ex operibus per gratiam factis ad gloriam prædestinari : Pelagiani verò dicerent, eos electionem sui tam ad gratiam, quàm ad gloriam, naturæ viribus promereri. Atque hoc in caussa est, cur Scriptor Hypognosticon istam Pelagianorum sententiam immanem blasphemiam appellet ; & contrà contendat, neminem viribus naturæ, vel fidem, vel justificationem, vel gratiæ adjutorium, vel vitam æternam mereri, aut consequi posse : eoque neminem, vel ad gratiam, vel ad gloriam prædestinari ex operibus naturæ : sed tum hanc, tum illam gratiæ nos divinæ debere. Quæ & Augustini sententia fuit ; unde istam doctrinam suam certâ fide teneri voluit. Sic enim scribit cap. XVII. lib. de perseverantiâ : *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Quod verò antea dicebamus, Pelagianos, etsi hactenus disparilem gratiæ dispensationem agnoscerent, quòd majorem esse Apostolis destinatam putarent : cæteris tamen censuisse eam uniformiter, & æqualiter, pro cujusque merito conferri : id etiam istis Cælestii verbis cap. III. comprobatur : *Dei gratiam secundum merita nostra dari, quasi* (l. quia) *si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus.* Eadem mens Juliani apud Augustinum lib. II. adversus poster. respons. cap. CXVI *b*. *Graviter nos in fidem commisisse jactabas, qui dicimus, gratiam quidem Christi uniformiter esse tradendam ; nec debere verba ejus & instituta concuti ; sed æqualiter cunctis à se imbutis adoptionis & sanctificationis promotionisque dona conferre.* Idem, quando Deus dicitur facere, quod vult, misereri cujus vult, indurare quem vult : hîc, velle, exponebat, debere, quia semper rationabilis est voluntas Dei. Hæc Juliani verba sunt ejusdem libri cap. CXXX. *a* *Cum de Deo dico, facit quod vult, nihil aliud dico, quam facit quod debet ; quia scio, nihil eum velle, quàm quod debet. Ubi ergo inseparabiliter voluntas hæret æquitati ; quamcumque de illis nominavero, utramque signavi.* Idem ejusdem operis lib. I. apud Augustinum c. XXXVI. *b* *Est igitur proculdubio justitia, sine quâ divinitas non est ; quæ si non esset, Deus non esset. est autem Deus. est itaque sine ambiguitate justitia. est autem virtus omnia continens & restituens suum cuique, sine fraude, sine gratiâ.* Quæ verba diluit Augustinus parabola Matth. XVIII. ubi non minùs ei denarius datur, qui horam unam, quàm qui totum diem in vineâ laborasset. Mox concludit : *Neminem fraudat divina justitia, sed multum donat non merentibus gratiam.* Exinde etiam disparilem gratiæ sortem probat calcato infantium exemplo *c* : *In hoc profundo*, inquit, *est, quòd ille parvulus in honorem adoptatur per regenerationis lavacrum : ille in contumeliâ relinquitur non admittendus ad regnum ; cùm amborum in neutram partem sit meritum per voluntatis arbitrium.* Pluribus postea idem argumentum tractat, & subjungit : *Magna est gratia Dei, & verax justitia. Sed quare illo potius, quam ille, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Laudat & illud Ambrosii : *Quos dignatur, vocat ; & quem vult, religiosum facit.* Sed de Augustini mente infrà pluribus. Ad Pelagium redeo, qui vocationem disparilem fati nomine traducebat. August. lib. II. contra duas Pelag. epist. cap. V. *Assertores fati esse criminantur, quia non dicimus gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Addebat, Deum sic fore προσωπολήπτην. Verba sunt Juliani apud Augustinum lib. I. advers. post. resp. cap. CXXIX. *d* : *Reddens suum unicuique sine fraude, sine gratiâ, id est sine cujusquam acceptione personæ : quod exprimit nomen gratiæ in definitione justitiæ.* Ubi licet loquatur de judicio extremo : tamen satis indicat hic locus, ut ἀντίθετον statuerit inter gratiam, & προσωποληψίαν, quam fore censet, si gratia uni præ altero conferri dicatur in hac vitâ. Et alibi sanè diversam gratiæ distributionem impugnat ; non ἁπλῶς, ut putamus, sed eam, quæ ullos omnis omnino relinqueret remedii expertes. Sic enim loquitur Julianus *e* : *Modus ejus* (*justitiæ*) *est vel status, quòd nec cuiquam amplius, quàm vires patiuntur, indicit ; vel quòd misericordiam non retundit.* Et mox : *Est igitur procul dubio justitia, sine quâ divinitas non est : quæ si non esset, Deus non esset. Est autem Deus. est itaque sine ambiguitate justitia. Non est autem aliud, quam virtus omnia continens, & restituens suum unicuique sine fraude,* SINE GRATIA. Videri autem Pelagius possit hac parte deceptus a Patribus prioribus, qui sic loquuntur interdum. Ut alios inter Epiphanius, cùm hæresi LXIX. *f* sic scribit : Τοῦτο δὲ βούλεται παραστῆσαι ὁ θεῖος αὐτοῦ καὶ σοφὸς λόγος, ὅτι οὐ κατὰ προσωποληψίαν γίνεται πρᾶγμα, ἀλλὰ τῷ ἑαυτὸν ἄξιον πεποιηκότι. *Hoc vult ostendere divinus ejus ac sapiens sermo, quòd non secundum personarum acceptionem res ea fit, sed ei qui se fecerit dignum.* Et mox : Οὔτε ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, οὔτε ἅγιον πνεῦμα κατὰ προσωποληψίαν καλεῖ, ἢ δίδωσιν, ἢ παρέχει, ἢ ἀξίαν δίδωσιν, (*g* ἀλλὰ καθὼς ἑαυτὸν ἄξιον ἕκαστος ἐπιτελεῖ. τουτέστιν, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι,) ἀλλ' ἐὰν κάμητε, ἔσται ὑμῖν ἡτοιμασμένον παρὰ τοῦ πατρός μου. *Neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus juxta personarum acceptionem vocat, aut dat, aut exhibet, aut dignitatem tribuit ; sed prout quisque se dignum reddiderit : hoc est, non est meum dare, sed si laboraveritis, erit vobis præparatum à Patre meo.* Similiter scriptor commentariorum in epist. Pauli Ambrosio tributorum, quem Damasi ætate vixisse non semel diximus. Is comm. in verba illa c. IX. ad Rom. *Jacob dilexi, Esau* odio

a Lib. 6. bibl. cap. 248.

b P. 323

a P. 182.

b P. 32.

c Julian. poster.

d P. 184.

e P. 32.

f P. 334. ubi agit de loco Matth. 20. 23.

g Quæ lineis inclusa, vertere neglexerat Cornarius.

odio habui: Hoc, inquit, *quasi præscius, non personarum acceptor. Nam neminem damnat, antequam peccet; & nullum coronat, antequam vincat.* Sed Patres illi, ut putamus, nihil aliud volunt, quam προσωποληψίαν fore, si pios destinet ad pœnas, impios ad gloriam.

THESIS V.

Massilienses seu Semipelagiani retinebant hactenus Juliani sententiam, quod cum eo existimarent, esse in homine caussam, cur ad gratiam prædestinetur. In eo autem dissensus aliquis erat, quod Julianus prædestinationis caussam statuebat esse conatum & initia operis boni: Massilienses, fidem vel initia & affectum fidei. Nam incrementum fidei Deo tribuebant: at à nobis esse dicebant affectum quendam credulitatis, & initia aliqua bonæ voluntatis. Propter hæc aiebant, hominem ad gratiam prædestinari, non quasi hæc initia tantilla mereantur, sed quia tanta sit Dei φιλανθρωπία & misericordia, ut propterea hominem gratia regenerationis dignari velit.

UT in Pelagio & Juliano fecimus, eorum de prædestinatione sententiam ex doctrinâ de gratiâ colligendo: ita in Massiliensibus quoque facto opus est. Atqui dicebant Massilienses, hominem ad gratiam, quâ renascimur in Christo, pervenire occasione actuum, qui per naturalem conatum petendo, quærendo, pulsando fiunt: item ajebant, hominem ex se habere perseverandi potestatem. Utrumque horum ex Cassiano & aliis solidè evicimus *a*, cùm de necessitate prævenientis gratiæ tractaremus. Certo igitur certius est, secundum Massiliensium sententiam, prædestinationem ad gratiam factam esse ex præscientiâ recti usus liberi arbitrii, nullis gratiæ donis adjuti: ac ex mente eorundem, prædestinationem ad gloriam fluere ex præscientiâ perseverantiæ propriâ præstitæ virtute. Sic interpretari oportet Prosperi verba, cùm ad Augustinum scribit: *Hæc ipsorum definitio ac professio est, universis hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicunque ad fidem, & baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem* CREDITURI *sunt, quive* IN EA FIDE, *quæ* DEINDE *per Dei gratiam sit* JUVANDA, MANSURI SUNT, *præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos* DIGNOS FUTUROS ELECTIONE, *& de hac vitâ bono fine* EXCESSUROS *esse præviderit: ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendendâ vitâ æternâ nemo desperet, cùm* VOLUNTARIÆ DEVOTIONI REMUNERATIO SIT PARATA. Vide & Hilarii ad Augustinum literas, & quæ Prosperi ac Hilarii literis Augustinus respondit. Nihil ex istis omnibus clarius erit, quam Massiliensium geminum fuisse errorem; unum de gratiâ præveniente, & prædestinatione sanctorum; alterum de perseverantiâ in bono. Cæterùm prior controversia quodammodo duplex censeri potest. Nam partim est de gratiâ præveniente, seu initio fidei naturæ viribus orto, sed deinceps à gratiâ perficiendo: partim de prædestinatione sanctorum ad gratiam regenerationis. Magis tamen una quæstio est, quia si homo viribus naturæ fidem & sanitatis desiderium adipiscitur, perque hæc regenerationis gratiam promeretur; simul consequitur, eum ad conversionis & regenerationis gratiam prædestinari secundum fidei & bonæ voluntatis merita prævisa. Augustinus contrà putavit, divini hoc esse muneris, eoque suppliciter esse à Deo exposcendum. Altera controversia est planè simplex. Nam in hoc uno consistit, quòd caussam perseverantiæ solam statuerent hominis voluntatem, eamque ex naturæ viribus manantem: Augustinus contrà putaret, istam divini esse muneris, ut supplices eam à Deo expostulare, & impetrare debeamus. Utramque Massiliensium opinionem oppugnat Augustinus. Adversus priorem est liber De prædestinatione sanctorum. Nam quamquam totus in eo consumitur, ut ostendat, initium fidei non esse à naturâ, sed à gratiâ præveniente: tamen eum de prædestinatione Sanctorum inscripsit, quia, uti dicebamus, si initium fidei, & bonæ voluntatis, fuerit à naturâ, jam prædestinatio fiet secundùm merita prævisa; quod Augustinus refellit. Adversus errorem alterum alter est liber, qui De bono perseverantiæ inscriptus est. Hanc Massiliensium de prædestinatione sententiam secutus etiam Faustus lib. I. cap. VI. Ubi explicans verba illa, *Quia major serviet minori: In seniore*, inquit, *Judæa arrogantia reprobatur: in juniore fides gentilis eligitur.* Eodem pertinet, quod ait cap. XII. *Sicut sui criminis est, quod longe pii parentis* (Dei) *refugit oculos: ita* SUÆ EST DEVOTIONIS, QUOD PER INSITUM SIBI BONUM DELIBERANS ET ASSURGENS, AD PATERNOS RECURRAT AMPLEXUS. Et lib. II. cap. III. *Præscientia itaque gerenda prænoscit: postmodum prædestinatio retribuenda describit.* Item: *A præscientia divina, quæ sunt nostra, produntur: à prædestinatione, quæ sunt Dei, præparantur. Ac sic, nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nil decernit.*

a Lib. 4. part. 1. thes. 1. & 2.

THESIS VI.

Interim nec Massilienses putabant, Deum semper expectare naturæ conatus; sed fatebantur, ut plurimum præveniri hominem à Deo: unde consequitur, nec statuisse eos ad gratiam prædestinationem, ex præscientiâ recti usus liberi arbitrii, nisi in quibusdam.

EX Massiliensium sententia duæ erant hominum classes: quorum alii à misericordia Domini præveniretur; alii eam prævenirent: quod satis liquet ex Cassiani collat. lib. XIII. cap. XII. & Concil. Arausic. II. can. VIII. atque aliis: quemadmodum ostendimus, cùm de necessitate gratiæ ageremus *a*. Atque inde est quòd Prosper ad Augustinum sic controversiæ statum proponit: *Utrum præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, ut ea ipsa, quæ sunt proposita, sint accipienda præscita: an per genera caussarum, & species personarum ista varientur: ut, quia diversæ sunt vocationes, in his, qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere: in his autem, qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an verò uniformiter, licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine subnixa sit proposito.* Ubi statum trimembrem facit. Nam aut prædestinatio in omnibus est uniusmodi, aut variat. Si uniusmodi, aut simpliciter conditionata est, in quâ propositum pendet à præscientia: vel simpliciter est absoluta, in quâ præscientia nititur proposito. Varia autem fuerit, si partim hujus, partim illius sit generis: hujus in infantibus, & aliquibus adultis, ubi gratia prævenit naturam: illius in adultis aliis, ubi natura prævenit gratiam. Postrema hæc Semipelagianorum sententia erat: media fuit Augustini. Prima subdividi debet. Nam Dei propositum vel nititur præscientiâ eorum, quæ proveniunt à viribus gratiæ; ut Catholici communiter docuerunt: vel eorum, quæ fluunt à virtute naturæ: idque vel secundùm omnes actus, ut voluit Pelagius: vel solum quod ad fidem, & initium operum justitiæ ex fide, ut Julianus existimabat. Ex his satis liquet, Semipelagianorum fuisse sententiam, homines à Deo ad gratiam eligi: (de hac enim, non de prædestinatione ad gloriam Prospero sermo est) eligi, inquam, secundùm præscientiam fidei, & sanationis desiderium: quæ & primò Augustini sententia fuit. Itaque Massilienses, Hilario teste *b*, sua ei verba objectabant: uti, quod in quæstione contra Porphyrium scripserat, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat, esse, qui in eum fuerant credituri.*

a Lib. 4. part. 1. thes. 1.

b Epist. ad August. De reliquiis Pelag.

Et

Et in expositione quarundam propositionum Epist. ad Rom. *Patent prima merita fidei & impietatis, quomodo Deus præscientiâ eligat credituros, & damnet incredulos; nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed & illorum fidei præstans, ut bene operentur, & istorum impietatem deserendo obdurans, ut malè operentur.* Et antè in eodem libro: *Æquales omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnimodò æqualibus electio nominari; quoniam Spiritus Sanctus non datur, nisi credentibus. Non quidem Deus elegit opera, quæ ipse largitur, cum dat Spiritum Sanctum, ut per caritatem bona operemur; sed tamen elegit fidem; quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum Sanctum, per quem infusâ caritate bonum possit operari. Non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est: sed fidem elegit in præscientia, ut quem crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam æternam vitam consequeretur. Dicit enim Apostolus, Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus, nostrum est: quod autem operamur, illius.* Hæc satis ostendunt, ut Augustinus non minus, quàm Massilienses, inter fidem & justitiæ opera distinxerit; & fidei quidem initium naturæ assignarit, sed merito fidei hominem putarit accipere Spiritum Sanctum, qui caritatem accendat in cordibus nostris, ut per hanc piè sanctèque postea vivamus. Sed sententiam istam postea correxit lib. I. Retract. cap. XXIII. unde & sua verba exscribit lib. I. de prædest. sanct. cap. III. Imò toto hoc libro ex professo sententiam istam refellit: ut antea quoque dicebamus. Postea etiam hæc Massiliensium opinio, quâ ALIQUOS secundùm fidem, quasi ea sit ex nobis, ad primam gratiam eligi putabant, damnata fuit Concilii Arausicani can. VIII. ubi statuitur, *non* ALIOS *per misericordiam*, ALIOS *per liberum arbitrium salvari; sed* NEMINEM *venire ad Christum nisi quem Pater attraxerit.* Sic enim canonem hunc legi debere, alibi ostendimus. Eodem pertinent, quæ canone ultimo dicuntur, de latronis, & Cornelii centurionis, & Zachæi fide divinitus collata. Nam in his putabant Massilienses fidei & bonæ voluntatis principium eluxisse, antequam divinâ gratiâ vocarentur: ut liquet ex Cassiani collat. XIII. cap. XI.

THESIS VII.

Et hactenus quidem Semipelagiani Pelagianorum errorem molliebant: cæterum erat, in quo eum augerent. Neque enim dubitabant dicere, infantes prædestinatos esse ad præmium, vel pœnam, pro vitâ cujusque quam acturus fuerat, si ad ætatem adultam pervenisset.

PEculiaris hic Semipelagianorum error erat, ut infantes salventur ex meritis præscitis, nec futuris. Quo de sic Prosper ad August. *Cùm innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique, excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur; ut ante discretionem boni ac mali, de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cælestis regni assumantur hæredes; alii sine Baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores:* TALES AJUNT PERDI, TALESQUE SALVARI, QUALES FUTUROS ILLOS IN ANNIS MAJORIBUS, SI AD ACTIVAM SERVARENTUR ÆTATEM, SCIENTIA DIVINA PRÆVIDERIT. Porro Augustinus lib. De prædest. sanct. cap. XIII. dicit, eos hac parte graviùs errasse ipso Pelagio: qui, si istoc sensisset, Catholicis originale peccatum inde probantibus, quòd infantes absque Baptismo morientes damnarentur; respondere potuisset, constringi reatu, non peccati originalis, sed peccatorum actualium, quæ facturi erant, si supervixissent. Subjungit postea Augustinus: *Sed quia hominis futura, quæ non sunt futura, procul dubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est: ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt: & multo magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non potest quàm molestè feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum & absurdissimum, hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum Catholicâ authoritate condemnant.* Hanc eorum opinionem fusè refellit cap. seq. h. e. XIV. Totam verò disputationem sic concludit: *Quocirca non debent huic Pelagiana in tantum favere opinioni, quâ opinantur, gratiam Dei secundùm merita nostra dari: ut quod illi audire non possunt, sententiam veram planè & antiquitùs Christianam; Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; destruere moliantur, & id adstruere, quod, non dico crediturum, sed somniaturum neminem putaremus: secundum ea scilicet judicari quemquam mortuorum, prout gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset. Ita quippe claret, invictum esse, Gratiam Dei non secundum merita nostra dari, ut huic veritati contradicentes ingeniosi homines, hæc ab omnium auribus & cogitationibus abigenda dicere cogerentur.* Fulgentius lib. I. De veritate prædestinationis a: *Illam quoque absurditatem quibusdam irrepsisse, multum miror & doleo, quâ gratiæ Dei in tantum inimici esse non dubitant, asserentes, futurorum operum merito parvulos baptizari: ut è contrario dicant, illis quoque parvulis, qui sine Baptismate moriuntur, divinâ benignitate consuli, ut absque sacræ ablutionis gratia rapiantur ad pœnam: in quibus scilicet Dominum futura eorum mala, si aliquanto diutiùs hic viverent, præscisse contendunt, & bonitate suâ præripuisse præsentis vitæ curriculo.* De Pelagianis & Semipelagianis hactenus: nunc cum horum sententiâ distinctè Catholicam conferamus. a P. 18.

THESIS VIII.

Græci Patres semper, Patrum Latinorum verò illi, qui ante Augustinum vixerunt, dicere solent, eos esse prædestinatos ad vitam, quos Deus piè rectèque victuros prævidit: sive, ut alii loquuntur, quos prævidit credituros, & perseveraturos, τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον: ut est 1 Tim. 1. quod ita interpretantur, ut prædestinatio ad gloriam facta dicatur secundùm præscientiam fidei & perseverantiæ. Verùm non intellexere præscientiam eorum, quæ homo acturus erat ex viribus naturæ, sed quæ esset facturus ex viribus gratiæ, tum prævenientis, tum subsequentis: eoque antiquitatis ille consensus nihil vel Pelagianos, vel Semipelagianos juvat. Nam utrique illi crediderunt, prædestinationis caussam dari ex parte hominis secundùm omnes effectus. At Catholici agnoverunt, gratiam primam non ex merito, sed gratis conferri. Quare nec putarunt, ex parte hominis caussam dari prædestinationis ad gratiam prævenientem. Perquam etiam verisimile est, vel omnes, vel plerosque, cùm fidem electione faciunt priorem, non tamen considerare fidem ut caussam electionis propriè dictam, quasi Deus dignitate fidei motus, aliquos elegerit ad sanctimoniam & vitam; sed quia respexerit meritum Christi; hoc autem absque fidei dono nemini prosit. Itaque, secundùm eos, prædestinatio non minùs est gratuita, etsi posterior sit fide, quàm justificatio gratis fit, etsi eam fides ordine naturæ antecedat.

QVæ de prædestinatione ad gloriam Patrum fuerit sententia, utcumque in locis suis communibus expressit Johannes Chassanio, Theologus Gallus, cùm sic scribit: *Hoc doctrinæ caput vetusti scriptores vix attigerunt. A Clemente tamen Alexandrino, lib. VII.* Στρωματέων, *dictum*

dictum istud est: Deum prædestinasse, quos justos cognovit ante mundi constitutionem. Quem sensum MULTI *postea secuti sunt, prædestinationem ex præscientia pendere existimantes, quasi rerum futurarum cognitio prædestinationis esset caussa.* Nec solùm Alexandrinus Clemens, sed etiam Romanus pro hac sententiâ citari solet ex Recogn. lib. III *a*. Sed cùm Recognitiones istæ sint idem ille liber, qui antiquitus Circuitus Petri inscribebatur, & Eunomio faveat, atque à Gelasio quoque in LXX episc. Concilio inter Apocrypha sit relatus, etiam à Sixto Senensi, Peterio, Bellarmino, Baronio rejiciatur; stultum sit, ei immorari. Uti & Hippolyti Martyris libro De consummatione seculi: cujus autoritate eandem tuetur sententiam Gregorius Valentianus Disp. I. De prædestin. quæst. XXIII. Punct. IV. §. 6. Sed esse supposititium scriptorem, satis ostendit doctissimus Juellus contra Hardingum art. I. sect. V. Potius igitur a Clemente Alexandrino veniemus ad discipulum ejus Origenem. Quamquam nec de hujus sententiâ res sit satis certa. Nam veterum multorum opinio est, putasse eum, animas corporibus vel prædestinatorum, vel reproborum uniri, pro iis, quæ bene vel malè egissent ante conditum corporeum hunc mundum. Quam hæresin ei tribuunt, cùm alii multi, quos lib. I. cap. IV. adducebamus, tum Hieronymus lib. III. adversus Pelag. *b* Augustinus lib. II. De Civ. Dei cap. XXIII. ubi fusè errorem eum refellit, Isidorus lib. VIII. Origin. cap. V. item Damascenus homil. De sabbatho sancto *c*, & lib. II. fidei orthodoxæ cap. XII. & Alexander Monachus περὶ ὁ εὕρεσις τοῦ σταυροῦ. Sed quia Origenistarum quidem opinionem hanc fuisse constat: de Origene verò adhuc disputatur: non repugnamus, quo minùs verba ejus ita capiamus, prout ab eruditis viris accipiuntur: præsertim quando interpretem Rufinum constat ab eo errore abhorruisse; ut qui illum Hieronymo objiciat; unde sanctus ille Pater non contentus ab illo se purgare, refellere eundem coactus est, apolog. I. adversus Rufinum. Verba autem Origenis seu Rufini, quæ conditionatam prædestinationem adstruunt, habemus lib. III. περὶ ἀρχῶν cap. I. *d* Ubi disputationem hac de re istum in modum obsignat: *Itaque concluditur ex hoc, quia prius gestorum uniuscujusque caussa præcedit, & pro meritis suis unusquisque à Deo vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ: Unumquodque igitur vas, ut vel ad honorem à Creatore formetur, vel ad contumeliam, ex seipso caussas & occasiones præstitit Conditori.* Et mox: *Justa hac videtur assertio, & cum omni pietate concordans, ut ex præcedentibus caussis unumquodque vas vel ad honorem, vel ad contumeliam præparetur.* Plura ibidem in hanc mentem. Et lib. VII. in epist. ad Rom. cap. VIII. Primùm, ubi de cognoscendi vocabulo: & mox, ubi de vocatione secundum propositum tractat. Item in cap. IX. ubi de vasis iræ & contumeliæ. & alibi passim. Unde V. Cl. Th. Beza, qui hoc conditionatæ electionis dogma cum absoluto decreto, quale Augustinus statuit, pugnare judicabat, sic hac de re scribit notis in epist. ad Rom. IX. 39. *Est etiam hic locus diligenter observandus adversus eos, qui fides, vel operum prævisionem faciunt electionis caussam. In quem errorem sane turpissimum Origenes veteres plerosque, tum Græcos, tum Latinos adegit; donec tandem Dominus Augustinum per Pelagianos, ad hunc agnoscendum & corrigendum errorem, excitaret.* Calvinus similiter lib. III. Instit. cap. XXIII: *Sic interposito præscientiæ velo electionem non modo obscurant, sed originem aliunde habere fingunt. Neque vero hæc vulgo recepta opinio solius vulgi est. Habuit enim seculis omnibus magnos authores. Quod ingenue fateor: nequis caussa nostra magnopere obfuturum confidat, si eorum nomina contrò opponantur.* Ubi non dubium, quin è Græcis vel maximè Chrysostomum intelligat. Quem existimasse, Jacobum ob prævisa opera dilectum, Esavum fuisse reprobatum, etiam Peterius fatetur in cap. IX. ad Rom. etsi Augustini ipse sententiam Chrysostomianæ præferat. Verba Chrysostomi sunt initio homil. LI. in Genesin:

a P.ag 46. edit Paris. Somn. a. 1568.

b Vid sup. lib. 2. part. 1. thes. 5.

c P. 199. edit. Græco-Lat. à Pantino procuratæ.

d P 829. edit. Bas. 1536.

Τοῦτο δὲ ἐγένετο οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ᾽ ἵνα ἡ τοῦ Θεοῦ πρόῤῥησις διὰ τῶν ἔργων πληρωθῇ, ἡ λέγουσα, Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα. Ἐπειδὰν γὰρ ὡς Θεὸς τὰ μέλλοντα προειδὼς προαναφωνήσει καὶ τούτου τὴν ἀρετὴν, κἀκείνου τῆς γνώμης τὴν μοχθηρίαν. *Hoc autem non temere factum, sed ut prophetia compleretur, quæ dicit: Jacob dilexi, Esau vero odio habui. Nam cum Deus futurorum sit præscius, prædixit & illius virtutem, & mentis hujus malitiam.* Et in cap. Matth. XXV. homil. LXXX. ad illa verba, *Venite benedicti Patris mei*, &c. Πόσης ταῦτα τιμῆς, πόσης μακαριότητος τὰ ῥήματα; καὶ οὐκ εἶπε, Λάβετε, ἀλλὰ, Κληρονομήσατε, ὡς οἰκεῖα, ὡς πατρῷα, ὡς ὑμέτερα, ὡς ὑμῖν ἄνωθεν ὀφειλόμενα. πρὶν ἢ γὰρ ὑμᾶς γενέσθαι, φησὶ, ταῦτα ὑμῖν ἡτοίμαστο, καὶ προαπέκειτο, ἐπειδὴ ᾔδειν, τοιούτους ὑμᾶς ἐσομένους. *O quanta gloria, quanta beatitudinis hæc verba sunt! Nec dicit, Accipite, sed, Hæreditate possidete, quasi propriâ, quasi paternâ, quasi vestrâ, quæ vobis a principio debebantur. Nam antequam nati sitis,* QUIA SCIEBAM, VOS HUJUSMODI FUTUROS, *hæc vobis a me præparata fuere.* Et in cap. IX. ad Rom. *a* *Nec dicit, quandoquidem hic bonus, ille autem malus, iccirco in honoribus assequendis, præpositus est, ut ne illi statim hoc obsisteret. Quid? boni ii fuere, qui è gentibus potius, quam qui à circumcisione? Et, si* ITA HABEBAT REI IPSIUS VERITAS, (οὕτως εἶχεν ἡ τοῦ πράγματος ἀλήθεια) *tamen nondum hoc ponit. Invidiosius enim videbatur, sed* IN DEI COGNITIONEM REM TOTAM REJECIT, (ἐπὶ τὴν τοῦ Θεοῦ γνῶσιν τὸ πᾶν ἔῤῥιψεν) *cum quò depugnare nullus audeat, ne si valde quidem insaniat. Nondum enim genitis illis, ait, dictum est illi, Major serviet minori: ac declarat, nobilitatem eam, quam caro adfert, nihil prodesse,* SED ANIMÆ VIRTUTEM QUÆRENDAM ESSE, QUAM VEL ANTE IPSA OPERA DEUS NOVIT. (ψυχῆς ἀρετὴν δεῖ ζητεῖν, ἣν καὶ πρὸ τῶν ἔργων ὁ Θεὸς οἶδε.) *Nondum enim natis pueris ait; cum neque boni quippiam, neque mali, fecissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, dictum est illi, Major serviet minori.* HOC ENIM PRÆSCIENTIA EST, *ab eorum videlicet partu electionem facere, ut appareat, inquit,* DEI ELECTIO SECUNDUM PRÆSCIENTIAM FACTA, ἵνα φανῇ, φησὶ, τοῦ Θεοῦ ἡ ἐκλογὴ ἡ κατὰ πρόγνωσιν γενομένη. Idem in cap. XI. ad Rom. *b* Τὸν λαὸν ὃν προέγνω, τοῦτ᾽ ἔστιν, ὃν ᾔδει σαφῶς ἐπιτήδειον ὄντα, καὶ τὴν πίστιν δεξόμενον. *Populum suum, quem antea cognoverat, hoc est, quem clarè cognoverat aptum fore, fidemque recepturum.* Similiter Theodoretus in illud Pauli ad Rom. cap. IX. *Major serviet minori*: & illud, *Jacob dilexi.* Item Oecumenius ad Rom. cap. VIII. ad illa verba, *Omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt: & istud, Quoniam, quos præscivit, etiam prædestinavit.* Et Theophylactus in eundem Apostoli locum: item in illud XXII. Matth. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quæ illius verba adscribam, quia ea in tralatione suâ præteriit Oecolampadius: Πολλοὺς *c* καλεῖ ὁ Θεὸς, μᾶλλον δὲ πάντας. ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ, ὀλίγοι γὰρ οἱ σωζόμενοι. καὶ ἄξιοι τοῦ ἐκλεγῆναι παρὰ Θεοῦ, ὥστε τὸ μὲν Θεοῦ, τὸ καλεῖν· τὸ δὲ ἐκλεκτοὺς γενέσθαι ἢ μὴ, ἡμέτερόν ἐστι. *Multos vocat Deus, vel potius omnes, Pauci verò electi: pauci quippe salvantur, dignique à Deo eligi: ita ut Dei quidem sit vocare; nostrum vero, electos fieri, vel non fieri.* Nec est quòd dicamus, à Clemente deceptum Origenem, ab utroque Chrysostomum, ab illo juniores. Nam Clemente antiquior, & Apostolorum temporibus proximus Irenæus, similiter sensit. Cùm enim lib. IV. cap. LXXVI. dixisset, in hominis esse potestate, ut vel divinæ gratiæ beneficio visum recuperet, vel ejusdem contemptu in cæcitate permaneat: (neque enim Deum cogere hominem, ut credat, & legi pareat, vel in infidelitate ac inobedientiâ persistat) subjungit, ex præscientiâ futurorum, & credituris cælum, & non credituris

a P.192. edit. Commel.

b P. 215.

c Pag. 94. edit. Rom.

gehennam destinasse: *Deus*, inquit, *omnia præsciens, utrisque aptas præparavit habitationes*, &c. Similiter Justinus Martyr apolog. pro Christ. ad Antoninum Pium *a*, ubi negat, *τὰ γινόμενα γίνεσθαι ἐκλέγει προειπεῖν προεγνωσμένα b.* Nec Græcorum duntaxat, sed etiam Latinorum ea opinio fuit. Tertullianum mitto, quem lib. II. adversus Marcionem cap. XXIII. electionem facere posteriorem prævisis operibus, etiam Vir Cl. Abrahamus Sculterus monuit T. I. Medullæ Patrum cap. XLII. Nihil verò clarius istis Hilarii verbis Comment. in Matth. extremo cap. XXII. in illud Matth. *Multi vocati, pauci electi: non est*, inquit, *paucitas in invitatis; sed raritas in electis: quia in invitante sine exceptione publicæ bonitatis humanitas est; in invitatis vero, de* JUDICII MERITO, *probitatis* ELECTIO EST. Apertè etiam Ambrosius lib. v. de fide cap. II. circa finem explicans illud Matth. *Non est meum dare vobis: Non est meum*, inquit, *qui justitiam servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit: Quibus paratum est: ut ostenderet, Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Unde & Apostolus ait; Quos præscivit, & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit quàm præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Similiter sensit Hilarius Diaconus, vel quisquis scripsit comment. in Epist. Pauli, qui Ambrosii vulgò creduntur. Verba ejus hæc sunt in cap. VIII. ad Rom. *Istos quos præscit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* Idem in cap. IX: *Vult intelligi, illos esse dignos, qui filii promissionis sunt: id est, quos præscit Deus promissionem suam suscepturos.* Mox alia addit, ut ostendat, prædestinationem fieri secundùm præscientiam, quam sic definit, *Præscientia Dei est, qua definitum habet, qualis uniuscujusque futura voluntas erit, in quâ mansurus est, per quam aut damnetur aut coronetur.* Postea subjicit: *Miserebor ejus, cujus misertus ero: hoc est, ejus miserebor, cui præscius eram, quod misericordiam daturus essem, sciens conversurum illum, & permansurum apud me. Et misericordiam præstabo ei, cui misericordiam præstitero: id est, ei misericordiam dabo, quem præscii post errorem rectè corde reversurum ad me.* Et aliquibus interjectis: *Non injustè judicat, qui omnes salvos vult, manente justitiâ.* Et post aliquàm multa: *Ita & Deus, cùm omnes ex unâ atque eâdem massâ simus in substantiâ, & cuncti peccatores, alium miseretur, & alterum despicit non sine justitia. In singulo enim sola voluntas est: in Deo autem voluntas cum justitiâ. Scit enim, cujus debeat misereri.* Item post pauca: *Hos quos vocavit, præparavit ad gloriam, sciens, permansuros in fide.* Idem in cap. XI: *Ne omnem Israel dixisse diffidentem putaretur, ostendit, non repulisse Deum hæreditatem suam, quam præscit, id est, filios Abrahæ, quos fideles sibi futuros scit. Nec enim promitteret eis regnum, si sciret, nullum ex iis crediturum.* Et mox: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscit. Hoc est, quod dicit Salvator: Pater, quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex his periit, nisi filius perditionis. Ita & hi, quos præscit Deus credituros, nemo ex his à promissione repulsus est: quia sic factum est, sicut præscit Deus futurum.* Hieronymum quoque, etsi acrem Pelagii adversarium, tamen hac parte priores esse secutum, agnoscere cogitur Pererius *c*, quamquam, ut diximus, ipse Augustinum sequi malit. Verba Hieronymi sunt in cap. I. Malachiæ: *Israel vult dilectionis ejus in se scire rationem, Dominusque respondit, Esau & Iacob de unâ stirpe generatos.* Et paullo post: *Dilectio & odium Dei vel ex præscientiâ nascitur futurorum, vel ex operibus: alioquin novimus, quod Deus omnia diligat, nec quicquam eorum oderit, quæ creavit: sed propriè eos suæ vindicet caritati, qui vitiorum hostes sunt & rebelles. Et è contrario illos odit, qui à Deo destructa cupiunt rursum extruere.* Idem Hieronymus ad Hedibiam: *Alioquin unus est solis calor: &, secundum essentias subjacentes, alia liquefacit, alia indurat, alia solvit, alia constringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum: & tamen caloris non est diversa natura. Sic & bonitas & clementia Dei, vasa iræ, quæ apta sunt in interitum, id est, populum Israel, indurat: vasa autem misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit, hoc est, nos, qui non solùm ex Iudæis sumus, sed etiam ex gentibus,* NON SALVAT IRRATIONABILITER *& absque judicii veritate, sed* CAUSSIS PRÆCEDENTIBUS: QUIA *alii non susceperunt* FILIUM DEI; *alii autem recipere suâ* SPONTE VOLUERUNT. *Hæc autem vasa misericordiæ, non solùm populus gentium est: sed etiam hi, qui ex Iudæis credere voluerunt, & unus credentium effectus est populus. Ex quo ostenditur,* NON GENTES ELIGI, SED HOMINUM VOLUNTATES. Idem Hieronymus, super verba Rom. VIII. His qui secundùm propositum vocati sunt, sic scribit: *Secundùm quod* (propositum) *proposuit, solâ fide salvare, quos præsciverat credituros; & quos gratis vocavit ad salutem, multò magis glorificabit ad salutem operantes.* Item in cap. XI. verba illa, Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit: *Illam*, inquit, *plebem non repulit, quam præscivit esse credituram.* Item in illud capitis I. ad Gal. *Qui me sanctificavit ab utero matris meæ: Inveniunt*, inquit, *locum hæretici, qui diversas naturas esse prætendunt, spiritualem videlicet, & animalem, & χοϊκὴν, & aliam salvari, aliam perire, aliam in utramque consistere, quod nunquam aut justus eligeretur antequam aliquid boni faceret, aut peccatum odiretur ante delictum, nisi esset pereuntium & salvandorum natura diversa. Ad quod potest simpliciter responderi, hoc ex Dei præscientiâ evenire, ut quem scit justum futurum, prius diligat quam oriatur ex utero, & quem peccatorem, oderit antequam peccet. Non quo & in amore, & in odio, iniquitas Dei sit: sed quo non aliter eos habere debeat, quos scit vel peccatores futuros esse, vel justos. Nos ut homines tantum de præsentibus judicare: illum, cui futura jam facta sunt, de fine rerum, non de exordiis ferre sententiam.* Sed quid coacervare testimonia multa attinet, quando communis hæc sententia fuit? Unde Philippus Melanchthon in cap. IX. ad Rom. *Scriptores veteres omnes, præter unum Augustinum, ponunt, aliquam caussam electionis in nobis esse.* Addere potuit, ita ipsum sensisse Augustinum, priusquam adversus Pelagium scriberet. Sic enim ille lib. quæstion. LXXXIII. super illud, *Dilexi Iacob, Esau odio habui: Cujus, inquit, vult miseretur, & quem vult indurat. Verùm hæc voluntas Dei injusta esse non potest: venit enim de occultissimis meritis.* Quæritur nunc, an non idem senserint ac Massilienses sive Semipelagiani. Nam superius diximus, statuisse hos prædestinationem secundùm præscientiam eorum, quæ homo esset facturus. Ostensumque hoc ex epist. Prosperi & Hilarii ad Augustinum: item libris Augustini de Prædestin. sanct. & Perseverantiæ bono. Item ex lib. Fausti de gratiâ & libero arbitrio. Qui lib. I. cap. XIII. cùm sibi objecisset illa verba, *Miserebor, cujus voluero*: interpretationem hujusmodi affert, *Voluero, id est, quem justum esse cognovero.* Ubi bonum usum liberi arbitrii prædestinatione clarè priorem facit. Idem lib. II. c. VI. cùm objecisset sibi illud Pauli, *Cùm adhuc non egissent aliquid boni aut mali*: respondet, *Quid mirum, si quorum actus prævidit, eorum exitus præsignavit? & ideo sicut eos cursum vivendi pro arbitrio proprio disposituros esse constabat: ita pro Dei potentiâ prænoscuntur, pro justitiâ præordinantur: hoc totum de iis prædicitur, non præfinitur?* Verùm minimè iccirco existimandum est, Patres eos, qui ante Pelagianam controversiam vixere, si sententiam spectes, in Pelagianorum, aut Semipelagianorum castra descendisse. Siquidem, ut antè dictum, Patres merita intelligunt ex gratiæ viribus profecta. Fidem quoque, ex cujus prævisione electionem factam dicunt, tam initium, quàm consummationem sui gratiæ viribus de-

a Pag. 62. edit. Commel.

b Fieri, quæ fiunt, perinde ac si eo quòd prædicta sint, etiam fuerint decreta.

c In cap. IX. ad Rom.

bere

bere arbitrantur. Non igitur quotquot in hoc generali pronunciato conveniunt, ut prædestinatio secundùm præscientiam facta esse dicatur, in eo quoque consentiunt, ut vel salus tota, vel saltem aliquod initium ejus tribui naturæ viribus debeat. Quin si Patres ejusce sententiæ consulamus, compertissimis indiciis planum fiet, eos necessitatem gratiæ ad singulos actus requirere, ipsumque salutis nostræ initium divinæ gratiæ assignare. Quod de Cypriano tam clarum est, ut ejus potissimùm authoritate ex Semipelagiano (ut ἐκ πελαγίων sic loquamur) Catholicum plane se factum dicat Augustinus *a*. De Chrysostomo verò, & Græcis aliis, cùm antiquitatis sententiam de necessitate gratiæ explicaremus, liquidò ostendimus, quoties gratiam a nobis præveniri docent, strictius χάριτος voce uti, pro gratiâ spiritus regenerantis & inhabitantis: alibi enim ipsos agnoscere, hac priorem esse divinam mentis illuminationem & stupentis impulsum ac excitationem voluntatis, quam rarius quidem χάριν, sed tamen τοῦ πνεύματος ἐνέργειαν, vel etiam τὴν ἄνωθεν ῥοπὴν appellant. Quare satis liquet, Patres qui ante Augustinum vixêre, statuere quidem decretum secundùm præscientiam; sed eam, quæ sit actuum gratiæ viribus præstitorum: quo Catholici illi à Semipelagianis distinguuntur.

a Lib. 1. de prædest. cap. 3.

Simul ex hisce videmus, communem quidem ante Augustinum sententiam fuisse, caussam prædestinationis ad gratiæ incrementum & gloriam dari ex parte hominis: non tamen putasse, dari ejus caussam secundùm omnes gratiæ effectus, cùm saltem prima gratia, ex quâ ipsum fidei initium & imperfecta boni cupiditas oritur, non detur propter aliquid in homine prævisum, sed ex Dei liberalitate conferatur. Cujus respectu nec ipsi dubitassent subscribere verbis istis Augustini lib. 1. contra post. resp. Jul. cap. ult. *b* *Hoc si attenderes, non extolleres cum gratiâ merita voluntatis, ubi audis, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Non ergò ideo misertus est Deus, quia voluit & cucurrit Iacob: sed ideo voluit & cucurrit Iacob, quia misertus est Deus.* Verùm, uti diximus, de gratiæ incremento, & de præmio vitæ æternæ secus senserunt. Sed hoc ad quæstionem eam, quæ cum Pelagianis aut Massiliensibus fuit, parùm facit. Imò quid de eo Augustinus ipse senserit, adhuc disputatur. Nam libris ad Simplicianum expressè loquitur de electione ad gloriam. Et tamen ait lib. 1. quæst. 11. *c* *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientiâ sc. meritorum, id est, fidei & operum pietatis.* Et de Jacobo loquens inquit, *Non electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.* Et serm. VII. de verbis Dom. secundùm Matth. ait: *Elegit autem Deus (sicut inquit Apostolus) secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam.* Neque retractavit hæc Augustinus, sed disputationem illam ipsam in Retractationum libris commendat.

b P. 105.

c T. 4. circa medium quæst.

Contra idem in libris de corrept. & grat. & libris de prædestinat. & perseverantiæ bono, etsi imprimis de prædestinatione ad gratiam agat, tamen subinde adspergit, quæ significent, eum etiam absolutam credidisse prædestinationem ad gloriam. Nam de corrept. & grat. cap. VII. ait: *Profectò electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum.* Ubi de electione ad gloriam loqui indicat, quod subjungit: *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo.* Et paullo pòst: *Illos elegit ad obtinendum regnum suum.* Et cap. XIII: *De his loquor, qui prædestinati sunt ad regnum Dei.* Et lib. de bono perseverantiæ cap. XIV. dicit, multis non dari auxilium ad credendum, quia Dei altiori judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti.

His & similibus pensiculatis, putamus, eum in scriptis ultimis, etsi noluerit apertè improbare sententiam priorem, tamen eò magis inclinasse, ut gratiæ augmentum, perseverantia & vita æterna non ex merito, sed ex gratiâ conferri dicantur. Objiciat aliquis, quòd etiam in scriptis postremis gloriam ait operibus deberi. Sic enim ait lib. priori contra posteriorem respons. Juliani cap. CXXXI *a*. *Denique apertissime dicit, eos bona esse facturos; sed se facientem ut ea faciant. Ait quippe inter cetera: Et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis. His certe operibus merces imputatur secundum debitum. Debetur enim merces, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant. Debetur enim bona merces operibus hominum bonis: sed non debetur gratia, quæ ipsos homines bonos operatur ex malis.* Sed facile est his occurrere, quia censet, gloriam non nostris, sed gratiæ operibus rependi, atque ut ea gratiosè promissa est, ita ex gratiâ conferri. Sic enim scribit epist. CV. ad Sixtum presbyterum: *Quid habes, quod non accepisti? Quapropter, ô homo, si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est; sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia. Tibi enim tamquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur. Nunc ergò de plenitudine ejus accepimus, non solum gratiam, quâ nunc juste in laboribus usque in finem vivimus, sed etiam gratiam pro hac gratiâ, ut in requie postea sine fine vivamus. Hoc nihil salubrius fides credit, quia nihil verius intellectus invenit.* Sed quæcunque de hoc Augustini fuerit sententia, illud extra controversiam poni debet, non fuisse ei quæstionem cum Pelagio aut Semipelagianis, utrùm ad incrementum gratiæ, vel vitam æternam prædestinemur ex operibus gratiæ prævisis: sed an electio ad gratiam & gloriam facta, sit ex operibus naturæ, sive simpliciter secundùm initium & perfectionem, sive secundùm initia saltem, etsi non ratione consummationis.

a P. 189.

Multa ad hanc Thesin octavam loca adjecerat author ad Prædestinationem conditionatam pertinentia ac suo quandoque loco inserenda, quæ nos hic, prout oblata sunt, adponemus. Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 1. *Alibi dicit Apostolus Paulus: In domo autem magnâ non sunt tantummodo vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia, & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam. Si ergò quis emundaverit semet ipsum ab his, erit vas ad honorem sanctificatum & utile domino ad omne opus bonum paratum. Ergò qui se emundaverit, efficitur vas ad honorem: qui autem immunditias purgare contempserit, efficitur vas ad contumeliam. Ex quibus sententiis nullatenus (ut opinor) caussa gestorum ad creatorem referri potest. Nam facit quidem creator Deus quoddam vas ad honorem, & facit alia vasa ad contumeliam: sed illud vas quod se purgaverit ab omni immunditiâ, illud facit vas ad honorem, quod verò se vitiorum sordibus maculaverit, illud vas ad contumeliam facit. Itaque concluditur ex hoc, quia priùs gestorum uniuscujusque caussa præcedit, & pro meritis suis unusquisque à Deo vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ. Unde unumquodque igitur vas, ut vel ad honorem à creatore formetur vel ad contumeliam, ex se ipse caussas & occasiones præstitit conditori.* Mox ibidem addit Origenes: *Justa hæc videtur assertio & cum omni pietate concordans, uti* EX PRÆCEDENTIBUS CAUSSIS *unumquodque vas vel ad honorem vel ad contumeliam præparetur.* Et in capitis fine: *Cum Deus fingit vasa, alia quidem ad honorem, alia verò ad contumeliam, putandum est, quod non honoris vel contumeliæ caussas, tanquam materiam quandam, nostras vel voluntates, vel proposita vel merita habeat, ex quibus vas singulorum nostrorum, vel ad honorem vel ad contumeliam fingat, dum motus ipse animæ vel propositum mentis de se ipse suggerat illi quem non latet cor & cogitatio animi, utrum ad honorem fingi vas ejus, an ad contumeliam debeat.* Origenes lib. VII. in epist. ad Rom. cap. VIII: *In præsenti loco constat, Apostolum secundum scripturæ sacræ consuetudinem posuisse sermonem cognoscendi, ut illos ostenderet præcognitos à Deo, in quibus* SCIENS QUALES ESSENT:

amorem suum Deus affectumque posuisset, secundum etiam illud quod scriptum est, Cognovit dominus eos qui sunt sui. Et ibidem: *Superest nobis adhuc, illius quæstionis absolutio, quomodo quos vocavit, illos & justificavit, cum secundum ea quæ supra diximus, constet, multos esse vocatos, paucos vero electos. Sed videtur mihi esse quædam vocationis differentia, quia omnes quidem vocati sunt, non tamen omnes secundum propositum vocati sunt. Nam hi* QUI SECUNDUM *propositum bonum,* & BONAM VOLUNTATEM, QUAM CIRCA DEI CULTUM GERUNT, *vocantur,* IPSI SUNT *qui secundum propositum vocati dicuntur, & isti sunt, qui vocati justificati sunt.* BONO *enim* EORUM PROPOSITO *deerat sola vocatio. His vero qui non habent bonum fixumque propositum, vel erga divinum cultum, vel erga opus bonum, vocantur quidem & ipsi, ne eis excusatio relinquatur, & hæc ipsi* POSSINT *caussare cum judicantur, Quia & nos, si vocati fuissemus,* POTUISSEMUS *utique justificari; & non solum justificari, sed & glorificari. Ideo ergo vocantur quidem & ipsi, sed quasi si in terrâ petrosâ seminetur semen, cito quidem exoritur; increscente autem tribulationum sole, quia non habent altam radicem* BONI PROPOSITI, *continuo arescunt & pereunt: & ipsi sunt, de quibus dicit Apostolus, qui naufragaverunt à fide. Quos ergo vocavit, id est, quos secundum* PROPOSITUM *vocavit,* BONI, *illos & justificavit.* QUODSI PROPOSITUM AD DEUM REFERATUR, *hoc est, ut secundum* DEI *propositum,* QUI SCIENS *in eis* RELIGIOSAM MENTEM & *salutis inesse desiderium, vocati dicantur, non videbitur his quæ exposuimus, etiam hoc esse contrarium. Hoc ergo pacto neque in præscientiâ Dei vel salutis vel perditionis nostræ caussa consistit, neque justificatio ex solâ vocatione pendebit, neque glorificari de nostrâ penitus potestate sublatum est. Nam etsi communi intellectu de præscientiâ sentiamus, non propterea erit aliquid quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat. Nam etsi (verbi gratiâ) fingimus Deum non præ noscere aliquid futurum sine dubio, erat quod ita, ut puta Judas proditor factus est, & hoc ita futurum prophetæ prædixerunt. Non ergo quia Prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Judas, sed quia futurus esset proditor, ea, quæ ille ex proposito suæ nequitiâ gesturus erat, prædixerunt Prophetæ, cum utique Iudas in potestate habuisset ut esset similis Petro & Ioanni si voluisset, sed elegit pecuniæ cupiditatem magis quàm Apostolicæ consortii gloriam: & hanc ejus voluntatem futuram prævidentes Prophetæ librorum tradiderunt monumentis. Ut autem scias, non in præscientiâ Dei unicuique salutis caussam poni, sed in proposito & actibus suis, vide Paullum, verentem ne forte, cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur, macerare corpus suum, & subjicere servituti hoc.* Origenes in cap. 9. ad Rom. *Certum est, Deum non solum scire uniuscujusque propositum ac voluntatem, sed & præscire. Sciens autem & prænoscens, tanquam bonus dispensator & justus, uniuscujusque motibus & proposito utitur ad ea opera perficienda, quæ uniuscujusque animus ac voluntas elegit.* Et aliquam multis interjectis: *Audi Paullum in his, in quibus non habuit protervum contradictorem, quomodo vasorum diversitates aperuit. Nam ibi ubi auditor non erat dignus, sed contradictor erat, sola fictilia vasa commemorat: hic autem & aurea dicit esse & argentea, & lignea, & fictilia: & alia quidem esse ad honorem: alia vero ad contumeliam. Similiter & hic memoravit rationem, quare alia ad honorem, alia vero ad contumeliam fiant: ibi siluit, hic aperuit. Si enim quis emundaverit semet ipsum, inquit, ab his sine dubio peccati sordibus, erit ad honorem vas sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum. Restat igitur ut qui se non emundaverit, nec per pœnitentiam peccati maculam abluerit, sit vas ad contumeliam. Quod & si auxerit malitiam, & conversi, per duritiam mentis & cor impœnitens omnino contempserit, erit jam non solùm vas contumeliæ, sed & vas iræ. Ita ergo rationem, quam ibi indignè poscentibus claudit, hic dignè desiderantibus pandit: per quam etiam illud, quod paullo ante de Iacob & Esau proponit, apertius explanatur. Ut enim Iacob esset vas ad honorem sanctificatum, & utile domino ad omne opus bonum paratum, anima ejus emundaverat semet ipsam: & videns Deus puritatem ejus, (potestatem enim habens ex eâdem massâ facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam) Iacob quidem, qui (ut diximus) emundavit semet ipsum, fecit vas ad honorem; Esau vero, cujus animam non ita puram nec ita simplicem vidit, ex eâdem massâ fecit vas ad contumeliam. Ut autem scias, quod pro puritate & simplicitate animæ Iacob factus fuerit ad honorem vas, audi quale ei divina scriptura simplicitatis testimonium perhibet. Et erat, inquit, Iacob homo simplex habitans domum. Ideo ergo Apostolus dicit de eis: Quia priusquam nascerentur, dicitur de eis, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Tatianus orat. contra gentes *a* ait, multos per pœnitentiam & mortificationem veteris hominis gratiose consequi vocationem divinam, quæ eos reddat immortales. Hanc enim puto esse istorum verborum mentem: Οἱ δὲ ἄνθρωποι, μετὰ τὴν τῆς ἀθανασίας ἀποβολήν, θανάτῳ τῷ διὰ πίστεως τὸν θάνατον νενικήκασι, καὶ διὰ μετανοίας κλῆσις αὐτοῖς δεδώρηται. *Homines verò, post immortalitatem amissam, morte per fidem superavere mortem, ac propter pœnitentiam divina iis vocatio donata est.* a P. 203.

Basilius in Psalm. 32 *b.* ad illa verba, *Misericordiâ Domini plena est terra.* Οὔτε ἐλεημοσύνη ἄκριτος, οὔτε ἡ κρίσις ἀνελεήμων. πρὸ τῆς κρίσεως ἀγαπᾷ ἐλεημοσύνην, καὶ μετὰ τὴν ἐλεημοσύνην ἔρχεται ἐπὶ τὴν κρίσιν. ταῦτα δὲ ἀλλήλοις συνέζευκται, ὁ ἔλεος μετὰ τῆς κρίσεως, ἵνα μήτε ὁ ἔλεος μόνος χαυνότητα ἐμποιήσῃ, μήτε μόνη ἡ κρίσις ἀπόγνωσιν ἐνεργάσηται. Βούλεταί σε ἐλεῆσαι καὶ τῶν ἑαυτοῦ οἰκτιρμῶν μεταδοῦναι ὁ κριτής· ἀλλ' ἐὰν εὕρῃ σε μετὰ τὴν ἁμαρτίαν ταπεινόν, συντετριμμένον, πολλὰ μετακλαίοντα ἐπὶ τοῖς πονηροῖς ἔργοις. ἐὰν δὲ ἴδῃ καρδίαν ἀμετανόητον, φρόνημα ὑπερήφανον, ἀπιστίαν τοῦ αἰῶνος τοῦ μέλλοντος, ἀφοβίαν τῆς κρίσεως, τότε ἀγαπᾷ ἐπὶ σοὶ τὴν κρίσιν. ὡς γὰρ ἰατρὸς ἐμμελὴς καὶ φιλάνθρωπος, καταντλήμασι πρότερον καὶ ἐμπλάσμασιν ἁπαλοῖς πειρᾶται καταστεῖλαι τὸ οἴδημα· ἐπὰν δὲ ἴδῃ ἀνενδότως καὶ σκληρῶς ἀντιτυποῦντα τὸν ὄγκον, ῥίψας τὸν ἔλαιον, καὶ τὴν μαλακὴν ἀγωγήν, αἱρεῖ λοιπὸν τὴν τοῦ σιδήρου χρῆσιν. *Neque misericordia (Dei) sine judicio est, neque judicium sine misericordiâ. Ante judicium quidem diligit misericordiam, & post eam prorogatam ad judicium venit. Hæc enim inter se conjuncta sunt; misericordia cum judicio; ne misericordia sola gignat securum animi fastum, aut judicium solum desperationem in animis operetur. Vult tui misereri judex, teque miserationibus suis complecti, sed si post peccata repererit humilem, contritum, malefactaque sua plurimùm deplorantem. Si verò conspexerit, te corde haud agere pœnitentiam, sensibus atque animo esse elatum, haud credere seculum futurum, nec timere judicium: tunc diligit in te judicium. Sicut medicus dexter, & humanus, prius fomentitiis infusionibus, & illinendo molle aliquod medicamentum, tumores ac tubera exsiccare conatur: ubi autem viderit, excrescentem illam molem non remittere à tumore, sed medicamentis istis renití viderit; misericordiâ, mollioreque curâ abjectâ, eligit eum, qui reliquus est, ferri usum.* Si Deus ante judicium diligit misericordiam, nec ad judicium accedit nisi postquam homo misericordiam contemsit, minimè, ex Basilii sententiâ, absolutè hominem reprobavit Deus, sed demum quos misericordiam contemturos prævidit, justo judicio suo pœnæ destinavit. Basilius homilia, Quòd Deus non est autor malorum *c.* Κἂν λέγῃ ποτὲ ὁ ἀπόστολος, σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, μὴ κατασκευήν τινα πονηρὰν οἰηθῶμεν εἶναι τοῦ Φαραώ. c P. 163. & 165.

φαρμακῷ. ὅτι γὰρ ἐπὶ τὸν κατασκευάσαντα δικαιότερον ἡ αἰτία μετενεχθήσεται. ἀλλ' ὅταν ἀκούσῃς σκεύη, νόει ὅτι πρὸς τὸ χρήσιμον ἕκαστος ἡμῶν πέποιηται. Καὶ ὥσπερ ἐν τῇ μεγάλῃ οἰκίᾳ τὸ μέν τι χρυσοῦν ἐστι σκεῦος, τὸ δὲ ἀργυροῦν, τὸ δὲ ὀστράκινον, τὸ δὲ ξύλινον· τῆς προαιρέσεως ἑκάστου τὴν πρὸς τὰς ὕλας ὁμοιότητα παρεχομένης· καὶ χρυσοῦν μέν ἐστι σκεῦος, ὁ καθαρὸς τὸν τρόπον καὶ ἄδολος· ἀργυροῦν δὲ, ὁ ὑποδεέστερος ἐκείνου κατὰ τὴν ἀξίαν· ὀστράκινον δὲ, ὁ τὰ γήϊνα φρονῶν, καὶ πρὸς συντριβὴν ἐπιτήδειος· καὶ ξύλινον, ὁ εὐκόλως διὰ τῆς ἁμαρτίας καταρρυπούμενος, καὶ ὕλη γινόμενος τοῦ αἰωνίου πυρός· Οὕτω καὶ ὀργῆς σκεῦος ὁ πᾶσαν τὴν τοῦ διαβόλου ἐνέργειαν ὥσπερ ἀγγεῖον χωρήσας, καὶ διὰ τὴν ἐγγινομένην αὐτῷ ἐκ τῆς φθορᾶς δυσωδίαν οὐκ ἔτι ἀχθῆναι πρὸς χρῆσιν δυνάμενος, ἀλλ' ἀφανισμοῦ μόνου καὶ ἀπωλείας ἄξιος. Διόπερ ἐπειδὴ ἔδει συντριβῆναι αὐτὸν, ὁ φρόνιμος καὶ σοφὸς τῶν ψυχῶν οἰκονόμος διῳκήσατο αὐτὸν περιφανῆ γενέσθαι, καὶ πᾶσιν ἐξάκουστον, ἵνα ἄλλοις γοῦν ὠφέλιμος διὰ τοῦ πάθους γένηται, ἐπειδὴ αὐτὸς ὑπὸ τῆς ἄγαν κακίας ἀνίατος ἦν. ἐσκλήρυνε δὲ αὐτὸν τῇ μακροθυμίᾳ καὶ τῇ τῆς τιμωρίας ἀναβολῇ, ἐπιτείνων αὐτοῦ τὴν κακίαν, ἵνα εἰς τὸν ἔσχατον ὅρον αὐξηθείσης αὐτοῦ τῆς πονηρίας, τὸ δίκαιον ἐπ' αὐτῷ τῆς θείας κρίσεως διαφανῇ. διὰ τοῦτο ἀπὸ μικροτέρων πληγῶν ἀεὶ προστιθεὶς καὶ ἐπιτείνων τὰς μείζους, οὐκ ἐμάλαξεν αὐτοῦ τὸ ἀνυπότακτον· ἀλλ' εὕρισκεν αὐτὸν καὶ τῆς ἀνοχῆς τοῦ Θεοῦ καταφρονοῦντα, καὶ τοῖς ἐπαγομένοις αὐτῷ δεινοῖς ὑπὸ τῆς συνηθείας ἐμμελετήσαντα. καὶ οὐδὲ οὕτως αὐτὸν παρέδωκε τῷ θανάτῳ, ἕως αὐτὸς ἑαυτὸν ἐποίησεν ὑποβρύχιον ἐν τῇ ὑπερηφανίᾳ τῆς καρδίας αὐτοῦ, τὴν τῶν δικαίων πορείαν κατατολμήσας, καὶ νομίσας ὥσπερ τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ, οὕτω καὶ αὐτῷ βάσιμον ἔσεσθαι τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν. *Quanquam dicit Apostolus, vasa iræ aptata in perditionem, ne facturam Pharaonis malam fuisse existimemus. Nam ita culpa justius transferetur in ipsius conditorem. Sed ubicunque audiveris vasa, intellige quod nostrûm quilibet ad aliquem factus est usum. Quemadmodum in magna domo, vas aliud est aureum, aliud argenteum, aliud testaceum, ligneum aliud. Hujuscemodi ergò materiis voluntas cujusque comparatur. Nam vas aureum is est, qui mente moribusque simplex ac sine dolo est. Argenteum item, qui illo paullo est inferior dignitatis ac pretii æstimatione. Testaceum est ac figulinum, qui terrestria sapit, & frangi conterique fit aptus. Ligneum, qui per peccatum facile sordet; & igni æterno materiem præbet. Sic etiam iræ vas est, qui omnem in se Diaboli operationem quasi vas quoddam suscepit, & propter fætorem quem habet ex corruptione, ad nullum usum aptari potest, sed dignus est qui pereat. Quamobrem quando jam ipsum Pharaonem conteri erat opus, sapiens animarum nostrarum rector usque adeò illum sustinuit, ut clarum celebreque omnibus exemplum esset, & aliis utilis ob mala tolerata (quando ipse propter nimiam malitiam insanabilis erat) redderetur. Obduravit eum, longanimitate ac pœna dilatione ipsius aggravans malum, ut ad extremum ejus iniquitate ad summum gliscente, justius super eum Dei judicium ostenderetur. Icirco plagas modice quidem ab initio infligens, ac paullatim adaugens ejus duritiem, minimè flexit, quin reperit eum & initio Dei contemtorem, & illatas post pœnas ex consuetudine tolerantem. Et ne sic quidem morti illum tradidit; donec ipse sese præcipitem dedit, dum cordis arrogantia fretus iter justorum ausus est ingredi, ac existimavit, quemadmodum populo Dei, sic & sibi mare rubrum permeabile fore.*

a P. 696. Gregor. Nazianz. a oratione 42. quæ secunda est in Pascha. Τὸν παράδεισον ἐπιστεύθημεν, ἵνα τρυφήσωμεν· ἐντολὴν ἐλάβομεν, ἵν' εὐδοκιμήσωμεν ταύτην φυλάξαντες· οὐκ ἀγνοοῦντος τοῦ Θεοῦ τὸ ἐσόμενον, ἀλλὰ νομοθετοῦντος τὸ αὐτεξούσιον. *Paradisus fidei nostræ commissus est, ut deliciis frueremur. Mandatum accepimus, ut eo servato gloriam assequeremur: non quòd Deus id, quod futurum erat, ignoraret, sed quòd arbitrii libertatem lege sanciret.*

Chrysostomus in cap. Matth. 20. homil. 66. ad illud Christi, *Sedere à dextris & à sinistris non est meum dare, sed quibus paratum est à patre meo. Quibus,* inquit, *paratum est? illis videlicet, qui fulgentissimis operibus evasuri sunt. Verùm ut clarius fiat, quod dicimus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad editorem igitur munerum atque certaminis, quo multi atque præclari athletæ confluant, duos quosdam ipsi præcipuâ familiaritate conjunctos accessisse fingamus, qui amicitiâ principis freti postulare audeant, ut victores ipsi præconio declarati coronentur: quibus ille respondeat, Non est meum id dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est. Num igitur quasi non potentem illum id facere condemnabimus? Nequaquam; sed justitiam ejus admirabimur: & quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur editionis munerum atque certaminis principem, non quia non potest, sed quia non vult luctationis transgredi leges & justitiæ ordinem conturbare: sic utique Christum id dixisse affirmamus. Ita undique illos compellebat, in gratiâ Dei primùm, deinde in laboribus propriis* a *omnem salutem & gloriæ spem* b *reponere. Ideo dixit, quibus paratum est.* Chrysostomus in cap. 12. Rom. c ubi Jacobi dilectionem ait factam propter virtutem, ἣν καὶ πρὸ τῶν ἔργων ὁ Θεὸς οἶδε. atque hæc, inquit, est ἡ ἐκλογὴ ἡ κατὰ πρόγνωσιν γινομένη. Quæ sanè durius dicuntur: sed mentem ejus alibi explicamus.

Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 240. d: *Si Deus malorum autor est, qui fit, ut super te pluat, ac solem oriri faciat, atque ad senilem usque ætatem hîc tibi vitam prorogarit, qui multis mortibus jampridem dignus eras? Verùm* OB IPSIUS MISERICORDIAM *ad hoc usque ætatis* POENITENTIÆ AC RESIPISCENTIÆ CAUSSA SERVATUS ES. διὰ φιλανθρωπίαν δὲ αὐτοῦ φυλαχθέντα εἰς τοῦτο ἡλικίας πρὸς μετάγνωσιν καὶ [illegible].

Theodoretus in illud Paulli cap. 8. ad Rom. *his qui secundum propositum vocati sunt. Admodum accuratè vocationi propositum adjunxit. Non enim vocat simpliciter, sed eos qui habent propositum. Et ideo Corinthi quidem dicit Apostolo: Loquere, & ne taceas; populus enim est mihi multus in hac civitate. In Mysia autem loqui verbum prohibuit. In Asia verò primum quidem prohibuit, postea autem jussit hoc facere. Et ideo Hierosolymis quoque dixit ipsi; Festina, & exi hinc velociter; non enim recipient tuum testimonium. Et ideo hic quoque dicit, iis qui sunt vocati secundum propositum.*

Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 6. locum illum Matth. 20: *sedere ad dextram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo:* sic explicat, *Non est,* inquit, *meum, dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in præscientia patris illis, quos excessus certandi commendaverit.*

Locum Act. 13. *Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam,* interpretatur Theophylactus de ordinatione secundùm præscientiam. Scribit enim, κατὰ πρόγνωσιν μὲν οἱ τεταγμένοι εἰς ζωὴν ἦσαν ἀφωρισμένοι, ἤτοι ἐπίστευσαν, πλὴν οἰκείᾳ γνώμῃ καὶ προαιρέσει. ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ πρόγνωσις, οὐκ ἀναιρεῖ τῆς ἡμετέρας βουλήσεως τὸ αὐτεξούσιον. ὅπου πρὸ καταβολῆς κόσμου προορισθεὶς ὁ Παῦλος κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόγνωσιν σκεῦος ἐκλογῆς ἐστάθη &c. *Juxta præscientiam quidem ordinati erant ad vitam segregati, hi crediderunt, verumtamen ex proprio arbitrio ac electione. Nam præscientiam Dei non tollit nostræ voluntatis liberum arbitrium. quandoquidem ante constitutionem mundi destinatus Paullus secundum Dei præscientiam, ut vas fieret electum &c.* Theophylactus in illud Matth. cap. 20; *Sedere ad dextram meam & sinistram, non est meum dare, sed quibus paratum est à patre meo.* Τὸ δὲ καθίσαι οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται. τουτέστιν, ἐὰν εὑρεθῇ τις μετὰ τοῦ μαρτυρίου, καὶ τὴν ἄλλην ἅπασαν ἀρετὴν ἔχων, ἐκεῖνος λήψεται τὴν δωρεάν. ἐκείνῳ γὰρ ἡτοίμασται τῷ νικήσαντι. [e ὥσπερ καὶ τοῖς ἀθληταῖς οἱ στέφανοι ἑτοιμάζονται. ὥσπερ ἂν ἀγῶνος δρομικοῦ προκειμένου, καὶ ἀγωνοθετοῦντος τοῦ βασιλέως, ἐὰν προσέλθῃ τις μηδαμῶς ἀγωνισάμενος, καὶ εἴπῃ,] Δός μοι τὸν στέφανον ὦ ἀγωνοθέτα τῷ μὴ ἀγωνισαμένῳ, εἴποι δὲ αὐτῷ ἐκεῖνος, Οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι κατὰ χάριν τὸν στέφανον, ἀλλ' ᾧ ἡτοίμασται, του-

a Nempe virtute gratiæ factis.
b Non quasi opera nostra quicquam propriè mereantur, sed quia Deus secundum ea se judicaturum promisit, ac nos quoque ex operibus nostris de fide nostra certi simus.
c P. 192. edit. Commel.
d P. 56.
e Quæ lineis inclusa, mirum ab Oecolampadio omissa esse in tralatione sua.

τινι τῷ δραμόντι, καὶ νικήσαντι· οὕτω δὴ κἀνταῦθα φησὶν ὁ Χριστὸς, ὅτι οὐκ ἐγὼ κατὰ χάριν δύναμαι δοῦναι ὑμῖν τὴν ἐκ δεξιῶν μου καθέδραν. ἄλλων γὰρ, τῶν κοπιασάντων ἐστὶ, καὶ ἐκείνοις ἡτοίμασται. *Sedere verò non est meum dare, sed quibus præparatum est. hoc est, si inventus fuerit quis, præter veritatis testificationem, etiam omnem aliam virtutem habens, ille accipiet donum. Illi enim præparatum est, qui laboraverit, sicut & certantibus coronæ sunt præparatæ. Quemadmodum enim certamine cursus proposito, si quis qui nequaquam certarit, eum qui certamini præest, accedat, ac dicat, O certaminis hujus præses, dona mihi coronam qui non certavi; dicet hic illi, Non est meum dare ad gratiam coronam, sed illi cui præparata est, hoc est illi qui cucurrerit & vicerit; sic & hic dicit Christus, Ego non possum ex gratia vobis dare sessionem ad dextram meam. aliorum enim est, qui laboraverint, & illis præparata est.*

Oecumenius in illud epist. ad Rom. cap. 8. *Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt.* Οὐ πᾶσι, φησὶ, τοῦτο συμβαίνει, ἀλλὰ τοῖς ὑπὸ θεοῦ κληθεῖσιν. εἶτα ἵνα μὴ νομισθῇ μονομερῶς ὁ θεὸς ἐνίους καλέσας, φησὶ, τοῖς κατὰ πρόθεσιν, τοῖς κατὰ γνώμην ἤτοι προαίρεσιν ἀξιωθεῖσι τῆς κλήσεως, δεικνὺς ὅτι πάντες μὲν ἐκλήθημεν, ἐκεῖνοι δὲ ὑπήκουσαν. διὸ καὶ βοηθοῦνται οἱ κατὰ οἰκείαν πρόθεσιν γενόμενοι κλητοί. *Neque enim hoc quibuslibet contigit, inquit, sed his dumtaxat qui à Deo vocati sunt. Deinde ne putaretur tantum ex parte quosdam vocasse, dicit: His qui secundum propositum; id est, qui secundum decretum, secundum electionem nacti sunt vocationem: ostendens quòd omnes quidem vocati sumus: sed illi obedierunt. Ideo etiam adjuvantur, qui secundum proprium propositum vocati fuerunt.* Ibidem, ad illud, *Quoniam quos præscivit, etiam prædefinivit.* Ὅτι οὓς, τουτέστι τούτους τοὺς κατὰ οἰκείαν πρόθεσιν κλητοὺς ὄντας, προέγνω, ἀντὶ κοινοῦ, τοὺς κατὰ πρόθεσιν κλητοὺς ὄντας. *Quoniam quos, id est hos qui secundum* PROPRIUM *propositum vocati fuerunt, præscivit, ex communi sensu repetendum est, qui secundum propositum vocati sunt.* Et aliquanto pòst: Ὅτι οὓς προέγνω, ἀντὶ τοῦ, τούτους τοὺς κατὰ πρόθεσιν, οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε, τοὺς κατὰ πρόθεσιν. καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσε, τοὺς κατὰ πρόθεσιν. καὶ οὓς ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε, πάλιν τοὺς κατὰ πρόθεσιν κλητοὺς ὄντας. ἵνα μὴ ἄτοπον ἀπαντᾷ, εἰ ὁ θεὸς τινὰς μὲν εὖ ἐποίησε, τινὰς δὲ οὔ. τὸ δὲ κατὰ πρόθεσιν συνυπακουόμενον, αὐτῶν μὲν τὸ κατόρθωμα τῶν κατὰ οἰκείαν πρόθεσιν πιστευσάντων, καὶ προσωποληψίας ἀπαλλάττει τὸν θεόν. *Quoniam quos præscivit, hos etiam prædefinivit, qui secundum propositum sunt: quos autem prædefinivit, eosdem & vocavit, qui secundum propositum sunt: quos vero justificavit, hos & glorificavit: rursum qui secundum propositum vocati sunt. ut nihil absurdi occurrat, si quibusdam Deus benefacit, quibusdam verò non. Quum autem subauditur, secundum propositum, statuitur illorum virtus, qui secundum* PROPRIUM *propositum crediderunt; & à personarum respectu Deus liberatur.*

Theophylactus in illud Pauli cap. VIII. ad Rom. *Quoniam quos præscivit, & prædefinivit conformes fieri imaginis filii sui. Præcognoscit vel præscit Deus eos, qui vocatione digni sunt; deinde sic prædestinat: prior itaque est præscientia, postea sequitur prædestinatio. Prædestinationem autem intelligos, impermutabilem Dei bonam voluntatem. Prænovit itaque, Paullum vocatione dignum esse, sicque præfinivit seu prædestinavit, hoc est, impermutabiliter decrevit, adeoque statuit vocare ipsum.*

Addamus superioribus Clementem Romanum: & Eusebium Emissenum: ut quidem inscriptio habet. Nam quin ea fallat, minime dubitamus. Verba Clementis sunt
a P. 46. edit. Paris. in 8. Recognitionum lib. 3. a *Deus potestatem dedit unicuique arbitrii sui, ut hoc esse possit, quod vult. Et prævidens, quia ista potestas arbitrii, alios quidem faceret eligere bona, alios verò mala, & per hoc in duos ordines necessario propagandum esset hominum genus, unicuique ordini concessit & locum & regem quem vellet eligere. bonus enim rex bonis gaudet, & malus malis.* Qui locus ostendit, Clementem hunc sensisse, non fieri à Deo hominum discretionem, nisi post operum prævisionem.

Eusebius Emissenus, cujus nomine circumferuntur homiliæ in Euangelia: ubi hæc de conditionatâ prædestinatione invenias. *Qui ad vitam prædestinati sunt, illi nullatenus perire possunt. Est autem conditionaliter prædestinatio Dei, nihilque sine aliquâ conditione prædestinatum est. Prædestinatum est enim, ut salvaretur mundus, sed per aquam baptismatis, & mortem filii Dei. Prædestinatò sunt omnes boni ad gloriam, eâ tamen conditione, si fidem tenuerint, si caritatem, si humilitatem, si sapientiam, si misericordiam & pietatem, & his similia habuerint. Tales enim eos futuros prævidit, quos Deus ad vitam prædestinavit: & quasi prædestinando eis diceret, Ego quidem vos ad vitam prædestino, si tamen tales fueritis, si mea mandata custodieritis, si fidem & misericordiam habueritis, & si in bono tandem inventi fueritis. Qui igitur tales esse non vult, qui mandata Dei custodire non nititur, ideo non venit ad prædestinationem, quia non servat conditionem. Noli ergo attendere ad prædestinationem Dei, quam ignoras, attende ad verba quæ audis & intelligis. Sicut enim in prædestinatione suâ verus est Deus, & mutari non potest, ita & verba ejus vera sunt, vel mutari non possunt. Unde & in Euangelio Dominus ait, cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Sed audiamus quæ sint hæc verba: Peccator (inquit) quâcunque horâ conversus fuerit, & ingemuerit, vitâ vivet, & non morietur. itemque; Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, gladius devorabit vos. & in Euangelio: Qui crediderit (inquit) & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Et iterum; Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester cælestis peccata vestra. Ne quæras aliam prædestinationem. In his enim verbis omnis & vitæ & mortis prædestinatio consistit. Si hæc feceris, esto securus, & crede indubitanter, quòd ad vitam prædestinatus es. Quod si indurato corde hæc facere nolueris, & in hac malitiâ perseveraveris, pro certo scias, te ad mortem esse prædestinatum. Quamvis enim nullus homo ad peccatum sit prædestinatus, omnis tamen homo ad gloriam aut ad supplicium prædestinatus est.* Et aliquanto pòst: *Prædestinati sunt mali ad mortem propter malitiam suam, sicut boni ad vitam pro bonitate suâ.*

Tertullianus adversus Marcionem lib. 2. cap. 23. *Quis hominum sine delicto, ut eum Deus semper adlegeret, quem nunquam posset recusare? vel quis item sine aliquo bono opere, ut eum Deus semper recusaret, quem nunquam posset adlegere? Exhibe bonum semper, & non recusabitur: exhibe malum semper, & nunquam adlegetur.* Citat hæc verba quoque scriptor Medullæ Patrum cap. 42. indeque sextum colligit Tertulliani errorem, quasi malè senserit de Prædestinatione, nempe quia electionem ac reprobationem posteriorem facit prævisis operibus. Verùm non hæc Tertulliani unius, sed aliorum quoque antiquiorum patrum sententia fuit, ut liquet partim ex iis, quæ jam adduximus, partim illis quæ deinceps citabuntur.

Hieronymus in illud Esaiæ cap. 1: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: si nolueritis, & non audieritis, gladius devorabit vos. Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem* NON EX PRÆJUDICIO DEI, SED EX MERITIS SINGULORUM *vel pœna vel præmium sit.* Nec sententiam hanc postea mutavit: sed eandem retinuit cùm adversus Pelagium disputaret. Sic enim scribit. lib. III. dialogorum contra Pelagianos: *Quærit hoc Marcion, & omnes hæreticorum canes, qui Vetus laniant Testamentum, & hujuscemodi syllogismum texere consueverunt: Aut scivit Deus, hominem in paradiso positum prævaricaturum esse mandatum illius, aut nescivit. Si scivit; non est in culpâ is qui præscientiam Dei vitare non potuit; sed ille qui talem condidit, ut Dei non posset scientiam devitare. Si nescivit; cui præscientiam tollis,*

tollis, aufers & divinitatem. Hoc enim in genere in culpâ erit qui elegit Saul, futurum postea regem impiissimum. Et salvator aut ignorantia, aut injustitia tenebitur reus, cum in Evangelio sic locutus: Nonne vos duodecim ego elegi Apostolos, & unus de vobis diabolus est? Interroga eum, cur Judam elegerit proditorem, cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat. Vis audire rationem? Deus præsentia judicat, non futura. Nec condemnat ex præscientiâ, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat: sed tanta bonitatis est & ineffabilis clementia, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis & pœnitentia: juxta illum sensum Apostoli; Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. Neque enim ideo peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat: sed præscivit Deus, quasi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus. Hieronymus epist. CXLVI. *Cumque adhuc longè esset, vidit eum pater ejus, & misericordiâ motus est, antequam dignis operibus, & verâ pœnitentiâ, ad patrem rediret antiquum. Deus, apud quem cuncta futura jam facta sunt, & qui est omnium præscius futurorum, ad ejus præcurrit adventum, & per verbum suum, quod carnem sumsit, ad ejus præcurrit adventum, reditum filii sui junioris anticipat.*

Augustinus tractatu in Johannem XLII. *Quoniam præsciverat, qui fuerant credituri, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione nascerentur ex Deo. Ad hos pertinet, qui ex Deo est, verba Dei audit. Quod verò sequitur, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, (nam hoc malum erat commune omnibus) sed etiam* PRÆCOGNITI *quòd non fuerant credituri eâ fide, quâ solâ possent à peccatorum obligatione liberari. Quapropter* PRÆSCIEBAT, *illos, quibus talia dicebat, in eo permansuros, quòd ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, in qua ei similes erant, nec venturos ad regenerationem in qua essent filii Dei, hoc est, ex Deo nati, à quo erant homines creati. Secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus, non quòd aliquem hominum invenerit, qui vel secundum regenerationem jam esset ex Deo, vel secundum naturam jam non esset ex Deo.*
a *Apud Ambros. c. 9.* Scriptor de Vocatione gentium lib. II. cap. XXIX. *a*: *Qui (Deus) sicut præscivit ante secula, quanta totius mundi multitudo, vel communibus usa donis, vel specialibus adjuta præsidiis, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingressura esset latitudinem erroris & mortis: ita semper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per servitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: ut nullo excidente de plenitudine promissorum, qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus, quos elegit ex*
b *Cap. 10. apud Ambros.* *omnibus.* Idem cap. XXXIII. *b*: *In electione quicquid hominum in Christo præcognitum non est, nulla eidem ratione sociabitur.* Augustinus in Actis cum Felice Manichæo lib. II. cap. VIII: *Non est ergò indignum, ut Deus dicat; Ite in ignem æternum: eis, qui ejus misericordiam per liberum arbitrium respuerunt: & dicat; Venite benedicti Patris mei: percipite regnum: eis, qui per liberum arbitrium fidem ejus susceperunt, peccata sua confessi sunt, pœnitentiam egerunt, displicuerunt sibi quales fuerunt, & quales per eum facti sunt, illi placuerunt.*

THESIS IX.

Nec Patres ante Augustinum, vel alii, quia conditionatum prædestinationis decretum docent, iccirco diffitentur, esse insuper decretum quoddam sublimius ἀνεξιχνίαστον ϗ ἀνεξερεύνητον, *quod versetur circa administrationem mediorum ordinatorum ad salutem. Nam Scripturis & experientiâ edocti, clare agnoscunt, quamquam Deus velit omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; viam tamen, quam ad hoc init, magnâ sui parte penitus absconditam esse: quemadmodum vel inde satis cognoscimus, quòd ad alios sermo Evangelii mittatur, ad alios non mittatur. Hujus diversa administrationis caussam ab Apostolo Paulo ad Rom. XI. referre dicebant ad inscrutabilia judicia, & sapientiæ impervestigabilem abyssum.*

Hieronymus epist. ad Ctesiphontem *a*: *Solet nobis objicere contubernalis vester Porphyrius, quâ ratione clemens & misericors Deus ab Adam usque ad Moysen, & à Moyse usque ad adventum Christi, passus sit universas gentes perire, ignorantiâ Legis & mandatorum Dei. Neque enim Britannia, fertilis provincia tyrannorum, & Scotica gentes, omnesque usque ad Oceanum per circuitum barbara nationes, Moysen Prophetasque cognoverunt. Quid necesse fuit, eum in ultimo venire tempore, & non priusquam innumerabilis periret hominum multitudo? Quam quæstionem beatus Apostolus, ad Romanos scribens, prudentissimè ventilat, ignorans hæc, & Dei concedens scientia. Dignare & tu ista nescire. Concede Deo potentiam sui. nequaquam te indiget defensore.* a *P. 255.* Addam similem locum Augustini, sed ex iis, quæ dictavit, cùm necdum agnosceret decretum prædestinationis absolutum. Sic enim scribit lib. octoginta trium quæstionum, quæst. LXVIII. *Hæc vocatio, quæ sive in singulis hominibus, sive in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, alta & profunda ordinationis est. Quò pertinet etiam illud: In utero sanctificavi te, & cum esses in renibus patris tui, vidi te. Et, Jacob dilexi, Esau autem odio habui: cùm dictum sit, Antequam nascerentur. Nec comprehendi potest, nisi forte ab eis, qui diligunt Deum ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex totâ mente suâ, & diligunt proximos suos tanquam se ipsos.* Quòd verò hæc dictasse dicebam, cùm solùm conditionatum salvandi decretum doceret: liquet ex lib. I. Retractat. cap. XXVI. ubi ait, se quæstiones eas, *ab ipso primo tempore conversionis, postea quam in Africam venerat, sicut interrogabatur à fratribus, nullâ servatâ ordinatione dictasse, sed episcopum jam colligi, & unum ex eis librum fieri jussisse.* Quæ simul ostendunt, falli Erasmum, cùm censet *b*, *opus hoc a studioso quopiam ex omnibus Augustini libris esse collectum.* b *Censura in librum 83. qu.*

THESIS X.

Caterùm Augustinus, ut fortius premeret Pelagium, communi Patrum, & à se jam Episcopo, defensa sententia appendicem hanc annexuit, quod gratia uni præ altero offeratur, inque uno magis quàm alio efficax sit, id ab absoluto Dei decreto provenire. Hæc enim cùm deficere non possit, eos omnes ac solos salvari, quibus Deus gratiam conversionis & perseverantiam absolutâ salvandi voluntate destinavit. Quod ut melius intelligatur, distinctè prius de conversione, deinde de perseverantiâ agemus. De priori hujusmodi quæstio est, cur vocatorum unus præ altero convertatur. Patres ante Augustinum, & ipse prius Augustinus, contenti fuissent dicere, id esse à recto usu liberi arbitrii. Sensere quippe, gratiam dici efficacem ab eventu sive cooperatione humanâ: quasi quæ cæteroquin gratia sit sufficiens, ea cooperatione hominis reddatur efficax. Sed Augustinus porrò quærebat, cur, cùm uterque sit vocatus, hic præ altero gratiâ rectè uti velit. Atque ajebat, id esse à voluntate Dei secretâ, quâ unum præ altero elegerit ad vitam, ac propterea uni media ad salutem, quæ efficacia fore præviderit, præ alio destinarit. Cujusmodi decretum cùm frustra esse non possit, consequitur, ut cujus cor à Deo, ex absolutâ illâ con-

ver-

vertendi intentione, tangitur, is certissime vocationi consentiat: sive ea efficacia sit ex congruitate gratiæ ad liberum arbitrium: sive à vi gratiæ majori secundùm se: quorum utrum Augustinus senserit, etiamnum disputatur.

AUgustini sententia fuit, Deum ab æterno statuisse certis hominibus gratiam ita congruam sive potentem dare, ut quibuscunque fuerit donata, illud in iis certò operetur, cujus causâ confertur: ut quæ non solùm vires largiatur ad agendum, & in omni actione bonâ cum voluntate concurrat: sed infallibiliter hominem ad operandum impellat. Quam Augustini sententiam his verbis expressit Stapletonus lib. IV. De gratiâ & libero arbitrio cap. XIV. *Non sanctus Augustinus voluntatis libertatem in reluctando gratiæ excludit; sed infallibilitatem operationis ejus docet. Rursum caussam quidem, cur alius venit, alius non venit, ponit gratiam, quia illa est potissima & efficacior caussa. Negat, voluntatem esse caussam discriminis, non quia nulla caussa est, sed quia posterior & inferior caussa est.* Et mox: *Notandum est ergò, aliud esse, quærere, an voluntas, adjuta à Deo, gratiam de facto repudiet; aliud, an repudiare possit. Ideoque non diximus, adjuvanti gratiæ à voluntate resisti, sed resisti posse, si velit: quod verum erit, quamquam nunquam propter gratiæ efficaciam resistat.* Ut hanc esse Augustini mentem pateat, aliqua illustriora testimonia congeremus. Augustinus lib. I. ad Simplic. quæst. II. *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra illi misereatur, si homo nolit. Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergò, Multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit, Igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Et post aliqua: *Cùm ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, alium non moveat: quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in quâ Jacob justificatus est?* Et mox: *Cùm enim Deus deserit, non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest; quis etiam dicat, modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam Omnipotenti defuisse?* Postea subjungit: *Tenacissime firmissimeque credatur, quod Deus, cujus vult, miseretur, & quem vult obdurat; hoc est, cujus vult, miseretur; & cujus non vult, non miseretur: esse alicujus occultæ, atque ab humano modulo investigabilis æquitatis.* Idem plusculis interjectis sic scribit: *Quis potest credere, nisi aliquâ vocatione, hoc est, aliquâ rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Aut quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum delectare possit; vel delectet, cùm occurrerit? Cum ergò nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei: non nutu nostro, & industriâ, aut operum meritis comparatur.* Idem epist. CVII. ad Vitalem: *Si ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo Legem suam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio; neque vocatione illa altâ atque secretâ sic ejus ageret sensum, ut idem Legi atque doctrinæ accommodaret assensum: procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret.* Idem lib. De corrept. & grat. cap. XIV: *Volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle, aut nolle, in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, neque superet potestatem.* Et post aliqua: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Et mox: *Sine dubio habet humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Denique: *Magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* Idem libro de grat. & lib. arbitrio c. V. *Ut Paulus de cœlo vocaretur, & tam magnâ & efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et cap. XIV: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altius & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere.* Et cap. XVI. *Certum, nos facere cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati: qui dixit, Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis.* Idem lib. De grat. Christi contra Pelag. & Cœlest. cap. XXIV. *Legant ergo & intelligant, intueantur & fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ atque occultâ, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Idem lib. De prædest. sanct. cap. VIII. *Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus divinâ largitate tribuitur,* A NULLO DURO CORDE RESPUITUR. *Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Et aliquanto pòst: *Si illos, quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere Pater voluisset, procul dubio venirent & ipsi.* Et mox: *Quare non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet: respondebitur nobis, Et ubi est, quod ei dicitur? Domine, tu convertens vivificabis nos.* Idem lib. De bono perseverantiæ cap. VIII. *Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur; inscrutabilia sunt judicia Dei.* Idem de Spiritu & Literâ cap. XXXIV; cum dixisset, *visorum suasionibus agere Deum, ut velimus & credamus,* idque etiam *intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem:* adjicit, *Sed consentire, vel dissentire, propria voluntatis est.* Mox de peculiari electorum gratiâ subdit: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur; illi autem non ita: duo sola occurrunt, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! &, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores; sed caveat, ne inveniat præsumptiores.*

Porrò hæc Augustini testimonia non omnes similiter interpretantur. Nam aliqui efficaciam gratiæ in hominis conversione arbitrantur esse à congruentiâ divinæ vocationis: hoc est, proportione, quæ est inter vocationem & liberum arbitrium: quia Deus, qui cognoscit hominem melius, quàm ipse se, etiam novit, quis modus illi sit accommodatus; ut si illo cor ejus tangatur, consentiat & emolliatur. Alii verò putant, velle Augustinum, efficacem gratiam consistere in peculiari vi & efficaciâ, quam adæquatè habeat ad inducendam voluntatem, ut consentiat te ipsâ. Utrum Augustinus senserit, acriter in scholis disputatur. Interea ferè inter omnes convenit, ex ejus sententiâ gratiam dici efficacem, non ab eventu simpliciter, sed ab intentione prædestinantis Dei. Tum consensum, tum dissensum istum aperit Ruardus Tappetus Loc. De lib. arbitr. a *Hujus propositi & divinæ gubernationis habita consideratione, & non solum principii divinitus immissi, quo agimus nostram salutem: impossibile est, quod duo similiter vocentur, & unus vocationem sequatur, & non alter. Qui enim sequitur, vocatur & dirigitur secundum æternum Dei propositum & directio-*

a P. 311. edit. Lovan. 1555

dilectionem: aliis autem non sic vocatur. Quid autem, & an aliquid positivum necessario requirat, vel ponat hoc propositum Dei in voluntate amo assensum, sive voluntatis determinationem, in eo, qui secundum ipsum vocatur; obscurum est.

Ostendimus hactenus, in quo Augustini sententia differat à doctrinâ priorum Patrum, illis etiam Græcorum, qui postea vixerunt. Quod tamen non ita accipi velim, quasi ex iis nihil adduci possit, quod gratiam ex absolutâ convertendi voluntate collatam insinuare videatur. Nam scio, huic probandæ sententiæ à Petro Diacono & aliis, qui in caussâ fidei Romam miserant, egregium Basilii locum adferri. Ipsum audiamus, libello De incarnatione & gratiâ Christi cap. VIII. *Beatus Basilius, Cæsariensis Episcopus, in oratione sacri altaris, quam pene universus frequentat Oriens, inter cætera, Dona, inquit, Domine, virtutem ac tutamentum, malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserva. Omnia enim potes, & non est, qui contradicat tibi. Cùm enim volueris, salvas; & nullus resistit voluntati tuæ.* Etiam memorabile est illud Ambrosii lib. VI. in Luc. cap. XLVII: *Deus, quos dignatur, vocat; &, quem vult, religiosum facit.* Quod dictum mirificè prædicat Augustinus, cùm alibi, tum lib. I. De gratiâ Christi, contra Pelag. & Cœlest. Ac subjicit: *O sensum hominis Dei, ex ipso haustum fonte gratiæ Dei! Videte, si non Propheticum illud est, Miserebor, cujus misertus ero, & Apostolicum illud, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

a P. 113. 124. 126. edit. Lugd. 1609. Franciscus Cumel *a* in primam P. & primam secund. Thomæ, & alii quidam, multa se in hanc mentem invenisse apud antiquos jactant. Laudant enim Dionysium Areopag. lib. De divinis nominibus cap. IV; Justinum Martyrem in expositione fidei; Irenæum lib. IV. c. LXXVI. & lib. II. c. XLV; Athanasium ad Eph. II. in illud Pauli, *Ipsius factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*; Ephrem Syrum, in confessione ad Deum; Hilarium Arelat. in epist. ad Augustinum; Gregorium Nyssenum lib. VIII. De provid. cap. I. & Chrysostomum De laudibus Pauli homil. IV. item homil. de Adam & Evâ; ut eos mittam, qui post Augustinum vixerunt. De singulis horum ordine dicemus. Dionysii (quisquis ille tandem, aut quacunque ætate vixerit) hæc sunt verba *b*, ὃ ἐρωτικὸς τὸ αἴτιος, καὶ ὥσπερ προβολεὺς, καὶ ἀπογεννήτωρ. Ubi urget Cumel, quòd Deus dicatur caussa amoris nostri, non solùm sicut emissor, sed etiam sicut progenitor. Ac Thomas quoque in Comm. hinc colligit, cùm Deus amabilis sit, amorem Dei à Deo provenire. Quæ ut præfinientem gratiam solidè evincant, nondum video. Etiam laudant Dionysii locum è cap. V. ejusce libri: ubi ait, *in Deo esse bonas voluntates, juxta quas omnia prædestinavit, & produxit.* Sed de rebus per primam creationem loqui, rectè observarunt ejus Scholiastæ, Pachymerius & Maximus. Ubi in Dionysio parùm præsidii vident, ad partes advocant Justinum Martyrem, vel alium, expositione fidei De rectâ confess. qui sic scribit *c*: Πῶς δὲ ὅλως οὐ δεδίατε τὴν τόλμαν, τὰ θεῖα διαδικάζειν ἐπιχειροῦντες; ἢ τὸν θεῖον οὐκ ἀκηκόατε λόγον, οἳ τοὺς καθ' ὑμᾶς τῶν τοιούτων ἐγχειρημάτων ἀνείργοντες, τὴν τοῦ πηλοῦ καὶ τοῦ κεραμέως ἡμῖν εἰκόνα προεστήκασι; ταύτῃ παιδεύοντες, μὴ δεῖν ἡμᾶς περιέργους, ἢ ἐξεταστὰς τῶν θείων καθίστασθαι, ἀλλ' εἴκειν τῇ βουλήσει τῇ θείᾳ, καθάπερ τὸν πηλὸν τῷ κεραμεῖ. Id est, *Ac quomodo in universum non metuitis audaciæ crimen, dum res divinas ad regulam exigere aggredimini? An divinum non audistis Verbum, quod similes vestri ab hujusmodi cœptis deterrens, luti nobis & figuli imaginem proposuit: ut eo modo admoneret, haudquaquam nos curiosos esse, aut in res divinas inquirere, sed divinæ potiùs cedere debere voluntati, quemadmodum figulo lutum?* Respicit Justinus locum illum Paulinum cap. IX. *Atqui, ô homo, tu quis es, qui contendas judicio cum Deo? num dicet fictile figulo, cur me sic fecisti?* Ex quibus verbis plurimi absolutissimam colligunt prædestinationem, quia sententiam esse volunt: Quemadmodum figulus habet potestatem ex luto vas fingendi, quale volet: ita Deo jus esse creandi hominem, quâ lubuerit conditione ac fine. Aliter tamen hoc de loco sensit Justinus: quemadmodum & Chrysostomus ad hunc locum: quorum uterque non absolutissimam potestatem statuendi de hominum fine, his verbis doceri putavit: sed eam germanam esse loci sententiam credidit, quòd in exigendâ à Deo actionum suarum ratione, perinde nos affici oporteat, ac lutum ratione figuli: eoque, ut lutum non obloquitur figulo, quacunque circumagatur: ita neque nos Deo obloqui, curioseque divinæ voluntatis caussas exquirere debere. Præterea nec videtur hic scriptor esse Justinus Martyr; cùm Eusebius, Hieronymus, Photius, ac Honorius nullam ejus libri faciant mentionem: ac seu vocabula, seu rem spectes, de Trinitate, ac Deitatis in Christo inhabitatione, similius scribat illis, qui circa Arrii ac Nestorii tempora vixerunt. Non tamen diffiteri possumus, antiquum omnino scriptorem esse, quando tanquam germanum Justini fœtum laudat Leontius Hierosolymitanus in Ἀπορίαις πρὸς τοὺς μίαν φύσιν συνθέτων λέγοντας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. qui liber MS. in Palatinâ extat Bibliothecâ. Item Euthymius Zigabenus, Panopliæ dogmaticæ titulo XVI, qui est περὶ μονοφυσιτῶν.

b Fol. 121. edit. Ven. cum com. Ficini.

c P. 304. edit. Commel.

Præterea laudant iidem Irenæum, qui lib. IV. cap. LXXVI. sic scribit: *Oportet te quidem primum ordinem hominis custodire, tunc deinde participare gloriæ Dei. Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergò opera Dei es, manum artificis tui exspecta, opportunè omnia facientem: opportunè autem, quantum ad te attinet, qui efficeris.* Et mox: *Manus ejus linet te ab intus, & à foris, auro puro & argento, & in tantum ornabit, ut & ipse rex concupiscat speciem tuam.* Sed hæc ut gratiæ, etiam prævenientis, necessitatem ostendunt: ita minimè probant, præsente auxilio prævenienti, liberum arbitrium semper operari. Imò contrarium docet eodem cap. Item LXXI. ubi hæc inter alia: *Dedit ergò Deus bonum, (quemadmodum & Apostolus testificatur in eâdem epistola) & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud: hi autem qui non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.* Citant etiam ejusdem locum ex lib. II. cap. XLV. sed hic divinam quidem providentiam adversus Gnosticos prædicat: nihil autem speciatim de operibus ex gratiâ supernaturali provenientibus dicit.

Ad Athanasium in Paulinas epistolas quod Cumel provocat, frustra est. Nam cùm commentarii illi sint epitome Chrysostomi, & in iis etiam Basilius, & Gregorius citentur: Athanasii esse minimè possunt. Sed deceptus est tum à Trithemio Abbate, tum editionibus Athanasii, quæ ante CIƆ IƆ XXIX. annum, primùm Romæ, pòst Lutetiæ, Argentinæ, Basileæ in lucem prodierunt; in quibus Athanasio adscribuntur. Sed in Commelinianâ Athanasii edit. frustra quæras. Reverâ autem esse Theophylacti, monuit, præter Beroaldum, Erasmus super Epist. Pauli ad Rom. cap. I. vers. 4. item Joannes Faber in malleo contra Lutherum tract. V. Quos autores secuta Theophylacto eos prima vindicavit editio Coloniensis Petri Quentelii A. CIƆ IƆ XXIX. ac triennio pòst Cervicorni, & eopse anno Lugdunensis, atque exinde aliorum edit. aliæ atque aliæ. Præterea neque Theophylacti verba multùm opinionem eorum juvant: quod parebit Loniceri potiùs interpretationem legenti, quàm Porsenæ, interpretis planè infelicis, ut vel ejus Agathias ostendit.

Quod ad Ephrem Syrum, is quidem confessione ad Deum ait, *gratiam facere, ut cor fructificet justitiæ fructum*: at non addit, hoc Deum facere per gratiam, quæ determinet voluntatem ante operum prævisionem, sive (ut sic loqui liceat) independenter à libero arbitrio. Adde quòd graves habemus dubitandi caussas, ecquid genui-

nuinum exstet. Ephremi non pauca saltem supposititia esse, fidem fecerint, quæ in Critico suo sacro notavit vir eruditus, Andreas Rivetus.

Quæ Hilarii verba citant ex epistolâ de reliquiis Pelagii ad Augustinum, non sunt Pictaviensis Hilarii, cujus temporibus Pelagius notus necdum erat: sed ejus, qui Arelatensis postea episcopus fuit.

Nec jure majori provocant ad libros Nysseni de philosophiâ, quando ejus non sunt, (etsi in hoc falsus quoque Sixtus Senensis) sed Nemesii, ut Bellarminus de scriptoribus Eccles. & Possevinus in Apparatu agnoscunt, ac Nicasii Ellebodii Græcolatina editio comprobavit.

Chrysostomi verò quòd autoritate se communiunt, planè putidum est; cùm eum contrarium sensisse vel sola docere possit homilia XII. in epist. ad Hebr. Nec homilia IV. de laudibus Pauli aliud probare propositum habet, quàm in ejusce Apostoli conversione eluxisse divinam atque ineffabilem virtutem crucifixi. Homilia verò de Adamo & Evâ (cujus patrocinio se defendunt, quotquot Chrysostomum in suam sententiam pertrahere conantur) Græcè non invenitur, planeque à Latino scriptore, vel potius exscriptore consarcinata est ex Gennadii de dogmatibus Ecclesiasticis libro, atque aliis scriptoribus Latinis.

Thesis XI.

Alterum, quod communi priorum Patrum sententiæ Augustinus adjecit, perseverantiam respicit. Siquidem non contentus dicere, esse eam gratiæ donum, quod Catholici omnes fatebantur, addebat, illam fluere ab absoluto salvandi decreto: ac proinde, quod ex duobus fidelibus, justificatis, & secundùm Deum viventibus, unus regenerationis gratiâ finaliter excidat; alter in ea vel perseveret, vel ante mortem resipiscat; hoc esse dicebat à secretione ante omnia secula facta, quâ Deus alios ad certum gratiæ gradum, alios ad ipsam æternam vitam destinasset: hos statuerit custodire, ne labantur; vel lapsorum decreverit misereri, ut resurgant: illorum lapsum (quem in præsenti rerum ordine, se impedire nolente, certò futurum prævidit) decreverit permittere; nec tamen illam gratiam lapsuris destinarit, quâ certò resurgerent à peccato, & in posterum fideliter Christo adhærerent. Talem credituorum discretionem occulto quidem, planeque mirando judicio à Deo factam ajebat, sed tamen justo: ac justo quidem, quia Deus neminem deserere decrevit, nisi à quo prius desereretur: occulto autem, quia cur unum è vitâ rapiat, antequam à mundo corrumpatur; alterum vivere permittat, donec cadat: è lapsis unius misereatur, alterum obduret: hujus caussam assignare nemo possit, ut quod hominis intelligentiam longissimè transcendat.

ANtea dicebamus, duplicem Augustino controversiam fuisse cum Massiliensibus, unam de fidei & bonæ voluntatis initiis, alteram de perseverantiâ in fine. De priori satis dictum: nunc de alterâ videamus, quâ quæritur, utrum perseverantia in fide humanæ virtuti tribui debeat, an gratiæ divinæ. Massilienses asserebant prius: qui Augustinum sequerentur, posterius. Augustinus enim, ut Catholicam sententiam validiùs probaret, argumento eam istiusmodi tuebatur. Quod divinæ est effectum prædestinationis, qua nos Deus ante omnia secula elegit in Christo, hoc est effectus gratiæ, non virtutis nostræ. Sed ut fidei initium, ita etiam perseverantia in fide, effectus est prædestinationis divinæ. Non igitur virtuti nostræ, sed divinæ gratiæ debetur. Hîc minus pronunciatum negabant Massilienses: quippe qui ut prævisionem fidei priorem putabant prædestinatione ad gratiam: sic prævisionem perseverantiæ priorem ducerent prædestinatione ad gloriam. Atque hanc dicebant fuisse sententiam Catholicorum Patrum, qui præcessissent. Augustinus verò minus illud pronunciatum eo probabat, quòd, scripturâ & experientiâ testante, ex duobus fidelibus unum Deus patiatur cadere; alterum conservet, ne ruat: item ex iis, quos cadere permittit, unum tollat è vitâ, dum ruinâ jacet oppressus; alteri nihilo meliori, interdum etiam deteriori, vitam proroget, & resipiscentiæ gratiam donet. Hujus disparilitatis caussam ab humano arbitrio peti posse negabat Augustinus: unde colligebat, ascendendum esse ad sublime Dei decretum, quo de omnibus, prout exequitur in tempore, ab æterno disposuerit modis ineffabilibus, & caussis humano ingenio incognitis. Vide eum libro de perseverantiæ bono, quo uberiùs atque ex professo adversus istam Massiliensium sententiam disputat. Nos ex amplâ segete aristas pauxillas decerpemus. Cap. VIII. sic scribit: *Ex duobus autem* PIIS, *cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Vbi veraminne, an fictam pietatem designet, ostendit, quod antecessit paullo antè: *Ab ipso quippe acceperunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat* FIDEM, QUÆ OPERETUR PER DILECTIONEM. Et post pauca subdit: *Nonne utrique vocati fuerant, &* VOCANTEM SECUTI, *utrique ex impiis* JUSTIFICATI, *& per lavacrum regenerationis utrique* RENOVATI? Idem cap. XIII. *Ipsos quoque* REGENERATOS *alios perseverantes usque in finem hinc ire, alios quousque decidant, hic teneri: qui utique non decidissent, si antequam laberentur, hinc issent: & rursum quosdam lapsos, quousque redeant, non exire de hac vitâ, qui utique perirent, si, antequam redirent, exirent.* Vnde liquet, loqui de statu, quo nisi excidissent, consecuti essent vitam æternam. Similiter cap. XIV. *Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum* JUSTI *sunt, auferantur: alii vero justi, donec à justitiâ cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur: quis cognovit sensum Domini?* Nihil igitur certius, quàm statum controversiæ esse, cur ex duobus vocantem Deum secutis, habentibus fidem, quæ per caritatem est efficax, eoque piis, regeneratis, justificatis, justis, inque eo statu constitutis, in quo si mansissent, salvati fuissent (cujusmodi fidelium circumlocutionem ex ipsis Augustini verbis contexuimus) unum concedatur cadere, qui nunquam resurgat; alter præservetur à casu, vel si cadere permittatur, etiam detur ei, ut resurgat. Ejus rei caussam adæquatam ex parte hominum adferri posse, negat Augustinus: sed pertinere illud ait ad Dei decretum, quo ab æterno ut impiorum unum ad gratiam conversionis elegit, altero præterito; ita piorum uni perseverantiæ bonum destinavit, altero neglecto.

Quomodò verò hæc necessitatem gratiæ ad perseverandum evincant, docemur cap. XIII. ubi cùm dixisset, *Ipsos quoque* REGENERATOS, *alios perseverantes usque in finem hinc ire: alios quousque decidant, hîc teneri:* aliaque quæ paullo antè adducebamus, continuò ista subjungit: *Unde satis dilucidè ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei, non secundùm merita nostra dari, sed donari secundùm ipsius secretissimam, eandemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem. Quoniam quos prædestinavit, ipsos & vocavit, vocatione illâ, de qua dictum est; Sine pœnitentia, sunt dona, & vocatio. Ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certâ asseveratione dicendus, nisi cum de hoc seculo exierit. In hac autem vitâ humanâ, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe, sicut jam suprà diximus, non perseveraturi perseveraturis, providentissimâ Dei voluntate, miscentur, ut esse discamus non alta sapientes; sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & operari pro bonâ voluntate. Nos ergò volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergò operamur, sed Deus in nobis operatur &*

opera-

operari pro benâ voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Vbi etiam non obscurè indicat, cur perseveraturis misceat Deus non perseveraturos. Nempe ut quisque cogitet, evenire sibi posse, quod alteri contigisse videt, atque eo magis sibi caveat semper à peccatis, quibus excutitur Spiritus Sanctus. Quod idem clarè docet cap. VIII. *Deus autem melius esse judicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à perniciosâ elatione reprimit, quod ait Apostolus: Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Voluntate autem suâ cadit, & voluntate Dei stat, qui stat.* Et cap. XIII. a *De vitâ æternâ, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cùm consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram; sed faciet nos perseverare in se, usque in ejus vitæ finem, cui quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem.* Vnde etiam liquet, qualis securitas ab Augustino intelligatur, cùm eam negat expedire in hac vitâ. Nam addit, securitatem eam demum contingere, cùm ex hac vitâ excedimus. Nempe perseverantiæ certitudinem designat: quomodo se interpretatur lib. XI. De civitate Dei cap. XII. *Quis primos illos homines in Paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamvis de suâ beatitudine, quàm diuturna, vel utrùm æterna esset, incertos? Esset autem æterna, nisi peccassent: cùm hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus* JUSTE AC PIE, *cum spe futuræ immortalitatis, hanc vitam ducere, sine crimine vastante conscientiam, facilè impetrantes peccatis hujus infirmitatis divinam misericordiam. Qui licet de sua perseverantiæ præmio certi sint* b, DE IPSA *tamen* PERSEVERANTIA *suâ reperiuntur* INCERTI. *Quis enim hominum se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat,* NISI *aliquâ* REVELATIONE *ab illo fiat* CERTUS, *qui de hac re, justo latentique judicio, non omnes instruit, sed neminem fallit.* Vbi observandum, ut non dicat, nullum esse certum, sed NON OMNES, quia aliquos REVELATIONE certos fieri non diffitetur. Similiter epist. CVII. ad Vitalem, circa medium: *Ut perseverent in eo, quod esse cœperunt, etiam pro se ipsis orant fideles. Utile est quippe omnibus, vel* PENE OMNIBUS, *propter humilitatem saluberrimam, ut quales futuri sint, scire non possint. Ad hoc dicitur, Qui videtur stare, videat ne cadat. Propter hujus timoris utilitatem, ne regenerati &* PIE VIVERE INCIPIENTES, *tanquam securi alta sapiamus, quidam non perseveraturi perseveraturis, Dei promissione vel provisione ac dispositione, miscentur; quibus cadentibus servis cum timore & tremore gradiamur viam istam, donec ex hac vitâ, quæ tentatio est super terram, transeamus ad aliam, ubi jam non sit elatio comprimenda, nec contra ejus suggestiones tentationesque luctandum. Sed de hac re, id est, cur quidam* NON PERMANSURI IN FIDE ET SANCTITATE *Christianâ, tamen* ACCIPIANT AD TEMPUS HANC GRATIAM, *& dimittantur hic vivere, donec cadant, cùm possint rapi de hac vitâ, ne malitia mutet intellectum eorum, quod de sancto immaturâ ætate defuncto scriptum est in libro Sapientiæ, quærat quisque ut potuerit.* Clarè indicat, paucos esse fideles, qui certò se perseveraturos sciant. Hoc enim verbis illis voluit, OMNIBUS, VEL PENE OMNIBUS. Nempe fidei quendam gradum agnovit, quem etiam ante exitum hujus vitæ certitudo perseverantiæ comitetur. Quare & ἐμφατικῶν videri possit, quod dicit, PIE VIVERE INCIPIENTES. Nec enim tales perseverantiæ certitudinem habere censet, quia necdum illum sunt fidei gradum consecuti, quem certitudo perseverantiæ consequatur, etsi per gratiam Dei contendere ad eum debeant, & possint. Abunde ex his liquet, Augustinum libro De perseverantiæ bono concedere, multos, qui non tan-tùm gradum aliquem; quo eatur & perveniatur ad fidem Christianam, sed ipsam fidem, justificationem, regenerationem ac pietatem sint adepti, retrorsum ferri, nec redire ad Christum: cur verò Deus hoc in uno potiùs, quàm in alio permittat, id ad imperscrutabilem divinæ sapientiæ abyssum referre. Vtrumque horum clarè idem docet libro De correptione & gratiâ. Quod ne faciliùs quàm veriùs dixisse videamur, loca aliquot apertissima ob oculos ponemus. Cap. VI. ait: *Si autem jam* REGENERATUS ET JUSTIFICATUS *in malam vitam suâ voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, Non accepi: quia* ACCEPTAM GRATIAM *Dei suo in malum libero* AMISIT *arbitrio.* Et mox subdit: *Fides quæ* PER DILECTIONEM OPERATUR, *sed usque in finem non perseverat.* Idem cap. VII: *Multi vocati, & non in eis, de quibus dictum est; Pauci verò electi. Et tamen quis neget, eos electos, cùm* CREDUNT, *& baptizantur, &* SECUNDUM DEUM VIVUNT? *Planè dicuntur electi a nescientibus, quid futuri sint; non ab illo, qui eos novit non habere perseverantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos; scitque illos ita stare, ut præsciverit esse casuros.* Et ibidem cap. VIII: *Hîc si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, qui* EAM, QUA CHRISTIANE VIVERENT, DILECTIONEM DEDIT: *me ignorare respondeo.* Et eodem capite: *Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod* FILIIS SUIS *Deus quibusdam,* QUOS REGENERAVIT IN CHRISTO, QUIBUS FIDEM, SPEM, DILECTIONEM DEDIT, *non dat perseverantiam: cùm filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ suâ faciat filios suos. Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehementissime stupeat?* Et cap. XIII: QUIS *enim ex multitudine* FIDELIUM, *quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi cavenda est elatio.* Et mox: *Similia multa dicuntur propter hujus utilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam, qui bene currunt, timeant, dum occultum est quo perveniant. Propter hujus ergò utilitatem secreti, credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem* IN FIDE, QUÆ PER DILECTIONEM OPERATUR, INCIPERE VIVERE, ET ALIQUAMDIU FIDELITER ET JUSTE VIVERE, *& postea cadere; neque de hac vitâ, priusquam eis id contingat, auferri. Quorum si nemini contigisset, tamdiu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam, quâ piè vivitur, pervenirent, deinceps jam securi, nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumtio in iste tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Sententia est: Si soli illi, qui ad pietatem contendunt, deficere possent, jam ubi quis illam gratiam, quâ piè vivitur, adeptus esset, de reliqua foret vita securus. Atqui videmus, defecisse aliquos ex illis ipsis, qui piè sanctèque viverent. Proinde non quotquot piè & secundùm Deum vivunt, præsumere statim debent, se esse ex numero electorum.

Procul omne præjudicium animique pertinacia absisto: quis non clarissimè ex istis videt, tria hæc pro certis habuisse Augustinum. Primum, Aliquos Dei filios regeneratos in Christo, habentes fidem, spem, dilectionem, & piè, justè, secundùm Deum viventes, deficere à Deo, æternumque perire. Deinde, Cur uni magis quàm alteri conferat Deus perseverantiæ donum, esse inter occulta Dei. Denique, Plurimis aliquem Christianæ fidei ac justitiæ adeptis gradum in hac vitâ expedire, ut nesciant æternam electionem sui, ne carnis infirmitate reddantur securi. Vide alia in hanc mentem apud eundem T. 2. epist. CXXI. ad Probam. T. 4. lib. II. quæst. I. ad Simplic. T. 5. lib. XX. de Civit. Dei cap. VII. T. 6. contra Faustum lib. XXII. cap. LXXXI. & LXXXVIII. & De sanctâ virginitate cap. XXXVIII. & Tom. X. lib. Quinquaginta homi-

a Citat hæc verba Hier. Zanch. lib. V. de Nat. Dei cap. II. col. 503. Atque ait, Augustinum loqui de securitate experientiæ & sensus, eâque semper velle ut simus in metu peccati: non autem loqui de securitate fidei.

b Etiam hunc Augustini locum citat Zanchius ibidem. Similiterque addit, Augustinum de certitudine scientiæ non autem fidei & spei loqui: & de tali perseverantia, quâ sine peccato perseveres in profectu justitiæ. Hoc enim neminem scire, se non amplius peccaturum, sed in actione justitiæ constanter perseveraturum.

homiliarum, homil. ult. cap. quincto, & adversus posteriorem responsionem Juliani lib. I. cap. CXXVIII. *a* Quem solum locum ponam, quia libri illi ante paucos demum annos inventi, nec ita multis cogniti sint. *Habes adhuc*, inquit, *quod suggeras consiliarius Dei pro* FILIIS EJUS, QUOS REGENERAVIT, QUOS ADOPTAVIT, *& tamen malos atque damnandos fore pravidit; ut antequam veniant in eam vitam, vita ipsius productione priventur, & ad regnum ejus, non ad supplicia aterna pertineant. Cùm enim* b *to in judicio se dicere putaverit, Deum creare quos damnet; cogita, quanto invidiosius possit dicere, aliàs similiter vanus,* DEUM REGENERARE QUOS DAMNET, *cùm sit in ejus omnipotentia potestato,* ANTEQUAM DAMNABILES FIANT, *eos de tentationibus mortalis vita hujus auferre.* Augustinus de bono perseverantiæ cap. VI. CUM *perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia, qua poterat ante finem. Quomodo potest amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam, quod posset amitti? Sed ne forte dicatur, usque in finem perseverantiam non amitti quidem, cùm data fuerit, id est, cùm perseveratum fuerit usque in finem: sed tunc amitti quodammodo, quando* AGIT HOMO PER CONTUMACIAM UT AD EAM PERVENIRE NON POSSIT: *sicut dicimus, hominem, qui non perseveraverit usque in finem, amisisse* VITAM ÆTERNAM, *vel regnum Dei, non quod jam acceperat & habebat, sed quod* ACCIPERET ET HABERET, SI PERSEVERASSET: *verborum controversias auferamus, & nonnulla etiam, qua non habentur, sed haberi sperantur, posse dicamus amitti.*

Hanc Augustini sententiam secutus etiam fuit B. Prosper. Non jam per lata & læta Prosperi vireta exspatiabimur: sed intra parvum nos concludemus libellum ejus responsionum & sententiarum ad objectiones Gallorum. In eo, responsione ad capitulum II. sic scribit: *Omnis homo, qui* CREDENS *in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum,* REGENERATUR *in Baptismo, tàm à propinquis peccatis, qua malâ voluntate & actione contraxit, quàm ab originali, quod à parentibus traxit,* ABSOLVITUR. *Sed* RELAPSUM *post Baptismum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quàm qui eundem adserit non* ÆTERNA MORTE ESSE DAMNANDUM. *Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratiâ finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficietur, qua ei propter illa, qua remissa sunt, debebatur.* Hæc Prosper: qui clarè docet, ut illi, qui veram habent fidem, hoc est, eam per quam originalis & actualium peccatorum remissionem sunt consecuti, si à fide hac deficiant, excidant à gratia Dei, &, si impœnitentes moriantur, æternùm puniantur, non propter peccata remissa, sed propterea, quæ commisere, postquam à fide desciverunt. Idem evincitur ex responsione ad objectionem septimam, quæ ejusmodi erat: *Quòd Deus quibusdam* FILIIS SUIS, QUOS REGENERAVIT IN CHRISTO, QUIBUS FIDEM, SPEM, DILECTIONEM DEDIT, *ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt à massâ perditionis, prascientiâ Dei, & pradestinatione, discreti.* Ad hæc respondet Prosper; *Ex* REGENERATIS *in Christo Jesu quosdam, relictâ* FIDE *& piis moribus, apostatare à Deo, & impiam* VITAM IN SUA AVERSIONE FINIRE, MULTIS *(quod dolendum est)* PROBATUR EXEMPLIS. *Sed horum lapsum Deo adscribere, immodica pravitatis est.* Idem docet in sententiis super capitulis Gallorum. Vide sentent. II. III. VII. & IX: cujus solius verba adferam: *Qui dicit, quòd non pro totius mundi redemtione Salvator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit. A quo pretio extranei sunt, qui*

a P. 183.
b *Locus corruptus, quem sic emendo,* Cum enim sine judicio me dicere putaveris, Deum creare quos damnet. *Nam Julianus, cui nunc respondet Augustinus, dixerat paullo ante:* Vestra Ecclesia dicit, sine justitia, sine judicio, sine misericordia * Deum conditorem malorum formare quos puniat; atque ob hoc punire, quòd eos ex Adam ipse formaverit.

aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut POST REDEMTIONEM AD EANDEM SUNT SERVITUTEM REVERSI. Sed hæc non amplius evincunt, quàm certum fidei & regenerationis gradum à plerisque amitti: non item docent, cur Deus non donet perseverantiam, quibuscumque initium dedit. At responsione ad objectionem tertiam, cum Augustino illud ad occulta Dei judicia refert. Cùm enim dixisset, A SANCTITATE *ad immunditiam, à* JUSTITIA *ad iniquitatem, à* FIDE *ad impietatem plerosque transire* NON DUBIUM *est:* subjicit mox: *Quòd autem illos non eo tempore, quo in* FIDE RECTA, ET BONIS MORIBUS, ERANT, *ab hac vitâ abstulit, ad* OCCULTA *ejus* JUDICIA, *qua tamen nunquam sunt injusta, referendum est.* Injusta verò cur non sint, caussam hanc addit: *Non relicti sunt à Deo, ut relinquerent Deum; sed reliquerunt, & relicti sunt, & ex bono in malum propriâ voluntate mutati sunt. Atque ab hac licet fuerint* RENATI, *fuerint* JUSTIFICATI: *ab eo tamen, qui illos tales prascivit, non sunt pradestinati.*

Κενεφύγιον quorundam de fide simulatâ à quâ deficiatur, plane evertit Augustinus epist. LIX. ad Paulinum: *Non sunt in istâ* (secundum propositum) *vocatione, qui in fide, qua per dilectionem operatur, etiamsi aliquantulum ambulant, non perseverant usque in finem: & utique potuerunt rapi, ne malitia mutaret intellectum eorum si & illam pradestinationem & vocationem, qua secundum propositum & sine pœnitentiâ est, pertinerent. Ac ne quisquam* PRÆSUMTOR *ita de occultis judicet alienis, ut dicat, Ideo non rapti sunt ex hac vitâ antequam essent fidei desertores,* QUIA *in eadem vitâ non fideliter ambulabant, & hoc in eorum cordibus noverat Dominus, quamvis hominibus aliter appareret: quid dicturus est de infantulis parvulis, qui plerique accepto in illâ atate Christiana gratia sacramento, cùm sine dubio pertinerent ad vitam aternam vel regnum calorum, si continuo ex hac vita emigrarent, sinuntur crescere, & nonnulli etiam apostata fiunt? Unde? nisi quia non pertinent ad illam pradestinationem & secundum propositum ac sine pœnitentia vocationem.*

THESIS XII.

Ex altero hoc Augustiniana sententia additamento satis clarè liquet, tam Augustinum & Prosperum, quàm Pelagium & ejus reliquias, super eo convenisse, quòd fides justificans, & gratia regenerans amitti possit; & à plerisque amittatur: sed sanctos illos Patres praterea contendisse, Deum ab aterno statuisse, quosdam infallibilibus mediis perducere ad vitam aternam, quorum idcirco fides & caritas vel nunquam deficiat, vel amissa certo restituatur ante finem vita, cùm Dei propositum de iis salvandis, quos semel elegit ad vitam, neutiquam irritum fieri possit. Neutiquam igitur antiquitatis mentem assequuntur, qui cùm apud Augustinum & alios legunt, electos Dei vel deficere nunquam, vel ad Deum ante obitum redire; inde colligunt, ex eorum sententiâ fideles semper in fide perseverare, aut saltem nunquam penitus divinâ gratiâ excidere. Quorum argumentum hac nititur hypothesi, quòd fideles & electi ἀντιστρέφουσι, cùm juxta Augustinum non reciprocentur electi & fideles, sed fideles perseverantes. Imò omnis illa disputatio, qua Augustino cum Pelagio & Massiliensibus de perseverantiâ sanctorum fuit, hypothesin planè contrariam habet. Nam nisi concedatur, quosdam fidelium & piorum deficere, nec redire; cadere, nec surgere; cessabit penitus hac quastio, cur aliqui eorum perseverent, alii non item; de quo inter Augustinum & adversarios tantopere disceptatum fuit. Quid quòd antiquitas tota indeficibilitati adversatur? nec quemquam,

quan-

quantum meminisse valemus, veterum invenire est, qui fideles omnes omnimodam de perseverantiâ suâ certitudinem habere arbitraretur. Fatentur quidem, animos filiorum Dei dubitationis anxietate cruciari non debere, cùm spei fiduciam habeant, quæ sufficienti consolatione & lapsuros sustentet, & lapsos levet: at nihilominus negant, posse quemvis, exinde quòd impræsentiarum fidelium se in numero esse sciat, tantum sibi de reliquo vitæ tempore favorem Dei pro certo polliceri, ut tanquam divinâ revelatione de se edoctus spondere ausit, nunquam se adulterii, homicidii, idololatriæ reum fore, quamquam David, Salomon, alii tantopere à viis Domini declinarint; vel si cum illis in tantum scelus prolabatur, tum uti David, ita sibi quoque prorogatum iri vitæ tempus, usque dum seriò pœnitentiam agens reconcilietur Deo. Cujusmodi omnimodam certitudinem negant infirmis expedire in hac vitâ tot tentationibus obnoxiâ: ubi tanta est infirmitas, ut, nisi perpetua adsit sollicitudo custodiendi gratiam, quam semel accepimus, facillimè obrepat carnis securitas; per quam, velut bipatentibus portis, undique vitiorum se insinuent catervæ.

COmmunem fuisse antiquitatis sententiam quam diximus, soli hodie negare possunt, qui cætera fortasse viri sunt non ineruditi, sed in antiquitate tamen planè sunt hospites: vel animum habent unius & alterius sententiis ita mancipatum, ut eorum oculis videre malint quàm suis, cumque iis errare præoptent, quam cum aliis bene sentire. Singulos veterum hìc adducere & singulatim iis obviam ire, quæ aliqui frigidè objectant, longioris sit instituti: quem tamen laborem, si viros pios & eruditos requirere à nobis videbimus, nunquam defugiemus. Ita Irenæus lib. I. cap. XXVII. Tertullianus de præscript. atque alii, aiunt, Nicolaum, qui unus è septem diaconis fuit, qui omnes (ut Actor. VI. legimus) *pleni* erant *Spiritu Sancto & sapientia* fuisse auctorem hæresios quæ Nicolaitarum vocatur. Interim, sis, adi Irenæum lib. IV. cap. LXXII. Justinum Martyrem dialogo cum Tryphone *a*, Clementem Alexandr. *b* lib. II. *στρωματ.* Origenem περὶ ἀρχῶν lib. I. cap. III. & XIII. & ad Rom. lib. VII. cap. VIII. Macarium homil. *c* IV. XV. XXIV. XXVI. & XXVII. Athanasium contra Arrianos *d* orat. IV. Basilium homil. in Psalm. CXIV. I. *e* & homil. in principium Proverb. *f* & aliâ in aliquot Scripturæ locos *g*, homil. de Spiritu Sancto & *h*, homil. de Pœnitentia *i*. Gregorium Nazianzenum orat. XL. quæ est in sanctum Baptisma *k*, Chrysostomum in Joh. cap. I. homil. X. ad illa verba, *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* & epist. V. quæ parænesin continet ad Theodorum lapsum. & homil. LXXVII. ad Antiochenos, juxta vulgatem inscriptionem. Revera enim, ut alibi diximus, postremæ octo & quinquaginta ad Antiochenos orationes tantùm sunt excerpta quædam ex Chrysostomo in homiliæ formam digesta. E Latinis verò consulantur Tertullianus lib. adversus hæreses cap. III. & lib. de pœnitentia cap. VI. Cyprianus de unitate Eccles. cap. XII. & lib. I. epist. VII. ad Rogatianum. & lib. IV. epist. VII. ad Magnum. & scriptor commentar. in epistolas Pauli Ambrosio tributorum in epist. ad Rom. cap. IX. Chromatius in cap. V. Matth. &c. Fidem ac justitiam non posse amitti, error fuit Joviniani; ut Hieronymus secundo adversus Jovinianum libro ostendit. Atque isti cùm Græci, tum Latini, ante exortam Pelagianam controversiam scripserunt. Quorum sententiæ insistere Augustinum & Prosperum, jam antè vidimus. Et similiter scriptor de vocatione gentium lib. II. cap. XXVIII. Salvianus Massiliensis lib. II. contra avaritiam *l*, Gregorius M. lib. XX. Moral. cap. IV. lib. XXXIV. cap. IX. & X. & in lib. I Reg. cap. XVI. Isidorus Hispalensis lib. II. sententiarum de summo bono cap. VI. quod est de Prædestinatione, item cap. VII. Eodemque pertinet illud cap. X: *Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tempore resolvit.* Ubi pro *tempore* (quomodo omnes editt. habent, quas vidi) ex MSO meo lego *teporo*. Sequitur ibidem: *Horum ergo exempla quisque conversus evita, ne dum timorem Dei à temporo incipis, rursus mundanis erroribus immergaris.* Ubi itidem pro *tempore* (prout editt. veteres habent) aut pro *torpore* (ut nupera Parisina correxerit) ex MSO eodem *teporo* emendo. Sequitur enim, *Tepidus in conversione otiosa verba noxia esse non conspicit.* Adi & Christianum Druthmarum cap. LII. in illud Matth. cap. XXII. vers. 14: Haimonem in Apoc. cap. II. vers. 4. & 5. item cap. III. vers. II. Imò Haimonis hujus ætate, anno nempe IↃCCCXLVIII, idem statutum est à synodo Moguntina, cui & Haimo intererat, ac præerat Rabanus Maurus. Nam ea synodus damnavit Godscalcum Monachum, cujus inter dogmata erat, eos qui pereunt, etsi prius crediderint, & baptizati fuerint, non nisi signo tenus redemtos fuisse à Christo; nec unquam à perditionis massâ fuisse secretos. Atque hoc Moguntinæ synodi judicium mox secutum est Ecclesiæ Remensis, cui præerat Hincmarus, & aliorum Galliæ Belgicæ episcoporum concilium. Imò Ecclesia Lugdunensis, etsi in plerisque Godscalco magis quàm præfatis synodis assentiret; in hoc tamen capite utriusque synodi sententiam approbavit. Nam ait, eos qui semel fide sunt justificati, à perditionis massâ esse secretos secundùm statum præsentem; non secundùm præscientiam Dei, qui non præsentia tantùm, sed etiam futura intuetur. Verba ejus adponam *a*: *Sollicitius & diligentius est quærendum, si reprobi nunquam sunt à perditionis & damnationis massâ discreti, quomodo, sicut hic dicitur, tam multi ex eis in Ecclesia per gratiam baptismi sunt renati & justificati? Si enim, ut dictum est, nunquam sunt à massâ damnationis & perditionis discreti, quomodo in Ecclesiâ verè sunt renati & justificati? Quid enim sunt renati, nisi regeneratione baptismi innovati? Et quid sunt justificati, nisi per eum, qui justificat impium, a suâ impietate mundati? Quomodo ergò in eis perficitur, dum in morte Christi baptizantur, & in ejus sanguine à peccatis abluuntur, vera innovatio & vera mundatio, si adhuc in damnationis & perditionis massâ concreti, & non discreti detinentur? Apostolus ramum sylvestris & inculti oleastri prius de natali oleastro dicit excisum, & postea in bonam olivam insertum, atque ita socium radicis & pinguedinis oleæ effectum; quem tamen postea vehementer admonet & terret, dicens: Vide ergò bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. Alioquin & tu excideris. Quod quid est aliud, nisi ut excisus à bonâ olivâ, cui insertus fueras, cum silvestri & fero atque amaro oleastro ignibus deputeris? Juxta quam similitudinem melius fortassis creditur & dicitur, quod qui verè ad Christi fidem accedunt, & verè in baptismo ejus gratiâ regenerantur, & verò accipiunt indulgentiam tam originalium quàm actualium peccatorum: verè per hæc & à naturali oleastro credendi sunt excisi, id est, à perditionis & damnationis massâ discreti, & in bonam olivam inserti, id est, Ecclesiæ incorporati. Et tamen, si digna excisione commiserunt, etiam post ista omnia ab ista oliva excidantur, & cum illa damnationis & perditionis massa, à qua fuerant originalis & actualis peccati indulgentia discreti, velut cum naturali oleastro æterna ustioni deputentur. Unde namque illa damnationis & perditionis massa, nisi originalis peccati reatu & conspersione, effecta est? Cum ergo in quolibet fideliter credente, & veraciter renato atque expiato, vera fit ejusdem peccati originalis remissio, quomodo ipse in massa originalis peccati remanet, qui inde ejusdem peccati remissione probatur esse discretus? Quod autem in verbis sanctorum Patrum legitur, quod tales, id est, gratiam Christi in se irritam facientes, & ita pereuntes, nunquam ab illa massa discreti sunt; ad Dei præscientiam pertinet: qui licet ad præsens in Ecclesia* COMMUNEM EIS CUM ELECTIS REGENERATIONIS GRATIAM *tribuat; ibi tamen eos prædestinationis suæ judicio jam*

a P. 206. & 207. edit. Commel.
b P. 162. & 166. edit. Commel.
c Homil. 4. p. 51. homil. 15. p. 178. 190. 202. 210. 215. homil. 24. p. 323. hom. 26. p. 342. hom. 27. p. 368. & 373. edit. Morell. Gr.
d P. 270. edit. Commel.
e P. 196. edit. Bas. Gr.
f P. 187.
g P. 216.
h P. 242.
i P. 245.
k P. 662. ed. Morell.
l Pag. 53. edit. Rittersh.

a T. 2. auctarii biblioth. PP. col. 1204.

depu-

deputat, ubi prævaricationis suæ merito damnandos videt. Idem in Valentino Galliæ concilio ab ejusdem Lugdunensis Ecclesiæ, ac præterea duarum Ecclesiarum, Viennensis & Arelatensis, episcopis constitutum est canone V. qui sic habet: *Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo* FIDELIUM *ex aqua & spiritu* REGENERATA, *ac per hoc* VERACITER ECCLESIÆ INCORPORATA, *& juxta doctrinam Apostoli in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit* A PECCATIS ABLUTA. *Quia nec in eis potuit esse* VERA REGENERATIO, *nisi fieret &* VERA REDEMTIO; *cum in Ecclesia sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium; sed prorsus totum* VERUM, *& ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine* FIDELIUM ET REDEMTORUM, *alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemtione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: alios, quia noluerunt permanere in salute* FIDEI, QUAM INITIO ACCEPERUNT, REDEMTIONISQUE GRATIAM POTIUS IRRITAM FACERE *prava doctrina, vel vita, quam servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis* NULLO MODO PERVENIRE. *In utroque siquidem doctrinam pii doctoris habemus: Quicunque*
a Rom. 6. a *baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati*
b Gal. 3. *sumus.* Et b: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Chri-*
c Hebr. 10. *stum induistis.* Et iterum c: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, adspersi corda a conscientia mala; & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessio-*
d ibid. *nem indeclinabilem.* Et iterum d, *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relin-*
e ibid. *quitur pro peccatis hostia.* Et iterum e: *Irritam quis faciens legem Mosis sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Similiter qui prope trecentis post hanc synodum annis vixit, Bernardus, de Re-
f Col. 169. & 170. surr. Dom. serm. 11 f. *Vita quidem corporis est anima, per quam movetur & sentit: vita verò fidei caritas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis, fides, quæ per dilectionem operatur. Unde &, refrigescente caritate, fides moritur, sicut corpus anima recedente. Tu ergo, si videris hominem in bonis operibus strenuum, & fervore*
g F. Conversionis *conversationis* g *hilarem: vivere in eo fidem non dubites,*
h Vide obiter, ut versus spondiacus exciderit Bernardo. *indubitata* h *tenens vitæ illius argumenta. Sed sunt nonnulli, qui, cum spiritu cœperint, heu, carne postea consummantur. Scimus autem, quia jam non permaneat in eis spiritus vitæ, quia scriptum est: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Quod si non permanet spiritus, haud dubium quin excidat caritas; quæ nimirum diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Porro fidei vitam (ut jam diximus) in caritate constituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari. Hinc ergo colligitur, recedente spiritu, fidem mori: quoniam spiritus est, qui vivificat.*

Neque tamen existimandum, hanc Bernardi, vel aliorum fuisse sententiam, quòd occinentes nobis illud vatis
i Virgil. Æn. 5. 501. gentilis, *Nescia mens hominum fati sortisque futuræ* i, vitam hanc agere debeamus in perpetuâ animi anxietudine, & infernalium cruciatuum timore, graviore profectò omnibus morborum cruciamentis & carnificum tormentis: sed planè confitendum, etiam antiquos illos tantam fidelibus spei fiduciam tribuere, quanta sufficere possit ad expellendam istiusmodi animi anxietatem, quâ tanquam desperationis abysso absorberemur tandem. Apertè enim docent, fiduciam, quam in Deo benigno Patre, & Christo Mediatore repositam habemus, nos in molestiis & tentationibus cunctis consolatione, melle quovis dulciori, salubriter sustentare; per quam etiam persuasum habemus, nunquam eum perpessurum, ut supra vires tentemur. Solùm, quia in fœdere divino non Deus solùm gratiam suam nobis promittit, sed etiam ut nos coram eo integrè ambulemus requirit, & vita hæc tentatio perpetua est super terram, & tristissimos plurimorum sanctorum casus novimus, & propriæ infirmitatis quotidianâ admonemur experientiâ: eo talem & tantam fiduciæ istius certitudinem esse negant, ut quia nos spiritu cœpisse videmus, eo certissimi simus, nos eodem consummaturos, ac proinde polliceri seu aliis seu nobis possimus, quantumcunque ad tempus vita nobis prolongetur, nunquam fore ut deleramus Deum; vel, ut hoc contingat, nihilominus Deum misericordem nobis tamdiu prorogaturum vitam, usque dum cum filio prodigo revertamur ad cælestem Patrem, iterumque in gratiam recipiamur. Qualem certitudinem, ut suprà vidimus, expedire in hac vitâ negat Augustinus; negat etiam is, cujus ante meminimus, Bernardus serm. 1. in Septuagesimam. Ipsum loquentem a audiamus: *Quis* a Col. 104. ed. Antv.
potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere potest? reclamante nimirum scripturâ: nescit homo, si sit dignus amore, an odio. Certitudinem utique non habemus: sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit, eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam, quos præscivit Deus, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, UT QUIBUS CERTITUDINEM NEGAT CAUSSA SOLLICITUDINIS, VEL FIDUCIAM PRÆSTET GRATIA CONSOLATIONIS. *Hoc enim est, unde semper solliciti & in timore & tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei; quoniam, quales simus, nosse possumus, vel ex parte; quales autem futuri simus, id nosse penitus nobis impossibile est. Itaque qui stat, videat ne cadat: & in formâ, quæ salutis indicium est, & argumentum prædestinationis, perseveret atque proficiat.*

Thesis XIII.

Illud interim maximopere in considerationem venit, quòd, cùm Patres fidem posse amitti, eoque ex fide haut rectè æternam electionem colligi posse contendunt, non omnes de quacunque fidei mensurâ loquuntur: cum plurimi eorum distinguant tres fidei gradus: quorum primus dat fidei essentiam, secundum quam justificat, & dicitur fides viva; atque oppositam habet fidem mortuam ac putatitiam; qualis hypocritarum: alter gradus addit durationem, qua ratione salvificat; sibique oppositam habet fidem (ut vulgo loquimur; quod de hominibus dicit Scriptura, fides eorum per κατάχρησιν tribuentes) πρόσκαιρον sive temporariam, qualis est apostatarum: tertius gradus superaddit soliditatem, & dicitur perfecta, solida, radicata; quæ quocunque vitæ tempore certificat: hoc est, ut Gregorii Magni b *verbis utar,* sic confirmat, ut quis ulterius cadere non possit, & HOC DE SESE CERTISSIME SCIAT. *Cui gradui opponitur fides debilis, qualis etiam multorum est electorum. Patrum loca, quibus dicunt, fidem veram quidem amitti posse, sed nunquam non reparari, semper loquuntur de secundo fidei gradu: at illa quibus aiunt neutiquam posse amitti, omnino intelligi debent de gradu tertio. Cum quibus minimè pugnat, quod universi aliàs dicunt, multos per defectionem à fide æternum perire: nam intelligunt fidem primi gradus: hoc est formaliter, sive essentialiter veram, sive, quod idem est, justificam, etsi non salvificam: sed justificam κατ᾽ οὐσίαν, per quam quis in præsentia est justus: non justificam κατ᾽ ἐπιμονὴν, quando, si veritatem finis spectemus, vere justifica non est, quæ aliquando desinit justificare, quia non aliam habet promissionem vitæ æternæ, quam quæ perseverat.*

b Apud Gratianum decret. part. 2. dist. 2. fol. 395. b. 2.

Multi,

MUlti, quia negare non possunt, amissibilitatem gratiæ apertè à Patribus adstrui; duplici hoc distinctiunculâ eludere conantur. Primùm aiunt, loqui Patres de amissibilitate ratione naturæ, non gratiæ. Sed hoc responsionem non meretur, cùm etiam cæco pateat, utrumque eos dicere, & quid homo possit, & quid fiat: nam aiunt, fidelium, justificatorum, regenitorum, piorum multos, excussis gratiæ donis, æternum perire. Præterea respondent, Patres loqui de fide simulata, non verâ. At hoc quoque facile diluitur distinctione veri. Nam, ut optimè ante nos jam alii observarunt, trifariam aliquid verum dicitur. Primùm κατ' οὐσίαν sive formaliter, cùm res habet quicquid ad essentiam requiritur, eoque proprios actus exercere potest: quà ratione ei opponitur falsum aut putativum; unde hoc verum ab Augustino definitur *a*, *id quod est, non autem videtur.* Deinde verum est κατ' ἀπαρτισμὸν ἢ ἐπιτέλεσιν, sive quod ad consecutionem finis ultimi: quod verum à Gratiano *b* exponitur perseverans, & ad vitam æternam ducens. Optimè sanè: nam & è perseverantiâ meritò rei veritatem metimur, quia, ut Jurisconsulti *c* aiunt, *Nihil videtur actum, siquid superest quod agatur.* Quò illud quoque Basilii *d* pertinet, Τὸ γὰρ ὀλίγον γενόμενον, οὐ γέγονε *e*. Et à fine, ad quem res ordinatur, (quomodo fidei finis est vita æterna) ἅπαντα προσαγορεύειν δίκαιον *f*, ut Aristoteles *g* ait: ut iccirco singulari ratione ea solùm fides vera dicenda sit, quæ ad vitam perducit æternam. Huic vero opponitur inutile, frustraneum: quomodo negandum est, veram fuisse fidem eorum, qui frustra crediderunt: ut legimus 1 Cor. xv. sive τῶν εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δεξαμένων: ut est 2 Cor. vi. Tertiò est verum κατ' ἐπίτασιν, sive secundùm intentionem gradualem: quomodo veri voce utitur Quinctilianus, cùm lib. 1. cap. iv. præcocibus ingeniis negat *veram vim inesse*, hoc est, ut ipse continuò exponit, *quæ penitus immissis radicibus innititur.* Quomodo fides vera est, quæ vulgo radicata dicitur, quia altè radices egit. Eaque ratione vero opponitur infirmum, debile.

Patres vero cùm docent, fidem posse exstingui, non loqui de fide fictâ, sed verâ & vivâ, sive justificante: tum illa arguunt, quæ distinctionis caussâ addunt; ut cùm eam vocant fidem regenitorum, aut fidem per caritatem efficacem: tum quod alios quidem admonent, ut hac in fide perseverent, idque præmio vitæ æternæ illis proposito: alios verò increpent, quòd ab ea defecerint, gehennæque iis minentur supplicium, nisi à Deo pœnitentia ac precibus ἀσωτίας remissionem, priorisque Spiritus Sancti gratiæ reparationem consequantur. In disputatione oempe de perseverantia sanctorum generales responsiones sunt hæ: I. Promissiones Dei sæpe habere tacitam conditionem. quod probatur partim eo, quòd alioqui frustra aliis locis ea conditio exprimeretur: partim quia alioqui Deus meritò poterit mendacii insimulari. Ex. gr. 1 Sam. 2. 3. ubi Deus dicitur promisisse Heli & domui ejus fore ut coram se ambulet in æternum. At nunc, inquit Deus, longe id à me absit: nam honorantem me honorabo, & siquis me contemserit, idem contemnetur. Non sequitur igitur, Deus promittit hæc ex parte sua, & Deus est fidus: ergò nec homo deerit ex parte sua; & utut ille defuerit sibi, Deus explebit promissum. Nam, uti dixi, promissio hæc est conditionalis. II. Si absolutè, quibus putatur, locis promitteretur continuatio donorum Spiritus S. semel collatorum, tum Spiritus S. sibi contradiceret, nervosque incideret argumentorum, quibus hortatur, terret, obsecrat, ne sibi fideles deesse velint. Nam ἀλογία est; Vivite sanctè, & retinere fidem ad finem usque. Hoc oro vos, & obsecro, ad hoc hortor. Nisi feceritis, parata vobis gehenna. Interim scitote, non posse vos non retinere fidem ad finem usque, ideoque nihil vobis esse periculi à gehenna. Sic qui loquatur, quod unâ manu struat, id alterâ destruat; quæ imprudentia non cadit in virum sapientem, nedum in sapientem Deum. Quæ omnia apertissimè nos docet Bernardus epist. xlii, quæ ad Henricum Senonensium Archiepiscopum scripta est: *Jam verò quod restat de fide non ficta, & item quod ex alio loco in mentem venit, fides sine operibus mortua est: duo ista mittunt nos ad quandam fidei trifariam divisionem; ut dicatur fides mortua, ficta, probata. Et mortuam quidem Apostolus definit eam esse, quæ sine operibus est, id est, quæ non operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur & moveatur ad opera. Fictam autem ego arbitror illam vocari fidem, quæ susceptâ quidem ex caritate vitâ moveri inchoat ad bene operandum; sed non perseverans deficit, & moritur tanquam abortiva. Eo utique sensu fictam dixerim nominatam, quo vasa figuli vocamus fictilia; non quia videlicet utilia non sint, quamdiu durant; sed quia fragilia cùm sint, diu minimè durant. De hac fidei fictione puto illos notari in Euangelio a, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Interroga eos, qui dicunt, caritatem, à quo semel accipitur, nequaquam ultrà recedere. Ait veritas de quibusdam; Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Unde & quo recedunt? Utique à fide in infidelitatem. Item quæro, Poterantne in illa fide salvari, an non poterant? Si non poterant, quæ injuria Salvatori, quæve tentatori lætitia, quòd hinc recedant, ubi salus non sit? Siquidem nec Salvator zelatur, nisi salutem; nec malignus invidet, nisi saluti. Si autem poterant, quomodo aut sine caritate sunt, quamdiu in illa fide sunt, cùm sine caritate salus esse non possit: aut deserentes fidem, non etiam deserunt caritatem; cùm caritas & infidelitas simul esse non possint? Recedunt ergò quidam à fide, quia veritas asserit. Consequenter & à salute, quia Salvator redarguit. Inde nos colligimus, quòd & à caritate, sine qua salus esse non poterit. Et hi, inquit b, radicem non habent. Nec negat, eos habere bonum, sed in bono potiùs radicatos non esse caussatur. Denique sequitur, & ait c, Quia ad tempus credunt. Bonum est, sed utinam duraturum. Non enim qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Non autem durant, quoniam in tempore tentationis recedunt. Beati, si interim rapti fuissent, antequam malitia mutaret corda eorum. Nunc verò væ prægnantibus & lactantibus in illis diebus: teneros utique fœtus gestantibus, & de vita recenti facilè in periculis exturbandos. Tales sunt animæ parvam adhuc & teneram habentes caritatem, & ob hoc earum fidem vivam, sed fictam, necesse est in tentatione deficere. Vasa figuli, ait, probat fornax, & homines justos tentatio; illos videlicet, qui ex fide vivunt. Justus nempe ex fide vivit; sed ex fide, quæ vivat. Neque enim quæ mortua est, vitam dare potest. Dæmonum fides non adducitur in examinationem; vacuâ quippe caritate, mortua est. Credunt quidem & contremiscunt, sed timor non est in caritate. Proinde in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur: non quòd extinctæ fidei nulla jam debeatur probatio, sed reprobatio. Solam utique justorum fidem, id est, vivorum vivam, fornax tentationum suscipit examinandam. Sed non omnium justitia manet in seculum seculi: quoniam sunt, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Qualis sit cujuscunque fides, tribulatio probat. Si cujus deficit, (deficit enim, cùm in caritate non perseverat) ficta esse dignoscitur. Si cujus perseverat, probata & perfecta censetur. Liquet ex his satis, (ut arbitror) non omnes, qui habuerint caritatem, habere & perseverantiam in caritate. Alioquin frustra commoneret d discipulos Dominus, Manete, inquiens, in dilectione. Aut enim, si necdum diligebant, non debuerat dicere, Manete, sed, Estote in dilectione meâ: aut si jam diligebant, necesse non erat moneri de perseverantiâ, quâ, secundùm istos, privari non poterant. Curet igitur servus bonus & fidelis, fide servare non fictâ caritatem de corde puro, & conscientiâ bonâ: pluris æstimans animæ vitam, quàm corporis: minùs horrens carnis mortem, quàm fidei.*

Cùm verò justificantem fidem deficere posse, & reapse interdum deficere sancti Patres docent: intelligunt hoc ratione actuum, qui è potentiâ sive habitu fidei emanant. Nam

a Solilog. 2. 5.
b Decreti 2. part. De pœnitentiâ. distinct. 2.
c L. penult. C. ad SC. Syllan.
d Basil. 2. de Baptis. c. 9.
e Quod fere fit, non fit.
f Omnia denominari, a fine.
g Lib. 2. De anima cap. 4.
a Luc. 8.
b Ibid.
c Matth. 10.
d Joan. 15.

Nam potentiam hanc, quam dicere possumus semen fidei actualis, haut planè tolli, saltem in electis, minimè diffitentur: sed otiosam fidei aut caritatis potentiam, fidei aut caritatis nomine haut dignantur, eò quòd talis non sufficiat ad salutem. Unde optimè Martinus Cellarius sive Bortheus, libro De operibus Dei *a*: *Fides virtus non jacet iners, non languet, non friget, sed* NEGOTIOSA *est; fervet ac calet, & omnes venas cordis, calore lucis suæ penetrat.* Et ut seculi nostri scriptores mittamus, Gregorius homil. xxx. habita die festo Pentecostes: *Nunquam est Dei amor otiosus. Operatur enim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est.* Ubi otiosus amor dicitur, qui cùm operari potest, ac debet, minimè operatur: quam otiosi definitionem dat Jul. Scaliger Exerc. vi. themate 9. Estque hæc ratio, cur Gregorius non opponat operari & non operari; sed operari & renuere operari: unde patet, non ideo fidem, aut caritatem otiosam esse dicendam, quia in somno, vel alias etiam, non operetur, modo, quoties exigitur ejus actus, non renuat operari.

a Fol. 69. edit. anni 1527.

Quòd verò dicebamus, potentiam sive habitum fidei non planè extingui, etiam cùm fides renuit operari, eoque salvifica non est: id mirè ob oculos ponit immensam Dei bonitatem. Nam quid magis ejus nobis misericordiam commendet, quam quòd, licet homo atrocibus peccatis (uti homicidio, adulterio, idololatriâ, abnegatione Christi) horrendum in modum Deum offendit, planeque ob summam ἀχρηστίαν deseri a Deo meruit; Deus tamen relinquat in homine fidei quasi semen; unde per increpationes, minas, adhortationes, Spiritu Sancto sese verbo externo sociante, salutaris fidei actus facilè eliciatur: cujus rei exemplum habemus in Davide & Petro, quorum uterque (ille à Nathane, hic galli cantu monitus) culpam statim agnovit, pœnitentiam egit, & ita divinæ rursum gratiæ restitutus fuit.

Atque ex his cognoscere fuit, quatenus, judicio nostro, veteres putarint, cùm alios, tum ipsos electos à verâ ac vivâ fide posse deficere. Interea iidem Patres fatentur, fidem eam, à quâ quis deficit, veram *b* appellari non posse, si veritatem accipiamus in secunda notione, quæ non essentiam respicit, sed consecutionem proprii finis, ut fides vera sit idem quod salutaris, aut ducens ad vitam æternam. Quo sensu dixit Augustinus *c*: *Tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur: si autem perseverantiam non habent, id est, in eo, quod cœperunt esse, non manent; non verè appellantur, quod appellantur, & non sunt: apud eum enim hoc non sunt, cui notum est, quid futuri sint, id est, ex bonis mali.* Quâ ratione & Jesus Christus apud Johannem ait *d*, *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Hæc ratio est, cur nemo coram Deo censeatur mundus, nisi qui talis perseverat; nec item immundus, nisi qui in immunditie persistit. Hinc Isychius in cap. v. Levitici: *Quia autem in* LXX *translatione non dixit simpliciter à bestia captum, sed addidit, immundum, qui est à bestiâ captus, putas, non est omnimodo & immundus? Et dicimus, Nequaquam. Neque enim omnis, qui à bestiâ capitur, jam omnino ab eâ & occiditur. Forsitan enim, & postquam capitur, liberatur, sicut Petrus. Incidit enim in diaboli laqueum tempore negationis. Sed resipiscens evasit. & dicet cum David, Anima mea, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Hic ergò immundus non est.* Similiter dicere possumus, eum qui triticum, hoc est, fidelis est in se, hunc coram Deo esse zizania, si præsciat Deus, eum in lolium sterilesque avenas degeneraturum: ac contrà qui est infidelis, ac proinde zizaniorum loco à nobis meritò habetur, eum, si crediturus, & in fide perseveraturus à Deo præsciatur, triticum in ejus præscientiâ censeri. Quò pertinet illud B. Augustini lib. De unitate Ecclesiæ cap. xix: *Quicunque boni in æternum futuri sunt, etsi ad tempus mali sunt, non zizania, sed triticum sunt in præscientiâ Dei.* Par ratio in illo Tertulliani lib. De præscript. adversus hæreticos cap. III. *Nemo Christianus, nisi qui ad finem perseveraverit.* Cujus loci sententia est, siquis Christianam religionem,

b Eo sensu accipere possumus quod verè dixit Oecolampadius in Ezech. xviii. 25. Quia in fine censura fit hominis, sequitur, justum non perseverantem nunquam verè justum fuisse.
c De corrept. c. 9.
d Ioh. 8. 31.

quam semel amplexus fuit, deserat postea; vel prius fuisse hypocritam, velut non simulârit religionem, nihilominus in præscientiâ Dei non fuisse Christianum, cùm ea respiciat finem; qui nisi bonus, priora non veniunt in censum apud Dominum. At non hoc velle Tertullianum, eum qui semel fuerit Christianus, nunquam à Christianismo deficere; arguit quod paullo antè dixerat, nihil esse mirandum, si quispiam antea probatus, postea excidat. Eundem verò respicere præscientiam Dei, ostendit, quod continuò subjicit: *Tu*, inquit, *ut homo, extrinsecus unumquemque nosti: putas quod vides. Vides autem quousque oculos habes; sed oculi, inquit, Domini, alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideo cognoscit Dominus, qui sunt ejus*, &c. Quibus verbis idem planè ait, quod Augustinus superiùs dicebat, *Apud eum hoc non sunt, cui notum est, quod futuri sint, id est, ex bonis mali.* Similiter Gregorius Magnus scribit, lib. xxxiv. Moral. cap. viii: *Quod hi, qui ante humanos oculos, quasi aurum, singularitate splendere justitiæ videbantur, sed sic cadunt, ut non pœniteant; ante Dei oculos nunquam aurum, sed lutum fuerunt.* Nec enim Gregorium hoc velle, fidem illam nec essentialiter veram esse; satis cognoscimus ex seqq. duobus capitibus: item lib. 1 Reg. cap. xvi. *Sciri*, inquit, *non potest, an quis in gratia, quam recepit, perseverare in perpetuum debeat.* Et paullo pòst: *Multi quidem post remissionem peccatorum, peccata ad mortem faciunt, in quibus nimirum Spiritus in reliquum dirigi non videtur. Dirigitur ergo spiritus in electis tantùm in die illa in reliquum; quia reprobis in exortu fidei per Spiritum Sanctum peccata dimittuntur; sed Spiritus Sancti gratiam postmodum per iniquitatem perdunt.* Ac licet à Gregorio dissentiat, eam tamen fuisse illius sententiam agnoscit Jo. Calvinus lib. III. Instit. cap. xxiv. §. 9. Negat autem Gregorius certitudinem electionis, non in quibuscunque fidelibus; sed quorum infirma est fides, & caritas imperfecta. Nam de ea, quæ pro modulo hujus vitæ perfecta est, sic scribit super Ezech. homil. xvii. *Unum signum est electionis* SOLIDITAS CARITATIS, qua de re infrà plumbus. Cæterùm non tantùm fides ea, quæ nec essentiam fidei justificantis habet, sed habere videtur, simulata fictave fides appellatur: sed etiam ea, quæ vera est κατ' οὐσίαν, at non κατ' ἐντελέχειαν. Sic de caritate dixit quisquis scriptor est Commentariorum in epistolas Paulinas apud B. Ambros. *a* *Simulata caritas in his est, qui in necessitate deserunt fratres.* Ubi simulatam dicit, quæ similis quidem sit caritati ei, quæ ad vitam perducit æternam, (qualis ea solùm est, quæ perseverat) at revera non consequitur hunc finem, ob perseverantiæ defectum. Sanè vel hoc dicendum, vel statuendum, non describi ab eo fidem simulatam, sed per exemplum declarari. Alioqui pugnabit secum, ut liquet ex iis, quæ scribit in cap. ix. epist. ad Rom. Pugnabit item cum Augustino, lib. De corrept. cap. ix. ubi ait, filios Dei, qui perseverantiam non habuerunt, non vere fuisse filios, NON QUIA JUSTITIAM SIMULAVERUNT, SED QUIA IN EA NON PERMANSERUNT. Similiter FICTÆ vocabulum exponi debet, quando Gratianus decret. parte II. de pœnitentiâ dist. II. apud Ambrosium epist. II. ad Cor. legi ait: *Ficta caritas est, quæ deserit in adversitate.* Nec aliter interpretatur Gratianus, ut qui aliquanto pòst dicat: *Caritas, quæ in adversitate deseritur, ficta, id est, fictilis & fragilis esse perhibetur: sicut fides, ex quâ caritas procedit, ficta, id est, fragilis apud Apostolum esse negatur.* Ac ante eum Bernardus quoque similiter scripserat, epist. XLII. ex quâ superiùs hæc verba citabamus: *Fictam ego arbitror illam vocari fidem, quæ susceptâ quidem ex caritate vitâ, moveri inchoat ad bene operandum; sed non perseverans deficit, & moritur tanquam abortiva. Eo utique sensu fictam dixerim nominatam, quo vasa figuli vocamus fictilia; non quia videlicet utilia non sint quamdiu durant; sed quia fragilia cùm sint, diu minime durant.* Porrò quòd hi *fictam* interpretantur *fictilem*, in eo non tam Grammaticam vocis notionem spectant, quàm rem ipsam.

a In 2 ad Corinth. cap. 6 ad illud, In caritate non simulata.

ipsam. Quippe eo significant, cùm fidem temporariam appellant *fictam* aut simulatam, non essentiæ veritatem à se negari, sed firmitatem ac durationem: eoque illud solum inficiari, fidem eam idoneam esse ad consecutionem finis, qui est vita æterna. Satis igitur ex his patet, quo sensu Patres interdum scribant, veram fidem, vel firmam semper & inconcussam perstare: vel si homicidio, adulterio, idololatriâ intercidatur, semper tamen ante vitæ finem reparari. Nam quamquam hoc verum non est de fide vera κατ' οὐσίαν, verum tamen est de fide eâ, quæ perducit ad vitam æternam: quæ iccirco rectè amissibilis negatur; nempe non vulgari amittendi notione, sed quâ Jurisconsulti negant, rem amisisse, qui aliquando recuperaturus est. Pertinet huc Augustini illud lib. De corrept. & gratiâ cap. VII: *Quicunque ab illâ originali damnatione, istâ divinâ gratiæ largitate discreti sunt: non est dubium, quòd procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, &, si quando exorbitant, correcti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt.* Item in eodem: *Firmum Dei fundamentum stat immobile, habens signaculum hoc, Scit Dominus, qui sunt ejus. Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit: aut si qui sunt, quorum deficit, reparantur, antequam vita finiatur ista, & deletâ iniquitate, quæ intercurrerat, usque in finem perseverantia deputatur.* Item cap. VII: *Nullus eorum ex bono in malum commutatus finit hanc vitam.* Et eodem: *Talibus Deum diligentibus, omnia cooperantur in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut, etiamsi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum faciat eis proficere a in bonum.* Quæ Augustini loca etiam Gratianus adducit decreti part. 2. distinct. 2. idque ut ostendat, (verbis ejus utar) *caritatem, quæ in Petro ante negationem herba fuit, & in singulis nascitur antequam roboretur, ante sui perfectionem amitti & reparari.* Quæ de electis solis, ac fide ad æternam vitam perducente, intelligi debent, ut satis Augustini verba ostendunt.

Interdum verò Patres ἁπλῶς negant, fidem, spem, caritatem, posse deficere: & totaliter, inquam, & finaliter: quod intelligunt de fide consideratâ in se, sive κατ' ἐπίτασιν, καὶ ἀκρότητα. Nec enim negare possumus, fidem, formamque omnem, considerari vel in se, ac ratione essentiæ, vel ratione particularis inexistentiæ, sive ut a subjecto participatur: ac posteriori hoc modo spectari eam, vel secundùm universam latitudinem suam, vel cum relatione ad perfectissimum receptionis gradum. Si fides consideretur in se, fixa stabilisque dicenda est: ut quæ fundamentum sit religionis Christianæ. Ἡ πίστις θεμέλιον, τὸ δὲ λοιπὸν οἰκοδομή b, ut inquit Chrysostomus c ad Hebr. cap. VI. homil. IX. Nec inde consequi putarunt Patres, fidelem semper in fide fixum esse ac stabilem, sed hoc solùm inde colligunt, quod quis super eo fundamento exstruat, id stabiliter ac inconcussè permansurum: non item stabile futurum, quod quis, deserto hoc fundamento, ædificare cœperit super arenas. Simile est, quod idem in epist. ad Corinth. cap. VI. homil. XVIII d. fidem vocat petram firmam atque inconcussam. Nam hoc quoque similiter non de fideli quovis, sed de fide in se, sive essentiæ ratione spectata, intellexit: ac proinde non, si fidelis naturam mutet, eo fidei naturam mutari credidit: quomodo non, si homo animi mobilitate desiliat de petra, eo petra desinit esse stabilis atque immobilis: nec si domus aliqua petræ leviter superstructa à domino suo destruatur; eo petra ipsa minùs fuerit firma. Fuisse eam mentem Chrysostomi, pertinaciæ fuerit negare. Nam jubet nos retinentes esse τῆς πίστεως, τῆς πέτρας τῆς ἀρραγοῦς e: atque addit, ὅτι f γὰρ πολλοὶ τῇ ἀνοίᾳ προσκρούσαντες, δυνήσονταί τι λυμήνασθαι ἡμῖν; ἐπειδὴ γὰρ ἐπὶ τῆς πέτρας ἀπερικτύπητοι. At quorsum hæc? nempe ut perspectâ fidei necessitate, tum huic ut firmæ petræ insistamus, tum etiam firmiter insistamus; quod fiet, si sedulò caveamus, quæ nos possunt ab hac petrâ dejicere. Explicat enim Chrysostomus illa Apostoli verba, ἐκτρεπόμενος a τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν. Ex quibus colligit Chrysostomus, non debere vanis objectamentis ac quæstionibus responderi: quippe, inquit, τῆς b πίστεως ἐκβάλλει, οὐκ ἀφίησιν εἶναι βεβαίως, οὐδὲ πεπηγυῖαν. Hinc colligit, nos debere, istis quæstionibus omissis, operam dare, ut fidem retineamus: quam servantes salvi erimus. Μὴ, inquit, ταύτας ἐχώμεθα, ἀλλὰ τῆς πίστεως, τῆς πέτρας τῆς ἀρραγοῦς c. Similiter item T. 1. serm. in BB. Job. & Abraham d: INEXPUGNABILE *scutum pia fides.* Nemo igitur expugnari poterit, quamdiu scuto hoc pugnabit. At nihil hoc ad ῥαψῳδίας, quibus nec Vulcania prosint arma, nec Orci galea, ut οἱ ἔξωθεν loquuntur. Idem homil. XXV. in Genesin fidem vocat ancoram, quæ undique mentem sustentet sibi inhærentem. Ἡ πίστις, inquit, ἡ εἰς Θεὸν καθάπερ ἄγκυρά τις ἀσφαλής. Sed quid hoc ad eos, qui ancoras præciderunt? quod Judæ contigisse idem Chrysostomus e ait: *Unus*, inquit, *infelix Judas ab hujusmodi ancorâ se divulsit, osculo lupi prodens ovem, & triginta argenteis vendens Dominum.* Par ratio istius apud Commentatorem epist. Pauli, qui vulgò Ambrosius putatur, in 2. ad Corinth. III. *Fides æterna res est. à Spiritu scribitur, ut maneat.* Hujusmodi enim elogia fidei in abstracto, ut loquuntur, non in concreto, intelligi debent. Quemadmodum & de spe, ut in naturâ suâ consideratur, ac qualem Deus à nobis requirit, accipiendum est illud Hilarii in Matth. cap. VI f: *Regnum cælorum, quod Prophetæ nunciaverunt, Ioannes prædicavit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari. alioqui justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua.* Nempe, ut paullo pòst subjicit Hilarius: *In dictis Dei veritas est, & rerum creandarum efficientia omnis in verbo est. Itaque nec quod spopondit, ambiguum est; nec inefficax, quod locutus est.* Similiter intelligi debet, cùm spes vocatur πληροφορία ἀναμφίβολος, *certa ac minimè anceps persuasio*: quo eam elogio ornat Proclus in celebri illâ, ac Cyrillo g quoque laudatâ epistolâ ad Armenos de fide: quæ Cyrilli adversus Nestorium libris in Romanâ editione h subjicitur. Verba Procli sunt: τί δὲ ἐλπὶς οὐκ ὀνειροπολεῖν ἀξιοῖ, ὡς ἄν τις εἴποι, ἀλλὰ γενναίως κρατεῖν ἐν τοῖς παροῦσι προξενεῖ τὰ μέλλοντα, τῆς ἀναμφιβόλου πληροφορίας τὸ μήπω παρὸν τῷ χρόνῳ, ὡς ἐνεστὼς ἤδη, τῷ λογισμῷ ἐγχειριζούσης, καὶ σχεδὸν τὰ προσδοκώμενα ὑπ' ὄψιν ἀγούσης. ὑπερβαίνουσα γὰρ ἡ ἐλπὶς τὰ ἐμποδὼν κωλύματα, συνάπτει τὸ ποθοῦν πρὸς τὸ ἐρώμενον, τὸ παραρρέον δὲ χρόνῳ τῇ τοῦ μέλλοντος σχέσει νικῶσα. *Spes verò efficit, non ut bellè somniemus, ut ita dicam: sed ut in præsentibus strenuè teneamus futura; cùm indubitata illa certaque persuasio, quod in præsentia nondum est, tanquam præsens, cogitationi exhibeat, & penè sub adspectum ea deducat, quæ exspectantur. Spes enim objecta transcendens impedimenta, connectit desiderans cum desiderato, fluxumque tempus comprehensione futuri exsuperat.* Idem dicit Macarius homil. XVIII i, quâ de Christianis sic scribit: Μήπω γὰρ τὴν τελείαν κληρονομίαν λαβόντες τὴν ἡτοιμασμένην αὐτοῖς ἐν ἐκείνῳ τῷ αἰῶνι, ἀσφαλεῖς εἰσιν ἀπὸ τοῦ ἀῤῥαβῶνος, οὗ ἐδέξαντο νῦν, ὡς ἤδη ἐστεφανωμένοι, καὶ βασιλεύοντες. *Licet integram hæreditatem, sibi in illo seculo præparatam, nondum adierint; certissimi tamen sunt ex arrhabone, quem modò receperint, acsi jam coronati essent, & regni clavum tenerent.* Nempe quod de anchorâ dictum, id in arrhabone etiam locum habet. Certos nos dicunt de vita æternâ, quamdiu habemus arrhabonem Spiritus Sancti: sed arrhabonem hunc si quis abjiciat, hanc certitudinem simul salutis amittere. Est & ejusdem Macarii homil. XIV: Ἐξ ἀνάγκης ἡ δύναμις θεία ὅπου κατακλύσει, περίσσιμον γίγνεται, ὡς κῦμα ἀναφαίρετον.

a Prima occasionaliter, quia homines redeunt atque electi, ut Augustinus subjicit: sive quia fortiores resurgunt: ut ad hunc locum notat Gratiani Glossographus.
b Fides est fundamentum, reliqua sunt ædificium.
c P. 189 edit. Commel.
d P. 1612. edit. Commel.
e Fides, quæ petra est infracta.
f Neque enim stabunt, neque venti irruentes, possunt nobis obesse; stamus enim super petram inconcussi.

a Devitans profanas vocum novitates & objectiones falsi nominis scientiæ, quam quidam profitentes circa fidem exciderunt.
b Dejiciunt à fide, neque permittunt stare firmum firmumque.
c Non his adhæreamus, sed fidei petræ infractæ.
d P. 669.
e T. 5. homil. in 12. sanctos Apost.
f P. 261.
g Epist. ad Anastasium, & cæteros monachos, & epist. ad Ioannem Hierosolymitanum.
h P. 125.
i P. 245.

 Ne-

Necessariò enim virtus divina, quocunque diverterit, illic perseverat, velut possessio, quæ auferri nequit. Cui geminum hoc Clemens Alexandrinus lib. I. Pædagogi cap. VII: Ἡ ἀγωγὴ ἡ θεία, κτῆμά ἐστιν εἰς ἀεὶ παραμένον. *Divina vitæ institutio est in æternum permanens possessio.* Et hoc Ambrosii libro II. de Cain & Abel cap. III. *Ut nos faceret in Dei possessione numerari, sicut scriptum est, Domine, posside nos. Ea est enim sola possessio, quæ nullis obnoxia tempestatibus, perpetuæ gratiæ ferat fructus.* Nempe loquuntur hi omnes de possessione perfectâ ac solidâ: quod satis translatio, qua Ambrosius utitur, indicat. Nam si latè possessionis voce utamur, quis non videt, ea quoque nostra dici, quæ tempestatibus vel aliter eripi nobis possunt? Verùm gratia Spiritus Sancti longè firmius possidetur, quàm ullæ mundi possessiones. Nam has vel dextra rapax, vel læva fugax, vel diluvio aliqua, aut alia calamitas, auferre nobis potest. Divina autem gratia casibus hujusmodi obnoxia non est: sed, ubi semel est nostra, permanet nostra; nisi scientes volentes eam decoquamus: cujusmodi amissio, non divinæ gratiæ fragilitati, sed mutabili hominis tribui debet voluntati. Invenimus & similem de fide & caritate locum apud anonymum in hymno, quem ex membranis apud Marcum Velserum descripsit Cont. Rittershusius, & Magnum hymnis Anacreonticis subjecit. In eo sic legimus:

Est fides integerrima
Ad omne bonum patula,
Quæ nunquam scit deficere
A pietatis opere.

Et aliquanto pòst:

Hæc est perfecta caritas,
Quam nulla sternit feritas.

Ac hujusmodi quidem est divina gratia, si essentiæ ratione consideretur. Videamus deinceps, ut se habeat ratione particularis inexistentiæ, sive ut à subjecto recipitur. Spectatur hac ratione vel secundùm universam latitudinem, sive secundùm distinctos gradus, per quos à subjecto recipitur: vel κατ᾽ ἀκρότητα, sive ultimam perfectionem. Priori modo considerata omnino est inæqualis. Siquidem, ut apud Macarium est homil. XVI. Τῇ χάριτι εἰσὶ μέτρα. *Sunt gratiæ mensuræ ac gradus.* Atque ut Cyrillus sive Joannes Hierosolymitanus ait Catech. I: Ἡ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου κοινωνία κατὰ ἀναλογίαν δεδώρηται τῆς ἑκάστου πίστεως. *Communicatio Spiritus Sancti secundùm fidei uniuscujusque proportionem donatur.* Item Hesychius in Levitici cap. XIV. *Fides ad mentis nostræ mensuram datur, quæ non capit amplius quam unicuique à Deo est dispertita cognitio: quod minus est, aut amplius, ad infidelitatem tendit.* Nec in diversis modò hominibus, dispar fidei mensura obtingit: sed in eodem quoque fides, & incrementa sua habet, & decrementa. Quo verò remissiùs subjecto inest, eo faciliùs perit: quo intensius ab eo recipitur, hoc firmiùs inhæret: adeò ut cum proximè ad perfectionem pervenerit, fieri propemodum ampliùs non possit, ut desertâ fide ac virtute ad vitia feratur animus: quod etiam indicat hic locus Nazianzeni orat. XXXI: Ἀλλὰ τὸν ἐν σοὶ λόγον κινήσας, αὐτὰ τὰ σπινθῆρα τοῦ καλοῦ διὰ τῆς προαιρέσεως ἀνάψας, σαυτὸν ἐξεκάθηρας, τὴν ῥίζαν ἐξέτεμες, τὰ ὄργανα τῆς κακίας ἐξώρισας, τοσαύτην ἕξιν ἐκτήσω τῆς ἀρετῆς, ὥστε καὶ ΣΧΕΔΟ'Ν ἀδύνατον σοι γενέσθαι τὴν ἐπὶ τὰ χείρω φοράν. *At tu rationem tibi insitam movens, ac scintillas virtutis per animi liberam electionem exsuscitans, te ipsum exsiccasti, radicem excidisti, instrumenta vitii depulisti, tantum tibi virtutis habitum comparasti, ut jam* PROPEMODUM *fieri amplius non possit, ut ad deteriora animus feratur.* Quod si fidem posteriori modo, hoc est, non κατὰ τὸ πλάτος, sed κατ᾽ ἀκρότητα consideremus: jam negandum est, eam recipere intentionem aut remissionem: utpote perfectam ac omnibus numeris absolutam, eoque firmam, stabilem, constantem, imò ipsam stabilitatem, & constantiam; quæ & caussa fortasse est, cur Apostolus a fidem appellet ὑπόστασιν, quasi fulcimentum aut basin rerum sperandarum dicas. Eodem igitur recidit, sive de fide loquamur secundùm essentiam considerata, sive secundùm summum hunc inexistentiæ gradum. Utroque enim modo est perfectum quid, latitudinis expers. Hoc verò pacto res considerari debent in definitionibus: unde eas numeris, quibus nihil addi aut detrahi potest, similes dixit Aristoteles VIII. Metaph. context. X. Hinc quoque justitia Jurisconsultis definitur, *constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi.* Parque ratio est omnis accuratæ tractationis: unde de perfecta demonstratione potissimùm agere voluit Aristoteles; ac perfectam Reimp. describere adnixus Plato, perfectum Oratorem Tullius. Similis verò ratio ineunda in habitibus Theol. Unde Cluniacensis l. de vinculo caritatis: *Qui de caritate loqui instituit, de perfecta loqui nititur.* Atque hinc est, quòd vera fides, vera caritas, vera spes appellari soleat, quæ pro vitæ quidem hujus ratione perfecta est. Quare rectè hac veri notione dixit Augustinus b: *Crediderunt verè, id est, quomodo credendum est, inconcussè, firmè, stabiliter, fortiter, non jam in propria redituri, & Christum relicturi.* Vir magni nominis, de inamissibilitate gratiæ tractans, hoc loco ostendere conatur, nec Augustino fidem, quæ amittitur, veram censeri; in quo nos sibi assentientes habet, si intelligat veram κατ᾽ ἀκμαιότητα ἢ ἐπίτασιν, non item si loquatur de vera κατ᾽ οὐσίαν. Nam etiam fidem debilem ac infirmam ab Augustino veram οὐσίας ratione haberi, argumento esse potest calcatum illud ejusce Patris, *Petrum fides defecit in ore, non in corde.* Quod sine dubio de fide οὐσιωδῶς vera accipi debet. At ea fides non fuit inconcussa ac stabilis. Quare, juxta priorem veri notionem, nec ἁπλῶς vera fuerit necesse est. Sed quid multis? Augustinus ipse, cùm fidem veram interpretatus esset inconcussam, firmam, stabilem, fortem; mox negat, talem fuisse Apostolorum fidem, priusquam Pentecostes festo miraculosè acciperent Spiritum Sanctum. Hæc enim continuò subjicit: *Adhuc ergò discipuli non erant tales, quales eos dicit verbis præteriti temporis, quasi jam essent: prænuntians quales futuri essent, accepto scilicet Spiritu Sancto, qui eos, sicut promissum est, doceret omnia. Quem priusquam acciperent, quomodo servaverunt ejus sermonem, quod de illis, quasi fecerint, dixit; quando primus eorum ter eum negavit, cum ex ore ejus audisset, quid futurum esset homini, qui eum coram hominibus negavisset?* Clarissimum igitur est, non loqui Augustinum de fide verâ simpliciter, sed de fide verâ κατ᾽ ἐπίτασιν, sive de fide in se consideratâ: quâ ratione ἡ ἐγκράτεια c Aristoteli lib. VII. Eth. Nicomach. cap. IX. dicitur, τῷ ἀληθεῖ λόγῳ καὶ τῇ ὀρθῇ προαιρέσει ἐμμένειν d: nempe non quia nemo unquam ex continenti fiat incontinens, quod experientia reclamat: sed quia hæc continentiæ sit natura, ut secundùm eam homo, sequens rationem rectam, abstineat se à voluptatibus, licet repugnante cupiditate: quique verè, hoc est perfectè continens est, is nunquam ita ab animi statu deturbetur, ut succumbat voluptatibus iis, quas ratione adversante cupiditas suggessit. Similiter igitur rectè dicitur, eam veræ fidei naturam esse, ut secundùm hanc constanter credamus promissionibus divinis: verumque fidelem esse, qui semper in fide manet. Neque solus sic locutus Augustinus: sed etiam Gregorius Magnus homil. XXX. habita festo Pentecostes: *Qui Deum* VERE *diligit, qui ejus mandata custodit; in ejus corde Dominus & venit, &* MANSIONEM FACIT: *quia sic eum divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore tentationis tempore* NON RECEDAT. *Ille ergò* VERE *amat, cujus videlicet mentem delectatio prava ex consensu* NON SUPERAT. Nam nunquam negasse caritatem veram κατ᾽ οὐσίαν deficere, sed eam solùm quæ κατ᾽ ἐπίτασιν vera est; jam antea liquere diximus ex lib. XXXIV. Moral. cap. IX. & X. & lib. I. in Reg. cap. XVI. Qui hanc fidei ἀκρότητα habent, eos Cyprianus pene initio libri de unitate Ecclesiæ

a Hebr. 11. 1.

b Tom. 9. tractatu 106 in Ioh.

c Continens.

d Qui in vera ratione, & recto consilio permanet.

clesiæ dicit *fortes & stabiles super petram robustâ mole fundatos, contra omnes tempestates & turbines seculi, immobili & inconcussâ firmitate solidatos.* Rectè quoque Augustinus lib. I. de Baptismo contra Donatistas, cap. 17. *Spiritales non eunt foras, sed in solidâ unitatis petrâ fortissimo caritatis robore radicantur.* Ubi duo indicat 1. petræ soliditatem. 2. nostri in petrâ fortem radicationem. Semper petra solida est, sed non omnes in eâ radicantur. Verùm hic Augustinus loquitur de spiritalibus, dum tales sunt: quos hypocritis opponit, qui manentes quales erant, foras prodeunt. Talium fides dicitur confirmata, seu roborata, sive, ut vulgo appellant, radicata: qualis non solùm Apostolorum erat, postquam miraculosè Spiritum Sanctum acceperant: sed & olim multorum sanctorum fuit, & nunc est, in quibus fidei donum paullatim precibus ac crebris actibus piis ita est auctum, ut tandem fidelem reddiderit stabilem ac insuperabilem. Hæc res adhortari nos debet, ut (quemadmodum jubet Petrus *a*) *per bona opera certam vocationem & electionem faciamus.* Fiet hoc quotidianis pœnitentiæ, patientiæ, aliorumque bonorum operum exercitiis, assiduis & seriis precibus, firmo animi proposito: quibus semina charismatum, plantæque virtutum, certis & ordinatis provehuntur augmentis: donec ad perfectionem sui habitus per succedentia sibi incrementa pertingant. *Nec enim facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio*; ut est apud scriptorem de vocat. gentium lib. II. cap. XI. De hujusmodi fide roboratâ, plurima apud Patres leguntur: quorum aliqua adscribere visum est: ut pareat magis, cùm Patres dicunt, fidem aut caritatem ita fixam ac radicatam esse, ut non possit evelli; ita firmam ac solidatam, ut nullâ vi possit labefactari; ita fervidam ac æstuantem, ut nullo possit frigore exstingui: minimè eos loqui de quovis fidei aut caritatis gradu, sed de charismatibus perfectis, ac κατ' ἀκρότητα consideratis. Primus esto Clemens lib. VI. Stromat. *b* Ἀδύνατον γὰρ, τὸν ἅπαξ τελειωθέντα δι' ἀγάπης, καὶ τὴν ἀπλήρωτον τῆς θεωρίας εὐφροσύνην ἀϊδίως καὶ ἀκορέστως ἑστιώμενον, ἐπὶ τοῖς μικροῖς καὶ χαμαιζήλοις ἐπιτέρπεσθαι. τίς γὰρ ὑπολείπεται ἔτι τούτῳ εὔλογος αἰτία, ἐπὶ τὰ κοσμικὰ παλινδρομεῖν ἀγαθὰ, τῷ τὸ ἀπρόσιτον ἀπειληφότι φῶς; κἂν μήδεπω κατὰ τὸν χρόνον, καὶ τὸν τόπον, ἀλλ' ἐκείνῃ γε τῇ γνωστικῇ ἀγάπῃ, δι' ἣν καὶ ἡ κληρονομία, καὶ ἡ παντελὴς ἕπεται ἀποκατάστασις, βεβαιοῦντος δι' ἔργων τοῦ μισθαποδότου, ὃ διὰ τοῦ ἑλέσθαι γνωστικῶς, διὰ τῆς ἀγάπης φθάσας προείληφεν ὁ γνωστικός. *Fieri* c *enim non potest, ut, qui jam semel est* CONSUMMATUS PER CARITATEM, *& inexplebilem contemplationis delectationem æternè & insatiabiliter percipit, eâque fruitur, parvis & humilibus quibusdam & abjectis delectetur. Quæ enim justa ei amplius restat caussa, cur ad bona mundana revertatur, qui eam acceperit lucem, ad quam non patet aditus? etsi nondum tempore & loco, at illâ quidem certè cognitione præditâ caritate, propter quam sequitur hæreditas, perfectaque & absoluta restitutio: per opera confirmante eo, qui reddit mercedem; quod quia elegit per cognitionem, priùs per caritatem accepit is, qui est cognitione præditus.* Atque hinc lucem capit alter Clementis locus eopse libro, ubi sic scribit: Οἱ πολλοὶ δὲ *d* καθάπερ οἱ παῖδες τὰ μορμολύκια, οὕτως δεδίασι τὴν Ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν, φοβούμενοι μὴ ἀπαγάγῃ αὐτούς. εἰ δὲ τοιαύτη παρ' αὐτοῖς ἐστιν ἡ πίστις· οὐ γὰρ ἂν γνῶσιν εἴποιμι, ἵνα λυθῇ πιθανολογίᾳ· λυθήτω διὰ τούτους μάλιστα, ὁμολογήτωσαν οὐχ ἕξειν τὴν ἀλήθειαν. ἀνίκητος γάρ, φησιν, ἡ ἀλήθεια. ψευδοδοξία δὲ καταλύεται. αὐτίκα πορφύραν ἐξ ἀντιπαραθέσεως ἄλλης πορφύρας ἐκλεγόμεθα. ὥστ' εἴ τις ὁμολογεῖ καρδίαν μὴ ἔχειν διατεθραμμένην, τράπεζαν οὐκ ἔχει τὴν τῶν ἀργυραμοιβῶν, οὐδὲ μὴν τὸ κριτήριον τοῦ λόγου. καὶ πῶς ἔτι τραπεζίτης οὗτος, δοκιμάσαι μὴ δυνάμενος, καὶ διακρῖναι τὸ κίβδηλον νόμισμα τοῦ παραχαράγματος; κέκραγεν δὲ ὁ Δαβίδ, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα οὐ σαλευθήσεται ὁ δίκαιος· οὔτ' οὖν ἀπατηλῷ λόγῳ, οὐδὲ μὴν πεπλανημένῃ ἡδονῇ. ὅθεν οὐδὲ τῆς οἰκείας κληρονομίας σαλευθήσεται. *Vulgo e autem, non secus ac pueri larvas, timent Græcam Philosophiam, dum verentur, ne eos abducat. Sed si talis est apud eos fides, (non dixerim enim cognitionem) ut probabilitate orationis per eos dissolvatur, fateantur, se non esse habituros veritatem. Nam veritas, ut aiunt, est insuperabilis: dissolvitur autem falsa opinio. Jam enim eligimus purpuram per comparationem alterius purpuræ. Quare si quis fatetur, se non habere cor rectè informatum & explicatum, is non habet mensam argentariorum: sed neque rationem, quæ habet vim judicandi. Et quemadmodum erit adhuc trapezita, qui non potest probare & discernere probum nummum à falso & adulterino? Clamavit autem David: In æternum non commovebitur justus. Neque ergo oratione fallaci, neque falsâ voluptate: unde neque movebitur à suâ hæreditate.* Similiter dicit Origenes in illud epistolæ ad Rom. cap. VIII *a*. *Quis nos separabit? Cùm*, inquit, *princeps mundi, aliæque virtutes, quæ sub ipso sunt, retinere certabunt animam de corpore proficiscentem; sed non poterunt retinere eas, quibus* PERFECTA CARITAS, *quæ est in Christo Iesu*, FORAS MITTIT TIMOREM. Et mox: *Si in eis* PERFECTA *sit* CARITAS; *nec ulla, quæ futura sunt, poterunt eos ab ipsa separare.* Et post pauca: *Nec ipsæ virtutes separare nos poterunt à caritate Dei, si* RADICATA *sit, &* FUNDATA. Et pauculis interjectis: *Neque ulla prorsus creatura adversante, à caritate Dei se posse divelli dicit, nec ex ullo tot adversariorum capere metum; ut verum ostenderet, quod* PERFECTA CARITAS FORAS JAM MISIT TIMOREM. Ac post paucula: *Ideo præ cæteris omnibus carnis insidiæ formidandæ sunt, & ille, qui de nobis procedit hostis, cavendus est ipse*, DONEC IN TANTUM PROFECTUM VENIAT ANIMA, UT DULCEDINE CARITATIS DEI ADSTRICTA, *corporis blandimenta, & carnis illecebras abhorrescat, unus cum Deo Spiritus facta.* Idem lib. VI. in cap. VI. ejus epistolæ, hanc caussam adfert, cur salvâ arbitrii libertate post hanc vitam peccaturi non simus, quòd caritas perfecta sit peccati futura obstaculum. Sic enim scribit *b*: *Caritas, quæ sola omnium maxima est, omnem creaturam continebit à lapsu, tunc cùm erit Deus omnia in omnibus. Ad hunc namque perfectionis gradum adscendebat Apostolus, & in hoc stans, confidens dicebat, Quis enim nos separabit à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu? tribulatio, an angustia &c. Ex quibus omnibus evidenter ostenditur, quia si hæc omnia, quæ enumeravit Apostolus, separare nos non possint à caritate Dei, cùm in illud quis culmen perfectionis adscenderit, multo magis libertas arbitrii nos ab ejus caritate separare non poterit. Quamvis enim sit etiam virtus, & maneat in naturâ, tamen tanta caritatis vis est, ut ad se omnia trahat, omnesque sibi societ vindicetque virtutes: maximè cum caritatis caussas prior nobis dederit Deus, qui unico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum illo omnia nobis donavit. Unde vel ille, qui lucifer fuit, & in cælo operabatur, vel ille, qui immaculatus fuit à nativitate suâ, & cum Cherubim positus, labi potuit, antequam erga beneficia Filii Dei caritatis vinculis stringeretur; postea verò quam caritas Dei diffundi in cordibus omnium cœperit per Spiritum Sanctum, certum erit illud, quod pronunciavit Apostolus, quia caritas nunquam cadet.*

Est & cap. seq. locus de caritate Christi perfectâ, per quam fiat, ne ultra in nobis regnare possit peccatum. *Certum est*, inquit, *quia, ubi mors Christi circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, ut, si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis adspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuò, ad ejus præsentiam totus ille, quem supra enumeravimus, peccati & carnis fugatur exercitus.* De hujusmodi quoque caritate loquitur scriptor imperfecti operis in Matthæum, Chrysostomo tributi; cujus illustrem de perseverantiâ

a 2 Petr. 1. 10.

b P. 276. edit. Commel.

c P. 108.

d P. 278. edit. Commel.

e P. 114.

a P. 464. edit. Basil. 1536.

b P. 430.

 per-

perfectæ caritatis locum reperimus homil. II. in cap. II. Quamquam verò non ignoro, scriptorem illum fuisse Arrianum, aut saltem (quemadmodum etiam in bibliotheca sancta monuit Sixtus Senensis) multa illi esse assuta, quæ a Montani, Manichæi, Arrii, Donati, ac Pelagii hæresibus aliena non sint: tamen, cùm doctissimus, & benè antiquus sit, & hac in parte commodam capiat interpretationem, locum integrum apponere non defugiam. Sic igitur scribit: *a Qui enim, relicto Christo, vadunt ad Herodem*, FREQUENTER *revertuntur ad Christum: qui autem, relicto Herode, ad Christum veniunt* TOTO CORDE, NUNQUAM *revertuntur ad Herodem. Id est qui de Christo ad diabolum transeunt per peccatum*, FREQUENTER *per pœnitentiam revertuntur ad Christum: qui autem relicto diabolo venit ad Christum*, DIFFICILE *revertitur ad diabolum. quia qui nunquam fuit in malis, sed in innocentia, dum nescit quid sit malum*, FACILE *decipitur, & transit ad diabolum: sed cum expertus fuerit malum quod invenit, & recordatus fuerit bonum quod perdidit; compunctus redit ad Deum, unde recessit. Qui autem in malis fuerit, & conversus est ad bonum; dum gaudet de bonis quæ invenit, & recordatur mala quæ evasit*, DIFFICILE *redit ad malum. Sed quid? quia* MULTI, CUM, CHRISTO RELICTO, PECCAVERUNT, NON AGUNT POENITENTIAM: ILLI TALES NUNQUAM FUERUNT CHRISTI. *Ideo superius dixi, qui* TOTO CORDE *a diabolo venit ad Christum. Qui enim post peccatum non pœnitet, non quasi homo carne deceptus peccavit; sed arbitrio suo, cum esset malus, malum egit. Nam malus, quod malum est, non putat malum. Ideo nec pœnitet, cum fecerit malum.* Duo dicit hic scriptor. Nam ait, eos, qui toto corde, hoc est perfectè ad Christum sunt conversi, difficulter redire ad diabolum: &, si ad diabolum revertantur, citò, culpa agnitâ, actâque pœnitentiâ, ad Christum denuo converti. Præterea hinc colligit, si qui facile ad eum desciscant, vel desciscentes ad Christum non redeant; non fuisse verè Christi: nempe quia vel hypocritæ fuerint, solumque religionem simulârint: vel ut habuerint veræ fidei & sanctimoniæ initia, non tamen perfectè Christum amarint. Atque addit, hanc esse caussam, cur non de omnibus, sed de iis solùm disertim sit locutus, qui *toto corde* à diabolo veniunt ad Christum. Etiam perfectè fidelem luculentè nobis describit Cyprianus lib. II. epist. II. ad Donatum: *Una igitur placida & fida tranquillitas: una* SOLIDA & FIRMA, & PERPETUA SECURITAS, *si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione* FUNDATUS, *ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. Quàm* STABILIS, *quàm* INCONCUSSA *tutela est, quàm* PERENNIBUS *bonis affluens cæleste præsidium, implicantis mundi laqueis solvi, ut lucem immortalitatis æternæ de terrenâ face purgari! Viderit, quæ in nos prius infestantis inimici pernicies insidiosa grassata sit. Plus amare compellimur, dum & quod futuri sumus scire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est, ut hominis summa, vel dignitas, vel potestas, elaborata mole pariatur: sed gratuitum de Deo munus, & facile est. Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se spiritus cælestis infundit. Postquam auctorem suum, cælum intuens, anima cognovit; solo altior, & hac omni terrenâ potestate sublimior, id esse incipit, quod se esse credit. Tu tantum, quem jam spiritualibus castris cælestis militia signavit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam: sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit,* NEMO PAUPEREM FACIET. PENURIA ESSE NULLA JAM POTERIT, CUM SEMEL PECTUS CÆLESTIS SAGINA SATURAVERIT. *Jam tibi auro distincta laquearia, & pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt; cum scieris, te excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc esse potiorem, quam Dominus insedit templi vice, in quâ Spiritus Sanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, illuminemus luce justitiæ.* NON HÆC UNQUAM PROCUMBET *in lapsu senio vetustatis, nec pigmento parietis, aut auro exolescente fœdabitur. Caduca sunt, quæcumque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatem.* HÆC MANET *cultu* JUGITER *vivido, honore integro, splendore diuturno:* ABOLERI NON POTEST, NEC EXSTINGUI: *potest tantum in melius corpore redeunte formari.* Similiter Hilarius in illud Matth. cap. VII *a. Omnis ergo, qui audit verba mea & facit, similem æstimabo viro sapienti, qui ædificat domum suam super petram. Per comparationis exemplum*, PERFECTÆ *in se* FIDEI *hominem exponit. Quod is, qui verba sua & audit, & facit, super petram sit ædificatus, &* FUNDAMENTO STABILI FIRMOQUE *incidentium tempestatum impetu* NON POSSIT DISSOLVI. *In petra se ipsum Dominus significat, validum excelsi ædificii fundamentum: eum autem, qui ex se in sublime opus excreverit*, MOVERI NON POSSE *vel pluviis, vel fluminibus, vel vento. In pluviis, blandarum & sensim illabentium voluptatum illecebras significat, quibus primùm fides rimis patentibus immadescit. Postquam torrentium procursus, id est, graviorum cupiditatum motus incurrit; atque exinde tota ventorum vis circumstantium desævit; universus scilicet Zabolicæ potestatis spiritus infertur. Sed fundamento petræ homo ædificatus insistet*, NEC MOVERI LOCO SUO POTERIT. *Stultus verò hæc audita dissimulans, tanquam super arenam opus ædificationis impenderit, infideliter stat, citò pluviis illabentibus subluendus, & fluminibus propellendus, & ventis differendus, secundùm naturam, super quas ædificatus est, arenarum, cum gravi ruina suæ strage solvendus.*

Hieronymus ad verba illa Matth. cap. XXV: *Fatuæ autem sapientibus dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur: Quæ*, inquit, *lampades suas queruntur exstingui, ostendunt, eas ex parte lucere, & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam virginalem, & amator est pudicitiæ, non debet* MEDIOCRIBUS *esse contentus*, QUÆ CITO EXOLESCUNT, *& exorto caumate arescunt: sed* PERFECTAS VIRTUTES *sequatur, ut lumen habeat sempiternum.*

Augustinus *b* serm. XIII. De verbis Apostoli: *Timor servus est, caritas libera est, & ut sic dicamus, timor est servus caritatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet domina, &* SERVUS ABSCEDIT, QUIA CONSUMMATA CARITAS FORAS MITTIT TIMOREM. Et aliquanto pòst: *Non modò quæritur, quanta sit ipsa caritas, utrùm magna aut parva, an mediocris: utrum vel sit, quæro. Si nata est, latendo crescit, crescendo perficietur*, PERFECTA PERMANEBIT. *Non enim perfecta vergit in senium, & a senectute veniet ad mortem. Ad hoc perficietur*, UT ÆTERNA PERMANEAT.

Scriptor De vocatione Gentium lib. II. cap. XI: *Donum ipsius caritatis non semper ejusmodi est, ut quicquid ad plenitudinem ipsius pertinet, simul a percipiente sumatur. Est enim amor, qui potest alio amore superari, & sæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marcescit*, NISI AD EUM FERVOREM, SPIRITU INFLAMMANTE, PROFECERIT, QUI NULLO EXSTINGUI FRIGORE, NULLO POSSIT TEPORE LANGUERE. *Cum itaque*

in

a Tom. 2. Chrys. p. 312. edit. Biller.

a Can. 6.

b Tom. 10. col. 316.

in hoc inenarrabili dono Dei omnium summa donorum, & quadam sit cunctarum vita virtutum: ad hoc cætera conferuntur, ut habeat animæ fidelis intentio, per quam ad PERFECTAM CARITATEM *perveniat.* QUÆ *quoniam non solum ex Deo, sed etiam Deus est,* STABILES ET PERSEVERANTES ATQUE INSUPERABILES FACIT. Aliquammulta etiam loca similia congessit Gra-

a Fol. 388 & 389 edit. Paris. 1518. tianus *a* Decreti secunda parte distinct. II. Ex quibus potissima hîc adferemus, idque eo ordine, quo apud Gratianum leguntur. Augustinus ad Julianum Comitem: *Caritas, quæ deseri potest, nunquam vera fuit.* Item super epistola Johannis: RADICATA *est caritas, securus esto, nihil mali procedere potest.* Gregorius in Moralibus: *Valida est, ut mors, dilectio. Virtuti etiam mortis, dilectio comparatur: quia nimirum mentem, quam semel ceperit, a dilectione mundi* PENITUS OCCIDIT. Prosper De contemplativa vitâ: *Caritas est, ut mihi videtur, recta voluntas, & ab omnibus terrenis ac præsentibus* PRORSUS *aversa, juncta vero Deo* INSEPARABILITER, *& igni quodam Spiritus Sancti, à quo est, & ad quem refertur incensa: inquinamenti omnis extranea, corruptionis nescia: nulli vitio* MUTABILITATIS *obnoxia: super omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa: affectionum omnium potentissima: divinarum contemplationum avida: in omnibus semper* INVICTA: *sine quâ nullus Deo placuit: cum quâ aliquis peccare non potuit, nec po-*

b Fol. 389. b. *terit, &c.* Aliquanto pòst *b* adfert idem Gratianus hoc Augustini super epistolam Johannis: *Unctio invisibilis Spiritus Sanctus est: unctio invisibilis caritas est: quæ in quocunque fuerit, radix illi erit. Quæ, quamvis ardente Sole, arescere non potest. Nutritur calore solis, non arescit.* Paucis verò interjectis, adducit idem illud Gregorii super Ezechielem homil. v: *Potest discursus atque mobilitas Spiritus Sancti sic intelligi. In sanctorum quippe cordibus, juxta quasdam virtutes, semper manet; juxta quasdam vero recessurus venit, & venturus recedit. In fide enim, spe, atque caritate, & aliis bonis, sine quibus ad cœlestem patriam non potest perveniri, sicuti est humilitas, castitas, justitia, atque misericordia,* PERFECTORUM *corda non deserit. In prophetiæ verò virtute, doctrinæ facundiâ, miraculorum exhibitione,* ELECTIS *suis aliquando adest, aliquando se subtrahit.* Et paullo pòst: *In his itaque virtutibus, sine quibus ad vitam minime perveniatur, Spiritus Sanctus in* ELECTORUM *suorum cordibus* PERMANET; *unde rectè* STABILIS *dicitur. In his vero, per quas sanctitatis virtus ostenditur, aliquando misericorditer præsto est, aliquando misericorditer recedit.*

c Fol. 350. Citat ibidem *c* quoque hoc Ambrosii in II. ad Corinth. *Ficta caritas est, quæ deserit in adversis.* Ubi ficta, ex Gratiani interpretatione, notat fictilis & fragilis: sive, ut exponit glossographus ejus, non finalis, non vera, respectu permanentis. Porrò ex his, & aliis aliorum Patrum locis, sic concludit Gratianus: *Ex præmissis itaque apparet, quod caritas semel habita ulterius non amittitur. Qui enim caritatem semel habuerit, criminaliter ulterius peccare non poterit: ut ad gratiam, non ad naturam impossibilitas referatur.* Ac ne quis de quavis caritate Gratianum loqui putet, subjicit paullo pòst: *Hæc quæ de caritate dicuntur, de* PERFECTA *intelligi possunt, quæ semel habita, nunquam amittitur.* Deinde ut meliùs intelligatur, quid per fidem aut caritatem perfectam signetur, subjicit quædam de virtutum gradibus. Ex Gregorio quidem super Ezechielem hæc inter alia laudat: *Alia sunt exordia virtutis, aliud virtutis profectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur; sancti Apostoli minime dixissent: Auge nobis fidem. Et quidam venit ad Dominum, qui curari filium suum voluit; sed requisitus an crederet, respondit: Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. Pensa te, rogo, quod dicitur, si credebat, cur incredulitatem dicebat? si vero incredulitatem se habere noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum gradibus fides crescit: uno eodemque tempore is, qui nondum* PERFECTA *crediderat, simul & credebat, & incredulus erat.* Et post aliquam multa ex eodem hæc adducit: *Eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spicâ. Herbam quippe producere, est inchoationis bona adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba venit, cùm se virtus animo concepta ad profectum boni operis protrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando jam tum virtus proficit, ut esse robusta & perfecti operis possit.* Et post pauca: *Cùm igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus. Cùm verò operari recta incipimus, herba sumus. Cùm autem ad perfectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus. Cumque in ejusdem operationis* PERFECTIONE SOLIDAMUR, *jam plenum fructum in spicâ proferimus. Herba enim Petrus fuerat: qui passionis tempore per amorem Dominum sequens, hunc Deum confiteri ante ancillæ vocem timebat. Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat Dominum omnium redemtorem: sed valde adhuc* FLEXIBILIS *pede conculcabatur timoris. Jam in spicâ surrexerat, quando eum, quem moriturum confiteri timuerat, nunciante angelo in Galilæâ viventem videbat. Sed ad plenum granum in spicâ pervenerat, quando de superveniente spiritu, & suam mentem illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires persequentium caesus despiceret, & Redemtorem suum liberè inter flagella prædicaret. Nullus itaque, qui per propositum bonum adhuc in mentis teneritate esse conspicitur, despiciatur: quia frumentum Dei ab herba incipit, ut granum fiat.* Adducit deinde quædam ex Augustino: ut inter cætera hoc super epistolâ Johannis: *Si quis tantam habuerit caritatem, ut paratus etiam sit pro fratribus mori,* PERFECTA *est illa caritas. Sed nunquid mox, ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur. Cùm fuerit nata, nutritur. Cùm fuerit nutrita, roboratur. Cùm fuerit roborata, perficitur, cùm ad perfectum venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Et super eadem epist. *Forte nata est in te caritas, sed nondum perfecta, noli desperare, nutri eam, ne forte suffocetur.* Item hoc ad Hieronymum: *Caritas* IN QUIBUSDAM *est* PERFECTA: *in quibusdam* IMPERFECTA. PERFECTISSIMA *autem in hac vitâ haberi non potest.* Hæc fusè adeo prosequi visum fuit: ut pateat, quàm diligenter veteres fidei aliorumque carismatum gradus distinguant, nec cuivis hoc fidei aut caritati tribuant, quod sit insuperabilis; sed roboratæ ac perfectæ: non item et, quæ adhuc semine conclusa latet, aut quæ vixdum aliqua habet incrementa. Ut omnino gravissimi erroris arguendi sint, qui cùm apud plerosque antiquorum legunt, non esse fidem veram, quæ deficiat, vel quæ non reparetur ante finem, eo hanc eorum esse sententiam putant, fidem veram vel nunquam deficere, vel defectam semper instaurari. Quæ sententia toti repugnat antiquitati, ut sæpiùs diximus.

THESIS XIV.

Nihilominus hanc communis sententiæ appendicem minimè potuit Augustinus Catholicis omnibus persuadere. Siquidem eorum, qui Pelagium damnarent, duo genera erant: unum illorum, qui prævenientem gratiam negarent; atque hi Semipelagiani dicuntur: alterum eorum, qui hanc agnoscerent, ac solùm absolutum salvandi decretum reprehenderent; aliqui ut incertum; alii ut falsum; utrique ut novum, nec prædicandum.

TUm ex literis Prosperi & Hilarii, quibus Massiliensium sententiam Augustino perscribunt; tum ex literis augusti doctoris, quibus amborum literis respondet; clarè cognoscere est, non eos tantum Augustinianæ se opposuisse sententiæ, qui gratiam prævenientem tollerent; sed etiam, qui salutis nostræ principium, progressum,

ac perfectionem divinæ gratiæ tribuerent. Nempe non solùm Pelagius, & ejus reliquiæ; sed insimul Catholici multi sententiam Augustini improbabant. Verba sunt Hilarii ad Augustinum: *Ad summum, fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potius querela convertitur*, CONSENTIENTIBUS ETIAM HIS, QUI HANC DEFINITIONEM IMPROBARE NON AUDENT, *ut dicant: Quid opus fuit*, HUJUSCEMODI DISPUTATIONIS INCERTO *tot minus intelligentium corda turbari?* NEQUE *enim* MINUS UTILITER SINE HAC DEFINITIONE, *ajunt, tot annos, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis, & aliorum, cùm contra alios, tum maximè* CONTRA PELAGIANOS, CATHOLICAM FIDEM FUISSE DEFENSAM. Qui locus lucem majorem accipiet, partim ex iis, quæ dixerat prius; partim illis, quæ apud Prosperum leguntur. Nam clarè antea Hilarius indicarat, eos, qui ab Augustino dissentirent, primùm ejus sententiam impugnasse ut falsam, & perniciosam: deinde adjecisse, ut vera esset, tamen & novam esse, & quæ nullo firmiorum periculo reticeatur, magno autem infirmiorum periculo tradatur. Quod ipsum de iis testatur Prosper: *Eo*, inquit, *postremo pervicacia tota descendit, ut fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse definiant; ac sic etiam*, SI VERA SIT, NON PROMENDAM: *quia & perniciose non recipienda tradantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeant, conticeantur.* Præterea nunc, ut vidimus, addit Hilarius, fuisse alios, qui non auderent sententiam ejus improbare, ac nec in eo quidem accederent cæteris, ut illam erroneam dicerent: attamen hactenus subscriberent, ut nova sit, & incerta, & sine quâ fides Catholica adversus Pelagium integra, & inviolata possit conservari. Quæ etiam caussa est, cur Prosper ab Augustino petat, *ut*, QUIA PLERIQUE NON PUTANT, CHRISTIANAM FIDEM HAC DISSENSIONE VIOLARI, *quantum periculi sit in eorum persuasione, patefaciat.* Saltem aliquos istorum agnovisse prævenientis gratiæ necessitatem, ostendit idem Prosper his verbis: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, ut, cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, coguntur, ne, si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in quâ eum nihil prius merentem, quia nec existentem liberi arbitrii, & rationalis gratia creatoris instituat, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus, possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, pervenire; per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Dixerat antea, adversarios Augustini dogma de constitutione divinâ, quæ humanas præveniat voluntates, ædificationi audientium contrarium putare. Subjicit nunc, QUOSDAM eorum propeadeò ad Pelagium accedere, ut ad Dei cognitionem, & sanationis desiderium, non aliâ nos gratiâ a Deo dicant præveniri, quàm naturæ nostræ insitâ, per cujus usum rectum nos regenerationis gratiam censeant promereri. Vbi cùm QUOSDAM ita sensisse ait, non obscurè significat, fuisse item alios, qui licet præfinitionis dogma respuerent, non tamen prævenientem gratiam negarent. Imò cùm QUOSDAM dicit, hoc amplius colligere licet, si non multis partibus plures, saltem nec numero fuisse pauciores, qui gratiam prævenientem agnoscentes, solùm absolutæ prædestinationis dogma impugnarent. Itaque idem non QUIDAM, sed MULTI ait, quando simul complecti visum est, tam eos, qui gratiam præviam ponerent, quàm qui tollerent. Ita enim scribit eadem epistola: MULTI SERVORUM *Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt*, CONTRARIUM *putant* PATRUM OPINIONI, ET ECCLESIASTICO SENSUI, *quidquid de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Vnde liquet, ut tam Catholicorum quidam, quàm Semipelagiani, Augustini sententiam, ut novam, damnarint. Pergit ibidem Prosper: *Obstinationem suam* VETUSTATE *defendunt, ut ea, quæ de epistolâ Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur*, A NULLO UNQUAM ECCLESIASTICORUM ITA ESSE INTELLECTA, *ut nunc sentiuntur, adfirment.* Nec veteres solùm, sed Augustinum ipsum Augustino opponebant. Hilarius ad eundem: HOC NON SOLUM ALIORUM CATHOLICORUM TESTIMONIIS, *sed* ETIAM *sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur, ubi tamen eandem gratiam non minore veritatis perspicuitate docueris.* Et post aliquàm multa addit, etiam eos, qui dogma prædestinationis absolutæ non respuerent, tamen consensisse iis, qui dicerent; *Non minus utiliter, sine hac definitione*, TOT ANNIS, A TOT TRACTATORIBUS, TOT PRÆCEDENTIBUS LIBRIS, ET TUIS, ET ALIORUM, *cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, catholicam fidem fuisse defensam.* Cæterùm Prosperum non potuisse eâ parte Massiliensibus respondere, indicant hæc ejus verba in eadem epistolâ: *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis* PRIORUM *de hac re opinionibus*, PENE OMNIUM PAR INVENITUR ET UNA SENTENTIA, *quâ propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt: ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit; quia finem uniuscujusque præviderit; & sub ipso gratiæ adjutorio, in quâ futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Nempe non occurrebat Prospero, aliud esse gratiam prævenientem simpliciter; aliud gratiam prævenientem, datam ex absolutâ convertendi intentione. Non quidem negamus, quod ait Prosper, PENE OMNES statuisse prædestinationem ex præscientiâ: ac proinde non agnovisse istiusmodi gratiam prævenientem, quæ daretur absolutâ convertendi voluntate. Sed tamen hoc non impedit, quo minùs agnoverint gratiam prævenientem simpliciter spectatam, & ex consequenti, prædestinationem ad gratiam statuerint ex præscientiâ eorum, quæ homo beneficio gratiæ prævenientis facturus esset. Hæc duo nec satis distinguebant Semipelagiani, qui cùm ante motum ab Augustino absolutæ Prædestinationis dogma, gratiam prævenientem sincerè agnovissent, postquam viderunt, ab Augustino per prævenientem gratiam intelligi eam, quæ absolutâ convertendi intentione conferretur, ita ab hoc dogmate fuerunt alieni, ut, metuentes, ne alioquin præfinitionem absolutam simul probare cogerentur, maluerint in totum prævenientem gratiam negare, quam hactenus ex majorum doctrinâ sincerè amplexi essent. Hoc ita esse, ibidem Prosper docet, his verbis: *In istam verò talis gratiæ prædicationem, hi quorum contradictione offendimur*, CUM PRIUS MELIORA SENTIRENT, *ideo se vel* MAXIME *contulerunt: quia, si profiterentur, ab eâ omnia bona merita præveniri, & ab ipsâ, ut possint esse, donari, necessitate concederent, Deum secundum propositum & consilium voluntatis suæ, occulto judicio, & opere manifesto aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam: quia nemo nisi per gratiam justificetur, & nemo nisi in prævaricatione nascatur: sed refugiunt istud fateri.* Cur verò fateri istoc refugerint, duo prætexebant, contrarium antiquitatis judicium, de quo antea satis dictum: & quòd eo dogmate fatalis præfinitio induci, ac pietatis fundamenta convelli viderentur. Quod his verbis declarat Prosper: *Hoc propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsâ conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut, secundùm quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati: & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit* exci-

excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere, & sub incertâ spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Removeris itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates: &, sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem: aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quàm factus sit. Similibus armis postea pugnavit Faustus. Sic enim scribit lib. I. de gratiâ & lib. arbit. c. IV. in fine: *Quomodo si, sub prælato munitis civis habitu, subito hostis appareat; aut si se inimici dolosa subtilitas transfiguret in angelum lucis: ita sub pietatis fronte,* GENTILITATIS MALUM, *& intra gratiæ vocabulum, absconditum erat* FATALE DECRETUM. *Si ergò unus ad vitam, alter ad perditionem (ut asserunt) deputatus est; sicut quidam sanctorum dixit: non judicandi nascimur, sed judicati; neque ulla sibi, juxta hæc, poterit æquitas constare judicii. Nam si nihil Deus famulo dedit, à famulo quid reposcit?* Et cap. IX: *Neque enim in unam partem trahit prædestinatio, ubi utriusque partis defertur electio.* Et cap. X. exponens istud, *Et tunc reddet unicuique secundum opera sua: Adverte,* inquit, *quia dum dicit secundum opera sua, salutem hominis non in prædestinatione factoris, sed in operatione famulantis largitor gratiæ collocavit.* Et cap. XI: *Igitur dum liberi arbitrii in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronunciat: etiam suprema remedia pœnitentiæ sensu abrupta pietatis evacuat.* Et cap. XII: *Apertè ostendit, statum hominis in diversa, non pro constitutione Dei, sed pro arbitrii libertate posse versari.* Et cap. XVI: *Si, quemadmodum abrupta blasphemat impietas, alii ad mortem præordinati, alii prædestinati videntur ad vitam: nullam Christus veniendi caussam, nullam moriendi, quam pietas ejus inveniret, habuit necessitatem. Novum ergò remedium nihil agere potuit, si ante sæcula res humanas definitio vetusta præfixit.* Idem lib. II. cap. II: *Præscientiam & prædestinationem Dei malè intelligunt, adstruentes: quòd inde humanorum actuum* CAUSSA *nascatur.* Et post aliqua: *Sed revolvis, & dicis: Præscientia & prædestinatio humanorum actuum & meritorum præfixit, & excitat caussas. Non ita est. Magis de origine voluntatis humanæ genus præscientiæ derivatur.* Et mox: *Sed adhuc dicis, quia opera ac voluntates hominum de nutu & impulsu præscientiæ cœlestis incipiant. Non ita est. Hoc potius agnosce, quòd præscientia Dei de materiâ humanorum actuum sumat exordium. Quid de nobis præscire, ac præordinare debeat Deus, quantum pertinet ad futurum, in profectu hominum, defectuque consistit.* Vide plura cap. VI. & VII. ubi sic tandem concludit: *Illud ergò, quod asseris, speciale decretum, excluditur per generale judicium.* Sed ad Massilienses redeo, quorum alios Semipelagianos fuisse diximus, qui prævenientem gratiam negarent; alios planè Catholicos, qui faterentur: utrisque displicuisse Augustini sententiam. Erant autem, ut alibi *a* etiam retulimus, non animæ viles, vel numero paucæ, quæ sic sentirent: sed viri, & numero multi, & pietate, eruditione, dignitateque præstabiles. Unde Prosper eos vocat *multum claros & egregios in omnium virtutum studio viros.* Ejusdem verba sunt: *Ad autoritatem talia sentientium non sumus pares, quia multum nos, & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotii honore supereminent: nec facilè quisquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos assertores, tantis superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo non solum his, qui eos audiunt, verùm etiam ipsis, qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum: dum & multos reverentia eorum, aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu; & saluberrimum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur.* Similiter Hilarius ad eundem: *Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine Ecclesiasticâ laicos summam reverentiam necesse sit exhibere.* Et mox: *Tuæ sanctæ prudentiæ est dispicere, quid facto opus sit, ut* TALIUM, ET TANTORUM *superetur, vel temperetur intentio.* Idem de iisdem Ecclesiæ Lugdunensis, post annos quadringentos & amplius, judicium fuit. Sic enim scribit libro de tribus epistolis *a*: *Si beatus Augustinus prædestinationis verbum in parte reproborum, ut durum & incongruum, vel etiam falsum, in suis scriptis repudiare & damnare voluisset; multo major & formidolosior extitit occasio, ut hoc in libris, quos de prædestinatione sanctorum, & dono perseverantiæ ad Prosperum & Hilarium scripsit, facere cogeretur: compellente scilicet tantâ super hac re querimoniâ, & perturbatione* MAGNORUM ET SANCTORUM APUD GALLIAS VIRORUM, *qui disputationibus tantum permoti fuerunt, & quodam tædio affecti, ut prædestinationis sensum, b constanter & instanter prædicabatur, vel quasi falsum, vel quasi periculosum, potius tacendum esse judicarent. Sed nec tanta perturbatione & permotione* FIDELIUM *ab intentione veracissimâ & fidelissimâ doctrinâ sua frangi potuit, aut revocari.* Quibus ex verbis is, qui auctarium bibliothecæ PP. edidit, colligit, Semipelagianos non fuisse in hæreticorum numerum relatos: sed pro Catholicis, licet hac parte errantibus, ab Ecclesiâ Dei habitos fuisse. Sic enim ad marginem libri adnotavit: *Ex hoc habetur, Semipelagianos non fuisse hæreticos, sed Catholicos.* Porrò inter Gallos eos, qui ab Augustino, etiamnum superstite, dissentire ausi essent, præter alios Hilarius Arelatensis episcopus fuit; si fidem habemus vulgariis editionibus epistolæ Prosperi ad Augustinum. Nam in eâ hæc legas: *Unum eorum præcipuæ autoritatis, & spiritualium studiorum virum, sanctum Hilarium, Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem, sectatoremque* IN ALIIS OMNIBUS *tuæ esse doctrinæ: &* DE HOC, QUOD IN QUERELAM TRAHIT, *jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre. Sed utrùm hoc facturus, aut* QUO FINE SIT FACTURUS, INCERTUM EST. Sed, sine dubio, corruptè ita legitur, cùm epistola illa exarata sit anno CCCCXXVI: Hilarius autem, aliquot demum annis pòst, Arelatensis episcopus factus sit. Præterea Augustinus Prosperum & Hilarium vocat *filios dilectissimos.* At qui scriberent ad coëpiscopos, eos fratres solent appellare. Saltem Prosperum nondum fuisse episcopum, omnes consentiunt. Quocirca si Hilarius summi sacerdotii honore fuisset ornatus, Prospero absque dubio præponeretur. Nunc contrà factum videmus, & ab Augustino lib. de Prædest. & à Cœlestino epist. ad Gallos. Itaque suspicari aliquis possit, τὸ *Arelatensis episcopus*, ex orâ in contextum irrepsisse, occasione eâ, quòd aliquis annotarit, non esse hunc, qui Pictaviensi, aut Narbonensi præfuit ecclesiæ; sed eum, qui postea Arelatensis episcopus sit creatus. Fuit in hac sententiâ Cæsar Baronius. Et pro ea est, quòd molliùs de Massiliensium sententiâ loquitur Hilarius, quàm Prosper. Nam tum tolerationis, tum temperandæ sententiæ subinde meminit. Ita inter alia inquit: *Ut, quidquid de hac re contradicitur, quatenus* REFELLI, *vel si* ID NON POTEST, TOLERARI *deberet, audirem.* Item: *Tua sancta prudentia est, dispicere quid facto opus sit, ut talium & tantorum superetur, vel* TEMPERETUR *intentio.* Et mox: *Tuum erit decernere, quomodo sit in hoc eorum* CONTRADICTIO TOLERANDA. At quanto aliter Prosper? *Ac primum*, inquit, *quia* PLERIQUE NON PUTANT CHRISTIANAM FIDEM HAC DISSENSIONE VIOLARI; QUANTUM PERICULI SIT IN EORUM PERSUASIONE, PATEFACIAS *&c.* Sed objiciat aliquis, Prosperi verba non posse intelligi de Hilario pòst Arelatensi episcopo, eo quòd hic Augustini doctrinam retinuerat. Sic enim ad Augustinum Hilarius scribit: *Nolo autem sanctitas tua sic arbitretur, hæc me scribere,* QUASI DE IIS, *quæ nunc edidisti,* EGO DUBITEM. *Sufficiat mihi pœna mea, quòd à præsentiæ tuæ deliciis exulans, ubi salubriter tuis uberibus nutriebar, non solùm absentiâ tuâ crucior, verùm etiam* PERVICACIA

QUO-

a Lib. 4. part. 2.

a In Auctario bibliotb. PP. Col. 1194.

b L. qui constanter.

QUORUNDAM, QUI *non tantum* MANIFESTA RESPUUNT, *sed etiam* NON INTELLECTA REPREHENDUNT. Manifestiùs etiam se à talibus segregat, cùm ait: *Cæterùm hac suspicione* (quasi de iis, quæ nunc edidisti, dubitem) *in tantum careo, ut potius infirmitatem meam, quâ tales parum patienter fero, notabilem putem.* Facilè tamen hæc conciliantur. Non dicam, mutasse opinionem: neque illud affirmabo, quòd non satis ausus fuerit sententiam suam apud Augustinum profiteri, eoque in alienâ personâ suam comprehendat. Illud magis verisimile puto, quòd in dogmate absolutæ prædestinationis quædam non caperet, & qui animum scrupulus pungeret, apud nonneminem aperuerat. Interea partim auctoritate, partim vi argumentorum Augustini compulsus, utcunque videret, præter illud conditionatum salvandi decretum, esse aliquid amplius statuendum; & quanquam, quale illud esset, non satis perspiceret; tamen in præceptoris sui sententiâ acquiescendum putaret. Nam Augustini fuisse discipulum, satis patet ex illis verbis: *Sufficiat mihi pœna mea, quod à* PRÆSENTIÆ TUÆ DELICIIS EXULO, UBI SALUBRITER TUIS UBERIBUS NUTRIEBAR. Quamquam verò hæc sic satis verisimiliter dici possint, tamen & alia quædam in mentem venerunt, quæ longè putem veriora. Nempe in verbis Prosperi, vel in nomine, vel in loco sit peccatum. In nomine, ut pro *Hilario* scribatur *Honoratus*, qui eopse anno in Arelatensi Episcopatu Patroclo successerat. In loco, si pro *Arelatensi* scribatur *Narbonensis*, ut intelligatur Hilarius ille Narbonensis, ad quem octava Zosimi, & tertia Bonifacii epistola scripta est. Unde etiam tum temporis vixisse verisimile est, cùm Prosper & Hilarius ad Augustinum scripserint tertio Cœlestini anno, qui Bonifacio successerat. Quamquam verò ea etiam editio, quam ad vetusti codicis fidem sedulò castigavit Georgius Cassander, Hilarii nomen retinet: tamen ex duobus istis longè magis placet, si pro *Hilario* scribatur *Honoratus*. Primùm, quia proclivis admodum hic lapsus fuit. Nam qui in Prosperi epistolâ legunt, Arelatensem Episcopum de Massiliensium dogmate ad Augustinum scribere velle: & vident, episcopi Arelatensis epistolam istis Prosperi literis continuò subjungi: quid aliud poterant credere, quàm eundem Arelatensem utrobique intelligi? Atqui hoc falsum erat. Prosper enim de eo loquitur, qui Arelatensis erat episcopus: qui an unquam ad Augustinum scripserit, incertum est: epistola verò literis Prosperi adnexa, est ejus, qui Arelatensis postea episcopus factus est. Hoc igitur dum non cogitat librarius, pro *Honorato* apud Prosperum *Hilarium* scripsit. Præterea nonnihil huic opinioni favet, quòd Honoratus iste ex abbate Cœnobii Lirinensis, Arelatensis episcopus factus fuit. Nam profectò ut Massilia, ita Lirina semper habuit, qui Augustino contradicerent. De Massilia quidem clare Prosper & Hilarius testantur: unde & Semipelagiani, dicti Massilienses. De Lirinâ non negabit, qui cogitarit, Faustum Episcopum Rhegiensem, prius fuisse abbatem Lirinensem. Sed & Vincentium Lirinensem non probasse Augustini sententiam, alibi *a* ostendimus. Quid quod doctissimus Estiencæus, Commentariis in epist. Pauli ad Timoth. pro *Hilario* hîc legat *Honoratum*? quod sive ille ex MSSorum fide, sive ex ingenio fecit, nobis quidem sententiam suam impense probat.

a Lib. 1. cap. 9.

THESIS XV.

Postquam satis egimus de amissibilitate gratiæ, quâ hypothesi Augustinianam sententiam nisi diximus, proximum est, ut disquiramus, an quæ sua jam episcopi, & communi Patrum priorum sententia adjecit Augustinus, ea adversentur illis, quæ antiquiores dixerunt, & ipse prius, etiam cùm jam agnosceret, fidem esse donum Dei, dixerat Augustinus. Nostro quidem judicio, nulla hic ἀντιλογία est. Nam quæ inter hæc ἀντιλογία esse possit: Deus prædestinavit, quos credituros & perseveraturos prævidit: &, Deus prædestinavit eos, quos prævidit credituros & perseveraturos per gratiam congruam, eoque certò efficacem in actu secundo, quam occultas ob caussas, his potiùs, quàm aliis, conferre decrevit? Plus quidem hîc dicitur; sed contrarium non dicitur. Illic decretum est: Salvabo; si crediderit & perseveraverit: & quia ex se hoc præstare non potest, vires largiar, quibus possit. Hîc insuper accedit, Vires largiar, quibus non solùm hoc possit, sed etiam certò hoc agat, hoc est, infallibiliter credat, & perseveret. Imò, quantum nobis videtur, nisi negare volumus, Deum præscire quid homo, pro quibusque circumstantiis, sit acturus: fateri etiam cogimur, Deum certis hominibus gratiam præparasse, quâ certò & infallibiliter salventur; aliis verò hujusmodi gratiam non præparasse. Nec enim Deus hunc rerum ordinem, quo omnia fluxere, & porrò decurrent, necessariò elegit: sed poterat res aliter disponere, in quo ordine futurum erat, ut multi qui nunc credunt & perseverant, vel non crederent, vel non perseverarent, eoque damnarentur: multi item, qui infideles & impœnitentes de vitâ excedunt, & crederent & perseverarent, eoque salvarentur. Quare hîc similiter penè se ratio habet, ac in syllogisticâ illatione. E. G. Conditionata hæc propositio est; Si Aristoteles ambulat, movetur. At absoluta est assumtio, Aristoteles ambulat. Unde conclusio sequitur absoluta, Aristoteles movetur. Itidem in mente divinâ, ex modo concipiendi nostro, conditionata est propositio: Si Titium aut Mævium constituero in hujusmodi ordine; Sejum autem & Sempronium in tali ordine collocaro: prævideo fore, ut illi pœnitentes & fideles; hi infideles & impœnitentes moriantur: eoque illi gratis salventur, hi justè damnentur. At assumtio hæc absoluta est: Volo autem istos in isto, hos verò in hoc ordine collocare, non in alio. Unde colligitur conclusio absoluta: Ergo simpliciter volo illis conferre salutem, & propter hanc, gratiam talem, quâ certò salventur: his verò non statuo ejusmodi gratiam conferre, sed istiusmodi duntaxat, cujus neglectu, etsi id non intendam, futuri sint ἀναπολόγητοι. Ita videmus, ut decretum ex se conditionatum, accedente voluntate absolutâ de mediis ad finem cum præscientiâ certâ de mediorum eventu, quodammodo transeat, ultimoque reducatur, in absolutam Dei voluntatem de gratuita quorundam salute, & aliorum justa morte.

SApientissimus Deus infinito intellectus sui lumine non ea solùm percipit ac novit, quæ potest, aut quæ vel ipse, vel creatura aliquando aget: sed etiam, quæ pro circumstantiarum varietate ageret creatura; nunc autem, quia circumstantiæ istæ non erunt, eò nec aget unquam. Hoc ita esse, Tertullianus, Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, atque alii agnoverunt; ut jam à Suarezio, & aliis ostensum fuit. Idem Scriptura ipsa clarè arguit: ut liquet ex incolis Ceïlan Davidem tradituris, si manserit. 1 Sam. XXIII. Tyriis & Sidoniis se conversuris, si apud eos facta essent miracula, quæ facta sunt in Bethsaida & Capernaum. Matth. XI. Unde Martyr *a*: *Ecce*, inquit, *Deus prævidit, istas gentes acturas fuisse pœnitentiam, si ea vidissent & audissent, quæ illis civitatibus fuerant concessa & prædicata.* Et post aliquàm multa (pag. 513:) *Optimè sciebat Christus, Tyrum, Sidonem, & Sodomam fuisse permovendas ad pœnitentiam, si adhibuisset miracula & doctrinam, quæ Judæis concessit.* Item illo Ezech. III: *Si ad illos mitteveris, audirent te.* Et Joh. V: *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Et similibus locis. Quare non dubitamus hæc quatuor distinctè considerare in præscientiâ divina: Quid posset Deus in homine condendo: Quid facturus

a In ad Rom. c. 9. & Loc. comm. de Prædest. p. 500.

rus esset homo, si crearetur: iterum, quid posset Deus præstare homini lapso: Quid item acturus esset homo, quem Deus gratiæ suæ auxilio dignaretur. Primùm enim scivit illud Deus, posse se condere hunc mundum, inque eo constituere hominem liberi arbitrii. Deinde scivit, ut homo conditus, & in hoc, illove ordine constitutus, esset lapsurus; in alio aliquo, esset perseveraturus in bono. Præterea scivit Deus, posse se pro bonitate suâ mittere nobis Filium, qui pro peccatis humani generis satisfaciat, & omnibus mereatur vitam, sed solis credentibus eam conferat: & quandoquidem propriis viribus ad Filium venire non possumus, posse se hominibus gratiæ auxilia conferre, idque pro libertate suâ, dispari admodum mensura; neminem tamen relinquendo omnis gratiæ expertem. Scivit denique Deus, qui pro his illisve circumstantiis, aut credituri essent, & perseveraturi; aut credituri, at non perseveraturi; aut credituri nunquam. Hæc omnia novit, qui nihil non novit. Cumque pro summa sua libertate ex innumerâ circumstantiarum varietate, aliam rerum seriem & constitutionem eligere posset, secundum quam alia rerum facies, longeque alii eventus forent; placuit ei eligere illum rerum ordinem, quo res omnes à mundi origine ad hoc tempus fluxêre, & ad mundi usque finem decurrent. Unde colligimus, duos actus in Deo esse distinguendos; quorum priori, qui est intellectûs, prævideat, quid libere acturus sit homo pro hac illâve, alia item, aliâve rerum constitutione: posteriori autem, qui est voluntatis, præ ordine alio, quem eligere poterat, eum eligat, quem nunc elegit. Hos duos actus si in prædestinatione divinâ distinguamus: parebit, duas istas sententias, quarum una conditionatam statuit prædestinationem, altera absolutam, posse conciliari. Nullam esse pugnam, ostendit, quòd etiam, qui absolutum decretum statuunt, tamen secundum præscientiam, factam esse docent. Gregorius M. in Cant. cap. III. *Secundum præscientiæ suæ gratiam Christus sanctam Ecclesiam de in æternum permansuris sanctis construxit.* Nam quatenus decretum de hoc illove salvando aut damnando, factum non est sine præviâ scientiâ, & consideratione eorum, quæ homo pro arbitrii libertate, seu benè ex viribus gratiæ, seu malè ex naturæ corruptione acturus esset: fatendum est, illud niti præscientiâ Dei conditionatâ: nec alios esse electos, quam in quibus gratiæ suæ auxilia efficacia fore prævidit. Sed si intueamur, ut Deus liberrimus alium occasionum auxiliorumque ordinem eligere potuerit, secundùm quem, qui, nunc liberè credit, & perseverat, libere aut non crediturus, aut non perseveraturus erat; negari non potest, eo respectu prædestinationem factam esse, ex absoluto decreto conferendi illa media, per quæ Deus hominem certò salvandum prævidit. Nam ut ait Fulgentius lib. I. De verit. prædest. a *Dei dispositionem nemo mutat*: atque ut idem lib. II. ait b. *Non aliter implet*
a P. 41. b P. 108. *disposita, quàm disposuit implenda; quia sicut dispositionis divinæ ordinatio semper habuit, sic ordo rerum in divinis operibus currit.* Atque hinc esse arbitramur, quòd prædestinatio ab Augustino lib. De bono perseverantiæ cap. XIV. definitur, præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Nam his verbis ostendit, prædestinationem non tantùm superaddere providentiæ præscientiam omnium, quæ homo sub his illisve circumstantiis sit acturus; sed etiam electionem ordinis, in quo hominem certò salvandum videt. Quod etiam voluisse videtur Thomas q. VI. De verit. art. II. in corp. ubi sic scribit: *Non potest dici, quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ, nihil aliud addat, nisi certitudinem præscientiæ: ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato scit, quod non deficiet à salute. Sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato* EX PARTE ORDINIS, *sed tantùm ex parte præscientiæ eventus, & sic præscientia esset caussa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis; quod est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta sanctorum.* Alii aliam adferunt rationem conciliandi Augustinum cum Patribus Græcis, & illis Latinorum, qui ante Augustinum vixerunt: quam neque nos commemorare pigebit. Docent, æternam Dei electionem bifariam considerari; ut est intentio dandi gloriam, & ut est dispositio executionis, sive executio ipsa ab æterno in mente Dei concepta. Si consideremus electionem secundùm ordinem intentionis, quam Augustinus propositum vocare solet; ea in signo rationis antecedit præscientiam fidei & perseverantiæ, tam gloria in genere caussæ finalis prior est gratiâ, quæ ducit ad gloriam. Sin loquamur de electione, ut per modum executionis disposita est in mente Dei, postcaque impletur in tempore: jam electio ad gloriam posterior est præscientiâ mediorum, & eorum dispositione ad beatitudinem consequendam. Vide Bellarminum lib. II. De grat. & lib. arbitr. c. XIV. Franciscum Suarez lib. III. De auxil. grat. cap. XVIII. Didacum Alvarez lib. V. De auxiliis gratiæ disp. XXXVII. num. XIX. Franciscum Cumel disp. ult. ad primam secundæ Thom. atque alios.

THESIS XVI.

Quod autem dicebamus, ne Pelagii quidem reliquiis accenseri, qui ita absolutæ electionis decretum negant, ut interim gratiam præviam agnoscant: hoc minus mirabimur, si cogitemus, non principalem, sed incidentem de hoc decreto controversiam fuisse. Nam Pelagio, & reliquiis ejus, contendentibus, vel omnes, vel aliquos actus bonos, aut saltem initia eorum, & in bono perseverandi potestatem, virtuti naturæ tribui debere: existimavit Augustinus, optimè hanc refelli sententiam, si probaret, etiam fidei initium & perseverantiæ donum esse prædestinationis effectum. Si enim prædestinatio ad fidem, ut tempore, ita naturâ, prior est fide: & decretum de perseverantiæ dono, perseverantiam ipsam naturâ antecedit: omnino consequitur, quòd homo convertatur & perseveret, id divinæ gratiæ tribui debere. Quam conclusionem si Pelagius & Massilienses fateri voluissent; non de absoluto salvandi decreto, unde eam colligebat, verba cum iis commutasset Augustinus; ac multo minus Hieronymus.

VUlgaris opinio est, controversiam, quæ Augustino cum Pelagio & ejus reliquiis fuit, fuisse [illegible] sive ζήτημα, hoc est, quæstionem principalem, cùm reverâ fuerit κεκινημένον tantùm, sive κεφαλαιωδικὸν, quam *incidentem quæstionem* vocant. Propriè enim controversia hæc erat, Utrùm quisquam per vires naturæ implere Legem, justificari, & salutem consequi possit; ut Pelagius voluit: vel saltem suis viribus credat, & bonum opus inchoët, ut Julianus putabat: aut denique virtute naturali per initia fidei & imperfectam boni cupiditatem se ad primam gratiam disponat: ut Cassianus & Semipelagiani crediderunt. Hæc ita esse, prolixis disputationibus conclusum antea fuit: simulque ostensum, hoc imprimis argumento pugnâsse Catholicos, quòd Scriptura sacra initium, progressum & complementum omnis boni, divinæ gratiæ adscribat. Cæterùm Augustinus, quamquam & ipse his armis uteretur, tamen illud etiam telum in adversarios librabat, Quòd beatitudo, & quicquid ad beatitudinem consequendam ordinatur, hoc divinæ sit prædestinationis effectus: ut probabat ex Rom. VIII. 28. 29. 30. & Eph. I. 4. 5. & similibus locis. Et quia adversarii Augustinianam verborum Pauli interpretationem rejiciebant, aliterque cùm antiquiores Patres, tum Augustinum ipsum, ea ostendebant accepisse; hinc laborabat, ut genuinam Apostoli sententiam à se adductam esse comprobaret: ac quamquam ipsa Scripturæ verba urgeat passim; tamen, quia & ipse, & antiquiores, aliter erant interpretati, eo

ad duo argumenta, experientiâ ipsâ, ut credebat, subnixa, tanquam ad sacram anchoram confugere solet: nec unquam sibi fortiùs adversarios stringere videtur, quàm cum ex iis absolutum salvandi decretum ostendit. Eorum prius hac hypothesi nititur: Quòd omnes infantes baptizati à peccato abluantur; omnes non baptizati, ante mortem in peccato moriantur, ac propter illud damnentur. Atqui, inquiebat, videmus; & infidelium liberos interdum Christianorum beneficio ante mortem consequi baptismum: & fidelium liberos, nullâ parentum incuriâ, sed solùm Deo sic disponente, non percepto Baptismo de hac vitâ discedere. Vnde concludebat, esse quoddam sublime Dei decretum, quo infantium unum ad vitam elegisset gratis, alterum occulto judicio morti destinasset æternæ. Alterius argumenti hæc hypothesis fuit, quòd etiam fideles, justificati, regeniti, & pii deficiant à fide & pietate. Jam autem, inquiebat, experientia testatur, aliquos post lapsum, antequam resipuerint, ex hac vita evocari, alios contrà tam diu in vitâ conservari, usque dum pœnitentiâ actâ reconcilientur Deo. Hujus quoque disparilitatis caussam non aliam adferri posse, ajebat Augustinus, præter liberrimam Dei voluntatem, quâ ab æterno fidelium alios vitæ, alios morti destinâsset.

Ex his cognoscimus, & cur absolutam prædestinationem statuerit Augustinus, & cur eo adversus Pelagium, & ejus reliquias pugnarit argumento. Nempe, nisi gratiæ adversarii negassent, omnes actus bonos gratiæ deberi, nihil opus fuisset quæstione illa, de prædestinationis caussa. Nunc illis, vel omnes actus bonos, vel saltem aliquos eorum tribuentibus virtuti naturæ, omnia arma expedire voluit Augustinus, ad probandam sententiam Catholicam de salute homini destinata, non secundùm merita naturæ, sed beneplacitum Dei. Illam igitur de prædestinatione absoluta, solum incidentem, non principalem fuisse controversiam, satis liquet. Quæ & caussa est, cur Augustinus, quoties ea commemorat, de quibus inter ipsum, & Pelagianos disceptatum fuit, prædestinationis nullus meminerit. Ut lib. De prædest. sanct. cap. II. *Tria*, inquit, *sunt, quæ* MAXIME *adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia. Quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei gratiâ etiam conferuntur merita universa justorum. Altera est, in quantâcunque justitiâ sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.* Tria in quæstione esse ait. I. De necessitate gratiæ, tam prævenientis, quàm subsequentis. II. De imperfectione hominis in hac vita. III. De peccato originali. De quibus etiam solis in concilio Carthaginensi adversus Pelagium actum fuit. Nam canon primus & secundus loquuntur de peccato originali: tertius, quartus, quinctus, de gratiæ necessitate ad omnes actus bonos: sextus, septimus, & octavus, de hominis imperfectione in hac vita. De prædestinatione verò nihil eo statutum fuit; nisi quatenus ea includitur in quæstione de gratiæ necessitate: uti antea ostensum. Similiter quòd cum Semipelagianis de prædestinatione ad gratiam disputabatur, id non aliâ de causâ factum est, quàm quia putarent hi, initium fidei, & perseverantiam ejus, esse ex nobis. Adferam ex Augustini adversus eos libellis locum unum vel alterum, ut pateat, verè à nobis controversiam assignari. Sic igitur ille De bono perseverantiæ cap. XVII: NEQUE *enim* PELAGIANI SUNT, *ut adversus istam perspicuam veritatem durâ &* HÆRETICA *perversitate contendant. Sed hæc, inquiunt, ut à Deo dentur nobis,* FIDES *impetrat, quæ* INCIPIT A NOBIS: *quam fidem & incipere habere, &* IN EA USQUE IN FINEM PERSAVERARE, *tanquam id non à Domino accipiamus,* NOSTRUM ESSE CONTENDUNT. Quibus in verbis clarè dicit, ex Massiliensium sententiâ, ut fidem, sic perseverantiam in fide, ex alio fonte manare, quàm gratiam, quâ renascimur in Christo. Similiter cap. XXI: *Videant, utrùm ibi non satis egerimus, etiam initium fidei esse donum Dei: & utrum ex iis, quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum, & gloriam.* Similia loca sunt in eo libello plurima. Contenti erimus descripsisse epilogum. Sic enim disputationem totam concludit, cap. ult. *Sed quid plura? Satis docuisse me, existimo, vel potius plus quam satis,* DONA DEI ESSE, ET INCIPERE IN DOMINO CREDERE, ET USQUE IN FINEM IN DOMINO PERMANERE. Cur verò Massiliensium sententiæ se opposuerit Augustinus, indicant hæc verba cap. XXII *Quisquis dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, sicut Catholicus fidelis, exhorret: nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, quâ misericordiam consecutus est, ut fidelis esset, ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseverantiam quoque usque in finem, quâ misericordiam consequitur, quam poscit quotidie, ut non inferatur in tentationem.* Nec Prosper in alio constituit Semipelagianismum, quod satis hæc ejus verba ad Augustinum docent: *In istis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur; si principium salutis male in homine collocatur; si divinæ voluntati impie voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia volunt; non ideo, quia adjuvatur, velit; si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semet ipso inchoare male creditur; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo, quod ipse donaverit.* Atqui hæc omnia Catholici illi agnoscebant, qui & bonum voluntatis initium Deo tribuebant. Non alios igitur Pelagii reliquiis accenset Prosper, quàm quos antea dixerat propè adeo ad Pelagium accedere, ut non aliam præter Dei gratiam agnoscant, quàm natura insitam, ut per quam solam aliqui ad regenerantem gratiam pertingant. Apertè igitur eò Massiliensium sententiam improbat, quia naturæ merita non excludit, quisquis sibi tribuit fidei initium, & perseverandi virtutem. Nempe quòd Pelagiani & Massilienses meritum humanum prædicarent, hoc illud est, quod Augustinus & Prosper tantopere damnabant. Et, ad hunc errorem jugulandum, primus vel docuit, vel ursit Augustinus dogma de absoluto decreto, cujus effectus esset fidei initium, & perseverantia ejusdem. Hinc cap. XX. lib. de bono perseverantiæ: *Hæc est prædestinatio manifesta, & certa sanctorum: quam postea diligentius, & operosius,* CUM JAM CONTRA PELAGIANOS DISPUTAREMUS, *defendere necessitas compulit. Didicimus enim, singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ* PROPRIAS QUÆSTIONES, *contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coegit, loca Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius & enucleatius isto nostro labore defendi: nisi quod Pelagiani dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod quid aliud est, quam gratiæ omnino negatio?* Vnde satis liquet, Augustinum non fuisse ursurum dogma de absoluto decreto, si Pelagius & ejus reliquiæ recedere voluissent ab istâ doctrinâ, quâ statuunt, gratiam secundùm merita dari: quod etiam illi docent, qui dicunt, fidei initium & perseverantiam esse ex nobis. Idem Augustinus alibi nihil ultra exigit, quàm ut fateantur, nihil nos posse sine auxilio Dei, hoc est, sine subministratione Spiritus Sancti, quam nobis passione & morte sua promeritus est Jesus Christus. Sic enim scribit lib. de gratia Christi cap. XLVII. *Si ergo consenserit nobis, non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene; sed* IPSAM *quoque* VOLUNTATEM ET ACTIONEM, DIVINITUS ADJUVARI, *ut* SINE ILLO *adjutorio* NIHIL BENE *velimus, & agamus; eamque esse* GRATIAM DEI PER JESUM CHRISTUM, *in quâ nos suâ, non nostrâ justitiâ justos facit; ut sit vera justitia, quæ nobis ab illo est:* NIHIL *de* ADJUTORIO GRATIÆ DEI *(quantum arbitror)* INTER NOS CONTROVERSIÆ RELINQUETUR.

Nempe

Nempe fatebatur Pelagius, possibilitatem ipsam, quæ est naturæ, adjuvari doctrina & exemplo Christi: sed diffitebatur, subministrari Spiritum Sanctum, ut voluntatem & actionem nostram juvet. Contra Catholici ajebant, sine hoc adjutorio nihil nos posse. Atque addit Augustinus, hoc si & ipse fateri Pelagius velit, nihil se videre, quo minùs in dogmate de gratia Catholicus sit futurus. Similiter Hieronymus in iis, quæ adversus Pelagium scripsit, nusquam urget, ut fateatur absolutum decretum. Imò in dialogo III. adversus Pelagianos duo facit hominum genera, quorum alii auxilium Dei requirant, sed non ad singula: alii doceant, nos eo ad singulos actus indigere. Sic enim apud eum loquitur Critobulus Pelagianus: *Ego simpliciter dixeram, non in singulis operibus nostris, sed in gratiâ conditionis & legis sentiri auxilium Dei, ne liberum frangeretur arbitrium: cæterum sunt plerique nostrorum, qui omnia, quæ agimus, dicunt fieri præsidio Dei.* Respondet Atticus Catholicus: *Qui hoc dicit, vester esse cessavit. Aut ergo & tu ista dicito, ut noster esse incipias; aut si non dicis, alienus eris cum his, qui nostra non dicunt.* Disertum, ut quis ex Pelagiano Catholicus fiat, hoc solum in ista controversia requirit, ut fateatur, nos auxilio Dei per singula indigere. Sed quid de Hieronymo tricamur, cùm & ipse passim non aliud doceat salvandi decretum, quam secundùm præscientiam eorum, quæ ex viribus gratiæ facturus quisque erat? Vide eum in Esai. c. I. ubi ait, *non ex præjudicio Dei; sed ex meritis singulorum, vel pœnam, vel præmium esse.* Et in cap. I. Malach. cùm de Jacobi dilectione, Esavi odio dixisset, addit, *dilectionem & odium Dei, vel ex præscientiâ nasci futurorum, vel ex operibus: alioquin omnia Deum diligere, nec quicquam eorum odisse, quæ creavit.* Et cap. I. ad Gal. a cùm hæreticorum opinionem posuisset de hominibus spiritualibus, animalibus & χοϊκοῖς, pro quorum diversa natura existimant illi, Deum vel amare, vel odisse hominem, antequam quicquam fecerit boni vel mali: negat Hieronymus, hanc esse Apostolicam sententiam, sed (ut ejus utar verbis) *hoc ex præscientiâ Dei evenire, ut quem scit justum futurum, prius diligat, quàm oriatur ex utero; & quem peccatorem, oderit, antequam peccet, non quod in amore & odio Dei iniquitas sit, sed quod non aliter eos habere debeat, quos scit vel peccatores futuros esse, vel justos.* Et ad Hedibiam: *Non salvat Deus irrationabiliter, & absque judicii veritate, sed caussis præcedentibus: quia alii non susceperunt filium Dei, alii autem suâ sponte voluerunt.* Et mox: *Ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed voluntates.* Quod (ne secum pugnet Hieronymus) non de voluntatibus gratiam omnem prævenientibus, sed à gratiâ præveniente adjutis, intelligi debet. Ut sententia sit, rectè utentes gratiâ præveniente eligi à Deo ad gratiam regenerationis, & in eâ perseverantes eligi ad gloriam. Nec dici potest, Hieronymum postea sententiam mutasse: quando, qua facilitate hoc diceretur, eadem rejiceretur. Quin potius contrarium patet ex tertio dialogorum libro adversus Pelagianos; ubi de præscientia Dei, & electione Saulis, ac Judæ, adversus Marcionem, aliosque hæreticos disputans, apertè voluntatem hominis electione priorem facit: *Eligit*, inquit, *eum, quem bonum cernit.* Sed fortasse aliquis a Prospero, (quando is, ut postea ostendemus, adversus Semipelagianos durior quàm Augustinus fuit) majus caussæ suæ subsidium speret. At neque eum a Catholicis illos segreges existimasse, qui non aliam agnoscerent prædestinationem, quàm conditionatam; argumento est, quòd hoc de dogmate non intendat litem vel Pelagianis, vel Semipelagianis; uti fidem nobis fecerit vel unus liber adversus Collatorem. Quem qui integrum percurrere gravantur, saltem oculis animoque præsentibus legant, quam ipse ejus scripti ἐπιτομὴν concinnavit. Nam certis definitionibus Cassiani doctrinam est complexus, iisque censuram suam addidit: quam penè extremo adversus Collatorem libro legere est. Verba ipsa apponeremus, nisi libellus penè in omnium manibus esset, & jam alii ante nos commentationibus suis locum illum celebrassent. Fatentur quidem, haut magis Semipelagianis, quam Pelagianis, de absoluto illo salvandi decreto convenisse cum Augustino aliisque ejus dogmatis fautoribus. Sed, uti ante diximus, decretum illud non erat Catholicis *unus*, sive κεφάλαιον χρησιμώτατον; verum unum aliquod ex κεφαλαίοις εἰδικοῖς, quo ruente, nihilominus firma staret conclusio: quæ erat, GRATIAM DEI NON DARE SECUNDUM HOMINUM MERITA. At corruit ea conclusio, si homo viribus naturæ possit gratiam Dei prævenire, ac Dei adjutorium ad perfectionem promereri: quæ, ut vidimus, Cassiani, & aliorum Semipelagianorum sententia fuit. Itaque hoc illud est, in quo pedem figebat Prosper, quodque uno ore in iis damnabant Catholici: non autem quòd minimè agnoscerent decretum salvandi absolutum.

De Prospero satis. Videamus de Maxentio & Fulgentio, quorum uterque adversus Faustum scripsit. Sane Faustus prædestinationem absolutam quacunque penè occasione acerrimè impugnarat: neque dogma hæreticum, blasphemum, atque impium dubitarat appellare. Minimè tamen hoc Fausti judicium vel verbulo usquam Maxentius culpat: quod argumentum est evidentissimo, vel eum hac in parte Fausti approbasse sententiam, vel saltem non fuisse ausum, velut errorem, objicere, in quo tantum Catholicorum videret dissensum.

Etiam Fulgentius, cùm libros tres scriberet de veritate prædestinationis, omnibus salutis suæ amantibus prædestinationis doctrinam commendabat: sed ubi promendum est, quid doctrinæ adeò necessariæ nomine intelligat, non jam ad absolutum decretum assurgit, quod ipse statuebat; sed solùm requirit, ut sine prævenienti, ac subsequenti gratiâ fateamur salvari posse neminem. Verba ejus sunt de prædest. lib. II. a *Omnes, qui vitæ desiderant fieri æternæ participes, oportet sanctorum Patrum divinitus inspiratis informari & adhærere sententiis, qui gratiâ divinâ sic illuminati sunt dono, ut indubitanter assererent,* (f. asseverent) *in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur; nihil in melius augeri, nisi quod subsequentis juvamine roboratur; nihil bene consummari, nisi quod eâdem operante atque opitulante perficitur. Hæc itaque Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesiis sine aliquâ dubitatione doctrina, quam Græci Latinique Pontifices, sancti Spiritus infusione firmati, uno atque indissonabili semper tenuere consensu. In quâ beatus Augustinus, indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit: non autem ipse, sed gratia Dei cum illo. Ipsius enim ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit.* Hoc etiam argumento erit, quibus potissimùm adversetur Fulgentius, quòd neget negari prædestinationem, nisi ab iis, qui divinam præscientiam negant. Atqui Patres, qui ante Augustinum vixere, utramque conjungunt, certam præscientiam omnium, & prædestinationem ex præscientiâ. Non igitur eos putavit Fulgentius prædestinationem tollere, qui docent, certum esse prædestinatorum numerum ad vitam, certum item ad mortem; utrorumque ex præscientiâ; illorum perseverantiæ & fidei, horum perseverantiæ in impœnitentia. Verba hæc Fulgentii sunt lib. III. b *Quisquis veritatem prædestinationis divinæ negare contendit, mutabilem Deum sine dubio prædicat, cui temporalium actuum humanorum temporalem cognitionem perversus assignat. Nam si Deus incommutabilis est, quod dubitandum non est: omnia futura ex æternitate incommutabiliter novit, & omnia opera sua incommutabili ordinatione disposuit. Nec potest esse dispositionis ejus aliquando mutatio, ubi dispositorum sine initio manet æterna cognitio. Proinde apud Deum, sicut nunquam defuit futurarum præscientia rerum: sic nunquam defuit sempiterna & incommutabilis operum, vel donorum prædestinatio futurorum.* Ista ostendunt, hoc illud fuisse, quod concoquere non posset Fulgentius, si diceretur,

a In verba illa, qui me sanctificavit ab utero matris meæ.

a P. 109.

b P. 129.

Deum, aut quæ homo esset acturus, nescisse; aut quæ ipse esset facturus, non decrevisse: ac vel in illis posse falli, vel in his posse mutari. Quale nihil statuunt, qui cum antiquioribus Patrum conditionatam solùm prædestinationem admittunt; illud verò additamentum Augustini ignorant.

THESIS XVII.

Neque hæc Augustini appendix, superstite illa, proximove post ejus abitum secula, vel synodali, vel Romanæ aut Orientalis Ecclesiæ decreto approbata unquam fuit. Interim fatendum est, à celebratissimis Occidentalis Ecclesiæ antistitibus esse defensam: sed ita defensam, ut nec pauci eruditione præstabiles, in Galliis imprimis, dissentirent; & qui eam tuerentur, non uno omnes modo, sed alii durius, mollius alii interpretarentur. Cur vero nihil communi autoritate statuerint, tum illud in caussâ fuit, quòd hæc quæstio esset inter eas, de quibus salvâ caritate dissentire liceret; eoque hujus, vel illius sententiæ condemnatione schisma in Ecclesiâ Dei concitari non deberet: tum etiam quòd existimarent Patres, non Pelagium tantùm, sed Massilienses quoque, abunde refelli, si iis adducerentur illa Scripturarum loca, quibus docetur necessitas gratiæ ad singulos pietatis actus, etiam fidei imperfectæ & initiorum bonæ voluntatis: uti ad absolutæ Prædestinationis dogma minimè recurratur.

MAgna jam Augustini & Prosperi temporibus concertatio in Ecclesia fuit de absoluto salvandi decreto: sed non his verbis controversia proponi tum solebat, verùm δυνάμει continebatur sub quæstionibus illis, utrùm Deus salvari omnes velit, an solos electos: num Christus pro omnibus sit mortuus, an credentibus duntaxat: utrùm omne, an pars solùm humani generis vocetur ad salutem: & quatenus sententiæ in specie dissidentes conciliari inter se possint. à quorum intelligentiâ dependet controversia, quæ absolutæ & conditionatæ prædestinationis appellatione signatur vulgò. Quamquam verò quæstiones istæ intercurrere soleant in defensione gratiæ adversus Pelagianos: non tamen de his statutum quicquam fuit in ullo conciliorum istorum, quæ contra Pelagianos, vel Semipelagianos, vel Augustini ævo, vel seculo proximo convenerunt. De Diospolitano quod diximus, satis liquet ex Augustini libro de gestis Palæstinis, & epist. CVI. ad Paullinum, & lib. II. de Grat. Chr. cap. XI. Idem judicandum de primo Carthaginensium illorum, quæ hanc caussam spectant. Eo enim (ut Augustinus ait lib. de peccato originali cap. II. & III.) duo hæc in Cælestio damnata sunt. I. quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. II. quòd infantes, cùm nascuntur, in eo statu sint, quo Adam fuit ante prævaricationem. Neque negamus, eo aliud quicquam decretum fuisse, sed contendimus, quidquid tunc in Cælestio damnatum est, idem postea fuisse anathematizatum in concilio Carthaginensi secundo, quo prius Carthaginense recensitum est: ut ostendunt verba hæc Patrum concilii II. Carthaginensis ad Innocentium I. *Unde factum est, ut recensendum peteremus, quid ante ferme quinquennium super Cælestii nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum.* Ac nec synodus Carthaginensis II. pro absoluta prædestinatione statuit quicquam. Uti nec Milevitana. Quod inde cognoscimus, quia quæ utràque fuerunt decreta, similiter recensita, & approbata sunt Carthaginensi III. quæ vulgo Milevitana vocatur. Ejus canones sunt octo adversus Pelagium: quorum primi duo sunt de peccato originali: tres sequentes de gratiæ necessitate: tres ultimi de hominis imperfectione in hac vitâ. Epitome eorum his verbis proponitur ab Hadriano I. a

a In Epitome canonum ad Carol. Magn.

I. Quòd Adam non necessitate naturæ, sed pro peccati merito moreretur.

II. Quòd parvuli in remissionem peccatorum baptizentur.

III. Quòd gratia Dei non solùm tribuat remissionem peccatorum; sed etiam præstet adjutorium, ne peccetur.

IV. Quòd gratia Christi non solùm scientiam tribuat, quid agamus; sed etiam dilectionem nobis inspiret, ut quod scimus, implere valeamus.

V. Quòd sine gratiâ Dei nihil boni implere valeamus.

VI. Quòd sancti cum S. Johanne non solùm pro humilitate, sed etiam pro veritate. Quem locum his verbis suppleo: *dicant, quod non sint sine peccato.*

VII. Quòd in oratione Dominicâ sancti pro se dicant, Dimitte nobis debita nostra.

VIII. Quòd veraciter dicatur à sanctis, Dimitte nobis debita nostra.

Idem de Arausicana II. judicium esto. Quamvis nonnulli inde quædam pro absoluta prædestinatione afferre sint conati: ut quod dicitur can. IX. *Deus in nobis, ut operemur, operatur.* Atqui nihil aliud hic vult, quàm quod can. XX. dicitur: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* At ut in conversione operetur Deus ex intentione absolutâ, eoque in hac habeat locum gratia prædeterminans, non tamen in omnibus actibus locum habere dicent, nisi amplexari velint dogma χθὲς καὶ πρώην natum, non posse mortalem quemquam plus minusve boni facere, quàm facit. Similiter pro se adferunt, quòd conversio can. XV. vocatur *mutatio dexteræ Excelsi.* Quasi divinæ potentiæ opus non sit, nisi absolutâ intentione operetur Deus. Concilium verò Arelatense & Lugdunense, quorum utrumque circa annum CCCCXC. habitum est, si Augustini sententiam non damnavit, quod nos factum putamus: saltem propius est, ut damnasse, quàm approbasse dici debeat. Qua de re lib. primo vidimus, & sequenti libro iterum dicturi sumus. De conciliis, quæ propter hoc dogma convocata sunt circa annum octingentesimum quinquagesimum, seorsim libro proximo commodius agemus, ubi referemus caussam Godscalci, & ea quæ illi adnexa sunt.

Quod ad Romanos Episcopos attinet, nihil de absoluto decreto Innocentius in literis suis ad Carthaginense, aut Milevitanum concilium habet. Nihil Cælestinus epistolà ad Episcopos Galliæ, vel libello, qui ei subjici solet. Imò post dissertationem de gratiæ tam prævenientis, quàm subvenientis necessitate, his verbis libellum claudit: *Profundiores difficilioresque partes intercurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt,* SICUT NON AUDEMUS CONTEMNERE, ITA NON NECESSE HABEMUS ADSTRUERE. *quia ad* CONFITENDAM GRATIAM DEI, *cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est,* SATIS SUFFICERE CREDIMUS, *quidquid secundum prædictas regulas Apostolica scripta docuerint, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.* Nam quæ illæ, quæso, intercurrentes quæstiones, quàm istæ, ad quas passim Augustinus coactus est respondere: item Prosper adversus Genuenses, Vincentium, & Gallos? Nempe, quomodo Deus omnes velit salvos fieri, & tamen non omnes salvet: quomodo Christus pro totius mundi redemtione sit mortuus, & tamen non omnes captivitate eruantur: quo sensu omnes vocentur, nec omnibus prædicetur Evangelium: quomodo præscientia & prædestinatio concordet cum libero arbitrio, & similia. à quorum explicatione, uti paullo antè dicebamus, dependet, utrùm conditionata, an absoluta prædestinatio statui debeat, & quo sensu utraque possit admitti. Neque hæc cùm dicimus, eo pacto interpretamur Cælestini verba, quo à Semipelagianis fiebat olim. Nam (quemadmodum ex iis constare potest, quæ lib. I. diximus, cùm de Vincentio Lirinensi tractaremus) Semipelagiani laudationem Cælestini trahebant ad priora ejus scripta, non ad posteriora: nos etiam ad posteriora, sed quoad summam defensi dogmatis, non quoad particulas, quas nec probare, nec dam-

damnare Cælestinus instituit. Hoc autem istius judicium eo majoris apud nos ponderis esse debet, quia epistola illa Cælestini, & libellus ei annexus, (sive is Cælestini sit, sive Gallorum, sed a Cælestino tamen approbatus, de quo sententiam nostram lib. 1. retulimus) magno semper apud Catholicos in pretio fuit: quod ea Prospero, Vincentio Lirinensi, Petro Diacono, atque aliis constat; qui tum judicium ejus magnificè laudant, tum vel literis, vel libello isto veritatem Catholicam defendunt. Imò scriptor homiliæ de Adam & Eva (quæ apud Chrysostomum *a* legitur, atque ut ejus à doctis citari solet, cum omnino Latini sit scriptoris, & quidem diu post Chrysostomi tempora ex variis compilata) αὐτολεξεὶ habet ea, quæ proximè citavimus: ac ecclesia quoque Lugdunensis lib. de tribus epistolis ad eadem verba provocat adversus Hincmarum, ut ostendat, in hoc prædestinationis dogmate aliqua relinqui controversa, de quibus sancti nihil constituerant: uti de morte Christi pro omnibus, de divina voluntate omnes ad se vocante, ut salventur: in quibus, ait, non debere alios ab aliis condemnari: quamquam id Hincmarus & alii Galliæ Belgicæ Episcopi in damnando Godescalco jam facere erant aggressi.

a T. 1. pag. 207. cast. Beller.

Sed enim dicat aliquis, Cælestinum in eopse libello cap. III. & epistolà præmissà cap. II. tueri Augustinum adversus illos, qui eam gratiam prædicando necessarium modum dicerent excessisse: item Gelasium, cum concilio Episcoporum LXX, Augustini & Prosperi scripta probasse; Cassiani & Fausti inter apocrypha retulisse: Hormisdam similiter Fausti libros cum cautelà legi velle, Catholicum dogma ex Augustino peti jubere. Pugnat his Alvares *b*, ut ostendat, Augustini de prædestinatione sententiam fuisse comprobatam, cùm ab aliquot Urbis episcopis, tum etiam concilio Romano LXX. episcoporum. Facilè verò istis occurritur. Ubique enim caussa Augustini cum Semipelagiana confertur, & illa Augustini melior fuisse judicatur: quod ratione quæstionis principalis, non omnium intercurrentium, intelligi debere, ipse nos Cælestinus docet, uti vidimus. Itaque etiam Fulgentius lib. II. *c* de Prædestinatione, explicaturus in quo supra alios Augustini opera illuxerit, fuisse id ait, quòd *indutus ex alto abundantius omnibus laborarit*; ut ostenderet, *in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur*. Dubium igitur non est, quin cùm Pontifices illi Augustini adversus Massilienses sententiam probarunt, hoc intelligi debeat, non de gratiâ prædeterminante, vel prædestinatione absoluta, quam nec damnarunt, nec probarunt; sed de non promeritâ gratiæ collatione, sive de gratuitâ prædestinatione; quæ duo tantundem valent, quia unum ex altero infertur; ut initio hujus libri vidimus.

b Lib. 1. de auxiliis gratiæ disp. 5.

c P. 109.

Thesis XVIII.

At non illi Patres, qui in decretis suis absoluta prædestinationis dogma reliquerant indecisum: similiter animati fuerunt erga Massilienses, qui, negando gratiam prævenientem, prædestinationis caussam in homine collocabant. Horum enim sententia, uti antea ostensum est, synodico & Romanæ Ecclesiæ suffragio damnata fuit: non tamen ut hæretica, sed tantum ut erronea. Unde est, quòd ejus patroni haberentur pro Catholicis, pro fratribus, pro coepiscopis & compresbyteris dilectis: cùm Pelagiani contrà in hæreticorum numerum referrentur, sacerdotii dignitate orbarentur, etiam urbibus expellerentur.

SCire interest, quanto aliter senserit Ecclesia Dei de negantibus gratiæ prævenientis necessitatem, quàm Pelagianis, qui simpliciter necessitatem gratiæ tollebant. Nec enim Pelagianos Ecclesiasticâ communione dignabantur, sed tanquam pestem mortiferam, & sacerdotio depellebant, & urbibus extrudebant. Pelagium Christianorum numero excludit Augustinus. Nam lib. de gratiâ Christi, cap. x. ait; *Hanc* (interiorem) *debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, sed esse Christianus.* Idem T. 2. epist. XCIV. ad Hilarium; *Quàm sint hæc inimica gratiæ Christi, & quemadmodum totius fidei Christianæ fundamenta evertere moliantur, pervidet nobiscum venerabilitas vestra.* & rursus epist. CC. propè initium ad Asellicum episcopum; *Hoc genus hominum capita sibi invenerat Pelagium & Cælestium, impietatis hujus assertores acerrimos. Quo recenti judicio Dei, per diligentes & fideles servos ejus, etiam Catholicâ communione privati sunt, & propter cor impœnitens, adhuc in suâ damnatione persistunt.* Innocentius de Pelagianis epist. ad Concilium Milevitanum ait *a*: *Ecclesiastica communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant à diaboli laqueis*, &c. Et mox: *Abscondendi enim sunt, qui vos conturbant & volunt convertere Evangelium Christi.* Et *b* ad Concilium Carthaginense: *Quisquis ergò in hac assentiens videtur esse sententia, ut dicat, adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se Catholicæ fidei, & Dei beneficiis profitetur ingratum: nec nostrâ communione sunt digni, quam prædicando* TOTALITER *polluerunt.* Et ibidem: *Separetur ergò à sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sævientis afflatu, cautius quæ sunt sincera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur.* Cælestinus (ut Prosper *c* ait) *Cælestium, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeo & prædecessorum suorum statuta, & decreta Synodalia, inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.* Leo Magnus epist. LXXXIV *d*. ad Nicetam Aquilejensem: *Qui de Pelagianorum, Cælestianorumque consortio in communionem Catholicam eâ imprudentiâ sunt recepti, damnent apertis professionibus suis superbi erroris auctores, &, quidquid in doctrinâ eorum universalis ecclesia exhorruit, detestentur*, &c. *Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus, hanc istorum esse versutiam, ut in quâcunque particulâ dogmatis execrandi, quam à damnandorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Gelasius epistolâ ad Honorium tribuit *Pelagianæ pesti mortiferum furorem*: atque addit, *Pelagium non tantùm Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed principum quoque Romanorum, damnatum, ut nec usquam terrarum vivendi locum ejus sectatores habere sinerentur.* Etiam in decreto LXX. Episcoporum anathema dicit Cælestio & Juliano. Et tale Catholicorum de Pelagio judicium erat. At quanto benigniùs mitiùsque cum Cassiano, Fausto, & horum sectatoribus actum est! Tantum enim abest, ut solum vertere juberentur, ut nec Catholicâ quidem communione excluderentur. Nam cui hac parte magis credamus, quàm Augustino? Ejus autem judicium unde melius cognoscamus, quàm duobus libellis ad Prosperum, & Hilarium, quibus ex professo Massiliensium sententiam refellit? Atqui, in iis hæreticorum eos numero eximi tam clarum est, quàm cùm meridie sol lucet. Sic enim scribit lib. II. cap. XVII: *Neque enim Pelagiani sunt, ut, adversus istam perspicuam veritatem, dura &* HÆRETICA *perversitate contendant: sed hoc, inquiunt, ut à Deo dentur, nobis fides impetrat, quæ incipit à nobis*, &c. Similiter & Pelagianis opponit, fratrumque suorum in numero habet lib. I. cap. XIV: *Quocirca non debent* FRATRES NOSTRI, *qui nobiscum Catholicâ fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantum favere opinioni, quâ opinantur, gratiam Dei secundum merita nostra dari*, &c. Similiter loquitur idem lib. II. cap. XXIV: *Hoc donum* (gloriandi in Domino) *Pelagianis optamus, ut habeant:* ISTIS AUTEM NOSTRIS, *ut plenius habeant. Non itaque simus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. Oremus, dilectissimi, oremus, ut Deus gratiam etiam det inimicis nostris* (Pelagianis,) *maximeque* FRATRIBUS ET DILECTORIBUS NOSTRIS, *intelligere, confiteri, post ingentem & ineffabilem ruinam, quâ in uno omnes cecidimus,*

a Epist. 90. apud August.

b Epist. 31.

c Adversus collatorem cap. 41.

d Al. 86.

cidimus, neminem nisi gratiâ Dei liberari; eamque non secundum merita, tanquam debitam, reddi; sed tanquam veram gratiam, nullis meritis præcedentibus, gratis dari. Ubi eos, qui prævenientem gratiam negabant, & regenerationis donum secundum merita dari putabant, nunc NOSTROS, nunc FRATRES suos appellat. Cum verò DILECTORES ibidem vocat, eo respicit, quòd Prosper scripserat, *Unum eorum præcipuæ auctoritatis, & spiritualium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem, sciat beatitudo tua ADMIRATOREM sectatoremque IN ALIIS OMNIBUS TUÆ ESSE DOCTRINÆ.* Et Hilarius quoque: *Sed plane illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem,* HOC EXCEPTO, IN FACTIS ET DICTIS OMNIBUS ADMIRARI. Admiratores sui, non audebat cum Prospero & Hilario dicere Augustinus, *amatores* dixit, quasi judicium illud amori tribuens, quod modestiæ erat. Habes & locum similem cap. XXI: *Videant tamen ii, quibus* AMANTIBUS ME *ingratus esse non debeo, qui præter* a *hoc, quod in quæstionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur complecti: videant, inquam, utrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum, quos mei episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsi, remanserit aliquid, quod vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari,* &c. Quia Massiliensium aliqui dicebant, se excepto dogmate de prævenienti gratia, & prædestinatione absoluta, in cæteris Augustinum amare, & sequi: (quod Prosperum & Hilarium de iis referentes audivimus: idcirco Augustinus ait, si sequi se volent in omnibus, quæ ante exortum Pelagium scripserat, in hoc etiam sequi debere, quandoquidem in libb. ad Simplicianum aperte profiteatur, fidem esse donum Dei: nec gratiam secundum merita conferri. Sed de Augustino satis. Vehementior eo fuit Prosper: sic tamen ut Massilienses sanctorum & Catholicorum nomine utcumque dignetur. Audiamus eum epist. ad Augustinum: *Quidquid in libro hoc, ex contradicentium sensu, sanctitas tua sibi opposuit; quidquid etiam, in libris contra Julianum, ab ipso sub hac quæstione objectum, potentissime debellasti; hoc totum* AB ISTIS SANCTIS *intentiosissime conclamatur.* Idem libro adversus Collatorem, sic eum, hoc est, Cassianum compellat, cap. III: DOCTOR CATHOLICE, *cur professionem tuam deseris?* Et cap. XXXIII: *Quis hæc prædicari a* CATHOLICIS *inter Catholicos crederet, nisi quæ in colluctationibus domesticis sæpe defensa sunt, etiam scripta legerentur?* Denique idem, in peroratione, de hujus sententiæ fautoribus sic scribit: *Quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraternâ societate divisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio.* Interea quo loco eos habendos putârit Prosper, satis indicat, quod ut Pelagianos, lupos apertos; ita Semipelagianos, nunc hypocritas, nunc lupos occultos nominare non dubitat. Nempe quia Semipelagiani prope totum, quod adversus Pelagium disputabatur a Catholicis, ipsi quoque integris adversus Pelagium libris tuebantur, & interea portionem noxii dogmatis retinebant. Unde paullo antè verba, quæ proximè adduximus, hunc in modum Prosper scribit: *Igitur hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio, quam auctoritatum privilegiis, est resistendum; ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat prætenta correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exiguâ sui parte reparare. Ubi enim non aliud habet summa, quam portio, non est devotionis dedisse* PROPE TOTUM, *sed fraudis retinuisse vel minimum. Quod ne* HYPOCRITARUM *obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum; ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur & in Xysto, & in custodia Dominici gregis.* HÆC *sit* PARS *gloriæ huic* RESERVATA *pastori, ut sicut illi* LUPOS *abegere manifestos, ita hic depellat* OCCULTOS. Sed Romani Episcopi hoc Prosperi judicium non sequebantur: interea tamen eos pariter cum Prospero damnabant, sed ut errantes, non ut hæresi infames. Ita Gelasius in decreto cum LXX. Episcopis habito, Hieronymum, Augustinum, & Prosperum, tanquam doctrinæ Catholicæ testes idoneos, legendos decernit: Cassianum Galliarum presbyterum, & Faustum Regiensem, (uti & Clementem Alexandrinum, Arnobium, Lactantium, quos nunquam pro hæreticis Ecclesia habuit) inter apocryphos recenset: hoc est, quorum auctoritate stare non liceret: scripta verò Cælestii, & Juliani Celenensis non solùm repudiat, sed etiam *cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus, sub anathematis indissolubili vinculo, in æternum confitetur esse damnata* a. Unde planum fit, aliter multò Gelasium & Concilium de Pelagianis, quàm de Semipelagianis sensisse: hos enim improbasse: at Pelagium, Julianum, Cælestium, in hæreticorum numerum reposuisse.

Simile judicium Hormisdæ fuit: quod ut liqueat, historiam istorum temporum paullo fusius prosequemur. Erat Episcopus Africanus, nomine Possessor, qui, consule Fl. Rustico, hoc est, anno DXX. consuluit Hormisdam de Fausti libro b: *Arbitror*, inquit, *vestram beatitudinem non latere, quantis in Constantinopolitanâ urbe Ecclesia laboret insidiis, & ad morem veteris morbi, insanum vulnus iterum quærat erumpere, quod obductum credatur cicatrice. Unde cum quorundam fratrum animus, de codice Fausti cujusdam, natione Galli, Regina civitatis Episcopi, qui de diversis rebus, & frequentius de gratia Dei, diserte visus est disputare, in scandalum moveretur, aliis, ut se habent humana studia, in contrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem, ea, quæ à tractatoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad Synodalium vicem pro lege servari, sed habere nos certa, quæ veteri lege vel nova conscripta, & generalibus Patrum sunt decreta judiciis, ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem. Hæc autem, quæ Antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præjudicio solere censeri. Sed cùm hæc, quantum in eorum frequenti postulatione persensimus, magis eis excusatio videretur, vel pro eorum prece, vel pro obsequii occasione, reddendi Apostolatui vestro, per Justinum diaconum meum præsumsi apices meæ parvitatis ingerere, quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quæso ut consulentes, quæ de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate Apostolicæ responsionis agnoscant: maximè quòd filii quoque vestri, Vitalianus, & Justinianus, præcipuè super hac re rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant.* Satis ex his liquet, quàm varia de Fausti libro judicia fuerint, atque ut Possessor, ab aliis consultus, judicium de eo ferre non sit ausus; sed Hormisdam ipse consulendum putarit. Quid autem ad hæc Hormisdas? Augustinum commendat: nec tamen anathema Fausto dicit, sed tantùm ait: *Quod, de Fausti cujusdam Galli Antistitis dictis consuluisse, literis indicastis,* c *id sibi responsum habeant: Neque illum* d, *neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare.* Auctoritatem nempe eam Fausti libro demit, quam Patres illi habent, quos Romana ecclesia approbavit. Itaque continuò subjicit: *Fixa sunt à Patribus, quæ fideles sectari debeant instituta. Sive interpretatio, sive prædicatio, seu verbum populi ædificatione compositum, si cum fide rectâ, & doctrinâ sanâ concordat, admittitur: si discordat, aboletur.* Industriam interim probat: *Errat*, inquit, *à viâ, qui ab eo, quod Patrum electio monstravit, exorbitat: nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus à veritate declinans.* Quatenus verò utilis ejus lectio sit, postea dicit: *Sæpe*, inquit, *de his necessaria providetur, de quibus ipsi æmuli convincantur, responsio: nec vitio dari potest, nosse quod fugias: atque ideo non legentes in-*

congrua

a Sic rectè habet Bas. a. 1528. & Veneta a. 1550. pro quo in Venetâ a. 1544. & Basil. a. 1556. vitiose editum est, propter hæc.

a Objici possit, quod etiam phylacteria diabolica censeantur inter apocrypha. Sed omnium judicem, ob amorem: cum ea primum inter anathemata merentur locum. Quare dicendum veteri apocrypha & hæc. Nempe locus sic concipitur: Phylacteria omnia (quæ non angelorum, ut illi confingunt, sed dæmonum magis arte conscripta sunt) & omnia his similia, quæ Simon Magus, &c.

b Relatio ne inter 69 & 70 Hormisdæ Epistolam.

c Leg. quid.

d Ita rectè habet editio prima, quæ præcurrente Colon. [illegible] prodiit anno 1530. sed Coloniensis [illegible] Sen[illegible] in Conciliorum collectione [illegible] nullo jure recepit injussu.

congrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, nunquam doctor ille gentium acquievisset nunciare fidelibus: Omnia probate: quod bonum est, tenete. Exinde docet, unde, quæ ecclesiæ Catholicæ sententia sit, disci debeat: *Non improvide*, inquit, *veneranda Patrum sapientia fideli posteritati, quæ essent Catholica dogmata, definiit: certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, Sancto Spiritu instruente, præfigens, ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi Ecclesiasticæ conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, assereret.* Ubi per libros *in auctoritatem receptos*, non solùm Scripturas canonicas, aut Conciliorum, vel Pontificum decreta intelligit; sed etiam Patrum illorum libros, quos ecclesia pro idoneis historiæ vel doctrinæ suæ testibus haberet. Hujusmodi statuit Gelasius esse Hieronymum, Augustinum, Prosperum: non item Eusebium Pamphili, (quamquam falsus antea esset, *propter rerum notitiam singularem, ad instructionem pertinere, atque ideo usquequaque non renuendum*) neque item Faustum Regiensem, quos inter Apocryphos reponit: hoc est, eos, quorum judicio in narrando, vel judicio in docendo stare minimè oporteret; ut superiùs quoque interpretabamur. Postea Hormisdas Faustum reprehendit, quòd orthodoxis doctoribus impingeret opiniones, quas non haberent: ac interim ipse ea in controversiam vocaret, quæ priorum jam decidisset auctoritas: *Quid*, inquit, *calumniantibus opus erat, extra constitutos ecclesiæ terminos porrigere quæstiones a, & de his, quæ habentur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina: cùm Christiana fides canonicis libris, & Synodalibus præceptis, & Patrum regularibus constitutis, stabili & inconcusso tramite limitetur.* Denique epistolam clausurus Maxentius ostendit, doctrinam Catholicam hauriri posse, tum è libris duobus Augustini, uno de prædestinatione, altero de bono perseverantiæ; quos adversus Massilienses ad Hilarium & Prosperum scripsit: tum è capitibus ecclesiasticis Cælestini Papæ; quibus itidem non Pelagiani solùm, sed etiam Massilienses refelluntur: tum ex Apostolo Paulo, cujus testimonio gratiæ tam prævenientis, quàm subsequentis necessitas, adversus utrumque dogma demonstratur. Verba Hormisdæ apponam: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quod Romana, hoc est, Catholica sequitur & asseverat Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum, possit cognosci: tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur: quæ si tibi desint, & necessaria credis, destinabimus: quamquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscat.* Rescripsit hæc Hormisdas Idibus Augusti, cùm Possessoris literas XV. Kal. Augusti accepisset. Ergò ut Possessoris, ita etiam Hormisdæ epistola, scripta est consule Rustico: ut etiam Norinbergensis editio habet, quam antè annos 11C. Cochlæus edidit. In eâ legitur, *Rusticio ac consulibus.* Sed Margarinus in Biblioth. PP. habet, *Rusticio ac Olybrio* COSS. In Fastis tamen Onuphrii lego, Fl. Rusticum & Fl. Valerium tum COSS. fuisse. Et hacpropter fortasse Rom. editio, quam Coloniensis Severini Binnii expressit, consulum nomen planè omisit. Cæterùm ubi epistola hæc in Maxentii manus venit, duo improbitatis, quibus nigrum theta præfigeret, invenit. Unum erat, quòd monachos Scythas, cùm consultum sedem Romanam, ab Constantinopoli usque, molestissimo itinere venissent, in Dioscori gratiam urbe exire compulisset: nec eo contentus, mordaci & mendaci illos epistolâ traduceret innocentes. Alterum fuit, quòd de Fausto homine à Patrum doctrinâ devio, judicium suum apertè proferre non auderet. Scrupulum etiam injicere conatus est, quasi epistola ea Episcopi Romani non esset: sed tamen, cujuscunque esset, hominis illam hæretici videri voluit. *Fertur*, inquit, *ab inimicis ubique epistola, quasi a Romano Episcopo destinata.* Et mox: *Primo obsecro, eadem epistola à pastore ecclesiæ, an sit potius ab inimicis, videamus, composita. Ambigo enim, quomodo illæ sacerdotales literæ approbandæ sint, quæ nulla luce radiant veritatis &c.* Et paullo pòst: *Certe auctorem hujus epistolæ hæreticum esse, quisquis ille est, & inimicum Catholicæ veritatis, non est dubium.* Etiam accusat, quòd ad Nestorianos scribat, & eos a fidei fervore laudet. *Possessorem enim, ad quem, & de quo hoc scribit, non confiteri Christum filium Dei vivi unum ex individua Trinitate.* Quod per calumniam dictum putamus ab eo, qui in Eutychianas partes propenderet. Quin insimulare Hormisdam non veretur, quasi occultè Pelagio faveret. Nempe propter hæc epistolæ verba: *Proficiemus inter adversantes* PROPRIIS BONIS, *si non involvamur erroribus alienis.* Unde sic Maxentius: *Callide tuam noveras occultare perfidiam: sed te splendore suo detegit Catholica veritas, & juxta cætera mala etiam superbissima Pelagiana perfidia involutum erroribus, cunctorum oculis anteponit, qui inter adversantes, non Dei munere, sed propriis bonis proficere te posse tumidâ elatione confidis.* Ubi candorem iterum in Maxentio requirimus. Nam cùm propria bona non Dei donis, sed erroribus opponat alienis: illud solùm Hormisdas voluit: Si non communicemus malo erroris alieni, maxima nos divinæ gratiæ incrementa capere posse: Deo scilicet perficiente in nobis opus bonum, quod cœperat. Postquam verò monachos abunde defendisset: accedit tandem ad alteram epistolæ partem, quæ est de Fausti libris. *His*, inquit, *ita finitis, multa & non necessaria de libris Fausti cujusdam, Galli Episcopi, in consequentibus loquitur: nec ad id quod quæritur respondens, sed alia nescio quæ, ad rem non pertinentia, inani & prolixo sermone digerit. Nam cùm de ipsis libris, non utrùm legendi sint, sed utrum sint Catholici, vertatur quæstio: iste, non de ipsis quid sentiendum sit, sed eos, quamvis non in auctoritate habendos, tamen legendos esse decernit.* Atqui cùm eos in auctoritate habendos negat, planè inter apocrypha reponit: ut omnino eadem mens fuerit Gelasii, & Hormisdæ. Nam Hormisdam quoque censuisse, non è Fausto, sed ex Augustino, Catholicæ ecclesiæ sensum peti debere; cùm ea indicant, quæ antea citavimus; tum Maxentius quoque agnoscere cogitur. Sic enim scribit: *Verùm tamen eos libros, quos B. Augustinus Episcopus ad Hilarium scripsit & Prosperum, in fine hujus epistolæ Romanam testatur suscipere ecclesiam: & quid de gratiâ Dei, & libero humano arbitrio, eadem teneat & servet ecclesia, ex ipsis libris abunde posse sciri asserit.* Quærat igitur aliquis, quid impulerit Maxentium, ut negaret, decerni ab Hormisdâ, quid de Fausti libris sentire oporteret? Nempe judicamus, icciрco non satisfecisse, quia non tanquam hæretico anathema diceret Fausto: sed contentus esset, illis accensere, qui propter errorem aliquem majori cum judicio legi deberent. Hoc inde etiam apparet, quòd agnoverat Hormisdas, libris Augustini ad Hilarium & Prosperum Catholicæ fidei sententiam contineri: sciebat autem, Faustum ab Augustini doctrinâ, minùs quidem quàm Pelagium & Cælestium, sed tamen ab eâ recedere. Errare igitur Faustum putabat, at verò nec tantum, nec tanti errorem hunc judicabat, ut icciрco hæreticus dicendus esset: vel saltem non ita hoc ei clarum videbatur, ut peremptorium de eo judicium ferre sustineret. Maxentii contrà opinio erat, tantopere illum à Catholicæ fidei veritate deflectere, ut minimè dubium esset, quin inter hæreticos reponi deberet. Verba Maxentii sunt: *Omittentes ea, quæ superfluè & prolixè in ipsâ digesta probantur epistolâ, convenienс credidi, aliqua tam de Fausto, quam de antedictis libris ejusdem S. Augustini, certa capitula decernere, & huic nostro opusculo inserere, ut, cum in brevi collata ab invicem contraria sibi reperta fuerint,* EVIDENTER CLAREAT, LIBROS FAUSTI ESSE HÆRETICOS. Ita videmus, ut, quod dicere non audebat Romanus episcopus, hoc ausus fuerit monachus, ut creditur, Eutychianus. Sed bene est, quòd non Maxentii, verùm Gelasii, Hormisdæ, & similium judicium trecentis & triginta annis pòst approbavit Ecclesia Lugdunensis; quæ tamen absolutum prædestinationis decretum maximâ animi contentione defendebat, & ita defendebat,

a *Sic rectè editum in Coloniensi editione Severini Binnii. At Norimbergensis Cochlæi, & Parisiensis Margarini, male pro* quæstiones *habent,* quæ rationis.

scendebat, ut palam profiterentur, non acquiescere se in molliori verborum Augustini interpretatione, quam Hincmarus sequebatur; sed aliquid in speciem durius sonare ea arbitraretur. Et tamen Ecclesia hæc, libro de tribus epistolis, Massilienses istos, adversus quos Augustinus scripsit librum de prædestinatione sanctorum & perseverantiæ bono, appellat a *fideles, magnos & sanctos apud Gallias viros.* Tantum interest inter judicium publicum & privatum; liberum & affectui mancipatum.

a *Auctar. bibl. PP. T. 2. col. 1194. & 1195.*

Ut igitur post longam adeò dissertationem relegam tandem vestigia mea: ex iis, quæ hactenus diximus, colligere est, aliter multo Ecclesiam Dei judicasse de iis, qui absolutam prædestinationem negarent, attamen gratiam prævenientem agnoscerent; aliter de Semipelagianis, qui gratiam præviam tollerent, sed tamen necessitatem gratiæ ἁπλῶς spectatæ prædicarent: aliter denique de Pelagianis, qui gratiam non necessariam, sed duntaxat utilem esse arbitrarentur. Pelagiani enim non eo Pelagiani erant, quia absolutum decretum & gratiam præviam negarent; sed quia necessitatem gratiæ tollerent. Quales Catholicorum numero expungebantur, munere Ecclesiastico orbabantur, Imperiali etiam auctoritate proscribebantur. Semipelagiani autem dicti sunt, non quòd absolutam prædestinationem impugnarent, sed quia præviam gratiam non agnoscerent. Quales pro Catholicis habebantur, & docere populum permittebantur: sententia tamen eorum synodali & Romanæ Ecclesiæ decreto fuit damnata: libri quoque relati sunt inter apocryphos, & non sine cautelâ legendos. Qui verò absolutum duntaxat decretum improbarent, hi non dicti hæresios, ut Pelagiani; sed nec erroris, ut Semipelagiani, vel ab Episcopo Romano, vel synodo ullâ, Augustino superstite, aut proximis seculis, damnati unquam fuerunt. Sed qui absolutum decretum docerent, patiebantur eos in suo sensu abundare: hoc solo contenti, ut si dogma de absoluto decreto odiosè ab iis traduci atque impias inde conclusiones elici viderent, animosè & voce & scriptis responderent. Quod à Prospero Aquitanico factum fuit. Qui libellis suis omnibus omnium adversus absolumm decretum objectionibus occurrit. Nam non solùm ei negotium fuisse cum iis, qui prævenientem gratiam negarent, sed etiam qui illam faterentur: alias ex epistola ejus ad Augustinum ostensum fuit. Quodsi absoluti decreti impugnatores eò usque procederent, ut, seu soli seu Semipelagianorum suffragiis adjuti, synodicâ autoritate dogma hoc damnatum irent: non deerat aliis animus, quo minus antisynodo, & Semipelagianos istos damnarent, & tam horum, quàm aliorum calumniis sese liberarent, negantes, eam esse sententiam suam, quam illi impingerent: cujusmodi imprimis erat prædestinatio hominis ad peccatum. Exemplum capere possumus ex synodis Arelatensi & Lugdunensi. Nam qui sciat, quas partes sustinuerit Faustus, nunquam negabit, tam Semipelagianos eis interfuisse, quàm qui prævenientem gratiam agnoscerent. Utraque autem pars cùm Augustini sententiam damnasset, paullo pòst Gelasius, in concilio LXX. Episcoporum, Augustini & Prosperi libros comprobavit; Cassiani & Fausti inter Apocryphos retulit. Etiam aliquanto pòst concilium Arausicanum damnavit Semipelagianos, & falsò hoc Catholicis impingi dixit, quasi docerent, hominem prædestinari ad malum. Quamquam enim subinde invenirentur, qui eò dementiæ prorumperent, ac fortasse etiam Catholicorum nonnemini in disputationis æstu tale quid excidisset: tamen à pluribus, & Augustinianæ sententiæ intelligentioribus, pro impio habebatur. Unde est, quòd cautè adeò synodus ea loquitur a; SI AUNT, *qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.*

a *Can. ult.*

Hæc fusè adeò prosequi visum fuit, ut intelligamus, quatenus, in hac controversiâ, Augustini verba, nunc communem Catholicorum, nunc peculiarem quorundam, ac Augustini imprimis, sententiam comprehendant: quatenus item Pelagiani nunc particularem aliquorum, nunc communem Catholicorum omnium, sententiam impugnent. Et sanè si quis eum judicio in Augustino & Prospero versari, deque Pelagianismo, aut Semipelagianismo judicium ferre volet: enim duo hæc, non malo quorundam more confundere; sed curare, veterum exemplo, distinguere opus est. Atque hæc de electorum prædestinatione dicta sunto.

FINIS LIBRI SEXTI.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

HISTORIÆ

DE

CONTROVERSIIS,

QUAS

PELAGIUS EJUSQUE

reliquiæ moverunt,

LIBER SEPTIMUS;

QUI EST

DE REPROBATIONE.

Decurso tot quæstionum spatio anfractuoso, tanquam è carceribus propè ad metam læti pervenimus. Nunc ultimam promissi nostri partem, quæ de Reprobatione est, alacriter exsolvamus. Erit verò labor hic noster bipartitus. Primùm quid de eâ senserit Catholica Ecclesia, generatim exponemus. Deinde distinctè & seorsim historiam de caussâ Godscalci, & quæ huic sunt annexa, commemorabimus. Prior pars de triplici erit controversiâ. Nam primùm quæritur de amplitudine gratiæ, utrùm omnes & singuli eligere, atque ingredi viam possint, quæ seu proximè seu remotè ad salutem ducat. Deinde quæstio est de arbitrii libertate; an qui gratiosè accepit beneagendi potestatem, nolle possit salutis viam ingredi, gratiamque sibi donatam per ejus contemtum reddere valeat inefficacem. Denique in controversia est de caussâ reprobationis, utrùm ea sit gratiæ contemtus, an absoluta Dei voluntas. Ex his primum secundumque etiam pertinet ad quæstionem de Electione: sed hoc loco potissimùm de iis agemus, quia in Electionis doctrina vix eorum usus apparet; Reprobationis verò dogma absque illis explicari, vel intelligi minimè potest. Ab amplitudine igitur gratiæ initium sumemus: quia si ea reprobis non offertur, nec respui ab illis potest: & si non respuitur, nec contemtus illius caussa erit, cur homo à Deo reprobetur. Contrà si contemtus gratiæ, fuerit caussa reprobationis: jam ut perituris ea oblata fuerit, consequitur. Itaque simplex hominis, duplex Dei actus in considerationem hic venit. Hominis quidem ratione, gratiæ neglectus: at Dei respectu, actus unus neglectum gratiæ præcedens, qui est misericordiæ: & alter contemtum gratiæ consequens, qui actus est justitiæ. Hunc ordinem, quem multi, & temere, & periculosè confundunt, distinctè deinceps sequemur.

LIBRI SEPTIMI

PARS PRIMA;

Quæ est de Amplitudine gratiæ.

THESIS I.

Actus Dei circa reprobos partim fluunt ex ratione generalis providentiæ: partim sunt ipsius reprobationis; quæ præscientiam providentiæ superaddit. In utrisque actibus ob imbecillitatem nostram ordinem aliquem constitui oportet. Ordinem verò illum natura ipsa nos docet: ut priores, sint actus generalis providentiæ: posteriores verò, sint reprobationis, quà talis. Actuum generalis providentiæ primus respicit finem; alii verò sunt de mediis ad consequendum finem ordinatis. De fine est salvandi voluntas. De mediis est voluntas dandi Christum in λύτρον *peccatorum: item voluntas vocandi omnes ad participationem gratiæ salutaris. Quæritur igitur, an actus isti secundum aliquem gradum reprobis cum electis sint communes. Quod ut liqueat, de his tribus ordine videbimus.* I. *An Deus voluntate antecedente perire quemquam velit.* II. *Ecquis per Christi mortem non sit reconciliabilis Deo.* III. *Numquis inveniatur, quem Deus non seriò vocet ad amorem numinis, æternamque animæ suæ salutem.*

QUamquam Deus quocunque instante æternitatis, quo creare homines voluit, eorum alios cœlesti regno, alios pœnis destinavit æternis: (nec enim voluntas divina unquam est suspensa, & indeterminata: quod ejus perfectioni repugnat:) tamen in intellectu humano prior est consideratio Dei, ut nihil extra se vult: posterior, ut se liberè determinat: prior, ut ante prævisa opera nec admissionem ad regnum, nec exclusionem è regno vult voluntate efficaci: posterior, ut post opera prævisa voluntate positivâ & efficaci excludere vult è regno cœlesti. Hunc ordinem observat etiam Tertullianus lib. de Resurrect. carnis, cùm ait, *Deus de suo optimus, de nostro justus.* Et manifestius B. Basilius in Psalm. XXXII a: Οὔτε ἐλεημοσύνη ἄκριτος, οὔτε ἡ κρίσις ἀνελεήμων. πρὸ γὰρ τῆς κρίσεως ἀγαπᾷ ἐλεημοσύνην, καὶ μετὰ τὴν ἐλεημοσύνην ἔρχεται ἐπὶ τὴν κρίσιν. *Neque misericordia* (Dei) *sine judicio est: neque judicium sine misericordiâ. Ante judicium quidem diligit misericordiam; & post eam prorogatam ad judicium venit.* Plura ibidem in hanc mentem habes, quæ apud eum legi possunt. Similiter Augustinus lib. LXXXIII. quæstionum, quæst. LXIII: *Qui vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cùm vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa, Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine. Ad misericordiam pertinet vocatio, ad judicium pertinet supplicium eorum qui venire neglexerint.* Rupertus Tuicensis lib. de omnipotentiâ Dei cap. XI; *Omnipotentia Dei non unâ tantum manu suos actus expendit, sed duabus: scilicet misericordiæ & judicii: eâ nimirum lege, ut* PRIUS *nitatur manu misericordiæ operari; &, ubi istâ manu,* SUPERBIA SIBI OBSISTENTE, *virtutem illam facere non potuerit, tunc demum manu alterâ, manu judicii, exerta, quos emollire non potuit, confringat tanquam vasa figuli.* Vide ibidem & alia in hanc sententiam: ubi ostendit, non hoc in Adamo tantùm habuisse locum, ratione primi fœderis ante lapsum: sed etiam in posteris, ratione secundi fœderis post lapsum. Hoc ordine observato, conciliare est multa ἐναντιοφανῆ, cùm in Scripturis, tum Patribus antiquis, etiam Augustino. Nimirum veteres primùm in Deo considerant decretum de actibus positivis providentiæ divinæ, quibus creaturæ suæ bene vult, etiam in ordine ad beatitudinem æternam. Siquidem sub hac conditione, nisi per eos steterit, beatitudinem iis statuit conferre: & quia viribus propriis consequi illam non possunt, destinat illis media ad eam adipiscendam idonea. Hinc iidem spectant in Deo præscientiam, quam prædestinatio divinæ providentiæ superaddit. Denique in eo considerant voluntatem, quâ, etsi videat ab homine neglectum iri gratiam, quam nunc offert, non tamen ei destinat aliam gratiæ mensuram, aut modum, quo certò salvetur: sed, ob prævisum suæ misericordiæ contemtum, justo eum judicio prædestinat ad pœnam. Hæc ita esse, ordine deinceps ostendemus.

a *Ad illa verba,* Misericordiâ Domini plena est terra. *pag 84. ed. Bas.*

THESIS II.

Veteris hæc Ecclesiæ sententia fuit, velle Deum conversionem ac salutem omnium: ac pro ea adferre solet illud Apostoli 1 Tim. II. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. *Ubi non tantùm genera singulorum, sed etiam singulos generum intelligi, colligitur ab ea ex sermonis contextu. Nam primum universè hortatur Apostolus* fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: *vers.* 1. *Deinde generi illustrem subjicit speciem:* Pro regibus, *inquit*, & omnibus in sublimitate constitutis: *quam speciem, cur seorsim proponat Apostolus, ipse caussam hanc adfert,* ut quietam & tranquillam vitam degamus in omni pietate & honestate. *vers.* 2. *Post hæc exhortationis suæ caussam adtexit:* Hoc enim pulchrum & acceptum coram salvatore nostro Deo. *vers.* 3. Qui omnes homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire. *vers.* 4. *Argumentum Apostoli est: Cùm pulchrum sit, ut voluntas nostra divinæ sit voluntati conformis: Deus autem velit, omnes homines, etiam omnes in eminentiâ constitutos, salvari, & ad agnitionem veritatis venire: etiam nos hoc velle, eoque pro omnibus orare Deum debemus. Atqui non pro generibus singulorum, sed pro universo genere humano: nec pro aliquibus e Magistratibus, sed pro omnibus, & singulis eorum orare nos jubet Apostolus. Ergò, nequid depereat de vi argumenti Apostolici, fateri oportet, Deum velle omnes & singulos salvari. Idem probatur altero Apostoli argumento, petito ab universalitate meriti Christi, vers.* 5. *&* 6. *De quo postea dicendum.*

Etiam

Etiam urgent veteres illud 1 Pet. III. 9. Deus non vult, aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. *Nempe, ex mente eorum, sententia est: Velle misericordem Deum, ut omnes ac singuli pœnitentiam agant, ne pereat quisquam. Atque inde esse aiunt, quod reprobos ad pœnitentiam invitet, teste Paulo ad Rom. II. 4. 5.* Num divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quòd Dei benignitas te invitat ad pœnitentiam? Tu verò secundùm duritiem & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in diem iræ & revelationis justi judicii Dei.

Hanc beneficam Dei voluntatem, Scriptura verbis testatam, etiam probat juramento hoc divino Ezechiel XXXIII. 32. 33. Quare moriemini, domus Israël? dicit Dominus. Vivo ego. Nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat. *Negat Deus, se eorum velle perditionem qui moriuntur & pereunt. Nec loquitur de solâ morte temporali, quæ resipiscentibus cum impœnitentibus est communis; sed etiam de eâ morte, quam per conversionem effugimus. Nam antecessit, vers. 11.* Convertimini, convertimini, à viis vestris malis: ut quid moriemini, domus Israël? *Agit igitur de morte, quæ stipendium esse peccati dicitur Rom. VI. vers. ult. Atqui hujusmodi non est sola mors temporalis, sed etiam æterna. Præterea si tanta est Dei φιλανθρωπία, ut non delectetur morte temporali, quam solam designari aliqui hodie arbitrantur: quanto minus ille absolutè & simpliciter vult, ut pereat aliquis morte æternâ? Et istoc Deus non contentus dixisse, etiam juramento sancit,* Vivo ego, dicit Dominus. *Atqui divinus scriptor epist. ad Hebræos VI. 16. 18.* Homines, *inquit*, per majorem se jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. Ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest, ut mentitus sit Deus, validam consolationem habeamus. *Unde & Hieronymus epist. XLVI:* Iccirco jurat, ut, si non credimus promittenti Deo, credamus saltem pro salute jurati. *Et ante eum Tertullianus lib. de Pœnitentiâ cap. IV:* Invitat præmio salutem: jurans etiam, Vivo, dicens; cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causâ Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus!

His compulsi Catholici, statuerunt, quanquam multos damnare Deus velit, quatenus eos considerat ut peccatores, & contemtores gratiæ divinæ: tamen velle eorum salutem, quatenus illos spectat ut homines ad imaginem suam conditos, præscindendo intellectum à peccato & gratia neglectâ.

Hæc distinctio divinæ voluntatis (quæ in se simplicissima est, sed respectibus variat) oritur ex admirabili temperamento divinæ misericordiæ ac justitiæ. Nam à misericordia Dei media sunt ad salutem ordinata: quæ etiam reprobis offeruntur. Horum respectu dicitur voluntas Dei antecedens, quia obedientiam vel inobedientiam hominis antecedit. A justitia verò divina est desertio, æternaque hominis punitio: cujus respectu dicitur voluntas Dei consequens, quia naturâ suâ inobedientiam hominis consequitur: unde hîc considerantur media, non prout ad salutem à benefica Dei voluntate ordinantur, sed prout ab homine respuuntur.

QUi dicunt, Deum omnium salutem velle voluntate revelatâ sive signi, non item arcanâ, seu placiti: idem iis, quæ diximus, dicunt: dummodo per voluntatem priorem intelligant eam, quam Deus revelat in verbo: ex quo, tanquam signo divinæ voluntatis certissimo, apertissimè dilucet propositum Dei generale de salvandis omnibus non respuentibus gratiam vocationis cælestis: dummodo item voluntatem arcanam seu placiti vocent eam, quâ Deo placuit certos homines, ipsi soli cognitos, ob prævisum gratiæ contemtum, & finalem impœnitentiam, destinare morti æternæ. Clarior tamen videtur eorum distinctio, qui aiunt, Deum velle omnes salvari προηγουμένως; electos solos ἑπομένως: quemadmodum è junioribus etiam loquuntur Petrus Martyr in epist. ad Rom. cap. IX. Loc. *a* de Prædest. Hub. Sturmius de Prædestinat. *a In Loc. comm. p. 54. & 56.*
b Franciscus Junius comment. in Ezech. cap. XVIII. item Daniel Tilenus, atque alii. E Patribus, primus eam usurpavit Chrysostomus: quem secutus Damascenus: ut postea de utroque liquebit. Damascenum verò imitati Scholastici. Etiam Thomas part. 1. q. XIX. art. VI. ubi cum verba Apostoli, dicentis, Deum velle ut omnes salventur, trifariam exponi dixisset, de tertiâ interpretatione ita scribit: *Tertio secundùm Damascenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente. Quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius; sed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumquodque, secundùm quod bonum est, sic est volitum à Deo. Aliquid autem potest esse in primâ sui consideratione, secundum quod absolutè consideratur bonum vel malum, quod tamen, prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, è contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum, secundùm absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quòd sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere. Unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere; sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari; sed consequenter vult, quosdam damnari secundùm exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundùm quid: quia voluntas comparatur ad res secundum quod in se ipsis sunt; in se ipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus: quod est consequenter velle. Unde potest dici, quòd judex justus simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vellet eum vivere: Scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet, quòd, quicquid Deus simpliciter vult, fit: licet illud, quod antecedenter vult, non fiat.* Similiter Bonaventura 1. Sentent. dist. XLVII. art. unico quæst. 111. & Gregorius Ariminensis ibidem: item Scotus in 1. d. XLVI. quæst. unica, & Ocham, Richardus, ac Gabriel ibid. quæst. 1. & Durandus quæst. 1. n. 5. Herveus dist. XLVI. quæst. 2. atque alii. Quamquam verò aliquid est discriminis in diverso distinctionem hanc exponendi modo: tamen in eo conveniunt omnes, ut non quicquid Deus velit voluntate antecedente, hoc etiam velit consequenti: quâ de re vide Gregorium de Valentiâ T. 1. disp. 1. quæst. XIX. quæ est de Voluntate Dei, puncto II. Atque ex his satis liquet, ut etsi voluntas Dei in se sit simplicissima, tamen ratione objecti duplex sit, quia aliqua absolutè vult & simpliciter: quomodo creare mundum voluit, & extremo die volet resurrectionem carnis: de quâ voluntate intelligi debet illud Psaltæ CXV. 3. *Deus noster in cælo, quæcunque voluit, fecit.* Et Apost. ad Rom. cap. IX. 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Aliqua item vult cum conditione, quæ iccirco in effectum non prodeunt, nisi conditione impletâ. Quomodo omnes homines salvari vult, sed per & propter Christum fide apprehensum. Atqui non omnes fide apprehendunt Christum, sed absque pœnitentiâ ac fide plurimi de hoc mundo decedunt. Quo respectu tales in æternum statuit damnare. De conditionatâ illâ Dei voluntate exstant

 longè

longè plurima apud veteres scriptores. Aliqua hoc loco adscribemus.

Theophilus ad Autolycum lib. III. ait, divinæ erga
a P. 226. in Orthod. vero. Bas. an 1555. omnes misericordiæ plenas esse Scripturas a, Ἀεὶ δὲ Θεοῦ βουλομένου ἐπιστρέφειν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ πασῶν τῶν ἁμαρτιῶν. *quia semper voluit convertere humanum genus à peccatis.* Aliaque in hanc mentem habet, quæ infra adferemus.

Multa etiam de eâ legas apud Clementem, non solùm Romanum, (cujus mirè illustrem habemus locum lib.
b Al 49. II. Διαταγῶν τῶν ἁγίων Ἀποστόλων cap. XLV b: sed cùm scriptor iste antiquus quidem, attamen supposititius, & mendaciorum multorum manifestus sit, planè ob fidem subdestam indignus videtur, cujus multùm ratio habeatur) verùm etiam Alexandrinum illum, Pantæni disci-
c Pag. 24. edit. Commel. pulum. Ejus hæc verba sunt ἐν Προτρεπτικῷ c: Ὁ γὰρ Θεὸς ἐκ δούλων υἱοὺς ἡμᾶς γενέσθαι βούλεται· οἱ δὲ καὶ γενέσθαι ὑπερηφανήκασιν. ὢ τῆς ἀπονοίας πολλῆς! τὸν Κύριον ἐπαισχύνεσθε. ἐλευθερίαν ἐπαγγέλλεται· ὑμεῖς δὲ εἰς δουλείαν ἀποδιδράσκετε. DEUS *ex servis* VULT *nos fieri filios: illi autem etiam filii effici contempserunt. O magnam arrogantiam!* DOMINUM PUDORE AFFICITIS. LIBERTATEM POLLICETUR: *vos autem aufugitis in*
d Pag. 32. *servitutem.* Et ibidem d: Πρόκειται δὲ ἀεὶ τῷ Θεῷ, τὴν ἀνθρώπων ἀγέλην σώζειν. ταύτῃ καὶ τὸν ἀγαθὸν ποιμένα ὁ ἀγαθὸς ἀπέστειλε Θεός. *Deo semper est propositum, servare genus hominum, & ideo pastorem bonum bonus Deus misit.* Idem inibi istiusmodi similitudine hunc Dei affectum declarat: Ὁ γὰρ Θεὸς ἐκ πολλῆς τῆς φιλανθρωπίας, ἀντέχεται τοῦ ἀνθρώπου, ὥσπερ ἐκ καλιᾶς ἐκπεσόντος νεοττοῦ ἡ μήτηρ ὄρνις ἐφίπταται. εἰ δέ πῃ καὶ θηρίον ἑρπυστικὸν περιχάνοι τῷ νεοττῷ, μήτηρ δ' ἀμφιποτᾶται, ὀδυρομένη φίλα τέκνα. ὁ δὲ Θεὸς πατὴρ, καὶ ζητεῖ τὸ πλάσμα, καὶ ἰᾶται τὸ παράπτωμα, καὶ διώκει τὸ θηρίον, καὶ τὸν νεοττὸν αὖθις ἀναλαμβάνει, ἐπὶ τὴν καλιὰν ἀναπτῆναι παρορμῶν, &c. *Deus enim ex multâ benignitate & clementiâ hominem retinet & complectitur, sicut cum pullus e nido excidit, mater avis è nido advolat. Si quando autem serpens pullo devoraturus inhiet, circumvolat mater, natos, carissima pignora, deflens. Deus autem Pater & suum quærit figmentum; & ei quod lapsum est, medetur, & feram persequitur, & pullum rursum in nidum recipit, ut rursus advolet*
e P. 294. *incitans,* &c. Idem lib. VI. Stromat. e Εὐποιεῖν ἐθέλει τοὺς ἀνθρώπους ὁ Θεός. ἐθέλει δὲ πάντοτε. διὸ συγκινεῖ τοὺς ἐπιτηδείους εἰς τὴν ὠφέλιμον ἐξεργασίαν τῶν πρὸς ἀρετήν τε καὶ εἰρήνην καὶ εἰς εὐποιίαν συντεινόντων. *Vult Deus benefacere hominibus: vult autem semper. & ideo movet eos, qui sunt apti ad ea utiliter efficienda, quæ pertinent ad pacem, &*
f P. 299. *virtutem, & beneficentiam.* Idem lib. VII. Stromat. f Θεὸς δὲ κακίας πάντη πάντως ἀναίτιος. πρὸς γὰρ τὴν τοῦ ὅλου σωτηρίαν τῷ τῶν ὅλων κυρίῳ πάντα ἐστὶ διατεταγμένα, καὶ καθόλου, καὶ ἐπὶ μέρους. *Deus vero nullâ ratione fuit autor & caussa mali: ad universi enim salutem, ab eo qui est universorum Dominus, omnia sunt ordinata, & universè, &*
g P. 300. *sigillatim.* Et aliquanto pòst g: Μόνῃ γὰρ τῇ ἡμετέρᾳ σωτηρίᾳ ὁ Θεὸς ἥδεται. *Deus enim solâ nostrâ salute delectatur.*

Idem Clemens lib. I. Pædag. cap. VIII. de Dei in scripturis increpatione loquens: Ὁρᾶτε πῶς ὁ Θεὸς τὴν μετάνοιαν ὑπὸ φιλαγαθίας ζηλοῖ. ἐνδείκνυται τι παρὰ τὴν οἰκονομίαν τῆς ἀπειλῆς ἡσυχῇ τὸ φιλάνθρωπον τὸ ἑαυτοῦ. Ἀποστρέψω, φησὶ, τὸ πρόσωπόν μου ἀπ' αὐτῶν, καὶ δείξω τί ἔσται αὐτοῖς. Οὗ γὰρ τὸ πρόσωπον Κυρίου ἐπιβλέπει, εἰρήνη καὶ ἀγαλλίασις· οὗ δὲ ἀπεστραμμένον, παρείσδυσις γίνεται πονηρίας. Οὐ βούλεται οὖν ἐφορᾷν τὰ κακά. ἀγαθὸς γάρ ἐστι. Παρορῶντος δὲ αὐτοῦ ἑκόντι, διὰ τὴν ἀπιστίαν τὴν ἀνθρωπίνην, γίνεται ἡ κακία. Ἴδε οὖν, φησὶν ὁ Παῦλος, χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ. ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν· ἐπὶ δὲ σε, χρηστότητα, ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι, τουτέστι τῇ εἰς Χριστὸν πίστει. Ἕπεται δὲ τῷ ἀγαθῷ, ᾗ φύσει ἀγαθός ἐστιν, ἡ μισοπονηρία. Διὸ καὶ κολάζειν μὲν αὐτὸν ὁμολογήσομεν τοὺς ἀπίστους. ἡ γὰρ κόλασις, ἐπ' ἀγαθῷ καὶ ἐπ' ὠφελείᾳ τοῦ κολαζομένου. ἔστι γὰρ ἐπανόρθωσις ἀντιτείνοντος. τιμωρεῖσθαι δὲ μὴ βούλεσθαι. Τιμωρία δὲ ἐστιν ἀνταπόδοσις κακοῦ, ἐπὶ τὸ τοῦ τιμωροῦντος συμφέρον ἀναπεμπομένη. οὐκ ἂν δὲ ἐπιθυμήσαι τιμωρεῖσθαι ὁ ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ἡμᾶς προσεύχεσθαι διδάσκων. *Videre quomodo Deus propter suam bonitatem requirit pœnitentiam, & in ipsa minarum intentione tacite ostendit suam in homines benevolentiam. Avertam, inquit, faciem meam ab ipsis, & ostendam quid erit ipsis. Ubi enim Domini facies respicit, illic est pax & exultatio. Ubi autem faciem avertit, ingreditur vitium. Non vult igitur mala intueri: bonus enim est: sed cum ipse oculos avertit, sua sponte propter humanam infidelitatem ortum habet vitium. Vide ergo, inquit Paullus, bonitatem & severitatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, hoc est, fide in Christum. Eum autem qui bonus est, quatenus bonus est, sequitur odium vitii. Et ideo fatebor quidem, eum castigare infideles. Castigatio enim est bono & utilitati ejus qui castigatur: est enim ejus qui resistit correctio. ulcisci autem non vult. Est autem ultio, retributio mali quod emittitur ad utilitatem ejus quod ulciscitur. Ulcisci autem non desideraverit, qui pro iis, qui nobis faciunt injuriam, nos orare docuit.*

Origenes tractatu XXXIV. in Mattheum a: *Considera,* a P. 194.
quoniam regnum quidem non aliis præparatum dicit a constitutione mundi, nisi justis, & ideo reddet eis ipsum rex eorum Christus. Ignem autem æternum NON ILLIS, *quibus dicitur, Discedite a me, maledicti, paratum ostendit, sicut regnum justis,* SED DIABOLO *& angelis ejus. Quia,* QUANTUM AD SE, *homines* NON AD PERDITIONEM *creavit,* SED AD VITAM ET GAUDIUM: *peccantes autem conjungunt se diabolo: & sicut qui salvantur, sanctis angelis coæquantur, & fiunt Filii resurrectionis, & Filii Dei, & Angeli; sic qui pereunt, diaboli angelis coæquantur, & fiunt filii ejus.* Similiter ea Christi verba interpretantur Chrysostomus,
Theophylactus, Euthymius. Solius Theophylacti b verba b In cap. 25 Matth.
ponam: Ὁρᾷς ὅτι οὐχ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τὸ πῦρ τοῖς ἀνθρώποις, οὐδὲ τὴν κόλασιν ἐποίησε δι' ἡμᾶς, ἀλλὰ διὰ τὸν διάβολον. ἐγὼ δὲ ποιῶ ἐμαυτὸν τῇ κολάσει ὑπεύθυνον. *Vide quod Deus ignem non præparavit hominibus. supplicium enim non fecit propter nos, sed propter diabolum. ego autem me ipsum supplicio facio obnoxium.* Sed institutum ordinem persequamur.

Celsus præfatione in altercationem Jasonis & Papisci, de Græco in Latinum translatâ sermonem: quæ præfatio
Cyprianī operibus est adsuta c: *Cum doceat Dominus, &* c P. 584. edit. Gen.
ostendat, dicens, Ego sum lumen sæculi, qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ: quæ, malum, ratio est, ostensum divinum vitæ lumen omittere, & mentis cæcitate malle tenebras mortis eligere, ut ostendat, damnationis sua propria voluntatis liberam & illicitam perditionem contra Deum etiam illa nolle, quæ prosunt. Secundùm quod & per Domini vocem increpatam Hierusalem, quod colligi noluerit, Domino illam volente colligere, loquitur Spiritus Sanctus, & bonitatem
Dei manifestat peccatoribus subvenire jugiter velle d: *Hie-* d Matth. 23. 37.
rusalem, Hierusalem, quæ interficis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina colligit filios suos sub axillas suas, & noluisti. Adeo Dei voce manifestâ perfidia populi contumacia denotatur, ut etiam salutem propriam suam semper adversus clementem misericordiam Domini sprevisse doceantur. Propheta item alius, benevolentiam Dei exhortatione offerens, prædicatione insinuans, proclamat & suadet, di-
cens e: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, di-* e Zach. 1. 3.
cit Dominus. Aliàs quoque similiter misericordiam suam
Deus sempiternam manere demonstrans, addidit, dicens f: f Ezech. 18. 23.
Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur & vivat, dicit Dominus. Quid est ergo reverti, quam in Christum credendo, per eum, qui est via veniendi ad Patrem, Deo reconciliatum posse salvari? Quomodo autem reverti ad Deum possunt, qui ei, per quem est agnitio & reversio ad Deum, voluntatem Dei prædicanti credere nolue-

noluerunt? aut quomodo Deum satisfactione placare potuerunt, qui eum, qui est satisfactio & placatio pro nobis apud Patrem, sacrilegâ impugnatione persequi maluerunt?

a T. 1. p. 45. Athanasius orat. De incarnat. Verbi Dei *a*: Τί δὲ καὶ ὁ Θεὸς ἐποίει τούτους, ἀφ' ὧν οὐκ ἤθελεν γινώσκεσθαι; *Aut cur ita Deus eos condidisset, si ab illis cognosci non affectabat?* Non de primis solum parentibus loquitur, sed universo genere humano: ut ostendunt, quæ de vocatione hominis multiplici subjungit.

Macarius homil. xxvi, cùm dixisset, singulos, si velint, per gratiam ad bonum se convertere, conversosque certò recipi a Deo, caussam hanc adjungit *b*, Ὁ γὰρ Θεὸς, ἵνα δείξῃ τὰ ἑαυτοῦ σπλάγχνα, πάντας δέχεται, πᾶσαν προαίρεσιν. *Deus enim, ut intima amoris viscera demonstraret, omnes recipit, omnemque voluntatem.* Apertius etiam fusiusque hac de re agit homil. xxx. ubi docet, ut Christus omnium salutem impensè desideret, & quantopere doleat, quòd homines remedia negligant salutaria. Verba ejus infra *c* adducemus. Etiam de hac misericordiâ divina agit hom. iv. ubi agit *d*: Ὁ γὰρ Κύριος πάνυ φιλανθρωπεύεται σπλαγχνιζόμενος, ποτὲ ἐπιστρέψωμεν ὅλοι ἐξ ὅλου πρὸς αὐτὸν, παύσαντες τὸ ἐναντίον ἑαυτοὺς ἐξαιροῦντες. εἰ γὰρ καὶ ἡμεῖς διὰ πολλὴν ἀγνωσίαν καὶ νηπιότητα καὶ πρόληψιν κακίας ἀποστρεφόμεθα τὴν ζωὴν, καὶ ἐμπόδια πολλὰ τίθεμεν ἑαυτοῖς, μὴ βουλόμενοι ἐξ ἀληθείας μετανοεῖν· ἀλλ' αὐτὸς πάνυ σπλαγχνίζεται ἐφ' ἡμᾶς, μακροθυμῶν, ποτὲ ἐπιστρέψαντες προσέλθωμεν πρὸς αὐτὸν, καὶ τὸν ἔσω ἡμῶν ἄνθρωπον φωτισθῶμεν, ἵνα μὴ καταισχυνθῶσι τὰ πρόσωπα ἡμῶν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. Εἰ δὲ καὶ δύσκολον ἡμῖν καταφαίνεται διὰ τὴν σκληρότητα τῆς ἀρετῆς ἄσκησιν, μᾶλλον δὲ διὰ τὴν ὑπόθεσιν καὶ συμβουλίαν τοῦ ἀντικειμένου, ἰδοὺ αὐτὸς σπλαγχνίζεται καὶ μακροθυμεῖ ἐκδεχόμενος τὴν ἡμετέραν ἐπιστροφὴν, καὶ ἁμαρτανόντων ἡμῶν ἀνέχεται, ἀναμένων τὴν μετάνοιαν ἡμῶν, καὶ πίπτοντας ἡμᾶς οὐκ ἐπαισχύνεται πάλιν δέχεσθαι, καθὼς εἶπεν ὁ προφήτης· Μὴ ὁ πίπτων οὐκ ἀνίσταται, ἢ ὁ ἀποστρέφων οὐκ ἐπιστρέφει; μόνον ἡμεῖς διανήψωμεν ἔννοιαν ἀγαθὴν κτησάμενοι, καὶ ἐπιστρέψωμεν εὐθέως καὶ ὀρθῶς, βοήθειαν παρ' αὐτοῦ ἐπιζητοῦντες. Καὶ αὐτός ἐστι σῶσαι ἡμᾶς ἕτοιμος. ἐκδέχεται γὰρ τὸ θέλημα ἡμῶν τὴν πρὸς αὐτὸν ζέουσαν ὁρμὴν, ὅσον ἔχομεν δυνάμεως, καὶ τὴν ἐκ προαιρέσεως ἀγαθὴν πίστιν καὶ προθυμίαν· τὴν δὲ κατόρθωσιν πᾶσαν αὐτὸς ἐν ἡμῖν ἐργάζεται. *Dominus enim in benignitatem & misericordiam compositus, unicè desiderat, quando toti prorsus ad eum convertamur, ab omni contrarietate nos eripientes. Quamvis enim nos per summam ignorantiam, infantiam, ac præsumtionem malitiæ aversemur veram vitam, ac impedimenta multa nobis ipsi gignamus, revera resipiscere nolentes: ipse tamen multum miseretur nostri, longanimiter exspectans, quando conversi accedamus ad eum, & interiorem nostrum hominem illuminemus, ne confundantur facies nostræ in die judicii. Quod si difficile ac molestum nobis id videtur, propter duram virtutis exercitationem, magis vero propter suggestionem ac consilium adversarii: nihilominus ipse summâ commiseratione motus, iram suam cohibet, exspectans nostram conversionem, atque peccantes nos tolerat, ac nostram pœnitentiam desiderat, & lapsos nos recipere non erubescit, ut dixit Propheta, Nunquid, qui cadit, non resurgit, aut qui aversus est, non revertitur? modò nos bono corde præditi, in sobrietate vivamus, & statim ac verè implorato ejus auxilio convertamur. Promtissimus vero est ipse ad nostram salutem. Excipit enim benevolè ferventem voluntatis nostræ ad illum, quantum in nostris viribus est, appetitum, & bonam fidem ac promtitudinem ex voluntate nostrâ manantem: directionem verò omnem ipse in nobis operatur.* Postrema verba, quæ præterire poteramus, adjicere visum fuit, ut obiter iis facem luceamus. Vir enim eruditus *e* non dubitat ea improbare, quasi sic nimium hominis viribus tribuatur. Meritò sanè, si de naturalibus viribus loquatur Macarius. Verùm cùm pater ille ait, ὅσον ἔχομεν δυνάμεως, indefinitè ac communiter δυνάμεως vocem usurpat. Nempe quæcunque ab hominis arbitrio dependent, sive ea naturæ, sive gratiæ debeantur, opponit illis, quæ circa nos, sine nobis, operatur Deus: cujusmodi directionem divinam esse ait. Minimè verò existimasse, præveniri divinam gratiam ab hominis voluntate, clarum est ex aliquot ῥήμασι, quas supra *a* attulimus. Eo autem minùs hoc loco illas reponere attinet, quia idem ille agnoscit, alibi eum de libero arbitrio & hominis corruptione optimè sentire: verum, sollemne suum obtinens, *contradicit*, inquit, *sibi Macarius.* Quod cur verisimile haud fiat nobis, satis inde evidens puto, quòd sanctissimo Patri nihil aliud propositum sit, quàm excutere hominibus pigris veternum; qui tempet differunt emendationem sui, quasi otiosè exspectent efficaciam Spiritus sanctificantis, cùm interea communiora ac præparantia Spiritus dona negligant. Unde continuò pòst sic ex superioribus concludit: Σπουδάσωμεν τοίνυν, ἀγαπητοί, ὡς τέκνα Θεοῦ, ἀποδυσάμενοι πᾶσαν πρόληψιν καὶ ἀμέλειαν καὶ χαυνότητα, γενναῖοι καὶ ἕτοιμοι γενέσθαι ἀκολουθεῖν ὀπίσω αὐτοῦ, μὴ ἀναβαλλόμενοι ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ὑπὸ τῆς κακίας ὑποκλεπτόμενοι. *Diligentiam igitur adhibeamus, ô dilecti, tamquam filii Dei, ut omni occupatione, negligentiâ ac pigritiâ exuti, fortes ac promti simus ad sequendum eum, ne de die in diem redilatâ, à malitiâ præveniamur.*

a Lib. 4. part. 2.

b P. 230.

c Thes. seq.

d P. 53.

e In Menolla. agitur parte pars VI. pag. 433.

Basilius homiliâ in Psalm. xxix: *b* Ὀργὴ ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ] Τιμωρία, κατὰ τὸ δίκαιον κρίμα τοῦ Θεοῦ. Ζωὴ δὲ ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ. Τί οὖν φησιν; ὅτι ὃ μὲν θέλει ὁ Θεὸς, τοῦτό ἐστι, πάντας μετέχειν αὐτοῦ τῆς ζωῆς. Τὰ δὲ περιστατικὰ, οὐχὶ τῷ θελήματι αὐτοῦ ἐνεργεῖται, ἀλλὰ τῇ ἀξίᾳ τῶν ἡμαρτηκότων ἐπάγεται. Τὴν μὲν οὖν ζωὴν ὁ Θεὸς τῷ ἰδίῳ θελήματι ἑκάστῳ χαρίζεται· τὴν δὲ ὀργὴν, αὐτὸς ἕκαστος ἑαυτῷ θησαυρίζει ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως καὶ δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ. *Ira in indignatione ejus] Pœna, secundum justum Dei judicium; vita verò est, quam ille vult. Quid ergo dicit? nempe velle hoc Deum, sua ut vita participes* OMNES *fiant. Circumstantia vero pœnarum non ipsius voluntate fiunt, sed pro merito eorum, qui peccaverunt, inferuntur. Vitam igitur Deus ex suâ voluntate unicuique gratiosè largitur: Iram vero sibi quisque thesaurizat in die iræ, & revelationis, & justi judicii Dei.* b P. 80.

Gregor. Nazianz. orat. xv. *c* quæ est in plagam grandinis. Οἶδα τοῦτο σαφῶς, ἐγὼ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας ἐγγυητής. καὶ ὃ παρὰ φύσιν ἐστὶν αὐτῷ τῆς ὀργῆς ἀφεὶς, ἐπὶ τὸ κατὰ φύσιν χωρήσει τὸν ἔλεον. εἰς ἐκεῖνο μὲν γὰρ, ὑφ' ἡμῶν βιάζεται, πρὸς δὲ τοῦτο τὴν ὁρμὴν ἔχει. *Ego verò id planè scio: ego divinæ misericordiæ sponsor. Nam certè missâ factâ irâ, quæ ipsius naturæ repugnat, ad misericordiam, quæ ipsius naturæ consentanea est, se conferet. Ad illud enim à nobis vi adigitur: ad hoc autem suâpte naturâ fertur.* c P. 234.

Idem extremâ orat. xl. quæ est in sanctum Baptisma *d*: Οὐδενὶ τοσοῦτον χαίρει Θεὸς, ὅσον ἀνθρώπου διορθώσει καὶ σωτηρίᾳ, ὑπὲρ οὗ λόγος ἅπας, καὶ ἅπαν μυστήριον. *Nullâ re Deus perinde delectatur, ut hominis, pro quo omnis sermo, & omnia mysteria, resipiscentiâ & salute.* d P. 636.

Vide & quæ disserit Nazianzenus orat. xxvi. de Moderatione in disputationibus servanda: ubi fusè tractat de bonitate Dei, tum in iis, quæ ad terrestrem, tum quæ ad spiritualem vitam pertinent, atque alia inter ait *e*, Πολλῶν ὄντων ἐφ' οἷς θαυμάζεται, οὐδὲν οὕτως, ὡς τὸ πάντας εὐεργετεῖν, ἰδιώτατον. *Cum* [Dens] *multis nominibus admirabilis nobis, & suspiciendus occurrat; nihil tamen tam proprium habet, quam omnes beneficiis afficere.* e P. 459.

Ambrosius lib. iii: De interpellatione David cap. ii: *Quàm bonus, inquit David, Deus Israël rectis corde! Non ergò omnibus bonus est Deus? Ille quidem omnibus bonus est, quia Salvator est omnium hominum, maximè fidelium. Et ideo venit Dominus Jesus, ut salvum faceret, quod perierat. Venit ergò, ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis ulceris; ideo volentes curat, non adstringit invitos. Accipiunt ergo sanitatem, qui medicinam expetunt. Illi autem, qui refutant medicum, nec requirunt,*

runt, bonitatem medici, quam non experiuntur, sentire non possunt. Qui autem curatur, etiam sanatur. Ideoque iis bonus est medicus, quos sanavit: iis ergo bonus Deus, quibus peccata donavit. Qui autem insanabile peccatum habet mentis suæ ulcere, quomodo potest medicum bonum æstimare, quem refugit? Pulchre itaque Apostolus, ut præmisimus, explanavit, quia & omnibus bonus est Deus, qui vult, omnes homines salvos fieri; & maxime fidelibus divinæ bonitatis prærogativa servatur, quibus & voluntas Dei opitulatur, & gratia.

Hilarius diaconus, sive alius apud Ambros. scriptor Comm. in epist. Pauli ad Rom. cap. III: *Hoc dicit, quia in Christo proposuit Deus, id est, disposuit, se propitium futurum humano generi, si credat.* Idem in cap. IX: *Non injuste judicat, qui omnes vult salvos fieri, manente justitiâ.* Idem ad I Tim. II: *Si Deus utique, qui omnipotens dicitur, omnes homines salvos vult fieri, cur non impletur ejus voluntas? sed in omni locutione sensus est, conditio latet. Unde dicit Petrus Apostolus, Omnis scriptura indiget interpretatione. Vult enim Deus, omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult, ut nolentes salventur; sed vult, illos salvari, si & ipsi velint. Nam utique Legem omnibus dedit, nullum exceptâ salute. Nunquid non medicus idcirco proponit in publico, ut omnes se ostendat velle salvare, si tamen ab ægris requiratur?* Quæ hujus scriptoris verba, tanquam Ambrosii, etiam citat & probat Rupertus Tuitiensis lib. de omnipotentia Dei cap. XII.

a P. 1556. edit. Com. Chrysostomus in I Tim. cap. II: a Μιμοῦ τὸν Θεόν· εἰ πάντας θέλει σωθῆναι, εἰκότως ὑπὲρ ἁπάντων δεῖ εὔχεσθαι. εἰ πάντας αὐτὸς ἠθέλησε σωθῆναι, θέλε καὶ σύ· εἰ δὲ θέλεις, εὔχου. *Imitare Deum tuum: si omnes ille vult salvos fieri, meritò pro omnibus oportet orare: si omnes ille vult salvos fieri, velis & tu: si & tu vis, ora pro iis.* Jubet eum Apostolo Chrysostomus, ut oremus pro omnibus & singulis, quia Deus omnes & singulos velit salvari. Hoc faciendo dicit nos imitari Deum, quia voluntas nostra cum divinâ voluntate concordat. At quomodo imitamur Deum, aut nostra voluntas congruit cum divinâ, si nos singulos velimus salvari, eoque pro singulis oremus, Deus contrà non vult singulos salvare, sed tantùm ex quocunque genere aliquos? Similia habet T. 3. homiliâ ultimâ b, quæ est de ferendis reprehensionibus & conversione Pauli: si modo ea Chrysostomi fuerit: nec enim Græce arbitror inveniri, ac ne interpretis quidem nomen scitur. Circa ejus finem hæc legas: *Si Deus vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea, quæ alioquin efficacia sunt: non quia infirma sit ejus voluntas, sed quia cogere neminem vult.* Et post pauca: *Ipse quidem vult, omnes salvos fieri* c*: at non omnium voluntas ejus voluntati obsequitur. Unde & ad Hierusalem sic dicit: Hierusalem* d*, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Quid ergo? Ecce* e *relinquetur domus vestra deserta: Vides quod Dominus salvare nos vult: nos autem, quia nos ei non adjungimus, manemus in interitu. Deus enim paratus est ad salvandum hominem, sed voluntarium.* Sed quia de homiliæ istius scriptore non immeritò ipsi dubitamus: potius vide sis Chrysostomum in c. XXV. Matth. homil. LXXX. item T. V. epist. V. quæ est parænesis ad Theodorum lapsum. Utrobique ait, hominem à Deo condi, non in hoc, ut in gehennam conjiciatur, sed ut regnum participet: verùm, dum se regno indignum reddit, detrudi in gehennam; qui alioqui diaboli, non hominum causâ factus sit. Inprimis autem consideratione merentur, in quibus distinctionem illam agnoscit divinæ voluntatis; de quâ superiùs dicebamus. Est verò de hac memorabilis Chrysostomi locus in epist. ad Ephes. cap. I. homil. I: f Κατὰ τὴν εὐδοκίαν, φησὶ, τοῦ θελήματος αὐτοῦ· Τουτέστιν, ὥστε σφοδρῶς θέλομεν, ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ, ὡς ἄν τις εἴποι, αὕτη ἐστί. πανταχοῦ γὰρ εὐδοκία, τὸ θέλημά ἐστι τὸ προηγούμενον. ἔστι γὰρ καὶ ἄλλο θέλημα· οἷον θέλημα πρῶτον, τὸ μὴ ἀπολέσθαι ἡμαρτηκότας· θέλημα δεύτερον, τὸ γενομένους κακοὺς ἀπολέσθαι. οὐ γὰρ δὴ ἀνάγκη αὐτοὺς κολάζει, ἀλλὰ θέλημα. Τοῦτο καὶ ἐπὶ Παύλου ἐστὶν ἰδεῖν, οἷον ὅταν λέγῃ, Θέλω πάντας ἀνθρώπους εἶναι, ὡς καὶ ἐμαυτόν. θέλω πάλιν, νεωτέρας γαμεῖν, τεκνογονεῖν. Εὐδοκία οὖν τὸ πρῶτον θέλημα, φησί, τὸ σφοδρὸν θέλημα, τὸ μετὰ ἐπιθυμίας θέλημα, ὃ ἐφ' ἡμῶν. (οὐ γὰρ παραιτήσομαι καὶ καινοτέρᾳ λέξει χρήσασθαι σαφηνείας ἕνεκεν τῶν ἀφελεστέρων.) ὃ λέγομεν ἡμεῖς πεῖσμα, καὶ κατὰ τὸ πεῖσμα ἡμῶν· τουτέστι, σφόδρα ἐφίεται, σφόδρα ἐπιθυμεῖ τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας. Τίνος ἕνεκεν οὕτω φιλεῖ; ἀπὸ ἀγαθότητος μόνης. ἡ γὰρ χάρις ἀγαθότητός ἐστι. *Secundum propositum, inquit, voluntatis suæ. Hoc est, propterea quod valde velit. Hoc est, ut ita dicam, ejus desiderium. Ubique enim* εὐδοκία *(hoc enim vocabulum hic usurpat Paulus) est voluntas princeps & quæ præcedit. Est enim etiam alia voluntas. Ut puta, voluntas prima est, ut non pereant, qui peccarunt. Voluntas secunda est, ut qui facti sunt mali, pereant. Non enim eos castigat necessitas, sed voluntas. Id etiam videre licet in Paulo, ut quando dicit, Volo, omnes homines esse sicut me ipsum. Volo rursus juniores nubere, filios procreare.* Εὐδοκία *ergò, prima, inquit, voluntas, vehemens voluntas, voluntas quæ est cum desiderio, quæ est in nobis. (non enim recusabo dictione uti recentiore, ut simplicioribus res sit dilucidior.) quam, inquam, nos dicimus* πεῖσμα, *&* κατὰ τὸ ἡμῶν πεῖσμα, *& convenienter nostræ persuasioni. id est, valde cupit, valde desiderat nostram salutem. Cur sic diligit? A solâ bonitate. Gratia enim est bonitas.* Idem docet comment. ad Hebr. cap. X. homil. XVIII. a Nam cùm dixisset, divinum ejus epistolæ scriptorem ante omnia quidem commendare virginitatem aut cælibem vitam: sed quandoquidem luxuriarentur quædam contra Christum, jubere ut tales nubant, & liberos gignant: prius illud esse voluntatem προηγουμένην sive antecedentem: magisque propriè dici voluntatem, quàm ἐπιταγμένην βούλησιν, sive imperatam voluntatem, quæ ex peccato postea occasionem cœpit: similiterque addit, se rem habere, cùm dicit Deus nolle mortem peccatoris, sed ut se convertat & vivat: quo indicat, hoc de voluntate Dei προηγουμένῃ debere intelligi, non eâ quæ ob finalem hominis impœnitentiam consequitur. Verba Chrysostomi apponam: *Sicut dicit Paulus, Volo omnes homines sicut me ipsum esse in continentiâ: & rursus dicit, Volo juniores nubere, liberos procreare. Duas ponit voluntates* b*: sed non ambæ sunt ejus, etiamsi jubeat. sed hæc quidem est ejus, & ideo ponit eam seorsum: illa autem non est illius,* ETIAMSI VELIT c, *& ideo adjecta est cum causâ. Nam cùm prius eas accusasset, quòd contra Christum essent luxuriatæ, tunc dicit, Volo, juniores nubere, filios procreare. Ita hic quoque non erat ejus antecedens* d *ac primaria voluntas, quòd fierent sacrificia,* SICUT ETIAM DICIT, SE NOLLE MORTEM PECCATORIS, *sed ut ipse convertatur & vivat. Dicit autem alibi, se non solum voluisse, sed etiam desiderasse. Atqui imperata* e *voluntas est contraria. Quomodo ergò* NON VIS? *quomodo alibi* DESIDERAS? *Quod quidem signum est, quod* VALDE VELIS. *Ita & hic.* Geminus locus ejusdem Chrysostomi tom. 5. epist. 5. quæ est parænesis prior ad Theodoretum lapsum; *A lapsu tam pernicioso perquam amanter eos (Galatas) recepit (Apostolus.) Nam dicit, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. ostendit nimirum, vel ab ultimâ destructione posse Christum superiorem reformari in nobis. Non vult enim mortem peccatoris; sed ut revertatur & vivat. Revertamur itaque, amicum caput, & voluntatem Dei perficiamus. In hoc quidem nos creavit, ac in istud esse produxit, quo nos æternis bonis participaret, atque tribueret regnum cælorum, non ut in gehennâ detrudat, aut ignibus dedat, qui quidem facti sunt propter diabolum, non propter nos, non aliter atque nostri gratiâ paratum est regnum cælorum. Utrumque subindicat, cum dicit illis, qui à dextris adstabunt, Venite, benedicti patris mei, possidete regnum patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi: à sinistris autem constitutis, Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui para-*

tus

b In Frobeniana edit. a. 1547. sed in operu Billeri exstat p. 331.

c 1 Tim. 2.

d Luc. 13. 3.

e Ibid.

f Pag. 1036. edit. Commel.

a Pag. 1876. edit. Commel.

b Δύο θελήματα τίθησι.

c Εἰ καὶ βούλεται. Quomodo non est ejus βούλησις, εἰ βούλεται? Sed loquitur de principe voluntate, quale sola antecedit, quæ non habitu rationem ex hominis subsequenti.

d Οὐκ αὐτοῦ θέλημα ἦν προηγούμενον.

e Καὶ μὴν τὸ ἐναντίον ἐπιταγμένη βούλησις ἐστι. Πῶς οὖν θέλεις; πῶς ἀλλαχοῦ ἐπιθυμεῖς, ὅ ἐστι σφόδρα θέλειν; Οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα.

tus est; non addit, vobis, sed, diabolo & angelis ejus. Quâ de causâ non est gehenna instituta propter nos, sed propter adversarium & angelos ejus: regnum autem cælorum ab exordio mundi propter nos adornatum, modò ne nos reddamus indignos ad hoc, ut cum sponso ingrediamur. Similiter Theodoretus in illud Pauli ad Romanos cap. IX. *Major serviet minori.* & illa, *Jacob dilexi.* Oecumenius Rom. VIII. ad illa verba, *Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt.* & illud, *Quoniam quos præscivit, etiam prædestinavit.* Theophylactus in eundem Apostoli locum. Item in illud Matth. XXII. *Multi vocati.*

Hieronymus adversus Pelagianos extremo lib. II: *Miseratur humano generi Deus, & non vult perire, quod fecit.* Idem in capitis primi ad Ephesios verba illa, *Secundum propositum ejus, qui universa operatur, secundum consilium voluntatis suæ &c. Vult Deus, quæcunque sunt plena rationis atque consilii: vult salvari omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur; (liberi enim arbitrii sumus) vult, nos bonum velle; ut cum voluerimus, velit in nobis & ipse suum implere consilium.* Idem ad Ezechielis XVIII, 23; *Ergò Dominicæ voluntatis est, omnes salvos fieri, & ad notitiam veritatis venire; ubicunque autem Dei videtur severa & truculenta sententia, non homines, sed peccata condemnat.* Theodoretus ad Ezech. XVIII, 23; *Non mortem, inquit, iniqui, sed pœnitentiam cupio. Neque enim ut punirem, hominem ipsum creavi, sed ut cum eo vitam communicarem. Et rebus verba testimonia dant. Siquidem neque Prophetas suo Numine afflâsset, aut Apostolos misisset & scriptas leges tradidisset, polliceretur que bona, & gehennam minaretur, si punire cuperet; sed permisisset homines eo ferri, quocunque vellent. Nunc autem omnia hæc facere perseverat, ut ab iis calamitatibus, quas minatus est, vindicet.* Idem præfat. in XII. proph. *Non eo Deus pœnas minatur, ut eas, quibus minatur, inferat; sed ut metu perterrefactos ad resipiscentiam revocet, &, cum nequitiâ, quam committunt, eos liberaverit, eis salutem adferat: non enim minatus fuisset, si punire vellet. Comminationibus agit, ostendit, se servare, non perdere velle.*

Augustinus serm. XXXVIII. de Sanctis: *Hoc est auditum malum, quod audituri sunt impii: Discedite à me, maledicti in ignem æternum. Inevitabilis enim sententia erit, quæ à piissimo Deo ideo multo ante prædicitur, ut à nobis totis viribus caveatur. Si enim nos Deus noster vellet punire, non nos ante tot secula commoneret. Invitus quodammodo vindicat, qui, quomodo evadere possimus, multo antè demonstrat. Non enim te vult percutere, qui tibi clamat, Observa.* Sed de Augustini mente, quia non desunt, quæ objici possunt, pleniùs aliquanto dicendum est nobis. Sanctissimus & doctissimus ille antistes quadrifariam interpretatus fuit verba illa Apostoli *a*, *Deus vult*
a 1 Tim. 2. *omnes homines salvos fieri.* Primùm, ut dicatur, velle omnes salvare; quia nullus fit salvus, quem non velit Deus salvare. Nempe quâ ratione dicere solemus, Præceptor hic omnes in civitate Musicam docet: non quasi omnes Musicam discant, sed quia discentium fit nullus, qui non ab eo discat. Ita interpretatur epist. CVII. ad Vitalem, in Enchir. ad Laurentium cap. CII. lib. de prædest. sanct. CVIII. lib. de corrept. & grat. cap. XIV. lib. IV. contra Jul. c. VIII. item scriptor Hypognosticon lib. VI. circa finem. Altera interpretatio est, ut *omnes* accipiatur distributivè pro generibus singulorum: ut sententia sit, ex omni natione, ætate, sexu, ac conditione Deum velle aliquos salvare: quomodo dicitur omne animal fuisse in arca Noe, hoc est, cujuscunque speciei animal. Sic exponit Augustinus in Enchirid. ad Laurent. cap. CIII. uti & Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. Christi cap. XXXI. Item Beda, Anselmus, aliique. Tertia expositio est, ut eò dicatur velle omnes salvari, quia facit ut salventur qui salvantur; quomodo ad Rom. VIII. legitur, *Spiritus postulat pro nobis:* h. e. postulare facit. Sic explicat August. lib. de corrept. & grat. cap. XV. & Anselmus libello de Dei voluntate: quos inter tamen hoc discriminis est, quòd Augustinus explicet, Vult omnes salvari, quia facit ut salventur omnes sancti; Anselmus autem, Vult salvari omnes, quia facit ut sancti velint salvari omnes. Verba enim Anselmi sunt, *Vult omnes salvos fieri, est dicere, Facit, sanctos velle ut omnes salvi fiant.* Et mox; *Voluntas Dei accipitur pro voluntate sanctorum, qui volunt & injustos caritative salvari.* Atque hæ omnes interpretationes in eo conveniunt, ut intelligatur voluntas absoluta sive consequens. Quarta ejusdem Augustini interpretatio est, ut loquatur Apostolus de voluntate antecedente & conditionatâ. quomodo judex voluntate antecedente vult hominem omnem vivere, hoc est, quatenus hominem considerat ante peccatum: sed voluntate consequente vult, hunc vel illum morte mulctari: quatenus nempe spectat, ut adulterum, aut homicidam. Ita interpretatur August. etiam in iis scriptis, quæ post exortam Pelagii hæresin scripsit. Uti in libro de spiritu & literâ ad Marcellinum cap. XXXIII. Ubi hujusmodi quæstio proponitur: *Si voluntate quærimus, de hac quæritur unde sit. Si naturâ, cur non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator. Si dono Dei, etiam hoc, quare non omnibus, cùm omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Ad hanc quæstionem sic respondet: *Vult Deus, omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel male utentes justissime judicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratiâ, Volo ut hi omnes servi mei operentur in vineâ, & post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat: videtur quidem, quicunque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest sub Dei voluntate.* Etiam Anselmus in libello qui de voluntate Dei est; *Approbans in Deo voluntas est, quâ vult, omnes sanctos fieri; quoniam nullum prohibet, quantum ad se, salvum fieri: immò, si quis adhoc adlaboret, adprobat.* Et circa finem, (nisi fortè alius ista quæ ex Gregorio citantur attexuit.) *Vult omnes salvos fieri, id est, non cogit aliquem damnari.*

Quanquam verò ex his satis liquet, non rejecisse Augustinum (uti nec Anselmum) interpretationem eorum, qui Apostolum de antecedente Dei voluntate loqui putarent: tamen post obitum ejus variæ in Galliis calumniæ spargebantur, quasi ἁπλῶς docuisset, Deum nolle omnes salvare, sed majorem hominum partem creare, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem: imò quasi voluntas Dei sit, ut magna Christianorum pars salva esse nec velit, nec possit. Calumniis istis occurrit B. Prosper, optimus Augustinianæ sententiæ interpres: ex quo idcirco ista ad verbum descripsimus.

In Præfatione responsionum ad Objectiones Vincentianas: *Contexunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, adserentes, talia in nostro esse sensu, qualia diabolice continentur indiculo: quæ falsò in nos, ad excitandam invidiam, jactitari, facile & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis, nisi malignitas eorum, qui se gravari putant, si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura.* In diabolico verò illo prodigiosorum mendaciorum indiculo objectio secunda hujusmodi erat: *Quòd Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint.* Respondet Prosper inter alia, *Remotâ discretione, quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissimè credendum atque profitendum est, Deum velle*

velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum: quod multi salvantur, salvantis est donum.

Objectio tertia est: *Quòd Deus majorem partem generis humani ad hoc creat, ut illam perdat in æternum.* Respondet idem, *Omnium quidem hominum Deus creator est: sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret: quia alia est caussa nascendi, alia pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium: ut autem pereant, prævaricatoris est meritum.*

Objectio quarta est: *Quòd major pars generis humani ad hoc creetur à Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.* Respondet, *Insanum omnino & contra rationem est, dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri: & damnatorem diaboli, ejusque famulorum, velle ut diabolo serviatur.*

Objectio septima est: *Quòd hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit.* Respondet, *Nullo modo credendum est, homines in hujusmodi desperationem* (ut salvi esse nolint, & quamdiu salvi esse nolunt, salvi esse non possint) *ex Dei voluntate cecidisse, cùm potius allevet Dominus omnes, qui corruunt, & erigat omnes elisos. Dei ergo voluntas est, ut in bonâ voluntate maneatur: qui & priusquam deseratur, neminem deserit: & multos desertores sæpè convertit.*

Objectio duodecima est: *Quòd Dei prædestinatione efficiantur de Filiis Dei filii diaboli, & de templo Sancti Spiritus templa dæmonum, & de membris Christi membra meretricis.* Respondet: *Deus nec quæ illuminavit, obcæcat; nec quæ ædificavit, destruit; nec quæ plantavit, evellit. Sine pœnitentiâ enim sunt dona & vocatio Dei. Nullo igitur modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex Filiis Dei filii sint diaboli. Hi autem, de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est caussa standi, nemini est caussa labendi.*

Objectio decimasexta est: *Quòd magna pars illa fidelium atque sanctorum, quæ ad æternam mortem prædestinata est, quando dicit Deo in oratione Dominicâ, Fiat voluntas tua, nihil aliud, quàm contra se petat: id est, ut cadant & ruant, quia voluntas Dei hæc est, ut æternâ morte pereant.* Respondet: *Si per generalitatem vocationis, & per abundantiam bonitatis Dei etiam non perseveraturis perseveraturi admixti sunt, hi cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex suâ voluntate deficiunt, nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deserant: casuri tamen & recessuri ab eo, qui falli non potest, præsciuntur.*

Hæc satis ostendunt, nec si locum Apostoli ad Timotheum de consequenti voluntate interpretemur, eo sequi, Deum voluntate antecedenti damnare quemquam velle: imò quod ex diametro huic adversatur sententiæ, clarè ait Prosper, nullos prædestinari ad peccandum, sed peccatum multorum præsciri, & quia præscientur peccaturi, eo nec ad vitam prædestinari. Quod & clarè adstruunt hæc verba, quibus libellum claudit: *Qui* VOLUNTATEM DEI SPREVERUNT INVITANTEM, VOLUNTATEM DEI SENTIENT VINDICANTEM. Atqui invitatio ad salutem, cùm in Deo non possit esse non seria, omnino argumento est, velle Deum, ut homo se convertat & vivat. Aliis igitur verbis idem dixit Prosper, quod Chrysostomus, cùm is ait, Deum velle omnium salutem voluntate antecedenti: reproborum nolle voluntate consequenti. Nam *invitans voluntas*, ut loquitur Prosper, non est alia ab antecedente, nec *vindicans*, à consequente: quorum hanc à justitiâ manare clarum est, illam verò esse *generalis vocationis, & ab abundantiâ bonitatis Dei* proficisci, paullo antè idem dixerat Prosper.

Sed imprimis operæ fuerit audire scriptorem de vocatione gentium: quando optimus & doctissimus Henricus Bullingerus *a* omnes à concertationibus alienos, nec vel (a Comm. in 1 Tim. 2.)
Deo peccatum, vel homini bonum spirituale tribuere volentes, eo ex scriptore geminam antiquitatis sententiam discere, atque illam, tanquam inter Scyllam & Charybdim, tutissimam insistere viam jubet. Sic igitur Theologus ille antiquus lib. I. cap. I: *Quæritur, Utrùm velit Deus, omnes homines salvos fieri. Et,* QUIA HOC NEGARI NON POTEST, *cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur.* Et mox: *Quæritur, cur hoc donum, sine quo nemo salvus est, ab eo, qui omnes salvari vult, non omnibus conferatur.* Quam ad quæstionem sic respondet cap. VIII: *Fixâ hac fide in cordibus nostris, immobiliterque fundatâ, quâ saluberrimè credimus, omnia bona, ac maximè ea, quæ ad æternam vitam provehunt, Dei munere custodiri, puto quod pius sensus non debeat in eâ quæstione turbari, quæ de omnium, & de non omnium hominum conversione generatur: si ea, quæ clara sunt, non de his, quæ occulta sunt, obscuremus, & dum procaciter insistimus clausis, excludamur ab apertis, cùm sufficere debeat, ut in eo, quò pervenimus, ambulemus.* Ubi pro *conversatione*, quomodo in excusis legitur, scripsimus *conversione*; sententiâ hoc requirente. Nam continuò sequitur, *Quid enim mirum, si quidam ad vitæ sacramenta non perveniant? de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Est igitur mens hujusce scriptoris, quòd non convertantur omnes, quos Deus vult salvari, id esse à caussis in divinâ præscientiâ ac prædestinatione latentibus: nec quia, quòd occultum est, nescitur, eò negari debere, quod apertum est; quale est illud, quòd non omnes salventur, quamvis Deus omnes salvari velit. Atque hoc pleniùs cognoscimus ex cap. XII. & XIII. ubi sic scribit, *Sed cùm legerint hæc, vel audierint, qui amant calumniosa certamina, dicent, nos per hujusmodi disputationes Apostolo contradicere, definienti, quòd Deus omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quam particulam verborum Apostoli ita nos* INTEGRE PLENEQUE SUSCIPIMUS, *ut nihil de præcedentibus, sive subjectis, quæ ad ipsam pertinent, subtrahamus.* Et post aliqua: *De hac doctrina Apostolicâ regulâ, quâ* ECCLESIA UNIVERSALIS *imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid ipsa* UNIVERSALIS *ecclesia sentiat, requiramus.* Et paullo pòst: *Supplicat ergò* UBIQUE *Ecclesia Dei non solum pro sanctis, & in Christo jam regenitis, sed etiam* PRO OMNIBUS INFIDELIBUS, ET INIMICIS CRUCIS CHRISTI. Et initio cap. seq. *Quod si aliquos (sicut videmus accidere) salvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad* OCCULTA DIVINÆ JUSTITIÆ *referendum est.* Et cap. XIX: *Omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, secundum eas mensuras, quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus.* Vide & cap. XXIII.

Et hæc satis ostendunt, quid eruditus ille, & edecumati planè judicii scriptor senserit. Nunc ad alios nos convertamus.

Primasius in illud 1 Tim. II. *Deus omnes homines vult salvos fieri: Constat Deum omnia bona velle, sed homines suo vitio præcipitantur in malum.* Item: *Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, omnium hominum Deus est, & ideo cupit omnes salvari, quos fecit.*

Arnob. in Psalm. xc: *Constat, Deum velle, omnes homines salvos fieri: unusquisque autem proprio fit iniquus arbitrio.*

Bernardus super Cantica serm. LV; *Per hinnulum, salientis desiderium; & per capream, eligentis exprimitur judicium. Christus nempe justus & misericors, salvator & judex; & quia amat, vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem venire; & quia judicat, novit qui sunt ejus, & ipse scit quos elegit à principio.*

Da-

Damascenus lib. II. Orth. fid. c. XXIX: Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ Θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν. οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ μετασχεῖν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ ὡς ἀγαθός. ἁμαρτήσαντας δὲ θέλει κολάζεσθαι ὡς δίκαιος. Λέγεται οὖν τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν. τὸ δὲ δεύτερον ἑπόμενον θέλημα, καὶ παραχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας. *Sciro vero oportet, Deum antecedenter velle, omnes salvari, & ejus regno potiri. Neque enim ad pœnam nos condidit, sed ut bonus bonitatis suæ participes nos reddat. Peccantes autem puniri vult, ut justus. Dicitur igitur prima, præcedens voluntas & beneplacitum ex ipso existens: secunda vero voluntas sequens, & permissio ex nobis caussam habens.* Idem Damascenus contra Manichæos *a*: Ἀγαθὸν δὲ ἡ δικαιοσύνη. οὐ γὰρ θέλων κρίνει, ἀλλ᾽ οὐ ΚΑΤΑ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΟΝ ΘΕΛΗΜΑ, ἀλλὰ ΚΑΤΑ ΕΠΟΜΕΝΟΝ. Προηγούμενον μὲν ἐστι θέλημα, ὅπερ τις ἀφ᾽ ἑαυτοῦ θέλει· ἑπόμενον δὲ, ὅπερ ἐκ τῆς τῶν γινομένων αἰτίας. Προηγουμένως γὰρ ἐξ ἑαυτοῦ θέλει ὁ Θεὸς πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν· ἁμαρτάνοντας δὲ ἡμᾶς, θέλει παιδεύεσθαι ἡμᾶς πρὸς τὸ συμφέρον. Καὶ τὸ μὲν προηγούμενον θέλημα τοῦ Θεοῦ, τῆς ἀγαθότητός ἐστι· τὸ δὲ ἑπόμενον, τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. *Bonum vero quid est justitia. Quamvis enim volens judicat, non tamen id facit ex* VOLUNTATE ANTECEDENTE, *sed* CONSEQUENTE. *Voluntas* ANTECEDENS *est, quod quis a se ipso vult.* CONSEQUENS, *quod ex eorum, quæ fiunt, caussâ proficiscitur. Nam præcedente voluntate vult Deus omnes salvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire: verùm nobis peccantibus, vult nos castigari prout conducit. Ac præcedens quidem voluntas Dei, bonitatis est: sequens vero est justitia ejus.*

a P. 375. edit. Leunclaviana, Bas. an. 1578.

Theophylactus in illud Joh. III, 16. 17; *Sic Deus dilexit mundum:* Προηγουμένως ἐπὶ τὸ σῶσαι τὸν κόσμον ἦλθε. καὶ τοῦτο σκοπὸς ἦν αὐτοῦ. κατὰ συμβεβηκὸς δὲ κρίνει τοὺς μὴ πιστεύσαντας. Ὁ μὲν γὰρ Μωσαϊκὸς νόμος προηγουμένως εἰς ἔλεγχον τῆς ἁμαρτίας ἦλθε καὶ κατάκρισιν τῶν παραβαινόντων. οὐδενὶ γὰρ συνεχώρει, ἀλλ᾽ ἅμα τι εὗρεν ἁμαρτάνοντά τι, καὶ ἅμα τὴν δίκην ἐπῆγεν. Ἡ μὲν οὖν πρώτη παρουσία οὐκ εἶχε σκοπὸν τὸ κρίνειν, εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς τοὺς ἀπιστοῦντας. οὗτοι γὰρ ἤδη κέκρινται. *Voluntate antecedente ad hoc venit, ut mundum servaret: atque hæc intentio ejus fuit: per accidens autem judicat eos, qui non crediderunt. Lex enim Mosaica præcessit, ut reprehenderet peccatum, & condemnaret prævaricantes. Nulli enim ignoscit, sed simul atque invenerit peccantem in aliquo, pœnam infert. Itaque primus adventus* [Christi] *non propter judicium factus, nisi per accidens, judicans eos qui non crediderunt, qui jam judicati sunt.*

Oecumenius ad I Tim. 2: Εἰ θέλει ὁ Θεὸς (πάντας εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν,) τί μὴ γίνεται ὃ θέλει; Οὐ γίνεται, ὅτι ἐκεῖνοι οὐ θέλουσιν· Οὐδὲν γὰρ πρὸς ἀνάγκην ποιεῖ ὁ Θεός. *Si Deus vult (omnes in cognitionem veritatis venire,) cur non fit, quod vult? Non fit, quia illi nolunt. Nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.* Idem itidem ad hunc locum; *Imitare*, inquit, *Dei propositum. Ipse enim vult omnes homines salvos fieri: & tu pro universis precare hominibus.*

Operæ etiam est audire Anselmum: qui, quam Chrysostomus & Damascenus primam & antecedentem vocant voluntatem; eam ipse appellat voluntatem misericordiæ: quamque illi nominant voluntatem secundam, vel consequentem, hanc idem vocat justitiæ voluntatem. Sic enim scribit in Matth. c. VI: *Duæ sunt voluntates in Deo: una misericordia; quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, quâ omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in liberâ voluntate illorum positum est. Est alia, quæ est de effectibus rerum, de quâ dicitur: Omnia, quæcunque voluit, fecit. Huic nemo potest resistere. de quâ dicitur: Voluntati ejus quis resistit? Hæc providentiæ concordat semper: alia vero non semper. Si enim velit per misericordiam de aliquo pravo quod sit justus, & conferat ei gratiam suam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei consentiat: hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen scit, non consensurum. Quæ autem de effectibus est, alia est permittens, alia approbans. Permittens est, quod efficiat malum, quandocunque vult. Approbans autem est, quod faciat bonum, quandocunque vult. Et utraque est ex justitia. Itaque homines resistunt voluntati misericordiæ, & non resistunt voluntati justitiæ. In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei. Sed non est; quia licet sit percussus, tamen voluntas erat libera, ut resisteret, si vellet. In cœlo sunt omnes Dei voluntates, & nullus ibi voluntati Dei resistit, sed in terrâ multi contradicunt voluntati Dei: illi scilicet, quæ est ex misericordiâ. Cùm enim vellet pravos etiam salvare, si vellent; tamen ipsi contradicunt operibus huic voluntati. Orat ergò iste, quod, sicut voluntas Dei est in omnibus civibus cœli, ita faciat se & alios terrenos tales, qui nullo modo voluntati Dei resistant: quod in nullo perfecte completur, nisi in cœlesti vitâ: & tamen aliquo modo in hac vitâ completur in sanctis, etsi non per omnia, quia nullus sine maculâ vivere potest.*

Eadem mens B. Bernardi serm. v. in natali Domini: *Deus ex se sumit seminarium miserendi. Quod judicat & condemnat nos, eum quodammodo cogimus, ut longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animadversio procedere videatur.* Idem serm. I. in purif. Mar. *Omnibus offertur, & in commune posita est Dei misericordia: nemo illius expers est, nisi qui renuit.* Quod dictum memorabile vocat Matth. Dresserus lib. de Festis *a*, atque addit, *Hinc satis perspicuum esse, non procul Bernardum abfuisse ab eâ luce, quam Christi conciones & Apostolorum scripta præbent.* a P. 149.

Quamquam verò præstantissimi illi Ecclesiæ doctores crediderunt, Deum seriò & minimè simulatè velle, ut omnes salventur: nunquam tamen hanc Dei voluntatem (uti seculo nostro Samuel Huberus fecit) electionem nominant universalem: quippe, qui loqui mallent cum Scripturis, dicentibus: *Multos esse vocatos, paucos electos:* qui item scirent, Electionis vocem repugnare universalitati; ut quæ indicet separationem: quemadmodum rectè monet Bonaventura, lib. I. Dist. XL. qu. 2. art. 2. *Notandum*, inquit, *quod in Deo idem sunt propositum, prædestinatio, & electio secundùm rem: tamen differunt secundùm rationem intelligendi. Nam propositum simpliciter dicit voluntatem faciendi aliquid. Ille enim dicitur proponere, qui firmiter vult aliquid facere. Electio verò, & prædestinatio addunt suprà conceptionem, sed differenter: quia prædestinatio addit ordinem & directionem in finem: sed electio discretionem sive separationem à suo opposito. Unde propositum dicit firmam voluntatis conceptionem: prædestinatio cum conceptione dicit præordinationem, & electio quandam discretionem.*

At enim dicat aliquis, ut electio dici universalis non possit, prædestinationem tamen posse, quia si Deus salutem omnium velit, ad salutem etiam omnem destinet hominem, utut multi fine istoc suâ excidant culpâ. Verùm, ut dixi: nobis loquendum cum Scripturâ, quæ prædestinationem, quando eam personis aptat, solam novit electorum ad vitam. Ut Rom. VIII. 29: Οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Et vers. 30. Οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε. Et Eph. I. 5: προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν. Et vers. II: προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν. Itaque & Budæus *b* autor est, προωρισμένους Latinè dici posse selectos Dei, & designatos, hoc est, ἀπολέκτους, ἀφωρισμένους, ἀποτεταγμένους. Sanè scriptores antiqui omnes prædestinationem, vel de electis tantùm accipiunt: vel si qui etiam ad reprobos extendant, non eos ad peccatum, sed supplicium prædestinatos dicunt; quo de loquendi modo inferiùs dicemus.

b Comm. Lin. Gr. p. 710. edit. R. St.

Sed ut Huberus, saltem si vocabula spectes, nimis gratiam extendit, cùm reprobos etiam in electorum numerum reponit: ita è contrario nimis illam restringunt, qui nun aliam agnoscunt gratiam, quàm quæ ab absoluto fluat electionis decreto, certoque hominem ad æternam salutem perducat; cæteros verò, quos Deus hac gratiâ non dignatur, illi ab æterno fuisse exosos existimant: nec

alio conditos fuisse, quàm ut exitio ipsorum divina justitia appareret. Quorum hæc sententia est, hi adversus ea, quæ hactenus è sanctis Patribus adduximus, tanquam Gorgonis caput, objicere solent Apostolicum illud ad Rom. IX. 11. 12. 13: *Cum enim nondum essent nati, neque quicquam fecissent boni vel mali: ut propositum Dei, quod pertinet ad electionem, maneret: non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei, Major serviet minori. Sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau vero odio habui.* Eorum hanc sententiam esse dicunt, Esavum fuisse exosum Deo, non ob opera mala, quæ fecisset, ut qui, priusquam natus esset, odio habitus dicatur: neque ob opera futura, quia alioqui colligere Apostolus nequaquam valuisset, electionem non esse ex operibus, sed ex vocante: verùm quia sic Deo visum fuit, qui pro jure, quod ut figulus in lutum, ita ipse, tanquam creator, in creaturas habet, unum vitæ, alterum morti destinarit: atque illi iccirco fidem & caritatem decreverit donare: hunc verò absque ullo ullius, vel saltem sine actualis peccati respectu, à notitià verbi divini, & sanctificatione Spiritus sui statuerit excludere. Quæ sanè si ita sunt, corruunt, quæcunque legimus apud antiquos de serio & constanti affectu, quo Deus omnium singulorumque conversionem desiderat ac salutem. Quare cum, ut Hieronymus *a* ait, *commentatoris sit officium, multorum sententias ponere*; nostri vel maximè id muneris fuerit, ut quid varii Ecclesiæ doctores de Apostoli verbis senserint, exponamus.

a Lib. 1. adversus Rufinum c. 6.

ANASTASIUS episcopus Nicenus Quæstionibus in scripturam non pauca habet ad providentiam Dei pertinentia. Legantur quæ scribit ad quæst. 16. quæ est, An quæcunque mala faciunt nobis gentes, ea faciant jussu Dei. Item ad quæst. 17. quæ est, Utrùm omnes qui præcipitantur, aut demerguntur, aut obruuntur, ex divinis minis, & jussu hoc patiantur, an ex maligni operatione. Idem quæst. 29. docet, quomodo sit intelligendum, *Ego indurabo cor Pharaonis.* Summa responsionis eò redit, Lenitate Dei induratum Pharaonem, quia improbis dilatio flagellum facit, ut callum in nequitiâ contrahat animus. Similiterque eum locum interpretatur Faustus Rhegiensis libro 2. de gratiâ Dei & libero arbitrio, qui docet, simile planè esse loquendi genus, ac cùm heri famulis nequam dicunt, Ego mansuetudine meâ te pessimum feci. Ego meâ lenitate te reddidi superbum &c. Quod in domino est bonitatis testimonium, in improbitate servi fieri vitium. Eam interpretationem probat illis verbis sermonis divini: *Vidensque Pharao, eo quòd data esset requies, ingravavit cor suum.* Unde colligit, indultam requiem induràsse cor Pharaonis. Fusius hac de re ibidem disserit. Ipsum, si lubet, vide. Quodsi Fausti minor apud nos sit autoritas, quia ejus scripta inter apocrypha retulit Gelasius, & aliorum quoque multorum judicio Pelagianæ hæresi clam videtur favere; at Chrysostomus audiatur, qui eodem modo interpretatur. ut docet locus citatus ab eodem Anastasio quæst. 59. ubi quæritur, quomodo demum intelligendum sit, quod dicitur Deus indurasse cor Pharaonis. Etiam Basilius M. ita accepit. cujus verba citat Theobulus ad cap. 9. epist. ad Rom. Etiam Hieronymus in cap. 9. epist. ad Rom. ad illa verba, *Quodsi Deus, volens ostendere iram &c.* scribit in hunc modum: *Quia illum diu sustinuit, diu blasphemantem &c.* Et mox addit; *Competens responsum, quia patientia & ejus bonitas facit eos qui propriam habent voluntatem vivendi, sive vasa iræ, sive misericordiæ.*

Etiam Chrysostomus ad cap. idem: *Pharao*, inquit *b*, *Dei lenitatem ingentem nactus, melior nequaquam evadebat, sed incorrectus manebat: itaque illum non solum iræ vas vocavit, sed & ad perditionem præparatum, h.e. apparatum à se quidem & suopte ingenio:* NEQUE ENIM DEUS *quicquam prætermisit eorum, quæ ad illius correctionem emendationemque facerent: neque ille quicquam omisit eorum, quæ ipsum perderent, omnique veniâ privarent. sed tamen hæc Deus cùm probe nosset, tulit multâ lenitate, volens ipsum ad pœnitentiam adducere. &c.* Apostolus ex Mose citat, *Major serviet minori*: ex Malachiâ item, *Jacob dilexi, Esau verò odio habui*: ubi distinctè spectare convenit, quos Moses per majorem & minorem intelligat, & de cujusmodi dominio ac servitute loquatur: item quos Malachias signet per Jacobum & Esavum; cujusmodi denique dilectionem atque odium intelligat. Atqui per majorem minoremque apud Mosen non soli capiendi Jacobus & Esavus, sed unà cum ipsis posteritas comprehenditur. Item sermo est, non de prædestinatione ad vitam vel mortem æternam, sed dominio ac servitute hujus sæculi. Utrumque probatur ex Genes. XXV, 23. *Deus dicit*, DUÆ GENTES *sunt in utero tuo: &* DUO POPULI *ex ventre tuo dividentur*, POPULUSQUE POPULUM *superabit; & major serviet minori.* Idem liquet ex benedictione Isaaci factâ tum Jacobo Gen. XXVII. 29. *Et serviant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* tum Esavo, Gen. XXVII. 37: *Dominum tuum illum* (Iacobum) *constitui, & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi.* Et vers. 40: *Vives in gladio tuo, & fratri tuo servies: tempusque veniet, cùm excutias & solvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Denique idem cognoscimus ex prophetiæ hujus impletione. Nam 2 Sam. VIII. 14. legimus; *Et facta est universa Idumæa serviens David.*

Hæc loca satis ostendunt, tum sermonem esse de servitute corporali; tum non Iacobi aut Esavi personas significari, sed populum Israëliticum & Idumæum. Nam in stirpe ipsâ vaticinium istud impletum non est. Nunquam enim Esau servivit Iacobo: imò Iacob e Mesopotamiâ redux, aliquoties Esavum vocavit Dominum suum, eumque prono vultu & corpore septies honoravit, gratiamque ejus sibi muneribus est aucupatus; ut narratur Gen. XXXII. & XXXIII. In posteris verò impleta est prophetia: tum nempe cùm Edomæi subacti sunt ab Israëlitis: ut dicebamus antè ex 2 Sam. VIII. 14. Atque inde est quòd Deus disertim ait, Utero Rebeccæ duos inesse populos, & populum unum ab altero superandum; ut antè vidimus.

Similiter in verbis Dei apud Malachiam per Iacob & Esau intelliguntur Israëlitæ & Idumæi. Prophetæ enim verba hæc sunt: *Dilexi vos, dicit Dominus: & dixistis, In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus? & dilexi Jacob, Esau autem odio habui, & posui Seir montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in desertum draconis. Quodsi dixerit Idumæa, Destructi sumus: sed revertentes ædificabimus, quæ destructa sunt: hæc dicit Dominus exercituum; Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus, usque in æternum.* Discrimen facit Deus inter populum Israëliticum & Idumæum; quia, etsi utrique iratus fuit, utrumque item passus est a Chaldæis in exilium deportari; tamen Israëlitas, propter fœdus quod pepigerat cum Iacobo, post septuagesimum captivitatis annum in patriam reduxit & libertati restituit: Idumæos verò in captivitate reliquit, ac terram eorum, in solitudinem redactam, draconibus habitandam dedit. Unde liquet, verba illa, vers. 11, *Cum nondum nati essent*, non referri ad illa verba, *Jacob dilexi, Esau odio habui*; quia Malachias illa scripsit annis post mille amplius ducentis. Satis igitur liquet, loqui Prophetam de amore quo Deus complexus est Iacobi posteros, & odio erga posteros Esavi. Odisse verò more Hebræo ponitur pro minùs amare, vel alteri posthabere. quomodo Gen. XXIX, 31. Lea dicitur à Iacobo odio habita, hoc est, præ Rachele neglecta. Et Christus Luc. XIV. 26. ait; *Siquis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus.* Pro quo apud Matth. cap. X. 37. dicitur; *Qui amaverit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Similiter odisse dicitur Deus Idumæos comparatione Israëlitarum, quos majori fuerat gratiâ dignatus: ut quos non solum donàrit terra Canaan, sed inde abductos à Chaldæis, postea in patriam reduxerit.

b P. 196. edit. Commel.

Mini-

Minimè verò vel Mosen vel Malachiam loqui de prædestinatione ad vitam & mortem, multa satis clarè ostendunt. Nam si ea prophetiæ mens fuisset, intellexissent illud Jacobus & Rebecca. At hoc si esset, quo mœrore infantem lactasset mater; quibus oculis uterque parens intuiti semper puerum essent; quem gehennæ ignibus sempiternis destinatum nossent! Aliter igitur intellexerunt: nempe de externâ prærogativâ primigenituræ, & promissione terræ Canaan. Atque hæc de sensu literali. Certum verò est, Apostolum ex electione Israelitarum præ Idumæis allegoricè assurgere ad prædestinationem eam quæ sit ad bona spiritualia atque æterna. Quare deinceps considerandum est, annon Apostolus per verba allata allegoricè intellexerit electionem personalem ad vitam & reprobationem singulorum ad mortem. Hoc verò negant viri illi docti. Nam, inquiunt, cùm per Jacob non solus Jacob, sed omnes Israelitæ, nec per Esau solus Esau, sed Idumæi, simul intelligantur, sequeretur, cum Jacobo omnes Jacobi posteros esse salvatos, cum Esavo omnes Idumæos esse damnatos. At de Israelitis omnibus nemo hoc dicere ausit, cùm tot in populo Israelitico fuerint duri & incircumcisi cordis. Neque de Esavo & Idumæis verum hoc esse potest. Quid quod maximorum virorum ea sententia est, Esavum non esse condemnatum? Id verò inde colligere sibi posse videntur, quia circumcisione eum sunt dignati: ut constat ex Genes. XVII. 10. 12. at si scivissent, eum diaboli esse mancipium, sanè gratiæ divinæ signo talem dignantes, sacramentum profanassent. Idem inde probant, quia fratri sunt reconciliatus. Nam Genes. XXXIII. sepulturam patris cum fratre curavit: quod Conradus Pellicanus, Tigurinus professor, factum ait, *in signum pietatis, fidei & reconciliationis*: Nec post reconciliationem istam fratri unquam adversatus esse legitur. Audiamus quid hac de re senserit etiam servus ille Dei Martinus Lutherus comment. in Genes. c. XXXV: *Conveniunt*, inquit, *fratres Esau & Jacob ad sepulturam, & ponitur Esau in textu ante Jacob: neque vero dubium est, quin etiam antea visitarit patrem, & pater eum sæpe amanter castigarit, & monuerit, ut deponeret odium & vindictæ cupiditatem. Ideo venit ad funus, ut obedientiam & reverentiam suam erga patrem declararet. Et est signum certum, rediisse eum in gratiam cum fratre, & se adjunxisse veræ Ecclesiæ, ut fieret particeps promissionis spiritualis, si non ex promissione, tamen ex gratiâ.* Idem in cap. XXXIII. ait, *Quod verisimile sit, Esau tandem salvatum esse.* Oecolampadius quoque in cap. . Malach. *Non ausim*, inquit, *ipsum Esau propter hoc dictum dicere reprobum: quandoquidem hic per temporalia magis spiritualia significantur.* Et Mollerus ibidem: *Ex Genesi verisimiles conjectura sumi possunt, quæ ostendunt, Esau non ita esse rejectum à Deo, ut sit damnatus; sed conversum egisse pœnitentiam, & vitæ æternæ factum fuisse hæredem. Nam & reconciliatus est fratri, & postea fuit socius funeris patris, nec post reconciliationem fratri unquam adversatus est.* Sed ut probari posset, Esavum esse damnatum: tamen id satis non esset, quia, cùm per Esavum intelligantur Esavi posteri, omnes eos esse damnatos, sequeretur, si hic sermo esset de prædestinatione ad mortem. Atqui ex posteris Esavi etiam B. Job fuit: ut docent Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Sedulius, Gregorius, atque alii. Extant etiam vaticinia de vocatione Idumæorum ad regnum Christi, Psal. LX. 10. CVIII. 10. Esai. XI. 14. Ac primitias ejus prophetiæ habemus Marc. III. 7. messis verò consecuta, postquam universalis Evangelii promulgatio ad omnes gentes mandata est Apostolis, Matth. XXVIII. 19. & Marci XVI. 15.

Ex his concludunt viri docti, nec allegoricè Apostolum intellexisse electionem personalem ad vitam, & reprobationem singularum ad mortem. Contrà verò loqui Apostolum ajunt de electione Christianorum præ Judæis, sive eorum, qui in Christum credunt præ illis, qui in eo, quòd ex Abrahamo descenderent, & legis justitiam sectarentur, fiduciam suam collocarent. Hoc ita esse, probant ex scopo Apostoli. Propositum sibi Apostolus habet epistolâ ad Rom. docere decretum illud, quo Deus non ex operibus, sed ex fide in Christum, statuit hominem justificare. Ex eo *ἀμέσως* sequebatur, magnam partem Judæorum rejectam esse; ut quæ non crederet in Christum, sed ex operibus justificari se posse putaret. Unde objiciebant Judæi, Si populum nostrum Deus abjecit, excidit verbum Dei; hoc est, vana est promissio illa fœderis facta Abrahamo, *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Respondet Apostolus, illos Judæorum, qui rejecti essent, non esse filios Abrahæ, quia tales non censeantur qui secundum carnem ex Abrahamo descendant, etiamsi ex lege justitiam quærant, sed filii promissionis. Quod probat duplici typo. Prior est Isaaci & Ismaelis, quia etsi uterque filius esset Abrahæ, secundum carnem, tamen dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen*; Gen. XVIII. 10. Ac quia dici poterat, Ismaëlem esse ex ancillâ, Isaacum ex libera: additur typus alter Jacobi & Esavi, qui ex iisdem iisdemque parentibus nati erant. Ac nequis objiceret, Jacobum ob opera prælatum, adjungitur, juniorem majori prælatum. 1. nondum natis pueris. 2. antequam fecissent quicquam mali aut boni. 3. non ex operibus. 4. sed ex vocante, ut propositum secundum electionem maneret. Unde consequitur, filios Abrahæ non censeri ex carne aut meritis, sed promissionis verbo. Promissionis autem filii sunt, qui credunt in Jesum Christum.

Sequitur apud Apostolum objectio istiusmodi: Iniquum fore Deum, si Judæos, Abrahæ filios, legis justitiam sectantes, rejiciat; & gentes idololatricas atque à regno Israëlis alienas ad Messiæ regnum vocet, atque in filios adoptet. Respondet Apostolus, misericordiam suam nulli genti, nullis meritis esse adstrictam, sed totam esse gratuitam. Iccirco justum esse Dominum tam erga salvandos, quos ex misericordiâ damnat, quàm non salvandos, quos justo judicio indurat: ut factum in Pharaone. Quem Deus per Mosen & Aaronem edocuit voluntatem suam, etiam stupendis miraculis eum ad pœnitentiam vocasse: sed illo in contumaciâ pertendente, Deum quidem non statim eum sustulisse ob impietatem; sed fecisse ut restaret, hoc est conservasse eum, idque hoc fine ut in eo ostenderet potentiam suam. Unde concludit, Deum misereri quorum vult, & quos vult, indurare. Quorum autem misereatur, & quos induret, hoc loco non dicitur, sed Scriptura tota testatur, misereri credentium in Christum, indurare eos qui Evangelii gratiam contemnunt. Sequitur deinde tertia Judæorum objectio. Si Deus non æqualiter omnium miseretur, sed quosdam obdurat, quid de obstinatione eorum conquerimur? Ita argumentantes objurgat Apostolus; quòd factorum à Deo ausint exigere rationem: mox rem declarat similitudine & argumento à minus ad magis. Si figulo jus est ex unâ massâ effingendi nunc vas in honorem, nunc ad dedecus: quanto magis Deus potestatem habet vasa iræ, hoc est, eos qui gratiam Dei contemnunt, postquam multâ cum patientiâ eos toleravit, deserere, satanæ indurandos tradere & æternum abjicere? Atque hæc dicta sunto de variâ expositione loci Paulini ad Rom. c. IX. Ea autem adduximus, ut liqueret, locum illum non præbere argumentum firmum ad convellendum dogma de voluntate Dei antecedente, quâ omnes vult salvare. Nam interpretationem Chrysostomi planè cum eâ sententiâ congruere, satis apertum est. Nec Augustini expositio ei adversatur, præsertim si eam conciliemus cum Chrysostomo per scientiam mediam. Multo minus juvabit eos hic locus si ne quidem de prædestinatione singulorum in eo agitur, sed duntaxat de decreto, quo Deus, ut Sedulius scribit in 1. cap. ad Tit. *ante mundi omnia tempora apud se proposuit per filium salvare* CREDENTES.

Thesis III.

Veteris Ecclesiæ judicium fuit, Christum pro culpâ universali hominibus providisse à remedio universali, solvendo λύτρον *infiniti pretii, ne ejus defectu periret quisquam. Quod colligebat ex iis Scripturarum locis, quibus pro* OMNIBUS *dicitur gustasse mortem, ut Rom. v. 8. 2 Cor. v. 14. 1 Tim. II. 6. Heb. II. 9. vel pro* MUNDO, *ut Joh. I. 29. & III. 9. & IV. 42. & cùm* κατὰ μερισμὸν *1 Ioh. II. 2. vocatur* propitiatio non tantùm pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis. *& imprimis cùm infideles & impænitentes redemti dicuntur: ut Rom.* XIV, 15. Noli cibo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. & *1 Cor.* VIII. 11. Peribit infirmus frater, propter quem Christus mortuus est. *& 2 Petri* II. 1. Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negabunt, adducentes sibi celerem perditionem. *Et vers.* 3. quorum interitus non dormitat. *Neque cum hisce testimoniis ea pugnare loca credebant, quibus pro Ecclesiâ se tradidisse docemur. ut Eph. v. 24. aut quibus beneficia mortis Christi solis credentibus vindicantur. ut Ioh.* III. *36. atque alibi. Nam, ut iidem Ecclesiæ doctores non obscurè docent, bifariam mors Christi consideratur in Scripturis: vel quod ad virtutem ac vim mortis, & tum Christi morientis, tum Patris eum mittentis voluntatem, quam antecedentem vocant: vel quod ad effectum fructumque ex eâ promanantem, & voluntatem Christi ac Patris, quam dicunt consequentem sive efficacem. Si passio & mors Christi priori modo consideretur, Christus pro omnibus & singulis, nemine excepto, mortuus fuit: omnes item & singulos redemit. Nam & virtus ejus sufficit ad omnes liberandos; & prima sive antecedens Christi voluntas fuit, ut omnes liberaret. Sin spectemus effectum; quia ad hunc non solùm Christi patientis, sed etiam hominis meritum sibi applicantis voluntate opus est; ac multi oblatum à Christo beneficium respuunt: eo respectu fatendum, ut fructus mortis ad omnes non pertingit, ita neque Christum pro omnibus mortuum dici posse. Non redemit igitur omnes, quia non solvitur omnibus captivitas: sed redemit omnes, quatenus solvitur omnibus captivitatis necessitas. Cæterum hæc de adultis vera esse, etiam Pelagius fatebatur. Sed controversiam Catholicis movebat de infantibus, pro quibus Christum esse mortuum negabat: quippe qui, cùm peccatum non habeant, medico non indigeant. Ergo adversus eum Catholici contenderunt, nec infantes excipi debere: quippe qui, ut alibi ostendimus, peccato originis obnoxii teneantur: nec, nisi hoc debito, propter Christi satisfactionem, deleto, cælestis fiant regni participes.*

VEteris Ecclesiæ magistri non solùm fatebantur, Christi λύτρον adeò esse preciosum, ut sufficiens esse potuerit pro totius mundi peccatis, si Christo illud pro omnibus visum fuisset expendere: sed præterea concedebant, Christum revera pro omnibus & singulis satisfecisse, ideoque nec esse quemquam non reconciliabilem Deo. Quod verò non omnes Deo reconcilientur, vel captivitate liberentur, hoc esse ajebant à vitio hominis, qui carcere exire, & Christum sequi, ac Deo reconciliari non vult. Hoc ita esse, luculentis veterum testimoniis planum faciemus.

Irenæus lib. v. cap. XVII: *In novissimis temporibus in amicitiam restituit nos Dominus per suam incarnationem. Mediator Dei & hominum factus, propitians quidem pro* OMNIBUS *Patrem, in quem peccaveramus, & nostram inobedientiam per suam obedientiam consolatus, nobis autem donans eam, quæ est ad factorem nostrum, conversionem.* Ubi, si Valentiæ a credimus, respicit Apostolicum effatum, quo docet, Deum velle, omnes salvari: postrema verò verba, ut idem ait, intelligit de Deo, quantum in ipso est, sive ratione virium gratiosè collatarum, ut per eas ad salutem homo possit pervenire. a T. 2. D sp. 8. quæst. 3. De divis. grat. punct. 4.

Apertius idem asserit Clemens, Pædagogi cap. XI. ubi cùm Christum grano sinapis assimilâsset, ait, illud *universæ humanæ naturæ plurimam largiri salutem:* πάμπολυ τὴν σωτηρίαν ἀνάσῃ χαρίζεται τῇ ἀνθρωπότητι. Et lib. VII. Στρωματέων b Οὐκ ἂν οὖν ποτε ὁ σωτὴρ μισανθρωπεῖ, ὅς γε διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν φιλανθρωπίαν, σαρκὸς ἀνθρωπίνης ἀπάθειαν οὐχ ὑπεριδών, ἀλλ' ἐνδυσάμενος, ἐπὶ τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἐλήλυθε σωτηρίαν. *Nunquam ergò Servator habet odio homines, qui etiam propter suam excellentem benignitatem & in homines caritatem, non despectâ carnis humanæ imbecillitate, sed eâ indutus, ad communem venit hominum salutem.* Et eopse libro c: Λόγος αἰώνιος ἰδίᾳ τε ἑκάστῳ καὶ κοινῇ πᾶσιν εἷς ἐστι σωτήρ. *Verbum æternum privatim singulis, & communiter omnibus, est unus Servator.* b P. 298. c P. 300.

Origenes lib. I. in Jobum: *Christus, ad terras veniens, in humano corpore passiones sustinuit, pro omnium hominum salute.* Et lib. II. in eundem: *Descendens de cælis unigenitus Deus, in novissimo tempore terreni corporis testâ ex virgine se induens, totius mundi saniem, immunditiem, ac putredinem rasit & mundavit, omnium peccata supportando, cujus livore etiam omnes sanati sunt.* Quamquam profectò libri isti meritò abjudicantur Origeni, cùm scriptor eorum meminerit Luciani martyris, & sectæ Homousianorum: imò homo sit Latinus, & quidem Arrianus, ut ab Erasmo, Sixto Senensi, Baronio, Possevino, & aliis rectè est animadversum. Afferamus igitur alia ex iis libris, quos nemo in dubium vocaverit. Ut illud ex lib. IV. contra Celsum d: Παρὰ δὲ τούτοις πάντας μεγάλη ἡ δόξα τοῦ Ἰησοῦ ἐπανόρθωσις, οὐ τοὺς ἐν μιᾷ γωνίᾳ τῆς οἰκουμένης βεληθέντος μόνους θεραπεῦσαι, ἀλλά, τὸ ὅσον ἐπ' αὐτῷ, καὶ τοὺς πανταχοῦ. σωτὴρ γὰρ ἦλθε πάντων ἀνθρώπων. *Accessit postremò magna correctio per Jesum, non unius tantùm terrarum anguli medicum,* SED UNIVERSORUM, QUANTUM IN IPSO EST. *Servator enim venit omnibus hominibus.* Idem eodem libro e: Χριστιανοὶ δεδιδάχθησαν, ὅτι συνίστησι τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ Θεός, ὅτι, ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε. καίτοι γε μόγις τις ὑπὲρ τοῦ δικαίου ἀποθανεῖται. ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. νυνὶ δὲ ὑπὲρ τῶν πανταχοῦ ἁμαρτωλῶν (ἵνα καταλίπωσι τὴν ἁμαρτίαν, καὶ πιστεύσωσι τῷ Θεῷ ἑαυτούς) ἐπιδεδημηκέναι κεκήρυκται ὁ Ἰησοῦς. *Christiani sunt edocti, Deum in hoc approbasse nobis caritatem suam, quâ nos complectitur, quod Christus pro nobis mortuus est, etiam tum peccatoribus. Atqui vix pro justo quisquam mori sustinet. Siquidem pro bono forsitan moreretur aliquis. Nunc* PRO OMNIBUS, QUI USQUAM SUNT, *peccatoribus, ut relictis peccatis credant sese Deo, advenisse prædicatur Jesus.* Idem Origenes lib. VIII. contra Celsum f: Ὅσιος δὲ πατὴρ ὁ τοῦ Ἰησοῦ πατήρ, ὃς ἰδίου μὴ φεισάμενος υἱοῦ, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν, ἀμνὸν ὄντα ἑαυτοῦ, ἵν' ἄρῃ τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ὁ ὑπὲρ πάντων αὐτὸς ἀποθνήσκων ἀμνὸς Θεοῦ. *Pius itaque pater est ille Jesu pater, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit, agnum suum; ut peccatum mundi tolleret agnus Dei, moriens pro co universo.* d P. 169. e P. 184. f P. 417.

Rectè igitur Centuriatores Magdeburgenses, centur. II. cap. IV. de Patribus proximi ab Apostolis seculi, in hunc modum scribunt: *Estque memorabile, quod universaliter omnibus applicant remissionem peccatorum, si credant.* Id ipsum deinde probant autoritate Ignatii, Justini, & Clementis Alexandrini. Nec est, quòd dicat quis, neminem Christianum esse, qui credenti omni remissionem peccatorum promissam non norit & agnorit. Nam

amplius

amplius eos velle, indicant, quòd alioqui non dicerent, memorabile planè esse, nulli non peccatorum remissionem applicari, modò credere velit. Quare hæc verba non obscurè docent, agnoscere eos gratiam universalem, quatenus omnibus solvitur captivitatis necessitas: etsi eadem particularis illorum culpâ fiat, qui beneficio tanto frui nolunt. Sed repugnat huic sententiæ vir eruditus: qui de Justini Martyris doctrinâ tractans: velle eum ait, Christum pro fidelibus tantùm mortuum esse: id ipsum verò probatum ii verbis illis, Dialogo cum Tryphone Judæo: ὁ Χριστὸς προσφορὰ ἦν ὑπὲρ πάντων τῶν μετανοεῖν βουλομένων ἁμαρτωλῶν. hoc est, *Christus oblatio factus est pro cunctis, per pœnitentiam resipiscere volentibus peccatoribus.* Verùm quid manifestius, quàm Justinum hîc non Christi meritum, ac jus impetrationis respicere, sed applicationis efficaciam? Itaque idem eopse Dialogo *a* ἀπλῶς ait,
a P. 346. Christum σταυρωθῆναι ὑπὲρ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων. *crucifixum propter genus humanum.* Nempe quia hic non applicationem respicit passionis, sed voluntatem Christi antecedentem.

Scriptor sermonum de cardinalibus Christi operibus Cypriano tributorum, sermone de circumcisione; *Supererat post mortem carnis, animæ labor & afflictio spiritus: nec poterat ullâ ratione absolvi illa damnatio, nisi morti omnium* VITA OMNIUM *subveniret: & pro generali morbo gratia Dei singulare propinaret antidotum.* Idem scriptor sermone qui est de ablutione pedum: *In originalibus enim corruptio natura abjici & exterminari meruerat: sed quia non erat voluntas in culpâ, providus Deus generali damnationi remedium, & sua sententiam justitia temperavit, hæreditarium onus à sobole removens, & misericorditer ablutione & unctione medicinali, corruptionis primitivæ fermentum expurgans. Sed in eos, qui indulgentia hujus gratiam voluntariè per peccatum evagati sunt; qui proprio abutuntur arbitrio; & voluntate, non necessitate, ducuntur; indignatio & ira non immeritò redit: nec in morte Christi aliquis eis superest quæstus; sed justissimè eos beneficia contemta condemnant.*

b P. 397. Macarius homil. xxx: *b* Τοῖς πατράσιν ἐξ ἀρχῆς σκοπὸς, καὶ σπουδὴ πᾶσα γίνεται πρὸς τὸ γεννῆσαι τέκνα, καὶ σχεῖν κληρονόμους. καὶ εἰ μὴ ἐγέννησαν, μεγάλην λύπην καὶ ὀδύνην ἂν εἶχον· ὅτε πάλιν γεννήσωσι, χαρὰν ἔχουσι, χαίρουσι δὲ καὶ οἱ συγγενεῖς, καὶ οἱ γείτονες. τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου σωτηρίας φροντίσας, πᾶσαν οἰκονομίαν καὶ σπουδὴν ἐπετέλεσεν ἐξ ἀρχῆς, διὰ πατέρων πατριαρχῶν, διὰ νόμου καὶ προφητῶν· ἔσχατον καὶ αὐτὸς παραγενόμενος, καὶ σταυροῦ αἰσχύνης καταφρονήσας, ὑπέμεινε θάνατον. καὶ οὗτος ὅλος ὁ κάματος, καὶ ἡ σπουδὴ αὐτοῦ γέγονεν, ὅπως γεννήσῃ ἐξ ἑαυτοῦ, ἐκ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως, τέκνα ἐκ τοῦ πνεύματος, ἄνωθεν εὐδοκήσας γεννηθῆναι ἐκ τῆς αὐτοῦ θεότητος. καὶ ὥσπερ οἱ πατέρες οὗτοι, ἐὰν μὴ γεννήσωσι, λυποῦνται· οὕτως καὶ ὁ Κύριος, ἀγαπήσας τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ὡς ἰδίαν εἰκόνα, ἠθέλησεν αὐτοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπέρματος γεννῆσαι τῆς θεότητος. εἴ τινες οὖν μὴ θελήσωσιν εἰς τοιαύτην γέννησιν ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τῆς γαστρὸς τοῦ πνεύματος τῆς θεότητος γεννηθῆναι, πολλὴν λύπην ὁ Χριστὸς ἀναδέχεται, παθὼν δι' αὐτοὺς καὶ ὑπομείνας, ἵνα τούτους σώσῃ. πάντας γὰρ ἀνθρώπους θέλει ὁ Κύριος τῆς γεννήσεως καταξιωθῆναι ταύτης. ὑπὲρ πάντων γὰρ ἀπέθανε, καὶ πάντας εἰς ζωὴν ἐκάλεσεν. *Omnis scopus patrum, & omne studium ab initio eò tendit, ut procreent liberos, ac hæredes habeant; & nisi genuerint, summâ tristitiâ ac mœrore afficiuntur: sicut è diverso, ubi procreaverint liberos, gaudio perfunduntur, gaudent quoque cognati & vicini. Eodem modo Dominus noster Jesus Christus de hominis salute sollicitus, omnem dispensationem ac studium perfecit à principio, ministerio Patrum, Patriarcharum, Legis ac Prophetarum; postremò quoque ipse adveniens, crucis ignominiâ spretâ, mortem pertulit. Omnis itaque labor ille & studium ejus in eo fuit, ut generaret ex seipso, è suâ ipsius naturâ, filios è spiritu, placide acquiescens, si superne nascerentur è sua divinitate. Et quemadmodum patres hi, nisi genuerint, tristitiâ & dolore afficiuntur: eodem modo Dominus, qui dilexit genus hominum, ut propriam imaginem, voluit eos ex ipso semine divino procreare. Si qui ergo renuerint ad hujusmodi generationem venire, & de ventre Spiritus divini nasci, summum dolorem suscipit Christus, qui propter eos passus est ac pertulit, ut eos servaret. Omnes enim homines vult Dominus hanc nativitatem consequi. Pro omnibus siquidem mortuus est, & omnes ad vitam vocavit.*

Eusebius Cæsariensis lib. x. De demonstrat. Euangel. in præfat. *a* Ἔδει γὰρ τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν ὑπὸ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως ἀναληφθέντα, ὑπὲρ τῶν λοιπῶν συγγενῶν ἀμνῶν, καὶ ὑπὲρ πάσης τῆς ἀνθρωπίνης ἀγέλης, θυσίαν τῷ Θεῷ προσαχθῆναι. *Oportebat agnum Dei, qui à maximo Pontifice assumtus fuerat, pro reliquis cognatis agnis, & pro omni humano grege, victimam offerri.* a P. 287. edit. R. St.

Athanasius de Incarnatione Verbi *b*: Θανάτου γὰρ ἦν χρεία, καὶ θάνατον ὑπὲρ πάντων ἔδει γενέσθαι, ἵνα τὸ παρὰ πάντων ὀφειλόμενον γένηται. ὅθεν, ὡς προεῖπον, ὁ Λόγος, ἐπεὶ οὐκ οἷόν τε ἦν αὐτὸν ἀποθανεῖν, (ἀθάνατος γὰρ ἦν) ἔλαβεν ἑαυτῷ σῶμα τὸ δυνάμενον ἀποθανεῖν, ἵνα ὡς ἴδιον ἀντὶ πάντων αὐτὸ προσενέγκῃ, καὶ ὡς αὐτὸς ὑπὲρ πάντων πάσχων, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸ ἐπίβασιν, καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον. *Morte enim opus fuit, & mortem pro omnibus inferri necessum erat, ut, quod ab* OMNIBUS *debitum erat, lueretur. Quamobrem, ut dixi, Verbum, quoniam mori non poterat, utpote immortale, corpus sibi sumpsit, quod mori poterat, illudque ut suum pro* OMNIBUS *obtulit, ut ita pro* OMNIBUS, OMNIBUS *ipse corpore conjunctus, mortem patiens compesceret eum, qui habet mortis imperium, hoc est, diabolum.* Et inferius eodem libro *c*: Ἀπέθανε διὰ τὸ ὑπὲρ πάντων λύτρον. *Mortuus est ad* OMNIUM *redemptionem.* Et mox: Καὶ τὸν διδόμενον θάνατον ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας ἔσπευδεν τελειῶσαι. *Mortem sibi illatam pro* OMNIUM *salute celeriter consummavit.* Et paullo pòst *d*; Μὴ ἀποθανεῖν μὲν οὐκ ἠδύνατο, ἅτε δὴ θνητὸν ὂν καὶ ὑπὲρ πάντων προσφερόμενον εἰς τὸν θάνατον. *Ut non moreretur, fieri non poterat, quum mortale* [ejus corpus] *esset, & pro* OMNIBUS *in mortem esset offerendum.* Et postea eodem libro *e*: Ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πάντων ἔλαβε σῶμα, καὶ τὴν μὲν οἰκουμένην περὶ πατρὸς ἐδίδαξε, τὸν δὲ θάνατον κατήργησε, πᾶσι δὲ τὴν ἀφθαρσίαν ἐχαρίσατο διὰ τῆς ἐπαγγελίας τῆς ἀναστάσεως. *Ad salutem* OMNIUM *corpus sumpsit, ac mundum de Patre edocuit, mortemque abolevit,* OMNIBUSQUE *incorruptibilitatem promissa resurrectione largitus est.* Et mox: *f* Καὶ τὴν αἰτίαν τοῦ θανάτου, ὅτι μὴ δι' ἑαυτὸν, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς πάντων ἀθανασίας καὶ σωτηρίας ὑπομένει, οὐκ ἐφοβήθησαν εἰπεῖν. *Et caussam mortis, quòd, non sui gratiâ, sed pro* OMNIUM *salute & immortalitate eam sustinuerit,* [Prophetæ] *nihil veriti sunt dicere.* Et post aliquammulta *g*: Τίνος δὲ τῶν ἁγίων προφητῶν ἢ τῶν ἄνωθεν πατριαρχῶν ὁ θάνατος ἐν σταυρῷ γέγονεν, ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας; ἢ τίς ἐτραυματίσθη καὶ ἀνῃρέθη ὑπὲρ τῆς πάντων ὑγιείας; *Cui* [quæso] *Sanctorum prophetarum aut retro Patriarcharum, mors in cruce accidit pro* OMNIUM *salute? Aut quis saucius factus & sublatus est ad* OMNIUM *sanitatem?* Et mox: Τίς δὲ τῶν ἐν τῇ γραφῇ μαρτυρουμένων σταυρῷ τετελείωται ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας; *Quis omnium de quo Scriptura testimonium prabet cruce confectus fuit pro* OMNIUM *salute?* Et post paucula: Ὁ δὲ σημαινόμενος ἐκ τῶν γραφῶν ὑπὲρ πάντων πάσχων, οὐχ ἁπλῶς ἄνθρωπος, ἀλλὰ ζωὴ πάντων λέγεται. *Ille autem, quem Scriptura indicant pro* OMNIBUS *passurum, non simpliciter homo, sed* OMNIUM *vita dicitur.* Et paullo pòst *h*: Καὶ τῷ τούτου τοῦ θανάτου τρόπῳ ἡ σωτηρία πᾶσι γέγονε, καὶ ἡ κτίσις πᾶσα λελύτρωται. Οὗτός ἐστιν ἡ πάντων ζωὴ, καὶ ὁ, ὡς πρόβατον, ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας, ἀντίψυχον τὸ ἑαυτοῦ σῶμα εἰς θάνατον παραδούς. *Hujus morte* OMNIUM *salus comparata est, &* CREATURA OMNIS *liberata. Hic est* OMNIUM *vita, qui ut ovis, pro* OMNIUM *salute, vicarium succedaneumque suum corpus in mortem tradidit.* Et post aliquammulta *i*: Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ προεφήτευον, ἕως ἂν ἔλθῃ ἡ αὐτοδικαιοσύνη καὶ ὁ λυτρούμενος τὰς

b P. 52. edit. Commel. — c P. 54. — d P. 61. — e P. 62. — f P. 63. — g P. 65. — h P 66 — i P. 68.

ἀπάντων ἁμαρτίας. *Nam ob hoc ipsum & eousque prævaricabuntur, donec ipsissima justitia, & is qui* OMNIUM

a Pag. 78. *peccata redempturus erat, superveniret.* Et multo post a: Τίς ὁ τοὺς μισοῦντας ἀλλήλους εἰς εἰρήνην συνάψας, εἰ μὴ ὁ ἀγαπητὸς τοῦ πατρὸς υἱός, ὁ κοινὸς πάντων σωτὴρ Ἰησοῦς Χριστός. *Quis odio inter se infestos populos pace copulavit? nisi dilectus Dei Filius,* COMMUNIS *ille salvator* OMNIUM

b P. 395. *Jesus Christus?* Idem Athanasius in Expositione fidei *b*: Τὸ παθητὸν σῶμα ἐφόρεσεν διὰ τὴν τοῦ κόσμου σωτηρίαν παντός. *Patibile corpus* (Filius) *gestavit pro universi*

c Pag. 1. *mundi salute.* Idem oratione contra gentes *c*. Οὐκ ἂν γάρ, εἴπερ ἤδεσαν καὶ αὐτοὶ γνησίως ἐπιγινώσκοντες αὐτοῦ τὴν θεότητα τοῦ νοῦ, ἐχλεύαζον τὸ τηλικοῦτον· ἀλλὰ μᾶλλον καὶ αὐτοὶ τοῦτον ἐπεγίνωσκον ΣΩΤΗ͂ΡΑ ΤΟΥ͂ ΠΑΝΤΟ͂Σ, καὶ τὸν σταυρὸν μὴ βλάβην, ἀλλὰ θεραπείαν τῆς κτίσεως γεγονέναι. *Neque enim, si rite ad cognoscendam ejus divinitatem mentem applicuissent, rem tantam risui haberent, sed potius* SALVATOREM UNIVERSITATIS, *crucemque ejus, non noxam, sed* REMEDIUM CREATURÆ *fuisse agnoscerent.* Idem epistola ad Adelphium contra Aria-

d P. 332. nos *d*: Τὴν τοίνυν προσληφθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Λόγου σάρκα, ἐπὶ τοῦ πάντας ἀνθρώπους ἐλευθερῶσαι, καὶ πάντας ἐκ νεκρῶν ἀναστῆσαι, καὶ ἁμαρτίας λυτρώσασθαι. *Carnem igitur a Verbo assumptam esse vides ad omnium hominum libertatem & ad* CUNCTORUM *hominum excitationem e mor-*

e P. 333. *tuis, & redemtionem e peccatis.* Et aliquanto post *e*: Ἡ γὰρ ἔνσαρκος παρουσία τοῦ Σωτῆρος, θανάτου λύτρον, καὶ κτίσεως πάσης σωτηρία γέγονεν. *Adventus enim Salvatoris in carnem, mortis liberatio est, &* UNIVERSÆ

f P. 335. *creaturæ salus.* Et post aliquammulta *f*: Γενόμενος δὲ αὐτὸς καὶ ἄνθρωπος, ἵν' ἐν αὐτῷ τὰ πάντα ἐλευθερώσας, τὸν κόσμον προσαγάγῃ τῷ πατρί, καὶ εἰρηνοποιήσῃ τὰ πάντα τὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. *Homo factus, ut in eo* OMNIA *in libertatem vindicans, Mundum Patri reconciliaret,* OMNIAQUE *pacificaret, quæ in cælis & quæ in terris sunt.* Idem epistola ad Marcellinum de Interpre-

g P. 746. tatione Psalmorum *g*: Ἄνθρωπος γὰρ δι' ἡμᾶς γενόμενος, τὸ μὲν ἴδιον σῶμα, ὑπὲρ ἡμῶν προσῆγεν εἰς θάνατον, ἵνα πάντας ἀπαλλάξῃ τοῦ θανάτου. *Homo enim ille propter nos factus, suum corpus pro nobis obtulit in mortem, ut* OMNES *liberaret a morte.* Idem in Passionem & crucem Domi-

h P. 791. ni *h*: Ἔδει γὰρ τὸν Κύριον, ἀνακαινίσαι θέλοντα τὸν πρῶτον Ἀδάμ, ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ παθεῖν, ἵνα ἐκείνου λύων τὴν ἁμαρτίαν, ἀπὸ παντὸς αὐτὴν ἄρῃ τοῦ γένους. *Congruum enim erat, Dominum, quum vellet renovare primum Adam, in eo loco pati, ut illius abolito peccato, ab* UNIVERSO *ejus genere illud profligaret.* Idem in hoc dictum, *Omnia*

i P. 326. *mihi tradita sunt i*: Ἐπειδὴ γὰρ ἥμαρτε καὶ πέπτωκεν ὁ ἄνθρωπος, καὶ πεσόντος αὐτοῦ τὰ πάντα τετάρακται, ὁ θάνατος ἴσχυεν ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Χριστοῦ, ἡ γῆ κεκατήρατο, ὁ ᾅδης ἠνοίγη, ὁ παράδεισος ἐκλείσθη, ὁ οὐρανὸς ἐθυμώθη, καὶ τέλος ἐφθάρη ὁ ἄνθρωπος καὶ ἀπεκτηνώθη, ὁ δὲ διάβολος ἐνήλλετο καθ' ἡμῶν. τότε δὴ ὁ θεός, φιλάνθρωπος ὤν, καὶ μὴ θέλων ἀπολέσθαι τὸν κατ' εἰκόνα ἄνθρωπον, ἔλεγεν, Τίνα ἀποστελῶ; καὶ τίς πορεύσεται; πάντων τε σιωπώντων, ὁ υἱὸς ἔλεγεν, Ἰδοὺ ἐγώ, ἀπόστειλόν με. καὶ δὴ τότε λέγων, Βάδιζε, παραδέδωκεν αὐτῷ τὸν ἄνθρωπον, ἵνα γένηται αὐτὸς ὁ Λόγος σάρξ, καὶ προσλαβὼν τὴν σάρκα κατὰ πάντα διορθώσηται. παρεδόθη γὰρ αὐτῷ, ὡς ἰατρῷ, θεραπεῦσαι τὸ δῆγμα τοῦ ὄφεως, ὡς ζωῇ ἀνεγεῖραι τὸ νεκρόν, ὡς φωτὶ καταυγάσαι τὸ σκότος, καὶ Λόγῳ ὄντι ἀνακαινίσαι τὸ λογικόν. ὡς γοῦν παρεδόθη αὐτῷ τὰ πάντα, καὶ γέγονεν ἄνθρωπος, εὐθὺς διωρθώθη καὶ ἐτελειώθη τὰ ὅλα. ἡ γῆ ἀντὶ κατάρας εὐλογεῖται, ὁ παράδεισος ἠνοίγη, ὁ ᾅδης ἔπτηξε, καὶ τὰ μνημεῖα ἠνοίγη ἐγειρομένων τῶν νεκρῶν, αἱ πύλαι τοῦ οὐρανοῦ ἐπῄρθησαν, ἵν' ὁ ἐξ Ἐδὼμ προσδέχηται. αὐτόθεν τὸ πῶς παρεδόθη αὐτῷ πάντα. σημαίνειν θέλων αὐτὸς ὁ σωτήρ, ἐπήγαγεν, ὡς ὁ Ματθαῖος ἔφη, Δεῦτε πρός με, πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. παρεδόθη τε γάρ μοι, ἵνα κοπιῶντας ἀναπαύσω, καὶ νεκρωθέντας ζωοποιήσω. συνῳδὸν δὲ τούτῳ καὶ τό, Ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱόν, καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. δέδωκε γάρ, ἵν', ὥσπερ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα γέγονεν, οὕτως ἐν ἑαυτῷ τὰ πάντα ἀνακαινισθῆναι δυνηθῇ. οὐ γὰρ ἵνα ἐκ πτωχοῦ πλούσιος γένηται, οὐδ' ἵνα, ὡς μὴ ἔχων, ἐξουσίαν λάβῃ, παρέλαβε τὰ πάντα· μὴ γένοιτο· ἀλλ' ἵνα μᾶλλον, ὡς σωτήρ, τὰ πάντα διορθώσῃ. ἔπρεπε μὲν γάρ, τὴν μὲν ἀρχὴν τῆς δημιουργίας δι' αὐτοῦ γενέσθαι εἰς τὸ εἶναι αὐτά. τὴν δὲ διόρθωσιν ἐν αὐτῷ ἰσχῦσαι διαφορὰν τῶν λέξεων. ἐν ἀρχῇ μὲν γὰρ δι' αὐτοῦ γέγονεν εἰς τὸ εἶναι· ὕστερον δέ, πεσόντων πάντων, γέγονεν ὁ Λόγος σάρξ, καὶ ἐνεδύσατο αὐτήν, ἵνα ἐν αὐτῷ τὰ ὅλα κατορθωθῇ. πάσχων γὰρ αὐτὸς ἡμᾶς ἀνέλαβε, καὶ πεινῶν αὐτὸς ἡμᾶς ἔτρεφε, καὶ εἰς τὸν ᾅδην καταβαίνων ἡμᾶς ἀνέφερε. τότε γοῦν γινομένων πάντων, πρόσταγμα ἦν τὸ γενέσθαι. οἷον τό, ἐξαγαγέτω, καὶ γενέσθω, ἐπὶ δὲ τῇ διορθώσει παραδοθῆναι πάντα ἔπρεπεν, ἵνα αὐτὸς γένηται ἄνθρωπος, καὶ ἐν αὐτῷ τὰ πάντα ἀνακαινισθῇ. ἐν αὐτῷ γὰρ ὢν ὁ ἄνθρωπος, ἐζωοποιεῖτο. διὰ τοῦτο γὰρ συνεπλάκη ὁ λόγος τῷ ἀνθρώπῳ, ἵνα ἡ κατάρα μηκέτι ἰσχύσῃ κατὰ τοῦ ἀνθρώπου. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἐν ἑβδομηκοστῷ πρώτῳ ψαλμῷ τοὺς ἀξιοῦντας ἔφη τὸν θεόν, περὶ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους, Ὁ θεός, τὸ κρίμα σου τῷ βασιλεῖ δός, &c. *Postquam enim peccarat & lapsus esset homo, ejusque lapsu, perturbatis omnibus, mors invaluisset ab Adam usque ad Christum, terraque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cælum infensum, & tandem, corrupto & interemto homine, insiluisset Diabolus contra nos; tum demum Deus, hominum amator, ac nolens perire hominem ad suam imaginem conditum, in hæc verba locutus est, Quem emittam? & quis proficiscetur? Omnibus obticentibus, locutus est Filius: Ecce ego, emitte me. Quo tempore illi respondit Pater, Vade ergo. Tum, inquam, dedit illi hominem, ut ipsum Verbum caro fieret, carnemque assumtam in omnibus instauraret. Tradita enim sunt illi ut medico, qui sanaret morsum serpentis; & ut vitæ, quæ excitaret mortuum; & ut luci, quo illuminaret tenebras; & ut rationi, quo redintegraret vim rationalem. Postquam igitur tradita illi sunt omnia, & factus est homo, correcta sunt omnia: & perfecta terra, pro maledictione benedictionem obtinuit, paradisus reseratus est, infernus se metu contraxit, monumenta aperta sunt resurgentibus mortuis, portæ cæli elevatæ sunt, ut intraret ille ex Edom. Certe, quâ ratione sibi omnia tradita essent, indicare volens Salvator, per Matthæum subintulit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Datum enim est mihi, ut fatigatos reficiam, & mortuos vivificem. Consentit cum istis etiam illud dictum: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus. Dedit enim, ut, quemadmodum per eum facta sunt, ita in eo omnia refici possent. Non enim, ut ex paupere dives fieret, neque ut qui non haberet potestatem, acciperet, assumpsit omnia: absit: sed quo omnia, utpote Salvator, instauraret. Decebat enim, exordium creaturæ per eum fieri, ut esse posset: & instaurationem in eo fieri, ut corrigeretur. Vide verborum differentiam. In principio enim creata sunt per eum, ut essent: postea vero lapsis omnibus, Verbum caro factum est, & carnem induit, ut in eo omnia instaurarentur. Ipse enim patiendo, nos refocillavit: & esuriendo, aluit: & ad inferos descendendo, extulit. Tunc igitur, rebus omnibus creatis, præceptum datum est, ut fierent: quale illud est, Producat, &, Fiat. Ad emendationem autem tradi illi omnia decuit: ut homo fieret, & in ipso omnia renovarentur: eo enim ipso quo homo erat, humanitas nostra vivificabatur. Nam ideo conjunctum est Verbum homini, ne maledictio ulterius vim suam in hominibus haberet. Ideoque in septuagesimo primo Psalmo ad istum modum induuntur loqui, qui super humano genere ad Deum preces fundunt: Deus, judicium tuum Regi da, &c.* Idem in Passionem & crucem

Domini *a*: Ὁ δὲ Κύριος ἡμῶν ἀθάνατος καὶ ἄφθαρτός ἐστι. καὶ ὥσπερ ἀθάνατος καὶ ἄφθαρτος, οὕτως ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος. ἀγαθοῦ γὰρ πατρὸς ἀγαθὸς ὁ λόγος ὑπάρχει. διὸ οὐ παρεῖδεν ἀπολέσθαι τὸ γενόμενον, οὐδ' ἠνέσχετο τῶν αὐτοῦ ποιημάτων ἄλλον γενέσθαι κύριον. *Dominus immortalis & incorruptibilis, & pro immortali-* a P. 790.

tate

tate & incorruptibilitate sua bonus & amans humani generis, utpote boni Patris bonum Verbum, creaturam suam negligendam non putavit, neque permisit alium quempiam suorum operum Dominum esse.

a P. 61. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi III. *a*: Ὥσπερ Ἰησοῦς, τὰς οἰκουμενικὰς ἁμαρτίας ἀναλαβών, ἀπέθανεν. *Ut Jesus, orbis universi peccata suscipiens, mortuus est.*
b P. 130. Similiter Catechesi VI. *b*: Ἔδει τὸν δι' οὗ ἐγένετο τὰ πάντα, τῷ δεσπότῃ τῶν ἁπάντων προσενεγκεῖν τὰ πάντα. *Oportuit, ut per quem omnia facta fuerant, is universorum domino*
c P. 281. *cuncta offerret.* Rursus Catechesi XIII. *c*: Ἔλυσε δὲ πάντας τοὺς ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας κατεχομένους, καὶ κόσμον ὅλον ἀνθρώπων ἐλυτρώσατο. καὶ μὴ θαυμάσῃς εἰ κόσμος ὅλος ἐλυτρώθη. οὐ γὰρ ἦν ἄνθρωπος ψιλός, ἀλλ' υἱὸς Θεοῦ μονογενής, ὁ ὑπεραποθνήσκων· καίτοι γε ἴσχυσεν ἑνὸς ἀνδρὸς τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἁμαρτία θάνατον ἐνέγκαι τῷ κόσμῳ. *Vinctos à peccatis solvit, & universum genus humanum in mundo redemit. Neque mireris, totum esse per illum mundum liberatum. Non enim simplex homo fuerat, sed filius Dei unigenitus pro illo moriens: quandoquidem etiam unius viri Adam peccatum potuit mortem adferre mundo.* Idem
d P. 310. Cathechesi eâdem *d*: Ὁ μὲν ταῦτα ὑπέμενεν, ἐπὶ σωτηρίᾳ ἐλθὼν πάντων. ὁ δὲ λαὸς κακὴν ἀντιμισθίαν ἀπεδίδου. *Ille* [Salvator] *quidem hæc sustinuit, pro salute* OMNIUM *veniens. Populus vero malam illi mercedem reddidit.*

e P. 99. edit. Commel. a. 1599. Optatus Milevitanus lib. III. contra Parmenianum *e*: *Et vultis scire quod meruit, qui post se attendit, & qui ante se? Recordamini Sodomorum fugitivos, Loth & uxorem ejus: quæ post se attendit, in statuam salis mutata est: qui ante se prospexit, evasit. Quid est ergo, quod dicitis, Attendite post vos? Nam & eum dicitis, Redimite animas vestras: unde illas emistis, ut vendatis? Quis est nescio quis angelus, qui nundinas fecit animarum, quas ante ejus adventum diabolus possidebat? Has sanguine suo Christus salvator noster redemit, Apostolo dicente, Emti estis pretio magno. Constat enim, sanguine Christi omnes redemtos.*

Gregor. Nazianz. Oratione 26. quæ est de Moderatione in disputationibus servandâ *f*: Τῷ Θεῷ χάρις, ὅτι καὶ
f P. 416. edit. Morell. τὰ ἐξαίρετα δίδωσι, καὶ δι' ὧν τὸ κοινὸν σώζειν ἐπίσταται. καὶ τοῦτο οὐ περὶ λόγους μόνον τὸ θαῦμα· ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν δημιουργίαν αὐτήν, εἴποτε κατενόησας. οὔτε ἐν τοῖς κτίσμασι τὰ πρῶτα τινῶν ἐστίν, ἀλλὰ πάντων, καὶ κοινὴ χάρις τοῦ ἑνὸς πλάσματος. οὔτε ἐν τῇ πίστει τὰ σώζοντα τῶν δυνατωτέρων, ἀλλὰ τῶν βουλομένων. τί κάλλιον ἀέρος, πυρός, ὕδατος, γῆς, ὑετῶν, καρπῶν ἡμέρων τε καὶ ἀγρίων, στέγης, ἐνδύματος; τούτων ἡ μετουσία κοινή, τῶν μὲν καὶ παντάπασι, τῶν δὲ μετρίως. καὶ οὐδεὶς οὕτω τύραννος, ὥστε μόνος ἀπολαύσαι τῆς κοινῆς χάριτος. ἀνατέλλει τὸν ἥλιον ὁμοτίμως, βρέχει πλουσίοις καὶ πένησι, κοινὴ νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐναλλαγή, κοινὸν δῶρον ὑγίεια, κοινὸς ὅρος ζωῆς, κοινὸν μέτρον καὶ χάρις σώματος, κοινὸν αἰσθήσεων δύναμις. τάχα δὲ καὶ πλέον ὁ πένης ἔχει, τὸ ἐπὶ τούτοις πλεῖον εὐχαριστεῖν, καὶ ἀπολαύειν ἥδιον τῶν κοινῶν, ἢ τῶν ἐκ περιουσίας οἱ δυνατώτεροι. ταῦτα μὲν οὖν κοινὰ καὶ ὁμότιμα, καὶ Θεοῦ δικαιοσύνης γνωρίσματα. ὁ χρυσὸς δὲ καὶ οἱ διαφανεῖς λίθοι καὶ ἀγαπώμενοι, καὶ τὸ ἐσθῆτος ὅσον μαλακὸν καὶ περίεργον, φλεγμαίνουσα καὶ ἐκμαίνουσα τράπεζα, καὶ τὰ περιττὰ τῆς κτήσεως, ὁ πόνος τῶν κεκτημένων, ὀλίγων ἐστὶν ἐγκαλλωπίσματα. τοῦτο καὶ περὶ τὴν πίστιν ἐγὼ θεωρῶ. κοινά, νόμος, προφῆται, διαθῆκαι, λόγια διαθηκῶν, χάρις, παιδαγωγία, τελείωσις, πάθη Χριστοῦ, καινὴ κτίσις, ἀπόστολοι, εὐαγγέλια, διανομὴ πνεύματος, πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη, εἰς Θεόν τε καὶ ἐκ Θεοῦ. καὶ οὐ πρὸς μέτρον ὡς ἡ τοῦ μάννα ποτὲ δωρεὰ τῷ ἀχαρίστῳ Ἰσραὴλ καὶ ἀγνώμονι· ἀλλὰ καθ' ὅσον ἕκαστος βούλεται, ἀνάβασις, ἔλλαμψις· ὀλίγη μὲν ἡ ἐντεῦθεν, τρανοτέρα δὲ ἡ ἐλπιζομένη. Τὸ μέγιστον, ἡ πατρός, καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ἐπίγνωσις, καὶ ὁμολογία τῆς πρώτης ἡμῶν ἐλπίδος. τούτων τί μεῖζον, τί δαὶ κοινότερον; *Deo gratia habeantur, quod, ut eximia largitur, ita per communia saluti hominum consulere norit. Atque hoc miraculum non in doctrinis tantum ac disputationibus, sed in ipsa quoque mundi effectione locum habere comperies, si animum adverteris. Neque enim in rebus creatis excellentissima quæque nonnullorum duntaxat, sed omnium mortalium sunt, atque ad unum idemque figmentum communis Dei gratia dimanat: neque in fidei ratione ea, quæ salutem afferunt, potentiorum sunt, sed volentium. Quid pulchrius aëre, igne, aquâ, terrâ, pluviis, fructibus, sativis juxta & agrestibus, tecto, indumentis? Atqui hæc sunt ejusmodi, ut omnes iis communiter utantur, partim quidem omnino communiter, partim ad quandam mediocritatem: nec quisquam adeo tyrannus est, ut communi beneficio solus fruatur. Deus enim solem suum æque omnibus oriri facit, divitibus ac pauperibus pluit, communis diei noctisque alternatio & vicissitudo, commune donum sanitas, communis vitæ terminus, communis mensura & gratia corporis, communis sensuum vis & facultas. Ac fortasse hoc nomine meliori quoque conditione pauper est, quod pro his beneficiis ampliores Deo gratias agat, jucundiusque communibus, quam potentiores superfluis minimeque ad vitam necessariis, fruatur. Atque hæc quidem communia, omnibusque exposita sunt, Deique justitiam perspicuo argumento testantur. At aurum & pellucidi & deamati lapides, & molles ac supervacaneæ vestes, & turgida mensa, furoreque animos afficiens, & redundantes opes, quæ dominos labore conficiunt, paucorum hominum ornamenta sunt. Hæc autem etiam circa fidem ipse animadverto. Communia sunt, Lex, Prophetæ, Testamenta, Testamentorum oracula, gratia, puerilis institutio, perfectio, Christi passiones, nova creatio, Apostoli, Evangelia, Spiritus distributio, fides, spes, caritas, eaque tum erga Deum, tum ex Deo, nec ea ad mensuram data, quemadmodum olim manna illud ingrato & improbo Israeli donatum, sed ad uniuscujusque voluntatem, ascensus item, illuminatio, subobscura quidem hæc, quæ in hac vitâ contingit, clarior autem illa, quam spe conceptam habemus, denique, quod maximum est, Patris, & Filii & Spiritus Sancti agnitio, ac primaria nostræ spei confessio. Quid his majus ac sublimius, quid rursus communius?* Idem Oratione 31. quæ est in dictum illud Evangelii, *Quum consummasset Jesus hos sermones &c.* Matth. 19: *a* Γίνεται τοῖς a P. 496.
Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, ἵνα Ἰουδαίους κερδάνῃ· τοῖς ὑπὸ νόμον, ὑπὸ νόμον, ὡς ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ· τοῖς ἀσθενέσιν ὡς ἀσθενής, ἵνα τοὺς ἀσθενεῖς σώσῃ. γίνεται πάντα πᾶσιν, ἵνα τοὺς πάντας κερδάνῃ. *Judæis fit* [Jesus] *tanquam Judæus, ut Judæos lucrifaciat: his, qui sub lege sunt, tanquam legi subjectus, ut eos, qui sub lege sunt, redimat: infirmis tanquam infirmus, ut infirmis salutem afferat. Omnia omnibus efficitur, ut omnes lucrifaciat.* Idem orat. 42,
quæ secunda est in Pascha *b*: Τὸ μέγα καὶ ἄθυτον ἱερεῖον b P. 685.
(ἵν' οὕτως εἴπω) ὅσον ἐπὶ τῇ πρώτῃ φύσει ταῖς νομικαῖς θυσίαις ἐγκαταμίγνυται, καὶ οὐ μικροῦ μέρους τῆς οἰκουμένης, οὐδὲ πρὸς ὀλίγον, ἀλλὰ παντὸς τοῦ κόσμου καὶ διαιωνίζον καθάρσιον. *Magna illa, &, quantum ad primam naturam, immactabilis, ut ita loquar, victima, legalibus sacrificiis immixta est; illa, inquam, non exigua cujusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi*
nunquam intermoritura expiatio. Idem ibidem *c*: Ῥανίδες c P. 696.
αἵματος ὀλίγαι κόσμον ὅλον ἀναπλάττουσι, καὶ γίνονται καθάπερ ὀπὸς γάλακτι πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰς ἓν ἡμᾶς συνδέουσαι καὶ συνάγουσαι. (In Christo) *exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt, atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in unum nos coniungentes & constringentes.*

Ambrosius lib. de Paradiso c. VIII. *Accipiant, qua ratione Dei filius, vel prævaricaturo mandaverit, vel elegerit proditurum. Venerat Dominus Jesus* OMNES *salvos facere prodituros: etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem. Et ideo nec proditurum debuit præterire, ut adverterent omnes, quod in electione* ETIAM PRODITORIS SUI, *servandorum* OMNIUM *insigne prætendit: nec in eo læsus est vel Adam, quia mandatum accepit: vel Judas, quia electus est. Non enim necessitatem Deus, vel illi prævaricationis, vel huic proditionis imposuit: quia uterque si* QUOD ACCEPERAT *custodisset, à peccato* POTUIT *abstinere. Denique nec Judæos*

omnes

omnes credituros sciebat, & tamen ait: Non veni, nisi ad oves perditas domus Israël. Ergo non in mandante culpa est: sed in prævaricante peccatum est. ET QUOD IN DEO FUIT, OSTENDIT OMNIBUS, QUOD OMNES VOLUIT LIBERARE. Idem lib. v. de Fide cap. III. *Sed* ECCLESIASTICA FIDE, *& Dei patris & David, idem atque unus est filius:* QUIA *incarnationis Dei mysterium* UNIVERSÆ SALUS *est* CREATURÆ, *secundum quod scriptum est a, Ut sine Deo* PRO OMNIBUS *gustaret mortem. Id est, quòd* CREATURA OMNIS, *sine passione aliqua divinitatis, Dominici sanguinis redimenda sit precio. sicut alibi habes,* OMNIS CREATURA *liberabitur à servitute corruptionis.* Item in Psalm. XXXIX. vers. 1. qui est, *Exspectans exspectavi Dominum; Mortem unigeniti Filii Dei,* factam ait, *pro totius humani generis absolutione.* Et mox alia addit in hanc mentem. Idem in Psal. XXXIX: *Quis iste sit agnus, audistis dicentem, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, qui occisus est ab omni populo Judæorum; quem adhuc hostili odio persequuntur. Et illum quidem oportebat pro* OMNIBUS *mori, ut in ejus cruce fieret remissio peccatorum, & sanguis ipsius* MUNDI *inquinamenta lavaret.* SED VÆ ILLIS, *qui auctorem* PROPRIÆ SALUTIS *negaverunt.* Idem in Psalm. CXVIII. serm. VIII. penè extremo, ubi verba illa, *Misericordiâ Domini plena est terra;* sic explicantur: *Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed, quod solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit.* Idem Ambrosius lib. II. de Cain & Abel cap. III: *Ipse, qui pro* SALUTE UNIVERSORUM *exspectatus advenit, pro me est utero editus originali, pro me oblatus, pro me gustavit mortem, pro me resurrexit. In quo* OMNIUM HOMINUM *suscepta est* REDEMTIO, *assumpta est resurrectio.* Et mox: *Videbat enim, laborantes* NON POSSE *sine remedio salvari, &* IDEO *medicinam tribuebat ægris.* IDEO OMNIBUS *opera sanitatis detulit, ut quicunque perierit, mortis suæ caussas sibi adscribat, qui* CURARI NOLUIT, CUM REMEDIUM HABERET, QUO POSSET EVADERE. *Christi autem manifesta* IN OMNES *prædicetur misericordia, eo quòd ii qui pereunt, suâ pereunt negligentiâ: qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Illustrem etiam Ambrosii locum superiùs citabamus ex tractatu de secundâ interpellatione David cap. II. Item ex lib. de Paradiso cap. VIII.

a Heb. 2. 9. Ubi Ambrosius pro χάριτι Θεοῦ legit, χωρὶς Θεοῦ, ut & Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius. Quasi sententia sit, Christum pro omnibus, etiam angelis, Deo solo excepto, mortuum esse.

b P. 105. Epiphanius hæresi LV b: Πρῶτον μὲν ἑαυτὸν προσενήνοχεν, ἵνα λύσῃ θυσίαν παλαιᾶς διαθήκης, τὴν ἐντελεστέραν ζῶσαν ὑπὲρ παντὸς κόσμου ἱερουργήσας. *Et primum quidem se ipsum obtulit, ut solveret sacrificium veteris Testamenti, cum perfectius & vivens pro toto mundo obtulerit.*

Andreas Cæsareensis ad cap. 1. Apocal. *Illum decet honor, gloria, & imperium, qui ardenti caritate incensus, sua morte genus nostrum à mortis vinculis liberavit, sanguinisque vivifici, & aquæ effusione à peccatorum sordibus nos abluit, ac in regum sacerdotum cooptavit.*

Scriptor commentariorum in epistolas Pauli Ambrosio tributorum, in epist. ad Ephes. cap. II.: *Pro omnibus tam Judæis quam gentilibus mortuus est. Omnibus enim profecit mors salutaris. Resurgens enim à mortuis damnata morte, quæ tenebat omnes, ostendit, quam spem haberent credentes in eum. Hinc mandavit prædicationem, quâ omnes convocarentur ad Deum Patrem in unitate spiritus.* Idem in 1 Cor. VIII. II: *Et tu eris occasio mortis fratris,* (de animæ morte loquitur) *quem Christus ut redimeret, crucifigi se permisit.*

Gregorius Nazianzenus orat. XXXVIII. quæ panegyrica est in Christi nativitatem a. Πρὸς ταῦτα τί φασιν ἡμῖν οἱ συκοφάνται, οἱ πικροὶ τῆς θεότητος λογισταί, οἱ κατήγοροι τῶν ἐπαινουμένων, οἱ σκοτεινοὶ περὶ τὸ φῶς, οἱ περὶ τὴν σοφίαν ἀπαίδευτοι, ὑπὲρ ὧν Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν, τὰ ἀχάριστα κτίσματα, τὰ τοῦ πονηροῦ πλάσματα? *Quid ad hæc dicunt nobis sycophantæ, acerbi illi divinitatis expensores, rerum laudandarum accusatores, tenebrosi circa lucem, circa sapientiam imperiti,* PRO QUIBUS CHRISTUS GRATIS MORTUUS EST, INGRATÆ CREATURÆ, DIABOLI FIGMENTA? Eadem iisdem verbis repetit orat. XLII. quæ secunda est in Pascha. Idem orat. XLII b: Ῥανίδες αἵματος ὀλίγαι κόσμον ὅλον ἀναπλάττουσι, καὶ γίνονται καθάπερ ὀπὸς γάλακτι πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰς ἓν ἡμᾶς συνδέουσαι καὶ συνάγουσαι. Ὦ πάσχα τὸ μέγα καὶ ἱερόν, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου καθάρσιον! *Exiguæ sanguinis guttæ orbem totum instaurarunt, omnibusque hominibus sunt id quod lacti coagulum, in unum nos colligentes ac conjungentes. O pascha magnum & sanctum, totiusque mundi piaculum.*

a T. 1. pag. 620.

b T. 1. pag. 696.

Chrysostomus in 1 Tim. cap. II. ait c, Christum etiam mortuum esse pro gentilibus, hoc est, iis, qui in infidelitate moriuntur. De his enim loquitur, quia dicit, Christum fecisse quantum in se est, ut qui etiam mortuus sit pro credere nolentibus: quòd verò nihil iis passio Christi prosit, id ipsorum fieri culpâ, quia credere nolint. Nam cum antecessisset, Χριστὸς ὁ θεὸς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων d, hoc pacto quærit, τί οὖν καὶ Ἑλλήνων; εἰπέ μοι e: atque id ubi affirmarat, iterum quærit hoc modo, πῶς οὖν οὐκ ἐπίστευσαν f: ac respondet, ὅτι οὐκ ἠθέλησαν· τὸ δὲ αὐτοῦ μέρος γέγονε g.

c P. 1557. edit. Commel.

Synesius epist. LVII: Ἔδει γὰρ ὑπὲρ τῶν ἁπάντων ἁμαρτίας σταυρωθῆναι Χριστόν. *Oportebat enim pro peccatis omnium in crucem tolli Christum.*

Augustinus Enarratione in Psalm. XCV: *Tenebantur homines captivi sub diabolo, & dæmonibus serviebant; sed redempti sunt à captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt qui dicunt, aut illud tam parvum esse, ut solos Afros emerit: aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergò exultent, non superbiant: pro toto dedit, quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit quanti emerit, & quantum dederit.*

d Christus qui semet ipsum dedit redemtionem pro omnibus.

e Num etiam pro gentilibus? dic mihi.

f Quomodo igitur non crediderunt?

g Quia noluerunt. Ille tamen, hoc est, Christus, partes suas est executus.

Isidorus Pelusiota lib. III. epist. CCCXIII: Ὁ καλλίνικος τῶν οὐρανῶν βασιλεύς, ὁ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων τὴν ἐπιδημίαν τῇδε ποιησάμενος, πᾶν τὸ ἁμαρτηθὲν ὡς βάρβαρον χειρωσάμενος, ὡς οἰκεῖον μετὰ τὴν νίκην ᾤκτειρε. *Ille victoriæ pulchritudine insignis cælorum rex, qui ob hominum salutem peregrinationem huc instituit, postquam* OMNE QUOD PECCATUM FUIT, *tanquam barbarum,* DEVICIT, *miseratus est parta victoria, tanquam misereri ejus proprium esset.*

Cyrillus epistol. ad Ægypti Monachos, tom. 1. concil. Ephes. cap. 1 b: Εἷς ὑπὲρ πάντων, ὁ πάντων ἀξιώτερος, τὴν ἰδίαν τέθεικε ψυχήν, ἵνα ἐν τοῖς ἁπάντων αὐτὸν ὑπήρχη σώμασιν ἡ φθορά, καὶ τὸ τοῦ θανάτου καταλύοιτο κράτος. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκομεν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθησόμεθα. *Unus,* OMNES *dignitate præstans, pro* OMNIBUS *animam suam posuit, quo hac nimirum ratione corruptio in* OMNIUM *corporibus enervaretur, mortisque imperium dissolveretur. Etenim, ut in Adam omnes moriuntur, sic è contrario in Christo omnes vivificantur.* Idem lib. IV. adversus Nestorium i: Ἐπειδὴ δὲ γέγονεν ἄνθρωπος ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ λόγος, ἔμελλέ τε χάριτι θεοῦ διὰ τὸ ἴδιον σαρκὸς ὑπὲρ παντὸς γεύσασθαι θανάτου, καὶ δυσπόστατον αὐτοῦ καταλύειν κράτος, ζωοποιήσας ὡς θεὸς τὸν ἴδιον ναὸν &c. *Quia unigenitus Dei Sermo factus est homo, & gratiâ Dei pro omnibus mortem erat gustaturus, & inexpugnabile dissoluturus robur ejus,*

h Pag. 9. edit. Commel.

i Pag. 5. edit. Com.

ejus, vivificando, ut Deus, templum suum &c. Ait ἁπλῶς, mortuum Christum pro omnibus: addit, eum, vivificando semet ipsum, solvisse robur mortis, quatenus nempe, ut se interpretatur epistolâ ad Successum de Fide, *primogenitus factus ex mortuis, & ipsi humana natura*
c P. 114. edit. Rom. *aperuit aditum immortalitatis.* ᾗ γὰρ, inquit, γέγονεν πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐδοποίησε τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει τὴν εἰς ἀφθαρσίαν ὁδόν. Non dicit, fidelibus aut crediturris solùm immortalitatis aditum patefactum, sed τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, quia nempe omnibus & singulis hæc via monstratur, eamque ingrediendi potestas confertur. Similiter idem libro adversus Anthropomorphitas cap. VIII: Ἡ κατὰ πάντων καὶ γενικωτάτη λύτρωσις ἐν Χριστῷ πεπλήρωται. *Omnium, & quidem generalissima redemptio in Christo perfecta est.* Idem Cyrillus in Iohan. lib. II. cap. LIII: *Magnum autem crimen incredulitatis esse ostendit, quoniam unigenitus ipse sit Dei Filius. Nam quanto præstantius est, quod contemnitur: tanto majoribus, qui spernit, suppliciis subjacet. Judicatum vero jam esse ait incredulum, quòd ipse in se ipsum, quoniam largitorem indemnationis non suscepit, condemnationis intulit sententiam.*

b P. 240. edit. Rom. a. 1535. Theodoretus Serm. X. de Providentia *b* sic Dominum inducit dicentem: Ἀπεδίδουν γὰρ ὑπὲρ τοῦ γένους τὸ χρέος. *Debitum persolvi pro genere humano.* Et mox: Ἀπεδίδουν τοίνυν τὸ τῆς φύσεως ὄφλημα. *Natura ergò debitum persolvit.* Item, Βλέπε τὸ γραμματεῖον τῆς φύσεως ἀπηλειμμένον, ὦ πικρὲ θάνατε. *Vide naturæ chirographum sublatum, ô amara mors.* Idem in 1 Cor. VIII. 11: *Tu qui à Christo accepisti cognitionem, eum, qui ab ipso servatus est, dono interimis.*

c Subjecta ea Cyrilli libris adversus Nestorium, in edit. Rom. d Extrema pag. 128 Proclus Constantinopolitanus, epist. *c* ad Armenos de fide *d*: Καὶ κενοῖ ἑαυτὸν ἐν δούλου μορφῇ, μηδεμίαν τῆς θεότητος περιγραφὴν ὑπομείνας. καὶ οὕτω σώζει πᾶν τὸ ἀνθρώπινον γένος. *Et inanit se ipsum in formâ servi, nullam deitatis circumscriptionem sustinens, & hoc modo* SERVAT OMNE HUMANUM GENUS.

Prosper quoque multa pro hac sententiâ scripsit. Quod quâ occasione fecerit, docet nos Fulgentius lib. I. ad Monimum: *Præterito*, inquit, *tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi à quibusdam Gallis objectum, quòd B. Augustinus in assertione prædestinationis divinæ peccatores non ad solum prædestinatos diceret judicium, sed etiam ad peccatum: cujus dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper, vir eruditus & sanctus, rectè defendit, fideli & copioso sermone.* Inter ea Gallorum capitula, quæ in Augustino damnabilia se reperisse jactabant, nonum hoc erat: *Quòd non pro totius mundi redemtione Salvator sit crucifixus.* Ad hoc respondet Prosper, generatim quidem in præfat. ubi, de hoc & cæteris capitulis loquens, negat, *talem sensum scriptis Catholici inesse doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant.* particulatim verò in responsione ad cap. IX. ubi ait: *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo, Domino nostro, suscepta non fuerit.* Et mox: *Cum itaque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemtione crucifixus, propter veram naturæ humanæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem:* POTEST *tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Et paullo pòst; *Diversa ab istis* (qui Christum receperunt) *sors eorum est, de quibus dicitur: Mundus eum non cognovit ut possit secundùm hoc dici, Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt.* Idem Prosper in sententiis (quas responsionibus ad capitula Gallorum subjecit) super hoc nono illorum capite sic scribit: *Qui dicit, quod non pro totius mundi redemtione Salvator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed infidelium respicit partem: cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit: à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt: aut post redemtionem ad eandem sunt servitutem reversi.* Etiam Vincentius inter objectiones suas posuerat, *Quòd Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute & redemtione sit passus.* Generatim ad hoc cæterasque objectiones respondet Prosper in præfatione, his verbis: *Ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia diabolico continentur indiculo, quæ falsò in nos, ad excitandam invidiam, jactitari, facile & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis, nisi malignitas eorum qui se gravari putant, si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura.* Particulatim verò respondet ad eam in hunc modum: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet caussam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemtionis alieni sunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium caussam à Domino nostro in veritate susceptam,* RECTE OMNES DICANTUR REDEMTI, *& tamen non omnes à captivitate sint eruti: redemtionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras.* Et mox: *Quod per unicum exemplum gestum est* PRO UNIVERSIS, *per singulare sacramentum celebratur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostrâ,* (hoc est, naturâ humanâ, quam Christus assumsit) *& veritate divinâ, habet quidem* IN SE, *ut omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.*

Scriptor libb. de vocatione Gentium, lib. II. cap. XVI. (cujus capitis hoc lemma: *Quòd Christus pro omnibus impiis mortuus fuerit*) sic scribit: *Nulla ratio dubitandi est, Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum, à quorum numero liber inventus est. Nonne pro omnibus mortuus est Christus? Sed prorsus pro omnibus mortuus est Christus.* Et post aliqua: *Sive ergò circumcisio, sive præputium, peccato universaliter concludebatur, unusque omnes reatus obstrinxerat, & inter magis minusque impios nemo erat, qui posset absque Christi redemtione salvari: quæ redemtio universo sese intulit mundo, & omnibus hominibus indifferenter innotuit.*

Salvianus Massiliensis lib. II. contra Avaritiam: *Licet generale sit debitum, & speciale tamen esse, non dubium est: licet sit commune omnium, est tamen peculiariter singulorum. Ita ad omnes æqualiter pervenit, ut tamen de summâ unicuique nil recedat. Christus enim, sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis: & cunctis se impendit, pariter & singulis. Et totum se dedit universis, & totum singulis: Ac per hoc quicquid passione suâ Salvator præstitit, sicut totum ei debent universi, sic totum singuli: nisi quod propè hoc plus singuli, quàm universi; quod tantum acceperunt singuli quantum universi. Ubi enim hoc unus accipit, quod universi, etsi par est mensura, major invidia est.* Quem ad locum sic scribit in commentariis suis vir Cl. Conradus Rittershusius: *Hic quoque locus probè notandus est, ad refellendos quosdam, qui id negant. Neque enim ideò non pro omnibus credi debet Christus passus, etiamsi non ad omnes redundet ac perveniat passionis ejus fructus, sed nimis multi damnentur ac pereant. Nobis autem orandum est in hunc modum:*

Participes fac nos meritorum, ô Christe, tuorum,
Ne careat fructu passio morsque tua!

Primasius quoque in illud 1. ad Timoth. cap. II. *dedit redemtionem semet pro omnibus*, etsi velit, *omnes*, συνεκδοχικῶς accipiendum, si de applicationis efficaciâ intelligatur; tamen de universis & singulis capiendum putat, quantum ad pretii expensi meritum attinet. *Constat*, inquit, *Deum omnia bona velle; sed homines suo vitio præcipitantur in malum.* Et mox: *Pro omnibus quidem effusus est sanguis Christi: sed credentibus prodest: incredulis vero erit in condemnationem.* Similiter accipit Gaudentius Brixiensis, qui tempore Ambrosii vixit, tractatu 8. qui primus est de lectione Euangelii.

In his verò & similibus patrum locis, quibus Christus universorum hominum Servator ex Apostolo Paulo dicitur, non hoc sic intelligi debet, quasi reapse effecerit, ut omnes actu serventur: sed quia omnia effecit necessaria ut servari possent. Nam quamquam non omnes ingrediantur salutis viam, culpa tamen hæc Christi non est, cùm is viam hanc patefecerit; sed culpa eorum est, qui ingredi nolunt.

Imp. Justinianus edicto publico, quod fidei ejus confessionem continet: *Ipse igitur verus Filius Dei* OMNES *nos indutus est*, UT OMNES INDUAMUR UNUM DEUM. Christus, inquit, eandem omnibus carnem induit, ut prodesse posset omnibus. At qui natus pro omnibus, is quoque passus pro omnibus.

Clemens, *συνεργὸς* S. Paulli, in Euangelii propagatione, ut legimus Philipp. IV. 3. epist. supposititia ad Jacobum Domini fratrem *a*; Mysterium incarnationis Filii Dei, qui pro SALUTE HUMANI GENERIS *à patre de cælo descendens, de virgine nasci dignatus est*, &c. Extat ea epistola fol. 132. operum Clementis edit. Sonnii an. 1568. & concil. general. tom. 1. pag. 28. edit. Colon. 1606. Supposititiam verò esse, cùm alia argumento sunt, tum quòd veteres ejus non meminerint, item quod Iacobus Domini frater septennio ante B. Petrum obiit, at ei Clemens mortem ac Cygneam Petri concionem epistolâ hac nunciare haut potuerit.

a P. 138.

Anastasius Sinaïta episcopus Antiochenus de rectis fidei Catholicæ dogmatibus lib. IV. qui est de passione & impassibili Deitate Christi *b*; *Effusus est sanguis ejus, qui multis redimendis sufficeret: forsan melius fuerit dicere omnibus; sunt siquidem & omnes multi.*

b T. I. Biblioth. Patrum, edit. 2. col. 396.

Damascenus quoque Christum pro omnibus mortuum censuit, unde oratione de Sabbato Sancto, quæ Antverpiæ cum Plantini interpretatione nuper prodiit, passionem ejus vocat *c* ὑπὲρ τοῦ κόσμου ἱερεῖον *d*. & aliquanto antè *e*, πάθος τὸ παντὸς τοῦ κόσμου σωτήριον *f*. nempe non ratione eventus, quasi omnes qui in Adamo perierant, salventur per Christum, sed ratione finis propriè dicti, quia proposuerat sibi Christus, ἵνα τῇ ἑαυτοῦ νεκρώσει τῇ ἁμαρτίᾳ ἀνθρώπου, καὶ πάντας ἀνελκύσῃ τῷ σταυρῷ λύσῃ τῶν δεσμῶν, καὶ ἄφθαρτον ἀναστήσῃ ut idem inibi ait *h*.

c P. 264.
d Sacrificium pro mundo.
e P. 236.
f Supplicium toti mundo salutare.
g Ut hominem in peccato mortuum, ejusque constrictum catenis, vinculis his liberatum dimitteret.
h P. 246.

Isychius in Levitici cap. XVI: *Lex filios Israël reos maledicto & mortis constituit, ut propterea necessariam haberent expiationem, & pro eis quidem principaliter unigenitus immolaretur sacrificium. Immolatur autem & pro omnibus hominibus, ita ut Caiphas diceret: Oportet ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quodque dictum erat, confirmans, simulque & corrigens Euangelista Iohannes, addidit: Hoc autem à semet ipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetavit, quia moriturus esset Iesus* PRO GENTE, ET NON SOLUM PRO GENTE, SED UT *Filios Dei qui dispersi erant, in unum colligeret*: GENTES *videlicet*. Et paullo pòst: *Pro sensibili Israël Iesus immolatus, &* PRO OMNI HUMANO GENERE *ad expiationem immunditiarum nostrarum obtulit.*

Maximus monachus in capit. Theologicis centur. I. cap. LXXI: Διὰ καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς Χριστὸς, τὴν αὐτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ἐνδειξάμενος, ὑπὲρ ὅλης τῆς ἀνθρωπότητος ἔπαθε, καὶ πᾶσιν ἐξ ἴσου τὴν ἐλπίδα τῆς ἀναστάσεως ἐχαρίσατο. *Ideo Dominus noster & Deus Jesus Christus, eâdem caritate nobis ostensâ, pro universo genere humano passus est, & omnibus ex æquo spem resurrectionis gratuito largitus est.*

Concilium Toletanum VI. (quod anno Dom. IↃCXXXVIII. ex Hispaniæ Galliæque episcopis coactum fuit) cap. I: *Ex tribus divinitatis personis solum Filium fatemur ad redemtionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, à secreto Patris arcanoque prodisse.*

Elias Cretensis ad orat. I. Nazianz. *i*. *Christus dictus est redemtio, ut nos peccato venditos in libertatem asserens, & quia pro totius orbis expiatione tanquam redemtionis pretium se ipsum dedit.*

i T. 2. Com. col. 216. edit. Morell.

M. Albinus in Joh. cap. III. ad illa verba, *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*; QUANTUM, inquit, IN MEDICO *est, sanare venit ægrotum: se interimit, qui præcepta medici observare non vult.*

In constitutionibus Caroli Magni *a*: *Item prædicandum est, quomodo Dei Filius incarnatus est de Spiritu Sancto & ex Mariâ semper virgine, pro salute & reparatione humani generis passus, sepultus, & tertiâ die resurrexit, & adscendit in cælos, & quomodo iterum venturus sit in majestate divinâ judicare omnes homines.* &c.

a P. 158. edit. Moguntinæ in qua Sirmonus subjunctæ.

Theophylactus ad Rom. XIV. 15: *Propter cibum perdis & subvertis fratrem, quem tanti Christus facit, ut pro ipso mortem obire dignatus sit. Animadvertens enim, te manducare porcinam carnem, quâdam tui erga ipsum contentione redditur pertinacior, adeoque periclitatur* A CHRISTO, DEFICIENDO, *ut sese legi tandem* TOTUM *tradat affigatque*. Idem ad I Cor. VIII. 11: *Fit occasio interitus fratri, propter quem Christus etiam obiit. Christus quidem pro ipso non detrectavit mori: tu vero ne à cibis quidem abstines, ut ne offendatur.* Et quid apertius istis in epist. ad Hebr. II. 9. *Deus Filium suum nobis dedit in mortem, non pro fidelibus tantum, sed pro universo terrarum orbe. Etsi enim non omnes sunt servati, ipse tamen, quod sui officii erat, implevit.*

Oecumenius in eundem locum: εἰ γὰρ καὶ μὴ πάντες ἐσώθησαν διὰ τὴν οἰκείαν ἀπιστίαν, αὐτὸς μέν τοι τὸ οἰκεῖον ἐπὶ πάντας καὶ ὑπὲρ πάντων ἐποίησε. *Quamquam enim non omnes salvi facti sint, ob suam incredulitatem, ipse tamen, quod suum erat, ad omnes & pro omnibus fecit.*

Niceras Choniates in annalibus in Joanne Comneno *b*: Τὸ τῆς ἡμετέρας φύσεως πτῶμα πεσὸν ἀνήγειρεν ὁ Χριστὸς ἐπὶ σταυροῦ τὰς χεῖρας διεὶς, καὶ μικρᾶς ῥανίσι κόσμον ὅλον εἰς ἕνωσιν ἀγαγών. *Christus, extensis in cruce manibus, naturæ nostræ ruinam suo casu erexit, & parvis guttis totum mundum univit.*

b P. 11. edit. Bas. 1557.

Manuel Palæologus orat. VI *c*: Φιλεῖ ὃν ἔπλασε χερσὶν ἰδίαις ἀπὸ πηλοῦ, προϋπάρξαντος καὶ τούτου ἐξ οὐδενὸς, καὶ πάντας θέλει σωθῆναι δι' οἰκείαν ἀγαθότητα· ἐφ' ᾧ καὶ γέγονεν ἄνθρωπος, καὶ πέπονθεν ὑπὲρ ἡμῶν. *Amat* (Christus) *quem propriis manibus ex luto finxit: quod ipsum prius ex nihilo produxerat: & omnes vult salvari propter bonitatem suam: ob quam & homo factus, & pro nobis passus est.* Et mox: Εἰ τοίνυν θέλει πάντας σωθῆναι μετανοήσαντας, δύναται δὲ ὅσαπερ θέλει, οὐδὲν τι δήπου λείπεται τοῖς ἐν ἁμαρτίαις πρὸς τὸ σωθῆναι, ἢ τὸ θελῆσαι μετανοῆσαι, καὶ ἔργα δεῖξαι τῆς μετανοίας. *Itaque si vult, omnes salvos fieri, & potest, quæcunque vult; nihil, ut salventur, deest iis, qui constituti sunt in peccatis, quam ut resipiscere velint, & ostendere opera pœnitentiæ.* Habet similia eadem orat. *d* Item orat. matutina Dei celebrationem continente *e*: καὶ τεθνάναι σαυτὸν ἐξέδωκας, καὶ ἔσωσάς γε τῷ σῷ θανάτῳ, τὸ ἐπὶ σοὶ, ἑξῆς τοὺς πάντας ἀνθρώπους. *Pro omnibus morti te ipsum tradidisti, ac morte tuâ servasti, quod in te quidem est, omnes omnino homines.* Hæc dicta sunto de controversiâ, An Christus pro omnibus passus sit: de quâ Pelagio quæstio non erat cum Catholicis ratione adultorum, sed duntaxat ratione infantium, pro quibus Christum esse mortuum negabat. Quâ de re satis diximus lib. II. part. II. Thes. IV.

c P. 300. & 301.
d P. 330.
e P. 418.

THESIS IV.

Quemadmodum verò, quæ obedientiâ suâ Christus acquisivit, ea omnes homines tangunt: ita illa omnibus in verbo offerri, antiqui Patres judicarunt. Atque huc referunt illud Esaiæ LXV. 2. Tota die ex-

pandi

pandi manus meas ad populum incredulum, &c. *Et hoc Matth.* XX. 16. Multi vocati, pauci electi. *Item quod Roman.* II. 4. *dicitur,* μακροθυμίαν *Dei etiam illos invitare ad pœnitentiam, qui thesaurizant sibi iram. Et sane testimoniorum hujusmodi plena est Scriptura; quæ aperte ostendunt, per verbi prædicationem non electos solum, sed etiam reprobos, secundum quandam supernæ bonitatis & misericordiæ mensuram, vocari ad participationem gratiæ salutaris. Nec Dei voluntatem esse, ut aliquibus, sed ut omnibus Euangelium prædicetur, qui audire illud possunt; clare docemur mandato Christi, qui omni creaturæ in quaque gente prædicare illud jubet,* Matth. XXVIII. 19. & *Marc.* XVI. 15. *Cui mandato obtemperare aggressi Apostoli, dicunt* Act. XVII. 30. *omnibus ubique* (πᾶσι πανταχοῦ) *hominibus denunciare, ut resipiscant: Et ratio divinæ voluntatis continuò subjungitur, quia omnes judicaturus est extremo die per Christum. Atqui etiam reprobi sunt judicandi. Ut Paulinum hoc plane geminum sit dicto isti* 2 *Petri* III. 9; Non tardat Dominus promissum (*de adventu suo ad judicium extremum,*) sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. *Est igitur vocatio universalis, ratione Dei mandantis, ut omnibus Euangelium prædicetur, & exigentis, ut ab omnibus audiatur ac recipiatur. Quodsi quibus illud non annuncietur, defectus iste Deo tribui non debet: sed partim prædicatorum incuriæ, quorum non ea est industria ac fides in dispensatione verbi, quæ debebat: partim majoribus illorum, à quibus non anauatiatur: (ut quorum negligentiâ verbi veritas paullatim sit amissa; unde fiet, ut justus Deus ab illorum manibus totius posteritatis sanguinem repescat:) partim ipsorum peccatis, quæ Deus, ob caussas nobis ignotas, in unâ gente magis quàm aliâ, privatione Euangelii vindicat. Itaque in parabolâ Matth.* XIII, *non in seminante, sed in terrâ, culpa esse dicitur, quòd semen non fructificet. Et Luc.* XIV. 18. *non in patremfamilias vocantem ad cœnam, sed in vocatos, culpa conjicitur quòd non fruantur beneficiis quæ offeruntur. Nec interea Deus nationes istas, quibus Euangelii lux non affulget, omnis omnino gratiæ relinquit expertes. Nam Apostolus ad Rom.* I. *ait, gentes Deum ex operibus cognoscere: & Rom.* II. *dicuntur natura facere, quæ legis sunt: & Act.* XIV. *docetur, Deum non reliquisse gentes sine testimonio bonitatis suæ: & ex Act.* XVII. *discimus, eò hoc testimonium illis relictum esse, ut quærerent Deum, si fortè palpando invenirent, quamvis non longè absit ab unoquoque nostrûm. Hanc verò gratiam iis Deus fecit, non hoc fine, ut sint inexcusabiles: (quando Deus donorum suorum usum intendit, non abusum: ac secus si agat, jam homines inexcusabiles futuri non sint:) sed ut pro mensurâ gratiæ glorificent Deum. Quod si facerent, non desunt viri sancti & eruditi, quibus verisimile videatur, tales non merito quidem suo, sed tamen misericordiâ Dei, perducendos esse ad Euangelii cognitionem: sive id futurum esset modo ordinario per prædicationem verbi à presbyteris factam, sive modo extraordinario, ut per Angelorum ministerium, aut aliqua alia ratione hominibus ignotâ. Sed anti qui, istac conjecturâ supersessâ, ferè contenti sunt dicere, etiam gentes istas habere aliquam revelationis vocationisque divinæ mensuram, cui non respondeant: quod verò eos magis quam nos destituat gratia Euangelicæ prædicationis, id esse à justo Dei judicio, sed occulto & imperscrutabili.*

QUod ad vocationem attinet, docent Patres, valde quidem inæqualem esse gratiam vocationis; sed tamen universos homines aliquam habere revelationis vocationisque mensuram. atque id probant cùm ex aliis Scripturæ locis, tum imprimis ad Rom. I. ubi Apostolus ait, Gentes Deum ex operibus cognoscere. & Rom. II; ubi dicuntur naturâ facere quæ legis sunt. tum Act. XIV; ubi Deus dicitur non reliquisse Gentes sine testimonio bonitatis suæ. & Act. XVII; quo in loco dicitur, hoc testimonium eò illis relictum esse, ut Deum, si fortè, palpando invenirent, quamvis non longè absit ab unoquoque nostrûm. Nec cum hac sententia pugnare arbitrantur quòd nullis non prædicatur Euangelium, per quod ἀμέσως confertur gratia actu salutaris: verùm statuunt, quia lex ducendo ad pœnitentiam præparat ad Christum, (unde ab Apostolo dicitur pædagogus ad Christum) eo dici quoque posse, homines per legem vocari ad salutem: non quasi aut immediatè ea salutem conferat, quod unius est Euangelii; aut quasi in se id faciat, cùm per se iram operetur, & mortis sit ministerium: sed quatenus ex ordinatione Dei per hoc medium homines disponuntur ad gratiam, pro quâ gratiâ proximè & immediatè disponit ad gratiam regenerantem. Hujusce vocationis duas faciunt partes. unam externam, per verbum; alteram internam, per Spiritum Sanctum: quæ duo ordinariè docent concurrere, eo quòd Verbum citra Spiritum inutile sit *a*, ac — a 1 Cor. III. 7.
Deus nolit ut verbum suum inutiliter prædicetur *b*. Unde — b Esa. LV. 11.
& cùm Scriptura dicit, homines resistere Spiritui Sancto, non id interpretantur de solo verbo Spiritus ductu prædicato, sed etiam de internâ operatione Spiritus verbo adsistentis. Quòd autem dixi, ea ordinariè ac communiter concurrere, id sententiam habet, non quidem negâsse Patres, fieri posse ut Spiritus iis in auditoribus quiescat, qui contemtu Euangelii se vitâ æternâ reddidere indignos; sed sensisse tamen, Spiritum à verbo nunquam in iis separari, qui primò ad salutem vocantur, neque diuturnâ rebellione ac protervâ contumaciâ meriti sunt ut desinat in iis Spiritus operari, suisque eos desideriis relinquat: ut nempe hìc quoque locum habeat Proverbium vetus *c*, *Qui non vult, cùm potest; non utique poterit, cùm volet.* — c Io. Sarisberiensis lib. VIII. Policratici, cap. 17.
Quòd, nisi ordinariè Spiritus cum verbo in vocatione hominis concurrat, consequi veteres putârunt ut hypocrisis cadat in Deum: nec enim quicquam magis sinceritati aut etiam æquitati repugnare, quàm ut quis juramento firmet, nolle se mortem peccatoris, sed ut vivat; nec tamen vires peccatori tribuat, per quas præsens mortis periculum, si velit, evadat: aut ut cum debitore qui omnia decoxerit, (quales nos omnes nunc coram Deo sumus) novum se fœdus seriò inire paratum dicat, nec tamen ei conditionem præscribat præstabilem.

Ex his omnibus nihil aliud consequitur, quàm docere Patres, saltem omnibus per Euangelii prædicationem vocatis offerri gratiam salutarem, idque non externè modò, sed etiam internè. Nunc addo, velle eosdem, non solùm per Euangelii prædicationem vocatis, verùm universis quoque totius Orbis incolis, qui sunt, fuerunt, erunt, offerri, & oblatum iri gratiam, quæ licet non sufficiat ad immediatè ingenerandam fidem, sufficiens tamen sit ad id, ut hominem proximè quidem ad gratiam communem, remotè autem ad gratiam regenerantem possit disponere. Hanc ejus gratiæ sufficientiam & vocationis universalitatem relucere docent in universalibus naturæ documentis, quatenus nempe omnes homines insculptam habent legem in cordibus suis; quatenus item universis hominibus ex rebus creatis manifestum est, quicquid de Deo cognosci potest: quorum utrumque non fit simpliciter ut homines sint inexcusabiles, (quando Deus donorum suorum usum intendit, non abusum; ac si Deus ipse abusum intendat, jam homines inexcusabiles esse non possunt) sed ut pro mensurâ gratiæ Deum glorificent, & pro viribus eum glorificantes ampliorem Dei benignitatem consequantur, usque dum tandem ad salu-

salutarem Christi cognitionem gratiose deducantur: sin autem veritatem in iniquitate detineant, inexcusabiles reddantur; quippe qui eo ipso quòd gratiam hanc contemsere, merentur privari cognitione Christi, quando qui in pauco est infidelis, majori se gratiâ reddit indignum. Quæ tamen omnia non sic accipi volumus, ut existimemus, Patrum mentem esse, hominem ex innatis viribus solisque naturæ conatibus, ut talibus, se posse positive infallibiliterque disponere ad gratiam prævenientem ac primam vocationem, (quam sententiam inferius pluribus diluemus) verùm ut ic circo in cujusvis potestate sit salvari, quia Deus generali eâque liberalissimâ largitudine stet ad omnium ostium & pulset, omnibus non ponentibus obicem divinæ gratiæ, divitias gratiæ ostendat & conferat, nec deserat quemquam, nisi prius ab ipso deseratur. Hoc veterum fuisse judicium, luculentis testibus comprobabimus.

Irenæus lib. IV. cap. LXXVI; *Facere enim, proprium est benignitatis Dei; fieri autem, proprium est hominis naturæ. Si igitur tradideris ei quod est tuum, id est fidem in eum & subjectionem, percipies ejus artem, & eris perfectum opus Dei. Si autem non credideris ei, & fugeris manus Dei, erit caussa imperfectionis in te qui non obedisti, sed non in illo qui vocavit. Ille enim misit, qui vocarent ad nuptias: qui autem non obedierunt ei, semet ipsos privaverunt regiâ cœnâ. Non igitur ars deficit Dei, (potens est enim de lapidibus suscitare filios Abrahæ) sed ille, qui non consequitur eam; sibimet suæ imperfectionis est caussa. Nec enim lumen deficit propter eos, qui semet ipsos excæcaverunt: sed illo perseverante, quale & est, excæcati per suam culpam in caligine constituuntur: neque lumen cum magnâ necessitate subjiciet sibi quemquam; neque Deus cogit eum, qui nolit continere ejus artem. Qui igitur abstiterunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii & suæ potestatis facti.*

Tatianus orat. contra Græcos, postquam docuerat, nos in primis parentibus amisisse Spiritum Dei, absque quo intellectus noster in supernaturalibus nihil sit, nisi tenebræ; ac sine quo nemo veram immortalitatem, quæ in nostri cum Deo commercio sita est, consequi possit: addit, non ita desperatam esse nostram conditionem, ut non in eum statum, unde semel excidimus, restitui valeamus: tantùm enim opus esse, ut denuò amiciamur cælestis Spiritus indumento: eoque induti, ad pristinam cognationem recurramus. Nequis verò objiciat, non esse in manu nostrâ, ut hujusmodi veste ornemur, ait, Deum nulli ad pristinam cognationem aditum præcludere, sed paratum esse omnibus Spiritus sui indumentum donare, qui modò illud non respuant. Δυνατὸν παντὶ γυμνητεύοντι, κτήσασθαι τὸ ἐπικόσμημα, καὶ πρὸς τὴν συγγένειαν τὴν ἀρχαίαν ἀναδραμεῖν. *Possunt omnes nudati, hunc sibi ornatum comparare, & ad pristinam cognationem recurrere.*

Theophilus etiam ad Autolycum lib. I. non dubitat à gentili exposcere, ut cordis sui aonbus verba Dei haurire velit, [a P. 285.] Δεῖξον a βλέποντας τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς σου, καὶ τὰ ὦτα τῆς καρδίας σου ἀκούοντα. *Animi tui oculos præbe videntes: cordis tui aures da operam ut audiant.* Vocat autem oculos cordis, quibus homo δύναται Θεὸν θεάσασθαι b: [b Potest Deum adspicere.] ut mox adjungit. Ac nequis, cur non videat Deum, defectui gratiæ adscribat, solùm requirit, ne homo oculos occludat. Βλέπεται γὰρ Θεὸς τοῖς δυναμένοις αὐτὸν ὁρᾶν, ἐπὰν ἔχωσι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῳγμένους τῆς ψυχῆς. Cujus loci sententiam sic expressit interpres: *Deus non ab omnibus videtur: verum illi soli ejus adspectu frui possunt, quibus datum est: ii nempe, qui animi oculos offerant non clausos, sed apertos.* Mox ibidem gratiam comparat Soli, cujus lumen totum irradiat orbem: mentes verò humanas oculis confert, qui in aliis habent videndi facultatem, in aliis non item: ac nequis cæcitatem eam inevitabile malum putet, ait, hanc inde provenire, quòd homo peccatis ac sceleribus quasi occludat cordis fenestras, ut eos lumen cæleste irradiare intus non possit. Aliquanto etiam pòst, nihil aliud ab homine requirit, quàm ut velit illuminari a; [a P. 189.] Εἰ βούλει, δύνασαι θεραπευθῆναι. ἐπίδος σεαυτὸν τῷ ἰατρῷ, καὶ παρακεντήσει σου τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς καὶ τῆς καρδίας. τίς ἐστιν ὁ ἰατρός; ὁ Θεός, ὁ θεραπεύων καὶ ζωοποιῶν διὰ τοῦ λόγου καὶ τῆς σοφίας. *Si vis, poteris sanari. Medico temet ipsum committe, & oculos animi tui cordisque aperiet, visumque eis restituet. At quis ille medicus? Deus, qui sanat, & vivificat per sermonem & sapientiam suam.* Similiter lib. II. hoc solum exigit, ut velit salvari: Καθάπερ b [b P. 326.] παρακούσας ἄνθρωπος θάνατον ἑαυτῷ ἐπισπάσατο, οὕτως ὑπακούσας τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ, ὁ βουλόμενος δύναται περιποιήσασθαι ἑαυτῷ τὴν αἰώνιον ζωήν. *Quemadmodum suâ inobedientiâ homo sibi mortem attraxit: sic qui Dei voluntati obtemperare vult, potest æternam sibi vitam parare.* Sed imprimis illustris est Theophili locus lib. III c: [c P. 335. & 336.] ubi ait, à Jesaiâ disertim quidem Judæos, sed communiter omnes, ad pœnitentiam vocari: Περὶ οὖν τῆς μετανοίας Ἡσαΐας ὁ προφήτης, κοινῶς μὲν πρὸς πάντας, διαῤῥήδην δὲ πρὸς τὸν λαὸν λέγει. Adfert deinde luculenta Prophetarum testimonia: quibus ostendatur, quantopere Deus omnes omnino peccatores, ne eorum pereat quisquam, ad pœnitentiam exhortetur. Post quæ subjungit: Πολλὰ μὲν οὖν, μᾶλλον δὲ ἀναρίθμητά ἐστι τὰ ἐν ταῖς ἁγίαις γραφαῖς εἰρημένα περὶ μετανοίας, ἀεὶ τοῦ Θεοῦ βουλομένου ἐπιστρέφειν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ πασῶν τῶν ἁμαρτιῶν. *Plurima sunt, & numerum ferè omnem excedunt, quæ in Scripturâ sacrâ, de pœnitentiâ agendâ, comprehenduntur. Nam semper Deus voluit convertere humanum genus ab omnibus suis peccatis.* Alia quoque in hanc mentem adfert ibidem, quæ brevitatis caussa omitto.

Clemens Alexandrinus ἐν προτρεπτικῷ d: [d P. 55. edit. Commel.] Φιλάνθρωπος δὲ ὢν ὁ Κύριος, πάντας ἀνθρώπους εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας παρακαλεῖ. *Dominus autem, cùm sit amans humani generis, adhortatur omnes ad agnitionem veritatis.* Idem in eodem e: [e Pag. 55.] Ἀκούσατε οὖν οἱ μακράν, ἀκούσατε οἱ ἐγγύς. οὐκ ἀπεκρύβη τινὰς ὁ λόγος. φῶς ἐστι κοινόν, ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις. οὐδεὶς Κιμμέριος ἐν λόγῳ. Σπεύσωμεν εἰς σωτηρίαν, ἐπὶ τὴν παλιγγενεσίαν. *Audite ergò, qui estis longè; audite, qui propè. Nullis celatum est verbum, lux est communis: omnibus illucescit hominibus. Nullus est in Verbo Cimmerius. Festinemus ad salutem, ad regenerationem.* Et eodem opere f: [f Pag. 33.] Ἀΐδιος οὗτος, Ἰησοῦς εἷς ὁ μέγας ἀρχιερεὺς Θεοῦ τε ἑνός, τοῦ αὐτοῦ καὶ πατρός, ὑπὲρ ἀνθρώπων εὔχεται, καὶ ἀνθρώποις ἐγκελεύεται. Κέκλυτε μυρία φῦλα, μᾶλλον δὲ ὅσοι τῶν ἀνθρώπων λογικοί, καὶ βάρβαροι καὶ Ἕλληνες. Τὸ πᾶν ἀνθρώπων γένος καλῶ. ὧν ἐγὼ δημιουργὸς θελήματι πατρός. ἥκετε πρὸς ἐμέ, ὑφ' ἕνα ταχθησόμενοι Θεόν, καὶ τὸν ἕνα λόγον τοῦ Θεοῦ. καὶ μὴ μόνον τῶν ἀλόγων ζώων πλεονεκτεῖτε τῷ λόγῳ. ἐκ δὲ τῶν θνητῶν ἁπάντων ὑμῖν ἀθανασίαν μόνοις καρποῦσθαι δίδωμι. ἐθέλω γάρ, ἐθέλω καὶ ταύτης ὑμῖν μεταδοῦναι τῆς χάριτος, ὁλόκληρον χορηγῶν τὴν εὐεργεσίαν, ἀφθαρσίαν. καὶ λόγον χαρίζομαι ὑμῖν, τὴν γνῶσιν τοῦ Θεοῦ, τέλειον ἐμαυτὸν χαρίζομαι. τοῦτο εἰμὶ ἐγώ, τοῦτο βούλεται ὁ Θεός, τοῦτο συμφωνία ἐστί, τοῦτο ἁρμονία πατρός, τοῦτο υἱός, τοῦτο Χριστός, τοῦτο ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, βραχίων Κυρίου, δύναμις τῶν ὅλων, τὸ θέλημα τοῦ πατρός. *Æternus hic, est Iesus unus, qui, magnus Pontifex, & unius Dei, qui idem quoque est pater, orat pro hominibus, & hortatur homines. Audite, gentes innumerabiles, vel potius, quicumque ex hominibus estis ratione præditi, & Barbari, & Græci. Voco omne genus hominum, quorum ego sum opifex voluntate patris. Venite ad me sub uno Deo collocandi, & uno Dei Verbo: nec solâ ratione superate expertia rationis animantia, sed etiam ex universis mortalibus do fruendam vobis immortalitatem. Volo enim, volo vos hac quoque impertiri gratiâ, plenum & integrum præbens beneficium, ut sitis interitus ac corruptionis expertes. Sed & Verbum vobis largior, Dei cognitionem; perfectum me ipsum largior.*

gior. Hoc sum ego, hoc vult Deus. Hoc est consensio, hoc est concentus & harmonia Patris. Hoc Filius, hoc Christus, hoc Verbum Dei, brachium Domini, potestas universorum, voluntas Patris. Idem eopse libro *a*: Φιλάνθρωπος δὲ ὢν ὁ Κύριος, πάντας ἀνθρώπους εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας παρακαλεῖ, ὁ τὸν παράκλητον ἀποστέλλων. Τίς οὖν ἡ ἐπίγνωσις; θεοσέβεια. θεοσέβεια δὲ, πρὸς πάντα ὠφέλιμος, κατὰ τὸν Παῦλον, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς, τῆς νῦν, καὶ τῆς μελλούσης. Πόσου ὡμολογήσατε, ὦ ἄνθρωποι, εἰ ἐπιπράσκετο σωτηρία ἀΐδιος, ὠνήσασθαι ἄν; οὐδὲ, εἰ τὸν Πακτωλὸν τις ὅλον, τοῦ χρυσίου τὸ ῥεῦμα τὸ μυθικὸν, ἀπομετρήσῃ, ἀντάξιον σωτηρίας μισθὸν ἀριθμήσει. Μὴ οὖν ἀποκάμητε. ἔξεστιν ὑμῖν, ἐὰν ἐθέλητε, ἐξωνήσασθαι τὴν πολυτίμητον σωτηρίαν οἰκείῳ θησαυρῷ, ἀγάπῃ καὶ πίστει ζωῆς. ὅς ἐστιν ἀξιόλογος μισθός. ταύτην ἡδέως τὴν τιμὴν ὁ Θεὸς λαμβάνει. ἠλπίκαμεν γὰρ ἐπὶ Θεῷ ζῶντι, ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν. *Dominus autem cùm sit benignus, adhortatur omnes homines ad agnitionem veritatis, qui mittit paracletum. Quænam est ergo agnitio? Pietas ac Dei cultus. Est autem pietas ad omnia utilis, ex Pauli sententiâ, habens promissionem vitæ præsentis & futuræ. Quanti, ô homines, profiteremini eos esse emturos, si salus æterna venderetur? Ne, si Pactolum quidem, qui totus aureo, ut est in fabulis, fluit fluento, quis dederit, pro salute justum pretium numeraverit. Ne ergo defatigemini:* LICET VOBIS, SI VELITIS, *pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, caritate & fide vitæ, quod quidem est justum pretium. Hoc pretium Deus libenter accipit. Speravimus enim in Deo vivo, qui est servator omnium hominum, maximè autem fidelium.* Item: Τίς δαὶ, υἱὸς εἶναι δυνάμενος τοῦ Θεοῦ, δουλεύειν ἥδεται; *Quis autem, cùm possit esse Dei filius, delectatur servitute?* Idem Pædagogi cap. IX: Νουθέτησις μὲν οὖν ἐστι, ψόγος κηδεμονικὸς, νοῦ ἐμποιητικός. τοιοῦτος ὁ παιδαγωγὸς νουθετῶν, ὡς παρὰ τῷ εὐαγγελίῳ, λέγων· Ποσάκις ἠθέλησα συναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ὄρνις συνάγει τὰ νοσσία αὐτῆς· καὶ οὐκ ἠθελήσατε! Αὖθις τε ἡ γραφὴ νουθετεῖ· Καὶ ἐμοίχευσαν, λέγουσα, τὸ ξύλον καὶ τὸν λίθον. καὶ ἐθυμίασαν τῇ Βάαλ. μέγιστον γὰρ τεκμήριον τῆς φιλανθρωπίας αὐτοῦ, ὅτι, καίτοι σαφῶς εἰδὼς τὴν ἀναισχυντίαν τοῦ ἐκλακτίσαντος λαοῦ, καὶ ἀποσκιρτήσαντος, ὅμως τὴν μετάνοιαν παρακαλεῖ. Καί φησι διὰ τοῦ Ἰεζεκιήλ· Υἱὲ ἀνθρώπου, ἐν μέσῳ σκορπίων σὺ κατοικεῖς· πλὴν λάλησον αὐτοῖς, ἐὰν ἄρα ἀκούσωσιν. Ἀλλὰ καὶ τῷ Μωσῇ, Πορεύου, φησὶ, καὶ εἰπὲ τῷ Φαραώ, ἵνα ἐξαποστείλῃ τὸν λαόν. ἐγὼ δὲ οἶδα ὅτι οὐ μὴ ἐξαποστείλῃ αὐτούς. Ἐμφαίνει γὰρ ἄμφω, καὶ τὸ θεῖον περὶ τοῦ ἐσομένου, καὶ τὸ φιλάνθρωπον τὸ αὐτοῦ, τῷ αὐτεξουσίῳ τῆς ψυχῆς ἀφορμὰς μετανοίας χαριζόμενος. *Est ergo admonitio, cum curâ conjuncta vituperatio, mentis sapientiam inferens. Talis est* (Christus) *pædagogus admonitor, ut quando dicit in Evangelio: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos; & noluistis! Et rursus Scriptura admonet: Et mœchati sunt, dicens, in lignum & lapidem, & suffumigarunt Baal. Maximum autem signum est ejus benignitatis, quòd licet aperte sciret impudentiam populi, qui recalcitrabat & resiliebat, aperte tamen adhortatur ad pœnitentiam. Et dicit per Ezechiel: Fili hominis, in medio scorpionum tu habitas. Veruntamen loquere ipsis, si fortè audierint. Quin etiam Mosi dicit: Vade, & dic Pharaoni, ut emittat populum: ego autem novi, quòd non emittet eos. Utrumque enim aperte ostendit, & Deum præscivisse futurum, & ejus benignitatem libero animi arbitrio largiri occasionem pœnitentiæ.* Idem

b P. 135. lib. I. Stromat. *b* Πάντων τοίνυν ἀνθρώπων κεκλημένων, οἱ ὑπακοῦσαι βουληθέντες, κλητοὶ ὠνομάσθησαν. *Cùm ergo omnes homines vocati sint, qui voluerunt obedire, nominati sunt vocati.* Item lib. VI. Stromat. *c* Οὐκ ἄτοπον καὶ τὴν

c P. 293. φιλοσοφίαν ἐκ τῆς θείας προνοίας δεδόσθαι, προπαιδεύουσαν εἰς τὴν διὰ Χριστοῦ τελείωσιν, ἐὰν μὴ ἐπαισχύνηται γνῶσιν βαρβάρων μαθητεύουσα φιλοσοφία προκόπτειν εἰς ἀλήθειαν. *Non est absurdum, datam quoque esse Philosophiam à divinâ providentiâ, prius erudientem ad eam, quæ est per Christum, perfectionem, si non erubescat à barbarâ cognitione discere Philosophia profectum ad veritatem.* Docet, Deum sibi semper proponere hominis salutem, eoque gentibus quoque datam philosophiam, ut iis esset manuductio ad Christum: eoque ne hos quidem omnis esse vocationis expertes. Similiter eopse libro *a*: Εἰκότως οὖν Ἰου- a P. 295.
δαίοις μὲν νόμος, Ἕλλησι δὲ φιλοσοφία μέχρι τῆς παρουσίας. ἐντεῦθεν δὲ ἡ κλῆσις ἡ καθολικὴ εἰς περιούσιον δικαιοσύνης λαὸν, κατὰ τὴν ἐκ πίστεως διδασκαλίαν, συνάγοντος δι' ἑνὸς τοῦ Κυρίου, τοῦ μόνου ἑνὸς ἀμφοῖν Θεοῦ Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων, μᾶλλον δὲ παντὸς τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους. *Meritò ergò Judæis quidem Lex, Græcis autem data est Philosophia, usque ad adventum: hinc autem est universa ac generalis vocatio, ad peculiarem populum justitiæ, per eam quæ est ex fide, doctrinam, per unum congregante Domino, eo qui est unus solus Deus amborum, Græcorum scilicet & Barbarorum, vel potius totius humani generis.* Idem
lib. VII. Stromat. *b* Πρὸς δὲ ὅσον ἐπιτηδειότητος ἕκαστος b P. 298.
ἔχει τὴν ἑαυτοῦ διένειμεν εὐεργεσίαν, Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, καὶ τοῖς ἐκ τούτων προωρισμένοις μὲν, κατὰ δὲ τὸν οἰκεῖον καιρὸν κεκλημένοις πιστοῖς τε καὶ ἐκλεκτοῖς. οὔτ' οὖν φθονοίη ποτ' ἄν τισιν ὁ πάντας μὲν ἐπ' ἴσης κεκληκὼς, ἐξαιρέτους δὲ τοῖς ἐξαιρέτως πεπιστευκόσιν ἀπονείμας τιμάς. *Pro eâ autem, quam habet unusquisque, aptitudine, suum divisit beneficium, & Græcis & Barbaris, & iis qui ex eis prædestinati quidem fuerant, suo autem tempore sunt vocati, fideles & electi. Neque ergò unquam aliquibus inviderit, qui omnes quidem ex æquo vocavit: iis autem qui eximie crediderunt, honores tribuit eximios.* Et ibidem *c*: Ὁ Θεῖος λό- c P. 298. & 299.
γος, καὶ ἡ τούτου πρόνοια, πάντα μὲν ἐφορᾷ, μηδενὸς δὲ τῶν οἰκείων ἑαυτῆς, παρορᾷ τὴν ἐπιμέλειαν· οὗτοι δ' ἂν εἶεν οἱ ἑλόμενοι οἰκεῖοι εἶναι αὐτῷ, οἱ διὰ πίστεως τελειούμενοι. οὗτος ἁπάντων τῶν ἀγαθῶν, θελήματι τοῦ παντοκράτορος πατρὸς, αἴτιος ὁ υἱὸς καθίσταται, πρωτουργὸς κινήσεως, δύναμις ἀληπτὸς αἰσθήσει. οὐ γὰρ ὃ ἦν, τοῦτο ὤφθη τοῖς χωρῆσαι μὴ δυναμένοις διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκός. αἰσθητὴν δὲ ἀναλαβὼν σάρκα, τὸ δυνατὸν ἀνθρώποις κατὰ τὴν ὑπακοὴν τῶν ἐντολῶν δεῖξων ἀφίκετο. *Verbum & ejus providentia omnia quidem respicit, nullius autem ex iis, qui ad eam pertinent, despicit curationem. Ii autem, qui ad ipsum pertinere, & ei esse conjuncti elegerunt, erunt qui per fidem initiantur. Hic omnium bonorum, voluntate Patris omnipotentis, author & causa Filius, est primus effector motus, potestas quæ sensu non potest comprehendi. Non enim id quod erat, visus est iis, qui non poterant capere, propter imbecillitatem carnis. Cùm ergò sensilem carnem accepisset, venit ostensurus hominibus, sufficientes esse eorum vires, ut possint obedire mandatis.* Ubi δύναμις ac sufficientia intelligi debet, non ea, quæ fit à viribus naturæ, sed à gratiâ Dei per Dominum Jesum Christum collatâ. Idem eodem libro, cùm dixisset, Deum solâ nostrâ salute delectari, subjicit *d*: Πᾶσι γὰρ πάντα ἴσα κεῖται παρὰ τοῦ Θεοῦ, d P. 301.
καὶ ἔστιν αὐτὸς ἀμεμφής. *Omnibus enim omnia à Deo proposita sunt æqualia, & est ipse alienus à reprehensione.*

Origenes lib. III. contra Celsum *e*: Ἀλλὰ προσίτω μὲν e P. 145.
πεπαιδευμένος, καὶ σοφὸς, καὶ φρόνιμος, ὁ βουλόμενος. οὐδὲν δ' ἧττον προσίτω καὶ εἴ τις ἀμαθὴς, καὶ ἀνόητος, καὶ ἀπαίδευτος, καὶ νήπιος. καὶ γὰρ τοὺς τοιούτους προσελθόντας ἐπαγγέλλεται θεραπεύειν ὁ λόγος, πάντας ἀξίους κατασκευάζων τοῦ Θεοῦ. ψεῦδος δὲ καὶ τὸ, μόνους ἠλιθίους καὶ ἀγεννεῖς, καὶ ἀναισθήτους, καὶ ἀνδράποδα, καὶ γύναια, καὶ παιδάρια, πείθειν ἐθέλειν τοὺς διδάσκοντας τὸν θεῖον λόγον. καὶ τούτους μὲν γὰρ καλεῖ ὁ λόγος, ἵνα αὐτοὺς βελτιώσῃ. καλεῖ καὶ τοὺς πολλῷ τούτων διαφέροντας. ἐπεὶ σωτὴρ πάντων ἐστὶν ἀνθρώπων ὁ Χριστὸς, καὶ μάλιστα πιστῶν, εἴτε συνετῶν, εἴτε ἁπλουστέρων. καὶ ἱλασμός ἐστι πρὸς τὸν πατέρα περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. οὐ μόνον δὲ περὶ τῶν ἡμετέρων, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου. *Imò accedat vel doctus, vel sapiens, vel prudens, quicunque vult: sed nihilominus accedat etiam indoctus, & insipiens, & rudis, & infans. Nam talibus, si accesserint, medicinam pollicetur Verbum Dei, omnes reddens Deo idoneos. Falsum autem est & illud, solos fatuos, ignavos, insensatos, mancipia, mulierculas, pueros, captari a verbi divini prædicatoribus. Vocat quidem etiam hos*

præ-

prædicatio, ut meliores reddat: sed vocat etiam multò his præstantiores: quoniam servator est omnium hominum Christus, præsertim fidelium, sive cordatiorum, sive simpliciorum: propitiatio erga Patrem pro peccatis nostris: nec solum pro nostris, sed & pro mundi totius. Idem eodem libro: a P. 151. a Εἶτα ὡς μὴ πάντως καλουμένων ὑπὸ τοῦ λόγου, φησίν· Ἐχρῆν ἂν ἁπλῶς πάντας καλεῖν, εἴ γε πάντες ἁμαρτάνουσι. καὶ ἐν τοῖς ἀνωτέρω δὲ παρεδείκνυμεν τὸν Ἰησοῦν εἰρηκέναι, Δεῦτε πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. πάντες οὖν ἄνθρωποι, διὰ τὴν τῆς ἁμαρτίας φύσιν κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, καλοῦνται ἐπὶ τὴν παρὰ τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ ἀνάπαυσιν. *Deinde quasi non omnes vocentur ad hanc nostram doctrinam, Oportebat, inquit, omnes omnino vocari, siquidem omnes peccato sunt obnoxii. Atqui jam superius ostendimus, Jesum dixisse, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; ego reficiam vos. Itaque omnes homines, ob innatam ad peccandum proclivitatem laborantes & onerati, vocantur a verbo Dei ad quietem capessendam.* Et eodem opere b P. 171. b: Ἦλθεν οὖν, κἂν μὴ βούληται Κέλσος, μετὰ πολλοὺς προφήτας, ἐπανορθωτὴς τοῦ Ἰσραὴλ ἐκείνου, ἐπανορθωτὴς ὅλου τοῦ κόσμου ὁ Χριστός, οὐ δεόμενος κατὰ τὴν προτέραν οἰκονομίαν τῶν κατ' ἀνθρώπων χρήσεως μαστίγων, καὶ δεσμῶν, καὶ βασανιστηρίων. ἤρκει γὰρ ἡ διδασκαλία, ὅτε ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπείρειν, ἵνα σπείρῃ τὸν λόγον πανταχοῦ. *Venit igitur Christus, quantumvis Celsus reclamet, post multos Prophetas, ad corrigendum Israelis illius populum, atque etiam* ORBIS TOTIUS, *nihil opus habens superiore dispensatione, qua erga homines usus est, flagris, tormentis, & vinculis. Sufficiebat enim doctrina, quo tempore exiit seminator ad seminandum, ut semen suum* UBIQUE *spargeret.* Idem lib. VII. in epist. ad Rom. cap. VIII: *Si ad communem referatur intelligentiam hoc quod dicit, quia quos vocavit, illos & justificavit, ingentem fenestram patefaciemus iis, qui negant,* ESSE IN HOMINIS POTESTATE, UT SALVUS FIAT. *Aiunt enim, si Deus, quos præscivit, illos & prædestinavit; & quos prædestinavit, illos & vocavit; & quos vocavit, illos & justificavit; nihil culpæ habent ii, qui non justificantur, quia nec vocati sunt, nec prædestinati, nec præcogniti.* Et eodem libro; *Non quia Prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Judas, sed quia futurus esset proditor, ea, quæ ille ex proposito suæ nequitiæ gesturus erat, prædixerunt Prophetæ: cum utique Judas in potestate habuisset, ut esset similis Petro & Joanni si voluisset: sed elegit pecuniæ cupiditatem magis, quàm Apostolicæ consortii gloriam.*

Cyprianus in serm. de lapsis, ex instituto probat, neminem esse adeò peccatorem, qui non possit per salutarem pœnitentiam reconciliari Deo: atque etiam posse omnes cum Dei auxilio in pietate & observatione mandatorum progredi, satis indicat illa oratione, sub finem sermonis: *Excitemus*, inquit, *nos, quantum possumus, fratres dilectissimi, & abrupto inertiæ & securitatis somno, ad observanda Domini præcepta vigilemus: quæramus totâ mente, quod perdidimus, & invenire possimus, quia quærenti, ait Scriptura, dabitur, & pulsanti aperietur.* Et clarissimè epist. LIX. ad Fidum: *Deus*, inquit, *ut personam non accipit, sic neque ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate libratâ præbeat patrem.* Idem epistolâ LXXVI. ad Magnum: *Si dies omnibus æqualiter nascitur, & si sol super omnes pari & æquali luce diffunditur, quanto magis Christus, sol & dies verus, in ecclesiâ suâ lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cujus æqualitatis Sacramentum videmus in Exodo esse celebratum, cum cœlo manna deflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis cœlestis, & cibum Christi venientis, ostenderet. Illic enim sine discrimine vel sexus, vel ætatis, gomer a singulis æqualiter colligebatur. Unde apparebat, Christi indulgentiam, & cœlestem gratiam postmodum secuturam, æqualiter omnibus dividi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ, super omnem Dei populum spiritualis gratiæ munus infundi. Planè eadem gratia spiritualis, quæ æqualiter in baptismo à credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur vel augetur. Ut in Evangelio Dominicum semen æqualiter seminatur, sed pro varietate terræ aliud absumitur, aliud in multiformem copiam vel tricesimi, vel sexagesimi, vel centesimi numeri fructu exuberante cumulatur. Adhuc vero cùm singuli ad denarium vocentur, quid est ut, quod à Deo æqualiter distribuitur, humanâ interpretatione minuatur.*

Arnobius adversus gentes lib. II: *Sed si generis Christus humani (inquitis) conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentiâ liberat? Non æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat? aut ab indulgentiâ principali quemquam repellit, aut respuit, qui sublimibus, infimis, servis, feminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit? Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris &c.*

Gerson cancellarius Parisiensis serm. De verbis Domini, Venite ad me omnes, qui laboratis: *Istud* QUI *non est* DISCRETIVUM, *ut videlicet referri debeat ad eos tantum, qui laboraverunt & onerati fuerunt, quasi innuens, aliquos fuisse laboris & oneris expertes, & ipsos non eguisse misericordiâ Domini vocantis. Est autem accipiendum* CAUSALITER: *ut sit sensus, Venite ad me omnes, quia laboratis & onerati estis, id est, quod vos omnes laboratis & onerati estis. Conclusit enim Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Omnes quippe peccaverunt, & eguerunt gratiâ Dei.* Et mox: *Laborantes itaque & oneratos possumus accipere: primo utrumque populum, Judaicum videlicet ac gentilem; dehinc utrumque sexum, virum ac mulierem; deinde divitem ac pauperem, religiosum ac secularem, subditum & prælatum, senem atque juvenem. Ut inexcusabilis sit omnis homo, cujuscunque sit secta, conditionis, ætatis, & sexus.* SICUT *enim nullus inventus est sine onere aut labore; ita* NULLUS PRÆTERMISSUS EST ABSQUE VOCATIONE.

Etiam magnus Athanasius, orat. de Incarnat. Dei a, a T. 1. p. 45. edit. Commel. fusè disserit de multiplici vocatione divinâ. Qui verò ea reprobationem absolutam clarissimè convellunt; dignissima duximus, quorum bona pars hic etiam legeretur: verbis interim interpretis, quia locus prolixior est, erimus contenti b: b T. 1. p. 41. edit. Commel. *Aut cur ita Deus eos condidisset, si ab illis cognosci non affectabat? Quamobrem ne hoc fieret, quum bonus esset, suam imaginem, Dominum nostrum Jesum Christum, illis impertitus est, creavitque illos secundum suam ipsius imaginem & similitudinem, ut per eam gratiam, imaginem, nimirum Patris Rationem agnoscentes, etiam ad Patris intelligentiam contenderent; quo ita cognito suo creatore, vere beatam & felicem viverent vitam. Verùm stulti ex negligentiâ tanta ipsis impensa gratia, miris modis sese à Deo averterunt, mentesque suas quasi luto contaminarunt, ut non solummodo in oblivionem venerint cognitionis divinæ, sed alia ex aliis sibi finxerint.* Et mox: *Gratia enim imaginis ad similitudinem Dei hominibus impressa, idonea satis fuit, quæ verbi notitiam faceret, idque per Verbum Patris. Attamen, cùm sciret Deus hominum imbecillitatem, etiam huic negligentiæ remedium prævidit; ut si quando negligerent, ex sui ipsorum intuitu Deum agnoscere possent, saltem ex naturæ operibus opificem intelligere. Sed cum paullatim negligentia hominum in pejus procederet, rursum etiam huic infirmitati Deus consuluit, emittens ad eos legem & Prophetas ipsis familiares, ut si gravarentur in cœlum suspicere, haberent de proximo doctrinam. Homines enim ex hominibus propius addiscunt, quid in rem sit utile. Licebat igitur oculis ad cœli magnitudinem sublatis ac naturæ ordinem rerumque inter se congruentiam animadvertentibus, cognoscere ejus principem moderatricemque Patris Rationem, quæ suâ in omnia providentiâ Patrem omnibus patefacit, & proptereà universa movet, ut per*

ipsam

ipsum omnes Deum cognoscere possint. Aut si illis id grave esset, licebat vel ex colloquio Sanctorum ad eam scientiam pervenire, ut & omnium opificem Deum, Christi Patrem, cognoscerent, & inde idolorum cultum intelligerent nullo omnino numine subnixum esse, & impietate scatere. Poterant quoque ex legis institutione à sceleribus averti, & vitam secundùm virtutem vivere. Non enim in Judæorum gratiam duntaxat lex illa introducta fuit, aut Prophetæ ad solos Judæos missi, à quibus affligebantur; sed in hoc destinati, ut universi orbis magistri ac pædagogi essent, & pro publicâ scholâ & sacrosanctâ, tam in iis, quæ pertinent ad Dei notionem, quàm in iis, quæ spectant ad animæ disciplinam, haberentur. Cæterùm quantacunque esset Dei bonitas, homines tamen victi præsentariis voluptatibus, dæmonumque præstigiis & imposturis, nihilo propinquius ad veritatem accedebant; imo pluribus adhuc malis sceleribusque sese ingurgitabant: adeò ut jam amplius rationales non viderentur, sed bruti ex moribus irrationalesque censerentur. Ad justum igitur modum obbrutescentibus mortalibus, atque ita dæmoniaca seductione occultante & obtenebrante veram Dei cognitionem, quidnam à Deo fieri oportuit? Et paullo pòst: *An non multo avidius, tenaciusque Deus tuebitur res à se ipso creatas, ne à se aberrent, & rebus nihili serviant? præcipuè cùm ejusmodi error cum eorum pernicie demolitioneque conjunctus sit. Non decebat eos, divinæ semel imaginis consortes, in exitium abire. Quid igitur Deo conveniebat, ut faceret? aut quid par erat, ut fieret? nisi ut exemplar imaginis renovaret, ut per id denuo ipsum homines cognoscere possent? de eo autem quomodo confici potuit, nisi ipsa imago Dei, Salvator noster Christus, superveniret? Per hominem sanè id agi nequibat, quandoquidem & ipsi ad imaginem creati erant. Sed neque per angelum, quippe cùm angeli imagines non sint. Ergò, quod supererat, Dei Ratio ipsa advenit, ut imago Patris hominem, qui ad*
a P. 61. *imaginem figuratus erat, recuperaret.* Idem eo ipse libro *a*: *Tanta quotidie Salvator facit, dum trahit ad pietatem, virtutem persuadet, immortalitatem perdocet, ad cælestium desideria excitat, Patris notitiam revelat, vim contra mortem inspirat,* SINGULIS *sese exhibet.* Τὴν ἢ κατὰ ἢ θανάτου δύναμιν ἐμπνέων, ἑκάστῳ δεικνύων ἑαυτόν. Idem mox: Ὁ μὲν ἢ Θεοῦ υἱὸς ζῶν καὶ ἐνεργὴς ὢν, καθ' ἡμέραν ἐργάζεται, καὶ ἐνεργεῖ τὴν πάντων σωτηρίαν. *Filius Dei vivus & efficax quotidie operatur,* OMNIUMQUE *salutem efficit.* Idem Athanasius in Passionem & Crucem
b T. 1. p. 789. Domini *b*: Ἐὰν λέγῃ πάλιν, οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι γέγραπται τὰ κατ' αὐτῶν· μὴ τὸ ἀδύνατον τῇ προαιρέσει τῶν πρακτόντων δίδου· ἐδύναντο γὰρ καὶ μεταβάλλεσθαι· ἀλλὰ τὸ ἀδύνατον τὸ μὴ ψεύσασθαι τὸν προφήτην. *Quod si rursus dicat, impossibile erat Judæos credere, quia hæc de illis scriptum erat; ne impossibilitatem istam voluntati, delectuique agentium tribuas,* QUI SE MUTARE POTERANT; *sed illam statuas in verbis Prophetæ, quatenus ille mentiri non poterat.*

c P. 9. Cyrillus Hierosolymitanus in præfatione Catecheseon *c*: Οὐδὲν ἄλλο παρ' ὑμῶν ζητεῖ ὁ Θεὸς, εἰ μὴ προαίρεσιν ἀγαθήν. μὴ λέγε, πῶς μου ἐξαλείφονται αἱ ἁμαρτίαι; ἐγώ σοι λέγω, τῷ θέλειν, τῷ πιστεύειν. τί τούτου συντομώτερον; *Nihil aliud à nobis Deus requirit, præter voluntatem bonam. Ne dixeris, quomodo mea delebuntur peccata? ego affirmo tibi, quòd volendo & credendo. Quid autem his*
d P. 31. *facilius?* Idem Catechesi II: *d* Λέγει πού σαφῶς ὁ προφήτης. Ἐγὼ σε ἐφύτευσα ἄμπελον καρποφόρον, πᾶσαν ἀληθινήν. πῶς ἐστράφης εἰς πικρίαν, ἡ ἄμπελος ἡ ἀλλοτρία; ἡ φυτεία καλή, ὁ καρπὸς κακός. ἐκ προαιρέσεως τὸ κακόν. ὁ φυτευτὴς ἀναίτιος. ἡ δὲ ἄμπελος κατακαυθήσεται πυρί, ἐπειδὴ εἰς ἀγαθὸν ἐφυτεύθη, καὶ εἰς κακὸν ἐκαρποφόρησεν ἐκ προαιρέσεως. *Dicit quodam in loco Propheta, Ego te plantavi vineam fructiferam, totam veram: quomodo conversa es in amaritudinem, uti vinea aliena? Plantatio quidem bona, sed fructus malus. Nempe ex voluntate malitia est. Atque ideo plantator quidem in culpâ non est, vinea autem igni comburetur, quoniam in bonum plantata est, & in malum fructificavit voluntariè.* Distinguit Cyrillus finem Dei ab eventu. Nam Deum dicit plantare vineam in finem bonum: sed eam præter voluntatem ac intentionem Dei malam fieri humani arbitrii libertate: unde & paullo antè dixerat idem, peccatum esse κακὸν αὐτεξούσιον, βλάστημα προαιρέσεως, *malum liberi arbitrii germenque voluntarium.* Sanè si Deus ideò bona supernaturalia homini confert ut his utens salvetur: minimè dici potest, ideò hæc conferre ut his abutens damnetur. Ruit igitur absoluta reprobatio, quâ docetur, Deum innumeris velle prædicari Evangelium, non quidem ut per id convertantur, quandoquidem interiores ad conversionem vires conferre non vult, sed ut postea infidelitatem eorum puniendo justitiam suam declaret. Idem Cyrillus ibidem aliquantò pòst, à desperatione dehortans, inter alia ait *a*: a P. 35.
Εἶτα ὄφις μὲν ἀποτίθεται τὸ γῆρας· ἡμεῖς δὲ οὐκ ἀποθησόμεθα τὴν ἁμαρτίαν; καὶ ἀκανθώδης γῆ γεωργηθεῖσα καλῶς, εἰς καρποφορίαν μεταβάλλεται· ἡμῖν δὲ ἀδιόρθωτος ἡ σωτηρία; ἡ μὲν οὖν φύσις ἐπιδέχεται τὴν σωτηρίαν, ζητεῖται δὲ λοιπὸν ἡ προαίρεσις. *Deinde potest serpens deponere senectutem: cur nos peccatum non deponamus? Ac terra quoque spinosa, cùm fuerit bene exculta, in frugiferam transmutatur: nostra autem non instaurabitur salus? Natura itaque est capax salutis: sed requiritur deinceps voluntas.* Docet, etsi nihil in negotio salutis possimus per nos, non tamen desperandum esse, quia per gratiam Dei omnes, quantumcunque corrupti, ad salutem valeant pertingere. Nam si, inquit, serpens exuvias potest deponere, si ager sente squalleque obsitus in agrum fertilem commutari potest: cur homo per assistentem gratiam Dei nequeat exuere naturæ pravitatem? Hinc colligit, cùm duo hæc sint distinctissima, posse, & velle; non potentiam obtemperandi Deo deesse homini, sed voluntatem.
Item Catechesi XVIII: *b* Πολύτροπός ἐστιν, ἣν κατέλιπε διὰ τὸ πλῆθος, τῆς αἰωνίου ζωῆς ἡ εὕρεσις. φιλάνθρωπος γὰρ ὢν ὁ Κύριος, οὐ μίαν, οὐδὲ δευτέραν μόνην, ἀλλὰ πολλὰς τὰς εἰσόδους τῆς εἰς τὴν αἰώνιον ζωὴν ἀνέῳξε θύρας, πρὸς τὸ πάντας ἀπολαῦσαι, τὸ ὅσον ἐπ' αὐτῷ, ταύτης ἀκωλύτως. b P. 498.
Multimoda sanè quadam relicta est ratio consequendæ vitæ æternæ, propter multitudinem. Benignus enim cùm sit Dominus, non unam, neque alteram tantùm, sed multas æternæ vitæ januas aperuit, UT OMNES, QUANTUM IN IPSO EST, *absque impedimento illâ potiri possent.*

Hilarius comment. in illud Matth. cap. XXXII. *Multi vocati, pauci verò electi: Non est paucitas in invitatis, sed raritas in electis: quia in* INVITANTE SINE EXCEPTIONE, *publicæ bonitatis humanitas est: in invitatis verò, de judicii merito, probitatis electio est.* Idem Hilarius in Psal. CXVIII. literâ Lamed: NEMO *nostrum est, qui non* INTERDUM DONUM SPIRITUALIS GRATIÆ *sentiat, qui non* ALIENANDO *in se habeat Dei verbum: cùm sobrius, cùm tranquillus, cùm continens est, cùm benevolus est, cùm misericors est. In his enim cùm sumus, manet in nobis Dei verbum, cùm præceptis ejus bonarum rerum obeditione famulamur. Sed subrepentibus turbidarum affectionum motibus, cùm sitis pecuniæ, cùm æstus turpis lasciva cupiditatis accenditur, cùm irâ pectus commovetur, cùm ebrietas desideratur, jam non in nobis manet verbum Dei.* Et post aliqua: *Si verò hæc commemorata vitia semper in nobis erunt, ne introire quidem polluta corporum domicilia dignabitur. Adest autem unicuique proximum, ut dictum est. Stat enim ad ostium Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, & dicit: Ecce stans ante ostium pulso: si quis aperiat mihi, ingrediar ad eum.* VULT *ergò* SEMPER INTROIRE; *sed* A NOBIS, *ne introeat,* EXCLUDITUR. *Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. Qui si cœperit emundatis omnibus patere, illico introibit, modo solis, qui clausis fenestræ valvis introire prohibetur, patentibus verò totus immittitur. Ipsi quidem* SEMPER, *ut illuminet, promtus est: Sed* LUMEN *sibi* DOMUS IPSA OBSERATIS ADITIBUS EXCLUDIT. *Est enim verbum Dei sol*

justitia, ADSISTENS UNICUIQUE, UT INTROEAT, *nec moratur lucem suam apertis adibus infundere.*

a P. 61. Basilius homiliâ in Psalm. VII: *a* Πάλιν φησὶ, κεκρίσεσθαι τὸν Κύριον πρὸς πᾶσαν σάρκα· τουτέστιν, ἐν τῷ ἐξετασμῷ τῶν βεβιωμένων ἑκάστῳ, ἑαυτὸν ὑποβαλεῖ τῇ κρίσει, καὶ τὰ ἑαυτοῦ προστάγματα ἀντιπαρεξάξει τοῖς πεπραγμένοις ὑπὸ τῶν ἡμαρτηκότων, ἀπολογούμενος μετὰ ἀποδείξεων, ὅτι πάντα τὰ εἰς αὐτὸν ἥκοντα, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν κρινομένων πεποίηκεν, ἵνα πεισθέντες οἱ ἡμαρτηκότες ὡς ἔνοχοι τοῖς ἁμαρτήμασιν, ἀποδεχόμενοι τὴν θείαν δίκην, ἑκόντες προσίεντο τὸ ἐπιβάλλον ἐπιτίμιον. *Rursus dicit: Judicio contendet Dominus adversus omnem carnem: hoc est, in exquirendâ ratione eorum, quæ cuique, dum viveret, acta sunt, unusquisque judicio se ipsum subjiciet, & sua præcepta eorum, qui peccarunt, factis obducet, vi demonstrationum se velut* EXCUSANS, *propterea quod* IN SALUTEM *judicandorum*, QUÆ SE DECEBANT, CUNCTA FECERIT. *Ut certò sibi persuadeant peccatores, quòd rei & obnoxii criminibus divinum sustinentes judicium, incidentem sibi pœnam sponte subeant.* E

b P. 95. homilia in Psalm. XXXIII: *b* Τῇ ἑαυτοῦ ἀγαθότητι πᾶσιν ὁ Κύριος ἐγγίζει, μακρυνόμεθα δὲ ἑαυτοὺς ἡμεῖς, διὰ τῆς ἁμαρτίας. *Suâ ipsius bonitate Dominus prope est* OMNIBUS: *contrà, nos ipsos per peccatum longius avellimus.* Idem in Psalm. XLVIII. ad verba illa, *Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filii hominum: simul in unum, dives, & pauper:* fuse docet, universos homines divinitus ad

c P. 112. salutem vocari: atque inter alia quærit *c*, Τίνα τοίνυν ἔξω κατέλιπε τῆς ἀκροάσεως; *Quem igitur reliquit extra hoc*

d P. 129. *auditorium?* Idem in Psalm. CXV. *d* dicit, Deum solùm requirere τὴν ἀπὸ διαθέσεως καὶ καρδίας ἀληθινῆς ἐξομολόγησιν, ἧς μέτεστι πᾶσιν ἐξ ἴσου τοῖς βουλομένοις· *confessionem, quæ ex affectu & corde nihil fucato proficiscitur, quæ quidem ex æquo se impertit* OMNIBUS, *tantùm* SI VELINT.

Gregor. Nazianz. oratione XL, quæ est in sanctum

e P. 641. Baptisma *e*: Πρώτην κάθαρσιν κοινὴν οἶδα πᾶσι καὶ ἀμοχθον, καὶ ὁμότιμον, δούλοις, δεσπόταις, πένησι, πλουσίοις, ταπεινοῖς, ὑψηλοῖς, εὐγενεστέροις, ἀγενεστέροις, ὀφείλουσιν, οὐκ ὀφείλουσιν, ὡς ἀέρος πνεῦσιν, καὶ φωτὸς χύσιν, καὶ ὡρῶν ἀλλαγὰς, καὶ κτίσεως θέαν, τοῦ μεγάλου καὶ κοινοῦ πᾶσιν ἡμῖν ἐντρυφήματος, καὶ ἰσομοιρίαν πίστεως. *Prima purgatio omnibus communis est, & labore vacua, cunctisque ex æquo patet, tam servis, quàm heris; tam egentibus, quàm copiosis; tam abjectis, quàm sublimibus; tam genere claris, quàm ignobilibus & obscuris; tam ære alieno obstrictis, quàm iis, qui nihil æris alieni conflârunt; non secus atque aëris haustus, & lucis profusio, & temporum vicissitudines, & rerum creatarum aspectus, magni, inquam, illius omnibusque communis oblectamenti, ac denique fidei æqua portio.* Ex eo quòd externus Baptismus omnibus offeratur; hunc verò in legitimo usu semper gratia comitetur Spiritus Sancti; colligit, quemadmodum aëre & luce omnibus frui licet; sic omnibus patere viam ad remissionem peccatorum, & gratiam Spiritus Sancti. Itaque eâdem oratione ad Baptismum ad-

f P. 643. hortans ait *f*: Βαπτισθῶμεν σήμερον, ἵνα μὴ αὐτάνδρῳ τῇ νηὶ βαπτισθῶμεν, καὶ τὸ χάρισμα ναυαγήσωμεν. *Baptizemur hodie, ne unà cum navi demergamur, ac gratiam naufragio amittamus.* Et continuo pòst: Πρόσδραμε τῷ δωρήματι, ἕως οὐκ ἐπ' ἄλλοις κεῖται τὸ σὸν ἀγαθὸν, ἀλλ' αὐτὸς εἶ τούτου κύριος. *Ad donum accurre, quamdiu bonum tuum non in aliis situm est, verum in tuâ ipsius potestate.*

Victor Antiochenus ad cap. IV. Evang. Marci, quò refertur parabola de seminante: *Hæc ea autem de causâ proponuntur, ut hinc intelligamus, Christum Dominum copiose & candidè, citra ullam prorsus personarum acceptionem, divinum illud Verbi semen spargere, omnibusque proponere. Ut enim illi, qui agrum seminant, inter hanc & illam agri partem non secernunt, sed simpliciter & indiscriminatim semen dejiciunt; ita Servator noster, quod suarum erat partium, omnibus promiscue cælestis verbi pabulum offerebat: esse, (f. etsi) quod de multis futurum erat, non ignoraret. Denique ita hìc se gessit, ut meritò dicere potuerit, Quid debui facere, & non feci?*

Similiter Scriptor Comment. in epist. Pauli, qui Ambrosii creduntur, in epist. ad Ephes. cap. II. Verba ejus adduximus Thes. III.

Chrysostomus in Joh. cap. I. homil. VII: Εἰ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, πῶς ἀφώτιστοι μεμενήκασι τοσοῦτοι; οὐ γὰρ δὴ πάντες ἐπέγνωσαν τὸ Χριστοῦ τὸ σέβας. πῶς οὖν φωτίζει πάντα ἄνθρωπον; τό γε εἰς αὐτὸν ἧκον. εἰ δέ τινες ἑκόντες τοὺς τῆς διανοίας ὀφθαλμοὺς μύσαντες, οὐκ ἠθέλησαν παραδέξασθαι τοῦ φωτὸς τούτου τὰς ἀκτῖνας, οὐ παρὰ τὴν τοῦ φωτὸς φύσιν ἡ σκότωσις ἐκείνοις, ἀλλὰ παρὰ τὴν κακουργίαν τῶν ἑκόντι ἀποστερούντων ἑαυτοὺς τῆς δωρεᾶς. ἡ μὲν γὰρ χάρις εἰς πάντας ἐκκέχυται, οὐκ Ἰουδαῖον, οὐχ Ἕλληνα, οὐ Βάρβαρον, οὐ Σκύθην, οὐκ ἐλεύθερον, οὐ δοῦλον, οὐκ ἄνδρα, οὐ γυναῖκα, οὐ πρεσβύτην, οὐ νέον ἀποστρεφομένη· πάντας δὲ ὁμοίως προσιεμένη, καὶ μετὰ τῆς ἴσης καλοῦσα τιμῆς. οἱ δὲ οὐκ ἐθέλοντες ἀπολαῦσαι τῆς δωρεᾶς ταύτης, ἑαυτοῖς δίκαιοι ταύτην ἂν εἶεν λογίσασθαι τὴν πήρωσιν. ὅταν γὰρ τῆς εἰσόδου πᾶσιν ἀνεῳγμένης, καὶ μηδενὸς τοῦ κωλύοντος ὄντος, ἐθελοκακοῦντές τινες ἔξω μένωσι, παρ' οὐδένα ἕτερον, ἀλλ' ἢ παρὰ τὴν οἰκείαν πονηρίαν ἀπόλλυνται μόνον. *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? Neque enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergò illuminat omnem hominem? Illuminat profectò, quantum in ipso est. Si qui autem sponte suâ mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis naturâ in tenebris persisterunt: sed malitiâ suâ, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam si gratia in omnes diffusa est; non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem, effugit, aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilè exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem æquo librent examine. Cum enim omnibus aditus pateat, & à nemine prohibeantur; perditi quidam & nequam homines, propriâ duntaxat malitiâ, ingredi recusant.* Idem ad Heb. cap. IX. homil. XVI. *a* Οὐκ ἔστι γὰρ εἰπεῖν, οὐ δύναμαι, οὐδὲ κατηγορῆσαι τοῦ δημιουργοῦ. εἰ γὰρ ἀδυνάτους ἡμᾶς ἐποίησεν, οὕτω ἐπιτάττει, κατηγορία αὐτοῦ ἐστι. Πῶς οὖν, φησὶ, πολλοὶ οὐ δύνανται; πῶς οὖν πολλοὶ οὐ θέλουσιν; εἰ γὰρ θέλοιεν, πάντες δυνήσονται. Διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος φησὶ, Θέλω πάντας ἀνθρώπους εἶναι, ὡς καὶ ἐμαυτόν, ἐπειδὴ ᾔδει ὅτι πάντες ἠδύναντο εἶναι ὡς καὶ αὐτός. οὐδὲ γὰρ ἂν, εἴ γε ἀδύνατον ἦν, τοῦτο εἶπε. *Non licet enim dicere, Non possum; nec accusare opificem. Nam si nos fecit imbecillos & impotentes* b, *ejus est accusatio. Quomodo ergò, inquit, multi non possunt? quomodo ergo multi nolunt?* NAM SI VOLUNT, POSSUNT OMNES. *Propterea Paulus quoque dicit, Volo omnes homines esse sicut me ipsum: quoniam sciebat, omnes posse esse sicut erat ipse. Neque enim hoc dixisset, si fieri non posset.* Vide etiam eundem in Psal. XLV. & CXX. Item in Joh. cap. VI. homil. XLV.

a P. 180.

b Alii, & potest præcipit. quæ vox hic multis vulgatæ interpr.

Hieronymus lib. III. adversus Pelagianos: *Interroga eum* [Salvatorem] *cur Judam elegerit proditorem? Cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat? Vis audire rationem? Deus præsentia judicat, non futura. Nec condemnat ex præscientiâ, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat: sed tanta bonitatis, & ineffabilis clementia, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis & pœnitentiæ, juxta illum sensum Apostoli: Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram, in die iræ & revelationis justi judicii Dei.* Dicit Hieronymus, etiam iis potestatem conversionis & pœnitentiæ ineffabili Dei bonitate conferri, quos interim videt in duritiâ

ritiâ & corde impœnitenti perseveraturos. Vide etiam eundem lib. XIII. Comment. in cap. XLIX. Esaiæ.

Augustinus lib. III. De libero arbitr. cap. XIX. querimoniæ eorum, qui se concupiscentiam & ignorantiam vincere posse negant, occurrit in hunc modum: *Quibus breviter respondetur, ut quiescant, adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Locus planè est illustris. Nec dici potest, Augustinum hæc verba retractasse, cùm eadem legantur lib. De naturâ & gratiâ contra Pelagianos cap. LXIX. Idem lib. II. De peccat. merit. & remiss. c. XVII: *Divina gratia hominum adjuvat voluntates* (sc. sufficienter;) *quæ ut non adjuventur* (puta efficaciter,) *in ipsis itidem caussa est, non in Deo.* Et lib. I. ad Simplicianum, quæst. II: *Noluit Esau, & non cucurrit: sed si voluisset, ac cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset: qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemtâ ipse reprobus fieret.* Idem in Psal. XLV, explicans verba illa, *Deus in medio ejus: Quid?* inquit, *est Deus in medio ejus? Hoc significat, quod æquus est omnibus Deus, & personas non accipit. Quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia, ad omnes fines: ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens.* Vbi cùm Deum æqualiter consulere dicit, sententia est, citra exceptionem consulere: cùm ait, personas non accipere, hoc vult, necessarium auxilium denegare nemini. Idem lib. I. de Genesi contra Manichæos, cap. III: *Intelligamus, aliam lucem esse, in quâ Deus habitat, unde est illud lumen, de quo in Evangelio legitur: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nam solis istius lumen, non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis, & mortales oculos; in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui Solem istum multo melius, quàm nos, dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit; sed pura corda eorum, qui Deo* CREDUNT, *& ab amore visibilium rerum, & temporalium, se ad ejus præcepta servanda conferunt; quod* OMNES HOMINES POSSUNT, SI VELINT; *quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Postrema verba citat lib. I. Retract. cap. X. *Quod*, inquit, *dixi, Omnes homines possunt, si velint: non existiment novi hæretici, Pelagiani, secundum eos esse dictum.* VERUM *enim est*, OMNINO OMNES HOMINES HOC POSSE, SI VELINT: *sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur, munere caritatis, ut possint.* Vbi non aliud requirit Augustinus, quàm ut fateamur, neminem velle, nisi voluntas ejus per Dominum præparetur. Cæterùm omnino verum esse ait, posse omnes, si velint. Atqui dixerat, ideò posse, quia *lumen illud omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Quare vel ἀνϰολουθία est in Augustini verbis, vel hoc vult, nemini negari vires ad obtemperandum Deo.

Nec interea existimandum, credidisse Augustinum, posse omnes per gratiæ vires, quas habent, credere Evangelio, & in fide perseverare: sed illud solùm putavit, alios quidem ἀμέσως, alios verò ἐμμέσως hoc posse. Mediatè eos illud posse credidit, qui nondum sunt regenerati, attamen per sanctas inspirationes excitantur à Deo, orantes ut à Deo trahantur & ab eo regenerationis Spiritum accipiant. Itaque in Joh. tract. XXVI. ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Magna gratiæ commendatio. Nemo venit, nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige.* NON TRAHERIS? ORA UT TRAHARIS. *Quid hic dicimus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergò inviti credimus? ergò violentia adhibetur, non voluntas excitatur? Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus; sed non corpore creditur.* Etiam cùm Julianus Scripturarum testimoniis probandam sumsisset definitionem peccati, ab Augustino allatam, (dixerat autem, esse *voluntatem admittendi* a, *quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*) respondet ei Augustinus b hoc pacto: *Hæc testimonia propter illam voluntatem dicta sunt, in quâ quisque id quod vult, agit; ut si non habetur, ab eo poscatur, qui in nobis operatur & velle. Si autem habetur, fiant opera justitiæ, & ei qui illum* (leg. illam) *operatus est, agantur gratiæ.* Et eodem libro: *Propterea per Prophetam dictum est: Si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet; & cætera hujusmodi: ut, cùm invenissent in seipsis victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent, à quo deberent poscere auxilium.* Nempe habentes spiritum legis putabat habere à Deo poscendi potestatem: sed à spiritu Evangelii, quæ est gratia Dei, conferri dicebat ipsam caritatem. Hinc idem ibidem: *Homo Pelagiane, caritas vult bonum, & caritas ex Deo est; & non per legis literam, sed per spiritum gratiæ in hoc est prædestinantis adjutorium litera, quia jubendo, & non juvando, admonet infirmos confugere ad spiritum gratiæ, si lege legitimè utantur, quibus bona est, id est, utilis. Alioquin per se ipsa litera occidit, quia jubendo bonum, & non largiendo caritatem, quæ sola vult bonum, reos prævaricationis facit.* Similiter idem epist. LXXXIX. ad Hilar. *Valet liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur; quod fit humiliter petendo & faciendo.* Et post aliqua: *Desinant ergò sic insanire, & hoc se intelligant habere, quantum possunt, liberum arbitrium, non ut superbâ voluntate respuant adjutorium, sed ut pia voluntate invocent Dominum.* Et ibidem: *Jubet ideo, ut facere jussa conati, & in nostrâ infirmitate sub lege fatigati, adjutorium gratiæ poscere noverimus, & si quid facere potuerimus operis boni, ei, qui adjuvat, non simus ingrati.* Idem lib. de Natur. cap. XLIII: *Non Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Jam nunc videamus unde possit, unde non possit. Iste dicit, voluntate non est, quod naturâ potest. Ego dico, voluntate quidem non est homo justus, si naturâ potest; sed medicinâ poterit, quod vitio non potest.* Quemadmodum verò docuit Augustinus, iis, qui regeniti non sunt, vires præberi à Deo, quibus possint à Deo postulare regenerationis donum: ita regeneratos omnes ajebat vires habere postulandi à Deo perseverantiæ bonum. Augustinus lib. de corrept. & gratiâ cap. VII: *Justior videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam* (fidei,) *quàm dicentium, Non accepimus perseverantiam: quoniam potest dici homini, In eo, quod audieras, & tenueras, in eo perseverares,* SI VELLES: *nullo autem modo dici potest, Id quod non audieras, crederes, si velles.* Et serm. XXIX. de verbis Domini: *Dominus noster Jesus Christus, inter nos petitor, cum Patre dator, non utique nos hortaretur, ut peteremus, nisi dare vellet.* Et adjicit: *Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere.* Cujusmodi ex locis paret, voluisse Augustinum, Deum paratum esse omnibus conferre perseverantiæ donum: quòd si qui illud non consequantur, eo fieri, quia gratiam priorem abjiciunt, nec perseverantiam à Deo petunt, aut non instanter petunt. Vnde etiam liquet, quâ mente dicat, posse nos illud donum emereri. Sic enim scribit. lib. de bono perseverantiæ cap. VI: *Hoc* (perseverantiæ) *donum* SUPPLICITER EMERERI *potest, sed, cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Quomodo enim potest amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam quod posset amitti?* Vbi *emereri* est divinâ remuneratione gratiosè consequi: quomodo veteres hac voce uti solent.

a Ita legendum apud August. lib. I. contra post resp. Jul. c. 42. & 43. ubi in excusis est amittendi.

b Cap. 42. lib. I. contra post. resp. Jul.

Idem igitur voluit Augustinus, ac de baptizatis ait Concilium Arausicanum II. ult. *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Unde vicissim lucem accipit illud Augustini de peccat. mer. & remiss. lib. I. cap. XXXIX: *Si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit: ibi* (concupiscentiam) *habet, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Hæc satis ostendunt, Augustinum irregenitis assignare gratiam, qua exposcere & consequi valeant spiritum regenerationis: inque regenitis agnoscere vires, per quas accipere possint perseverantiæ bonum. Quodsi quis tamen adeò sit sententiæ tenax, quam semel imbiberit, ut Augustinum sentire putet, defectu gratiæ perire gentes quibus Evangelium non prædicatur; saltem de baptizatis hoc dici non potest. Nihil enim manifestius quàm Augustinum putare, omnes, qui in infantia baptizantur, regenerari, &, dimisso originali debito, *inseri Christo; qui tamen hoc statu excidant, cùm ad ætatem pervenerint, si impii esse voluerint. Libro de bono perseverantiæ, cap. XI; *Videmus, parvulis non nisi per Dei gratuitam gratiam regenerationem donari, &, ejus occulto, justo tamen, judicio, quoniam non est iniquitas apud Deum, quosdam etiam post baptismum pessimè vivendo perituros, in hac tamen vita, quousque pereant, detineri: qui non perirent, si eis corporis mors, lapsum eorum præveniens, subveniret: quoniam nullus mortuus judicatur ex bonis seu malis, quæ fuerat, si non moreretur, acturus &c.* Clarè ait, regenitos fuisse & in eo statu constitutos, in quo, si mansissent, salvi fuissent. mansissent autem, si uti voluissent gratiâ quam acceperant in baptismo. Ab Augustino nunc ad alios accedamus.

Similia Augustino sensit Hypognosticon scriptor lib. IV; *Lex Dei etsi jubendo non juvat, tamen suâ sanctitate & justitia malum esse concupiscentiam, quod nesciebam, ostendit: quia, Peccatum, ait, non cognovi, nisi per Legem; & me docuit, ad superandos ejus illicitos appetitus, cùm in me deficio, debere divinum auxilium implorare.*

Paullinus epist. I. ad Aprum: *Hinc in omni loco plura quotidie mirabiliora solito signa crebrescunt, ut omnem, quantum in ipso est, hominem salvum faciat. Ostendit in raris, quod omnibus, si velint, prosit. Sufficit enim universorum institutioni forma paucorum, quæ in utrumque proponitur, ut credentibus exemplo sit, indurantibus testimonio.*

a P. 723. edit. Col. a. 1582. Orosius in apologet. contra Pelag. de arbitr. libertate a: *Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum, non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia, ob credentium fidem, gratiæ suæ dona largitur: verùm etiam universis in hoc mundo gentibus longanimem suam æternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Cælestio, cui jam apud Africanam synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, & in libero arbitrio, generaliter universis unam gratiam contributam: sed specialiter quotidie per tempora, per dies, per momenta, per ἄτομα,* ET CUNCTIS, ET

b P. 724. SINGULIS *ministrare.* Et post aliqua b: *Quantum ergò de Dei adjutorio gaudeam, per id metire, quod ministrari per singula etiam gentibus probo.* Refert deinde ex Jobi historia tum sollicitudinem diaboli ad perdendum, tum gratiam Dei ad conservandum. Atque addit: *At verò ut adesse adjutorium Dei, & per singula, & per singulos, manifestius probem: en ipse diabolus, dum testatur de universitate, de uno interrogatur: Animadvertisti, inquit Deus, in puerum meum Job? &c.* Et aliquanto pòst: *Habes, ut arbitror, etiam in gentibus sufficientem cooperantis gratiæ probationem. accipe manifestam quoque significantiam de illo præcipuè dono, quod Ecclesiæ & corpori suo peculiare largitur.* Hinc geminum Pauli & unum Petri adducit locum. Denique concludit, *Ex quo evidentissimè declaratum est, nemini hominum deesse Dei adjutorium, præsertim cùm & seductor insistat, & insit infirmitas.*

Cyrillus Alexandrinus lib. I. in Joannem cap. XI: *Quemadmodum*, inquit, *quamvis universis sol oriatur, nihil tamen inde cæcus utilitatis consequitur, nec propterea meritò quispiam splendorem solis accusabit, sed non videndi culpam cæcitati attribuet: sic, ut arbitror, de unigenito etiam intelligendum est. Lux enim vera ille profectò est, & splendorem suum ad omnes emittit: sed hujus sæculi Deus (ut ait Paulus) mentes infidelium hominum obcæcavit, ne illuminatio cognitionis Dei in ipsis fulgeat.*

Dionysius cognomento Areopagita (quem ut credam Theodosii Junioris temporibus vixisse, verisimilibus adducor conjecturis) lib. de cælesti hierarchiâ cap. IX. a: Οὐδὲ γὰρ ἠναγκασμένην ἔχομεν ζωὴν, οὐδὲ διὰ τὴν τῶν προνοουμένων αὐτεξουσιότητα τὰ θεῖα φῶτα τῆς προνοητικῆς ἐλλάμψεως ἀπαμβλύνεται· ἀλλ' ἡ τῶν νοερῶν ὄψεων ἀνομοιότης τὴν ὑπερπλήρη τῆς πατρικῆς ἀγαθότητος φωτοδοσίαν, ἢ παντελῶς ἀμέθεκτον ποιεῖ, καὶ πρὸς τὴν αὐτῶν ἀντιτυπίαν ἀδιάδοτον, ἢ τὰς μετουσίας ποιεῖ διαφόρους, μικρὰς ἢ μεγάλας, ἀμυδρὰς ἢ φανὰς, τῆς μιᾶς, καὶ ἁπλῆς, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχούσης, καὶ ὑπερπληρουμένης πηγαίας ἀκτῖνος. ἐπεὶ ὅτι γε καὶ τῶν ἑτέρων ἐθνῶν, ἐξ ὧν καὶ ἡμεῖς ἀνενεύσαμεν ἐπὶ τὸ πᾶσιν ἑτοίμως εἰς μετάδοσιν ἀναπεπταμένον τοῦ θεαρχικοῦ φωτὸς ἄπειρόν τε καὶ ἄφθονον πέλαγος, οὐκ ἀλλόφυλοί τινες ἐπεστάτουν θεοί. a P. 56. edit. Morell. a. 1562. *Neque b enim vita nobis data est, cui vis illata sit, aut imposita necessitas: nec eorum, quæ providentur, libertate, divini radii illustrationis, quæ à providentiâ manat, vel obruuntur, vel obscurantur: sed oculorum mentis dissimilitudo facit, ut effluens paternæ benignitatis lucis largitio, vel omnino communicari, capique non possit, & propter eorum obstaculum ac repugnantiam infundi: aut communiones facit dissimiles, parvas aut magnas, obscuras vel claras, cùm unus sit & simplex, eodemque modo semper habeat, & valde explicatus fususque sit divinæ fontis radius: præsertim cùm aliis gentibus, ex quibus nos quoque ad immensum copiosumque divinæ lucis profundum, quod omnibus ultro se communicandum offert, emersimus, non alieni dii præfuerint.* b Ex interpr. Perionii. Qui locus & gratiæ sufficientiam & arbitrii libertatem declarat. Sententia verò verborum hæc est. Quæstio apud Dionysium erat, quare soli Judæi ante Christi adventum coluerint Deum: ac respondetur, id factum esse gentilium inertiâ, pravâque voluntate, qui divinum lumen adspicere, aut in eo permanere noluerint, cùm illud omnibus pateat, neque aliud requiratur, quàm ut quod offertur, ab iisdem etiam recipiatur; non quasi censeat, viribus naturalibus id excipi, sed quia Deus auxilium omnibus præbeat, per quod homines, si velint, oculos aperire, & illuminari possint. Idem aliquanto pòst, quòd Angeli præesse gentibus dicuntur, id ita accipiendum negat, quasi Deus imperium inter se & Angelos distribuerit, *sed quod una quidem de omnibus altissima providentia omnes homines salutis causâ angelis suis ad se deducendos distribuerit.* c Τῆς μιᾶς ἁπάντων ὑψίστης προνοίας πάντας ἀνθρώπους σωστικῶς τῶν οἰκείων ἀγγέλων ἀναγωγικαῖς χειραγωγίαις διανειμάσης. c P. 58.

Isid. Pelusiota non uno loco indicat, Naturæ humanæ assumtionem à secundo Adamo factam, sustulisse ab omnibus peccandi necessitatem, in quam, primi Adami culpâ, inciderant. Hæc mens loci hujus lib. I. ep. 272: d Ὁ πρῶτος πέπονθεν ἄνθρωπος, ἀλλ' ὁ δεύτερος αὐτὸν τῇ προτέρᾳ μορφῇ ἀποδέδωκεν, ἐν ἐκείνῃ ἀφράστως γενόμενος, καὶ ταύτην θεοπρεπῶς διορθωσάμενος. *Primus homo perpessus est, verum secundus priorem ei formam restituit, in quâ extitit ratione ineffabili, formamque eam modo divinitati consentaneo correxit.* d P. 61. Idem eopse lib. ep. 103: e Ἡ φύσις ἡ ἀνθρωπεία, οὐκ ἀνεπίδεκτός ἐστι κακῶν, οὐ φυσικῶς κέκτηται τὰ κακὰ, ἀλλὰ γνώμῃ καὶ ῥαθυμίᾳ τὴν ἀποβολὴν ὑπέμεινε τῶν χρηστῶν· ὅπερ καὶ ὁ πρῶτος πέπον- e P. 67.

πέπονθεν ἄνθρωπος, καὶ τῶν ὅρων τῆς σωτηρίας ἐξέπεσεν, ἣν αὐτῷ πάλιν ὁ δεύτερος ἐξ αὐτοῦ ἀποδέδωκεν ἄνθρωπος, ὁ τὴν ἀληθῆ φύσιν ἡμῶν ἐν ἑαυτῷ ἀναδεξάμενος. *Natura humana neque non admittere potest malum, neque natura vi malum habet: verùm voluntate ac negligentiâ socordiâque prolapsionem à bonis sustinet. Quod & primus homo passus est, qui salutis finibus excidit: quam salutem homo secundus, ex eo ortus, qui veram nostram naturam*
a P. 116. *in se suscepit, ei reddidit.* Idem lib. 2. epist. 61. *a* Ὅτι τὸ μὲν ἐφ᾽ ἑαυτοῖς ἀπωλλύμεθα, τὸ δ᾽ ἐπὶ τῷ Χριστῷ ἐσώθημεν, δῆλόν ἐστιν ἅπασι. δίκην γὰρ ὀφείλοντας διὰ τοῦ βαπτίσματος ἐδικαίωσε, καὶ οὐρανίοις χαρίσμασιν ἐκόσμησεν. ὅτι δὲ, εἰ τὰ παρ᾽ ἡμῶν μὴ ἕποιτο, οὐδὲν ἐκ τῆς τοιαύτης πραγματείας καὶ χάριτος κερδανοῦμεν, ἀλλὰ καὶ μείζονα δώσομεν δίκην, ὅτι μηδὲ τῇ τοιαύτῃ εὐεργεσίᾳ βελτιωθέντες, καὶ τοῦτο δῆλον. *Quod, quantum in nobis fuit, periimus; quantum autem in Christo attinet, salutem consecuti sumus, omnibus perspicuum est. Nam cùm supplicium mereremur, ipse per baptismum nos justificavit, ac cœlestibus gratiæ donis exornavit. Quod, nisi ea quæ nostrarum sunt partium consequentur, nihil ex istiusmodi negotio ac gratiâ lucrabimur, sed graviores etiam pœnas luemus, (quippe qui nec tanto beneficio meliores facti sumus) & hoc perspicuum est.*

Imperator Manuel Palæologus orat. VI. quâ ut nemini
b P. 296. & 298. desperandum doceat, sic scribit inter alia: *b* Οὐ χαλεπὸν δ᾽ οἶμαι εὑρεῖν τὸ κατάλληλον τούτου φάρμακον. χορηγεῖ γὰρ οἴκοθεν αὐτὸ ἡ τοῦ σωτῆρος φιλανθρωπία, ἡ μόνη πάντων ἰατρὸς τῶν γε τοιούτων ἀρρωστημάτων. ἧς τὰ ἁμαρτήματα τῶν ἀνθρώπων τοσοῦτον ἔλαττον ἔχει, ὅσον οὐδ᾽ ἔστιν ἐνθυμηθῆναι. ὡς ἀπὸ βαλβῖδος, φασὶ, τὸ ζητούμενον ἡμῖν εὕρηται. *Nec difficile arbitror invenire conveniens illud medicamentum. Id enim ex sese nobis suppeditat Salvatoris erga homines amor. hæc enim sola hujusmodi morbis medetur. quo sunt tanto minora hominum delicta, quantum nec cogitatione concipi potest. Quare ab ipso, quod dicitur, limine, inventum nobis est quod quærebamus.* Idem ali-
c P. 306. quanto pòst *c*: Πρόσεστι δὲ κἀκεῖνο τὸ ἀγαθόν. ἐπειδὰν γὰρ ἡμεῖς ὀλίγον τι προσενέγκωμεν τῆς ἀγαθῆς θελήσεως, αὐτίκα πως ἡμῖν παραγίνεται ἡ τοῦ Θεοῦ ῥοπὴ, καὶ τὸ τελείως θελῆσαι παρ᾽ αὐτῆς δίδοται. καὶ τί λέγω, ἐπειδὰν προσενέγκωμεν; ὅπου γε καὶ μὴ βουλομένους ἐλαύνει πρὸς τἀγαθὸν ὁ δημιουργὸς ἅπασι τρόποις, ἄνευ μέντοι τοῦ βιάζεσθαι. *Accedit nos illud ipsum bonum. nam cùm nos primi attulerimus vel pusillum bonæ voluntatis, confestim quodammodo nobis adest Dei impulsio, per quam perfectum velle nobis tribuitur. Et quid dico, cum primi nos attulerimus? quando* ETIAM NON VOLENTES *opifex ille rerum impellit ad bonum* OMNIBUS MODIS, *absque coactione*
d P. 350. *tamen & violentiâ.* Idem eadem oratione *d*: Διὰ τοῦτο καὶ προτείνει πᾶσιν ἑξῆς πρὸς τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς ὁ σωτὴρ κἀκεῖνον ἀφθόνως τὸν θησαυρὸν, ὃν ἐκεῖνος ἀφῖκτο φέρων ἐξ οὐρανοῦ, καὶ τό γε ἐπ᾽ ἐκεῖνος ἧκεν οὐδεὶς ποτε τῶν ἀνθρώπων ἐστέρηται τῆς τηλικαύτης εὐεργεσίας, ἀλλὰ ῥεῖ τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἐκχεῖται πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, καὶ ἔξεστι τοὺς πάντας προῖκα πλουτεῖν, καὶ ἀκονιτί τῶν ἀγαθῶν ἐμφορεῖσθαι. ἔδωκε γὰρ αὐτοῖς, φησιν, ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. εἰ δὲ τἀγαθόν τις ὁρῶν ἐπ᾽ αὐτὸν ὥσπερ αὐτομολοῦν, εἶτα διαπτύει τοῦτο καὶ ἀποστρέφεται, οὐ λογιστέον τοὔγκλημα τῷ γε διδόντι τὴν χάριν, ἀλλὰ τοῖς μηδὲ τὴν ἀρχὴν δεξαμένοις, ἢ καὶ μετὰ λαβεῖν ἀτιμάσασι καὶ περιωσαμένοις, οὕτω μὲν ὂν ἀγαθὸν, οὕτω δὲ μέγα, καὶ προσέτι μόνιμον, καὶ ῥᾳδίως ἐπιδιδοῦν, εἴ τις τοῦτο βούλοιτο. *Propterea etiam Salvator ille præter alia bona cunctis & thesaurum illum jugiter offert, quem ipse è cœlo descendens secum attulit. Et quidem, quantum ad ipsum attinet, nullus hominum privatur tanto beneficio, sed fluit hoc bonum, & effunditur ubique terrarum, ac licet omnibus gratis ditescere, ac absque labore bonis satiari. dedit enim iis, inquit, potestatem ut fiant filii Dei. Si quis autem, ubi cernit bonum illud, quasi sponte ad se venire, mox illud respuat ac aversetur, non imputanda illa culpa ei, qui beneficium dedit, sed iis qui nec initium ejus acceperunt, vel postquam accepissent, cum ignominiâ repulerunt rem adeo bonam, adeo magnam, & durabilem præterea, & facilè augescentem, si quis hoc velit.* Et paulo pòst: Οὐδὲ θελήσει κακῶς ἔχειν, οὓς ἐξ οὐκ ὄντων παρήγαγε, καὶ ταῖς ἑαυτοῦ χερσὶν ἔπλασεν· ἀλλ᾽ εὖ ποιήσει τούτους διηνεκῶς, διὰ πάντων, τῶν τε δεξιῶν φημι καὶ ἀριστερῶν, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον, ὀρθῶς βιοῦντας, καὶ μή. ὥσπερ ἀμέλει καὶ ὑετὸν, καὶ ἥλιον τούτοις παρέχει, καὶ αὖθις γε πρὸς τὸ συμφέρον αὐτῶν ὁρῶν, ἐπὶ καιρὸν ἵνα ταῦτα ἐπέχει. καὶ ὅλως, οὐ διὰ μιᾶς ὁδοῦ, ἀλλὰ πολλῶν τε καὶ διαφόρων, καὶ πραγμάτων ἐναντίων ἔστιν, οὗ πρὸς ἕν τι τέλος ἡμᾶς ἐνάγει, τὸ ζῆν ὀρθῶς δυνηθῆναι. πῶς ἂν ἄλλως εἰκὸς ἦν πράττειν; ὃς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε, σταυρὸν μὲν ὑπομείνας καὶ γύμνωσιν; *Non volet illis esse malè, quos ex nihilo produxit, manibusque propriis finxit, sed benefaciet iis assiduò, ac per omnia, dextrâ inquam & sinistrâ, juxta divinum Apostolum, sive rectè vivant, sive non. quemadmodum &, minimè id discrimen curans, & pluviam & solem iis suppeditat, & rursum, eorum respiciens utilitatem, ad tempus aliquod ea inhibet. Ad summam, non unâ viâ, sed multis ac diversis, & per res contrarias nonnunquam, ad unum nos finem perducit, ut rectè vivere possimus. Et quo pacto consentaneum esset, aliter eum agere, qui pro universis est mortuus, crucem quidem sustinens ac nuditatem? &c.*

Prosper epist. ad Demetriadem *a*: *Manifestissimè & Prophetica, & Euangelica, & Apostolica doctrina,* a Fol. 355. edit. Duac. 1577.
nec SUPERBOS *nos vult esse, nec* DESIDES: COOPERATORES *nos esse oportet gratiæ Dei, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem, & quotidie provehentem, vigilanter & sobriè* SUBSEQUAMUR. Et mox: *In omnibus enim monitis Dei atque mandatis, una eademque ratio est & divinæ gratiæ, & humanæ obedientiæ. Nec ob aliud unquam* DATUR PRÆCEPTUM, *nisi* UT QUÆRATUR PRÆCIPIENTIS AUXILIUM. VOCES *enim* DOCENTIUM, ET LITERÆ PAGINARUM, *quæ ad eruditionem audientium vel legentium Deo serviunt,* NON CARENT EJUS VIRTUTE, CUI SERVIUNT: *& quando, id quod jubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus divini operis declaratur.*

Sed imprimis clarè fuséque de generali vocatione egit auctor librorum de Vocatione gentium: ex quo castigatissimi judicii scriptore antiquitatis nos sententiam discere Bullingerus voluit, ut antea monebamus. Eum igitur audiamus sic loquentem l. II. cap. IV: *Non ita se æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum, nullis significationibus admoneret.* Et mox: *Etsi longè est à peccatoribus salus,* PRÆSENTIA *tamen* SALUTIS *ipsius ac virtute nihil vacuum est.* Et paullo pòst: *Sicut dicit Propheta, Misericordia Domini plena est terra; quæ nullis unquam seculis, nullis generationibus defuit.* Et post pauca: *Sicut illa gratiæ largitas, quæ in omnes novissimè effluxit, non evacuat eam, quæ super unum Israel sub lege roravit; nec præsentes divitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati: ita* NEC *de illâ curâ Dei, quæ patriarcharum filiis propriè præsidebat, conjiciendum est, gubernacula* DIVINÆ MISERICORDIÆ CÆTERIS *hominibus fuisse* SUBTRACTA. *Qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt* MANIFESTIS OCCULTISQUE BENEFICIIS *abdicati.* Et cap. X: *Manifestarum enim divinorum eloquiorum multæ autoritates, & continua omnium seculorum experimenta docuerunt, justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum,* NEC DOCENDIS JUVANDISQUE EORUM MENTIBUS DEFUISSE. Et cap. XV: *Adhibita enim semper est universis hominibus quædam superna mensura doctrinæ, quæ etsi* PARCIORIS OCCULTIORISQUE GRATIÆ *fuit,* SUFFICIT *tamen* QUIBUSDAM AD REMEDIUM, OMNIBUS AD TESTIMONIUM. Memorabilis etiam locus ille cap. XVII: *Etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit. Non ambigimus etiam, circa illas occulto judicio Dei tempus vocationis esse dispositum, quo Euangelium*

quod nondum viderunt, audiant atque suscipiant. Quibus tamen ILLA MENSURA GENERALIS AUXILII, qua DESUPER OMNIBUS SEMPER HOMINIBUS est præbita, non negatur: quamvis tam acerbo natura humana vulnere sauciata sit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea PLENE valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili judicio Deus justus & BONUS NON ITA præteritis seculis, quemadmodum in novissimis diebus, effudit. Et cap. XIX: Omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, secundum eas mensuras, quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus. Idem cap. XXIII. de infantibus ante baptismum mortuis, eoque, ex communiori quidem sententiâ, ab regno cælesti exclusis, sic scribit: Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad ILLAM pertineant GRATIÆ PARTEM, QUÆ SEMPER UNIVERSIS EST IMPENSA NATIONIBUS: QUA UTIQUE SI BENE EORUM UTERENTUR PARENTES, ETIAM IPSI PER EOSDEM JUVARENTUR. Et cap. eodem: Præter illam GENERALEM GRATIAM PARCIUS ATQUE OCCULTIUS OMNIUM HOMINUM CORDA PULSANTEM, excellentiori opere, largiore munere, potentiore virtute, vocatio specialis exeritur. Et cap. XXV: Sive igitur contemplemur secula, seu prima, seu media, rationaliter & pie creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quàm de iis beneficiis, eâque providentiâ Dei, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim, ac sunt hujusmodi donatia generalia, UT per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum POSSENT homines adjuvari: quibus donis autorem suum per omnia secula protestantibus, specialis gratia largitas superfusa est. Quæ licet copiosius nunc quam ante præstetur, caussas tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit, & intra secretum potentissimæ voluntatis occuluit: quæ si omnibus uniformiter afflueret, non laterent. Et quam nulla est ambiguitas de benignitate generali, tam de speciali misericordiâ nihil, quod stupendum esset, existeret; ac proinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit, & hanc multis tribuere, & illam à nemine submovere, ut ex utraque appareat, NON NEGATUM UNIVERSITATI, quod collatum est portioni; sed in aliis prævaluisse gratiam, in aliis resiluisse naturam. Et cap. XXIX: Præservit ante secula, quanta totius mundi hominum multitudo, VEL COMMUNIBUS USA DONIS, VEL SPECIALIBUS ADJUTA PRÆSIDIIS: declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingressura esset latitudinem erroris & mortis.

Atque hæc clarè ostendunt, ut generalem gratiam eruditus ille scriptor agnoscat: quam tamen à speciali illâ regeneratorum non minus apertè alibi distinguit. Ut cùm lib. I. cap. VII. ait: Etsi NATURALI INTELLECTU CONATUS SIT VITIIS RELUCTARI, hujus tantùm temporis vitam steriliter ornavit. Et eodem a: Dilectionem Dei amator mundi corde captivo non potest concipere. Plenus est enim amore vanitatum; quas ETIAMSI POTUERIT EX ALIQUA PARTE VITARE, ET TRANSCENSIS TEMPORALIBUS AC VISIBILIBUS AD ÆTERNA ET INVISIBILIA INTELLIGENDO PROFECERIT, A COLENDIS QUOQUE SIMULACRIS RECESSERIT, & venerari cælum ac terram, omniaque mundi hujus elementa destiterit; fidem tamen dilectionemque Christi, conturbatus de ejus ipsa humilitate; non capiet, & scandalum Dominicæ nativitatis ac mortis proprio judicio non evincet. Post luculentum hunc scriptorem similia multa à multis scripta fuerunt: sed majori judicio, ut arbitror, à nemine. Nimium verò quantum distat inter hanc sententiam, eorumque, qui in naturæ viribus constituunt, ut per eas homo salvetur, si velit: quasi is possit propriis conatibus de facto, ut loquuntur, positivè ac infallibiliter se disponere ad conversionem ac regenerationem sui: ut Scholasticorum quorundam opinio fuit. Nihil, inquam, commune habet hæc sententia cum doctrinâ scriptoris antiqui, quem laudavimus. Nam generalem ille vocationem agnoscit quidem: sed ut homo respondeat vocationi isti, non naturæ viribus tribuit, verùm generali gratiæ, hoc est, virtuti supernaturali, nec tantùm supernaturali, sed etiam omnino gratuitæ: ut quæ nullâ ratione fundetur in nostris, hoc est, naturæ nostræ operibus, nullumque planè respectum habeat ad opera innatis viribus præstita, contrà quam illi volunt, qui hominem censent per liberi arbitrii actus disponere se posse ad gratiam regenerationis: quia faciendo naturæ viribus quod in se est, supernaturalem gratiam consequatur, si non ex merito de condigno, saltem ex merito de congruo, sive ex lege quadam, quâ Deus statuerit omnibus, quod in se est, ex vi naturæ facientibus, conferre gratiam supernaturalem. Quæ sententia repugnat autoritati Ambrosii super Lucam lib. II. cap. XII: & lib. VI. c. XXXII: & lib. X. cap. XCVI: & scriptoris in epist. Pauli, qui inter Ambrosii opera legitur, in epist. ad Ephes. cap. I: Hieronymi lib. I. contra Pelag. & epist. ad Damasum Papam: Augustini lib. I. de prædestin. sanct. cap. VII: Gregorii lib. XVI. Moral. cap. XI: & lib. XXXIII. cap. XXV: & Bernardi super Cantic. cap. VIII. A quibus, istis & aliis pluribus locis, clarè docetur, ipsum salutis initium tribui debere primæ gratiæ, hoc est supernaturalibus actibus, quibus Deus immediatè mentem illuminat, sanctas cogitationes inspirat, voluntatem ac affectus excitat, liberumque arbitrium ita supra naturam suam occultâ ratione elevat, ut cùm ante ex naturâ suâ non posset non se opponere divinæ gratiæ, jam potens aptumque fiat ad non repugnandum vocationi divinæ. Nempe viderunt Patres, si dicatur, gratiam supernaturalem pendere ab merito de congruo, nec simpliciter fateamur, eam omnimodis esse priorem omni hominis operatione, quæ quidem ad conversionem ac justificationem qualemcumque ex se habeat respectum, planè consequi, ut divina gratia exspectet conatum naturæ, atque ita initium salutis sit ex nobis, quia initium operum ad salutem disponentium fit ex nobis.

a In supplemento ex codice Cambronensi: quod apud Ambrosium non habet: sed Prosperum, Duac. edit.

THESIS V.

Iis qui negarent, Deum velle omnes salvare, aut Christum pro omnibus esse mortuum, aut qui periit, potuisse per gratiam salvari: anathema dixit Synodus Arelatensis.

FAustus, adhuc planè Catholici nomine latens, epistolam ad Lucidum presbyterum scripsit, quam etiam Synodus Arelatensis approbavit. In ea anathematismi sunt isti:

Anathema illi, qui per Dei præscientiam in mortem hominem deprimi dixerit.

Anathema illi, qui dixerit, illum, qui periit, non accepisse, ut salvus esse posset.

Anathema illi, qui dixerit, quod vas contumeliæ non posset assurgere, ut fit vas in honorem.

Anathema illi, qui dixerit, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.

Sequitur deinde: Nos autem per illuminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum, qui periit per culpam, salvum esse potuisse per gratiam, si gratiæ ipsius famulatus laboris obedientiam non negasset. Et eum, qui per gratiam ad bona consummationis metas servitio obsequente pervenit, cadere per desidiam & perire potuisse per culpam. Nos ergò per medium, Christo duce, gradientes, post gratiam, sine quâ nihil sumus, laborem officiosæ servitutis asserimus: sed omnimodò arrogantiam & præsumptionem laboris excludimus: ut totis viribus desudantes, ne gratia in nobis evacuetur, quicquid de manu Domini suscepimus, donum pronunciemus esse, non pretium; scientes, laboris ipsius fructum

officii

officii rem esse, non meriti; cum Euangelistâ dicentes; Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Paullo pòst: *Gravem namque in authorem retorquemus invidiam, si dicamus, quod ei possibilitatem capessendæ salutis noluerit dare, qui perit, ei duntaxat, qui capere jam possit arbitrii libertatem: cùm minimè negare possimus, quòd mandati prævaricatorem in judicii sui examinatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, quomodo reus esse possit de perdito? Ac sic peccantes in Deum, cujus imprimis incautius asserimus gratiam, in postremis ejus videbimur impugnare justitiam.* Literas istas ante Synodum Arelatensem ad Lucidum miserat Faustus: ut verba ista ostendunt; *Hujus epistolæ exemplar mecum retineo, in conventu sanctorum Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum.* Intelligit conventum Arelatensem; cui cùm postea literarum exemplar (quod hic facturum se ait) obtulisset, conventus is literis & anathematismis istis subscripsit. Hoc cùm Fausto ex animi sententiâ successisset, (quid mirum, quando, dum sanâ accipiantur sententiâ, Catholicam anathematismi isti sententiam continent?) ad alia etiam animum adjecit. Nam in Synodo Lugdunensi, quæ paullo post Arelatensem habita fuit, ita caussam adversus priorem Lucidi, hoc est, Prædestinatianorum sententiam, egit, ut aliqua anathematismis in Arelatensi Synodo statutis adjicienda viderentur, pleneque exponendi sententiam Catholicam provincia Fausto mandaretur. Qui quâ fide in hoc se negotio gesserit, testes sunt libelli duo, quos de gratiâ & libero arbitrio scripsit: in quibus ita Pelagianum dogma oppugnat, ut ejus portionem retineat. Unde est, quòd Fulgentius, Pertus Diaconus, Alcimus Avitus, atque alii, adversus hunc ejus errorem scripserunt. Quare, ut fatemur, Lugdunense concilium Arelatensis Synodi anathematismos approbasse, (quod ex præfatione Fausti apertius est, quàm ut negari possit) ita minimè putamus, subscripturum fuisse omnibus istis, quæ libro suo Faustus complexus fuit. Imò fortasse nec literis Lucidi (etsi is scribere se dicat *secundùm recentia statuta concilii*) calculum adjecisset, quandoquidem quæ fusius differit Faustus, penè omnia hæc à Lucido paucis comprehensa videmus. Facilius tamen iis, ob ambiguitatem verborum, qualecunque mantelum invenire est, quàm libro Fausti. Quare de hoc non odiosè contendemus: sed sententiam nostram exposuisse contenti sumus. Solùm igitur ea ex epistolâ ejus adponemus, quæ Arelatensis Synodi anathematismis clare consentiunt. Cujusmodi sunt ista: *Juxta prædicanda recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum;*

Qui dicit, quod Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.

Qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd Dei pereant voluntate, qui pereunt.

Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.

Hæc omnia, quasi impia & sacrilegiis repleta condemno.

Assero autem, Eum qui periit, potuisse salvari.

Christum etiam, Deum ac salvatorem nostrum, quantum pertinet ad divitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse.

Et quia nullum perire velit, qui est salvator omnium hominum, maximè fidelium, dives in omnibus, qui invocant illum.

Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendum, memini me dixisse, quod Christus pro his tantum, quos credituros præscivit, advenisset: nunc sacrorum testimoniorum autoritate, quæ abunde per spatia divinarum Scripturarum inveniuntur, ex seniorum doctrinâ ratione patefactâ, libens fateor, Christum etiam pro perditis advenisse. Quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est, circa eos solos, qui videntur esse salvati, immensa divitias bonitatis ac beneficia divina concludi. Nam si Christum his tantùm remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt; videbimur absolvere non redemptos; quos pro redemptione contemtâ constat esse puniendos. Hactenus Lucidus.

LIBRI SEPTIMI

PARS ALTERA;

Quæ est de Arbitrii libertate.

THESIS I.

Diximus, quid senserit Ecclesia Vetus de amplitudine gratiæ. Deinceps videndum, an eadem crediderit, inesse homini naturâ potestatem, per quam respuere possit gratiam oblatam, atque eam reddere valeat inefficacem. Dependet hæc quæstio ex doctrinâ de arbitrii libertate, quæ, juxta veteres, non solùm est libertas à coactione, sed etiam à necessitate. Nam docent illi, quemadmodum homo potest quidem per naturam velle bonum morale aut civile, sed voluntas eius, ad volendum illud naturâ suâ, non est determinata: atque iccirco etiam illud potest non velle: & reapse sæpè non vult, cùm possit velle: similiter hominem per eandem voluntatis naturam hoc habere, ut possit nolle bonum spirituale, etiam cùm ad illud volendum & præstandum sufficientes à Deo vires accepit. Itaque à gratiâ quidem accipere liberum arbitrium, ut possit bonum, quod non poterat prius: sed à naturâ liberi arbitrii esse, quòd oblatam possit gratiam repudiare, & resistere Spiritui Sancto.

Quæstio de libero arbitrio, ut præclarè ait Augustinus lib. I. de gratiâ Dei contra Pelag. cap. XLVII. & lib. IV. contra Julianum cap. VIII. ita difficilis est ad discernendum, ut quando defendimus liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Ne verò in alterutrum præcipitium rueret, sedulò cavit pia antiquitas. Nam ne gratiam tolleret, docebat, vires liberi arbitrii, non dico peccatorum laqueis sic esse implicatas, ut homo se inde extricare non possit; (nam qui non aliud dicat, is fatebitur, vires hominis tantummodo esse impeditas, eoque ruptis vinculis in actum exituras)

turas) verùm, quod ad spiritualia, planè deletas & extinctas: ac proinde gratiam non solùm excitare vires sopitas, quasi, antequam excitaretur, aliquas homo habuerit vires, per quas, si excitetur è somno, consentire valeat vocationi: sed novas vires gratiosè conferre. Unde Augustinus lib. III. contra duas Pelagianorum epist. cap. IV. ait, *promissionis Filius Spiritum S. non solùm esse adjutorem, (quod Pelagiani dogmati suo sufficere existimant) verùm etiam largitorem dicimus virtutis: quod isti negant.* Et lib. II. cap. IX: *Hominis bonum propositum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.* Et in Enchiridio ad Laurent. cap. XXXII: *Totum Deo debetur, qui voluntatem hominis bonam præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.*

Sed ut Patres ista, ne gratiæ essent ingrati, haut inviti agnoscebant: ita ne libertatem arbitrii convellerent, fatebantur, eam in naturalibus ac civilibus non esse deletam, sed attenuatam. Fatebantur, media, quibus ad spiritualem vitam perducimur, uti sunt auditio Verbi, & Scripturarum lectio, esse in potestate hominis non renati. Fatebantur, inspirationibus & excitationibus, quibus Deus occultè cor hominis pulsat, posse resistere, atque ita conversioni suæ, ut Augustinus loquitur, obicem ponere. Fatebantur denique, etiam conversos posse ignaviæ se dare, ruereque in fœda peccata, quæ per collatam gratiam vitare & poterant & debebant. De hujusmodi libertate hoc loco agimus: cujus doctrina ut melius intelligatur, plenius aliquanto hæc explicabimus.

Quod Latini liberum appellant arbitrium, hoc Græci appellant αὐτεξούσιον. Nam propriè αὐτεξούσιος, qui suæ est autoritatis. Ita vertit Spartianus in Adriano Cæs. *Decoctores*, inquit, *bonorum suorum, si suæ autoritatis essent, catamidiari in amphitheatro & dimitti jussit.* Hoc est, si essent αὐτεξούσιοι. Libertatem verò arbitrii, non externi solùm, sed etiam Theologi, αὐτεξούσιον vocant. Apostolus I Cor. VII. 37, nominat ἐξουσίαν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, *potestatem propriæ voluntatis.* Cujus exemplo αὐτεξούσιος vox (dum commodè accipiatur) retineri in Ecclesiis potest. Nam habemus hic posteriorem compositi partem, quæ est ἐξουσία, & pro alterâ habemus aliquid ἰσοδυναμοῦν. Nam idem sunt αὐτὴ ἐξουσία, & ἰδίου θελήματος ἐξουσία. Tantùm cavendum, ne sic eam capiamus, ut vel tollat servitutem peccati, cui omnes naturâ obnoxii sumus: vel Dei nutum atque imperium excludat, à quo qui voluntatem hominis negant dependere, non homines liberos, sed se faciunt sacrilegos: ut optimè ait Augustinus lib. V. de Civ. Dei cap. IX.

Variè autem libertatis vox accipi potest. Nam est libertas ab imperio præcipientis, & obligatione præstandæ obedientiæ. Est & altera libertas ab inspectione, curâ, & gubernatione superioris. Utraque absolutè accepta solius est Dei, cui idcirco αὐτεξουσία tribuitur. Creaturæ verò omnes imperio & gubernationi divinæ subjiciuntur. At κατά τι utraque libertas etiam in hominibus locum habet: utpote quorum alii liberi, alii servi: alii item magistratus, alii subditi. Sed ad civilem vitam plurimùm refert, ecquis præsit, an subsit; servus sit, an liber: ad beatitudinem autem consequendam nihil planè interest: unde Apostolus ad Corinthios I. VII. 21: *Servus vocatus es? non sit tibi curæ; sed &, si potes fieri liber, magis utere.* Quare de neutrâ hac libertate nunc agimus.

Qui hac parte dissentiunt à nobis, Deum aiunt liberè esse bonum, liberèque Filium genuisse, eoque sufficere ad libertatem, ut quid spontaneum sit, quamvis voluntas sit determinata. Verùm nos scimus, κυρίως loquendo, Deum nec voluntate, eoque nec liberè; sed naturâ, ac proinde necessariò, esse bonum. Etiam, si retinere volumus vocum proprietatem, naturâ, non voluntate, Deus genuit Filium; eò quòd operationes hujusmodi simpliciter sint necessariæ, contrà quàm in creatione ac similibus usu venit, quæ non habent necessitatem, nisi ex hypothesi. Quare non multum absimile est hoc loquendi genus, ac est, si dicatur quis liberè habere cerebrum aut sentiendi facultatem.

Est præterea triplex libertas [a]. Una à necessitate, sive illa sit à caussâ externâ cogente, sive à naturâ intrinsecus determinante: altera à dominio peccati: tertia à miseriâ. Prima est naturæ, altera gratiæ, tertia gloriæ. De primâ est illud ad Corinth. I. VII. 37: *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* De secundâ hoc ad Rom. VI. 18: *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ.* De tertiâ istud eâdem epist. cap. VIII. 21: *Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Tertiam hanc libertatem habebat homo, cùm nec dum in peccatum incidisset: consequetur denuo, cum animo corporeque in cælestem vitam transferetur. Eoque nec de hac nobis nunc sermo esse potest. Supersunt prima secundaque notio; quarum de utraque dicemus: ac priùs de necessitate naturæ. Quæ duplex est, una à coactione, altera à necessitate. Libertas à coactione competit omni volitioni. Nam actio quidem externa coacta esse potest: at volitio non potest. Libertas verò à necessitate non est cujusvis volitionis, sed solius electivæ. Nam voluntas simplex est necessaria, utpote ad unum determinata. Hoc pacto finem, uti felicitatem, volumus: ut quam non possimus non velle. At voluntas, ut principium est electionis, planè libera est. Elegantissimè hanc rem expressit Nemesius, Episcopus ac Philosophus Christianus, lib. περὶ φύσεως ἀνθρώπου [b]: Ἡ μὲν βούλησις τοῦ τέλους ἐστίν· ἡ δὲ προαίρεσις τῶν πρὸς τὸ τέλος, κατὰ τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν, ἣν ἔχει τὸ βουλητὸν πρὸς τὸ βουλευτόν. Βουλητὸν μὲν γὰρ τὸ τέλος, βουλευτὰ δὲ τὰ πρὸς τὸ τέλος. *Voluntas enim est ipsius finis, electio verò eorum, quæ ad finem pertinent, secundum eandem analogiam, quam habet id, quod sub voluntatem cadit, ad id, quod sub consultationem. Nam sub voluntatem cadit finis: sub consultationem, quæ ad finem referuntur.* Quid, quòd ἀναλογίαν implicet, ut voluntas in consultatione libera non sit, cùm electio minimùm sit è duobus? Nam, ut scitè idem Nemesius ait, προαιρετόν ἐστι τὸ ἕτερον πρὸ ἑτέρου αἱρετόν. *Electio est ejus, quod præ altero legitur,* hoc est capitur.

Quodsi quis non aliam hominis libertatem agnoscat, quàm illam à coactione, is talem ponat libertatem, quæ homini communis sit cum bestiis: quippe quæ & ipsæ spontè ac non coactè multa operentur. Quare, juxta illum sensum, non aliud erit discrimen inter hominem & bestiam, quàm quòd bestiæ actus prodeunt à sensu appetitivo, hominis à voluntate propriè dictâ: ambo verò conveniunt, quòd habeant adjunctum modum necessitatis. Atqui homo etiam à bestiâ differt, quòd solus ἐν προαιρέσει ac electione agat. Quare ipsis infantibus ac amentibus amplius tribuendum, quàm à coactione libertas. Ut verò putemus, sanis haut plus competere, hoc verò ab omnibus sanis longissimè abesse debet. Majorem enim cuncti libertatem in se ipsis experiuntur, etiam pueri & sequior sexus: & absque hoc esset, rueret imperium paternum, herile, civile: quando, utut sponte homines agant, tamen, si necessariò agant, non mandato aut prohibitioni, non præmio aut pœnis, ullus sit relictus locus. Itaque hoc argumento Patres plerique omnes (quos inferiùs laudabimus) adstruere solent arbitrii libertatem adversus Manichæos; qui & ipsi absque dubio spontè, nec coactè, hominem agere fatebantur, sed necessariò omnia agere credebant.

Nec tamen existimandum, antiquos istos doctores, cùm adversus Manichæos disputant, voluntatem vocasse liberam, ratione omnium suorum actuum. Quippe inficiari non possumus, multos sæpè actus nobis subrepere, quos voluntas nequit impedire. Verùm horum respectu minimè liberam vocarunt; sed eorum solùm ratione, quos potuit non elicere. Unde satis patet, quid judicarint de operationibus Dei, quas vocant ad extra, deque actioni-

bus

[a] Bernard. De grat. ac libero arbitrio.

[b] Cap. 33 quod est de electione.

bus nostris in patriâ, aut actionibus dæmonum: quatenus hæc omnia in genere considerantur. Nam neque hoc respectu posuere in iis libertatem, sed tantùm quià agunt ex *προαιρέσει*, seu ratione actuum in particulari. Nam diabolus, etsi in genere non possit non peccare, quæ infelix necessitas est: multa tamen & omittere & committere potest, quæ nec omittit, nec committit: in quibus libertas ejus cernitur. Homo quoque felici quadam necessitate in vita æternâ non poterit non Deum diligere: poterit tamen dilectionem aliis atque aliis actibus testari: atque eatenus aget liberè. Similiter angelus bonus, ex communi Patrum sententiâ, non potest non bene agere: sed multos tamen actus facit, quos possit non facere, & contrà; quod est libertatis. Denique Deus ipse, etsi in operibus ad extra necessariò bene agat, tamen non necessariò, sed liberè, hoc vel illud agit. Unde liquet, etsi in his exemplis non sit libertas, quod ad speciem actus; quià nempe is bonus est aut malus: manere tamen libertatem, quod ad actus exercitium: quod ad naturam libertatis sufficit. Quamobrem sic concludimus, uti philosophis antiquis, ita etiam Patribus orthodoxis, liberum arbitrium vocari potestatem naturæ intelligentis, quâ, positis omnibus requisitis ad eligendum & agendum, sic eligere agereque potest, ut possit non eligere, ac non agere. Ad cujus descriptionis intelligentiam tria hæc distinctè considerare oportet, subjectum, objectum, actum.

Subjectum est natura intelligens, ut Deus, angelus, homo.

Objectum sunt media ad finem ordinata. Nam finem quidem volumus, sed necessariò, quomodo felicitatem volumus, nec aliter quàm velle possumus: media verò (saltem non omnino liquida ac certa) liberè volumus; quia sic volumus, ut non velle possimus.

Actus liberi arbitrii est electio; eaque aut perfectior, quando duobus vel pluribus propositis unum præ alio eligitur; quæ dicitur libertas contrarietatis, vel quod ad speciem actus: aut imperfectior, quâ unum idemque aut acceptatur, aut respuitur; quæ vocatur libertas contradictionis, vel quod ad exercitium actus.

Atque hæc dicta sunto de libertate naturæ: quâ voluntas omnium hominum libera est à necessitate, tum caussæ exterius cogentis, tum naturæ ad unum determinantis. Deinceps aliquid addendum de libertate gratiæ, seu libertate Christianâ: quâ homo liberatur à servitute peccati ac Legis: peccati quidem, tum ratione reatus ac condemnationis, quam peccato meriti sumus: tum ratione dominii ac tyrannidis, quam exercet in nobis peccatum inhabitans: Legis autem partim moralis, quæ rigida sui exactione desperationem præstandæ Legis in homine gignit; atque ita ad agnoscendum peccati dominantis tyrannidem adducit: partim cæremonialis, quæ debiti nostri chirographum fuit, reatusque ad condemnationem certa obsignatio.

Hac notione libertatem arbitrii homini irregenito abjudicant Patres universi: sed cùm hanc libertatem intelligunt, clarè eam ab altera discriminant: ut qui plurimùm eodem in loco homini & libertatem tribuant naturæ, & libertatem adimant gratiæ. Ita Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum lib. I. cap. II. *Quis*, inquit, *nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum; sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad bene justeque vivendum.* Et lib. II. cap. V: *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum naturâ periisse non dicimus; sed ad peccandum valere: ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.* Sed imprimis illustris est locus Scriptoris Hypognosticon lib. III. *Esse*, inquit, *fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo, aut inchoare, aut certè peragere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis quam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, idest, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, &c. Malis verò, ut velle idolum colere, velle homicidium, &c.* Neque alia antiquorum Patrum sententia fuit, quando, quisquis necessitatem gratiæ, tam prævenientis, quàm subsequentis, agnoscit, is non aliam statuere potest arbitrii libertatem, quàm hic factum ab Augustino, vel Hypognosticôn scriptore. Unde facile est conciliare ea Patrum loca, quibus liberum arbitrium negant, cum iis, quibus idem defendunt. Nam defendunt libertatem naturæ: de quâ intelligendum illud Scriptoris Hypognosticôn lib. III. circa medium: *Liberum arbitrium quisquis esse negaverit, Catholicus non est.* Et prope finem: *Liberum arbitrium hominibus esse,* CERTA FIDE *credimus, & prædicamus indubitanter.* At adimunt naturæ viribus libertatem gratiæ: de qua capiendum Augustini illud in Enchiridio cap. XXX: *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum.*

Planiora hæc fient ex distinctione bonorum, & diversi hominum status. Bonorum enim alia sunt naturalia, alia moralia, alia civilia. Naturalia voco ea, quæ humanus intellectus apperit, quatenus animal est vitæ particeps: quæ Scriptura & Patres vocant *τὰ βιωτικά*, Aristoteles *τὰ πρὸς τὸ εἶναι ἀναγκαῖα, necessaria ut sis.* Hæc partim sunt homini cum bestiis communia, uti incedere, edere: partim sunt actiones civiles, consideratæ abstractè à bonitate, vel vitio morali; ut colere agros, exstruere domum, gerere bellum, &c. Alterum genus bonorum (quod morale vocabamus) constituunt actiones virtutis participes, quæ Philosophus appellat *ἀναγκαῖα πρὸς τὸ καλῶς εἶναι*, quia non solùm faciunt, ut vitam degas, sed etiam ut honestam. Tertium genus est illorum, quæ apperit intellectus, quatenus, originis suæ memor, ad cælestem se beatitudinem comparat. Hæc vocantur bona spiritualia. Status item hominis est triplex: primævæ integritatis, in quo constitutus: insecutæ corruptionis, in quo priori justitia destitutus: renovatæ justitiæ, in quam per Christi gratiam restitutus. In primo tertioque statu homo libertatem habet ad quodcumque boni genus; nec solum libertatem à coactione, sed etiam à necessitate. Secundus verò status bifariam spectatur; nempe tum in se, & ante omnem gratiam; tum cum aliqua gratia, disponente ad generationem. Priori modo consideratus, in naturalibus libertatem habet magnam, in moralibus minorem, in spiritualibus nullam. Posteriori si modo spectetur, pro gratiæ præparantis mensura, minorem majoremve habet libertatem. Loquor autem de libertate ad actus, qui ab homine præstantur: non de ipsa vocatione, inspiratione, illuminatione, excitatione: ad quæ merè se habet passivè: unde & divinam hanc vocationem necessariò sentit: solùm ut vocationi consentiat, non necessitatis est, sed libertatis. Quæ duo apertissime distinguit Augustinus De Spiritu & Litera cap. XXXIV: *Visorum suasionibus agit Deus; ut velimus, & ut credamus: sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat: sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem: sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergò modis, quando Deus agit cum animâ rationali, ut ei credat: (neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat:) profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat, quod dictum est, Quid enim habes, quod non accepisti? verùm etiam confirmat: Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat,*

Dei

Dei est: accipere autem & habere utique accipientis & habentis est. Et sanè passim docet Augustinus, inesse homini istiusmodi libertatem, qua in potestate sua habeat, ut vocationi divinæ vel consentiat, vel dissentiat. Quæ non est libertas solùm à coactione, sed etiam à necessitate. Unde & idem plurimis locis ostendit, non agere hominem semper bonum, quod per vires naturæ possit agere: nec spirituale semper bonum operari, etiam cùm vires ad hoc gratiosè accepit. Ac nisi utrumque horum esset, negat Augustinus, mandato, aut interdictis; obedientiæ, aut inobedientiæ; præmio, aut pœnis, locum fore. Hoc ut ita esse liqueat, plusculа Augustini loca coogessimus.

Tom. 1. lib. 1. Retract. cap. XXIII. ait: *Quod dixi, Nostrum est, credere & velle: illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris: verum est quidem, sed eâdem regulâ & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.* Tom. eod. lib. III. De lib. arb. cap. I: *Motus, quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset* VOLUNTARIUS, *atque in* NOSTRA *potestate: neque laudandus, cùm ad superiora; neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, ut, istis neglectis, æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem, quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est.* Ibidem cap. III: *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in* NOSTRA POTESTATE. *Porro quia est in potestate, libera est nobis.* NON *enim est nobis* LIBERUM QUOD IN POTESTATE NON HABEMUS, *aut potest non esse, quod habemus.* Idem Tom. eodem, De verâ religione cap. XIV: *Et quoniam peccare non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si* NON VOLUNTATE, SED NECESSITATE *servirent.* Idem Tom. eodem, lib. II. De libero arbitrio cap. I: *Deus cùm peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, nisi, cur non ad eam rem usus es liberâ voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc est, ad rectè faciendum? Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis, rectèque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset, aut rectè factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc & pœna injusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam.*

Idem Tom. 2. epist. XLVI. ad Valentinum: *Nisi libero arbitrio intelligeremus, atque saperemus: non nobis præciperetur, dicente Scripturâ; Intelligite ergò, qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Eo ipso quippe, quo præceptum & imperatum est, ut intelligamus, atque sapiamus;* OBEDIENTIAM *nostram requirit;* QUÆ NULLA *potest esse* SINE LIBERO ARBITRIO. Et epist. XLVII. ad Valentinum: *Quantum potuimus, egimus cum istis, & vestris, & nostris fratribus, ut in fide sanâ Catholicâ perseverent; quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratiâ Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat.* Et epist. CVII. ad Vitalem Carthaginensem: NEQUE FIDELES FIUNT, NISI LIBERO ARBITRIO; *& tamen illius* GRATIA FIDELES FIUNT, *qui eorum à potestate tenebrarum liberavit arbitrium.* Et epist. LIV. ad Macedonium: *Pertinet ad nos, ut boni simus, accipere & habere quod dat qui de suo bonus est. Quo quisque neglecto, de suo malus est.*

Tom 3. de Spiritu & Literâ cap. XXXI: *De illâ fide quærimus, utrùm in potestate sit, quâ credimus Deo, vel credimus in Deum. Hinc enim scriptum est: Credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad justitiam. Et, credenti in eum, qui justificat impium, deputatur fides ad justitiam. Vide nunc, utrùm quisque credat, si noluerit: aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est, (quid est enim credere, nisi consentire, verum esse quod dicitur?) consensio autem utique volentis est: profectò fides in potestate est.* Et initio capitis sequentis: *Ergo fides in potestate est; quoniam cum vult, quisque credit, &, cùm credit, volens credit.*

Tom. 4. Libro octoginta trium quæstionum, quæst. LXVIII: *Ad illam cœnam, quam in Evangelio dicit Dominus præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt: nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam* UT VENIRENT VOCATI, ERAT IN LIBERA POTESTATE. *Vocatio ergò ante meritum voluntatem operatur. Propterea & si quisquam sibi tribuit, quòd venerit vocatus, non tamen sibi potest tribuere, quod vocatus est: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cùm vocatus venire neglexerit.* Et eod. Tom. ad Simplicianum quæst. II: *Noluit Esau, & non cucurrit: sed & si* VOLUISSET, *& cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset: qui etiam* VELLE ET CURRERE VOCANDO PRÆSTARET, NISI VOCATIONE CONTEMTA REPROBUS FIERET. Et eopse Tom. in expositione quarundam proposit. ex epist. ad Rom. propos. XLIV: *Quod autem ait* (Apostolus:) *Non enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo, hoc facio. Si autem, quod nolo, hoc facio, consentio legi, quia bona est. Satis quidem lex ab omni criminatione defenditur; sed cavendum, ne quis arbitretur, his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium. Quod non ita est. Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vinditur, dum viribus suis justè vivere conatur, sine adjutorio liberantis gratia Dei. In libero autem arbitrio habet, ut* CREDAT LIBERE, *& accipiat gratiam, ut jam, illo, qui eam donat, liberante & adjuvante, non peccet: atque ita desinat esse sub lege, sed cum lege, vel in lege; implens eam caritate Dei; quod timore non poterat.*

Tom. V. de Civit. Dei lib. XII. cap. VI: *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, quâ visâ unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudicâ stabilis perseveret: quid putamus esse caussa, ut in illo fiat, in illo non fiat? voluntas mala, quæ illam res fecit? in quo facta est? neque enim pulchritudo illa corporis. nam eam non fecit in ambobus, quandoquidem amborum non dispariliter occurrit aspectibus. An caro intuentis in caussa est? cur non & illius? an verò animus? cur non utriusque? ambos enim, & corpore, & animo, æqualiter affectos fuisse prædiximus. An dicendum est, alterum eorum occultâ maligni spiritus suggestione tentatum? quasi non eidem suggestioni, & qualicunque suasioni propriâ voluntate consenserint. Hanc igitur consensionem, hanc malam, quam male suadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab istâ quæstione tollatur, si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat: alter idem, qui fuerat, perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse, à castitate deficere? Unde, nisi propriâ voluntate? ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio, amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo, ambobus pariter institit occulta tentatio.*

Idem Tom. VI. de fide contra Manich. cap. IX. & X: *Totum quod vocatur malum in hominibus, peccatum est, & pœna. Peccatum fit ab animâ rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est. Et pœna infligitur justitiâ Dei, quæ nihil facit injustè. Adversus hæc solitâ cæcitate Manichæi latrant, &, cùm convincuntur, naturam non esse malum, sed in potestate esse hominis, facere bene, aut male, dicunt, non esse animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem suam. Quis enim non clamet, stultum esse,*

esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere: & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas, jussa complere? & has injustitias, & iniquitates, miseri non intelligunt Deo se adscribere. Sed quid verum est, nisi & Dominum dare præcepta, & animas liberæ esse voluntatis, & malum naturâ non esse, sed esse aversionem à Dei præceptis, & esse justum Dei judicium, quo damnet peccantes? Et eod. Tom. in actis cum Felice Manichæo lib. II. cap. VIII: *Liberâ voluntate faciunt homines consuetudinem: quam cum fecerint, facile superare non possunt. Ipsi ergo sibi de se ipsis fecerunt, quod contraria lex habitet in membris eorum. Sed qui concipiunt timorem Dei,* & PER LIBERUM ARBITRIUM SUBDUNT SE *sanandos optimo medico, & sicut bono curatori, ita & misericordi creatori, per humilitatem confessionis & pœnitentiæ sanantur.* Et paullo pòst: *Non est ergò indignum, ut Deus dicat, Ite in ignem æternum: eis, qui ejus* MISERICORDIAM PER LIBERUM ARBITRIUM RESPUERUNT.

Tom. 7. de peccat. mer. & remiss. lib. II. cap. V: *Nec ideò tamen de hac re* (de domandâ concupiscentiâ malâ) *solis votis agendum est, ut non subinferatur admitendo etiam nostra efficacia voluntatis. Adjutor enim noster Deus dicitur; nec adjuvari potest, nisi qui aliquid spontè conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum naturâ rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Et eod. Tom. de naturâ & gratiâ cap. LXV: *In rectè faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia est libertas caritatis.* Et eopse Tom. de gratiâ & lib. arb. cap. II. cùm celebrem illum ex cap. XV. Ecclesiastici locum citâsset: subjungit ista: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet Deus? Quomodo* JUBET, SI NON EST *liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus dicit, quod in lege Domini fuit voluntas ejus? nonne satis indicat, voluntate suâ hominem in lege Dei consistere? Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem; sicut est: Noli vinci à malo: &, Noli deficere à disciplinâ Domini: & innumerabilia talia, in veteribus libris divinorum eloquiorum, quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam novis Evangelicis & Apostolicis quid aliud ostenditur? ubi dicitur, Qui vult venire post me, abneget se ipsum. Et, Noli negligere gratiam, quæ in te est. Item, Nolite diligere mundum &c. Hujusmodi nempe, ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum, in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cùm peccat.* NEQUE *cùm aliquid secundum Deum operatur,* ALIENET HOC A PROPRIA VOLUNTATE.

Tom. 9. in epist. Joan. tract. IV: *Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, ut diceret, Castificat semet ipsum. Quis nos castificat, nisi Deus? sed Deus, te nolente, non castificat. Ergo quod adjungis voluntatem tuam Deo, castificas temet ipsum. Castificas te, non de te, sed de illo qui venit, ut habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo: Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adjutor meus esto, aliquid agis. Nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?* Item tractatu LIII. in eundem: *Quare non poterant credere* (Iudæi,) *si à me quæratur, citò respondebo rem,* QUIA NOLEBANT. *Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænunciavit ille, cui abscondi futura non possunt.* Et eod. T. Scalæ Paradisi cap. X: *Sine Patre luminum nihil possumus facere, sed ipse in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis. Cooperatores quidem Dei sumus, sicut dicit Apostolus. Vult siquidem Deus, ut eum oremus, & ut ei advenienti & præstolanti ad ostium aperiamus sinum voluntatis nostræ, & ei consentiamus.*

Tom. 10. lib. quinquaginta homiliarum, homil. XVI: *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum; Deo, an diabolo: cum paraveris, qui possidebit, ipse imperabit.*

Atque hæc, cujusmodi Augustini fuerit sententia, satis ostendunt. Nec aliter discipulus ejus Prosper adversus Collatorem cap. XXVI: *Non est ab ipso, quamvis non sine ipso sit ista conversio: nec propriâ virtute ad principia salutis enititur: sed agit hoc occulta & potens gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum & operum mortuorum favillis, torrem obruti cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat, non ut invitum hominem subigat, sed ut intelligentem, sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbitrium, quod utique cum ipso homine Deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglectâ Dei lege defluxit, non à se ipso, sed à creatore mutatur, ut quicquid in eo in melius reficitur, nec sine illo sit qui sanatur, nec nisi ab illo sit, qui medetur.* Nec aliter scriptor librorum de vocatione gentium, qui vulgò Prosper putatur. Verba ejus sunt lib. II. cap. XXVIII: *Ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut à perseveraturis mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat.* Et ibidem: *Fit manifestum, quod diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur.*

Leo Magnus Serm. II. in solemnitate Epiphaniæ D. N. Iesu Christi: *Et nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus. Quamvis enim* OMNIUM BONORUM SIT IPSE LARGITOR, *etiam* NOSTRÆ *tamen* FRUCTUM QUÆRIT INDUSTRIÆ. *Non enim dormientibus provenit regnum cælorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus, ut* SI DONA ILLIUS NON IRRITA FECERIMUS, PER EA, QUÆ DEDIT, *mereamur accipere, quod promisit.*

Atque hæc adduximus ex ipsis illis, qui strenue rem gessere adversus Pelagium. Ex quibus abunde liquet, quantopere ab eorum opinione abfuerint, qui naturæ non aliam, quam à coactione libertatem agnoscunt; Deumque arbitrantur, quibuscunque hoc dederit, ut ad veram fidem possint pervenire, vel perseverare in bono, hos certò infallibiliterque gratiâ tantâ dignari, ut etiam omne illud, quod possint, velint; nec misericordiam Dei per liberum arbitrium respuant; aut dona, quæ acceperunt, unquam negligant, irritaque reddant. Quodsi antiquiores his etiam audire animus est: non clarè minùs super hoc doctrinæ capite sententiam dicunt, *Quàm Solis esse radii, cum sudum est, solent.* Paucorum verba adduxisse, erimus contenti.

Irenæus lib. IV. cap. LXXI: *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possint non operari illud: hi autem qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possint operari illud.*

Scriptor eruditus quæst. & resp. ad Orth. (qui vulgo Justinus creditur) quæst. CIII: Διὰ τὸ μὴ αἱρεῖσθαι, καὶ οὐ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι, ἁμαρτάνομεν ἄνθρωποι. *Eo quòd non velimus, non eo quod non possimus, peccamus homines.*

Tertullianus lib. II. adversus Marc. c. V: *Nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui, aut bonus, aut malus, necessitate fuisset inventus, non voluntate.*

Clemens Alex. in Protrept. a Ἕως πότε, ὀκνηρὲ, κατακείσῃ; πότε δὲ ἐξ ὕπνου ἐγερθήσῃ; Ἐὰν δὲ ἄοκνος ᾖς, ἥξει σοι ὥσπερ πηγὴ ὁ ἀμητός σου, ὁ λόγος ὁ πατρικὸς, ὁ ἀγαθὸς λύχνος, ὁ κύριος ὁ ἐπάγων τὸ φῶς, τὴν πίστιν πᾶσι, καὶ σωτηρίαν. *Quousque, piger, jaces? quando autem ex somno excitaberis? Sin autem fueris impiger, veniet tanquam fons messis tua, verbum paternum, bonus lychnus, Dominus qui inducit lucem, fidem omnibus, & salutem.* Duo hoc loco docemur; fidem nempe salutemque esse à Deo: a Pag. 23.

donari autem hac omnes eos, qui contemtu gratiæ præparantis non reddiderunt sese regenerandi gratia indignos. Idem Clemens paullo pòst: *a* Ὁ Θεὸς ἐκ δούλων υἱοὺς ἡμᾶς
a P. 14. γενέσθαι βούλεται. οἱ δὲ υἱοὶ γενέσθαι ὑπερεφρονήκασιν. *Deus ex servis vult nos fieri filios: illi autem etiam filii effici*
b P. 284. *contemserunt.* Idem lib. VI. Στρωματ. *b* Κἂν μὴ μετανοήσωσι, κρίνονται. οἱ μὲν, ὅτι δυνηθέντες, οὐκ ἠθέλησαν πιστεῦσαι τῷ Θεῷ. οἱ δὲ, ὅτι καὶ θελήσαντες, οὐκ ἐξεπονήσαν προσγενέσθαι πιστοί. *Quodsi non fuerint ducti pœnitentiâ, judicantur: aliqui quidem, quod* CUM POSSENT, NOLUERUNT DEO *credere; alii verò, quod cùm vellent,* NON ELABORAVERUNT, *ut fierent fideles.*

Cyprianus lib. I. epist. III. ad Cornelium: *Et tamen Christus non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est; sed magis, conversus ad Apostolos suos, dixit: Nunquid & vos vultis ire? servans scilicet legem, quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Idem lib. III. ad Quirinum Testim. LII: *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio positam; in Deuteronomio: Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, &c.*

c P. 169. Cyrillus Catechef. VII: *c* Οὐκ ἐπείγαγκας, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως εἰς τὴν τοιαύτην ἁγίαν υἱοθεσίαν ἐρχόμεθα. *Non necessitate, sed voluntate, in ejusmodi sanctam adoptionem devenimus.*

Arnobius adversus Gentes lib. II: *Christus sublimibus, infimis, servis, fœminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit. Patet omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris, quin imo si tantum sapientiâ prævales, ut ea, quæ offeruntur a Christo, ludum atque ineptias nomines: quid invitans peccat, cujus solæ sunt hæ partes, ut sub tui juris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli est (inquit Plato) Deus caussa, neque alterius voluntas adscribi potest cuiquam rectè, cùm voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate, qui voluit. An nunquid orandus es, ut beneficium salutis ab Deo digneris accipere, & tibi aspernanti fugientique longissimè, infundenda in gremium est divina benevolentiæ gratia? Vis sumere, quod offertur, atque in tuos usus convertere? consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis, & despicis? tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert necessitatem, imperiosâ formidine nullum terret. Neque enim necessaria nostra illi salus est, ut compendii aliquid, dispendiive patiatur, si aut Deus nos fecerit, aut ad nihilum redigi, corruptionis dissolutione, permiserit. Imò (inquitis) si Deus est potens, misericors, conservator, convertat nobis mentes, & invitos faciat suis pollicitationibus credere. Vis ergo est ista, non gratia; nec Dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium puerilis atque inanis contentio. Quid est enim tam injustum, quàm repugnantibus, quàm invitis extorquere in contrarium voluntatos; inculcare quod nolint, & quod refugiant animis; prius nocere, quàm prosis? & priore detracto, in alienum habitum sententiamque traducere? Tu qui te verti, & vim desideras perpeti, ut id, quod nolis, efficias, atque arripias coactus; cur respuis assumere voluntate id, quod versus desideras, atque immutatus, efficere? Nolo (inquis,) & voluntatem non habeo. Quid ergò criminaris Deum, tanquam tibi desit? Opem desideras tibi ferre, cujus dona, & munera non tantùm aspernetis, & fugias, verùm in alia verba cognomines, & jocularibus facetiis prosequaris?*

d *Aliquanto ante medium, seu p. 4. ed. Basil. 1570.* Hilarius lib. I. de Trinitate *d*, *Esse autem Filios Dei, non necessitatem esse,* inquit, *sed potestatem, quia propositio universis Dei munere, non natura gignentium asseratur, sed voluntas præmium consequatur.*

Hieronymus in illud Esaiæ cap. I: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: si nolueritis, & non audieritis,* (sive, ut in Hebræo habetur, & me ad iracundiam provocaveritis) *gladius devorabit vos: Liberum,* inquit, *servat arbitrium: ut* IN UTRAMQUE PARTEM *non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel pœna, vel præmium sit.* Idem apologiam suam pro libris adversus Jovinianum istâ claudit sententiâ: *Lazarus & dives diversa post mortem tenent loca. In nostro arbitrio est, vel Lazarum sequi, vel divitem.*

Quod sicui etiam post ista nondum liqueat satis: sciat, hac parte conspirare omnes antiquos. Ostendunt hoc ex Græcis isti:

Ignatius ad Magnesianos.

Irenæus lib IV. cap. IX. XXIX. XXX. LXXVI.

Justinus Martyr. apolog. pro Christ. ad Senatum Rom. *a* & apolog. ad Antoninum Pium *b*: & dialog. cum Tryphone Iudæo. *c*

Scriptor quæst. & resp. ad Græcos Iustino Martyri falsò tributarum, Resp. I. Et apud eundem Iustinum, scriptor quæst. & resp. ad Orthodoxos resp. VIII.

Athenagoras legat. pro Christianis.

Tatianus orat. contra Græcos. *d*

Theophilus Antiochenus epist. III. Paschali. *e*

Clemens Alexandr. in προτρεπτ. *f* & lib. I. Pædag. cap. VIII. & Στρωματέων libris *g* passim.

Origenes contra Celsum lib. IV *h*: lib. III. περὶ ἀρχῶν, homil. XII. in Num. tract. XXXIII. in Matth. ad illud Ioh. VIII. 21. *Ego vado, & quæretis me.* in epist. ad Rom. cap. VI. lib. VI. & lib. VII. cap. VIII.

Eusebius Cæsariensis lib. VI. præparat. Euang. c. V.

Macarius homil. XV. *i* XXVI. XXVII. XXIX. XXXVII.

Antonius Abbas epist. II. ad fratres suos Arsenoitas. *k*

Athanasius orat. contra gentes *l*, orat. IV. contra Arrianos *m*, orat. in pass. & crucem Dom. *n*, & de Semente *o*, & de vita Antonii. *p*

Cyrillus Hierosolym. præfat. in Catech. *q* & Catech. I. *r* IV *s*. VII. VIII *u*. XV *x*. XVI. *y*

Basilius εἰς τὴν ἑξαήμερον hom. VI *z*. & X *a*. in Psalm. VII *b*. & LXI *c*. & homil. Quòd Deus non est auctor malorum *d*, & in exhortat. ad baptismum *e*, & homil. de *f* Pœnit. & homil. Quomodo aliquis baptizetur in Euang. Chr. *g* & orat. περὶ αὐτεξουσίου *h*, & in cap. I. & XIV. Esaiæ. *i*

Gregorius Nazianzenus in apolog. *k* orat. XVI. quæ est de pauperum amore *l*, orat. XXVI. quæ est de moderatione in disp. servanda *m*, orat. XXXI. quæ est in dictum Euang. Matth. XIX *n*. orat. XXXVII *o*. quæ est de Spir. S. orat. XL. quæ est in sanctum baptisma. *p*

Nemesius lib. de nat. hom. cap. XXXIX. & XL.

Epiphanius lib. I. T. I. hæres. V *q*. XVI *r*. LXIX. *s*

Gregorius Nyssenus De opif. hominis cap. XVI. *t*

Chrysostomus T. I. in Gen. IV. homil. XIX. & serm. De Iacob & Esau, & Psalm. CXXIV. & T. II. in Matth. c. IX. homil. XXX. & Matth. XVIII. homil. LX. ad illud, *Necesse est venire scandala.* & in Fragmentis ex Euang. Matt. cap. XXIII. & in Luc. cap. XVI. De Lazaro homil. II. & T. III. in Iohan. cap. I. homil. X. & XI. & Ioh. cap. VI. homil. XLV. ad illa verba, *Nemo potest venire ad me,* &c. & homil. De ferendis reprehens. & T. IV. ad Rom. cap. IX. homil. XVI. & I. ad Cor. cap. I. homil. II. & cap. IV. homil. IV. item homil. XVII. item cap. IX. homil. XXII. ad Ephes. cap. II. homil. IV. & T. V. serm. De virtut. & vit. & epist. VI. ad Theodorum Monach. & homil. II. De incomprehensibili Dei nat. item homil. LV. & LXXVII. ad Pop. Antioch. quamquam duæ istæ homiliæ Chrysostomi non sint. Nam viginti tantùm, vel summum duas & viginti ad Antiochenos habuit: cæteræ quinquaginta octo sunt ἐρανίσματα seu deflorationes ex Chrysostomo. Similiter Scriptor imperfecti operis

a Pag. 35. edit. Salisb. b Pag. 62. edit. [illegible] c P. 246. 247. 250. 290. d In Orthodoxographis pa. 194. 195. 197. 198 e Bibliot. PP. 2. ed. T. 3. col. 516 f Edit. Commel. p. 17. 18. 34. g Lib. 1. p. 135. lib. 2. p. 160. 166. 167. lib. 3. p. 130. lib. 4. p. 229. [illegible] p. 272. 281. 283 lib. 7. 298. [illegible] 301. [illegible] h P. 15. & 16. edit. Morellian. Gr. i Hom. p. 19. [illegible] 215. hom. 26. p. 322. hom. 27. p. 366. hom. 29. p. 381. hom. 1. p. 449. ed. Morell. k T. 1. bibl. PP. edit. 2. col. 113 184. Com. mel. p. [illegible] m P. 150 n P. 785 & 788 o P. 170 p T. 1 col. 411 q P. [illegible] ad Græc. Lat. r P. [illegible] s P. 85 t [illegible]

t Pag. 149. u Pag. 169. x Pag. 361. y P. 417. 421. z P. 17. edit. Basil. a P. 48. b P. 61. c P. 123. d P. 163. 164. e P. 190. 192. f P. 144. g P. 587. h P. 608. i P. 647. k T. 1. ed. Morell. p. 8. & 9. l P. 556. m P. 456. 457. n P. 504. 505. 506. 508. o P. 607. p P. 644. 657. q Edit. Græc. p. 12. r Pag. 21. s Pag. 331. vers. 7. t Pag. 170. ed. Basil.

operis in Matth. falsò Chrysostomo tributi hom. xv. in c. v. & in cap. xxii. homil. xli.

a P. 185. ed. Ingolst. b P. 548. 661. 735. 897. edit. Paris. a. 1572. c Col. 201. d P. 263. ed. Commel.

Cyrillus in Os. cap. vi a. & vii b. & in Julianum Apost. lib. iii c. & in Joh. lib. ii. cap. liv. & lib. iv cap. vii. & lib. ix. cap. x.

Theodotus Ancyræ Episcopus homil. in Natalem Salvatoris, quæ exstat in Concilio Ephesino. d

Dionysius cognomento Areopagita (quem Cyrillo jungimus, quia Valentiniani secundi tempore vixisse verisimile est) lib. De cœlesti Hierarchiâ cap. ix.

Isidorus Pelusiota lib. ii. epist. lxxii. item lib. iii. epist. clxxvii. & ccclxiii.

Oecumenius ad illud 1 Tim. ii. *Qui cunctos homines vult salvos fieri.*

Imperator Manuel Palæologus orat. vi.

E Latinis similiter sentiunt isti:

Tertullianus lib. ii. adversus Marcionem c. vi. & viii. & lib. iv. adversus eundem cap. xxxv. lib. De animâ cap. xxi. libro De monogamiâ cap. xiv. lib. v. De exhortatione ad castitatem cap. ii. Quod si Tertullianus de Fato librum vulgavit, quæ Pamelii, & aliorum opinio est: non dubium, quin eo multa etiam plura, illustrioraque pro libero dixerit arbitrio Sed an hujusmodi quid scripserit, non mediocriter dubito. Lego quidem apud Fulgentium, expositione antiquorum sermonum: e *Nam & Tertullianus libro, quem De fato scripsit, ita ait; Redde hunc fati primum problematis mancipatum.* Verùm hujusce hominis autoritate parùm moveor, quando ei insolens non est, falsos laudare scriptores: ut qui nobis citet Pacuvii Pseudonem, Plauti Cacistum, Taciti librum facetiarum, Græcos scriptores De Latinis vocibus explicandis, ac similis farinæ nugas: Quemadmodum in suis ad eum notis observavit eruditissimus Josias Mercerus. Sed à Tertulliano ad alios veniamus. Uti sunt,

e Voce Problem.

Apud Cyprianum incertus scriptor, præfat. lib. De cardinalibus Christi operibus.

Hilarius Comment. in illud Matth. c. xii. *Multi vocati, pauci electi.* item in vii. caput Matth. item in Psalm. ii. & li, & cxviii. in ה & ו & ח.

Optatus Milevitanus lib. vii. contra Parmenianum.

Victor Antiochenus in Marci cap. viii.

Gaudentius Brixiensis ad Neophytos tract. xii. & in Exod. tract. iii.

Hieronymus T. ii. epist. ad Ctesiphontem, & in Hierem. cap. xxvi. illa verba, *Forsitan audient, & convertentur.* Et lib. i. in Matth. extremo cap. v. ad illud, *Ut sitis filii.* Et T. iii. epist. ad Damasum, cujus initium, *Beatitudinis vestræ* &c. Et adversus Pelag. lib. i. & imprimis iii.

Scriptor libri De prædestinatione & gratiâ (quem falsò credi Augustinum, diximus alibi f) cap. xv.

f Lib. i. c. 16.

Leo Magnus serm. ii. in sollemnitate Epiph. D. N. Iesu Christi, & serm. xvi. De pass. Dom.

g Fol 11. a. h F. 152. b. i P 450. & 451. Micropresbytic. sive T. 3. bib. PP. ed. 2. col. 1072.

Isychius in Levit. cap. i g. & xxv h.

Albinus quæst. in Genes. i

Carolus Magnus, & episcopi Synodi Francofurtensis Capitulari De non adorandis imaginibus lib. iii. cap. i.

Sed tandem allegandi veteres finis esto, quando, non dico, si omnia omnium indicare velimus, (quod ne possemus quidem) sed vel sola, quæ possumus, nullus sit futurus finis. Et eo minus labore illoc opus, quando maximus Calvinus hanc istius antiquitatis sententiam non obscurè agnoscit lib. ii. Instit. Christ. cap. iii. §. ii. ubi sic scribit: *Ac voluntatem movet Deus, non qualiter* MULTIS SECULIS TRADITUM EST, *ut nostræ sit electionis, motioni Dei obtemperare, aut refragari.* Nam ne de Scholasticis id capiendum putes, mox ostendit, se etiam de iis seculis loqui, quibus præcipuè per orbem universum floruit religio Christiana. Subjungit enim: *Illud ergò à Chrysostomo toties repetitum repudiari necesse est, Quem trahit, volentem trahit.* Chrysostomum unum nominat, sed idem etiam ab aliis Patrum doceri, doctissimum virum minimè fugit, ut satis liquet ex iis, quæ & eo ipse, & præcedenti capite dixerat. Et sanè, si Chrysostomus, aut alii, ita in hominis potestate posuerunt, vel assentiri vocationi, vel dissentire, ut assensus ex naturæ viribus promanet: damnari omnes, tanquam hac parte Πελαγιανίζοντες, debent. At longissime à Pelagio absunt, si cum Augustino aiunt quidem, nihil tam in potestate nostrâ esse, quam voluntatem nostram; esseque in homine facultatem in melius mutandi voluntatem: at simul cum eodem fatentur, potestatem hanc esse nullam, nisi à Deo donetur: quomodo priora posterioraque scripta sua passim conciliat sanctus ille antistes in Retractationum libris. Sic enim & voluntas manet libera, & omnia gratiæ tribuuntur. Quam rem paullo pleniùs explicabimus.

Constat, duplex nobis inesse principium, carnem sive naturæ corruptionem, & spiritum sive principium gratiæ. Caro præsentibus, & brevibus gaudet: spiritus futuris & perpetuis. Inter ea media est voluntas, ut à quâ homo habeat velle, &, quà libera est, liberè velle. A carne, hoc est, corruptione naturæ, est, malè velle At, ut possit bene velle, à spiritu habet. Ad hanc bene volendi potentiam homo se habet merè passivè: quippe quæ tota sit Spiritus Sancti donum. Ad usum verò hujus potentiæ habet se etiam activè, quia homo cooperatur Deo, ex gratiæ istius principio. Nec iccirco bonitas operis, partim Deo, partim nobis tribui debet: quia, ut dicebamus, usus quoque istius gratiæ est ex gratia. Sic enim Deo cooperatur homo, sic eum gratia concurrit liberum arbitrium, ut concursus omnis ac cooperatio sit, non ex viribus, quas naturâ habet; sed aliis, quas accipit à gratiâ. Ergò opus bonum est ab hominis voluntate. Volens enim homo illud efficit. Est & à libero arbitrio, quia liberè efficit. Est præterea à gratiâ, quia non naturæ, sed gratiæ viribus efficit. Nam tribus his modis voluntas consideratur: quà voluntas est; quomodo voluntariè agit, hoc est, spontè, & non coactè: quà libera; quomodo liberè agit, & ita, ut possit non agere: quà gratiæ principio instructa; quomodo agit opus bonum ac supernaturale. Ergò à voluntate quidem habemus velle generatim consideratum. Item cùm voluntas hominis libera sit, ab eâ est, quòd, qui bene vult per spiritum, possit malè velle per carnem, & contrà. At opus bonum & supernaturale, quà tale, à naturâ hominis esse non potest, eo quòd bonitas ista naturæ vires excedat, nec creatum quicquam possit ultra id, ad quod vires accepit. Quemadmodum igitur corpus nostrum nullam habet vim illuminandi, sed contrà habet vim offuscandi: ita liberum arbitrium naturâ, sive à se, nullam vim habet operandi bonum, sed tantùm impediendi bonum. Ut igitur illuminatio positivè est à Sole: à corpore verò nostro non est, nisi privativè, quà id non impedit lumen Solis: ita omne opus bonum, quà tale, positivè est à Spiritu Sancto: quia quicquid entitatis habet, quà bonum & supernaturale, id à gratiâ habet: à libero verò arbitrio solùm est privativè, quatenus non resistit gratiæ, cùm possit resistere: quod ipsum ut resistere possit, ex se habet, uti, quòd possit nolle resistere, habet ex gratiâ. Sepositâ igitur consideratione operis boni, quà opus, vel liberum opus: non magis illud existentiæ suæ quicquam debet voluntati, sive libero arbitrio; quàm lumen suum aër radiis solaribus illustratus debet corpori maximè opaco.

Cùm hac ratione libertatem in spiritualibus docent, satis clarè ostendunt, etiam se aliqua in homine bona agnoscere, quæ ne privativè quidem libertati nostræ tribui possint; uti sunt vocationes, illuminationes, inspirationes; quæ solius Dei totaliter esse fatentur. Unde est quòd Augustinus non uno loco libri de Spiritu & literâ dicat, *Sentire divinam vocationem, in nobis necessariò fit; consentire autem, libere contingit.* Similiaque legere est libro de Spiritu & animâ cap. 48. & de Prædest. Sanct. cap. 13. & in Enchir. cap. 32. Idemque voluisse videtur Concilium Arausionense, cum can. 20. dicit, *Multa in homi-*

homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo. Et sanè ipsa vocabula vocationis, inspirationis, illuminationis, excitationis, satis ostendunt, res istas à Deo fieri totaliter. Quid quòd, si non omnes, præcipui saltem ex antiquis, ipsam conversionis gratiam sic à Deo esse agnoscant, ut ne in hac quidem liberum arbitrium privativam esse conversionis caussam agnoscant. Plerique enim volunt, cùm Deus hominem convertit, non conferre eum homini gratiam cui homo de facto, ut vulgo loquuntur, possit resistere, quæque solùm ab eventu & cooperatione liberi arbitrii efficax dicatur, cùm ex se non nisi sufficiens sit: verùm docent, efficaciam regenerantis gratiæ esse ab intentione & beneplacito Dei, ac propriâ quaslam ejus gratiæ conditione, quæ naturâ suâ istiusmodi est, *ut nullum cor durum respuat, ut quæ ipsa sit illa gratia quæ cordis duritiem aufert*; ut de eâ loquitur Augustinus lib. 1. de Prædest. cap. 8. Quomodo & idem libro De corrept. & gratiâ cap. 14. ait, *Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium.* Et libro De gratiâ ac libero arbitrio cap. 5: *Ut Paulus de cælo vocaretur, & tam magnâ atque efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et cap. 16: *Certum est, nos velle, cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in justificationibus meis ambuletis.* Quæ satis ostendunt, non hanc antiquitati sententiam tribui posse, quasi dicant, nihil supernaturale in homine produci à Deo sine cooperatione liberi arbitrii. quod manifestè falsum, cùm fateantur, hominem ad primam vocationis gratiam, sanctasque cogitationes à Deo immediatè inspiratas, & voluntatis excitationem, ac similia, habere se merè passivè: imò, uti vidimus, Augustinus, & qui eum secuti, senserunt, ne quidem Deum sic conversionem ipsam operari, ut liberum arbitrium de facto possit resistere. Quare hoc tantùm dicimus, inter primam vocationem & perfectam conversionem (perfectam dico, non perfectione graduum, sed essentiæ) statui ab iis actus intermedios, quibus homo, postquam à Deo illuminatus, excitatus, & ad actus aliquos supernaturales præstandos habilis ac potens redditus est, disponatur ad perfectam conversionis sive regenerationis gratiam; inque hisce intermediis actibus agnoscere omnes arbitrii libertatem, cujus respectu gratia Dei rectè dicatur resistibilis. Hoc, inquam, omnium judicium est; ubi Deus sanctas cogitationes inspiravit, voluntatem & affectus hominis excitavit, ac omnia illa egit, quæ necessariò requiruntur, ut homo possit non resistere Deo vocanti, posse nihilominus hominem vocationi divinæ repugnare, atque (ut Augustinus quoque loquitur) obicem ei opponere: quod si non faciat, majora enim à Deo auxilia consequi, quibus vehementius etiam exciteтur ac moveatur; usque dum, si nec istis repugnârit, paratâ jam ad conversionem viâ, ipsam consequatur perfectæ regenerationis gratiam: sive quòd Deus tantùm operetur gratiâ ex se sufficienti, quæ efficax fiat per cooperationem humanam; sive quòd gratia isthæc efficax sit, idque habeat à voluntate & intentione Dei donantis, & propriâ hujus gratiæ conditione: quorum utrum verius sit, alias fortasse commodior se offeret dicendi locus.

THESIS II.

Deus non prædestinat ad peccandum, sed præscit liberè peccatum: nec quia præscit Deus, peccabit homo; sed quia homo peccabit, Deus præscit.

AD docendum, Prædestinationem non esse ad peccatum, pertinent loca, quibus dicitur, præsciri peccatum, quia futurum; non futurum, quia præscitur. secus si esset, Deus fiat peccati author; quia tali decreto homini imponeretur peccandi necessitas.

Justinus Martyr apologiâ pro Christianis ad Antoninum Pium a: Ὅπως δὲ μή τινες ἐκ τῶν προλελεγμένων ὑφ' ἡμῶν δοξάσωσι, καθ' εἱμαρμένης ἀνάγκην φάσκειν ἡμᾶς τὰ γινόμενα γίνεσθαι, ἐκ τοῦ προειπεῖν προεγνωσμένα, καὶ τοῦτο διαλυόμεθα. *Cæterum ne aliqui, ex his quæ protulimus, autument, ex fati necessitate nos dicere fieri quæ fiant, perinde atque quòd prædicta sint* CONSTITUTA *quoque,* ATQUE DECRETA *habeantur, id etiam refellemus.* Clarè negat hic Justinus, eo quòd Deus aliquid præsciverit, iccirco idem etiam decrevisse; atque hoc in caussâ esse ait, cur Dei præscientia minimè inducat fatalem necessitatem. In peccato igitur præscientiam quidem Dei agnoscit, prædestinationem non item. Rectè itaque centuriatores Magdeburgenses, cùm centuriâ secundâ cap. 4. de Patribus qui proximo ab Apostolis ævo vixerunt, hunc in modum scribunt: *De prædestinatione ita docuerunt, ut quantum ad utriusque, hominis scilicet & diaboli, lapsum attinet, negârint, eum fatali necessitate contigisse: nec prædestinationem in eo Dei, sed præscientiam solam admiserunt.* Quòd verissimè ab iis dici, indicat etiam hic locus ejusdem Justini Martyris dialogo cum Tryphone b: Οὐκ αἰτίᾳ δὲ Θεοῦ οἱ προγινωσκόμενοι καὶ γενησόμενοι ἄδικοι εἴτε ἄγγελοι εἴτε ἄνθρωποι γίνονται φαῦλοι, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν ἕκαστος αἰτίᾳ τοιοῦτοί εἰσιν ὁποῖος ἕκαστος φανήσεται, &c. *Non Dei culpâ qui præsciti sunt ac futuri iniqui, sive angeli sive homines, improbi sunt, sed suâpte pro se quisque culpâ talis est, qualis apparebit.* Et mox: Εἰ δὲ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ προμηνύει πάντως τινὰς καὶ ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους κολασθήσεσθαι μέλλοντας, διότι προεγίνωσκεν αὐτοὺς ἀμεταβλήτους γενησομένους πονηρούς, προεῖπε ταῦτα, ἀλλ' οὐχ ὅτι αὐτοὺς ὁ Θεὸς τοιούτους ἐποίησεν· ὥστε ἐὰν μετανοήσωσι, πάντες βουλόμενοι τυχεῖν τοῦ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐλέους, δύνανται. καὶ μακαρίους αὐτοὺς ὁ λόγος προλέγει, εἰπών, Μακάριος, ᾧ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος ἁμαρτίαν. τοῦτο δέ ἐστιν, ὡς μετανοήσας ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι, τῶν ἁμαρτημάτων παρὰ τοῦ Θεοῦ λάβῃ ἄφεσιν. *Quodsi verbum Dei præmonstrat, fore omnino ut angeli quidam & homines excrucientur, eo quòd præsciverit, illos immutabiliter malos futuros, id ipsum prædixit; non autem quòd Deus eos tales fecerit. Quapropter si pœnitentiam egerint, omnes misericordiam à Deo consequi volentes, præstare id & assequi possunt; & beatos ipsos verbum prædicat, dicens, Beatus cui non imputaverit Dominus peccatum. Id autem est hujusmodi, quòd quem pœnituerit commissorum delictorum, remissionem is illorum sit consequuturus.*

Anonymus scriptor quæstionum Justino martyri falsò tributarum, cùm in iis non Justini modò, sed etiam Manichæorum & Origenis fiat mentio; quæst. 58: c Εἰ ἔδει τὸν Χριστὸν δι' ἑνὸς αὐτοῦ μαθητῶν παραδοθῆναι, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, δηλονότι αἴτιός ἐστιν ὁ Χριστὸς τῆς ἐκπληρώσεως τῆς γραφῆς, καὶ οὐ τῆς προδοσίας τοῦ Ἰούδα. ταύτης γὰρ αὐτὸς ὁ Ἰούδας ἦν αἴτιος. ἣν μέλλουσαν ὁ Θεὸς προειδώς, προεῖπε διὰ τῆς γραφῆς· καὶ οὐκ ἔστιν ἡ πρόγνωσις αἰτία τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, ἀλλὰ τὸ μέλλον ἔσεσθαι, αἴτιον τῆς προγνώσεως. οὐ γὰρ τῇ προγνώσει ἕπεται τὸ μέλλον, ἀλλὰ τῷ μέλλοντι ἡ πρόγνωσις· καὶ οὐδαμῶς ὁ προγινώσκων αἴτιός ἐστι τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι. ὥστε οὐχὶ ὁ Χριστὸς αἴτιός ἐστι τῆς προδοσίας, ἀλλ' ἡ προδοσία αἰτία τῆς τοῦ Κυρίου προγνώσεως. Καὶ ἐπὶ τοῦ διαβόλου καὶ τοῦ πρωτοπλάστου ὁ αὐτὸς λόγος. *Si oportuit, ut Christus ab uno discipulorum suorum proderetur, ut impleretur scriptura, videlicet Christus caussa fuerit, cur scriptura impleretur, non cur proderet Judas. Proditionis enim Judas ipse caussa fuit, quam cùm Deus fore prænosceret, per sacram scripturam prædixit. Et non est præscientia caussa ejus quod futurum est, sed id quod futurum est, caussa est præscientiæ. Neque enim præscientiam sequitur id quod futurum est, sed quod futurum, consequitur præscientiam; & nequaquam præscius caussa est futuri. Quare non Christus caussa est proditionis, sed proditio caussa est Domini præscientiæ. Ac de diabolo & primo homine par ratio est.*

Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 56: Οὐκ ἐπειδὴ προεῖπεν ὁ Κύριος τὴν τοῦ Ἰούδα προαίρεσιν, ἐκεῖνος πρὸς τὴν προδοσίαν ἀλίσθησεν, ἀλλ' ἐπεὶ ᾔδει τὴν ἐπιβουλὴν ὁ ἀλη-

a P. 62.

b P. 370.

c P. 33

ἀλιτήριος, ὁρῶν τὰ κρύφια τῆς καρδίας κινήματα, τὰ μέλλοντα ὡς παρόντα προέφηνε. *Non quia Dominus Judæ voluntatem, ac institutum prodidit, ille in proditionis crimen lapsus est, sed quoniam parturiit proditionem homo nefarius, ideo qui occultos cordis motus videbat, futura tanquam præsentia præmonstravit.*

Augustinus Tom. 1. de lib. arb. lib. 3. cap. 4: *Sicut memoriâ tuâ non cogis facta esse quæ præterierunt: sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse auctor est: quorum autem non est malus auctor, justus est ultor.* Ibidem: *Non est consequens, ut si Deo certus est omnium ordo caussarum, ideo nihil sit in nostra voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in caussarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientiâ continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum caussæ sunt. Atque ita qui omnes rerum caussas præscivit, profectò in eis caussis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum caussas esse præscivit.* Ibidem: EVODIUS. *Nondum video, quomodo sibi non adversentur hæc duo: præscientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam & justum Deum necesse est fateamur, & præscium. Sed scire vellem, qua justitia puniat peccata, quæ necesse est fieri; aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præscivit. Aut quomodo non creatori deputandum est, quicquid in ejus creaturâ fieri necesse est?* AUGUSTINUS. *Unde tibi videtur adversum esse liberum arbitrium nostrum præscientia Dei? quia præscientia est, an quia Dei præscientia est?* EVODIUS. *Quia Dei potius.* AUGUSTINUS. *Quid ergò si tu præscires, peccaturum esse aliquem, non esset necesse ut peccaret?* EVODIUS. *Imò necesse esset, ut peccaret. Non enim aliter esset præscientia mea, nisi certa præsciret.* AUGUSTINUS. *Non igitur, quia Dei præscientia est, necesse est fieri, quæ præscierit: sed tantummodo quia præscientia; quæ si non certa prænoscit, utique nulla est.* EVODIUS. *Consentio. Sed quorsum ista?* AUGUSTINUS. *Quia, nisi fallor, non continuò tu peccare cogeres quem peccaturum esse præscires. Neque ipsa præscientia tua peccare illum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset. Non enim aliter id futurum esse præscires. Sicut itaque non adversantur sibi hæc duo, ut tu præscientiâ tuâ noveris quod alius suâ voluntate facturus: ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergò non vindicet justus quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim memoriâ tuâ non cogis facta esse quæ præterierunt: sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut tu quædam, quæ fecisti, meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est: quorum autem non est malus auctor, justus est ultor.* Ibidem: *Non est consequens, ut si Deo certus est omnium ordo caussarum, ideo nihil sit in nostra voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in caussarum ordine sunt; qui certus est Deo, ejusque præscientiâ continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum caussæ sunt, atque ita qui omnes rerum caussas præscivit, profectò in eis caussis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum caussas esse præscivit.* Idem Tom. 5. de civitate Dei lib. 5. cap. 9: *Non ergò propterea nihil est in nostrâ voluntate, quia Deus præscivit, quid futurum esset in nostrâ voluntate. Non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porrò si ille qui præscivit, quid futurum esset in nostrâ voluntate; non utique nihil, sed aliquid præscivit: profectò & illo præsciente est aliquid in nostrâ voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retentâ præscientiâ Dei, tollere voluntatis arbitrium: aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur. Illud, ut bene credamus: hoc, ut bene vivamus. Malè autem vivitur si de Deo non bene creditur. Unde absit à nobis, ejus negare præscientiam, ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes & vituperationes, quia & ipsas futuras esse præscivit, & valent plurimùm, quantum eas valituras esse præscivit: & preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præscivit: & justa præmia bonis factis, & peccatis supplicia, constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit: Imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat: quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, qui si nolit omnino, non peccat; sed si peccare voluerit, etiam hoc ille præscivit.*

LIBRI SEPTIMI
PARS TERTIA;
Quæ est de caussa Reprobationis.

QUæ diximus de arbitrii libertate in contemnendâ vocatione Dei, facilem & expeditam reddunt controversiam sequentem, quæ est de caussâ Reprobationis. Ubi triplex quæstio se offert. Prima est, cur Deus hominem adjudicet pœnis æternis. Et respondent veteres, ob prævisam infidelitatem, vel imperseverantiam in fide. Iterùm quæritur, cur Deus fide non regeneret hominem, vel regenito non conferat perseverantiæ donum. Et respondent iidem, hominem, quia contemnit vocationem Dei, reprobum fieri, & quia prior deserit Deum, deseri à Deo. Denique quæritur, cur Deus unum magis, quàm alterum, destituat salutaris gratiæ bono, cùm sæpè pariter sint improbi, & indigni, vel quandoque etiam, quem gratiâ dignatur, altero deterior sit. Et respondent, hoc pertinere ad occulta judicia Domini; nec quia nescitur, quod occultum est, eo negandum esse quod manifestum est. Hæc quæ paucis nunc complexi sumus, piæ antiquitatis fuisse sententiam, apertissimis testimoniis planum faciemus. Ordiemur à quæstione primâ, de quâ tale antiquitatis judicium fuit.

THESIS L.

Sensit Ecclesia vetus, eo reprobos detrudi in gehennam, atque ibi luere pœnas æternas: non quia vitâ obedire Deo non potuerunt, sed quia noluerunt. Itaque & anathema illis dixit, qui existimarent, hominem prædestinari ad malum, hoc est, qui prædestinatione Dei putarent hominibus imponi peccandi & pereundi necessitatem.

Quemadmodum in electis considerantur duo, Prædestinatio ad gratiam, & ad gloriam; ita in reprobis duo spectantur, Non destinatio ad gratiam, sive præteritio, & Non destinatio ad gloriam, sive exclusio è regno cœlesti, & conjectio in pœnas gehennæ. Sed hoc discriminis est inter actus illos circa electos, & hos circa reprobos; quòd illic uterque actus Dei sit positivus & effectivus, hic verò prior sit negativus sive permissivus, posterior solùm positivus sive effectivus. Unde reprobationem vulgo distinguunt in reprobationem negativam & positivam. Magis tamen propriè positiva illa nomen reprobationis meretur; quia cùm reprobatio & approbatio opponuntur, propriè reprobatio ejus est qui rejicitur tanquam indignus præmio: quod propriè convenit illis, qui propter actus malos è cœlis excluduntur, & pœnis inferni addicuntur. Rectius igitur Non prædestinatio ad gratiam statuatur conditio prævia reprobationis ex parte Dei, quàm ejus pars vel effectus. Nisi quatenus Non prædestinatio gratiæ includit excæcationem sive obdurationem propter actus præcedentes malos liberè & evitabiliter commissos, in quibus homo pertinaciter perseverat. Nam hic quoque est actus Dei, ut judicis, hominem propter gratiæ prioris contemptum reprobantis ut gratiâ majori indignum. At dissimiliter se habet permissio peccati vel peccatorum, quibus homo derelictionem sui promeretur. Quæ ut melius intelligantur, distinctè dicendum erit, primùm de caussâ Non electionis ad gratiam, sive, ut vocant, reprobationis negativæ: deinde de caussâ Non electionis ad gloriam, sive reprobationis positivæ. Augustini sententia fuit, etsi Deus non prædestinet hominem ad gratiam, habita ratione meriti boni; non tamen præteriisse, h. e. privare decrevisse gratia salutari & perseverantia in bono, citra respectum meriti mali. Imò tantum abest ut hoc senserit, ut nec verum putarit de ipsis infantibus, in quibus meritum propriæ voluntatis locum habere non potest: nam quamvis putarit, eos, si de vita non baptizati discessserint, cœlorum regno excludi, tamen in his etiam originale peccatum posuit meritoriam damnationis caussam. At longè res planior est de adultis, de quibus solis sermo nobis erit. In his consideratur duplex caussa; una primi peccati actualis in singulis, altera perseverantiæ in malo. Quod ad prius attinet, etsi actus malus liberè atque evitabiliter ab homine fiat, eoque culpabilis sit, tamen permissio ejus non habet necessario caussam meritoriam ex parte hominis. Sanè primi peccati in Adamo permissio, vel in alio quocunque, saltem in eo qui peccatum originale in baptismo est remissum, (quod in infantibus baptizatis perpetuum est) non potest caussam habere peccatum ullum; cùm hoc ipso, quòd primum sit, aliud antecedere non possit. Quare permissio ejus est non à justitia Dei conditionata, sed à ratione generalis providentiæ, qua Deus non impedire decrevit, quo minus caussa secunda liberè suos agat motus. Sed de posterioribus peccatis dissimilis ratio est. Nam sæpè Deus in pœnam prioris peccati permittit aliud peccatum, hoc gravius postea puniturus; similiterque ob contemtum gratiæ prioris deserit hominem, nec confert ei gratiam salutarem vel perseverantiæ bonum. Est hæc unanimis patrum sententia, etiam Augustini, qui semper credidit; quòd multi salutem non consequantur, non culpam esse Dei, vires conferre nolentis, sed hominis nolentis bonum, quod poterat & debebat velle. Clemens Alexandrinus lib. VI. Στρωματ. a Κἂν μὴ μετανοήσωσι, κρίνονται· οἱ μὲν, ὅτι δυνηθέντες, οὐκ ἠθέλησαν πιστεῦσαι τῷ θεῷ· οἱ δὲ, ὅτι καὶ θελήσαντες, οὐκ ἐξεπονήσαντο ὡς γενέσθαι πιστοί. *Quodsi non fuerint ducti pœnitentiâ, judicantur: aliqui quidem, quod,* CUM POSSENT, NOLUERUNT *Deo credere: alii verò, quod, cùm vellent,* NON ELABORAVERUNT, *ut fierent fideles.* a P. 184 Chrysostomus ad Ephes. cap. II, homil. 4; Ἔστι μὲν νέκρωσις σωματικὴ, ἔστι δὲ καὶ ψυχική. ἀλλ' ἐκείνης μὲν οὔτε ἔγκλημα μετέχειν, οὔτε κίνδυνος. φύσεως γὰρ, οὐ προαιρέσεως τὸ πρᾶγμά ἐστι. Γέγονε μὲν γὰρ ἀπὸ τῆς τοῦ πρωτοπλάστου παραβάσεως, λοιπὸν δὲ εἰς φύσιν τὸ πρᾶγμα ἐξέπεσεν. ἄλλως δὲ καὶ ταχέως λυθήσεται. αὕτη δὲ ἡ νέκρωσις ἡ ψυχικὴ, προαιρετικὴ οὖσα, ἔγκλημα ἔχει, καὶ λύσιν οὐδεμίαν. *Est quidem mors corporis, est verò & animæ. Sed illius esse participem, nec est crimen, nec periculum habet; res enim est naturæ, non voluntatis atque electionis. Nam orta est ex transgressione protoplasti, deinde verò res cessit in naturam; alioqui verò & cito solvetur. At animæ mors, quæ à libero pendet arbitrio, crimen habet, ac solutionem nullam.*

Irenæus de novissimis hominis loquens, ἐναργεστάτοις καὶ ἐνεργεστάτοις verbis ait lib. IV. cap. 71; *Judicium* JUSTUM *recipient,* QUONIAM *non sunt operati,* CUM POSSENT *operari illud.*

Theophylactus ad 1 Timoth. 2. 4. ad illa verba, *qui omnes homines vult salvari,* infert, *Quomodo igitur non servati sunt omnes? Quia nolunt.* At cùm dicat adversus hoc aliquis, esse hominem neminem qui non salvari velit. Verùm in iis qui media ad salutem utilia negligunt, potiùs salvandi est velleitas quàm voluntas. Velleitatem appello eorum volitionem, qui salvari volunt, sub hac conditione, ut sibi nihilominus in peccatis liceat impunè progredi. Hæc dicitur voluntas imperfecta Hieronymo lib. 1. adversus Pelagianos b; ATT. *Si ergo (ut dicis) homo sum,* b P. 16 *quomodo, cum velim & satis cupiam non peccare; delinquo?* CRIT. *Quia voluntas imperfecta est. Si enim verè velles, verè utique non peccares.* Voluntas autem quæ dici potest voluntas perfecta, est volitio eorum, qui parati sunt omnia agere necessaria ad salutem. Unde Isidorus Pelusiota lib. II. epist. 27; Εἰ σωτηρίας ἐρᾷς, πάντα ποίει τὰ εἰς ταύτην ἄγοντα. *Si salutem amas, fac omnia quæ ad eam ducunt.* Quemadmodum igitur recto gratiæ usu eadem augetur, ita ejus contemtu augetur morbus spiritualis, non quidem culpâ medici Christi, qui omnibus mederi paratus est, sed hominis medicum aspernantis. Unde Isidorus Pelus. lib. III. epist. 177; *Etsi medicina officina* (τὸ ἰατρεῖον) *communis est, omnibusque auxilium proponitur, non tamen propterea communis est ipsa curatio; quandoquidem pro voluntate utentium fit. Qui enim auxilium adhibuit, vulnerique imposuit, fructum capit ex medicamento. Qui verò id facere neglexit, is majorem gravioremque reddidit morbum, ac miserrimo exitu finit vitam.*

August. T. 6. in actis cum Felice lib. II. c. VIII: *Non est ergo indignum, ut Deus dicat, Ite in ignem æternum, eis,* QUI EJUS MISERICORDIAM PER LIBERUM ARBITRIUM RESPUERUNT.

Apud Prosperum similia legas. Nam quæstio erat, num quia quis prædestinatus non est, moriatur infidelis & impœnitens: an quia arbitrii libertate malè utens, infidelis & impœnitens moritur, eo ad gloriam prædestinatus non sit. Priorem sententiam, quæ Prædestinatianorum est, Augustino impingebant Galli. Sic enim habet objectio eorum septima: *Quòd Deus, quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit,* OB HOC *non det perseverantiam,* QUIA *non sunt à massâ perditionis, præscientiâ Dei, & prædestinatione, discreti.* Sed posteriorem Augustino sententiam disertim adscribit Prosper, quando sic respondet, *Horum lapsum Deo adscribere, immodica pravitatis est, quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque auctor sit,* QUIA ILLOS RUITUROS PROPRIA VOLUNTATE *prævidit; &* OB HOC *à filiis*

à filiis perditionis nullâ prædestinatione discrevit. Clarè non infidelitatem, prædestinationis ad pœnam, sed prædestinationem ad pœnam, prævisæ infidelitatis effectum facit. Idem capitulo XIV: *Infidelitas non credentium Evangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum Deus auctor est, non malorum.* Fulgentius lib. 1. ad Monimum: *Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est: quod autem ex eo non est, opus ejus itaque non est: quod autem nunquam est in opere ejus, nunquam fuit in prædestinatione ejus. Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc, quod male operantur, à concupiscentiâ suâ abstracti & illecti; sed ad hoc quòd juste patiuntur inviti. Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur; sed misericors & justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur.* Idem ibidem: *Proinde fidelibus congruit credere & fateri, Deum bonum & justum præscisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum, (neque enim vel futura essent, si in ejus præscientiâ non fuissent) non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum; quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Dei enim prædestinatione, aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum justa punitio.* Ibidem: *Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ.*

Eadem quoque conciliorum istorum mens, quæ Pelagii & Massiliensium etiam sententiam condemnarunt. Vti Arausicani II. can. ult. cujus hæc verba: *Aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solum non credimus: sed etiam, si sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.*

Sed omnium apertissimè hac de re loquitur Concilium Valentinum, habitum in Gall: anno DCCCLV. cap. II. de quo parte IV. dicemus. Verba ejus sunt: *Non ex præjudicio Dei aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massâ damnationis vel merito originali, vel etiam actuali, permanserunt.* Quod plenius explicatur cap. III. ubi dicitur: *Aliquos ad malum prædestinatos esse divinâ potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possent, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausicana synodus, illis anathema dicimus.* Atque hæc de quæstione primâ.

Thesis II.

De quæstione alterâ, Patrum, tam Latinorum, quàm Græcorum, hoc judicium fuit, in homine caussam esse, quòd non regeneretur, vel non perseveret. Quippe qui vocatus, venire cum possit, venire negligat; donaque Dei prior reprobet, & irrita reddat, quàm à Deo reprobetur; prior deserat Deum, quàm à Deo deseratur.

HOc ita esse, primùm ex iis ostendemus, qui ante Augustinum vixerunt: deinde ex Augustino ipso: denique ex iis Patrum, qui doctrinam Augustini adversus Pelagianos, vel Semipelagianos tuendam ceperunt. *Ac Irenæus* quidem illustrem locum ex lib. IV. cap. LXXVI. superiùs *a* adduximus. Eundem etiam vide cap. XLVIII. ejusdem libri: ubi docet, ut Deus in tenebris relinquat, qui eas sponte eligunt: atque id Solis similitudine illustrat. *Unus*, inquit, *& idem Deus, his qui non credunt, sed nullificant eum, infert cæcitatem: quemadmodum sol, qui est creatura ejus, his, qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus: his autem, qui credunt ei & sequuntur eum, pleniorem & majorem illuminationem mentis præstat.* Atque ita accipere jubet, cùm Deus in Scripturis dicitur *excæcare*, 2 Cor. IV. 4. *tradere in reprobum sensum*, Rom. I. 21. *immittere operationem erroris*, 2 Thess. II. v. 11. *indurare* Rom. IX. 18.

a Part. 1. thes. 4.

Similiter Athenagoras legatione pro Christianis *a*: Ποιηταὶ μὲν γὰρ καὶ φιλόσοφοι, οἳ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπέβαλον στοχαστικῶς, κινηθέντες μὲν κατὰ συμπάθειαν τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ πνοῆς, ὑπὸ τῆς αὐτοῦ ψυχῆς ἕκαστος ζητῆσαι, εἰ δυνατὸς, εὑρεῖν καὶ νοῆσαι τὴν ἀλήθειαν· τοσοῦτον δὲ δυνηθέντες ὅσον περινοῆσαι, οὐχ εὑρεῖν, οἱ οὐ παρὰ θεοῦ περὶ θεοῦ ἀξιώσαντες μαθεῖν, ἀλλὰ παρ' αὐτοῦ ἕκαστος. διὸ καὶ ἄλλος ἄλλως ἐδογμάτισεν ἕκαστος αὐτῶν καὶ περὶ θεοῦ, καὶ περὶ ὕλης, καὶ περὶ εἰδῶν, καὶ περὶ κόσμου. ἡμεῖς δὲ, ὧν νοοῦμεν, καὶ πεπιστεύκαμεν, ἔχομεν προφήτας μάρτυρας, οἳ πνεύματι ἐνθέῳ ἐκπεφωνήκασι καὶ περὶ τοῦ θεοῦ, καὶ περὶ τῶν τοῦ θεοῦ. *Etenim poetæ & philosophi, qui probabiles quasdam, & suo consentaneas ingenio rationes, ut aliis quoque in rebus indagandis, sequi se oportere putabant: impulsi quidem divinitus primùm ut hoc aggrederentur, suâ quisque & propriâ intelligentiâ vi Deum inquirere, tanquam inventuri*, nimiâ de se fiduciâ conati sunt. *Non tamen illum, cujus vis adeo immensa patet, vel reperire, vel animo & cogitatione complecti potuere:* meritò quidem, quòd Dei notitiam non ab ipso peterent Deo, sed intra se quisque eam disquireret. Hinc adeo *factum est, ut alii aliter pronunciarent de Deo, de materiâ, de formis, de mundo. At nos sententiæ fideique nostræ testes habemus Prophetas, qui spiritu divino de Deo, ac rebus divinis, disseruerunt.*

a P. 10. à H St. Sequor autem emendationem Gesneri.

Duo ex hoc Athenagoræ loco discimus. Unum est, ut etiam gentiles non omnino gratiæ cælestis sint expertes: ut qui divinâ inspiratione impellantur ad quærendum Deum. Alterum est, quòd non inveniant Deum, id fieri vitio, non Dei, sed ipsorum. Nam cùm agnoscant, divina multum caliginis habere, mentesque nostras in iis, uti etiam de clarissimis Aristoteles scribit, habere se instar oculorum vespertilionis, debuisse eos modestè humiliterque de se sentire, divinumque auxilium suppliciter exposcere: nunc verò eos, Deo insuperhabito, sui solius fiduciâ rem tantam fuisse aggressos, atque ita, dum omnia rationis suæ modulo stultè metiuntur, in varios ac spissos errores justo Dei judicio esse prolapsos.

Similiter Tatianus orat. contra Græcos *b*, cum dixisset, velle se pristinam improbitatem exuere, ut pueris & infantibus similis reddatur, addit, utut peccatum minimorum seminum instar facilè vires capiat, idem tamen rursum dissolvi, ἡμῶν πειθομένων λόγοις θεοῦ, καὶ μὴ σκορπιζόντων ἑαυτούς. *modò verbum Dei credamus, neque dissipemus nos ipsos.* Quo significat, quòd multi non liberentur regno peccati, id eo fieri, quia sese σκορπίζουσι, dum gratiam Dei contemnunt.

b P. 113.

Etiam Theophilus ad Autolycum lib. I. fusè ostendit, unde sit, quòd multi non videant verum Deum; atque ait, id inde esse, quòd vitiis se immergentes, sponte se excæcent. Δεῖξον, inquit Theophilus *c*, βλέποντας τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς σου, καὶ τὰ ὦτα τῆς καρδίας σου ἀκούοντα· *Animi tui oculos præbe videntes, & aures cordis tui audientes.* Vbi manifestè satis alludit ad illud Christi, *Qui aures habet ad audiendum, audiat.* Vnde paret, duplices esse aures, exteriores capitis, & interiores cordis sive animi. Quamvis autem omnes non habeant aures cordis, tamen non dubitat Theophilus ab homine gentili poscere, ut cordis etiam auribus verba sua haurire velit. Nempe quia omnes eas quoque aures nanciscuntur à Deo, qui cùm per gratiam Dei velle posse acceperunt, actu ejusmodi aures desiderant, eoque illas à Deo poscunt. Par ratio oculorum cordis, ὀφθαλμῶν τῆς ψυχῆς, quibus homo δύναται τὸν θεὸν θεάσασθαι *d*, ut mox ait Theophilus. Longè igitur dissidet ab iis, qui ex Christi verbis colligere solent, Deum non justo judicio, quomodo Patres loqui amant, sed solum, quia sic lubet, quibusdam aures cordis dare nolle. Quam sententiam etiam refellunt hæc Theophili verba quæ ibidem leguntur; Βλέπεται γὰρ θεὸς τοῖς δυναμένοις αὐτὸν ὁρᾷν, ἐπὰν ἔχωσι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῳγμένους

c P. 285.

d Potest Deum aspicere.

μένες τῆς ψυχῆς. Cujus loci sententiam sic expressit interpres: *Deus non ab omnibus videtur, verùm illi soli ejus aspectu frui possunt, quibus datum est: nempe qui animi oculos offerant non clausos, sed apertos.* Mox ibidem gratiam illam mentes nostras illuminantem comparat Soli, cujus lumen clarissimè lucet omnibus; at mentes humanas confert oculis, qui in his quidem videndi habent facultatem, in aliis verò non item, quemadmodum in cæcis apparet. Et ne dicat aliquis, cæcitatem illam maximæ hominum parti, nempe omnibus non electis, inevitabilem esse, non quidem dicit, esse ab aliquo divino quorundam non miserendi decreto quòd illi non illuminentur, sed ait, hoc esse à propriâ culpâ, quia tales peccatis & sceleribus quasi occludunt fenestras cordis, sic ut cœleste lumen eos intus irradiare non possit. Quæ omnia satis ostendunt, quoscunque Deus non dignatur spiritu suo illuminare, hos ab eo præteriri justo judicio, quòd sese ad gratiam majorem noluerint, per minorem quam habent gratiam, disponere: vel saltem, quòd abstinentes ab evitabilibus peccatis, nolint sese minùs malè disponere ad gratiam cœlestem. Hanc esse Theophili mentem, satis ostendunt sequentia. Πάντες μὲν γὰρ ἔχουσι τοὺς ὀφθαλμοὺς, inquit
a P. 286. Theophilus ibidem *a*, ἀλλὰ ἔνιοι ὑποκεχυμένους, καὶ μὴ βλέποντας τὸ φῶς τοῦ ἡλίου. καὶ οὐ παρὰ τὸ μὴ βλέπειν τοὺς τυφλοὺς, ἤδη καὶ οὐκ ἔστι τὸ φῶς τοῦ ἡλίου φαῖνον· ἀλλὰ ἑαυτοὺς αἰτιάσθωσαν οἱ τυφλοὶ, καὶ τοὺς ἑαυτῶν ὀφθαλμούς. οὕτω καὶ σὺ, ὦ ἄνθρωπε, ἔχεις ὑποκεχυμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς σου ὑπὸ τῶν ἁμαρτημάτων καὶ τῶν πράξεών σου τῶν πονηρῶν. ὥσπερ ἔσοπτρον ἐστιλβωμένον, οὕτω δεῖ τὸν ἄνθρωπον ἔχειν καθαρὰν ψυχήν. ὁπόταν οὖν ᾖ ἰὸς ἐν τῷ ἐσόπτρῳ, οὕτω καὶ ὅταν ᾖ ἁμαρτία ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, οὐ δύναται ὁ τοιοῦτος ἄνθρωπος θεωρεῖν τὸν Θεόν. δεῖξον οὖν καὶ σὺ σεαυτὸν, εἰ οὐκ εἶ μοιχὸς, εἰ οὐκ εἶ πόρνος, εἰ οὐκ εἶ κλέπτης, εἰ οὐκ εἶ ἅρπαξ, εἰ οὐκ εἶ ἀποστερητὴς, εἰ οὐκ εἶ ἀρσενοκοίτης, εἰ οὐκ εἶ ὑβριστὴς, εἰ οὐκ εἶ λοίδορος, εἰ οὐκ ὀργίλος, εἰ οὐ φθονερὸς, εἰ οὐκ ἀλαζὼν, εἰ οὐχ ὑπερόπτης, εἰ οὐ πλήκτης, εἰ οὐ φιλάργυρος, εἰ οὐ γονεῦσιν ἀπειθὴς, εἰ οὐ τέκνα σου πωλεῖς· τοῖς γὰρ ταῦτα πράσσουσιν ὁ Θεὸς οὐκ ἐμφανίζεται, ἐὰν μὴ πρῶτον ἑαυτοὺς καθαρίσωσιν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ. καὶ σοὶ οὖν ἅπαντα ἐπισκοτεῖ, καθάπερ ὕλης ἐπιφορὰ ἐπὰν γένηται τοῖς ὀφθαλμοῖς πρὸς τὸ μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι τὸ φῶς τοῦ ἡλίου· οὕτω καὶ σοὶ ὦ ἄνθρωπε ἐπισκοτοῦσιν αἱ ἀσέβειαι πρὸς τὸ μὴ δύνασθαί σε ὁρᾶν τὸν Θεόν. *Omnibus quidem sunt oculi, at quorundam adeò sunt obscurati, ut Solis lucem intueri nequeant. Cæterum non propterea solares radii fulgore carent, quòd à cæcis non videntur; imò se ipsos & suos oculos potius culpent cæci. Pari ratione, ô homo, animi tui oculis offusa est caligo, cujus caussam nullam aliam quam tua scelera & peccata dicito. Ut speculum splendidum, sic hominis animum purum & mundum esse oportet. Si rubigo invaserit speculum; quod hoc patitur, idem & tibi accidit, ubi peccatum te occupaverit. Talis, ut dicam quod sentio, Deum cernere nequaquam valebit. Si itaque desideras ut Deum meum tibi ob oculos ponam, primum peto temet ipsum mihi ostendas, ut sciam, sisne adulter, scortator, fur, raptor, spoliator, cynædus, contumeliosus, calumniator, iracundus, invidus, & superbus: sisne contemtor, percussor, avarus, parentibus parum obtemperans, plagiarius, tuosque liberos vendas. His, qui prædictis criminibus sunt innexi, nequaquam apparet Deus, nisi prius ab omni inquinamento se repurgarint. Hæc omnia tenebras oculis tuis inducunt, non secus ac si humor aliquis in oculos exteriores insinuat, qui obstat quo minus Solis lucem diligentius contemplari queant. Haud dissimili ratione, ô homo, impietas tua te occæcat, quo fit ut nequeas Deum videre.*

Etiam de ἀχαριστίᾳ gentilium, (per quam majori se gratia reddunt indignos) locus est illustris Origenis lib.
b P. 144. III. *b* contra Celsum: Φιλαλήθης δ' ὢν ὁ Παῦλος, φησὶ περί τινων ἐν Ἕλλησι σοφῶν ἐν οἷς ἀληθεύουσιν, ὅτι γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἢ ηὐχαρίστησαν. καὶ μαρτυρεῖ αὐτοῖς ἐγνωκέναι Θεὸν λέγων δὲ, καὶ τοῦτ' οὐκ ἀθεεὶ αὐτοῖς γεγονέναι, ἐν οἷς γράφει τὸ, Ὁ Θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐφανέρωσεν. αἰνισσόμενος, οἶμαι, τοὺς ἀναβαίνοντας ἀπὸ τῶν ὁρατῶν ἐπὶ τὰ νοητὰ, ὅτε γράφει, ὅτι τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης· εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους· διότι, γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἢ ηὐχαρίστησαν. *Quum enim veritatis amator sit Paulus, dicit de quibusdam Græcorum sapientibus, quatenus vera docent: quod cùm Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt, neque grati fuerunt. Et testatur, ab eis Deum cognitum, at non nisi favente numine, sic scribens: Deus enim eis manifestavit: subindicans, opinor, eos qui à visibilibus adscendunt ad intelligibilia: quandoquidem scribit, quod quæ sunt invisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, perviderint, ipsamque æternam ejus potentiam divinitatemque, in hoc ut sint inexcusabiles, propterea quòd cùm Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt, neque grati fuerunt.*

Archelaus Mesopotamiæ episcopus, disputatione adversus Manem, apud Cyrillum sive Joannem Hierosolymitanum Catechesi VI: Ἰησοῦς δὲ αὐτὸς οὐκ εἴρηκε, Διὰ τοῦτο αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λαλῶ, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι; μὴ μισῶν αὐτοὺς, ἐβούλετο μὴ βλέπειν; ἢ διὰ τὸ ἀνάξιον, ἐπειδὴ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν; ὅπου γὰρ αὐτοπροαίρετος πονηρία, ἐκεῖ καὶ ἀποχὴ τοῦ χαρίσματος. τῷ γὰρ ἔχοντι δοθήσεται· ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν ἀρθήσεται. *Jesus ipse nonne dixit, Ideo ipsis in parabolis loquor, ut videntes non videant? Odione eos prosequens, volebat ut non viderent? an quia indignum erat, quoniam oculos ipsi suos occluserant? ubi enim voluntaria malitia, illic & gratiæ donum abest. Habenti enim dabitur: ab eo autem qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur.*

Basilius homiliâ in Psalm. 61. *a* Ἀμήχανόν ἐστι, χωρη- a P. 1[illegible]
τικοὺς ἡμᾶς γενέσθαι τῆς θείας χάριτος, μὴ τὰ ἀπὸ κακίας πάθη προκατειληφότα τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐξελάσαντας. Εἶδον ἰατροὺς ἐγὼ, μὴ πρότερον διδόντας τὰ σωτήρια φάρμακα, πρὶν ἐμέτοις ἀποκενῶσαι τὴν νοσοποιὸν ὕλην, ἣν ἐκ πονηρᾶς διαίτης ἑαυτοῖς οἱ ἀκόλαστοι ἐναπέθεντο. ἀλλὰ καὶ ἀγγεῖον προκατειλημμένον ὑπὸ ἰχῶρός τινος δυσώδους ὑγροῦ, μὴ ἐκπλυθὲν, οὐ μὴ δέξηται τοῦ μύρου τὴν ἐπιρροήν. δεῖ τοίνυν ἐκχυθῆναι τὰ προϋπάρχοντα, ἵνα δυνηθῇ χωρηθῆναι τὰ ἐπαγόμενα. *Impossibile est ut capaces divinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes & vitia nostras animas possidentia prius ejiciamus. Vidi ego medicos non prius medicinas salutares dare, quàm vomitu materiam illam morbi caussam evacuassent, quam ex malo diætæ genere homines intemperantes sibi ipsis creaverant. Sed & vas quod humore quopiam odoris tetri & graveolentis præoccupatum fuerit atque imbutum, ni id elueris diligenter, odoratis cujuspiam unguenti influxum neutiquam poterit recipere. Opus itaque, ea quæ prius insunt, effundere, ut eorum fiat capax, quæ immittere constituisti.* Idem proœmio in librum Ethi-
corum, quod est de Judicio Dei *b*; Ὅ γε μὴν μακάριος b P. [illegible]
ἀπόστολος Παῦλος, σφοδρότερον ἐπιστρέφων εἰς φόβον τοῦ κρίματος τοῦ Θεοῦ τοὺς μὴ ἀπηλγηκότας τὴν καρδίαν, τοῦτο ἀντὶ τιμωρίας ὁρίζεται, καταδικάζεσθαι τινὰς τῆς ἀληθοῦς θεογνωσίας ἠμεληκότας. τί γάρ φησι; Καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, πεπληρωμένους πάσης ἀδικίας, πονηρίας, πλεονεξίας, κακίας, μεστοὺς φθόνου, καὶ τὰ ἑξῆς. Καὶ τοῦτο νενοηκέναι οἶμαι τὸν ἀπόστολον τὸ κρίμα οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, Χριστὸν γὰρ εἶχεν ἐν ἑαυτῷ λαλοῦντα, ἀλλ' ἐξ ἐκείνης αὐτῆς τῆς φωνῆς ὁδηγηθέντα, ἐν ᾗ φησι, διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς λαλῶ τοῖς ὄχλοις, ἵνα μὴ νοήσωσι τὰ θεῖα τοῦ εὐαγγελίου μυστήρια, ὅτι φθάσαντες αὐτοὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ ἐπαχύνθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, ἵνα ἔχωσιν ἀντὶ τιμωρίας ὑπομένειν τὴν ἐπὶ τὸ μεῖζον ἀβλεψίαν, οἱ προφθάσαντες ἑκουσίως τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς ἀποτυφλῶσαι ἐπιτηδεύσαντες. *Beatus vero Apostolus Paulus, cùm eos, qui nondum omnino essent depravati, ad pertimescenda Dei judicia vellet inducere, pœnæ loco hoc multari asserit illos, qui veram Dei cognitionem neglexerint. Sic enim est apud eum:*

eum: Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, & cæteris. Quanquam hoc ipsum judicium neutiquam Apostolum ipsum per se arbitror excogitasse; Christum enim in se loquentem habebat: sed ex eâ illius voce inductum, quando ait, propterea se in parabolis loqui ad turbas, ne divina arcana intelligant, quoniam priores ipsi oculos clauserant, & auribus graviter audiverant, & incrassatum erat insipiens cor eorum: quò videlicet hoc esset ipsis loco pœna, ut in rebus majoribus cæcutirent, qui voluntariè ipsi priores mentis lumine excæcato sibimet ipsis caliginem offudissent. Significat Basilius, in ipsis culpam esse, qui minoris gratiæ contemtu se majori indignos reddant: Deum verò culpari non posse, quando aliquâ eos gratiâ sit dignatus, & rectè priori utentibus majorem conferre soleat. Unde & Theodotus Ancyræ episcopus initio orat. in Salvatore *a* ait: Δέδοται δαψιλὴς ἡ χάρις τοῖς μετ' εὐχαριστίας αὐτὴν ὑποδεχομένοις· καὶ πρὸς τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς παρέχεται, ὅσον τὸ μέγεθος τῆς εὐχαριστίας ἐστὶ τῶν κομιζομένων τὴν χάριν. *Ubertim iis gratia dari solet, qui grato eam animo recipiunt; ac eâ mensurâ donum præbetur, quâ est magnitudo gratitudinis illorum, qui dono potiuntur.*

a Concilio Ephes. pag. 260. edit. Commel.

Hilarius, vel quisquis apud Ambros. scriptor comment. in epist. Pauli ad Rom. cap. III: *Olim decreverat liberare genus humanum per Christum, sicut promisit per Hieremiam Prophetam, dicens: Propitius ero iniquitatibus eorum, & delictorum illorum non memorabor. Et ne fortè donum hoc solis Judæis promisisse videretur, per Isaiam Dominus dicit: Domus mea domus orationis vocabitur in omnibus gentibus. Quamvis enim Judaismo facta promissio sit, præscius tamen Deus, quòd* DONUM *ejus* REPROBATURI *essent impii Judæi, gentes se ad percipiendam gratiam suam promisit admittere, quorum æmulatione in iram missi cruciarentur impii Judæi.* Ait, reprobatos à Deo Judæos esse, quia donum ejus reprobassent.

b P. 196. edit. Commel.

Chrysostomus in cap. IX. epist. ad Rom. *b* Οὔτε γὰρ ὁ Θεὸς ἐνέλιπέ τι τῶν εἰς τὴν κατόρθωσιν ἡκόντων τὴν ἐκείνου, οὔτε αὐτὸς ἐνέλιπέ τι τῶν ἀπολλύντων αὐτὸν, καὶ πάσης ἀπεστερημένον συγγνώμης. ἀλλ' ὅμως καὶ ταῦτα εἰδὼς ὁ Θεὸς, ἤνεγκεν ἐν πολλῇ τῇ μακροθυμίᾳ, βουλόμενος αὐτὸν εἰς μετάνοιαν ἀγαγεῖν. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο ἤθελεν, οὐδ' ἂν ἐμακροθύμησεν. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἠθέλησεν εἰς μετάνοιαν τῇ μακροθυμίᾳ χρήσασθαι, ἀλλ' ἀπήρτισεν ἑαυτὸν εἰς ὀργήν, ἐχρήσατο αὐτῷ εἰς τὴν ἑτέρων διόρθωσιν. *Neque enim Deus quicquam prætermisit illorum, quæ ad correctionem illius (Pharaonis) conducerent: neque ille quicquam omisit eorum, quæ ipsum perderent, omnique privarent venia. Sed tamen hæc cùm probè Deus nosset, tulit cum multâ lenitate, volens ipsum ad pœnitentiam adducere. Si enim hoc noluisset, non tantâ fuisset lenitate. Postquam autem noluit ille lenitate ad pœnitentiam uti, sed præparavit se ipsum ad iram, usus est eo Deus ad aliorum emendationem.* Ait, Pharaonem esse ad iram præparatum, quia cùm Deus seriò vellet eum ad pœnitentiam adducere, hanc invitationem divinæ bonitatis neglexit.

Atque hi ante Augustinum vixerunt: à quo non recessisse sanctum illum antistitem, infinitis penè locis comprobatur. Eorum aliqua adscribemus. Ad Simplicianum lib. I. qu. II. circa medium: *Nemo credit non vocatus: sed non omnis credit vocatus. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Utique ii, qui* VOCANTEM NON CONTEMSERUNT, *sed credendo secuti sunt. Volentes autem sine dubio crediderunt.* Et post pauca: *Noluit ergò Esau, & non cucurrit. Sed &, SI VOLUISSET, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret,* NISI, VOCATIONE CONTEMTA, REPROBUS FIERET. *Aliter enim Deus præstat, ut velimus; aliter præstat, quòd voluerimus. Ut velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum: suum, vocando; nostrum, sequendo. Quòd autem voluerimus, solus præstat, id est,* POSSE *bene agere, & semper beatè vivere.* Idem de pecc. mer. & remiss. lib. II. cap. XVII: *Gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ* UT NON ADJUVENTUR, IN IPSIS ITIDEM CAUSSA EST, *non in Deo, sive damnandi prædestinati sint, propter iniquitatem superbiæ: sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi, si filii sunt misericordiæ.* Idem lib. LXXXIII. quæstionum, qu. LXVIII: *De Pharaone facilè respondetur, prioribus meritis, quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum, cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei crederet. Ex eâdem ergo massâ, id est, peccatorum, & vasa misericordiæ protulit, quibus subveniret, cùm eum deprecarentur filii Israel: & vasa iræ, quorum supplicio illos erudiret, id est, Pharaonem & populum ejus: quia quamvis essent utrique peccatores, & propterea ad unam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant, qui uni Deo ingemuerant, ut eis subveniret; & aliter illi, quorum injustis oneribus ingemuerant. Pertulit ergò in multâ patientiâ vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. Et eo ipso, quo ait, in multa patientia, satis significavit priora eorum peccata, in quibus eos pertulit, ut opportunè tunc vindicaret, quando de illorum vindictâ subveniendum erat his, qui liberabantur, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Hic fortasse conturbatus ad illam quæstionem redis, Cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: quid adhuc conqueritur? Voluntati enim ejus quis resistit? Prorsus cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest.* VENIT ENIM DE OCCULTISSIMIS MERITIS, *quia & ipsi peccatores cùm propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diversitas. Præcedit ergò aliquid in peccatoribus, quo, quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione. Habes eundem Apostolum alibi dicentem: Quoniam non probaverunt Deum habere in notitiâ, dedit illos Deus in reprobum sensum. Quòd eos dedit in reprobum sensum, hoc est, quòd induravit cor Pharaonis. Quòd autem illi non probaverunt Deum habere in notitia, hoc est, quòd* DIGNI EXTITERUNT, QUI DARENTUR IN REPROBUM SENSUM. *Tamen verum est, quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quia etiamsi levioribus quisque peccatis, aut certè quamvis gravioribus & multis, tamen magno gemitu & dolore pœnitendi, misericordiâ Dei dignus fuerit; non ipsius est, qui si relinqueretur interiret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur: sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia; efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt: neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam* UT VENIRENT VOCATI, IN LIBERA ERAT VOLUNTATE. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea &, si quisquam sibi tribuit, quòd venit vocatus; non sibi potest tribuere, quòd vocatus est: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic* INCHOAT MERITUM SUPPLICII, CUM VOCATUS VENIRE NEGLEXERIT. *Ita erunt duo illa, Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine. Ad misericordiam pertinet vocatio: ad judicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & supplicium eorum, qui venire noluerunt. Nunquid ergò*

latebat Pharaonem, quantum boni consecuta fuerint terra illa per adventum Joseph? Illius ergo res gesta cognitio, vocatio ejus fuit, ut populum Israël misericorditer tractans non esset ingratus. QUOD *autem huic* VOCATIONI OBTEMPERARE NOLUIT, *sed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & misericordia debebatur:* MERUIT POENAM, UT INDURAEETUR *illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, ut tot & tantis, tamque manifestis Dei signis non crederet: quo posset ejus supplicio, sive obdurationis, sive ultima visibilis submersionis, erudiri populus, cujus afflictione ille & occulta obtusionis, & manifesta submersionis, meritum sibi compararet.*

Tom. 9. tract. LIII. in Euan. Ioann. *Sed quæ sequuntur Euangelii verba, plus urgent, & profundiorem faciunt quæstionem. Adjungit enim, & dicit: Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Esaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & sanem illos. Dicitur enim nobis: Si non potuerunt credere; quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergò credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Euangelium, Propterea non poterant credere &c.* Et paullo pòst: *Audistis, fratres mei, propositam quæstionem; nempe quam profunda sit, cernitis: sed respondemus, ut possumus. Non poterant credere, quia hoc Esaias Propheta prædixit: hoc autem propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant, si à me quæratur, cito respondebo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt. Sed aliam caussam, inquis, dicit propheta, non voluntatis eorum. Quam caussam dicit propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, & excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.*

Atque hæc Augustini sententiam satis ostendunt. Similiter apud eum a scriptor incertus lib. de Prædestin. & grat. cap. IX: *Ne verò rursus homo, in ultimam facem desidia resolutus, arduum virtutis iter, &, quamvis adjuvante gratiâ Dei, non nisi labore gradiendum, inerti sibi crederet posse deferri; & nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet: ita inter se atque homines Deus tempora officiaque distribuens, ordinavit, ut vocatione ipsius bonorum principia sumeremus; vocati autem atque illuminati, vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentiâ nosceremus; & eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.* Et post pauca: *Deus in peccati durissimam servitutem libere à justitia voluntatis arbitrio defluentes, secundùm suam justitiam derelinquit.* Et mox: *Eos qui Dei in se bona servantes, ad spiritualia exercitia omne studium contulerunt; & in agone hujus vitæ certantes, adjuvat, & coronas vincentibus largitur æternas. Ipse rursus delinquentes deserit, resistentes indurat, contemnentes condemnat.* Idem cap. XV: *Unde Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum, quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit. Hic mihi rationem reddat, qui divinum consilium nimium altum sapienti corde dijudicat, cur medicamentum unius medici confectum, aliis ad interitum, aliis valuerit ad salutem, nisi quod Christi bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem? Quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo reges &c. quid ergò fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra misericordissimam Dei veritatem pugnavit arbitrio.*

a T. 7. August.

Similiter scriptor de vocat. gentium lib. I. cap. V: *Secundùm Scripturam credimus, & piissimè confitemur, quod nunquam universitati hominum divina providentia cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis; nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, ut propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse.* UNDE *& inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi dona fecerunt, & quæ creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum.*

Gregorius Magnus lib. XI. Moral. cap. V: *Cain divinâ voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpâ malitiæ jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.*

Isidorus Hisp. de viris Illustr. cap. XIV: *Extant & duo ejusdem* (Fulgentii) *libri de veritate Prædestinationis ad Episcopos missi, in quibus demonstrat, quod Deus quosdam prædestinationis suæ munere justificans prælegit: quosdam verò in suis* REPROBIS MORIBUS *occulto quodam* JUDICIO *derelinquit.*

Quòd verò de regenerationis gratiâ diximus, idem in perseverantiâ locum habet. Nam nulli non perseverantiæ donum confert Deus, nisi qui deserendo Deum, cùm posset non deserere, hoc commeritus sit ut desereretur, nec consequeretur perseverantiæ donum. Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. VI: *Voluntate sua quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit?* Et tractatu II. in Ioh. *Opus est, ut tu non recedas ab eo, qui nunquam recedit. Opus est, ut tu non deseras, & non desereris. Noli cadere, & non tibi occidet. Si tu feceris casum, ille tibi facit occasum. Si tu autem stas, præsens est tibi.* Idem ostendit locus antea adductus ex lib. II. de peccat. meritis & remiss. cap. XVII.

Nec aliter Prosper. Cujus hæc verba responsione ad objectionem Vincentii XIV: *Si* (à bonis studiis) *receditur, & ad vitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit, antequam deseratur: & facit plerumque, ne deserat: aut etiam, si discessit, ut redeat.* Idem dicit sententiâ super septimo Gallorum capitulo. Verba ejus suprà posuimus.

Item scriptor de Vocat. gent. lib. II. cap. X. II: *Certissimè noverimus, nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui.*

Ad justam hanc deserentium desertionem pertinet obduratio peccantium in Spiritum Sanctum. quo de peccato ita scribit Augustinus lib. I. de Serm. Dom. in monte: *Peccatum ergò, fratres, ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem: & adversus ipsam* GRATIAM, QUA RECONCILIATUS EST DEO, *invidentia facibus agitatur.* Et paullo pòst: *Et hoc est peccare in Spiritum Sanctum, id est per malitiam & invidiam, fraternam oppugnare gratiam* POST ACCEPTAM GRATIAM SPIRITUS SANCTI: *quod peccatum Dominus, neque hic, neque in futuro seculo remitti dicit.* Et mox: *Nunc enim in filium hominis dixerunt verbum nequam, & potest eis dimitti, si conversi fuerint, & ei crediderint, & Spiritum Sanctum acceperint:* QUO ACCEPTO, *si fraternitati invidere, &* GRATIAM, QUAM ACCEPERANT, *oppugnare voluerint, non eis dimittitur, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ubi videmus, ut peccatum hoc constituat in fraternæ caritatis oppugnatione per invidiam: atque addat, fieri post amissam gratiam Spiritus Sancti, quâ reconciliatus erat Deo. Alibi verò illud in aliis consistere ait, atque id variè adeò, ut Scholastici hacpropter sex ejus peccati species enumerent. Nos Theologorum illorum sententiæ accedimus, qui id committi volunt per abnegationem veritatis agnitæ contra conscientiam ex malitiâ susceptam, & cum hostili impugnatione conjunctam.

Fina-

Finalis verò impœnitentia (in quo peccatum hoc Augustinus non uno constituit loco, uti & scriptor libri de fide ad Petrum, atque horum exemplo Joh. Hussus in *a* 1 Joh. v. 4) non ejus formale est, sed consequens. Nam sic peccantes deserit Deus; deserti in impœnitentia persistunt; persistentes in peccatis misericordiâ suâ non dignatur Deus; quippe qui, ut veteres dicere amant, non infundat oleum misericordiæ nisi in vas contritum.

a P. 219. edit. Norib. a. 1559.

THESIS III.

Superest quæstio tertia; in quâ, judicio antiquitatis, summa est caligo omnibus ingeniis humanis. Quamquam enim, si absolutè quæratur, cur Deus aliquem destituat gratiâ regenerante, aut perseverantiæ dono, caussa ex parte hominis adsignari potest, uti vidimus: Tamen si quæratur comparatè, cur hos magis, quàm illos, nihilo deteriores, vel quandoque etiam minus malos, privet Evangelii luce: ex iis item, quibus Evangelium prædicatum est, non hunc æquè ac alium in eo ordine constituerit, in quo crediturus erat: ex credentibus item non unum æquè ac alterum è vita vocet, priusquam labatur: vel lapsorum uni non æquè ac alteri vitam proroget, donec resipiscat: horum omnium negant caussas ab humanis ingeniis posse adferri: sed latere illas aiunt in thesauro sapientiæ divinæ.

QUemadmodum principe uni facinorosorum delictum condonante, alteri non item, si ἁπλῶς & absolutè quæratur, cur reus supplicio afficiatur, facinus ejus in caussa esse dicitur: sin quæstio comparatè instituatur, cur unus præ altero puniatur, jam, si cætera pares appareant, ad placitum principis, cui occultæ caussæ subesse possunt, recurri necessum est: Itidem si controversia sit, cur Deus multis non revelet veritatem cœlestem; vel Spiritum suum, aut perseverantiam non donet: peccata hominis, ac prioris gratiæ contemtus, in caussâ esse dicuntur: Sin quæstio sit, cur hunc minus quàm alium, vel Evangelii gratiâ dignetur, vel in eo ordine constituerit, in quo credidisset & perseverasset: jam ex parte hominis caussam adferre non possumus, sed recurrendum est ad occultam Dei dispensationem: qui etsi decreti sui caussas habet circa singulos, cùm voluntas ejus nunquam sit irrationabilis; tamen hæ scrutandæ non sunt, cùm eas Deus non revelarit in verbo. Hinc Ambrosius lib. v. de Fide cap. III: *Quomodo, inquiunt, filius Dei, solus verus Deus, potest esse similis Patri, cùm ipse dixerit filiis Zebedæi, Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo? Hoc igitur vestrum divinæ, ut vultis, inæqualitatis est argumentum, enim in eo magis venerari Domini clementiam, adorare gratiam, deberetis: si tamen virtutis atque sapientiæ Dei profunda secreta possetis advertere.* Augustinus in Euang. Joh. tract. XXVI: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Magna gratiæ commendatio. Nemo venit, nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Et tamen hoc non impedire, quo minùs, qui non trahuntur, culpâ suâ non trahantur: argumento est, quòd continuò subjicit istis hæc verba: *Semel accipe, & intellige. Non traheris? Ora ut traharis.* Idem Augustinus lib. 1. contra posteriorem Juliani respons. *a* *In eis, quos liberat, amplectamur misericordiam: in eis autem, quos non liberat, agnoscamus judicium, occultissimum quidem, sed sine ullâ dubitatione justissimum.* Et eodem *b*: *Ideo dictum est, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, quia plures ibi erant, quos obduratione & desertione judicaverat dignos, occulto judicio, justo tamen.*

a P. 48.

b P. 134.

Prosper resp. ad Object. Vincent. art. XIV: *Si in sanctitate vivitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur: manifestum est munus Dei, sine quo nullius boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata transitur: nihil ibi Deus mala tentationis immittit, & recessurum non deserit, antequam deserat, & facit plerumque ne deserat, aut etiamsi discesserit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat; nec possibile est comprehendere, nec licitum investigare; cùm scire sufficiat, & ab illo esse, quòd statur; & non esse ab illo, quòd ruitur.*

Etiam scriptor de vocatione gentium, cùm lib. 1. cap. 1. dixisset, *Supplicat ubique Ecclesia Dei, etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi:* subjungit initio cap. seq. *Quodsi aliquos, sicut videmus accidere,* SALVANTIS GRATIA PRÆTERIERIT, *& pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit: ad* OCCULTA DIVINÆ JUSTITIÆ *referendum est.* Ubi videmus, ut non-destinationem gratiæ salutaris (quam reprobationem negativam vocant) scriptor ille appellet *præteritionem:* uti hodieque faciunt eruditi quidam Theologi. Porro non existimat, gratiam aliquos in totum præterire, (quippe qui passim *c* doceat, nullum esse in orbe locum, ubi Deus non seriò hominem, saltem per gratiam generalem, ad agnitionem, & cultum numinis vocet) sed præteriri ait aliquos à gratiâ salvantis, hoc est, eâ quæ fidem & justitiam confert. Adhæc præteritionis istius caussam refert non ad simplicem Dei voluntatem, sed Dei justitiam, ac proinde ad voluntatem consequentem. Denique quia ratio dispensationis diversæ captum hominum omnium excedit; non ἁπλῶς eam ad justitiam Dei refert, sed ait, ad OCCULTA divinæ justitiæ pertinere.

c Uti cap. 5. ejusd. lib. & lib. 2. cap. 4. 10. 15. 17. 19. 23. 25. 29.

LIBRI SEPTIMI

PARS QUARTA;

Quæ est, De caussa Godescalci, & iis, quæ huic sunt adnexa.

THESIS.

Exposuimus universè sententiam Ecclesiæ veteris, de gratiâ Dei omnes vocantis, libero arbitrio hominis, gratiam contemnentis, & justitiâ Dei, contemtorem gratiæ reprobantis. In quibus illi etiam, qui Augustinum sequerentur, consenserunt. Huic verò doctrinæ post Lucidum presbyterum (de quo antea dictum) primus se opposuisse creditur Godescalcus monachus. Is cœnobio egressus, variis in terris prædicare cœpit, nolle Deum, ut alii, quàm electi, ad veritatis agnitionem veniant, ac salventur; nec pro aliis mori Christum voluisse: cæteros, etsi baptizentur, tamen tantùm signo tenus redemtos dici posse: quia nunquam à damnationis massâ fuerint discreti. Etiam sententiæ suæ libellum obtulit Synodo Moguntinæ, quæ jussu Imperatoris Lodovici anno IͻCCCXLVIII. *coacta fuit. Hac occasione sententia Godescalci à Rabano Mauro, Archiepiscopo Moguntino, & Haimone Halberstadiensi, cæterisque Germaniæ episcopis fuit condemnata. Insuper iidem cum literis Synodalibus Godescalcum ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum miserunt. Eò ut venit, non cum loco sententiam mutavit, sed idem dogma magno cum studio defendit. Ergò Remensis Ecclesia, & Galliæ Belgicæ provinciarum episcopi convenerunt, Godescalci sententiam iterum excusserunt & damnarunt. Cumque ille episcopis se irreverentiùs opponeret, virgis cæsus; &, ne alios in sententiam suam pertraheret, cœnobio, velut carcerali custodiâ, conclusus, & annos complures detentus fuit. Multi tum adversus Godescalcum scripsere: interque alios librum novendecim capitulorum adversus eum edidit Joannes Erigena Scotus. Hæc pessimè habuere ecclesiam Lugdunensem, cujus tum Archiepiscopus erat Remigius. Ergò libro ea Erigenæ respondit, eumque prævenientem gratiam negare, multaque non παράδοξα solùm, sed etiam ἄδοξα docere, ostendit. Etiam aliis respondit adversariis Godescalci: ac potissimùm quatuor Hincmari capitula, Godescalcano dogmati opposita, expendit. Nec his contenta, unà cum Arelatensis & Viennensis Ecclesiæ episcopis, in Synodo Valentinâ, anno* IͻCCCLV, *canones aliquot sancivit, quibus, quid in Godescalco, quid item in adversariis ejus, vel probaret, vel improbaret, exposuit. Negat dari prædestinationem ad peccatum; nec reprobos perire censet quia boni esse non potuerunt, sed quia salutis viam insistere noluerunt. Fatetur etiam, malè Godescalcum docuisse, baptizatos, si fuerint extra numerum electorum, tantùm signo tenus remissionem peccatorum accipere, nec verè inseri Ecclesiæ Dei. Nam, inquit, hoc si esset, jam sacramenta Dei ludicra & fallacia forent. Unde concludit, etiam secundùm præsentem statum, verè fuisse fideles, justificatos, & à damnationis massâ secretos, qui postea, per pravitatem suam, Dei gratiam amittunt, & æternùm pereunt. De dogmate, an Deus velit omnes & singulos ad agnitionem veritatis, & animarum suarum salutem pervenire, nihil Synodus definit; cùm tamen hoc imprimis esset, de quo inter Hincmarum & Godescalcum certaretur. Nempe de genuino Paulinorum verborum sensu nec Synodi ejusce Patres videntur convenisse. Cæterùm de illo, an Christus pro omnibus sit mortuus, apertè tuentur, pro fidelibus esse mortuum, partim quia Scriptura hoc apertè dicat, partim quia nimium à veritate abhorrere videatur, ut Christus pro iis pati proposuerit, qui, antequam crucifigeretur, vel etiam in terras veniret, in gehennam fuerant conjecti. In quo, quod pace eorum liceat dixisse, non satis Hincmari, & aliorum sententiam intellexisse videntur. Nec enim episcopi illi voluerunt, Christum in cruce sibi proposuisse, ut gehennâ eximeret eos, qui infideles & impœnitentes de hac vita discessissent: sed hoc putarunt, Christum ab æterno destinatum fuisse λύτρον pro omnium redemtione; sed solis profuturum, qui gratiam salutarem non contemserint: eoque non redimi omnes, quatenus non solvitur omnibus captivitas: at redimi omnes, quatenus solvitur omnibus captivitatis necessitas: atque id quoque de his qui ante passionem Christi in peccatis suis mortui essent, hactenus verum esse, quatenus ab his, dum viverent, sublata fuit pereundi necessitas: ut qui non perierint, quia Christus pro iis noluerit mori; sed quia, cùm per gratiam Dei possent, exemplo sanctorum sui temporis, salutis viam insistere noluerunt: absque quo esset, etiam illos fuisse salvandos, propter sacrificium Jesu Christi; cujus virtus non minus ad Veteris Testamenti tempus, quàm Novi se extendat. Nec hæc ita decernere Valentinæ Synodo satis fuit: sed etiam condemnavit quatuor capitula, ab Hincmaro dogmati Godescalcano opposita; item librum ab Erigena Scoto scriptum adversus Godescalcum. Hac antisynodo valde fuerunt commoti animi eorum, qui Hincmaro faverent. Nec enim latêre hæc eos poterant: præsertim Carolo Rege canones Valentinæ Synodi, unà cum adversariis Lugdunensis Ecclesiæ scriptis, Hincmaro exhibente, cum mandato, ut quamprimùm, quid de iis sentiret, perscriberet. Sed Hincmarus id facere aliquamdiu distulit, eo quòd Remigius, colloquio, aut generali Synodo meliùs, quàm scriptis ἐγγράφως, componi posse controversiam putaret. Verum de Synodo frustra injecta spes fuit, sive eam prudentiores episcoporum dissuaserint, sive rex Carolus impedierit,*

eo

eo quòd ab animis adeò exacerbatis nihil salubre exspectaret, & controversias has ejusmodi esse existimaret, ut nihil de veritate quæstionis in hanc vel illam partem decidi opus esset. Gliscente autem indies animorum dissensu, rex Carolus triennio pòst, hoc est, anno IϽCCCLIX, *capita Valentinæ Synodi iterum Hincmaro dedit, cum mandato, ut ad ea quamprimum responderet. Ergò Hincmarus libro integro hac de controversiâ dissertavit, eumque ad regem misit, unà cum literis, quibus de injuriâ sibi & suæ sententiæ Episcopis à Valentinâ Synodo factâ conqueritur, ac singulos penè canones ejusce Concilii expendit. Atque hujusmodi quidem tempestas prædicatione Godescalci in Galliis excitata fuit. Postquam verò responsum suum Carolo regi transmiserat Hincmarus, desiisse ea paullatim videtur, interponente, ut credibile est, rege autoritatem suam: qui eo facilius componere potuit hos animorum motus, quòd Lugdunensis Ecclesia parata esset desistere ab damnandâ Hincmari & Galliæ Belgicæ episcoporum sententiâ, dummodo ne illi Lugdunensis, Arelatensis & Viennensis Ecclesiæ episcoporum sententiam, tanquam hæreticam, uti in Godescalco jam facere cœperant, condemnarent.*

GOdescalcus jam, antequam Hincmarus ad episcopatum vocaretur, quod, teste Flodoardo *a*, anno contigit IϽCCCXLV, in Remensis Ecclesiæ monasterio vivens, habitu monachus, sed mente efferus, quietis impatiens, & novitatis amator fuit: si Abbatis & monachorum, quibuscum vixerat, judicio standum putamus: quos hoc testatos de eo esse, scribit Hincmarus epist. ad Nicolaum Papam *b*. Ubi etiam refert, ut à Remorum chorepiscopo contra canones presbyter sit ordinatus, atque è monasterio, adversus regulam monasticam, egrediens, disjunctissimas terras peragrarit, suam de Prædestinatione seminans doctrinam. Tandem cum rex Ludovicus (non Lotharius, ut in Hirsaugiensi chronico Tritthemius scribit) Synodum Moguntiæ convocasset: etiam eò Godescalcus venit, & Concilio sententiæ suæ libellum obtulit: quod anno contigit IϽCCCXLVIII. quamquam in annum proximum rejiciat Sigebertus. Eo libello hæc capita continebantur. I. Quòd Deus, sicut quosdam prædestinavit ad vitam, ita quosdam prædestinarit ad mortem. Quodque Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed eos solùm, qui salvantur. II. Quòd Christus non sit mortuus pro omnibus, sed solis electis. Quodque in illis Petri verbis, *Eum, qui emit illos, Dominum negantes*, Baptismi perceptionem Apostolos redemtionem vocat; quia qui pereunt, verè nunquam, sed tantùm sacramento tenus fuerunt redemti. Addit Hincmarus, hanc fuisse opinionem veterum Prædestinatianorum, quæ in Adrumetinis monachis ab Augustino in Africâ fuerat condemnata, posteaque in Galliis anathematizata est à B. Prospero, cùm ea Augustini, & eorum, qui hunc se ducem sequi profiterentur, sententia esse à Vincentio, Gallis, & Genuensibus diceretur. Verba Hincmari adscribam ex epist. ad Nicolaum Papam, ubi Godescalci doctrinam fusè exponit: *Si vestra sapientia Catholica vult scire, quæ contra Catholicam fidem ex veteri hæresi Prædestinatianorum (quæ primum in Africâ, postea in Galliis, per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis est exorta, & tempore Cælestini Papæ, ipsius auctoritate, & instantiâ sancti Prosperi, est revicta) dicere videatur: de multis pauca vobis numero, sed non pondere, capitulatim significamus.*

a Lib. 3. c. 1.

b Apud Flodoardum lib. 3. c. 14.

Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam.

Dicit, quòd & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos, qui salvantur: omnes autem salvari, quoscunque ipse salvare voluerit: ac per hoc, quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius, ut salventur: quoniam si non omnes salvantur, quos vult Deus salvos fieri, non omnia quæcunque voluit, fecit; & si vult, quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est autem omnipotens, qui fecit quodcunque voluit, dicente Scripturâ, Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cœlo, & in terrâ, in mari, & in omnibus abyssis: & item, In voluntate tuâ, Domine, cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere tuæ voluntati: si decreveris salvare nos, continuò liberabimur.

Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quòd non pro totius mundi redemtione, id est, non pro omnium salute & redemtione Dominus & Salvator noster Jesus Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantum pro his, qui salvantur.

Dicit quoquomodo dispari traditione, sed pari errore, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, exponens sententiam Apostoli Petri, Eum, qui emit eos, Dominum negantes; Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Quòd autem Baptismi perceptio redemtio nuncupatur, doctor gentium manifeste fatetur: Nolite contristare, inquit, Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemtionis. At illa, quæ propria & specialis est solorum omnium electorum, quam eis tantummodo crucifixus impertivit, pius redemtor ipsorum; sicut à præteritis, ita nimirum à præsentibus, natos & nascituros, vivos & mortuos, videlicet omnes pariter electos, redemit, eruit, abluitque peccatis. Et idem alibi idem Godescalcus scribit: Absit procul à me, ut vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, ut ullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo Patri, Domini nostri, Filii sui, fusus est sanguis. Amen. Et idem loquens ad Deum: Claret itaque satis apertè, quòd nullus tibi perit, quisquis redemtus est per sanguinem crucis tuæ. Hactenus Hincmarus. Ex quibus liquet, eadem docuisse Godescalcum, quæ in Lucido presbytero Arelatensis, & Lugdunensis Synodus, ante annos propè trecentos, damnarant. His lectis & pensiculatis à Synodo Moguntinâ (cui præerat Rabanus Maurus Archiepiscopus, vir ætatis suæ doctissimus, ac intererant Haimo episcopus Halberstadensis, multique alii præstantes episcopi & abbates, quorum aliquos in Hirsaugiensi Chronico recenset Tritthemius) ab universis condemnatus, & cum Synodicis literis ad Metropolim Remorum, cui Hincmarus præerat, missus est. Quâ de re sic à Pythæo editus Francicorum Annalium scriptor, qui iisdem temporibus vixit *a*: *Circa Kal. Octobris generale placitum* (Rex Ludovicus) *habuit apud Moguntiacum, in quo legatos fratrum suorum, & Nordmannorum Sclavorumque suscepit, audivit & absolvit. Homines etiam Rabani Episcopi, adversus Dominum suum conspirantes, publicè convictos cum eo pacificavit. Godescalcus quoque quidam Presbyter, de prædestinatione Dei pravè sentiens, & tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam, inevitabiliter à Deo prædestinatos esse affirmans, in conventu rationabiliter, ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Iugumarum Remis transmissus est, prius tamen juramento confirmans, ne in regnum Chludovici ultrà rediret.* Et Hincmarus epist. ad Nicolaum Papam *b*: *Peragratis regionibus plurimis, & exitiosa semina sator pessimus seminans, tandem in Moguntina civitate, habita Synodo, & Rabano Archiepiscopo, libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ episcopis, cum literis Synodalibus ad Metropolim Remorum, cui jam, auctore Domino, præeram, est remissus.* Quid exinde contigerit, continuò subjicit Hincmarus: *Postea*, inquit, *à Belgicæ Remorum ac Gallia-*

a P. 43.

b Apud Flodoardum lib. 3. c. 14.

rum

rum provinciarum (lego, à Remorum ac Galliæ Belgicæ aliarum provinciarum) *Episcopis auditus, & inventus hæreticus, quia resipiscere à suâ pravitate non voluit, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, judicio præfatarum provinciarum episcoporum, in nostrâ parochia, (quoniam Rothadus, de cujus parochia erat, illi nesciebat resistere, & novitatis amatus timebatur à nobis, ne disceret prava sentire, qui noluit discere recta docere, neve idem Godescalcus, cum aliis communem vitam ducens, errores suos faceret esse communes) monasteriali custodiæ mancipatus est, docente Apostolo, Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita, sciens, subversum esse hujusmodi, & proprio judicio condemnatum.* Idem opusculo ad Hincmarum Laudunensem cap. XLIII: *Dum laudari hæretici, tanquam de excellenti ingenio, cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum Patrum libris veteribus non tenentur; sicque fit, ut, dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant. Et quoniam hæc egisse Godescalcus in conventu episcoporum* (Galliæ Belgicæ) *revictus fuit; idem Concilium (sicut scriptum est, Qui imponit stulto silentium, iras mitigat:) silentium ei imposuit, ubique illum ad custodiendum commisit; sicque complicum ejus, qui jam sicut vermes in putredine fœtentes ebulliebant, iræ partim sunt mitigatæ, & congregatæ sunt à Domino quasi in utrem aquæ maris; cùm amaritudo perversarum mentium nondum apud nos de his, quæ Godescalcus eos docuerat, erumpit exterius in vocem pravæ libertatis.* Ita videmus, ut Godescalcus, non tantùm in Synodo Moguntinâ ab omnibus Germaniæ episcopis; sed etiam à Remorum, & aliarum Galliæ Belgicæ Ecclesiarum præsulibus, sit damnatus, & carcerali custodiæ à Synodo mancipatus. Godescalcum verò, quibusdam Prosperi & aliorum sententiis malè intellectis, in errorem fuisse impulsum, scribit Flodoardus lib. III. cap. XXVIII. ubi & reprehenditur, quòd docuerit prædestinationem ad mortem. *Scripsit*, inquit, *Hincmarus Godescalco monacho, qui erat prolapsus in hæresin, de quibusdam sententiis auctorum, quas ille non bene intelligebat, vel exponebat, maxime Prosperi: quarum sensum* (Hincmarus) *per sententias præcipuè beati Augustini exponit, & cæteros idoneos proponit testes Apostolicæ fidei doctores: quorum sequendam in omnibus admonet esse doctrinam. Ostenditque testimoniis manifestis, Deum & bona præscire, & mala: sed mala tantùm præscire, bona verò, & præscire, & prædestinare. Unde præscientia esse potest sine prædestinatione: prædestinatio autem non potest esse sine præscientiâ, & quia bonos præscivit & prædestinavit ad regnum, malos autem præscivit tantùm, non prædestinavit, nec, ut perirent, suâ præscientiâ compulit. Cui definitioni subscribere idem Godescalcus pertinacissime recusavit.* Sanè si Godescalcus asseruit, prædestinari hominem ad malum culpæ, meritò est damnatus; cùm ea sententia & Scripturis repugnet, & canone ult. Synodi Arausicanæ II. anathemate feriatur. Sin solùm intellexit prædestinationem ad malum pœnæ, ob prævisum peccatum infligendæ: verè fuerit λογομαχία: Godescalco quidem prædestinationis nomen extendente ad omnia, quæ Deus facere decrevit: Hincmaro autem eo solam gratiæ præparationem intelligente.

Inter eos, qui ad restinguendum hoc incendium concurrerunt, etiam Lupus fuit. de quo sic Sigebertus in catalogo cap. *Lupus Servatus librum composuit de tribus quæstionibus, id est, de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum & malorum, de sanguinis Christi superfluâ quadam taxatione vel redemtione usque ad salutem impiorum. Nam super hac re orta est quædam fidei turbatio, anno Christi octingentesimo quadragesimo nono.* Sex verò adversus Godescalcum scripsisse, testatur Ecclesia Lugdunensis libro de tribus epistolis. Hos inter fuit Ioannes Erigena Scotus: de quo in floribus Historiarum sic scribit Matthæus Westmonasteriensis ad annum IↃCCCLXXXIII; *Eodem anno venit in Angliam magister Joannes, natione Scotus, vir perspicacis ingenii, & facundiæ singularis. Hic dudum relictâ patriâ ad partes Gallicanas transiens, Carolum Calvum a adiit, atque in magnâ ab eo dignatione susceptus, individuus comes ei fuerat, & mensæ & cubiculi. Hujus autem ingenii & scientiæ magnitudo ac leporis exempla usque hodie manent.* Hinc aliqua ab eo lepide dicta factaque commemorat: quibus ista subjungit; *Iste Ioannes, rogatu ejusdem regis, Hierarchiam Dionysii Areopagitæ de Græco in Latinum b transtulit; quo fit, ne intelligatur Latina litera, cùm volubilitate magis Græcâ, quam compositione construitur Latinâ.* Id ipsum & Sigebertus tradit in catalogo, cap. XCV; *Ioannes Erigena, jubente Carolo, Ludovici imperatoris filio, libros Dionysii Areopagitæ in Latinum transtulit.* Sequitur deinde apud Westmonasteriensem; *Composuit etiam librum, quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, id est, de naturæ divisione c intitulavit, propter perplexitatem quarundam quæstionum solvendarum bene utilem; si tamen ignoscatur ei in quibusdam, in quibus à Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit; unde & hæreticus à quibusdam putatus est. Scripsit enim contra eum quidam Florus, qui & ejus scripta depravando damnavit.* Hic est Florus ille, cujus expositio missæ extat Tom. VI. bibliothecæ PP., quemque Sigebertus in catalogo, cap. XCIV. epistolas Pauli verbis Augustini, quæ hinc inde collegerat, exposuisse ait. Tantus Augustini amator, quid mirum si opposuerit se Erigenæ? Hinc subjicit Monasteriensis; *Sunt enim revera in libro Peri physicôn perplurima, quæ, nisi diligenter discutiantur, à fide Catholicâ aliena judicantur. Hujus autem opinionis particeps esse cognoscitur Pontifex Romanus, qui in epistolâ ad Carolum missâ dixit: Relatum est apostolatui nostro, quòd Opus Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, & de cælestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes, genere Scotus, nuper transtulit in Latinum. Quod juxta morem Ecclesiæ nobis mitti, & nostro judicio debuit approbari: præsertim cùm idem Ioannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Propter hanc ergò infamiam idem Iohannes Franciam relinquens, regem Alfredum petivit, cujus munificentia illectus, & magisterio, ut ex scriptis ejusdem regis intelligitur, Melduni magister resedit. Ubi post aliquot annos à pueris, quos docebat, graphiis perforatus, animam exhalavit tormento gravi & acerbo. Jacuit autem aliquamdiu in humili sepultura, in beati Laurentii basilicâ corpus ejus collocatum. Sed ubi divinitus cecidit super ejus sepulturam radius ignis cælestis: monachi de talibus animati revelationibus, in majorem eum transtulerunt Ecclesiam, & ad sinistram altaris partem honorabiliter locaverunt.* Eadem legas apud Guilielmum Malmesburiensem lib. II. de gestis regum Anglorum cap. IV. ubi & Epitaphium ejus adscribit: *Succedentibus*, inquit, *annis munificentiâ Alfredi allectus venit in Angliam, & apud monasterium nostrum à pueris, quos docebat, graphiis, ut fertur, perforatus, etiam martyr æstimatus est: quod sub ambiguo ad injuriam sanctæ animæ non dixerim, cum celebrem ejus memoriam sepulchrum in sinistro latere altaris & epitaphii prodant versus, scabri quidem, & moderni temporis limâ carentes, sed ab antiquo non adeo deformes,*

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Iohannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro.
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo, meruit, sancti regnant per secula cuncti.

Dogma mirum, quo ditatum fuisse Scotum ait, cujus item causâ à discipulis interemtus est, Eucharistiæ dogma fuisse, putat Genebrardus d; cui nos assentimus. Nam de eo idem, quod antea Bertramus, ac Berengarius postea, docuit; ut cognoscimus non modò ex Philippo Bergomate Chronici Suppl. lib. XI. ad annum IↃCCCLXXXI, & Jo. Balæo Centuria II. cap. XXIV; sed etiam (cur enim non ad

a Eo refellitur error Gregorii de Valentiâ, qui disp. 6. quæst. 3. de præsentia Christi in Eucharistiâ, puncto 1. hunc Scotum vixisse anno 800. ac Caroli Magni præceptorem fuisse ait.

b Ea translatio cum Dionysii Carthusiani commentariis excusa est Coloniæ, anno MDXXXVI.

c Fallitur igitur Gesnerus bibliothecæ T. 1. qui scriptorem de animæ divisione alium tanquam Scotum facit ab eo, qui Dionysii Hierarchiam transtulit.

d In Chronologiam Dionysii.

ad veteres potiùs, longè locupletiores testes, recurramus? ex Lanfranci libro de Eucharistiæ sacramento; ubi sic Berengarium alloquitur: *Igitur cum à quodam Remensi clerico Romam perlatas literas recitator legeret; intellecto quod Ioannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistiâ fidei adversa sentires: promulgata est in te damnationis sententia.* Et mox: *Dehinc declarata est Synodus Vercellensis, quæ tunc proximo Septembri, eodem præsidente pontifice, est celebrata Vercellis: ad quam vocatus non venisti. Ego verò, præcepto ac precibus præfati Pontificis, usque ad ipsam synodum secum remansi. In quâ in audientiâ omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Ioannis Scoti liber de Eucharistiâ lectus est, ac damnatus: sententia tua exposita ac damnata: fides sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo, ac tenendam adstruo, audita, & concordi omnium assensu confirmata.* Ex his satis intelligi arbitror, quis fuerit iste Ioannes Erigena Scotus, cujus scriptorum catalogum, uti & alia de eodem, legere potes apud Balæum centur. II. scriptorum Britanniæ cap. XXIV. Mirum verò, Balæum non meminisse libri, quem adversus Godescalcum scripsisse dicebamus. Constabat autem Scoti liber novemdecim capitulis: quorum definitiones quæ fuerint, non aliunde nunc quàm ex adversario Ecclesiæ Lugdunensis scripto a cognosci potest. Ex eo verò discimus, primi capituli definitiones fuisse duas. Secundi quot fuerint, Ecclesia Lugdunensis in vulgatis codd. non expressit: nempe aliqua desiderantur proximè ante illa verba: *Docet beatus Augustinus, sicut sapientiam, ita & prudentiam Domini rectè dici &c.* Interim ex iis, quæ supersunt, septem aut præterpropter definitiones fuisse cognoscimus. Tertii capituli quatuor à Lugdunensibus commemorantur definitiones. Quarti quinque, quincti totidem, sexti tres, septimi una, octavi, ut videtur, quatuor, noni duæ, decimi quatuor, undecimi minimum tres, duodecimi quatuor, decimitertii tres, ut putamus, decimiquarti una, decimiquincti, ut videtur, quinque, sextidecimi duodecim, septimidecimi septem, duodevigesimi, ut putamus, octo, undevigesimi quatuor statui possunt. Quibus omnibus hoc egit Scotus, ut ostenderet, unam esse tantum prædestinationem, eamque talem, quæ non adferat homini necessitatem, sed salvam relinquat ei arbitrii libertatem.

a Exstat in biblioth. PP. auctario.

Ac unam duntaxat prædestinationem esse, eo probabat Scotus cap. II. quòd prædestinatio de Deo dicatur substantialiter, eoque, ut essentia Dei multiplicari non debet, similiter nec multiplicanda sit prædestinatio divina. Item, quia præscientia una est, at præscientia & prædestinatio sint unum idemque. Item cap. III. quia si prædestinatio est ad mortem, jam Deus mortis caussa erit, & si mortis, etiam peccati, cujus mors stipendium est. Et cap. XI. quia si reprobi propriè prædestinati sunt ad pœnam, necessariò peribunt: quod si est, quomodo justè judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire? Item, quòd sanctæ Scripturæ ABSOLUTAM prædestinationem (sic loquitur Scotus) non nisi in his, quos Deus elegit, inveniuntur posuisse, eoque, si Augustinus reprobos quandoque prædestinatos vocet, id à contrario sive κατ' ἀντίφρασιν faciat. Et cap. XII. quòd ipse Augustinus huic faveat sententiæ: ut cui prædestinatio nihil aliud sit, quàm gratuiti doni præparatio: pœna autem inter gratuita dona non inveniat locum, quia torquet hominem, non liberat. Eoque, ut cap. XIII. etiam scribitur, sic reprobi dicantur prædestinati, ut à Christo Iudas electus, & in parabolá ejusdem amicus vocatur, qui semper inimicus. Imò, ut cap. XIV. dicitur, Augustinus reprobos prædestinatis disertim opponit, ut cùm dicit, *Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum.* Et iterum, *Qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus.* Item, *Qui cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt.* Et, *Pœnam prædestinatam peccatoribus; ipsos verò præscitos tantùm, non prædestinatos.* Item, quia humanæ etiam leges homines non prædestinent ad pœnas, sed pœnam peccaturis destinent, ut proni ad peccandum suppliciorum terreantur atrocitate. Et cap. XVIII. quia prædestinatio Græcè sit προορισμὸς, hoc verò sit ab ὁρῶ, id est videre, definire, destinare: mors autem & pœnæ videri, definiri, destinari non possint, quia nihil sint.

Prædestinationem verò non adferre necessitatem, probat idem Scotus hunc in modum, cap. IV. quia tria hæc, Esse, Scire, Velle, sint hominis substantia, quam is peccando non amiserit: nec enim naturam ullam perire posse, eoque nec liberum periisse arbitrium, quod de hominis naturâ esse dixerat: quodsi id non perierit, semper inchoare posse naturam, etsi perficere ipsa non possit, sed gratia ad id requiratur. Item cap. V. quia sicut Deus neminem compellat peccare, ita nec bene vivere. Et cap. VI. quia peccatum omne, eoque & pœna omnis, à propriâ hominis voluntate promânet, libero male utentis arbitrio. Nec sapientis sit, in dubium vocare velle, utrùm humana voluntas sit secundum naturam, quam constat esse substantiam rationalem. Et cap. VII. quia liberum arbitrium inter media Dei dona debeat collocari. Et cap. VIII. quia Augustinus ipse testetur, substantialem interioris hominis trinitatem consistere in istis tribus, essentiâ, scientiâ, voluntate, ac proinde libertas arbitrii sit homini naturalis. Et cap. XV. quia Deus non tollat naturalia. Et cap. XVI. quia in ipso igne æterno insita maneat naturaliter cognitio beatitudinis, & desiderium ejus, cujus de absentia cogitatio sit pœna miserorum in gehennâ. Item, quia illud punitur, quod peccavit: non puniri autem naturam, quia à Deo est, & si peccasset, perituram fuisse, nunc eam permanere: peccasse autem voluntatem per motus sui perversitatem, atque iccirco eam puniri, dum iis, quæ appetit, jure fraudatur. Item cap. XIX. quia in ipso gehennæ igne, excepto quòd beati non sint, cætera cunctis reluceant bonis. Quo in dogmate diluendo, quia multa est Ecclesia Lugdunensis, visum est ipsa Scoti verba adscribere. Contendebat igitur, *Ignem æternum esse ipsum quartum mundi elementum, ubi corpora sanctorum in æthéream mutentur qualitatem; impiorum corpora in aëream sint qualitatem transitura: in eoque naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum verò voluntatum ineffabile tormentum: & ita impiorum omnium angelorum, hominumque corpora, supplicia ignis æterni perpessura, ut integritate eorum substantiâ nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defuturâ, eorum naturali incolumitate permansurâ, omnibus deinde naturæ bonis ad universitatis ornamentum mirabili ordine refulsuris, (exceptâ beatitudine, quâ privabuntur) superioris ignis corporei cum inferioris aëris corporibus qualitate conluctante, naturali vi reservatâ, infelicium animarum intentio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas: ita videlicet, ut idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria, quo, damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.*

Atque hæc, quæ Joannis Scoti fuerit sententia, clarè ostendunt. Adversus quem Ecclesia Lugdunensis demonstrat, duplicem esse prædestinationem; unam electorum ad vitam, alteram destinatorum ad mortem. Nec hominem naturâ habere liberum arbitrium, nisi ad malum; eoque electos compelli ad bonum: nec tamen reprobos compelli ad peccandum; sed tantùm ad subeundam pœnam, quam peccatis meruerunt.

Esse etiam prædestinationem ad mortem, probat inde, quia quicquid Deus exequitur in tempore, hoc facere decrevit ab æterno: & quia Scotus dicebat, nusquam Scripturam prædestinationis voce de reprobis uti: respondet, ut hoc verum sit, nihil tamen sententiæ suæ derogare, quia satis est, si rem dicat: uti eum ad Rom. cap. IX. Apostolus ait, Esavum à Deo odio habitum esse, priusquam natus esset, & quicquam fecisset mali: similiaque in eodem capite, quæ non minus reproborum, quàm electorum, prædestinationem ostendant. Negat etiam, Augustinum facere pro Scoto, ut qui non uno loco reproborum prædestinationem clarè agnoscat; ac proinde, cùm

præ-

prædestinationem definit præparationem gratiæ; cùm item prædestinatis non prædestinatos opponit; prædestinationis nomine utatur κατ' ἐξοχὴν de ea, quæ est ad vitam. Quòd verò Ioannes Erigena, ut unam esse prædestinationem probet, ait, prædestinationem substantialiter dici de Deo: hoc temere ab eo asseri affirmat. Quamquam enim Deus sit infinitus, ac proinde extra se agere non possit: tamen, cùm prædestinatio sit libera Dei operatio, eoque potuerit non esse, quod de divina essentia dici non potest: non tam eam esse in Deo, quàm à Deo; eoque respectu non intra, sed extra divinam essentiam constitui debere.

Præterea passim disputat adversus ea, quæ pro libertate arbitrii dixerat Erigena: quamquam, si verum dicere licet, non semper eum intellexisse videtur: cùm interdum, ubi ille de naturali loquitur libertate, hæc de servitute ad bonum respondeat. Negat autem hæc Ecclesia, in homine remansisse libertatem ad bonum: eoque ait, nec posse hominem inchoare bonum; quod dixerat Scotus. Æque falsum esse dicit, quòd natura corrupta non sit, aut in gehennâ non subibit pœnas: aut quòd electos in elemento ignis crederet innovandos; cùm eos istic loci, ubi resurgunt, in ictu oculi divinâ virtute immutatum iri dicat Scriptura: nec ullo esse fundamento suboixum, quod ait, corpora reproborum in igni aëriâ esse qualitate donanda, cùm de eorum mutatione taceat Apostolus: nec credibile videri, quod de incolumitate naturæ, & pulchritudine ejus prædicat, quando & animæ vitiis futuræ sint deformes, & corpora erunt in æterno tristitiæ horrore, æternâ ignis exustione, æternâ vermium dilaceratione: nec reprobos solùm æternæ beatitudinis fore expertes, quasi inter miseros & beatos media esse conditio possit, qualem infantium absque baptismo decedentium Pelagius esse dicebat; sed in sempiternâ eos miseriâ fore: nec ignem æternum corporibus reproborum gloriam allaturum, quia in eum retrudantur ad supplicium, non ad gloriam. Magnæ etiam inconstantiæ arguit, quòd nunc reproborum corpora igni agnoscat torqueri; nunc pœnas eorum in solo animi cruciatu constituat.

Ut liquidiora hæc fiant, aliquammulta adscribemus ad verbum ex ipso Lugdunensis Ecclesiæ libro. Nec ignoro, ut illaudata fere eorum soleat esse diligentia, qui bene longis aliorum παρενθήκαις commentationes suas farciunt: sed vicissim scio, ut plurimi quadam segnitie, vel socordia, haut temerè ea adire soleant loca, ad quæ à scriptoribus remittuntur. Eo autem magis, non dico honori nostro velificabimur, sed alieno commodo inserviemus, quòd paucis is liber visus, aut cognitus est, paucioribus lectus. Interim in exscribendo hunc tenebimus modum, ut intra prima quatuor capitula consistamus. Nam quæ cæteris disputantur, satis intelligi possunt ex iis, quæ vel deinceps excerpemus, vel antea κατ' ἐπιτομὴν proposuimus.
a Col. 1063. *Primo a capitulo ejusmodi proponit definitionem* (ἐξ...-tus.) *Quadruvio regularum totius philosophiæ quatuor omnem quæstionem solvi. Duasque prædestinationes non esse. Cui fides Ecclesiæ è contrario respondet, veritatem æterni judicii, & ordinationis Dei, non esse requirendam à Philosophis; sed ab Apostolis, & Prophetis Dei: nec in mundana doctrina quadruviis, sed in una & vera via, quæ dicit de semet ipsa, Ego sum via, veritas, &*
b Col. 1064. post pauca. *vita. Prædestinationem* b *autem, & æterni Consilii, & judicii Dei, sive in remuneratione justorum, sive in damnatione iniquorum, & propter unam ac simplicem scientiam divinam, in qua simul, atque æternaliter, de omnibus præordinatum atque præfinitum est, unam veraciter dicimus: & propter duplicem ejus efficientiam, qua alii misericorditer liberantur, alii juste damnantur, duas dicere non timemus; fideliter cum Psalmista ipsi judici universorum dicentes, Misericordiam, & judicium cantabo*
c Col. 1065. aliquanto post superiora. *tibi, Domine. Nullum* c (*autem*) *certamen, nulla contentio esse debet de numero, sive pluraliter de Prædestinatione Dei dici possit, sive aliqua veraci ratione non possit: dummodo certissimè constet, duplicem esse ejus effectum; vel in electis scilicet misericorditer præordinatis ad vitam; vel in reprobis juste præordinatis ad pœnam.*

Post hæc, ut superius quoque monebamus, quædam judicio nostro desiderantur. Nempe pars ea, quæ μονιζαις continebat à primo capitulo, & definitiones secundi capituli ordine recensebat, deque eo ubertim disputabat, utrùm prædestinatio substantialiter de Deo dicatur. Nam infrà de eo, ut potuit, dictum esse dicitur. Interim ex iis, quæ de secundo capitulo supersunt, satis clarum est, eo definitiones istas fuisse complexam, Prædestinationem dici secundum substantiam, quæ uti una est, ita unam quoque esse prædestinationem. Item, unam esse scientiam Dei: at præscientiam & prædestinationem esse unum idemque: ergò unam esse prædestinationem: nempe eam, quâ ad Deum perveniamus, sed non sine laboris studio, & cooperantis gratiæ dono. Videamus quid ad hæc respondeat Ecclesia Lugdunensis: *Ecce doctor eximius* (Augustinus a, cujus verba adduxerat) *eximiè de* a Col. 1063.
Deo sentiens, & loquens, confidenter dixit, Deum esse scientiam: ubi autem venit ad hoc, utrùm similiter Deus dicendus sit providentia, quæ utique sic Dei est, & in Deo, ut ad gubernationem referatur, noluit velut temerè aliquid hac de re definire: sed velut in magnâ difficultate & angustiis deprehensus, maluit eandem disputationem admirationis & orationis ad Deum exclamatione finire. Quo exemplo etiam nos omnes pensare, & dicere b *de-* b Ibid.
bemus, quam piè nobis de Deo sit sentiendum, quam moderatè & disciplinatè loquendum, quàm cautè & trepidè definiendum. Post hæc jam dictus disputator, more suo, velut definiendo, subjungit: Et præscientiam & prædestinationem unum idemque esse. *Nos autem repudiato hujus novitatis errore, teneamus certissimam & firmissimam fidei regulam: &, Deo adjuvante, fideliter discernamus, aliquando dici præscientiam, quæ omnino prædestinatio esse non possit. Quia omnipotens Deus, sicut bona, sic etiam mala, id est,* PECCATA *hominum, vel angelorum, futura præscivit: quæ tamen ut fierent, justus &* SANCTUS PRÆDESTINARE NON POTUIT. *Prædestinatio autem ejus, vel ad conditionem & gubernationem pertinet creaturarum; quæ utique bona & justa est, vel præcipuè ac maximè ad opera, vel judicia ejus, quæ agit sive acturus est in creaturâ rationali, angelicâ videlicet, & humana: dum ex eis alios per gratiam justificat & beatificat; alios per justitiam deserit, & condemnat. Quia & eorum bona, id est, sanctorum hominum & sanctorum angelorum, ejus sunt dona, vel præmia: & istorum mala, id est, æterna supplicia, ejus est justè omnia disponentis justa vindicta. Et idcirco prædestinatio ejus* SEMPER IN BONIS, SEMPER *in operibus suis, quæ in creaturâ (ut dictum est) rationali vel misericorditer, vel juste exercet, accipienda est; quia ipse &* PRÆDESTINANDO PRÆSCIVIT, ET PRÆSCIENDO ÆTERNALITER PRÆDESTINAVIT. *Unde manifestum est, prædestinationem Dei sine præscientiâ non esse: præscientiam verò, & cum prædestinatione esse in bonis, & justis operibus Dei: & sine prædestinatione in malis operibus hominum, & angelorum iniquorum.*

Subjungit idem disputator, & dicit c, *hominem ad* c Col. 1069.
Deum, quem libero arbitrio sine labore deseruerit, sine laboris studio & cooperantis gratiæ dono pervenire non posse. In quibus verbis quòd dicit, primum hominem libero arbitrio Deum deseruisse; jam utique in deserente Deum, & deserto à Deo, non erat liberum arbitrium ad bonum. d d Paulo post.
Quia deserens Deum, incepit habere in membris suis legem, repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in legem peccati, amissâ gratiâ veræ libertatis, quâ Deo poterat cohærere. e *Quòd autem dicit, sine laboris stu-* e Ibid.
dio, & cooperantis gratiæ dono, hominem ad Deum pervenire non posse: aliter fides Catholica tenet, quæ certissimè credit, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, nullo bono opere, nullo bono merito præcedente,

te, solo gratiæ divinæ beneficio hominem salvari, & venire ad Deum. a Aliter sentire, non est Catholicum, sed Pelagianum. Addit post hæc ille, & dicit b, prædestinationem in Deo secundum substantiam esse, relative autem fieri non posse. c At non aliquis unquam tam absurde, & importune contentiosus fuit, ut Deum omnia disponentem, diceret esse dispositionem; omnia gubernantem, diceret esse gubernationem: putamus, quod nec omnia prædestinanda prædestinantem quisquam dixerit esse prædestinationem: enim hæc omnia magis ad opera, vel ad operationem Creatoris referenda intelligantur. Sed iste, etiamsi nova contentione affirmare conetur, ita esse Deum substantialiter prædestinationem, sicut veritatem, bonitatem, justitiam, ut per hoc singulari tantum numero prædestinatio dicenda d videatur, sicut singulari tantum numero dicitur Deus veritas, bonitas, justitia: non tamen ista argumentatione efficere potest, ut prædestinatio Dei etiam substantialiter Deus dici possit, non (leg. cùm) duplicem habeat effectum & operis distributionem, scilicet vel in præparatione justorum ad vitam, vel in prædinatione impiorum ad interitum. Dicit e, Sicut duas essentias, sapientias, scientias, virtutes, cæteraque omnia, quæ de Deo dicuntur, geminari vel triplicari impium est: ita prædestinationes duas asserentem, reatu impietatis ligari. Quibus verbis nos respondemus; Verum quidem esse, quando de Deo dicuntur, non sunt ista dicenda pluraliter: tamen, quando ad diversam dispositionem, vel operationem Dei ad creaturas referuntur, manifeste quædam ex eis etiam pluraliter & multipliciter dicuntur: sicut est illud, Quoniam Deus scientiarum Dominus est. Narrantur laudes Domini, & virtutes ejus: Quis loquetur potentias Domini? Subjungit, & dicit f: Unam esse divinam prædestinationem, sicut unam divinam operationem, sapientiam, substantiam, voluntatem. Quantum apparet, operationem Dei ipsum Deum vult intelligi. Diligenter considerandum est, quid de hac re juxta regulam fidei sentiendum sit. Rectè dicimus, operationem Dei, utique in creaturis, quas operatur. Et recte dicere possumus, operationem ex Deo: quoniam sicut Apostolus dicit, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: sed nunquid recte dicere possumus g, operationem in Deo, cum Deus in se nihil operetur, sed extra ipsum (id est) extra ejus naturam, fit omnis creatura, quam operatus est, & in qua usque modo operatur? Cùm tamen alio modo etiam in ipso dici possit esse creatura: quia utique in ejus potentia & virtute subsistit. Unde Apostolus ait, quod jam dictum est, quia in ipso sunt omnia. Et in alio loco, In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Cùm ergo Deus in se ipso, id est, in substantia sua, nihil operetur: sed omnis ejus operatio in creaturis, quæ non ejusdem cum eo natura vel substantia sunt, intelligatur: quomodo rectè dici potest operatio in Deo? Et si non recte dicitur operatio in Deo, quanto minùs recte dici potest ipse Deus operatio? Quamquam idem omnipotens Deus, sicut apud se, & in se, omnia disponit; sic apud se, & in se, omnia operatur: quia ut hæc agat, non extra se usque egreditur, nec a se excedit, cujus velle fecisse est: sed ipsa potius, quæ operatur, vocat ad se: ut ex eo, qui summe est, accipiant esse, singula juxta modum suum: & fiat, quod Apostolus dicit, Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam quæ sint. Ergo neque aliquid extra se operatur, qui solâ, & æternâ voluntate, absque ullo conatu, absque ullo labore, absque ullo artificio, omnia operatur. Nec iterum aliquid in se operatur, qui in suæ substantiæ perfectione & æternitate nihil efficit, nihil auget, nihil minuit, nihil mutat. Nec tamen, quia ejus velle, fecisse est: ideo & ejus velle, & fecisse, unum est. Quia in hoc non Creatoris & creaturæ significatur unitas; sed solius Creatoris potestas. Quomodo igitur operatio in Deo, vel ipse Deus, substantialiter (ut iste asserit) operatio intelligi potest? nisi fortè eo modo dicitur Deus operatio, non quod ipsum, vel in ipso aliquid, sed ipse omnia operetur. Sed quia hoc nimis est inusitatum, nec de Scriptura sancta authoritate sumptum, & vehementer fidei periculosum; ne forte, cum Deus operatio esse dicitur, juxta impium Arrianorum errorem, qui hoc de Filio & Spiritu Sancto senserunt, ab aliquo factus esse credatur: profecto prohibenda, & coercenda est tantæ verbositatis præsumtio, & inter cæteras vocum novitates, sicut attentissime admonet Apostolus, devitanda. Subjungit & dicit, Ex necessitate prædestinationis nihil compelli, sicut nec voluntatem. Quod utrumque, id est, prædestinatione, & voluntate Dei, nihil compelli, apertissima veritate falsum est. Quia & bonitate prædestinationis Dei frequenter diversis flagellis, & laboribus, & tribulationibus compelluntur electi, sive ut convertantur ad Deum, sive ut vivant secundum Deum. Sicut compulsus est Apostolus Paulus, cum adhuc esset Saulus, cælestis vocis terrore prostratus, divina percussione cæcatus, tanto terrore à suo errore & crudelitate coercitus, usque ut converteretur ad Deum. Et tamen jam conversus, jam Apostolus, jam magister gentium effectus, adhuc castigatur, adhuc colaphizatur, ne magnitudine revelationum extollatur. Et ejusdem divinæ prædestinationis judicio, & æquitate, reprobi compelluntur, etsi non ad inique, & impie vivendum, tamen ad æternum, pro ipsis iniquitatibus & impietatibus suis, supplicium luendum. Similiter & bonitate voluntatis Dei, in qua est utique æterna prædestinatio Dei, & electi flagellantur temporaliter ad correctionem vel probationem: & ejusdem divinæ voluntatis severitate reprobi flagellantur æternaliter ad punitionem.

a Col. 1068. b Paulo post. c Post aliqua. d Col. 1069. e Post pauca. f Aliquanto post. g Col. 1070.

Tertio capitulo a hujusmodi definitionem posuit, mortem, peccatum, miseriam à Deo non esse. Bene dixit iste disputator, peccatum non esse a Deo. Et tamen b hoc ipsum superflue posuit, cùm de prædestinatione divina definiret: quia NEMO fidelium dicit, Deum peccata prædestinasse. Quod autem adjunxit, mortem & miseriam similiter non esse a Deo: manifeste Scriptura contradicit, dicenti, Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Sed quia iterum Scriptura dicit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: vigilanter nobis quærendum est, quomodo utrumque fidelibus intelligendum sit. Videlicet, & quod Deus mortem non fecit: & quod mors & vita à Deo sunt. Ita ergò utrumque recte intelligi potest. Quòd Deus mortem non fecit, qui hominem immortalem, si non peccasset, creavit. Et iterum, mors a Deo est, quia peccantem hominem justa morte damnavit. Sicque mors non est ab illo creatione: & tamen ab illo veraciter est ultione. Sicut autem mors ista corporalis, quæ & prima intelligitur, à Deo est, quia ab eo peccanti homini juste est inlata: ita & mors secunda in gehenna homini permanenti in peccatis ab illo juste est inferenda. Quarto capitulo c posuit definitiones quinque, hoc ordine: Tres hæreses: unam Pelagianorum liberi arbitrii, sine gratiæ commendatione: alteram, gratiæ solius: tertiam Godescalcanam, prædestinationibus necessitates etiam inferentem. Substantiam hominis esse tria: id est, esse, velle, scire. Et hanc peccando non amisisse. Nullam naturam posse perire. nec liberam voluntatem eam perdidisse, id est naturam suam. Libertatem homini post peccatum remansisse: vigorem & potestatem ejus perdidisse: eâ semper naturam inchoare posse, & perficere non nisi per gratiam. De tribus hæresibus quas dicit, primam, id est Pelagianorum, qui liberum arbitrium sine Dei gratiâ homini ad salutem posse sufficere dixerunt, bene novit & condemnat Ecclesia. Secunda d hæresis, quam dicit esse gratiæ solius, quæ sit, vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædicaverit, solâ Dei gratiâ hominem salvari, ut liberum hominis negaret vel destrueret arbitrium: nobis minime compertum est. Nisi e quia (ut nobis videtur) disputator iste, vel beatum Augustinum latenter, quasi hæreticum, accusat, eo quod manifeste juxta veritatem Scripturarum, solâ Dei gra-

a Col. 1071. b Col. 1072. c Col. 1074. d Paulo post. e Col. 1075.

gratiâ ostendat & doceat hominem posse salvari: nec ad ipsam salutem æternam aliquid humanum arbitrium posse, nisi per eandem gratiam fuerit reformatum, sanatum, illuminatum, ac roboratum. Aut certe eos, qui secundum ejus venerabilem & Catholicam doctrinam nunc de gratiâ Dei sentiunt, & docent, quasi minus illius dicta intelligentes, hæreticos vocat. Videlicet quasi ille non ita de libero arbitrio senserit, nec isti recte ejus verba intelligant: & ideo errent ex occasione verborum ejus, dum ea aliter intelligunt, quam ille qui scripsit. Hac de causâ nobis videtur, quod callidissime omnino & versutissime velut hæresim solius gratia posuerit; nec tamen auctorem, vel sectatores ejus ullâ significatione manifestaverit. a Denique ut manifeste agnoscamus, non eum de antiquiori aliquâ hæresi dixisse, quod solius gratia fuerit prædicatrix: non posuit hanc hæresim ante Pelagianam, sed postea, id est, a temporibus sancti Augustini usque nunc. Nec potest inveniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum & nos, aliquam talem hæresim in Ecclesia exstitisse; nisi quòd vel ipsum, ut jam diximus, beatum Augustinum, vel nos, qui eum sequimur, istius erroris accusat. Tertiam hæresim ponit prædestinationibus necessitates & vim inferentem. Cujus, ut sibi videtur, auctorem non tacet, vocans eam Godescalcanam, à quodam videlicet miserrimo & infelicissimo monacho, jam dudum illic (nescimus quo ordine) damnato, ergastulo retruso, nomine Godescalco, quasi aliquid tam grande & periculosum contra fidem Catholicam dicere præsumserit, ut necessariò, synodali judicio, tali ac tantâ damnatione plecteretur. Profecto dignum fuerat, JUXTA ANTIQUUM ECCLESIÆ MOREM, ut tantus error, propter cautela studium, ne eo plures inficerentur, CÆTERIS ECCLESIIS in diversis regni partibus constitutis, &, si non in initio, quando tantum malum est deprehensum, vel in fine, quando tanta est severitate damnatum; saltem postea PER LITERAS SYNODICAS ET ECCLESIASTICAS AD FRATRUM ET COEPISCOPORUM NOTITIAM PERFERRETUR. Quod si, MORE, ut diximus, ECCLESIASTICO SEMPER A PATRIBUS OBSERVATO factum fuisset: melius nunc sciremus, & paratiores essemus ad redarguenda, & convincenda, quæ iste eum docuisse proponit, dicens, eum (docuisse hæresin b) Prædestinationibus necessitates & vim inferentem. Quod ergò de Prædestinationibus, velut pluraliter dictis, eum accusat, manifestum est, sicut jam multis superius demonstravimus, quod non ei tantum displiceat hujus nominis, id est prædestinationibus, pluralis numerus, quantum ipsius prædestinationis vere pluralis, id est duplex effectus. c Quod autem dicit, præfatum Godescalcum prædestinationibus necessitates & vim inferentem: si hoc dicit, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim & necessitatem imponat ad malum, id est, UT INEVITABILITER MALI SINT, ET OMNINO ALIUD ESSE NON POSSINT; HOC OMNINO ALIENUM EST A FIDE CATHOLICA: quia omnipotens Deus, qui neminem vult esse malum. Majus absurdum & impium est, ut dicatur, quòd aliquem cogat & compellat esse malum, &, de quo scriptum est, Justus Dominus justitias dilexit, aliquem compellat esse injustum. Sed hoc agitur novi d omnibus reprobis, de peccatis eorum, & supplicio extremo, quod actum est in primo homine peccante judicio primo: ut sicut ille nullâ Dei impulsione, vel compulsione, aut prædestinatione compulsus est ad peccandum, sed suâ tantum sponte peccavit: judicium tamen, & damnationem ipsius peccati nolens invitusque suscepit, quod fuit supplicium hominis primum: ita & omnis reproborum multitudo, quæ ex illâ damnatione descendit, non Dei prædestinatione compellitur ad peccandum, cum Deus nulla peccata prædestinaverit, sed tamen ipsius divina prædestinationis justo, & æterno judicio compellitur ad luendum supplicium, recipiens à Deo vim & necessitatem justa damnationis, quæ nullam habuit vim; aut necessitatem perpetrandæ iniquitatis. Neque enim illi, qui a sinistris stabunt in judicio, & puniendi sunt igne æterno, volentes suscipient tale supplicium: sed utique nolentes, & inviti, & irremediabiliter dolentes, ac trementes, divina majestatis nutu & angelico ministerio illuc præcipitabuntur. a Ecce qualem vim & necessitatem divina prædestinationis erga reprobos Ecclesia Dei juxta Evangelicam veritatem credit, id est vim & necessitatem judicii, non vim & necessitatem peccati. b Qui autem vim & necessitatem peccandi Deum intulisse hominis vel inferre dicit, manifeste horribiliter in Deum blasphemat, quem, ad peccata compellendo, utique auctorem peccati esse, confirmat.

a Post aliqua.

b Duo hæc verba interserenda putamus. Sic supra: Tertiam hæresin Godescalcanam, prædestinationibus necessitates inferentem. Unum tamen obstare videtur, quòd postea, ut quiddo post verba loquebat, similiter loquitur. Sed si ita non scripsit, Ecclesia Lugdunensis saltem scribere debuerat.

c Col. 1076.

d Pro novi puto nunc in rescribi debere.

a Paullo post.

b Col. 1077.

Post hæc iste subjungit, substantiam hominis esse tria, id est, esse, velle, scire: & hæc peccando non amisisse. Nos autem substantiam hominis non aliud esse dicimus, quàm qua subsistit & vivit, animam scilicet & corpus sibi vitaliter connexum. Videtur tamen ex disputationibus Augustini in libris de Trinitate occasionem dicendi ista sumsisse. Sed non dicit, substantiam esse hominis hæc tria, sed in substantia esse hominis; non exterioris, sed interioris, docens, ea esse in ipsa mente rationali, & intellectuali, naturaliter & substantialiter à Deo insita. Unde & rectissimè in eisdem disputationibus dicit, hæc tria unius cum ipsa & in ipsa mente esse substantia. Quia videlicet ipsa mens, sicut substantialiter habet esse, ita substantialiter (habet scire c) habet velle: id est, substantialiter, & naturaliter habet scire posse, & velle posse. Magnum est utique bonum istud natura, ab optimo conditore bene & mirabiliter condita. Sed si hoc solum habeat mens hominis, ut possit esse, possit velle; & non habeat ex dono ejusdem conditoris sui, ut possit bene & beate esse, possit pie & recte de auctore suo scire, possit amando illum cum illo esse velle: quid proderit ei, habere esse, scire, velle; cùm totum hoc malo suo habeat, si illud donum creatoris sui non habeat? Habebit enim esse infeliciter, scire fallaciter, velle perniciose & nequiter. Sicut etiam Angelica natura in diabolo & angelis ejus damnata utique habet hæc tria in substantiâ suâ spirituali, id est, esse, scire, velle: sed tamen esse ei pœnale est: scire autem & velle totum ad errorem, totum ad malum conversum est. Quid est ergò, quòd iste gloriatur, naturam humanam peccando ista non amisisse, id est, ut possit esse, scire, velle; cùm omnium horum bonum & felicitatem omnino amiserit, esse incipiens misera ex beatâ, scire amittens divina, & velle perdens cœlestia; nisi quantum postea adjuvit & erexit gratia conditoris, ut amissa bona recognosceret, recognita doleret, dolendo & pœnitendo divinum auxilium imploraret; atque ita, quod amiserat suo vitio, divinâ bonitate reciperet. Subjunxit statim post istas duas propositiones sibi cohærentes, & ait d, Nullam naturam posse perire, nec liberam voluntatem eum perdidisse, id est naturam suam. In quibus verbis, quod definit, nullam naturam posse perire: quod utique generaliter de omnium rerum naturâ dixit, unde didicit? cùm manifeste omnis rerum natura e, sicut voluntate creatoris potuit ex nihilo subsistere, ut esset, quæ antè non erat: ita etiam, si ipse velit, possit perire, & redire in nihilum, ut non sit. Subjunxit f, nec liberum voluntatem hominem perdidisse, id est, naturam suam. Nos autem, juxta fidei Catholicæ veritatem, dicimus, quòd natura illius primi hominis ante peccatum erat libera ad bonum: post illam miserabilem ruinam per se ipsam non potuit libera esse, nisi ad malum. Quod g autem dicit iste, peccantem hominem non amisisse libertatem, sed ipsius libertatis vigorem, & potestatem: non rectè dicit, quia nec rectè sentit. Non enim bonum libertatis ex parte tenuit, & ex parte amisit: sed sicut vigorem & potestatem libertatis, ita ipsam perdidit libertatem; ut jam ipso ad verum bonum, unde cecidit, liber esse non possit. Subjungit h aliam conclusionem, & ait,

c Duo hæc verba interserenda arbitror.

d Col. 1078

e Fortasse Ecclesia Lugdunensis non cepit mentem istius philosophi. Nam dicere is voluit, accidentia quidem adesse & abesse sine subjecti interitu, naturam non item: eoque, si homo sit, liberum habere arbitrium, cum illud sit ei naturale. Quare αὐτεξούσιος quod deinceps Ecclesia suse ex scripturis probat.

f Col. 1079.

g Col. 1082.

h Post aliqua.

ait, semper naturam inchoare posse, & perficere non nisi per gratiam. Quod si ita dicit, quasi natura hominis per liberum arbitrium suum semper possit bonum inchoare, sed non nisi per gratiam Dei perficere; ut inchoatio totius boni semper homini deputetur, Deo autem tantummodo ejus perfectio, ut primam partem boni agendi sibi vendicet homo, secundam Deus: talis sensus omnino Pelagianus est, & contrarius Evangelicæ & Apostolicæ veritati. Aut a si istius verba alium sensum habent, ostendat qui scripsit. Atque hæc de concertatione inter Io. Scotum, & Ecclesiam Lugdunensem sufficiat excerpsisse.

a Col. 1083. aliquanto post superiora.

Secundus Ecclesiæ Lugdunensis liber est de tribus epistolis: quem ipsi Remigio, Lugdunensi Episcopo, tribuit Maldonatus. tum in Matth. cap. xx. 28. (ubi nec affirmare veretur, videri illum in eodem errore hæsisse cum Godescalco & Prædestinatianis.) tum etiam in Joh. xvii. 9.

Occasio & argumentum ejus operis proponitur initio libri, his verbis b: *Quorundam venerabilium virorum, trium videlicet Episcoporum, ad Ecclesiam nostram, id est Lugdunensem, epistolæ perlatæ sunt. Ex quibus duæ priores simpliciter & sinceriter, de quâdam profundâ & perplexâ quæstione, quæ jam per aliquot annos inter plures multâ & variâ disceptatione, vel etiam contentione, versatur, (de veritate scilicet divinæ præscientiæ & prædestinationis) &, quid ipsis videretur, aperuisse, & exposuisse videntur c: & quid præfata Ecclesia nostra, Deo inspirante atque auxiliante, de eâdem re sentiat, ut eis vere & fideliter respondeatur, attentius flagitare, & exigere noscuntur. Quorum unus, qui & in his tribus ponitur, etiam cujusdam miserabilis monachi, qui, inquietâ & insolenti præsumptione, hujus quæstionis, vel potius scandali, excitator, & exagitator extitisse dicitur: qualiter videlicet in duobus Episcoporum Conciliis, & auditus fuerit, & judicatus, atque damnatus, diligenter, & breviter in epistola sua exposuit, atque digessit. Et singulis ejus propositionibus, quid vel ab ipso, vel à cæteris, sive tunc objectum fuerit, sive usque hodie apud eos objiciatur, pariter exsecutus est. Secundus autem etiam quosdam, qui adversus eum scripserint, fere sex numero, memoravit. Nec tamen aliquem eorum ad rem, de qua quæritur, sufficienti ratione satisfecisse, conquestus est. Nam tertius, non ad Ecclesiam nostram, sed ad quendam alium Episcopum, specialiter scripsisse, & quid de hac re illi tenendum, sive docendum esset, sicut ei visum est, exposuisse, & definisse cognoscitur. Quæ omnia cùm legissemus, & prout Dominus dedit, solicite, & fideliter tractassemus: visum omnino nobis est, quod & interrogantibus, ut dictum est, venerabilibus viris; & ipsarum opinionum, quæ tam laciniosa, & involuta ponuntur, necessitate cogente; nec non & simpliciorum & ignorantium fratrum, quos talium quæstionum incerto fluctuare cognoscimus, perturbatione compulsi; nullatenus, qualem donare Dominus dignatus fuerit, responsionem fidei, non ex nostro sensu, sed ex Scripturarum sanctarum immobili veritate, & beatissimorum Ecclesiasticorum Patrum fundatissimâ auctoritate, subtrahere debeamus.* Deinde singulatim singulorum epistolas expendit. Ac primò quidem respondet ad narrationem de actu, doctrinâ, & damnatione Godescalci, atque ait, parùm verisimilia, nec benè cohærentia videri, quæ de miserabili illo monacho dicerentur: quod verò ad quinque sententias, quas prædicasse dicitur, ut, quid de iis sentiendum sit, appareat, septem de prædestinatione regulas proponit, easque primum quidem Scripturæ, postea verò Patrum auctoritate probat. Ex his verò colligit, non unam tantùm esse prædestinationem, nempe electorum ad gloriam, quam scriptor epistolæ agnoscebat; sed præter eam, alteram reproborum; qui prædestinati sunt, non ad culpam, sed ad pœnam. Cujusmodi prædestinationem illius epistolæ scriptor negabat. Sequebatur in dicta epistolâ, (verbis

b Col. 1157.

c Sic rescripsimus pro videtur.

Ecclesiæ Lugdunensis utor a) *præfatum monachum dixisse, atque docuisse, quod Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed eos tantum, qui salvantur. Et quod dicit Apostolus, qui vult omnes homines salvos fieri: illic dici, omnes, qui tantùm salvantur.* Ad hæc sic respondet: *Hæc quæstio est valde perplexa, & in sanctorum Patrum scriptis multùm versata, & multipliciter exposita.* Et mox: *Hunc obscurissimum, & difficillimum locum, in quantum nostræ pusillitatis memoria occurrit, quatuor modis in scriptis Catholicorum Patrum invenimus explanatum. Videlicet, ut vel ita intelligamus b dictum, Qui vult, omnes homines salvos fieri, ut omnes homines omnium hominum genera accipiamus, id est Judæorum & gentium, liberorum & servorum, virorum & mulierum, & quæcunque hujusmodi: aut c ita accipiamus dictum, Qui vult omnes homines salvari, ut illos solos salvari intelligamus, quos ipse salvari voluerit, id est, non quòd omnes salventur, sed quod nemo, nisi miserationis ejus voluntate, salvetur. Vel d certè ita intelligamus, Qui vult, omnes homines salvos fieri, qui hoc sanctos suos per spiritum suum velle facit, id est, velle eis inspirat, ut omnes homines, sicut se ipsos, salvos fieri optent: sicut & de Spiritu Sancto intelligendum est, quod idem dicit Apostolus, Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Postulat namque spiritus, quia, ut beatus Gregorius exponit, ad postulandum eos, quos repleverit, inflammat: & gemit atque desiderat spiritus, quia sanctos in orationibus gementes & desiderantes facit. Quarto e autem modo ita à sanctis Patribus intellectum invenitur, quod dictum est, Qui vult, omnes homines salvos fieri, ut simpliciter hoc accipiatur de omnibus hominibus, quantum in ipso est, Deum velle, eo quòd omnes salvari velit bonitate creatoris: sed quia liberi arbitrii eos condidit, expectet, ut hoc etiam ipsi velint, &, si voluerint, justè salventur; si noluerint, justè puniantur.* De quadruplici verò hac interpretatione judicium suum fusè promit. quòd paucioribus tandem complectitur, his verbis f: *In tribus itaque prioribus modis intelligentia eorum verborum, quibus de Deo dicitur, Qui vult, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nulla absurditas, nulla repugnantia fidei invenitur. Quia sive omnes homines, quos vult salvos fieri, omnia genera hominum accipiantur: sive omnes homines salvos fieri Deum velle ita intelligatur, quia omnes, qui salvantur, non nisi ejus voluntate salvantur: sive eo modo dictum credatur, omnes homines Deum velle salvos fieri, quia in sanctis suis ipse hoc vult, qui eis talem voluntatem inspirat, ut omnes homines velint salvos fieri, sicut se ipsos: in his, inquam, omnibus g, & vera omnino, & salubris intelligentia est.* Deinde ad quartum modum accedit: in quo duo expendit: quòd dictum erat, Deum expectare hominum voluntates: &, quòd dicitur bonitas creatoris velle, ut omnes salventur. De priori sic scribit: *In quarto autem modo illud sine dubio cavendum, quia & occasionem Pelagianæ pravitati præbet, quod Deum, ut salvet homines, humanas expectare asserit voluntates. Contra quem errorem in antiquis Patrum Conciliis legitur definitum.* Subjungit deinde Canonem iv. Concilii Arausicani ii. Postea ad alterum accedit: de quo hæc habet; *Quod autem ibi simpliciter intelligitur, Deum omnes homines velle salvos fieri, bonitate scilicet creatoris, ita, ut putamus,* FIDELITER POTEST RECIPI, SI *voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum non credatur, humanâ obsistente voluntate, implere* NON POSSE; SED, *obsistente humanâ iniquitate, implere* NOLLE. *Quæ omnia cùm tam obscura sint, & tam profunda atque perplexa, nollemus inter fratres, & carissimos nostros, aliquid de his contentiose ventilari, vel temere definiri: sed potius, quod in eis certum est, sine dubitatione defendi: quod autem* ETIAM INTER MAGNOS, DIVERSO MODO, SED NON DIVERSA PIETATE SENTIENTES, AMBIGUUM

a Col. 1169.

b Col. 1169.

c Col. 1170.

d Ibid.

e Col. 1171.

f Col. 1172.

g Ita rescripsimus pro nominibus.

ATQUE INCERTUM REMANSIT, *etiam apud nos & reverenter honorari : quia* NEUTRUM *eorum videtur* FALSUM, VEL FIDEI CONTRARIUM : & MAGIS *in talibus inquietos & contentiosos* AD *tranquillitatis & sobrietatis* MODESTIAM PROVOCARI, QUAM *pro inusitatis, & minus elucentibus rebus*, ALIQUEM *immoderatâ austeritate ac severitate* DAMNARI.

a Col. 1172.

Accedit deinde ad alteram quæstionem, his verbis a: *Adjungitur post hæc in præfata epistola, quòd prædicaverit ille miserabilis monachus, quia Christus non venit, ut omnes salvaret, nec passus est pro omnibus, nisi solummodo pro his, qui passionis ejus salvantur mysterio. Sed & de hac quæstione nihil confuse, & inconsiderate dici, vel definiri vellemus. Habet enim & ipsa profunditatem suam, non nostra præsumptione, sed Scripturarum sanctarum veritate, & Orthodoxorum Patrum auctoritate diligentius perscrutandam, & in quantum Dominus aperire dignatur, fideliter intelligendam.* Urget postea ea Scripturæ loca, quibus Christus dicitur animam posuisse pro ovibus suis, dedisse animam suam in redemtionem pro multis, similiaque: unde colligit, Christum pro electis solis mortuum esse. Tandem tamen ita concludit, ut nec eorum damnet sententiam, qui pro singulis mortuum putant. Sic enim scribit : *Quòd si* b *inveniantur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant : si hoc divina Scriptura certissimis & clarissimis documentis probant, erunt ergo illa, quæ ex verbis Domini de hac re commemoravimus, aliter intelligenda. Quod est omnino mirum, vel potius incredibile, posse fieri. Si autem absque ullis Scripturæ, ut dictum est, non ambiguis, quæ & aliter intelligi possint, sed certis omnino testimoniis hoc dixisse inveniuntur: quis non videat, potiorem illam esse auctoritatem, quæ & tam evidenti ratione, & tam multiplici Scripturarum attestatione firmatur? Si autem placet, sicut & nobis* MULTUM PLACET, UT ETIAM ISTORUM SENTENTIA, EX PIETATE VENIENS, PROPTER PACEM, ET VENERABILEM PIETATEM BEATISSIMORUM PATRUM, NON RENUATUR : NULLA ERGO CONTENTIONE PRO ALIIS ADVERSUS ALIOS LITIGETUR, NON UNA SENTENTIA PRO ALTERA DAMNETUR. ET QUIA VERE *fieri potest, ut ignorantiam & imperitiam nostram in hac re aliquid lateat*, NIHIL TEMERE DEFINIATUR, *ut, quolibet quis acquiescat modo, non fit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat.*

b Col. 1179.

c Col. 1179.

Continuò subjungit Ecclesia Lugdunensis c: *Additur adhuc in præfata epistola, dixisse illum miserabilem monachum, quod postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad bene agendum, sed tantum ad male agendum, libero potest uti arbitrio. Quod est utique non solum mirabile, & inauditum; sed, quantum nobis videtur, etiam incredibile, ut homo inter fideles & à fidelibus nutritus & eruditus, & in Ecclesiasticorum Patrum scriptis non parum exercitatus, hoc dicere, vel sentire potuerit : quod, post primi hominis lapsum, nemo etiam fidelium ad bene agendum libero possit uti arbitrio, sed tantum ad male agendum : tanquam in nobis non sit liberum arbitrium, nisi ad malum : ad bonum autem sola in nobis Dei gratia absque libero arbitrio operetur. Si enim dixisset generaliter, Nemo hominum, & addidisset, Sine Dei gratia, & ita subjungeret, Libero bene uti potest arbitrio ; esset Catholicus sensus, & Catholica omnino assertio. Cùm autem dixisse arguatur, quod nemo nostrûm, id est fidelium, nisi tantummodo ad male agendum, libero uti possit arbitrio : quid aliud tali dicto, & tali novitatis præsumptione asseritur, nisi quod humanæ mentis arbitrium, quod ante peccatum ad verum bonum amandum, & desiderandum, & fruendum erat liberum, ita primo homine peccante vitiatum sit, & perierit, ut deinceps tantummodo ad malum remanserit in homine liberum : ad bonum verò agendum, sive habendum, nullum sit hominis liberum arbitrium, sed tantùm divinæ gratiæ donum. Quod genus erroris, nec apud hæreticos, nec apud quemquam Catholicorum, nos cognovisse, vel audisse meminimus: ita ut etiam de isto hoc nobis, ut jam diximus, incredibile videatur.* Aliquantò pòst citat Ecclesia Lugdunensis hæc verba Epistolæ a. *Quapropter ad Episcoporum eum præsentiam, qui tunc regio mandato pro negotiis regis apud Carisiacum arcessiti erant, in præsentiam etiam Domini Wenilonis, qui illuc convenerat, producere studuit : ubi multis audientibus nihil dignum ratione vel dixit, vel interrogatus respondit. Sed ut arreptitius, cùm, quid rationabiliter responderet, non haberet, in contumelias singulorum prorupit : & propter impudentissimam insolentiam suam, per regulam sancti Benedicti, à monachorum abbatibus, vel cæteris monachis dignus flagello adjudicatus, &, quia contra canonicam institutionem civilia & Ecclesiastica negotia perturbare studuit indefessus, & se noluit recognoscere, vel aliquo modo humiliare, professus, ab episcopis, & secundùm ecclesiastica jura, damnatus.* Ad hæc epistolæ verba ita respondet : *In quibus verbis imprimis illud videtur absurdum, quòd præfatum miserabilem monachum, in judicio Episcoporum productum, priùs Abbates monasteriorum, qui præsentes aderant, ad cædes, & flagella judicasse referuntur, & deinde Episcopi, juxta Ecclesiastica jura, damnasse. Cum* b *homo antè reddebatur hæreticus, juxta antiquum Ecclesiæ observantiam atque auctoritatem, ad Episcopale tantummodo judicium pertineret, sive damnandus, sive absolvendus : nec prius ab inferioris loci hominibus, juxta Ecclesiasticam & sacerdotalem, sive monachalem verecundiam, observari debuerit : ipsi potius apud se judicent. Quod autem in Episcoporum contumelias dicitur prorupisse, verè hoc & impium est, & insanum, & omnino justa ultione damnandum : licet melius ab aliis, quàm ab ipsis. De aliis verò sententiis, quas & antea prædicasse, & tunc in Synodo proposuisse, nec ullatenus mutare voluisse firmatur : agnoscat nobis unusquisque lector, agnoscat etiam reverendus ille epistolæ scriptor : quia, sicut jam superiùs, & ex divinâ, & ex paterna authoritate satis ostendimus ; videtur nobis sine dubio, quòd illa, quæ de divinâ prædestinatione dixit, juxta regulam Catholicæ fidei vera sint, & à veridicis Patribus manifestissime confirmata* c, *nec ab ullo penitus nostrûm, qui Catholicus haberi vult, respuenda sive damnanda. Et ideo in hac re dolemus, non hunc miserabilem, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam. In illâ autem Apostoli sententiâ, quâ de Deo ait, Qui vult, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire : putamus, eum, sensum beatissimi Patris Augustini ab omni semper Ecclesiâ venerabiliter recepti, & usque in finem seculi recipiendi, secutum fuisse ; qui de tantâ quæstione tractans, & conlatis inter se duobus testimoniis, Apostolico videlicet, & Prophetico, qualiter juxta sanam fidei intelligentiam utrumque verum esse accipiendum sit, & in plerisque aliis librorum suorum locis, & maximè in libello, qui Enchiridion dicitur, evidentissimè declarat.* d *Et quod et de re tantâ, & postmodum ab Episcopis debuerit condemnari, sed & de ipsis flagellis & cædibus, quibus secundùm regulam sancti Benedicti dicitur adjudicatus, quibus & omnino fertur atrocissime, & absque ulla misericordia, penè usque ad mortem, dilaceratus. Quæ moderatio & mensura juxta pietatem probabilius videatur manifesta. Cujus omnino veridicum sensum non oportuit, sub persona alicujus hominis, à Catholicis Dei sacerdotibus condemnari : ne jam non iste, qui errare putatur, sed ille potius, cujus auctoritatem sequitur, hæreticus esse judicetur. Et licet alii quidam sancti & venerabiles Patres simpliciter illa Apostoli verba accepisse inveniantur* : UTRORUMQUE

TAMEN

a Col. 1182.

b *Locum sic corrige & interstingue,* An non homo cum reddebatur hæreticus, j. a. e. o. a. a. a. e. s. j. p. s. d. s. absolvendus: nec prius a. i. l. h. j. e. e. s. s. m. v. o. deboerit: ipsi p. a. s. j.

c *Male in vulgatis,* confirmatum.

d *Locus plane corruptus. Videntur verba illa de Episcopali condemnatione & flagellatione Godescalci aliunde huc migrasse. Sane commode omnia fluent, si ita prætertitis sic legamus:* In libello, qui Enchiridion dicitur, evidentissimè declarat. Cujus *(Augustini)* veridicum sensum *&c.*

TAMEN SENTENTIA FUERAT HONORANDA, NEC, *ut jam superius dictum est*, UNA PRÆ *a* ALTERA DAMNANDA: *quia* ET ILLA *ex divinâ auctoritate* VERA *esse monstratur*: & ISTA *quadam piâ ratione* NON ABHORRERE A VERITATE FIDELITER CREDITUR. *Jam illud de Dominici sanguinis pretio, quod pro his tantum, qui credere voluerint, datum sit; manifesta est, sicut supra satis ostendimus, eorundem beatorum Patrum sententia. Quam iste, ut putamus, & legendo didicerat, & damnare metuebat; unde etsi inventi sunt alii aquè Patres, qui illud gloriosum pretium, etiam pro nunquam credituris, & in suâ impietate perituris, datum esse non abnuant;* MELIUS, *ut credimus*, UTRIQUE HONORARENTUR, NEC PRÆ *b* ALIIS ALII DAMNARENTUR. *Quia illud manifestè divinâ auctoritate firmatum est*: & ISTUD, *si pie sentitur*, NON *est* ABNUENDUM. *Quod vero dixisse firmatur, ad malè tantummodo agendum, liberum nos habere arbitrium; ad bene verò agendum non habere: si veritas* c *sensit, & dixit, hoc verò non est ex divinâ autoritate sumptum, neque ex sanctorum Patrum dogmatibus tractum, sed apertè ex proprio errore prolatum. Quia liberum nobis arbitrium, quod peccato fuerat subjugatum, non ablatum est, sed liberatum, & ipsum nobis per Dei gratiam excitatur ad bene agendum, ut & ipsi ejusdem gratia cooperatores simus. De quâ re, si iste tam absurdè & insipienter erravit, manifesta est Apostoli sententia, dicentis: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Et paullo pòst *d*: *Quapropter istud prorsus omnes non solum dolent, sed etiam horrent: quia inaudito irreligiositatis & crudelitatis exemplo tam diu ille miserabilis flagris & cædibus trucidatus est, donec, sicut narraverunt nobis, qui præsentes aderant, accenso coram se igni, libellum, in quo sententiam Scripturarum, sive sanctorum Patrum, sibi collegerat, quas in concilio offerret, coactus est jam penè emoriens suis manibus in flammam projicere, atque incendio concremare: cùm omnes retro heretici verbis, & disputationibus victi atque convicti sint. Et sic pravitas, quæ videbatur, hominis fuerit coërcenda, ut nulla divinis rebus inferretur injuria. Maxime cùm illi sensus, qui ipso continebantur libello, excepto uno, quod extremum ponitur, non essent sui, sed Ecclesiastici: nec ignibus damnandi, sed piâ & pacificâ fuerint inquisitione tractandi. Sed & illa ejusdem miserandi hominis tam longa, & inhumana in ergastulum per tot annos damnatio, aliquâ, ut credimus, compassionis benignitate, & consolatione, fuerat temperanda, vel etiam removenda, ut frater, pro quo Christus mortuus est, per caritatem & spiritum mansuetudinis potius lucraretur, quàm abundantiori tristitiâ absorberetur. Quod illac* e, *ut Dominus novit, in quantum ipse inspicere dignatur, suggerimus caritate, quam nobis beatus Joannes Apostolus commendat, dicens: In hoc cognovimus caritatem Dei, quod ille pro nobis animam suam posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

a Ita legimus, non pru altera: ut est in edit. Parisina.

b Male hic etiam in Parisina est pro aliis.

c Pro veritas sensit, puto, verè ita sensit, reponi debere. Nam plerisque locis indubium vocat Ecclesia Lugdunensis, an Godescalci sententia fideliter commemoretur ab adversariis.

d Col. 1184.

e Sic corrigo: Quod illac (ut Dominus novit, in quantum ipse inspicere dignatus) suggessimus caritate &c.

Post pauca, citat hæc ex eadem epistola *f*: *Dicunt, & firmiter credunt, qui sanius apud nos sapere videntur, quia Dominus omnes homines vult salvos fieri, secundum Apostolum, qui neminem vult perire, licet non omnes salventur. Nam & lux in tenebris lucet, licet eam tenebræ non comprehendant. Et Christus pro omnibus passus est, secundum eundem Apostolum, scribentem ad Timotheum, Qui dedit semet ipsum redemptionem pro omnibus: licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quia effusio justi sanguinis Christi tam dives fuit ad pretium mundi, ut si universitas captivorum in eum crederet, nullus sub mortis imperio remaneret. Et quia non omnes tam ditissimo pretio redimuntur, ad infidelium respicit partem: non ad pretium seculi copiosum.*

f Col. 1184.

Ad hæc respondet Ecclesia Lugdunensis *a*: *Sensum illorum Apostoli verborum, quibus ait, Qui vult, omnes homines salvos fieri; etiam nos superius commemoravimus, &* FIDELITER POSSE ACCIPI DIXIMUS. SI TAMEN ET ILLE SENSUS BEATI AUGUSTINI, *quem ille, juxta alterius divinæ Scripturæ auctoritatem, diligenter inquirit, & multis ac veracibus modis exponit*, PARITER RECIPIATUR: *nec propter istum ille damnetur, sed potius* UTRIQUE SENSUI, *propter veracem, & piam Patrum auctoritatem, fideliter* OBEDIATUR. *Quia omnino, & quos verè vult Deus salvos fieri, sine dubio salvos facit; qui, ut Scriptura testatur, omnia, quæcunque voluit, fecit;* ET, SI CÆTEROS ITA VULT SALVOS FIERI, UT TAMEN NON EOS SALVOS FACIAT, SRD OMNINO PERIRE PERMITTAT; UTRUMQUE *hic evidenter apparet, & erga creaturam suam scilicet* BONITAS *creatoris*, ET *erga ejusdem creaturæ iniquitatem* SEVERITAS *judicis. Quod autem Dominum nostrum etiam pro impiis, in suâ impietate perituris, esse mortuum, uno similiter Apostoli testimonio confirmare videtur, quo ait, Qui dedit semet ipsum redemtionem pro omnibus: profectò non recoluit, nec diligenter consideravit, ita hæc Apostoli verba esse accipienda, ut consonent Domini verbis, quibus se in Euangelio ad hoc venisse dicit, ut animam suam daret redemtionem pro multis. Et de pretio sui sanguinis similiter ait, Qui pro vobis, &, Pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et ideo ita verè accipiendum est, quod Apostolus ait: Qui dedit semet ipsum redemtionem pro omnibus: ut isti* omnes *intelligantur* multi: *sicut & alibi idem Apostolus dicit. Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhauriendā peccata. Qui etiam alio loco, quos dixit* omnes, *eosdem continuo exposuit intelligendos esse* multos. *Cùm enim dixisset de Domino, quòd per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ: statim subjunxit, Quia & per obedientiam unius hominis, ipsius videlicet Domini Jesu Christi, constituentur multi: quia, ut omnino manifestum est, ita per eum omnes homines efficiuntur justi, ut ipsi, qui in suo genere omnes sunt, ex comparatione alterius generis eorum, qui propter infidelitatem suam non justificantur, potiùs multi sint. Quod etsi aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus Dominum passum intellexerunt,* HONORETUR ET ISTE VELUT PIUS SENSUS; *dummodo ille prior, qui est certissimus, & divinâ veritate firmatus, nulla præsumptione contemnatur, vel, quod est gravius, damnetur.* Post aliquammulta ex eâpse epistolâ hæc verba subjungit *b*: *Dicunt, quia qui omnes homines vult salvos fieri, & neminem vult perire; & qui pro omnibus passus est; neminem prædestinavit ad interitum, vel ignem æternum: sed ex massa peccati quosdam, sicut præscivit, ita gratia præparavit ad vitam & regnum; & illis vitam ac regnum prædestinavit, id est* c, *gratiam præparavit æternam; Euangelio teste, qui* d *dicit; Venite, benedicti, id est, de prima maledictione, gratia erepti, electi, & prædestinati, percipite regnum quod vobis præparatum est, id est, quod vobis prædestinatum est ab origine mundi: quosdam autem, sicut præscivit, non ad mortem, neque ad ignem prædestinavit: sed in massa peccati, & perditione justè deseruit; quia eos prædestinatione sua, id est, gratiæ præparatione, occulto, sed non injusto judicio, nequaquam eripuit. Quia, sicut beatus exponit Augustinus, prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia autem est vitæ donatio, id est, prædestinationis effectus. Et beatus Prosper, in hac re sancti Augustini expositor, cum ceteris orthodoxis concordans Patribus, dicit; Non est prædestinatio, nisi quod ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.*

a Col. 1185.

b Col. 1186.

c Sic lego. Vulgati habent, gratia præparavit æternum.

d Pro qui malim ubi.

His ita occurrit Ecclesia Lugdunensis: *In quibus verbis quod dicitur, quia qui omnes vult salvos fieri, & neminem vult perire, & qui pro omnibus passus est, neminem prædestinaverit ad interitum, vel ignem æter-*

num: apertissimè contrarium est fidei: quâ verè, & fideliter creditur, & definitur, quod omnipotens Deus omnia opera sua, quæ erat ipse facturus, (quæ utique nunquam esse possunt, nisi justa & recta, sicut in Psalmo cantitur: Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis) ante omnia secula, & verissimè, præscierit futura, & immobiliter prædestinaverit, id est, statuerit, & præfinierit futura. Justa quippe impiorum, & iniquorum in æternâ morte, atque in æterno igni damnatio, opus est proculdubio justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. Et idcirco semper apud eum extitit, & verè præscitum, & justè prædestinatum, qui, attestante Propheta, fecit, quæ futura sunt. Nam si hoc in æterna ejus præscientia & prædestinatione non fuisset: nunquam ejus opus esset, nunquam temporaliter fieri potuisset. Quia omne opus suum ille præsciendo, & prædestinando, prævenit. Et ideo nihil est in ejus operibus futurum, quod ipse non præsciret, & prædestinaverit, se esse facturum. Deinde contrarium est etiam doctrinæ, & definitionibus sanctorum Patrum: qui in utramque partem, tam videlicet electorum, quàm reproborum, (quia & illorum glorificatio, & istorum condemnatio, justum Dei opus est) divinam prædestinationem ponere non dubitant: sicuti jam supra satis à nobis ostensum est. Et ideo multùm necesse est, ut agnoscant, qui ita sentiunt, manifestam fidei veritatem, & fundatissimam beatorum Patrum auctoritatem: & quod eis nullatenus expedit, non spernant, neque abjiciant illos, de quibus Dominus ait, Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.

His ut occurrat Ecclesia Lugdunensis, ostendit, rectè statui duas prædestinationes, modò prædestinatio reproborum non sit præparatio malitiæ, sed tantummodo pœnæ: sicut illa bonorum est præparatio gratiæ. Pugnat verò eo argumento, quòd prædestinatio se ad Dei quodcumque opus extendit, quia quicquid facit in tempore, hoc facere decrevit ab æterno. Atqui in tempore reprobos tradit morti æternæ. Nec obstare ait, quòd prædestinatio ab Augustino definiatur gratiæ præparatio: nam loqui eum de prædestinatione sanctorum. quod ostendit istis Augustini verbis: *Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio: gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Idemque evinci ait Prosperi verbis, cùm inquit, *Non est prædestinatio, nisi quod ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.* Ubi prædestinationis effectus dicitur in electis quidem præordinatio ad æternam gloriam; in reprobis autem præordinatio ad æternam pœnam. Imò ex adversarii verbis id colligi posse ait, quod destruere conatur. Nam si fatetur, reprobos occulto, sed justo judicio in damnationis massâ esse derelictos: omnino divinum erga eos judicium agnoscit. At quicquid divino est judicio definitum, hoc eodem constat esse prædestinatum.
a Col. 1186. & 1187. *Quod a si ideo, inquit, eis videtur absurdum, quia omnipotens Deus reprobos prædestinaverit ad interitum, & ignem æternum, quoniam valde incredibile videtur, ut qui omnes vult salvari, & qui pro omnibus mortuus creditur, aliquem eorum prædestinaverit ad damnationem: recogitent attentius, quia etsi illa verba Apostoli simpliciter intelligantur, quibus de Deo dicit,* QUI VULT, OMNES HOMINES SALVOS FIERI, DUOBUS MODIS HOC AGERE *certissimum est: dum* ALIOS ITA *vult salvos fieri, ut ipse omnino faciat salvos, sicut omnes electos:* ALIOS *verò* ITA *velit salvos fieri, ut eos omnino non salvet, sed in æternum perire permittat: sicut utique omnes reprobos, quos, juxta hunc sensum, & ut benignus creator salvari voluit, & ut justus judex æternæ perditioni tradidit. Sicut ergò & bonitatem suam eis ostendit, quia eos salvari voluit: & tamen bonitas ejus non impedivit severitatem ejus, quâ eos justè damnavit: ita eadem bonitas ejus nullatenus impedivit prædestinationem ejus justitiæ, dum quos ille salvos fieri voluit, & iniquos futuros semper præscivit, & in iniquitate suâ permansuros justè ad interitum prædestinavit. Ita, etsi pro omnibus, etiam in suâ impietate perituris, Christus mortuus est; sic eis exhibuit bonitatem passionis suæ, ut tamen hujusmodi impios, in suâ impietate permansuros, justo suo judicio condemnaverit. Sicut ipse ait; Qui non credit, jam judicatus est. Et ideo bonitas ejus, quia etiam pro talibus passus creditur, non evacuavit erga eos prædestinationem ejus: quia eos semper & præscivit in suâ impietate permansuros, & prædestinavit justè perituros.*

Post hæc fusè dissertat de prædestinatione reproborum ad pœnam: ac simul argumentis, quæ contra objicerentur, respondet: quæ inter erat, quod Hypognosticôn, vel potius Hypomnesticôn scriptor (qui falsò Augustinus esse putatur) electos quidem ad gratiam, at non item reprobos ad pœnam prædestinatos esse asserit.

Denique quia in eâdem Epistolâ scriptum erat, *Arbitrium liberum in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum; & non resuscitatum, quia non emortuum, sed vitio corruptum, & gratiâ sanatum:* respondet in hunc modum: *Mortua est anima per peccatum, non amittendo naturam suam, sed amittendo veram vitam suam, quæ illi Deus est: unde ad Deum conversa vivificatur, & vivit Deo: à Deo autem aversa moritur Deo, & vivit peccato.*

Ad istud verò, quod in eâdem dicitur, *Per liberum arbitrium gratiam subsequimur, ut bene agamus, gratiâ adjuvamur, ut bene agere possimus, quod arbitrio volumus:* respondet Lugdunensis Ecclesia his verbis a: *Nescimus quid divisionis, vel cujusdam distributionis, unius atque ejusdem boni inter Deum & hominem sonat. Quasi ex parte sit Dei, & ex parte nostrum. Sicut toto isto sermone asserere videtur scriptor epistolæ; ut quasi initium boni nostri sit Deus; effectus verò liberi humani arbitrii: licet hunc errorem velut gratiæ adjunctione, non etiam plenitudine, temperare conetur, cùm verè totum sit Dei, sicut ipsa veritas dicit: Sine me nihil potestis facere: & Apostolus, Quid enim, inquit, habes, quod non accepisti? Unde beatus & gloriosus martyr Cyprianus ita definivit, dicens: In nullo gloriandum, quando nihil nostrum sit. Bonum itaque nostrum totum Dei est, quia totum ex Deo est: & nihil boni nostri nostrum est, quia nihil boni nostri ex nobis est. Et ideo manifestè, ut juxta formam paternæ doctrinæ potius loquamur, Omne bonum nostrum, & totum Dei est* b *donando, & totum nostrum sit accipiendo.* a Col. 1198. b Corrigo sic: Omne bonum nostrum, & totum Dei. Totum Dei est donando, & totum nostrum sit accipiendo.

Atque hæc de epistolâ primâ. Transit deinde ad secundam, ex quâ refert, ut quinque adversus Godescalcum scripserint, & eos inter Amalarius: cumque inter se illi dissentirent, Joannem Scotum, qui in palatio regis erat, scribere coëgerunt: atque ut ex horum scriptione controversia orta sit, utrùm liber ὑπογνωστικῶν, sive ὑπομνηστικῶν verius, quo negatur, quenquam esse prædestinatum ad pœnam, ipsius sit Augustini: utrùm item liber de induratione cordis sit Hieronymi. Quorum illum ait incerti esse auctoris; hunc se nondum vidisse, Ecclesia Lugdunensis agnoscit. De Amalario verò, & Joanne Scoto, sic respondet: *Quòd c inter cæteros, qui de tantâ quæstione, divinæ scilicet præscientiæ & prædestinationis, apud eos scripsisse memorantur, etiam Amalarius ponitur, & Scotus Joannes ab eis ad scribendum compulsus esse refertur: multùm molestè & dolenter accepimus, ut Ecclesiastici, & prudentes viri tantam injuriam sibimet ipsis fecerint, ut Amalarium de fidei ratione consulerent, qui & verbis, & libris suis, mendaciis & erroribus, & phantasticis, atque hæreticis disputationibus plenis, omnes penè apud Franciam Ecclesias, & nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit, atque corrupit; ut non tam ipse de fide interrogari, quàm omnia scripta ejus, saltem post mortem ipsius, debuerint igne consumi; ne simpliciores quique, qui eos multum dili-* c Col. 1200.

diligere, & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur, & perniciose fallerentur, ac deciperentur. Et a, quod maioris est ignominia, atque opprobrii, Scotum illum ad scribendum compellerent. Qui, sicut ex ejus scriptis verissime comperimus, nec ipsa verba Scripturarum adhuc habet cognita. Et ita quibusdam fantasticis adinventionibus, & erroribus plenus est, ut non solum de fidei veritate nullatenus consulendus, sed etiam cum ipsis omni irrisione & despectione dignus scriptis suis, (nisi corrigere & emendare festinet) vel, sicut demens, sit miserandus, vel, sicut hæreticus, anathematizandus.

a Paro, *legendum*, Et majoris est ignominiæ atque opprobrii, quod Scotum illum 3. f. c. *Nisi malis*, *hac superioris periodi partem esse.*

Post hæc ad tertiam epistolam transit, in qua primò culpat, quòd, cùm controversia sit, utrùm Deus hominem prædestinarit ad pœnas æternas necne, scriptor hujus epistolæ operose probet, Deum non prædestinare quemquam ad peccatum; quasi non Catholici omnes illud tanquam impium detestentur. Item quòd pariter damnet hæc duo, ut prædestinatio caussa sit, cur aliquis non possit damnari, & cur aliquis non possit salvari: cùm verum quidem sit, prædestinationem facere, ut aliquis se ad Deum convertat, eique stabiliter adhæreat: at nulli malè agendi, & in malo perseverandi necessitatem imponat: eoque, quòd impii ad gehennam vadunt, proprium ipsorum sit vitium, non divinæ autoritatis præjudicium: solumque prædestinatio agat, ut qui volens peccat, volens perseverat, nolens justo judicio puniatur. Postea tangit magnam, ut vocat ipse, quæstionem, utrùm peccata in baptismo remissa redeant & imputentur ad pœnam, si homo damnetur: quorum illud credidit Augustinus in expositione Psalm. & Ecclesia Lugdunensis, uti & Hugo Victorinus lib. II. de sanctis parte XIV. cap. ult. & glossa Gratiani de Pœnitent. distinct. IV. canone, Qui recedit: hoc verò maluit epistolæ illius scriptor, cui Ecclesia Lugdunensis respondet: & ante eum Prosper respons. ad object. II. Gallorum: item Thomas qu. LXXXVIII. 3. part. art. I. & alii Scholastici in IV. dist. XXII. Qui priorem sententiam sequuntur, nituntur parabola de servo semel dimisso, ac postea damnato, apud Matth. XVIII. Quibus Prosperi placet judicium, laudant Apostolicum illud, Dei dona ἀμεταμέλητα. Quomodo & Jurisconsulti ajunt, Obligatio semel extincta non reviviscit: de quo vide Guil. Fornerium lib. I. ‘electorum cap. XVI. Interim fatentur, redire prius delictum per subsequens peccatum, ratione ἀχαριστίας, quæ illud majus & damnabilius reddit.

Postea quæstionem tractat, an semel verè innovari, & à peccatis abluti, sed postea justificationis gratiam per peccata amissuri, & in peccatis perituri, justificationis & regenerationis tempore fuerint à massâ perditionis secreti: ac respondet, fuisse secretos, si præsentem statum intueamur; non fuisse, si præscientia Dei spectetur; quæ non præsentia solùm, sed insimul futura cuncta intuetur.

Mox reprehendit, quod cum Hypomnesticôn scriptore prædestinationem tantùm in electorum parte ponat, cùm tam ea prædestinarit Deus, quæ ad judicium, quam
b Col. 1205. quæ ad misericordiam pertinent. *b* Laudat deinde, quòd *prolixè omnes fideles, omissis ejusmodi obscuris & difficillimis quæstionibus, ad bene vivendum, & bene agendum cohortatur*: quam piam, fidelem & salubrem co-
c Ibid. hortationem vocat. Adfert postea hæc epistolæ verba *c*; *Quomodo isti vaniloqui garriunt, quod nihil prosit hominis fides, & bona operatio, quoniam nisi prædestinatus sit quis, non venit ad vitam*: ac verum esse respondet, quod dicitur, neminem, nisi prædestinatum, venire ad vitam; falsum autem, quod additur, fidem, &
d Col. 1106. bonam operationem, nihil prodesse. *Verè*, inquit *d*, *prosunt, & verè hominem salvant, si illud eis adjungatur, quod Dominus dicit, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ad illud, quod in eâdem epistolâ dictum erat, *Si non vult Deus mortem impii, quomodo prædestinat eum ad mortem?* abunde se antea respondisse ait, eoque contentus est dicere, *illud non velle bonitate creatoris, istud autem facere judicii æquitate; ut & salvare velit, quod creavit, & tamen creaturæ vitium non relinquat impunitum.* Denique clausurus librum, proponit septem theses, quas ut blasphemas epistolæ scriptor damnarat: iisque obducit septem alias; quibus quia nihil profert, quod ex prioribus non abundè intelligatur, commemorandis non insistemus.

Liber tertius inscribitur, *Absolutio cujusdam quæstionis.* Quæstio ea in ipso libri ingressu proponitur his verbis *a*: *Nuper quæstio habita est, quomodo rectè, &* a Col. 1209.
fideliter possit intelligi tota humani generis massa merito primæ transgressionis ad æternum interitum damnata? Cùm procul dubio omnium electorum numerus ex ipsâ esset assumendus divinâ prædestinatione ac præscientiâ æternaliter præcognitus, & præordinatus ad vitam æternam. Si enim iste beatorum & sanctorum numerus nullô b, erat ad interitum divino judicio condemnatus, b *Vel* τὸ *nulla delendum: vel scribendum nullâ misericordiâ.*
quomodo velut è contrario divina misericordia beneficio ad vitam prædestinatus? Et utrumque utique æternaliter, atque immobiliter, in ejus æterno & incommutabili consilio, qui juxta Prophetam fecit, quæ futura sunt. Ut verò hanc solvat quæstionem, breviter ex istis verbis perspici potest: *c Si & hoc exigitur, ut de* c Col. 1212.
Scripturis aliquod testimonium proferamus, ubi simul aliquid in divinis operibus gestum legitur, (scilicet ut, quod judicii sui æquitate & severitate decrevit, bonitatis & misericordiæ suæ potestate indulserit, atque in bonum converterit,) illud in præsenti occurrit, quod beatus Moyses populo, cui regendo & ducendo præerat, de eodem omnipotente Deo dicit: Timui enim indignationem ejus, & iram, quâ adversum vos excitatus delere vos voluit. Et post aliqua, cùm supplicationis suæ, quam pro illius offensionis indulgentiâ apud Deum fuderat, humilitatem & instantiam commendâsset, subjunxit, atque ait: Et exaudivit me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit. Ecce populum contumacem & rebellem omnipotens Deus justâ indignatione commotus delere voluit: quod utique eùm voluisse, non, quod absit, fallaciter, sed veraciter Scriptura dicit. Et tamen id ipsum postea, fidelis famuli prece & supplicatione placatus, liberâ bonitate & misericordiâ suâ noluit. Non quòd in eius voluntate ulla sit mobilitas, apud quem, juxta Apostolum, non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: sed quia illud ita justâ severitate decreverat, ut id postea mirâ pietate, & justâ interveniente caussâ, relaxaret. Tale est illud, quod & in eodem Scripturæ loco de Aaron sacerdote, qui sacrilegio populi in vituli fabricatione, & celebritate, licet invitus, cesserat, dicitur: Adversum Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere: & pro illo similiter deprecatus sum. Sicut ergò in his evidentibus rebus, & aliud justitiâ decrevit, & aliud bonitate fecit; nec sibi justus & misericors aliquid contrarium egit, dum & ibi justitiam, & hîc misericordiam conservavit: ita profectò & in illâ destinatione totius massæ damnatæ ad interitum, quod justâ severitate generaliter statuit, specialiter inde, quos voluit, eligendo, misericorditer temperavit: non cujusquam supplicatione, sed, quod est ineffabiliter gratius & magnificentius, solô bonitatis suæ dignatione, & miseratione. Utrumque tamen simul in æterno Dei consilio semper fuisse, nulli fidelium dubitare licet. Quia, quamvis juxta ordinem rerum temporalium procedat in genere humano justa illa damnatio, & subsequatur illa misericors exinde liberatio: apud æternam tamen, atque incommutabilem veritatem (ubi nihil est antè, nihil postea; sed omnia æqualiter, & simul tam præcedentia scilicet quàm subsequentia, in rebus mutabilibus uno cernuntur intuitu, uno disponuntur nutu) utrumque, ut dictum est, & sempiternâ præscientiâ præcognitum,

&

& sempiternâ dispositione constat esse præfixum, ac præfinitum.

Liber quartus expendit quatuor capitula eorum, qui Hincmaro faverant. Inscribitur vulgo: *Libellus de tenenda immobiliter Scripturæ sanctæ veritate, & sanctorum orthodoxorum Patrum autoritate fideliter sectanda.*

a Col. 1221. Orditur à querelâ, quòd *a*, *scissâ unitate Ecclesiæ, generalia sacerdotum concilia intermittantur: ac Scripturarum veritate, & Patrum contemtâ autoritate, per quos Ecclesia Dei ædificatur & illustratur, præsumant aliqui de rebus præcipuè ad fidem pertinentibus, ex proprii sensus temerariâ præsumtione, quæ apertissimè contraria sunt divinæ veritati, & ipsi docere, & aliis tenenda statuere, atque conscribere.*

b Col. 1221. Paullo pòst occasionem exponit, quâ ad scribendum venerit. *Hæc b*, inquit, *idcirco dicimus, quia pervenerit ad nos, id est ad Ecclesiam Lugdunensem, quædam schedula, studio fidelium & bonorum virorum, qui & sua & aliorum salutis devotè ac laudabiliter sollicitudinem gerunt, in nostram notitiam perlata, atque, ut ad eam sedulo respondere deberemus, attentius commendata. In qua insunt quatuor capitula maximè novarum definitionum, nuper, ut comperimus, in quodam fratrum nostrorum Episcoporum conventu tractata, digesta, atque conscripta, velut ad comprimendam & retundendam cujusdam garruli & inquieti hominis loquacitatem, qui novarum, ut fertur, quæstionum avidus, & indisciplinatus ventilator, & aliis non parvam perturbationem, & sibi ipsi ærumnam miserrimæ cladis induxit. Quorum capitulorum series, sicut ad nos perlata est, ita se habet.*

Caput I.

Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit: quem in sanctitate justitiæ permanere voluit: homo, libero arbitrio male utens, peccavit, & cecidit, & factus est massa perditionis humani generis. Deus autem bonus & justus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, & vitam illis prædestinavit æternam. Cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, *perituros præscivit; sed non, ut* perirent, prædestinavit: *pœnam autem illis, quia justus* est, prædestinavit *æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantùm dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut retributionem justitiæ.*

Cap. II.

Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus. Et habemus liberum arbitrium ad bonum præventum, & adjutum gratiâ: & habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratiâ. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratiâ liberatum, & gratiâ de corrupto sanatum.

Cap. III.

Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

Cap. IV.

Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit: ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quia verò omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem, & pretii copiositatem; sed ad infidelium, & ad non credentium eâ fide, quæ per humanæ salutis dilectionem operatur, respicit partem: quia poculum, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute divinâ, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.

Hæc igitur cùm legissemus, & adjuncto nobis fratrum nostrorum, Deo donante, bene studentium, & rectè intelligentium collegio, pia & fideli a attentione singula pertractassemus: graviter perculsi & confusi animo, vidimus in eis, & Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, & beatissimorum Patrum, præcipuèque sancti Augustini, reverendam, & in omni Ecclesia Catholicâ receptissimam auctoritatem, novo conatu, & ausu nimis temerario impugnari, &, quantum in ipsis fuit, improvidè atque insolenter labefactari. Unde ipsâ caritate provocati, & commoti, per quam in uno Christi corpore omnes unum esse debemus, ut, sicut Apostolus dicit, invicem pro se sollicita sint membra, & sive glorietur unum membrum, congaudeant omnia membra: hac, inquam, caritatis affectione visum est nobis atque complacuit, ut hæc qualiacunque sunt, & ad commotionem nostram, & ad eorum, qui legere voluerint, ædificationem, & confirmationem, compendioso & lucido, prout Dominus adspirare dignatur, sermone scriberemus. — a L. fideli.

Hinc singulatim ad capita quatuor respondet. Ac in primo quidem capitulo hæc reprehendit. Primum quòd rectè quidem dicat, Adamum potuisse permanere in integritate; sed non addat, potuisse per gratiam. Deinceps igitur ostendit gratiæ, tam in angelis, quàm in homine, necessitatem ad persistendum in bono. Concludit eam partem his verbis *b: His itaque de prima quæstione breviter adnotatis, quisquis sincerè, & purè, & catholicè, de illa primi hominis sive Angelica conditione, vel beatitudine, sentire cupit; attendat fideliter divinam auctoritatem, attendat fidelissimos Ecclesiæ Patres fidelissimè disputantes, attendat etiam conciliis aggregatis id ipsum firmissimè definientes: & non, juxta impium Pelagianum errorem, credat, primum hominem solo suo arbitrio in bono, quod acceperat, permanere potuisse: sed etiam ipsum, quamdiu stetit, divinâ gratiâ adjutum fuisse: nec omnipotentem Deum, ut idem homo in sanctitate & justitia permaneret, tantummodo voluisse; sed ut permanere posset, etiam adjutorium dedisse.* Deinde probat, quòd dicatur Deus *elegisse, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam:* sed culpat, quòd non dicitur, *Deum ex gratiâ elegisse;* quasi gratiæ sit, *quod electis vita est præparata; ut autem eligerentur, non fuerit gratia, sed tantùm præscientia.* Deinceps igitur ostendit, *Quod omnipotens Deus in electione eorum, quos prædestinavit, & vocavit ad vitam, non eorum merita præscivit, tanquam ideo eos elegisset, quia ex* SEMET IPSIS *bonos futuros præsciret: sed ipsa electio gratiæ fuit.* Concludit autem his verbis: *Non itaque secundum præscientiam meritorum elegit Deus ex massa perditionis, quos faceret filios adoptionis: sed gratis elegit, quos ab illâ justâ damnatione æqualiter omnibus debitâ misericorditer liberavit.* Præterea damnat, quòd dicitur Deus præscisse perituros, nec tamen prædestinasse. *Quasi*, inquit, *omnipotens Deus, quid justo judicio suo de electis esset facturus, & præscierit & prædestinaverit: quid autem eodem judicio de reprobis esset gesturus, præscierit tantum, nec prædestinarit.* Mox verò hæc ita restringit *c: Nec tamen eâdem prædestinatione suâ, ut mali essent, vel in malis perseverarent, coegit. Et hæc est apud illum æquitas, ut qui volentes persisterunt in malis, nolentes puniantur in suppliciis. Se ipsum ergò homo mutet, se ipsum, dum tempus est, corrigat, & emendet, quia omnipotentem atque æternam præscientiam, & prædestinationem mutare, vel destruere non valet. Si quis enim neget, esse apud Deum præscientiam & prædestinationem, manifestè infidelis est:* SIQUIS DICIT,

b Col. 1225.

c Col. 1227.

DICIT, QUOD *præscientia & prædestinatio ejus aliquem compellat, ut malus sit,* & ALIUD ESSE NON POSSIT, HORRIBILITER BLASPHEMAT. *Qui autem fideliter confitetur, & præscientiam, & prædestinationem, æternam esse apud Deum, nec tamen aliquem per hæc ad malum cogi; sed* TANTUMMODO *qualis quisque futurus sit,* PRÆSCIRI, *& prout gesserit, judicari, iste prorsus Catholicè sentit.* Denique probat etiam Patrum auctoritate, prædestinationem non solum esse præparationem gratiæ, quomodo ii capiebant, adversus quos scripsit: sed ea voce signari omnem divini operis dispositionem, quæ etiam ad improborum pœnas se extendit.

In secundo capitulo reprehendit, quòd confuse de libero arbitrio loquatur, cùm de eo extent tot clarissimi canones Synodorum, quibus nec addendum fuerat, nec demendum quicquam. Eorum, exempli caussa, aliquos adducit. Atque ex iis concludit, Catholicos non negare liberum arbitrium, sed negare, eo bene uti quenquam, nisi è servitute peccati à filio Dei liberetur.

a Col. 1241. *Jam*, inquit a, *quanta absurditas est in eo, quod sequitur, ut, postquam dictum est, Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus; statim subjungeretur, Et habemus liberum arbitrium ad bonum, præventum & adjutum gratiâ; & habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratiâ: quasi postquam per gratiam Christi Domini regenerati sumus, tunc cœperimus habere, sicut liberum arbitrium ad bonum, ita liberum arbitrium ad malum, desertum gratia: quasi ex illa regeneratione, cum gratiâ prævenimur, & adjuvamur, habeamus liberum arbitrium ad bonum: & cùm eadem deserimur gratia, habeamus liberum arbitrium ad malum. Quæ hîc ratio & consequentia sensus inveniri potest? Nunquid ante illam regenerationem nullum omnino habebamus liberum arbitrium, nec ad bonum, nec ad malum? nunquid illius regenerationis gratia hoc egit in nobis, ut exinde acciperemus, sicut ad bonum, ita etiam ad malum, liberum arbitrium? Jam illud, quod in eadem definitione ponitur, liberum arbitrium ad bonum præventum & adjutum gratiâ, & liberum arbitrium ad malum, desertum gratiâ, quomodo intelligi potest? Si enim, quando regenerati sumus in baptismo, tunc libertatem arbitrii in Adam perditam, in Christo recepimus: nunquid tunc tantùm prævenit, & adjuvit nos Dei gratia? aut eadem Dei gratia, sicut semel nos adjuvit, ut efficeremur liberi ad bonum, ita semel nos deserit, ut efficiamur liberi ad malum? Quæ est ista tam obscura, & ambigua, ac penè nulla gratiæ prædicatio? Nonne melius erat, ut præfatorum Patrum sententiæ, quæ de hac re plenissimè, & clarissimè definiunt, assumerentur, vel eorum verbis ista eorum definitio contexeretur: & aperte ibi esset positum, qualiter nos præveniat, & adjuvet hæc Dei gratia: id est, utrum semel nobis in baptismate tanta tribuatur, quæ ad totum tempus vitæ nostræ sufficiat; an quotidie imploranda & accipienda sit: & utrum ea ad aliqua bona, an ad omnia, indigeamus? Certe nihil horum in hac definitione apparet; & ideo melius fuerat tacere, quàm de re tanta tam inepte, & inutiliter loqui.* Extenditur verò secunda hæc libri pars usque ad illa verba: *Cum ergò hæ duæ opiniones, &c.* ubi quisquis attendit, deesse plurcula cognoscet. Nec enim habes transitionem à secundo capitulo ad tertium: nec reperis capitulum tertium; imò initium disputationis de tertio capite desideratur. Interim ex iis, quæ supersunt, hæc Ecclesiæ Lugdunensis sententia fuisse cognoscitur; damnandos eos, à quibus tanquam hæretica damnaretur interpretatio illa verborum Apostoli, ut dicatur Deus omnes velle salvari, qui salvantur. Nec tamen condemnandos eos, qui contrà dicunt, Deum velle salvari omnes, & singulos. Quanquam enim hunc Pauli sensum esse non putaret: tamen utramque interpretationem retineri posse: ac licet, ut ambæ conveniant, sit operosæ disquisitionis, tamen, cùm hic dissensus non faciat hæreticum, ita utrimque sententiam defendi posse, ut alter alterum patiatur in suo sensu abundare. Sed audiamus loquentem ipsam Ecclesiam Lugdunensem a: *Cum ergo hæ duæ opiniones in* a Col. 1243. *præfato libello de hac re proposita & exposita fuissent, subjunctum est protinus* VALDE UTILITER, & DICTUM, QUOLIBET QUIS ACQUIESCAT MODO, NON EST HÆRETICUM, *nisi contentione hæreticum fiat. Similem quoque sententiam B. Papa Cœlestinus de quibusdam profundioribus quæstionibus in decretis suis posuit, dicens de eis: Quæ sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.* SIT *ergò* INTER NOS *etiam de hac re* ISTIUSMODI PIA CAUTELA ET MODERATIO, *quatenus & sanctis Patribus debitus servetur honor, &,* QUOLIBET QUIS ACQUIESCAT MODO EX ILLIS SENSIBUS, *qui de hac sententia ab eis positi sunt,* NON JUDICEMUS ESSE HÆRETICUM: SED POTIUS VITEMUS CONTENTIONIS MALUM, *per quod etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere, quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione, ut nec contemnere audeamus, nec quasi necessario* b *affirmare conemur:* b F. necessaria. *memores semper illius Apostolicæ sententiæ, Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Legamus ergò pacificè, & quantum Dominus donat, intelligamus dogmata Ecclesiasticorum virorum,* NEC PRO ALIIS DOCTORIBUS ADVERSUS ALIOS LITIGEMUS, QUIA ET IPSI INTER SE PACIFICI UNUSQUISQUE IN SUO SENSU ABUNDAVERUNT, *alius quidem sic, alius verò sic,* EXSPECTANTES *fideliter atque humiliter, quod Apostolus promittit, dicens: Et si quid aliter sapitis, hoc vobis Deus revelabit. Nam qui non tranquille, & pacifice moderatur quod sentit, sed* STATIM PARATUS *est ad contentiones, dissensiones, & scandala,* ETIAMSI NON HABEAT HÆRETICUM SENSUM, CERTISSIME HABET HÆRETICUM ANIMUM. *Quam pietatis moderationem, si etiam isti boni viri, qui hanc definitionem statuerunt, servare voluissent, melius hanc rem silentio præteriissent, & unicuique de eâ secundum fidem suam, & auctoritatem, cui magis acquiescendum putaret, sentiendum permitterent, finitoque inter eos tam longæ, & perniciosæ contentionis jurgio, pax & unitas Christi Ecclesiæ reformaretur. Ecce enim aliquis sentiat & dicat, sicut etiam antiquitus & sensum est, & dictum: Non dixit Apostolus universaliter & generaliter, & ut isti addiderunt, sine exceptione, Qui vult, omnes homines salvos fieri: sed specialiter ad eos retulit, de quibus suprà dixerat, Pro omnibus hominibus, pro regibus, & his, qui in sublimitate sunt: ut, quod dixit, Omnes, omnia genera hominum intelligi voluerit: omnium scilicet generum, sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum.* QUID HABET *hæc intelligentia inconsequens, aut contrarium veritati? Item alius dicat, & sentiat, sicut etiam à quibusdam majoribus dictum, & sensum reperitur, Apostolus cùm superius orari jussisset pro omnibus hominibus, pro regibus, & his, qui in sublimitate sunt, post illa omnia generaliter de universo genere humano subjunxit, Qui vult, omnes homines salvos fieri.* QUID HABET MALI, AUT PERICULI, ETIAM ISTA INTELLIGENTIA? *Neque enim, qui ita sentit, putat, voluntati Dei, quia vult, omnes homines salvos fieri, aliquem resistere, & contraire, ut non possit implere quod velit. Et* AMBO *sibi, & iste videlicet, & ille, licet diversa sentientes, fideliter atque unanimiter* CONCORDANT: *Quod, quolibet modo dixerit Apostolus de Deo, Qui vult, omnes homines salvos fieri, tamen nullus hominum, nisi gratuitâ ejus misericordiâ, salvetur, nullus nisi justo ejus judicio perire per-*

mutatur. Certè illud in hac quæstione manifestum est, quod, etiamsi generaliter, & indifferenter, omnes homines Deus vult salvos fieri: in aliorum tamen cordibus benignitate misericordiæ suæ ipse operetur eandem bonam voluntatem suam, ut & ipsi servari velint, atque salventur: qualibus & Apostolus dicit, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate: in aliorum autem cordibus severitate justi, & occulti judicii sui non operatur hanc salutarem voluntatem, sed dimittit eos suo arbitrio: ut quia noluerunt credere, justa ultione damnentur. Et hoc quidem de illis dici potest, qui verbum Evangelii audierunt, sed duritiâ incredulitatis suæ recipere noluerunt. Quid vero dicendum est de tanta multitudine impiorum, qui fuerunt ab exordio mundi usque ad adventum Christi, & adhuc non negandi sunt esse in extremis partibus orbis terræ, ad quos nullus unquam prædicator accessit, nullum unquam verbum Dei audierunt? qui utique nullatenus potuerunt credere ei, quem non audierunt, neque audire sine prædicante, nec a prædicatorem recipere, qui nullus ad eos missus est. Nunquid & tales propterea damnabuntur, quia non crediderunt, qui nunquam audire potuerunt? Et tamen omnino damnabuntur pro aliis peccatis suis, & principaliter pro illo primo & originali peccato, in quo omnes peccaverunt: quia non frustra scriptum est; Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. Et Apostolus dicit, Dantis vindictam in flamma ignis his, qui non noverunt Dominum. Si quis & de talibus interroget, quid in eis egerit voluntas Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quid respondebitur? Nonne homo cautus, & pius, magis eliget tacere, aut certe cum Propheta, & Apostolo exclamare: Judicia tua, abyssus multa: &, O profundum divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! De hoc ergò capitulo sit finis. Atque hæc sola sunt, quæ de capitulo tertio supersunt.

a Sic legendum pro ne præd.

Accedit deinde ad capitulum IV. In quo tria considerare jubet, his verbis b: *In hac novâ & inusitatâ quæstione tres nobis quæstiones proponuntur. Prima, quòd dicitur, quia nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in Christo assumpta non fuerit. Secunda, quòd affirmatur, quòd nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo Christus passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Tertia, quòd adjungitur, quia ejusdem passionis ejus mysterio non redimantur, non solum infideles, sed neque ipsi fideles, nisi illi soli, qui eam fidem habent, quæ per dilectionem operatur.* Ad primam quæstionem respondet, Christum non assumsisse naturam humanam necessitate naturæ, uti in cæteris hominibus fit, sed potestate propriâ, ac misericordi voluntate: eoque, quemadmodum naturam assumsit, vitium non assumsit; itidem nec assumsisse omnes, qui ex Adamo generatione descendentes ejusdem habent naturæ veritatem; sed eos duntaxat, quos misericordi voluntate regenerat, ac salvat. *Quos* c *indignos illa misericordia judicavit, hos,* inquit, *alienos ab illa mirabili susceptione dereliquit.* Et post multa d: *His solis præstitit, ut habeant communem naturam cum Christo, qui assumentem recipiunt, & eo Spiritu sunt regenerati, quo est ille progenitus.* Hinc ad secundam quæstionem accedit, istis verbis e: *De secunda vero, quæ in illis capitulis definitum est: Quod nullus hominum fuit, est, vel erit, pro quo Christus passus non fuerit: quid aliud respondere possumus, nisi ut primum ipsos, qui hoc definierunt, sedulo interrogemus, & admoneamus, ut vigilanter, & fideliter pensare studeant, ne forte minus considerando, quod dicendum erat, contra fidem, & conscientiam suam, talia dixerint, & scripserint. Nam, ut taceamus de his, qui nunc sunt, vel adhuc usque ad finem seculi futuri sunt, in quibus utique & Antichristus erit: certè de illa innumerabili multitudine impiorum, qui fuerunt ab initio mundi usque ad adventum Christi, & in sua impietate mortui in æternis pœnis sunt condemnati; nec ipsos, qui hæc dixerunt, credere putamus, quod pro eis in sua impietate mortuis, & æterno jam judicio condemnatis, Dominus passus esse credendus sit. Si enim pro eis passus esse creditur, cur etiam non pro diabolo, & angelis ejus, similiter passus esse credatur? Quia sicut de eisdem refugis, & immundis spiritibus scriptum est, quod Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos sub caligine tradidit in judicium cruciandos reservari: & idcirco verissime creduntur irrevocabili divino judicio ad pœnas & interitum perpetuum prædestinati: ita & illi homines impii in suâ impietate mortui eodem irrevocabili divino judicio jam erant pœnis perpetuis condemnati. Sicut ergò pro illis impiis & damnatis angelis nullatenus Dominus Jesus Christus dicendus est passus: ita pro istis impiis & damnatis hominibus, absit omnino, ut passus esse credatur.* Concludit verò hanc partem illis verbis a: *De cæteris verò, qui in ipsa infidelitate, atque impietate sua perseverantes sunt perituri, si de Scriptura Sancta auctoritate, quod etiam pro talibus Dominus passus sit, certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerint boni viri, qui talia definierunt, dignum omnino est, ut credamus & nos. Si verò non potuerint, cessent contendere pro eo, quod non legunt. Pudeat eos definire, quod nesciunt. Timeant statuere, quod nullum sanctorum Patrum concilium, nullum Apostolicæ sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum, hactenus inveniant statuisse. Quod & si quid à sanctis & venerabilibus Ecclesiæ doctoribus, vel scriptum, vel dictum, unde hujusmodi sensus occasio sumi posse videatur, invenitur: salvâ eorum debitâ reverentiâ, cohibeant se potius, & submittant se humiliter divinæ auctoritati: & rem tam obscuram, tamque inusitatam, divinæ reservent humiliter majestati. Hoc namque & Paschalis agni sacra illa epulatio mysticè nobis commendat, cùm dicitur: Si quid residuum fuerit, igni comburetis: sicut beatus Gregorius exponit, dicens: Quod ex agno remanet, comburimus, quando hoc, quod de mysterio incarnationis ejus intelligere, vel penetrare non possumus, potestati Spiritus Sancti humiliter reservamus; ut non superbe quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare, quod intelligit; sed hoc igni tradat, cùm sancto Spiritui reservat.*

a Col. 1250.
b Col. 1241.
c Col. 1244.
d Col. 1246.
e Col. 1246:

Ad tertiam verò quæstionem sic respondet: *Jam de tertia quæstione, quæ definitum est, quia sicut infideles non redimuntur mysterio sanguinis Christi: ita nec fideles redempti sunt, qui non habuerint eam fidem, quæ per dilectionem operatur: quid necesse est aliquid dicere? Cùm ex his, quæ supra jam dicta sunt, manifestissimè ostendatur, & omnibus infidelibus nullam esse redemtionem in Christo, & omnes fideles, qui fideliter accedunt ad fidem & gratiam regenerationis, ibi accipiant veram redemtionem, vel veram regenerationem. Quia nec verè possunt regenerari, nisi eos & à potestate diaboli, & à servitute peccati verè constet redimi: nec verè possunt redimi, nisi lavacro indulgentiæ expiati, & à reatu delicti, & à dominatu principis mundi efficiantur absoluti. Nisi quod hoc in ista definitione absurdissimum est, quod Dominus Jesus Christus etiam pro impiis in sua impietate pereuntibus dicatur passus, & fidelis quisque, fideliter baptismo ejus regeneratus, mysterio passionis ejus affirmetur non esse redemptus.* Deinceps ad ea, quæ contrà objici poterant, respondet, suamque sententiam Catholicorum Patrum dictis consonam esse ostendit.

De tribus Lugdunensis Ecclesiæ libris (quos ab ejusdem Ecclesiæ antistitibus, non tamen iisdem, scriptos fuisse, diversum de una re judicium ostendit) satis multa

dixi-

diximus. Nec Ecclesiæ huic scripsisse ista satis fuit, sed Synodica etiam autoritate, conciliorum, quibus Godescalcus damnatus erat, authoritatem imminuendam putavit. Itaque (ut ipsis Valentinæ synodi verbis utar) *Anno* IↃCCCLV, *Lothario Imperatore apud urbem Valentinam, cùm propter caussam episcopi civitatis ipsius criminibus diffamati, ex jussione præfati principis, trium provinciarum episcopi in unum collecti resedissent, id est, Lugdunensium, Viennensium & Arelatensium, numero* XIV, *quibus præfuerunt Episcopi metropolitani, videlicet Remigius Lugdunensis, Egilmarus Viennensis, Rodlandus Arelatensis, conlaborante eis quam maximè Ebbone Gratianopolitano episcopo, adjuncto etiam venerabili cœtu presbyterorum, diaconis quoque adstantibus, pauca in Christi nomine, quæ subter adnexa sunt, ad commonitionem sui, cæterorumque fidelium, devotâ & sollicitâ pietate adnotarunt.*

Ut verò constaret, quid Valentina synodus statuerit, sequentia ex ea excerpsimus.

Cap. I.

DE præscientiâ Dei, & prædestinatione, & de quæstionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum scandalizari probantur, illud tantùm firmissimè tenendum credimus, quòd ex maternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.

Cap. II.

FIdeliter tenemus, Deum bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam justitiam æterna ultione damnandos. Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non possit; sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille, sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præscit ex sua omnipotentia & incommutabili majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. NEC IPSOS MALOS IDEO PERIRE, QUIA BONI ESSE NON POTUERUNT; SED QUIA ESSE NOLUERUNT, *suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.*

Cap. III.

FIdenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuitâ misericordiâ, vel justo judicio facturus erat. In malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est: non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sanè, malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præscivisse: & prædestinasse, quia justus est. Verum aliquos ad malum prædestinatos esse, divinâ potestate videlicet, ut quasi aliud esse non possint; non solùm non credimus, sed etiamsi sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus.

Cap. IV.

ITem de redemtione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac caussa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant: illud nobis tenendum placet, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Porrò capitula IV, *quæ Concilio fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati; sed & alia* XIX. *syllogismis ineptissimè conclusa, &, licet jactetur, nulla seculari literatura nitentia, in quibus commentum diaboli potius, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur; à pio auditu fidelium penitus explodimus: &, ut alia similia caveantur, per omnia, autoritate Spiritus Sancti, interdicimus. Novarum etiam rerum introductores, ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus.*

Cap. V.

ITem firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aquâ & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, &, juxta doctrinam Apostolicam, in morte Christi baptizata; in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta. Quia nec potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemtio; cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium; sed prorsus totum verum, & ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium, & redemtorum, alios salvari æterna salute, quia, per gratiam Dei, in redemtione suâ fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemtionisque gratiam potius irritam facere pravâ doctrinâ vel vita, quam servare elegerunt; ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis, nullo modo pervenire.

Cap. VI.

ITem de gratia, per quam salvantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit: & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini in fidelibus ejus redintegrato & sanato: id ipsum constantissimè & fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres, auctoritate sacrarum Scripturarum, nobis tenendum reliquerunt: quod Africana, quod Arausica Synodus professa est: quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis Catholica fide tenuerunt. Sed & de natura & gratia in aliam partem nullo modo declinare præsumentes, ineptas quæstiunculas, & aniles penè fabulas Scotorum, quæ plures puritatis fidei nauseam inferentes, periculosissimis & gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem caritatis, miserabiliter, & lacrymabiliter succreverunt: ne mentes Christianæ inde corrumpantur, & excidant à simplicitate, & castitate fidei, quæ est in Christo Jesu: penitus respuimus, & ut fraterna caritate cavendo à talibus auditum castigent, Christi amore monemus.

Hactenus Lugdunensis, Viennensis & Arelatensis Ecclesiæ antistites: qui canone secundo, cùm præscientiam etiam peccatorum esse dicunt, damnant Erigenæ Scoti opinionem, docentis, unum idemque esse præscientiam & prædestinationem. Canone tertio, contra eundem concludunt, Prædestinationem etiam reproborum esse ad pœnas. Simul cum Arausionensi synodo damnant, quod Godescalcus docuisse dicebatur, prædestinari hominem ad malum. Canone IV. probant, quod Hincmarus, & alii in Episcoporum Galliæ Belgicæ concilio damnarant, Christum mortuum esse pro solis credentibus. Præterea de quatuor ejusce concilii capitibus universè pronunciant, esse ea improvidè scripta, damnosa, falsa. Item de Joannis Erigenæ Scoti XIX. capitulis judicant, ea esse inepta, indocta,

impia: scriptoremque eorum Ecclesiasticam mereri censuram. Cap. quincto, quia Godescalci adversarii, ut probarent, Christum non solùm redemisse eos, qui salvantur, objicerent, quòd saltem omnes credentes sint redemti, nec tamen omnes, qui semel crediderunt, salvantur: respondent, non solos electos esse redemtos, sed solos salvari: quia soli perseverant: interim veram fuisse redemtionem eorum, justificationem, insitionem in Ecclesiam Dei, qui in fide non permanent, eoque in redemtione non perseverant. Can. VI. amplecti se dicunt synodum Carthaginensem & Arausicanam II. de gratiâ & libero arbitrio: Scotorum verò, hoc est Joannis Scoti quæstiunculas, iterum tanquam noxias condemnant.

Multum autem in re maximi momenti falluntur, & Cæsar Baronius, & Severinus Binius, quando uterque hanc synodum congregatam dicunt ad condemnandos Prædestinatianos. Nam in ea sic Godescalci dicta quædam damnantur, ut an Godescalcus ista docuerit, dubitetur: *Si*, inquit, *sunt, qui tantum mali credere velint.* Præterea clarè aliqua eorum, quæ tanquam hæretica ab Hincmaro, & ejus fautoribus rejecta erant, in ea synodo, tanquam rectè à Godescalco dicta, comprobantur: quale illud, quòd Christum pro solis electis mortuum dixerat Godescalcus. Imò cùm dicitur capitulo IV, minùs prospectè à fratribus in concilio esse scripta: quatuor illa capitula notantur, quæ Hincmarus, aliique Galliæ Belgicæ episcopi adversus Godescalcum conceperant. Quemadmodum & cùm iidem Patres novendecim syllogisticas conclusiones, tanquam diaboli commentum, respuunt: librum signant, quem adversus Godescalcum scripserat Joannes Erigena Scotus, qui novendecim capitulis constabat: unde & postea se Scotorum quæstiunculas damnare disertim dicunt. Nihil igitur clariùs, quam concilium hoc magis Godescalci, quàm adversariorum ejus, patrocinium suscepisse.

Porrò hujusce concilii capitula transmisit Carolus Calvus Rex ad Hincmarum. *Qui ea occasione ad eundem Carolum regem* (ut Flodoardus scribit lib. III. cap. XV.) *composuit volumen ingens, plures continens libros de prædestinatione Dei, & libero arbitrio, contra quosdam reprehensores suos Episcopos; maximeque contra Godescalcum, atque Ratramnum, monachum Corbejensem.*

Multa verò in hoc Valentino concilio reprehendit Hincmarus. Primùm, quòd se absente, & ignaro, nec admonito prius, præter caritatis fraternæ officium, quatuor capitula synodicâ autoritate damnassent, quæ ab ipso & coepiscopis in synodo scirent comprobata. Præterea, quòd dum unà cum Hincmari capitulis Joannis Erigenæ capitula conjungunt, videantur Hincmarum reum agere eorum, quæ Erigena scripsisset, cùm tamen, ne fando quidem, de iis quicquam accepisset. Adhæc quòd quæ scripserat, in aliam detorqueant mentem: quod imprimis dixisse putamus de isto capite, An Christus mortuus sit pro omnibus. Nam cùm concilium isthoc ait, hoc fine venisse Christum, non ut salvarentur, qui impœnitentes & infideles ante sacrificium Christi mortem oppetiissent; sed ii soli, qui in Christum credidissent, vel eum fide essent amplexum; satis clarum est, loqui illud de efficaciâ mortis Christi: non de merito, de quo sermo erat Hincmaro. Insuper reprehendit, quòd altum apud eos silentium sit de quæstione ista, An Deus velit omnes salvari; quam & ipsam inter Hincmarum & Godescalcum controversiam esse scirent. Item quòd statuerent, non esse ludificationem in sacramento, cùm credentes baptizantur: sed verè omnes remissionem peccatorum accipere, regenerari, & Christo inseri; utut postea aliqui eorum deserant fidem, & æternum pereant. Quæ nunquam se negasse ait. Denique malè eum habet, quòd Africanam & Arausicanam synodum se dicant approbare, quasi non & ipse utramque synodum probet; ac Augustini & Prosperi sententiam sequatur, solumque Prædestinatianos condemnet, qui Augustini mentem malè intelligentes, ea dogmata sequerentur, quæ Catholica Ecclesia improbaret. Hæc omnia, ut manifestiora fiant, adscribemus partem epistolæ Hincmari ad Carolum Regem a.

a Apud Flodoardum lib. 3. cap. 15. fol. 209.

Non enim nos adversus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserint. Sed credendum est, si illa scripsissent ad nos, contra quos illa scripserunt, transmisissent. Nunc autem illis quomodo rescribere possumus, cum, utrum illa scripserint, ignoremus? Verum tamen, ne sine responso nostro vestra dominatio maneat, vobis, de cujus manu illa accepimus, corde, ore, & stylo, non formidantes carpentium nos derogationem, respondere curamus. Primo scilicet mittentes ea, quæ ab eisdem fratribus nostris in Synodo conscripta fuisse leguntur, licet hinc ante alia fuisse conscripta reperiantur. Sed quia hæc in sugillationem nostram, & contra excerpta a nobis capitula confecta noscuntur, ea primum judicavimus ponere, quæ majoris nominis, licet non autoritatis, quia partim non veritatis, propter tamen synodalem prætitulationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa, quæ à pluribus, & per aliorum manus de pluribus, ex his caussis accepimus. Propter quam necessitatem ex Catholicorum Patrum, ut diximus, sensibus, & verbis, capitula illa quatuor excerpere procuravimus, eâ conditione, ut de singulorum scriptis ex singulis sententiis, quæ in à nobis excerptis capitulis continentur, quædam, prout necesse viderimus, ponamus. Post hæc, capitula à nobis excerpta de Patrum sensibus, & verbis, ut illa excerpsimus, ponere procurabimus. Et post aliqua: b *Et quia libellum de scrinio bonæ memoriæ fratris vestri Lotharii sine nomine autoris suscepimus, in quo sigillatim per loca singula capitula à nobis excerpta sunt posita; & assensu illius, quicunque ille fuerit, reprehensa sunt & damnata: cum de Catholicorum Patrum dictis nostra capitula, si poterimus, confirmare curabimus, ipsius etiam reprehensiones ponemus, & eas, quantum Dominus dederit, confutare studebimus. Tunc demum ponemus de capitulo confratrum nostrorum quincto, unde notam nobis quasi tacitè & è latere impegerunt, quod in Godescalci scriptis invenimus, postquam capitula quatuor sæpe memorata excerpsimus; & quid inde sentiamus, Domino inspirante, dicemus. Et sic tandem subjiciemus illa decem & sex capitula* c, *pro quibus de Scotorum pultibus confratres nostri sine culpâ nostrâ in hac duntaxat causa nos pascere decreverunt: & quid de eisdem capitulis sentiamus, ex Catholicorum Patrum sensibus ostendemus.* Idem Hincmarus: (ut testatur Flodoardus cap. seq.) *Etiam aliud edidit volumen insigne, contra eundem Godescalcum, & cæteros Prædestinatianos, de quo ad ipsum Carolum Regem scripsit epistolam.* Integram Epistolam adscribit Flodoardus: ex quâ sequentia excerpsimus: *Nuper*, d *elapso mense Junio, per indictionem septimam, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo nono, dedistis nobis quædam capitula, sicut nostra dixisti humilitati, à Remigio reverendissimo Lugdunensi Archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati: jubentes, ut tempore congruo de his vobis redderemus responsum, si unanimes, uno ore, eorundem capitulorum sensu concordaremus: an, quia vobis à sanâ Patrum fide in quibusdam dissentire videbantur, noster sensus, quem à Catholico tramite non deviare credebatis, ab eis aliquo dissideret. Quæ* e *siquidem capitula in conventu Episcoporum habito in territorio Tullensi, in villâ, quæ dicitur Saponarias, ante biduum quàm vobis porrecta fuerint, sunt recitata, proferente, & deponente ea synodo Domino Remigio, Lugdunensium Archiepiscopo: quæ, sicut dixit, & in epigrammate eorundem capitulorum continetur, in hoc ipso anno in Kalendis nihilominus ibidem descriptis, & in suburbio Langonicæ urbis, ad instructionem Dominici populi ipse, & sibi comprovinciales Episcopi, ediderunt: & in castrina alia quædam capitula, de quibus post locu-*

b P. 215.

c Lego, decem & novem. *Tot enim fuere capitula Joannis Erigenæ Scoti, uti supra vidimus.*

d Fol. 211.

e F. 212.

locuturi sumus, relecta fuere; super quibus, sicut quibusdam ex fratribus visum est, quorundam sensus est motus. Nam, ut verè & nos fateamur, nostra conscientia super pridem capitulis, quæ ut diximus, Remigius Archiep. synodo præsentaverat, recitatis, Catholicorum ad memoriam reducentes doctorum traditiones, non modicè se concusserunt. Unde nostrorum quidam fidei Christianæ zelo succensi, aliqua synodo voluere suggerere: sed motus nostri ab eodem venerabili Archiepiscopo Remigio Lugdunensium sunt modestè compositi; eo venerabiliter perorante, ut, si quorundam nostrorum sensus ab eisdem prolatis capitulis in aliquo dissentiendo se commoveret; ad proximè futuram synodum Catholicorum libros doctorum quique deferre curaremus, & sicut melius secundum Catholicam, & Apostolicam doctrinam in commune invenerimus, de cætero omnes unanimiter teneamus. In cujus devotione, Coepiscoporum ipsius Diœceseos, (quorum etiam, & ante ordinationem, mentem Catholicam atque doctrinam, sicut & vos non latet, cognovimus) quantum sensus pusillitatis nostræ fidem accommodare audemus, percepimus, quia non ex ipsis, ut non dicamus, per ipsos, synodo capitula ipsa fuere prolata. Et

a Fol. 214. aliquibus interjectis: a *Hæc eadem namque capitula, sicut facilè reminisci potestis, ante triennium nobis in villâ Rhotbomagensis episcopi, quæ Nelpha dicitur, quando in excubiis contra Normannorum infestationem degebamus, sub titulo, quasi in Valentianâ synodo conscripta fuerint, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo quinto, sub Lothario imperatore dedistis; ut ad illa, quæ nobis viderentur, Catholicè & orthodoxorum magisterio responderemus, cum aliis quorumcunque scriptis, quæ hinc ad vestram notitiam pervenere. Quorum quædam scripta recepimus; sed ea publicare noluimus, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, donec cum eis, qui vobis illa transmiserant, familiari colloqueremur sermone, & eos, si aliquo modo valeremus, ab hac pravâ intentione ad Catholicæ fidei unitatem, cooperante Domino, revocaremus. Sed quia partim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis suasionibus, minus quàm necesse fuerat, obauditi, eos, quos monere disposuimus, à suâ intentione revocare nequivimus: unde (quia, sicut dicit Apostolus, Quorundam hominum peccata manifesta sunt, & quæ aliter se habent, abscondi non possunt) adeò quorundam excrevit dissensio, ut hæc dissonantia ad vestram perveniret notitiam, & synodali decreto pro zelo fidei, & unanimitatis amore, antequam hæc nobis perscrutanda committeretis, quatuor capitula Episcopali definitione vobis de Catholicorum Patrum dictis colligi, & singulorum exigeretis manibus roborari. Postea verò & quorundam ex his, qui eisdem capitulis subscripserant, & aliorum etiam, in tantum est accumulata vecordia, ut necesse foret, & jussionis vestræ instantiâ, & executionis nostræ obedientiâ, huic eorum, quos præmisimus, scriptis, & propositionibus literali officio respondere. Inter quæ, & his capitulis, quæ nobis nuper dedistis, pro nostri ingenioli capacitate, sub dubietate tamen respondimus, quia non credimus, ut fratres, & coepiscopi nostri, contra regulas Ecclesiasticas adversum nos talia debuissent conscribere: præsertim cùm non ignorarent, Dominicis institutionibus, & legibus promulgatis, præfixum esse, qualiter, si in sæpe fatis capitulis fidei obloqueremur, nos compellare, & tunc synodali judicio nos, nostrasque sententias à suâ debuissent conjunctione explodere. Nunc verò, quia certi sumus, cujus compositioni debemus de sæpè nominatis quæstionibus respondere, servatis relationum absolutionibus contra eos, quibus à vestrâ dominatione, pro imposito nobis ministerio, jussi sumus reddere rationem: contra hæc tantum capitula, quantum ex nobis est, cum omnibus pacem habentes, ex sanctarum Scripturarum auctoritate, & Catholicorum Patrum sententiis, simpliciter respondere curabimus; ut cui forte omnia illa legere non licuerit, vel non libuerit, hic compendiosas pro tempore capitulorum responsiones inveniat.* Hæc excerpsimus ex epistolà Hincmari, quam suo adversus Prædestinatianos libro præmisit. Ipsum verò librum nondum vidimus: sed exstare in Gallicis bibliothecis, colligo ex istis verbis Maldonati in Joh. XVII. 9: *Idem Prædestinatiani alii docuere, qui, auctore Godescalco quodam, sub imperio Lotharii exstiterunt; ut in manuscripto Hincmari Remensis libro adversus Prædestinatianos lego.* Ejusdem etiam libri meminit in Matth. cap. XX. 28.

Post hæc à se scripta Hincmarus annis vixit XXIII: nempe annis XXVI. post obitum Rabani, à quo Godescalcum in synodo Moguntinâ damnatum fuisse, superius dicebamus. Nam decessit Rabanus anno IↃCCCLVI, teste Sigeberto: Hincmarus autem, non quidem anno IↃCCCLXXXV. ut Sigebertus voluit, sed IↃCCCLXXXII. ut testis est is, cui in historiâ sui temporis fides magis haberi debet, Flodoardus lib. III. cap. XXX. Cæterùm hic dissensus & concertatio super caussa Godescalci, satis ostendit, quantopere de eo judiciis variatum sit in Galliis: quæ & caussa est, cur Sigebertus a, cùm rationabiliter eum damnatum à Rabano dixisset, mox non omnium, sed multorum de eo judicium sequi se profiteatur. Sic enim scribit ad annum IↃCCCXLIX. (ad priorem annum referendum id fuerat, ut ex annalibus Francorum à Pythæo editis constat.) *Godescalcus hæreticus à Rabano archiepiscopo* RATIONABILITER, UT MULTIS VISUM EST, *convincitur; sed tamen in suo perseverat errore.* Cùm verò Godescalcus à Rabano damnatus sit anno IↃCCCXLVIII, Hincmarus autem anno IↃCCCLIX. responderit capitibus synodi Valentinæ: videmus, hanc de Godescalco, & ejus dogmate controversiam annis durasse undecim. Post hæc transit Flodoardus ad annum IↃCCCLXVII. quo in sex Galliæ provinciarum synodo apud Trecas de ordinatione clericorum Remensium ab Ebbone factâ actum est. Quare cùm deinceps de iis, quæ inter Lugdunensem & Remensem Ecclesiam in caussâ Godescalci acciderunt, altum apud eum silentium sit: deferbuisse illa his temporibus tempestas videtur. Nam sanè secus si esset, puto, non hoc ignorare nos sivisset Flodoardus, scriptor diligens, & quo nemo melius ejus temporis historiam scire potuerit: quippe qui ipse non multo pòst presbyter & canonicus fuerit Ecclesiæ Remensis: nempe tempore Artoldi, qui anno IↃCCCCXXXI, hoc est undequinquagesimo post Hincmari obitum anno, in archiepiscopatu Remensi surrogatus est Fulconi, successori Seulfi, cujus decessor Hervéus, prædecessor Fulco, qui anno IↃCCCLXXXII. successerat Hincmaro. Turbas verò, quæ in Godescalci caussâ ortæ erant, post istas Hincmari commentationes resedisse, minimè miramur. Nam cùm is conqueratur, verba sua à concilio Valentino aliovorsum torqueri, quàm scripserat: non dubium est, quin clarè ostenderit, quo sensu dixisset, Christum pro singulis mortuum esse. Cumque Lugdunenses hoc imprimis improbarint, quòd Hincmarus & Galliæ Belgicæ episcopi Godescalcum damnando, multorum etiam Catholicorum sententiam condemnarint: cæterum fateantur, illorum sententiam à variis Catholicæ Ecclesiæ doctoribus approbari: adeo sint contenti, ut illis suâ frui liceat sententiâ, dummodo hoc absque aliorum diversa sentientium præjudicio fiat: quid profectò mirum, si Hincmarus & Galliæ Belgicæ episcopi, quamquam in Godescalco quasdam illorum fratrum sententias damnassent, tamen nunc, pacis studio, tam æquo postulato acquiescendum putarint? Verisimile etiam est, ad eos motus compescendos accessisse autoritatem Caroli Regis: qui quantum in hoc animorum dissensu Ecclesiæ curam gesserit; argumento illud erit, quòd ipse, ut ex Hincmari apud Flodoardum literis antea cognovimus, capita Synodi Valentinæ cum scriptis aliis adversariis (Lugdunensium, ut putamus) Hincmaro dederit, simul jubens, ut, quid de iis sentiret, exponeret: cùmque is ob spem synodi à Remigio

a *In secundum Annalium Francicorum scriptorem à Pythæo editum, cujus verba adduximus pag. 781.*

factam, quà melius omnia componi posse arbitrabatur, regis voluntati obsequi distulisset, iterum triennio pòst eadem capitula à Remigio sibi porrecta tradiderit Hincmaro, cum altero, ut responderet, mandato. Cui ille morem gerens, librum adversus Godescalci sententiam scripsit, eumque ad Regem misit, unà cum literis, quæ etiamnum apud Flodoardum leguntur, ac quarum nos partem antea descripsimus.

JAmque monumentum exegi, non ære perennius, nec quod edax non possit abolere vetustas: quemadmodum de poematis suis nobiles duo vates, hac saltem parte non vani, cecinerunt olim: sed quale mihi, ingenio tam imbecilli, & exigua eruditione instructo, inter molestias & labores muneris publici, inter tot gemitus & suspiria, quæ triste Ecclesiæ schisma quotidie expressit, sincero amore veritatis, & serio concordiæ studio, scribere concessit misericors ille Deus. Te verò, quisquis legere non gravaberis chartas has nostras, per communem Salvatorem Christum etiam & etiam oro atque obtestor, ut, si qua exciderint mihi; (nam in difficili adeò Opere, qui fieri aliter possit?) non secirco, more temporum, quibus vivimus, odiosè differas; multo minus, ut fieri solet, bene dicta per calumniam traducas: sed errantem, melioraque discere paratum, amice castiges. Quodsi verò non ingrata, vel inutilis videbitur hæc opera nostra; pro gratia non aliud rependi postulo, quàm ut in precibus tuis miseri mei peccatoris memor sis apud Dominum.

SEPTIMI, EJUSQUE ULTIMI, LIBRI FINIS.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

FRAGMENTUM

DE

MANICHÆIS ET STOICIS.

QUem hîc tibi damus, Benevole Lector, tractatus integer non est, sed (ut ex illius initio liquet) majoris, de Gratiâ Dei, *fragmentum, qui an alicubi integer lateat, nobis incompertum est. Fragmentum hoc ipsâ Vossii manu exaratum habemus; & quia Manichæorum sententiam, ex antiquorum monumentis erutam, perspicuè repræsentat, illud, qualecunque est, reliquis illius tractatibus Theologicis jungi operæ pretium duximus. Quoniam vero hujus & Historiæ Pelagianæ argumentum non prorsus est diversum, huic eum proximè subjunximus, ut tanquam illius appendix legi possit.*

B. Augustinus lib. 1. contra adversarium legis & Prophetarum cap. 1: *Manichæi quamvis librum Geneseos non accipiant, atque blasphement: Deum tamen bonum fabricasse mundum, etsi ex aliena natura atque materia, confitentur.*

HÆc testimonia non obscurè ostendunt, quid crediderit antiqua Ecclesia de gratiâ universali & libero arbitrio: sed plurimùm tamen lucis fœnerabunt, si nonnulla adjiciamus de philosophis ac hæreticis, adversus quos Ecclesiæ doctores arbitrii libertatem potissimùm prædicarunt.

Bifariam enim circa hoc dogma, uti nunc, ita olim peccatum fuit: his nimis derogantibus, illis nimium arrogantibus naturæ. Nimium quantum arrogarunt omnes ii, qui bonum supernaturale & impotentiam hominis circa illud nescientes, viribus suis cœlum se scandere posse existimarunt: quæ communis τῶν ἔξωθεν opinio fuit. Nimium quoque tribuerunt Pelagiani: quippe qui, uti fusè inferius ostendemus, homini putarint inesse naturâ potentiam eligendi & operandi bonum salutare. At contra nimis derogarunt, qui vel planè vel penè arbitrii libertatem sustulerunt. Utrumque à quibusdam gentium philosophis; utrumque item ab aliquammultis hæreticorum sectis factitatum. E philosophis prius fecisse legimus Democritum: posterius Chrysippum; unde ille servum, hic semiservum arbitrium dictus statuisse: uti ex Oenomao notat Eusebius lib. VI. præparationis Euang. cap. VI. Idem indicat Cicero in laceris illis reliquiis de Fato, quæ nunc sola habemus. Verba ejus apponam: *Ac mihi quidem videtur, cùm duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, una eorum qui censerent, omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret, in quâ sententiâ Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles a fuit: altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii: Chrysippus tanquam honorarius arbiter medium ferire voluisse: sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos volunt.*

> a Ex Ethicis Nicomachiis & aliis ejus philosophi scriptis, nihil tale, imò contrarium clare patet. Quare aut dicendum, Ciceronem hac in parte falli, (quod ei insolens non est, cum de Aristotelis dogmatis judicium fert:) aut credendum tale quid à summo philosopho scriptum fuisse in ἐξωτερικοῖς: in quibus vulgarem sententiam sequi solet.

Diximus prius de opinione Democriti, quem omnia necessitati subjecisse, non hîc tantum Cicero testatur, sed alibi quoque eo ipse libello tradit, ac à Plutarcho etiam proditum est lib. 1. de placitis Philosophorum, cap. XXV. sive *De necessitate.*

Fuit autem Democriti opinio istiusmodi: Omnia censebat ab antecedentibus caussis pendêre; eoque omnia naturali colligatione consertè contexteque fieri: ac proinde omnia evenire necessitate, nec quicquam esse ἐφ' ἡμῖν. Etiam opinio hæc plerorumque Stoicorum fuisse videtur. Sanè & ipsi contendebant, mundum sibi consentire ac conspirare, omniumque, etiam humanarum actionum, caussam esse istam (ut Cicero a loquitur) rerum contagionem, h. e. convenientiam ac quasi contactum: inque hac ipsa contagione duo isthæc plurimùm posse, materiæ naturam, & siderum constitutionem atque affectionem. Quod de materia dixi, eo minus mirandum, quia eam censebant Deo coævam: in quo Stoicos secutus Hermogenes, Hermogenianæ sectæ princeps: unde Tertullianus, libro quem adversus eum scripsit b, *A Christianis,* inquit, *conversus ad philosophos, de Ecclesiâ in Academiam & PORTICUM, unde sumsit à Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ & ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino nec finem, ex quâ Dominus omnia postea fecerit.* Idem ad eam Hermogenis hæresin alludens lib. de Præscript. adversus hæreticos cap. VII. inquit: *Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina.* Marcion quoque hac re eosdem secutus fuit: unde idem Tertull. lib. V. adversus Marc. cap. penult. *Collocans,* inquit, *& cum Deo creatore materiam de porticu Stoicorum.* Eodem alludens lib. de præscr. cap. VII. *Nostra,* ait, *institutio de porticu Salomonis.* Nec aliter sensit Valentinus. unde idem Tertullianus adversus Valentinianos cap. XV: *Age nunc discant Pythagorici, agnoscant Stoici, Plato ipse, unde Materia, quam innatam volunt, & originem & substantiam traxerit.* Quo ex loco cognoscimus non Stoicos modò, sed & Pythagoram ac Platonem hac in sententiâ fuisse. Ab his verò potius quàm à Stoicis deceptus fuit Valentinus. Nam Ire-

> a Lib. de Fato.

> b Cap. 1.

Irenæus lib. II. cap. XIX. autor est Valentinianos fuisse Pythagoricorum imitatores. Ac Tertullianus lib. de præscript. cap. VII. ut Marcionem à Stoicis, ita Valentinum a Platonicis venisse ait. Quo etiam pertinet illud ejusdem *a*: *Quid Academiæ & Ecclesiæ!* Sed & Philastrius *b* Pythagoricum, Isidorus *c* Platonicum eum appellat, Stoicum, quod sciam, nemo. Contrà à Stoicis potiùs quàm Platonicis hauserat suum dogma Marcion: quemadmodum indicant, cum ea quæ ex Tertulliano de Marcione jam diximus, tum quòd Isidorus *d* Stoicum fuisse philosophum clarè scribit. Ita videmus ut tum Pythagoricorum ac Platonicorum, tum Stoicorum philosophia statim ab Apostolorum temporibus absurdas in Ecclesiam hæreses invexerit.

a Ibid.
b Cap. de Valentino.
c Lib. 8. Orig. cap. 5.
d Ibid.

Porrò censebant iidem Stoici ab hac materià esse interna mala, h.e. peccata. nam Deum quidem omnia ad finem bonum finxisse formâsseque: sed malitiosam materiæ vim In plurimis Deo repugnasse, eumque invitum aliò traxisse. Hinc Seneca præfat. in lib. 1. quæst. natural. *Utrum Deus, quod vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant, & à magno artifice* FORMENTUR PRAVA MULTA; *non quia cessat ars, sed quia id* IN QUO EXERCETUR (materia puta) *inobsequens arti est.*

Neque solum ex materiæ naturà fatalem provenire necessitatem Stoici putarunt, sed etiam ex siderum constitutione affectioneque, quam φύσιν καὶ Νάξεσιν vocant Græci. Quin solam hanc astralem necessitatem agnoscebant Chaldæi seu Mathematici: quorum nobis sententiam elegantissimis versibus expressit Manlius lib. IV. Nec enim audiendus præstantissimus Lipsius, qui lib. 1. Stoicæ philosophiæ dissertat. XIV. censet eum Chrysippi mentem tanquam germanum Chrysippeum optimè aperuisse. Nam Manlius non externa modò, sed humanæ etiam mentis arbitrium, (id quod Chrysippus non concedebat, uti postea patebit) à sideribus vult pendere: ac quia objici solet, hoc si est, nec bonos amore, nec improbos odio magnopere dignos esse; negat hoc inde consequi, quia, inquit, & impensè amemus bona, & oderimus venena, quamquam ambo naturà sint istiusmodi, non arbitrii libertate. Sed ipsum canentem audiamus.

Fata regunt orbem: certâ stant omnia lege.
Longaque per certos signantur tempora casus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
Tunc & opes & regna fluunt, & sæpius orta
Paupertas, artesque data, MORESQUE CREATI, ET VITIA, *& clades, damna & compendia rerum.*

Et aliquantò pòst:

Astra norant formas, cælumque interserit ora.

Et mox:

Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve suis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quisquam minùs oderit herbas,
Quod NON ARBITRIO *veniant, sed semine* CERTO.
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
Quod natura dedit fruges NON ULLA VOLUNTAS.
Sic hominum menti tanto fit gloria major,
Quòd cælo gaudente venit, rursusque nocentes
Oderimus magis IN CULPAM POENASQUE CREATOS.
Nec refert ꝙ scelus unde cadat. scelus esse fatendum.
Hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum.

Atque hæc quidem dicta sunto de iis, qui servum planè arbitrium statuerunt. Nunc de iis videamus, qui ut Eusebius prodit, semiservum posuerunt. Fecit id, ut dicebamus, Chrysippus, Cleanthis in Zenonia scholâ successor, ac Stoicorum facilè princeps. Hic fato omnia fieri volebat: & tamen voluntati non omnino libertatem adimebat: saltem non adimere videri volebat. Sententiam verò suam explicabat hunc in modum. Caussarum (quemadmodum libro de Fato Cic. testatur) alias dicebat esse perfectas & principales: alias adjuvantes & proximas: cumque alii fatum constituerent in principalibus & necessariis caussis (quæ vera fati notio est) ille ne aut fatum, aut arbitrii libertatem negare cogeretur, asserebat cùm omnia fato fieri dicuntur, non intelligi semper debere caussas principales & necessarias, sed interdum adjuvantes & proximas solùm. nam a caussis quidem primis ac necessariis esse principium actionis ac motus; puta inclinationem, quâ quis talis aut talis naturâ atque ingenio est: at ipsam actionem non esse simpliciter ab illis caussis, verùm à voluntate, quæ illam naturæ inclinationem non quidem tollere, sed tamen leviter possit temperare ac flectere. Hanc rem illustrabat cylindri similitudine, quam Ciceronis verbis proponam. *Ut*, inquiebat, *qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit; sic visum objectum imprimet illud quidem, & speciem suam quasi signabit in animo, sed assensio nostrâ erit in potestate: eaque quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi & naturâ movebitur.* Quam ipsam similitudinem ex Chrysippo etiam adducunt Agellius lib. 11. cap. 11. & Alexander Aphrodisiensis lib. de Fato. Cùm verò sic disputaret Chrysippus, magis de vocabulo quàm de re quæstio erat. Nam ne videretur ab iis discedere, qui omnia fato fieri volebant, fatum necessitate liberabat, contra omnium sententiam; qui per fatum intelligebant sempiternam quandam & indeclinabilem rerum seriem & catenam, sese tam in voluntariis quam naturalibus volventem & implicantem per æternos consequentiæ ordines è quibus connexa est. Atque hoc nomine meritò Chrysippus reprehenditur ab Alexandro. Optimè verò Cicero cùm judicat eum, utut profiteatur se velle sequi mediam inter eos sententiam, qui vel omnia fato fieri negant, vel libertatem arbitrii tollunt; reverà tamen se applicâsse ad eos potiùs, qui necessitate motus animorum liberatos volunt. Quæ & Augustini sententia est, lib. V. de Civ. Dei cap. X. *Unde*, inquit, *nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici* (saltem Chrysippei) *laboraverunt, caussas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati: atque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati.*

Interea idem ille Chrysippus, siquando de fato dissereret, tantam ei vim ac necessitatem tribuebat: ut intelligi non posset, quà ratione retineret arbitrii libertatem. Hinc sic de eo Cicero ibidem: *Dum autem Chrysippus verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus.* Quod ipsum pluribus docet Plutarchus libro de Stoicis contrarietatibus *a*. Et fortasse a P.1040. ed. H.St.
hac de caussâ non omnes Stoici Chrysippum sequebantur. Sanè hanc Chrysippeam de libertate arbitrii doctrinam non omnium sed plerorumque Stoicorum fuisse, scribit quoque magnus Turnebus commentar. in Cic. lib. de Fato *b*. Quod si ita est, profectò à Stoicis quoque acceperit Marcion, quòd negabat arbitrii libertatem. Nam b P. 62. edit. Commel.
Marcionem Stoicum fuisse philosophum supra ostendimus. Indeque idem quoque hauserit Hermogenes, vel ab iis sanè, qui à Stoicis veniant, quemadmodum de Marcione loquitur Tertullianus. Ac hinc fortasse etiam Hermogenem (qui & ipse negabat liberum arbitrium, ut inferius ostendemus) ab Ecclesia ad Porticum, hoc est Stoicos, conversum, scribit Tertullianus. Nempe non solùm quia cum iis statuebat materiam Deo coævam, sed fortasse etiam quia cum Stoicis minùs Chrysippi subtilitates capientibus aut probantibus, fatalem agnosceret humanarum actionum necessitatem. Ita hinc quoque pateat, ut Stoica philosophia plurimùm semper mali dederit philosophiæ Christianæ.

Quod verò de Stoicis dicimus, idem intelligi volumus de

de omnibus illis qui fatum tuebantur: eoque non minus ejus culpæ reos putamus Chaldæos sive Mathematicos. Sanè ut à Stoicis Marcion & alii, ita à Chaldæis hæresin suam hausisse videntur Colarbasus & Bardesanes; qui Astrologorum fatum in Ecclesiam invehere conati: ut inferius dicemus. Porrò dubitari etiam possit, num à Stoicis, aut Platonicis, an potius magis Chaldæis acceperint plerique hæretici, quod duo statuebant principia: quod dogma cum doctrina servi arbitrii optimè conspirat. Sanè qui simpliciter duo principia ponebant, uti Valentinus βυθὸν καὶ σιγὴν, Marcus σιγὴν καὶ λόγον, hi venenum id potius suxisse videntur ex Platonicis ac Stoicis. Quippe Valentinum fuisse Platonicum jam antè diximus. At tum Stoici, tum Platonici duo statuere principia, Deum beneficum & materiam, sive in eâ ψυχὴν ἄτακτον καὶ κακοποιὸν, ἐναντίαν καὶ ἀντιπαλον τῇ ἀγαθοεργῷ φύσει, *Incompositam, maleficam, adversariam & reluctantem beneficæ naturæ*, ut eam Plato vocat in libb. de Legg. At qui non simpliciter duo principia fecere, sed duos Deos, unum bonum, alterum malum; hi potiùs à magis Chaldæis dogma hoc videntur hausisse. Nam magi isti unum bonum Deum statuebant, Jovem, sive Oromasdem; unum item malum, Plutonem seu Arimanium: quod ex Aristotele Hermippo & aliis testatur Laërtius in præfat. idem tradit Plutarch. lib. de Iside & Osiride. Ab his igitur venerit Cerdo, qui duos statuebat Deos contrarios, unum bonum, alterum justum: ubi per bonum intelligit misericordem, per justum, immisericordem: quomodo hæc duo quoque opponuntur apud Eusebium lib. IV. histor. Eccles. cap. II. & Theodoret. lib. I. hæret. fabul. Ut omnino falli eos necesse sit, qui pro *justo* apud Augustinum[a] *injustum* legendum censent. Ab iis quoque venerit Marcion: qui & ipse duos inducebat Deos: ut testantur Epiphanius, Optatus,[b] Augustinus, & ante omnes Irenæus lib. IV. cap. LVII. *Examinabit*, inquit, *doctrinam Marcionis, quomodo accipiat duos Deos esse infinitâ distantiâ separatos ab invicem.*

a Lib. de hæresibus.

b Lib. 4.

Hactenus tantum diximus de iis gentium Philosophis, qui arbitrii libertatem sustulerunt: nisi quòd obiter aliquid orsi fuimus de hæreticis istis, quos ab his in doctrina de fatali necessitate ac duobus principiis deceptos fuisse palam est. Nunc illam de hæreticis telam redordiemur, ac curatius paullò dissertabimus, tum de iis, quæ dixi, hæreticis, tum aliis, qui & ipsi τὸ αὐτεξούσιον impugnarunt.

Imprimis autem errorem hunc errarunt Gnostici, Manichæi, Priscillianistæ. Gnostici id sibi nomen imposuerunt ἀπὸ τῆς γνώσεως,[c] h. e. rerum divinarum cognitione, ut qui altiùs quàm cæteri in mysteria Dei sese penetrâsse dicerent, cùm reverâ, si boni salutaris notitiam spectes, nihil illis esset imperitius ac stultius.

c Epiph. contra Valen.

Fuisse autem Gnosticorum nomen commune multis hæreticis, clarè indicat hic locus Epiphanii hæresi XXXI; ubi contra Valentinianos disputans, sic inter alia scribit: Πάντες γνωστικοὺς ἑαυτοὺς ὀνομάζουσι, Οὐαλεντῖνός τέ φημι, καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ γνωστικοὶ, ἀλλὰ καὶ Βασιλείδης, καὶ Σατορνῖλος καὶ Κολορβάσος, Πτολεμαῖός τε καὶ Σεκοῦνδος, Καρποκρᾶς, καὶ ἄλλοι πλείους. *Omnes se Gnosticos nominarunt, Valentinus dico; & qui ante eum Gnostici, sed & Basilides, & Saturnilus, & Colorbasus, & Ptolomæus & Secundus, & Carpocrates, & alii complures.* Idem Epiphanius hæresi XXVI. Gnosticorum originem arcessit à Nicolaitis: quorum meminit Joannes Apocalyps. II. vers. 6. & 15. Sed alii à Simone Mago, cujus in actis fit mentio, fluxisse censent. Sanè Simon iste non solùm omnium, qui ex Euangelio hæretici esse voluerunt, primus fuit, quemadmodum Tertullianus scribit lib. de præscript. cap. XLVI. & Epiphan. hæres. XXI. sed etiam hæreseon, quæ consecutæ, fons ac caput fuisse creditur: uti tradunt Irenæus lib. I. cap. XXX. & præfat. lib. II. & ex eo Euseb. lib. I. histor. Eccles. XIII. item Augustinus lib. II. contra advers. Leg. & Prophet. Videtur autem ex actis colligi posse, Simonem Magum hæresin suam spargere cœpisse circa annum sextum à passo Christo. Verùm non diu ea sub Simonianorum nomine se jactavit. Nam Menander, primarius ejus discipulus, ac conterraneus utpote (unde Samarites) quædam in sectâ magistri immutavit; unde factum ut, qui ex hac scholâ erant, pro Simonianis mox Menandriani vel etiam Menandrianistæ dicerentur. Contigit id tempore Titi, h. e. circa annum à passo Christo quadragesimum. Quemadmodum verò Menander Simonis nomen magnam partem obscuravit, ita mox Menandri luminibus obstruxit Saturnilus, sive potiùs Saturninus. Priori enim modo vocant Epiphanius & Theodoretus: posteriori, Irenæus, Tertullianus, Eusebius. Quin Basilides qui ex eâdem Menandri schola profectus erat, non tantùm Menandri, sed Saturnini quoque nomen offuscavit novis dogmatibus, quibus Simonianam sectam interpolavit. Ita factum, ut (quemadmodum ab Epiphanio[a] proditum est) paullo post Menandri excessum, Simoniana hæresis biceps fieret, quæque priùs Simoniana tantùm, aut postea etiam Menandriana vocaretur, hæc tunc in Saturninianam & Basilidianam divideretur. Cùm autem Basilides Menandri, Menander Simonis fuerit discipulus ac successor: obscurum esse nequit, unde sit, quod nunc Simon, nunc Menander, nunc Basilides statuatur Gnosticorum parens. Nam Simonem quidem ejus sectæ parentem facit Irenæus lib. IV. cap. LXIX. Menandrum idem ejus fontem appellat lib. III. cap. IV. Basilidi verò id tribuunt Eusebius & Hieronymus. Duorum horumce scriptorum verba adscribam, ut simul pateat de Basilidis ætate. Eusebius quidem in Chronicis sic scribit ad annum Christi 134. *Basilides hæresiarches in Alexandriâ commoratur, à quo Gnostici.* At Hieronymus in Catalogo, ubi de Agrippâ Castore: *Mortuus*, inquit, *est Basilides, à quo Gnostici in Alexandriâ temporibus Hadriani, quâ tempestate & Cochebas dux Judaicæ factionis Christianos variis suppliciis enecavit.*

a Lib. 4. c. 7.

Hæc de eorum sententiâ, qui Gnosticorum ortum à Simone, ejusve discipulis arcessunt. At alii, ut ex Augustino[b] cognoscimus, originem eorum petere malunt à Carpocrate, quem Saturnini ac Basilidis contemporaneum ac æqualem fuisse docebit Eusebius lib. IV. cap. VIII. Quicum consentit Theodoretus, ut qui tempore Adriani Cæs. vixisse dicat. Porrò Carpocratiani isti (ut Augustini[c] verbis utar) *docebant omnem turpem operationem, omnemque adinventionem peccati: nec aliter evadi atque transiri principatus & potestates; quibus hæc placent, ut possit ad cœlum superius perveniri.* Sanè non aliunde plus aut ignominiæ allatum, aut odii in Christianos conflatum, quàm nefandâ ista hæresi: onde sic de iis Epiphanius[d]: Εἰσὶ δ' ἐκ τοῦ Σατανᾶ προβεβλημένοι καὶ παραβεβλημένοι εἰς ὄνειδος καὶ σκάνδαλον τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας: *Sunt verò ex Satana præparati ac introducti ad dedecus & scandalum Ecclesiæ Dei.*

b Lib. de hæres. cap. de Gnosticis.

c Ibid.

d Hæresi 27.

Sed sive à Simone aut Menandro, aut Basilide, sive etiam à Carpocrate Gnosticorum originem deducere libet: satis patet Gnosticos esse Valentino antiquiores: nec Gnosticos à Valentino, sed hunc à Gnosticis quædam dogmata hausisse: quod & Irenæus clarè testatur lib. I. cap. V: ubi ait *Valentinum ab eâ hæresi, quæ Gnostica appellatur, principia accommodâsse ad suum scholæque suæ characterem.* Quamquam autem Gnosticorum appellatio, multò antè Valentinum erat, peculiariter tamen hoc nomen Valentinianis tributum fuit, postquam is subtilioribus suis deliriis priorum Gnosticorum nomen propemodum extinxit. Vixit autem Valentinus eodem tempore ac Cerdo, ejusque discipulus Marcion: hoc est circa annum Christi centesimum quadragesimum. Docet hoc nos Irenæus lib. III. cap. IV: *Valentinus enim venit Romam sub Hygino, increvit verò sub Pio, & prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdo autem, qui ante Marcionem, & hic sub Hygino, qui fuit octavus Episcopus. Marcion autem illi succedens invaluit sub Aniceto, decimum locum episcopatus continente.* Similiter Cyprianus ad Pompejum contra epistolam Stephani: *Necdum quoque Marcion de Ponto emersisset, cujus magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo,*

 qui

qui in urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion secutus &c. Et Eusebius in Chronicis ad annum Christi 141: *Sub Hygino Romanæ urbis episcopo Valentinus hæresiarches & Cerdo magister Marcionis Romam venerunt.* Et ad annum 144: *Valentinus hæreticus agnoscitur, & permanet usque ad Anicetum:* h. e. usque ad annum 154. Porrò (ut tandem de dogmatis ipsis aliquid dicamus) & Valentiniani & Marcionitæ arbitrii libertatem convellebant.

De Valentinianis id clarè docet Augustinus lib. de hæresibus. *De tricesimo*, inquit, *sæculo dicit diabolum genitum, & à diabolo alios natos qui fecerint hunc mundum. Et ideo malitiam non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi.* Aliter quoque id comprobatur. Nam dividebat Valentinus homines in tria genera: quam Valentinianam trinitatem aut hominis trinitatem vocat Tertullianus. *a* Primum genus ei erant, quos πνευματικοὺς sive spirituales vocabat: alterum appellabat ψυχικοὺς sive animales. Tertium nominabat σαρκικοὺς sive carnales, vel etiam ὑλικοὺς sive materiales, aut item χοϊκοὺς sive terrestres. Censebat autem spirituales non prælectione tales fieri, sed esse naturâ istiusmodi; quia Deus tales formârit. Itaque contendebat ut scylla non fit tosa, nec aquila fit columba, aut contra, ita neque ex Choico fieri posse spiritualem, aut è spirituali Choicum: sed naturam eorum esse immutabilem: eoque illos quidem non posse non damnari; hos verò non posse non salvari. Soli tertio generi hanc tribuit potestatem, ut per arbitrii libertatem, nempe vel credendo obediendoque ad salutem, vel infidelitate ac inobedientiâ ad exitium possit pervenire: eoque & pro hoc solo genere Christum esse mortuum adserebat. Horum omnium locupletissimos testes dare possumus, Irenæum *b*, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, ac Epiphanium. Sed verba eorum nunc non adscribam, quia & inferius illa adducendi se commoda offeret occasio, cùm de Gnosticorum, Valentinianorum ac Manichæorum prædestinatione agendum erit.

a Lib. de anima cap. 21. & lib. de præscript. cap. 7.

b Irenæus lib. 1. cap. 1. Tertull. adversus Valentin. cap. 24. & aliquot seqq. imprimis 29. Clementem Strom. lib. 2. Epiph. Tom. 2. hæresi 31.

Negabat quoque arbitrii libertatem Marcion Ponticus, quem Stoicum fuisse philosophum supra dicebamus. Quâ occasione ab Ecclesia defecerit, docebit Epiphanius hæresi XLII. Ex episcopo apostatam factum tradit Optatus Milevitanus lib. IV. Sed non episcopum, verùm episcopi filium fuisse, tradit, qui eo antiquior, Tertullianus lib. de præscript. cap. LI. eumque Epiphanius & alii hac in re sequuntur.

Marcionem verò hoc in dogmate secutus fuit Hermogenes, qui adhuc Tertulliani ætate superstes erat: ut cognoscimus ex libro ejus de præscript. cap. XXX. Utrique verò hanc hæresin tribuit lib. de anima cap. XXI: *Hæc*, inquit, *erit vis divinæ gratiæ, potentior utique naturâ, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur. Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter,* JAM ET MARCIONI OSTENDIMUS ET HERMOGENI. Quo loco respicit Tertullianus ea quæ de hominis arbitrio tum ante tum post peccatum libero scripserat lib. II. adversus Marcionem cap. V. VI. VII. Bardesanes quoque Syrus, quamquam prius adversus hunc Marcionitarum scripsisset errorem, postea tamen à Valentinianis corruptus, in horum hæresin incidit, factumque quod prius impugnarat, ipse amplexus fuit: uti præter Epiphanium *c*. Eusebium *d*, Theodoretum *e* indicat Augustinus his verbis libro de Hæresibus *f*: *Bardesanistæ à quodam Bardesane, qui in doctrina Christi prius extitisse perhibetur insignis: quamvis postea per omnia in Valentini hæresin lapsus est, addens de suo, ut fato adscriberet conversationes hominum.* Hanc vero hæresin suam seminare cepit Bardesanes circa annum Christi 163: quemadmodum Eusebius in Chronicis testatur. Eo anno Antonino in imperio successerant M. Aurelius & L. Verus, quos Divos fratres vocant. Quare cum Theodoretus lib. 1. hæreticarum fab. Bardesanem ait vixisse tempore Severi & Marci Cæsaris, pro *Severi* omnino legendum *L. Veri* Vir doctus *g*, qui Librum Augustini commentariis illustrâvit, censet Bardesanem venisse Romam circa annum 144. tempore Soteris Papæ, & eorum quos diximus Cæsarum. In quibus magna est ἀσυγχρονία. Nam obiit L. Verus tempore Aniceti Papæ anno Christi 171. Aniceto vero successit Soter anno Christi 174. Quare si Veri tempore Romam venit, non venit tempore Soteris, aut si Soteris tempore, post obitum Veri advenerit necesse est. Itaque dicendum potius fuerat, M. Aurelii & Soteris tempore venisse Romam, circa annum 175. At longè omnium turpissimus error Francisci Horantii Hispani, qui lib. I. locorum catholicorum cap. XXXII. Bardesanistis mediam inter Manichæos & Pelagianos tribuit ætatem, nec scribere veretur, Bardesanistas surrexisse postquam Manichæi gladio Augustini feliciter erant confossi. Nam quis nescit Augustinum demum floruisse circa annum Christi quadringentesimum, h. e. plusquam ducentis annis post ortos Bardesanistas! Præterea Manichæi non possunt esse antiquiores Bardesanistis, cum demum ceperint circa tempora Aureliani, annis puta centum post Bardesanem.

c Hæresi 56.

d Lib. 4 cap. 29.

e Lib. 1. hæret. fab. cap. de Bardesane.

f Cap. 35.

g L. Dan.

Porrò, per idem ac Bardesanes tempus, vixere hi Valentini discipuli ac sectatores; Secundus, unde Secundiani; Ptolomæus, unde Ptolomæani; Marcus magus, unde Marcitæ, (Μαρκωσίους vocat Epiphanius) Colarbasus, unde Colarbasiani; Heracleon, unde Heracleonitæ: de quibus omnibus eoipse ordine tractat Augustinus libro de hæres. Cæterum hos quoque, Gnosticorum nomine contineri, planum facit is Epiphanii locus, quem superiùs adducebamus. Etsi verò probatu difficile sit, singulas istas sectarum, liberum negâsse arbitrium: tamen de aliquibus constare potest: ac præcipuè de Colarbasianis: de quibus sic Augustinus *a*, *Colarbasus*, inquit, *vitam omnium hominum in septem sideribus consistere affirmabat.* Ut omnino liqueat Bardesanem & Colarbasum eandem fovisse hæresin: quod nihil mirum, quando ex eâdem Valentinianâ scholâ prodibant. De Gnosticis satis: accedo nunc ad Manichæos, de quorum dogmatis quia imprimis controversia esse solet, fusius aliquantò dicendum erit. Sed priùs de nomine ac origine ejus sectæ videamus.

a Lib. de hæres.

Nomen ei est non ab illo, cui primordia sed cui propagationem debet. Nam, ut narrat Epiphanius, primus eam condidit Scythianus, mercator Saracenus: qui quatuor eam libris comprehenderat. Sed, Scythiano mortuo, libros eos clanculum domi suæ diutissimè habuit ejus discipulus Terebinthus, qui & Budda dictus fuit. Post hujus obitum (à Satana de tecto domus deturbatum, atque ita mortuum tradunt) libros Scythiani pro suis edidit hæresinque iis contentam palam docuit, ac fortissimè propugnavit, quidam conditione servus, qui Maneris sibi nomen imposuerat, cum prius non Manus vocaretur, sed Cubricus, ut Epiphanius & Socrates testatur; pro quo apud Augustinum (quem multi sequuntur) minus rectè Urbicus legi videtur, cum ea Romana, non barbara sit appellatio. Porro Manes hic ab Augustino, Suida, aliis etiam *Manichæus* vocatur: sed discipulis geminato NN *Mannichæus* potius dicebatur, quasi manna fundens, nempe ad vitandum μανίας seu insaniæ nomen. Cœpit vero hæresis ea primum innotescere in Perside, Arabia & Ægypto: idque sub Aureliano anno Christi 277. ut scribit Eusebius & Epiphanius confirmat. Nec recedit Augustinus, cùm Manetem sub Probo vixisse ait lib. XIII. contra Faustum cap. IV. Nam Probus tantum biennio post id tempus suscepit imperium, nempe annu Christi 279. Varii autem hujus hæreseos feruntur errores: iique partim mirè impii, partim supra modum ridiculi. Præcipuos excerpemus.

a P. 362.

Primum genus errorum respicit essentiam Dei, ejusque unitatem in personarum trinitate. Nam statuêre Manichæi duo principia diversa & adversa, æterna, ac coæterna, unum omnis boni, quod bonum Deum vocabant: alterum omnis mali, quod malum Deum nominabant. A posteriori hoc voluêre esse legem Mosis, pro-

prophetias, conjugium. Boni Dei substantiam dicebant frustulatim diffusam esse per cœlestia terrestriaque, sed iis his inquinatam detineri, verùm ab electis (sic se appellant) per alimoniam in stomacho purgari. Quia vero bona anima sit substantia Dei, eaque semini omni insit, iccirco horrendo scelere solent plerique in Veneto concilio farinam substernere, inque eo τὸ γονὸν excipere, atque hinc facere Eucharistiæ sacramentum, vel potius execramentum. Christum negabant verum Deum, sed eum dicebant esse serpentem illum, qui decepit primos parentes. Ajebat præterea Manes, se esse Spiritum Paracletum, qui sit promissus à Christo.

Alterum genus errorum est de scriptura canonica. Nam Vetus Testamentum respuebant, ut quod esset à malo Deo. Novum mutilabant ac pervertebant.

Tertium tangit creationem. Nam mundum quidem à Deo esse concedebant, sed de commixtione boni & mali, quæ facta initio, utrâque inter se naturâ pugnante, postea que utriusque parte in unum coalescente. Cœlestes sphæras nugabantur esse corpora principum tenebrarum t. Nam bonum Deum crucifixisse, ac excoriâsse eos, éque corporibus eorum fecisse orbes cœlestes. At nihilominus eos vivere: ac pulcherrimæ virginis amore accendi, sed hac evanescente unum principum præ irâ ex se diffundere nubes, ut orbi tenebras inducat: interdum etiam sic affligi, ut sudet, eumque sudorem à nobis pluviam vocari: alium principum præ iracundiâ succidere vitæ humanæ radices in cœlis alligatas: atque hinc in genere humano pestilentiam oriri, mortesque hominum provenire. Solem & Lunam esse duas naves, in quas animæ certis cadis, dum cœlum circumvolvitur, haustæ, infundantur, ut in iis navibus undique ab angelis purgatæ Dei sedibus reddantur. Addunt unam speciem esse animam hominis, bestiæ, plantæ, eamque esse de substantia Dei: atque iccirco abstinent à carnibus, bestiarumque mactatione, etiam ovis & lacte: atque adeò agriculturam execrantur ob cædes. Quia enim plantæ eandem speciem animam habent ac homo, in metendâ segete, putandis vitibus, arboribus cædendis, quasi homicidium committi volunt. Eapse de caussa nec panem edere sustinent, nisi priùs hac oratione eum sint affati: *Ego te neque messui, neque molui, neque expressi, neque in clibanum misi: sed alius fecit, & attulit mihi: ego sine culpâ comedo.* Siquis bestiam, aut plantam occidetit, in eam post mortem converti ajunt, atque ita fieri lilium, quercum, bovem, murem. Vino etiam abstinent, quia id fel esse putent ac sordes principis tenebrarum.

Quartus error est de Christo Mediatore, quà personam, quà officium spectes. Nam præterquam quod divinitatem ejus negant, uti dictum, eundem quoque haut verè sed imaginariè crucifixum ajunt, verumque ejus corpus contineri dicunt solis globo. Neque totum hominem, sed solam animam suâ morte redemisse pertendunt.
a P. 362. Cyrillus sive Joh. Hierosolymitanus catech. xv: a Μανθανέτωσαν οἱ ἐκ Μανιχαίων ἐπιστρέψαντες, καὶ τοὺς φωστῆρας μηκέτι θεοποιείτωσαν, μηδὲ τὸν σκοτισθησόμενον τοῦτον ἥλιον, τὸν Χριστὸν εἶναι δυσσεβῶς νομιζέτωσαν. *Discant illi, qui ex Manichæis conversi sunt, & luminaria non faciant Deos, neque eum, qui obscuratur, solem, Christum esse impiè putent.*

Quinctus error est de libero arbitrio. Nec enim peccata oriri volunt à libertate arbitrii, sed à necessitate naturæ. Duas enim homini dicunt animas inesse, unam bonam, alteram malam: hanc esse propriam carnis, esseque à genere tenebrarum, uti & carnem ipsam: at bonam esse ex adventitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque utrumque miscuerit: à bona quidem anima necessario bonas actiones prodire, uti à mala malas: bonam autem animam sæpius confligere cum mala, quam carnis propriam dicebamus: atque id esse quod scriptura vocat certamen spiritus & carnis. Neque hominem carnali hac concupiscentia liberari per sanationem vitiosi accidentis, sed per separationem malæ substantiæ.

De his Manichæorum erroribus legi possunt Epiphanius hæresi LXVI. Cyrillus Hierosol. Catech. VI. Augustinus integris voluminibus contra Faustum & alios Manichæos, & de hæresi cap. XLVI. & alibi. Item Theodoretus de hæret. fabulis, & alii. Ex iis verò erroribus, quinctus propriè ad institutum nostrum pertinet: Quare cæteris missis eum firmare visum verbis Augustini ex cap. XLVI. lib. de hæresi: *Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantia tribuunt gentis adversæ: quam dogmatizantes esse hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, sed malæ mentis perhibent esse opificium, quam à contrario principio Deo coæternam esse ajunt. Carnalem concupiscentiam, quâ caro concupiscit adversus Spiritum, non ex vitiatâ in primo homine naturâ nobis inesse infirmitatem, sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, separetur à nobis, & in suâ naturâ etiam ipsa immortaliter vivat. Easque duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Nec in nobis sanatum hoc vitium, sicut nos dicimus, nunquam futurum: sed à nobis sejunctam atque seclusam substantiam istam mali; & finito isto seculo post conflagrationem mundi in globo quodam, tanquam in carcere sempiterno esse victuram. Cui globo affirmant accessurum semper & adhæsurum, quasi coopertorium atque tectorium ex animabus, naturâ quidem bonis, sed tamen, quæ non potuerant à natura mala contagione purgari.* Hæc Augustinus.

Hæc teterrima hæresis, etsi ut ante dicebamus primum in Perside ac Arabiâ Ægyptoque solùm grassabatur, mox tamen à Manetis discipulis per totum orbem dispersa fuit. Itaque & ejus sectatores aliquoties rescriptis Impp. fuere proscripti: uti anno 287. à Diocletiano & Maximiniano, cum per Africam invaluissent: item à Valentiniano & Valente an. 372. cum inventi essent Romæ conventus agere. Sed & Valentinianus ac Theodosius Impp. an. 389. adversus eos sanxere. Ac Leo Romanus episcopus concilium adversus illos in Urbe habuit anno 444. in quo flagrantissima flagitia sua sunt confessi, præsentibus non episcopis modo ac presbyteris, sed etiam Senatoribus ac parte plebis: quemadmodum scribit Leo ipse epist. II, quæ ad episcopos Italiæ, & Serm. v. de jejunio decimi mensis, atque alibi. Cedrenus quoque auctor est, Justinum Imperat. legem adversus eos tulisse circa an. 523. eodemque tempore Cabadem Persarum regem, quoscunque ejus sectæ in regno suo invenire poterat, trucidasse. Etiam circa annum 600. in Sicilia grassatos, patet ex Gregorii Magni epist. VI. lib. IV. & P. Diaconi lib. 15. Histor. Sed imprimis in Oriente viguit, etiam Nicephori tempore, h. e. circa annum 800. Quin anno 845. à Theodorâ Imperatrice integer exercitus conscriptus fuit, ad eos exstirpandos. Tantopere eo tempore in Orientis imperio detestanda hæresis istæc invaluerat. Sed de Manichæis tandem pausam faciamus. Superest dicamus de Priscillianistis, in quibus erimus breviores.

Nomen hæc secta accepit à Priscilliano: de cujus vitâ morteque eleganter scribit Sulpitius Severus extremo libro II. historiæ sacræ. Refert Sigebertus hanc hæresin ad annum 386. Sed videtur is propagationis magis rationem habuisse quam ortus. Nam Eusebius refert ad annum Christi 381. Verba ejus sunt: *Ea tempestate Priscillianus Episcopus de Gallæciâ ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresin nominis sui condidit.* De iisdem sic Augus. cap. LXX. lib. de hæresibus: *Priscillianistæ, quos Hispaniâ Priscillianus instituit, maximè Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectantur. Quamvis & ex aliis hæresibus in eas sordes tanquam in sentinam quandam horribili confusione confluxerint.* Isidorus lib. VIII. Orig. cap. V: *Priscillianistæ à Priscilliano vocati, qui in Hispania ex errore Gnosticorum & Manichæorum permixtum dogma composuit.* In quibus vero cum Gnosticis & Manichæis consentiant, quæ ab aliis hæresibus acce-

ceperint, quæ quasi propria habeant, (quale illud esse videtur, *Jura, perjura, secretum prodere noli*) docebit Augustinus libro de hæresibus, ac libro ad Orosium contra Priscillianistas, & Leo Magnus epist. XCIII. ad Turibium, Asturiensem episcopum, in quâ ille Priscillianistarum hæresin ad certa capita revocavit, curatiusque de iis tractat, quam alius quisquam: Nos ex tam variis erroribus illum tantummodo ponemus, qui liberum tangit arbitrium.

Voluere enim hominem siderum impulsu bene maleve agere: quâ de re sic Augustinus a: *Adstruunt etiam fatalibus astris homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum sicut hi qui Mathematici vulgo appellantur.* Eadem de re sic Leo eâ quâ dixi epistola: *Priscillianistarum impietas non contenta eorum recipere falsitates, qui ab Evangelio Christi, sub Christi nomine deviarunt, tenebris se etiam paganitatis immersit, ut per magicarum artium profana secreta, & mathematicorum vana mendacia religionis fidem, morumque rationem in potestate dæmonum & effectu siderum collocaret.* Optimè verò hanc hæresin ibidem refellit. *Hoc*, inquit, *si & credi liceat, & doceri, nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debebitur, omniaque non solùm humanarum legum, sed etiam divinarum constitutionum decreta solventur: quia neque de bonis, neque de malis actibus ullum poterit esse judicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit: & quicquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum.* Idem sic hac de re scribit cap. 11. ejusdem epistolæ: *Undecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis & animas hominum, & corpora opinantur obstringi: per quam amentiam necesse est, ut homines paganorum erroribus implicati, & faventia sibi (ut putant) sidera colere, & adversantia studeant mitigare.* Hæc Latinus ille Chrysostomus. Meminit & ejusdem erroris Gregorius Magn. diversarum in Evangel. prælectionum homil. X: *Priscillianistæ hæretici nasci unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum putant.* Hunc verò errorem solidè ibidem refutat Gregorius. Sunt verò argumenta istæc sedulo pensiculanda, quia etsi adversus astralem necessitatem promantur, tamen omnem fatalem necessitatem evertant. Quod cogitare illi debent, qui quæcumque pro libertate arbitrii à Patribus disputantur, nihil ad se pertinere contendunt, eo quod ipsi *ἀμέσως* à Deo ejusve decretis, non verò per astra aut materiæ naturam hanc voluntati afferri doceant necessitatem. Sed ut ad Priscillianistas redeam, quemadmodum in Hispaniâ primò hæc hæresis fuit seminata (quod ii scriptores docent, quos ante adduximus) sic etiam diutissimè in eâdem pullulavit. Sanè Orosii quoque ac Augustini temporibus ejus in Hispania reliquiæ erant; sed quarum multi ex Priscillianistis in Origenistas mutarentur; uti indicat Augustini ad Orosium liber contra Priscill. & Orig. qui sexto August. tom. exstat. Quin in eâdem Leonis Magni tempore hunc pestilentis hæreseos morbum exarsisse, ostendit elegans ejus epistola ad Turibium, Asturiensem episcopum. Quamquam vero etiam extra Hispanias hæresis se latè extendit: semper tamen se Occidente continuit: unde est quod ejus nulla fiat mentio apud Græcos scriptores.

a Lib. de hæres. cap. 70.

Hactenus quod, pro instituto nostro, satis est, diximus de Gnosticis, Manichæis, Priscillianistis: cujus rei historia non tantum ad hoc utilis erit, ut meliùs intelligantur ea Patrum loca, vel gemina iis, quæ de libertate arbitrii superius citabamus; verum etiam ut clarè perspiciamus quatenus cum veteribus hæreticis in dogmate de arbitrii libertate conveniant aut disconveniant illi, qui seculo nostro liberum arbitrium impugnarunt. Nam ut nunc de Gnosticis ac Priscillianistis nihil repetam, ex illis, quæ fusè de Manichæis dicebamus, elucet sensisse eos

1. Peccata non provenire à libero arbitrio,
2. Ut quo homo destituatur;
3. Sed provenire ea à necessitate naturæ,
4. Quia ipsa hominis substantia mala sit;
5. Nec hominis substantiam, unde mala oriuntur, creatam à bono Deo,
6. Sed à principio alio, quod Deo sit coæternum.

Ab hisce omnibus abhorruerunt Patres Orthodoxi: nostro autem seculo aliqui quædam ex iis admisere, atque adeò propugnarunt: qui iccirco, utut in aliis Manichæismum execrentur, hac tamen in parte societatem cum Manichæis habere deprehenduntur. Sed est ea societas in his major, in illis minor. Major fuit Flaccii Illyrici, quia excepto solo capite sexto, quod est de principio mali æterno, cætera omnia fatetur ac propugnat. Quippe vult is unà cum Manichæis, ipsam hominis substantiam esse malam, quam non fecerit Deus, eamque substantiam esse caussam omnium peccatorum. Discrimen verò est in eo, quod Manichæi volebant substantiam semper fuisse malam, idque à principio quod Deo sit coæternum: sed Illyricus voluit naturam prius à Deo creatam bonam; diabolum autem eam depravasse, ac ut ipse dicebat, totam quasi ex cibo optimo in retrimenta cibi convertisse, ita ut forma substantialis perierit, nec quicquam de imagine Dei reliquum sit, sed solum supersit imago diaboli.

Hanc sententiam suam tuebatur Illyricus iis scripturæ locis, quibus ea in descriptione peccati originalis, utitur verbis substantiam significantibus, ut Genes. VIII. *Figmentum cordis humani malum est ab adolescentia.* Et ad Rom. VI. *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Et similibus locis. Aliisque quoque argumentis utebatur, quæ nunc nec repono, nec diluo, quia & libri ejus in manibus versantur, & solidè illis à variis est responsum.

Minorem vero cum Manichæis societatem habent quidam egregii aliqui doctores, qui tria istæc, quæ posteriori loco ponebamus, penitus aversantur: at tria, quæ initio collocabamus, non item. Quippe volunt

1. Peccata non ducere originem à libertate arbitrii,
2. Ut quæ nulla sit in homine, quamdiu actu regenitus non est,
3. Sed oriri ea à necessitate naturæ ad unum determinatæ.

Quandoquidem verò ii, de quibus nunc sermo est, quâ parte à nobis reprehenduntur, multis de caussis nominari minimè debent: atque adeò nec loca ipsa hic reponi attinet, quando fecere hoc ante nos alii, (nonnulli quidem ut amicè monerent, complures verò ut inimiciter exprobrarent, & ex iis quæ παράδοξα vel etiam ἄδοξα essent, præjudicium illis afferrent, quæ ὀρθόδοξα forent) supersedebo commemorandis ipsis præclarorum virorum nominibus ac verbis: quod facturi alioqui eramus, non quidem detrahendi animo, quod à moribus nostris alienissimum est: sed quo cuivis pareat cautè eos scriptores hoc in dogmate legendos esse, oportereque ut simus, quod dicitur, inter spinas calceati.

F I N I S.

IN-

I N D E X

eorum, quæ in Opere

HISTORIÆ PELAGIANÆ

ET

FRAGMENTO

DE MANICHÆIS ET STOICIS
continentur.

Numerus paginam, littera *a* primam, *b* secundam columnam denotat.

A.

Ju-

modo

 ha-

L.

L.

M.

Pri-

Q.

R.

S.

FINIS.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DISSERTATIO EPISTOLICA DE JURE MAGISTRATUS IN REBUS ECCLESIASTICIS.

INDEFESSUS AGENDO

AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, & GOETHALS.

M DCC I.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DISSERTATIO EPISTOLICA
DE
JURE MAGISTRATUS
IN REBUS
ECCLESIASTICIS.

Quoties cùm animo meo reputo prima reformationis tempora, eaque cum proximis, & illa item cum noſtris compono; toties, Magnifice Ampliſſimeque Domine, ſe maximum mihi offert argumentum infirmitatis humanæ: neque dubito, quin idem tibi uſu veniat ſæpiſſimè. Quid enim magis Luthero, aliiſque piis doctoribus primitus objici ſolet, quàm Papæ, & Eccleſiarum multarum diſſentientium autoritas? Sed Doctores noſtri ab Eccleſiis ad Scripturæ indicium, à Papa ad Magiſtratus judicium provocabant. Bona cauſſa multis locis triumphavit. Sed cùm Lutherus homo quoque eſſet, à quo iccirco humani nihil alienum putari debet, factum, ut cum bono ſemine zizania alicubi ſeminaret. Vidêre hoc alii, fortaſſe nec pietate nec eruditione inferiores: qui idcirco ſedulò ſibi adlaborandum judicarunt, ut à bono ſemine zizania diſtinguerentur. Hic qui in Lutheri ſententiam juraſſent, quaſi quæ de ſcripturarum unico ac perfectiſſimo canone dicta eſſent; adverſus Pontificios ſolùm valerent; ecce iiſdem, vel geminis planè armis aggredi eos auſi ſunt, qui zizania in Eccleſiis ſuis recens orta eruncare vellent. Nam ut Pontificii Pontificem, ita hi Lutheri ſectatores Lutherum; ut illi Eccleſiam Romanam, ita hi Eccleſias Saxonicas, & alias; ut illi mediæ ferè, aut infimæ antiquitatis concilia aliquot, ita hi, tanquam quod conciliorum ſibi multorum inſtar eſſet, confeſſionem Auguſtanam urgere adverſus diſſentientes cœperunt. Habuit hoc alios peſſimè: inprimis eos, qui in re Sacramentariâ ab iis diſſentientes, hac parte Zvinglium, & Calvinum ſequi ſe profiterentur. Aurem igitur iſtis vellere, memoriamque priorum temporum refricare; quibus armis iſtiusmodi pugnandum fuiſſet, cauſſa longè fuiſſent longè inferiores. Sed ſurdo canebatur fabula. Nam qui quaſi rerum dominarentur, hi, ut Pontificii olim, ita jam ipſi quoque in omnes à ſe diſſentientes de umbone, tanquam de plauſtro omnis generis convicia jactare cœperunt: communitati etiam omni in poſterum renuntiarunt. Atque in his tuebantur ſe Lutheri ipſius (quanti alioquin viri!) exemplo: qui ut multa iſtius farinæ omittam, (commemorare enim tædet) paullò ante exceſſum ſuum, ad Jacobum Probſt, paſtorem Bremenſem, virum, quod nec qui Lutherum tantopere ſectabantur diffiteri poterant, eximiæ pietatis, ſcribere hunc in modum non dubitavit: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio Sacramentariorum: & in viâ Zvinglianorum non ſtetit, & in cathedrâ Tigurinorum non ſedit.* Quod cum illis aureolum, & bracteatum quoddam dictum videretur, omnes, qui animum non habent affectibus impeditum, vident eſſe, non dico bullatas nugas, aut ineptam ac puerilem alluſionem, ſed impiam, & horribilem Pſalmi perverſionem. Nec intra convicia aut anathemata res ſtetit: ad carceres, ad exilia deventum; uti vel ſola indicium faciet Peuceriana carcerum hiſtoria, quam optimus, & doctiſſimus Pezelius ſcripſit. Tantum non quidem religio, ſed perperus affectus potuit ſuadere malorum. Tandem divinâ miſericordiâ, in Britanniâ, in Germaniâ, in Galliis, in Belgicâ efflorescere etiam Eccleſiæ cœperunt, quæ Papæ ſic jugum excuterent, ut à Luthero ſimul in συνουσίας dogmate diſſentirent. Ac aliquantiſper quidem hæ memores priſtinæ conflictationis & cum Papiſtis, & cum Lutheranis, nihil aliud urſêre, quàm Prophetica & Apoſtolica ſcripta, ſummumque in Eccleſiaſticis judicium magiſtratibus ſpontè detulerunt. Sed poſtquam plerique earum Doctores rem omnem in vado eſſe viderunt, inque veterum multorum locum jam ſucceſſerant oratores novi, adoleſcentuli, quam in Papiſtis prius, ac mox Lutheranis tantopere damnârant, hanc ipſi, cum alibi, tum imprimis in Belgicâ hac, calcare viam cœperunt. Si quod enim dogmatum ſuorum in dubium vocaretur, non jam ad ſcripturas ſolas, imò nec ad primævam antiquitatem provocari ſe patiebantur: ſed ut Lutherani illi Lutherum, ita hi Calvinum, aut Bezam: ut illi Auguſtanam Confeſſionem, ita hi Confeſſionem Belgicam, vel Catecheſin Palatinam: ut illi Saxonicarum, ita hi Reformatarum in provinciis hiſce jactabant conſenſum. Et quod dolendum inprimis erat, non minus quam priores, omnes à ſe ſententiis diſcrepantes, tanquam hæreticos differebant, & quos poſſent ſedibus ſuis deturbabant. Quæ quoties cogito, propè animum meum metus ſubit, ne & illi qui nunc, ob aliquem in Prædeſtinationis dogmate diſſenſum, tamquam καθάρματα traducuntur, ſi ſuperiores aliquando fiant, (liberè cur non apud te loquar?) ſimiliter excepturi ſint eos, qui diſſentire ab ipſis audebunt. Quippe & illi homines ſunt non minus quàm priores: & ſemper ſic, ut alios mittam, cum ipſo eruditorum vulgo ita comparatum fuit, ut, contemptis iis qui moderata ſuggererent conſilia, iis qui extrema ſequerentur ſe potius applicarent. Sed huic ſpero malo providebunt tempori viri aliquot præſtantes, qui inter ipſos plurimùm poſſunt: ac inprimis Magiſtratus ſummus, quem hæc antecedentium exempla poſſunt reddere cautiorem. Quod autem nunc illi qui receptiorem ſententiam tuentur mi-

pensè negant, vel transversum se unguem deflectere ab illâ disserendi ratione quam sequebantur qui primi Ecclesias Belgicas, vel domi, vel in exilio, docuerunt, hoc istiusmodi est, ut meritò dubites, utrum magis imprudentiæ, an impudentiæ tribui debeat. Hoc cur dicam, cum alia multa, etiam in vulgus notissima, testatissimum faciunt, tum imprimis historia isthæc, quam nomine nobilissimi Johannis à Lasco, Belgicæ Ecclesiæ in Angliâ Episcopi: item Martini Micronii, eruditissimi, & fidelissimi pastoris, & omnium Belgarum, aliorumque peregrinorum Londino profugorum, scripsit, divulgavitque nobilis & insignis vir Johannes Utenhovius, Ecclesiæ Belgicæ senior. Quanto profectò aliter, quàm hodie hic fit, disputabant illi, cum Lutheranis Coldingæ, Wismariæ, Hamburgi, atque alibi. Non visum hic universam istorum temporum historiam percurrere; sed contentus ero, ex multis aliqua delibasse, è quibus de cæteris non obscura fiat conjectatio. Coldingenses quidam pastores erant, nomine Paulus Noviomagus, & Henricus Sylvæducensis. Cum his nostri pium aliquod colloquium poscebant. Negabant contra illi, eo quicquam opus esse, cùm nec Rex, nec ipsi minimum de Regni Danici doctrinâ dubitarent. Nempe similiter ac (lubet enim isthæc cum nostris temporibus conferre) dicentes audivimus quosdam, posse Pyrrhonios istos, ut vocabant, inter sese catechesin examinare ad scripturarum stateram: sibi hoc factu nihil opus esse, qui nec de particulâ ejus minimâ dubitarent. Sed quid hic à Lasco, Micronius, Utenhovius? Nempe tales præjudicio peccare arbitrabantur, planeque statuebant, non tantùm cum zizania spontè aut fortuitò oculis sese offerunt, de evellendis iis consilium capi oportere, sed sollicitè etiam inquirendum, nihilne zizaniorum uspiam reperiamus, cùm inimicus homo ea soleat spargere, dormientibus iis quibus cura agri Dominici incumbit. Sed pergamus. Dicebant Lutherani, negari à nostris clara Scripturæ verba: HOC EST CORPUS MEUM. Nempe simili ratione, ac Ecclesiastæ illi, qui cùm de Electionis & Reprobationis absolutæ dogmate disputant, clara esse ajunt verba Apostoli Rom. IX. ac Reprobationem aliquam conditionatam inducentibus, priusquam quod volunt persuadeant, totum illud caput è sacris literis surcillandum esse. Sed quid in simili controversiâ A Lasco, & alii, quos diximus? *Ipsum Noviomagum superiori concione docuisse, & quidem rectè:* VERITATEM *cujusque doctrinæ probandam non esse unius alicujus loci in Scripturis testimonio, sed unanimi totius Scripturæ consensu.* Objiciebant deinde nostris, quod omnia carnis judicio metirentur. Quis nescit hodie oggeri illis, qui absolutam Reprobationem negant? Sed audiamus A Lasco, & alios. *Multa sunt alia in religione nostrâ capita, magis multo rationis nostræ judicio repugnantia, quæ tamen nos omnia per Dei gratiam indubitatâ fide amplectimur, abnegato omni rationis nostræ judicio, eo quod illa certis divini verbi testimoniis niti atque insistere videamus: idem & hic multo libentissime facturi, si idem videamus.* Objiciebant item, quod per Daniæ Regnum jam alia de Cœnâ sententia obtineret: nempe ut nunc quidam in Prædestinationis dogmate Ecclesiarum Belgicarum, (quàm verè non disputo) autoritate se tuentur. Responderunt nostri Lutheranis istis; *Doctrinæ sanæ veritatem petendam nobis esse, non sanè è regnorum, sed ex verbi divini certâ ac solidâ autoritate.* Criminabantur item nostros, quod dissentirent à Luthero, ac Saxonicis Ecclesiis; quod Augustanâ Confessione damnarentur. Nempe haut aliter, ac nunc quidem semper crepant Calvinum, Ecclesias Belgicas, Confessionem, aut Catechesin: quæ fortasse tamen non usque adeò illis patrocinantur. Sed quid hic iidem illi laudatissimi viri? Dicimus, inquiebant, *Lutherum ac Saxonicas Ecclesias, denique & Augustanam Confessionem non esse Catholicam Ecclesiam: nos Lutherum pro insigni Dei organo habere, sed illi nihilominus Spiritum Sanctum juxta mensuram datum fuisse: hunc honorem solis nos Propheticis & Apostolicis scriptis deferre, ut nihil contineant quod non certâ fide sit amplectendum: cæterùm, in scriptis Lutheri* (de Calvino idem dicere possumus) *luculenta extare testimonia, illum sibi non perpetuo, neque per omnia constare. Quare & Lutheri scripta, & ipsam adeò Augustanam Confessionem, ad scripturæ regulam & legitima Ecclesiarum judicia revocanda esse: neque ex Lutheri dogmatis, aut etiam ex August. Confessionis autoritate, ita præjudicandum esse, ut scindantur Ecclesiæ, utve sanctorum communio in Catholicâ Dei Ecclesiâ (contra fidei nostræ confessionem) violetur.* Verba profectò aurea. Porro quia Paullus Noviomagus hæreseos accusârat nostros publice in concione; respondêre ad illud in hunc modum a: *Contra doctrinam Evangelii* [a P. 71.] *factum dicimus; quandoquidem nemo de alterius condemnatione pronunciare aut potest aut debet in Ecclesiâ, quem non constet publicè à fundamento Apostolicæ Confessionis, Petri ore prodita, excidisse.* b Et aliquanto [b P. 72.] post addunt: *Nos hujus controversiæ nomine neminem unquam aversati sumus, sed in fraternâ charitate tulimus; & ferendos esse putavimus omnes, qui modo nos vicissim ferre volent, donec Dominus controversiam hanc per gratiam suam componat, eo quod omnes fundamentum Confessionis Apostolicæ pariter retineamus.* Quod ipsum in Prædestinationis controversiam multò etiam justiùs dici possit. Alia quoque hujus generis in istoc Coldingensi colloquio legi possunt. Sed nihil nostros ulla juvit defensio sui: verum extremâ in afflictione, mediæ hyemis tempestatibus, sexaginta circiter familiæ, (quos inter decrepiti, pueri, matronæ gravidæ) summo cum vitæ periculo regno ejecti sunt. Sed operæ etiam fuerit delibare dissertationem, quam Hamburgi Micronius habuit cum Joachimo Westphalo, eo adversus quem & Calvini exstant quædam. Is tanquam Achilleum c argumentum [c P. 195.] objiciebat Micronio, *De veritate doctrinæ nostræ Sacramentariæ nihil est ambigendum; cum ea in omnibus Saxonicis & Orientalibus Ecclesiis, ut a sanctissimis viris & præceptoribus suis eam acceperunt, unanimi consensu tradatur. Falsa igitur & repudianda est contraria Zvinglii sententia, quæ in prædictis Ecclesiis est damnata.* Præclarè respondet Micronius d: *De controversâ aliquâ do-* [d P. 196.] *ctrinâ non ex unanimi multarum Ecclesiarum consensu, sed tantùm ex concentu Propheticæ & Apostolicæ statui debet.* ALIOQUI TRIUMFARET PAPA. Tum Westfalus: *Ecclesiæ nostræ Saxonicæ sunt Ecclesiæ Dei.* Hic Micronius: *Ecclesia Dei ex loco æstimari non debet. Ut que Londinum non facit Ecclesiam Dei, ita nec Hamburgum, aut Lubeca. Nulla præterea est Ecclesia præter Propheticam & Apostolicam, quæ non in quibusdam hallucinari quandoque possit, quod ipsum quoque Lutherus docuit.* Addimus, *Et Calvinus.* Sed quid Westfalus hic? *Quod Lutherus Ecclesiam scribit errare posse, de Papisticâ non de Christi sensit Ecclesia.* Respondet Micronius: *Imò de vera Christi Ecclesiâ loquitur Lutherus, quæ ex humanâ quadam imbecillitate in quibusdam nonnunquam impingit. Ex parte enim prophetamus. Et fit aliquando, ut eximius aliquis doctor alicubi turpiter hallucinetur, quem mox deinde alii, præpostero quodam zelo incitati, temerè & pertinaciter imitantur. Hinc etiam sæpe errores in Ecclesiâ oboriuntur.* Verissimè, verissime. Quare optimè ibidem sic colligit Micronius: *Proinde approbanda venit doctrina Ecclesiæ omnis, non ex Ecclesiarum aliquot consensu, sed verbi divini autoritate.* Objiciebat Westphalo Micronius: quod in libello suo, cui titulum fecisset DE RECTA FIDE, doctrinam suam sacramentariam Ecclesiæ judicio subjecisset, eoque examen ejus subterfu- [e P. 201.] gere non deberet. Respondet Westfalus e: *Ego doctrinam meam sacramentariam non Londinensi, sed Ecclesiæ Dei Hamburgensi judicandam proposui.* Similiter hodie multi in Prædestinationis dogmate nullis se Ecclesiis subjicere volunt, nisi quas idem secuti sentire habeant [f P. 206.] persuasum. Ait idem Westfalus f: *Si dubia adhuc esset nostra doctrina, graviter peccasset Senatus noster, &*

Sere-

Serenissimus Daniæ Rex, qui adversum vos decreta tulerunt. Optimè respondet Micronius: SIMILIBUS ARGUMENTIS FACILE OMNES VICERIT PAPA.
a P. 214. Ait Westphalus a: *Contra vestram doctrinam Comitiis Augustanis pronunciatum est.* Micronium hic audiamus: *Non video vos justam habere caussam tantopere gloriandi de Augustanis Comitiis, cùm ea in eum finem instituta non sint, ut ibi audita priùs utraque parte certi aliquid de re sacramentaria statueretur: sed fuit tantùm nuda fidei confessio, quæ nullo modo Concilii legitimè congregati autoritatem obtinere potest.* Quod ipsum de Belgicâ Confessione dicere possumus. Quemadmodum & quòd continuo subdit: *Siquidem Concilia omnia adhuc subjacent scripturarum autoritati, quanto magis Confessio Augustana!* Alibi quoque recensetur in eadem historiâ colloquium à Micronio habitum Wismariæ cum Doct.
b P. 146. Smetenstedio. Hic, cum Micronius dixisset b, *Magistratus posse colloquii testis esse ac* JUDEX: respondet Doctor ille, *Magistratus? quid ille de religione intelligit? Petamus Rostochium & ad Doctores aut Superintendentem proficiscamur, qui de colloquio judicare poterunt.* Nempe non alios judices admittit, nisi à quibus certam sibi victoriam videt. Quid Micronius autem ad hæc? *Siccine*, inquit, *Magistratum contemnis Doctor?* QUO JUDICE, PRECOR, PAPAM PRINCIPIO VICIT LUTHERUS, AB OMNIBUS TUNC DOCTORIBUS SCHOLASTICIS PASSIM DAMNATUS? Sed exscribillandi modus tantum esto. Abundè sanè ea, quæ adduximus, ostendunt quod superius dicebam, illos qui primi Ecclesias Belgicas collegerunt repurgaruntque, semper à Doctorum quorundam sensu, Ecclesiarumque quarumdam consensu ad Scripturarum judicium, & Magistratus judicium provocâsse contra eos, quibuscum illis Doctoribus nostris negotium fuit; haud secus ac hodie quidam occipiunt è nostris. Nam ovum ovo similius non est, quam illa quæ vidimus Lutheranorum argumenta, & ista nostrorum, qui absolutam tuentur prædestinationem, nec Magistratus judicium in Ecclesiæ rebus admittunt. Nec tamen par omnium hîc immodestia: sed quò imperitior quisque, hoc minus rationi locum præbet. Α'εὶ γὰρ ἀπειρήτων νό@ ἀνδρῶν
c A'λιευ. α. Δύσμαχ@, οὐδ' ἐθέλει γὰρ ἀπεχθέστατ πείθεσθαι: c ut optimè olim Oppianus. Atque ut ingeniosissimus poëta alicubi ait, *Non plus his cordis, sed minus oris adest.* Plus modestiæ (quemadmodum & eruditione plerosque ordinis sui vincit) retinuit Anton. Wallæus, cujus scriptum de jure Magistratus in Ecclesiasticis dicere possum ἀνέγνων καὶ ἔγνων, ὃ κατέγνων ἁπλῶς addere non possum, ne merito audiam illud quod desertori Juliano respondebat Basilius, ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως. Ita multa in eo scripto reperi, quæ meliorem mentem, majoremque modestiam spirent. Sanè siquis ea ex opere excerpta in unum congerat, simulque oculis subjiciat, vix ampliùs aliquid requisiturus videatur. Sed tamen duobus nominibus peccat gravissimè. Nam adversarii sui mentem, quam non capit, carpit; eumque se oppugnare credi vult, cùm suum oppugnat somnium. Adhæc quæ scribit minimè videntur ἀκόλουθα καὶ ὁμόφωνα. Nam cum summum in Ecclesiasticis imperium neget esse penes αὐτοκράτορος, ea tamen passim dicit, ex quibus colligere hoc potuisset, si mens non læva fuisset. Omnis erroris fons & caput, quòd confusè indistincteque singula consideret & tractet, cùm hîc vel maximè habeat locum illud Stagiritæ philosophi, Οὐκ ὀκνητέον τοῦ διαιρεῖν. Id quò pateat, priùs quidem universè ac generatim ostendam Magistratui summo etiam in Ecclesiasticis competere jus summum: deinde verò aliquammulta, imò præcipua ferè Wallæani operis ad trutinam Scripturæ, & rectæ rationis expendam. Nec ignoro quàm tu hæc longè melius me intelligas, sed nec ingratum me facturum spero, si meum quoque hac de re judicium perscribam.

Ac penes Principem quidem seu Magistratum summum esse imperium supremum rerum Ecclesiasticarum; quatenus quidem penes mortalium quemquam potestas earum esse potest, solidè comprobatur, partim Dei ipsius mandato, annexaque promissione, & comminatione: partim exemplis piorum Principum, quæ nobis in S. Scripturâ proponuntur, & commendantur: partim rationibus, quibus Magistratus circa Religionem tum indirectim, tum directim habere imperium ostenditur: partim exemplis Christianorum Principum, quæ scriptoribus Ecclesiasticis continentur: partim auctoritate veterum, recentiorumque Patrum, qui potestatem hanc tribuunt Magistratui summo: partim judicio, ac confessione scriptorum externorum, qui & ipsi, velut rationis quodam ductu, imperium circa impiam religionem suam tribuunt Principi suo: ac Principum ipsorum, qui in impiâ religione suâ jus illud usurpârunt. Hæc omnia quidem cum cura tractare velle, scio res fuerit ingentis commentarii. Verùm nos ex immensâ sylvâ tantummodo paululam struem congeremus. Ut igitur inde ordiamur, jubet Christus Matth. VI. 33. ut primum quæramus regnum Dei, ac fore spondet, ut cætera omnia adjiciantur nobis. Quod mandatum, cùm privatum quemque tangat, tum eos inprimis, quibus non sui tantùm, sed publici etiam cura incumbit: quibus regnum Dei in Remp. inducendum, promovendum, curandum, conservandum. Itaque & Psl. II. 10, 11, 12, sic eos per Davidem compellat: *Nunc ergo, Reges, animadvertite, eruditionem percipito, ô Judices terræ. Colito Jehovam cum reverentiâ, & exultate cum tremore. Osculamini filium ut non irascatur, & pereatis in viâ, cùm exarserit vel minimùm ira ejus. Beati omnes, qui se recipiunt ad eum.* Ubi reges compellat Deus, non velut aliquos ex societate humanâ, sed tanquam Reges; quos non sibi tantùm colere pietatem velit, sed curare, ut eandem subditi exerceant: quemadmodum optimè ea verba declarat Augustinus, ut infra videbimus. Huc quoque pertineat, si recta interpretatio, locus ille Psl. XXIV, 7. *Attollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ infernales, & introibit rex gloriæ.* Psl. LXXV. 4, ait David, *solutas columnas terræ aptabo.* Ubi Spiritus S. (ut quidam aptè satis eum locum exposuit) columnas terræ vocat statum secularem, & ecclesiasticum, sive imperium in rebus civilibus, & ecclesiasticis: quæ duo imperii statumina, & firmamenta per diuturnas Saulis clades attrita, ac penè confracta instaurare se velle ait David. Huc pertinent quoque illustria Magistratus elogia, ut quod Es. XLIX. 23. dicuntur *nutritii Ecclesiæ:* quodque Psl. LXXXII. audiunt *Dii estis, & filii altissimi.* Nam ideò Deus hoc eos titulo dignatur, quia munus gerant divinum, præcipuaque imperii pars versetur circa ea, quæ ad Dei gloriam, & animarum salutem pertineant. Quòd si exempla petuntur, supperunt ea in Davide, Salomone, Asa, Josaphata, Ezechia, Josia, Jehu, aliis. Non inhærebo iis commemorandis, partim quia omnium inculcantur libris, partim quia selectissima illa testimonia sufficiunt, quæ ad edictum Ill. Ordd. adscripta sunt, ex 2 Chron. VIII. 2. XVII. 6, 7. XXIV. 4. XXIX. 4. XXX. 1. XXXIV. 3. XXXV. 2. Nec pœnarum exempla, quibus Deus punivit ejus mandati neglectum, quisquam arbitror requirat, qui vel hoc solum cogitet, propter Salomonis idololatriam regnum ejus fuisse divisum: multosque Samariæ Reges ob Religionis neglectum periisse, ipsasque tandem decem tribus hac propter funditus propè fuisse deletas.

Scripturarum autoritati succedat pondus rationis.

Nam si vel temporalia solum curare Reges seriò velint, ne sic quidem Religionis cultum negligere debeant, cùm cultus divini contemtus ac negligentia fons sit infelicitatis ac multorum malorum: uti contra sincerus Dei cultus in temporalibus quoque magnam adfert felicitatem. Quâ de re vide integrum Deuteronomii

cap.

cap. XXVIII. quo nihil illustrius. Similiaque legas 2 Chron. XVII. 3, 4, 5. &c. XXVI. 5, 6, 7, 8. XXVII. 3, 4, 5, 6, 7. XXVIII. 6, 7, 8, 9, 10. XXIX. 6, 7, 8. XXXI. 21. XXXII. 27, 28, 29, 30. &c. Itaque Constantinus M. (uti Nicephorus scribit lib. VII, cap. XLVI, *publicitus omnes cohortatus est, ut imprimis divinum numen piè colerent: ita enim fore, ut omnia eis abunde prorsus suppetant: omniaque cœpta cum spe optimâ feliciter cedant: sin à pietate tali, & veri Dei religione aberrarent, nihil eos & pace & bello, quàm res adversas exspectare debere confirmans.* Etiam Theodosius moriens (uti idem Nicephorus scribit lib. XII. Eccl. Hist. cap. I.) nihil aliud filiis mandavit, quàm ut veram pietatem servarent illibatam, eoque eos argumento quoque inflammabat, *quod per hanc habituri essent pacem, bellum sopituri, trophæa excitaturi, & victoriam à Deo consecuturi.* Cui geminum illud Cyrilli penè initio libri de rectâ fide ad Theodosium: *Impii reges plurimum miseri ac mali malè perierunt: contrà vero pietatis cultores sine labore vincebant inimicos, & adversariis prævalebant.* Fusè deinde è Scripturis idem probat. Addamus & illud Leonis Magni ad Martianum Imp. epist. XLII. *Magnam materiam gratulationis accepi, quia studiosissimos vos Ecclesiasticæ pacis agnovi: cui sancto desiderio dignâ æquitate confertur, ut quem statum cupitis esse religionis, eundem habeatis & regni. Nam inter principes Christianos spiritu Dei confirmante concordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur: quia perfectus charitatis & fides, utrorumque armorum potentiam insuperabilem facit, ut propitiato per unam confessionem Deo, simul & hæretica falsitas, & barbara destruatur hostilitas, gloriosissime Imperator.* Pertinet huc quoque illud Tullii de Aruspicum responsis p. CCXLVIII. *Nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso ejus gentis ac terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos; sed pietate ac religione, atque hac sapientiâ, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.*

Jam verò non tantum indirectè & propter temporalem felicitatem, curam religionis rex debet: sed etiam directè & propter se, ut qua pars principalis ac quasi
a P. 423. editionis Wouwer. p. 462. anima sit imperii. Quippe ut Ammianus lib. XXIX. ait, a *Nihil aliud est imperium, ut sapientes definiunt, nisi cura salutis alienæ.* Atque ut idem ait lib. XXX. *Finis justi imperii, ut sapientes docent, utilitas obedientium æstimatur, & salus.* Atqui, qui illud satirici novit, *optandum est ut sit mens sana in corpore sano*, is sciat salutem non solius esse corporis, sed etiam animæ: ac quanto anima præstantior corpore, tanto hujus salutem potiorem censendam corporis sanitate. Si igitur sapientes, ut Ammianus ait, salutem alienam finem esse statuunt Imperii; potissimum animæ salutem curare debet Princeps: præcipua autem, imo vera animæ salus est æterna animæ salus: quam iccirco optime finem Principis facit Thomas Aquinas sive alius libro de regimine Principis, cum alibi, ut infra videbimus, tum cap. ult. ubi ait, *divino cultui rex toto conatu incumbere debet, tanquam debito fini, non solum quia homo est, verum etiam quia dominus & rex est.*

Idem quoque eo evincitur, quòd Magistratus Homero dicuntur ποιμένες λαῶν. Cui consentit Xenophon, cùm lib. VIII. de instit. Cyri, *similia esse* ait *opera boni pastoris & regis: nam & pastorem præstare, ut pecora habeant feliciter, & iis uti, si pecudum ulla felicitas esse possit: & regem iisdem urbes hominesque facere beatos, atque iisdem uti.* b Τόν τε γὰρ νομέα χρῆναι, ἔφη,
b P. 124. edition. H. St. a. 1571. εὐδαίμονα τὰ κτήνη ποιοῦντα, χρῆσθαι αὐτοῖς (ᾗ δὴ προβάτων εὐδαιμονία) τόν τε βασιλέα ὡσαύτως εὐδαίμονας πόλεις καὶ ἀνθρώπους ποιοῦντα, χρῆσθαι αὐτοῖς. Quantum igitur εὐδαιμονίαν pecudum (sic loqui liceat) curat pastor: tantum rex procurabit hominum εὐδαιμονίαν: atqui hæc non corpus solum respicit, sed animam quoque, atque id imprimis: ut etiam in Nicomachiis Aristoteles sentit. Sed fortius etiam idem probat, quòd Princeps & dicitur & est patriæ parens: ut Augustinus ait lib. XIX. de C. D. cap. XIV. *Imperant qui consulunt, sicut vir uxori, parentes filiis, Domini servis.* Quod igitur jus competit patrifamilias in domo suâ, idem aut majus etiam (nam paternum jus à principali determinari potest) convenit Principi in Rep. Atqui patris boni officium est curam gerere non corporis solum, aut bonorum terrenorum: sed etiam & cumprimis quidem eorum quæ animam tangunt: hæc verò inter quin Religio familiam ducat, quis sanus dubitat?

Quod si exemplis etiam Christianorum principum movemur: inde quoque clarissimum evadet, Principis munus esse publicitus Religionem instituere, institutam conservare & defendere. Constantinus M. in literis ad Ecclesias apud Eusebium lib. III. c. XVI. *Τοῦτο γοῦν μάλιστα ἔγνων εἶναί μοι προηγούμενον σκοπὸν, ὅπως παρὰ τοῖς μακαριωτάτοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πλήθεσι πίστις μία, καὶ εἰλικρινὴς ἀγάπη, ὁμογνώμων τε περὶ τὸν παγκρατῆ θεὸν εὐσέβεια τηρῆται.*

Idem Constantinus legem tulit, ut basilicæ Catholicorum, quas Donatistæ occupassent, Catholicis redderent, nec quas ipsi fabricassent retinere permitterentur: cujus rei meminit Augustinus epist. CLXVIII, ad Januarium, & contra Parmenianum lib. I, cap. ult. & contra Petil. lib. II, cap. XCII. Etiam edictum contra Arrium tulit, in quo hæc inter alia: *Si quid compositum ab Arrio reperiatur, ut igni id tradatur volumus. Illud etiam mandatum, ut, si quis librum ab Arrio compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum igne combusserit, morte multetur.* Vide Socrat. lib. I, cap. VI. Sozom. lib. I, cap. XX, & Niceph. lib. IIX, cap. XXV. Etiam apud Eusebium de vita Constant. lib. III, cap. LXII. & LXIII. Lex ejusdem exstat adversus hæreses omnes. In cujus fine hæc legere est: *Nostra enim prospera, ac beata vitæ rationi, quâ Dei beneficio fruimur, est admodum consentaneum, ut qui ætatem bonâ spe sustentatam degant, ab omni vago, & cæco errore, ad rectam viam, à tenebris ad lucem, ab inscitiâ ad veritatem, à morte denique ad salutem traducantur. Ac quo provisio hæc in curandis erroribus robur & firmitatem sibi necessariam assequatur, mandavimus, ut supradictum est, ut omnia superstitionis vestræ loca, in quibus convenire soletis, omnia dico hæreticorum templa, (si modo templa appellare convenit) sine recusatione, aut controversiâ diruantur, & diruta absque morâ catholicæ tradantur Ecclesiæ, reliqua loca publico Reip. usui addicantur, ne ulla vobis in posterum conventuum celebrandi relinquatur facultas. Sit igitur hoc ratum statutumque, ut post hunc diem in nullo loco, vel publico, vel privato nefarii vestri conventus, in unum coire audeant.* Hujus legis occasione hæreticos, & schismaticos paullatim ad Ecclesiam rediisse, præter Eusebium eopse & seq. capite, auctores sunt Sozom. lib. II, cap. XXX; & Nicephorus lib. VIII, cap. LII. Etiam filius hujus Constantius, priusquam Arrianus fieret, Epistolâ ad Tyri episc. hæc inter alia scripsit: *Certi sitis, me omni ope adnisurum, ut ea quæ sunt legis Dei, quàm maximè inoffensa, illabefactaque, serventur, profligatis scilicet, & contritis semel inimicis legis, qui sub specie sancti nominis, multiplices & diversas blasphemias inferunt.* Vide Athanas. apol. 2. Idem adversus Donatistas Macarium præfectum suum misit: qua de re Optatus lib. III. adversus Parmen. Constantio successit Julianus desertor: huic Jovinianus, de quo sic Gregorius Nazianz. Orat. XXI, quæ est in laudem Athanasii, a ὃς ἵνα ἄριστον ἑαυτῷ προκαταβάληται a P. 394. Ed. Morell.
τὴν βασιλείας κρηπῖδα, &c. *Qui Jovinianus, ut pulcherrimum imperii sui fundamentum jaceret, rectamque legum sanctionem, unde conveniebat, auspicaretur, cum omnes alios Episcopos, tum eum ante omnes, qui omnibus virtute præstabat, ac citra dubitationem ullam pieta-*

pietatis causâ oppugnatus fuerat, ab exilio revocat. Quin etiam fides nostra veritatem à multis laceratam & perturbatam, atque in sexcentas opiniones partesque distractam, sibi tradi postulavit: ut maxime quidem universus orbis, si fieri posset, in fidei negotio conjemeret, Spiritusque auxilio in unum coiret: sin minus, ipse certe optimæ parti sese adjungeret, simulque & ei robur afferret, & ab ea vicissim acciperet, excelse simul & magnificè de rebus maximis cogitans. Valentinianum etiam contra Donatistas legem tulisse scribit August. epist. CLXVI. Gratiani, Valentiniani junioris, & Theodosii senioris lex est apud Theodoretum Eccles. Histor. lib. V, cap. 13, & Sozom. lib. VII, cap. IV. *Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione manere, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio hucusque ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, &c.* Item ista: *Episcopis tradi omnes Ecclesias mox jubemus, qui constabit communione Nectarii Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ esse sociatos, &c.* Aliam quoque vide Cod. de summa Trinit. lib. 2. De Donatistis etiam quædam à Gratiano & Theodosio constituta esse docet Augustinus epist. CLXVI. Idem Gratianus edictum emisit, quo universi hæretici, non Ecclesiis tantum, aut urbibus excedere juberentur, sed etiam extra terras omnes propellerentur: quâ de re vide Sulpitium Severum Hist. sacræ lib. II, num. 69. Idem Theodosius Magnus Demophilum Arrianorum Episcopum Ecclesiis Constantinopolitanæ urbis jussit excedere: eaque ratione factum, ut reliquas etiam Ecclesias recuperarent Catholici, quas sexaginta jam annis Arriani occupârant. Vide Sozom. lib. VII, cap. V; & Niceph. lib. X, cap. IIX. Idem Sozom. lib. VII, cap. XII; & Niceph. cap. X, lib. XV, testatur ab Theodosio Magno legem latam, ut sectarii neque conventus agerent, neque doctrinam fidei profiterentur, neque Episcopos, aut alios ordinarent. Quæ lex exstat in cod. Theod. uti & aliæ multæ ad Religionem pertinentes: unde Hieronymus Epist. ad Paulinum, panegyrici pro Theodosio mentionem faciens his verbis: *Et utilitatem legum futuris seculis consecrasti.* Illustre etiam est, quod Socrates de eo narrat lib. V. Histor. Eccles. cap. X. *Determinata*, inquit, *die cujusque religionis Episcopi ad aulam vocati conveniunt. Aderant igitur Nestorius & Agelius Homusianæ fidei antistites: Arrianæ verò Demophilus: Eunomianæ ipse Eunomius: Macedonianæ Eleusius Cyzicenus. Ubi convenissent excipit eos Imperator, & accepto cujusque dogmatis scripto, seorsim Deum impensè orat, ut se ad eligendam veritatem adjuvet. Deinde lecto cujusque dogmatis scripto: reliqua omnia, tanquam separationem sanctæ Triadis inducentia reprehendit, ac carpit, solum verò, quod homusianam fidem continebat, laudat & complectitur.* Hic verò videmus, ut etiam solus Imperator, Religionis controversiam decidit. Finem de Theodosio faciam, ubi adjecero hæc verba Ambrosii, de ejus obitu: *Theodosium Imperatorem dilexi: virum, qui cum jam corpore solveretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis angebatur.*

Ejus verò zelum, hac parte imitati quoque filii ejus Arcadius, & Honorius, quorum hic etiam inter duos Episcopos judicans, falso episcopo deposito, verum restituit, ut ait Turrecremata lib. IV. Summæ, part. 1, cap. 9. Ac quemadmodum Theodosium Arcadius, & Honorius: ita Arcadium quoque suus secutus filius Theodosius Junior, hunc item Marcianus: quorum de Religione leges, & plures sunt, quàm ut huc congeri possint, & obviæ magis, quàm ut nunc referri debeant. Non possum tamen præterire hæc Theodosii, & Valentiniani verba, ad Hormisdam Papam: *decere arbitramur nostrum imperium, subditos nostros de religione commonefacere, &c.* Et illa imprimis: *Inquisitio veræ religionis præcipua est sollicitudo majestatis imperialis.* Item hæc eorundem Ep. XVII, earum quæ vel Cyrilli, vel inter Cyrillianas leguntur: *A pietate, quæ in Deum est, Resp. nostra constitutio pendet, &c.* Sed nihil illustrius verbis eorundem, quæ ad Ill. Ordd. edicta citantur ex lib. II. Novellarum Theodosii tit. 2. De Marciano verò tantum dicam, Evagrium Eccl. hist. lib. II, cap. 1; & Niceph. XV, cap. 1, testari, inprimis hoc eum studuisse, ut sublatis hæresibus vera Religio, & rectus Dei cultus doceretur. Ejus quoque successor Leo, constitutiones priorum Cæsarum, pro orthodoxâ Religione confirmavit: ut scribunt Episcopi Ægypti Epist. lib. 1. ad Leonem Imp. Eadem mens Justini Senioris: cujus legum pro Religione meminit Niceph. lib. XVII, cap. 2. Justinianus quoque Epiphanio Archiepiscopo scribens: *Nos*, inquit, *maximam habemus sollicitudinem, circa vera Dei dogmata, & circa sacerdotum honestatem.* Et constitutione Novella XLII. de Episcopis, & Clericis, restituta ab Antonio Augustino: *Sed nos omni providentiâ curam Ecclesiarum gerimus: per quas, & imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei, ac gratiam muniri credimus.* Exstat etiam, ut cætera mittam, Justiniani edictum, *de summâ Trinitate, & fide Catholica*: quo, ut in argumento ejus merito scribit Ant. Contius, *vix quisquam patrum, aut episcoporum, pleniorem, ac luculentiorem fidei expositionem emisit.* Procopius verò minimè audiri debet, cum Imperatorem summum eo nomine sugillat, quod intra Palatii secreta de mysteriis fidei cum Sacerdotibus, quàm de re bellicâ cum Senatoribus colloqui mallet. Mitto Justini Junioris, Constantini Pogonatæ, aliorumque Constitutiones, de quibus ex Novellis, Nicephoro, & cæteris constat. Nempe Socrates lib. V, scribit in proœm. Ἀφ' ἧ οἱ βασιλεῖς χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι, τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. Similiterque postea animati fuerunt Theodoricus Italiæ Rex, qui secundum Symmachum judicans schisma sustulit: ut agnoscit Turrecremata loco ante citato. Item Karolus, Ludovicus, Lotharius, uti Ecclesiasticæ leges ostendunt, ab Ansegiso collectæ. Nec putandum, vel eos quos diximus hactenus, vel Principes Christianos, (quos omnes recensere sit longum) hoc sibi juris vindicâsse Episcopis invitis. Imo verò illud suscepisse volentibus episcopis, ostendunt ea SS. Patrum loca, quibus Cæsares ad illud capessendum adhortantur, & gnaviter eo fungentes, summis laudibus extollunt. Hujusmodi jam adduximus aliqua multa: Addam verò & alia, quo res fiat manifestior. Justinus sanè Martyr apologia ad Antoninum Imper. *a* cum paratum se dixisset denuo de Christianâ Religione cum Imp. colloqui, addit hujusmodi κοινωνίας τῶν λόγων βασιλικὸν εἶναι ἔργον. Clarius etiam Gregorius Nazianzenus. *b* Cum consummasset Jesus hos sermones, &c. Ταῦτα καὶ λαϊκοῖς νομοθετῶ· ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἐντέλλομαι, ταῦτα καὶ τοῖς ἄρχειν πεπιστευμένοις· βοηθήσατε τῷ λόγῳ πάντες, ὅσοις τι δυνατὸν βοηθεῖν ἐν θεῷ. εἰ τοῦτο ὁ ἐμὸς λόγος δυνήσεται πλέμων ὑπὲρ τῆς ἁγίας τριάδος, ἔστι τι πρᾶγμα. Augustinus contra literas Petiliani cap. XCII. *Habent ergo Reges, excepta generis humani societate, eo ipso quo reges sunt, unde sic Domino serviant, quomodo non possunt, qui Reges non sunt.* Et lib. II, contra Cresconium Grammaticum, cap. LI: *Reges cum in errore sunt, pro ipso leges contra veritatem ferunt; cùm in veritate sunt, similiter contra errorem pro ipsa veritate decernunt: ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali. Rex Nabuchodonosor perversus legem sævam dedit ut simulachrum adoraretur: idem correctus, veram, ne Deus verus blasphemaretur. In hoc enim Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt; si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad divinam religionem.* Quibus gemina habet de correctione Donatistarum, ad Bonifacium cap. VI. Idem eopse h. e. de Donatistarum correctione

a P. 37. ed. Com.

b P. 509. ed. Morell.

ne libro cap. XIII. *Nondum autem agebatur quòd paulò post in eodem Psalmo dicitur. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini sunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit quia homo est, aliter quia etiam & Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia verò etiam Rex est, servit leges justa præcipientes & contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerant constructa destruendo: sicut servivit Josias talia & ipse faciendo: sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo: sicut servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo: sicut servivit Nabuchodonosor, de quo jam diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo, lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, quum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges. Quum itaque nondum Reges Domino servirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania, adversum eum & adversus Christum ejus, ut Prophetarum prædicta omnia complerentur, non utique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri; hic enim ordo temporum volvebatur, ut & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium Deo facere, sicut prædixerat Christus, & gentes fremerent adversus Christianos, ut omnis patientia Martyrum vinceret. Posteà verò quam cœpit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient illi: quis mente sobrius Regibus dicat, Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse religiosus, sive sacrilegus? quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus?*

Hæc August. apud quem & alia ejus generis non pauca legas. Leo Magnus ad Theodosium Augustum Epist. XI: *Pro integritate fidei Christianissimum principem convenit esse sollicitum.* Vide & Ep. XXV, ad eundem. Idem Epist. LXXV. ad Leonem Augustum: *Cum enim Clementiam tuam Dominus tantâ sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solùm ad Mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam,* &c. Gregorius magnus quoque Mauritium Augustum laudat, *quod conservandæ sacerdotali charitate, & custodia fidei, rectitudine studii spiritualis, præcipua sollicitudine invigilet.* Vide lib. IV. epist. LXXVI, & CLXIII, quarum utraque ad Mauritium scripta. Isidorus Hispalensis lib.
a P. 686. III. Sentent. cap. LI a: *Cognoscant principes seculi, Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ, per fideles principes: sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Bernardus serm. XLVI. super
b Col. 704. ed. Antuer. Cantica b. *Quomodo namque stabunt Ordines clericorum, & administrationes eorum, si non principum, tanquam tignorum beneficio & munificentiâ sustententur, & potentiâ protegantur.* Arnulphus Episcopus Le-
c Fol. 75. b. ed. Paris. an. 1585. xoviensis, sermone in synodo habito c. *Justitia regiæ majestatis, per discretionem scientiæ dirigit, & informat. Informat ad virtutem, dirigit ad salutem.* Et quid multis opus? cum Christiani Episcopi etiam ad gentilem Cæsarem provocârint? Nam, uti Eusebius scribit lib. VII, 24; & Niceph. lib. VI, 17, & *seqq.* cum Paulus Samosatensis, à synodo Antiochenâ damnatus, Episcopi ædes relinquere successori nollet, non dubitarunt Christiani Episcopi provocare ad Imp. Aurelianum, qui decrevit, ut illis Ecclesiæ domus tribueretur, quibus eam Urbis, & cæteri Italiæ Episcopi adjudicassent.

Nec recentiores Ecclesiæ reformatæ doctores hac parte à veteribus dissentiunt. Ostendunt hoc ea loca Musculi, Martyris, Buceri, Joëlli, Whitakeri, Bilsoni: & Episcopi Cicestriensis. Item Confessiones Belgicæ, Helveticæ, Basileensis, quæ citantur ad Ill. Ordd. edicta. Addam locum M. Buceri ex defensione Christianæ reformationis Hermanni Archiepiscopi Coloniensis a. *Ad unumquemque magistratum præcipue pertinet, ante omnia providere, diligentissimeque, & efficacissime constituere, ut populo Christi, quoad curam animarum, rectè consulatur.* Eadem mens est H. Zanchii Miscell. a P. 432.
Tom. 2. b. *Primum,* inquit, *magistratus munus, ordinare tam illa, quæ ad religionem, & cultum Dei attinent, quàm quæ ad publicam pacem, honestatem, & justitiam.* Sexcenta hujusmodi sunt, in Germanorum, & Helvetiorum Locis communibus, ut Polani, & aliorum, cap. de Magistratu. Nec *περικοπὰς* aliquot, sed libros integros describere oporteret, si adferre vellem, quæ hac de re, Burrillus, Tockerus, aliique Angli Theologi scribunt adversus Jesuitas. Unius tantùm ex multis paucula ponam. b P. 277. ed. Neostad. an. 1608.

L. Cicestriensis ad M. Torti librum responsione, pag. 364. *In Israele autem, nondum os reperi tam durum, quod negare etiam auderet, præcipuas in religionis partes, penes Regem extitisse: vel uno hoc argumento, quod per sacræ historiæ seriem totam, mutato novi Regis animo, mutata semper est facies Religionis. Eaque in Religione mutatio Regi semper adscribitur, quasi factum ejus. Nec Pontifices unquam vel præstare potevant, ut fieret mutatio in melius, vel ne fieret in pejus, impedire. Penes eos autem, si Religionis tum summa fuisset, aliquis aliquando Pontifex, etiam Rege secus affecto, præstitisset hoc tamen, ut cultum Dei illibatum, pars aliqua populi saltem, retineret.* Et pag. seq. *Regi id semper, Ecclesia nunquam, vitio datum legimus quod Excelsa steterint. Regi ergo, sive declaret hoc, sive non declaret, etiam ante Ecclesiæ declarationem, id ex officio munus incumbit, deque eo neglecto, Deo rationem redditurus est.* Et pag. 373. *Conveniunt illa Regi, dare Judices in caussis Ecclesiæ; dare Judicum Præsidentes; abusus in Religione & corruptelas tollere; Arcam reportare, & prave reportandæ; Templa dedicare, & ad eam rem, Cœtus indicere; libro Legis recitato præcipere Pontifici de repurgando Dei cultu; fœdus renovare de Religione reformanda; Templum ingredi, & æneum serpentem confringere; Missiones Sacerdotum facere; Pontificem ipsum ejicere, atque exauthorare, ne sit Pontifex: Hæc si Regi omnia sic conveniant, conveniet & Regimen Ecclesiasticum.* Et pag. 380. *Religionis cura, res Regia est, non modò Pontificia, & in Regiis prima; quamque ille non solùm foris ab externa vi, sed & domi ab incuria hominum asserere teneatur. Vos quidem ipsi, si vis instet ulla, rem Regiam clamatis: Ille verò, si collapsa sit disciplina, non minus Regiam.*

Quod si etiam τοὺς ἔξωθεν audire lubet. Hi quoque Religionis curam potissimam faciunt imperii curam. Ita Plato II. de Rep. ait, præcipuè eum qui publico præsidet, Religionis curam suscipere debere: & eandem IV. de Rep. propugnaculum vocat Magistratus: & lib. VII. de LL. nominat vinculum legum, & honestæ disciplinæ. Cic. II. de Nat. Deorum appellat eam, humanæ societatis fundamentum. Quæ omnia, ut de religione falsâ falsò, ita de verâ verissimè dicuntur. Quemadmodum & oraculis sacris, una Deorum voce excepta, planè consentaneum est illud Venusini poëtæ lib. III. od. 6. *Dii multa neglecti dederunt, Hesperiæ mala luctuosa.* Quod si quis exempla desiderat, quibus Principes gentiles præcipuam religionis curam habuisse demonstretur, adeat Greg. Tholozanum lib. XII. de Rep. cap. IV; Danæum lib. I. Polit. & alios.

Atque

Atque hæc satis ostendunt, Principem præ aliis tam personis, quàm rebus, de Religione, & Ecclesia, qua publica utraque est, sollicitum esse debere.

Estque ejus doctrinæ cognitio necessaria planè his temporibus, partim ob Magistratus ipsos, ne se putent ἀλλοτριοεπισκοπεῖν, si Ecclesiastica curent, quin verò gravissimam sibi neglecti muneris rationem Deo reddendam sciant, si nôn curent: partim ob Ecclesiastas, ne hujus rei ignorantiâ se Magistratus imperio in Ecclesiasticis eximentes transiliant mandatum Christi, jubentis ut Cæsari demus, quæ sunt Cæsaris, Matth. XXII. 21. & Apostoli Petri, monentis, ut subjecti simus cuivis humanæ Ordinationi propter Dominum, 1 epist. II. 13. item illud Paulli dictum, docentis omnem animam potestatibus supereminentibus esse subjectam, Rom. XIII. 1; quem locum interpretans Chrysostomus, disertim scribit: *Potestatibus ex debito obedire jubet; ostendens, quod ista imperentur omnibus, & sacerdotibus, & monachis, non solum secularibus; id quod statim in ipso exordio declarat; enim dicit, omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta sit; etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Quæ verba etiam bonam partem exscripsit Theophylactus. Idem ibidem: *Deus ita exigit, ut creatus à se princeps vires suas habeat. Neque extenuatio ex eo est, quod principi honorem suum reddis, sed magis ex eo, quod eum negligendo contemnis.* Eodemque respiciens Bernardus Ep. XLII. quæ ad Archiepiscopum Senon. *Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subjecta sit. Si omnis, & vestra. Quis vos excepit ab universitate? Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Scio ad secularia tantummodo referre hæc Pontificios: sed planè iis sefelluntur, quæ antea de Jure Magistratûs in Ecclesiasticis diximus. Dolendum verò, hodie istoc Papale χρησφύγετον, etiam ab aliquibus studiosè arripi, quos alioqui amore sinceræ Religionis, ac pietatis erga Deum seriò duci judicamus. Sed sic ferè omnes sumus; ut, quasi Veritas Lesbia quædam regula esset, plurimùm sesamus sententiam, prout quisque putamus rebus nostris maximè expedire. Itaque qui aliàs judicium in Ecclesiasticis utraque manu Magistratui deferimus, & ipsam severitatem Principalem erga adversarios nostros zelum solemus appellare: hi, si nobis delinquentibus, non omnia Magistratus ex animi nostri agat sententiâ, judicium retractamus, & quod non minus quàm antea zelus dici debuerat, nec conscientiâ bonâ, ac citra magnum Ecclesiæ dispendium poterat omitti: hoc, quia nunc sic nobis affectis videtur, partim ἀλλοτριοεπισκοπεῖν, partim etiam sævitiam appellemus. Quam bene aptari nobis possit, quod Gregor. Nazianz. scribit Orat. XVII, quæ ad cives Nazianzenos a: *Nos, fratres, dum officium ipsi deserentes, magistratus potestatem iniquo animo ferimus, perinde utique facimus, ac si quis certaminis præsidem ut improbum accuset, cum ipse in palæstra leges peccet, aut medicum ut indoctum & audacem, quod sectionibus & cauteriis utatur, cum ipse gravi morbo laboret, asperioribusque remediis indigeat.* Sed Græcè quin potius ipsum audimus: Ἡμεῖς τοῦτό τι πάσχομεν, ἀδελφοί, μὴ τὰ ἑαυτῶν κατορθοῦντες, ἀλλὰ σφῶν τὴν ἐξουσίαν δυσχεραίνοντες, ὥσπερ ἂν εἴ τις αὐτῷ τὸν ἀγωνοθέτην ὡς μοχθηρὸν, αὐτὸς ἐκπαλαίων, ἢ τὸν ἰατρὸν ἀμαθῆ καὶ θρασὺν ταῖς τομαῖς καὶ ταῖς καύσεσι μεμφόμενον, αὐτὸς πικρῶς διακείμενος, καὶ τῶν αὐστηροτέρων δεόμενος φαρμάκων. Tandem verò sapere discamus, & (ut hortatione Nazianz. ex eadem oratione hanc partem claudam:) b *Submittamus nos, tum Deo, tum alii aliis; tum iis, qui imperium in terra gerunt: Deo quidem, omnibus de caussis: alii autem aliis, propter charitatis fœdus: principibus denique, propter ordinem, publicæque disciplinæ rationem: idque tantò etiam magis, quantò facilioribus illis ac benignioribus utimur.*

a P. 270. ed. Morell.

b P. 269.

Atque hæc generatim de Jure summi Magistratus in Ecclesiasticis præmittere visum fuit. Porro nec abhorreat animus à speciali ejusdem juris consideratione: nempe qua illud circa Synodos, vel Pastorum vocationem, vel Legum lationem, vel Jurisdictionem occupatur. Sed cum accuratè adeò hoc omne persequaris gemino scripto tuo, ut nihil, (nisi fortè quis mole ac numero infinitiens exemplorum testimoniorumque structes ampliores requirat) desiderare ultra possis: atque adhæc quæ superius diximus, pro instituto quidem nostro, sufficere nunc temporis possint: speciali illa consideratione vel omissâ, vel in aliud tempus rejectâ, accedam deinceps ad ipsum scriptum Walæi, ac si qua ejus hoc mereri nobis videbuntur, & recensebo, & censebo paucis.

In ipso operis ingressu multus est in probando, reipsa distingui Magistratus munus à munere Ecclesiastico: idque ut ostendat (quemadmodum passim indicat) Ministros verbi non esse sui Magistratus sed Dei legatos, ac ἀμέσως à Deo vocari, non ut Magistratuum obeant vicem, sed ut tam Magistratus quàm cæteros, imò Magistratus præ cæteris, Dei verbo pascant. Atqui hæc vera falsane dicam incertus hæreo, an potius utrumque horum. Quam in sententiam magis animus inclinat, quia pro discrimine potestatis ac judicii diversimodè hæc se habent. Potestas enim eorum qui publicâ sunt vocatione instructi, vel Civilis est, vel Ecclesiastica. Civilis procurat humanum bonum, uti εὐδαιμονίαν πολιτικήν. Atque hoc respectu societas hominum non Ecclesia, sed Resp. vocatur. Potestas verò Ecclesiastica procurat spirituale bonum, uti beatitudinem cœlestem. Atque eo respectu hæc ipsa societas non jam Reip. sed Ecclesiæ nomen obtinet. Potestas verò Ecclesiastica est duplex: una interior; altera exterior. Interior versatur in his quatuor, verbi prædicatione, sacramentorum administratione, ordinatione pastorum per impositionem manuum, & usu clavium. Exterior potestas in externâ gubernatione consistit, quâ Religio publicè sancitur, omniaque procurantur quæ ad bonum religionis, qua publica est, pertinent. Prior illa potestas propria est Ecclesiastarum: posterior primò & per se competit Magistratui. Quod optimè intellexit Constantinus Magnus. Is enim in sermonibus super mensam, cui accumbebant plurimi Episcopi, & in his Eusebius Pamphili, dixisse fertur, ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. Ubi τὰ εἴσω, sive res interiores ab Constantino vocantur, verbi divini annunciatio, baptismi & eucharistiæ exhibitio, impositio manuum sive ministrorum ordinatio, & usus clavium: uti antea dicebam. Τὰ ἔξω verò, sive res exteriores, vocat Constantinus (ut optimè ejus verba interpretatur vir Cæsarei juris intelligentissimus, Melchior Goldastus) defensionem Ecclesiæ, custodiam disciplinæ Ecclesiasticæ rectè atque ordine gerendæ, conciliorum seu synodorum indictionem, legum Ecclesiasticarum sanctionem, emendationem cultus divini, abrogationem superstitionum & idololatriæ, observationem ceremoniarum Ecclesiasticarum, notationem vitæ & honestatis clericorum, punitionem impiè & flagitiosè viventium, ministrorum bonorum procurationem, & malorum depositionem: & si qua id genus alia. Hanc Constantiniani dicti interpretationem confirmat illud, quod ipse se dixerit εἶναι τινα κοινὸν ἐπίσκοπον ἐκ θεοῦ καθεσταμένον. Quo clarè indicabat, se Episcopis etiam in Ecclesiasticis præesse, nempe non interioris (directè quidem) sed exterioris jurisdictionis ratione. Cujus etiam ratione (non tantum ratione civilium legum) se ministrum esse Dei dicebat, seque habere potestatem Episcopos improbos coërcendi, ut est apud Theodoritum etiam lib. I. cap. XIX. Quomodo etiam capiendum calcatum illud, *Rex est persona mixta cum Sacerdote.* Neque aliud volunt illi qui dicunt, Magistratum, etsi primò cura ei competat rerum Ecclesiasticarum, non semper tamen per se exercere, sed ferè hanc aliis

alis committere. Quod de solà exteriori jurisdictione intelligunt. Ut omnino immeritò hos sugillet Wallæus.

Hoc ut ita esse pateat, adferam aliquot recentiorum loca superius a nobis omissa: quibus interiorem jurisdictionem Christo, ejus ministerium ac functionem Pastoribus, exteriorem verò in Ecclesiasticis jurisdictionem & principalem ministerii curam supremo Magistra-
a P. 229. ed. Neost. tui committunt. Hier. Zanchius Tom. 2. Miscellan. *a Illud, quo regnum hoc Christi instauratur, conservatur, propagatur, est sacrum, seu, ut vocant, Ecclesiasticum ministerium, cujus* MINISTERII *quidem* TOTIUS, NON FUNCTIO, SED CURA *penes principes esse debet, ut in exemplis piorum Regum Juda, imo ante hos, in ipso Mose, videre est. Is ut princeps & dux totius populi, curam imprimis, ex mandato Dei, suscepit religionis, & totius sacri ministerii: ipsam verò ministerii sacri functionem, à Politicâ separavit, & unam sibi retinuit, alteram Aaroni Pontifici, ejusque liberis, Le-*
b P. 1378. P. 432. *vitis injunxit. b* Muscul. Loc. Comm. de Magistrat: *Quid igitur ministris Ecclesiarum, episcopis, ac presbyteris relinquitur, inquiunt, si magistratui competit, ut curam gerat Ecclesiarum, ministrorum, doctrina, sacramentorum, rituum ac cæremoniarum, consistorii, scholarum, ac bonorum Ecclesiasticorum? Respondeo: relinquuntur illis ministeria, ad quæ obeunda eliguntur ac constituuntur. Neque docet magistratus, neque administrat sacramenta, sed faciunt hæc ministri. In schola non docet Magistratus, sed docet Ludimagister. In consistorio non judicat Magistratus, sed qui ad id officii ab illo sunt constituti. Et tamen* SUPERIOR *horum omnium autoritas & potestas ad patremfamilias, labores verò & ministeria ad œconomum & familiam pertinent. Hac distinctione satis multum relinquitur Ecclesiarum ministris. Utinam officia sua fideliter, utiliter, & prudenter obeant.*

L. Cicestriensis responsione ad Matthæum Tortum, pag. 370. *In gubernando primatum ponimus, non docendo, & regem non doctorem summum, sed gubernatorem dicimus: ut jam dirimi possit lis in docendi munere, quod propriè pertinet ad primatum suum: in gubernandi rex, quod ille sibi solum vendicat, ut rex: nec illum alterum pontificatum docendi invadet unquam.*
c P. 110. Idem eodem libro, (quem locum & Walæus citat.) *c Docendi munus, vel dubia legis explicandi Rex non assumit, vel conciones habendi, vel res sacra praeundi, vel sacramenta administrandi, non vel personas sacrandi, vel res, non vel clavium jus, vel censura: quæ ad sacerdotale munus spectant, seu potestatem ordinis consequuntur. At in iis quæ exterioris Politiæ sunt, ut præcipiat, suo sibi jure vendicat, nosque adeo illi libenter merito deferimus. Religionis enim curam rem regiam esse, non modo pontificiani, &* IN REGIIS PRIMAM, *quamque ille non solum foris ab externâ vi, sed & domi ab incuria hominum asserere teneatur. Nam cum lege ipsa Dei, custos sit, ac vindex, non secunda modo tabula, sed & prima, prima quoque curam ad se pertinere putat, & primam prima.* Clarè etiam Guilielmus Theolog. Prof. & Decanus Lichtfeldensis, duello contra
d P. 59. Becanum Jesuitam pro primatu regis *d. Tota controversia, & lis nostra versatur de ea potestate, quæ fori exte-*
e P. 23. *rioris est.* Quod idem sic explicat *e. Rex non est supra sacramenta, & verbum: nec super Ecclesia spiritualia charismata, & tamen est supremus Ecclesia gubernator: quia primaria regis cura agenda est pro rebus, ac caussis Ecclesiasticis, primatusque regis in eo munere perfungendo potissimum consistit.* Et pag. 15, 16. *Regia sublimitas constituenda est super omnes personas, licet sint Apostoli, sint Propheta, sint Doctores, Evangelista, sint denique Pastores, non quidem supra res ipsas, utpote verbum Dei, sacramenta, fidem, pœnitentiam, quæ sunt spiritualia: per hæc enim spirituale regimen animarum Christi est proprium, etsi exerceatur per sacerdotale ministerium. Itaque ministrorum functio, & dispensatio, quæ concredita est illis, regum, ac principum minori antecellit perfectione, & solatio: non tamen potestatis eminentia, quæ omnia bona, & salutaria jubet pro Christo, & Ecclesia, & prohibet contraria.*

Atque ex his testimoniis constare arbitror, quid judicii ferri debeat de iis, quæ de discrimine Civilis, & Ecclesiasticæ potestatis disputat Wallæus usque ad p. XII. Imò ex iisdem facile etiam diluuntur, quæ deinceps usque ad pag. XVIII. disserit, ut ostendat judicium de rebus Ecclesiasticis competere Ecclesiasticis. Nam confundit judicium quod simplex sententiæ dictio est, & illud quod cum imperio est conjunctum. Optime idem Guilielmus Tooker adversus Becanum Jesuitam pag. 50, & 51. *Est quiddam quasi perpetuo regni coronæ adnexum quod directivam cum aliis, coactivam solus habeat potestatem.* Atque addit, hoc esse quod dicit, *eum primatum Christianum Christiani principis in Ecclesia Christi sub Christo habere.* Quare objicit, quod Wallæus, Sacerdotum fuisse judicare de leprâ tam internâ quam externâ; de priori illo judicio, quod directivum seu finalivum optimè vocatur, verissimum est: sed hoc non prohibet, quo minus solis Magistratibus primò & per se competat judicium imperativum seu coactivum; quandoquidem eorum est Sacerdotes, si vel munus suum non intelligant, vel negligant, officii commonefacere, in locum immorigerorum vel non idoneorum alios surrogare, leges pro Religione ferre, quæ omnia cum non cæco impetu ad nutum alienum, sed post disquisitionem certam fieri debeant, omnino prævium judicium requirunt.

Respondent aliqui, judicium quidem Magistratibus competere, cum quævis actio consequatur judicium intellectus: nec quod judicium privatis conceditur, Magistratibus eripi possit: verùm magistratus hoc judicium, rectè sentientium Pastorum judicio conforme esse debere. Sed non cogitant hi, illud ipsum esse, de quo judicare oporteat Magistratum, qui illi sint rectè sentientes pastores. Nec enim ideo ὀρθόδοξοι sunt, quia tales se esse profitentur, cum idem faciant ἑτερόδοξοι. Nec ideo tales habendi, quia numero vincunt, cum sæpe hæreticorum numerus sit major: ut olim cum ingemisceret mundus, seque Arrianum factum esse miraretur, ut Hieronymus scripsit. Initio item reformationis, & omni eo tempore, quo Waldenses se, totis nempe trecentis annis, & quinquaginta ante Lutherum Synagogæ Pontificiæ opposuerunt. Nihil igitur manifestius, quàm Magistratum ponderare, non numerare sententias debere. Unde colligere est, quoties Pastorum suorum potius quam aliorum, aut plurium quam pauciorum judicium sequitur Magistratus, non ideò sequi, quia pastores illud dicunt, sed quia persuadent, quod dicunt.

Pag. XXII, quadrifariam probare occipit duo distincta collegia ordinari Deuter. XVII, unum Ecclesiasticum, alterum Civile. Verum ut duo distincta collegia fuisse concedamus, (sanè utramque in partem, non adspernanda video argumenta) non tamen ritè evincat, quod vult. Nec enim hoc impediret, quo minus, & prius Judices, & post hos Reges, utrique fuerint collegio, nec res duntaxat Civiles, sed etiam Ecclesiasticas gubernarint, Cultum divinum fovendo, collapsum instaurando. Quam piorum fuisse Principum curam, argumentum illud validissimum est, quod pro Judicum, ac Regum, vel pietate, vel impietate, semper Religio aut floruit, aut jacuit, ut & ante dictum est.

Inter alia verò ait, nisi fateamur, fatendum esse, quod apud Evangelistam dicuntur, non minus Sacerdotes, quàm populi Seniores, convenisse ad judicandum Christum; consecuturum etiam Sacerdotes, ac Levitas habuisse jus necis. Verùm duplici ratione id absurdum non est. Uno nomine, quia *erant quædam* (verbis utar Burchilli è cap. XXVIII. pag. 294.) *privilegia Sacerdotum Veteris Testamenti, quorum erat & in rebus civilibus de jure respondere: etiam Deum consulebant in dubiis tam civilibus quàm Ecclesiasticis.* Altero verò nomi-

nomine, quia dici potest, non habuisse jus necis, qua Sacerdotes, (nec enim omnes jus hoc habuere) sed qua pars erant summi Synedrii, cujus solius erat *judicare, tribum, sceptrum, pseudo-prophetam, & sacerdotem magnum*: ut ex Thalmudistis refert Petrus Galatinus. Josephus etiam adversus Appionem lib. 2. disertim scribit, Sacerdotes inspectores omnium, judices controversiarum, punitores damnatorum fuisse a Mose constitutore. Pag. xxv. argumentum inde pro sententiâ suâ ducit, quòd Ecclesiastis solis jus clavium committatur. Sed distinctione hic opus, ad quam nobis præit Marsilius Patavinus Secundæ partis, cap. vi. uno tamen hoc labens, quod satisfactionem Ecclesiasticam, errorem sui seculi secutus, convertit in satisfactionem pro pœnis purgatorii. Ipsum audiamus: *In peccatore*, inquit, *vere pœnitente aliqua solus Deus operatur etiam absque Sacerdotis aliquo proveniente ministerio*, MENTIS *videlicet illuminationem*, CULPÆ *seu maculæ peccati purgationem, &* ÆTERNÆ DAMNATIONIS *remissionem. Alia verò sunt quæ Deus in eodem peccatore non secundum se solum operatur, sed per ministerium sacerdotis: sicut ostendere in Ecclesiæ facie, quis solutus vel ligatus à peccatis habeatur in hoc seculo, ligandus aut solvendus in alio, id est, cujus peccata Deus retinuerit aut dimiserit. Amplius, est & aliud quod Deus operatur circa peccatorem per ministerium sacerdotis* &c. Alterum hoc est satisfactio, seu quorundam pietatis operum à Sacerdote impositorum præstatio, quibus se pœnitentiâ peccatorum verè duci declararent. Tertium, ut ibidem Marsilius ait, est, quod à *sacramentorum communione per sacerdotem excludantur contumaces, & resipiscentes admittuntur*. De tribus quæ à Deo *ἀμέσως* præstantur, nulla est controversia: sed tantum de illis tribus posterioribus. Quod ad primum, quà Sacerdos peccata non quidem remittit aut retinet, sed, ut optimè Marsilius dicit, remissa aut retenta esse ostendit, sive annunciat, de hoc litem non movemus. Nam jam antea hoc respectu fassi sumus, administrationem clavium esse jurisdictionis interioris, non exterioris, quam solam Pastoribus tribuimus. Quid mirum? cum prædicatio Evangelii his solis conveniat: administratio verò clavium, respectu hujus primæ partis, nihil aliud sit, quàm singularis Evangelicæ prædicationis applicatio, quà alii intromittuntur in Ecclesiam, alii ex ea ejiciuntur: intromittuntur pœnitentes & fideles: ejiciuntur impœnitentes & apostatæ. Unde & idem Marsilius Patavinus secundæ partis cap. vi. hanc clavium auctoritatem vocat judiciariam potestatem: eamque esse ex Hieronymo, & Augustino definit, *discernendi scientiam & potentiam, qua (Sacerdos) dignos recipere, & indignos excludere debet à regno*. Nempe ex pronunciato generali Scripturis contento, quod in syllogismo majus est pronunciatum, & ex cujusque personæ qualitate, qua vel fidelis, vel infidelis est (hæc res minus constituit pronunciatum) concludit, quâ quisque conditione sit apud Deum, num regni particeps, an exsors; sive, num damnatione peccato solutus, an constrictus. Unde ministerii usus sive jus hoc singularis applicationis, non modò clavibus, quibus claudimus & aperimus, sed etiam vinculo comparatur, quod vel stringitur, vel solvitur. Ad priorem tralationem pertinet, quod Christus ait: *Tibi dabo claves regni cælorum*. Ad alteram referendum quod dicit: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cælis: & quodcunque solveris in terris, erit solutum in cælis*. Utrumque igitur singulari Evangelicæ prædicationis applicatione fit, ut tum aperiamus, vel claudamus: tum ligemus, vel solvamus: sed aperimus, & claudimus ratione personarum: ligamus, & solvimus ratione rerum, h. e. peccatorum. Quomodo optimè judicio meo, Christi verba explicat Junius in analysi ad hunc locum: ubi sic scribit: *Ministerio servorum Dei, tum personæ in Ecclesiam intromittuntur, aut ejiciuntur: tum res ligantur, solvunturque, id est, peccata tenentur, aut condonantur*. Secundum erat satisfactio, qua pœnitentiæ quædam signa, in delictis gravioribus præscribebantur: de cujusmodi satisfactione agit Cyprianus Epist. xii. & liv. & alibi. Hæc signa suadere sacerdos potest; *κυρίως* verò loquendo imperare non potest: cùm penes eum solum, qui imperium habet, sit vis coactiva. Tertium est abstentio à cœnâ, sive nonexhibitio signi sacramentalis: qua minister non de alienâ actione judicat, sed de suâ: peccet enim contra charitatem, si ei præbeat signa, ad quem scit non pertinere. Eoque nec ullum hic imperium, sed tantummodo ministerium est. Atque hinc liquet, quatenus clavium usus solis conveniat pastoribus: & tamen horum quoque ratione ad Magistratus indirectè pertinet, h. e. non quoad usum ipsum, sed quoad curam circa eum, quia publicus est. Nam veræ religionis cura CUMPRIMIS pertinet ad curam, & potestatem Magistratus, ut Musculus ait *a*. quomodo & idem antea dixerat *b*: *Cura religionis publica ad magistratum non simpliciter, & utcumque, sed cumprimis pertinet*. Quo loco non hæc Musculi mens est, magis Magistratum religionem, quam res civiles curare debere: sed verò curam Religionis, qua publica, ad Magistratum magis, quam ministros pertinere. Unde idem ait *c*, penes Magistratum esse *Superiorem religionis potestatem, & curam*. Atque ex his quoque liquet nihil efficere Walæum, seu vulgatem, seu illam Bilsono, & aliis aliquot eruditis viris probatam sequamur interpretationem loci istius Matth. xviii: de quâ Walæus agit pag. xxv, usque ad pag. xxix.

a Loc. Comm. p. 1369.
b Pag. 1363.
c Pag. 1372.

Illud verò invidiosè & prope dixeram maligne, quod pag. xxviii. ait, eos qui disciplinæ Ecclesiasticæ exercitium Magistratui primò dicunt convenire, novum cudere Christianismum, novamque planè Ecclesiæ faciem inducere; qualis nec apud ipsos obtineat hæreticos. Nam disciplina Ecclesiastica, & qualis in primitivâ obtinuit Ecclesiâ, & qualis nunc nonnullis locis est, partim divinæ est institutionis, partim humanæ. Divinæ est, quod pastor impœnitenti & incredulo cœlum regnorum claudit, h. e. quod tanquam legatus Christi regnum cœlorum ei clausum esse denunciat. Item quod palàm hæretico aut facinoroso non exhibet signa sacramentalia. At humanæ institutionis est, quod qui peccarit, licet pœnitentia facti ducatur, præfinito tempore seorsim à cæteris inter pœnitentes jubeatur consistere: atque alia id genus omnia habentia pœnam positivam. Posteriora hæc non conveniunt Ecclesiastis qua tales, sed ubi Magistratus est Christianus, jus omne circa ea habent à Magistratibus, quibus solis convenit jurisdictio propriè dicta. At priora competunt quidem Ecclesiastis, ut tales sunt: sed hoc non impedit, quo minus Magistratus sit procurare ne pastores in munere suo sint negligentes, vel etiam seu odio seu alio affectu, consolatione debitâ, vel sacramentalis signi exhibitione fraudent, quos non oportebat. Nam (ut verbis utar Gregorii M. in Johan. cap. xx. homil. xxvi. *Sæpe agitur ut indignus episcopus vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem caussarum merita sequitur. Unde fit, ut ipsâ hac ligandi, & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum moribus exercet*.

Peccat igitur Wallæus cum disciplinam Ecclesiasticam posteriori tantum modo considerat, cum jus ejus Magistratui priorum ratione imprimis tribuatur: nempe quia hæc proprii imperii sunt, solus autem Magistratus vim habet cogendi. Interim illud bene est, quanquam satis non est, quòd paullo post, pag. nempe xxx, agnoscit ipse, satis patere è verbo Dei, Magistratus officium esse curam gerere, ut rectè exerceatur universum ministerium Ecclesiasticum, ac proinde etiam disciplina Ecclesiastica. Quamquam fallitur, cum existimat sic Magistratus esse curare, ne quid hic peccent Presbyteri, quomodo presbyterorum videre est ne quid delinquant Magistratus. Nam Magistratus cura est principalis, quia imperii est, directi quidem circa priora illa, quæ humani

sunt instituti: indirecti verò circa posteriora, quatenus procurat, ut fiant quæ instituti sunt divini. Quod ait, non consequi ea iis quæ confessus erat, si jure suo abutantur presbyteri, posse ad Magistratum, κυρίως loquendo, appellari: in eo illi minimè adstipulamur. Nam omnino Magistratus cùm superior est, ut bene Musculum dicentem vidimus. Quid verò appellare aliud est, quam ab inferiori Judice ad superiorem provocare, seu voce illud fieret, seu libello? ut est L. 14. C. de Appellationibus. Quomodo & in veteri Glossario legere est: *Appellatio est proclamatio ab inferiori ad superius tribunal, vel gravaminis relevatio per clamationem ex minori ad majorem Judicem factam, prætextu iniqui gravaminis, vel injustæ sententiæ.* Et quid infirmius istac argumentatione, cum sic colligit: Ad Magistratum summum non appellari nisi in iis quæ per se subire possit Magistratus: non posse autem Magistratum prædicare Evangelium, aut sacramenta administrare: eoque in his ad eum appellari minime posse. Nam & multa sunt ministeria civilia quæ per se obire Magistratus summus minime debeat; in quibus tamen ad eum licet appellare: cujusmodi sunt ea quæ sui vilitate offuscarent vel etiam ludibrio prostituerent summi imperii Majestatem. Verum esto sane, ut appellationis vox apta satis non sit: saltem concedat, si presbyteri disciplinam injustè exerceant, posse unumquemque de injuria conqueri apud Magistratum: ac quamquam hujus non sit facile querimoniis istis habere fidem, tamen nec facile debere illis aurem obstruere: imò nec magis perpeti debere injustum clavium usum in Consistorio, quam hæreticam institutionem in templo. Quæ diffiteri non potest: ut qui ipse pag. xxx. scribat, si tempora incidant, quibus disciplina corrigi debeat, Magistratus esse facti rationem exigere à presbyterio, excommunicationem innocentium sui autoritate imperii impedire: quomodo Athanasio à synodo condemnato, Constantius, (ut Socrates testatur lib. II.) alios instituit conventus, quorum operâ, ut & virorum aliquot doctorum, res denuo cognosceretur: quomodo item Magistratus pii nostro seculo Ecclesias reformatas adversus excommunicationem Pontificis & concilii Tridentini defenderunt: hodieque per Dei gratiam tuentur. Atque hoc etiam (pag. xxxIII.) Th. Bezam agnovisse ait, ubi hæc ejus citat verba adversus Erastum: *Cum etiam rectè à constituto consistorio possit reis delatis injuria fieri, in angustioribus territoriis citra ullam ordinis Ecclesiastici violationem Christianus Magistratus, ut tabula utriusque & Ecclesiasticæ εὐταξίας custos & vindex, prospicere potest conquerentibus.* Mox etiam (pag. eapse, & seq. xxxIV.) ait Magistratum tantundem juris in synodos ac Concilia quæcumque obtinere, cum usu non rarò venerit, ut his quoque decernerentur, quæ verbo Dei repugnarent. Eoque id si fiat, talibus constitutionibus obviam ire & posse, & debere. Quæ omnia præclarè ab eo dicuntur, ac istiusmodi sunt, ut principalem Ecclesiæ curam penes Magistratum summum esse evincant. Præsertim cum (vers. 10, & 11, pag. hujus xxxIV.) dicat se semper loqui de iis quæ ad οὐσίαν religionis pertineant, quæque verbo Dei disertim præcipiuntur. Nam si circa hæc Magistratui tribuit imperium indirectum, quo jubeat quæ Deus jubet, eò quod Deus jubet: non dubitandum videtur, quin directum etiam imperium Magistratui concessurus sit in iis, quæ ad ædificationem quidem Ecclesiæ pertinent, sed speciatim verbo Dei non præcipiuntur. Et sane propter hæc & alia istiusmodi factum credo, ut vir quidam præstans, (quemadmodum præsente D. Heinsio mihi retulit Colonius) judicium hoc tulerit de scripto Wallæi; tam multa eum adversariis largiri, ut prope non videat quid in controversiâ relinquatur. Ac etiam Clarissimus P. Bertius præsente collegâ meo dixit mihi, se ex iis quæ hactenus eo in scripto legisset, judicare aliud non posse, quam cum Wtenbogartio in re ipsâ consentire. Quod pag. eapse ait Musculum, & aliquot alios ejus populares ab unanimi Christiani orbis sententia pauxillum deflexisse, idque odio Anabaptisticæ disciplinæ factum videri: mihi quidem verisimile non fit, sed potiùs censeo, impugnatam ab iis eam disciplinæ rationem quæ Genevæ obtinet, quam & alii alibi inductum ire voluerunt. Ac sic ut sentiam magis faciunt verba cap. xvIII. Confessionis Helveticæ, quæ ipse citat pag. xxxv. Sunt verò istiusmodi: *Cumque omnino oporteat in Ecclesiâ esse disciplinam, & apud veteres quondam usitata fuerit excommunicatio, fuerintque judicia Ecclesiastica in populo Dei, in quibus per viros prudentes & pios exercebatur hæc disciplina,* MINISTRORUM *quoque fuerit ad ædificationem disciplinam hanc moderari, pro conditione temporum status publici ac necessitate, ubi semper tenenda est regula, omnia fieri debere ad ædificationem, decenter, honestè, sine tyrannide & seditione.* Et sane nihil Musculus dicit, quod non aliis quoque reformatæ Ecclesiæ doctoribus videatur; ut omnino non φιλόκαινος, qualem Wallæus videri vult (nempe hanc mercedem reportant qui diligentius veritati indagandæ incumbunt;) sed φιλαλήθης dici debeat. Quod verò pag xL. II. ait, maligne Wtenbogartium adversariis suis impingere studium collateralis imperii: utinam verum esset! Nec enim diu fœdo hoc schismate inconsutilis Christi toga apud nos scinderetur. Sed quis, nisi partium studio penitus occæcatus, non videt, quid rerum agatur? nec enim mussant, sed apertè dicunt, nec dicunt tantum, sed palam sic omnia sua componunt, ut quamquam dicis gratiâ nonnihil Magistratibus in rebus Ecclesiasticis tribuere videantur, tamen summum sibi in Ecclesiasticis imperium arrogent. Nempe unicuique in arte suâ credendum ajunt: Theologorum verò artem esse Theologiam: eoque Magistratus, quos rerum Theologicarum nescientes fingunt, adversus suam adversari sententiam nefas putant. Illum demum Magistratum omne punctum tulisse videri volunt, qui judicio suo diffidens omnia de Pastorum judicio exequatur. Quod quid aliud est, quam Magistratus in Ecclesiasticis subjicere Ecclesiastis, &, quod se facere negant, duo non subordinata, sed collateralia summa imperia inducere in Rempublicam? Interea placet quod Wallæus ibidem & pag. xLIII. agnoscit, collaterale imperium civilis & Ecclesiasticæ potestatis noxium esse Reip. planeque doctissimorum virorum judicio repugnare. Rectè item quod ex Esdræ vII, 25. probat Magistratum tabulæ utriusque esse custodem & vindicem: ac quamquam circa spiritualia spiritualem non habeat potestatem, circa tamen ea, ut Ecclesiastica sint, potestatem Ecclesiasticam obtinere. Quod & Bezæ autoritate ipse (pag. xLIII.) confirmat, ut qui in fine libri adversus Erastum agnoscat, Magistratus officium esse Pastores negligentes sui muneris admonere, pertinacibus pœnam infligere, ac ut meliores surrogentur in pejorum locum procurare. Pag. xLIV. rursum συμμαχεῖ, cum tanquam aliquid magnum, probat Ecclesiastas non esse vicarios Magistratus, sed Christi servos: nec Magistratus circa spiritualia potestatem habere internam ac spiritualem, sed externam & corporalem. Nec enim aliud pii Magistratus poscunt, eoque nihil superest, quam ut omnes se hoc agnoscere & sermone & vitâ testentur.

Sed veniamus ad statum quæstionis, quem pag. eâdem adsignat. Ait in hoc controversiam omnem positam esse, num soli Magistratus, an verò etiam Pastores ἀμέσως sub Deo collocentur. Negat mox sic ministros verbi esse sub Magistratu, quomodo Urbis præfectus suberat Trajano. Quod Magistratus summi potestatem ἀμέσως à Deo esse concedit, in hoc rectè à Pontificiis dissentit. Similiterque Theophilus lib. I. ad Autolycum in Orthodoxogr, pag. 291: ὁ βασιλεὺς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γέγονεν. Et mox eum vocat ἄνθρωπον ὑπὸ Θεοῦ τεταγμένον. Rationem quoque subjungit, τρόπῳ γάρ τινι παρὰ Θεοῦ οἰκονομίαν πεπίστευται. Et Epiphanius imprimis hæresi xL, quæ adversus Archonticos, pag. 131: Διάκονος γάρ (ἡ ἐξουσία) ἐστιν τῆς αὐτῆς τοῦτο ἐκ Θεοῦ τεταγμένος τῷ τὸ κακὸν πράττοντι. καὶ ὁρᾷς ὡς ἡ ἐξουσία αὕτη ἡ κοσμικὴ ἐκ Θεοῦ τέτακται, καὶ μάχαιραν

ἔλαβε

ἔλαβες τὴν ἐξουσίαν; ΟΥ'Κ Α'ΛΛΑΧΟΘΕΝ ἢ ποθὲν, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ. Apertè indicat, ut ut applicatio potestatis ad personam, quam ordinationem dicimus, ab hominibus fit, ipsam tamen hominibus imperandi potestatem *non aliunde* Regibus obtingere, quam à summo illo Rege, cujus vicem obeunt in terris. Et ratio idem evincit. Nam homo homini potestatem dare potest, ut suo subjectivo loco imperet: at ut loco regat ejus, qui sibi non subjiciatur, minimè dare potest. Atqui Deus homini non est subjectus, sed homo Deo. Non igitur hominis, sed solius Dei est dare, ut imperet loco Dei. Ac quod Walæus censet similem penitus esse Ecclesiastarum rationem, non satis hac parte à Pontificiis recedit. Distinguere enim debuit inter ea quæ interna, quæque externa sunt: prioris generis diximus esse prædicationem Evangelii & jus administrandi sacramenta: posteriores verò actiones omnes ad politiam Ecclesiæ spectantes, quarum περιστάσεις, uti locus, tempus, numerus, modus, verbo Dei non definiuntur, eoque ab hominibus determinantur, prout ad cujusque Ecclesiæ ædificationem maximè conducit. In posterioribus his Magistratus directum imperium à Deo habet, nec Deo, sed Magistratui ἀμέσως subjecti sunt Ecclesiastæ. In prioribus alterâ distinctione opus: quia vel potestas in sese consideratur, vel communicatio potestatis, vel principalis circa eam communicationem cura. Potestas ipsa ἀμέσως est à Christo, cujus Ecclesiastæ sunt Legati. In hoc igitur conveniunt Ecclesiastæ & summi Magistratus, quòd non minus jus Ecclesiam docendi, quàm Remp. gubernandi à solo est Deo. Imò conveniunt quoque quod ad potestatis communicationem. Nam ut potestas quidem summo cum imperio gubernandi ἀμέσως est à Deo, at nihilominus applicatio ad personam, quam electionem dicimus, ab hominibus, E.G. in Cæsare ab Electoribus: ita etsi jus docendi & administrandi sacramenta, & imponendi manus, clavibusque utendi ἀμέσως sit à Deo, tamen Pastoribus (Prophetas & Apostolos ἀμέσως hoc quoque respectu vocatos excipio) per hominum consensum applicatur.

At ratione tertii disconveniunt, nimirum ratione curæ principalis procurandi ea, quæ ad publicum veræ religionis exercitium pertinent. Cum enim publica omnia, qua publica, ei subsint, qui publicis summo cum imperio præest; etiam universam Religiónis curam, qua publica est, summo Magistratui subjectam esse necesse est. Eoque respectu fatendum, Ecclesiastas secundùm interiora illa, nempe prædicationem Evangelii, administrationem sacramentorum, impositionem manuum, & jus clavium, à Magistratu summo dependere. Quod cum dico, non tantùm Ecclesiastas Magistratui subjicio, quatenus in horum arbitrio est; quæ religio publicè debeat obtinere; sed etiam quatenus eorundem est procurare, quæ ad Religionis puræ primitus institutæ conservationem, aut collapsæ instaurationem pertinent. Atque hinc planissimum fit, non in eo tantum discrimen esse inter Magistratus, & Ecclesiastas, quod illorum munus in imperio, horum in sola directione, ac ministerio situm sit; sed etiam quod Ecclesiastæ, in Ecclesiasticis immediatè, non Deo, sed Magistratibus subsint, nempe qua Religio publica est, directè quidem ratione exteriorum, in quibus propriè dictum imperium habent, indirectè verò in cæteris, in quibus improprium habent imperium, ut quod solùm consistat in procurando ea, quæ Deus imperavit. Illustremus hæc exemplo de Cœnâ Dominicâ: in quâ tum essentialia spectantur, tum quæ extrinsecus accedunt. In prioribus jus Ecclesia non habet, aliquid omittendi, vel mutandi: eoque nec Magistratus, qui supremus est Ecclesiæ gubernator, potestatem habet hic aliam, quam procurandi, ut à Presbyteris observetur Dominicum institutum. Si igitur Presbyteri vel solum calicem populo præbere velint, quod nusquam fieri arbitror, vel solum panem, uti in Pontificiâ Ecclesiâ obtinet consuetudo: est pii Magistratus, (quidquid contra disputent Presbyteri, quamcumque etiam in rebus Ecclesiasticis, & scientiam, & potestatem sibi arrogent, Magistratibus derogent) istiusmodi dimidiati sacramenti abusum omnimodis impedire. Sed de externis, & accessoriis, habet Ecclesia, eoque & qui Ecclesiam moderatur Magistratus, potestatem instituendi, quæ vel ad locum, vel tempus, vel numerum, vel modum pertinent. Ratione loci, ut in quibus ea templis debeat celebrari. Ratione temporis, uti, quod licet Christus Cœnam Dominicam vesperi celebrarit, tamen cum jubeat Scriptura omnia facere πρὸς οἰκοδομὴν: satius sit administrari eam, quo tempore homines etiamnum jejuni esse solent: ut quod ad religionem piamque devotionem longè sit accomodatius. Ratione numeri, ut quoties in anno ea debeat celebrari: num Dominicis diebus, an etiam aliis, (in quo vetus Ecclesia variavit) & si Dominicis tantùm, num singulis, an quibusdam, & quibusnam.

Ratione denique modi; ut cujusmodi adhibendæ sint preces, gratiarum actiones, hymni, ceremoniæ: quæ quia in potestate sunt Ecclesiæ, nostro quoque seculo, in ipsis quoque Ecclesiis reformatis, non parum varietatis cernere est. In hujusmodi igitur omnibus Ecclesiæ jus concedunt definiendi, ac canones constituendi: Magistratui directum, ac propriè dictum imperium conceditur. Atque hac essentialium, atque accidentalium, directi, & indirecti imperii distinctione, in fumos abit, quod Wtenbogartio ejusdem pag. vers. antep. objicit Walæus, tantam veritatis vim esse, ut ei subinde veritas excidat invito, ut qui interdum agnoscat Pastores ἀμέσως muneris sui mandatum habere à Deo, & tamen alias contendat, eos, ab & sub Magistratibus consequi exercendi muneris sui potestatem.

Pag. XLV. agnoscit non posse Magistratum summum, renunciare summo in civilibus imperio, nisi simul summus desinat esse Magistratus. Optimè. Sed idem in Ecclesiasticis locum habet. Imò in his tantò magis, quantò temporalibus præstant æterna. Nec enim civilis tantummodo beatitudo, sed etiam cœlestis, ac hæc quidem imprimis, finis est regiæ potestatis: ut antea ostendimus, ac rectè agnoscit Isidorus Pelusiota lib. III. Epist. 249. quæ ad Isidorum Diaconum: Ἐξ ἱερωσύνης καὶ βασιλείας τὸ πρᾶγμα συνέστηκεν· εἰ γὰρ καὶ πολὺ ἀλλήλων διαφέρουσιν, (ἡ μὲν γὰρ ὡς ψυχὴ ἐστιν, ἡ δὲ ὡς σῶμα) ἀλλ' εἰς ἓν ὁρῶσι τέλος, τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν. Cui consona scribit Thomas Aquinas lib. I. cap. XIV, & cap. III. lib. III. de Regimine Principum. Quanquam is liber, etsi in Romana quoque editione legatur, Thomæ tamen falsò tribuatur; ut in quo Rodolpho Adolphus, Adolpho Albertus successisse dicatur, quorum hoc contigit annis post Thomæ obitum XXV. Sed istoc ut ut est, optimè eo quo dixi libro legere est: *Finis ad quem principaliter rex intendere debet in seipso, & in subditis, est æterna beatitudo, quæ in visione Dei consistit: & quia ista visio, est perfectissimum bonum, maximè movere debet regem, & quemcumque dominum, ut hunc finem subditi consequantur.* Quod si beatitudo supernaturalis sit principalis Regis, ac regni finis, sanè cum regnum non sit ob Regem, sed Rex propter regnum, (quomodo non oves ob pastorem, sed pastor est propter oves) liquet Regis esse omnes subditos suos regere, tam in Ecclesiasticis, quàm civilibus, nec posse hoc imperium summum in Ecclesiasticis in alterum transferre, quin alienet principalem imperii sui partem, ac proinde Magistratus summus esse desinat, ut qui se abdicet eo, quod, non dico imperii summi, quarto modo proprium sit, sed quod de essentiâ est imperii, & quidem, ut dicebamus, principalis imperii summi pars. Quod hoc loco, & alibi Walæus ait, posse Magistratum in civilibus per se exequi ea munera, quæ alteri mandat: sed non posse per se obire prædicationem Evangelii, & sacramentorum administrationem: eoque neutiquam Magistratui id juris competere in Ecclesiasticis, quod obtinet in civilibus; hoc quanquam imperitum aliquem movere possit, revera tamen nihil officit iis, quæ hactenus diximus. Nam

jam

jam antea confessi sumus, ministros jus docendi, aliaque ei necessariò connexa agendi, non minus *ἀμέσως* à Deo obtinere, quàm Magistratus summum imperium immediatè habet a Deo. Sed non de essentialibus ministerii, verùm de imperio disceptatio est, h. e. quæritur, an non Ecclesiastæ directo Magistratus imperio subsint in rebus exterioribus, sive in actionibus, ordinem, ac *πολιτείαν* Ecclesiæ spectantibus: indirecte verò in interioribus, quatenus ejus est procurare, ut à Pastoribus fiant, quæ Deus jussit; atque ad hoc habet vim coactivam. Nec quidquam ad rem facit, quod Magistratus per se non potest exsequi munus presbyterorum: quia nec Magistratus multa munia ob vilitatem sui obire per se possit: nec tamen id impedit, quo minus supremum circa ea habeat imperium. Hinc Burrillus cap. XXI. pro Tortura torti: *Supremi*, inquit, *in quovis genere gubernatoris non est, exequi singulorum officia, sed curare, ut suum quisque officium exequatur. Utque in supremo gubernatore, in rebus conjugalibus non requiritur, ut potestatem habeat conjugalem: ita nec in supremo gubernatore, in rebus sacerdotalibus requiritur, ut habeat potestatem sacerdotalem.*

Pag. XLVI. ait, si Magistratus jure suo abutens, seu falsis Pastoribus, seu aliter Ecclesiam Dei perditum ire velit, Ecclesiam hoc juris habere, ut vel invito Magistratu, novos, ac sanos sibi eligat Pastores. Sed confundit Ecclesiam quà talis, & quà publica. Nam jus hoc quidem Ecclesiæ concedimus; ut si Imperator hæreticus lupum Christiano ovili præficere velit, sibi cavere à lupo, deque vero animarum Pastore prospicere possit. Sed minister iste, Ecclesiæ quidem minister erit, publicæ verò Ecclesiæ minister non erit. Ut efficeret, quod vellet, probare debuit, ministros Ecclesiæ, quà publica est, non à Magistratu solo, jus consequi publicè docendi, aliaque exercitia Religionis publicè obeundi.

Quod in fine ejusdem pag. ait, sic novum invehi Papatum, imo tot Papas novos statui, quot sint supremi Magistratus: id à Jesuitis quoque objici scimus Theologis Anglis: à quibus id semper negatum fuit. Audiamus Guilielmum Tooketum, S. Theologiæ profess. & Decanum Ecclesiæ Lichtfeldensis, in duello suo cum Beccano Jesuità pag. 13. *Cum*, inquit, *Regem Ecclesiæ præponimus, primatumve & regimen in Ecclesia supponimus; nec Pontificatum veterem, nec Papatum novum invehimus in Ecclesiam.* Quod plenius declarant verba Serenissimi Jacobi Magnæ Britanniæ Regis à Tookero pag. 5. adducta: *Regibus*, inquit, *Christianis Ecclesiam intra fines suos, non minus quàm reliquum populum esse gubernandum, ut qui custodes sint utriusque tabulæ, non quidem novos articulos fidei condendo, (id enim Papæ munus est) sed efficiendo, ut Dei Verbo publicè obtemperetur, religionem repurgando, juxta divinam voluntatem in sacris patefactam, & temporalem gladium in beneficium spiritualis potestatis distinguendo, abolendo corruptelas, Ecclesiasticam autoritatem sanciendo, quæstiones frivolas & schismatum licentiam, vel componendo, vel coërcendo tollendoque, quod Constantinus factitavit, denique decorum quoddam tuendo, & leges, ac jura præscribendo, de adiaphoris rebus omnibus, ordinis gratiâ: ad quem solum scopum collimat hoc juramentum primatus.* Hactenus Rex, qui & paullò ante dixerat: *Reges Veteris Testamenti cuncta moderatos esse, quæ ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinerent.* Atque uti nec plus, nec minus, quàm Serenissimo Regi, debetur supremo nostro Magistratui: ita neque minus, vel amplius ei tribuimus, nec ipse plus sibi vindicat.

Nec enim sibi infallibile tribuit judicium in rebus Religionis, quod facit Papa: nec potestatem condendi capita fidei, quæ conscientias obligent: sed tantum jus sanciendi quæ Religio publicè debeat obtinere, procurandique ea quæ ad *ὀρθοδοξίαν* & ædificationem Ecclesiæ judicat pertinere. Non se facit spirituale Ecclesiæ caput, quod scit solius esse Christi: non ipse obire vult ministerium Ecclesiasticum; quia scit se ad hoc non vocatum à Deo: verum quia scit officium summi Magistratus præcipuè versari circa Religionem & cultum divinum, (ut qui imprimis debeat procurare, ut subditi consequantur beatitudinem æternam) eo conscientiam suam sic arbitrio eorum, quos falli scit posse & solere, alligare non vult, ut ad nutum alienum omnia in Ecclesiæ rebus exsequatur. Scit sibi à Deo commissum esse officium dirigendi regimen suum in finem verum, qui est beatitudo cœlestis: scit hoc Principale officium suum esse: hoc igitur se munere abdicare non vult, nec aliis resignare salvâ conscientiâ potest, qui ad istud vocati non sunt, plurimum etiam ut ad illud vocentur idonei non sunt. Non novum Papatum invehunt, qui hoc Magistratui tribuunt, sed qui adimunt. Nam inter elogia, quibus Antichristum insignit Scriptura, illud est quod se efferat supra omne id quod dicitur Deus. Magistratus autem in Scripturis dicitur Deus. Ac eundem hæc jubent esse custodem & vindicem tabulæ utriusque. Hoc igitur qui vel sermone, vel facto eripit Magistratui, is mores induit Antichristi. Facit verò illud, qui potiorem imperii summi partem sibi vindicat. Summa autem imperii pars est quæ circa Ecclesiastica versatur. Hanc igitur qui Magistratui aufert, Antichristo ac Papæ hac saltem parte quin similis sit dubitandum non est. Pag. XLVIII. *ἀσύστατον* esse ait, velle alicui, quem fatearis posse errare, tribuere summam in Religione potestatem: Atque hoc cum probè assequerentur Pontificii, eorum plerosque, quia Papam errare posse faterentur, Concilio eum subjecisse: Sed horum longè deteriorem esse opinionem, qui insimul & Magistratui tribuant judicium fallibile, & ei tribuant supremum jus in negotio Religionis. Mira sanè argumentatio, cum negare non possit, etiam synodos sæpenumero falli: eoque siquid ponderis huic insit argumento, fateri ipse cogatur, nec penes synodum supremum illud jus fore. Sanè si synodi falli possint, quis non videt Magistratum non debere credere propter se, sed quia consentiant cum Scripturis & canonibus antiquis? In quascumque igitur nos partes verterimus, effugere illud non possumus quin de synodis *ἐπίκρισιν* competat Magistratui. Si enim unicuique etiam privato, ex Theologorum sententiâ, judicium convenit in causâ Religionis, quomodo hoc Magistratui non competet? Ac si nec privatus quisquam adstringitur judicio synodico, quomodo non dissentire ab eo licebit summo Magistratui? Paterfamilias, non tantum potest, sed etiam debet examinare synodica decreta ad lydium lapidem Scripturarum; nec humanis decretis facilè nimis fidem habens, & se errori involvat, & in eundem familiam compellat: Et Magistratui, parenti patriæ non idem faciendum erit, ne ejus segnitie, nimiave credulitate, errores noxii in Ecclesiam spargantur universam? Utrumque igitur verum est, & penes synodum *κρίσιν* & penes Magistratum summum *ἐπίκρισιν* esse; item & hunc & illam errori esse obnoxiam: sed hoc non impedit, quo minus tum synodi officium sit dirigere intellectum in cognitione veri, tum Magistratus sit imperare quod rectum est & salutare. Quod si illa diriget malè, non ideo hic imperabit malum: & si hic imperet malum, non ideò subditi parere debent in malo: sed & Magistratus & subditus unusquisque aget, quod sui esse officii & scriptura, & Ecclesiæ Catholicæ consensus, & recta ratio persuaserint. Eapse pag. XLVIII, adversus illud quod dixerat, non bene convenire, nec in unâ sede morari, *ἀναμάρτητον* non esse in judicando, & tamen supremam habere judicandi potestatem: objicit sibi ipsi quod solvere postea non potest. Fatetur enim & in civilibus posse Magistratum decipi, nec impedire hoc quo minus summum in his habeat imperium. Respondet autem disparem hic rationem esse, quia utut subditi in his damnum faciant Magistratus sui errore, mussare tamen hoc & concoquere cogantur: verùm si

Magi-

Magiſtratus hæreſes introductum defenſumque eat, fideles Paſtores ſilentium tenere minimè debere: quia hic agatur de re omnium precioſiſſimâ, animarum nempe ſalute. Diſcrimen hoc & ipſi agnoſcimus, ſed οὐδὲν πρὸς ἔπος. Nec enim ſi Deus imperium habeat ſupra Reges, eo Reges in Eccleſiaſticis imperium non habere conſequitur, ſed illud tantum evincitur, non ἁπλῶς ſummum imperium habere: quod à nemine in controverſiam vocatur. Fatemur igitur, ſi aliud Rex jubeat terrenus quam cœleſtis, hunc, non illum audiendum eſſe: poſſeque tum nos dicere cum B. Polycarpo, δεδιδάγμεθα ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναις τιμὴν κατὰ τὸ προσῆκον τὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς ἀπονέμειν. Sed hoc non impedit, quo minus nullum in Eccleſiaſticis imperium ſit penes mortalem quempiam quàm ſolum Regem, vel eum quem Rex (ſummo ſibi ſemper imperio reſervato, cui renunciare non poteſt, niſi rex ſimul eſſe deſinat) ſub ſeſe juſſerit imperare. Quamobrem hic & imperare illud debet quod in verbo juſſit Deus, ac pœnarum etiam comminatione obſtringere ad illud ſubditos poteſt: & imperandi etiam ea jus habet, quibus repugnans nihil in verbo jubet Deus. Nec vel in his vel in illis imperium detrectare cuiquam licet. Ollas lippit, qui hinc conſequi non videt, tam in Eccleſiaſticis quam civilibus omne imperium eſſe penes ſolum Regem, hoc eſt ſummum quemque Magiſtratum. Cùm negat pro ſynodis haberi quæ non congregantur juſſu aut conſenſu Magiſtratus: addere debuerat, cujuſmodi de Magiſtratu loquebatur, num de eo qui Chriſtianam Religionem probet aut toleret: an qui eam perſequatur. Nec enim quiſquam in dubium unquam vocavit, an concilia ante Conſtantini tempora, (uti Hieroſolymitanum primum, cujus Act. xv. mentio fit, Carthaginenſe de rebaptizandis, de quo Euſeb. v i i. 2. quod tamen ab Eccleſiâ improbatum; Elibertinum item atque alia) conciliorum nomen mereantur: verum duo hæc interim dicimus. Unum eſt, quæ hujuſmodi conciliis ſunt decreta, canonum κυρίως loquendo, non legum vim habere, quia penes ſolum Magiſtratum ſit vis νομοθετικὴ καὶ ἀναγκαστική. Alterum eſt Chriſtianum Magiſtratum permittere non debere, ut citrà mandatum vel conſenſum ſuum ſynodi celebrentur: quæ autem ſine hujuſmodi Magiſtratus conſenſu concilia fiant, hæc illegitima eſſe ſuſtinuerunt Proteſtantes de nullitate concilii Tridentini: ſed & cum Magiſtratus in concilium conſenſit, ejuſdem eſt ſynodos dirigere per ſe, vel legatos ſuos: nec debet decretis ſynodicis vim legis addere, niſi de quorum veritate ſit perſuaſus in animo ſuo. Quæ quidem quam utiliter moneantur, multis ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ exemplis oſtendi poſſit, niſi unius Athanaſii temporibus hæc liquidò comprobarentur. Deinceps turſum paginis aliquot probat, Eccleſiaſtas non eſſe ſervos aut legatos Angelorum, nedum hominum, ſed ipſius Dei. Rectius operæ & oleo pepercitſet, nec enim ejus inſtitutum juvant quicquam. Sanè ipſi quoque agnoſcimus hæc veriſſima eſſe, tum ratione mandati, quod à Deo, non creaturis habent, tum legationis, quam Chriſti, non Magiſtratuum nomine ſuſtinent. Sed hinc minimè conſequitur, Magiſtratum ſummum, qui vicem Dei obit in terris, non imperare iis debere, ut tum mandatum Dei fideliter exequantur, tum legationem, nomine Chriſti, bonâ fide agant: adhæc negligentes, & immorigeros pœnis poſſe afficere: poſſe item eos legibus adſtringere de rebus ad politiam Eccleſiæ pertinentibus; quarum περιστάσεις non definiuntur in Verbo. Quæ omnia oſtendunt, Eccleſiaſtas etiam in Eccleſiæ rebus ſubeſſe Imperio Magiſtratus, partim directò, partim indirectò, ut aliquoties jam declaravimus.

Quod pag. l v i i. ait, Conſtantinum Magnum non voluiſſe ſapere ſupra concilium Nicænum: ſed & poſt alios ſententiam dixiſſe, & Patrum Nicænorum ſententiæ ſubſcripſiſſe: id eam minimè vim habet, ut iccirco Magiſtratus ſequi ſemper debeant Judicium ſynodicum. Nec enim ſynodi ſententiam approbavit Conſtantinus, quia ſynodus eam diceret, ſed quia rationum pondere ſententiæ ſuæ veritatem ei perſuaſiſſet. Alioqui enim quot ſynodi pro errore ſententiam tulerunt! Etiam his calculum ſuum addere debeat Magiſtratus? Quis ſanus hoc dixerit? Quamquam igitur non facile Paſtorum ſuorum judicium improbare debeat Magiſtratus: nec tamen eis temere ac leviter aſſentire debet, eoque omnino opus ut poſt κρίσιν συνοδικὴν conſequatur ἐπίκρισις Magiſtratus.

Quod pag. l i i x, & alibi Conſtantium pro Arriano habet (quo argumento & alii negant rectè Conſtantii facto Magiſtratus in convocandis ſynodis auctoritatem comprobari) id ut aliquid eſt, non tamen tanti, quam plerique putant, ponderis putari debet. Nec enim ex Orthodoxis patribus defuere, qui exiſtimarent non tam Arrianum fuiſſe Conſtantium, quàm cùm videret ſe Arrianos ſine Reip. exitio delere non poſſe, conſilia ioiſſe de pace cum iis ineunda. Sanè Gregorius Nazianzenus poſt obitum luculentè eum non ſemel tanquam optimum ac Chriſtianum Principem laudavit, nec malitiâ, ſed ſimplicitate & unionis Eccleſiaſticæ ſtudio Eccleſiæ ſtatum aliquanto perturbatiorem feciſſe arbitratur. Inter alia verò ſic ſcribit invectivâ primâ adverſus Julianum pag. 21, edit. Savilianæ, ſive pag. 64. edit. Morell. ὅς γε καὶ εἴ τι παρελύπησεν ἡμᾶς, οὐ παραφρονῶν, οὐδὲ ὑβρίζων, οὐδὲ ἄλλοις ποτὲ περὶ ἡμῶν χαριζόμενος, ἀλλ' ὥστε πάντας ἓν εἶναι, καὶ συμφρονεῖν παρελύπησεν, ἢ μὴ διακεκόφθαι, μηδὲ διεστάναι τοῖς σχίσμασιν. Quem locum & Nicephorus citat lib. 1x. Hiſtor. Eccl. cap. 1. pag. 463. At minimè loci mentem perſpexit Morellius, cum ad oram interpretationis ſuæ adnotat, Cauſſam à Nazianzeno reddi, cur Deus Orthodoxos nonnihil afflixerit. Nam nihil clarius locum inſpicienti, quam de Conſtantio ſermonem eſſe, quem partim ſimplicitate quadam, partim concordiæ ſtudio exorbitaſſe cenſet: non item, quod Arrianum dogma magis quam Orthodoxum approbaret. Itaque idem nec dubitat Conſtantium vocare θειότατον βασιλέα, καὶ φιλοχριστότατον, pag. 19. edit. Savil. ſive pag. 63. edit. Morell. In iis quæ pag. l x v, & deinceps de excommunicatione diſſerit, confundit abſtentionem à Cœnâ, ſive non dationem ſigni ſacramentalis cum inflictione pœnæ poſitivæ. Poſterius hoc humani eſt inſtituti, eoque ad directum Magiſtratus imperium pertinet. Prius verò non negamus canone præcipi divino: eoque nonniſi indirectè ſubjacere Magiſtratus imperio. Quamobrem ſi quiſpiam, vel Imperator ipſe eſto, impœnitens, ſignum petat ſacramentale, non Imperatorem hic Epiſcopus audiet, ſed Deum, qui ſupra eſt Imperatorem. Nec enim is ab Epiſcopis ſymbola fœderis divini cuiquam porrigi vult, quem ex confeſſione & vitâ conſtet ad fœdus minimè pertinere. Scit præterea Epiſcopus adverſus charitatem eſſe vel maximè, ut ſymbola hæc iis exhibeamus, qui eorum participatione judicium ſibi Domini arceſſunt, condemnationemque ſibi edunt ac bibunt. Sed de pœnâ poſitivâ ſimiliter judicari non debet. Ut ſi Imperator, vel alius etiam, peccati pœnitens, certum tempus extra reliquorum fidelium cœtum in Eccleſiâ conſiſtere jubeatur, quâ de re nullum præceptum exſtat in Scripturis: eoque & hoc & hujuſmodi alia vim legis habere nequeunt, niſi ſanciente ſummo Magiſtratu, qui & legem iſtiuſmodi antiquare poteſt eum viſum. Improbat poſtea quod Wteobogartius dixerit, Ambroſianum exemplum viam muniiſſe ad tyrannidem Papalem. Acputat ſe illud abunde refutaſſe, ſi tergeminum aperiat diſcrimen inter Ambroſii factum, & Papæ excommunicationem. Sed fallitur.

Nec enim vitia intra prima conſiſtunt initia, verum, ut ſcriptor Romanus ait, ubi ſemel à virtute deſcitum, non gradu ſed præcipiti curſu ad vitia tranſcurritur, vetus diſciplina deſeritur, nova inducitur. Et ſanè quis-

quis Romanæ sedis typhum habet perspectum, ignorare non potest, ut Episcopi ejus loci, postquam tantum facinus Ambrosiinos videre ausum & feliciter quidem ausum, majores conceperint spiritus ad efferendum magis & magis se supra omne id quod dicitur Deus. Nec iccirco ἁπλῶς Ambrosii factum damnamus. Tantum dicimus id nec penitus approbatum: neque id ulli imitandum Episcopo saltem non alii nisi qui & spiritum habeat Ambrosianum, & cui negotium sit cum eo Principe qui spiritum habeat Theodosianum. Sanè si vel à schismate, vel persecutione, vel etiam à scandalo metus sit: omnino in personâ Regis indulgentiâ opus est: quâ de re vide quæ Burhillus scribit adversus Becanum cap. XIII, pag. 127, 128, 129. Pag. LXVII & LXVIII, repetit quod antea etiam dixerat, non Pastores minus quam Reges ἀμέσως à Deo vocari. Sed ex iis quæ antea diximus, cognoscere fuit, quatenus hoc admitti possit. Interim expendamus duo argumenta, quæ obiter firmandæ sententiæ infercit. Unum est, quod Prophetæ ac Sacerdotes itidem ac Reges soleant inungi in V. T. alterum quod æquè illi ac hi typi fuerint Servatori nostri. Sed præstantiam muneris Pastoralis non malè hinc adstruas, quam quivis bonus agnoscit, immediatam verò vocationem non item. Nec enim inunctio aliud signabat vel obsignabat, quàm quod uti oleum externum reficit corporis membra, atque ad exsequendas res multas vegeta reddit atque idonea: itidem is qui Rex, Propheta, aut Sacerdos ordinaretur, licet naturâ tanto muneri neutiquam par esset, tamen à Spiritu sancto vires consequeretur ad administrationem muneris sibi divinitus commissi. Nihil magis ἄμεσον vocationem inde evincas, quod typi fuerint Christi. Nam & Isaac puer typus fuit Christi, quo tempore nec rex, nec propheta, nec sacerdos fuit: & æneus quoque serpens in deserto aliaque gesserunt typum Christi. Imo contrà, si horumce munerum naturam consideremus, clarè conspiciemus, summum in Ecclesiasticis imperium Episcopis, ac Presbyteris tribui non posse. Nam Sacerdotum tum docere erat, quod cum Prophetis eis fuit commune, tum sacrificare, tum intercedere pro populo apud Deum. At Regum erat gubernare Ecclesiam, summoque cum imperio, versari circa ea, quæ ad animalem, aut spiritualem vitam pertineant. Atqui Presbyteri, & Episcopi, non Regibus Veteris Test. successere, sed Sacerdotibus: ut qui & ipsi doceant, & μνημονευτικῶς sacrificii Christi signa administrent, & pro Ecclesiâ, singulisque ejus membris, in precibus, & gratiarum actionibus intercedant, apud Deum: unde & ἱερεῖς, ac sacerdotes, ab omni antiquitate appellantur. Gubernatio igitur principalis, non his sed Magistratui competit. Neque obstat, quod à Paulo, inter Ecclesiasticas functiones κυβερνήσεων mentio fiat. Nam est Episcoporum, & Presbyterorum quidem regere; verum Ministerio, non imperio, quod solius est Magistratus: Unde illud poëtæ: *Tu regere imperio populos Romane memento.* Aut si quod etiam imperium habeat, id sub hostili Magistratu est, ubi eorum qui Ecclesiæ præsident, est ea præstare quantum licet, quæ alioquin erant Magistratus. Sub Christiano autem magistratu, si quod imperium, vel jus in rebus externis habet, à Magistrato habet, quod idcirco non summum erit, sed subordinatum.

Quam rem his verbis expressit Guilielmus Tooker duello cum Becano Jesuitâ pag. 63, & 64. *Mixtum jus & resultans ex utroque jure & regio, & episcopali est legum sanctio, & synodorum indictio, & præsidendi in iis prærogativa, & controversiarum decisio, & beneficiorum collatio, & Clericorum investitura, & Episcoporum constitutio & depositio, aliorumque actuum, qui hisce finitimi sunt. Exercitium, quæ ferè ab origine primatus regii descendunt, & communicantur sacerdotibus, & ex favorabilium legum indulgentiâ, bonâ cum veniâ, Principum maximè derivantur.*

Hactenus vidimus primam & potiorem Wallæani scripti partem. Accedit deinde ad ἀνασκευὴν libri Wtenbogartii, sed non video quid multum immorari illi immorari, cum ex iis quæ hactenus diximus nullo negotio pleraque omnia solvantur.

Ad exemplum Mosis respondet, fuisse non tantum summum Magistratum, sed & Prophetam Aarone majorem, quod probat ex Num. XII. 6, 7, 8. Sed οὐδὲν πρὸς ἔπος. Nam qua Propheta major, judicium habuit directivum: qua Magistratus, imperativum. Qua Propheta scientiam habuit: qua Princeps, potestatem: Audiamus quod Becano, cum similiter occurrisset Episcopo Eliensi, respondeatur à Burrhillo cap. 27 pro Torturâ torti, pag. 278. *Prophetam ut Mosem probes fuisse, recitas locum longiusculum ex* Num. XII, 6. *Quasi verò nobis horum aliquid aut negaretur, aut nesciretur. Summum quoque Sacerdotem fuisse probas. Sed hic oblitus es turpiter, in exemplo Mosis ad primatum regium non tam quæri utrum summus sacerdos fuerit, quam utrum post consecratum Aaronem fuerit. Scimus enim Mosi in Ecclesiasticis, post consecratum Aaronem, obeditum ut supremo gubernatori: nec ut legislatori, aut Prophetæ credo dixeris. Restat ergo ut obeditum dicas Mosi in hoc negotiorum genere vel tanquam Principi seculari, vel tanquam summo sacerdoti. Nec tamen post consecratum Aaronem facile persuaseris Mosem permansisse summum sacerdotem; ne duos summos, quasi Antipapas, faciens, bicipitem am facias Ecclesiam sub Mose.*

Ad Iosuæ exemplum responder Wallæus, Mosem Num. XXVII, 28, voluisse ut Iosua omnia faceret ad verbum Eleazari; quem iccirco, siquid agendum, consulere deberet. Quo etiam argumento pugnat Becanus adversus Episcopum Eliensem. Sed cum ibidem addatur Eleazarum debuisse consulere Deum, liquet Iosuam à Deo accepisse responsum per sacerdotem gestantem Urim ac Thummim. Quare hoc quoque indicat certitudinem directivi judicii in Eleazaro: imperium non item. Egregiè verò hoc loco adversus Becanum scripsit Robertus Burrhillus cap. XXVII, pag. 280, & 281 ubi hæc inter alia, quæ Wallæanum responsum planè infringunt: *Si (ut videris velle) ex eo quod dicitur* Num. XXVII, 18. *Ad verbum ejus (id est, ut exponis, Eleazari) egredietur, & ingredietur Josua: id modò efficis cupis, non quidem ut in gubernatione civili, sed tantum ut in Ecclesiasticarum rerum gubernatione subsit Josua Eleazaro: reclamabunt verba contextus: quæ non modò de Ecclesiasticis negotiis loquuntur: sed etiam de omnibus, de quibus Deus consulendus per sacerdotem fuerat. Nec tamen ita de his omnibus, ut in iis omnibus Josuam imperio Eleazari subjiciant: sed oraculo divino: cujus tum certus interpres Eleazarus: & post eum diu successores ejus fuerant. Si Papa* (idem de Pastoribus Ecclesiarum dici potest) *itidem certus interpres esset voluntatis divinæ, fateremur & ad verbum Papæ, Principibus egrediendum & ingrediendum. Nec tamen ideo diceremus Principibus omnia facienda ex consilio Papæ: nec enim de omnibus Deum consulebant per sacerdotem: nec cum per os sacerdotis divinum responsum acciperent, Sacerdotis imperio paruisse dicuntur. Ut nec feciali, sed Regis imperio paret, qui feciali, Regis mandatum deferenti paret. Nec tamen damus, quod tuo more, sine probatione sumis, illud ad verbum ejus, exponendum potius ad verbum Eleazari quam ad verbum Domini. Certè enim in Hebræo hoc antecedens propius, & interpretes etiam vestri stant ab hac interpretatione &c.* Et post aliqua: *Aut non omnino jubetur ad verbum sacerdotis egredi & ingredi, sed ad verbum Dei; quod probabilius videtur: aut saltem non absolutè, sed ad verbum ejus pendens à consultatione Domini, id est, quatenus internuncius est voluntatis divinæ.*

Deinceps respondet quoque, ad exempla Davidis, Salomonis, Iosaphati, Ezechiæ, Iosiæ: quibus non Wtenbogardus tantum, sed etiam Rex Serenissimus Iacobus, & Theologi Angli, supremam in Ecclesiasticis curam Regi competere, variis scriptis adversus Pontificios osten-

ostenderunt. Itaque qui sciat, ut Theologi illi, exempla ea, à Pontificiorum responsis vindicarint; is simul nórit, quid ad exceptiones illas Wallæanas debeat respondeti. Quare non visum huic argumento ultra insistere: sed remittere malo ad Guil. Tookerum, qui in duello suo, cum Becano Jesuitâ, non tantum Regium in Ecclesiasticis regimen ac primatum exemplis his fusè probat, sed etiam ad ea omnia, quæ oggesserat Jesuita, solidè respondet. Vide eum à pag. 113. usque ad pag. 175. Ac eo lubentius hanc partem prætereo, quia idem video, à Buthillo factum, libro pro Torturâ Torti, ut qui & ipse cap. XXVIII, pag. 292. nos remittere malit ad responsionem Doctissimi Decani Lichfeldensis, qui non alius est, ac Guilielmus Tookerus. Adde, quod etiamsi Walæus evinceret, singula exempla per se non satis validè probare, quod Wtembogartius volebat; tamen alia attulerat, quæ nec argumentorum subtilitate eludat, nec robore elidat. De cæteris cogitandum illud poëtæ veteris, *Et quæ non prosunt singula, multa juvant.* Quod verò ad illam testimoniorum sylvam, quam Wtembogartius testimoniis obducit, mihi quidem magnam partem videntur ea sententiam nostram confirmare. Itaque quamquam jam scribendo lassus stigare malim, quàm pro telo ducere: tamen adferre visum aliquot istorum testimoniorum, ut pateat quàm is non cum adversâ sententiâ, sed quemadmodum Romani tyrones, Vegetio teste, solent, adversus palum plurimùm pugnet.

Pag. XCV agnoscit Helveticam confessionem Magistratui imprimis Religionis curam demandare. Respondet hanc mentem confessionis esse, non quidem Magistratui modo excellentiori hanc curam demandari quam Pastoribus, sed potiorem Magistratui Ecclesiasticorum quam civilium curam habendam esse. Sed quem meliorem confessionis Helveticæ interpretem habere possumus quam Wolfgangum Musculum, qui Superiorem Magistratus, subordinatam Pastorum in Ecclesiasticis curam facit: ut antea vidimus. Nec alia Bullingeri, aliorumque, Helvetiorum sententia est.

Pag. CXV, & CXVII agnoscit Regem ab Anglicanâ Ecclesiâ habitum pro capite Ecclesiæ. Verum his verbis supremam Ecclesiæ gubernationem ei tribuisse. At neque nos Magistratum spirituale Ecclesiæ caput facimus: sed hoc ipsum quod Anglicana voluit Ecclesia, quodque à L. Cicestriensi tribui Regi docet ipse pag. CXVIII. Item ex Buthillo pag. CXXI, ubi hæc verba inter alia citat. *Regem postquam ab* ECCLESIASTICIS CONSILIIS *aut* (SI HÆC NON SATISFECERINT) *ab auctoribus ob fidem & harum rerum peritiam idoneis, quorum os consulere tenetur, satis edoctus fuerit, præcipuum esse Dei servum, & exequendæ voluntatis divinæ* SUPREMUM GUBERNATOREM. Et ex eodem aliquanto post cum plurima enumerasset: *Hæc ferè omnia, certè maxima, in primatu Regio quod ad spiritualia agnoscimus.* Item pag. CXXII, CXXIII, & CXXIV, quibus locis exteriorem Ecclesiæ curam Regi tribuit, licet Verbo limitatam: item ait & Pastores & Regem habere spiritualium curam, sed hujus curam, etsi spiritualium sit, non esse spiritualem. Optimè item pag. CXXV. Buthillum inducit declarantem verba Augustini in quæstionibus veteris & Nov. Test. *Rex habet imaginem Dei*, regnantis in cœlis: *Episcopus Christi*, sed ministrantis in terris. Nempe quia sacerdos legatione fungens nomine Christi, precibus & hortatibus agit, non imperio regit: ut Paullus ostendit 2 Corinth. V, 20. Dicendum & aliquid de testimoniis veterum quæ à Wallæo adducuntur.

Pag. CLIV. vers. antepen. Cypriani locum citat ad probandum plebem ab Episcopis consuli solere, antequam aliquem ordinarent. Sed ipse locus hic indicat, non fuisse id perpetuum, cum dicat hac in caussâ se facere id noluisse. Pag. CLVII, & CLVIII insignia duo loca adducit è Concilio Nicæno & Constantinopolitano, quibus decernitur ne ulli constituantur Episcopi, nisi de voluntate Episcoporum Provinciæ. At nihilominus Nectarium à Theodosio Juniore electum constat ex Sozomeno lib. VII, cap. VIII; pluraque istiusmodi adducis, Magnif. Domine, in Pietate tuâ à pag. 89, usque ad 97. Quæ exempla ostendunt hoc tantum voluisse Patres præscribere, quid maximè expediret, non item quod liceret. Sanè cum canones Ecclesiastici nonnisi à summo Magistratu vim legis accipiant, obstringere eum, nisi volentem, minimè possunt. Et si canon iste observandus fuisset in Ecclesiarum nostrarum reformatione, quales nunc Episcopos & Presbyteros haberemus? Quin igitur extra ordinem aliter possit Magistratus, minimè dubium videtur. Pag. CLXV, & CLXVI, illustria duo Magni Leonis loca adfert, Calvino quoque probata, quibus ostendit, in Pastorum electione nec honoratorum ac imprimis Magistratus judicium negligendum esse. Sed distinctè de quatuor his sententiam suam promere debuit. I. Quid summo Magistratui conveniat ut membro Ecclesiæ: in quo nihil à fideli cerdone differat: II. Quid ei tribui possit, ut membro honorato; quod ei commune esse possit cum viro antiquæ nobilitatis, aut claræ eruditionis, aut eximiæ virtutis, aliove nomine præter cæteros conspicuo; non tamen Remp. capessenti: III. Quid præterea ei competat, ut membro habenti imperium, h. e. ut Magistratui ejus loci, ubi Pastor eligendus: sed tamen istiusmodi Magistratus, qui superiorem agnoscat. IV. Denique quid illi debeatur ut Magistratui summum imperium habenti. Adhæc distinguere debuit quid illi competat ordinariè, quid item extra ordinem. Nam plus ei schismatis tempore tanquam pacis & concordiæ custodi tribui debere, agnoscit ipse pag. CLXXI sub finem. Non satis autem intelligo quid sibi velit, cum pag. CLXXXVIII ait, etiam magno loco habenda esse judicia non Pastorum, seu politicorum, seu aliorum, qui donum habeant Prophetiæ, eò quod Pastorum judicio plurimum ab his roboris accedat. Nam videri possit hoc velle, tantum sententiam eos rogari debere, cum non obscuris indiciis constet in Pastorum sententiam ituros. Verum quid si Prophetæ illi Pastorum sententiam probare non possint, jam futurum ut potius deterant aliquid de auctoritate judicii Pastoralis. Ait Prophetas Prophetis subjectos esse debere. Sed quæritur, an Propheta quisque Prophetas suæ ditionis præferre debeat alienæ Provinciæ Pastoribus ac Prophetis? item an nostri seculi Prophetæ præferendi sint Prophetis Ecclesiæ antiquæ? Hæc quidem consideratio ad electionem Pastorum, de quâ nunc sermo, non pertinet primò & per se: sed tamen valde cum eâ est conjuncta. Nec solum in ministrorum vocatione, sed etiam controversiarum dijudicatione ad Paullinum illum locum provocari solet. Meritò igitur quærimus, an negari debeat eum Prophetarum judicio se subjicere, qui cum Prophetis consentit Ecclesiarum non ignobiliorum nostrâ: imò quicum faciunt Prophetæ omnes Ecclesiæ antiquæ? atque ut ad exteros aut veteres non abeatur, quæritur an Prophetarum judicio se non subjiciat, qui facere secum videt minorem quidem numerum ex iis qui vel nullius, vel exiguæ sint eruditionis: sed majorem ex eruditorum flore, eorumque qui animum habent in Scripturis subactum, idque non judicio solum suo, sed etiam adversariorum ipsorum, qui idcirco calcatum illud in eos vibrent, quo doctrinâ quisque instructior, hoc esse impuriorem perversioremque in dogmatis fidei? Sed perpetuus est hic & scriptoris hujus & aliorum innumerorum error, ut suæ tantum sententiæ homines æstiment, cæteros loco habeant nullo aut parvo.

Atque inde est, quòd siquis dissentiat in re ullâ à majore Pastorum parte ejus, in quo ipse vivat, loci: hunc, licet & suæ provinciæ doctiores, & exterorum plures, & veterum omnes sibi habeat consentientes, nihilo-

minus ab Ecclesiâ dicant dissentire : in quo Donatistarum eos similes esse, quis non videt ? Sed redeo ad veterum testimonia, à quibus me, occasione ejus quod de subjiciendo se Prophetis dixerat, paullum video deflexisse. Citat pro se Concilium Nicænum II, pag. CLXXVII. Sanè qui ab Constantii exemplo argumentum peti nolunt ; non debent provocare ad Pseudo-Nicænam, quæ idolorum cultum stabilivit. Pag. cxc. commemorat obiter Synodos quinque, Nicænam adversus Arrium, Constantinopolitanam adversus Macedonium, Ephesinam adversus Nestorium, Carthaginensem adversus Pelagium, Chalcedonensem adversus Eutychem. Sed præterquam, quod Ephesinæ malè postponit Carthaginensem, cum hæc antiquior sit, caussæ nihil video quid inter quatuor illas œcumenicas, quas tanquam quatuor Evangelia venerari se dicebat Gregorius M. & ex eo Isidorus, mediam interserat Carthaginensem, quam adversus Pelagium celebratam rectè dicit. Num quia apud imperitos antiquitatis Ecclesiasticæ, tum qui Remonstrantes nunc dicuntur, malè audiunt tanquam intermortuam Pelagii aut Semipelagianorum sententiam in Ecclesiis reformatis ab Orco revocantes, eo credemus tacitè insinuare voluisse, eosdem ferè qui nunc supremam Magistratus auctoritatem in Ecclesiasticis agnoscunt, ac quibuscum sibi nunc negotium est, olim jam SS. Patrum conciliis fuisse condemnatos ? Sed ego divinus aut vetator non sum : ariolentur illi, qui μαντικὴν didicerunt.

Atque hic tandem pausam faciamus, egò scribendi, tu legendi. Occurrebant quidem & alia multa : eaque duûm generum : alia momenti nullius, uti illud : (ex pluscul̃is exemplis unicum adferam) quod pag. CIII, uti Oecolampadium, ita Bucerum inter Helvetios numerat, cum hic fuerit Selestadiensis : Selestadium vero quis nescit civitatem fuisse Alsatiæ, unde & nomen ei quasi Elsisstede, ut docuit ipse Selestadiensis Beatus Rhenanus. Verum hujuscemodi si consector, nec caussam juvero multum, nec rationem habeam occupationum utriusque nostri. Alia etiam quædam erant momenti majoris : sed præterquam, quod ex iis, quæ dixi, eorum parere invalentiam arbitrabar, sciebam ea omnia & eruditè & nervosè refutasse, aureo hac de controversiâ libello tuo, quem lucem quam primum adspicere, & Ecclesiæ, & Reip. interest. Non deerunt fortasse, qui ausint Anticatonem aliquem scribere : nam quid intentatum relinquit humana ambitio ? Sed spondeo me velle defensionem ejus, quovis tempore suscipere, & ore, & calamo : modò tu, Vir Amplissime, me idoneum huic rei, nec Collegio hoc, aut Ecclesiæ damnosum judicabis. Vale.

FINIS.

INDEX

I N D E X

eorum quæ in hac

DISSERTATIONE EPISTOLICA

DE

JURE MAGISTRATUS

in Rebus Ecclesiasticis continentur.

Numerus paginam, littera *a* primam, *b* secundam columnam indicat.

F I N I S.

GERARDI JOANNIS VOSSII

Reſponſio ad Judicium

HERMANNI
RAVENSPERGERI,

DE LIBRO,

AB

HUGONE GROTIO, V. CL.

pro Catholica fide *de Satisfactione Jeſu Chriſti*,
ſcripto adverſus *Fauſtum Socinum.*



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
& GOETHALS.
M DCC I.

ſunt
den
ſti
ſed
ne
vidi
He
pug
ſus
ma
ea
in
xi
qu
bo
g
g
d
C
ſ
h
p
f
ſ
r
l

P R Æ F A T I O.

IN confesso est apud omnes, hæreticis eum melius quam Catholicis consulere qui callidum fidei Christianæ hostem ita in tabella populo spectandum offert, quasi dogmati faveat Catholico, cui bellum ἄσπονδον indixit: strenuum autem veritatis defensorem ita depingit, quasi cum hæretico colludat, quem fortiter oppugnat. Aut qui de manibus excutere conatur argumenta valida munitaque, quibus ad incitas redigi adversarius possit: & ubi quasi decretoria adsunt arma, pugnare illis jubet, quæ apta magis sint ad ludendum, quam lædendum. Nihil vero horum in gravissima controversia de Satisfactione Christi, facere veritus est, non mystes primo suo quadriennio in subdivali hærens, sed epopta aliquis, vel etiam supra epoptam, cujus animus, in disceptatione ejus quæstionis contra *Socinum*, tanta caligine obseptus fuit, ut neque ea vidisse videatur, à quorum conspectu nec initiati ipsi prohibentur. Est is *Hermannus Ravenspergerus*, Theologus *Groningensis*, qui libello quodam oppugnandam cæpit Defensionem Catholicæ Fidei de Satisfactione Christi adversus *Socinum*, susceptam ab Amplissimo, & non divinarum minus quam humanarum rerum scientissimo, *Hugone Grotio*. Hoc libello suo Censor iste ea, quæ certa sunt, in dubium vocat, de quibus in Ecclesia Dei disputatur, inter certissima reponit; quæ dixit *Grotius*, dixisse negat; quæ non dixit, dixisse comminiscitur; &, quod caput est, dum credibile faciat, vidisse se aliquid *Grotio* invisum, nihil dixisse *Grotium Socino* indictum, parum pensi habet, si in cardine controversiæ, ubi longissime à Catholicis abest *Socinus*, fingat eos consentire: aut si Scripturas, quibus velut amentatis hastis valide pugnatur in *Socinum*, ex ejus mente exponat, & contra eum pugnaturis pro gladiis acutis præbeat hebetes & plumbeos. Hoc ut liqueat omnibus, interest Catholicæ veritatis, ne ejus & defensores & hostes alba, ut dicitur, linea signentur, & sine cura discriminis legantur: interest studiosæ juventutis, ne ab hoc Censore discat male rem gerere adversus *Socinum*: interest *Grotii*, Cui si pro utili opera honorem habere nolumus, saltem ne malam rependi Gratiam sinamus: interest multorum præstantium virorum, qui autores fuerunt Amplissimo Viro, ne præclarum laborem suum diutius publico invideret: interest denique nostra, qui hoc ipsum suasisse nos, proloquio operi *Grotiano* præmisso, publice jamdudum testati sumus: ut cum *Ravenspergerus* inclementer adeo in *Grotium* dicit, non ejus solum dignitati illudat, quod per se ipsum grave erat, sed eadem tum Catholicæ veritati injurius sit, tum omnibus ejus studiosis plurimum incommodet, tum tacite tot magni nominis virorum judicium reprehendat, tum, si hoc quoque in rationem venire æquum est, non obscure immanis inscitiæ me reum agat. Etsi igitur minime placent, qui avium κεπφῶν instar, nisi alienis insideant humeris, quiescere non possunt: ac multum eorum mores semper quidem aversatus, qui criminando viros præclare de Rep. vel Ecclesia merentes ad honorem grassantur (à qua culpa quam immunis sit Censor, rectius alii judicabunt) tamen hoc tempore, ut ipse potissimum acerbissimæ *Ravenspergeri* accusationi responderem, passus sum mihi persuaderi à viris aliquot piis juxta ac eruditis: qui judicabant, nebulas, controversiæ de Satisfactione

Christi à Censore offusas, ocyus esse detergendas: atque id ob eam quam dixi caussam, à me potissimum fieri debere. Sane ut verum dicam, propriis quidem papulis mederi malim quam alienis: & minus molestiæ capiam cum hoste Ecclesiæ confligendo, quam ejus injuriis occurrendo, quem alioqui ut fratrem amem, & æstimem ut virum eruditum. Sed tamen æquum fuit retundi à nobis gladium, quem Censor in virum incomparabilem strinxit, eumque non de humanitatis studiis solum, sed & Rep. Ecclesiaque præclare admodum merentem: cui nunc ille proterve adeo insultat, quasi in controversia hac, in qua nihil nisi cucurbitas lippit, videat solus: tot clari Dei servi, atque alii non dignitate minus quam eruditione præstabiles, qui præclare admodum de *Grotii* libro sentiunt, circumvolitent tanquam umbræ. Nec satis fuit Censori, si inscitiam, qua ipse laborat, *Grotio* exprobraret: etiam candidissimam animam malitiæ suspectam facit: in quo ut fidem facilius inveniret, ad *Græcanicas* artes se convertit. Eas unde hauserit, scire non laboro: sed in mentem venit comparis ejus apud festivissimum *Horatium*, quo nemo vel venustate, vel industria majori mores hominum expressit: adeo ut quam laudem apud *Athenæum Theophrasto* tribuit æqualis ejus *Hermippus*, hanc inter *Latinos* suo sibi jure vindicet poëta ille *Venusinus*. Inter alios vero χαρακτηρισμοῖς habemus εἰκόνα hominis maligni, qui rogatus de Petillio, primum ejus comitatem, & quæ alia sunt hujus farinæ prædicat: mox mirari se ait, judicio fuisse absolutum, cum coronæ è Capitolio sublatæ accusaretur.

> —— *Hic nigræ succus loliginis, hæc est*
> *Ærugo mera:* inquit Poëta.

Placuisse exemplum videtur *Ravenspergero*. Nam prius extollit ingenium admirandum, & multijugam eruditionem *Grotii*: quæ, eo etiam tacente, nemo ignorabat. Mox melleis verbis, non

> —— *Absinthia terra medentum*,

Ut poëta canit, sed, uti terribiles novercas facere, ait Poëta alius, lurida miscet aconita. Nam ea subjunxit, quibus suspicionem injiciat imperitis, quasi vir ille non minus pietate & numinis reverentia quam ingenio & omnigena eruditione spectabilis, non quidem imprudens (quod si diceret, præceps judicium laudare non possemus, ferremus tamen, cum homo etiam *Grotius* sit, & errare possit) sed vero, ut Censoris utar verbis, *sciens Socino suppetias ferat, eumque imitetur, qui osculo prodidit os veritatis*: qua cæca suspicione, quod magis venenatum telum in *Grotium* jacere potuisset? aut quid de ipso *Socino*, & quibusque infestissimis Catholicæ fidei hostibus (quorum multi cum *Paulo* ex ignorantia Ecclesiam sunt persecuti) atrocius valuit suspicari? Minus miraremur, si tenuissimæ suspicioni *Grotius* dedisset locum. Nunc quis non stupeat prorsus, hæc de illo concipere potuisse, qui in Illustrium *Hollandiæ* Ordinum Pietate aperte est professus, *cum hæresis sit venenum Ecclesiæ, & quidem præsentissimum: sed tamen hæreseos aliqui sint gradus, ut sit hæc illa nocentior, pejorem aliam non reperiri hæresi Socini, ad cujus etiam mentionem pii omnes exhorreant*. Tamen hic aqua hæret censori, eoque ad Deum cordium scrutatorem provocandum scilicet putavit: *Socino*, inquit, *iterum iterumque suppetias fert: quod an consulto scienſque faciat, judicet judex ille summus & tremendus*,

mendus, *qui juſte judicat*, *& judicabit omnia.* Sane *Grotius* quoque Deo καρδιογνώστῃ atrocem hanc injuriam committit : cui hac parte innocentiam ſuam ſcit eſſe compertiſſimam. Inſcitiæ vero culpa utrum ipſum teneat an cenſorem : (nam malitiæ illum accuſare etſi forte poſſit, abſtinere tamen mavult) illis judicandum relinquit, qui argumentum intelligunt, & pravis affectibus non abripiuntur. Poſt illa profitetur *Ravenſpergerus*, *velle ſe totum illum à Dn. Grotio conſcriptum librum in calamo adhuc hærere ſcriptorio.* Quod votum illi commune eſt partim cum *Socini* amaſiis, qui magis quam ante periclitari cauſſam ſuam vident : partim cum iis, quibus ægre eſt tantam in quoquam Remp. capeſſente rerum ſacrarum intelligentiam inveniri : partim iis, qui rebus ſuis ſic expedire cenſent, ſi calumnia iſta inveniat locum apud vulgus, quaſi proceres illi, qui moderatione aliqua pia & neceſſaria Eccleſiæ paci conſultum volunt, à *Socini* dogmate non ſint alieni. At eorum nos judicio accedimus, quos nec *Socini* amor abripit, nec alienæ eruditionis ſplendor ſtrabones facit, nec infelicitas temporum, quam omnes peccatis noſtris promeruimus, ad poteſtati ſummæ maledicendum compellit. Sane quibuscunque is animus eſt, ſive harum ſive illarum partium fuerint, uno ore prædicant; pulcherrimum hunc ſummi viri fœtum maximo Eccleſiæ bono natum eſſe. Quem cum Cenſor ille negat, vel chartis concipi, vel conceptum in lucem edi, vel editum tellure ſuſcipi, vel ſuſceptum in acta referri debuiſſe : quid mirum, ſi nunc conceptum, editum, ſuſceptum, actis inſertum, tam inclementer & inhumane cenſoriis ſuis virgis caſtiget, ut etiam cæco appareat, quæ fuerit illi votorum ſumma. Nempe quæ alia, quam, ut quia in manu ejus non erat, ut qui natus erat, hemerobiorum inſtar, denaſceretur quamprimum; ſaltem tanquam quarta luna natus ærumnabilem vivat vitam, lateraque inhoneſtis vibicibus à Cenſore ſuo inuſta circumgeſtans, atque ab eodem in Ceritum tabulas relatus, non jam ad genitoris ſui gloriam per ora hominum viveret, ſed ad perennem contumeliam. At bene eſt, quod cenſuram hanc exercet ſine ſuffragio eorum, qui illum ut ætate, ita rerum Theologicarum peritia longe antiſtant : quibus non ſuadentibus tantum, ſed & impellentibus, non quidem librum hunc edidit Vir Ampliſſimus, ſed ut ederetur permiſit. Horum numerum inire animus non eſt. Sed tamen partim propter eos, qui autoritate magis, quam ratione ducuntur, partim etiam honoris cauſſa, aliquos eorum nominabimus, qui diatribam illam *Grotii*, cum cura legerunt, ac præclarum de ea judicium tulerunt. Fecit hoc Vir Cl. *Johannes Polyander*, S. Theologiæ in *Lugdunenſi* hac Academia Profeſſor, & nunc temporis Rector Magnificus : qui Ampliſſimo Viro librum ſuum de Satisfactione Chriſti remittens, reſcripſit in hunc modum :

Diſputationem tuam adverſus Socinum non minus aptis & homogeneis, quam eruditis & ſolidis argumentis, perſpicuiſque diverſarum vocum ac phraſium interpretationibus exornaſti : ex quibus, ſicut te legum, divinæ ſcilicet & humanæ, linguarumque peritum : ſic Socinum aut earum fuiſſe imperitum, aut ſi eas intellexit, veritatem ſibi cognitam ἐν ἀδικίᾳ *detinuiſſe, quilibet inſignes tuas obſervationes, abſque præjudicio perlegens, facile animadvertet.* Et mox : *Gaudeo quod hoſtilia arma adverſus Immanuelis hoſtem capitalem indueris, atque opto, ut alii, veſtigiis tuis inſiſtentes, errores ipſius perniicioſiſſimos ſimilibus ſcriptis refellant.*

Fecerat idem præſtantiſſimus vir, *Antonius Thyſius*, S. Theologiæ in Illuſtri *Hardervicena* Schola Profeſſor, qui eodem de libro judicium ſuum

 per-

perſcripſit ad Ampliſſimum Virum *Fredericum Sandium*. Eſt vero iſtiuſmodi:

Scriptum illud eruditiſſimi viri ſuper Redemptione & Satisfactione Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in Socinianam blaſphemiam conſcriptum (quantum quidem ego judicare poſſum) varia eſt eruditione expolitum, Socinianas hypotheſes, iiſque firmandis adducta argumenta ſeu ſophiſmata ex linguæ Hebrææ, Græcæ, Latinæque proprietate, Sacræ Scripturæ teſtimoniis, Philologorum ſermocinationibus, ac Philoſophorum ratiocinationibus, atque Juris & Naturalis Gentiumque & Civilis (quantum quidem humana cum divinis componere licet) collatione & conſenſu, eleganter & ſolide refutat.

Idem etiam factum ab eximiæ virtutis & eruditionis viro, *Antonio Walæo*, fido Deo ſervo in Eccleſia *Middelburgenſi*: cujus hæc ſunt verba ad Ampliſſimum Virum: *Defenſionem, quam ad me miſiſti, non tantum diligenter, ſed etiam cum voluptate legi. Adeo & docte & ſolide ſententiam orthodoxam in ea affirmas, & contrariam infirmas. Deus animum illum tibi perpetuum ſervet, ut ſimilia pietatis & doctrinæ monumenta nobis plura publicentur, quibus veritas ſalutaris ab hæreticorum malitia vindicetur.* Et aliquanto poſt: *Argumenta noſtrorum à violentis Socini torſionibus egregie vindicas, & ea quæ à natura & autoritate humana petuntur, meo judicio ſatis plene refutas.*

Tergeminum hoc Clarorum Theologorum judicium, eo adduxi, quia vel Cenſore judice, τῆς ὀρθοδοξίας *ſunt retinentiſſimi: cumque provinciis totis ſint diviſi, tamen ſententiis inveniuntur concordes.*

Heic τριάδι τετράδα *adjungam, ut ita compleam* τὴν ἑπτάδα, *quam tanti fecere* Pythagorici, *ut nunc* σεπτάδα *vocarint. tanquam numerum* σεπτὸν *ac veneratione dignum: nunc etiam* Ἀθηνᾶς: *ut* ἑπτὰς *iſta præſtantiſſimorum virorum vere nobis eſſe poſſit, quod proverbio dicitur* τῆς Ἀθηνᾶς ψῆφος, Minervæ calculus. *Commemorabo autem tales, qui (ne Cenſor de compacto rem agere cauſſetur, uti in velabro olearii ſolent) majori etiam locorum intervallo disjungantur, quam quos produxeram prius.*

Familiam horum ducat Reverendiſſimus, noſtraque laude major *Johannes*, Epiſcopus *Coventrienſis* & *Lichfeldenſis*: cujus hæc verba ſunt literis ad *H. Grotium*: *Cæterum quod ad tuos libros attinet, Clariſſ. D. magnum ſane & Juriſperitum & Theologum & Politicum te præſtitiſti. Defenſionem tuam fidei Catholicæ de Chriſti D. N. ſatisfactione adverſum Socinum, non poſſum non plurimum probare & laudare.*

Alter eſt Nobilis & Ampliſſimus Vir, *Georgius Michael Lingelshemius*, Electori *Palatino* à conſiliis arcanis, cujus verba ipſa apponemus ex epiſtola ejus ad Ampl. *Grotium*: *Ternas tuas prim. Kal. 3. & 8. Sept. datas recte accepi, cum longe gratiſſimo munere Apologiæ tuæ de Satisfactione Chriſti, ad quas ideo tardius reſpondeo, ut deſiderio tuo ſatisfacere poſſem. Summa cum voluptate & fructu legi tractatum tuum, in quo admirabilem induſtriam in tuenda cœleſti veritate adhibuiſti, & rectam rationem propugnandæ veritatis oſtendiſti. Omnia ex fundamentis ſacræ Scripturæ, & rationibus ita demonſtraſti, ut dubii nullus amplius locus relictus ſit. Non tu hic pro more aliorum adverſarium exagitaſti, ut invidiam conciliares, aut in improbitatem adverſarii invectus es: rem ipſam clare & perſpicue exhibuiſti, & demonſtrationibus ita firmaſti, ut veritas nuda pateat & fallaciæ omnes profligentur. Idem judicium eſt omnium, qui laudatiſſimam hanc tuam lucubrationem legerunt. cumque hactenus doctrinam tuam in*

bonis

bonis literis ac scientiis admiratus sim, jam etiam exactam peritiam tuam in sacris suspicio & exosculor. Det tibi Dominus vitam & vires, ut porro de Ecclesia & Rep. optime mereri possis.

Tertius est è vicina *Geldria*, Amplissimus & doctissimus *Fredericus Sandius*, ὁ μακαρίτης, qui Clarissimi *Thysii* judicium, quod ânte adscripsimus, in *Bataviam* transmisit, suoque calculo approbavit. Eo vero libentius *Sandii* meminimus, quia Cl. Theologus, *Sibrandus Lubertus* in scripto nupero, hoc eum elogio ornat, ut virum excellentem ac præstantem appellet, magnasque dignitates magna cum laude obîsse testetur.

Quartus esto Clarissimus *Geverartus Elmenhorstius*, vir sine ambitione doctissimus, deque Patribus antiquis optime merens, quod inter alia ostendunt ejus *Arnobius* & *Gennadius*, & testatius facient *Zonaras* in Concilia, *Euthymius*, Concilium *Chalcedonense*, aliaque plurima, quæ ejus beneficio, magno Ecclesiæ bono, propediem adspicient lucem. Is *Hamburgo* ad virum maximum inter alia hæc scribit: *Nemo hac ætate extitit qui tam dextre hanc partem tractaverit: quod vere, non oratorie dico.*

Simile plane judicium tulerunt complures alii, atque hi partim in *Batavia*, (ubi si numerare occipiam suffragiorum puncta,

Ante diem clauso componat Vesper Olympo: sed, ne quasi domesticos testes caussaretur, Censori hoc dandum putavi ut in ea præter unum nominarem neminem:) partim etiam extra *Bataviam*: neque isti homines vulgares, sed qui in inclytis *Germaniæ* ac *Belgicæ* Academiis vel Scholis illustribus, alii S. Theologiam, alii alias facultates & scientias magna hactenus cum laude profiteantur. Hæc etiam adducere in procl.vi erat; cum sponte judicium suum in *Bataviam* perscripserint: sed non omnia sacra sua simul pandit *Eleusis*. Vel, ut apertius promam, quod jamdudum cogito, putidius fit istis diutius immorari, quando vera virtus alienis præconiis non eget. Et sane ea, quæ antea adduximus, commemoravimus prope inviti. Sed temporibus aliquid dandum fuit: quoniam quibus nunc vivimus, magis à quibus dicatur, quam quid dicatur, spectare homines solent. Nobis verò φίλος Πλάτων ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ἀλήθεια.

Sed porro Censoriæ præfationis verba persequamur. Scripseram præfatione, quam Amplissimi viri libro præmiseram, existimasse eum *facturum se rem Christiano jurisconsulto non indignam, si ea, quæ à jure petuntur arma, Catholicæ fidei adversario extorqueret.* Ad hoc respondet Ravenspergerus: *Persuasum se esse, ita adversario satisfactionis arma illa ex jure petita extorqueri, ut reliqua ejusdem, ex scripturis præsertim desumta, non leviter firmentur.* In quo quantopere eum fallat opinio sua, responso, quod nunc damus, ostendere propositum fuit. Imo non tantum hanc accusationem ejus exarmabimus, sed etiam docebimus, cujus ille criminis Amplissimum Virum reum agit; hujus ipsum meliori jure peragi reum posse.

Præfatione eadem etiam dissidentes Bataviæ fratres ad pacem & concordiam adhortatur Ravenspergerus: quod dum facit, atrocibus quibusdam suspicionibus, ut ego quidem censeo, mirum in modum indulget. Verum istæc iis examinanda relinquo, quos ea res proprie tangit. Interim moderationem illam animi, qua schisma dissuadet, non possum non utroque, ut ajunt, pollice laudare. Siquidem unice hoc semper habui in votis, ut Ecclesiæ homines charitate potius quam odiis certent: nec tam ea consilia sectentur, per quæ causæ adversæ oppressionem, suæque certiorem victoriam sperent: quam hoc agant, ut citra Catholicæ fidei jacturam, concordibus animis iterum coalescamus: quod faxit ille misericors Deus in Christo cum Spiritu S.

Atque hæc ea sunt, quæ præfari visum fuit partim ut argumentum commentatiunculæ nostræ exponerem: partim ut judicium refellerem, quod præfatione sua de Grotii diatriba perperam tulerat Ravenspergerus. Nunc ad ipsam ejus dissertationem accedo: in cujus examine non verborum profluvium consectabimur, sed operam dabimus, ut ea solum dicamus, quibus illustretur doctrina de plenissima Christi satisfactione pro peccatis nostris: & honos fidesque libri ejus vindicetur, qui nobile hoc beneficium Christi contra Catholicæ fidei adversarium fortiter defendit.

GER. JOANNIDES VOSSIUS
Coll. Regens.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

Reſponſio ad Judicium

HERMANNI RAVENSPERGERI,

de libro,

Ab HUGONE GROTIO V. CL. pro Catholica fide de Satisfactione Jeſu Chriſti ſcripto adverſus *Fauſtum Socinum.*

CAPUT I.

Reſpondetur Ravenſpergero, *conſenti* TEKEL *poſſe inſcribi operi Grotiano, neganti item nodum ab eo quaſtionis attingi: ad hæc reprehendenti quod multa magnaque, & ea inter de Merito quæſtionem, omittat.*

PRodiit his diebus in lucem diſſertatiuncula Hermanni Ravenſpergeri, Theologi Groningenſis, quæ illuſtri titulo omnium in ſe oculos ſtatim convertit. Nam uti januæ antiquorum vel Apolline ornari ſolent, quem mythologi ſolem interpretantur, vel Anthelis, quorum etiam in nomine ſol relucet: ita in libri ejus ingreſſu, Clariſſimi & plane incomparabilis viri Hugonis Grotii nomen late radiorum ſuorum lumine reſplendebat. Sed non ſolum Ægyptiorum templa, verum iſte etiam illepidus novus libellus exemplo fuerit, quam multa extrinſecus pulcra appareant, quæ intus fœda inveniantur. Eo enim ſumma ope nititur Ravenſpergerus, ne exiſtimationem fidemque inviolatam relinquat luculentæ defenſioni, quam Ampliſſimus Grotius pro fide Catholica de Chriſti ſatisfactione, ſuſceperat adverſus Socinum. Nec diffiteri poſſum ſtatim ipſo opuſculi, quo nos beare ſcilicet placuit Cenſori, titulo perlecto, aliquid fuiſſe me ſuſpicatum. Verumtamen exſpectabam, ut Chriſtianæ charitatis doctor, nec verbo à viro ſummo laceſſitus unquam, ubi cum eo conſentire non poſſet, modeſte diſſentiret, quædam eum non vidiſſe, humanitus aliquid paſſum eſſe diceret. Sed nimium quantum ea me ſpes ſefellit. Nam in præfatione ſua ad Hollandicarum Eccleſiarum presbyteros, cum prius magnifice Grotium laudaſſet, mox ambigit, utrum ut perditionis ille filius prodidit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ipſa eſt veritas: ita Grotius Catholicam veritatem de Chriſti ſatisfactione prodiderit Socino. Et in ipſo libelli veſtibulo affirmare iterum non erubeſcit, niſi præclaræ illæ ingenii dotes & multijuga eruditio obſtarent, *non peccaturum eum, qui tractatus ejus* adverſus Socinum *inſcriberet interpretamentum illud vocis* TEKEL, quod *eſt apud Danielem*: quaſi Grotius, qui adeo ſobrie, pie, religioſe, ac Theologorum quiſquam tractavit illum *ſacræ Theologiæ* (ut cenſor ipſe appellat) *principem locum*; elogium hoc commeritus fuerit, quod rex Balthazar, cum ei ebrio & impuris manibus impie tractanti ſacra templi vaſa, *apparuerunt digiti, quaſi manus hominis, ſcribentis in pariete aulæ regiæ*, TEKEL: hoc eſt, ut propheta Daniel interpretatur, *appendit, appenſus fuiſti lancibus, & inventus es minore pondere.* Qua ipſa nocte, horrendo Dei judicio, Babylon capta, rex interemptus, & imperium ejus Dario, Medorum regi, & Cyro, Perſarum principi, traditum fuit. Hæc ejuſmodi animum ſpirent, me etiam tacente, omnes intelligunt. Quid ergo, num propterea Ravenſpergero ſuum TEKEL reponemus? num ſimili dolo & vere arte Pelaſga, dubitare nos fingemus, an non cenſor ipſe mereatur comparari cum Juda Iſcariote? Minime vero. Aliud ſiqui inſuſurrare vultis, ὑμᾶς ὑμᾶς ἴσε βλέπεται. Apage illam erga ſuos in Chriſto fratres Atticam hoſtilitatem. Apage illam à piis omnibus, quibus aliquando factorum dictorumque omnium accurata coram Deo ratio reddenda erit, apage, inquam, iſtam male Chriſtianam malum malo redhoſtiendi voluptatem. Nec profecto ſubſidiis iſtis cauſa hæc eget. Nam quod fortaſſe credat Cenſor, apud viros bonos & eruditos majoris fore judicium ſuum de ſummo viro, quam hujus de ipſo: jure equidem metuo, ne ut Suffenum Catulli, aut Horatii Mævium, ita illum decipiat *Cæcus amor ſui*, Sed difficile profecto eſt ventos cuiquam de pulmone revellere; præſertim eâ, qua nunc Cenſor eſt, ætate. Νέοι γὰρ εἰδέναι πάντα οἴονται, καὶ διϊσχυρίζονται; ut veriſſime ſcripſit Ariſtoteles. Sed videamus, quid in ſcenam afferat, ut audaci iſti, de Ampliſſimo viro, aſſertioni faciat fidem. *Primum*, inquit, *nodum, quod ajunt, raro & leviter attingit: tantum abeſt, ut ſcindat, aut reſecet.* Sed nodumne tangat Grotius, an ipſe potius controverſiam totam egregius ſcilicet cenſor, ignoraverit; planum ex iis fiet, quæ ad ſingula deinceps reſpondebimus. Ecquid amplius? *Plurima ait, & longe præcipui, in hac ſatisfactionis doctrina, momenti præterit.* Quæ illa? Quæſtionem de merito Chriſti intelligere, ex iis, quæ ſubjungit, apparet. Sed de hoc jam dixeram præfatione ea, quam diatribæ Grotii præfixi. *Imo*, inquit ille, *non ſatis commode excuſat autor præfationis, cum ſcribit, D. Hugonem Grotium, relicta aliis meriti quæſtione, eam, quæ de ſatisfactione eſt, tractandam ſuſcepiſſe.* Quamobrem vero incommode hoc dictum arbitratur? Ex iis, quæ ſubjungit, liquet, putare illum, me ſatisfactionem à merito diſparâſſe. At fallitur plane. Non enim diviſi, ſed diſtinxi. Hæc ſiquidem eſt ſententia noſtra, Chriſtum obedientia ſua utrumque præſtitiſſe, ut non tantum à pœna debita liberaret, ſed etiam præmium indebitum conferret. Ubi duplex Chriſti beneficium ſe oſtendit. Prius eſt ablatio mali: quo liberamur per ſatisfactionem. Nam malum illud ſunt debita noſtra; quomodo etiam in ſcripturis peccata hominum appellantur. At ſatisfactio, ut ex relatorum natura conſtat, eſt pro debito ſatisfactio: non proprie, præmii adeptio. Alterum igitur, & diſtinctum Chriſti beneficium eſt, quod etiam acquiſivit præmium vitæ æternæ. Atque hoc meritum vocamus proprie & ſtricte, ut ſatisfactione non includitur, ſed ab eadem diſtinguitur. Nihil ergo clarius eſt, quam, etſi ſatisfactio & meritum ſint indiviſa, non tamen eſſe indiſtincta. Quid autem prohibet, quo minus de iis, quæ

diſtincta

distincta sunt, distincte etiam agatur? Atqui hoc solum volui, cum scriberem, de Satisfactione tractasse virum Amplissimum, de Merito, alteri agendum reliquisse. Mirabilis autem est Censoris argumentatio. *Si satisfactio & meritum disparantur, cur*, inquit, *hic agitur de reconciliatione & redemptione?* Ipse in iis, quæ addit, objectionem non firmat, sed solvit. *Satisfaciendo*, inquit, *hoc est pœnas pro peccatis nostris solvendo, & mortem perferendo, reconciliationem nostri cum Deo & redemptionem nobis acquisivit.* Quid enim hinc aliud sequitur, quam satisfactionem, etiam citra meritum, tractanti, non omittendam fuisse reconciliationis & redemptionis quæstionem? Nec quicquid aliquis acquirit ac parit, hoc est meritum proprie dictum, quando per fidem acquirimus salutem, & plerique Ecclesiæ nostræ doctores existimant, Christum per obedientiam vere acquisivisse summam dignitatem ac gloriam: promeritum vero non esse. Ut aliquid pro instituto afferret, dicere debuerat Censor, redemptione & reconciliatione meritum vitæ æternæ contineri. Quod etiamsi daretur, non tamen evinceret, satisfactionem seorsum à merito explicanti, reconciliationis & redemptionis omittendam fuisse quæstionem, cum ad satisfactionem illa ipsa pertinere negari non possit. Proprie autem directeque vocibus istis, præsertim si scripturarum loca penitius considerentur, satisfactionem magis pro pœna, quam adeptionem præmii denotari, satis ea ostendunt, quæ Amplissimus Vir septimo & octavo libri sui capite disputavit.

CAP. II.

De asterisco & obelo agitur adversus Censorem qui ἀντιδιῃρημένας istas Censorum notas confundit.

POstquam reprehendit Ravenspergerus, quod aliqua Grotius omisit: ea se aggredi velle ait quæ commisit, & asterisco digna sunt. O nove Aristarche,

--- ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

Sic censuram exercere vis, ut iis, quæ Grotius dixit, apponas notam, quasi non dixerit? Aut etiam, quæ male judicio tuo dixerit, notare vis, quasi laudabiliter dixerit? Sane hoc dicis. Nam cum eum reprehendisses, quod quædam præteriisset, & negasses hoc commode à me excusari, subjungis ista: *Sed valeat excusatio præteritorum: nunc commissa quædam Dn. Grotii, quæ asterisco digna videntur, annotabimus.* At præterita asterisco notantur: vel dicta quidem, sed laudabiliter dicta. Audi doctissimum Thessalonicensium episcopum Pag. 599. *edit. Rom.* εἰς τὴν Η ῥαψωδίαν τῆς Ἰλιάδ. Τούτῳ ἐπετίθεσαν οἱ παλαιοὶ ἀστερίσκον, ὅς ἐστιν ἀστὴρ σημεῖον χρηστόν, ἔχων ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις στιγμάς, καὶ τίθεται ἐπὶ τῶν ἄριστα ἐχόντων ἐπῶν, καὶ ἀστεροειδῶς λαμπόντων ὡς ἐν καλῷ τόπῳ κειμένων. Similiter P. 1627. εἰς τὴν Ι. ῥαψ. τῆς Ὀδυσ. Δηλοῖ τὸ σημεῖον ὁ ἀστερίσκος, ὡς ἄριστα ἐν τῷ τόπῳ κεῖται τὸ ἔπος, καὶ οἷον ἐκλάμπει. Aperte ait, iis, quæ egregie & suo loco dicerentur, asterisci sive stellulæ notam solere apponi, quod instar stellæ relucerent. Sed etiam præteritorum, eoque addendorum, signum erat. Hieronymus præfat. in Paralipomena. *Origenes in editione Septuaginta, Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans, quæ minus fuerant, virgulis, quæ ex superfluo fuerant, apposita.* Cur vero vel omissis, asteriscus: vel male additis, obelus sive virgula soleat apponi; docet idem Hieronymus ad Suniam & Fretelam: *Ubi quid minus habetur in Græco ab Hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit, & signum posuit asteriscum, id est stellam, quæ quod prius absconditum videbatur, illuminet & in medium proferat. Ubi autem, quod in Hebræo non est, in Græcis codicibus invenitur, ὀβελὸν, id est, jacentem præposuit virgulam, quam nos Latine Veru possumus dicere: quo ostenditur, jugulandum esse, & confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur: quæ signa & in Græcorum Latinorumque poematibus inveniuntur.* Augustinus similiter asterisci & obeli notam distinguit lib. XVIII. de Civ. Dei cap. XLI: *Addiderunt, quæ in Hebræis inventa, apud LXX non erant, eaque signis quibusdam in stellarum modum factis ad capita eorundem versuum notaverunt, quæ signa, asteriscos vocant. Illa vero, quæ non habent Hebræi, habent autem LXX, similiter ad capita versuum, jacentibus virgulis, sicut scribuntur unciæ, signaverunt. Et multi codices Græci, has notas habentes, usquequaque diffusi sunt, & Latini.* *Isidorus Origin. lib. 1. cap. XIX. Asteriscus apponitur in iis, quæ omissa sunt, ut illucescant per eam notam, quæ deesse videntur. Stella enim ἀστὴρ Græco sermone dicitur, à quo Asteriscus, stellula, est derivatus. Obelus, id est virgula jacens, apponitur in verbis, vel sententiis, superflue iteratis: sive in iis locis, ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta jugulet supervacua, atque falsa confodiat. Sagitta enim Græce ὀβελὸς dicitur.* Et ante hos omnes idem scripserat Epiphanius lib. περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν: Ὁ ἀστερίσκος σημαίνει τὸ ἐμφερόμενον ῥῆμα ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ κεῖσθαι καὶ ἐμφέρεσθαι παρὰ Ἀκύλᾳ καὶ Συμμάχῳ, σπανίως δὲ καὶ παρὰ Θεοδοτίωνι· οἱ δὲ ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνευταὶ παρῆκαν, καὶ οὐχ ἡρμήνευσαν. Et mox: Ὠριγένης ἀποκατέστησε τῷ ἑκάστῳ τόπῳ τὸ ἐλλεῖπον τοῦ λόγου, παρέθετο δὲ αὐτοῦ τὸν ἀστερίσκον. Et post aliqua: Ὀβελὸς κέκληται παρὰ τῇ Ἀττικῇ χρήσει, ἄλλοις δὲ καλεῖται δόρυ, ὅ ἐστι λόγχη. παρετέθη δὲ ταῖς τῆς θείας γραφῆς λέξεσι, ταῖς παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνευταῖς κειμέναις, παρὰ δὲ τοῖς περὶ Ἀκύλαν καὶ Σύμμαχον μὴ ἐκφερομέναις. Ἀφ' ἑαυτῶν γὰρ οἱ ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνευταὶ ταύτας τὰς λέξεις προσέθηκαν. Hæc fusius sumus prosecuti, partim quia facem allucent plurimis cum aliorum, tum Ecclesiasticorum scriptorum locis: partim quia visum necessarium habent in præclara illa editione Josuæ, quam cum asteriscis, obeliscis, lemniscis, Origenis exemplo, repræsentavit doctissimus & diligentissimus Andreas Masius. Mirum vero, Ravenspergerum, qui κρίσιν & censuram alieni operis profitetur, & quid asterisco vel obelo dignum sit pronunciare ausit: ne quidem, quid asteriscus notet, scivisse: cum eo veteres Critici ac censores, non perperam dicta, ut hic Censor credidit, sed vel addenda, vel laudabiliter dicta significarint. Sed quid mirum, si in notis erret, qui ubique judicio peccat in rebus ipsis: ac dicta pro indictis, indicta pro dictis habet, optimeque dicta tanquam male aut periculose dicta traducit? Quod ut verissime à nobis dici, omnes videant: Prius, quæ Socinianorum de Satisfactione fuerit sententia, ipsorum verbis ostendemus: deinde à Censore statum ipsum quæstionis minime fuisse intellectum, comprobabimus.

CAP. III.

Socinianorum de Christi satisfactione doctrina, ipsorum verbis explicatur, & cum ea, Petri Abaillardi sententia confertur.

VErba sunt Socini, disputationis de Christo Servat. part. 1. cap. 1. *Ego censeo Jesum Christum ideo servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in sua ipsius persona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit. Divina autem justitia, per quam peccatores damnari meremur, neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret opus fuisse affirmo.* Atque hæc summa eorum est, quæ quatuor de Servatore libris, probare conatur Socinus. Similiter summam eorum, quæ in prælectionibus Theologicis fuse tractat, complectitur his verbis cap. XV. ejus operis: *Quærimus, utrum*

in

in justificatione nostra, per Christum peccata nostra compensatione seu satisfactione aliqua deleantur, an vero remissione & condonatione? Plerique satisfactione interveniente id fieri arbitrantur: nos vero simplici condonatione. Nam quod satisfactionem cum remissione ea in re conjunctam fuisse asserunt, plane nugatorium est. Cur vero passioni ac morti Christi liberationem nostri à peccatis tribuat scriptura: hanc adfert causam prælectionum Theolog. cap. XIX: *A peccato liberamur, id est, sectatores bonorum operum efficimur, si Christi verbis fidem adhibeamus, qui nos pœnitentiam agere jussit, & novos homines fieri, cœlestis hæreditatis præmio proposito. Atque Christi resurrectio potissima causa est, cur ejus verbis fidem adhibeamus: ad resurrectionem vero non nisi per mortem pervenire is poterat: & simul ejus in cœlis gloria atque potentia, ad quam, ita Deo statuente, per violentam mortem eum perduci necesse erat.*

Similiter sensit Socini discipulus, Valentinus Smalcius, lib. de divinitate Christi cap. XI. *Salus æterna ut nobis* ANNUNCIARETUR & CONFIRMARETUR, *ideo D. Jesus in mundum missus fuit. At his peractis duo restabant. Primum, ut nos salutem illam amplecteremur, hoc est crederemus ita rem se habere, quemadmodum Christus promiserat. Alterum, ut eandem salutem tandem re ipsa consequeremur, hoc est ex morte resuscitati ad æternam vitam transferremur. Hæc duo ut effici possent, ideo Christus mori non dubitavit: & sic vere nostri causa mortuus est. Siquidem, morte ejus interveniente, salutem æternam amplectendi, & tandem eam consequendi spem certam habemus, vel saltem habere possumus. Quis enim rem desiderabilissimam, qualis est vita æterna, si certa sit, non libenter amplecteretur? At quis modus confirmationis certior esse potest, quam si is, qui primus eam annunciârat, & aliis eam antea rationibus demonstrârat, mortem etiam truculentissimam sponte sua in hunc ipsum finem subeat, ut eandem confirmet? Magis etiam movent ostensa, quam promissa. At ipsa salus ostensa est quodammodo hominibus, dum Christus ex morte resuscitatus, & deinde exaltatus fuit. Quia vero salus hæc nostra, hoc est resurrectio, ostendi non poterat, nisi mors antevertisset, ideo ut nobis ea ostendi aliquo modo posset, sponte sua Christus mortuus est. Ad salutem vero re ipsa consequendam, maxime opus est, ut ipse D. Jesus potestatem habeat nobis eam donandi. Facilius enim homo mortalis credit datum sibi iri vitam æternam, si Jesus Christus, qui & ipse olim mortalis, & mortuus, & dux fidei fuit, potestatem habeat eam dandi, quam si ipse Deus eam daturus sit. Hanc igitur spem consequendi salutem æternam ut habere possimus, ideo Christus mortuus est, & sic verissime pro nobis, & nostri causa mortuus est. Hic vero notandum est, quod in tota hac re maximi momenti est: nempe per quandam metonymiam tribui id sæpissime causæ efficienti & antecedenti rei, quod effecto sive consequenti rei tribuendum erat: hoc est, morti D. Jesu tribui id, quod eam consecutæ resurrectioni & omnium maxime potestati ejus divinæ tribuendum erat. Quamvis enim ipsa etiam mors vim habeat eamque non vulgarem, in nobis excitandi cupiditatem & desiderium salutis, & spem consequendi illam: tamen multo plus hac in re valet ipsa Jesu Christi resurrectio, vel summa ejus potentia, quam ipsa mors. Nam ad Hebr. IX. videre est liberationem à peccatis contigisse hominibus, non per ipsam quidem Christi mortem (hæc enim nobis spem omnem istius felicitatis eripere potius potuisset) sed, ut ipse autor ait, morte interveniente per ejusdem resurrectionem & exaltationem, vel divinam potestatem, quæ mortem consecuta est. Apertissime igitur constat, postquam mortuus fuit Christus, factum esse id, unde liberatio à metu mortis promanare perpetuo poterat omnibus credentibus: nempe Christi resurrectio & divina potestas consecuta est: quod utrumque plane ab omni metu mortis liberare potest eos, quicunque Deo per Jesum Christum confidunt & eidem obediunt. Atque ita certum est, Christi morti id tribui in negotio salutis nostræ, quod resurrectioni, & divinæ Christi potentiæ, quæ mortem ejus consecutæ sunt, tribuendum erat. Hactenus Smalcius.*

Catechesis Polonica Loco de prophetico Jesu Christi munere cap. VIII. P. 223.

Qui sanguis aut mors Christi nobis voluntatem Dei confirmavit?

Duplici ratione: primum, quod nos manifeste de ingenti in nos charitate certos reddiderit, idque adeo, quod Deus velit nobis id donare, quod in novo fœdere promittat: unde etiam sanguis novi fœderis est dictus, qui præstantiora loquatur, quam sanguis Abel: & ipse Christus testis verax, & fidelis dictus est: deinde, quod resurrectione Christi, quæ non nisi morte ipsius interveniente fieri potuit, de resurrectione nostra & porro vita æterna consequenda certiores facti sumus, si præceptis Domini Jesu pareamus.

Nonne est etiam aliqua alia mortis Christi causa? P. 227.

NULLA PRORSUS. *Etsi nunc vulgo Christiani sentiunt, Christum morte sua nobis salutem meruisse, & pro peccatis nostris plenarie satisfecisse; quæ sententia fallax est, & erronea, & admodum perniciosa.*

Hæc satis ostendunt, varios à Socinianis modos agnosci, quibus nos servet Christus: at modum satisfactionis per solutionem pœnarum, qui familiam ducit, eos penitus diffiteri. Nempe existimant, remitti nobis peccata, nulla interveniente satisfactione aut pœna: imo non contenti negare satisfactionem vel necessariam fuisse, vel à Deo postulatam: contendunt eam esse *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*. Atque in hoc argumento, quod unum est ex quatuor istis, quibus imprimis satisfactionem impugnant, multum præsidii collocant. Ipsum vero triplici fulciunt tibicine: primum, quia injustum sit, ut unus pro altero corporales pœnas luat: deinde, quia peccato mereamur pœnas æternas: at qui caput futurus erat Ecclesiæ suæ, æternum puniri non potuerit: ac denique, quia & præcepto legis, & decreto divinæ voluntatis adversetur, ut alius anima moriatur, quam qui peccavit; Deut. XXIV. 16. Ezech. XVIII. 20. Hæc ita esse, iterum Socini verbis ostendemus. Sic igitur ille Prælectionum Theolog. cap. XV. QUÆRIMUS, *utrum in justificatione nostra per Christum, peccata nostra compensatione seu satisfactione aliqua deleantur, an vero remissione & condonatione? Plerique satisfactione interveniente id fieri arbitrantur: nos vero simplici condonatione.* Nam quod satisfactionem cum remissione ea in re conjunctam fuisse asserunt, plane nugatorium est.

RATIONES, *cur ita statuamus, quatuor sunt.* UNA *est, quod nusquam in sacris literis istius satisfactionis fit mentio, nec alterius rei cujusquam, quæ tantundem valeat.* ALTERA, *quod compluribus in locis aperte testantur sacræ literæ, nullam in justificatione nostra per Christum satisfactionem intervenisse.* TERTIA, *quia satisfactio ista Dei gloriam maxime obscurat, & Christi potestatem labefactat.* QUARTA *vero, & ultima, quia fieri nullo modo potest, ut, salvis nobis, pro peccatis nostris Deo satisfactum fuerit, ne per ipsum Christum quidem.*

De quarta vero ratione, scribit in hunc modum cap. XVIII. NON POTUIT *per pœnarum solutionem pro peccatis nostris satisfieri,* DUPLICI *potissimum* DE CAUSA: *quarum* UNA *hæc est: quod pœna nostris peccatis debita mors æterna erat; mors autem æterna corporalis pœna est. At corporales pœnas nemo pro altero pendere potest. Pecuniaria pœna ideo pro altero*

pendi possunt, quin unius pecunia alterius effici potest: & , eum quis pecuniam pœna nomine pro alio quopiam solvit, tunc is, pro quo solvitur, tacito rei ipsius prius ea pecunia donatur, ipseque eam solvisse censetur. At mors unius, corporisve ulla vexatio, alterius fieri non potest. ALTERA CAUSA *est, quod cum unusquisque nostrum propter peccata sua æternam mortem deberet, (sic enim, ut rem diligentius explicemus, loquendum nobis est) unus autem quispiam non nisi unam æternam mortem solvere possit, necesse fuisset totidem invenire, qui æternam mortem subirent, quot nos sumus; qui ipsi scilicet nihil peccassent, neque ei pœna pro se ipsis solvenda obstricti essent.* ADDE QUOD, *etiamsi maxime fieri potuisset, ut alterius sive unius, sive plurium innocentium æterna morte pro nobis nostrisque peccatis Deo satisfieret; id tamen ut fiat, nulla ratio patitur. Quid enim iniquius, quam insontem pro sontibus* PUNIRI, *præsertim cum ipsi sontes adsint, qui ipsi puniri possunt? Quod si ex Dei ipsius sententia atque decreto, nec filius ipse propter patris peccata, nec pater propter peccata filii puniri debet: quomodo tandem fieri potest, ut ipse Deus* POENAS *peccatorum nostrorum ab alio ullo reposcere voluerit? Atque hoc pro Tertia causa esse potest, cur pro peccatis nostris, salvis nobis Deo satisfieri non potuerit.* Propter hæc non dubitat Socinus, dogma de satisfactione Christi vocare frigidum, falsum, absurdum, fœdissimumque injustum & horribiliter blasphemum. Sic enim scribit libro III. de Servatore, cap. x. *Vides igitur præter cætera iniqua & absurda, in quam horribilem blasphemiam incideris, dum Christo peccata nostra imputari potuisse contendis? Paulo post ista subjungit: Jam quid tibi tandem de tuo illo axiomate videtur: Nemo moritur, nisi pro peccatis aut suis, aut alienis: sive priorem ejus, quam nos fecimus, sive posteriorem partem spectes; præsertim, si ad Christi personam accommodari debeat? Potuitne aliquid aliem in mentem venire, quod vel magis falsum, vel magis absurdum, atque adeo impium sit? Num aliud, aut insulsius, aut frigidius, quod attinet ad quæstionem nostram, excogitari potuit? Uter tandem nostrum imprudens Deo fœdissimam injustitiæ notam inurere tentat? An ego, qui Christum à Deo, ut ea ratione nobis æterna salus compararetur, turpissimæ & sævissimæ morti traditum fuisse affirmo,* QUAMVIS NULLA PRÆTEREA ANTECEDENS CAUSA ESSET: *an potius tu, qui ideo Christum ex Dei decreto, morti traditum fuisse ais, quia illi peccata nostra universa imputata fuerint: quod sine summa injustitia fieri nullo modo potuit.*

Atque hæc (quibus omnibus solide respondet Amplissimus Grotius in Defensione Catholici dogmatis) ex Socinianorum scriptis in eorum gratiam excerpsimus, quibus ea legendi hactenus vel otium aut occasio defuit, vel voluntas. Porro (ut hoc ἐκ παρόδου addamus) eadem, saltem in præcipuo capite, ante annos quingentos sententia erat Petri Abaillardi. Siquidem Abaillardus ille (ut testatur Bernardus Clarævallensis epist. cxc. ad Innocentium Papam) primus docuit, non alio fine apparuisse Christum in carne, aut mortem subiisse, quam ad instructionem nostri per verbum, & testationem charitatis suæ per mortem: mysterium vero incarnationis, quod post Apostolos ab omnibus doctoribus creditum esse fatebatur, partim eo impugnabat, quod nulla opus fuerit satisfactione, quia sola verbi prædicatione potuerit Deus instaurare genus humanum: partim quod crudele & iniquum sit, ut per cruentam & ignominiosam mortem ejus, qui innocens & ipsius Dei filius sit, pro alienis peccatis Deo satisfiat.

Abaillardi verba erant: *Sciendum est, quod* OMNES DOCTORES NOSTRI POST APOSTOLOS IN HOC CONVENIUNT: *quod diabolus dominium & potestatem habebat super hominem & jure eum possidebat: ideo scilicet, quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, sponte diabolo consensit. Ajunt namque, quod si quis aliquem vicerit, victus, jure, victoris servum constituitur. Ideo, inquit, sicut dicunt doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis, jure liberaretur à jugo diaboli. Sed* UT NOBIS VIDETUR *ait, nec diabolus unquam jus aliquod in hominem habuit, nisi forte Deo permittente ut carcerarius; nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumsit.* Aliquanto post, sic de Abaillardo scribit Bernardus: TOTUM, *quod Dominus gloriæ semetipsum exinanivit, quod minoratus est ab Angelis, quod natus de fœmina, quod conversatus in mundo, quod expertus infirma, quod passus indigna, quod demum per mortem crucis in sua reversus; ad id solum putat & disputat redigendum, ut traderet hominibus formam vitæ, vivendo & docendo; patiendo autem & moriendo charitatis metam præfigeret. Et post aliquammultis: Dicit,* TOTUM *esse, quod Deus in carne apparuit, nostram de verbo & exemplo ipsius institutionem, sive (ut postmodum dixit) instructionem:* TOTUM, *quod passus & mortuus est, suæ erga nos charitatis ostensionem, vel commendationem.* Ut vero satisfactione liberaremur, necessarium fuisse negat Abaillardus, his verbis: *Sine injuria diaboli, jure Deus perfugam suum, si vellet, misereri, repetere, & solo verbo eripere posset. Quæ itaque necessitas, aut quæ ratio, aut quod opus fuit, cum sola jussione sua divina misericordia liberare hominem à peccato posset; propter redemptionem nostram, filium Dei, carne suscepta, tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis ignominiosam & asperrimam mortem sustinere, ut cum iniquis patibulum sustineret? Idem Abaillardus: Cur per sanguinem, quod potuit facere per sermonem?* Nec contentus erat dicere, modum satisfactionis non fuisse necessarium, sed (uti postea Socinus) ajebat esse impossibilem, utpote naturæ Dei repugnantem. Verba Abaillardi sunt: *Cui non crudele & iniquum videtur, ut sanguinem innocentis in pretium* ALIQUOD *quis requisierit, aut ullo modo ei placuerit, innocentem interfici? nedum Deus tam acceptam filii mortem habuerit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo.*

Mirari vero subit, quod Abaillardus dicat, DOCTORES NOSTROS POST APOSTOLOS *aliter omnes docuisse*: uti ex verbis apparet, quæ primo loco citabamus. Nam annis circiter septingentis ante Abaillardum idem docuisse videtur Pelagius: ut qui & ipse gratiam Christi statuere soleat in doctrina & exemplo Christi: quemadmodum sexcenta Augustini loca evincunt. Unde etiam Joh. Driedo Pelagium Abaillardi præcursorem facit initio lib. de captivitate & redemptione generis humani: *Fuerunt*, inquit, *jam olim Pelagiani hæretici, qui injuriam facientes divinæ gratiæ, docuerunt Christum non liberasse genus humanum ab ulla captivitate, non ab ullo carcere, aut vinculis, non ab ulla servitute; sed eundem solum in hoc venisse, ut demonstraret nobis viam salutis, & vitæ æternæ traderet documenta, præberetque salutaris vitæ exempla, doceretque nos evangelium vitæ æternæ, & voluntatem patris sui, se ipsum proponens nobis in humilitatis & patientiæ exemplum, quod spectemus, quod imitemur, in quo & erudiamur, ut caveamus elationem atque superbiam. Paulo post vero subjungit: Usque adeo hæc perniciosa pestis sua contagione Ecclesiam Christianam tempore Augustini infecerat, ut ad tempora usque Bernardi, remanserint hujus pestis reliquiæ: quod manifestum est ex his, quæ vir ille sanctus scribit adversus Petrum Abaillardum.*

Cap. IV.

Refellitur censoris opinio, existimantis à Socinianis agnosci, Christum pro nobis pœnas pependisse.

EX istis, quæ Sociniana, atque adeo etiam Abaillardi ac Pelagii fuerit sententia, omnes intelligunt. Nunc videamus, quantopere claro meridie cæcutiat Ravenspergerus. *Socinus*, inquit, *non negat Christum pœnas pependisse, eamque pensionem eo quodammodo prodesse, ut nos à pœna mortis æternæ liberaremur.* Et mox: *Nullus Socinianorum negabit, Deum constituisse, ut Christus pœnas penderet pro peccatis nostris.* Nisi oculis nostris crederemus, eccui, prope jurato testi, tantum fidei haberemus, ut hæc à Ravenspergero esse scripta, persuadeat nobis? Nam quid ex iis, quæ diximus, apertius est, quam à Socinianis negari, Christum quicquam pro nobis esse perpessum, quod pœnæ rationem haberet? Siquidem passionis ac mortis Christi causam fuisse ajunt, ut nos ejus verbis crederemus: alias caulas prætereunt: imo alias fuisse disertim negant. Etiam dicunt, posse quidem unum pro altero solvere mulctam pecuniariam: sed quemquam pro altero corporales pœnas subire posse, hoc vero fateri nolunt: & quamobrem nolint, hanc afferunt causam, quia contra quam in pecuniis fit, unius corporale supplicium alterius fieri non possit. Unde, ut Christus insons in corpore puniatur pro sontibus, divinæ ajunt justitiæ repugnare. Et quam aperte omnem pœnam tollit Socinus, part. II. de Servat. cap. VII, ubi ait, NUNQUAM *Deus aliena peccata in* QUOQUAM VERE PUNIT, *qui culpa affinis non sit.* Etiam ejusdem partis cap. IV. ferre peccatum sæpe idem valere agnoscit, quod pœnam subire, sed in Christo interpretationem hanc rejecit, aliamque subjecit de ablatione peccatorum. Idem passim negat, ullum verum pretium, aut quicquam, quod vero pretio respondeat, intervenisse. Ut cum ejusdem partis cap. I. disertim ait: *redemptionem nostram per Christum factam esse metaphoricam, id est, in ea peragenda* NULLUM *verum pretium intervenisse, sive* NIHIL *cuiquam pro nobis solutum esse. Et in capite ipso. Nihil aliud est redimere, quam liberare, aut sibi asserere, quamvis veri pretii vera solutio* ALIQUA *non interveniat. Item: Quemadmodum Moses, Deo ita jubente, Israelis populum potentia & authoritate sibi ab eo tradita, non autem alicujus pretii solutione ex servitute redemit, & ipsi Deo asseruit: sic Christus suprema potentia & authoritate sibi a Deo concessa nos ex peccati & mortis servitute, Deo ita jubente,* NULLO *vero pretio cuiquam soluto redemit, & ipsi Deo asseruit, ac postmodum in cœlis possessionem nobis promissam ipse introducet. Et post aliqua: Cum legis nos ab iniquitatibus nostris & ex nostra vana conversatione fuisse redemtos: qui fit ut non videas aperte, verbum redimendi usitatissima & frequentissima metaphora liberationem simpliciter significare, sine* ULLA *veri pretii solutione? Alioqui nonne ipsis iniquitatibus, nonne ipsi vanæ conversationi, de quarum manibus redempti dicimur: vel saltem alicui, qui nos in ipsis detineret, pretium resolvere oportuisset? quo quid ineptius dici, vel excogitari potest? Perlege omnes loces novi fœderis, in quibus redemptionis fiat mentio: & nullum invenies, ubi de* VERI ALICUJUS PRETII SOLUTIONE, seu de SATISFACTIONE ALIQUA *evidenter agatur. Sed in omnibus (de iis loquor, de quibus inter nos potest esse controversia) manifeste deprehendes, de simplici liberatione seu assertione verba fieri. Et eodem: Tunc demum rite redimendi metaphora procedit, & absolute suis partibus constat, cum in simplici liberatione* ALIQUID *intervenit, quod per translationem* ALIQUO PACTO *pretio respondeat.* Similia eodem capite alia quoque compluria habet, quæ sciens omitto. Præterea quid planius dici potuit, quam cum negat idem, aliquid intervenisse, quod Deum placaverit? Ita enim scribit ejusdem libri cap. XXVI. *Non solum satisfaciendi verbum, cum de salute nobis per Christum parta agitur in sanctis scripturis, ut ipse fateris, nusquam apparet: sed* NIHIL EJUSMODI, *ne semel quidem, expresse in eis scriptum reperitur. Quale esset, quod Christus morte sua nobis Deum reconciliâsset; vel quod pœnas universas nostris iniquitatibus debitas moriendo divinæ justitiæ persolvisset: vel quod nos è manibus justitiæ divinæ sanguinem suum redemptionis nostræ pretium ille dans liberâsset: vel quod scelera nostra obedientia sua compensâsset: vel quod, ut remissionem peccatorum Deus largiretur, digne commeritus est, vel denique saltem, quod* ALIQUA RATIONE *Dei iram nobis placâsset.* Idem sive alius, in [illegible] de justificatione, edita sub nomine Gratiani Turpionis Getapolensis: *Expurgare nostra peccata & nos à peccatis nostris redimere dicitur Christi sanguis, quia ut nos à peccato cessemus, efficit. Quod profecto longe aliud est, quam pœnas nostris peccatis debitas eo persolutas fuisse, nec cum ea re* QUICQUAM *commune habet.*

Quis ex iis omnibus non videt, juxta Socinum, in liberatione nostri, nullam satisfactionem, nullam pœnam veram, nullum verum pretium, aut quod vero pretio respondeat, intervenisse: nec perpessiones Christi quicquam cum istis habere commune? Quanta igitur in Charybdi laborandum erit Censori, ut doceat nos, passionem & mortem, ex Socini sententia, habere rationem veri supplicii! Et tamen ait, *Socinus non negat Christum pœnas pependisse.* Nec eo contentus, *Nullus*, inquit, *Socinianorum negabit, Deum constituisse, ut Christus pœnas penderet pro peccatis nostris.* Quod profecto nullus Socinianorum fatetur: ac Socinus etiam pro execrabili errore habet: uti vidimus. Quid illum in hac causa videre credamus, qui nec statum controversiæ Socinianæ intelligit? Aut quam judicii æquitatem deinceps ab eo expectabimus, qui in ipso tractationis ingressu Amplissimum virum sugillat, quia laborem susceperit probandi adversus Socinum, id in quo controversiæ cardo versatur?

Cap. V.

Ostenditur superiorem Censoris errorem inde profluxisse, quod non distinxerit inter afflictionem & pœnam proprie dictam.

NOn abs re vero erit, si ostendamus, quid præcipitem adeo egerit Ravenspergerum, ut vix iter egressus turpiter ceciderit, vereque fuerit, quod dici solet, cantherius in porta. Fons igitur caputque erroris est, quod non animadvertit, distinguere Socinum inter afflictionem & veram pœnam. Atqui quemadmodum philosophi, cum rerum naturam describunt, veri hominis naturam exponunt, non mortui aut picti: ita nec Theologi cum Satisfactionem Christi, pœnarum persolutione factam docent; aut Socinus, cum eandem negat, alias intelligit pœnas, quam veras: unde lib. II. de Servat. cap. VIII. ait: *Nunquam Deus aliena peccata in quoquam* VERE *punit, qui culpa affinis non sit.* Nempe fatetur potuisse Christum affligi, præsertim volentem, quod & bono nostro factum ait: sed negat eam afflictionem habere rationem veræ pœnæ, quam eo ab afflictione distinguit, quod etiam insons, si in nostra sit potestate, affligi possit vel invitus; dum evidens inde capiatur emolumentum: at puniri insons pro noxio non possit, ne quidem si ipse subire supplicium sit paratus. Itaque sic inter alia scribit lib. XIII. cap. X. *Quemadmodum, ut quis vere puniri possit, non satis est, quod ipse puniri velit, nisi delictum aliquod commiserit: (relativa enim sunt pœna & delictum, ita ut, ubi delictum non est, ibi*

pœna esse nullo modo possit) sic, at alicui vere aliena peccata possint imputari, non satis est ipsum ita velle; nisi imputationis antecedens alia digna causa subsit. Potest quidem is, qui nihil deliquit, affligi, nec injuria; non modo si ipse velit, sed etiam invitus, si is in alterius potestate sit, qui optima aliquo consilio, & fortassis illi ipsi salutari, ipsum licet & immerentem & invitum, affligi velit: sed ea afflictio NULLA PRORSUS *ratione pœna sive punitio censenda erit. Sic etiam, qui nihil aut facit, aut in se habet, quare aliena peccata sibi imputari merito possint: potest quidem, sine injuria affligi: sed interim ea afflictio nullo modo imputatio sive effectus imputationis alienorum peccatorum esse censebitur. Hinc fit, ut si Christo à Deo aliena peccata vere imputata fuerunt; non satis fuerit, ipsum Christum id fieri alacri animo voluisse; sed necesse sit, ipsum, ut ea sibi imputarentur commeruisse: quo nihil execrabilius excogitari potest. Idem Socinus Prælectionum Theologicarum cap.* XXI. *P.* 133. *At enim, inquiet aliquis, ibidem apud Esaiam scriptum est, castigationem pacis nostræ super Christum fuisse: quod satis ostendere videtur, in Christo fuisse punita peccata nostra, atque ea ratione ea ipsa peccata id est eorum pœnas in ipso positas, unde factum sit, ut nos pacem habuerimus, & cum Deo in gratiam redierimus, eique reconciliati simus. Respondeo, Castigationis verbum hoc apud Esaiam loco non punitionem significare, sed afflictionem, id quod antithesis verbi Pacis satis demonstrat: neque enim recte paci punitio opponitur, sed afflictio rectissime. Siquidem pax apud Hebræos sæpe nihil aliud, quam quietem & felicitatem declarat. Castigationem autem pro afflictione sumi (ii enim qui castigantur, affliguntur) docet* Psalm. LXXIII. 14. *ubi scriptum est:* Et fui flagellatus tota die, & fuit castigatio mea singulis matutinis: *quem locum sic interpretatus est Vatablus:* Nam quotidie plagas fero, singulisque matutinis afflictio mea est. *Eandem autem pacis & afflictionis anthithesin habes* Jerem. XXIX. 11. *Itaque loci nostri sensus est, Christum afflictionem subiisse, qua nobis quietem & felicitatem peperit. Hactenus Socinus.*

Nihil igitur certius est, quam negare Socinum, ullas à Christo pœnas esse persolutas pro peccatis nostris: & hoc cum negat, veras pœnas intelligere, non pœnas καταχρηστικῶς acceptas, quatenus pœna idem est quod afflictio. Nam, uti vidimus, Christum bono nostro afflictum fuisse agnoscit: sed negat afflictionem illam habere rationem pœnæ: quæ ab afflictione differt, ut species à genere: quia omnis pœna est afflictio, at non contra omnis afflictio est pœnalis. Quod si pœnæ vocem late adeo extendamus, ut etiam non veram pœnam, hoc est universe afflictionem signet; negari non potest, Socinianos esse falsuros, Christum pro nobis esse punitum. Sed si istiusmodi καταχρηστικῶς ludere visum est, etiam iidem fatebuntur, non per simplicem peccatorum remissionem, quod ubique contendunt, sed per satisfactionem aliquam, & quidem à nobis præstitam, à peccatis non liberari: nempe quatenus vitæ integritas ab omnibus requiritur, quibus ignoscuntur peccata. Sed hæc vera satisfactio non est. Unde ipse Socinus in prælect. Theol. cap. XVII. *Deum nulla vera satisfactione accepta peccata condonare docebimus. Veram autem satisfactionem ubique nomino, quia nihil dubito, quin Deus ab iis, quibus peccata ignovit, semper aliquid requisiverit, sive aliquid in ipsis esse voluerit, quod satisfactionis cujusdam loco censeri possit. Id autem nihil aliud est, quam vitæ puritas atque innocentia, eaque vel jam præsens, cum errata committuntur, quæ ignosci debent: vel ipsa errata subsequens.*

CAP. VI.

Contra Censorem probatur, caput controversiæ inter Socinum & Catholicos minime in eo consistere, quod neget Socinus, Christum pro nobis pependisse pœnas æternas. Eodem demonstratur, quod à nonnullis asseritur, Christum esse perpessum cruciatus infernales, vel magnitudine infinitos, id pro dogmate universalis Ecclesiæ haberi non debere.

VIdimus in quo existimarit Censor, Socinum cum Catholicis probe convenire. Nunc de iis videamus, in quibus negat conspirare. Quæ ita tractat, ut contradicendi studium magis magisque eluceat. Nam eo occæcatus, meliorem Socino, quam unquam habuit, sententiam adfingit. Duo inquit, inficiatur Socinus. Prius est, *Christum pœnas æternas, sive duratione, quod utrinque est in confesso, sive intentione, pependisse.* Sed hoc sponte corruit ex ante dictis. Socinus enim, uti ostendimus, non solum negabat, Christum pro nobis solvisse pœnas æternas; sed nullas subiisse pœnas contendebat. Præterea, quod ait Censor de pœnis intentione æternis, id Boetium ænigma est. At rebus natura obscuris convenisset magis λόγος ἀδηλός, non ille Heracliti, cujus illud, Σκοτεινὸν: nec ille Carcini, vel Lycophronis, vel aliorum, qui studeant,

--- Tenebras inducere rebus.

Quod cum dico, non ignarus sum, non neminem alium similiter hodie loqui. Sed hac parte eum Censor imitari non debuerat. Nam plane novum est, ut æternitas ex intentione, quantitas nempe ex qualitate definiatur. Siquidem æternitas durationis est vocabulum: ut quod temporale est, eo ipso quod hujusmodi sit, æternum (nisi dura admodum καταχρήσει) dici minime possit. Forte illud voluit Censor, quamquam Christus non sit passus tempore infinito, tamen infinitam pertulisse acerbitatem. Sed ignorare non potest, loquendi hunc modum plurimis Catholicorum displicere. Nam, inquiunt, unumquodque quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: natura autem humana secundum se est finita, eoque cruciatuum natura secundum se infinitorum capax neutiquam fuit. Unde & esse contendunt, quod damnati in gehenna, cum perpeti non possint pœnas in se infinitas, patiantur pœnas duratione infinitas. An illud potius voluit Censor, Christum esse passum pœnas infernales? Sane non solum corporis dolores, sed etiam maximos & inenarrabiles animi angores persensisse, constat. Hoc enim, Evangelistæ & Apostoli significant verbis istis λυπεῖσθαι, ἀδημονεῖν, ἐκθαμβεῖσθαι, id est, *contristari, gravissime angi, expavescere.* Item Christus ipse, cum animam suam fuisse ait περίλυπον, id est, *mœrore obsessam*: pluraque alia in hanc mentem apud eos legere est. Quare, si non aliud Censor per pœnas infernales intelligit; nemo, puto, controversiam ei de hoc movebit. Sin autem, quia illi qui in inferno sunt, peccatorum suorum conscientia se excruciant, favore divino excidisse se dolent, nec in tantis malis consolationis quicquam persentiscunt, sed de divina gratia & liberatione à pœnis penitus desperant: eo persuadeat sibi, Christum, qui pœnas nostras pertulit, vel cuncta hæc, vel aliqua etiam ex istis, fuisse perpessum. non exposcam, ut advocet ad partes, qui seculo nostro hujusmodi aliquid senserint, vel scripserint (nam supersedere Censorem istis commemorandis non uno nomine malo) sed illud exquiram, utrum hanc putet Catholicam esse sententiam, à qua abit Socinus, & quam solam, non singulas doctorum opiniones, tuendas Grotius suscepit. Nunquam, spero os ita perfricabit, ut hoc dicat. Quanquam si faciat, nihil proficiat. Nam trecentos possumus laudare, qui secus senserint. Sed eorum nominibus abstinebimus,

ne

ne occasionem demus censori vicissim obducendi nobis illos, quibus istiusmodi aliqua exciderunt, quæ fortasse æterna silentii nube sepeliri, quam in apertum proferri satius sit. Ideirco unum tantum, eumque ouperum scriptorem laudabimus, qui fuse hanc quæstionem pertractavit. Est is Robertus Loeus, Exoniensis Ecclesiæ Thesaurarius, in Effigiatione veri Sabbatismi, quam dicavit Serenissimo Jacobo, magnæ Britanniæ Regi. Sic enim ille inter alia scribit: *Non solum charitatem, sed normam charitatis, religionem, vehementer à nobis flagitare arbitramur, ut reformatores nostros amice de illis moneamus: quæ turbulenter in pacem, improbe in Christianam pietatem sæpius effuderunt. In quibus illud primo reprehendendum occurrit; quod cælorum gloriam, terrarum salutem, inferorum terrorem, Christum, tartareos in cruce cruciatus subiisse dicunt. Tartareos enim cruciatus, vel cum dulcis spei solatio conjungi, vel à discrutianti desperatione separari, omni omnino rationi repugnat. Sed virtutum perfectionem, Christum, de amoris in se amore vel leviter dubitasse, horret animus cogitare. Interea fatetur idem tantum doloris subivisse Christum, quantum cadere potuit in animam, quæ beata sibi præmia destinari cognovit.* Fatetur, cum Damasceno lib. III Orthod. Fid. cap. XX. *quod omnia mala suscepit Christus, quæ nec scientiæ obscurant lucem, nec perfectioni resistunt gratiæ. Fatetur subtracta illi ad tempus fuisse solatia, quibus semper antea sanctissimo fruebatur: luctuosa illa tenebrarum hora occuluisse se majestatem Dei, & usitata ad Christum solatia non permisisse defluere: eoque in lachrimabilem illam (quæ à desperatione tamen non minus est aliena, quam pietatis & amoris plena) querelam erupisse, Mi Deus, mi Deus, quare me dereliquisti? Solum negat, sanctum Dei filium, vel de sanctissimi Patris amore levissime dubitasse: vel cum beata aliis promitteret gaudia, ne æternis ipse opprimeretur doloribus, timuisse: vel affectionum modum ac moderationem in timore non tenuisse: vel nimia perturbationum vehementia dulcem virtutum harmoniam in sua ipsius anima violasse. Contendit item nequitia nexu & tyrannide diaboli homines esse liberatos per cruciatus Christi, non quod tempore* AUT MAGNITUDINE *fuere infiniti, sed quod infinita fuit ejus personæ dignitas, quæ tam acerba pro indignissimis supplicia patiebatur.* Et sane, si antiquos etiam Patres audimus; vel omnes, vel prope universi, quoties sermo est de satisfactione culpæ, ita soluti pretii magnitudinem ei, quod debebatur, respondere, & cumulate respondere agnoscunt, ut interea infinitum illum valorem non petant ex sola passione & morte Christi simpliciter, sive intrinsece & secundum naturam suam considerata, (quamquam & inde vim maximam trahere fateantur) verum etiam, & multo magis ex personæ virtute ac dignitate, quæ infinite erat sancta, infinite Deo grata: ut merito Deus Christum (utpote verum, naturalem, & unigenitum filium suum) non minus amârit, quam universam sceleratorum colluviem oderat: vitaque ejus non minoris, imo majoris multo debuerit æstimari, quam vita omnium mortalium. Hinc Cyrillus Hierosolymit. Catech. XIII. Μὴ θαυμάσῃς, εἰ κόσμος ὅλος ἐλυτρώθη· οὐ γὰρ ἦν ἄνθρωπος ψιλός, ἀλλὰ υἱὸς Θεοῦ μονογενής, ὁ ὑπεραποθνήσκων. Alter Cyrillus, puta Alexandrinus, epist. ad Ægypti monachos T. I consilii Ephesini cap. I. Ἤρκεσεν εἷς ὑπὲρ πάντων ἀποθανών, ὁ πάντων ἀξιώτερος. Et commentariis in Joh. (qui Græce nondum prodierunt) lib. II. cap. I. *Unum pro omnibus, quoniam & omnes sunt in ipso, & omnibus ipse melior est.* Similiter idem Homil. Ephesi in Nestorium dicta, Ambrosius in cap. VII. Lucæ, Proclus Constantinopolit. Homil. de Christi nativitate, Anselmus lib. II. cur Deus homo, & alii, (quos enumerare sit longum) imprimis interpretes in cap. V. ad Rom. & illud Psaltæ, *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.* Atque eadem Scholasticorum mens. Thomas Aquinas III. dist. XX. 3. *Vita corporalis Christi habebat quendam infinitum valorem ex conjuncta divinitate, in quantum non erat vita puri hominis, sed Dei & hominis. Idem 3. par. quæst. XLVIII. art. 2. Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod æque, vel magis diligit, quam oderit offensam. Christus autem ex charitate & obedientia patiendo, majus Deo aliquid exhibuit, quam exigeret recompensatio totius offensæ humani generis. Primo quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundo propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat: quæ erat vita Dei & hominis. Tertio propter generalitatem passionis, & magnitudinem doloris assumti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis: secundum illud I Joh. II. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Nec aliter Bonaventura in Breviloq. p. IV. cap. VII. Trecenti etiam sunt è reformatæ Ecclesiæ doctoribus, apud quos eadem legas: sed contentus ero nominare Clariss. præceptorem & socerum meum Franciscum Junium, qui aperte cum Cyrillo docet non tam redimi nos sanguine ac passione Christi, ut est hominis innocentis, quam ut idem est Christi θεανθρώπου. Sic enim scribit Parall. lib. III. in cap. IX. ad Hebr. *Quia potuissent nonnulli objicere, materialem illum sanguinem Christi, qui profusus est in remissionem peccatorum, non minus per se carnalem esse substantia sua, quam sit animalium sanguis, quæ Lex imperaverat: propterea sanctissima quadam occupatione ostendit Apostolus, maximum discrimen esse inter hæc duo comparationis membra: quia sanguis Christi non eo simpliciter nos purgat & abluit à peccatis nostris, quia sanguis materialis est; sed quia sanguis Christi est, sermonis illius æterni, qui carnem sibi assumsit in unitatem personæ ut ea ipsa caro filii Dei in ipso subsisteret: ac proinde vis æterna filii Dei in eo sanguine, cum eo & per eum, servata utriusque naturæ proprietate, operatur ad purgationem & sanctificationem nostram: quemadmodum virtute illa divina totus ipse Christus, & per consequens, sanguis ipsius Deo acceptus est, & consummata nostra redemptio. Atque hoc illud est, quod sibi volunt hæc (Apostoli) verba, Christum per spiritum æternum, id est Deitatem suam, secundum quam spiritus est coessentialis & coæternus Patri & Spiritui S. se ipsum obtulisse inculpatum Deo. Sic enim constat, non carnale, sed spirituale Christi sacrificium habendum esse: quamvis materia carnis & sanguinis, quam Christus propterea assumserat, ab eo sacrificio excludi pie nullo pacto possit. Nam quantulum est illud, quod de carne & sanguine Christum in ἱλαστηρίῳ hoc sacrificio pro nobis oblato prædicatur, si cum persona ipsa Filii Dei comparetur, quæ assumsit carnem & se ipsam obtulit Deo ad remissionem peccatorum & reconciliationem nostram. Et paulo post: Non simpliciter sanguis, sed sanguis Christi appellatur, determinatione tam necessaria quam quicquam esse possit: quia (ut ex Cyrillo ante dicebamus) non eo purgat, quod sanguis est; sed tantum, quod sanguis est Christi, qui se ipsum tradidit pro nobis & sanguinem suum effudit.* Atque hæc satis ostendunt, eos, quos diximus, effusionem sanguinis, hoc est, corporis & animi pœnas à Christo persolutas, ita æternis suppliciis dixisse æquales, ut æqualitatem eam non à pœnarum intensione, sed personæ dignitate deducant: Et sane hoc magis rationi videri consentaneum, etiam ea evincunt, quæ disputat vir Amplissimus in fine cap. 8.

CAP. VII.

Ostenditur Censorem incidisse in superiorem errorem, quod non distinxerit inter id, quod præcipue Socinus intendit, & quod ex eo consequitur, atque ad ejus probationem affertur.

EX his vel cæco perspicuum est, cum in eo constituit Censor caput controversiæ, utrum Christus subierit

pœnas æternas, sive Tartareas aut intentione ac magnitudine infinitas; atque hoc solum negasse contendit; nihil vel à vero alienius, vel de Socino benignius, scribere potuisse. Ut qui illi tribuat opinionem, quæ non solum præstantium seculo nostro virorum, sed saniorum etiam scholasticorum, & vel omnium, vel prope omnium veterum Ecclesiæ doctorum fuit. Quid eum in errorem istum induxerit, hoc loco explicabimus, ne postea alius eodem implicetur. Nempe uti, cum non distingueret inter afflictionem, & veram pœnam, credidit Socinum, quando Christum pro nobis afflictum fuisse concedit, etiam concessisse, punitum fuisse pro nobis: ita cum videret, subinde à Socino negari, Christum æternas pœnas subiisse; nec (quod Socinus facit) inter principalem & incidentem quæstionem satis distingueret; hoc caput fuisse controversiæ putavit. Atqui principalis quæstio est, utrum Deus pœnas ullas pro peccatoribus exegerit, an vero, nulla interveniente pœna aut satisfactione, offensam deposuerit. Hoc asserit, illud negat Socinus. Atque ut suam sententiam probet, eo pugnat argumento, quod peccatum ex sententia nostra mereatur pœnam æternam: Christus autem non subierit pœnam æternam: unde concludit, eum non satisfecisse, sive non punitum esse pro nobis. Σκοπὸς igitur sive principalis quæstio est, an Christus pœnas pependerit pro peccatis nostris. Κεφάλαιον εἰδικὸν sive quæstio incidens est, An punitus sit pœnis, vel æternis, quod nemo asserit; vel quæ pretii magnitudine respondeant æternis; uti Catholicorum sententia est. Hæc ita esse, ostendunt loca, quæ ex Socino supra citabamus: imprimis illustris ille Prælect. Theolog. cap. xv. & xviii. quem non repono, ne fiat, quod dici solet, Crambe repetita.

Cap. VIII.

Ostenditur falli Censorem, cum contendit, non negaturum Socinianorum quempiam, Christum esse punitum ad demonstrationem alicujus justitiæ divinæ.

VIdimus de priori capite, in quo Ravenspergerus existimabat, Socinianos à Catholicis potissimum dissidere. Ad alterum accedamus, quod in eo idem constituit, quia Socinus neget, *illa pœna* (intentione æternæ) *pensione seu perpessione divinæ justitiæ pro nobis, seu pro pœnis, quas nos debebamus, satisfactum esse.* Sed nihilo rectius Socini hac parte mentem intellexit, quam in illis, de quibus antea diximus. Nec enim, qui Christum pro peccatis nostris vere pœnas pependisse fateatur, satisfecisse pro nobis inficias iverit; quando pœnam pendere & solvere idem est. Atque idcirco Socinus, ne ponat ἀσύστατα, quod à Censore fit, non minus pœnas pependisse, quam satisfecisse pro nobis negat. Verum, ut aliquid dicere videatur, distinguere Socinum ait, inter justitiam perpetuam, & non perpetuam: quarum illam exerceat Deus erga impœnitentes; hanc erga simpliciter peccatores, cum, non expectans eorum pœnitentiam, punit illos, etsi nondum contumaces aut desperatos. Christum igitur, ex Socini sententia, punitum pro nobis esse arbitratur ad demonstrationem justitiæ, quam non perpetuam vocârat. Sed profecto illa justitiæ distinctio solum hoc fine à Socino adfertur, ut ostendat aliquam in Deo esse justitiam, qua uti possit, possitque non uti. Nusquam vero vel Socinus, vel ejus sectatores accommodant illam ad perpessiones Christi; neque, nisi pugnantia dicere voluissent, facere id potuissent. Siquidem alias assignant passionis mortisque Christi causas, & ita assignant, ut præter illas esse alias negent: quod imprimis liquet ex iis, quæ antea citabamus è Catecheseos Polonicæ Loco de Prophetico Christi munere cap. viii. Et tamen non dubitat Ravenspergerus, tanquam è tripode, pronunciare, neminem id Socinianum negaturum: quod profecto fatebitur nemo. Ita ille adspectu Attico etiam in certissimis *tam aperto capite* adversus Grotium sententiam fert,

Quam in tribus aperto capite sontes condemnant reos:

Ut ait ille. Atqui si Socinus vel assectarum quisquam fateretur, esse in Deo justitiam, ad cujus demonstrationem Christus pœnas pependerit: non negarent passim, ullam in eo justitiam esse, cui quicquam fuerit persolutum. Uti cum Socinus disputationis de Jesu Christo Servatore part. ii. cap. vii. ait: *Ego nego Christum justitiæ Divinæ* QUICQUAM *pro nobis solvisse. Et ibidem: Fateor Jesum Christum propter iniquitates nostras & pro peccatis nostris mortuum esse; sed inde tamen consequi constanter nego, ipsum Christum* ALICUI *divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfecisse, sive id solvisse, quod nos propter peccata nostra solvere debuissemus. Mors enim propter peccata, seu pro peccato alicujus,* NIHIL ALIUD *est, quam causa sive occasione peccatorum istius mori. Causa autem sive occasione peccatorum alicujus is certe moritur, qui ideo moritur, ut quis à peccatis suis retrahatur, atque illi fides fiat, peccata sibi, si ab illis se retraxerit, condonatum iri, ac præterea, ut is fructum ejusmodi condonationis, & ita ipsam condonationem re ipsa sentiat & consequatur. Atqui, ut nobis hæc omnia evenirent, mortuus est Christus, & cap. viii. Reconciliandi verbum non divinæ* ALICUI *justitiæ satisfaciendi vim habet: sed nostram* TANTUMMODO *ad Deum conversionem, quam ipse procuravit, atque hac ratione cum eo renovatam vel potius initam amicitiam significat.* Et sane, cum Socinus totum illud de punitione pro nobis præfracte neget, uti abunde ostendimus; quomodo potuisset in Deo justitiam aliquam constituere, ad cujus demonstrationem Christus pœnas pro nobis pependerit? Miro sane affectu præpeditum esse Censorem oportuit, qui hoc de argumento acturus, quid illud sit, quod Socinus dicat aut neget; quodque controversiæ caput est, plane prætervidit, egregie scilicet ad agendam censuram comparatus. Nempe hoc est vere, quod scripsit Ennius: *Qui sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam.*

Cap. IX.

Ostenditur contra Censorem, Grotium & manifeste & directe contradicere Socino: breviter quidem, cum sententiam Catholicam explicans, Christum dicit pœnas pependisse, hoc est solvisse pro nobis & demonstratam esse hoc pacto justitiam divinam: fusius autem, cum argumenta, quibus hoc colligitur, pertractat.

AT bellus ille pictor, qui Socinianos nobis καθολικωτέρους ac meliores multo depingit, quam sint, vel haberi velint: idem, fortem Socinianorum adversarium ita nobis describit, quasi idem, quod Socinus, dicat. Sane patritiæ istæ artes sunt, (cum inter Socinum & Grotium tanta sit diversitas, quanta inter Æthiopem & Belgam solet;) ut concolores videantur, illum quidem pigmentis quibusdam dealbare, hunc aliis denigrare. Hoc vere est fucum facere lectori. Sed nos pigmenta illa abluemus, ut nativi appareant colores. Primum, quod Socinum ait in eo cum Catholicis consentire, quod Christus pro nobis pœnas pependerit: hoc falsissimum esse, satis antea evicimus. Deinde quod hic negat Grotium, Catholicæ fidei caput defendere adversus Socinum, hoc æque est à veritate alienum. Atqui, inquit, non affirmat Grotius, Christum pœnas æternas pependisse.

Credo equidem: nec vana fides. - - -

Nam Christianus qui esse volet, necesse est, statuat Christum à mortuis resurrexisse, ascendisse in cœlos, sedere ad dextram Patris; Æternis vero pœnis fuisse addictum

- - - *Credat Judæus Apella:*

Chri-

Christianorum nemo. At dicet se loqui de pœnis intentione æternis: atque ita se explicasse. Ego verius dixerim implicasse. Verum ne de verbis velitari, atque, ut Madaurensis ille loquitur, verbigerare velle credamur, intellexerit sanè vel tartareos cruciatus, vel magnitudine infinitos; quando ea quorundam sententia est: quid? non ipsa Grotiani operis inscriptio docere eum poterat, Amplissimum virum, uti antea etiam dicebamus, non particulares doctorum opiniones, sed veritatem Catholicam defendendam suscepisse? Atqui an pœnæ, quas Christus est perpessus, ob magnitudinem sui: an potissimum, ob personæ dignitatem, æternis fuerint æquales: hoc illud est, de quo nondum satis convenit inter Ecclesiæ doctores. At in eo conspirant universi, quod pœnæ à Christo persolutæ, etiamsi fuerint temporales, æternis tamen, pretio ac dignitate respondeant. Æqualitatem vero inter pœnam Christi & pœnam nobis debitam. clare probat Grotius cap. v. ubi de pœnæ relaxatione per compensationem tractat: item cap. VIII. ubi pretii vox explicatur, atque ejus hoc esse proprium dicitur, ut tanti, quanti res est, æstimetur. Verum picturæ suæ alium etiam colorem inducit Ravenspergerus. A Grotio, inquit, non affirmatur, *illa pœna pensione seu perpessione, divina justitia pro nobis, seu pro pœnis, quas nos debebamus, satisfactum esse: quod liquido hic affirmandum erat, ubi contra blasphemum Socini placitum Catholica Sententia ponitur.* Imo, quia Catholica hic sententia ponitur, eo æternæ pœnæ perpessione Deo esse satisfactum, affirmare hic nihil attinebat: quando istoc, uti vidimus, Catholicum dogma non est, sed illud potius, satisfactum esse divinæ justitiæ solutione pœnarum, quæ tempore æternis essent pretio æquales. Absit vero, ut hujusmodi pœnis divinæ esse justitiæ satisfactum, non agnoscat Vir Amplissimus. Totus enim liber hoc potissimum agit, ut probet, perpessiones Christi fuisse satisfactorias. Hac autem satisfactione demonstratam esse justitiam divinam, prolixe docet cap. I. pag. 32. ubi contra Socinum asserit, Dei severitatem justitiæ etiam nomine in sacris literis nuncupari. Etiam cap. 5. pag. 160. ostendit pœnarum retributionem nasci ex justitia Dei. Imo ipsa illa Amplissimi Viri verba, *salva divina justitia demonstratione*, quæ Socino adversari Censor negat, è diametro ei repugnant. Nam inficiatur Socinus, justitiam Dei, qua pœnæ infliguntur, demonstratam esse morte Christi: quippe quæ non habeat rationem pœnæ. Unde & idem Socinus lib. II. cap. II. justitiæ nomine non illam, quæ puniendo ostenditur, sed veracitatem Dei, vel justitiam nostram intelligi censet Rom. III. 24. Quare in afflictionibus Christi nec perpetuam, nec arbitrariam justitiam agnoscit Socinus. Imo ubique negat, motum esse Deum perpessionibus Christi ad peccata nobis remittenda. Et hic est errorum ejus fons ac radix; non illud, quod Censor Socino affingit, quod est plane ἀσύστατον.

Cap. X.

Ostenditur, falso Grotium accusari, quasi cum Socino dicat, præter fidem & pœnitentiam, nullo alio medio interveniente, liberari hominem à peccato.

PErgit Censor, *Socinus* inquit, *securitatem nostram à rigore divina justitia ad respectum sive conditionem fidei in Christum astringit: hoc est, docet, justitiam fidei per fidem in Christum & pœnitentiam*, NULLO ALIO INTERVENIENTE MEDIO, *mutari.* Negat deinde Grotiana verba huic commento repugnare. Sane de discretis Mysorum ac Phrygum terminis celebre est illud:

> Χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα,
> Τὸ δ' διορίζειν χαλεπὸν ——

> *Fines seorsum Mysiæ sunt & Phrygum,*
> *Finire vero est arduum ——*

Sed de Socinianæ & Grotianæ, hoc est Catholicæ sententiæ finibus, hoc dici non potest.

> —— Πολλὰ γὰρ ἐν μεταιχμίῳ
> Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλός.
> —— *Inter has enim Note*
> *Volvuntur unda plurima vasti maris.*

Siquidem Socinus, ut ipse Censor agnoscit, *nullo alio medio interveniente*, hanc fidei attribuit securitatem: id est liberationem à pœna. Grotius vero aliud statuit medium intervenire: nempe perpessiones Christi, habentes rationem pœnæ, propter quas Deus nos à pœnis velit liberare. Grotio igitur prius est medium satisfactionis, quam fidei: at Socino solum medium est fides, non satisfactio: quæ inter si pugna ἀσύστατος non est,

> *Nil intra est oleam, nil extra in nuce duri.*

Adde quod Amplissimus Vir, cum fidem VERAM ait intercedere, fidem eam intelligit, quæ satisfactionem ipsam apprehendit: qualem Socinus non agnoscit. Hujusmodi vero fidem intervenire ante ultimum satisfactionis effectum; & scriptura manifeste ostendit, & nemo Orthodoxus negat. Lucillianum igitur illud,

> *Pergula pictorum veri nihil, omnia falsa,*

Verissime de Ravenspergero dici potest, quando is ait, *Nullum Socinianorum negaturum, Deum constituisse, ut Christus pœnas penderet pro peccatis nostris, ut salva divina justitia demonstratione, nos, intercedente vera fide, à pœna mortis æterna liberaremur.* Nullus enim eorum fatebitur, Christum vere esse punitum, sed illud de pœnis in totum omnes negant: nullus etiam fatebitur, id factum esse ad demonstrationem divinæ justitiæ, cum in Deo hic non agnoscant justitiam ullam, quæ puniendo ostendatur: nullus denique fatebitur, Christum pependisse pœnas, ut intercedente vera fide liberemur à peccatis: quia si ad historiam Evangelicam pertinet, quod Christus pro nobis pœnas pependerit, historica etiam fides (quàm à Socino intelligi, ait Censor) istud agnoscere debet: at Sociniani satisfactionem in totum negant, nedum in ea fiducia certa recumbant; quod veræ & salvificæ fidei Theologi communiter adscribunt.

Cap. XI.

Inique usum vocis PLACITI, *Grotio objici comprobatur.*

DE placiti autem vocabulo prope est indignum, quod moneamus. Dicendum tamen propter Censorem, qui Virum Amplissimum reprehendit, quia eo utatur, cum de noxio Socini dogmate sermo est. Satis grave esse vocabulum negat: &, quasi id semel monuisse non sit satis, etiam postea semel iterumque uncialibus illud literis amat objectare. Atqui PLACITUM, τοῦ δόγματος vocabulo respondet: quod, ut neque Grammaticorum pueri nesciunt, universe notat philosophorum sententias, etiam absurdissimas, & noxias plane: cujusmodi sunt δόγματα seu placita Epicureorum, & aliqua Stoicorum. A qua generali notione est, quod philosophi universi à Laërtiensi Diogene dividuntur in δογματικοὺς, Ἀκαδημαϊκοὺς, καὶ σκεπτικοὺς, & à Sexto philosopho in δογματικοὺς, καὶ σκεπτικοὺς, quodque à Galeno (si illius est liber περὶ φιλοσόφου ἱστορίας) quattuor statuuntur τῆς φιλοσοφίας αἱρέσεις, δογματικὴ, σκεπτικὴ, ἱστορικὴ, καὶ μικτή. Interdum autem τοῦ δόγματος vocem reservant Latini, inter-

interdum vertunt decreta, quod Tullio imprimis placuit lib. IV. Tusc. Quæst. & IV. Academ. Quæst. interdum item Placitum transferunt: unde Gloss. vet. *Placitum, δόγμα ἀρεστόν.* Atque hinc Plinius Veronensis, etiam opiniones medicorum, quas damnat, hoc nomine appellat lib. XIV. cap. XXII, quo, de vitanda ebrietate tractans, inter alia inquit, *Tiberio Claudio principe ante hos annos XL. institutum, ut jejuni biberent, potusque vini antecederet cibos, externis & hoc artibus, ac medicorum placitis, novitate aliqua sese commendantium.* Quod autem Latini sic vocarunt, hoc ipsum fecerunt imitatione Græcorum, qui dicunt τὰ ἀρέσκοντα τοῖς φιλοσόφοις. Ita Plutarchi (forte junioris alicujus, quando Chæronensis illius & dictio & sententia longe alia est) quinque habemus libros, cum inscriptione istiusmodi, περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. Doctissimus Budæus, qui eos Latinos fecit, vertit: *De placitis decretisque philosophorum.* Sed misso hoc pulvere Grammatico, ad ea, quæ majoris sunt momenti, transeamus.

Cap. XII.

Causa satisfactionis impulsiva, explicantur.

POstquam Censor impugnavit, quæ ad statum controversiæ inter nos & Socinum constituendum, pertinent; gradum ad ea effert, quæ de causis Satisfactionis à Grotio dicuntur. In his ita versatur, ut omnia confundat,

Delphinum sylvis appingens, fluctibus aprum.

Nam cum satisfactio sit pretii sive pœnæ persolutio pro peccatis nostris, ut nos a miseria liberemur: oportet distincte consideremus, tum malum, quod passus est Christus; tum bonum, quod obtigit nobis. Bonum illud est placatio Dei Patris, sive liberatio nostri à miseria. Malum quod Christo obtigit, est passio & mors: quæ vel consideratur simpliciter & in genere, ut est punitio; vel ut est punitio pro alio, sive translatio pœnalis. Singulorum causas ordine considerabimus.

Liberatio à malo universe spectata, non includit liberationis modum, quia etiam liberatio fit, si non interveniente satisfactione, simplici peccatorum condonatione, consequamur vitam æternam. Citra hunc modum considerata, προηγουμένην sive internam causam habet, bonitatem & misericordiam Dei: προκαταρκτικὴν vero sive externam, miseriam nostram.

Causa meritoria hujus liberationis nostræ, est satisfactio Christi: quam considerari diximus, vel ut punitio, vel ut pœnæ est translatio.

Punitio omnis qua talis, sive impersonaliter spectata, causam προηγουμένην habet justitiam Dei ἀνταποδοτικὴν sive retributivam: προκαταρκτικὴ vero causa sunt peccata, itidem impersonaliter & in genere spectata, sine determinatione, num quis pro suis peccatis patiatur, an alienis.

Punitio vero, qua pro alio est, sive ut est translatio pœnæ, plane misericordiæ divinæ opus est, quia hæc impellit Deum, ut filium det nobis: ut autem filium, quem dare vult nobis, etiam pati velit bono generis humani, impellunt Deum peccata nostra. Ergo cur pœna transferatur in Christum, προηγουμένη quidem causa est bonitas & misericordia Dei, quæ, ne periremus, filium nobis dedit. προκαταρκτικὴ vero causa sunt peccata nostra satisfactionem exigentia: per quæ fit, ut non simpliciter à miseria liberemur, sed per translationem liberemur.

Hæc omnia, quasi κυκεῶνα miscendum esset, confundit Ravenspergerus: quemadmodum ex iis liquebit, quæ deinceps dicemus.

Cap. XIII.

Castigatur error Censoris, Grotium culpantis, quod peccata pœnam commerentia retulerit inter causas satisfactionis.

TErgeminum se errorem Grotii observâsse ait in explicatione causarum. Primus est, quod scripserit, *causam qua Deum movit, esse peccata pœnam commerentia.* Atqui scriptura sic loquitur, quæ Christum mortuum esse dicit, propter peccata nostra. Verum, inquit, Censor, *Res, de qua agitur, est satisfactio, ut apparet vel ex libri titulo.* Imo res est totum illud, nempe nostra liberatio per satisfactionem. Duo Dei actus totidem causas requirunt. Actus nostræ liberationis divinam bonitatem causam habet. Sed alter actus, exactio nimirum pœnæ per modum satisfactionis, causam eam habet, quæ ad pœnam exigendam irritat, id autem est peccatum. Quare, qui peccato causam hujus satisfactionis assignat, non habet necesse id dicere, quod vult Censor, *peccata pœnam commerentia esse illud, quo Deus extrinsecus motus & provocatus sit ad mittendum misericorditer filium suum, qui pro nobis satisfaceret:* (hoc enim esset causam reddere totius complexi, non membri unius) sed peccatis Deum motum, ne nos liberaret aliter, quam de filio pœnas exigendo. Totius autem complexi, nempe quod Christus missus sit, datusque in mortem ad nostram liberationem, causæ sunt & bonitas Dei, & peccata nostra. Bonitas Dei donum est, quod liberare nos voluit: quod vero aliter, quam tali modo, liberare nos noluit, peccatorum nostrorum est meritum. Primus hic Censoris lapsus est, quod distincta sententiæ totius membra non distinxit, & eandem statuit causam miserendi, quæ causa fuit pœnam exigendi.

Cap. XIV.

Ostenditur contra Censorem, justitiam Dei à Grotio inter causas satisfactionis reponi: item ἀσύστατα esse, qua de immutabili Dei judicis postulato & moderamine ejusdem, a Censore dicuntur.

EXinde reprehendit Grotium, quod qui peccata in causis Satisfactionis explicandis ponat, justitiam Dei in iis non ponat. *Quid*, inquit, *animi, cordatos viros gerere putat super silentio illo suo, quo justitiam tacitus præteriit?* Atque hic, ait, alter est Grotii lapsus, subtilior quidem, sed periculosior. Nos etiam alterum, eumque gravem hic lapsum videmus, sed Censoris, qui dum, reprehendendi studio Hypsea cæcior factus, nec ea, quæ ante oculos sunt, videt, dixisse Grotium negat, quæ ab eo dici etiam luscitiosi vident. Nonne enim dicit, Christum pœnas pependisse pro peccatis nostris? Atqui hic dupliciter justitiam includit: primum, quia punitio est actus justitiæ: deinde quia peccata sunt, quibus justitia pœnam retribuit. Sed cum ob peccata Christum traditum esse dicat scriptura, cum ipsa, quam extra ipsam loqui Grotius maluit. Etiam justitiam ibidem expressit, quando, cum eadem scriptura ait, à Deo punitum esse Christum *ad demonstrationem justitiæ suæ*, Rom. III. 26. pro quo vers. seq. dicitur, *ut sit ipse justus.* Uterque enim hic loquendi modus suapte vi finem significat: ut alter ille, *ob peccata*, impulsivam. Non igitur justitiam transmisit Grotius, sed suo eam loco collocavit. Nec idcirco negat justitiam esse causam impulsivam, quia demonstrationem ejus causam finalem, peccata vero impulsivam causam facit. Nam illud quoque fatetur cap. I. ubi disertim testatur, *justitiæ nomine significari illam Dei proprietatem, quæ Deum* MOVET *ad peccata punienda.* At in illa brevi sententiæ suæ explicatione iis uti locutionibus voluit, quibus scripturæ verba directe responderent.

Fate-

Fatetur mox Censor, peccata posse dici causam externam, irritantem Dei justitiam, ut postulet satisfactionem. Cur ergo Grotium reprehendit in eo, quod verum agnoscit? Propterea, inquit, quod justitiam non facit causam impulsivam. Imo vero facit, alibi claris verbis: eo vero, quem reprehendit, loco implicite. Nam, uti diximus, demonstrationem justitiæ facit causam finalem: quod qui dicit, præsupponit justitiam esse causam προκαταρκτικήν. Etiam Christum ait pœnas pependisse: punitio autem est actus justitiæ. Dicit punitum ob peccata, quæ Deum moverint ad puniendum. At secundum quam proprietatem? Sane eam, quæ est retributiva, quam in scripturis sacris appellari justitiam, à Grotio adversus Socinum ostensum est. Idem ergo dixit, quod Censor; sed sententiam suam paucis complexurus, maluit proxime sequi vestigia scripturæ. At Christum datum esse in mortem ob justitiam divinam (ita enim προκαταρκτικῇ causa significaretur) ut satis commode dicatur, certe cum scripturis non dicitur.

Parcere igitur operæ potuit Censor, cum probandum sibi putavit, justitiam inter satisfactionis causas poni debuisse. Sed tamen, quo id argumento ostendat, videamus. *Justitia Dei, inquit, pœnam peccatis promeritam irrogari homini: misericordia Dei, hominem e miseria liberari volebat. Ergo justitia prius, & quidem* IMMUTABILITER, *satisfactionem postulabat: misericordia postea per Christum eam fieri procurabat.* Paulo post de justitia misericordiaque subjicit ista: *Hic locus est distinctioni inter postulatum Dei judicis, quod* IMMUTABILITER NOS URGET *ad satisfactionem: &* MODERAMEN *Dei patris, quo fit, ut satis sit, unum, nempe Jesum Christum, satisfacere pro nobis omnibus.* Ubi si non aliud voluit, quam punitivæ seu vindicativæ justitiæ eam esse naturam, ut exigat satisfactionem pro culpa; atque hoc ei immutabiliter competere: rem certissimam dicit, quando quod formale seu essentiale est, idem immutabile est. Sin illa potius, (uti, quæ inferius dicet, satis ostendunt) ejus mens est, talem esse justitiæ naturam, ut Deus, vi illius impulsus, necessario puniat peccatum, ac nisi pœnas exigat, mutabilis sit dicendus: illud sibi sumit, de quo nondum convenit inter eruditos. Nam plurimi contra petrcudunt, cum bonitas & misericordia Dei non minus proprietas ejus sit, quam justitia: ac quanquam ex misericordia non egisset, sed puniisset universos, minime eo mutabilis, vel etiam immisericors potuerit dici: similiter neque, extra decreti considerationem, mutabilem vel injustum dici potuisse, quanquam ignovisset universis citra ullam satisfactionem. Atque hoc qui dicunt, satisfactionem, ante decretum Dei, considerant ut liberam; in decreto, ut magis congruam; post decretum, ut necessariam: quam sententiam sanctis etiam Patribus placuisse, inferius ostendemus.

Sed aliud etiam est in proxime citatis verbis; quod ei, dum animus in Batavia peregrinatur, excidisse credibile est. Nam quod ait, justitiam Dei, sive postulatum Dei judicis nos (nos ipsos, inquam, qui peccavimus) IMMUTABILITER ad satisfaciendum urgere, nec recte dicitur, nec congruenter illi, quod addit de moderamine Patris, quo fiat, ut satis sit unum pati pro omnibus. Quod enim ulla Dei proprietas immutabiliter exigit, id moderamen non recipit. Siquidem moderamen immutat aliquid: puta personam, quæ pœnam ferat. At Dei proprietates, ut distinctæ sunt, ita minime inter se pugnant: eoque non potest una immutabiliter postulare, quod per alteram immutetur. Gravis hic est Censoris lapsus, & divinæ naturæ simplicitati injurius.

Cap. XV.

Refellitur Censoris tergeminus error, quod peccata neget esse causam satisfactionis προκαταρκτικήν, quod sanguinem Christi dicat esse causam satisfactionis meritoriam, quodque naturam potius quam morbum dicat impellere ad sanationem.

TErtium in explicatione causarum errorem Grotii facit, quod dicat, *peccata* esse *causam impulsivam & meritoriam pœnæ. Nam*, inquit, *hoc à proposito alienum est: quia non quæritur de causa procatarctica meritoria pœnarum, sed de procatarctica meritoria satisfactionis.* At nos contra pertendimus, de causa pœnarum propterea agi, quia agitur de causa satisfactionis. In ipsa enim pœnarum susceptione satisfactio est. Peccata vero satisfactionis esse causam, etiam scriptura indicat, cum ait, Christum esse traditum pro peccatis nostris. Liberationis autem, quæ per satisfactionem fit, aliam esse causam, nempe bonitatem divinam superius diximus: atque id ipsum à Grotio tum hoc loco, quem Censor reprehendit, tum etiam cap. v. pag. 101. clare explicatur. Nempe, ut istis in locis dicitur, aliud est quærere, cur Deus remittere nobis voluerit pœnas æternas: aliud, cur aliter, quam punito Christo, remittere eas noluerit. Utrumque distincte explicandum, non vero à Censore confundendum fuit.

Sed qui Grotium culpat, quia peccata statuat satisfactionis causam, videamus sane, quam ipse ejus causam esse arbitretur. *Procatarctica*, inquit, *meritoria causa satisfactionis est pretiosus Christi sanguis pro nobis effusus, quo satisfactum, sive satisfactio promerita est.* Dictio omnino durior: pro qua dixisse poterat, cujus merito satisfactio est acquisita. Sed de verbis non erimus solliciti: res ipsa sane quam inepta ac ridicula. Nam causa impulsiva satisfactionis impulit Christi voluntatem ad satisfaciendum. Sed sanguis Christi non impulit eum, ut satisfacere vellet. Causa impulsiva est causa antecedens. At sanguinis effusio non antecessit satisfaciendi voluntatem. Causa impulsiva & meritoria est causa externa. At sanguis Christi non est aliquid extrinsecum Christo. Etsi igitur sanguis Christi est illud, cujus merito Christus acquisivit nobis liberationem à miseria, placationem Dei patris, reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum: non idcirco tamen is impulit, vel promeritus est, ut vel Deus Christo imponeret pœnas nostras: vel Christus eas susciperet, & pro nobis pateretur, sanguinemque suum effunderet; quemadmodum & pretium quod pro captivo solvitur, promeretur quidem liberationem è carcere: sed non impellit, aut meretur, ut satisfacere quis velit. Omnis error ex eo est, quod non distinxit causam procatarcticam meritoriam in ordine ad efficientem, & in ordine ad effectum ipsum. Quæ dum confundit, ea dicit, quæ manifeste contradictionem involvant. Nam si satisfactio est pretii seu pœnæ solutio: pretium autem pro peccatis persolutum, est sanguis Christi pro nobis effusus: sane pretiosi sanguinis effusio erit ipsa satisfactio. Hoc si est, qui dicit, pretiosum Christi sanguinem sive effusionem sanguinis esse causam impulsivam meritoriam satisfactionis, idem dicit, effusionem sanguinis impulisse & promeritam esse, ut sanguis Christi effunderetur: quomodo idem erit causa sui ipsius: quod ἄτοπον καὶ αὐτόφαντον. Sed eo ineptiarum prolabi solent, quos illa prurigo tenet contradicendi etiam iis, quibus ob ingenium admirandum & eruditionem undecunque majorem, fasces submittere oportebat.

Post hæc fatetur, morbo & debito assimilari peccatum: at sequi negat, ut morbus medicum ad curam; debitum, sponsorem ad sponsionem; sic peccata movere Deum ad misericordiam. Atqui peccatis Deum moveri ad misericordiam, nemo dicit, sed moveri iis ad pœnæ

expeditionem, dicit Grotius. Quare cum umbra sua Censor luctatur. Nec enim de causa boni, quod obtigit nobis; sed de causa mali, quod Christo inflictum est, agit Grotius, cum de peccatis agit. Ad totius autem negotii explicationem, & mali hujus, & boni istius causas allatas, oportuit, ut satisfactionis, & eam secutæ liberationis natura explicaretur.

Ibidem contendit Censor, dotius dictum videri, morbum esse impulsivam sanationis causam. Quamobrem vero? *Si*, ait, *morbus, qua morbus, impellit, cur non æque morbus bruti animalis, quam rationalis hominis impellit extrinsecus medicum ad curam? Impellit igitur*, inquit, *medicum extrinsecus dignitas creaturæ ad imaginem Dei conditæ; sive miseria dignissimæ illius & nobilissimæ creaturæ, in quam per morbum incidit.* Sed his facile est occurrere. Nam qui hoc medico propositum esse ait, ut morbum hominis depellat, idem ei propositum dicit, ut præstantem illam naturam conservet. Imo rectius morbus, quam natura, ad sanandum impellere dicitur, quia si natura ut talis impelleret, jam in omnibus, qui ejusdem naturæ sunt, impelleret. At hoc non fit, quia, ut Salvator noster ait, sanis non opus est medico. Quemadmodum igitur homo risibilis dicitur, non qua animal, quia alioquin omne animal risibile foret; sed qua rationalis, unde solum rationale risibile est: ita natura hominis non impellit ad sanandum, qua talis, quia alioqui etiam impelleret in sanis; sed qua morbida, cujusmodi sola exigit sanationem. Unde illud Medicorum, Morbus exigit, natura permittit. Sed neque solius hominis natura medicinæ est objectum, verum etiam ignobilior illa bestiarum, quando *Mulomedicina apud Græcos Latinosque autores, non fuit cura postrema:* ut Vegetius ait, cujus de arte veterinaria quatuor libros habemus. Quemadmodum & quæ de eodem argumento Apsyrtus, Hierocles, Tiberius, Eumelus, Theomnestus, Anatolius, aliique τῶν ἱππιατρικῶν scriptores Græci scriptis consignarunt.

Cap. XVI.

Ostenditur, qua ratione Sociniani exponant particulam PRO & PROPTER, *cum Christus pro peccatis, aut propter peccata nostra mortuus dicitur.*

DE causis satisfactionis impulsivis satis dictum puto. Deinceps controversiam Censor movet de significatione particulæ PRO & PROPTER, cum Christum pro peccatis nostris, aut propter ea mortuum Scriptura testatur. Digna plane est hæc quæstio, cui pauxillum insistamus. Ergo tria hæc distincte agemus. Primum Socinianam sententiam proponemus. Hinc eam refellemus. Denique respondebimus Ravenspergero, qui hac parte prope à Socino abest.

Quæstio igitur istiusmodi est, utrum cum Christus pro peccatis nostris, aut propter ea mortuus dicitur, PRO & PROPTER significent causam antecedentem, eamque meritoriam: an vero causam finalem. Posse peccata dici causam antecedentem mortis Christi, fateri videtur Socinus, cum Prælect. Theolog. cap. xx. ait: *Propter peccata per se nihil aliud unquam significat, quam causa sive occasione peccatorum. Quod ad locos apud Jesaiam, dictio Hebræa, quæ reddita est propter, est מן quæ non causam finalem, (quam vocant) sed efficientem declarat: ut nihil aliud ex Esaiæ verbis his colligi possit, quam Christum à peccatis nostris quodammodo occisum fuisse, id est peccata nostra, Christi mortis antecedentem causam fuisse, non autem Christum mortuum esse, ut inde effectus aliquis nostra peccata respiciens, consequeretur; ut certo necesse fuisset, si idcirco mortuus fuisset, ut vel pro peccatis nostris satisfaceret, vel in ipso quomodocunque peccata nostra punirentur.* Eadem pene iisdem verbis legas part. II. de Servatore cap. VII. ubi & iterum alibi inquit: *Mori propter peccata, seu pro peccatis alicujus, nihil aliud est, quam causa sive occasione peccatorum illum mori.* Atqui occasio, si inter causas locum meretur, causa fuerit antecedens ac impulsiva. Quare existimare aliquis possit, etiam ex Socini mente peccata esse causam antecedentem, nempe occasionalem. Sed quia occasio causæ non meretur nomen, aut vix sane; eo alibi, (nisi contradicere sibi dicendus sit) negat peccata esse causam mortis antecedentem. Ut cum parte II. de Servat. cap. x. clare ait: *Christum à Deo turpissimæ & fœdissimæ morti traditum, ut ea ratione nobis æterna salus compararetur:* QUAMVIS NULLA PRÆTEREA ANTECEDENS CAUSA ESSET, *cur ille eam mortem perferre deberet.* Nec est, quod oggerat quisquam, voce DEBENDI necessitatem significari. Nam universe antecedentem excludi, argumento est, quod eodem cap. dixerat. *Ut quis vere puniri velit, non satis est, quod ipse puniri velit, nisi delictum aliquod commiserit, sic, ut alicui vere aliena peccata possint imputari, non satis est ipsum ita velle, nisi imputationis antecedens alia digna causa subsit.* Et eodem cap. disertim scribit, aut nullam esse legitimam causam antecedentem mortis Christi, aut eam esse, ut ipse Christus mortem sit commeritus; quod blasphemum est. *Addis*, inquit, *Nulla cum legitima causa. Quæ verba, cum de finali causa intelligi nequeant, de antecedente ut intelligantur, necesse est. Unde apparet, te antecedentem aliquam legitimam causam mortis Christi, præter Dei & ipsius Christi voluntatem (quippe quod tibi, in Christum morti tradendo Dei ipsiusque Christi voluntas satis esse non videatur) omnino statuere. Ea vero nulla alia esse potest, nisi quod Christus id meritus fuisset.* Ex his satis liquet, juxta mentem Socini, cum scriptura ait, Christum mortuum esse PROPTER PECCATA nostra, intelligi causam vere finalem; non antecedentem legitimam, qualis est causa meritoria. Sed cum Christus PRO PECCATIS mortuus dicitur, negat ullo pacto antecedentem vocari posse: quia etsi PROPTER nunc antecedentem, nunc finalem causam signet, PRO tamen semper indicet causam finalem. Verba sunt Socini Prælect. Theolog. cap. 20. *Sequitur, ut de dictione* PRO *videamus. Sciendum est autem, ubicunque ea est, quod ad locos attinet, de quibus quærimus, ejus loco dictionem* PROPTER *reponi potuisse: quod tamen propterea factum non est, quia in illis locis dictiones Hebrææ aut Græcæ ejusmodi erant, quæ nonnisi finalem causam significare poterant: verum dictio* PROPTER *non finalem tantum, sed efficientem quoque causam significare potest: dictio autem* PRO *tantummodo finalem. Cum igitur scriptum legimus, Christum pro peccatis nostris passum & mortuum fuisse, intelligendum quidem est, id propterea factum esse, ut inde effectus aliquis nostra peccata respiciens consequeretur, non tamen, ut pro illis divinæ alicui justitiæ satisfieret, sed, ut dictum est, ut nos à peccatis retraheremur, utque nobis fides fieret, peccata nostra, si ipsi Christo obediremus, nobis divina benignitate remissum iri, ac denique, ut remissionem peccatorum istam re ipsa, ejusque fructum sentire & consequi possemus.* Eadem iisdem pene verbis habet parte II. de Servatore cap. VII. Similiaque legas apud Valentinum Smalcium lib. de Christi divinitate cap. XI. Nunc hæc veritatis trutina expendamus.

Cap. XVII.

Superior Socinianorum interpretatio refellitur.

AC recte quidem Socinus, cum Christus ob vel propter peccata nostra mortuus dicitur, causam interdum antecedenteceden-

recedentem vocat: sed male intelligit causam κατηχητικῶς dictam: meram puta occasionem, quæ secum trahat effectum ad hominem potius quam ad peccatum pertinentem. Nempe quasi sententia sit, peccata effecisse, ut Christus nec mortem recusarit, quo homines à peccatis retraheret. Nam Catholica sententia est, peccata esse causam vere efficientem, ut Christus neque mortem recusaret, quo pro peccatis ipsis satisfaceret. Siquidem peccata merentur afflictionem per modum pœnæ: ut liquet ex Levit. XXVI. 21. Deuteron. XVIII. 12. & 1 Reg. XIV. 16. Psal. XXXVIII. 12. LXXII. 19. CVI. 17. & sexcentis aliis locis. Atque hic primus est Socini error, quod etsi interdum videatur peccata habere pro causa antecedente, tamen antecedentem legitimam, hoc est, vere proprieque dictam, extra voluntatem, agnoscat nullam: ideoque in sola finali causa acquiescat.

Alter error est de locutione illa PRO PECCATIS. Nam non tantum enim *ob* vel *propter* peccata, sed etiam cum *pro* peccatis mortuus dicitur Christus, significatur causa efficiens, quia sententia est, peccata nostra effecisse, ut Christus affligeretur: eoque particula *pro* non accipitur, uti si jubeamur vigilare pro animabus fratrum, ubi causa finalis sive utilitas indicatur: sed prope quemadmodum cum dicimor pati pro nomine Christi, hoc est, propterea quod nomen Christianum profiteamur. Atque hoc inde etiam liquet, quia Christus non simpliciter pro nobis mortuus dicitur, (quæ locutio quominus utilitatem, vel vicariam successionem in pœnam signet, minime repugnamus) sed quod, ut peccator, vel pro peccatoribus mortem dicitur oppetiisse. Ita enim Isai. LIII. 6. legimus: *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostri.* Rom. v. 6. *Pro impiis mortuus est.* 2 Cor. v. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur justitia Dei in illo.* Gal. III. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, maledictus omnis qui pendet in ligno.* 1 Petr. III. 18. *Passus fuit justus pro injustis.* Quemadmodum autem cum miles pro patria fortiter rem gerens occiditur, ut miles occubuisse, non ut sceleratus, mortuus perhibetur, ac tum demum sic de eo loqui possumus, si propter delicta sua, vel aliena in se recepta, oppetat mortem: similiter credendum est, Christum peccatorum nostrorum pœnam in se suscepisse: quia non simpliciter pro nobis, sed ut peccator, sive pro peccatoribus mortuus dicitur. Sed quid opus est multis? Locutio illa *ob* vel *propter peccata*, vel *pro peccatis*, quoties perpessionibus jungitur, nec in scripturis, nec in idoneo quoquam scriptore finalem unquam, sed semper antecedentem, eamque meritoriam significat causam. Sane quamdiu contrarium exemplum obducet nemo, citius Herculi, quod ajunt, clava, quam hoc nobis argumentum de manibus extorquebitur.

Neque est, quod dicat aliquis, parum referre, utrum finalem, an efficientem meritoriam intelligi dicamus. Nam nisi, quod de finali causa dicitur, restringatur ad impetrandam remissionem peccatorum: certe possunt hæ causæ majori distare intervallo, quam τὰ Μαρρᾶ καὶ Σιλοάν ῥεύματα. Siquidem qui causam dicit finalem, non idcirco fatetur efficientem: quia non si Christus in bonum nostrum mortuus est, eo pœnas subiit pro nobis: cum alii esse fines mortis possint, quos Socinus agnoscit. At vero qui causam dicit efficientem meritoriam, is finalem & antecedentem comprehendit: ac primario quidem & directe antecedentem, secundario autem significat & indirecte finalem: nam si peccata nostra fecere, ut Christus afflictionem, tanquam pœnam peccatis nostris debitam, in se reciperet; consequitur, ut loco nostri sit punitus, eoque in gratiam ac bonum nostrum mortuus sit.

CAP. XVIII.

Occurritur iis, quæ de usu particularum PRO & PROPTER *à Ravenspergero dicuntur ad infirmandum argumentum, quod Grotius produxerat adversus Socinum.*

HActenus ostendimus particulam PRO in præsenti materia, ubi aliquis pro peccatis mortuus dicitur, non solum aliter, quam Socinus & congreges existimarunt, posse exponi: sed vero etiam firmum præbere argumentum ad stabiliendam Catholicorum, & evertendam Socinianorum sententiam. Nunc videamus, utris in hac palæstra aggregare se maluerit Ravenspergerus. Affirmare is veretur, verba istæc *pro peccatis, aut propter peccata, quoties adhærent perpessionibus, diversum à causa impulsiva sensum non recipere.* At cur, quæso, non audet, cum neque scripturæ sacræ, neque idonei ullius scriptoris loco, contrarium appareat: & Socini errorem nullo argumento facilius sit revincere? Cui nunc suppetias fert, cum eximio cuidam Theologo assentitur, qui verbis illis PRO PECCATIS aut PROPTER PECCATA utilitatem ait significari. Nam quid pro Socino aptius dici possit? Imo quid aliud est, quod urget Socinus, uti antea vidimus? Certum quidem est, ex eo quod propter peccata nostra mortuus sit Christus, redundasse ad nos utilitatem maximam; sed non hoc quæritur: verum an locutione istac PRO PECCATIS primo ac directe utilitas significetur, aut causa finalis: quod merito cum Amplissimo Viro negamus. Nam finis semper habet rationem boni. Τὸ τέλος ἐςὶ φύσει ἀεὶ ἀγαθὸν: ut inquit Philosophus lib. II. Eudemiorum cap. X. Malum vero culpæ simpliciter est malum. *Solum enim est peccatum, quod animæ nocet:* ut Euthymius ait in cap. XV. Matth. Εἷς θάνατος, ἡ ἁμαρτία, ψυχῆς γὰρ ὄλεθρος, ut Nazianzenus inquit, orat. in laudem patris. Quare & idem ille eximius, quem Censor indicat, Theologus, rectius alibi, ex probatis linguæ Latinæ scriptoribus ostendit locutione ea, PRO PECCATIS, causam significari impulsivam; ut illo Comici Andr. V. Sc. III. *An ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam?* Et Eun. Act. V. Sc. IV. *Ego Pol te pro istis dictis & factis, scelus, Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris.* Similiterque Plautus, *Castigare pro commerita noxia:* Tullius, *Supplicia pro maleficiis metuere, & alia alii.* Idcirco, si tanti Censor putat, ut etiam juniores advocentur, sane & Otho Casmannus, in Antisocino suo, PRO & PROPTER *efficientem impulsivam, inque ea imputationem indicare agnoscit.* Et Jacobus ad Portum adversus Ostorodium scribens, *Christus*, inquit, *cum mortuus dicitur pro peccatis nostris, causa impulsiva mortis, nempe peccatorum nostrorum imputatio, sine qua peccata nostra ipsi mortis causa existere non potuerunt, denotatur.* Et profecto, ubi voces istæ pro peccatis, vel propter peccata, perpessionibus juncta, alium habeant sensum, nec in scripturis, nec veterum scriptorum quoquam, uspiam arbitror inveniri. Ut autem finalem causam signent, plane à ratione abhorret. Nam peccator quidem est finis ᾧ, ac peccati remissio est finis οὗ: peccata vero ipsa neutro modo sunt finis: quia, uti dicebamus, causa finalis bonum est aliquod, peccata sunt malum omni modo. Quod autem dicat forte Censor, per peccata intelligere se expiationem vel remissionem peccatorum: hoc vere esset per opus diabolicum intelligere opus divinum. Atqui sapientis & sincere veritatis patroni non est, ad istiusmodi κατάχρησιν confugere, quando non solum nulla exigit necessitas: sed etiam verba proprie accepta fortius munitiusque argumentum præbent ad adversarios refellendos.

Cap. XIX.

Probatur contra Socinum & Ravenspergerum, in loco Pauli ad Gal. II. 21. δωρεὰν non significare privationem causæ finalis, sed antecedentis. Coarguitur etiam gravis error Censoris, contendentis ea interpretatione firmari dogma Socini, quo Christum esse mortuum statuit, ut fieret objectum fidei N. T.

Abunde evicimus, cum Christus pro peccatis, aut propter peccata mortuus dicitur, significari causam impulsivam, eamque meritoriam: non causam finalem, ut credunt Sociniani, & cum illis Ravenspergerus. Ex his vero multum lucis accesserit quæstioni sequenti: quæ est de verbis Paulinis Gal. II. 21. *Si per legem justitia, ergo Christus δωρεὰν est mortuus.* Ubi iterum Socino patrocinatur, non contra Grotium modo, sed etiam virum illum eruditum, qui locum istum in Socinum torserat olim: ut fatetur Socinus lib. II. de Servat. cap. XXIV. Socinus enim in superiori Apostoli loco intelligi vult privationem causæ, non antecedentis, sed finalis: ac tale censet esse Apostoli argumentum. Si per legem est justitia; sane cum Christus missus sit ad vitæ emendationem hominibus, veniæ spe commendandam, jam finis ille nullus erit. Atque ita elusit vim argumenti objecti sibi à viro illo erudito, quem non nominat Socinus. At doctus ille vir hanc Paulini loci sententiam esse ajebat: Si per legem est justitia, nihil fuit, quod requireret Christi pro nobis satisfactionem: quando pro innocentibus pœnalis satisfactio locum non habet. Hæc interpretatio & verbis & sententiæ Apostoli ea amussim convenit. Δωρεὰν ita sumi, negare Socinus non potest. At, inquit, illa vox *sine causa* significat. Non negatur id quidem, sed qualis sit causa, quæritur. Antecedentem ea voce removeri, liquet ex verbis Christi Joh. XV. 25. & illis Davidis, (quæ sibi Christus applicat) Psal. XXV. 19. *Oderant me δωρεὰν*, hoc est, cum odii causas illis nullas præbueram. Proprietas vocis eodem nos trahit. Est enim à δωρεᾶ, quod donum significat. Donatio autem finales causas habet, antecedentes non habet, qua donatio est. Quanquam vero hæc satis sint aperta, Censor tamen cum Socino δωρεὰν idem hic esse vult, quod frustra: nec causam impulsivam, sed finalem eo removeri existimat. At cur tandem? *Alioquin*, inquit, *infirmatur Apostoli argumentatio.* Sed toto errat cœlo. Sententia enim Apostoli hæc est: Si ex lege est justificatio peccatorum remissiva, necessum non erat Christum mori propter peccata. At opus fuit, ut propterea moreretur. Nec enim legale pactum, sed solus Christi sanguis remissionem peccatorum poterat præstare. Unde scriptor commentariorum Ambrosio adscriptorum in superiorem Apostoli locum sic scribit: *Nil tamen apertum, quia si per legem potuisset homo justificari, Christum non oportuerat mori. Sed quia lex dare remissionem peccatorum non poterat, idcirco Christus mortuus est, ut ea præstaret, quæ lex non poterat: ac per hoc non gratis mortuus est. Mors enim ejus justificatio peccatorum est.* Etiam Cajetanus ita Apostoli verba exponit: *Si per observationem legis tam in moralibus, quam in judicialibus & ceremonialibus, justitia hominis, qua justificamur, qua remittuntur peccata, esset; haberetur justificatio remissiva peccatorum sine morte Christi.* Satis indicat uterque, hoc velle Apostolum, si ex lege justitiam ac remissionem peccatorum consequi possemus: nihil opus fuisse, Christum mori ob peccata nostra, morteque sua impetrare nobis peccatorum remissionem. Et tamen ait Censor, Apostoli argumentum infirmari a Grotio. Atqui si ficulna pugnat machæra, qui ita ratiocinatur, nonne idem locum habet, si dicatur, Apostolum hoc solum velle, mortuum esse Christum, ut impetret nobis remissionem peccatorum? præsertim cum hic finis constitui non possit, nisi insimul statuatur, peccata esse causam impulsivam mortis. Sane eodem recidit, seu dicas, Christum frustra esse mortuum, quia remissionem peccatorum ac justitiam non impetraverit nobis: sive dicas, nullam fuisse mortis causam antecedentem, hoc est, necessum non fuisse, ut Christus propter peccata nostra moreretur, si ex lege justitia haberi posset. Quare, si firmum est argumentum Censoris, fateri cogitur, infirmum esse argumentum Apostoli. Ergo illud Burdigalensis poetæ cogitet nunc secum Censor:

Tibi, quod intristi, exedundum est: sic vetus verbum jubet,
Compedes quas ipse fecit; ipsus ut gestet faber.

Sed audiamus, quo pacto probet Apostolicum à Grotio argumentum infirmari. *Argumentatio*, inquit, *talis est: Si per legem est justitia, Christus frustra est mortuus. At Christus non est frustra mortuus. Ergo per legem non est justitia.* Verum istiusmodi esse argumentationem Apostoli, sumit sibi, non probat. Quare τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει, cum sic colligit: Δωρεὰν est frustra, quia Apostolus dicit, si per legem est justitia, Christus frustra est mortuus. Nam τὸ δωρεὰν rectius transfertur *sine causa*, quam *frustra*: ut optime monet Clarissimus Beza, probante etiam hanc expositionem Dominico Soto in IV. Sentent. distinct. II. quæst. 2. attic. 4. Removetur enim ab Apostolo causa antecedens: ut liquet ex iis, quæ supra diximus. Quare nos dicimus, ita potius argumentari Apostolum: Si per legem est justitia, nulla erit causa antecedens, ob quam Christus moreretur. At causa aliqua est antecedens. Non est ergo per legem justitia. At, inquit, Censor, *quamquam ex lege & ejus observatione justitia esset* (etiamsi ex lege esset, dictum oportuit, si vellet intelligi) *posset tamen esse causa antecedens mortis Christi alia, &, si Socino credimus, hac unica, ut fœdus viamque salutis morte sua confirmaret, utque nos fidem in Jesum Christum haberemus.* Hoc quod ait, & ipsi & Socino, cui auxiliares manus præbet, plurimum nocet, & eam, quam Grotius posuit, interpretationem stabilit. Nam quo Christus est missus ad fœdus confirmandum, finalem causam ponit, non antecedentem. Quare recte contra Socinum argumentatur vir ille eruditus, apud Socinum de Servat. part. II. cap. XXIV. *Paulus qui justitiam ex lege proficisci non posse, ostendere volebat; si dixisset, alioqui Christum frustra, vel sine causa mortem subiisse, nihil egisset. Potuisset enim illi responderi; quamvis per legem sit justitia, non tamen Christum frustra vel sine causa mortem subiisse. Mortuum namque eum fuisse, ut nos ad ipsam legem servandam, resurrectione deinde consecuta magis accenderet, fide videlicet immortalitatis facta, quam adepturi sint ii, qui legem servaverint.* Optime, neque potuit hinc se extricare Socinus, ut illud suum interpretamentum, quo δωρεὰν frustra exponit, defenderet, nisi dicendo Paulum pro confesso ponere, Christum justitiam consequendi viam docuisse longe à via legis diversam. Hoc autem quomodo confessum fuerit apud Galatas pro legis observandæ necessitate certantes, plane non video. Imo id ipsum potius erat, quod inter Apostolos, & illos Christianos Judaizantes, præcipue disputabatur. Ergo pro eo, quod dicit Censor, infirmam esse consequentiam, si δωρεὰν idem esset, quod sine causa antecedente, ego verius & rectius dicam, infirmam fore consequentiam, si δωρεὰν idem sit quod frustra. Nam plures causæ dari possunt, quarum ergo Christus sit mortuus, etiamsi ex lege esset justitia; puta ad dandum patientiæ, humilitatis & obedientiæ exemplum; at nulla alia causa antecedens. Et ipsa [illegible], quam adfert Censor, ad finalem, non ad antecedentem pertinet causam: quod mirum est à Censore non visum, qui in Amplissimo viro ea quoque videt, quæ non sunt.

Nec contentus genuinam hanc interpretationem negare, quæ vocis proprietatem pro se habet: etiam altius super-

supercilium tollit, & orthodoxam negare audet gravis Censor. Quod ut credibile faciat, ridicule adeo turpiterque se dat, ut multum quidem ejus miserear: sed magis tamen misericordiam sui commoturæ sint Ecclesiæ nostræ, si unquam talibus definitoribus credere cogatur, quid sit orthodoxum, quid hæreticum. Sed nolo tanquam unguis esse temporibus satis exulceratis. Quare hoc agamus. Ait igitur Censor: *Interpretationem illam, Christum δωρεὰν, id est, sine antecedente causa est mortuum, non satis esse orthodoxam, nisi caute admodum & commode explicetur. Nam inquit, accedit prope ad errorem Socini, non justificatos esse Patres in V. T. fide in Christum, sed fide in Deum. Cui commento, ut ait, interpretatio Grotii probe subservit.* Quid si esset, ut Grotiana interpretatio vocis & ab hæretico ad hæreticum sensum, & à Catholico ad Catholicum posset accommodari: an idcirco falsa esset talis alicujus vocis explicatio? Et hæc ab eo dici, qui verba Apostoli ita plane interpretatur, ut facit Socinus? Nam Socinus finalem causam amoveri ait: quod Censor concedit. Idem Socinus de antecedenti causa agi negat, non facturus, si id sententiæ ipsius inservisset, acutissimus disputator. Sed cor Zenodoti audiamus. *Si ex lege, hoc est ex fœdere legali, quod Deus per Mosem dedit, est justitia, frustra, id est absque causa antecedente, Christus est mortuus. Nam si per fidem, quæ in fœdere legali erat tantum in Deum, nos sub N. fœdere justificari debuimus, quid movit Christum, ut mortem subiret, si unquam morte sua non obtinuit, ut fides etiam ipsum respiciat?* Quid facias homini isti, qui cum ita argumentatur, non videt in suum se mucronem incurrere, proque Grotio pugnare apertissime? Nam qui Christum esse mortuum dicit, ut morte sua obtineret, esse objectum fidei: is causam finalem, non antecedentem adfert. Mirum, quoties ipse faciat id, cujus Amplissimum virum accusat, ut Socino ferat suppetias, sed inutiles. Pergit mox, *Finis mortis Christi fuit, ut nobis mereretur remissionem peccatorum.* Verum dicit: atque id ipsum ab Amplissimo Viro cap. I. P. 36. abunde est demonstratum. Sed nequeminus verum est, fatente Censore, causam impulsivam sive προκαταρκτικὴν mortis Christi, qua pœna est, fuisse peccata nostra. Cur ergo hunc sensum rejicit, cum tamen vox δωρεὰν proprie removeat causam antecedentem?

Cap. XX.

Ostenditur contra Censorem, non detrahere pretio mortis Christi, qui eam brevi momento peractam ait.

AB loco illo Apostoli accedit Censor ad illa Grotii verba: *Exemplum sanctimoniæ, tota vita Christi præbuit magis, quam mors ipsa, quæ brevi momento peracta est.* Iis censuram istiusmodi apponit: *Illa num Theologi vox sit, Christi mors brevi momento peracta est, ipsius Dn. Grotii, postquam rem accuratius in timore Domini perpenderit, arbitratus esto.* Sed quod de brevi momento objicit, hoc parvi sane, vel nullius potius momenti esse scimus. Nec primus tamen in notione hujus vocis errat Ravenspergerus, in qua jam ante seculum à Badio notari meruit Vallensis. Non utar patrocinio Accursii, qui Imp. Constantinum ad Proclum (Cod. lib. VIII. Tit. LIII.) voce ea uti censet pro *tempore, quo roboratur consuetudo, scilicet annorum*: de momento enim non temporis, sed ponderis loqui censeo Imperatorem. Neque item ad partes advocabo eruditissimum Rob. Stephanum, qui scribit, *Momentum esse qualecunque spatium temporis, & qualecunque pondus, seu magnum, seu parvum*: neque enim repugno, quo minus momentum, quoties de tempore usurpatur, breve semper spatium notet. Tantum dico, non semper, imo nec proprie signare punctum temporis. Nam Latini veteres usurpant de tempore longiusculo, si in spectetur: sed brevi, ratione reliqui temporis, quicum instituitur collatio. Exempli gratia, Digest. Lib. XLVII. Tit. X. sic scribit Ulpianus: *Tantum ad meritoria, vel stabula non pertinebit, cæterum ad hos pertinebit, qui inhabitant non momenti causa, licet ibi domicilium non habeant.* At sane in diversoriis, non dico horis, sed etiam ut diebus aliquot negotiantes morentur, sæpe usu venit? Quod omne tempus tamen, momenti appellatione à Jurisconsulto censetur, quia id confert cum tempore, quo istic habitamus, ubi proprie domicilium habemus, nec hospitio excipimur alieno. Sic Cod. lib. III. Tit. XII. Constantinus ad Elpidium scribit: *Omnes judices, urbanaque plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ libere licenterque inserviant, quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa.* Ubi momentum pro diei Dominicæ tempore dici, etiam Accursius observat. Nempe de brevi momento, longoque tempore verum est, quod de magno & parvo, multo & pauco Philosophus dicit lib. Categor. cap. VI. ubi ea contraria esse negat, quando ad diversa fit relatio: quomodo (ut Philosophi ipsius utar exemplis) mons parvus, milium magnum nominatur: atque Athenis pauci, in ædibus multi esse dicuntur. Similiter Vir Amplissimus, cum brevi momento Christi mortem peractam dixit, locutus est comparate ad vitam, quam constat plusquam triginta fuisse annorum. Nam trigesimo quinto ætatis suæ anno, qui æræ Dionysianæ est tertius supra trigesimum, passus Servator noster fuit. Imo si vel soli anni prædicationis Christi sumantur, merito mors ejus, etiam sumpta cum omnibus προπαθείαις, momenti vicem obtinebit: quippe cum inter cœnam & exspirationem dies unus civilis minime intercesserit. Quare absit, ut vir Ampl. pretium mortis Christi extenuet, cujus dignitatem fortiter asserit. Sed vere contra Socinum (cui rursum opitulatur Censor) dicit, vitæ, quam mortis à vita distinctæ, aptius & convenientius fieri mentionem, ubi agitur de exemplis sanctimoniæ, cum hæc per omnia se officiorum, quæ Deo hominibusque debentur, genera extendat. Adde jam, quod totum illud spatium, quod post cœnam exspirationem Christi antecessit, sicut μετωνυμικῶς mortis nomine appellatur, ita proprie ad vitam pertinet.

Cap. XXI.

Notatur error Censoris, concedentis Socino in loco Petri I. ep. II. 24. ἀναφέρειν interpretandum auferre, atque ita insigne Catholicæ veritatis testimonium eripientis pugnaturus adversus Socinum.

ACcedo ad locum Petri I epist. II. 24. Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, Ubi τὸ ἀναφέρειν vel est perferre, quomodo ἀναφέρειν κινδύνους legimus apud Thucydidem: vel in propria notione accipitur, ut ἀναφέρειν sit ἄνω φέρειν, quod est sursum ferre, atque, ut Catullus & alii veterum loquuntur, sustollere: unde Theodorus Beza, Nicholaus Serarius, atque alii, verti posse ajunt, *Qui in corpore suo peccata nostra sustulit in lignum*: Socinus tamen part. II. de Christo Salvat. cap. VI. pertendit, ἀνήνεγκεν omnino *abstulit* verti debere: uti factum in illis verbis Hebr. IX. 28. Οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἅπαξ προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, ἐκ δευτέρου χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν. Quæ sic transtulere Erasmus & Beza: *Ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret; rursus* (sive altera vice) *absque peccato conspicietur iis, qui ipsum exspectant.* Ubi *tolleret*, explicat *auferret*. Morte autem Christi peccata nostra auferri, ubique agnoscit: non quidem, quod is pro peccatis nostris pœnas solverit, Deoque satisfecerit; sed quia, (ut passim in libro declarat) maximo-

pere nos de veritate doctrinæ Evangelicæ id ipsum confirmet, quod ad testimonium ei perhibendum non recusaverit mori: quod item morte sua nobis patientiæ & obedientiæ præbuerit exemplum: tum autem, quod moriendo sit consecutus remittendi nobis peccata potestatem: ac denique quia mors, quatenus eam consecuta est resurrectio & in cœlum ascensus, veritatem doctrinæ ab eo prædicatæ testatam facit, ac quale pietatem & sanctimoniam maneat præmium, clare ob oculos ponit. Concludit igitur Socinus (ut ejus ex argumento capitis verba retineam) in loco Petri *nec verbis, nec sententia dici, Christum suo corpore peccatorum nostrorum pœnas sustinuisse.* Similiter interpretatur Socini discipulus, Valentinus Smalcius, lib. quem de divinitate Christi inscripsit cap. xi. *Christus moriens abstulit in corpore suo peccata nostra in lignum: qua scilicet ex ipsa Christi morte, & ea interveniente, ex potestate, quam per mortem suam Christus consecutus est, colligimus, nos peccatorum nostrorum pœnas nullas luituros: sed tandem eorum remissionem plene & re ipsa consecuturos.* Quomodo autem hoc ex Christi morte colligatur, dixerat paulo ante. Summa eò redit, cum Catholicis auferre peccata, sit peccati meritum sive reatum tollere pœnas ferendo; Socino, & sibi auferre peccata nihil esse aliud, quam retrahere à peccatis, atque ita reatum auferre. Ad hujus interpretationis suæ confirmationem, illud etiam adfert Socinus, quod Petrus, in loco ante citato, propositum non habeat, commendare satisfactionem Christi, sed virtutes ejus, ac patientiam imprimis, unde exemplum capere omnes possimus.

Sed cuncta hæc Grotius umbone fortiter repellit. Primum ait ἀναφέρειν nusquam accipi pro auferre: cujus verba, si τῷ Ἀλκαίῳ ψῆφος sibi esse negat; sane nec ullam suam affirmationem, solum Sybillæ esse nobis sciat. Ergo æquum est, laborem probandi suum at, sic ab idoneo quoquam scriptore usurpari. Præterea de Petri loco respondet Grotius, non agi de ablatione pœnæ simpliciter, sed de ablatione per modum satisfactionis. Quod ita esse, inde colligit, quia sermo est de patientia: hæc autem in ferendo, non vero immediate auferendo ostenditur. Quare Apostoli mens erit, Christum peccatorum nostrorum onus bajulasse: atque ita proprie & per se non liberationem ipsam tradit, sed liberationis causam, hoc est satisfactionem sive solutionem pro peccatis, cujus fructus est ablatio peccati. Porro apud divinum scriptorem ad Hebræos ἀναφέρειν non pro auferre, sed sursum ferre, usurpari, eo evincit, quia ἀναφέρειν instituat inter primum Christi adventum & secundum, ac disertim dicat, adventurum Christum χωρὶς ἁμαρτίας: ubi si *abstulit*, vertas, nulla erit oppositio; quæ manifesta erit, si hunc in modum exponas: Qui prius peccata nostra in crucem xulit, sive in corpore suo bajulavit.

Hæc cum Petri locum non solum vindicent ab interpretamento Socini, sed etiam non posse aliter accipi ostendant: tamen perfunctorie à Grotio refutari Socinum, his ait Ravenspergerus. Et hæc is dicit, qui ipse Socinum non refutat, sed refutantibus arma eripit. Cum enim in eo cardo rei vertatur, an cum Christus Petro dicitur ἀνενεγκεῖν nostra peccata, ea vox ferre significet, an auferre: Socinus interpretatur auferre: atque in hoc ei Censor accedit, cum tamen interpretatio ea non lædat Socinum. Nam ablata esse à Christo peccata, sæpius agnoscit. Negat autem, ferendo abstulisse. Atqui hoc est, quod nos docet Petrus. Ergo, cum à Grotio stet verbi proprietas; Socinus, & qui manibus pedibusque in ejus sententiam discessit, Ravenspergerus, probare uterque debuerunt, sic iniquam hoc verbum usurpari. At, inquit Censor, *Etsi Petrus respectu effectus, verbo utatur removendi aut auferendi, nullum tamen hinc contra nos proferre poterit Socinus demonstrationem. Constituto enim effectu, nulla sit abnegatio causa; sed necessario plane subintelligitur.* Hæc vere quidem à Censore dicuntur, sed hoc loco (quod pace ejus dixerim) insulse adscribuntur. Non enim Socinus Petri verbis contra nos pugnat primario, sed nos contra Socinum. Prior enim Covetus produxerat, atque in eo (ut initio capitis Socinus ait) *posuerat maximum suæ sententiæ fundamentum.* Ita vero Petri locum citarat: *Eadem ratione dicit Petrus Prioris* II. *Christum passum esse pro nobis, & peccata nostra in corpore suo super lignum pertulisse.* Socinus hoc in Petro haberi negat. Abstulisse enim Christum peccata, non pertulisse dici ait, lib. II. cap. VI. Hoc Socino concedit Ravenspergerus: quod qui facit, nonne præclarum testimonium eripit firmandæ veritati? Sed si is tam liberalis est, nos sane non erimus. Nam quid opus, cum doceri non possit, eam esse, quam Socinus vult, & Censor concedit, vocis ἀναφέρειν significationem; Hæc cum per se clara sint apertaque, tamen quærit ab Amplissimo viro: ut sane ἀναφέρειν significatet ferre, an quia Christus tulerit peccata, consequi putet, non abstulisse? Hoc scilicet rogandus erat, qui toto opere docet, Christum & tulisse peccata, & ferendo abstulisse. Aut id ostendendum fuit, ablata esse à Christo peccata, quasi id quisquam, aut etiam Socinus neget. Et tamen Censor hoc comprobandi suscipit laborem: quod quid aliud est, quam λήχυθον ἐν μετοπωρίᾳ ἄπτειν, inaniaque verba fundere, ut mortaria glossaria, quemadmodum de Philosophis M. Cato ajebat? Nempe non rem negat Grotius, sed hoc negat illa voce significari: quod si concedamus cum Censore, jam non recte eo loco pugnabimus. Nam quod dicit, *nisi Christus peccata nostra in se recepisset, non abstulisset*: id nullam contra Socinum vim habet. Est enim petitio ejus, quod in principio est. Quare ex vocis significatione, non ex tali præsuppositione, (quæ vera quidem est, sed ab ipso non agnoscitur) convincendus est adversarius. Qui ita Socinum refutat, non perfunctorie refutat, ut Grotium agere falso ait, sed plane nihil agit. At, inquit, dictum à Grotio oportuit, non si Petrus dicat, Christi mortem præbere nobis patientiæ exemplum, consequi inde, non alios ejus mortis fructus esse. Sæpius enim plures esse unius rei fines: atque illud locum hic habere, quia mors Christi non tantum sit imitationis exemplum, ut Petrus testatur: sed etiam satisfactio pro peccatis, unde redemptionis pretium dicitur, Math. xx. 28. & sacrificium expiationis, Hebr. IX. 26. 28. & X. 10. 14. Atque isto quia non dixit hoc loco Grotius, in acutos reprehensoris murices incurrit. Sed vidit vir ille acutissimus, hoc qui dicat, respondere Socino, non Socinum argumentis urgere, quod hic faciendum est. Noster enim est locus ille, à Coveto & nostris in Socinum tortus. Esse vero plures fines & scit, & agnoscit, & ostendit Grotius, tum hic, tum p. 142. ubi apertissime explicatur, quomodo satisfactio excludatur patientiæ exemplo.

CAP. XXII.

Cur probato opus sit, pœnam in bestias cadere, vera contra Censorem causa adfertur.

NEc in hoc uno, sed subinde accidit Censori, ut argumentantis & respondentis partes non discernat: quemadmodum ex istis etiam planum fiet, quæ nunc dicemus. Ferre peccata esse pœnam ferre, multis scripturæ locis Catholici evincunt. Sed negat Socinus, hanc esse perpetuam ejus locutionis significationem. Profert locum de hirco expiatorio ex Lev. XVI. 22. ubi is dicitur peccata populi ferre: quæ, si Censorem audimus, non perferat, sed auferat duntaxat. Hic negat Grotius, à recepta verborum interpretatione recedi debere. Cum vero objici possit, pœnam in bestiis locum non habere: ut huic argumento obviam iretur, ostendi opus fuit, falso id sumi. Et ergo hic ἀντιφορά, non autem ratiocinatio hujusmodi, qualem sibi fingit Censor: Si pœna generatim sumpta etiam in bestias cadit, utique hircus expiatorius vere pertulit peccata populi. Mox idem cum Grotio

Grotio fatetur, hircum peccata populi, hoc est, peccatorum pœnas pertulisse: sed negat, fundamentum ejus rei esse, quod etiam bestiæ puniantur. Nos contra dicimus, hoc fundamentum poni debere, non quidem, ut eo alterum probetur, sed ne improbetur. Quemadmodum enim non siquid sentiat, idcirco homo erit; sed tamen, nisi sentiat, homo non erit: ita non si in bestia pœna habeat locum, eo pœnam hominis perferat, sed tamen, nisi illa in eas cadat, jam pœnas perferre non possit. Quod vero subjungit, hircum illum expiatorium, de quo Levit. XVI. agitur, typum ac figuram fuisse Christi, pœnas ferentis peccatorum nostrorum: id etiam Grotius fatetur: sed, quod Censor non attendit, argumento ex isto Levitici loco pugnare contra Socinum non licet. Nec enim ille figuram hujusmodi agnoscit. Aliis igitur scripturæ testimoniis probari illud debet, quæ pag. XIV. & deinceps à Grotio adferuntur.

CAP. XXIII.

Ostenditur Vetus Testamentum proprie & directe, carnalia ac temporalia, sed in figura promittere spiritualia ac æterna.

Hinc illa aggreditur, quæ disputaverat Grotius de ἀναλογίᾳ inter veteris Testamenti victimas, & sacrificium Jesu Christi. Habet ea res disquisitionem non utilem minus, quam jucundam: sed profecto palato Censoris nihil sapit, quod antea sibi appositum non meminit. Videamus tamen, an hac etiam parte ὄρεξιν illi facere possimus. Veteri populo, si custodire Dei statuta, nec in gentium viis ambulare vellet, carnalia ac temporalia promitti, multa scripturarum loca ostendunt. Ut Lev. XX. 24. *Ut hæreditate possideatis istam terram fluentem lacte & melle.* Et XXVI. 3. *Si in decretis meis ambulaveritis, & præcepta mea servaveritis, & feceritis ea, dabo pluvias vestras tempore suo, dabitque terra fructum suum, & arbores agrorum dabunt fructum suum, apprehendetque vobis tritura vindemiam:* & quæ deinceps sequuntur. Item Exod. XIII. 26. Deut. IV. 5. 22. 26. 40. & VII. 13. 14. 15. 16. 23. XI. 8. 9. 10. Is. I. 19. Agg. II. 20. Malach. III. 10. &c. Quanquam vero hæc rei temporalis & caducæ promissio foret; non tamen existimare oportet, Judæos ad terrestrem duntaxat vitam fuisse saginatos, grundilis instar pecoris, cui animam pro sale datam esse, Chrysippus, & ex eo Varro, dicebant. Nam sancti, ut optime inquit Radulphus, per spiritum edocti, hanc vitam ad terram viventium in cœlis referebant: uti ille, qui canebat Ps. 26. (al. 27. vers. 33. *Credo videre bona in terra viventium.* Et Tobias cap. II. 18. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Terrestria igitur promittebantur, sed per ea significabantur æterna ac cælestia. Quo pertinet illud effatum divini scriptoris ad Hebr. X. 1. *Lex umbram habuit futurorum bonorum.* Item quæ de spe meliori facta per Christum, deque Christo, melioris testamenti sponsore dicuntur ejusdem epist. cap. VII. 19. 21. Nempe lex divina bifariam spectatur, carnaliter & spiritualiter: carnaliter quidem, qua instrumentum erat carnali populo ordinatum ad temporale bonum: spiritualiter autem, quatenus spiritu Dei præditis, sub carnalium rerum typis, cœlestia promittebat. Hæc ipsius Augustini sententia fuit, quod quia parum verisimile iis videtur, qui juniores ejus mentem semper assecutos putant; luculenti hujus scriptoris pluscula congessimus. Sic igitur ille T. 2. epist. CXX. ad Honoratum: *Volens Deus ostendere, etiam terrenam temporalemque felicitatem suum donum esse, nec aliunde, nisi ab ipso, sperari oportere, pro omnibus seculi temporibus dispensandum judicavit Testamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, a quo ista vita necesse est incipiat. Sed illa felicitates patrum, Dei beneficio concessa prædicantur, quamvis ad istam vitam transitoriam pertinentes. Illa quippe terrena munera in manifesto promittebantur, & tribuebantur. In occulto autem illis omnibus rebus Novum Testamentum figurate prænunciabatur, & capiebatur intelligentia paucorum, quos eadem gratia prophetiæ munere dignos fecerat. Nam & quando temporalem felicitatem agebant; & æternam, veram & præferendam intelligebant: & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio.*

Idem Tom. 4. quæst super Exod. quæst. XCII: *Quamvis istæ promissiones possint & spiritualiter intelligi, tamen cum secundum temporalem hominum felicitatem intelliguntur, ad vetus testamentum pertinent: ubi quanquam præcepta, exceptis his, quæ in sacramento aliquid significant, eadem ad mores bonos pertinentia reperiantur, promissiones tamen carnales atque terrenæ sunt. Unde in* Psal. LXXII. *pene lapsos & effusos gressus suos homo Dei dicit, cum zelaret in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebat abundare impiis; quæ ipse secundum Testamentum vetus exspectabat a Domino Deo, cui hac mercede serviebat. Et cum hinc ei subrepere cœpisset sensus impius, quod Deum non curare existimaret humana, correptum se dicit, dum auctoritatem sanctorum non est ausus improbare, & incepit cognoscere, & ait: Hoc, labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam in novissima. Ibi enim præmia dabuntur ad novum pertinentia Testamentum, quæ impii non accipient: & pœnæ tunc futuræ sunt impiorum, quas nullus piorum sensurus est.*

Idem Augustinus T. 4. expos. epist. ad Gal cap. III. *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis. Non ait, qui fecerit eam, vivet in ea: ut intelligas legem in hoc loco pro ipsis operibus positam. Qui autem vivebant in his operibus, timebant utique, ne, si non ea fecissent, lapidationem, vel crucem, vel aliquid hujusmodi paterentur. Ergo qui fecerit ea, inquit, vivet in illis: id est habebit præmium, ne in ista morte puniatur: Et post aliqua: Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium; nec illa, quæ æternum. Qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur, quia temporalem inde exspectat visibilemque mercedem. Sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia: nam & ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit: Secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus qui fuerim sine querela.*

Idem in ejusdem epist. expos. cap. VI. *Manifestum est etiam illam scripturam, quæ priori populo data est, legem Christi fuisse, quam venit implere charitate, quæ non implebatur timore. Eadem igitur scriptura, & idem mandatum, cum bonis terrenis inhiantes premit servos, Testamentum vetus: cum in bona æterna flagrantes erigit liberos, Testamentum novum vocatur.*

Idem lib. X. de Civ. Dei. cap. XV. *Hæc lex cum distributione temporum data est, quæ prius haberet promissa terrena, quibus certe significarentur æterna, quæ visibilibus sacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci.*

Idem lib. XVIII. de Civit. Dei. cap. XI. *Educto populo in monte Sina (Moses) divinitus acceptam tradidit legem: quod Vetus dicitur Testamentum, quia promissiones terrenas habet: & per Jesum Christum futurum fuerat Testamentum novum, in quo regnum cœlorum promitteretur. Hunc enim ordinem servari oportebat, sicut in unoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apostolus, ut non sit prius quod spirituale est, sed quod animale, postea spirituale, quoniam sicut dixit, & verum est: primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis.*

Idem T. 6. lib. IV. contra Faustum Manich. cap. II. *Temporalium quidem rerum promissiones Testamento veteri contineri, & ideo vetus Testamentum appellari, nemo nostrûm ambiget, & quod æternæ vitæ promissio,*

regnum-

regnumque cælorum ad novum pertinet Testamentum: sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis seculorum obvenit, non suspicio mea, sed Apostolicus intellectus est, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur, hæc omnia figuræ nostræ fuerunt, &c. Et post pauca: *Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est, quandoquidem nec ipsos illius temporis sanctos & spirituales viros, Patriarchas, & Prophetas, his terrenis rebus fuisse deditos credimus. Intelligebant enim, revelante sibi spiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illa omnes res gestas & dictas futura figuranda & prænuncianda decerneret, magisque desiderium eorum de novo Testamento erat; sed præsens functio corporalis ad significanda nova futura pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominum non tantum lingua, sed & vita prophetica fuit. Carnalis autem populus promissis vitæ præsentis inhærebat. De quo tamen etiam populo nihilominus significabantur futura.*

Idem contra eundem lib. XIX. cap. ult. *Denique quod non temere dixerim, nescio utrum quisquam in illis libris invenit nomen regni cælorum, quod tam crebro nominat Dominus. Dicit quidem ibi, Diligite sapientiam, ut in æternum regnetis. Et ipsa vita æterna, si non illic in manifesto prædicaretur, non diceret Dominus etiam malis Judæis, Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibent de me. Quo enim nisi ad hoc pertinet, quod ibi scriptum est? non moriar, sed vivam, & enarrabo opera Domini: &, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: &, justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum: &c. Proinde testimoniis vitæ æternæ, & resurrectionis mortuorum abundat illa scriptura: sed hoc nomen, id est regnum cælorum, de nullo inde loco mihi occurrit. Hoc enim propriè pertinet ad revelationem novi Testamenti: quia ea corpora, quæ terrena fuerant, mutatione illa, quam Paulus apertius commemorat, in resurrectione fiant spiritualia, ac per hoc cælestia, in quibus possideamus regnum cælorum.*

Idem T. 6. contra adversf. Legis & Prophet. lib. 1. cap. XVII. *Quamvis in Vet. Test. propter temporalium bonorum promissionem, malorumque comminationem, servos pariat temporalis Hierusalem: in novo autem, ubi fides impetrat charitatem, qua lex possit impleri, non magis timore pœnæ, quam dilectione justitiæ liberos pariat æterna Hierusalem: tamen & illis temporibus fuerunt justi spirituales, quos non occidebat litera jubens, sed vivificabat spiritus juvans.*

Idem T. 7. lib. 1. de baptismo contra Donatistas c. XV. *Ex ipso animali sensu, quia homo animalis non percipit, quæ sunt spiritus Dei, omnes dissensiones & schismata generantur. In quo sensu, perseverantes Apostolus dicit ad Vetus Testamentum pertinere, id est, ad terrenorum promissorum cupiditatem, in quibus quidem spiritualia significantur, sed animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei. Quocunque ergo tempore tales homines esse cœperint in hac vita, jam divinis pro seculorum distributione sacramentis imbuti, si adhuc tamen carnaliter sapiant, & carnalia de Deo, sive in hac vita, sive post hanc vitam, sperent atque desiderent, animales sunt; Ecclesia vero, quod est populus Dei, etiam in istius vitæ peregrinatione, antiqua res est, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autem spiritualem. Ad animales pertinet vetus Testamentum, ad spirituales Novum. Sed primis temporibus utrumque occultum fuit, ab Adam usque ad Mosem. A Mose autem manifestum est vetus, & in eo ipso occultabatur novum, quia occulte significabatur. Postea vero quam in carne Dominus venit, revelatum est novum: veteris autem sacramenta cessarunt, sed concupiscentiæ tales non cessaverunt. In illis enim sunt, quos Apostolus jam per sacramentum novi Testamenti natos, adhuc tamen dicit, animales non posse percipere, quæ sunt spiritus Dei. Sicut enim Sacramentis Veteris Test. vivebant quidam spirituales, ad novum scilicet Testamentum, quod tunc occultabatur, occulte pertinentes: sic & nunc in sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales. Qui proficere si nolunt ad percipienda quæ sunt Spiritus Dei, quo eos hortatur sermo Apostolicus, ad vetus Testamentum pertinebunt: Si autem proficiunt, & antequam capiant, ipso profectu & accessu ad novum pertinent. Et si priusquam spirituales fiant, ex hac vita rapiantur; custoditi per sacramenti sanctitatem in terra viventium computantur, ubi est spes nostra & portio Dominus.*

Idem T. 7. contra duas Pelagianorum epistolas lib. IV. ad Bonifacium cap. V. *Qui fecerit ea, vivet in illis. Quod ex lege testimonium commemoratum ab Apostolo propter vitam temporalem intelligitur, propter cujus amittendæ timorem, faciebant homines legis opera non ex fide, quia transgressores legis eadem lege à populo jubebant occidi. Aut si altius intelligendum est, propter vitam æternam scriptum esse, qui fecerit ea, vivet in illis, ideo sic expressum est legis imperium, ut infirmitas hominis in se ipsa deficiens ad facienda, quæ lex imperat, de gratia Dei potius ex fide quæreret adjutorium, cujus misericordia etiam fides ipsa donatur.*

Idem T. 8. in Psal. LXXIII. *Cum, secundum promissa Dei ad vetus Testamentum pertinentia, expectaret felicitatem terrenam; animadvertit eam abundare apud impios, &c.* Et post aliqua: *Sed ne quisquam putaret, ab alio factum esse hominem terrenum, ab alio cælestem; ideo Deus ostendens se esse utriusque creatorem, etiam utriusque Testamenti se voluit esse auctorem: ut & terrena promitteret in veteri Testamento, & cælestia in Nov. Testam.*

Idem T. 9. super Johannem tract. XXV. *Aliquid plus iste (Christus) promittebat, quam Moses. Per Mosen quippe promittebatur regnum & terra fluens lac & mel, temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, & cætera omnia, temporalia quidem, in figura tamen spiritualia: quia veteri homini in veteri Testamento promittebantur. Attendebant ergo promissa per Mosen, attendebant promissa per Christum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, sed cibo qui perit: iste promittebat cibum non qui perit; sed qui permanet in vitam æternam.*

Nec solus ita credidit Augustinus: sed eadem aliorum Patrum sententia fuit. Unum, alterum, ex ingenti turba producemus. Hieronymus lib. II. comm. in epist. ad Galat. ad illa verba cap. V. *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, &c. Ex eo tempore, quo Evangelium in toto orbe radiavit, superflua est circumcisionis injuria. Qua tunc, ut cætera quoque legis, valuit, quando & benedictiones carnales legem servantibus spondebantur: quo scilicet, si implessent eam, benedicti essent in civitate, benedicti in agro, plena haberent horrea, & multa alia, quæ in repromissionibus continentur. Nos autem in Christo Jesu valere volumus, confortari, id est in vera circumcisione, &c.* Idem lib. 1. Dialog. contra Pelag. *Perspicuum est, regnum cælorum primum in Evangelio prædicari per Joannem Baptistam, & Dominum salvatorem, & Apostolos.* Hæc ille adversus Pelagium, qui dixerat, *regnum cælorum in veteri Testamento repromitti:* uti ibidem ait Hieronymus. Junilius Africanus episc. lib. de partibus divinæ legis ad Primasium cap. XVII. *Veteris Testamenti figura ad Novum intentione respiciunt. Novum autem futuræ vitæ beatitudinem repromittit: & sic omnia ad futuri seculi spem ex ipsa intentione currunt.* Isidorus Hispalensis lib. II. de differentiis spiritualibus diff. XXVIII. *Inter legem & Evangelium hoc interest, quod in lege litera, in Evangelio gratia: illa habet umbram, ista imaginem: illic Chananæitidis regnum & promissiones rerum temporalium continentur, hic vita æterna regnumque cælorum promittitur.*

Etiamne

Etiamne Scholasticorum de hoc judicium desideta quisquam? En ipsum Lombardum lib. III. senten. dist. IV. lit. B. *Distat Evangelii litera à legis litera, quia diversa sunt promissa: illic terrena, hic cœlestia promittuntur.* Similiter Thomas Aquin. 1. 2. quæst. 91. art. 5. *Lex vetus directe ordinabat ad bonum sensile & terrenum: lex nova ad novum intelligibile est & cœleste.* Biel in lib. III. sent. dist. XL. q. un. *Æterna bona in nova lege manifeste promittuntur: in veteri, nonnisi sub quibusdam figuris.*

Trecenta hujusmodi non ex Scholasticis modo, sed etiam Patribus antiquis, adferre possum; quæ clare ostendant, existimasse eos, Deum veteri populo, Mosaicæ legis observanti, promittere vitam longævam, & felicitatem temporalem: atque transgredienti legem comminari omnis generis calamitates, & mortem violentam: & licet mere carnales ultra ista non assurgerent, tamen qui spiritum Dei haberent, intellexisse, per hujus vitæ conservationem signari vitam æternam: & per deletionem è numero viventium scisse indicari deletionem è libro electorum ad vitam æternam.

Cap. XXIV.

Exponitur, quid temporale illud sit in victimis veteris Testamenti, quo repræsentent spiritualem effectum à Christi sacrificio promanantem.

QUæ autem universe hactenus de lege diximus: eadem distincte etiam in sacrificiis considerare oportet. Nam Catholici consentiunt, ea esse typos *crucis ac passionis Dominicæ: in qua omnia recapitulantur:* ut ait Hieronymus in cap. 2. ad Ephes. & cap. v. ad Matthæum. Atque ut Augustinus ait lib. xx. adversus Faustum cap. XVIII. *Offerentes Deo in victimis pecorum, celebrabant futuram victimam, quam Christus obtulit:* quibus genuina habet lib. x. de Civit. Dei. cap. xx. & lib. I. contra adversarium Legis & Prophet. cap. XVIII. & in Psal. L. atque alibi. Quare si lex universa promittit carnalia, sed quibus spiritualia designentur; etiam in victimis carnalis effectus distingui debet ab eo, quod spiritualiter adumbrant. Spiritualis autem effectus est, solutio à reatu æterno & pœnis infernalibus: quam sacrificia adumbrant, non præstant. Unde Augustinus lib. XVIII. contra Faustum cap. VI. *In sacrificiis figura nostra fuerunt, quia nostra mundatio & Dei propitiatio nobis sine sanguine nulla est: sed illarum figurarum veritas Christus est, cujus sanguine redempti & mundati sumus.* Et epist. LIX. ad Paulinum. *Dimissionem peccatorum* (nempe quod ad reatum æternum) *cinis vaccæ, & adspersio sanguinis, & cruentarum multiplicatio victimarum significabat, non efficiebat. Ideo deinceps dicit, Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, id est illorum sacrificiorum quæ immolabantur in figura sanguinis Christi.* Sed si sacrificia adumbrant ac significant ablationem reatus æterni: necesse est substernatur effectus temporalis, per quem spiritualis ille effectus repræsentetur. Is vero est ablatio reatus, ratione pœnæ temporalis. Quod ita esse, non difficulter probatur. Nam lex, quatenus est instrumentum civilis societatis, ad beatitudinem πολιτικὴν ordinatum, longævam iis vitam pollicetur, qui secundum legem vivunt: ut Levit. XVIII. 5. ubi temporalem vitam directe signari, veteres arbitrantur, juxta illud Rom. XIII. 3. *Vis non timere potestatem? quod bonum est, facito.* Et sane etiam Chaldæus Paraphrastes Levitici locum vertit, *Quod faciens homo vivet in eis vita seculi,* hoc est longæva. Quamquam pro eo in Complutensibus ac Regiis Bibliis transferatur, *Vivet vita sempiterna.* Ut autem vitam diuturnam legis observantibus Deus promittit, ita violentam ejus transgressoribus mortem minatur: ut cognoscimus ex Exod. xx. 7. Verum misericors Deus, summus νομοθέτης, ne peccantium suppliciis paullatim populus omnis deleretur, statuit, ut atrociora quidem delicta non nisi morte expiarentur, sed pro hominibus carne immundis, vel minori peccato contaminatis, victimæ mactarentur: unde pro talibus Levit. XVII. 11. dicitur *sanguinem* animalis esse, *qui homini pro piaculo est:* ex quo colligit Eusebius lib. 1. de demonstratione Evangelica cap. x. loco hominis, mortem metentis, animal illud offerri, quod sacrificatur. Verba ejus sunt, Σαφῶς γὰρ ἀντὶ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς, τὸ τῶν σφαγιαζομένων ζώων αἷμά φησιν ἐξιλάσκεσθαι. Et mox: ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσάγειν τὰ ζωοθυτούμενα. Sed uti antea monebam, hæc carnalis ἀπολύτρωσις minime in quibusvis delictis locum habebat; quod clare nos docet antiquus scriptor quæst. & respons. ad Orthodoxos, quæ Justino Martyri tribuuntur. Ejus verba ex respons. XCVII. quia Græce adduxit Grotius, Latine nunc solum apponam. *Cæterum*, inquit, *in delictis aliis, quæ vitæ aut consuetudini civili hominum damnum adferunt, veniam non dat, neque per baptismos, neque per irrationalium victimarum oblationes: sed justam atque dignam per jus æquum talionis* (κατὰ τὸ ἴσον τῆς ἀντιπλήξεως) *delinquentibus refert compensationem: Animam*, inquit, *pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ubi vero æquum retributionis jus minus convenienter administratur, ibi peccantibus igne, vel saxo, vel ferro mortis infertur supplicium. Nam filiam sacerdotis fornicantem, igne comburit: laici autem, lapidibus enecat: conjugem vero* (ὕπανδρον) *gladio percutit. Neque aliquam habet lex potestatem, ut ejusmodi criminis reum quemquam per benignitatem, baptismorum lustrationibus & rebus divinis faciendis salvet. Gratia autem permagna est adversus delinquentes vis & potentia. Hac namque lege adhuc dominante, nisi regem Davidem duplici capitali peccato implicatum excepisset, eique pænitentiæ fores aperuisset, non invenisset ille apud legem, quæ peccatores servare posset, humanitatem.* Cæterum quod carnalem mundiciem & salutem in delictis quibusdam victimæ præstarent: hoc, uti dicebamus, illud est, quo mundationem spiritus, & salutem æternam adumbrabant. Audiamus divinum scriptorem ad Hebr. c. IX. 13. 14. *Nam si sanguis taurorum hircorumque, & cinis juvencæ adspergens inquinatos, sanctificat eos ad carnis puritatem: Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum se ipsum obtulit inculpatum Deo, purgaturus est ab operibus mortuis conscientiam vestram ad serviendum Deo vivo?* Quem in locum sic scribit Franciscus Junius Parall. lib. III. *Apostolus*, inquit, *per comparationem minoris confirmat hoc suum dictum de æternitate redemptionis Christi, elegantissimo ἐπιχειρήματι: cujus quidem prosyllogismus, evidentiæ causa, ponendus est ab ἀναλογίᾳ, in hunc modum: Quarum rerum institutio est ἀνάλογος, quamvis in diverso genere, earum vis & efficacitas, pro ratione generis sui, major aut minor dicenda est. Sanguinis taurorum, hircorumque cineris, & cæterarum expiationum legitimarum ritus est ἀνάλογος cum aspersione sanguinis Christi. Ergo pro ratione utriusque generis alia est hujus, quam illius efficientia. Ex hoc prosyllogismo conficitur argumentatio, quam hic constituit Apostolus: Infinite major est rei spiritualis & æternæ efficientia, quam rei carnalis, quamvis cum altera habentis analogiam. Sanguis taurorum hircorumque & cinis juvencæ, quibus inquinati ex lege aspergebantur, sanctificavit ad carnis puritatem. Infinite igitur major est efficacitas sanguinis Christi.* Hujusmodi cum divini ad Hebræos scriptoris mens sit, satis patet, aliam esse efficaciam, quam rufæ vaccæ cinis aquæ lustrali inspersus præstaret carnaliter: aliam vero, quam significaret spiritualiter. Carnaliter consideratus Judæos secundum carnem sanctificabat, cum ob contactum cadaveris, vel ullius rei impuræ, judicabantur immundi, eoque à sacro cœtu excludebantur: spiritualiter autem spectatus denotabat per sanguinem Christi animas hominum purgari, ne excluderentur è regno

cœlorum. Neque est quod aliquis dicat, solum hic victimis tribui, quod instituto divino tollere possint immunditiem carnis ceremonialem, qualis illa quæ ex rei immundæ contactu proveniebat. Nam etiam per victimam expiabantur, qui dissimulassent blasphemiam, aut temere jurassent, aut fidem depositi fefellissent, aut furtum fecissent: ut liquet ex Levit. cap. v. ubi de istis dicitur: *Expiabit eos sacerdos, & remittetur eis.* Quod ipsum firmatur ex Levit. XVII. 11. ubi tria hæc distincte docemur, animam seu vitam pecoris esse in sanguine; ipsum illum sanguinem, in quo vita esse dicitur, vim habere expiandi animas; atque ideirco sanguinem pecoris poni debuisse super altare, ut ibi combureretur ad expiationem animarum. Itaque non tantum carnis mundationem, sed etiam mortalium delictorum remissionem, victimarum esse effectum statuit Nicolaus Lyranus in cap. IX. Numer. ubi sic scribit: *In lege erant duæ purificationes. Una ab immunditie spirituali: quæ contigit ex peccatis: & ista, quæ erat gravior, purificabatur per oblationes & sacrificia: ut habetur* Levit. IV. & V. *Alia autem erat ab immunditia corporali, quæ contingit ex tactu alicujus rei immundæ, vel alia immunditia corporali, per quam efficiebatur homo ineptus ad ingrediendum locum cultus divini, ita quod tales immunditiæ erant, quasi quædam irregularitates impedientes accedere ad locum divini cultus, quamdiu manebant tales. Et purificabantur per aspersionem aquæ lustrationis, in qua commiscebantur cineres vaccæ combustæ.* Aperte victimis duplicem tribuit efficaciam, purgandi carnem ab immunditie ceremoniali, & expiandi à reatu delicti moralis. Quemadmodum igitur carnem mundandi, ita & moralem culpam expiandi communis est victimis effectus cum Christo; sed ἀναλόγως, modoque longe præstabiliori competens antitypo, quam typo. Typo enim carnis mundatio, quæ præsentem spectat vitam, tribuitur; sed antitypon præstat mundationem conscientiæ. Similiter igitur typo non alia conveniet expiatio moralis delicti, quam corpus spectans, in quod terrenus judex habet potestatem: non item illa, quæ tollit reatum æternum, quo (nisi per satisfactionem Christi liberemur) animæ una cum corpore conjiciendæ sint in gehennam. Interim quomodo scriptor ad Hebræos docet, per mundationem carnis signari mundationem conscientiæ: sic per vitæ præsentis conversationem adumbratur consecutio vitæ æternæ: atque ita, quemadmodum Hieronymus scribit in Zachar. cap. XIII. *De lege transeuntibus ad Evangelium, de umbra ad veritatem, pro brevibus & præsentibus futura & æterna succedunt.* Quod etiam voluit scriptor commentariorum In Epistolas Paulinas, quæ etsi Ambrosio tribuuntur quoque in actis synodi Aquisgranensis, anni IↃCCLXXII: tamen ejus esse non possunt, sed potius Hilarii sunt diaconi, qui B. Hieronymi tempore vixit: ut alibi ostendimus. Ejus hæc verba sunt in epistol. ad Galat. cap. III. *Omnia legis manifesta sunt, ut servans legem vivat. Si quo minus, necesse est plectatur, quia, quod scivit vitandum, admisit. Et mox: Verum est, quia nemo per legem justificatur, sed apud Deum. Justificatur autem apud mundum ut securus sit in vita præsenti. Si autem apud Deum justificari vult, sequatur fidem. Alioqui hic securus, reus erit in futurum.* Atque idem voluisse videtur in cap. IX. ad Hebr. *Omnia permutata sunt: ibi sanguis hircorum diluit peccata carnis, hic sanguis Christi abluit peccata spiritus: quia æterna redemptione inventa, ostendit in prioribus sacrificiis & legalibus ceremoniis, non esse æternam retributionem. Et post aliqua: Quod vero ait, Sine sanguinis effusione non fit remissio: sed semiplena in minima parte. Et mox: Propter hoc etiam omnia sacrificia veteris Testamenti leguntur, ut hoc unum sacrificium designarent, per quod vera est remissio peccatorum, & mundatia anima in æternum.*

Etiam Augustinus, cum totius legis Mosaicæ promissiones & minas respicere hanc vitam dixisset: convenienter sibi docet, sacrificiis veteris populi auferri pœnam, quam terrenus judex infligit: passione vero Dominica, quæ per victimas adumbratur, tolli reatum æternum. Cognoscere hoc est ex istis verbis in Numeros, quæst. XXXIII. *Eadem sunt in vetere & novo Testamento, ibi obumbrata, hic revelata: ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum sacramenta diversa sunt: verum etiam promissa. Ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occulte significatur. Hic autem manifestissime spiritualia promittuntur & æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, & spiritualium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quam passio Domini nostri Jesu Christi: in cujus morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem a Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam; quandoquidem in unigenito Filio suo, quem tanta ille perpeti voluit, longe aliud à se peti expectarique oportere declaravit.* Quæ verba citat etiam Beda, Collectaneis ex Augustino in cap. IX. ad Hebr. Nec est quod dicat aliquis, de sacramentis solis hic agi; nam, ut e junioribus Herbrandus, & ex eo Osiander ad cap. VI. Levitici, optime scribunt, *Sacrificia ratione effectus simul etiam fuere sacramenta, hoc est, sigilla vera expiationis peccatorum coram Deo, quatenus sacrificia Christum respiciebant. Unde in Apocalypsi cap. XIII. dicitur, agnum esse occisum ab origine mundi: nimirum typice, & ratione effectus.* Augustino consentit Sedulius Scotus, Collectaneis in cap. X. ad Hebr. in illud, *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem: Umbra, inquit, fuit, non veritas. Nam requiescebant peccata ad tempus, non remittebantur.* Quibus verbis non aliud voluit, quam victimam pro peccato offerentes; temporalem pœnam effugisse: cæterum, nisi fide & pœnitentia præditus quis esset; fuisse remissionem non remissionem, hoc est dilationem pœnæ verius, quam ablationem. Eademque mens fuit Brunonis, qui ante annos vixit quingentos, in cap. IX. ad Hebr. *Serviebant in justitiis, sed carnis, quia carnales sunt justitiæ, corpus quidem à pœna legis liberantes, sed animam in vinculis peccati deserentes. Et ibidem: Probat hoc Apostolus à minori, dicens, Vere per sanguinem Christi inventa est redemptio: quia si sanguis hircorum & taurorum, & si cinis vitulæ combustæ, aspersus super populum, sanctificat inquinatos, id est mundat pollutiones peccatorum: sanctificat, dico, valens ad emundationem, non utique animæ, sed carnis tantum, quia carnem liberat à pœna legis, anima polluta remanet: si, inquam, sanguis illorum animalium aliquo modo sanctificat, quanto magis sanguis Christi emundavit nos?* Quæ postrema Brunonis verba, similiter atque illa Sedulii interpretamur.

Nec antiquiores solum, sed etiam juniorum plerique sic senserunt. Unum alterumque ad partes adducemus: Philippus Melanchton Loc. com. cap. de Sacrificiis. *Dicebantur quædam ex lege propitiatoria sacrificia propter significationem seu similitudinem, non quod mererentur peccatorum remissionem coram Deo, sed quia significabant futurum sacrificium. Cæterum ibi merebantur remissionem peccatorum in* EXTERNA CONVERSATIONE, *ne illis excluderentur ex Politia Mosis.* Similiter in loc. comm. Erasmus Sarcerius, *Sacrificium propitiatorium coram politia Mosis valens, est opus, quod redimebat justitiam legis, hoc est, ne is qui peccaverat, excluderetur è Rep. Mosaica: & est typus veri propitiatorii sacrificii pro peccatis coram Deo.* Et post aliqua: *Effectus propitiatorii sacrificii Mosaici sunt.* I. *Redimere justitiam legis.* II. *Reconciliare politiæ Mosaicæ, & Judaico populo. Hi effectus, certi sunt exemplis illorum, qui his sacrificiis reconciliati sunt reip. Mosaicæ. Item quia epistola ad Hebr. adimit*

illis

Illis sacrificiis expiationem peccatorum coram Deo, reliquit illis redemptionem justitiæ coram politia Mosis, III. *Sanctificare ad carnis purgationem.* ad Hebr. c. IX. *Nam si sanguis taurorum, &c.* IV. *Esse typica veri propitiatorii sacrificii,* ad Hebr. c. IX. *Nam lex umbram obtinens futurorum bonorum, &c. Idem: Duo sunt sacrificia propitiatoria pro peccatis: alterum Mosaicum, alterum Christi: sed hoc discrimine, quod Mosaica propitiatoria tantum steterint pro peccatis coram judicibus Mosaicis, & pro redimenda justitia coram Rep. Israelis. Propitiatorium autem sacrificium Christi stetit semper, & adhuc stat pro peccatis coram Deo, & pro vera justitia, qua placatur ira Dei.* Idem voluit Brentius, & ex eo Andreas Osiander, notis in cap. IV. Levitici: *Non institutum fuit hoc sacrificium, ut expiet peccata coram Deo. Ex epistola enim ad Hebræos notum est, quod nec sanguis taurorum, nec cinis vitulorum possint auferre peccata. Sed institutum fuit, partim ut esset externa & politica reconciliatio eorum, qui errore quodam peccaverant, partim ac maxime omnium, ut esset typus ejus reconciliationis, quam Christus erat præstiturus.*

Nec in Mosaico solum sacrificio hæc ἀναλογία cernitur, sed etiam illo Abrahami, loco Isaaci sacrificantis arietem. Nam cum Christus nos liberet à morte æterna, aries iste divinitus in vepribus monstratus, qui, ut Eusebius Emisenus, sive Eucherius potius, *pro Isaaco, occulta mysterii dispensatione supponitur,* non liberavit Isaacum, nisi à morte temporali: quod apertè ab antiquis dicitur, & clarius est, quam ut probatio sit opus. Hinc Ambrosius de fide Resurr. orat. II. *Ovem pro homine demonstravit, ut & filium patri redderet, nec periret hostia sacerdoti.* Arietem vero illum typum fuisse Christi, non Martyr solum, & plerique juniorum fatentur, sed etiam asserit Chrysostomus in Genes. homil. XLVII. *Quomodo vidit Abraham Christum qui temporibus præcessit? Per figuram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac, ita & rationalis agnus oblatus est pro mundo. Oportebat enim in umbra describi & præsignari antea veritatem.* Item Augustinus lib. XVI de Civit. Dei cap. XXXII. *Quis erat ille aries, quo immolato impletum est significativo sanguine sacrificium? Quis illo figurabatur, nisi Jesus Christus?* Similiter idem lib. XII. adversus Faustum, & serm. LXXI. de tempore. Item Ambrosius lib. I. de Abraham cap. VIII. Præterea Origenes, Procopius, Eucherius, Rupertus, alii. Itaque in hoc quoque typo videmus communem esse effectum typi & antitypi, sed ἀνάλογον, ariete quidem liberationem præstante à morte temporali; Christo autem, qui agnus est tollens peccata mundi, liberationem ab æterna morte promerente: ut illustriori modo effectus iste competat Christo, quia, ut Hieronymus ait T. 2. lib. II. Comm. in cap. XI. Oseæ, *Typus partem indicat: quod si totum præcedat in typo, jam non est typus, sed historiæ veritas appellanda.*

Cap. XXV.

Respondetur iis, quæ à Censore dicuntur adversus ista, quæ Grotius docuit de ἀναλογία inter victimas Veteris Testamenti, & sacrificium Jesu Christi.

QUæ fuse hactenus attulimus de effectu analogo victimarum & sacrificii Dominici: ea, tanquam ventus farfari folia, longissime discutiunt ac difflant, quæcunque adversus Grotium de sacrificiorum efficacia objicit Censor. Primum obducit, quod λύτρωσις αἰωνία per victimas significetur. Verum quis Catholicus hoc in dubium vocat? Et tamen de Grotio Censor anceps hæret, καθάπερ ἐν τριόδῳ γενόμενος: cum is non solum disertim idem dicat, sed divinis etiam testimoniis confirmet. Non igitur hoc quæritur: sed, quod Censor aut non vidit, aut dissimulavit, longe aliud est, de quo controversia sit nobis. Quale illud sit cognoscemus, si audierimus, quid Catholicis objectet Socinus lib. II. de Servat. cap. X. & apertius etiam in Prælect. cap. 22. ubi in hunc disserit modum: *Aut volumus in victimis illis antiquis vim aliquam satisfaciendi peccatis fuisse, unde per collationem argumentari liceat, hanc eandem vim in Christi morte fuisse: aut concedimus in illis victimis revera vim istam non fuisse: sed tamen contendimus ea dicta de illis esse, quæ satisfactionem istam significent, quam necesse sit, cum in re adumbrante non fuerit, in re adumbrata reperiri, & sic ex ipsa tantum adumbratione argumentari volumus.* Postea subjungit: *In eo valde peccatur, quod pro concesso sumitur, rem adumbrantem ea qualitate penitus carere posse, quam in re adumbrata præfigurat. Quamvis ejusmodi sit, ut si cum eo, quod præfigurat, comparetur, imago quædam veritati opposita esse videatur.* Post, exemplis hoc declarat: ut illo abæneo serpente, qui ita exaltatus fuit, sicut Christus: ubi utrobique intuitus, utrobique salus fuit: item ab arca Noæ, quæ antitypon fuit baptismi Christi: ubi utrobique est salus, illic ingredientium arcam; hic accipientium baptismum. Tandem ita concludit: *Oportet igitur, si in victimis illis antiquis aliqua adumbratio fuit satisfactionis pro peccatis per Christi mortem, in iisdem quoque victimis aliquam satisfactionem pro peccatis fuisse. Sed nulla prorsus fuit. Ergo neque ullam etiam satisfactionis istius adumbrationem in istis fuisse dicendum est, quicquid de illis dictum fuerit, quod (si ipsa verba spectemus) satisfactionem illis tribuere videatur.* Huic argumento ita in sua Sacrificiorum schola Disput. XV. occurrit doctissimus Wolfgangus Franzius, S. Theol. in Wittebergensi Academia Professor: *Male nostras Ecclesias accusat Socinus, quasi pro concesso sumant id, quod plane falsum est; nimirum quod in sacrificialibus pecoribus, nulla fuerit satisfactio pro peccatis. Præsupponimus enim id, quod est verissimum, & quod à Spiritu S. affirmatur* Levit. XVII. 11. *Anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietur pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. Ex divina igitur misericordia, divina voluntate, divina institutione, in pecore puniuntur peccata hominum.* Hæc Franzius. Sed cum pœna alia sit temporalis, alia æterna: quæstio est, utrum pro peccatis per victimas hac, an illa pœna satisfiat. Pro æternis pœnis solus satisfecit Christus: ergo victimæ non præstant liberationem, nisi à reatu temporali: neque hoc faciunt vi sua, sed ex instituto divino. Atqui hæc satisfactio pro pœna corporis temporali est illud quod adumbrat satisfactionem Christi pro reatu æterno. Hæc satis ostendunt, non illud esse in controversia, quod Censor putavit, sed, cum passim urgeat Socinus, figuram tanquam imaginem respondere veritati, eo quæri, num victimæ sola perpessione Christum figuraverint, an vero, aliquo etiam effectu perpessionis istius. Nos arbitramur cum Grotio, ut plena sit figuræ ratio, hoc etiam requiri, ut tale aliquid citra figuram promissum sit morti victimæ, quale id sit, quod ob Christi mortem contingat: ita tamen, ut effectus mortis Christi tanto sit major, quanto Christus victimas illas antecellit. Hanc non nostram primitus fuisse sententiam, sed Christianismi veteris, atque etiam plerorumque è junioribus, ostendunt ea, quæ superius adduximus. Imo ubicunque aliqua persona aut res (puta serpens in deserto) dicitur Christi typus fuisse, ibi inveniemus aliquod bonum temporale, aut mali alicujus aversionem, personæ aut rei adhæsisse, quæ æterno bono, aut æterni mali aversioni per Christum præstandæ responderet. Videat ergo Censor, qua fiducia neget, victimas per se ullam præstitisse sanctificationem, aut Deum, ex fœdere legali, movisse ad carnalem pœnam remittendam. Contrarium enim evincunt exempla, quæ in hanc sententiam adduxit Grotius pag. 185. & 186. &c. Certe hæc qui tollit, & comparationem in epist. ad Hebr. obscurat, & ab antiquitatis judicio recedit, & sine justa caussa Socino gratificatur.

Cap. XXVI.

Refelluntur longe plurimi errores Censoris in istis quibus probare conatur, Deum in satisfactionis negotio considerandum esse, ut creditorem & judicem.

AB luculenta illa quæstione de analogo sacrificiorum effectu, deventum nunc ad nobilem illam controversiam de partibus, quibus fungitur Deus, in exigenda à Christo peccatorum pœna, nobisque remittenda. Ostendit Grotius eum hoc loco considerandum esse, ut rectorem summum. Sed neque hic satisfacere potuit Censori. *De rectore*, inquit, *res clara est: sed nimis licenter D. Grotius, considerationem Dei, ut creditoris & judicis, ab hoc negotio removet. Non uno, sed tribus illis modis Deus est considerandus, quia χέσιν in hoc actu triplicem scriptura Deo tribuit: videlicet, ut rectoris, ut creditoris, ut judicis.* Sed non uno nomine peccat Censor. Neque enim χέσιν judicis removet Grotius, cum rector omnis, qua rector est, judicet: eoque, rectorem qui dicit, judicem includat. Solam igitur à Deo removet χέσιν judicis ὑπευθύνου, ac formulæ adstricti: quales sunt in regno magistratus infra regem positi: aut in Rep. consules & prætores. Verba Grotii ipsius sunt: *Damus hoc postulanti Socino, Deum non esse hic spectandum, ut judicem sub lege constitutum. Nam talis qui sit judex, is nocentem non possit a pœna liberare etiam pœnam in alterum transferendo: non quia id per se injustum sit, sed quia legi non congruat, cujus ipse minister electus est. Æquitas enim est adstricti formula judicis, ut clementia proprie ita dicta, non est, nisi summi in quaque communitate Rectoris. Agnovit hoc discrimen Augustinus: Judicibus statutum est, ne liceat in reum datam sententiam revocare: Nunquid & ipse Imperator sub hac erit lege? nam ipsi soli licet revocare sententiam, & reum mortis absolvere, & ipsi ignoscere. Et Symmachus: Alia est conditio magistratuum, quorum corrupta videntur esse sententia, si sunt legibus minores: alia Divorum Principum, quos decet acrimoniam severi juris inflectere.* Ex his cum luce ipsa clarius sit, illud solum Grotium dicere, Deum in hoc negotio non esse considerandum tanquam judicem sub formula constitutum; miror multumque miror, Censorem sic ejus verba capere potuisse, quasi χέσιν judicis, citra illam restrictionem, χέσει rectoris opponat.

Similiter cum probatum it, Deum fungi partibus creditoris, non quidem ἐν δυοῖν τρία βλέπει, quod dici solet, sed in tribus videt unum. Nam aliud longe est quærere, an Deus aliqua ratione creditor noster sit proprie, ut in exigenda obedientia: aliud item, an in pœna exigenda aliquid habeat creditori simile, atque ideo recte eo quoque respectu creditori comparetur (quod lubens largitur Grotius p. 56 61. & 69.) aliud denique quærere, quo respectu Deo proprie, primo, ac per se competat punire, aut pœna liberare. Hoc dum non attendit Censor, passim umbram ferit. Videt à Grotio concedi, Deum peccata condonantem conferri cum creditore; videt item causas, in quibus ea comparatio consistat, ab eo adferri luculentissimas. Cur ergo, inquit, *Deum in Satisfactionis negotio considerandum negat, ut creditorem?* Dicam: quia ubi accurate res examinanda est, utendum est vocibus propriis, non metaphoricis. Non ergo sic ratiocinatur, ut Censori placet: *Parabola, qua Deus cum rectore comparatur, præstantior est, quam illa, qua cum creditore confertur: Ergo Deus non consideratur, ut creditor.* Minime vero. Sed in illo ponit sententiæ suæ firmamentum, quod cum Deus in remissione peccatorum creditori comparatur, parabola est ac similitudo: at cum in eodem actu rector ipse sive summus liberrimusque judex vocatur, non parabola utimur, sed loquimur κατὰ τὸ ἀκριβέστατον. Sic Grotius in hoc argumento (ut sane retineamus exemplum, quod σκιαμαχίαν huic afferre placuit Censori) proprie est Catholicæ fidei defensor: miles autem, vel advocatus, nonnisi tralatitiè.

Hinc istiusmodi ratione pugnat Ravenspergerus: *Profecto cum Jesus Christus appositissime in satisfactionis negotio dicatur potioris fœderis sponsor* Hebr. VII. 22. *sequitur infallibiliter, Deum appositissime in eodem satisfactionis negotio creditorem dici, nos vero debitores. Est enim perpetua χέσις inter creditorem, sponsorem & debitorem. Neque commodior in suis terminis considerata similitudo excogitari potest, quæ in negotio hoc satisfactionis consideretur, quam illa de creditore & debitore, interque illos interveniente sponsore.* At nos ex eo, quod Christus sit fœderis sponsor, negamus directe sequi, Deum esse creditorem. Potest enim sponsor esse, atque etiam est inter Deum, ex liberali promissione debitorem: & nos, ex eadem promissione creditores. Sane debitorem hoc sensu Deum vocat Cyprianus lib. de opera & eleemosynis, Augustinus in Psal. XXXII. XCII. CIX. Paulinus epist. ad Victricium, Fulgentius prologo lib. ad Monimum, atque ipsum concilium Arausicanum II. cap. XVIII. Attamen creditorem quoque esse Deum, fassi jam sumus. Verum proprie creditorem esse, QUA punit, aut pœnam remittit, dici non potest. Nam quod alicui convenit καθ' αὑτὸ (hujusmodi autem signat particula QUA, cum dicitur creditor qua punit) id omni convenit & soli. At neque omnis creditor jus habet puniendi, neque solus. Rectores autem & soli, & omnes (remoto impedimento juris positivi) punire homines possunt.

Postea reprehendit Censor; quod Grotius dicat, nunquam cum justitia pugnare, ut quis de jure crediti cedat. Hoc & alienum esse ait, & falsum: in quo bis peccat. Alienum non esse, infra probabimus. Falsum autem non est, *quia hæc est natura proprietatis, ut ea tam uti, quam non uti, liceat.* Loquimur autem de credito, qua creditum; quomodo procul dubio intellexit Grotius. Per accidens enim fieri potest, ut id cum justitia pugnet. Expressit hoc ipse pag. 108. cum ait, *Suum donare, creditum remittere, nunquam non per se honestum est. Per se cum dicimus, ea quæ adsunt κατὰ συμβεβηκὸς excludimus: qualis est ipsius donantis indigentia.* Quare frustra est Censor, cum probare nititur, ut debitum remittatur (rectius creditum dixisset: quia & pœna debetur) interdum cum justitia pugnare. Id enim ex crediti ipsius natura non contingit. Causa est, quia creditum qua creditum ita est proprium creditoris, ut disponere de eo, qua creditum est, possit absolute, quod de arbitrio rectoris in pœnam dici non potest: quia pœna, qua pœna est, relationem habet ad bonum aliquod commune. Vide quæ hac de re dixit Grotius pag. 108. & antea p. 50. ac 51. Nec firmo satis nititur fundamento, quod ait, si debitum lædat honorem creditoris, non posse creditorem de jure crediti cedere. Nam quid si is qui læsit, factum nolit, ac seriam pœnitentiam testetur: non suus læso honos redditur? Uti enim facto læditur honor, ita contrario ejus reparatur. Quanquam, quid est lædere honorem creditoris, qua talis? Num convitio maculam honesto ejus nomini adspergere, vel aliud quid facere, quo famæ floris cacumen, ut Laberius loquitur, frangatur? Sane non alia quam moralis læsio intelligi hic potest. At vero tantum abest, ut hunc in modum læsus, pœnam à lædente exigere debeat, ut à Christo jubeatur convitia ferre, offensam condonare, & iis, qui læserant, bene precari: Et ratio, cur id facere jubeatur, in mundo est, quia nos non fungamur partibus rectoris: contra quam in Deo se res habet. Alia igitur creditoris, alia rectoris ratio est: in illo, si ea separes, quæ κατὰ συμβεβηκὸς fiunt, nunquam iniquum est, creditum remittere: in rectore vero injustitia esse potest, si pœnas non exigat. Mox cum honore conjungit naturam Dei, quasi hæc tantundem valeant: cum honos

Dei

Dei extrinsecus ei proveniat à creaturis, eoque citra eum salva permaneat natura sive essentia divina. Sed neque ad rem facit, quod ait, peccatum naturæ & gloriæ Dei adversari. Neque enim hic agitur de peccato, quæ est actio à lege exorbitans; sed de obligatione ad pœnam. Quod autem de pœnali hac obligatione non possit absolute disponi, hoc neutiquam inde provenit, quia Dei naturæ & gloriæ repugnet: (quod de peccato recte dicitur, de reatu non item) sed inde quia ordo universi sæpe exigat, ut peccata puniantur: & quia id ordo requirit, idcirco à pœna omnino abstinere, sæpe pugnaret cum natura gloriaque divina. Nam natura Dei illam in se rectitudinem complectitur, ex qua oriuntur retributiones justæ, quibus deinde patefit gloria divina.

Post ista scribit Censor in hunc modum: *Non sine gravi præjudicio fidei Catholicæ, Dn. Grotius pro æquipellentibus accipit jus offensæ partis, jus creditæ partis, jus crediti & jus dominii.* Sane hoc siquis faceret, erraret quidem: non tamen, ut Censor sine causa statuit, cum præjudicio Catholicæ veritatis erraret. Grotium vero sic sentire, falso ait idem. Nam jus absoluti dominii & jus crediti aperte distinguit: ut pag 62. *Nam jus absoluti dominii, ut & jus crediti, comparatum est ejus gratia, qui id jus habet.* Quare ubi ponuntur hæ voces, *jus dominii* aut *jus crediti*, ponuntur disjunctive, non æquipollenter, quamquam interim verum est, & in usu communi, & in jure, voce dominii interdum creditum, & voce domini creditorem intelligi, sicut sæpe genus innominatum, nomen à specie nobiliori accipit, aut generis nomen speciei adhæret. Genus utriusque est jus proprium, sive suum: sicut Jurisconsulti meorum ac tuorum appellatione ajunt etiam actiones contineri. L. xe t. de Verb. signif. Hujus ergo generis species sunt dominium, quod respicit res, & creditum, quod actiones. Inter species crediti est jus illud, quod offensæ parti competit adversus eam, quæ offendit, ad damni restitutionem. Aut Grotium non legit, aut non intelligit, qui misceri hæc ab eo putat. Neque video, quo tendant, tria illa argumenta, quæ Censor subjungit. Primum est, *Etsi punire non est actus competens parti offensæ, qua tali, potest tamen competere vi contractus, creditori, qua tali.* Illud, qua tali, verum non est. Nam si jus puniendi per contractum creditori tribuatur, prius est, ut per talem contractum creditori tribuatur κατ᾽ ἐξοχὴν, regimen atque judicium in debitorem. ac proinde & jus puniendi non competet illi, ut creditori, sed quatenus superior est constitutus. Deus autem, ut jus regiminis (cui jus puniendi inest) pacto ullo quæreret, necesse nihil fuit: quandoquidem ex naturæ suæ præstantia ac relatione ad res creatas intellectu utentes, necessario id ipsum habet. Plane nescio, quem scopum sibi Censor hic proponat. Alterum ejus argumentum est: *Etsi naturaliter pars offensa, qua talis, jus nullum habet in pœna* (quod Grotius asserit) *potest tamen habere creditor, qua talis, & habet revera dominus, qua talis.* Multa hic sunt errata. Nam pars offensa, si jus spectetur, quod contra offendentem habet, nihil aliud est, nisi creditrix, quare quod creditori, qua tali; competit, etiam parti offensæ, qua creditrix est, competet. At jus puniendi, certum est non competere creditori, qua tali. Neque enim omni, neque soli competit. Idem autem est dicere competere, qua tali, aut tali omni solique competere. Quod ait, dominum, qua talis est, jus in pœna habere, concedi non potest, si vox domini accipiatur proprie. Alioqui sequetur, jus puniendi etiam in rebus inanimis locum habere. At si domini voce rectorem intelligit, improprie loquitur: neque enim omnis dominus est rector, ut qui res inanimes possideat: neque rector omnis dominus, ut in civili regimine apparet: ac præterea idem dicit improprie, quod proprie Grotius dicit: nempe punire aut à pœna liberare, esse rectoris, qua talis. Accidit quidem domino proprie dicto, ut & rector sit, si id, quod in dominio habet, objectum sit passivi regiminis capax: sed si accurate loqui volumus, dominus servum quoque, non qua dominus est, punit, primo, inquam, per se ac proxime, sed qua rector; Ministerio servi utitur, ut dominus: punit autem non ut dominus, ideoque nec pro arbitrio, sed ut rector, atque idcirco pro modo culpæ.

Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irrogat æquas:
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Tertium, quod addit Censor hoc est, *Etsi jus puniendi in rectore non est jus crediti, aut domini: jus tamen puniendi in absoluto domino est jus absoluti dominii.* Si hoc voluit, ut quia inest aliquid absoluto domino, eo jus sit dominii absoluti: multum fallitur. Nec enim hoc magis sequitur, quam si contendat regi aliquid competere qua tali, quia inest regi. Sane Alexander M. historiam naturæ & rerum causas noverat; sed ut philosophus, non ut rex. Neque probatio ista solum est infirma, sed assertio plane falsa. Etsi enim idem esse possit & absolutus dominus & rector; idem quoque actus possit peragi tum ex vi dominii, tum ex jure puniendi: tamen actus talis, si pœna est, ei qua pœna est, non ex jure absoluti dominii, sed ex jure regio proficiscitur. Si vero ratione absoluti dominii exerceatur, jam eatenus pœnæ rationem non habet. Absolutum enim dominium neque peccatum exigit, neque relationem mali inflicti ad malum patratum: at punitio utrumque requirit. Non ergo est idem, jus absoluti dominii, & jus puniendi: etsi ista quosdam possunt habere effectus aut similes, aut etiam communes. Minime ergo ostendit, quod intendit Censor, Deum in negotio satisfactionis (pœnalis puta, de qua agimus) considerari ut creditorem; proprie nempe: nam per similitudinem ita dici, cum Grotio agnoscimus. Sed in disputationibus adhibenda est ἀκριβολογία. Non *esse* autem *alienum*, ut Censor vult, quod creditoris proprie dicti σχέσιν à σχέσει rectoris Grotius distinguat, quilibet videt, qui Socinianum argumentum à creditore petitum intelligit. Creditor enim nihil contra officium facit, etiamsi de maximo credito nullam exigat satisfactionem, quod in Censore circa pœnam aliter se habet, fatente censore.

Post hæc redit eo Ravenspergerus, ut σχέσιν judicis in hoc negotio Deo adscribat: quod uti dixi, volente & fatente Grotio facit. Rector enim judicem includit, si non addatur judici restrictio potestatis ad legem positivam. At, inquit, *sic scribit Socinus: quid aliud Grotius?* Ingens sane facinus, aliquid dicere, quod vi veritatis victus fateri cogatur Socinus. Et tu Censor, nonne cum Socino idem hic dicis? Hac ipsa Socini confessione cum utatur Grotius, ut neget Deum proprie tanquam creditorem considerari oportere, tu hoc quoque ipsum frustra, & cum bonæ causæ detrimento Socino largiris: quanto in Socinum benignior, ne usquam tua in Grotium malignitas claudicaret? At inquit idem, *Certum est, Deum in negotio satisfactionis considerari, ut principem & dominum, cui non est lex lata, sed cujus voluntas ei pro lege est, inde tamen non recte colligitur, Deum non considerari, ut judicem. Unum enim horum, alterum non tollit, aut perimit.* Atque tantum abest, ut hoc Grotius neget, ut amplius etiam Censore ipso dicat. Nam ex eo, quod ut rector spectatur, necessario sequitur, ut judicem considerari. Rectoris tamen nomen usurpare Grotius maluit, quam judicis, quia actus liberandi peccatorem à pœna, non tam recte tribuitur judici, quam actus puniendi. Quare vocem eam prætulit, quæ utrumque comprehendat. Adjungit istis, *Certum est Deum passim in scriptura comparari cum judice, qui mundum judicet in justitia, qui judicet vivos & mortuos, qui judicet unumquemque secundum opera sua.* Imo non judici mundi, aut vivorum, mortuorumque comparatur: sed ipse justus mundi judex futurus, & vivos, mortuosque

judicaturus dicitur. Nec si judici comparetur, eo intelligi oporteat ἀνυπεύθυνον ac delegatum; sed supremum, qui legibus non subjacet alienis: quod discrimen mox ipse agnoscere cogitur Censor. Quod ergo hic colligit, *recte considerari Deum in puniendis ac remittendis delictis, ut judicem*: id nisi de judice ἀνυπευθύνῳ intelligatur, quod nunquam dicit, neutiquam Grotio adversatur; quia supremus judex in summo rectore includitur: ut antea diximus.

Cap. XXVII.

Diluuntur ea, quæ dixit Censor de actu Dei in negotio satisfactionis, & quid inter dispensationem & legis executionem: & quid inter derogationem, abrogationem, subrogationem, & obrogationem: quidque inter dispensationem, & legis interpretationem κατ' ἐπιείκειαν intersit, ostenditur.

Hinc transit Censor ad quæstionem illam accurate, ut omnia, à Grotio pertractatam, Qualis sit Dei actus in hoc negotio. Dixerat Grotius, actum illum esse legis relaxationem sive dispensationem: non autem vel executionem legis, vel abrogationem, vel interpretationem κατ' ἐπιείκειαν. Ubi tria ista opposite intelligi, quatenus dispensationi opponuntur, res ipsa loquitur. Censor tamen, *Quæ hæc*, inquit, *est subtilitas?* Cujusmodi cum lego, cogito subinde mecum:

O frater, frater, quæ te dementia cepit?
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

Nisi frondes meras aut labruscas exspectare non vis ab ingenio tuo, quod amamus, ætatem cogita tuam, & illud Corvatis, μακρὰ νίκη. Noli damnare, quæ non intelligis: noli ridere, quæ discere adhuc debes: noli sic placere tibi, ut etiam in istis, quæ ex juris scientia dependent (hujusmodi enim quæstio est ista, de qua hoc capite agendum est nobis) acutius videre te credas, quam ipse ille, quem præfatione illa tua eminentissimum Jurisconsultum appellas, & inferius, Jurisconsultum magni apud omnes nominis haberi agnoscis. Scis enim, opinor, illud quod Stagirita philosophus primo ad Nicomac. dicebat, ἕκαστος κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής.

Hinc subjungit Censor: *Dei in postulatione satisfactionis actio, est pœna peccatis promerita exactio: quæ si Impersonaliter consideretur, cur peccator puniendus sit, finis ejus est divinæ justitiæ demonstratio: si vero Personaliter cur Christus punitus sit, finis ejus est, ut per Christi punitionem nos impunitatem consequamur.* Hæc verissime ab Censore dicuntur: interim candorem ejus requiro, quod cum hæc iisdem pene verbis apud Grotium legerit pag. 32. unde ea hauserit, dissimulet: nec dissimulet tantum, sed Grotio ipsi, quasi ista docendus esset, obducat.

Sequitur paulo post apud Censorem: *Frustra est, quod D. Grotius ait, actum illum Dei non esse legis executionem, nec abrogationem, nec interpretationem per ἐπιείκειαν: sed legis relaxationem, seu dispensationem. Est enim hæc omnia.* Expendemus singula. Ac primum male ait Censor, esse executionem legis, quæ verius est gratiosi decreti executio. Nec enim dispensatio illa lege continetur, sed Evangelio. Quod qui negat, Vetus & Novum Testamentum, sive legem & gratiam confundit. Error Censoris ex eo profluxit, quod non cogitavit, quando executio legis dispensationi opponitur, totius legis executionem intelligi: quod Grotius addita voce OMNINO explicuit. *Si Deus*, inquit, *legem omnino exequeretur*: Ergo, cum dispensatione exequi, est partem legis exequi, non legem totam, ἐν κοινῷ. Hoc vellicare; quid aliud est, quam cavillari? Exinde reprehendit Grotium, quod neget esse abrogationem. Atqui solide hoc eo evicit Grotius, quia lege abrogata nemo tenetur: infideles autem adhuc obnoxii sunt legi. Tamen nosset egregius Censor: *Quæ hæc*, inqoit, *est sequela, si lex infidelibus non est abrogata, ergo lex fidelibus non est abrogata?* Quasi summus vir ita stulte sapiat, ut sic argumentetur. Eo ineptiarum redegit Censorem, quod de abrogatione ausit disserere, cum ne qoidem quid abrogatio sit, intelligat. Patiatur igitur se hoc doceri à nobis: vel potius ab antiquis Grammaticis ac Jurisconsultis, è quibus nos ista hausimus. Apud Romanos idem in tollendis, quod in ferendis legibus solenne erat: quia seu ferenda esset lex, populus rogabatur, an ferri vellet; seu tollenda, rogabatur, an tolli eam placeret. Hinc rogari lex dicebatur, quæ ferebatur: quia magistratu interrogante ferebatur: ut dicit Ulp. Tit. 1. Regul. Eademque de causa abrogari dicebatur, cum antiquaretur: quod Græcis est ἀποψηφίζεσθαι τὸν νόμον. Ab eadem causa legi dicebatur derogari, cujus pars tolleretur. Paulus Diaconus ex Festo: *Derogare proprie est, cum quid ex lege veteri, quo minus fiat, sancitur lege nova; Derogare ergo detrahere est.* Græci id παραφέρειν dicunt: hoc est, ut Budæus exponit, παραβάλλειν νόμον φέρειν: quasi legem cum lege, & rogationem cum rogatione conferre. Hoc abrogationis & derogationis discrimen, etiam nos docet Modestinus in Tit. de Verb. & Rer. signif. leg. CII. *Derogatur legi, aut abrogatur: derogatur legi, cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Subrogationem vero ab utroque istorum, & obrogationem ab omnibus his differre, indicat Ulpianus Tit. 1. Reg. *Lex aut Rogatur, id est fertur, aut Abrogatur, id est, prior lex tollitur: aut Derogatur, id est, pars prima tollitur: aut Subrogatur, id est, adjicitur aliquid primæ legi: aut Obrogatur, id est, mutatur aliquid ex prima lege.* Hinc Cicero lib. III. de Rep. apud Lactantium lib. VI. cap. VIII. *Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.* Ita enim in Basiliensi Betulei edit. optime expressum: pro quo, unius literæ errore, in antiquo Thomasii codice legebatur, *Huic legi nec abrogari fas est.* Tria etiam ista conjunxit Tullius epist. 1. lib. III. ad Att. Atque ex his satis liquet, in satisfactionis negotio actum Dei judicia non abrogationem esse, sed obrogatiooem: nec enim lex tota tollitur, quæ abrogatio foret; sed manet lex, quod ad quosdam; quod vero ad alios, tollitur ejus effectus, eoque dispensatio, relaxatio, obrogatio hic locum habet. Spissus etiam ille est error, cum, nec sibi quidem constans, eundem actum dicit esse legis executionem, & abrogationem: qoo nihil dici potuit magis ἀσύστατον. Audiat Ciceronem epist. 1. lib. III. ad Att. *Vides nunquam esse observatas sanctiones earum legum, quæ abrogantur.*

Præterea negat Grotius, dispensationem illam, esse interpretationem legis κατ' ἐπιείκειαν. *Siquidem ea interpretatio ostendit aliquod factum, aut personam sub legis obligatione nunquam fuisse comprehensam.* Hic iterum Censor: *Quæ hæc*, inquit, *argutia est?* Equidem discrimen inter dispensationem, & interpretationem legis κατ' ἐπιείκειαν, non intelligi à censore, minime miror, utpote in istis rebus neutiquam versato: neque etiam hoc in eo culpo: sed illud non solum miror, verum etiam vehementer reprehendo, quod, quæ non didicit, tanto cum supercilio aningit. Sed quod factum est, infectum fieri non potest. Quod vero potest, saltem ne gravetur nunc,

Aures vacivas si sint, animum advertere.

Dupliciter fit, ut aliquis, verbis legis non exemptus, effectui eximatur per interpretationem κατ' ἐπιείκειαν, & per relaxationem vinculi legalis. Imperitiores confundere ista solent, quæ tamen & à Jurisconsultis politioribus, & à Thoma Aquinate, ac Scholasticis, optima ratione, nec sine usu discriminantur. Actus ἐπιεικείας, est

est correctio legis, qua aliquid ei deest, propterea quod generatim loquitur: ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου: ut optime explicat Aristoteles lib. v. Nicomachiorum cap. xv. Leges enim ob τὸ ἀόριστον τῆς ὕλης universalibus verbis concipiuntur: atque inde evenit, ut sæpe occurrat ea rerum [illegible], quam certum sit, utcumque verba late pateant, mente legis primitivæ non contineri. Declaravit hoc Grotius apposito exemplo ex sacris literis, de lege, quæ Sabbato operari vetat. Quamvis enim lex ista, religionis ac misericordiæ opera verbis non excipit; ea ipsa tamen, mente ac proposito excludit: ita ut ab initio latæ legis, cuilibet æquo æstimatori liquere potuerit, legem minus late, quam verba præ se ferunt, intelligi oportere. At aliter cum eo comparatum est, qui lege solvitur, sive à legis vinculo relaxatur. Is enim ab initio, & verbis & sententia legis fuit comprehensus. Sane ἐπιείκειαν adhibere cujusvis est: at lege solvere, solius est legislatoris, aut cui νομοθέτης id ipsum concessit. Recte igitur à Grotio dictum fuit, relaxationem sive dispensationem, hoc est, solutionem aliquorum à lege, locum hic habere: non autem interpretationem per æquitatem. Nam apertum est, agere eum de liberatione nostri à pœnis, quos lex puniri præcipiebat. Quibus pœnis quod liberamur, non inde est, quod legis generalitas non æque nos ac cæteros comprehendat: sed quia Deus, legis vinculum, quod ad nos, relaxet. Nihil his clarius, nihil certius, nedum reprehendi mereatur. *At*, inquit Censor, *Interpretatio per ἐπιείκειαν, non necessario ostendit factum aut personam, sub legis obligatione nunquam fuisse comprehensam: sed hoc ostendit, legis obligationem, qua erat ad mortem, ab omnibus hominibus Dei Filiis adoptivis, in unam personam, puta in Filium Dei unigenitum Jesum Christum, fuisse translatam.* Sed iterum immane quantum errat. Neque enim interpretatio legis, potest esse pœnæ tralatio: neque interpretatio legis primitivæ, potest ostendere pœnæ tralationem. Siquidem legis hujus interpres, talem ejus sententiam esse monstrat, ut omnes nos comprehendat: at non ostendit, quid postea facturus sit legislator.

Novum deinde argumentum ponit, quo *Grotii assertionem perire* confidenter jactat. *Ostendit*, inquit, *dispensatio divina personam Jesu Christi, qui sub obligatione legis ad mortem sive pœnam non fuit comprehensus, quia ipse legem non est transgressus: nostri autem causa, qui sub legis obligatione eramus, legi factus est obnoxius.* Quid hoc ad rem? Christus enim lege illa, quæ peccatorem subjiciebat pœnis, neque secundum mentem, neque secundum verba, tenebatur: ita ut interpretatio κατ' ἐπιείκειαν, quæ generalitatem τοῦ ῥητοῦ restringit ἐκ διανοίας, in ipso locum habere non possit. Quod igitur ipse pro nobis subiit legis pœnam, mutationem à legislatore circa legem esse factam ostendit: non autem arguit verborum legis interpretationem. Aliud nempe est ostendere ἁπλῶς, personam sub legis obligatione non comprehendi: aliud, ostendere id per interpretationem, quæ fiat κατ' ἐπιείκειαν. Pergens ille, *Dispensatio*, inquit, *quid est, nisi legis per ἐπιείκειαν interpretatio, abrogatio, executio?* Imo vero dispensatio (ut recte eam Grotius definit pag. 71.) est actus superioris, quo legis manentis obligatio, circa quasdam personas aut res tollitur. Si legis manentis, non ergo abrogatæ, hoc est, in totum abolitæ. Si item obligatio tollitur, non contingit executio legis, εἰς κοινόν. Adhæc, si ea tollitur, prius obligationem fuisse necesse est: quod in interpretatione κατ' ἐπιείκειαν locum non habet: quandoquidem ibi ab initio nulla fuit obligatio, etsi id verba legis præ se ferre videbantur. Nec diffitemur, ἐπιείκειαν etiam latius sumi, ut clementiam quoque illam, ex qua dispensationes oriuntur, includat. Hoc enim ostendit iste Sopatri locus, quem adduxit Grotius pag. 77. Sed in disputationibus ἀκριβῶς loquendum est. Proprie autem, quid ἐπιείκεια sit, diximus ex Aristotele, quem cæteri sequuntur. Præterea non de quavis ἐπιεικείᾳ hic agimus, sed ea, quæ consistit in verbis legis interpretandis: quæ circa eundem actum cum dispensatione συμπίπτειν nequit, non magis sane, quam fieri potest, ut ingenuus qui sit, is jure manumittatur.

Cap. XXVIII.

Probatur multos & veteris & recentis ecclesiæ doctores, non aliam satisfactionis necessitatem agnovisse, quam ratione decreti divini.

PErduxit nos series nunc ad quæstionem ultimam, An lex pœnalis sit relaxabilis. Quod cum affirmat Grotius, apertum est loqui eum de lege illa, quam his verbis expressit: Omnis homo peccans, pœnam ferat mortis æternæ. Legem istam potuisse relaxari, argumento invicto est quod fuit relaxata. Sed objici potuit ex lege, εἰς κοινόν, agi oportuisse, tum quia naturale sit puniri eum, qui deliquit: tum quia veracitas Dei exigere hoc videatur, ut comminatio, ita uti pronunciata est, adimpleatur. Ad utrumque ita respondet Grotius, ut neutrum impugnet censor. Sed aliam hic quæstionem admiscet: An Deus, non accepta satisfactione, sontes potuerit dimittere impunitos. Hoc contendere Grotium, sibi persuadet, & quasi ea sententia nova sit in Ecclesia Dei, non dubitat hoc nomine indigne atque illiberaliter admodum increpare virum illum, ad cujus laudes non adspirat, præcipuum sane inter eruditos non suæ modo Bataviæ, sed totius Belgicæ ornamentum. Sed audiamus censoriæ verbera linguæ: *Hic*, inquit, *nisi me fallit conjectura, in gravem apud Theologos bonos reprehensionem incurret Dn. Grotius, quod ipse Jurisconsultus magni apud omnes nominis, advocatum acturus fidei Catholicæ, illud adversario suo Socino largiatur, quod hactenus sincerorum Theologorum largitus est nemo. Liberalis sit Dn. Grotius erga adversarios suos in causis forensibus: in causis Theologicis, ultra quam justum & rectum est, liberalem esse, est veritatis causam prodere.* Nempe magis asseverate nunc promit, quod cum conditione dixerat in præfatione, *Si Socino iterum iterumque sciens suppetias ferat, videri imitari eum, qui osculo os veritatis prodidit.* Sed si Servator noster Christus, cum dæmonia ejiceret, per Beelzebub ea ejicere dicebatur: æquum sane est, ut (cum discipulus non sit supra magistrum) etiam Grotius patienter ferat, sibi fortiter Christi causam tuenti, objectari, quasi Judæ Iscariotæ similis sit, qui, diabolo instigante, prodidit Salvatorem. Nec magis illo Censoris schemate moveri oportet, cum Theologis bonis opponit fidei advocatum: eumque, quasi ultra peram sapiat, in forensibus, non Theologicis causis liberalem esse jubet. Sane verum est, eum, qui nunc Reip. Roterodamensi est à consiliis, & in Collegio delegatorum ab Ill. Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinibus Senator: hunc antea ob eximiam juris scientiam Hollandici fisci advocatum ab iisdem Ill. Ordinibus fuisse constitutum. Sed nec fori gloria, nec civiles ulli honores, ita ingenii magnitudinem, aut eruditionem ejus omnigenam attriverunt, ut non idem in rerum sacrarum intelligentia credatur à summis viris longe amplius Deo debere, quam multi, qui unum hoc agunt, ac docendo scribendoque nomen producunt suum. Quod cum dico, animus non est vel urbanatim, vel rusticatim, ut loquitur ille, tangere Censorem: qui quantus sit, aliis judicandum relinquo, qui illum melius norint: ipse interim facile concedo, esse virum majorem, quam eum metiremur ex hac Censura: ubi ille, seu affectus aciem ingenii præstrinxerint, seu, ut morem gereret amicis nimium in scribendo festinarit, seu alius casus tantopere præcipitem egerit: (mille enim modis humanus animus de gradu suo labefactatur) censuram adeo infeliciter exercet, ut non arbitrer quemquam controversiæ hujus intelligentem, & æquum Grotianorum verbo-

rum

tum interpretem, reperturum unum aliquid, ubi is summum virum jure reprehenderit. Est hæc res nova & insolens plane: quando, ut in lege Mænia dicebat Varro: *Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.* Sed, his missis, rem ipsam videamus.

Primum illud miror, quod dicat sincerorum Theologorum largiri hoc neminem, quod mox fatetur sensisse Wolfangum Musculum, virum, ut ipse appellat, summæ & eruditionis & authoritatis, & vere magnum. Sed magis etiam miror, quod de omnibus hoc pronunciet, cum tamen multi & antiquæ & recentis Ecclesiæ doctores reperiantur, qui illud, quod Censor ut falsum & insolens aversatur, pro compertissima habuerint veritate. Quod ne facilius quam verius dixisse videar, en testes locupletes.

Cyprianus, vel alius potius probus & antiquus scriptor, lib. de Cardinalibus Christi operibus, serm. XIV. qui est de Passione Christi: *Hoc vis intelligi, quæ sit causa mortis, quæ quæstio; ut, utraque re cognita, peccatum appareat & gratia; & quanti ponderis sit, utrumque, rerum probet effectus: cum originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium; nec reconciliare Deo potuerit exules & damnatos qualibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum; sed facilitas veniæ, laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam, Christi vix cohibent passiones, quæ vix, sceleratos animos à voluptatum face avellunt.*

Athanasius Tom. I. serm. 3. contra Arrianos pag. 239. edit. Commel. Ἠδύνατο καὶ μὴ δι' ὅλως ἐπιδημήσαντος αὐτοῦ μόνον εἰπεῖν ὁ Θεὸς, καὶ λῦσαι τὴν κατάραν· ἀλλὰ σκοπεῖν δεῖ τὸ τοῖς ἀνθρώποις λυσιτελοῦν, καὶ μὴ ἐν πᾶσι τὸ δυνατὸν τοῦ Θεοῦ λογίζεσθαι. *Poterat, fine ullo adventu Christi, solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem. Cæterum spectandum est istuc, quid hominibus sit utile, non quod situm sit in viribus Dei.*

Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. X. *Eos itaque qui dicunt, itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatis hujus, ut unigenitum filium Deum sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam & carnem, mortalemque factum, mortem perpeti? parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, Deus liberare dignatus est, asseramus bonum & divinæ congruum dignitati: verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sed sananda nostra miseria, convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse.*

Et cap. XVI. ejusdem lib. *Cur ergo non fieret mors Christi? Imo cur non prætermissis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos uti posset omnipotens, potissimum eligeretur ut fieret, ubi nec de divinitate ejus aliquid imminutum est aut mutatum, & de humanitate suscepta tantum beneficii collatum est hominibus.*

Idem Augustin. libr. de Agone Christiano cap. XI. *Sunt autem stulti, qui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus anima illa pateretur? quibus dicimus: poterat omnino: sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.*

Leo M. sermone de nativitate Christi: *Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.*

Gregorius M. lib. XX. Moral. cap. XXVI. *Tunc plena est cordis nostri compassio, cum malum inopiæ pro maximo suscipere non metuimus, ut illum à passione liberemus. Quam videlicet passionis formam, mediator nobis Dei & hominum dedit. Qui* CUM POSSET NOBIS ETIAM NON MORIENDO SUCCURRERE, *subvenire tamen moriendo hominibus voluit. Quia nos videlicet minus amasset, nisi & vulnera nostra susciperet; nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc, quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret.* Et mox: *Annon* IN DIVINITATIS SUÆ DIVITIIS *nobis invisibilis permanens,* MIRIS NOS POTUIT VIRTUTIBUS DITARE? *Sed ut ad internas divitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus.* Etiam Bernardus Claravallensis, liberationis modum per satisfactionem magis fuisse convenientem ait, quam si absque ea Deus remisisset homini peccata: *Hoc*, inquit, *fuit de misericordia liberantis, ut, quod congruebat remedii liberandi, justitia magis contra invasorem, quam potentia uteretur.* Interea agnoscit, potuisse etiam liberare, non interveniente satisfactione. Sic enim ibidem; hoc est, Epist. CXC. ad Innocentium scribit adversus Petrum Abaillardum, cujus dogma, ab Orco revocavit Socinus: *Deinde* (Abaillardus) *laborans docere & persuadere, quod sine injuria diaboli, jure Deus profugum suum, si vellet, misereri, repetere, & solo verbo eripere, posset* (QUASI HOC QUIS DIFFITEATUR) *post multa aliquando infert: Quæ itaque necessitas, aut quæ ratio, aut quid opus fuit, cum sola jussione, sua divina miseratio, liberare hominem à peccato posset; propter redemptionem nostram, Filium Dei carne suscepta tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis ignominiosam & asperrimam mortem sustinere, ut cum iniquis patibulum sustineret? Ad quæ Abaillardi verba ita respondet Bernardus: Ratio hujus facti fuit dignatio facientis.* QUIS NEGAT *omnipotenti ad manum fuisse* ALIOS ET ALIOS *modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verum hoc non præjudicat hujus,* QUEM E MULTIS ELEGIT, *efficaciæ.* ET FORTASSE IS PRÆSTAT, *per quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri, tot & tantis gravaminibus reparatoris, fortius, & vivacius admoneremur. Alias autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest, quid boni ad gratiam, quid* CONGRUENTIÆ *ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes se ipsam contineat hujus venerandi mysterii inscrutabilis altitudo. Post aliqua, hæc Abaillardi verba adducit: Cur per sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Respondet Bernardus: Ipsum interroga. Mihi scire licet, quod ita: cur ita, non licet.*

Eadem permultorum nostri seculi doctorum sententia fuit. Afferam è plurimis paucos. Calvinus Institutionis Christianæ lib. II. cap. XII. paragraph. I. *Jam magnopere nostra interfuit, verum esse & Deum & hominem, qui mediator noster futuras esset. De necessitate si quæritur, non simplex quidem, ut vulgo loquuntur, vel absoluta fuit: sed manavit ex cælesti decreto, unde pendebat hominum salus. Cæterum quod nobis optimum est, statuit clementissimus pater.*

Idem Comment. in Joh. cap. XV. 13. *Poterat nos Deus verbo aut nutu redimere, nisi aliter nostra causa visum esset, ut proprio & unigenito filio non parcens, testatum faceret in ejus persona, quantam habeat salutis nostræ curam.*

Similiter Wolfangus Musculus in Loc. Comm. loco de Justific. cap. III. Sed quia de Musculo Censor fatetur, verba ejus non apponemus.

Hier. Zanchius lib. II. de incarnatione cap. III. quæst. I. *Etsi vero Deus servare nos poterat solo suo imperio, peccata simpliciter ex sua misericordia condonando: noluit tamen, sed sapientissime constituit, sicut justitia ipsius exigebat, peccata non condonare, nisi vere per effusionem sanguinis humani prius piarentur.*

Daniel Tilenus, Theologus Sedanensis, Disp. de Incarnatione Filii Dei: *Restituere sive recreare hominem, non minus liberum fuit Deo, quam creare. Nulla enim actionum transeuntium necessaria est in Deo, nisi ex hypothesi, ratione decreti. Cumque visum fuerit ipsi, peccatum, quod quidem solo imperio, tanquam nubem tollere poterat* (*Jes.* XLIV. 22.) *non nisi perfecta & adaquata satisfactionis interventu expiatum delere: hanc longe sapientissimam invenit rationem, qua & justitiam suam in repetenda pœna, & misericordiam in submittendo vade, luculentissime demonstraret.* Otto Casmannus Anti-Socini sui part. II. cap. I. *Licet concedamus justitiam punientem peccata, & misericordiam ea condonantem, utramque scilicet esse liberrimæ Dei voluntatis effectum: tamen satisfactionem pro peccatis, ad condonanda ea non esse* ULLO MODO *necessariam, non concedimus. Necessitas enim satisfactionis, de qua hic agimus, est* HYPOTHETICA, *propter immutabile decretum Dei.*

Wolfangus Franzius, SS. Theologiæ Doct. & Professf. in Academia Witebergensi, disputat. de Sacrificiis XIV. Thesi LXIII. & LXIV: *Quæritur, utrum non Deus potuerit primos parentes & omnes homines ex mortis imperio eximere & in gratiam recipere, sed Sola voluntate, citra Mediatoris satisfactionem ullam. Et respondetur,* OMNINO POTUISSET, *nisi prius & antea protulisset* DECRETUM SUUM *comminatorium. Ut igitur injustitia sua prolata, cum tanta majestate tandem plus satisfieret, tum non amplius ex sola voluntate sua illud voluit & potuit facere. Et quod hæc omnino vera sint, inde constat, quia sese ita revelavit, quod tunc omnino citra satisfactionem promissam hoc non fecerit. Simul etiam voluit ostendere, quantopere irascatur peccatis, & quantopere toti generi humano vitanda sint peccata, ut etiam viceversa, quanta sit ipsius erga homines creaturas suas dilectio, quod nec proprio Filio voluit parcere, sed tradidit illum pro nobis inimicis suis, cumprimis ne diabolus haberet ansam calumniandi sine intermissione Deum, quasi tam facilis fuisset, antea severus erga se ipsum, sed jam & sui ipsius & suæ justitiæ ac etiam comminatorii decreti ita oblitus fuisset.*

Huc etiam inclinat non obscure Jacobus ad Portum, SS. Theologiæ Professor in Academia Reipubl. Bernensis, qui ante quatuor hos annos, hoc est, biennio post luculentas Sibrandi Lubberti commentationes adversus Socinum editas in lucem, ipse etiam fidei catholicæ defensionem adversus Socinianas Ostorodii Institutiones Genevæ divulgavit. Ipsum audi cap. XXXV. sic scribentem: *Cum ipsa Scriptura Sacra, totum redemptionis mysterium, & universam ejus administrationem, ac salutis tum dispensationem, tum fundamentum, principium, medium, ac finem, in liberrimam Dei voluntatem & εὐδοκίαν, tanquam primam ac supremam causam transcribat: ideo hic pedem fisto, & in hoc speculum, fidei meæ adspectum defigo, ne altius, quam fas est, evolando, in profundiorem, quam mea & aliorum saluti conducat, labyrinthum se demergat: ac proinde quæstionem illam controversam: An, videlicet, satisfactio pro peccatis nostris sit absolute necessaria, & dependeat non tantum à necessitate & infallibili certitudine decreti divini, ac libera ordinationis, verum etiam à necessitate naturæ divinæ, sic, ut Deus nullum peccatum condonare possit ulli, nisi plena satisfactione pro eo a Christo accepta: aliis, quibus uberior Spiritus S. revelatio contigit, tractandam & explicandam relinquo. Ego in libero illo decreto Dei & gratuita executione ipsius, tantam φιλανθρωπίας opulentiam, tantumque misericordiæ & gratiæ divinæ thesaurum invenio, ut habeat fides mea, quod contempletur, quod miretur, & in quo acquiescat, nec penetrare altius desideret: quod tamen absque præjudicio dictum, neque derogatum quicquam velim iis, quæ à præstantissimis atque clarissimis Viris hac de re scripta extant.* Atque hi quidem, sententiam suam monumentis publicis consignarunt. Adjungam etiam unum alterumve, qui judicium suum literis perscripserunt.

Reverendissimus Joannes, Coventriensis & Lichfeldensis episcopus, epistola sua ad Ampl. Grotium: *Quæsivit à me D.V. aliquid de hujusmodi satisfactionis & redemptionis nostræ necessitate: de qua, nos in sententia Augustini acquiescimus; non defuisse Deo pro sua omnipotentia & sapientia alios modos possibiles: sed hunc convenientissimum esse visum.*

Cl. V. Antonius Tysius literis ad amplissimum Sandium: *Cum rectorem hunc Deum, ut justitia sua convenientissime agentem* (Grotius) *inducat: idque forte secundum B. Augustinum lib.* XIII. *cap.* X. *de Trinit. qui convenientiorem alium modum nec fuisse, nec esse oportuisse asserit: sane & hoc principio firmiter everti Socinianam blasphemiam arbitror.*

Atque hæc judicia tum antiquorum Patrum, tum reformatæ Ecclesiæ Clarissimorum luminum satis ostendunt: longissime à vero abesse, quod Censor contendit, Theologum sincerum neminem, istud concedere, Deum citra satisfactionem condonare peccata potuisse. Nam impudens sit qui neget, à Socini dogmate alienos fuisse tot veteris Ecclesiæ doctores, etiam magnum Athanasium & Augustinum: tot nostri seculi præclare de Ecclesia partim meritos viros, etiam magnum Calvinum, partim adhuc merentes. Atqui plerique omnes docent, quod neminem dicere Censor putavit: & qui minimum ex iis dicunt, satis ostendunt, in hanc se magis inclinare sententiam, aut saltem existimare, absque dogmate de absoluta satisfactionis necessitate, sufficienter defendi Catholicam fidem adversus Socinum. Quid quod, ut ἐκ παρόδου hoc dicamus, etiam in Ecclesia Romana, idem Scholastici senserunt? Ut Thomas p. 3. q. 46. art. 2. *Quod Deus possit sine satisfactione hominis, remittere peccata, cum non habeat aliquem superiorem. Biel.* 3. *sent. dist.* 20. *qu. un. Quod possit Deus remittere peccatum per solam non imputationem: ac proinde rationes Anselmi in libris, Cur Deus homo, nihil probare, nisi præsupposita divina ordinatione.* Similiter Petrus Tataretus in IV. sentent. dist. XV. fol. 524. Nostroque seculo non solum Antonius Possevinus lib. X. biblioth. selectæ cap. IX. atque alii extra ordinem, sed illi ipsi, qui contra πρόδρομον Socini, Abaillardum, vel ipsum Socinum atque ejus asseclas, eruditos commentarios edolarunt, nullam de hoc vel Abaillardo, vel Socinianis controversiam movent, sed in Augustini sententia acquiescunt. Audiamus Joannem Driedonem, qui, libro de captivitate & redemptione generis humani, Abaillardi sententiam ex Bernardo exponit, quæ pro eo dici poterant, opponit, solideque omnibus occurrit. Verba ejus inter alia hæc sunt. Tract. III. fol. 69. *Quamvis alius modus liberandi genus humanum, Deo fuerat possibilis, non tamen inde consequens est, quod iste fuerit, aut irrationabilis, aut supervacuus.* Continuo quatuor causas adjungit, cur modus iste, divinæ sapientiæ maxime fuerit consentaneus. Atque inter alia Augustini, hæc verba adducit: *Alius modus liberandi possibilis, Deo non defuit, sed sananda nostra miseria convenientior modus non fuit, quam iste, in quo nobis contulit & remedium, ac humilitatis, patientiæ & dilectionis præbuit exemplum.* Et aliquibus interjectis ait idem Driedo: *Deus* (*ut inquiunt Augustinus & Bernardus*) *quanquam secundum suam benignitatem, sapientiam, & justitiam potuisset opus istud redemptionis aliter, sicuti placuisset, perficere: placuit tamen ei, potius hominem sibi reconciliare eo modo & ordine, quo noverat illum cecidisse, ut quemadmodum Adam in mortem cecidit per Evam feminam; ita rursus spem vitæ acciperat per feminam Mariam. Et post aliqua multa: Si roges, cur hoc modo potius quam modis aliis voluerit sapientiam suam, justitiam & misericordiam declarare, cum alius modus hæc eadem declarandi possibilis illi non defuerit: Respondet Bernardus: Mihi, inquit, scire licet, quod ita fecerit: sed cur hoc modo, & non aliter fecerit, mihi curiose scrutari non licet. Quomodocunque aliter fecisset, inquit Augustinus, semper stulta creatura diceret, Cur isto modo, & non aliter fecit, quum innu-*

meros apud se modos tenet? O homo, tu quis es, qui contra respondeas Deo? Et post nonnulla: Convenientius erat divinæ sapientiæ ita misericorditer hominem à potestate diaboli liberare, ut in ipsa liberatione servaretur justitia quædam sapienter in puniendo peccatum, quantum satis est Deo irato, secundum ordinem suæ justitiæ peccatum non dimittentis inultum: divina tamen justitia non ita absolute erat ad hunc faciendi modum coarctata: quia & ipsa manente salva, Deus si secundum suam benignitatem aliter & absque satisfactione hominem liberare voluisset, decenter utique & juste fecisset, ex sua misericordia pro nihilo, id est, absque pretio sanguinis omnia peccata delens, & hominem in priorem statum constituens. Exinde occurrit iis, quæ adversus hanc sententiam objici solent. Inter alia ad illud, quod si peccatum dimitteretur impunitum, Deus foret injustus, respondet hoc pacto? *Deus cum sit judex & dominus omnium, non est intelligendus quemadmodum alius quispiam judex, qui servus est, atque subjectus justitiæ, sed est ipsa justitia, & fons ac plenitudo, consummatio & finis omnis justitiæ: & idcirco ipse non est in ullam aliam justitiam ordinabilis. Quamobrem neque potest, aut esse, aut fieri debitor ulli justitiæ, sed creatura universa debitores sunt ipsi. Proinde & ipse, si injuriam in se commissam absque satisfactione sibi facta remittat, non facit neque contra ullam justitiam, neque ulli alteri injuriam.* Plura ibidem in hanc mentem legere est.

Similiter Mannus Smiglecius lib. de Christi satisfactione scripti adversus Valentinum Smalcium cap. x i. *Poterat Deus nobis clementiam suam alia ratione, hoc est sine ulla redemtione ostendere: at statuit, eam potius in redemptione exhibere: tali inquam redemptione quæ esset divinæ in nos charitatis & gratiæ plenissima. Et ibidem: Utrumque Deus potuit, & absque ulla satisfactione & cum satisfactione peccata nobis remittere. De facto tamen elegit hoc posterius, ut non nisi accepta satisfactione peccata hominibus remitteret: ut ea ratione & justitiam suam in peccatis vindicandis, & charitatem in remittendis per tale medium, quod immensam Dei charitatem continet, declararet. Majoris, inquit, clementiæ fuisset sine satisfactione remittere. At non minoris clementiæ erat, talem redemptionem summa charitate plenam charitate procurare, & simul justitiam clementiamque demonstrare. Etsi enim in Deo talis justitia non sit, qua teneatur absolute peccata vindicare: (potest enim tanquam Dominus, jure suo cedere, & offensas voluntate sua simplici remittere:) tamen si jus suum, ut potest, exigere velit, certum est talem justitiam in Deo esse, quæ possit peccatis reddere pœnam, quæ illis juste debetur. Huic justitiæ satisfieri non nisi Christi sanguine potuit, cum nullus alius sanguis vim habuerit ullam ad tollenda peccata, & emundandas conscientias nostras: ut probat Paulus in epist. ad Hebræos. Ut igitur intelligerent homines, peccati gravitatem esse tantam, ut non possit, nisi sanguine filii Dei, redimi; nec ulla satisfactio alia par ei esse possit: exegit à Christo satisfactionem, ut ita & peccata impunita non essent, & homines à peccatis tanto magis deterrerentur.*

Ex his constare omnibus potest, etiamsi id Grotius dixisset, quod Censor putavit, nihil tamen causæ fuisse, cur tantopere ei insultaret: nunc vero ne id quidem dixit: sed cum pro utraque opinione rationes non adspernandas adferri videret; utrimque item viros magnos stare animadverteret: sententiam privatam communi ac catholicæ fidei permiscere nec voluit, nec debuit. Non bene castra sua tuetur, qui ex tali præsidio dimicat. Ut verum maxime esset, tamen consultum non esset, eo, quod tantos viros dissentientes habet, hostes aggredi argumento. Audiamus, quid hac de re literis suis judicarit Clarissimus Sandius, cujus superius etiam fecimus mentionem: *Opinor, inquit, quod tandem inter nostræ Ecclesiæ doctores sit prævalitura hypothesis, quæ statuit, ante decretum maximam convenientiam, in decernendo libertatem ac sapientiam, ac post decretum, necessitatem, rejecta receptiori nostrorum doctorum sententia de necessitate justitiæ divinæ, quæ sit prior decreto; quæ sane hypothesis in hac Sociniana controversia nimis periculose pro statuminanda ὀρθοδοξίᾳ inducitur.* Censor tamen, quia Grotius hoc sententiæ suæ fundamentum non ponit, eo, Socino ait largiri, quod non oportet, atque adeo causam prodere veritatis. Atqui nihil is adversario largitur, qui illa, de quibus adhuc disputatur inter Catholicos, in medio relinquit: Sed qui præclarum fidei nostræ dogma positionibus superstruit vel non satis firmis, vel saltem non evidentibus satis: is potius, quod falso in Grotio accusat Censor, causam prodit veritatis.

CAP. XXIX.

Exponitur, cujusmodi lex relaxabilis sit, cujusmodi non sit: quantum item distet inter ea, quæ Grotius, & quæ Musculus dixit: præterea quantum inter Grotii & Gittichii verba intersit. Quæ omnia Censor confundit.

SEd videamus, quid moveret Censorem, ut hoc Grotium dixisse putaret, quod non dixit. *Grotius*, inquit, *legem Dei positivam & pœnalem, absolute esse relaxabilem dicit*, pag. 73, 74. Dicit sane: sed id cum facit, non hoc vult, omni ex parte esse relaxabilem: verum illud *absolute* opponit considerationi hypotheticæ decreti definiti: ut sententia ejus hæc sit: Si decretum de non revocando, quod statuerat, removeatur (quale decretum de quibusdam legibus non mutandis Deus fecit) leges positivæ, qua positivæ, sunt relaxabiles. Et hoc quidem universe dicit. Nec enim in specie agit Grotius de lege tali, *Peccata puniantur, nisi intercedat satisfactio:* sed de lege hac: *Omnis homo peccans, pœnam ferat mortis æternæ.* Locus ipse, quem Censor citat ex pag. 74. clare hoc expressit: *Objici potest, justum esse naturaliter*, IPSOS SONTES PUNIRI *pœna tali, quæ delicto respondeat: ac proinde id non subjacere libero arbitrio, neque* ESSE RELAXABILE. Respondet deinde Grotius per explicationem vocis *naturaliter*, ac concludit; *ut puniatur* QUIVIS PECCATOR, *pœna* TALI, *quæ culpæ respondeat, non est necessarium simpliciter & universaliter, neque proprie naturale, sed naturæ satis conveniens: unde sequitur nihil obstare, quo minus lex*, HOC IPSUM *imperans, sit relaxabilis.* Hæc lex, quæ in omnium peccatorum personas directa est (de hac enim Grotius agit) quin relaxabilis sit, dubitare minime possumus, cum fuerit relaxata. Neque item potest negari, à liberrimo Dei arbitrio proficisci, quod eam relaxarit, hoc est, quod, cum punire nos posset, sapientissimo modo à pœna nos liberarit. Quare & certum est, hoc ipsum eidem subjectum fuisse arbitrio ante factum decretum. Musculum excusat Censor istoc dicentem, quod Grotius nec ait, nec negat. Et Grotium tamen accusare non veretur: quæ si non iniquissima est [illegible], quid nomen hoc mereatur, fateor me non intelligere. Atque hoc ipsum magis elucebit, si in cæteris etiam, quantum intersit, videamus. Musculus enim, credimus similitudine suam stabilit sententiam; quod arripit Socinus. Pag. 60. 74. 106. Grotius vero, non posse similitudinem illam eo usque extendi, ut peccata punire & non pnoire, sit ἀδιάφορον, & dixit sæpe, & argumentis evicit. Grotius etiam, causam, gravissimam & justissimam, cur Deus satisfactionem exegerit, fuisse agnoscit: addit, nullum dari potuisse modum convenientiorem: quod Musculus non dicit. Et tamen vapulat. *Atqui*, inquit Censor, *Dn. Grotius, cum irrelaxabile dixisset esse, vel absolute, vel ex hypothesi, neutro modo legem pœnalem irrelaxabilem dici posse statuit.* Ita sane, illam legem, quæ pœnam in omnes dirigit peccatores. Nam ea absolute irrelaxabilis

bilis non est, quia alioqui ex vi materiæ impossibile esset, peccatori cuiquam contingere liberationem. neque irrelaxabilis dici potest ex hypothesi sive ex vi decreti irrevocabilis: quia tum sequeretur, Deum, liberando nos, revocasse decretum irrevocabile: quod mutationi & inconstantiæ Deum faceret obnoxium. De lege vero satisfactionem aliquam sive commutationem requirente, Grotius hoc loco non agit. Nam decretum de hac satisfactione certum & irrevocabile esse, vel cœco liquet: ac disertim id agnoscit Grotius pag. 122. Ex isto igitur decreto sequitur necessitas: quia quæ Deus definite decernit, ea relaxari non possunt, vel κυριωτέρως loquendo, nunquam relaxantur. Nam decretum Dei non quidem tollit potentias rerum, sed tamen actum removet: eoque non facit, ut lex in se irrelaxabilis fiat; facit tamen, ut ne relaxetur unquam. Sed de loquendi ratione, dum de sententia constet, non controverlabimur. Grotium ergo calumniatur Censor, dum decretum, quo Deus aut simpliciter, aut dignissime sibi per Christum satisfieri voluit, vel maligne, vel temere confundit cum lege illa, quæ in personas peccatorum dirigitur, & quam non indefinite, aut irrevocabiliter in omnes latam esse, ex ipso constat eventu. Sed quomodo Censori nescio quid perturbationis, judicium expectoraverit, vel id quod sequitur ostendit: *Scire ego velim, quid hoc sit aliud, quam quod Gittichius Socini discipulus scribit, satisfactionem pro peccatis nostris per pœnarum in se derivatarum solutionem respectu Dei impossibilem fuisse. Certo fuit impossibilis, si lex pœnalis absolute, ut inquit Dn. Grotius, fuit relaxabilis.* Primum hinc apparet, derivationem pœnarum à Socinianis negari, eoque nec agnoscere eos, Christum pro nobis pœnas tulisse; quod tamen Socino Censor adscribit. Deinde loquitur Grotius de ISTA lege pœnali, quæ peccatorem ad pœnam designat. Pronomen n. ISTA addiderat, ut quasi δακτυλοδεικτῶς indicaret legem ita conceptam: Omnis peccator pœnam ferat mortis æternæ. Hanc igitur legem tum absolute sive quod ad materiam: tum ex hypothesi decreti divini, relaxabilem fuisse ait: minime vero agit de exigendæ satisfactionis decreto: quod ipsum lex proprie dici non potest, cum sit dispensatio legis. Adde quod ordo scriptionis Grotianæ clare ista separat. Num enim lex ista relaxabilis fuerit, tractat cap. III. An vero causa fuerit exigendæ satisfactionis, & quæ fuerit, exponit cap. V. Sed pone dixisse Grotium, quod non plane dixit: Deum, nulla satisfactione accepta, potuisse nobis peccata nostra condonare: (pro quo Censor à Grotio positum ait, legem pœnalem fuisse relaxabilem, quæ duo plurimum differre jam vidimus) eone sequetur, idem hoc esse ac quod Gittichius scripsit, Satisfactionem esse impossibilem? Hæne, inquam, enunciationes idem valent?

Possibile Deo fuit satisfactionem non accipere:

Et,

Impossibile Deo fuit accipere satisfactionem.

Plane hoc tale est, ac si dicat, idem esse: Potuit à Deo mundus non condi, quod Dei indicat libertatem, Et, Non potuit à Deo mundus condi, Quod Deum arguit impotentiæ. Vel, ut Augustinus ait, lib. XX. de Civit. Dei, cap. XXX. *Liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est, potuit non creare.* Et, Non potuit Deus hominem creare liberi arbitrii. Quod qui Augustinum dixisse dicat, quia prius illud dixit, atrocem sanctissimo episcopo injuriam facit. Item: Possum non ambulare, non mentiri, non navare operam studiis. Et, Non possum horum facere quicquam. Ovum enim ovo similius non est, quam his sunt ista, Potuit Deus non liberare nos per satisfactionem, Et, Deus non potuit nos per satisfactionem liberare. Quæ tamen Ravenspergero tantundem valent. Ut alius, cui cum Censore negotium esset, genuinum in illo frangeret, spissi adeo erroris istic convicto, ubi atrocissime summum virum accusabat! Unquamne tam infrunitum atque invenustum hominem reperiet Censor, cui solidi aliquid crepare hoc argumentum suum persuadeat? Non dixerat Grotius, Potuisse nos à Deo liberari citra satisfactionem. Censor tamen dixisse comminiscitur. Hoc satis non est. Mirifice inde colligit illud, quod nullo in gradu cum eo habeat affinitatem. Tantundem, inquit, hoc est, ac si cum Sociniano illo Gittichio dicat, Non potuisse nos à Deo liberari per satisfactionem: quod impium dogma à Grotio solide refellitur, & ab eo quod dixit, vel etiam dixisse dicitur, amplius distat, quam Sarmatiæ juga ab insula Batavorum. Si porro in hunc modum indicta pro dictis habere & quidvis è quovis colligere licebit: quis in posterum tam caute sapiet, ut in Socinianorum gregem conjiciendus non sit? Et tamen serpit indies hæc gangræna, magno cum dolore eorum, quibus unice cordi est pax Ecclesiæ. Neque enim talibus non potest non ægre esse, quod homines in tantum fraternæ charitatis oblivisci vident, ut *Tros Rutulusve fiat, nullo discrimine agentes,* etiam Catholicæ fidei retinentissimos, imo defensores acerrimos, & sermonibus, & libris suis Socinianismi suspectos reddere adlaborent: tantum quia non in omnia illorum verba jurent, aut fortasse studiis eorum, Ecclesiæ Reipublicæque interdum damnosis, vel tantillum incommodare credantur.

CAP. XXX.

Expenditur argumentum, quo Censor probat, satisfactionis necessitatem fluere ex natura divina: & quædam adferuntur, quibus verisimile fiat, pendere eam potius à decreto divino.

POstea ad Musculum redit Censor: *Missam*, inquit, *faciam controversiam hanc, ubi de sententia Musculi pauca monuero. Musculus vir magnus fuit, ab omni tamen errore, non magis ac alii viri pii, liber aut immunis. Necessitatem satisfactionis Christi pro peccatis, ipse sancte credidit: eam tamen non ex absoluta Dei natura, sed libero decreto pendere existimavit. Qui error tolerabilis est.* Si Musculus tolerabiliter erravit, Grotiusne intolerabiliter, qui ne hoc quidem dixit; sed totum istud reliquit indefinitum? Cæterum si sufficit cum Musculo affirmare necessitatem ex decreto, plane eam pleneque statuit Grotius. Credit enim omnino, certo, & irrevocabili decreto statuisse Deum, non remittere peccata, nisi accepta satisfactione: addit, ut ita decerneret, convenientissimum fuisse & Deo & nobis. Quod si etiam necessitatem absolutam ex Dei natura ante decretum, probare Censor possit, facile Grotium habiturus est assensorem. Argumentum unicum adferri ab eo video, his verbis: *Quod si Deus, minus haberet libertatis in peccatorum remissione, quam creditor in remittendo debito, propterea quod peccata sine justitiæ suæ offensione condonare nequeat: sane & in eo minus liber erit, qui, bonus & verax existens, nullo pacto sine naturæ suæ læsione possit esse malus & mendax. Causa hæc est, quia in utroque est eadem similitudo. Nam qualis in peccatorum remissione absque justitiæ Dei læsione impossibilitas est, talis etiam plane Deo inest in conversione bonitatis, veritatisque ipsius in malitiam, & mendacium.* Quibus in verbis duo facit. Primum sibi objicit istud argumentum Socini: Nisi Deus peccata possit remittere sine offensione justitiæ, minus Deo libertatis fore in remittendis peccatis, quam creditori est in creditis exigendis. Sed istud sane argumentum, facile ex eo solvitur, quod (uti Grotius non frustra ostendit) Deus ratione pœnæ creditor non est. Nam inde liquet, longe graviores Deo fuisse exigendæ pœnæ causas, quam crediti exigendi est creditoribus. Atque hoc contra Socinum satis est, nec necesse fuit ultra procedere. At Censor, mirum, cum absolutam exigendæ satisfactionis causam adstruat,

struat, simul tamen spectare in hoc ipso Deum jubet, ut creditorem: quod, cum natura crediti consistere non potest. Præterea in iisdem verbis Censor, tale pro sententia sua adfert argumentum: quod quemadmodum Deus per naturam nequit esse mendax aut malus, ita nec peccata queat remittere, nisi satisfactione adhibita: nam alioqui, inquit, remissio justitiam læderet. Sed hoc est, quod quæritur; non, an justum sit satisfactionem accipi, sed, an injustum sit non accipi. Non enim sequitur, si misericors est Deus hoc vel illud agendo, eo immisericordem fore non agendo. Sæpe enim inter ista est medium aliquod. Parentes certe, & Reges, minime se obstrictos putant, ut pro omnibus delictis satisfactionem accipiant. Scio, quanto perfectior sit Dei justitia, quam hominum: attamen mens humana impressas habet notitias, divinæ naturæ imagines. Præterea omne agens, quod agit naturaliter, agit in objectum suæ actionis naturaliter receptivum: quare si punire, esset naturale (illa nimium acceptione, quæ secum fert necessitatem) non possit actio talis de persona peccatoris in personam alteram transire. Neque etiam sapientia Dei, quæ in hoc negotio maxime elucet, locum habitura videtur, si per naturam nequisset Deus aliter agere. Sapientia enim, est electrix mediorum. Maxime autem miror eos, qui, ejus libertatem divinam eousque extendunt, ut decernere potuerit homini pœnas æternas, & gravissimas, etiam citra peccati rationem; eosdem, Deo in partem alteram, tantillum libertatis non concedere, ut culpam ullam citra satisfactionem posset condonare: cum tamen hoc non tam clare pugnet cum justitia, quam illud pugnare videtur cum bonitate divina. Ego hæc non dico, ut quicquam asseram: sed si quis, id, quod Grotius decidere ausus non est, cum Censore voluerit definire: ei cogitandum censeo, quomodo, quæ contra objecimus, solvi possint, & quibus id argumentis probetur, quod veteris Ecclesiæ doctores, multi etiam præstantes seculi nostri scriptores, aut ignoraverunt, aut etiam negarunt.

FINIS.